A 8

IOANNIS DE DICASTILLO

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

TRACTATVS DVO

DE IVRAMENTO

PERIVRIO ET ADIVRATIONE,

NEC NON

DE CENSVRIS

ET POENIS ECCLESIASTICIS.



ANTVERPIÆ

Apud IACOBVM MEVRSIVM.

M. DC. LXII.

Cum Gratiâ & Priuilegio.

A B

AMPLISSIMO
ATQVE ADMODVM REVERENDO
DOMINO AC PATRI
IOANNI
NEVIO
CELEBERRIMI MONASTERII
ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS
SS. CORNELII ET CYPRIANI
APVD NINOVIAM
ABBATI RELIGIOSISSIMO.

QVàm olim, AMPLISSIME ET ADMODVM REVERENDE DOMINE, testandæ decessoribus Tuis IOANNI DAVID & CHRISTIANO ROELOFS, erga vniuersum Ordinem Vestrum, & præcipuè erga religiosissimam Ninouiensem Domum, obseruantiæ suæ, rationem inierunt & pater meus Ioannes Meursius & ante eum consobrinus meus Martinus Nutius; eam mihi nunc quoque suscipiendam esse duxi. Nam cùm ambo vnicè optarent, ex typographij ipsorum laboribus, decus ac dignitatem nomini vestro adiungi; atque vnà libros, quos procudissent,

publico commendari; aliquos vestris illis dignissimis Præsidibus dedicarunt, præsertim quibus nullum auctores ipsi, quod plerumque fit, patronum adoptassent.

Nutius ergo R. P. Cornelij à Lapide è Societate IESV Commentaria in ACTA APOSTOLORVM, EPISTOLAS CANONICAS & APOCALYPSIN, IOANNI DAVID, sapientissimo & religiosissimo Abbati Ninouiensi, dedicauit, ipso adhuc viuente & probante Auctore. Cùm deinde Nutius excessisset è vitâ, neque liberi negotiationem hanc librariam prosequi vellent; Parens meus non paucos in eius officinâ cusos libros redemit, iusque eos deinceps, vt videretur, recudendi, ac nominatim Cornelij à Lapide in Sacram Scripturam commentaria. Euenit non multò pòst, vt operis quod IOANNI DAVID erat dedicatum, noua editio desideraretur, prioris illius Nutianæ exemplaribus omnibus diuenditis iam ac distractis. Præfigerétne pater meus priorem dedicationem? At nec ipse quoque DAVID Abbas in viuis erat. Haudquaquam tamen visum, qui iuris quodammodò Ninouiensium facti eâ dedicatione essent libri, aliò auertere. Eos ergo ita denuò in lucem emisit, vt DAVIDIS successori CHRISTIANO ROELOFS inscriberet, optimo sanè Præsuli, & cùm aliis virtutibus, tum zelo Diuini honoris, susceptâ etiam, eam ob caussam, molestâ & periculosâ in Saxoniam peregrinatione, spectatissimo. Non

Non potui quin his consobrini patrisque exemplis, TIBI, AMPLISSIME ET ADMODVM REVERENDE DOMINE, tantorum Præsulum dignissimo successori, aliquod quoque, cùm occasio ferret, deuoti erga sanctissimum Ordinem Vestrum, ac præsertim Ninouiensem Domum, animi monumentum offerrem. Nam quæ ad illud consilium eos impulerant rationes, eæ omnes nunc quoque præ oculis mihi positæ sunt. Trahit enim me cumprimis illa Tua eximia eruditio, trahit singularis animi moderatio, erga omnes benignitas, studium stabiliendæ religiosæ disciplinæ, atque alia, quæ quam sustines personam apprimè ornant, decora virtutum. Quæ dum prædicari in Te ab omnibus audio, fit vt Diuino quodam instinctu, Phœnicis symbolum vsurpari à Te existimem. Eam enim auem memorant veteres, cùm diutissimè vixerit, per odorata loca volitando, alas suas suauissimis aromatis farcire, ac deinde strui sarmentorum, à Sacerdote congestæ, illius admirandi mysterij gnaro, incumbere, & quem solis radij ignem elicuerint, leni alarum succussione, in flammam excitare, quâ & ipsa non aduritur modò, sed penitùs omnino consumitur: ac deinde è cineribus primùm vermis existit, qui sensim in alitem crescit priori similem. Facile cuiuis esse arbitror, symbolum hoc, Tibi, ADMODVM REVERENDE DOMINE, Tuisque decessoribus, quàm congruat, perspicere. Hi

certè collectis multis ac pretiosis odoramentis virtutum, inter mystica ligna sacratioris Libani, in arcanis videlicet Christi ac Sanctorum historiis, præsertim Patriarchæ Vestri NORBERTI; cùm immensam quamdam in animis suis caritatem Dei accendissent, eâ tandem & ipsi exhausti confectique sunt. Non toti tamen obierùnt: nam, præterquàm quòd consumptis & pro naturæ conditione redactis in puluerem corporibus, liberæ eorum animæ ad cælestia (vt ita dicam) nemora euolarunt, deificis fragrantia nidoribus; etiam in terris velut nouus ab illorum funere renatus es Phœnix, qui si quod pullulare posset noxium germen prauorum morum, non tam in subditis Tuis, quàm mortalibus ceteris, quibuscum aliqua Tibi esse potest consuetudo, PERIMENDO, suaui sed efficace flammâ amoris Dei, quam reliquarum virtutum alunt vnguenta, facis vt PERENNET in vobis, atque in iis qui in mores vestros intuentur, ac sapientissimis vestris monitis instituuntur, Spiritus Norbertinus. Atque sic re ipsâ impletur scitum illud heroïco Tuo symbolo adscriptum, PERIMENDO PERENNAT. Quid enim dicam de admirabili Tuâ fortitudine ac prudentiâ, quâ primis annis suscepti regiminis, cùm patria bellicis calamitatibus laniaretur, insidente iam intima eius viscera potenti hoste, Ninouiensem familiam, non tam vicinam incendio, quàm vndique eo circumuallatam, ita

sapienter

ſapienter rexiſti, vt & illa conſtantibus animis in colendâ pietate duraret, & poſſeſsiones eius è damnis lætiores quodammodò vberioreſque emergerent? Quare & nunc ſperant Ninouienſes, eadem Tuâ magnanimitate, præclaram illam ædem, cuius dudum iacta ſunt fundamenta, per Te breui ad culmen perductum iri.

Sed quid ego hæc operoſiùs conſector? Me Tibi aliquod è prælo meo opus oblaturum, iam olim fidem obſtinxi meam. Nam quæ facta antè CHRISTIANO Abbati dedicatio, ea mihi quoque communis fuit, qui iam eram in librarij commercij ſocietatem adſcitus à patre, vt in eâ ipſe fatetur. Quod ergo tunc *confidere ſe* aiebat *fore vt aliùs noui ac primùm in manus eruditorum proditurì operis Tutorem Patronumq́; eum adoptaret*; id à me nunc meritò exigi videtur.

Quare hoc vt me nomine exoluam, ac nouum pignus offeram addictiſsimæ Tibi in perpetuum voluntatis meæ meorumque, R. P. Ioannis de Dicaſtillo è Societate IESV, multis anteà editis voluminibus celeberrimi, nouiſsimum Tractatum de Cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, nunc primùm in lucem à meis typis prodeuntem, Tibi, AMPLISSIME ET ADMODVM REVERENDE DOMINE, dico ac conſecro. Eam materiam, in quâ armamentarium quoddam Eccleſiæ continetur, tractarunt ante ipſum alij, ſed (vt audio) nemo clariùs ac ſolidiùs.

diùs. Paternitatem igitur Tuam ſpero, & munus ipſum; & animum meum, Tui totiuſque Ordinis obſeruantiſsimum; minimè aſpernaturam; vt dici & eſſe, in perpetuum valeam

AMPLISS. ET ADM. REVER. PATERNITATIS TVÆ

Humillimus Cliens

IACOBVS MEVRSIVS.

IOAN-

IOANNIS DE DICASTILLO

Societatis IESV Doct. Theologi

TRACTATVS DE IVRAMENTO

ET PERIVRIO ET ADIVRATIONE.

IVramentum, quod etiam ad Religionis virtutem pertinet, meritò iam in hunc locum explicandum venit, cuius Tractatum quatuor disputationibus concludam, quibus etiam, quæ pertinent ad Periurium explicabuntur. Multa verò in hanc materiam, seu Tractatum incurrent, quæ communia sunt etiam Voto. ideò aliqua, vel hoc loco pro vtroque Tractatu ex instituto explicabimus, vel ad Tractatum de voto reiiciemus, vt occasio, & commoditas postulabit. Prima disputatio erit de naturâ Iuramenti, & verbis ipsum constituentibus. Secunda, de bonitate, & malitia Iuramenti, circumstantiisque requisitis, vt licitè iuretur. Tertia, de obligatione, quæ ex Iuramento promissorio, resultat. Quarta de modis, quibus Iuramenti vis, & obligatio cessat, nempe de irritatione, remissione, dispensatione, & commutatione Iuramenti. Tandem addemus quintam de Adiuratione. Materia his 5. Disputationibus Perficitur.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura Iuramenti, & verbis ipsum constituentibus.

2. ANtequam ad vim, & obligationem Iuramenti, & cætera quæ, vt rectè fiat, & obliget, requiruntur, descendamus, illius naturam explicare oportet, vnde cæterorum cognitio petenda est.

DVBITATIO I.

Quid sit Iuramentum?

3. IVramentum, quod à Iure dicitur, quia (vt multi volunt) Iuris, & strictissimè obligantis legis loco haberi debet. *est inuocatio diuini nominis ad fidem faciendam, seu ad confirmandam ali-* Vnde dicta Iuramentum? Definitio eiusdem.

quam veritatem. Vndè D. Thomas meritò docuit 2.2.quæst.89 art.1. Iurare esse Deum in testem adducere. Ideò Iuramentum *est actus inuocandi, seu adducendi Deum in testem* vel vt etiam aliqui describunt *est enunciatio siue assertio, quæ diuino testimonio confirmatur.*

Quid sit iurare iuxta D. Tho.

Iuramentũ differt ab oratione.

4. Ex his patet multum differre Iuramentum ab oratione, quæ etiam est inuocatio diuini nominis. Nam per orationem diuinum nomen inuocatur gratiâ petendi ab eo auxilium, tanquam à Domino misericorde, & omnipotenti; per Iuramentum autem inuocatur, tanquam prima veritas infallibilis, vt, qui nec falli potest, nec fallere, testetur id, quod iureiurando asseritur, vel negatur.

Ratio ob quam Deus vt testis adducitur.

5. Ratio autem, ob quam Deus, vt testis adducitur est juxta D. Thomam; quia cùm non possimus multis assensum præbere; nisi aliquo testimonio nixi, humanum verò testimonium insufficiens, & fallibile sit, siue id ex ignorantiâ, quâ sæpe homines falluntur, proueniat; siue ex malitiâ quâ sæpe fallunt; & mentiuntur; ideò sæpè recurritur ad testimonium diuinum vt fides adhibeatur iis, quæ dicuntur.

Ideo Paulus ad Hebræos 6. ait *homines per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est Iuramentum.* Ideò addidimus in definitione illam particulam: *ad fidem faciendam.*

Obiicies 1. quod iurãs petit miraculum.

6. Obiiciat tamen aliquis: si Iuramentum est inuocatio diuini testimonij videtur, qui iura postulare miraculum. Nam Deum præbere testimonium dictis hominum, insolita res est & supra naturæ ordinem.

Resp. Iurãs solum petit vt Deus testetur quãdo ipsi Placuerit.

7. Respondetur negando consequentiam; nec enim iurans petit absolutè, vt Deus nunc testetur in hac vitâ; sed abstrahendo ab hac, vel aliâ, quando id placuerit ita vt saltem in aliâ fiat, quando illuminabit abscondita tenebrarum, & reuelabit occulta cordium, quod testimonium nemini deerit. Multum autem hoc valet ad fidem faciendam; quia non facilè quis est tam improbus, vt ausit Deum facere, seu adducere testem falsi, in quo grauissima, & atrox iniuria Deo irrogaretur. Quapropter diuinum testimonium viris prudentibus, & probis non solùm fidem facit actu exhibitum à Deo; sed etiam expetitum ab homine, qui iurat; quatenus credibile non est hominem adeò nequam esse velle & impudentem vt expetat etiam (quantum in se est, cùm re ipsâ non possit) Deum falsa testari. Ita Lessius lib.2.cap.42.dub.1. & longè melius Valentia tom.3.disp.6.quæst.7.punct.1. Sanch. Obiter in summâ lib.3.cap.1. num.1. & alij Recentiores.

Obij 2.

8. Obiicies 2. si Iuramentum est inuocatio diuini nominis, sequitur esse actum orationis maximè cùm inuocetur Deus, vt opem ferat ad persuadendam veritatem. Vnde etiam Sancti viri sæpe inuocarunt Deum, vt prædicationem suam, tanquam veram miraculis comprobaret; in quo casu, & illa oratio erat vt patet, & etiam videtur fuisse Iuramentum; cùm diuinum nomen inuocarent ad veritatis testimonium.

Resp. Lessius Iuramentum nullam in se continere Petitionẽ.

9. Video non se facilè expedire Authores ab hac obiectione; atque imprimis Lessius citatus respondet Iuramentum nullam in se continere petitionem, sicut cùm quis dicit: *testor regem*, nihil à rege petit.

Contra Sanch. & Suares docent.

10. Verùm, vt testatur Sanch. suprà, & Suarius tom.2. de Religione Tract.4.qui est de Iuramento in proœmio; nullo modo videtur posse esse Iuramentum sine petitione saltem implicitâ, ac proinde sine oratione. Expetitur enim, & petitur, vt testimonium ferat eorum pro quibus in testem adducitur Deus.

Authoris Responsio cũ Valentia quoad Discrimen petitionis quæ fit in oratione & in Iuramẽto.

11. Ideo mihi placet Valentia suprà dùm docet, oratione quidem peti à Deo quippiam, vt ab omnipotenti benefico, & misericordi. Iuramento verò peti à Deo testificationem veritatis tanquàm ab eo, qui est naturâ verax. Vnde Iuramentum adhibetur ad occurrendum fallibilitati humanæ; oratio verò ad subleuandam humanam imbecillitatem in quacunque alia materiâ. Vnde latius patet oratio, quàm Iuramentum. Neque Sancti, qui petebant miracula ad fidei confirmationem iurabant, sed orabant; nec enim adducebant Deum in testem veritatis contingentis, aut ambiguæ. Quia fides, quam prædicabant certissima est. Petebant verò miraculum in hac vitâ pro remedio perfidiæ audientium.

Obiicies 3.

12. Obiicies 3. multi iurant per falsos Deos in quibus nihil est numinis, vel etiam per Creaturas; ergo Iuramentum non est inuocatio diuini nominis.

Resp. Iuramentũ per falsos Deos non esse verum Iuramentũ nec obligare nisi ex conscientia erronea.

Sotus, Aragonius. Lessius. Suarius &c.

13. Respondetur Iuramentum per falsos Deos non esse verum Iuramentum, nec obligare nisi ex conscientiâ erroneâ eos, qui putant sua idola esse Deos. Ita contra nonnullos alios Authores Sotus lib. 8. de Iustitiâ quæst. 2. art. 3. Arragonius 2.2.quæst.89.art.6.dub.vltimo clauis Regia lib.5.cap.3. num.21. Molina tom. 3. de Iustitiâ disp.579.num.13. Lessius lib. 2. cap.12. dub.1. num.5. Suarius de Iuramento lib.2.cap.5.num. 6. & 7. Petrus de Ledesma tract.11. cap.5.dub. vltimo; (quamuis oppositum dixisset cap.1.) Sanch. lib.3. summę cap.2.num.5.qui plura argumenta in contrarium affert, & rectè ea soluit.

Iuramenta Iudæorum & hæreticorum sunt vera Iuramẽta Suarius.

14. Illud mihi placet, quod notat Suarius lib.1.cap.vlt.num.7. Iuramenta, scilicet, Iudæorum, Hæreticorum, aut Philosophorum vera Iuramenta esse. Cognoscunt enim verum Deum, licet non per fidem supernaturalem.

Obii. 1

15. Obiiciunt tamen ij, qui putant etiam Ethnicos iurare per verum Deum, satis esse quòd putent se iurare per verum Numen, licet materialiter errent; probant à simili; quia fidelis iurans per Euangelia contenta in libro existimato Euangeliorum, qui tamen reuera Euangeliorum non sit, sed profanus; verè iurat, & obligatur; quia materialiter tantùm errat. pari ergo ratione Gentilis iurans per id, quod putat esse Deum, verè iurabit.

Resp. Ethnicos Putãtes se per verũ numẽ iurare, non tamũ materialiter sed etiam formaliter errare. At fideles iurantes per

16. Respondetur negando antecedens, nam Ethnici non errant solum materialiter, sed formaliter. Intendunt enim tribuere suis idolis veram diuinitatem & per illam quæ in eis existit iurant. Qui verò iurat per Euangelia contenta in eo libro per vera Euangelia intendit iurare, & veris Euangeliis tribuit honorem, quatenus in iis relucet veritas summa, & diuina. Neque aliquid sacrum intendit tribuere contentis in eo libro; sed iis, quæ existimat ibi contineri, ac proinde

Euangelia quæ putant contenta in libro qui nō nisi Profanus est, materialiter solùm errare.

inde materialiter tantùm errat; atque adeò verè iurat & obligatus manet. Hæc Sanch. loco citato quæ, quamuis mihi non displiceant; nihilominus aliquid superaddendum puto; scilicet, si intentio tantùm sit iurandi per ea Euangelia, quæ ibi continentur, cùm primum, qui sic iurauerit rescierit ibi non esse vera Euangelia, non teneri, sicut qui iurat per hanc Crucem nulla signatâ, nec factâ cruce non iurat, vt cum eodem Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 27. dicemus dubit. 5. illatione 2.

Addit Lessius.

17. Addit præterea Lessius Christianos fideles iurantes per Iouem, Mercurium, vel per Idola, solere id facere causâ irrisionis iocando, vel ludendo imagine Iuramenti, & tunc non peccare mortaliter consentit Abulensis quæst. 268. in cap. 5. Matth. expressè asserens esse veniale. Alcocer verò cap. 15. doctrina 7. docet nullum esse peccatum. Sanch. verò citato lib. 3. cap. 2. num. 11. putat quandoque posse esse actum vanum, & otiosum; atque adeò veniale peccatum; aliquando verò, posse adhiberi ex causâ iusti & honesti ioci, & tunc nullam esse culpam. Si tamen fidelis iuraret per Ionam vel Idola seriò, vel ad imperium Tyranni, aut cum eis circumstantiis, vt videretur Ioui honorem diuinum deferre grauissimè peccaret.

Fidelis iurans per Iouem, vel Idola Seriò. An peccarer grauiter.

Iurare per creaturas potest quis tripliciter

18. Quod attinet ad Iuramentum per Creaturas tripliciter potest contingere. Primò adferendo illas tanquam infallibiles veritatis testes; atque sic iurare est blasphemica species Idololatriæ cum tribueretur illis quod est proprium Dei. Quà ratione nemo, nisi infidelis credendus est iurare. Nec enim, quando fideles iurant per Creaturas credendi sunt fideles velle idololatrare, sed velle iurare per illas in altero ex duobus modis sequentibus, vt rectè notarunt Caietanus verbo. *Iuramentum*, & Nauarrus in summa cap. 12. num. 4.

Secundus modus.

19 Secundo igitur modò potest iurari per creaturas referendo illas in creatorem cuius Numen, & Maiestas in eis elucet, & quatenùs sunt creaturæ Dei, quod sanè est tacitè, & virtute iurare per Deum ipsum. Vnde, quando in Iuramento dicitur esse *inuocationem diuini nominis*, seu *numinis* seu *inuocationem ipsius Dei*, intelligendum est de inuocatione, vel expressâ, vel tacitâ, qui modus iurandi per creaturas, & licitus est, & verum Iuramentum, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 6. quem cæteri communiter sequuntur & late probant Couarruuias de Pactis 2. part. §. 1. num. 5. & Suarius lib. 1. cap. 5. à num. 3. contra nonnullos Iurisperitos, qui aliquibus textibus innixi contrarium docuerunt, qui tamen textus solùm loquuntur de primo modo iurandi per creaturas.

Quoad hunc Secūdum modum Notandum.

20. Aduertendum verò est in hoc secundo modo iurandi dupliciter fieri posse Iuramentum per creaturas nempe per simplicem attestationem, vt, cùm quis iurat per cælum per D. Petrum, & similia, vel per exsecrationem, vt, cùm creaturas iustitiæ Dei subiicimus, & obligamus, ita, vt, si verum non asserimus Deus de illis vindictam sumat, vt cum quis dicit *per vitam meam aut Dæmon me arripiat* & similia.

Tertius modus Iurandi per creaturas.

21. Tertio modo potest iurari per creaturas secundum dignitatem, quam in se habent; quam nis à Deo illis donatam, vt cùm quis iurat per suam Fidem, vel per suam veritatem, vel per suam conscientiam, vel per Sanctos secundum dignitatem, scilicet, sanctitatis, quam, à Deo participatam, in se habent in quo sanè casu non est iuramentum; nam de essentiâ Iuramenti est inuocatio diuini testimonij, tanquàm infallibilis atque ita docent Nauarrus cap. 12. num. 5. Suarius citato capite 1. num. 10. Lessius citato cap. 42. dub. 1. num 6. & dub. 2. num. 10. Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 9. Hic autem iurandi modus ex se non est peccatum, vt rectè docent idem Nauarrus & Sanch. suprà, & Suarius num. 8. qui duo posteriores simul notant testimonium hominum; imò & Angelorum; si præcisè secundum suam naturam considerentur fallibile esse; tùm, quia possunt mentiri, tùm; quia multa ignorant. Iurare verò per eosdem homines aut angelos iam beatos, vel, quatenùs sunt beati spectatâ hæc solâ sanctitate, licet non sit propriè Iuramentum, nec actus Religionis strictè sumptæ propter prædictam rationem; est tamen quidam Sanctorum cultus, & actus venerationis ipsis debitæ, quæ appellatur *Dulia*, vt rectè docent Suarius, Lessius, & Sanch. suprà; imò beatos sufficientes esse ad certum testimonium ferendum rectè docent idem Suarius & Sanch. quia iam, & mentiri nequeunt, & in Verbo vident, siue eâdem, siue annexâ, visione beatificâ ea, quæ pertinent ad suum statum ex actibus eorum, qui ad eos ordinantur, & ad eorum gloriam aliquo modo pertinent. Vnde consequenter docent Sanch. suprà & Suarius lib. 2. cap. 6. nu. 3. quòd, si quis ad firmandam promissionem iuraret per beatos spectata solâ suâ sanctitate, licet non obligaretur ex vero Iuramento stare promissis; obligaretur nihilominus sub mortali ex virtute *duliæ*; qui verò iuraret per homines viatores secundum se, non relatos in Deum non adduceret testimonium certum nisi eâ certitudine, quâ reputatur adductus bonus aliquis; nec obligaretur plus, quàm ex ipsâ promissione. Legatur Suarius citato illo cap. 6. à num. 5. vbi eruditè explicat sententiam Augustini relatam in capite *Ecce* 22. quæst. 5. quæ traditæ doctrinæ aduersari videtur.

Hic iurādi modus ex se non est peccatum.

Nauarrus Suarius Sanch.

Iurare per sanctos spectatâ solâ sanctitate non est propriè Iuramentum.

Lessius. Suarius. Sanch.

Ex quo cūper Iurans ad firmandā promissionem, per Beatos spectatâ solâ ipsorū Sanctitate teneatur sub mortali stare promissis.

22. Vnum tamen aduerterim, Augustinum, si verba expendantur planè videri sentire, quòd iurans per Lapidem secundum se sine vllâ relatione ad Deum, sit periurus, ac proinde videtur inferri sufficere ex sententiâ Augustini ad Iuramentum iurare per creaturas secundum se.

Quadam Augustinū verba quæ nobis videtur contraria explicantur.

23. Nihilominus non improbabiliter Suarius respondet negando sequelam. Nam Augustinus ibi loquebatur de eo, qui, sciens se non iurare, decipiebat alios, qui putabant illum iurare, quem, vt Augustinus reprehenderet appellât ipsum Reum iniusta deceptionis nomine Periuri, scilicet, quoad apparentiam propter scandalum.

Quæres quoad creaturas irrationales.

24. Quæret tamen aliquis an licitum sit adducere in testes, seu iurare per creaturas irrationales, vel per Dæmones aut Damnatos?

Resp. 1. Potest Iuramentū per quascūque.

25. Respondetur cum Suario lib. 1. cap. 5. num. 7. primò, quòd quamuis licitè possit iurari per creaturas omnes in secundo sensu ex tribus explicatis. item per Homines viatores, aut Beatos,

Creaturas facti reddi illicitum ratione Scandali. Suarius. *Ratio est*

tos atque etiam per Angelos, & Beatos in tertio sensu explicato; potest nihilominus Iuramentum reddi illicitum per quascumque creaturas factum ratione scandali; nam licet hæc doctrina locum habeat generaliter in omni actu cuiuscunque virtutis; tamen in Iuramento per creaturas periculum est longè maius, & peculians occasio præbendi scandalum. Vnde inter fideles minoris periculi apparet Iuramentum per creaturas Deo sacratos, vel, inquibus magis Deus elucet, quia tunc clariùs apparet Iuramentum fieri per respectum ad Deum. Inter infideles verò interdum esse potest maius periculum, si fidelis iuraret per solem, aut lunam, vel similia, quæ à Gentilibus pro Diis adorantur.

Resp. 2. nunquam esse licitũ Seriò iurare per creaturas irrationales, secundũ se & non relatas ad Deum. Suarius. Bonauentura. Nauarrus. *Ratio est Cur addatur ly Seriò.*

26. Secundò respondetur cum Suario num. 8. nunquam esse licitum seriò iurare per creaturas irrationales secundum se & non relatas ad Deum; quia vel id faceret credens in illis esse aliquid diuinum, (quo casu pertineret ad idololatriam) vel impossibile est quod habeat intentionem iurandi; nisi planè ignorans, quid sit iurare; Nec enim potest adduci in testem veritatis, quod veritatem cognoscere non potest. Ita docet Bonauentura in tertium distinct. 39. art. 2. quæst. 2. in fine, & Nauarrus cap. illo 12. nu. 5.

Dixi *Seriò*; quia, qui vsurparet verbum iurandi nomine tenus sine animo iurandi non peccaret secluso scandalo; quod faciunt multi fideles ad fallendum appetitum iurandi; quando per suam tunicam, vel indusium, per calceos, aut etiam barbam iurant qua ratione vitare potiùs & declinare iuramentum volunt, quàm iurare; vt notant Nauarrus, & Suarius.

Resp. 3. nũquam licet Seriò iurare per dæmones aut alios dãnatos, per Mahometem, vel similes. Ratio. Suarius. Sanch. Abulẽsis.

27. Tertiò respondetur nunquam licere seriò iurare per dæmones, aut alios damnatos vt per Mahometem, vel similes; quia, vel fieret in primo sensu, & tunc esset idololatria; vel in tertio, & tunc esset impossibile velle iurare; nisi existimaret iurans dæmonem esse aliquo modo dignum fide; qui est grauissimus error, cùm fides doceat illum esse mendacem, & patrem mendacij ac circumire, vt homines deuoret. Vel vellet quis iurare per dæmonem in secundo sensu, scilicet, quatenùs est Dei creatura; atque hoc modo etiam est illicitum; quamuis enim in dæmone secundum esse naturæ reluceat veritas Dei & in pœnâ illius ostendatur potentia, & iustitia Dei: ratione tamen status earum creaturarum indignæ sunt, vt in eis vel earum nomine inuocetur Deus in testimonium veritatis. Accedit, quòd ea inuocatio per se esset scandalosa, cùm eæ creaturæ potius accipiantur, & ponantur vt offendiculum contra diuinum honorem. Ita Suarius suprà num. 9. Abulensis in cap. 5. Matth. qu. 268. Sanch. lib 3. cap. 2. num. 11. qui idem putat de Iuramento Exsecratorio facto per eiusmodi creaturas, *vt per vitam dæmonis*, aut *Deus destruat dæmonem, si ita non est.*

Iurare tamẽ per dæmonẽ quatenus est Dei creatura, est verum Iuramẽtum.

28. Addit nihilominus; quamuis hoc illicitum sit, esse tamen verum Iuramentum; quia est adducere creatorem in testem. Ob quam etiam rationem dixerat Suarius num. 7. in fine in Iuramentis, quæ fiunt per creaturas in secundo sensu licito cauendum esse, ne turpe aliquid, & quod Deum non deceat nominetur; nam ex eâ parte poterit esse peccatum Irreuerentiæ contra Deum. Imo posset ad Blasphemiam pertinere.

Posset non esse peccatũ iurare per dæmonem.

29. Dixi etiam *Seriò*. Nam, si fiat sine animo iurandi; sed per contemptum & irrisionem, ludendoque in imagine iuramenti posset non esse peccatum iurare per dæmonem sicuti notauimus de idolis, & de creaturis irrationalibus; id tamen deberet fieri coram id scientibus, ne detur scandalum.

Ex dictis satis credo explicata manet prima pars definitionis Iuramenti, in quâ diximus Iuramentum esse Inuocationem diuini nominis, seu numinis; vel testimonij diuini, in qua inuocatione affertur testimonium infallibile eius; qui est ipsa veritas per essentiam, quod proprium Dei est.

Iuramentũ est actus Religionis tribuẽs Deo cultum diuinum. S. Thomas sotus &c. *Probatur ex* Deutoronmij 16.

30. Ex hoc patet Iuramentum esse actum Religionis tribuentem Deo cultum diuinum, quæ doctrina est omnium Theologorum in 3. distinct. 39. & D. Thomæ 2. 2. quæst. 89. art. 4. Caietani, Soti, ac vniuersim omnium. Probaturque ex Scriptura Deutoronomij 16. vbi dicitur *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies; ac per nomen illius iurabis.* Vbi Iuramentum ponitur tanquàm actus pertinens ad latriam, & seruitutem Deo debitam. Idem colligitur ex secundo præcepto Decalogi, quod habetur Exodi 20. ideoque inter præcepta primæ tabulæ collocatur.

Idem affirmant Sancti Patres. Ius Canonicum & Ciuile.

31. Eandem veritatem affirmant Sancti Patres, & habetur frequenter in Iure Canono præsertim capite *Tua nos* c. *si verò* c. *Debitores* de Iureiurando. Atque in Iure Ciuili frequenter dicitur Iuramentum Iurisiurandi Religio vt lege 1. de Iureiurando, & leg. 2. C. de rebus creditis & Iureiu. vbi dicitur *Iurisiurandi contempta Religio satis Deum vltorem habet.* In aliis etiam legibus Iuramentum vocatur Sacramentum. Item in aliis *religionem præstare* vsurpatur pro eo, quod est iurare.

Hanc etiã veritatem agnouerũt philosophi. Aristoteles. Cicero.

32. Hanc eandem veritatem Philosophi agnouerunt maximè Aristoteles 1. Metaph. c. 3. vbi ait Iniurandum esse honorabilissimum; quia, scilicet, continet Dei cultum & honorem, & in Rhetoricis ad Alexandrum sic Iuramentum describitur: *Iusiurandum est cum diuinâ veneratione dictio probationis expers.* Cicero etiam 3. de officiis docet Iusiurandum esse affirmationem Religiosam.

Ethymologia vocis iurare *iuxta* D. Thomæ.

33. Hinc D. Thomas supra art. 1. deducit etymologiam quam suprà indicauimus verbi Iurandi; videtur enim à Iure deductum; quia id, quod cum Iuramento dicitur, ita firmum & certum haberi debet, ac, si esset iure ipso stabilitum. Vel certè (vt alij interpretantur) quia id, quod diuino testimoniu affirmatur, quasi iure suo pro vero habendum sit.

Meliùs Augustinus dicens. Quid est Iurare nisi ius reddere Deo, cũ per Deum iuras.

34. Mihi tamen (quamuis prædicta non displiceant) melius videtur deduxisse Augustinus eius vocis etymologiam serm. 28. de verbis Apostoli, vbi ait; *quid est Iurare nisi ius reddere Deo, cùm per Deum iuras?* hæc Augustinus vbi per Ius intelligit ius gloriæ illi debitæ, tanquam natura sua veraci, quod Augustini dictum retulerat D. Thomas citato art. 1. argumento 2.

Obiicies 1.

35. Verum obiiciet quis huic vltimæ doctrinæ obstare alteram particulam positam in definitione Iuramenti, scilicet, *ad faciendam fidem.*

Primò;

Videtur quod Iuramentũ non sit actus Religionis.

Primò, quia omnis actus Religionis præcipuè, & primariò respicit cultum Dei: sed Iuramentum non fit primò, & per se propter cultum Dei; sed propter confirmandam aliquam humanam veritatem seu pactum, vt dicitur in definitione, & testatus est Paulus ad Hebræos 6. vbi ait: *Homines per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationẽ est Iuramentum.* Quod etiam assecutus est Aristoteles, quando citatis verbis dixit. *Iuramentum est cum diuinâ veneratione dictio probationis expers.* quasi diceret: Iuramentum est, quod in re incertâ, &, quæ aliàs probari sufficienter nequit summam quandam probationem affert eo quod Deus ipse adducitur in testem. Quod etiam testatur D. Thomas art. 1. in corpore ex D. Paulo, & posteà art. 4. ad 3. & art. 5. ad 1. & art. 8. ad 1. vbi discrimen assignat inter Iuramentum, & votum, quòd per votum aliquid ordinamus in Dei reuerentiam; in Iuramento verò è conuerso reuerentia diuini nominis ad veritatis confirmationem ordinatur; atque in solutione ad secundum docet, eum, qui iurat non ordinare Iuramentum ad venerandum eum, per quem iurat, ergo Iurare non est officium Religionis; nam officium Religionis est ordinare actum suum ad venerandum Deum ad cultum eius.

Resp. 1. Actum Religionis primò & principaliter respicere Dei cultum intrinsecè ad confirmandũ autem veritatem humanã ordinari solùm extrinsecè. Explicatur hæc responsio in actionibus artificiosis & moralibus.

36. Respondetur dupliciter. Primò distinguendo maiorem sic: Actus Religionis primò, & principaliter respicit cultum Dei Intrinsecè, seu, quoad specificationem, vel modum, & rectitudinem eius concedo maiorem; extrinsecè verò, seu, quoad exercitium actus, nego. Iuramentum autem ordinatur intrinsecè quidem, & quoad specificationem solùm in cultum Dei; non verò in aliquid aliud. Ad confirmandam autem promissionem, seu veritatem humanam solùm ordinatur extrinsecè, & quoad exercitium, in quo nullum est inconueniens. Quæ doctrina explicari potest ex eo, quod contingit in actionibus artificiosis, vt, quando quis ex voluntate lucrandi, vel aliâ simili mouetur ad eam actionem exercendam; quo casu actio artificiosa habet quidem exercitium à voluntate lucrandi; formam verò artificiosam, seu directionem ab arte intrinsecè recipit. Hoc ipsum etiam contingit in actibus voluntatis, seu virtutibus moralibus; potest enim quis moueri ad promittendum alteri ex affectu complacendi illi: supposito tamen tali affectu, fidelitas est, quæ obligat, & dirigit voluntatem, vt cum intentione implendi, & aliis circumstantiis promittat, &, vt post factam promissionem impleat illam. Pari ratione ex affectu, seu amore proprio, vel proximi potest quis moueri ad orandum Deum, & tamen virtus orationis dirigit, & præscribit, vt cum reuerentiâ, resignatione, & aliis circumstantiis oretur. Hoc ergo ipsum potest contingere in Iuramento.

Resp. 2. Ex parte operantis, potest Iuramentũ non esse Actus Religionis: Non autem ex parte operis.

37. Secundò responderi potest paulò aliter (quamuis ferè in idem recidat) distinguendo inter intentionem operantis, & intentionem operis. Nam ex parte operantis potest quis iurare sine intentione colendi Deum, & ex affectu aliquo merè humano, quâ ratione nullum est inconueniens, quòd possit tunc Iuramentum fieri. & non esse actus Religionis; sicut potest quis dare Eleëmosynam, & non facere actum misericordiæ, si non moueatur ex motiuo misericordiæ, sed ex alio extrinseco motiuo. Hoc verò non obstat quo minus iuramentum ipsum de se sit actus Religionis; quia ex se, & ex obiecto suo habet honestatem pertinentem ad Religionem, quæ, si intendatur ab operante, erit actus Religionis. *Ratio* Non negauerim tamen quod, vt Iuramentum habeat Religionis honestatem, debeat fieri cum tribus comitibus, scilicet, *veritate, Iustitiâ, & Iudicio*, vt dicemus disputatione sequenti. Sub iudicio autem requisito ad Iuramentum comprehenditur & requiritur, quod sit aliqua occasio necessitatis, aut vtilitatis adducendi nomen Dei in testimonium alioquin erit actus otiosus, & irreuerentiam potiùs continebit contra Religionem. Itaque concedendum est, quod primum, & quasi remotum, seu extrinsecum motiuum excitans, & mouens ad Iurandum, non sit cultus Dei; sed aliquid temporale, & humanum, quale est confirmare aliquam veritatem, & eam persuadere quod probat particula illa posita in definitione. & probant etiam testimonia Pauli, D. Thomæ & Philosophi citata. Nihilominus supposita illa occasione, seu extrinseco motiuo necessario ad Iuramentum, statim cultus Dei adest. & relucet ibi, qui proximè potest, & debet obseruari, & intendi; quia Iuramentum ipsum est actus valde proportionatus ad diuinum cultum, id est ad significandam debitam existimationem, quàm de Deo habemus, quâ profitemur ipsum solum esse infallibilem, in essendo, sciendo, asserendo, & attestando. Quæ honestas, si intendatur, absque dubio tale Iuramentum erit actus Religionis. Quod si non intendatur, & tamen obseruentur omnes comites Iuramenti; non erit quidem actus formalis Religionis, & elicitus à virtute Religionis propter defectum intentionis & motiui ex parte operantis; poterit tamen tale Iuramentum dici aliquo modo esse à Religione, saltem, vt à causâ impediente malitiam sibi contrariam; quia nimirum ibi re verâ intercedit voluntas obseruandi, & cauendi, ne aliquid contra Religionem fiat quæ voluntas ad Religionem spectat; quia officium cuiusque virtutis est non solùm amare, seu intendere suam honestatem; sed etiam cauere contrariam malitiam, vt optimè notauit Suarius lib. 1. de Iuramento cap. 4. num. 9. Si tamen desit aliquis ex comitibus Iuramenti; iam tale Iuramentum non solùm non erit actus Religionis; sed etiam illi contrarius, & vitiosus, peccatumque contra Religionem.

Vt Iuramentũ habeat Religionis honestatẽ debet fieri cum tribus comitibus.

Primũ & extrinsecũ motiuum mouens ad Iurandũ.

Honestas intendeda vt Iuramentum sit actus Religionis.

Virtutis cuiusque officium.

Obiic. 2. Si Iuramentũ esset actus Religionis, posset per se appeti & exerceri.

38. Secundo obiici potest ad probandum non esse Iuramentum actum Religionis; quia, si talis esset actus posset per se appeti, & exerceri, vt patet inductione in cæteris aliis actibus Religionis; & adstipulatur ratio; quia diuinus cultus, qui reperitur in actu Religionis sufficiens ratio est ad honestandum actum. Iuramentum verò non est talis actus, vt propter se tantùm appetendum sit, vel exercendum; sed propter aliam aliquam necessitatem vel piam vtilitatem, quâ deficiente, malum & peccatum est iurare, vt videbimus sequenti disputatione; ergo per se non est actus Religionis. Confirmarique potest. Nam per se bonum est, & vtile frequentare Religionis

ligionis actus; non est autem vtile frequentare Iuramentum; ergo non est Religionis actus.

Resp. Quãuis cultus Dei secundum se, & per se appetibilis sit Actus tamẽ qui assumuntur vt materia cultus non semper sunt per se appetibiles, sed tantum in aliqua necessitate &c. Elucidatur Exemplo.

39. Respondetur, quòd quamuis cultus Dei secundum se, & per se appetibilis sit; tamẽ actus, qui assumuntur, vt materia cultus, non semper sunt per se appetibiles; sed tantùm in aliquâ necessitate, vel suppositâ conuenienti materiâ eorum. Hac enim ratione actus contritionis, aut pœnitentiæ exerceri potest in Dei cultum non tamen est per se appetibilis; sed tantùm supposito peccato. Sic etiam paupertas non propter se; sed, vt vtilis ad perfectionem vitæ, fit materia Religionis, & vouetur. Sic cæremoniæ exteriores prudenter factæ, sunt religiosæ, & aptæ ad cultum diuinum; si verò inepto modo, seu indiscretè fiant; non cultum; sed superstitionem continent, aut leuitatem aliumúe defectum. Hac ergo ratione Iuramentum, si habeat suos comites, *veritatem, Iustitiam* & *Iudicium* ad cultum Dei pertinet; deficiente autem quocunque eorum non pertinet ad talem cultum; sed potiùs est contra cultum; quia irreuerentiam continet.

Ad confir. Resp. Iuramentũ non esse frequẽtandum propter periculum.

40. Ex quo ad confirmationem respondetur, Iuramentum, quamuis sit actus Religionis, ideò non esse frequentandum; quia tam multa requirit, & difficilia ad suam integram rectitudinem, & honestatem, vt periculum sit deficiendi in illâ, si frequenter (etiam in licitis tantum) frequentetur, ac proinde consultius est abstinere ordinariè ab illius vsu, etiam licito; atque hoc ipsum redundat in maiorem cultum Dei; nam ipsamet abstinentia iurandi sub hac ratione intenta cultus quidam diuinus est, maximè, quia non desunt plures alij actus, quibus sine periculo, & cum maiori fructu colatur Deus vt optimè docet Suarius citato lib. 1. cap. 4. n. 14.

Obiicies 3. Contra rectam rationem est ordinare rem superioris ordinis, ad rem ordinis inferioris.

41. Obiicies adhuc tertiò ad probandum non esse Iuramentum actum Religionis; quia malum est, & contra rectam rationem ordinare rem superioris ordinis ad rem ordinis inferioris; sed Iuramentum est res sacra; atque adeò superioris ordinis; ergo non poterit licitè ordinari, saltem ad confirmandam veritatem, seu promissionem merè humanam, quæ est res temporalis, & inferioris ordinis.

Resp. 1. Caietanus.

42. Respondet Caietanus 2. 2. quæst. 89. art. 5. Iuramentum tantùm ordinari ad confirmationem veritatis humanæ, tanquam ad effectum, quod non putat inconueniens, tale autem putat, si ordinetur tanquam ad finem, quod Caietanus negat fieri.

Resp. 2. Sotus, contra Caietanũ.

43. Sotus verò lib. 8. de Iustitiâ art. 5. putat contra Caietanum ordinari Iuramentum ad manifestandam veritatem, tanquam ad finem, quod etiam efficaciter probat Suarius lib. 1. cap. d. num. 8. Potissima ratio est, quia effectus Iuramenti non est per accidens, & quasi fortuitò coniunctus cum voluntate iurantis; sicut inuentio thesauri coniungitur cum voluntate fodiendi terram: sed potiùs est effectus per se intentus ab eo, qui iurat; imò etiam fuit per se intentus in ipsâ institutione Iuramenti. Effectus autem sic intentus coincidit cum fine respectu applicationis causæ, quæ ad illum ordinatur, ergo sicut confirmatio veritatis est effectus per se intentus medio Iuramento, ita etiam est finis eius.

Resp. 3. Alij non esse inordinatum

44. Ideo alij respondent nullam esse inordinationem, aut peccatum, referre res superioris ordinis ad rem ordinis inferioris, tanquam ad finem secundarium, & minus principalem, quando hic non repugnat primario fini, nec de se illum excludit; sicut non est peccatum recitare horas canonicas propter lucrum, tanquam propter finem secundarium, & conditionem etiam necessariam dummodo principaliter intendatur cultus diuinus, vel saltem non excludatur.

referre res superioris ordinis, ad rẽ inferioris, tanquã ad finem secundariũ, non repugnantem fini primario &c.

Hac tamẽ Doctrina nõ Exhaurit difficultatem vt rectè Suarius. Ratio est

45. Hæc tamen doctrina, licet sic in genere vera sit, tamen præsentem non exhaurit difficultatem, vt rectè probat Suarius citato cap. 6. num. 12. quia ad iurandum sine peccato, non est necessarium intendere principaliter diuinum cultum. Nec videtur hæc ordinaria intentio iurantium, neque eorum, qui iuramenta exigunt, vel in iudicio, vel extra, siue in contractibus siue in promissionibus, imò, etiamsi nullo modo intendatur cultus diuinus; sed tantùm confirmatio veritatis, dummodò attendatur, ne desit aliquis ex tribus comitibus Iuramenti, nullum peccatum admittitur. Denique non solùm ex parte operantium, verum, neque ex naturâ rei; neque ex primariâ institutione Iuramenti videtur esse primarius finis diuinus cultus; sed confirmatio veritatis, quod satis constat ex dictis, & vlterius colligitur ex eo, quòd non possumus sine peccato vti Iuramento etiamsi intendamus cultum diuinum; nisi priùs supponatur vtilitas; imò & necessitas quædam moralis confirmandi veritatem aliquam per Iuramentum. Signum ergo est non ordinari primariò ad diuinum cultum, in quo latè differt ab oratione; seu recitatione horarum canonicarum quæ per se primò ordinantur ad diuinum cultum.

Iuramenti primarius finis est cõfirmatio veritatis.

Orationis diuinus cultus.

Celebrans missam principaliter propter lucrum temporale an peccet

46. Accedit, quòd etiam, qui missam celebrant, vel horas canonicas principaliter propter lucrum temporalis stipendij, & sustentationis, nihil aliud intendendo in primis non peccant peccato Simoniæ (vt aliqui existimarunt) nam vbi non interuenit ratio pretij, & commutationis vnius pro alio cum æqualitate, & proportione vnius rei pro aliâ, nullo modo potest esse simonia, vt latè, & doctè probat Suarius tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. de Simonia cap. 44. Stipendium autem, quod datur ministris Ecclesiæ non datur pro re spirituali, quæ gratis datur, & non æstimatur pro pretio; sed ea obligatio dandi stipendium oritur ex natura rei in ordine, & ex habitudine ad personam pro sustentatione debitâ quod significant verba Christi Matth. 10. vbi simul vtrumque coniunxit dicens: *gratis accepistis gratis date, & dignus est operarius cibo suo*, vt notauerat etiam Suarius eodem lib. 6. num. 3.

Facere rem spiritualem propter temporalem, modo ob finem honestum fiat, nullum erit peccatum.

47. Prætereà, si stipendium principaliter intenditur; sed non intenditur ex auaritiâ, sed propter alium finem honestum, scilicet, sustentationem propriam, vel familiæ, nullum erit peccatum ordinare, seu facere rem spiritualem propter rem inferioris ordinis, aut temporalem, dummodò ad finem honestum tendatur, vt cum Soto, & Nauarro cap. 23. num. 100. versu 4. & num. 101. versu 9. & 10. docet Suarius lib. 4. de Simonia cap. 44. num. 12. in fine. Qui tamen recitant horas, vel missam celebrant, tantùm, ne perdant stipendium, & qui concionantur ad acquirendam famam, & vanam gloriam peccant quidem

Si deſit honeſtus finis poterit ſoliȗ eſſe veniale.

quidem, ſed hoc peccatum inordinationis tantùm eſt veniale, quantumuis ordinetur res ſpiritualis principaliter ad temporalem, vt docet idem Suarius num. illo 12. aliàs multa peccata mortalia committerentur ab hominibus vanis de quibus dixit Chriſtus: *Receperunt mercedem ſuam*, non tamen dixit in æternum damnabuntur. Hoc ipſum docet etiam Sanch. lib. 1. moral. c. 3. num. 1. referens D. Thomam 2. 2. quæſt. 132. art. 3. vbi docet tunc eſſe mortale ordinare virtutis opera ad inanem gloriam, quando in eâ vltimus finis conſtituitur, nempe omittendo præcepta Dei propter illa. ita etiam Syluester verbo *vana gloria* quæſt. 2. in fine. Nauarrus cap. 23 num. 13 Henriquez, & alij apud eundem Sanch. Qui verò non ieiunus, vel in peccato mortali vult facere ſacrum, ne ſtipendium perdat, procul dubio ſtipendium principaliter intendit, vt in eo ſiſtat; nam, ſi Dei cultum intenderet principaliter, potiùs abſtineret ab eo, huiuſmodi autem ſacerdos, quamuis grauiſſimè peccet, non eſt ſimoniacus, vt rectè probat Suarius cap. illo 44. concl. 2. num. 11.

Mortale tamen eſt iuxta D. Thom ordinare virtutis opera ad inanem gloriā, quādo in ea vltimus finis conſtituitur. Syluester. Nauarrus

Ad obiectionem numero 41. poſitam. Reſp. Non eſſe inordinatum ordinare res ſpirituales ad temporales modo finis eorum honeſtus ſit. Idem dicēdū in noſtro caſu de Iuramento. Sotus. Suarius. Ratio.

48. Iam verò ad obiectionem conſequenter ad datam doctrinam mihi reſpondendum videtur cum Soto 8. de Iuſt quæſt. 1. art. 5. & cum Suario lib. 1. de Iuramento cap. 6. à num. 12. negando eſſe inordinatum, aut contra rectam rationem ordinare res ſpirituales, & ſuperioris ordinis ad res temporales tanquàm ad proximum, & immediatum finem etiam principaliter intentum ab ipſo operante dummodò finis intentus honeſtus ſit; quia tunc naturâ ſuâ, & virtualiter ſaltem refertur in Deum, vt in vltimum finem; alioquin nec liceret vti oratione ad Deum, quæ eſt actus Religionis, ad poſtulandam ſalutem corporalem, nec liceret ad eandem ſanitatem conſequendam vti Sacramentis, reliquiis Sanctorum, & vota nuncupare, imò & Deus ipſe non rectè ad hominum ſalutem vſus fuiſſet Incarnationis myſterio; quia hoc longo interuallo ſuperat ſalutem hominum, quæ omnia falſiſſima ſunt, ſatis enim eſt, vt res principaliter intenta, quantumuis ſuperior ſit, naturâ ſuâ referatur in Dei gloriam, & Deum ipſum tanquam in vltimum finem, vt latè aliis exemplis probat Sotus. Sic ergo in noſtro caſu per Iuramentum principaliter intenditur confirmatio veritatis, non tamen, tanquam vltimus finis; quia confirmatio ipſa veritatis naturâ ſuâ tendit ad bonum commune, ac tandem ordinatur in Deum, tanquam in finem vltimum, quia confirmare veritatem per Iuramentum, neceſſarium eſt vel ad obedientiam, aut reuerentiam debitam ſuperioribus illud exigentibus, vel ad fidelitatem inter æquales, vel ad defenſionem innocentiæ propriæ, vel alienæ, vel denique ad communem pacem inter homines, & alia ſimilia bona, quæ ex Concilio Toletano cap. 2. enumerantur cap. 1. 22. quæſt. 1. & aliis Iuribus; quæ refert Suarius ſuprà. Hæc latius, quàm initio putaueram, dicta ſint circa definitionem Iuramenti.

Veritatem per Iuramentum confirmare ex variis capitibus poteſt eſſe neceſſariū.

DVBITATIO II.

Quotuplex ſit Iuramentum?

Iuramenti varia diuiſiones.

49. Diuidi poteſt Iuramentum, aut ex parte materiæ circa quam verſatur, aut ex parte formæ, ſeu modi iurandi. Ex parte quidem materiæ duobus modis poſſumus diuidere. Prima diuiſio eſt Iuramenti in Iuramentum ſacrum, ſeu ſpirituale, id eſt rei ſpiritualis, & in Iuramentum humanum, ſeu temporale, id eſt rei temporalis. Sub priori membro continentur Iuramenta de adimplendis votis Deo factis, de fidei profeſſione retinendâ, & tuenda, de obedientiâ præſtandâ Prælatis; huc etiam ſpectant abiurationes, quæ hæreticis fieri præcipiuntur; nam Abiurare tunc nihil aliud eſt, quàm iurare diſſenſum, ſeu negationem erroris contra fidem. Sub ſecundo verò membro continentur Iuramenta omnia, quæ fiunt in Iudiciis temporalibus, ſiue ciuilia ſint, ſiue criminalia; item in contractibus, vel promiſſionibus, vel aſſertionibus humanis. Hæc ſanè diuiſio omnino materialis eſt reſpectu Iuramenti, cùm ſit (vt cum Dialecticis loquar) diuiſio accidentis in ſubiecta. Nam inuocatio Dei eiuſdem rationis, & ſpeciei eſt, ſiue in vnâ materiâ fiat, ſiue in aliâ, vt rectè docet Suarius lib. 1. cap. 7. in fine.

Duobus modis poteſt diuidi ex parte materia. 1. modo.

2. modo.

50. Secunda diuiſio Iuramenti eſt ex parte materiæ in Iuramentum aſſertorium & promiſſorium. Aſſertorium iuxta D. Thomam quæſt. 89 art. 1. eſt, quo aliquid de præterito, vel de præſenti confirmatur: Promiſſorium verò, quod adducimus ad confirmandum aliquid de futuro.

Nota 1. Omne Iuramentum promiſſoriū includere in ſe aſſertorium.

51 Contra hanc diuiſionem nonnullas affert difficultates Suarius lib. 1. cap. 8. nobis verò ſufficiat adnotare primò omne Iuramentum promiſſorium includere in ſe aſſertorium, & aliquid vlterius addere. Nam, qui iurat ſe aliquid facturum, duo iurat; nempe, & habere ſe de præſenti animum id præſtandi; & quod ſuo tempore id præſtiturus ſit. Sanè, quod attinet ad primum, Iuramentum omnino eſt aſſertorium. Nam, ſi careat de præſenti tali propoſito periurus erit, etiamſi poſteà, quod iurauerat impleat. Quod ſi habeat quidem tale propoſitum, quando iurat poſteà verò ſuo tempore non adimpleat, etiam fractor erit Iuramenti, & periurus. Ex quo fit, vt diuiſionis huius membra ſe habeant, tanquàm includens, & incluſum, ſcilicet, quod Iuramentum aliud ſit aſſertorium, aliud verò etiam promiſſorium, id eſt addens ſupra aſſertorium promiſſionem de futuro. Vnde paucis mutatis diuiſio fieri poteſt in Iuramentum aſſertorium tantùm & in Iuramentum aſſertorium promiſſorium ſimul, & hac ratione membra ſe mutuò non includunt, quamuis, quod attinet ad doctrinam tradendam quidquid dicitur de aſſertorio tantùm; locum habeat in promiſſorio ſecundum eam rationem, quam habet aſſertorij.

Hinc diuiſionis huius mēbra habent ſe tāquam includens & incluſum.

Nota 2. Cū D. Thom. materiam Iuramenti debere eſſe verum contingentem.

52. Notandum ſecundò eſt cum D. Thomâ citato art. 1. & etiam 7. omnem materiam Iuramenti debere eſſe aliquam veritatem contingentem, & aliquo modo pendentem à voluntate Iurantis, quod ſanè de Iuramento promiſſo-

rio, cùm ſit de opere præſtando ab ipſo iurante, ſatis clarum eſt. Quod ſi aliquis fortè iuret promittendo alienum factum, id ita interpretandum eſt ſecundum communem ſententiam, vt ſuam tantùm operam circa id procurandum cenſeatur promittere. Tum; quia Iuramentum ob reuerentiam Deo debitam hanc prærogatiuam habet, vt ſemper valeat eo modo, quo valere poteſt, vt cum multis latè id docet Suarius lib. 1. cap. 10. num. 4. Si quis autem ſub Iuramento promittat rem impoſſibilem vel id iurat putans eſſe poſſibilem atque adeo ex mente ſuâ rem contingentem iurat, vel, ſi iurat ſciens eſſe impoſſibilem fieri non poteſt, quod promittat ex animo, ſed fictè, & tunc voluntariè iurat falſam quandam aſſertionem de re futurâ.

Iuramentũ ſemper valet eo modo quo valere poteſt.

53. Quod verò etiam Iuramentum aſſertorium ſit de re contingente probat. D. Thomas quia ridiculum omninò eſſet, ſi quis in diſputatione alicuius ſcientiæ vellet rem propoſitam per Iuramentum probare; quod autem hæc contingentia debeat eſſe circa hominum facta probat D. Thomas; quia hæc ſunt quæ non poſſunt per rationem neceſſariam probari, & ideò ſolent confirmari per teſtes. item; quia teſtimonium humanum infirmum eſt, atque adeò introductum eſt teſtimonium diuinum per Iuramentum.

Propter Infirmitatem teſtium ny humani, introductũ eſt diuinũ.

54. Contra hanc verò rationem obiicit Suarius cap. 10. num. 1. quod ſæpè confirmamus in Iuramento contingentes effectus, qui non ſunt facta hominum, verbi gratiâ Romæ tale ſignum acciditſe, vel fuiſſe pluuiam; imò etiam res demonſtrabiles, & neceſſariò futuras. Sic Aſtrologus poteſt coram eis, qui non ſunt capaces demonſtrationis iurare, quod Ecclipſis futura ſit.

Obiicit Suarius.

55. Suarius verò ipſe reſpondet pro D. Thomâ Iuramentum aſſertorium, etiam in iis caſibus, immediatè non cadere in rem dictam ſecundum, ſe, ſed in dictum Iurantis, & in veritatem eiuſdem iurantis, ſeu in veritatem practicam, non ſpeculatiuam; nam de ſpeculatiuis ſiue in eis perueniri poſſit ad certam earum notitiam, ſiue etiam ad probabilem cognitionem rectè dixit D. Thomas ridiculum eſſe eas velle Iuramento confirmare, aut perſuadere. Nec obſtat, quod ad has veritates ſuadendas interdum ſoleamus quaſi inducere teſtes dum authoritate vtimur, quia illud teſtimonium non inducitur per modum Iuramenti, ſed ſolum ad generandam quandam fidem humanam ex alterius authoritate. Vnde non eſt immediatè de re ipſâ; ſed de ſenſu alterius; quapropter, licet quis poſſit iurare Auguſtinum, vel Thomam hoc docuiſſe, aut ſenſiſſe; non tamen poteſt iurare, ita eſſe. Eodem modo, qui Iuramento confirmat naturalem effectum alibi factum, non illum iurat; niſi ratione cognitionis, quam de illo habuit; nam illam immediatè exprimit per aſſertionem, quam iurat; & idem eſt ſeruatâ proportione iudicium de eo, qui iurat eclipſim, vel pluuiam futuram; ſolùm enim virtute iurat ſe habere certam de illâ re notitiam. Vnde, qui ſub Iuramento interrogantur, & examinantur iuridicè ſtatim; atque aliquid affirmant ſolent interrogari, vnde aut quomodo id ſciãt; an viderint, vel audierint. Hinc etiam fit, vt, ſi quis iuret veritatem, quam non nouit, etiamſi contingat ipſam in ſe eſſe veram, & neceſſariam, eſſe nihilominus Iuramentum ex parte Iurantis falſum, quia eſt de re ſibi ignotâ. Hinc ergo eſt, vt omne Iuramentum aſſertorium ſit de materiâ contingenti ratione alicuius humanæ actionis à quâ pendet veritas aſſertionis, quæ immediatè iuratur.

Reſpondet ipſe Suarius.

Veritates ſpeculatiuas velle Iuramento perſuadere ridiculum eſt aut D. Thom.

Non poteſt quis Iuramento confirmare rẽ aliquã, niſi ratione cognitionis quam de illâ habet.

Iurans de re ſibi ignota, falſum Iurat, quãuis res vera ſit.

56. Confirmari poteſt ex eo, quòd in Iuramento aſſertorio Deus inducatur ad confirmandam veritatem formalem (vt ſic loquar;) non ad materialem, id eſt, ad veritatem quæ attenditur ex conformatione aſſertionis ad mentem loquentis potiùs, quàm ad rem ipſam, ita, vt, ſi putet quis ſe dicere falſum; & nihilominus illud iuret periurus cenſeatur, etiamſi contingat reipsâ verum eſſe, quod dixit; è contra verò etiamſi iuret rem falſam, quam inuincibiliter putat veram cenſeatur iuraſſe verum; iuxta doctrinam Auguſtini ſerm. 28. de verbis Apoſtoli, & habetur cap. *Homines* 22. quæſt. 2. docetque D. Thomas tum quæſt. 88. variis in locis, tum quæſt. 110. eiuſdem 2. 2. conſtabitque ex dicendis infra diſputatione ſecunda.

Confirmatur.

Hinc ſi quis iuret rem falſam quã inuincibiliter putat veram cẽſetur iuraſſe verum.

57. Ex eadem quoque doctrinâ infertur, quamuis multa Iuramenta videantur eſſe de re futurâ quæ tamen non ſunt promiſſoria; nihilominus verè non eſſe de re futurâ, vt ſic, ſed tali, vt reſoluantur in Iuramenta aſſertoria, & de præſenti, vt, ſi quis iuret craſtinâ die futuram pluuiam, vel Petrum occidendum à Ioanne, reuerà ſolùm iurat, ſe exiſtimare, aut ſcire aut habere ſufficientes coniecturas quibus iudicet illum euentum futurum, quod ſi non ſciat ſufficienter, vt id prudenter affirmet; periurus erit; è contrà verò non erit periurus, qui iurat tali die futuram eſſe eclipſim, ſi per demonſtrationem nouerat futuram, etiamſi poſteà per miraculum à Deo impediatur. Itaque Iuramentum eſt de præſenti; maximè cum nullam inducat obligationem in futurum.

Ex dictis Infertur.

Iurãs quod per demonſtrationem nouit futuram, & poſtea miraculosè nõ fit periurus non eſt.

58. Notandum adhuc tertiò circa eandem ſecundam diuiſionem reuerà poſſe eſſe Iuramentum circa opus futurum ſic faciendum ab ipſo iurante, & ab illius voluntate pendens, quin ſit ibi vlla promiſſio, tale tamen Iuramentum promiſſorium adhuc appellatur à D. Thomâ, & inter promiſſoria Iuramenta computandum videtur; primum horum ſcilicet, quòd poſſit eſſe ſine promiſſione vllâ contra Caietanum, & Sotum, & aliquos alios optimè probat Suarius lib. 1. cap. 8. num. 5. & Latius lib. 2 cap. 1. & 2.

Notand 3. poſſe eſſe Iuramentũ circa opus futurum ſic faciendum ſine vlla Promiſſione.

59 Probatiq; poteſt primò; quia aſſertio ſimplex de futuro ex ſolo propoſito faciẽdi aliquid prior eſt naturâ ſuâ omni promiſſione, & poteſt ſimpliciter proferri, vt, ſi quis ſine animo promittendi, aut ſe obligãdi dicat: *faciam hoc*, vel *facturus ſum hoc*: ergo illud ipſum poteſt iurare ſine interuentu promiſſionis; quia hoc pendet ex hominis libertate.

Probatur 1.

60. Probatur ſecundò; quia poteſt eſſe aſſertio de opere futuro faciendo ab ipſo iurante ſine relatione ad alterum audientem, vel excipientem promiſſionem, & poteſt talis aſſertio iurari cum tamen ibi nulla ſit promiſſio; quâ neceſſariò includit relationem ad alterum; ergo poſſibile eſt tale Iuramentum ſine promiſſione.

Probatur 2.

Tale

Tale est Iuramentum comminatorium, quod non includit promissionem; quia, quatenus tale est, nec fit in commodum alterius; neque ab alterius voluntate pendet, nec fidelitas circa illud versatur, & nihilominus comminatio iurata, per se loquendo, si materia sit honesta, obligat ex vi solius Iuramenti.

Probatur 3. 61. Tertiò probatur; quia sæpe contingit promissionem iuratam esse nullam in ratione promissionis, qualis est promissio soluendi vsuras, & aliæ per iniuriam, & vim extortæ; atque hoc non obstante Iuramentum illud obligat ad faciendum quod assertum fuit, quando sine dispendio salutis æternæ, id, est sine peccato, impleri potest, vt suo loco videbimus, ergo ibi est obligatio Iuramenti de futuro, sine obligatione promissionis; atque adeò sine promissione.

Quod Iuramentum sine vlla promissione factum nominãdum sit promissorium. Probatur 1. ex D. Thom. 62. Secundum verò, quod diximus, scilicet, hæc Iuramenta computanda esse inter promissoria, & talia appellanda, docuit expressè D. Thomas suprà art. 1. vbi Iuramēto assertorio solum tribuit enunciationes de præsenti, vel de præterito, & omne Iuramentum ad confirmandum futurum dicit esse promissorium. Item art. 7. ad 1. & in corpore etiam nullâ factâ mentione promissionis docet Iuramentum de aliquo faciendo, quod sit in potestate Iurantis, obligare in futurum ad præstandum illud, & loquens de Iuramento rei futuræ excipit tantùm, vel ea quæ ab aliis causis sunt futura, vel, quæ non sunt in potestate iurantis, siue simpliciter, siue saltem honestè, ac rationabiliter; atque in iis, quæ excipit, solum requirit (vt vera sint) quod habeant veritatem vel falsitatem de præsenti in Iuramento verò de re futurâ, quæ est in potestate iurantis, præter propositum faciendi (quod requiritur ad veritatem de præsenti) etiam requirit, vt in futurum impleat. Hoc ipsum docent communiter Authores dum Iuramenta comminatoria, & alia, in quibus promissio fuit nulla, connumerant inter Iuramenta promissoria.

Probatur 2. ratione cum Suario. 63. Ratione verò probatur cum Suario; quia diuisio Iuramenti in assertorium, & promissorium assignata est ad distinguendum Iuramentum inducens obligationem in futurum à Iuramento, quod tantùm includit obligationem dicendi veritatem; quando ipsum fit; atque hoc posterius appellatum est ab omnibus Iuramentum Assertorium; quia tantùm obligat, quando asseritur: Illud verò aliud relinquens obligationem in futurum quocunque modo; vocatum est promissorium, quia sæpius coniunctum est cum promissione; non tamen ideò requiritur semper; aliud enim est à quo nomen imponitur aliud ad quod significandum imponitur. Atque hæc sufficiant pro diuisione ex parte materiæ.

Iuramenti ex parte, formæ variæ diuisiones 1. & in ordine tertia. Per locutionem merè internam potest fieri verum iuramentum apud Deũ obligans. Azor. 64. Iam verò ex parte formæ, seu verborum; quibus solent homines iurare, multæ solent adduci diuisiones primâ, & in ordine tertia, est Iuramenti in solùm mentale, & in verbale vocale, aut sensibile. Nam quod possit verum esse & efficax Iuramentum, quod obliget apud Deum, per solam locutionem intellectus, & internum consensum iurandi nullis verbis, aut signis sensibilibus expressum, certa omninò res est, & tanquàm certam docent inter alios Azor tom. 1. lib. 11. cap 2. quæst. 4. Petrus de Ledesma tom. 2. summæ Tract. 11. cap. 1. dub. 2. Suarius lib. 1. cap. 1. num. 4. Sanch. lib. 3. moralium cap. 1. num. 2. Suarius. Sanch.

Cōtrouertitur inter Doctores de obligatione Iuramēti quoad formam externam. 65. De obligatione autem Iuramenti quoad formam externam controuersiam video esse inter Doctores; an verba requirantur, vel sufficiant signa? quâ in re triplex est sententia.

1. Sentētia absolutè requirit verba. 66. Prima absolutè requirit verba.

67. Secunda saltem ea requirit in potentibus loqui non verò in non potentibus.

68. Tertia vero, cui, tanquàm verissimæ adhæreo, non putat esse necessaria verba sed satis esse signa; quæ sufficienter Iuramentum indicent; tum quia, nec leges ciuiles, nec Canones Ecclesiastici verba requirunt, vt omnino necessaria; quod si quæ Iura id indicent intelligi possunt, & debent tantùm requirere verba ad certiorem probationem; tum, quia reliqua pacta (etiam matrimonia) solis nutibus validè incuntur, etiam à potentibus loqui. Ideò hanc sententiam præter plures alios docent Couarruuias de Pactis 1. p. in principio num. 4. cum pluribus quos refert. Item Azor. & Sanch. suprà Suarius lib. 1. cap. 11. à num. 4. Sairo in suâ Claui Regia lib. 5. cap. 1. à num. 8. Quapropter, qui rogatus, vt iuret tangit Euangelia, vel crucem, aliudúe signum exhibet, quo indicet se iurare; censetur iurare; vt in particulari notarunt Syluester verbo *Iuramentum* 1. notabili 1. Tabiena verbo Iurare num. 1. Armilla ibi num. 1. Sotus lib. 8. de Iustitiâ quæst. 1. art. 1. Arragon. 2. 2. quæst. 89. art. 1. Rodriquez in summâ 1. p. cap. 191. num. 2. Atque idem à fortiori, vt notat Sanch. lib. 3. citato cap. 2. num. 12. dicendum de subscribente scriptum, in quo Iuramentum continetur. Nam ea subscriptio est quædam illius enunciationis Iuramento firmatæ contestatio idque perinde est, ac si diceret: *ita iuro.* 69. 2. Saltem ea requirit in potentibus loqui. 3. Verò sententia quæ est auctoris docet sufficere signa, quæ Iuramentum sufficienter indicent. Azor. Suarius. Sanch. Probatur.

Quarta in ordine diuisio Iuramenti. Quid Simplex. Quid Solemne. 70. Quarta in ordine diuisio Iuramenti est in simplex, & solemne. Simplex dicitur illud, quod caret omni ritu, & solennitate Iure præscripta, vel consuetudine Solemne autem fit cum ritu, vel cæremoniâ consuetudine, vel lege præscriptâ; de quibus ritibus frequentissimis apud Gentiles legi potest Alexander ab Alexando lib. 5. genialium cap. 10. cum Tiraquello ibidem. Tale etiam Iuramentum fieri solebat ab antiquis Patriarchis ponendo manus sub fœmore exigentis Iuramentum, quod ad quandam solennitatem pertinebat, & constat Genesis 25. & 47. Quid autem ea cæremonia significaretur, vt breuitati consulam non vacat disputare. Variæ sunt sententiæ, quas vide, si placet, apud Suarium lib. 1. de Iuram. cap. 12. num. 4. Solēne Iuramētum in antiquâ lege.

Alio etiam modo fieri solebant olim Iuramenta solennia adiungendo illis holocausta, & sacrificia; qua de re legi potest Nicolaus de Lyra ad cap. 15. Genesis.

In lege Euangelicâ Iuramentũ Solemne variis modis fieri cōsueuit. 71. In lege autem Euangelicâ solenne Iuramentum variis modis fieri consueuit, vt constat ex variis decretis verbi gratia tangendo crucem reliquias & Euangelia, & similia de quibus agitur, vel attingitur aliquid cap. *tibi Domino* 63. distinctione, & in Clementinâ vnicâ de *Iureiurando*, & in cap. vlt. de Iuramento calumniæ, & in aliis, quæ latè affert Abbas Panormitanus in Rubricâ de Iureiurando. Item Serua Tract. de Iuram. part. 1.

Non

Non me latet iuxta ritum legum nostræ Hispaniæ inter Nobiles fieri *homagium* quod Hispanicè dicitur *pleito omenage* quod esse Iuramentum solemne docent Baldus, Couarruuias, Auendannus, & alij, quos sequitur Suarius lib. 1. de Iuram. cap.13. num.25. At non esse Iuramentum; sed promissionem inter Nobiles cùm quibusdam solennitatibus factam meritò cùm Gregorio Lopez, Guttierrez, Mendoza, Sairo & aliis docet Sanch. lib.6. de Matrim. disp. 11. num.9.& lib.3.summæ cap.2.num.33.

5. in ordine Diuisio Iuramenti. 72. Quinta in ordine diuisio Iuramenti est in Attestatorium, seu Contestatorium,& Exsecratorium. Attestatorium dicitur, quando inuocatur Deus, siue in seipso, siue in creaturâ aliquâ cum ordine ad ipsum non petendo modum aliquem diuinæ attestationis. Vt cum dicitur *testis est mihi Deus*, aut *iuro per Deum, Euangelia*, per *cælum* & similia. Exsecratorium verò est, quod fit imprecando, seu petendo à Deo implicitè, vel explicitè peculiarem modum attestandi veritatem per supplicium aliquod, si verum non est, quod iuratur. Hac iurandi formulâ simul adducitur Deus in veritatis testem, & in iurantis vindicem, seu Iudicem, si ita non fit. v.g. *Statim moriar; diabolus me rapiat; non me saluet Deus*; vel *non me adiuuet, si ita non est* huiusmodi enim formulæ, seu loquendi modi continent malum imprecatum. Aliæ vero solùm implicitè, vt *per Animam meam* vel *per vitam meam* vel *per vitam patris mei* &c. *Attestatorium. Exsecratorium.*

6. Diuisio 73. Sexta diuisio est Iuramenti in Explicitum & Implicitum. Explicitum est, quando inuocatur Deus ipse in se vt: *testor Deum*, *iuro per Deum*. Implicitum verò, quando Deus occultè adducitur in testem, vt cùm iuratur per creaturas in quibus resplendet Deus v. g. cum iuratur *per Sacramenta, per sacros ordines, per Crucem, per Euangelia, per Sanctos Dei, per Templum, per cælum*, &c. *per vitam propriam, per vitam parentum.*

7. Diuisio. 74. Septima diuisio est Iuramenti in Iudiciale, & Extraiudiciale. Iudiciale est, quod in iudicio præstatur. Extraiudiciale verò, quod priuatim fit extra iudicium.

Quam Diuisionem affert Suarius. 75. Aliam diuisionem affert Suarius non ita propriam, sed omnino annalogam Iuramenti in Iuramentum verum & fictum lib.1.cap.1. in fine. Verum Iuramentum est, quo quis vsurpat verba cum intentione iurandi siue adducendi Deum in testem, siue id fiat ad testificandum falsum, siue ad testificandum verum. Fictum verò Iuramentum est, quo quis vsurpat verba Iuramenti exteriùs tantùm sine intentione iurandi, sed decipiendi. Ideò autem dixi hanc diuisionem esse annologam sicut diuisio hominis in viuum & pictum; quia solum Iuramentum propriè & simpliciter tale est, quod fit cum intentione iurandi.

DVBITATIO III.

An omnia prædicta Iuramenta sint eiusdem speciei Infimæ? ac proinde satis sit in confessione explicare, quoties quis iurauerit falsum, vel fecerit contra Iuramentum, non explicatâ materia & modo;

76. Assero 1. Iuramentum quodcunque, siue sacrũ sit, siue humanũ; siue assertorium, siue promissorium; siue mentale, siue vocale; siue Simplex, siue Solemne; siue Contestatorium, siue Exsecratorium; siue Implicitum, siue Explicitum; siue Iudiciale, siue Extraiudiciale semper est eiusdem speciei, quod attinet ad præcisam rationem Iuramenti solumque differunt accidentaliter. Ratio est; quia, cùm ratio formalis Iuramenti sita sit in inuocatione Dei in testem; cætera materialiter, & per accidens se habent in ordine ad illam, siue fiat in hac, vel illa materiâ; siue his vel illis verbis, hoc vel illo modo. Ita Caietanus 2.2. quæst.89. art.1. Sotus lib. 8. quæst. 1. art. 1. Couarruuias de Pactis 1. part.nu.3. Valentia tom.3.disp.6. quæst.7.punct. 2. Azor.tom.1.lib.11.cap.2.quæst.7. & tribus sequentibus Sairus in Claui Regiâ lib.5. cap.2.nu. 2. Sanch. lib.3. Moralium cap.1. in fine Lessius lib.2.cap.42.num.9. Reginaldus lib.18. num.31. Suarius lib.1.cap.5.& 9. Bonacina in 2. præcepto Decalogi disp.4. quæst.1. punct.2. & alij apud citatos. *Assertio 1. Iuramẽta omnia sunt eiusdẽ speciei sub ratione Iuramenti & vnũ ab alio differt solũ accidentaliter. Probatur quia Ratio formalis Iuramenti sita est in Inuocatione Dei in testem.*

77. Ex primâ assertione sequitur secunda scilicet, non esse necessarium in confessione ex vi malitiæ specificæ periurij, aut fractæ promissionis iuratæ explicare, de quâ re, aut quale fuerit Iutamentum. v. g. an per Deum, vel per creaturas; an tactis Euangeliis, vel non. Ratio est; quia nullum Iuramentum speciem mutat, & quamuis grauius peccatum sit Iuramentum falsum per Deum, quam per creaturas, & magis obliget, vt multi volunt, ex Augustino epistolâ ad Publicolam & docet D. Thomas quæst. 89. art.10. ad 2.& quæst. 98. art.2. ad 2. nihilominus non ita notabiliter hæc grauitas auget malitiam, vt ea sit in cõfessione explicanda; etiamsi sequeremur opinionem quod circumstantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem speciem sint necessariò explicandæ in confessione. Nam semper ipse Deus, saltem tacitè, in testem adducitur, & creatura, vt supponimus tantùm affertur, quatenus est quid Dei, & in eâ relucet Deus qui adducitur in testem, in quâ præcisè adductione consistit ratio, & essentiâ Iuramenti, vt dictum est, nam si ipsa creatura secundum se adduceretur, non esset verè, & religiosè Iuramẽtum, nec testimonium infallibile; quod si adduceretur ipsa, tanquàm si esset Deus, hæreticalis esset blasphemia, ac proinde tunc esset necessarium explicare id in confessione, vt rectè notauit Azor suprà quæst. vltima constatque ex dictis dubit.1. & consentiunt omnes nuper citati Authores. *Assertio 2. non est necesse in confessione ex vi malitia specifica periurij explicare de quare, aut quale, fuerit Iuramentum. Ratio.* 78. *In quouis Iuramento Deus saltẽ tacitè, in testem adducitur.*

79. Dixi in vtraque assertione *in ratione Iuramenti, & ex vi malitiæ specificæ periurij, seu fractæ promissionis* primò, quia si quis iurauit se aliquid *Nota.*

factum sine proposito implendi id, & suo tempore non fecit tenetur vtrumque in confessione explicare, quia scilicet sunt duo peccata distincta numero, etiamsi quis contendat speciem non distingui; nam primum eorum scilicet iurare cum mendacio propter defectum animi de præsenti semper est mortale; secundum verò, scilicet, non implere Iuramentum, mortale etiam est, saltem, quandò materia est capax obligationis grauis. Vtrum autem, etiam sit mortale quando materia sit leuis suo loco videbimus. Quando autem mortale est, etiam debet explicari hoc secundum, vtpote mortale numero distinctum à primo. Dixi, *etiamsi quis contendat specie non distingui*; quia satis probabile est, quod docet Suarius lib. 1. de Iuram. c. 9. à num. 2. differre scilicet specie; tum; quia primum semper est mortale, vtpote iurare cum mendacio; secundum verò, sans probabile est posse aliquando non esse mortale. Præterea adhuc probabilius apparet ex eo, quod in primo adducitur Deus, vt testis in secundo verò, vt Fideiussor. omitto aliàs rationes, quamuis plerique alij putent non minus probabiliter nō distingui specie.

Malitia periurij sæpè adiungitur alia malitia. Exemplū 1. 80. Secundo dixi: *in ratione Iuramenti, & ex vi malitiæ periurij* quia sæpè malitiæ periurij solet adiungi alia malitia specie distincta, quam necessarium est in confessione explicare. Exemplo nobis primò sit quando periurium est in iudicio, vbi habet adiunctam malitiam Iniustitiæ, siue iti non parendo Iudici instè interroganti; quam mortalem esse, vtpote in re graui, etiam secluso iuramento, docent non pauci Doctores agentes de Iudice, & Reo, & nos documus in nostro opere de *Iustitia cæterisque virtutibus lib. 2, tract. 1. disp. 6 dubit. 1. assert.* 2. & docet Sanch. citato *cap.* 1. in fine. siue etiam in inferendo damno proximo, quod resultat ex tali Iuramento, quod damnum locum etiam potest habere in Iuramento extra Iudicium, ac proinde hæc omnia explicanda sunt. *2. Exemplum.* Secundò, si iuretur *per vitam Dei*, sempet hoc videtur exprimendum; quia periurio adiungitur blasphemia, quæ specie distinguitur. Idem iudicium est, quoties iuratur per verba, quæ contineant blasphemias, vt notaunt Azor suprà cap. 2. quæst. 10. & Sanch. supra. *3. Exemplum.* Tertiò, qui falso iurat Exsecratoriè, imprecando sibi malum, si ex animo sibi illud imprecetur, tenetur explicare ex animo fuisse illam imprecationem; quia præter periurium mortaliter peccat contra fuiipsius debitum amorem, vt rectè cum Sairo docet Sanch. lib. 3. cap. 1. num. 7. contra Valentiam asserentem non esse distinctum peccatum; quia iustè sibi illud malum imprecarur, si falsò iuret. Quæ ratio satis refellitur *Non licet peccatori desiderare sibi infernum.* ex eo, quòd, vt rectè ait Sanch. non licet peccatori desiderare sibi infernum, etiamsi Deus iustissimè possit hac pœnâ eum plectere. Quia tamen, nunquam, aut rarissimè ille qui peierat, id malum sibi optat, non est necessarium id interrogare in confessione.

81. Addit Suarius cap. 12. in fine esse nouam malitiam contra obseruantiam, aut pietatem, si periurium fit per vitam Patris, aut Regis, sed non esse mortale; hoc tamen intelligendum est, vt rectè Sanch. si non fiat desiderando maledictionem euenire.

82. Quod diximus de Iuramento affirmando m est etiam de voto; quia omnes transgressiones votorum sunt eiusdem speciei infimæ; nec variantur ex diuersitate materiæ promissæ, vt rectè Caietanus 2. 2. quæst. 88. art. 5 dub. vltimo circa solutionem ad tertium Vasquez 1. 2. disp. 99. num. 20. Suarius lib. 2. de Voto cap. 12. num. 6. Sanch. lib. 4. Moralium cap. 11. num. 23. vbi citat Sotum, & Rodriguez non ita amplè loquentes. Ratio verò nostra est; quia in omnibus materiis motiuum voti, & ratio obligationis eius semper est eadem; nam ratio infidelitatis, quæ cernitur in voti transgressione eadem est in omnibus materiis. *Omnis voti trāsgressio est eiusdem speciei. Caietanus. Vasquez. Suarius. &c. Ratio.*

83. Rectè verò notat Vasquez, aliquando transgressioni voti, & eâ tantum suppositâ adiungi aliam malitiam. Primò constat in voto castitatis vbi præter Votum peccatur contra sextum præceptum. Secundò in voto paupertatis religiosæ, vbi, si quis aliquid expendet absque legitimâ facultate, peccat etiam peccato furti contra Iustitiam; quia per votum paupertatis solemne factus fuerat incapax dominij; atque adeò expendit alienum. Tertiò in Religioso, qui transgreditur regulam, quod intellige, quando ex vno capite ipse voto se astrinxit ad seruandam regulam; ex alio verò capite regula ipsa, tanquam Lex obligat sub peccato. *Trāsgressioni voti, quando adiungitur alia malitia. Vasquez.*

84. Ex dictis infertur tertia assertio, scilicet, si quis confessus aliqua peccata, oblitus fuerit circumstantiæ voti, vel Iuramenti; quia vouerat, vel iurauerat ea vitare, satis est, si postea confiteatur dicendo se fregisse votum, vel Iuramentum materiæ grauis; neque opus est materiam illam explicare, & similiter; qui nondum est confessus peccata, quæ iurauerat, vel vouerat vitare, potest se accusare dicendo toties fregi Iuramentum, vel votum committendo peccata, quæ posteà suis locis confitebor; sed oportet, vt homo, qui sic confitetur, sit doctus, ne forte aliqua malitia remaneat occulta. Hanc assertionem tenentur fateri Authores supra citati, eamque docent Nauarrus in summâ cap. 6. ad finem, & capite *Consideret* in principio num. 104. de Pœnit. distinct. 5. Henriquez lib. 5. cap. 5. num. 4. Sà verbo *Confessio* num. 31. Sanchez lib. 4. Moralium cap. 11. num. 24. qui cum Ludouico Lopez 1. part. instructorij cap. 5. probabilius putat explicandam esse materiam quoties notabiliter aggrauat; vt, si vouit, vel iurauit non furari, & furatus est magnam quantitatem, vel, si præter- misit magnam eleēmosynæ quantitatem quam iurauerat, vel vouerat se daturum. Verùm de his omnibus diximus in nostro opere Sacramentorum agentes de Pœnit. Tract. 11. disp. 9. per varias dubitationes, vbi probabilius iudicauimus circumstantias, quantumuis aggrauantes intra eandem speciem non esse necessariò explicandas in confessione, & ibi latè etiam probauimus posse seorsim, tanquam peccata distincta in confessione explicari fractionem voti, & materiam ipsam, si aliquin secundum se sit materia peccati. *Assertio 3. infertur ex dictis scilicet quod facere debeat qui in confessione oblitus fuerat circumstantia voti vel Iuramenti. Nauarrus Henriquez. Sà. Sanch. Circumstantia notabiliter aggrauantes intra eandem speciem an confitendæ.*

85. Obiiciet aliquis: Qui iurauit se non percussurum clericum, non solùm iurauit se non commissurum malitiam Iniustitiæ: sed, neque sacrilegij: ergo tenetur vtrumque explicare in confessio- *Obiectio.*

confessione; atque adeò explicare materiam, sine qua non sufficienter explicatur malitia fracti voti, aut Iuramenti.

Resp.

86. Respondetur, negando consequentiam; nam eo ipso, quòd omnia periuria, & fractiones voti sint eiusdem speciei infimæ, etiamsi versentur per omnes materias vitiorum, sequitur nullam materiam refundere malitiam suam formalem, & specificam in Iuramentum, aut votum; atque adeò, nec illæ duæ malitiæ refundent speciem suam in votum.

Vrgebis.

87. Sed vrgebis. Saltem erunt duo periuria vel duo vota distincta numero; atque ob id explicanda materia.

Resp.

88. Respondent alij negando antecedens; quia, sicut ipsa percussio est vna numero actio, & vnum numero peccatum, vt multi volunt; ita & fractio Iuramenti, seu voti erit vna numero, nec videtur iuxta hunc philosophandi modum (cùm materia sit vna numero) posse præstare duas numero malitias periurij.

Confirmatur.

89. Confirmarique potest; quia, si sacerdos peccet cum consanguineâ vxoratâ, vnicam malitiam sacrilegij committere censetur, etiamsi materia illius sacrilegij sint plures malitiæ formaliter, & specie distinctæ, scilicet impietatis erga consanguineam, Iniustitiæ contra maritum, & luxuriæ contra castitatem. Quæ doctrina satis probabilis est.

doctrina probabilis. Distinctio tamen adhibenda est vt sciatur, quando fractio voti vel Iuramenti constituat distinctum numero peccatum.

90. Nihilominus distinguendum mihi videtur. Nam si votum abstinendi à tali genere peccati factum fuit per modum vnius, ita, vt vnico simplici voto respiciente illam materiam, se quis obligauerit (& idem est de Iuramento) verissima est doctrina tradita; quia tunc vouens, aut iurans solùm promisit abstinentiam à tali actu, quod autem actus ipse plures contineat malitias materiale omnino est, & non refundit speciem nouam, nec auget numerum voti, aut Iuramenti. Si quis autem alioquin plura vota, seu Iuramenta emisit, plura (inquam) expressè, vel virtute quibus se voluerit obligare ad abstinendum à peculiaribus aliquibus generibus peccatorum, puta à peccato Iniustitiæ, à peccato sacrilegij, à peccato fornicationis, ita, vt, vel pluribus votis distinctis, vel vno respiciente plures has materias distinctas (quod votum æquiualet pluribus votis distinctis) se voluerit obligare ad abstinendum ab his omnibus peccatis; posteà verò fornicetur cum maritatâ non puto satisfacere in confessione, si dicat se fregisse votum, & posteà suis locis confiteatur prædictas malitias; nam reuerà illa vota plura sunt, etiamsi vnico actu fornicandi cum maritata illa omnia transgrediatur, nam verè ibi transgreditur votum non peccandi contra Iustitiam, & non peccandi contra luxuriam, & non peccandi contra Religionem quæ sunt materiæ diuersorum votorum, etiamsi per modum vnius actus promittendi promissæ fuerint; quantumuis enim actus promittendi fuerit vnicus; respexit tamen per modum plurium distinctas materias malitiarum præcauendas; quas per accidens est, vel coincidere in vnum actum physicum; vel in diuersos actus separari. Hac etiam ratione, si quis vouisset, se nunquam mortaliter peccaturum; si vno actu physico quatuor, aut plures malitias numero, aut specie distinctas, & mortales committat; totidem vota frangit, vel, potiùs dicam, toties frangit votum; quia in vnaquâque malitiâ, sicut reperitur distincta, species peccati mortalis, aut peccatum distinctum numero; ita reperitur distincta fractio voti, quod fuit emissum de nullà malitià mortali committendà. Vnde, si quis iurauerit se nunquam occisurum & vno ictu occidat plures sicuti committit plura homicidia, ita & plura peccata contra Iuramentum.

Votum æquiualens pluribus votis distinctis.

Vouens se nunquam mortaliter peccaturū si vno actu physico quatuor mortalia committat, toties frangit votum.

Idem dic de Iuramento.

DVBITATIO IV.

Qua voluntas, & qua verba requirantur ad Iuramentum, & quomodo de vtrisque iudicandum sit in dubio?

Assertio 1. Verba exterius prolata ad Iuramentū non sufficiūt. Ratio.

91. Assero 1. non sufficiunt ad Iuramentum verba exteriùs prolata, etiamsi ex se sufficienter significent Deum in testem adduci. Nam inprimis requiritur etiam voluntas libera, & deliberata proferendi verba, de quo non est controuersia; nemo enim asserere audebit, hominem dormientem, aut amentem iurare, etiamsi verba iuramenti proferat, cùm Iuramentum sit actio humana.

Assertio 2. Requiritur etiam voluntas iurandi. Ratio.

92. Assero 2. vt verè, & propriè Iuramentum sit, probabile est etiam requiri voluntatem iurandi, siue adducendi Deum in testem; quamuis enim quis voluntariè proferat verba Iuramenti, si tamen nolit per ea iurare, neque adducere Deum in testem; sed decipere audientes reuerà non iurat; sed fingit iurare; atque adeò non est verum Iuramentum, sed fictum iuxta probabilem sententiam. Non me latet hac de re diuersas esse opiniones sed hæc videtur satis probabilis (quamuis oppositam probabiliorem Iudicemus variis in locis) hanc tamen latè probat Suarius lib. 1. de Iuram. à num. 8. potestque probari à simili de voto ficto, & de Sacramento collato sine intentione conficiendi Sacramentum à quibus duobus argumentis non se facilè quidam expediunt, qui oppositum sentiunt, hanc ergo opinionem nunc suppono, & qui secundum eam operaretur non iuraret; sed de hoc iterum dicemus disp. 3. dub. 15. saltem pro Iuramento pro missorio ibi legatur & locis ibi notatis.

Obiicies.

93. Obiicies tamen: ergo quamuis audiam hominem iurantem, non possum scire; an iuret; quia nescio; an habeat voluntatem iurandi distinctam à voluntate proferendi talia verba. Inde autem sequitur quod vsus Iuramenti inutilis sit, & vanus cum ex eo nulla possit firmitas, vel certitudo iuratæ assertioni accrescere.

Resp. Certitudinem ex Iuramento resultantem magni esse momenti quamuis dolis hominum expositam.

94. Respondeo negando, hanc vltimam sequelam, nam certitudo, quæ ex Iuramentis resultat magni momenti est, etiamsi non sit talis, ac tanta, quin adhuc sit dolis hominum, & deceptionibus exposita, sicut potest homo falsum dicere, quamuis verè, & ex animo iuret; non tamen ideò est inutile Iuramentum quia satis est, quòd homo teneatur peculiari, & maxima religionis obligatione ad dicendum verum, quando Deum in testem adducit: ita etiam non

est

An inutilis est vsus Iuramenti licet possit quis fictè iurare. *An fictè iurare sit semper mortale.*

est inutilis vsus Iuramenti, licet possit quis fictè iurare, & tantùm exteriùs; quia tenetur maxima, & strictissima obligatione ex animo iurare; cùm Iuramentum fictum semper sit peccatum; quamuis assertio, supra quam cadit, vera sit. Vtrum autem semper sit mortale disputat Sotus lib.8. de Iustitia quæst.1.art.7.§.*ex secundo autem*; & docet Iuramentum fictum prolatum cum mendacio semper esse mortale; cum veritate tamen, si fiat in iudicio, etiam esse mortale; si verò extra Iudicium, esse tantùm veniale, contra Caietanum, quem impugnant etiam alij Recentiores. Sed de hoc dicemus disp.2.dub.11.

Obiicies 2.

95. Sed vrgebis adhuc secundò ergo eadem erit malitia in Iuramento vero & ex animo facto cum mendacio; atque in Iuramento ficto cum mendacio.

Resp. Verũ Iuramentũ cum mendacio factũ est periuriũ Iuramentũ verò fictũ, non.

96. Respondeo negando etiam sequelam; nam verum Iuramentum cum mendacio factum est periurium; adducitur enim Deus, vt testis falsi. Iuramentum verò fictum cum mendacio prolatum non est periurium; sed mendacium perniciosum, & scandalosum. Vnde fortasse est grauissimum peccatum mortale etiamsi non cedat in alicuius particularis personæ præiudicium; quia est in præiudicium boni communis, quod maioris momenti est; imò etiam sine mendacio, sed cum veritate prolatum, fictum tamen Caiet. putat semper esse mortale. Sotus verò, vt nuper dicebam distinguit de Iuramento in Iudicio, & de Iuramento extra Iudicium. Legantur quæ dicemus disp.seq.dub.11.

Ex dictis sequitur.

97. Ex hac doctrina sequitur quod, si periurio esset imposita excommunicatio, illam non incurreret, qui fictè iuraret cum mendacio, vt concedit Suarius suprà num.11.

Licet in Religionibus Periurium sit casus reseruatus, non est tamen casus reseruatus si quis fictè iuret cum mendacio. Ratio.

98. Consequenter etiam mihi dicendum videtur, si periurium, seu Iuramentum falsum sit casus reseruatus vt in Religionibus plerisque est (& in nostra societate tàm in Iudicio, quàm extra) non esse casum reseruatum, si quis fictè iuraret cum mendacio; quia Iuramentum Fictum vt supponimus non est verum Iuramentum, atque adeò quamuis sit cum mendacio non est Iuramentum falsum, atque adeò, neque propriè periurium: nam Iuramentum falsum propriè dicitur illud, in quo Deus adducitur in testem falsi; in Iuramento autem ficto non adducitur Deus in testem iuxta dicta atque adeo non est Iuramentum.

Asser'io 3. Sufficit aliquando ad Iuramentũ virtualis intentio. Iurandi.

99. Assero 3. quando quis profert verba, quæ de se & secundum communem vsum continent Iuramentum non opus est, vt formaliter & expressè intendat iurare; sed satis est, si virtualiter intendat inuocare diuinum testimonium, quod contingit, quoties homo vult vsurpare verba in eo sensu, in quo pro aliorum iurantium consuetudine vsurpari solent. ita Valentia tom.2.disp.6. quæst.7.punct.2. Sanch.li.3.cap.2. in principio.

Assertio 4. Licet verba ex communi vsu non contineant Iuramentũ, si tamen ea proferens intendat

100. Assero 4. quando verba ex communi vsu non continent Iuramentum, & tamen ea proferens intendit iurare, verè iurat; quia ad verum Iuramentum sola intentio sufficit iuxta dicta dub.2. in tertia diuisione Iuramenti. Ita expresse docent Caietanus 2.2.quæst.88. art.1. in fine. Sà verbo *Iuramentum* num.1. Azor lib.11. cap.13. quæst.1. Suarius lib.1. de Iuramento cap.11.num.2. vnde, si tale Iuramentum sit promissorium obligabit in cõscientia, vt docet idem Suarius lib.1. cap.13. num.15. & 16. & Sanch. lib.3.cap.2.num.7.

Iurare, verè iuret. Ratiò. Caietanus. Sà. Azor. Suarius.

Intellige Assertionẽ de intẽtione formali iurandi. Ratio 1.

101. Hæc tamen assertio limitanda est, vt solùm vera sit, quando fuit intentio formalis iurandi, seu adducendi Deum in testem. In quam sententiam moueor primò; quia Suarius, & Sanchez ibidem aliter philosophantur de eo, qui iurauit per creaturas, secundum se sine vllo respectu ad Deum putans id esse Iuramentum; quia tunc ex erroneâ tantùm conscientiâ docent obligari, eâque depositâ non manere obligationem vllam, sicut diximus dub.1. de gentili iurante per Idolum: quia reuerâ illud non est Iuramentum. Secundò ducor, quia, si is, qui tantùm intendens facere, quod alij faciunt profert verba, quæ ex cõmuni vsu sunt Iuramenta, verè iurat, vt dicebamus in 3. assertione: ergo à contrario, qui intendens facere, quod alij faciunt, profert verba, quæ in communi vsu non sunt Iuramenta, verè non iurat. Ex quo infero quintam assertionem.

Ratio 2.

Assertio 5. Sequitur ex praecedenti. Ratiò.

102. Assero ergo 5. qui non habens formalem intentionem iurandi, seu adducendi Deum in testem, sed tantùm faciendi, quod alij faciunt profert verba, quæ ex communi vsu non sunt Iuramenta, reuerâ non iurat. Probatur hæc assertio ex rationibus proximè allatis in 4. assertione. Deinde; quia de eo; qui protulit similia verba, & dubitat, an habuerit intentionem iurandi, vel non, meritò docent Couarruuias de Pactis 1. part. §.2. num.2. Sanch. lib. 3. Moralium cap.2.num.32. referens Sairum, & alij Recentiores censendum esse non iurasse; ergo potiori ratione, quando tantum intenderat facere, quod alij faciunt. Et multo etiam potiori ratione idem dicendum est de eo, qui tantùm voluit iurare per hæc verba alligando suam intentionem verbis ipsis, nihil intendendo nisi, quod verba sonant, sicut de eo, qui iurat per hanc crucem nullâ tamen factâ, vel ostensâ cruce dicemus dubitatione sequenti illatione secundâ.

Notandum circa hanc Assertionẽ.

103. Circa hanc tamen quintam assertionem notandum est eam solùm habere locum in eo qui vsurpat verba illa, quæ in vsu communi non sunt Iuramenta, & tantùm intendit facere, quod alij faciunt, non diiudicans an alij iurent, vel non. Nam, si eius intentio faciendi, quod alij faciunt, procedat ex persuasione & existimatione falsâ, quâ putat esse Iuramentum, & alios ea verba vsurpantes iurare ipse tunc iurat iuxta doctrinam 4. assertionis; quia diuersa est ratio de iurante per Idolum, aut per creaturam secundum se; quorum error formalis est. In nostro autem casu error est materialis. Nam error iurantis per Idola tollit voluntatem iurandi per verum Deum, quem non agnoscit & error iurantis per creaturam etiam tollit inuocationem Dei, quæ est de essentia Iuramenti. At verò in nostro casu error prædictus non tollit voluntatem iurandi per verum Deũ, sed illam inuoluit.

Assertio 6. Quando quis protulit verba ambigua standũ est

104. Assero 6. quando quis protulit verba ambigua & quę ex vsu communi non constat an contineant Iuramentum, vel non; standum esse intentioni proferentis; quia sine peccato potuit ea accipere in quo maluit sensu. Hæc asser-

intentione proferétis. Ratio. Differentia inter perſonas iurare ſolitas, & non ſolitas, quoad intentionem iurandi.

tio patebit ex Authoribus referendis in ſequentibus dubiis, & ex doctrinâ ibi tradendâ. Quando autem dubium ſit, an habuerit intentionem iurandi, vel non tunc ſanè in perſonis non ſolitis iurare, & timoratæ conſcientiæ cenſendum eſt non habuiſſe animum iurandi, quantum ad forum conſcientiæ; in aliis verò iurare ſolitis cenſendum eſt voluiſſe iurare, vt docent Caietanus quæſt. 89. art. 1. in ſolutione ad tertium. Sotus lib. 8. quæſt. 1. art. 1. Sairo in Claui Regia lib 5. cap. 1. num. 5. Suarius lib. 1. cap 13. num. 7 Ledeſma Tract. 11. cap. 1. dub. 1. Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 20.

DVBITATIO V.

An ad dignoſcendum, quæ verba contineant Iuramentum, habenda ſit Ratio conſuetudinis Patriæ?

Aſſertio 1. Generalis Regula ad dignoſcendum quæ verba conſtituant Iuramentū & quæ nō.

105. ASſero 1. & generalis regula ſit, vt cognoſcamus quę verba conſtituant Iuramentum & quæ non; habenda in primis ratio eſt conſuetudinis Patriæ: an, ſcilicet ea verba pro Iuramento vſurpentur ex communi illius patriæ vſu. Hanc regulam, tanquam primam & præcipuam in hac re docent Valentiâ, & Sanch. citati dub. præcedenti, quæ regula adeò vera eſt, vt hæc ſola verba, *faciam hoc*, dicta cum certo ſigno v.g. cum tactu Crucis, vel Euangeliorum, vel cum eleuatione digiti, vel alio ſimili, poſſint eſſe Iuramentum, ſi alicubi fortè ita vſitatum ſit; & docent Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 3. in principio. Sylueſter *Iuramentum* 1. Sotus lib. 8. de Iuſtit. quæſt. 1. art. 1. in fine. Couarruuias 1. part. in principio num. 4. quos refert, & ſequitur Suarius lib. 1. de Iuramento cap. 12. num. 2. Ratio huius aſſertionis eſt; quia verba ſignificant ad placitum totius vniuerſitatis, & non poſſunt vſurpari ad placitum cuiuſcunque particularis; ſed ſecundum vſum communitatis.

Antoninus. Sylueſter. Sotus. *Ratio.*

Ex Aſſertione varia inferūtur. 1. Infertur. non requiri ad Iuramentum quod quis vtatur verbo Iuro. Variæ Iurandi formulæ.

106. Ex hac aſſertione infertur 1. non requiri ad Iuramentum, quòd quis vtatur verbo *Iuro*; quia pluribus verbis aliis poteſt fieri Iuramentum. Sic Paulus iurans dixit: *teſtis eſt mihi Deus*, & olim Prophetæ iurabant dicendo: *viuit Dominus*. Vnde Hieręmiæ cap. 4. dicitur *& iurabunt viuit Dominus*. Item *per Deum* ex communi vſu, & ſenſu omnium eſt Iuramentum, atque indubitatum eſſe, etiam apud Hæreticos, probat Auguſtinus epiſtolâ 99. in fine. Item ſecundum omnes Iuramenta ſunt; ſi quis dicat *per Euangelium Chriſti, per corpus Chriſti*, *per Crucem Chriſti*; vel *per Crucem*; *per Sacramentum*; vel *per ordinem ſacrum*; *per Sanctam Virginem*; *per Sanctum Ioannem Baptiſtam*. & legi poteſt Sylueſter *Iuramentum* 1. q. 1. ſimiliter abſque controuerſiâ Iuramenta ſunt *Deum teſtem aduoco. per Animam*, vel *vitam*, vel *ſalutem meam. hæc vel illa mala mihi, vel meis propinquis eueniant*, *ſi hoc ita non eſt. ita me Deus adiuuet*, *amet, ſeruet, liberet*, &c. Legatur Azor lib. 11. cap. 3. quæſt. 1. Quod autem non ſit neceſſarium vti verbo *Iuro*, communiter docent omnes Doctores contra Cardinalem. Probatur expreſsè ex cap. *Ego N.* & ex cap. *Etſi Chriſtus*, & aliis capitibus toto titulo de Iureiurando ita Abbas, & alij in cap. *Etſi Chriſtus*. Sylueſter Iuramentum 1. quæſt. 1. & 6. Sotus quæſt. 1. art. 1. Couarruuias de Pactis 1. parte in principio num. 7. Clauis Regia lib. 5 cap. 1. num. 7. Suarius lib. 1. cap. 13. num. 1. Sanch. lib. 3. cap. 2. nu. 2.

Infertur 2.

107. Infertur ſecundò, quòd, quando huic verbo *Iuro* adiungitur aliquid denotans non inuocari diuinum teſtimonium, non eſt Iuramentum; hac ratione in Hiſpaniâ frequenter ſolent addere aliquam particulam; quæ tollat ſignificationem Iuramenti, vt cum dicitur *Iuro non Deum: Iuro no à Dios, Iuro à Diez. vive Diez, Iuro à San Iunco: por el cielo de la cama*. Conſtat hoc ex vſu; quia his formulis vtuntur homines communiter, vt euitent Iuramentum, &; quia illud additum diſtrahit verbum *Iuro* à propriâ ſignificatione ſicut; quando dicitur *homo pictus* per illam particulam, *pictus*, diſtrahitur vox *Homo* à propriâ ſignificatione. Ita Petrus Ledeſma tom. 2. ſummæ Tract. 11. cap. 1. dub. 1. Suarius lib. 1. cap. 13. num. 3. qui etiam addit non eſſe Iuramentum dicere *Iuro à tal*. ita etiam Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 3. vbi idem dicit de illâ adumbratâ formâ iurandi *por vida de Tal*; *voto à Tal*; quia illud *tal* nihil eſt. Addit tamen, ſi quis nomine *tal* Deum intelligeret omnino eſſe Iuramenta; de verbo autem *Iuro à ſan hoy* æquiuocum eſt; nam ſi intelligatur de Sancto; qui hodie celebratur omninò eſt Iuramentum; communiter tamen non putat Sanch. ſic accipi ſuprà num. 26. Addit prætereà num. 27. verba: quæ ſæpe ſolent vſurpare fœminæ, dum pueris minantur dicentes *para eſta*, id eſt, *per iſtam*, admoto indice digito fronti, aut naſo, non eſſe Iuramenta: quia, quamuis verba indicent Crucem: tamen illæ nec faciunt nec intendunt facere Crucem: ſed eſt quidam dicendi modus vſurpatus pro terrendis pueris, ſicut meritò non putat idem Author eſſe Iuramentum dicere *per hanc Crucem* nullâ factâ, vel indicatâ cruce: quando ex conſulto omittunt ſic iurantes Crucem deſignare: nec enim tunc abſolutè iurant per Crucem: ſed per Crucem à ſe ſignatam, aut formatam, quam cum nullam ſignent aut forment, per nullam iurant. Item idem Sanch. meritò docet num. 23. non eſſe Iuramentum, quod communiter Iuramentum vitare volentes dicunt *per totum id: vel per vitam eius: per quod iurare poſſum*. Nam experimento ſibi notum eſſe teſtatur prædictos ſic iurantes non habere animum iurandi: quia, cùm per nullam rem liceat abſque neceſſitate iurare, per nihil omnino iurant. Verum pro his omnibus iurandi formulis obſeruanda eſt doctrina tradita dubitatione præcedenti, & attendenda eſt intentio ſic Iurantis, & vſus communiſque ſenſus Patriæ, aut regionis iuxta modum ibi explicatum.

Obſeruãda pro prædictis Iurandi formulis.

Infertur 3. Quod dicēdū quando quis vtitur verbo Iuro non exprimendo per quod iuret.

108. Infertur 3. quando quis vtitur verbo *Iuro* non exprimendo per quid iuret, vt cùm dicit: *Iuro me facturum hoc*: vel *hoc ita eſſe* ſi ſpectemus rigorem, ſignificationem illius verbi eſſe verum Iuramentum, quia idem eſt dicere: *Iuro* ac ſi dicatur; *Iuramentum facio*: Iuramentum autem eſt atteſtatio diuini teſtimonij. Nihilominus; quia attento communi hominum vſu ſolet interdum vſurpari pro Iuramento; interdum verò non. Suarius cap. 13. num. 4. putat ex inten-

tione

tione Iurantis iudicium esse sumendum; probabilius tamen Sanch. suprà cap 2.num.4. spectato communi hominum vsu credit non esse Iuramentum; nisi homo omnino haberet animum iurandi. Ideò puto posse vsurpari pro non Iuramento maximè, cùm homines, quoties Iusiurandum postulant, aut præstant semper soleant exprimere per quid iurent. Illud tamen vterque Author meritò aduertit ex adiunctis sæpè constare solam illam vocem significare verum Iuramentum; nam, si exigens Iuramentum ab alio dicat illi: *iuras per Euangelia?* & alter respondeat: *Iuro*, planè est Iuramentum & idem est, quando quis in petitione Iudici præsentata dicit: *Iuro in forma Iuris*; quià sensus est: Iuro eo pacto; quo Ius præscribit Iurandum.

Infertur 4.

109. Infertur 4. hæc verba: *Voueo Deo* Hispanicè: *voto à Dios* quamuis ex se non sint Iuramentum; sed significent votum; at ex accommodatione vsus (quem spectandum esse diximus in regulâ generali supra tradita in assertione) Iuramentum continent. ita Sotus lib. 8. quæst.1. Alcozer in summa cap.15. Arragon 2.2. quæst.89. art.1. Rodriguez in summâ cap. 191. num.2. Suarius lib.1.cap.13.num.2. Sanch. lib. 3.cap.2. num. 14. qui rectè ait idem esse dicendum de illis verbis. *Promitto tibi Deo* Hispanicè *yo os prometo à Dios*; quia eundem sensum habent; atque *Voueo Deo* nec promissio aliqua dirigitur tunc in Deum; sed in hominem, & Deus adducitur in testem licet impropriè; quamuis Valascus consilio 99. num. 14. tom. 1. dicat non esse Iuramentum; atque ita iudicasse viros Doctissimos, & Senatum; quod tamen Sanch. putat solùm esse verum attento eorum rigore; secus verò ex vsus accommodatione. Sed fortasse vsus non est ita clarus, aut communiter receptus ideò in rigore recurrendum videtur ad intentionem proferentis.

Infertur 5. quid dicendum de his verbis sicut credo in Deum.

110. Infertur 5. quid dicendum sit de his verbis *Sicut credo in Deum*; si enim rigorem verborum attendamus, posset aliquis meritò sentire non esse Iuramentum; quia sensus est sicut est verum me credere in Deum; ita hoc est verum; atqui me credere non est certum certitudine fidei, vt docet Vega lib. 9. in Tridentin. cap. 37. Sanch. verò putat esse Iuramentum suprà num. 5. tum; quia, vt docent Caietanus, Sotus, Molina, & multi alij certitudine fidei mihi certum est me habere fidem; atque adeò hæc fidei certitudo adducitur in testem; tum maximè; quia ex vsus accommodatione vsurpatur, vt Iuramentum; atque adeò ex vsu fides in Deum videtur adducta in testem sicut, quando iuratur per fidem Dei.

Authoris Iudicium.

111. Mihi tamen non videtur ita certus vsus, quod ille modus vsurpetur pro Iuramento; tum, quia neque certum est imò fortè non verum; quòd vnusquisque fide diuinâ, seu certitudine fidei diuinæ credat se credere, & (quidquid sit de hoc) alteri audienti, cui dirigitur Iuramentum, non est certum certitudine fidei diuinæ, quòd ille alius credat fide diuinâ, ac proinde non affertur illi testimonium infallibile, seu infallibis veritatis, cum ipsi non sit infallibile, quod alius credat. Tum etiam; quia, quamuis aliquis fortasse putat se verè sic iurare, & sic iurare intendat: atque adeò: quantum est ex parte suâ iuret: nihilominus multi etiam sunt, qui putent ibi nec expressè, nec implicitè inuocari diuinum testimonium.

Quid dicendum sit de his formis vt Christianus vt Sacerdos, vt Religiosus, hoc affirmo.

112. Idem puto dicendum (quidquid dicat Sanchez) de illis formis, *vt Christianus, vt Sacerdos, vt Religiosus hoc dico* vel *hoc affirmo*; quia nec est de fide me esse Christianum, Religiosum, aut Sacerdotem & quamuis hoc esset certum certitudine fidei adhuc ea verba possunt reddere sensum: in quo non inuocetur diuinum testimonium; sed tantùm significetur me hic, & nunc loqui, non sicuti non Christianus seu infidelis: sed sicuti Christianus, & fidelis loqui solet: item non sicuti sæcularis: aut laicus: sed, sicut religiosus, aut sacerdos loqui solet: vel mihi credendum esse non sicuti infideli: sed sicuti Christiano: non sicuti sæculari: sed sicuti religioso: non sicuti laico sed sicuti sacerdoti. Quæ omnia non interponunt authoritatem diuinam, & infallibilem: sed meam humanam, & fallibilem. Sed de hoc iterum incidet sermo sequenti dubitatione maximè illatione 7.

Infertur 6. esse Iuramentum dicere viuit Deus aut Dominus, &c.

Probatur Hieremiæ 4. Iurabis viuit Dominus.

113. Infertur 6. esse Iuramentum dicere *viuit Dominus*, aut *Deus*, aut *Christus*: quia licet propositio hæc in rigore tantùm sit assertio quædam indicatiui modi æquiualens huic: *Deus est viuens*: atque adeò posset accipi, vt talis nihilominus, & in scripturâ sacrâ & in vsu communi habetur pro Iuramento ideò Numerorum 14 & 21. & alibi sæpè, habetur iste modus iurandi, & talem iurandi modum præscripsit Deus ipse Hieremiæ cap.4. *Iurabis: viuit Deus* talisque vsus est receptus in Ecclesiâ Catholicâ vt latè probant, & explicant ea verba Sotus lib.8. de Iustit. quæst.1. art.1. Suarius lib.1.cap.13.nu.6. Sanch. lib.3.cap.2. num.22. aliique multi. Vnde non est audiendus Petrus de Ledesma Tract.11.ca.1.dub.1. vbi ait ea verba esse æquiuoca ad iurandum, vel non iurandum quod ex dictis constat esse falsum, alioquin esset Iuramentum fictum, & assertorium atque adeò peccatum graue iuxta dicta dub.4.

114. Idem putat Sanch. num.22. iudicium esse de illâ formulâ vsitatâ: *Deus est veritas, quod hoc ita est*: nam etiam videtur vsu receptum, quod habeatur pro Iuramento. Mihi tamen magis placet Suarius suprà num. 8. qui docet esse verba ambigua: atque adeò pendere ex circumstantiis, & intentione proferentis.

DVBITATIO VI.

Quando censeantur esse Iuramenta quæ fiunt per creaturas; &, quando non?

In triplici sensu potest quis iurare per creaturas.

115. EX dictis dubitatione 5. constat in triplici sensu posse iurare per creaturas 1. scilicet, tanquàm per testimonium infallibile illis attribuendo aliquid diuinitatis: atque hoc modo non est Iuramentum perinde, ac Iuramenta per Idolum: neque vllus fidelium sic iurare creditur: esset enim quoddam idolatrandi genus. 2. per creaturas referendo illas in Deum, &c, quatenus in eis elucet Deus, atque hoc modo est Iuramentum eiusdem speciei cum Iuramento,

Iuramentū per creaturas quando

tiust ſpe-cies, cum Iuramento quod fit ex-preſſe per Deum.

to, quod fit expreſsè per Deum iuxta dicta du-bitatione tertia.3 poteſt iurari per creaturas ſe-cundum ſuam propriam dignitatem quam ha-bent, & ſecundum teſtimonium fallibile, quod poſſunt præſtare;atque hac ratione non eſt Iu-ramentum. Iam verò difficultas eſt; quomodo dignoſcendum ſit, quando adducantur in ſe-cundo illo ſenſu,ita,vt ſit Iuramentum,& quan-do in tertio, in quo non ſit Iuramentum?

Regula ge-neralis ad dignoſcen-dum quan do Iura-mentū per creaturas ſit verum Iuramentū & quando non. Syluester. Nauarrus. Suarius.

116. Aſſerendum eſt pro regulâ generali; quorieſcunque creaturæ, per quas iuratur talis ſunt dignitatis, & excellentiæ, vt peculiari quâ-dam ratione reluceat Deus excitentque in no-bis Dei memoriam, tunc cenſentur adduci, vt in Deum relatæ; ac proinde erit Iuramentum, vt cùm iuratur per Sanctos per cælum, & ſimi-lia. Quando autem creaturæ non ſunt huiuſmo-di; ſed in illis nihil diuinæ bonitatis ſpecialiter relucet cenſentur adduci abſque relatione ad Deum ideoque non erit Iuramentum. Ita Syl-ueſter Iuramentum 1. quæſt. 4 Nauarrus cap. 12. num. 5. Arragon 2 2. quæſt. 89. art. 1. in dubio circa 1. concluſionem. Rodriguez in ſumma cap. 191. nu. 1. Clauis Regia lib. 5. cap. 1. nu. 14. Sua-rius lib. 1. cap. 13. nu. 23. Sanch. lib. 2. cap. 2 nu. 19.

Limitatio poſterioris partis Re-gulæ.

117. Limitant hanc poſteriorem regulæ par-tem prædicti Doctores; *niſi ponatur Deus in obli-quo*, vt cùm dicitur per *hunc ignem Dei per hunc aërem Dei* tunc enim tacitè adducitur Deus; at-que adeò cenſeri debet Iuramentum. Eâdem ratione putat Suarius limitandam eſſe primam partem huius regulæ; quando additur particula diminuens, vt ſi dicatur *per cælum lecti* quæ do-ctrina vera quidem eſt; quamuis non ſit pro-priè limitatio regulæ; ſed tantùm tollitur ſigni-ficatum vocis cælum per illud ſyncategorema adiunctum. Illud mihi maximè placet; quod notant Sanch. & Suarez prædictam, ſcilicet, re-gulam intelligendam eſſe ex vi verborum præ-ciſè; nam ex intentione Iurantis omnino erit Iu-ramentum, ſi adſit animus adducendi Deum authorem creaturæ; etiamſi viliſſima creatura ſit, per quam iuratur iuxta dicta dubitatione 4.

Limitatio prioris par-tis.

Regula in-telligenda ex vi ver-borum præciſè.

Ex tradita doctrina Infertur 1.

118. Infertur 1. ex traditâ doctrinâ, eſſe Iu-ramentum, cùm dicitur *per Euangelia, per crucem, per Beatam Virginem: per S. Petrum* aut *per alios Sanctos, per Sacramenta* aut *per ſacros ordines*, quod ne-mo negat; quia in iis ſpecialiter relucet Deus; ideò communi vſu adducuntur pro Iuramento. Idem iudicium eſt; ſi dicatur per veſtes ſacras, per reliquias, per templa, *per cælum*. de quibus vi-deri poteſt Azor lib. 11. cap. 3. quæſt. 1. item *per vitam cæli*; quamuis enim cælum vita careat, iu-rantes nomine vitæ cæli intelligunt eſſentiam, aut naturam cæli, vt rectè Sanch. cap. 2. num. 25. Sic etiam Iuramentum eſt per habitum D. Franciſci aut D. Petri ſunt, enim res ſacræ in quibus Deus honoratur. Ita Sotus 8. de Iuſtit. quæſt. 1. art. 1. Suarius cap. illo 13. num. 23. Cla-uis Regia citato cap. 1. in fine. Idē putat Sanch. ſi Religioſus dicat *per hunc habitum*, & Clericus *per primam tonſuram*, aut 4. *minores ordines*: quæ res ſacræ ſunt.

Infertur 2.

119. Infertur 2. eſſe Iuramentum, cùm dici-tur *per meam animam*; quia in animâ rationali ſpecialiſſimè reſplendet Deus, & vſu ita eſt re-ceptum teſte Sylueſtro ſuprà quæſt. 5. Soto ſu-prà, Suario ſuprà num. 22. Pedraza præcepto 2. §. 1. Azor ſupra Petro de Ledeſma 2. to. Tract. 11. cap. 1. dub. 1. ad 4 Leſſio lib 2. de Iuſtit. cap. 42. num. 8. qui putat tale Iuramentum eſſe Ex-ſecratorium: Sanch. verò lib. 3. cap. 2. num. 29. communiter putat atteſtatoriè non Exſecrato-riè accipi. Nec deſunt; qui putent non eſſe Iu-ramentum; ſic Butricanus, & Salicetus, quos ci-tat Gutierrez, & ſequitur in Autentica, *Sacra-menta Puberum* num. 148. Cod. *ſi aduerſus vendit* & Gregorius Lopez lege 26. tit. 11. Partita 3. Horum tamen opinio communiter non pro-batur.

120. De illis autem verbis *in animâ meâ* mul-ti putant eſſe Iuramentum, & quidem in aliquo ſenſu iuxta dicenda dubitatione ſequenti cenſe-ri poſſunt Iuramentum; nihilominus Petrus de Ledeſma, & Sanch, & alij Recentiores meritò putant poſſe accipi in tali ſenſu, vt ſignificent tantùm *hoc, quod dico eſt quod habeo in animâ meâ*: quo ſenſu non eſt Iuramentum, vt patet.

Iuramentū eſt dicere viuit ani-ma mea.

121. Iuramentum verò procul dubio erit di-cere *viuit anima mea, vel tua*: quia in vitâ animæ maximè reſplendet Deus. Ita Sylueſter *Iura-mentum* 1. quæſt. 1. Azor & Sanch. ſuprà ſimili-ter Iuramentum eſt, ſi dicas in periculo animæ meæ. ita Innocentius cap. *Etſi Chriſtus* num. 3. de *Iureiurando*, & ibi Baldus num. 7. qui benè addit idem eſſe de his verbis: *ſuper animam meam*: eſt enim in vtroque ſenſus exſecratorius id eſt periculum, & damnum patiatur anima mea, ſi hoc non ita eſt. Addendum verò eſt cum Sanch. neutrum modum dicendi ex his duobus conti-nere Iuramentum ſi accipiatur in alio ſenſu, vt cùm quis ad reddendum alterum certum, & tutum circa opinionem aliquam amplecten-dam, dicit in periculo animæ meæ, vel ſuper animam meam potes facere. Sic Hiſpanicè di-cimus, *yo lo tomo ſobre mi alma, o ſobre mi conſciencia.*

Infertur 3.

122. Infertur 3. non eſſe Iuramentum, ſi quis dicat, *per has barbas, per has velles, per meos ca-pillos*, aut *per meum equum*, aut *per meum canem* aliaſ-que ſimiles viles, & abiectas creaturas: conſtat-que hoc ex 2. parte regulæ traditæ, & docent Nauarrus cap. 12. num. 5. Clauis Regia lib. 5. cap. 1. Suarius cap. illo 13 num. 3. & 23. Sanch. cap. illo 2. num. 35. qui addit non eſſe Iuramentum *per vitam harum barbarum* neque *per lac quod ſuxi*: eſt enim lac creatura infima. Addit alterius om-nia hæc fore Iuramenta; ſi addatur particula *quæ ſunt creatura Dei*: quod infertur ex 1. limitatione præcedentis regulæ ſuprà traditæ. Eſſent præ-tereà Iuramenta, ſi quis per ea verba habeat in-tentionem iurandi iuxta dicta dubit. 4. aſſer-tione 4.

Infertur 4. non eſſe Iuramentū dicere in veritate ita eſt.

123. Infertur 4. non eſſe Iuramentum dice-re: *in veritate ita eſt* ſeu: *in rei veritate*, ita Sylue-ſter ſuprà quæſt. 3. Sotus ſuprà Alcozer cap. 15. doct. 6. Arragon art. 1. circa primam conclu-ſionem Azor ſuprà cap 3. quæſt. 1. Sà *Iuramen-tum* num. 1. Suarius cap. illo 13. num. 21. Leſſius ſuprà dub. 1. num. 4. Sanch. ſuprà cap. 2. nu. 34. Et idem, ſi dicatur *per veritatem* vt conſtabit ex dicendis ſequente dubitatione; docentque Arra-gon, Azor, & Sanch. ſi ent, ſi dicatur *profectò, cer-tè, ſanè, verè, veriſſimè*, vel *reuera*. ita Sotus Alco-zer, Arragon, Azor, Suarius, Sanch. ſuprà. Ratio

Nec ſi di-catur pro-fectò cer-tè *&c.*

eſt;

est; quia sic affirmare, nihil aliud est, quàm asserere id esse verum, sicut, sic negare est asserere id esse falsum: in quo neque vmbra quidem est iurandi: nec refert, quod addatur verbum *Iuro*; id enim solùm non sufficit ad Iuramentum iuxta dicta dubit. 5. illatione 3. Si tamen quis per hæc verba haberet intentionem iurandi re verà iuraret iuxta dicta eadem dubit. 4. Vt notat Sà, Azor, & Sanch.

Si quis tamen per hæc verba haberet intentionem iurandi verè iuraret.

124. Vtrum autem sit Iuramentum dicere *Iuro per me* aut: *Iuro me* aut: *Iuro per eum qui sum*, quod Hispanicè dicimus *Iuro ami*, *o por mi*, *o Iuro como quien soy* non est ita certum inter Authores aliqui affirmant: quia homo est creatura nobilissima, in qua specialiter relucet Deus, atque ita videtur supponere Sotus Tract. de Iuramentorum abusu cap. 4. Alcozer in summâ cap. 15. doct. 1. Suarius verò cap illo 13. nu. 3. & Sanch. cap. 2. num. 31. putant ex vsu recepto non esse Iuramentum solùm enim illa verba significant adduci hominem ipsum in testem secundum propriam authoritatem, bonitatem, & veracitatem: non verò ipsum Deum.

An sit Iuramentum dicere Iuro per me &c.

125. Infertur 5. non esse Iuramentum dicere *in fide meâ*, *per fidem meam*, *Regiam*, aut *boni viri*, aut *nobilis*, aut *verbi mei*. Hispanicè *Afee mia*, *afee de quienſoy*, *afee de Gidalgo*, *o de Caballero*, *o de Rey*. etiamsi multi canonistæ relati à Couarruuiâ, Suario, & Sanch. dicant similia Iuramenta esse verè Iuramenta; sed oppositum omninò verum est; nec placet distinctio, quam affert Mendoza lib. 1. de Pactis cap. 6. quæst. 3. num. 9. qui putat in personis nobilibus non esse Iuramenta; quia intelliguntur iurare, sicut solent; in personis autem communibus esse Iuramentum; quia intelliguntur iurare per fidem Christianam; neque audiendus est Sotus, qui citato art. 1. dixit esse Iuramentum dicere *per meam fidem*; non verò dicere *in meâ fide*. Itaque vniuersaliter non esse Iuramenta omnia prædicta docent Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 6. Aragon ibi art. 1. Nauarrus cap. 12. num. 2. & 5. Couar. de Pactis 1. part. §. 2. nu. 2, Alcozar suprà doct. 6. Sairus suprà num. 13. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 7. punct. 2. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 1. num. 4. Suarius cap. illo 13. à num. 10. vbi rectè impugnat Mendozam; Petrus Ledesma Tract. 1. cap. 1. dub. 1. Rodriguez cap. 19. nu. 3. Azor lib. 11. cap. 10. quæst. 1. Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 79. num. 28. & lib. 3. summæ cap. 2. num. 32. Ratio est; quia eorum verborum communis est, & vsu receptus sensus *per meam fidelitatem*, aut *veritatem*; nempe ita est, aut ita faciam, vt sum verax in dicendo, vel fidelis in promissis, vel sicut decet Regem, aut nobilem, aut virum bonum esse veracem, aut fidelem, Rationem reddit Caiet. quia Sermonum humanorum veritas fidelitati innititur humanæ; non virtuti Theologicæ fidei; atque adeò non accipitur ibi vox *fides* pro fide supernaturali Theologica, vt Canonistæ contendebant. Item non est Iuramentum dicere: *in bonâ fide* vt notant Sotus, Alcozer, Ledesma, Suarius citati, & Sanch. num. 32. vbi addit, nec esse Iuramentum dicere *in bonâ fide iurata* vel *per bonam fidem iuratam*: quia semper sumitur pro humanâ fidelitate, aut veracitate.

Infertur 5. non esse Iuramentum dicere in fide mea &c.

Licet multi canonistæ contrarium doceant.

Ratio cur prædicta nō sunt Iuramenta.

Ratio Caietani.

126. Hæc autem limitant primo Azor, & Sanch. vt sit vera tota doctrina huius illationis; quando ijs verbis vtens non intendit iurare, aut non putat se iurare; nam, si intendit aut putat, erit Iuramentum iuxta dicta dubit. 4. Limitant secundo Azor, Sanch. & Suarius; nisi in more positum sit apud eos homines, cum quibus versatur ea verba accipi pro Iuramento iuxta dicta eadem dubit. 4. tunc enim vera Iuramenta censenda sunt. Tertiò limitant, Sanch. & Suarius; nisi prædicta verba adducantur, tanquàm res in quibus Deus Author omnis veritatis relucet; si verò dubitetur; an Iurans intenderit per hæc verba iurare indicanda sunt non Iuramenta; quia ex se Iuramenta non sunt, ita Couar. Sairo, & Sanch. colligiturque ex aliis Authoribus maximè ex Caietano.

Variè limitationes vt sit vera præcedens illatio.

127. Infertur 6. habenda esse pro Iuramentis *per fidem Christi* aut *Dei* vel *in fide Christi* vel *Christiani*: primum concedit Sotus suprà art. 1. secundum verò docent cæteri omnes, vt ait Suarius suprà num. 18. quia in his modis loquendi sans claré videtur adduci veritas fidei diuinæ supernaturalis.

Infertur 6. Iuramentū esse si quis dicat per fidē Christi, Dei &c.

Ratio.

128. Nihilominus probabile est, si quis dicat *per fidem Christiani*, vel *boni Christiani* vel per fidem Religiosi vel Sacerdotis non esse Iuramentum, ideò Sotus ait forsan non esse Iuramentum; quia non intelliguntur ea verba de fide diuinâ.

An si quis iuret per fidē Christiani &c.

129. Alij verò communiter, & probabilius recurrunt ad intentionem proferentis ea verba, vt si intendat adducere fidem Dei absque dubio iuret; secus verò, si tantum fidem humanam cum circumstantiâ personæ scilicet, qualem decet esse in homine Christiano, Religioso, vel Sacerdote; quia inde maiorum quandam credibilitatem participat; idemque sentiendum est, si dicatur, *tanquam Christianus*, *tanquam Religiosus* aut *Sacerdos* sunt enim prædicta omnia verba æquiuoca; atque ita docet Azor suprà cap. 3. quæst. 1. plures alios referens, & Suarius cap. 13. num. 19. quia tamen hæc verba communi vsu loquendi ambigua sunt, rectè monet Suarius optimum esse consilium eas loquendi formulas cauere; quia, & periculosæ sunt, & dubitationem in animo relinquunt, & apud alios scandalum generant, & fortasse in foro externo Iuramenta reputantur.

Recurrendum est ad Intentionē proferentis illa verba. Azor, Suarius.

Ea loquēdi formulæ cauendæ sunt.

130. At Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 5. num. 4. & Sanch. cap. illo 2. num. 32. in fine. satis probabiliter putant ex communi vsu ea non esse Iuramenta; quia accipiuntur pro fide humanâ cum prædictâ circumstantiâ personæ. Vnde in dubio de intentione putat Sanch. non esse censenda Iuramenta idque satis probat ratio Caietani paulò superius allata idemque iudicium est propter eandem rationem, si quis dicat *in fide Christianâ Religiosi*, aut *Sacerdotis*, aut *tanquam Christianus Religiosus* aut *Sacerdos*.

Lessius & Sanch. probabiliter putant ea non esse Iuramenta.

131. Notat tamen Sanch. celeberrima illa verba *in verbo Sacerdotis* planè esse Iuramentum: quia sic solent iurare Sacerdotes in vsu communi, quod mihi satis probabile apparet; quamuis enim talia verba in rigore non sint Iuramentum; nihilominus etiam in Iudicio habentur pro Iuramento, & sæpe non exigi solet aliis verbis Iuramentum à Sacerdotibus, sed de hoc iterum incidet sermo.

Notat Sanch. illa verba in verbo Sacerdotis esse Iuramentum.

B 3 Id.

Infertur 7. quid de his dicendum in mea conscientiâ &c.

132. Infertur 7. quid de his formulis dicendum sit scilicet *in meâ conscientiâ* aut *per meam conscientiam?* Sotus putat non esse Iuramentum dicere: *in meâ conscientiâ*, esse tamen dicere: *per meam conscientiam*: alij verò vtrumque putant esse Iuramentum: quia putant idem esse, quod *in Anima mea*; vel *per meam Animam*, de quibus diximus illatione 2. ita Syluester Iuramentum 1. quæst. 5. Arragon, & Azor, Nauarrus suprà Pedraza præcepto 2. §. 1. Alij verò dicunt esse verba æquiuoca: atque adeò recurrendum ad intentionem proferentis, qui, si per conscientiam intelligat animam, aut animæ potentiam, quatenus in ea elucet Deus erunt Iuramenta. si autem solùm velit dicere hoc est, quod ego sentio in meâ conscientiâ id est in intellectu meo practico, seu hoc dictat mihi mea conscientia: non sunt Iuramenta: propterea ait Suarius abstinendum esse ab his formulis; quia æquiuoca sunt.

133. Lessius verò & Sanch. suprà meritò docent non esse Iumenta: quia iam communiter accipiuntur in sensu posteriori ab omnibus, & referunt Sairum, & Petrum de Ledesma suprà. Vnde rectè addit Sanch.* non esse Iuramentum dicere *testis est mihi mea conscientia*: quia perinde est, ac si dicatur hoc mihi dictat mea conscientia.

DVBITATIO VII.

An referat ad Iurandum vti præpositione In *aut præpositione* Per *& de quibusdam formulis Iurandi Æquiuocis?*

An referat ad Iurandum vti ly In aut ly Per. Sotus ponit differentiã.

134. Sotus lib. 8. de Iustit. quæst. 1. art. 1. omnino distinguit inter præpositionem *In*, & *Per*: putatque non esse Iuramentum dicere *in fide meâ, in meâ conscientiâ*, & similia: quia nihil videtur adduci in testem: esse tamen Iuramentum dicere: *per fidem meam, per meam conscientiam*, quia Accusatiuus cum propositione *Per* videtur formam testis inducere.

Sed male fundatam vtpote contra commu-nem vsum.

135. Hæc tamen distinctio nullâ ratione fundatur, & omnino reijcienda, quia contra communem omnium & vsum, & sensum, qui idem putant significari quando dicitur *in bonâ fide*, aut *per bonam fidem*: *in mea conscientia*, & *per meam conscientiam* & in cæteris similiter: ideò meritò contra Sotum sentiunt S. Bonauentura in 3. distinct 39. in expositione litteræ in fine. Syluester Iuram. 1. quæst. 5. Arragon. quæst. 89. art. 1. circa 1. conclusionem. Petrus de Ledesma Tract. 11. cap. 1. dub. 1. Valentia tom. 3 disp. 6. quæst. 7. punct. 2. Azor lib. 11. cap. 3. q. 1. Rodriguez in summa c. 191. num. 3. Suarius lib. 1. cap. 13. num. 14. Sairus lib. 5. cap. 1. num. 13. Lessius lib. 2 cap. 42. dub. 1. num. 4. Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 8.

Ex hac doctrina. Infertur 1.

136. Ex hac doctrinâ infertur 1. idem esse dicere *in Deo ita est*, ac *per Deum ita est*, vnde Paulus ad Rom. 9. sic iurauit *veritatem dico in Christo Iesu*: vbi Paulum iurasse Sotus ipse etiam fatetur, & vtroque modo in nostro exemplo iurari posse scilicet *in Deo, & per Deum*, affirmant Bonauentura, Syluester, Arragon, Rodriguez citati, & alij multi. Additque Sanch. num. 13 & Rodriguez etiam esse Iuramenta dicere *in Euangelio*, & *per Euangelia* & idem de similibus formis. Pari ratione est Iuramentum Hispanicè dicere: *par Dios* quia idem est, ac dicere: *por Dios* vt rectè Alcozer in summâ cap. 15. doct. 1. & Sanch. suprà num. 13. qui notat prædicta verba *par Dios*, & *por Dios* vsurpari non adducendo Deum in testem, sed ad ostendendum tædium, & tunc non esse Iuramentum; atque hac ratione putat intelligendos esse Angelum* verbo *perjurium* ante 1. in fine, & Syluestrum ibi quæst. 1. Multoque certius est, quod idem Sanch. nu. 18. affirmat, scilicet, non esse Iuramentum cum dicitur ad denotandum iræ impetum, *corpus Dei tecum* Hispanicè *cuerpo de Dios con vos* quod etiam affirmauit Sotus Tract. de *Iuramentorum abusu*; an verò hæc verba contineant blasphemiam posteà videbimus dub. 9.

137. De his autem verbis *coram Deo ita est* vel *Deus scit ita esse* vel: *Deus videt*, *ita esse* vel *coram Deo hoc dico* aut *Deus scit me verum dicere* controuersia est; an sint Iuramenta. Nam Augustinus epistola 89. ad Hilarium, & serm. 28. de verbis Apostoli, & refertur in cap. *si peccatum* 22. qu. 1. & D. Thomas quæst. 89. art. 1. ad 3. inter Iuramenta ea enumerat atque expressè Nauarrus cap. 12. num. 2. Azor suprà cap. 3 q. 1. quia licet ex se sint verba ambigua, & æquiuoca; tamen ex communi vsu accipiuntur; vt Iuramenta.

De verbis corã Deo ita est &c. Controuertitur.

Augustinus & D. Tho. inter Iuramenta ea numerant:

138. Probabilius tamen puto esse verba æquiuoca & ambigua, etiam in vsu hominum; solent enim accipi tum inuocatiuè, scilicet inuocando Deum in testem, & tunc sunt Iuramenta; tum enunciatiuè tantùm, scilicet, remittendo se ad Dei Iudicium, & scientiam, & tunc non sunt Iuramenta. Ita Caiet. art. 1. circa solutionem ad 3. Arragon ibidem Tabiena verbo. *Iurare* quæst. 32. Sotus lib. 8. quæst. 1. art. 1. Pedraza præcepto 2. §. 1. Rodriguez cap. 191. nu. 2. Sà. verbo *Iuramentum* num. 1. Valentia disp. 6. quæst. 7. punct. 2. Petrus de Ledesma Tract. 11. cap. 1. dub. 1. Suarius cap. 13. num. 7 & 8. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 2. num. 8. Sairus lib. 5. c. 1. num. 5. Sanch. lib. 3. cap 2. num. 20. Quando autem non constat de animo, & intentione proferentis hæc verba; tunc in foro conscientiæ præsumitur, & censetur animus non iurandi in hominibus bonæ, & timoratæ conscientiæ, qui non solent communiter iurare; at in hominibus iurare solitis censebuntur Iuramenta; tum, quia magis ea verba ad naturam Iuramenti accedunt tum quia in eo sensu scilicet inuocatiuè solent communiter ab his vsurpari, vt docent ferè omnes citati Authores. In foro autem iudiciali, & in iis quæ vergunt in damnum tertij accipienda sunt ea verba iuxta communem intelligentiam audientium; ita Caiet. Tabiena, Pedraza, Sairo & Sanch. suprà.

Probabilius tamen dicta verba sunt æquiuoca. Caiet. Arragon. Sotus.

In quibus prædictis verbis vtentibus in foro conscientiæ præsumitur animus Iurãdi vel non Iurandi.

139. Sanè si communiter solent haberi ea verba tanquam ambigua, vt iidem Authores videntur supponere non video cur non etiam in Iudicio habeat locum resolutio prædicta.

140. Illud mihi videtur magis certum, quod modus ille loquendi, qui solet ab aliquibus vsurpari, scilicet, *Deus scit; an verum dicam* id est Hispanicè, *sabe Dios, si digo verdad.* non contineat Iuramen-

Iuramentum, si stemus proprietati verborum; imò nullum differt à modis loquendi, quibus dicitur. *Deus scit me verum dicere*, vel, *quòd verum dicam* hi enim modi loquendi magis insinuant Iuramentum, quàm ille alius prior.

Hæc verba testis est mihi Deus quando cōtinent Iuramētum, quando nō.

141. Circa hæc autem verba. *Testis est Deus*, vel *testis est mihi Deus*, putat Azor suprà continere eandem æquiuocationem, quam continent verba illa *Coram Deo* aut, *scit Deus* quod sanè in rigore verborum verum est; nam accipi possunt per modum simplicis enunciationis; quasi dicatur huius rei spectator, & testis ipse Deus est; quo sensu non continent Iuramentum; possunt tamen etiam accipi per modum inuocationis adducendo Deum in testem, & tunc omnino sunt Iuramentum.

In dubio de animo Iurantis prædicta verba esse Iuramentū docēt apertè. D. Tho. Sotus. Arragon.

142. Verum negari non potest maiorē in iis esse Iuramenti similitudinem, quàm in illis aliis *Deus scit* & *coram Deo*; quapropter in dubio putat Sanch. num. 21. censenda esse continere Iuramentum, & apertè docent esse Iuramentum. D. Thomas. Sotus, Arragon, Rodriguez & Syluester suprà. Atque ex communi vsu esse Iuramenta affirmant Sairo cap. 2. num. 3. Lessius ca. 42. dub. 2. num. 8. Suarius cap. 13. nu. 7.

143. Hæc tamen verba *testis sit Deus*, *Deum testor*, *testificor*, seu *testem aduoco*, vel *adhibeo*, non patiuntur nisi sensum inuocatiuum; ideò meritò inter certas iurandi formulas ea enumerant Sairo, Suarius, Lessius, Azor, & Sanch. suprà.

144. Quando verò aliquis per Deum aut propriam vitam interrogatus; an ita se res habeat respondet absolutè, ita se rem habere, non esse Iuramentum optimè docet, & probat Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 28. quia non est modus ille Iuramenti exigendi: sed quædam adiuratio. Imò, si rogans diceret: iuras mihi per Deum rem ita se habere, & interrogatus respondeat: ita se res habet: non ideò censetur iurare: quia non ideo conniuet interrogantis Iuramento: sed soli eius interrogationi per simplicem assertionem respondens. secus verò putant nonnulli, si responderet. *ita* vel Hispanicè *si*, vel capite annueret: quia tunc perinde est ac dicere: *ita iuro* quod sanè in rigore verborum verum est: nihilominus etiam illud *ita* vel *si* potest cadere, aut dirigi in rem ipsam interrogatam sub tali Iuramento ex parte interrogantis postulantis illud, in quo multum attendi debet ad animum respondentis, quamuis in dubio philosophandum videatur. sicuti diximus de aliis verbis, quæ propriè, aut in communi acceptione significant Iuramentum.

DVBITATIO VIII.

Quænam verba contineant Iuramenta Exsecratoria, & quæ non?

Quæ verba Iuramenta Exsecratoria continent.

145. COmmuniter apud Authores videtur receptum dicere *per meam vitam, aut alterius proximi vitam aut salutem* habere sensum Exsecratorium id est Deus auferat mihi, vel illi vitam, aut salutem, si hoc ita non est. ita D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 6. Caietanus ibidem, Arragon eadem quæst. art. 1. Sotus 8. de Iustit. quæst. 1. art. 6. & de *Iuramentorum abusu* cap. 4. Nauarrus cap. 12. Couarruuias de Pactis part. 1. §. 1. num. 5. Alcozer cap. 15. doct. 1. Rodriguez cap. 191. num. 3. Pedraza præcepto 2. num. 1. Azor lib. 11. cap. 3 quæst. 1. Lessius cap. 42. dub. 2. num. 8. Sairus lib. 5. cap. 2. num. 3. & cap. 3. nu. 14. Suarius sæpè citato cap. 13. num. 27. Sanch lib. 3. cap 2. num. 36. Idemque iudicium est, si dicatur in meâ vitâ, aut salute iuxta regulam traditam dubitatione præcedenti vbi ostendimus idem significare præpositiones *In* & *Per* & in hoc casu expressè docent Arragon, Azor, Rodriguez, & Sanch.

146. Dixi autem communiter accipi in sensu Exsecratorio; quia non videtur negandum posse in sensu contestatio proferri, vt docet. D. Thomas citato art. 6. in fine corporis quem sequuntur Syluester *Iuramentum* 2. num. 2. & Couarruuias citato num. 5. circa finem.

Variæ formæ Iuramenti Exsecratorij.

147. Est etiam Iuramentum Exsecratorium dicere: *hæc mala addat mihi Deus, aut inferat Deus, si hoc non ita est*, vt docet Syluester *Iuramentum* 1. q. 1. & cum eo Alcozer, Arragon, Sairo, Lessius & Sanch. citati. Adhibet exempla Alcozer scilicet: *non parcat mihi Deus*, *non me saluet*, *non me tueatur*, *maledictus sim*, *malâ morte obeam*, *non viuam vsque in crastinum*. Sanch. etiam addit: *non mouear hinc*, *malum Paschæ mihi Deus impertiatur*, *ardeam in infernis*, *diabolus me rapiat*, & idem iudicium est de aliis similibus.

148. Eadem ratione est Iuramentum Exsecratorium dicere: *in periculo animæ meæ*, vt ex Innocentio, & Geminiano docet Suarius cap. illo 13. num. 28. probatque ex cap. *Fraternitatis de frigidis, & maleficiatis*. Item Iuramentum est Exsecratorium dicere: *per caput meum* quod insinuatur in Euangelio Matth. 5. & etiam capite *Etsi Christus* de Iureiurando ita Suarius suprà.

Si Deus tāquam boni alicuius impertitor inuocetur erit Iuramentum Exsecratorium.

149. Etiam est Iuramentum Exsecratorium quando Deus tanquam boni alicuius impertitor inuocatur, vt *ita Deus me adiuuet*, *seruet*, *det mihi gratiam* vel *gloriam* vel *aliquod aliud bonum* vel *ita mihi Deus benè faciat*; quia in hoc modo loquendi subintelligitur contraria exsecratio, id est *Deus hu bonu me priuet, si hoc non ita est*. ita Caiet. suprà art. 1. Syluester *Iuramentum* 1. quæst. 1. Sotus citato art. 1. in fine. Arragon art. 1. in fine. Nauarrus, Alcozer, Azor, Sairus, Lessius, Suarius Sanch. suprà. vnde immeritò Sà verbo *Iuramentum* 1. hæc verba: *per meam vitam & sic me Deus adiuuet* inter æquiuoca enumerat asserens pendere ex intentione iurantis, quod sint, vel non sint Iuramenta. Et multo magis displicent alij, quos ipse tacito nomine refert asserentes prædicta non esse Iuramenta.

150. Censetur etiam Iuramentum Exsecratorium, si quando alius alieni maledictionem imprecatur dicens *si hoc non ita est*, *Deus non te adiuuet*; *diabolus te rapiat*, & similia, ipse verò respondeat *amen*; tunc enim idem est ac si dicat *id malum mihi eueniat si ita non est* vt rectè Sanch. lib. 3 cap. 2. num 37.

Verba non continētia Iuramentum Exsecratorium.

151. Tunc autem non erit Iuramentum Exsecratorium; imo neque Iuramentum; quando quis dicit per vitam mei equi, vel per conseruationem alterius rei inanimatæ, si alioquin ex circumstantiis

circumstantiis, aut ex modo dicendi constet res illas interponi ex intentione vitandi Iuramentum; quia res illæ, quasi pro nihilo tunc censentur æstimari; alioquin ex vi verborum sufficere viderentur ad Iuramentum. ita Suarius cap. 13. nu. 27. quamuis in his dicendi modis, & formulis, si ex vsu nihil certi haberi potest, intentione loquentis standum videtur.

Limitatio.

152. Non tamen censeri debet Iuramentum Exsecratorium, quod communiter dici solet ad affirmandum quempiam, vel nummis carere, vel nihil adhuc manducasse illa die, *maledicti nummi, quos habeo, maledictum quod hodie comedi*; quia maledictio non cadit in personam, sic enim esset Iuramentum; sed cadit in nummos, vel in escam. Accedit quod maledictio in rem inanimatam non continet grauem deordinationem, nisi redundet in graue detrimentum personæ. ita Suarius lib. 1 cap. 13. num. 28. Sanch. lib. 3. cap. 2. num. 38. addunt tamen, si animus esset obiicere rem illam, vt materiam diuini iudicij (quod tamen rarò accidere credit Sanch.) fore Iuramentum.

Alia formula eiusdē rationis.

Maledictio in rē inanimatam non continet granē deordinationem. nisi redundet in graue detrimentum personæ. Suarius Sanch.

153. Mihi tamen videtur non esse Iuramenta ex rigore verborum, in quibus nihil asseritur; sed tantum maledicitur creaturæ inanimatæ, si qua apud se est, quæ maledictio etiam ex animo facta, si coniiciatur in rem inanimatam secundum se consideratam, tantùm est veniale peccatum, vt ex D. Thoma 2.2. quæst. 76. art. 2. tradit Nauarrus cap. 23. num. 117. si verò coniiciatur in rem illam, prout est Dei creatura, idque ex animo esset peccatum blasphemiæ mortale, si verò, quatenus est res vtilis proximo consideretur, perinde est, ac si desideraret proximo carentiam illius rei, aut etiam sibi.

Coniicere ex animo maledictionem in rem inanimatā quandoque veniale est quandoque mortale.

154. Dixi autem *ex rigore verborum*; quia in communi modo loquendi per illa verba significari & affirmari videtur, quòd proferens non habeat rem illam, &, si illam habeat subiicit illam maledictioni exitij seu interitus in qua videtur haberi ratio de creaturâ illa, vel secundum se, vel, quatenus sibi potest esse vtilis.

155. Nihilominus, si intentio sit subiicere illam rem ostensioni diuini iudicij absque dubio erit Iuramentum, quantumuis maledictio non coniiciatur in personam; sed in rem inanimatam, etiam vilem, & despectam. Nam ratio formalis Iuramenti Exsecratorij sita non est, in eo, quod Deus reluceat in creaturâ designata, nec in eo, quod sit Dei creatura repræsentans Deum speciali aliquo modo; sed sita est in eo quod petatur ostensio diuini iudicij quapropter siue tunc petatur, quòd fiat supra personam, siue, quòd fiat supra rem inanimatam, etiam vilissimam semper inuocatur Deus, vt Iudex, ac proinde semper est Iuramentum. Ideò vtentes eo loquendi modo, vel omnino iurant, vel certè tantùm volunt significare, quòd illa res destruatur, seu, quòd ea priuentur, & spolientur, si eam habent nullo habito respectu ad diuinum Iudicium. In dubio autem de intentione non sunt censendi iurare; qui timoratæ sunt conscientiæ, & refugiunt Iuramenta; secus vero, si sint Iuramentis assueti iuxta suprà dicta.

Ratio formalis Iuramenti Exsecratorij sita est quod petatur ostensio diuini Iudicij.

156. Illud mihi videtur non esse Iuramentum (quidquid alij dicant) quod vsurpari solet, vt significetur omninò aliquid sic esse, scilicet, *tot Angeli recipiant animam meam*, vel *veniant pro animâ meâ, quot vicibus hanc rem fecisti*, vel, *quot aureos habes*, vel *quot plures aureos habes, quàm affirmas*. sanè hæc formula dicendi non habet in se contrariam maledictionem inclusam, vt nonnulli putant; sed solùm est sensus, gauderem, quòd tot angeli me reciperent & cætera; sicut solet dici: *vtinam tot aureos haberem, quot, ille habet*, vbi non includitur maledictio aliqua in contrarium nullum habendi aureum, si alius non habeat.

Formulæ iuramentum non continentes

157. Secùs autem esset, si quis diceret: *sic Angeli animam meam recipiant sicut tu habes plures aureos, quàm dicis* quia in eo modo dicendi includitur contraria exsecratio, scilicet, aliàs Angeli non recipiant: perinde, ac si dicamus *sic me Deus adiuuet* &c. Ita Sanch. lib. 3. c. 2. num. 39.

158. Eadem ratione non est Iuramentum, si alicui affirmanti sese pauperem, ac infelicem, alter respondeat ad asserendum, seu confirmandum contrarium suum sensum. *Faxit Deus, vt ita ego diues essem, aut felix*, vel *vt ita rebus meis eueniret*; tunc enim solum significat suæ voluntatis appetitum, nec contrariam exsecrationem includit. ita Sanch. suprà num. 36. in fine.

159. Nec etiam est Iuramentum dicere: *Non faciat mihi Deus malum, si tu, nequam, non lueris mihi pœnas debitas*; qui enim sic loquitur nihil sibi mali imprecatur, siue vindictam sumat siue non: erit tamen Iuramentum, si dicat: *sic Deus à me malum auertat, quòd luiturus sis mihi pœnas* qui modus includit cōtrariam exsecrationem. Hæc autem verba: *Melius me Deus seruet*, aut *melius mihi benefaciat* & similia dupliciter possunt accipi primò comparatiuè; nempe; quando significare volentes aliquem quippiam mali facere dicimus: *Melius illi Deus faueat, quàm ipse se gerit in hoc negotio*. & tunc nullum Iuramentum, aut exsecratio includitur. Vel si exsecrationem includat solùm erit maledictio, & non Iuramentum; quia nihil affirmatur, vt contingit, quando dicitur: *sic tecum Deus agat, sicut tu agis mecum* vel *sic tibi prosit stipendium, quod accipis à me sicut tu mihi seruis*: tunc enim sola est maledictio contra famulum malè seruientem.

160. Secundo modo possunt accipi ea verba, non comparatiuè, sed affirmatiuè, vt, si volens affirmare ne aliquid non fecisse, dicam: *Melius mihi faciat Deus* vel *melius me Deus seruet, quàm ita fecerim* atque in hoc sensu videntur esse Iuramentum; quia contrariam exsecrationem claudunt perinde, ac cum dicimus: *sic me Deus adiuuet*. Ita Sanch. suprà num. 40.

161. Multo minus sunt Iuramentum verba illa quæ aliqui vsurpant. *habeat, vt perfidus*, aut *hæreticus* aut *mendax* vel *iniquus sim, si hoc non ita est*. sensus enim eorum verborum tantum valet, ac, si quis dicat: *æstima me talem si verum non est quod dico*, ac proinde non efficiunt sensum exsecratorium, sicut neque esse Iuramentum dicere alicui: *interfice me, si hoc fecerim, vel non fecerim*.

162. Tandem hæc, & similia verba, quæ Hispani sæpè vsurpant dum aliquid volunt seriò affirmare: *occidar* vel: *amputentur mihi aures, si hoc non ita est* in rigore præseferre videntur teste Sanch. num. 42. Iuramentum exsecratorium sicut

ſicut eſt Iuramentum exſecratorium dicere: *diris pugionibus ictibus punctiin confodiar* aut *ſuſpenſus obeam, ſi hoc ita non eſt.* Verùm, vt communiter ea verba circumferuntur, non claudunt Iuſiurandum; quia non dicuntur, quaſi id malum ſibi imprecando, ac inuocando Deum tanquam Iudicem vt vindictam ſumat de dicente, ſi mendax ſit; ſed tantum dicuntur inſtar cuiuſdam ſponſionis; atque adeò Hiſpani incipiunt communiter per illam particulam Hiſpanicam *que,* quæ ſponſionem ſignificat. Legatur Sanch. locis citatis.

DVBITATIO IX.

Quænam Iuramenta contineant ſimul Blaſphemiam.

Non ſolum Iuramenti, ſed etiam blaſphemiæ adiuncta malitia cõfitenda eſt.

163. QVoties Iuramentum continet malitiam blaſphemiæ, neceſſarium eſt in confeſſione eam blaſphemiam, & malitiam explicare præter malitiam aliam, ſi quam habuit actus ille in ratione Iuramenti. Imò licet in ratione Iuramenti nullam aliam habuiſſet malitiam ſaltem mortalem explicanda eſt in confeſſione malitia blaſphemiæ, quæ vix poteſt vnquam à mortali excuſari; ideò placuit in præſenti examinare, quænam verba contineant blaſphemiam, vt in confeſſione exprimantur iuxta ea, quæ diximus dubit. 3. & infrà dicemus in 3. aſſertione circa finem. Sed vt diſtinctè procedamus.

Blaſphemia vix vnquam à mortali excuſari potuit.

Aſſertio 1. blaſphemia eſt falſa locutio cõtra Deum per modum conuitij. D. Tho. Bannes.

164. Aſſero 1. *Blaſphemia eſt falſa locutio contra Deum per modum conuitij,* Hanc definitionem rectè tradit Bannes ex D. Thoma 2.2. quæſt. 13. art. 1. quam definitionem aliis verbis, ſed æquiualentibus affert Valentia tom. 3. diſp. 1. qu. 13. punct. 1. in initio, & Sanch. in ſumma lib. 2. c. 32. num. 1. ſic enim definiunt. *Blaſphemia eſt peccatum, quo aliquid de diuinâ excellentiâ detrahitur, falsè dicendo aliquid ineſſe Deo, quod non ineſt, vel negando ineſſe, quod ineſt, idque voluntate quadam derogandi eâ ratione diuinæ maieſtati.* Quamuis autem aliqui addant prædictæ definitioni, vel *quando dicitur aliquid contra Sanctos;* nihilominus non eſt opus addere, quia tunc etiam habent rationem blaſphemiæ quatenus redundant in Deum ſicut, neque opus eſt addere vel *quando aliquid proprium Dei tribuitur creaturis* quia tunc negatur aliquid de Deo, ſcilicet eſſe illi ſoli proprium, quod ipſi competit in quo ratio blaſphemiæ conſiſtit, & in prædicta definitione comprehenditur.

Quare blaſphemia dicatur locutio falſa.

165. Dicitur autem in definitione *locutio falſa;* quia in eo propriè conſiſtit blaſphemia quatenus diſtinguitur ab infidelitate; nam blaſphemia non eſt propriè, & eſſentialiter infidelitas; hæc enim conſiſtit propriè in aſſenſu aliquo interno falſo de Deo; quod ſi addatur externa aſſeueratio falſi, ea tunc oritur ex tali interno aſſenſu. Blaſphemia verò neutrum requirit; ſed conſiſtit in dictione, ſeu locutione falsâ de Deo. Quapropter blaſphemia benè poteſt inueniri coniuncta cum infidelitate; ac etiam ſeparatim; quod rectè explicat Caſtro lib. 1. de *Iuſtâ Hæretic. punit.* c. 12. nam, ſi quis dicat aliquid diuino honori derogans credens id ita eſſe, erit ſimul hæreticus, quatenus credit, & blaſphemus, quatenus dicit. Si verò credit, & non dicit, erit tantùm hæreticus, ſi vero dicit, & non credit, tantùm erit blaſphemus.

Inueniri poteſt coniuncta cum Infidelitate, & ab hac ſeiuncta. Exempla.

166. Dicitur etiam *falſa,* quia ſemper in blaſphemiâ aliquâ falſitas inuenitur, ſaltem in actu exercito; non quidem ſemper enunciatiuè; ſed ſaltem ex modo loquendi blaſphemantis; quia optat, aut imprecatur aliquod malum Deo repugnans, vel ſaltem ſignificat aliquid eſſe in Deo vel Chriſto tanquàm quid contumelioſum cum tamen non ſit. Contumelia enim eſt de ratione blaſphemiæ, nihil autem per modum veri ſignificatum poteſt eſſe Deo contumelioſum, vt cùm multis authoribus docet Sanch. lib. 2. c. 32. num. 6. contra Azor, & Suarium cum multis quos refert, & dicemus agentes in particulari de blaſphemiâ.

Contumelia eſt de ratione blaſphemiæ.

167. Tandem dicitur in definitione *per modum conuitij,* ſeu *voluntate derogandi diuinæ bonitati,* vt diſtinguatur ab Infidelitate, de cuius ratione non eſt velle derogare diuino honori; quia potius hæreticus credit ſe honorem Deo exhibere. Sed blaſphemiam procedere ex voluntate derogandi diuinæ bonitati; non intelligimus de voluntate directâ (quo pacto damnati blaſphemant) ſed de voluntate indirectâ, ſeu interpretatiua, qua licet vſurpans verba blaſphemiæ nolit directè detrahere diuinæ maieſtati, meritò tamen, & verè ex circumſtantiis & modo proferendi talis prolatio iudicatur habere diuinæ gloriæ contemptum, & diminutionem, vt optimè explicant Valentia ſuprà not. 2. & Sanch. num. 2.

Dicitur in definitione per modum conuitij vt diſtinguatur ab Infidelitate.

168. Hinc patet quâ ratione debeat intelligi D. Thomas 2.2. q. 13. art. 1. in fine corporis, & art. 3. in principio dum ait blaſphemiam opponi confeſſioni fidei, nec enim intelligendum eſt, quaſi blaſphemia ſit propriè infidelitas, aut eius ſpecies; ſed ita, vt confeſſio fidei accipiatur, non pro ipsâ fidei aſſertione; quo pacto infidelitas illi aduerſatur; ſed, quatenus eſt quædam laus diuina, & honor Dei; hac enim ratione opponitur ei blaſphemia, quæ propriè, & formaliter opponitur virtuti religionis, cuius eſt proprium munus Deum, & Sanctos vereri, vt optimè tradit Bannes q. illa 13. art. 1. not. 3. Petrus Ledeſma tom. 2. ſummæ tract. 1. c. 9. concl. 3. Valentia tomo 3. diſp. 1. q. 13. punct. 2. Sanch. lib. 2. c. 32. num. 7. Toletus lib. 4. ſummæ c. 12. atque optime omnium hoc tractat Suarius lib. 1. c. 6 à nu. 4. Addunt verò Sanch. & Valentia (& quidem meritò) blaſphemiam verſari circa Deum vel circa Sanctos, vt habent reſpectum ad Deum; nam, ſi contumelia irrogetur Sanctis; non, vt habent reſpectum ad Deum; ſed, vt ſunt homines excellentes non opponitur propriè Religioni; ſed obſeruantiæ, quæ eſt virtus Religioni annexa congruam ſanctis reuerentiam deferens; quod etiam docet Vaſquez de Adoratione lib. 1. diſp. 6. cap. 4.

Explicatur D. Tho dictũ blaſphemiam opponi confeſſioni fidei.

Blaſphemia verſatur etiam circa Sanctos vt habent reſpectum ad Deum.

169. Aſſero 2. blaſphemiæ quædam ſunt hæreticales; quædam non hæreticales. Hæreticales dicuntur, quæ ſignificant, & continent errorem contra fidem, vt contigit, quando per verbum aliquod indicatiui modi aſſeritur aliquid fidei contrarium. Non hæreticales dicuntur, quæ quamuis ex dicendi modo, & in actu exercito

Aſſertio 2. blaſphemia alia ſunt hæreticales alia non.

exercito significent aliquid contra fidem, vt suprà dicebamus; non tamen secundum se aliquid contra fidem affirmant; quia nihil per modum indicatiui asserunt; sed optando, aut imprecando, aut imperando. Ita Emericus in Directorio Inquisitorum 2 part. quæst. 41 num. 1. & 2. & ibi Penna commento 66. Bannes quæst. illa 13. art. 1. in fine Vgolinus de casibus Papæ reseruatis 2. part. c. 1. §. 3. num. 1. Petrus de Ledesma 2. tom. summæ Tract. 1. c. 9 concl. 6. Sanch. lib. 2. c. 32. num. 36. Suarius tom. 1. de Religione Tract. 3. lib 1. c. 5. Ex his duabus assertionibus inferre licet quænam Iuramenta contineant blasphemiã.

Expositis duabus assertionibus Infertur quanã Iuramenta continent blasphemiã.

170. Infertur ergo 1. omnium nefandissimam esse blasphemiam, quã seriò iuratur verè, vel falsò per Idola, vel falsos Gentilium Deos, vt per Iouem, aut Mercurium; est enim quoddam Idololatriæ genus, honorem vero Deo debitum tribuere falsis Dijs, &, qui per illos iurat, eo ipso profitetur eos esse summam, ac infallibilem veritatem. Ita Sotus lib 8. de Iustit. q. 2. art. 3. concl. 1. Alcozer in summâ c. 15. Suarius tom. 1. de Religione lib. 1. c. 6. num. 13. Sanch. lib. 2. summa c. 32. num. 9. estque blasphemia hæreticalis de se, vt ait Sotus. Dixi autem *seriò*, quia, vt notant Alcozer, & Sanch. si causa ioci, vel irrisionis fiant talia Iuramenta non sunt Iuramenta, neque blasphemiæ, neque peccata, vt diximus dub. 1.

Infertur 1. omnium nefandissimã esse blasphemiam quã serio iuratur per idola &c.
Sotus.
Suarius.
Sanch.

171. Infertur 2. ob eandem rationem esse blasphemiam iurare vero Iuramento, ac formali per quamcunque creaturam sistendo in eâ, & non, vt in eâ Deus relucet; esset enim tribuere illi summam & infallibilem veritatem. Ita D. Thomas quæst 89. art. 6. Sotus lib. 8. q. 1. art. 6. concl. 2. & vno verbo omnes Authores; quia, vt vniuersim docuerat D. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. ad tertium aperta blasphemia est quotiescunque creaturæ tribuitur quod est proprium Dei, vt, si quis dicat: diabolum esse omnipotentem, aut dicat fatum regere omnia. Reddit autem illic rationem D. Thomas; quia eo ipso attribuitur Deo, quod ipsi non conuenit; cùm enim vniuersa attributa sint ipse Deus; tribuens creaturæ id attributum dicit creaturam esse idem cum Deo. Aut certè potest etiam reddi ratio cum Valentiâ q. 13. punct. 1. quia tribuens id attributum creaturæ, dicit eo ipso non esse Deo proprium, sed commune cum creaturâ, ac proinde blasphemus est vtpote qui Deo negat, quod ei est proprium.

Infertur 2. esse blasphemiam iurare vero Iuramento per creaturam secundum se.
D. Tho.
Sotus.
Ratio.

172. Rectè autem notant Azor tom. 1. lib. 9. c. 28. q. 3. & Sanch. lib. 2. c. 32. num. 34. huiusmodi crimen solere committi à lasciuis fœminarum amatoribus, quas ita ardenter amant, & immodicè laudant, vt blasphemantes nominibus Dei propriis eas appellent. Atque adeò hæc de se videtur hæreticalis blasphemia. *De se* (inquam) nam ex defectu animi interioris, (qui semper solet deesse) poterit non esse hæresis, aut hæreticalis blasphemia.

173. Rectè etiam monent Corduba in summa q. 62. Ludouicus Lopez 1. part. cap 282. versic 7. corrigendos esse communiter eos, qui in infortuniis contingentibus dicunt: *sic tandem futurum erat:* est enim propositio de se malè sonans; nam, si velint significare fato regente id

Propositio de se malè sonans.

necessario euenire, vt Gentiles putabant, aut præscientiam, aut ordinationem diuinam imponere necessitatem absolutam hominibus, vt hæretici dixerunt erit propositio hæretica. In alio tamen sensu vera, & Catholica est propositio, nempe, si intelligatur non de necessitate absolutâ tollente contingentes euentus, & libertatem humanam; sed de necessitate conditionali, & ex suppositione, quam Theologi vocant necessitatem consequentiæ, seu necessitatem consequentem, quâ omnia præuisa, ac præordinata à Deo necesse est euenire.

174. Infertur 3. blasphemiam esse dicere: *non Credo in Deum*, nego, vel *renego Deum*, vel *Crucem* vel *Chrisma* vel *intemeratam Deiparæ Virginitatem*. Sic habetur in legibus Hispaniæ. Leg 5. tit. 4. lib. 8. nouæ recopilationes, & fatentur omnes Authores easque esse hæreticales blasphemias docent Roxas de Hæret. 2. p. assertione 12. num. 170. Salcedo in Practica Bernardi Diaz c. 110. Azeuedo lib. 8. comcopilationis tit. 4. l. 1. num. 3. Rodriguez c. 34. num. 1. Suarius tom. 1. de Religione Tract. 3. lib. 1. c. 5. num. 7. Rationem verò reddunt quia ea verba per modum Indicatiui important fidei abnegationem, quod verissimum est, quando absolutè dicuntur, & non per modum Iuramenti; atque in eo sensu videntur loqui prædicti Authores.

Infertur 3. blasphemiã hæreticalẽ esse dicere non credo in Deum &c.

175. Eâdem ratione censentur blasphemiæ hæreticales in omnium sententiâ illa in quibus negatur aliquod attributum Dei, vt *Deus est iniustus, mendax*, aut *acceptor personarum*, aut *crudelis*, vel *malè prouidus*, vel *non curans nostra* similesque locutiones.

Item quando negatur aliquod Attributũ Dei.

176. Quando verò de Sanctis renegatur communiter Authores non disputant; an sit blasphemia hæreticalis. Sanch. tamen lib. 2. cap. 32. num. 36. putat non esse; quia non negatur aliqua veritas de illis pertinens ad fidem; sed tantùm esse verbum contumeliosum in Sanctos; additque de iis, qui talia verba effutiunt non cognoscere inquisitores; idque testatur se ab ipsismet accepisse. Contra hoc tamen videtur facere, quòd, qui renegat de aliquo Sancto Canonizato, videtur negare illum esse Sanctum, quod est contra magis communem, & omnino veram sententiam, idque maximè apparet; quando renegatur de S. Petro vel alio Apostolo quod est contrà totius Ecclesiæ professionem, & sensum imò contra scripturam, vbi Apostolis ipsis promittitur vita æterna.

Quid dicendum quando Sanctis negatur quod eis competit.

177. Sed quid dicemus, quando sub conditione, & per modum Iuramenti prædicta verba proferuntur? vt *non credo in Deum* vel: *renego Deum* vel: *Deus est iniustus, si res hæc non est vera*, vel, *nisi te percussero?* Salazar de vsu & consuetudine c. 5. num. 28. putat non esse verba blasphema; quia conditionalis nihil ponit in esse.

Quid dicendum quando prædicta verba sub conditione & per modum Iuramenti proferuntur.

178. Nihilominus omnino verum est esse blasphema; quia fidei diuinæ denegatur omnimoda firmitas significando illam veritatem esse; quasi pendentem ex conditione contingente; ibique includitur tacita affirmatiua propositio negandæ fidei, vel Iustitiæ diuinæ in euentu, quo non sequatur vindicta illa percussionis vel, non sit veritas illius rei, quam tunc affirmat. Ita Couarruuias de Pactu 1. p. §. 7. nu. 8. versic. 2.

Vera responsio.

Cante-

Cantera quem refert & sequitur Azebedo lib. 8. *recopil.* tit. 4. l. 1. num. 14. Roxas de Hæret. p. 2. assertione 12. num. 173. & 174. Alcozer in summa cap. 15. Cordu. q. 61. Ludouicus Lopez 1. p. c. 282. Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 14. & eodem argumento probatur, non tantùm esse blasphemiam; sed etiam hæreticalem quantum est ex se; quantum (inquam) est ex se; quia communiter deest animus, & assensus interior, quod ex ipso modo proferendi ea verba solet colligi, vt notat Cordu. suprà Sotus lib. 8. quæst. 2. art. 3. concl. 1.

Quid si nō nominetur Deus vel Sanctus.

179. Quando autem non nominatur Deus, vel Sanctus, sed tantum dicitur Hispanicè *reniego de tal, pese à tal, por vida de tal* constat pendere ex intentione proferentis; an sit blasphemia; nec ne; nam si nomine *tal* intelligat Deum vel Sanctos erit blasphemia, secus autem non. Ita Petrus de Ledesma tom. 2. tract. 1. cap. 9. post 5. conclusionem dub. 1. Ludouicus Lopez suprà versic. 4. Rodriguez cap. 34. num. 2. Sanch. suprà num. 23. qui addunt in foro externo iudicandam esse intentionem ex coniecturis, vt, si vir effrenatæ conscientiæ, ac iracundiâ furens eleuansque oculos in cælum hæc dicat; præsumetur ea dicere contrà Deum.

In foro externo iudicanda intētio Iurandi ex coniecturis.

180. Meritò etiam inter blasphemias numeratur in citatâ lege 5. Regni Castellæ dicere: *no ha poder en Dios, non est potestas in Deo*, quia potestati Dei aduersatur; atque adeò hæreticalis blasphemia de se est. Ita Azebedo in eâ lege n. 4. Couarruuias suprà nu. 9. Menochius de Arbitr. lib. 2. Centuria 4. casu 375. num. 4. Decianus de *Delictis* tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 6. Azor lib. 11. c. 3. q. 2. Temperant tamen hoc Decianus, & Menochius; nisi ea verba proferantur super rebus, quæ nulli potentiæ subiacent; quia ipsæ in se fieri non possunt, vt, si quis dicat: in Deo non esse potentiam, vt faciat præteritum non fuisse, vel duas contradictorias esse veras, tunc enim nihil falsum, sed verissimum dicit.

Hæreticalis blasphemia.

181. Azebedus verò referens Socinum citato lib. 8. recopil. tit. 4. l. 6. num. 40. adhuc putat in eo casu esse blasphemiam; quia ea verba contumeliam continent, & diminutionem.

182. Nihilominus omnino verum est non continere vllam diminutionem, nec enim tunc oritur ex defectu diuinæ potentiæ; sed, quia illa factibilia non sunt, cùm inuoluant contradictionem; atque hoc modo loquendi frequenter sine vllo scrupulo vtuntur Theologi pariter, & Philosophi in scholis.

183. Hoc dixerim, quantum verba ex se sonant, quia, si ex modo dicendi, & ex circumstantiis in contumeliam, & diminutionem diuinæ potentiæ proferantur, procul dubio blasphema erunt verba; eritque tunc falsitas in modo dicendi, quod sufficere ad blasphemiam diximus in 1. assertione; atque in eo casu vera est doctrina Azebedi, vt rectè notauit Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 16.

Infertur 4. quæcunque maledicta prolata in Deū & Sāctos quatenus in

184. Infertur 4. quæcunque maledicta prolata in Deum & in Sanctos, quatenus in Deum redundant esse blasphemias; quia Deo, aut Beatis nullum malum contingere potest. Ita Couar. §. illo 7. num. 8. Simancas de *Cathol. Instit.* tit. 8. nu. 1. Valentia disp. 1. q. 13. punct. 1. in fine Azor lib. 9. c. 28. q. 4. Suarius tractat. illo 3. lib. 1. c. 4. num. 7. Sanch. lib. 2. c. 32 à num. 12. ac proinde meritò in citatâ lege 5. lib. 8. tit. 4. *noua recopil.* omnia hæc inter blasphemias computantur, scilicet: *mal grado haia Dios* latinè *malum Deo contingat. à despecho de Dios pese ie Dios, à pesar de Dios* latinè *Deum tædeat, Deo displiceat*, atque idem est, vt ait Tolletus lib. 4. summæ c. 13. si quis dicat: *etiamsi Deus nolit*, similesque locutiones.

Deum redundāt esse blasphemias.

Ratio.

Couar. Valentia. Suarius.

185. Menochius tamen de Arbitr. lib. 2. centuria 4. casu 375. num. 11. ait aduertendum esse super quo facto talia verba proferantur: nam, si factum est illicitum, non erit (inquit ille) blasphemia, quod tædeat Deum hunc fornicari: quia cum id peccatum Deo displiceat, nihil tribuitur Deo, quod ei non conueniat.

186. Nihilominus iuxta dicta præcedenti illatione omnino spectandus est animus, seu modus dicendi, si enim is redundet in Dei contumeliam, & eius honoris diminutionem: procul dubio erit blasphemia: si verò non redundet, nec aliquid falsum dicatur: non erit peccatum. Vnde, vt rectè Sanch. suprà. num. 18. si quis diceret: *quamuis hoc sit peccatum*, vel *Deo offensa, nihilominus sum facturus*, non esset blasphemus: quia id tantùm significat solam iniquam peccandi voluntatem: non verò diminutionem aliquam potentiæ, aut attributi diuini. Si tamen quis diceret, *velit, nolit Deus, hoc sum facturus*, procul dubio blasphemus est: quia licet peccatum diuinæ repugnet voluntati ea tamen verba diminutionem diuinæ potentiæ significant, quasi Deus non possit impedire. Vnde non rectè Baldus Felinus, Alex. & Angelus, quos refert Couar. suprà excusant à blasphemia illa verba Hispanica: *à despecho de Dios*; quia nihil aliud significant quam, velit nolit Deus, vt rectè notarunt Toletus, & Sanch. suprà. vnde semper sunt blasphema, vt docet Couar. & omnes alij Authores communiter contra prædictos.

Dicere, velit nolit Deus, hoc sum facturus: blasphemia est. Ratio.

187. Dixi in illatione etiam maledicta in Sanctos esse blasphemias: quatenus redundant in Deum: quia, si quis expressè præscinderet habitudinem ad Deum, quamuis esset peccatum contra virtutem duliæ: non tamen esset propriè blasphemia, vt cum Valent. & Vasquez docet Sanch. lib. 3. c. 32. num 7. in fine & nu. 27. contra Suarium tom. 1. de Religione Tract. 3 lib. 1. c. 5. num. 6. qui putat in omni blasphemiâ contra Sanctos semper esse malitiam contra duliam, & vltra illam, etiam contra latriam: quia ad hanc sufficit (inquit) voluntas indirecta talis obiecti, quod de se cedat in opprobrium Dei, quod satis probabile est. quamuis probabilius oppositum.

Notandum quoad doctrinam Illationis quartæ.

188. Quod si non expressè præscindatur habitudo ad Deum, quæcunque contumelia dicta in Sanctos, erit blasphemia: quia, vt optimè probat ibi Suarius ad id sufficit virtualis habitudo contenta in quocunque vituperio Sanctorum. Nam (vt docet D. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. ad 2.) sicut Deus in Sanctis suis laudatur: quando laudantur opera Sanctorum. Ita contumelia in Sanctos redundat in Deum, qui in ipsis relucet, & sicut, vt religiosè per Sanctos iuretur vero, & proprio Iuramento, non opus est expressa habitudine ad Deum: sed satis est virtualis:

Quæcūque contumelia dicta in Sāctos erit blasphemia, si non expressè præscindatur habitudo ad Deum. Ratio.

tualis: quæ in ipsis continetur: ita dicendum est in blasphemiâ, quando ipsi vituperantur.

Imo maledictio in creaturas etiam irrationales prolata in quantum Dei creaturæ sunt est blasphemia. Ratio.

189. Imo verissimum puto; quamcunque maledictionem in creaturas, etiam irrationales prolatam in quantum Dei creaturæ sunt esse blasphemiam: quia maledicere illis sub eâ ratione est maledicere creatori. Ita S. Thomas 2. 2. q. 76. art. 2. ab omnibus receptus, quod etiam locum habet in creaturis rationalibus, si sub eâdem ratione maledicerentur, vt rectè Toletus l. 4. c. 13. & Sanch. suprà nu. 14.

190. Ob eandem rationem maledicta, seu vituperia dicta in qualscunque res sacras, sunt blasphemiæ, vt docuit Corduba in quæstionibus lib. 1. q. 17. §. 15. in principio, & Sanch. suprà num. 22.

Idem dic si quis illudendo nominet quodcunque Dei Attributum.

191. Debet etiam inter blasphemias connumerari, nominare quodcunque verum Dei attributum vt potentiam, sapientiam & similia conuitiando, vel illudendo; quia est falsitas in actu exercito, seu in modo significandi. Illa, enim Deo conueniunt, non vt conuitio digna, aut irrisione; sed, vt dignissima omni laude, & gloriâ. ita Caiet. 2. 2. q. 13. a. 1. Sanch. suprà n. 21.

Infertur 5. iurare per Dei vitam, vel Sanctorum esse blasphemiam. Ratio.

192. Infertur 5. iurare *per Dei vitam*, vel *Sanctorum*, esse blasphemiam; quia non est idem quod iurare *per Deum viuum*, vt cum dicimus *viuit Deus*; sed ex communi vsu Iuramentum est Exsecratorium cuius sensus est: *amittat Deus vitam, si hoc ita non est*. ita docent omnes Authores citati, quos in particulari refert, & sequitur Sanch. lib. 2. c. 32. num. 25. Idemque dicendum esse de Iuramento facto per vitam Sanctorum, docent Alcozer c. 15. Ludouicus Lopez 1. part. c. 282. Azebed. in legem 6. num. 36. tit. 4. lib. 8. recopil. & Sanch. num. 26. qui reddit rationem, quia ex modo iurandi falsò tribuitur Sanctis posse vitam amittere: potissima tamen & germana ratio est; quia redundat in Deum; qui relucet in suis sanctis.

Ratio potissima.

Infertur 6.

193. Infertur 6. esse blasphemiam iurare per membra pudenda Christi, aut Sanctorum, illa inhonestè nominare; quia licet re verâ ea membra habeant; non tamen, tanquàm quid ignominiosum, & vituperabile; sed tanquàm partes naturales corporis; atque ita ex modo loquendi falsitas est iuxta sæpè dicta. Ita Caiet. q. 13 art. 5. Sotus lib. 8. q. 2. a 3. Angelus *Iuramentum* 3. nu. 12. Armilla *Iuramentum* nu. 5. Nauarrus c 12. nu. 85. Couar. de Pactis 1 part. §. 1. nu. 6. Castro lib. 1. de *iustâ Haret. punit*. cap. 12. Simancas tit. 8. num. 1. Azebedo in citata lege 6. num. 55. Suarius lib. 1. de *blasphemiis* c. 4. num 8. & 9. Valent. disp. 1. q. 13. punct. 1. Corduba lib. 1. quæstionum q. 17. §. 15. not. 1. Azor lib. 9. c. 28. q. 3. & lib. 11. c. 3. q. 2. Sanch. lib. 2. c. 32. num. 28. neque contrarij sunt Syluester verbo *Blasphemia* q. 2. & 3. & Iuramentum 2. in fine. Rodriguez in summâ c. 34. nu. 2. quamuis enim dicant non esse verè, & propriè blasphemiam; sed tantùm, quoad modum; nihilominus fatetur Syluester esse peccatum mortale, & tantùm intendunt vterque Author dicere non esse ex blasphemus illis, quæ tribuunt Deo, aut Sanctis quod non habent; sed ex illis, quæ falsitatem continent, quoad dicendi modum.

194. Dubitari autem potest; an sint blasphemiæ iurare *per caput*, *corpus* aut *sanguinem Christi* vel *Sanctorum* aut *per alia eorum honesta membra* nam lex illa 6. tit. 4. lib. 8. recopil. censet esse blasphemiam, & pœnis blasphemi iubet plecti sic iurantes; atque ita docent Sotus, Menochius, Azebêdo, & alij plures, quos refert Couar. de Pactis 1. part. §. 1. nu. 6. quibus ipse § 7. num. 9. assentitur, quando quis est assuetus his iuramentis; si tamen non sit consuetudo, nec contemptus tantùm putat esse veniale, quod docet etiam Angelus Iuramentum 3. nu. 12.

An sit blasphemia iurare per caput, corpus aut sanguinem Christi, vel Sanctorum. Affirmant Sotus. Couar. & alij.

195. Omnino tamen verum puto non esse blasphemiam quia id nullo modo cedit in contumeliam; aut ignominiam Christi, aut Sanctorum, & cum omni reuerentia nominari possunt illa; neque sensus eorum verborum est exsecratorius (vt vult Couar.) sed simplex, sicut, quando iuratur *per Deum*; *per S. Sacramentum*; *per Euangelia, per Sanctos*. Ita Caiet. Armil. Nauarrus, Alcozer, Ludouicus Lopez, Toletus, Ledesma, Rodriguez, & Valentia suprà. imo, si hæc Iuramenta reuerenter fiant cum cæteris requisitis ad iurandum; nec culpa venialis erit; vt expressè tradunt D. Antoninus 2. parte tit. 10. c. 4. Syluester *Iuramentum* 2. in fine. Tabiena verbo *Iurare* q. 5. num. 6. Valentia tom. 3. disp. 6. qu. 7. punct. 3. columna 4. Sanch. lib. 2. c. 32. num. 29. qui addit etiamsi sit frequens consuetudo non esse mortale; sicut nec alia Iuramenta ex ea sola prauâ consuetudine mortalia redduntur. In eo tamen casu esset blasphemia & peccatum mortale, si iniuriosè, & per modum vituperij, aut contemptus iuraretur per ea membra, vel absque Iuramento nominarentur; sicut de veris attributis diximus illatione 4. circa finem; & docent Toletus lib. 4. c. 13. nu. 6. Suarius tom. 1. tract. 3. lib. 1. c. 6. nu. 11. Sanch. nu. 29. & in hoc casu intelligitur loqui caput *si quis* 22. quæst. 1. & lege illa 6. recupil. citata.

Verior sententia negatiua. Ratio.

Imo tale Iuramentū poterit fieri sine peccato.

Quandoque tamen poterit esse mortale.

196. Non sunt autem computanda inter blasphemias verba; quibus membra Christi honesta nominantur, cum indignatione quâdam, & ira, vt contingit, quando aliquis Hispanus in iurgio dicit alteri: *cuerpo de Dios con vos* (quamuis Suarius oppositum ibi dicat) Ratio verò nostra est; quia, licet irreuerenter dicantur ea verba, & ob id intra latitudinem peccati venialis sint peccatum; non leue; non tamen dicuntur per modum contumeliæ, & iniuriæ Deo irrogatæ; nec aliquid falsum Deo attribuitur, ita docent Caiet. in summa verbo blasphemiæ, & ibi Armilla num. 1. Nauarrus c. 12. num. 85. Alcozer c. 15. Ludouicus Lopez suprà; hoc tamen intelligendum; quando ira & indignatio erga illum tantùm est, cum quo contenditur; nam si indignatio sit aduersus Deum ea verba erunt blasphemia, vt optimè docuit Valentia tom. 3. disp. 1. q. 13. punct. 1. & Sanch. suprà num. 30. Sotus de Iuramentorum abusu cap. 6. temperans id quod c. 4. dixerat, scilicet, illa verba proximè accedere ad blasphemiam, atque idem putat de illis verbis *o fides Dei*, *cum tali homine*, scilicet dicta ad eum modum, quo Gentiles implorantes Deorum fidem aiebant. *Dij vestram fidem*. Et eodem modo videtur sentiendum de illis verbis Hispanicis *pieguete à Dios con vos*. Nec enim erunt blasphema; nec venialem culpam excedent, nisi

ira

ita concipiatur in Deum; vt rectè Sanch. suprà nu.17.in fine.

Iurare per intemeratā Deiparæ Virginitatem putant multi esse blasphemiam.

197. Iuramentum verò *per intemeratam Deiparæ Virginitatem* multi appellant Iuramentum nefandum, & videtur sentire esse blasphemiam; ita Sotus lib.8.q.2.a.3 Couar. de Pactis part.1. §.7.num.9. Azebedo lege 5.num.13. atque esse omnino blasphemiam affirmat Menochius casu illo 375.num.15. imo Couar. testatur in Regno Castellæ Regia quâdam pragmaticâ cautum esse, vt hoc Iuramentum puniatur tanquam blasphemum, redditque rationem; quia sensum facit exsecratorium. Sotus verò; quia videtur ignominiosè mentio fieri membri pudendi Beatæ Virginis.

198. Nihilominus puto neutrum sensum in eo Iuramento contineri, sed tantum in testem adducitur ea veritas diuina Virginitatis Mariæ; sicut quando iuratur *per fidem Catholicam* in vniuersum, vel per aliquem alium articulum fidei; vnde neque id Iuramentum blasphemum est neque nefandum; imo, si reuerenter cum cæteris requisitis iuretur; nulla culpa est, sicut, neque in cæteris aliis Iuramentis sic factis. si autem fiat cum irreuerentia erit culpa grauis vel leuis pro ratione irreuerentiæ. Ita Sanch. suprà n.32.

Verū omni culpā caret si reuerēter & cum requisitis iuretur. Sanch.

Infertur 7. ab aliquibus.

199. Infertur 7.ab aliquibus esse blasphema illa verba: *sicut viuit Deus, sicut Deus est veritas, sicut Deus est Deus, sicut Deus natus est de Virgine. ita hoc quod dico verum est*, probant, quia in illis æquatur veritas humana veritati diuinæ. ita Couar. de Pactis 1. part. §.9. Suarius citato cap.6. nu.12.Sotus de *Iuramentorum abusu* cap.6.quamuis mitius locutus fuerit lib. 8. de Iustitiâ q. 7. art.3. columna 7. dicens proximè ad blasphemiam accedere.

Probabilius adhibenda distinctio est.

200. Probabilius tamen videtur distinguendum esse si animus proferentis sit, tantam esse certitudinem in eo dicto, quanta est in eâ fidei veritate esse omnino blasphemiam hæreticalem, secus verò, quando sensus est significare similitudinem quandam nimirum hoc suo modo est verum, sicut ea veritas fidei vera est. Ita Bartholomæus à Medina in summâ c.14.§.2. Alcozer c.15. Azor lib. 11. c.3. in fine Petrus de Ledesma tom.2.Tract.1.c.9. post 5. conclusionem dub.2. Rodriguez c.34.nu.2. Azebedo lege 6. num. 38. & sequenti. Ludouicus Lopez 1. part. c.282. Sanch. lib.2.c.32.num.31.

201. Idem iudicium est de his verbis: *hoc quod dico est Euangelium* vel *quod dico credi potest, tanquam Euangelium*: est enim eadem ratio. ita Azebedo, Lopez, Azor, Sanch. citati, qui duo addunt idem esse dicendum, quando quis ait: *innocens sum in hac re sicut S. Franciscus.*

202. Sed adhuc dubitandum superest; an hæc omnia sint absolutè iudicanda blasphema, & ex se talia præsumantur; nisi constet de sanâ proferentis intentione? id enim affirmat Azebedo num. 40.

203. Probabilius tamen videtur oppositum quia non præsumitur animus adæquandi omninò, nec communiter accipiuntur in eo sensu verba; sed velut hyperbolica locutio, quâ exaggeratur illius dicti veritas, vel personæ innocētia. Ita Sanch. suprà, & indicant Alcozer, & Lopez citati dum dicunt hanc esse communiter intentionem loquentium, & idem Sanch. & Alcozer addunt rectè, non esse lethalem culpā.

204. 8. inferri posset ab aliquo fortassè, omne periurium esse blasphemiam, eo quod peierans Deum adducat in testem falsitatis, quod ipsi conuenire nequit.

205. Contrarium nihilominus sentiendum est cum D. Thom. 2.2.q.13.a.3.ad 2. quia peierans non dicit aliquid falsum de Deo, sed Deum adhibet in testem falsitatis, non, quasi æstimans Deum posse falsitatis testem esse aut id volens ei attribuere; sed, tanquàm spetans fore, vt Deus non testificetur per aliquod euidens signum; & ita habet solam intentionem occultandi veritatem.

Non omne periurium est blasphemia.

206 Assero 3. omnes blasphemiæ prædictæ sūt eiusdem speciei infimæ in ratione blasphemiæ; atque adeò non tenetur Confessarius in confessione diuersitatem blasphemiarum inquirere, nec pœnitens eam explicare pro declarandâ earum diuersitate specifica, cum omnes sint eiusdem speciei. Omnes enim in hac ratione formali conueniunt quæ est tribuere Deo (saltem in actu exercito, & in modo loquendi) quod illi non conuenit, vel negare per modum conuitij, quod illi conuenit. Ita Caiet. in summâ verbo *Blasphemia* & in 2.2.q.3. a.1. Arragon. ibidem in fine. Bannes not. vltimo ad eundem articulum. Petrus de Ledesma tom.2. Tract 1.c 9.concl.5. Valentia tom.3.disp.1.q.13.punct.1.Azor lib.9. c.28.q.10. Sanch. lib.2. c.32.nu.38.

Assertio 3. omnes prædicta blasphemia sūt vnius speciei infimæ in ratione blasphemiæ. Ratio.

207. Dixi *in ratione Blasphemiæ*, quia non negatur ab his Authoribus, nec sanè potest negari accrescere posse blasphemiæ malitias aliarum specierum, quæ necessariò erunt explicandæ in confessione. Ex quâ doctrina pro praxi nonnulla inferre licet.

Cur dictū sit in ratione blasphemiæ.

208. Infero 1. si blasphemia sit hæreticalis necessariò debere explicari in confessione; quia differt specie à non hæreticali; non quidem in ratione blasphemiæ; sed ratione hæresis adiunctæ quod etiam verum est; quantumuis deficiat assensus internus hæreticus: nam illa hæresis externa opponitur confessioni externæ fidei directè, & propriè: blasphemia verò directè, & propriè opponitur Religioni iuxta dicta in 1. assertione circa finem: erunt ergo duo peccata specie diuersa, & diuersis specie virtutibus opposita, vt rectè Suarius tom.1. de Religione Tract. 3.lib.1.c.6.nu.8. & 18. Sanch. suprà, & alij.

Hinc Infertur 1. si blasphemia sit hæreticalis debere hanc circumstantiam confiteri. Ratio.

209. Infero 2. si blasphemia ex odio Dei formali processerit: necessariò explicandum esse in confessione, quia vltra malitiam blasphemiæ adest etiam formale Dei odium Charitati oppositum. At, vbi non ex tali odio processerit, sed ex ira, aut tædio etiamsi blasphemus haberet animū derogandi diuinæ maiestati, atque ipsi conuitia illa inferendi: non esset distincta species blasphemiæ, quamuis hæc esset multò grauior intra eandem speciem, quia, vt diximus in 1. assertione hæc iniqua voluntas siue formalis, siue virtualis, & implicita est de ratione blasphemiæ, ac proinde diuersam speciem non constituit, vt rectè Sanch. suprà n.38. in fine.

Infertur 2. Idē dicendū si ex odio Dei formali processerit.

210. Infero 3. explicari debere in confessione an blasphemia fuerit contra Deum directè, & immediatè, vt *perijt eat Deum per vitam Dei maledictus*

Infertur 3. in cōfessione explicari debere an

blasphemia fuerit contra Deum directè & immediatè. An verò tantum remotè. Suarius. Sanch. Ratio.

ledictus sit Deus; an tantùm mediatè, & remotè, vt *per vitam D. Petri maledictus sit D. Petrus.* Ita Suarius tom.1. de Religione tract.3 lib.1 c.6. in fine, & Sanch. suprà num.39. qui probant: quia blasphemia in Sanctum præter speciem blasphemiæ propriè in Deum habet etiam aliam specificam malitiam contra cultum duliæ debitum Sanctis secundum se: nam in blasphemia prolata in Sanctum non tantùm inhonoratur Deus, qui in illo Sancto relucet: sed etiam persona ipsius Sancti afficitur contumeliâ, quod negari non potest.

Dicet aliquis.

211. Sed dicet aliquis: quamuis quis iuret falsum per D. Petrum, vel alium Sanctum vnam tantùm malitiam periurij contra latriam contrahit, ergo etiam, qui conuitium dicit in Sanctum vnam tantùm contrahet malitiam blasphemiæ contra Deum?

Resp. In Iuramento per Sanctũ solus Deus adducitur in testem. At cũ dicitur blasphemia in Sanctum hic iniuriâ afficitur.

212. Respondetur negandam consequentiam in Iuramento per Sanctum solus Deus, qui relucet in Sancto adducitur in testem: ipse verò Sanctus solùm materialiter se habet: sicut, cùm iuratur *per Cælum per Crucem* vel *Sacramenta.* Quando verò dicitur blasphemia in Sanctum, ipse Sanctus iniuriâ afficitur, & inhonoratur: ac proindè non se habet tantùm materialiter, sicut in periurio, & Iuramento.

Doctrina Caietani.

213. Notant verò Caiet. 2.2.q.13.a.1. in fine, quem sequuntur Bannes, Ludouicus Lopez, & Petrus de Ledesma blasphemiam in Deum, & in Sanctos non differre specie: confessarium verò teneri ad inquirendam diuersitatem harum blasphemiarum, non pro diuersitate specificâ: sed pro maiori notabili grauitate: quia notabiliter grauior est, quæ dicitur in Deum, quàm, quæ dicitur in Sanctos.

Non placet quia supponit circũstantias notabiliter aggrauantes esse necessariò confitendas.

214. Hæc tamen doctrina ex duplici capite mihi displicet: primò: quia supponit circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem esse necessariò explicandas in confessione: cuius oppositum diximus suo loco agentes de Sacramento pœnitentiæ. Secundò: quia supponit blasphemiam in Deum, & in Sanctos non differre specie, quod omninò puto falsum, &, quamuis specie non differrent, si fortè in vno actu concurrerent vt nuper dicebamus de blasphemia dicta in Sanctum: saltem duæ blasphemiæ sunt, vna in Sanctum, & altera in Deum, quæ numero saltem distinguuntur in illo actu penes diuersas personas inhonoratas, Sanctum scilicet, & Deum, quæ ratio specificam quoque diuersitatem probat.

Blasphemia in Beatã Virginem est grauior illa quæ fit in Sanctos.

215. Præterea quamuis diceremus esse eiusdem speciei: si sequeremur opinionem, quæ docet circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem esse explicandas; necessè etiam esset explicare; an blasphemia fuerit in Beatam Virginem, vel in alios Sanctos, quia illa est multò grauior, vt notant Arragon, & Sanch. suprà. Atque etiam esset explicandum, an blasphemia fuerit dicendo: *per vitam Dei* vel *pœniteat Deum,* vel *per membra pudenda.* Item; an fuerit absolutè prolata, vel tantùm conditionaliter, & per modum Iuramenti, vt cum multis docet Sanch. suprà.

216. Cum verò sequamur sententiam, quæ neget circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem esse necessariò exprimendas; solum in triplici cum suprà posito in tribus illationibus erit obligatio explicandi in particulari qualitatem blasphemiæ; atque ita Philosophandum esse iuxta hanc sententiam docuit Sanch. suprà.

Notandum quandoque simul in Iuramento occurrunt, blasphemia & periuriũ quorũ malitia specie differunt.

217. Notandum etiam est, si blasphemia, quæ simul est Iuramentum adducatur ad testificandum falsum, ibi præter malitiam blasphemiæ esse etiam malitiam periurij; quæ duæ specie distinguuntur, vt rectè tradit Suarius citato cap. illo 6. num. 16. Si tamen Iuramentum ratione modi iurandi continens blasphemiam non cadat suprà mendacium, satis est explicare malitiam blasphemiæ, quæ mortalis est in ratione blasphemiæ, id est, contumeliæ, & conuitij in Deum; nam sub ratione præcisè Iuramenti non est ibi mortalis malitia, vt notat ibidem Suarius.

Assertio 4. in blasphemia nõ datur paruitas materiæ excusans à mortali. nec in Iuramento. Ratio. D. Tho. Excusat tamen à mortali defectu deliberationis defectus. Caietanus. Bannes. Arragon. Blasphemia etiam ioco prolata est mortale. Limitat. Sanch.

218. Assero 4. blasphemia non excusatur à mortali ratione paruitatis materiæ; sed ex solo plenæ deliberationis defectu, sicut in periurio non datur paruitas materiæ; sed ex defectu plenæ deliberationis tantùm, potest esse veniale. Ratio est; quia qualiscunque contumelia in Deum est grauissima; quod apertè colligitur ex D. Thoma 2. 2.q.13.a.2.ad 3. vbi solùm excusat à mortali blasphemiam ob deliberationis defectum, docentque expressè Caiet. in summa verbo blasphemiæ, Bannes, & Arragon ad eundem articulum D. Thomæ. Valent q. illa 13. punct. 1. not. 6. Ledesma tom. 2. summæ Tract. 1. cap. 9. post 7. conclusionem. Ludouicus Lopez c. 282. Suarius citato cap. 6. num. 2. Sanch. lib. 2. ca. 32. num. 40. qui num. 41. etiam ait cum Nauarro cap. 12. num. 84. etiamsi ioco dicantur verba blasphemiæ esse mortale; nec enim leuis iniuria est. v. g. nominare ioco membra pudenda Christi, aut Sanctorum, vel dicere *pudeat illos,* aut *reuege;* nisi talis esset iocus (ait Sanch.) vt tollat omnimodam rationem irreuerentiæ atque adeo blasphemiæ.

219. Addit etiam Sanch. num. 42. in casu, quo blasphemia in Sanctos non proferretur in Sanctos formaliter, quatenus Sancti sunt, sed materialiter, vt homines sunt, tunc ratione paruitatis materiæ posse esse veniale peccatum, vt, si quis ioco diceret Sanctum Crispinum fuisse sectorem, aut Sanctos Protum & Hyacinthum fuisse Eunuchos, in quo etiam consentiunt Bannes, Arragon, & Ludouicus Lopez.

Assertio 5. blasphemia licet grauissimis pœnis puniatur non tamen habet censuram annexam ipso facto. Ratio. Nec est reseruata Papæ in ratione blasphemiæ. Obiectioni occurritur.

220. Assero 5. blasphemia, quamuis grauissimis pœnis puniatur in Iure Ciuili, & Canonico non tamen habet annexam censuram aliquam ipso facto; quia in Iure nulla legitur. Vnde etiam constat, nullam blasphemiam in ratione blasphemiæ esse reseruatam Papæ; quia hæc reseruatio non solet, fieri sine annexâ censurâ; nec etiã est reseruata Episcopo ex vi Iuris communis; quia nullibi ea reseruatio reperitur. Nam in capite statuimus de maledicis, quod citari solet, non est sermo de reseruatione in foro pœnitentiæ; sed de pœnâ in foro contentioso, vt latè probat Suarius de Pœnit. tom. 4. disp. 29. sect. 3. num. 10. & tom. 1. de Religione tract 3. lib. 1. c. 7. nu. 2. & Nauarrus c. 27. num 262. cum Angelo, & aliis, & præter alia argumenta id

probant

probant ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess.9. §. *ad abolendam*, vbi supponitur confessarios ordinariùs posse absoluere ab hoc peccato; præcipitur tamen illis, ne absoluant, nisi grauissimâ pœnitentiâ eorum arbitrio impositâ, verum neque ad hoc est decretum illud vsu receptum, ac proinde, neque hodie obligat, vt docent Armilla verbo blasphemiæ in fine: Sà nu. 2. Azor lib.9.c.28.q.9. Suarius suprà Sanch.lib. 2.c.32.num.44.

Dixi in ratione blasphemiæ quia aliud dicendum si sit perfectè hæreticalis.

221. Dixi *hoc peccatum non esse reseruatum in ratione blasphemiæ*; quia, si blasphemia sit hæreticalis cum assensu interiore hæreticali ita, vt completam habeat hæresis malitiam solus Papa, aut Inquisitores possunt ab illo absoluere; quia nec confessarius per bullam cruciatam, vbi hæc habetur, nec Episcopus per Tridentinum possunt absoluere ab hæresi, vt multi volunt, quia decretum Tridentini sess.24. c.6. concedens id Episcopis iam putant reseruatum per bullam cœnæ Domini, quod, an, & quâ ratione verum sit, diximus in nostro opere de Sacramentis, & censuris Tract.10.dub.3. & 4. & maximè dub. 5 vbi id tandem ex instituto explicuimus. Ibi legatur. Si tamen blasphemia hæreticalis non procedat ex assensu interiori hæresis, tunc benè poterit à confessario ordinario absolui; sicut & peccatum externum contra fidei professionem, quando non procedit ex assensu interiori.

222. Dixi etiam non esse reseruatum Episcopis ex iure communi peccatum blasphemiæ; nam, si ex constitutione aliqua synodali id fiat reseruatum non poterit absolui à confessario ordinario. Sed circa hoc consulendæ sunt constitutiones cuiusque Diœcesis in particulari, & vbi bulla cruciata viget, virtute illius poterit absolui à confessario aliàs approbato ab ordinario, sicut & ab iis, qui specialia habent priuilegia ad id, quales esse solent plerumque Religiosi confessarij.

Assertio 6. audientes blasphemiam tenentur illam denuntiare.

223. Assero 6. audientes blasphemiam tenentur illam denunciare idque Inquisitoribus vbi hoc tribunal viget, si blasphemia sit hæreticalis; si verò hæreticalis non sit Iudici Ecclesiastico, vel sæculari denunciandum erit; tale enim peccatum est mixti fori, daturque locus præuentioni, & optio denunciandi. Ita docet Roxas de Hæret. part.2. assertione 12. nu.173. & citato Cantera. Azebedus lib.8.recopil.tit.4. lege 1. nu.14.& alij infrà citandi lateque probat Sanch. suprà nu.47. ex prædicto decreto Concilij Lateranensis, & ex quadam constitutione Iulij Tertij. & ex capite *si quis per capillum* 22.q.1.

224. Quia tamen Inquisitores quotannis, dum edicta sua promulgant, & Episcopi in suis edictis iubent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ blasphemos denuntiare tenentur, qui sciuerint, vel audierint sub eâ pœnâ id facere: seruatis tamen iis, de quibus latè diximus in citato Tract. de Censuris disp. 3. à dubit.41. vsque ad 56. atque adeò seruato ordine correctionis fraternæ, de quo ibidem dubit.45. atque adeò, si blasphemia non sit publica, sed secreta, & speretur fore vt blasphemus correctus fraternè emendetur præmittenda est correctio, & secuto effectu emendationis non est facienda denuntiatio, vt docent Molina in summâ c. 14. §.2. Rodriguez c. 34. nu. 6. Ludouicus Lopez c.282. in fine. Sanch. lib.2.c.32.in fine. contra Azor lib.9.c.28.q.8. & quidem meritò; quia. vt eâdem dubit.45. diximus, solùm in crimine hæresis speciale hoc est, vt non sit præmittenda correctio ob magnum periculum, & difficilimam hæretici correctionem, quia, qui se toti Ecclesiæ opponit, quomodo vnius monitionem audiet? Vtrum hoc ipsum habeat locum in aliquibus aliis delictis maximè in communitate Religiosâ, vbi peccata aliqua timeri possunt, ne serpant, & parum, aut nihil fructus generaliter speratur ex tali secreta monitione; nisi ad superiores res tota deferatur, saltem in foro paterno, & non Iudiciali, idque maximè, si propter bonum commune talis communitatis ipsimet particulares cedant Iuri, quod aliàs haberent, vt priùs priuatim moneantur, quàm deferantur; non est huius loci disputare, vt dicemus in tract. de charitate, & nonnihil diximus in loco citato de censuris. Interim ego puto affirmatiuè respondendum, maximè cum ordo iste correctionis seruandus, & præmittenda monitio præcipuè intelligi debeat ante delationem iuridicam in foro iudiciali; nam de delatione in foro paternali longè alia ratio est. Sed de his alibi dicemus, maximè in tract. de Charitate.

Intellige conclusionem seruato ordine fraternæ correctionis.

Solum in crimine hæresis speciale est, vt non sit præmittenda correctio.

Quod etiam in communitate Religiosa potest habere locum.

DISPVTATIO II.

De Bonitate & Malitia Iuramenti, & de circumstantiis. vt licitè fiat.

EXplicatâ iam naturâ Iuramenti, & verbis ipsum constituentibus examinandum sequitur, an, & quâ ratione licitum sit vel illicitum iurare, aut etiam honestum,

DVBITATIO I.

An Iuramentum sit Actus licitus, & honestus?

Assertio: Iuramentum etiã in lege Euangelica esse licitum de fide est.

1. ASsero fide certum Iuramentum esse licitum etiam in lege Euangelicâ dummodò fiat debitis circumstantiis.

Probatur 1. ex sacrâ scripturâ.

2. Probatur ex sacrâ scripturâ; nam Deuteronomij 6. & 10. dicitur: *Dominum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* & psalmo

psalmo 14. laudatur, *qui iurat proximo suo, & non decipit*, & psalmo 62. dicitur: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.*

2. Sanctorum exemplis.

3. Probatur etiam Sanctorum exemplis, qui aliquando iurabant, vt patet de Abraham, Isaac, & Iacob, Genesis 26. & 32. de Moyse Deut. 3. & 4 Dauid etiam, & cæteri Prophetæ frequenter vtuntur illâ formâ iurandi: *viuit Dominus* & Paulus in suis epistolis sæpè iurauit; nam ad Romanos 1. & ad Philippenses ait *testis enim mihi est Deus* quâ formâ iurandi nulla videtur esse posse expressior, & 2. ad Corinth. 1. *Ego autem testem Deum inuoco in animam meam*, & ad Timotheum *coram Deo & Christo Iesu* & ad Galatas 1. *ecce coram Deo; quia non mentior.*

3. quia Deus ipse iurauit. Augustinus. Hieronymus.

4. Sed quod caput est Deus ipse iurauit. Vnde Augustinus serm. 28. de verbis Apostoli *inuenimus* (inquit) *iurasse sanctos iurasse ipsum, Dominum, in quo non est peccatum; iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, psalmo 109. & Hieronymus in illud Ezechielis 16. *viuo ego dicit Dominus* sic habet; *Dei Iuramentum in veteri testamento erat viuo ego. In nouo verò Amen Amen.* Quapropter Chrysostomus homiliâ 11. in epistolam ad Hebræos, Occumenius, & alij Patres docent toties Christum iurasse quoties eo verbo vsus fuit.

5. Angelus etiam iurauit *per viuentem in secula seculorum* vt constat in Apocalypsi, quâ de re latè agit Suarius. c. 14. à nu. 7.

Hanc assertionem suâ probant. Suarius. Valentia. *Imo si cum debitis circumstantiis fiat Iuramentum est actus Religionis. Ratio.*

6. Hanc etiam assertionem latissimè probat ex vsu, & traditione Ecclesiæ & ex authoritate Sanctorum Patrum Suarius lib. 1. de Relig. c. 2. Azor lib. 11. c. 2. q. 3. Valentia d. 6. q. 7. punct. 3. Imo addendum est, si Iuramentum cum debitis circumstantiis fiat, esse actum virtutis Religionis, vt probauimus disp. 1. dubit. 1. quia in eo actu exhibemus Deo honorem profitemur, scilicet Deum infallibilem omnium rerum notitiam habere & maiorem, potentiorem, sanctiorem, & sapientiorem hominibus esse, quod explicuit Paulus dum ad Hebræos 6. ait: *Homines per maiorem sui iurant.*

Obiicies verba Christi. Matth. 5. Ego autẽ dico vobis non iurare omnino.

7. Huic tamen assertioni videntur obstare verba ipsius Christi Matth. 5. vbi sic ait: *audistis quia dictum est antiquis non periurabis; reddes autem Domino Iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino neque per cælum; quia thronus Dei est, neque per terram; quia scabellum pedum eius, neque per Ierosolymam quia ciuitas est magni Regis, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum; sit autem sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est à malo est*: vbi videtur prohibuisse omne Iuramentum; atque adeò nullum Iuramentum esse licitum.

Hinc multi Patres putarũt in lege Euangelicâ prohibitum fuisse omne Iuramentum.

8. Propter hæc & similia argumenta multi Sancti Patres putarunt in lege Euangelicâ prohibitum fuisse à Christo Domino omne Iuramentum; siue quia ex se malum est, siue, quia minus bonum, & quid imperfectius, quos Patres refert noster Castro in 4. caput Hieremiæ versiculo 3. hi sunt Hilarius canone 4. in Matthæum, Ambrosius in psalmum 118. Basilius homilia 1. in psalmum 14. Theodoretus in caput 4. Hieremiæ, Chromatius in cap. 5. Matthæi. Origenes tract. 35. in Matthæum. Athanasius serm. de Passione Domini. Epiphanius hæresi 19; Chrysostomus homiliâ in psalmum 5. & homilia 19 ad Populum. Author imperfecti in Matthæum. Nanzianzenus in Ecclesiasten cap. 8.

Et cũ dicitur Deus iurasse fuisse impropriè Iuramentum.

Quibus, si obiicias Deum ipsum iurasse, respondent non fuisse propriè sed impropriè Iuramenta, ac sicut dicimus iratum Deum ad similitudinem humanam; ita dicimus iurantem. Ad locutiones verò Pauli respondet Basilius habuisse figuras Iuramentorum; sed non fuisse Iuramenta; tantumque ad obsequium audientium dicta. De Iudæis verò respondent fuisse illis Iuramentum non tantùm licitum, sed præceptum præcepto scilicet tantum legali; quòd cessauit per legem Euangelicam.

Ad verba Christi. Resp. 1. Hieronymus & Innocentius III.

9. Certum tamen est quod diximus, & ad verba Christi Domini respondent primo Hieronymus in eum locum, & Innocentius tertius capite *etsi Christus* de Iureiurando, quod ibi tantùm prohibeat Christus iurare per creaturas ne venerarentur eas obsequio, & honore soli Deo debito.

Horũ expositio difficilis est.) D. Tho.

10. Hæc tamen expositio difficilis est. Nam, vt obiicit D. Thomas qu. 89. a. 2. ad 1. Iacobus Apostolus in suâ canonicâ c. 5. Christi verba interpretatur de quocunque Iuramento dicens: *ante omnia autem Fratres mei nolite iurare, neque per Cælum, neque per Terram neque aliud quodcunque Iuramentum. sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.* Ipsa etiam verba Christi: *nolite iurare omnino*, hoc significant: illa enim particula *omnino* (vt rectè exponit noster Maldonatus) idem est, atque secundum quamcunque iurandi formam; nam, quod statim subiungit, *neque per Cælum*, non est ad restringendum, sed potius adaugendum priora verba; quasi dixerit non tantùm maiora Iuramenta; sed etiam hæc, quæ minora esse videntur cauenda esse; præterea id patet ex ratione, quam adiunxit, *neque per cælum, quia thronus Dei est.* Si enim non est iurandum per cælum, eo quod thronus Dei sit; potiori ratione non est iurandum per Deum ipsum iuxta illud Aristotelicum axioma. *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.*

Probatur ratione quod dicta expositio difficilis sit.

11. Ratione etiam probo nam vel Christus ibi tantùm prohibet iurare per creaturas secundum se ipsas, ac si essent Deus; hoc autem, nec est consentaneum verbis Christi, nec rationibus illius, nec esset nouum quid (cum tamen Christus ibi noui aliquid velit docere vt indicant illa verba: *Ego autem dico vobis.*) Nam hoc iam olim erat potissimum prohibitum Iudæis, quod ipsi ignorare non poterãt: vel certè prohibet modum iurandi quemcunque per creaturas intuitu Dei, & per respectum ad Deum; inde autem à fortiori sequitur, vt nuper vrgebam, prohibuisse omne Iuramentum per ipsum Deum.

Obstãt vlterius prædictæ expositioni verba à Christo subiuncta.

12. Obstant vlterius prædictæ expositioni verba, quæ Christus subiungit dicens: *sit ergo sermo vester, est, est, non, non;* nam per illa declarat vetuisse prius cuiuscunque Iuramenti additionem.

Resp. Alij sed erroneã.

13. Alij ergo respondent prohibuisse Christum ibi Iuramento vti in rebus profanis; non verò in sacris. Ita impius Erasmus; quæ expositio supponit errorem, quem latè impugnat Suarius lib. 1. c. 6. &, vt ait Valentia, id gratis, & temerariè dixit Erasmus, vt patet ex vsu contrario Ecclesiæ,

Error Vviclefi.

Ecclesiæ; quæ exigit Iuramenta à suis fidelibus etiam in contractibus, & rebus ciuilibus, atque in Concilio Constantiensi sess.8. inter alios Wicleffi errores damnatur error 43. vbi asseruit non esse licitum iurare ad firmandos humanos contractus.

Alij ergo Resp. Christus non tradidisse præceptum sed consiliū, ne iuremus. *Rupertus. Beda. Bernardus.* *Hæc tamē expositio multis non placet.* *Ratio.*

15. Alij ergo respondent ibi Christum Dominum non tradidisse præceptum; sed consilium, ne iuremus. ita Rupertus lib. 5. de Gloriâ Christi Beda in cap. 5. Iacobi. Bernardus serm. 65. Hæc tamen expositio multis non placet; quia, vel consuluit Christus vitandum esse omne omnino Iuramentum; atque hoc dici non potest, cùm aliquando teneamur sub præcepto iurare, vt sequenti dubitatione videbimus. Vbi etiam apparebit (& patet ex dictis) esse actum meritorium, & Religionis, ac proinde non videtur consulendum, vt ab eo cum circumstantiis debitis præstando abstineamus: vel consuluit vitare omne Iuramentum inutile, & sine causâ factum; hoc autem non est solùm consilium; sed etiam præceptum, alioquin non esset peccatum sic iurare.

Alia expositio eiusdē Innocentij videtur probabilior.

16. Probabilior videtur alia expositio eiusdem Innocentij tertij capite illo *etsi Christus de Iureiurando*, scilicet prohibuisse ibi Christum voluntatem iurandi, quod explicuit Iacobus Apostolus c.5. illis verbis: *Ante omnia nolite iurare*, rationemque reddit Innocentius: *Quia ad Iuramentum non debet quemque spontanea voluntas adducere, sed necessitas trahere importuna.* Vnde licet possit Iuramentum fieri; non tamen appeti; neque frequentari, vt optimè docet D. Thomas suprà. a. 5. sicut nec appetitur medicina; nisi supposita infirmitate. In hoc etiam sensu potest exponi D. Hieronymus in cap.8. Zachariæ vbi ait: *Iuramentum, ne diligatur præcipiente Domino in Euangelio: Ego autem dico vobis vt non iuretis penitus.*

Licet Iuramentum possit fieri non tamen appeti neque frequentari. *D.Tho.*

Expositio tamē vera & genuina verborum Christi est.

17. Vera tamen, & genuina expositio est, quod ibi Christus tantùm explicet præceptum ipsum naturale non iurandi sine causâ, & necessitate, quod habetur leuit.19. versu 12. vbi iuxta Hebraicum textum habetur *non iurabis in vanum* per nomen autem *vanum* non solùm intelligitur falsum, vt putabant Iudæi; sed etiam non necessarium, seu quod frustra fit; quod satis clarè explicatum fuerat Exodi 20. versu 7. nam post præceptum ibi positum his verbis: *non assumes nomen Domini in vanum*, statim additur, *nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustrà*, & Deut.6. versu 11. dicitur: *non vsurpabis nomen Dei tui frustrà, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit.* Sicut ergo in antecedentibus, & consequentibus non apposuit Christus præcepta noua diuina, sed explicuit præcepta Decalogi naturalia reiiciendo errores, & falsas intelligentias Scribarum, & Pharisæorum ab illis verbis incipiens: *nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum &c.* ita etiam fecit in hoc præcepto, reiicit enim duos Pharisæorum errores, quos circa hoc præceptum habebant; nam. 1. existimabant non esse Iuramentum nec habere vllam vim obligandi, quod fiebat per creaturas aliquas sacras, id quod deducitur ex illo Matthæi 23. *væ vobis Duces cæci, qui dicitis, quicumque iurauerit per templum nihil est.* 2. nullum esse peccatum in vsu Iuramenti; nisi, quando admittitur periurium defectu veritatis vtrumque autem errorem refellit Dominus. 1. docendo Iuramentum esse iurare per creaturas 2. non esse vlla ratione, aut vllo Iuramenti genere leuiter iurandum, temerè, & sine causâ (id enim significat illa particula *omnino*) & idipsum docet Apostolus Iacobus loco citato. Hanc expositionem affert Maldonatus in eum locum; Azor, Valentia, Suarius suprà, Lessius lib.2. c. 42. dub. 3. atque omnium optimè, & ante eos omnes id explicuerat noster Salmeron tom. 5. tract. 40. in eum locum Matthæi. 5.

Ratio huius expositionis.

Christus reiicit errores & falsas intelligentias Scribarum & Pharisæorum.

Primus error.

Secundus error.

Vtrumque errorem refellit Christus.

Maldonatus. Azor. Valentia. Suarius.

Obiicit Maldonatus.

Quare Christus nō adiecit particulam frustrà aut in vanum. *Resp.*

18. Vbi obiicit; quare ergo non adiecit Christus particulam *frustrà*, aut *in vanum* vel (quod idem est) illam exclusiuam; *nisi ex necessitate, seu vtilitate.* Respondet non fuisse opus; quia præceptum naturale quantumcunque sub vniuersalibus verbis proponatur eas causas, quas ipsa natura non comprehendit, nequaquam includit; quod enim Iudex maleficum, & inuasus Inuasorem licitè occidat non est exceptio illius præcepti: *Non occides*, quia nunquam ibi fuerunt inclusa illa duo sicut, accipere rem alioquin alienam vrgente extrema necessitate, non est exceptio illius præcepti. *Non furaberis.*

Hanc etiā expositionē affert Augustinus.

19. Hanc etiam expositionem affert Augustinus tom.4. lib. de Mendacio c.15. vbi ait *vitam, & actiones Sanctorum regulam esse intelligentiæ scripturæ*, &, quia Paulus post Christi mandatum non semel iurauit, nobis mandati sensum aperuit, *vt quod dicitur non iurare omnino intelligas absque vrgente necessitate ne iurando ad facilitatem venias; à facilitate ad consuetudinem: à consuetudine ad periurium: à quo* (vt ait idem Augustinus *epistola* 154.) *quia immane peccatum est nos longè esse voluit, qui omnino ne iuremus admonuit.* Atque ob id dixit *omnino* non; quia iurare veritatem cum causa peccatum sit aliàs (inquit Salmeron) qui author naturæ instituit Iuramentum quomodo abrogasset illud?

Addendū cū Suario posse exponi sententiam Christi de consilio.

20. Addendum est cum Suaro posse exponi sententiam Christi de consilio, si intelligatur ita, vt etiam cum causa, & necessitate non iuretur; nisi vrgeat præceptum; quia sæpè licet iurare propterea quod adsit causa sufficiens; sed non vrgens sub præcepto; tunc autem viri perfecti abstinent à Iuramento estque optimum consilium, vt procul simul à facilitate iurandi; atque adeò à malis, quæ ex illâ proficisci solent. Neque obstat, quod aliquando contingat esse præceptum Iurandi, vt possit esse consilium non iurare; nam eâdem ratione consilium Christi est non nubendi, & tamen aliquando posset esse præceptum nubendi.

Neque obstat.

Prædicto loco mens Christi erat explicare præcepta naturalia.

21. Quamuis autem hæc doctrina vera sit nihilominus eo loco mens Christi est explicare præcepta naturalia, vt probatum est, & efficaciter probant illa Christi verba: *nisi abundauerit Iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum.* vbi significat se deinceps loqui de rebus necessariis, & quæ sunt in præcepto.

Notat Innocentius non dixisse Christum malum esse

22. Addit autem Christus *quod his abundantius est à malo est*, vbi notat Innocentius citato capite *etsi Christus*, & alij etiam Patres Antiqui, non dixisse malum est iurare sed à *malo est*: quia Iu-

Iurare sed a malo est. Scilicet vel à defectu veritatis, vel ab incredulitate audientium &c.

iurare sed ramentum,quando est necessarium non est malum: necessitas tamen eius est à malo, scilicet, vel ab incredulitate audientium vel à defectu veritatis humanæ in naturâ corruptâ vel (vt alij exponunt à *malo est* id est, à diabolo. Ita Græci, & noster Maldonatus: quia nomen græcum id propriè significat: docet ergo Christus Dominus his verbis Iuramentum extra necessitatem adhibitum, vbi simplex affirmatio, vel negatio sufficit à diabolo introductum esse non à Deo ideoque valde cauendum. Vnde etiam in veteri testamento fuit clarè prohibitum, vt constat ex citato capite Exodi 20. & ex Ecclesiastici 23. ibi *Iurationi non assuescat os tuum,multi enim casus in illâ*, & paulò pòst: *Vir multum iurans implebitur iniquitate & non discedet à domo illius plaga*. De quo elegantissimè Chrysostomus hom. 4. vsque ad 10. ex iis quas habuit ad populum Antiochenum, vbi omnibus viribus consuetudinem iurandi exterminare conatur.

Iurandi consuetudo prohibetur.

Ex dictis Colliges 1.

23. Ex omnibus dictis colligitur. 1. Iuramentum non esse sicut bonum quoddam per se appetendum; sed illo tantùm in sola necessitate vtendum tradunt Sancti Patres, & cum eis D. Thomas q.89.a.5. qui eam rationem reddit quia inuentum est tanquam quoddam imbecillitatis humanæ remedium. Vnde sicut frequens, aut multus medicamentorum vsus, aut etiam cibi, vel potus, præsertim vini, noxius esse solet solumque proficuus est necessitate vrgente ita frequens Iurisiurandi vsus perniciosus est, & tantùm est salutaris appetendusque, quando grauissima causa subest.

Ratio.

Collige 2.

24. Secundò colligitur errare eos, qui dicunt eum,qui benè iurat benè credere,& Deum laudare, si benè iurare vsurpent pro multum iurare, vt constat ex dictis, & contra eos inuehitur Sotus q.1.a.5. si autem illa particula, *bene*, rectè intelligitur, vt sensus sit, qui benè iurat, id est cum debitis circumstantiis, vera est propositio.

Collige 3. iuxta aliquos.

25. Colligitur tertiò ab aliquibus in statu innocentiæ non futurum fuisse actum Iuramenti: quia omnes abstinerent à mendacio, & omnes mutuam præstarent sibi fidem: quibus positis inutile, & vanum esset iurare. Ita Sotus art.5.& insinuat Arragon ibidem. Hoc tamen non admittit Suarius & meritò: quia vbi Iuramenti non supponit peccatum actu: sed solùm potentia, homo autem in eo statu non erat impeccabilis, posset ergo mentiri: atque adeò etiam iurare: quia proprium testimonium non erat infallibile.

Hoc meritò reiicit Suarius. Ratio.

DVBITATIO II.

An detur præceptum affirmatiuum obligans interdum ad iurandum?

Assertio 1. aliquando datur præceptum affirmatiuū iurandi. Constat ex variis Iuribus.

26. ASsero 1. aliquando datur præceptum affirmatiuum iurandi, ita, vt teneamur iurare. Quod præceptum aliquando est positiuum à Iure, vel ab homine. Constat hoc ex multis legibus. tam Iuris Ciuilis, quàm Canonici, vbi præcipitur in certis occasionibus subditos iurare. Item in tribunalibus vbi sæpè Iudices præcipiunt Reis, & testibus, vt iurent: atque hi tenentur iurare veritatem, quoties Iudicè interrogantur iuxta dicta in nostro opere de Iustitiâ cæterisque virtutibus lib.2.tract.1.disp.5.& 6.& 8. Constat etiam assertio in Superioribus, qui in graui aliquo casu possunt subditis præcipere, vt aliquid iurent, vel ad tollendum scandalum, vel ad aliquem alium finem honestum. Ratioque generalis huius potestatis obligandi ad Iuramentum est: quia omnis superior habet ius præcipiendi, & imperandi actus bonestos, vel de se non malos, quando communi bono Reipublicæ, aut membrorum eius sunt valde vtiles, aut necessarij. Iuramentum autem actus est de se quidem non malus, si cum debitis circumstantiis fiat, & sæpè necessarius ad coërcendos peccatores castigandaque delicta, ad continendos subditos in officio ad inuestigandam, & inueniendam veritatem in aliqua iustâ causâ, vel ad dignoscendum quantum humanitus potest: an talis res sit debita, vel sit alicui ergo sæpè contingit iuxta id poni tale præceptum positiuum, & obligare.

Ratio huius potestatis obligādi ad iurādum affirmatiue.

27. Aliquando verò potest esse naturale præceptum iurandi nullo præcepto humano positiuo interueniente vt si occurret necessitas iurandi ad cauendam grauem rixam inter proximos, vel ad subueniendum proximo in periculo vitæ existente.

Quandoque potest esse naturale præceptum iurādi sine positiuo.

28. Iam vero difficultas est; ân in his casibus præceptum positiuum iurandi sit præceptum virtutis Religionis, vel potiùs alterius virtutis, nempè Iustitiæ, vel misericordiæ, istiutu cuius præcipitur?

Difficultas cuius virtutis sit præceptum positiuum iurandi.

29. Sotus lib 8. de Iustitiâ q.1.art.2. & 4. & Arragon.q.89 art.2.putant esse præceptum Religionis probarique potest; quia, quod præcipitur est actus Religionis; ergo & præceptum ipsum; quia tale est præceptum, quale est obiectum, sicut, quando præcipitur ieiunium est præceptum abstinentiæ, & quando præcipitur oratio, aut missa est actus, & præceptum Religionis.

Sotus & Arragon putant esse Religionis.

30. Assero 2. eiusmodi præceptum affirmatiuum iurandi non potest esse Religionis, sed Iustitiæ, aut misericordiæ, aut alterius virtutis. ita sentiebat olim Vasquez in manuscriptis de Iuramento, & laté probat Suarius lib. 3. de Iuram.cap.1.num.8. Sanch. lib.3. cap.3. concl.3. Chrystoph. Castro. in cap.4. Hieremiæ, & indicat Valentia disp.6.q.7.punct.3. in fine. ratio autem est; quia actus iurandi non est per se appetendus, vt constat ex dictis dubitatione præcedente; sed tantùm, vt medium ad confirmandam veritatem, quando fuerit necessarium; atque adeò non potest licitè exerceri propter cultum Dei solum; quia id esset iurare frustrà, seu in vanum; atque adeò tota ratio obligationis, aut necessitatu eius est ad finem longè diuersum à cultu Dei. Ergo ad exercitium talis actus nunquam obligat Religio; sed alia virtus licet, supposita tali obligatione ex aliâ virtute, accedat ipsa virtus Religionis, & dirigat actum, obligetque ad modum, seu specificationem eius, scilicet, vt benè fiat nempe iurando per verum Deum, & cum veritate Iustitia, & Iudicio.

Assertio 2. Non potest hoc iurādi positiuum præceptum esse Religionis: sed alterius virtutis. Suarius. Vasquez. Ratio.

31. Ex quo patet, quàm diuersa ratio sit de oratione

Differentia inter Iuramentū & alios actus Religionis.

oratione, aut Missâ audiendâ; alijsque actibus Religionis, qui per se sunt appetibiles, & possunt à quocunque exerceri propter solum cultum Religionis. Vnde & præcipi possunt à superioribus intuitu solius Religionis cultus.

Ad argumentum in contrariū. Resp.

32. Ex quo respondetur ad argumentum in contrarium negando ad cognoscendum ad quam virtutem pertineat præceptum satis esse respicere ad obiectum ipsum, seu materiam, quæ præcipitur. Quin potius respiciendum sit ad virtutem, intuitu cuius ea materia præcipitur tunc enim contra eam virtutem peccatur, & illius virtutis est præceptum; sicut, quando Ecclesia præcipit, ne quis Clericum percutiat, vel ne extrahatur Reus à loco sacro; quia hoc præcipit Ecclesia intuitu reuerentiæ debitæ personæ sacræ; aut loco sacro; non peccatur contra Iustitiam ex hac parte, sed peccato sacrilegij contra Religionem. Nullus autem superior potest licitè præcipere subdito, vt iuret propter exercendum solùm diuinum cultum: esset enim iurare frustrà. Nam, sicut subditus si sponte iurauit ob eum solum finem sine alia necessitate peccaret, ita etiam peccaret Iudex illi præcipiendo propter eum solùm finē, & non teneretur subditus parere iniusto præcepto. Vnde, quando iustè superior præcipit ob aliquam causam, quod iuret subditus, si hic non vult iurare non censetur sacrilegus; sed, vel inobediens, vel iniustus Item, qui præceptu naturali obligatur iurare ad defendendum innocentem, vel vitandam grauem inimicitiam, si non vult iurare, non est sacrilegus; sed immisericors, aut in charitate deficiens, neque enim tunc deficit in cultu Dei, sed in eâ debitâ obedientiâ, vel in Iustitiâ, misericordiâ, aut charitate. Tunc autem tantùm peccat contra Religionem, quando iurat mendacium, vel rem malam, aut sine necessitate, vt constabit ex dicendis in sequentibus dubitationibus

Superior non potest licitè præcipere subdito vt iuret propter solum Dei cultum.

Hinc subditus ad iniusti superioris præceptum nolens iurare non est sacrilegus.

Quando ergo Iurās peccat contra Religionem.

Obiiciūs verba Deut. 6.

33. Obiiciet tamen aliquis verba Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis* & cap. 10. *Iurabisque in nomine illius* & Hieremiæ 4. *& iurabis viuit Dominus.* In quibus verbis videtur tradi præceptum affirmatiuum iurandi propter cultum diuinum, sicut timere Deum, & seruire illi sunt præcepta affirmatiua naturalia.

Resp. posse duplex præceptum affirmatiuum distingui.

34. Respondetur posse duplex præceptum affirmatiuum distingui. Vnum conditionatum, alterum Absolutum. Primum explicatur illis verbis: *si iuraueris iura per verum Deum*; vel iura tali modo; hoc autem præceptum non tam est de exercitio actus, quàm de formâ, aut specie, seu modo illius. Secundum præceptum explicatur per Imperatiuum absolutum *iura*, seu *iurandum est*; tale autem præceptum est de exercitio actus. Quâ doctrinâ supposita concedimus citatis verbis scripturæ, vbi continetur præceptum illud iurandi solum præcipi Iuramentum primo modo, qui est conditionatè, seu quoad specificationem; atque ita exponunt citata loca Glossa, & Abulensis ibidem eâque ratione intelligi debere constat ex doctrina Innocentij tertij & Sanctorum Patrum, quam tradidimus dubit. præcedenti circa finem dum exponunt illa verba Matthæi 5. *Quod autem his abundantius est à malo est*, Et ex doctrina eorundem Patrum tradenda dubit. sequenti, dum explicant verba Hieremiæ loco citato. *Iurabis viuit Dominus in iudicio*, nec enim intendebat Deus in illis verbis suo populo imponere obligationem, aut necessitatem iurandi; sed solùm admonebat illum, vt si iuraret per suum ac verum Deum iuraret *in iudicio, Iustitia, veritate*; hoc autem præceptum conditionatum resoluitur in quoddam præceptum negatiuum, *quale est non iurabis per falsos Deos nec sine necessitate, Iustitiâ & veritate.* Ac proinde hoc præceptum reuocatur ad illud quod habetur Exodi 28. *per nomen externorum Deorum non iurabis.* Sic etiam psalmo 14. laudatur, *qui iurat proximo suo, & non decipit*, vbi non tam laudatur, quia iurat, quam quia fideliter, & sine fraude iurat, id quod reducitur ad præceptum negatiuum, scilicet, *non decipies proximum cum illi iuraueris.* Horum omnium ratio est; quia, vt rectè notat. Suarius suprà num 4. Conditionalis nihil ponit in esse, ideò præceptum tantùm affirmatiuum sub conditione non inducit absolutam obligationem ad aliquid agendum, sed tantùm ad non agendum sine tali conditione. Vnde manet perspicuum non esse præceptum affirmatiuum iurādi ortum ex virtute Religionis.

Verbis Hieremiæ non intendebat Deus populum obligare ad iurandum. Sed, solum vt si iuraret hoc faceret cū debitis circumstantiis.

Ratio.

DVBITATIO III.

An ad hoc, quod sit licitum iurare requirantur naturali Iure veritas, Iustitia, & Iudicium?

Assertio 1. tres conditiones requirit Iuramentū vt sit licitum.

35. ASsertio 1. & communis est Iuramentum vt licitum sit, tres illas conditiones requirit, quas ideo solent appellare tres comites Iuramenti. Ita D. Thomas 2.2.q.89. art.3. & ibi expositores & reliqui Theologi in 3. distinctione 39. cū Magistro ibidem, & Canonistæ in caput *Animaduertendum* 22. q. 2. & probant ex illo Hieremiæ 4. *Iurabis: viuit Dominus in veritate, & in Iudicio & in Iustitiâ*, notantque D. Hieronymus, & alij Sancti Patres in eundem locum. Vt autem has conditiones explicemus; tria discutienda 1. quid intelligatur per has tres conditiones? 2. an omnes hæ conditiones simul in quouis Iuramento necessario requirantur? 3. An eæ sufficiant vel necessarium sit aliam addere. Duo priora simul discutiemus, tertium posteà seorsim.

D. Tho. Probat ut ex Hieremia, 4.

Assertio 2 requiritur veritas.

36. Secunda Assertio sit: in omni Iuramento, vt licitè fiat requiritur veritas, atque in Iuramento assertorio veritas requisita est, quod iurans arbitretur verum esse id, quod Iureiurando pronuntiat. quanta verò certitudo ex parte intellectus requiratur, & quantum, ac quale peccatum sit sine eâ iurare, sequentibus dubitationibus explicabitur. In Iuramento verò promissorio duplex requiritur veritas alteram de præsenti: nempe, quòd adsit animus rei Iuramento promissæ implendæ, in quâ conuenit cum Iuramento assertorio: Altera verò de futuro scilicet, quòd res promissa impleatur suo tempore. Quapropter inter assertionem simplicem de futuro, & Iuramentum hoc est discrimen, quòd ad illius veritatem satis sit, quòd affirmans habeat in animo implere id, quod affirmat. Nec

Duplex veritas requiritur in Iuramento promissorio.

Differentia inter assertionē simplicem de futuro & Iuramentum.

erit mendax, si posteà mutatâ voluntate id non impleat, vt. si quis affirmet se à prandio dormiturum verax est, si tunc id in animo habuit etiamsi posteà non dormiat; at verò ad veritatem Iuramenti promissorij vtraque veritas requiritur; quando materia iurata capax est obligationis. Ita D. Thomas 2.2. q.89. art.7. ad 1.& ibi Caietanus. Sotus lib.8.q.1.art.7.ad 1.aliique multi, imo omnes, vt videre est in Thoma, Sanch. lib.3.c.4.n.2. in fine.

Assertio 3. Iustitia in Iuramento requisita.

37. Tertia assertio, Iustitia, quæ in Iuramento requiritur sita est in eo, quòd res seu materia quæ iuratur non sit mala, siue inhonesta, & turpis; sed honesta, & iusta. Vnde Iustitia hoc loco non sumitur pro Iustitia speciali, seu particulari, quatenus est vna ex 4. virtutibus Cardinalibus distincta ab aliis tribus; sed accipitur pro generali Iustitiâ, quæ comprehendit omnem virtutem significatque idem, quod honestas, seu virtus. Quod autem hæc Iustitia requiratur in Iuramento promissorio satis manifestum est; quia, si res promissa, quæ iuratur mala sit, absque dubio Iuramentum est illicitum. An verò etiam hæc Iustitia requiratur in Iuramento assertorio non consentiunt Authores.

An in Iuramento assertorio requiratur hæc Iustitia? non cõsentiunt Authores.

Caiet. & Valentiæ opinio.

38. Caietanus 2.2.q.89.art.3.ad 2.& Valentia tom.3.disp.6.q.7.punct.3.columna 5. versiculo *similiter de Iustitia*, docent in Iuramento assertorio non reperiri defectum Iustitiæ ex parte rei iuratæ; sed tantùm ex parte causæ iurandi; quia scire rem malam, & illam cum veritate iurare malum non est. Nam testes, qui sub Iuramento testificantur de Adulterio vel Homicidio coram Iudice iuridicè procedente, licitè iurant, quamuis rem turpem iurent.

Responsio affirmatiua probabilior est.

39. Probabilius nihilominus puto etiam in Iuramento assertorio requiri Iustitiam, vt Iuramentum licitum sit; non tamen ideò puto requiri eam Iustitiam, honestatem, & bonitatem in re ipsâ, supra quam iuratur, quæ materia remota potest appellari, atque hoc rectè probat argumentum Caietani: sed existimo requiri in materiâ proximâ, quæ est assertio ipsa; nam in assertionem ipsam immediatè Iuramentum cadit. Itaque non est necessarium, quòd res ipsa, quæ iuratur sit bona; necessarium tamen est quod affirmatio, & negatio, quæ iuratur, sit bona; nam, si quis absque iustâ causâ reuelet secretum peccatum proximi sub Iuramento, vel contumeliam proximo dicat cum Iuramento, aut proprium crimen cum iactantiâ, aut delectatione referat sub Iuramento, malè, & illicitè iurat non defectu veritatis; sed Iustitiæ. Vnde etiam Iustitia requiritur in Iuramento assertorio; atque ita docent Sotus lib.8.q.1.art.3. Arragon art.3 Petrus de Ledesma Tract.11.c.2.dub.4 Toletus lib.4.cap.21.num.10.in fine. Suarius lib.1.c.3.n.6. Sanch. lib.3.c.4. num.32. Nec videmur dissentire Caietanus, & Valentia dum requirunt Iustitiam ex parte causæ in assertorio. quod videtur ab hac doctrina non distingui; sed in idem recidere, scilicet, ne actus ipse iurandi alicui noceat. Vtrum autem hic defectus Iustitiæ in assertorio sit mortale, aut saltem ordinariè tantum veniale dicemus dub.5.assert.3.

Iuramentum immediatè cadit in ipsam Assertionem non verò in rē iuratam.

Assertio 4. Iudicium in Iuramẽ-to requiritur.

40. Quarta assertio: Iudicium absque controuersiâ in omni Iuramento necessarium est; hoc autem est, vt omne Iuramentum cum Iudicio, id est cum debita, & prudenti ratione fiat, quod generatim sumptum manifestum est; nam ad omnem actum virtutis necessarium est prudentiæ iudicium. Verum (vt ait D.Thomas art.3.ad 3.) specialiter, & multò magis postulatur hæc conditio in Iuramento propter reuerentiam Dei, qui inuocatur & propter labilitatem linguæ humanæ. Vnde Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 23. obseruauit Paulum non in sermone: sed in epistolis scriptis, vbi facilius est considerationem adhibere, iurasse & circa hoc iudicium legenda sunt multa, quæ Philo dissertissimus Iudæorum scribit lib. de Decalogo post medium, vbi inter alia pulcherrima verba sic ait: *Quapropter iuraturus debet omnes rei circumstantias diligenter perspicere. Quanta sit, quàm vera, quam benè à se percepta. Tum seipsum considerate. Num purus sit animâ, corpore, linguâ, illa ab iniquitatibus hoc à piaculis hæc à maleficentia. Nefas enim est per os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quicquam turpe prouenire. Quæratur etiam tam loci, quàm temporis opportunitas. Noui enim quosdam in profanis impurisque locis, vbi nec patris nec matris nec cuiuslibet honesti viri mentionem deceret fieri; deierare, & quasi conceptis verbis iusiurandum texere multis Dei cognominibus præter omnem decorem cum impietate maximâ.* Hactenus Philo. Vbi plura addit, quæ maximè pro concionatoribus valent ad deterrendos homines ab hac nefandâ iurandi consuetudine.

Iuraturus debet omnes rei circumstãtias diligenter perspicere.

Quæres.

41. Quæret tamen aliquis: quid speciale significetur per hoc Iudicium requisitum ad bonitatem Iuramenti? nam etiam iudicium prudentiæ dictat non esse Deum in testem vocandum: nisi in rebus licitis, & veris: atque adeò etiam sub illo videntur comprehendi aliæ duæ conditiones, seu comites veritas, & Iustitia?

Resp. per Iuditium significari à Deo necessitatem vel grauem vtilitatem.

42. Respondetur per hanc conditionem Iudicij significari à Deo per Prophetam citatum necessitatem, vel grauem vtilitatem Iuramenti, atque ita discernit D. Thomas art.3. in corpore hanc conditionem Iudicij à veritate, & Iustitiâ, & cum eo cæteri omnes communiter, & meritò sentiunt: nam si hæc necessitas, vel vtilitas accedat ad veritatem, & honestatem, complectur legitima, & honesta causa iurandi: si autem hæc desit Iuramentum erit vanum, & otiosum: atque ideò irreuerentia fiet Deo, inuocando illius nomen pro vanis, & otiosis rebus confirmandis.

Quãta debeat esse hæc necessitas non habetur alia Regula, quã ipsum prudens Iudicium.

43. Quod si quæras, quanta debeat esse hæc necessitas, vix imo ne vix potest regula generalis assignari, sed prudenti arbitrio relinquendum est tale iudicium vnde meritò hunc tertium Iuramenti comitem *Iudicium* appellatur, seu discretio: quia non potest alia certior regula tradi.

Assertio 5. sufficienter assignat Ius naturale tres tãtum comites Iuramenti. Probatur authoritate. Idque Ratione.

44. Quinta assertio: sufficienter assignantur ex Iure naturali tres tantùm comites pro honestate, seu rectitudine Iuramenti. Probatur hoc authoritate Hieronymi, & cæterorum Theologorum maximè cum hæc doctrina habeat tam clarum in scriptura sacra fundamentum. Ratione etiam probatur nam positis his tribus circumstantiis, non habet Iuramentum vnde naturâ suâ possit esse illicitum: solum per accidens posset illi adiungi malitia v. g. prauæ intentionis ab operante vel scandali propter audientes, sed hæc

hæc quæ sunt per accidens non cadunt sub scientiam. Accedit, quod neque hæc ipsa desinunt comprehendi sub prædictis. Nam iurare cum scandalo, aut vti Iuramento ad malum finem intentum per talem assertionem iuratam Iustitiâ caret, & iudicio, vt ex se patet, quia non est iustum sic iurare, nedum necessarium, aut vtile. E contrà verò deficiente quocunque istorum redditur illicitum Iuramentum; nam si desit veritas efficitur Deus (vt multi philosophantur) quantum est ex parte Iurantis vel ignorans, vel improbus, & mendax; si verò desit Iustitiâ efficitur approbator seu cooperator illius mali, quod Iuramento confirmatur; atque adeo Iniustus, & iniquus, si verò desit Iudicium afficitur Deus irreuerentiâ cum absque iustâ causâ inducatur in testem.

Istorù quocumque deficiente Iuramentum, est illicitù.

Obiicies.

45. Sed obiicies conditio maximè requisita ad bonitatem Iuramenti est, quod fiat per verum Deum; non per falsum. Hæc autem conditio non continetur in his tribus; ergo alia, præterea necessaria est.

Resp. 1.

46. Respondetur primò cum D. Thoma art. 3 ad 2. eam conditionem comprehendi sub Iudicio; ait enim D. Thomas ibi: *deuotio, & fides, & omnia eiusmodi, quæ exiguntur ad debitum modum iurandi, intelliguntur in Iudicio*; atqui fides dirigit voluntatem, vt per verum Deum iuret, & non per alium.

Resp. 2. melius cù Suarez.

47. Secundò, & melius respondetur cum Suario suprà c. 3. in fine. Conditionem hanc iurandi per verum Deum non pertinere ad comites Iuramenti; sed ad illos supponi esseque radicem & fundamentum eorum. Nam testimonium Dei non requiritur ad Iuramentum, vt Comes; sed, vt substantia, & tanquam forma, & vita ipsius Iuramenti; nam iuxta dicta disp. 1. dubit. 1. Iuramentum per falsos Deos non est Iuramentum; sed per errorem putatur Iuramentum nunc autem assignamus comites veri Iuramenti; atque adeo supponimus verum Iuramentum, ac subinde pergimus ad illius Comites; non ergo oportet id inter comites Iuramenti ponere; quin potiùs ex hoc fundamento, scilicet, quòd Deus sit summa veritas, bonitas, & Maiestas, colligimus necessitatem trium illorum comitum quorum enumeratio sufficiens est, vt probauimus.

DVBITATIO IV.

Quænam conditiones in Iure positiuo desiderentur, aut, quæ circumstantiæ vt Iuramentum in Iudiciali foro licitè fiat?

Conditiones ad licitè iurandum pro foro Iudiciali ex triplici capite colliguntur.

48. EX triplici capite possumus pro foro Iudiciali colligere requisitas circumstantias, seu conditiones ad licitè iurandum, scilicet, ex parte modi iurandi; ex parte temporis, aut loci; & ex parte personæ, de quibus sigillatim tribus assertionibus dicemus.

Assertio 1. circumstantia ex parte modi Iurandi.

49. Assero 1. Prima circumstantia ex parte modi est, quòd iuraturus sit ieiunus. Ita habetur cap. *Honestum* 22. q. 5. cap. 1. de Testibus. Hæc tamen conditio non est de necessitate; sed de consilio solo, vt clarè significatur in eo capite *Honestum*, & docet Glossa eo cap. 1. in fine ibique Doctores legique potest Azor lib. 11. c. 11. q. 9. Valent. disp. 6. qu. 7. punct. 3. Suarius suprà cap. 3. & num. 9. Sanch. lib. 3. c. 3. n. 4. & docent plerique alij Summistæ, & Theologi.

Assertio 2. ex parte temporis circumstantia & ex parte loci. Iurandum non est in Iudicio die festo tempore.

50. Assero 2. Circumstantia ex parte temporis est, vt non præstetur tempore prohibito; ex parte verò loci, vt non fiant, nisi in loco iure dispositio. Sanè, quod attinet ad tempus. Iure statuitur, quòd diebus festis non præstetur in Iudicio; nisi pro bono pacis, aut piæ causæ, aut pro occurrente necessitate. Ita habetur *cap. conquestus de ferijs* atque hoc præceptum adhuc est in suo rigore, de quo rectè disputat Suarius tom. 1. de Religione tract. 2. lib. 2. c. 30. vbi nu. 6. probat non solùm esse prohibitum postulare vel præstare Iuramentum in die festo; sed etiam testes examinare, eorumque suum testimonium dicere; deinde etiam nu. 8. probat in causis quoque spiritualibus esse hanc prohibitionem. Vlterius nu. 17. contra Caietanum probat, esse prohibitum non solùm Iuramentum in Iudicio postulatum, sed etiam omnia Iuramenta, quibus pacta & conuenta inter homines firmantur; non Iuramenta priuata. Vlterius c. 31. in principio explicat, quando sit mortale peccatum, & docet hoc esse desumendum ex paruitate, aut magnitudine temporis, quod insumitur in actibus Iudicialibus exercendis, & in testium examinatione perinde, ac dicitur de operibus seruilibus quæ exercentur in diebus festis.

Nec etiam testes examinandi iuxta Suarium.

Quando hoc sit mortale.

Prohibitio iurandi ab Aduentu &c. est abrogata.

51. Prohibitum vlterius est exigere, aut præstare Iuramentum ab aduentu Domini vsque ad octauam Epiphaniæ, & in Rogationibus, & in vigilijs quatuor temporum, & à septuagesima vsque ad octauam Paschatis, vt habetur cap. *decreuit*. 2. 2. q. 5. Hæc tamen prohibitio iam per desuetudinem est abrogata, vt docent ibi Glossa; Valentia, Suarius, & Sanch. suprà.

Ex parte Loci Iuramenta olim fiebant in solo templo &c.

52. Ex parte verò loci Iuramenta olim non fiebant; nisi in templo, aut super altare, ac circa res sacras, vt ex D. Chrysostomo affirmat Sotus q. 1. art. 1. Verum, vt rectè aduertit Suarius suprà, neque Chrysostomus affirmauit id fuisse necessarium; neque in Iure inuenitur obseruatum, nisi in quibusdam Iuramentis solemnibus, maximè ad commune bonum pertinentibus.

Assertio 3. seruanda etiam est circumstantia personæ. 1. Periuris interdictur Iuramentum in Iudicio.

53. Assero 3. Seruanda etiam est circumstantia personæ; quòd, scilicet, illi non sit interdictum præstare Iuramentum in Iudicio; quibusdam enim legibus interdictum est, atque inprimis id interdicitur, & meritò periuris, qui excluduntur à Iuramento in Iudicio præstando cap. *paruuli* 22. q. 5. quia, ex quo semel peierarunt præsumitur fore, vt semper peierent. Hoc autem quidam intelligunt de omnibus periuris notoriis, notorietate facti, etiamsi in Iudicio non fuerint conuicti. Ita Syluester *Iuramentum* 2. q. 3. Valentia, & Azor suprà. q. 6. Probabilius tamen puto ad hanc pœnam incurrendam necessarium esse, quod periurus conuictus sit in Iudicio. ita Archidiaconus, quem refert & sequitur Syluester verbo *periurium* q. 5. Tabiena verbo *iurare* q. 21 Sotus lib. 8. qu. 1. art. 10. columna 2. Arragon. ibidem Sanch. suprà. Suarius lib. 3. de Iuram. c. vltimo num. 19. & 20. qui addit in foro conscientiæ

conscientiæ neminem teneri ad abstinendum à Iuramento in Iudicio propter periurium ante commissum; donec per exceptionem, vel accusationem repellatur; quia in textibus Iuris Canonici tantùm dicitur, vt huiusmodi homines remoueantur, & repellantur. Quod etiam de omni laborante infamia notoriâ dicitur. cap. testimonium de *Testibus, & attestationibus.* Imo addit Suarius, quod si talis periurus in Iudicio admittatur ad ferendum testimonium, non erit nullum eius testimonium; quia nullibi est factum irritum.

54. Additur in eo capite *Paruuli*, quòd periurus, nec in suâ causâ admittatur ad iurandum hoc tamen rectè ibi explicat Glossa de Iuramento purgationis, & sibi vtili, secus de oneroso, vt est Iuramentum calumniæ, & fidelitatis, quod etiam docet Glossa vltima in caput. *Litteras de præsumpt.* & Sanch. & Suarius suprà.

2. interdicitur pueris ante pubertatem. Ratio. D.Tho.

55. Secundò interdicitur pueris ante pubertatem iurare in Iudicio cap. *paruuli* & cap. *pueri* 2.2.q.5. cuius rationem assignat D. Thomas q. 89. art. 10. quia ante eam ætatem nondum tam pleno rationis vsu gaudent, vt debitâ cum reuerentiâ iurare valeant. Sotus verò lib.8. q.1.art. 10. & Suarius lib.1. c.14. & nu. 5. solùm dicunt non esse cogendos ad iurandum; quia id tantùm prohibetur in prædictis textibus; posse tamen admitti, si ipsi spontè velint iurare. Probabilius nihilominus puto non esse admittendos; quia ratio adducta id probat, & ius meritò præsumit ad eam ætatem non esse capacitatem iurandi vt tantâ maturitate præstetur quantâ oportet, vt constat ex cap. 1. 4. q.3. atque ita docent Syluester Iuramentum 2. q.3. Valent. disp. 6. q.7. punct.3. Sanch. lib.3. c.3. num.6. & alij apud ipsos. Si tamen ad testificandum admittantur licet non faciant plenam fidem facient nihilominus præsumptionem. L. *inuiti* ff. de Testibus. Atque in ciuilibus ita habetur expresse in Hispaniâ l.9.tit.19.partit.3. Non tamen ea ætas sufficit ad testificandum in ciuilibus, & in criminalibus, nam in ciuilibus non admittitur minor quatuordecim annis cap.1.4 q.3.& in criminalibus non admittitur minor 20.annis, vt patet ex l. *Inuiti* & ex citatâ lege 9. Castellæ. Hoc tamen intelligitur quoad plenam probationem; nam potest etiam examinari impubes, & eius dictum facit plenum indicium ad torturam, vt cum Bartolo docet Syluester verbo *Impubes* in fine, & verbo *Testis* q.1.dicto.3 & Sanch. suprà.

Opinio Soti & Suarij reiicitur.

Diuersa ætas requisita ad testificandum in ciuilibus & in criminalibus.

3. Interdicitur Sacerdotibus ex leui causa iurare in Iudicio. Ratio. D.Tho.

56. Tertiò interdicitur Sacerdotibus ex leui causa iurare in Iudicio cap. *Si quis presbyter* 2.q. 5. cuius rationem reddit D. Thomas citato art. 10. quod dictum hominis tunc tantum Iuramenti confirmatione indiget, quando de eius veracitate dubitatur, quod dubium dedecet Sacerdotum dignitatem, & ideò pro leui causâ interdicitur eis iurare in Iudicio.

Non autē quando subest grauis causa, iuxta eundem. D.Tho.

57. Addit verò D. Thomas licere Sacerdotibus pro necessitate, vel magnâ vtilitate iurare, quod explicant D. Antoninus 2.part. tit.10. ca. 4.§.2. Syluester Iuramentum 2 q.3. Tabiena q. 21. Azor lib.11. c.11.q.6. Sanch. lib.3.c.3. nu.7. Ita vt liceat iurare, quando defectu probationis aliquis læditur, vel rem suam perdit, vel pro fide, vel pro pace, obedientiâ, indemnitateuè Ecclesiæ, vel quando ipsi Sacerdotes se ab infamiæ notâ purgare coguntur; vel, quando ab excommunicatione absoluendi sunt, quæ omnia probantur ex cap. *significasti* de *Electione* & cap. *de Syracusanæ* 28. distinctione, & cap. *ad reprimendam* de officio ordinario. Denique, si Sacerdotes in causâ propriâ litigent, debent iurare de calumniâ id est se bonâ fide, & non animo calumniandi causam mouere, vel aliquid proponere, vel respondere, neque id imposterum se facturum. Ita Glossa cap. 1. verbo *Criminali* de Iuramento calumniæ. Syluester citatâ q.3. Azor cap. 11. in fine. Sanch. suprà, & alij.

4. Interdicitur omnibus clericis in triplici casu. Primus casus.

58. Quartò interdicitur omnibus Clericis in triplici casu in manu laici iurare absque sui Episcopi licentiâ. Primus est, quando iurant coram laico, tanquàm suo superiore, & ab ipso coacti. cap. *Nullus* 22.q.3. secus, quando non tanquàm superiori; tunc enim possunt absque licentiâ cap. *ex rescripto*. ex cap. *peruenit* de Iureiurando. Secundus est, quando iurant de calumniâ, non enim possunt hoc Iuramentum præstare; nisi is, coram quo litigant, sit superior eorum, vel de licentiâ superioris cap. *Nos* 22.q.7. Tertius est in actu testificandi, nec enim possunt tunc in manu laici iurare absque sui superioris licentiâ capite *Quamquam* 24. q. 2. in reliquis verò casibus possunt sine sui Prælati licentiâ iurare in manu laici dicto cap. *Ex rescripto* & dicto cap. *peruenit*. Ita Abbas, quem referunt, & sequuntur Angelus *Iuramentum* 3. num. 3. Syluester *Iuramentum* 2.q.3. Tabiena q.21.

Secundus.

Tertius.

Hæc doctrina quoad Sacerdotes limitanda est.

59. Est autem hæc doctrina quoad Sacerdotes temperanda, vt liceat eis iurare, quando est causa grauis necessitatis, aut magnæ vtilitatis vt rectè Syluester citatus nuper, & Sanch. suprà.

DVBITATIO V.

An Iuramentum, cui deest Iudicium, & Iustitiâ sit Mortale, & Periurium?

60. IVdicium hoc loco sumitur pro tertio Comite Iuramenti iuxta dicta dubit.3. assert. 4. Vnde tantùm nunc quærimus, quantum peccatum sit iurare sine Iudicio, id est sine necessitate, aut magnâ vtilitate iurandi?

Assertio 1. iurare sine Iudicio si absit contemptus tantum est veniale. Ratio.

61. Assero 1. Iurare hoc modo, si absit contemptus, tantùm est peccatum veniale. Quæ doctrina est communis omnium Theologorum, & Summistarum in hac materiâ, quos in re tam clarâ referre superuacaneum est. Ratio verò est; quia hæc irreuerentia non censetur grauis cùm solùm sit peccatum vanitatis, & superfluitatis; vt cum Angelo, & Syluestro, Nauarro, & aliis notarunt Sanch.lib.3.c.4.num.35. Suarius lib.3. cap.12.

Obiicies.

62. Obiiciet tamen aliquis cuicunque homini graui fit iniuria, si ad confirmandas res vanas, & nullius momenti vocetur in testem, ac proinde, si vocaretur Rex, aut Pontifex grauior esse iniuria; ergo, si vocetur Deus qui est suprema maiestas, & summa veritas, erit grauissima iniuria.

Resp.

63. Respondetur irreuerentiam quidem, & iniuriam esse in alio altiori ordine, & in aliâ spe-

cie

cie superiore, quam quæ fit hominibus; non tamen inde sequitur, quòd in illo ordine sit graue, & mortale peccatum; alioquin etiam probaret argumentum nullam irreuerentiam in Deum esse veniale. Addit Suarius num. 6. tunc censeri esse contemptum in hoc casu, quando ipsa irreuerentia intenderetur per se, aut pro nihilo haberetur; hoc enim est propriè contemnere.

Assertio 2. Quando Iuramento promissorio deest secundus comes vnde grauitas culpa discernenda est. Iurans se fornicaturũ duplex mortale committit.

64. Assero 2. quando deest Iuramento promissorio, seu de re futurâ, secundus comes qui est Iustitia spectanda est qualitas rei promissæ ad discernendam Iuramenti culpam vnde, si res promissa est mortalis, Iuramentum erit mortale contra Religionem ex Iustitiæ defectu; vt, si quis iuret se fornicaturum est peccatum mortale Iuramenti malè præstiti contra secundum Decalogi præceptum; atque adeo sacrilegij, seu irreligiositatis præter peccatum mortale, quod est in ipso proposito fornicandi; quod si iurauerit se occisurum, aut percussurum præter peccatum mortale vindictæ contra quintum Decalogi præceptum admittit etiam peccatum mortale sacrilegij contra secundum, & sic de reliquis. Ita Scotus in 3. distinctione 39. q. vnica art. 3. Syluester *Iuramentum* 2. q. 7. Caietanus in summa verbo *periurium* in principio §. 2. Couar. de Pactis 1. part. §. 6. nu. 6. Nauar. c. 12. n. 13. Sotus lib. 8. q. 2. art. 3. concl. 2. Valentia disp. 6 q. 7. punct. 3. Azor lib. 11. c. 5. q. 1. Saytus in Claui Regia lib. 5. c. 4. num 35. Lessius c. 42. dub. 4 n 18. Suarius lib. 3. c. 19. à n. 9. Sanch. lib. 3. c. 4. n. 26.

Nauarrum pro Assertionis illustratione.

65. Intelligenda autem est assertio nostra de eo, qui iurat cum proposito illud faciendi nam qui iurat sine proposito faciendi, vnum tantùm peccatum admittit idque periurij propriè dicti; quia cum mendacio iurat, vt expressè tradunt Nauar. Lessius & Suarius suprà, & Caietanus infrà citandus, qui docet hoc per se esse manifestum, & Sanch, qui tantùm in particulari casu quodam putat esse duplex peccatum. In casu tamen, quo habeat animum implendi, quod iurat, omnes Authores agnoscunt duplex peccatum, alterum iniqui propositi, alterum malæ actionis iurandi, quia præter malitiam propositi de obiecto malo, agnoscunt esse malitiam in ipso Iuramento, eò quòd nomen Dei inuocetur ad malum patrandum. Vnde Caiet. suprà sic ait: cum iuratur super patrando peccatum mortale incurritur iurando periurium; non solùm; quia firmatur voluntas ad peccatum mortale; sed etiam; quia applicatur Iuramentum ad materiam, quam oportet omninò falsificare. Hæc Caietanus, quem sequuntur Sotus, Couar. & alij. Sed expressius adhuc duo peccata agnoscunt Nauarrus, Suarius, Lessius, & Sanch. suprà

Reiicienda est Doctrina Caietani.

66. Vnde omnino reiiciendus est idem Caiet. qui 2. 2. probans Iuramentum de peccato mortali faciendo, quando adest animus implendi, non esse *periurium* simpliciter, sed secundum quid; asserit nihilominus magis propriè dici posse, quòd Iuramenti additio aggrauet peccatum illud mali propositi, quàm quòd constituat nouam peccati speciem, quod sanè vltimum omnino improbabile est; quia, quamuis verissimum sit, quòd solus defectus veritatis in Iuramento sit simpliciter periurium defectus verò Iustitiæ (sicut, & necessitatis) tantùm sit periurium secundum quid; tamen ea malitia, quæ superadditur iurando illi proposito peccandi, siue magna siue parua sit, necessariò debet esse alterius speciei; quia est contra religionem quæ est species peccati distincta ab homicidio, vel alio simili peccato patrando, suprà quod cadit Iuramentum. Quapropter in multis textibus Iuris Canonici, quos adfert Suarius cap. illo 19. num. 13. interdum illud peccatum vocatur periurium, interdum incautum, interdum temerarium Iuramentum; quia etiam defectus committitur in ipso Iuramento, & deordinatio, seu abusus est in ipso Iuramento ac proinde malitiâ committitur contra Religionem siue ea dicatur periurium secundum, quid, siue irreligiositas, perinde, atque defectus iudicij, seu necessitatis est contra Religionem; quia est abusus Iuramenti.

Iuramento mali propositũ confirmanti, cõstituit nouã peccati speciem Ratio.

Malitia hæc noua (si Doctorũ authoritatẽ spectes) non venialis, sed mortalis dicenda est. At huius rationem efficacem nullam afferunt.

67. Sanè eam malitiam esse tantùm veniale, & non mortale, si authoritatem Doctorum spectemus non videtur affirmandum; quia plerique Authores citati mortale eam dicunt; sed (pace ipsorum dixerim) huius rationem efficacem afferunt nullam, vt ingenuè fatetur Lessius, & indicat Suarius suprà; ideo mihi constat viros doctissimos opinatos fuisse non esse peccatum mortale, & à quibusdam fide dignis audiui ita sensisse olim Vasquium de hac re interrogatum; atque etiam Patrem Antonium Rubium quem non in Philosophicis tantùm (vt eius scripta probant) sed in rebus Theologicis scholasticis iuxta, ac moralibus apprimè doctum & Complutensis, & Mexicana Academia satis nouit & venerata est. Idemque putant alij Recentiores. Quod autem nulla sit ratio efficax; nullaue talis ab Authoribus afferatur, discurrendo per singulas probari potest.

Ratio 1. Soti probãs esse mortale.

68. Sotus, quem aliqui sequuntur probat esse mortale; quia, qui iurat se facturum malum graue, videtur offerre, aut minari tale malum Deo sicut, qui vouet rem malam. Hæc tamen ratio, si quid probaret, etiam concluderet esse peccatum mortale: Iuramentum de faciendo 69. malum veniale, sicut vouere Deo veniale peccatum, mortale peccatum est, & Sotus ipse fatetur; cùm sit magna irreuerentia. Atqui Iuramentum de re veniali esse tantùm veniale, docent omnes Authores citati, vt in sequenti assertione videbimus. Præterea falsum assumit prædicta ratio; quia qui iurat malum, nihil promittit Deo; sed tantùm intendit alium hominem certum reddere sui propositi (vel, si non iurat minando alteri) tantùm intendit se firmare in suo proposito.

Reiicitur.

Iuramentũ de re veniali, est tamen veniale.

Probat 2. Valentia.

70. Secundò Valentia probat; quia, qui iurat, quantùm est in se, facit Deum cooperatorem peccati, quæ est grauis iniuria Dei. Verum hic Author statim præsentiscit obiectionem de peccato veniali; quia etiam facere Deum coo- 71. peratorem venialis peccati, est grauissima iniuria, non minus repugnans bonitati Dei quam repugnet Diuinæ veritati omne mendacium etiam veniale, & quidem satis propensum se ostendit ad concedendam sequelam, & paritatem; sed non audet propter communem sententiam. Discrimen verò insinuat, quia qui iurat veniale, non intendit directè facere Deum cooperatorem,

Reiicitur hæc ratio.

peratorem. Contra hoc tamen est, quòd neque qui iurat mortale id directè intendit. Quod si dicas in tam graui materiâ sufficere voluntarium indirectum, non verò in leui. Contra hoc etiam est, in moralibus voluntatem indirectam, & tacitam generaliter loquendo æquiualere directę, & expressæ. Deinde falsum est tam in Iuramento operis mali venialis, quàm mortalis fieri Deum cooperatorem, quantum est ex parte iurantis; sed tantùm testificatorem assertionis veræ de malo facto.

In moralibus voluntas indirecta & tacita, æquiualet directę & expressæ.

3 Alij reddunt rationem. Reiicitur.

72. Tertiò alij reddunt rationem; quia in Iuramento de re mortali adducitur Deus, vt approbator, & sponsor mali grauis.

73. Contra hos tamen etiam facit simile argumentum in Iuramento peccati venialis; nam facere Deum sponsorem, vel approbatorem peccati venialis est blasphemia, & peccatum mortale. Deinde falsum est, quod adducatur, vt approbator, sed solùm, vt testis; nam, qui aliquem adducit in testem, non facit, nec procurat, quòd ille approbet, vel spondeat, sed solùm, quòd veritatem latentem aperiat, & quod idem dicat, quod ipse dicit. Prætereà non adducitur Deus, vt sponsor, seu fidei iussor: quia iurans malum sæpè contra nullum iurat, & licet contra aliquem fortasse iuret nihil promittit, sed potiùs minatur. Ad id autem non potest intendere adducere Deum in fidei iussorem, vt alter maneat securus de re implendâ, sicut potest fieri in verâ promissione; solum ergo adducitur, vt credat alius, se habere propositum firmum.

In Iuramēto Deus nō adducitur vt approbator sed vt testis.

4. Resp. Caietanus Iuramentū de peccato mortali esse mortale. Ratio.

74. Quartò respondet Caiet. in summa verbo Periurium (quem sequuntur Sotus, & Couar. citati) Iuramentum de peccato mortali esse peccatum mortale; quia applicatur ad materiam, quam oportet omnino falsificare; atque adeò includit aliquam falsitatem. Hoc tamen
75. argumentum etiam eneruatur simili argumento petito ex Iuramento peccati venialis, quod etiam oportet falsificari. Vidit hoc Sotus &
76. Respondet tale Iuramentum venialis posse impleri sine peccato mortali; non verò illud, & ideò hoc Iuramentum non cum tanto rigore includere falsitatem; quia, quantò maior est necessitas falsitatis illius: tantò est maior ordinatio, & culpa. Quam solutionem probabilem putat Suarius.

Reiicitur. *Respondet Sotus.*

Nec Soti Responsio est admittenda.

77. Mihi tamen nullo modo videtur admittenda; quia in omnibus iis Iuramentis, quibus deest Iustitia, solum adducitur Deus, vt testis propositi seu veritatis de præsenti; quia cum non sint propriè promissoria, vt probauimus disp. 1. dubit. 2. nullam includunt, nec pariunt obligationem in futurum, nam iurans etiam rem indifferentem à se faciendam non tenetur eam facere, & tamen peccauit, quia iurauit, nec fecit Deum testem falsi; quia tale Iuramentum includit in se conditionem scilicet; nisi aliter sibi visum fuerit. Multò ergo minùs fit Deus testis falsi in Iuramento de re malâ, quia, vt probauimus non adducitur Deus, vt fidei iussor, aut sponsor; sed solum, vt testis. Vlterius, quod maior sit necessitas falsificandi Iuramentum de re mortali, quàm Iuramentum de veniali, parum refert, si vtrobique est obligatio falsificandi, seu non implendi. Accedit quod obligatio illa maior, aut minor falsificandi non spectatur in ordine ad obligationem virtutis Religionis, sed illa maioritas, vel minoritas obligationis se tenet ex parte materiæ Iuratæ, quæ, vt falsificabilis, est materia iniqua Iuramenti, & sicut in Iuramento merè assertorio de præsenti, quod materia iurata sit maioris, aut minoris falsitatis, non tollit, quin omnis sit materia sufficiens ad constituendum peccatum mortale in ratione Iuramenti; ita similiter, si ex eo quod iuretur materia quæ debeat falsificari censetur grauis iniuria facta veritati Dei summæ & infallibili; semper ac iuretur talis materia, cuiuscunque rationis sit, dummodo sit falsificanda, erit iniuriosa summæ veritati Dei; atqui non est mortaliter iniuriosa contra summam veritatem materia falsificanda, si venialis sit; ergo, neque materia falsificanda mortalis; nam, quod sit hæc materia grauis, & mortalis ex alio capite, & contra aliam virtutem est, non contra virtutem Religionis.

Nota.

Licet materia Iuramenti non implendi, sit grauis tale tamen Iuramentū poterit non esse mortaliter iniuriosum Deo. Ratio.

5. Et probabilius respondent Suarius & Sanch.

78. Quintò, & probabiliùs respondent Suarius & Sanch. suprà disparitatem esse in eo, quod irreuerentia Dei est, & iniuria velle Dei authoritate firmare propositum in malo (de quo dubitari non potest cùm sit communis sensus omnium Doctorum, imo & Patrum, vt videre est 22. q. 4. per totam & significetur in verbis Hieremiæ *Iurabis in Iustitia*) ergo, quò grauiùs est illud malum, eò grauior est irreuerentia; ergo, si malum illud sit peccatum mortale, etiam irreuerentia erit adeò grauis, vt ad mortale sufficiat. Vnde (ait Suarius) nullo modo est dubitandum de 2. assertione suprà positâ.

Responsio prædicta nō satisfacit. Ratio.

79. Hæc tamen ratio (pace tantorum virorum) non satis ostendit, cur non etiam sit mortale, iurare materiam, quæ sit tantùm peccatum veniale; quamuis enim concedamus grauiorem esse irreuerentiam, quo grauior est & peior res iurata; non tamen inde colligitur etiam, non esse mortale, quando leuis est materia, & venialis. Prætereà communiter Doctores concedunt, non esse peccatum mortale iurare rem venialem; quia spectatâ ratione Iuramenti, & reuerentiâ debitâ Deo, non censetur grauiter inhonorati Deus, aut aliquod attributum Dei per tale Iuramentum: non veritas diuina, non bonitas, non fidelitas, (quæ tria sunt attributa, quæ possint grauiter, & irreuerenter tractari in tali Iuramento) quod si aliquod tale attributum in honoraretur per talia verba, procul dubio esset mortalis irreuerentia, sicut de quâuis blasphemiâ diximus. Quod autem in tali Iuramento non censeatur attributum aliquod Dei inhonorari Patet; quia, neque est contra summam veritatem Dei qui vocatur, vt testis animi præsentis: quem verè habet iurans, vt supponimus: neque contra bonitatem: quia non inuocatur Deus, vt cooperator iuxta dicta: neque contra fidelitatem, quia non adhibetur Deus fidei iussor, vt etiam probatum est; atqui hæc ipsa ratio locum habet in Iuramento de aliquo peccato mortali faciendo: nullum enim inhonoratur attributum Dei propter easdem rationes, ergo, quæ ratio excusat à mortali in ratione Iuramenti, quando Iuramentum est de materiâ venialis excusabit etiam à mortali, quando Iuramentum est de peccati mortalis materiâ.

Nō est peccatū mortale iurare rem venialem.

Ratio excusans à mortali quādo materia Iuramenti est

80. Ideò

venialis excusabit etiā quando materia est mortalis.

80. Ideò Lessius suprà fatetur quidem esse magnam deordinationem in eo, quòd velit quis authoritate diuinâ firmare se in malo: non tamen videri mortiferam. Quæ doctrina ex sequenti assertione amplius confirmabitur.

Assertio 3. Quando in Iuramento assertorio deest Iustitia regulariter tantū est veniale contra Religionem, licet &c. Citra sentit Tolletus. Sotus. Ledesma.

81. Assero 3. quando in Iuramento assertorio deest Iustitia regulariter tantùm est peccatum veniale contra Religionem in eo abusu Iuramenti: etiamsi assertio iurata sit culpa mortalis, vt contingit, quando quis cum Iuramento reuelat peccatum occultum proximi, aut proprium cum iactantiâ delectatione, aut scandalo. Contra hanc assertionem sensit expressè Toletus lib. 4. c. 21. nu. 1. & 11. asserens hoc peccatum esse mortale quando assertio iurata est mortalis, & veniale, quando venialis, perinde ac in promissorio. cum Toleto videtur sentire Sotus lib. 8. q. 1. art. 3. Ledesma Tract. 11. c. 2. dub. 4. asserentes non minùs esse iniustum hoc Iuramentum, quàm, cùm res iniusta promittitur sub Iuramentu faciendo.

Nostrā assertionem tenent. Suarius. Sanch. &c. Ratio.

Pro nostrá tamen assertione sunt Suarius lib. 3. de Iuramento cap. 12. num. 7. & 8. Sanch. lib. 3. cap. 4. nu. 33. & alij apud ipsos, pluresque Recentiores: qui probant: quia in hoc Iuramento nulla prorsus admiscetur falsitas, nec mendacium, &, quamuis adducatur Deus, vt testis rei prauæ, & indecentis, & sit aliqua irreuerentia Dei, & iniuria: non tamen mortalis: neque enim hic adducitur Deus ad firmandum se in malo, sed solùm, vt testis veritatis, & in hoc assignant discrimen inter hunc casum, & casum præcedentis assertionis: nam in eo casu contendunt Suarius, & Sanch. eum, qui iurat se facturum peccatum, attendere ad sui propositi veritatem, & etiam immutabilitatem seu firmitatem ex generali quâdam conceptione, & existimatione, quod id, quod iuratur immutabile quodammodo sit: in præsenti autem casu solum attendit ad veritatem confirmandam: ad hoc autem per accidens omnino est, & præter intentionem, quod veritas dicatur peccando, vel non peccando.

Inducens Deum in testem rei prauæ non facit Deo mortalem irreuerentiam. Differentia inter hunc casum & casum præcedentis assertionis.

Dicitur in Assertione Regulariter.

82. Diximus autem in assertione *Regulariter*: nam in eo casu erit irreuerentia mortalis, quo Iuramentum assumatur vt instrumentum illius peccati, vt ad augendam, aut persuadendam grauem infamiam proximi. Ita Suarius & & Sanch. suprà.

Confirmatur Assertio.

83. Confirmatur eadem tertia assertio: quia durissimum apparet damnare peccati mortalis eum, qui iurat odio habere inimicum, sine vllâ iactantiâ, delectatione, aut approbatione talis odij.

Assertio 4.

84. Assero 4. Iurans se facturum peccatum veniale animo implendi, peccat venialiter defectu Iustitiæ Iuramenti, atque adeò erit duplex veniale: alterum propter defectum Iustitiæ Iuramenti: alterum propter affectum peccandi venialiter in eâ materia, vt ex se patet.

Obiicies.

85. Dicet tamen aliquis adhuc esse tertiùm peccatum veniale: quia sine necessitate iuratur.

Resp.

86. Respondeo nihilominus hoc non esse peccatum veniale distinctum: quia in defectu Iustitiæ continetur eminenter ea non necessitas, tanquam in altiore specie imbibita: quapropter defectus Iudicij in Iuramento nunquam constituit nouam speciem malitiæ, nisi, quando reperitur sine iniustitiâ, & sine mendacio, seu periurio propriè dicto. Hac ratione verbum mendax, iniuriosum, lasciuum, & similia non computantur inter verba otiosa, nec constituunt speciem verbi otiosi, quia otiositas, quæ in talibus verbis reperitur, scilicet carentia necessitatis, aut vtilitatis, eminenter continetur in aliâ specie superiori peccati, & solum species verbi ôtiosi reperitur iuxta meliorem Theologiam, quando verbum aliàs caret prædictis, & aliis diuersarum specierum malitiis.

Defectus Iudicij non constituit in Iuramento nouam speciem malitiæ.

Ratio quarta Assertionis.

87. Ratio verò quartæ assertionis est: quia ea irreuerentia non est grauis: nam, quamuis teneatur iurans sic reddere falsum Iuramentum, non implendo illud: non tamen ad id tenetur sub mortali: sed sub veniali. Ita Syluester *Iuramentum* 4. q. 1. Caietanus, Nauarrus, Sotus, Couar Valentia, Suarius, Sayru, Lessius, Azor, & Sanch. locis citatis in 2. assertione. Multò mihi magis placet ratio: quia tale Iuramentum non obligat ad sui impletionem: atque adeò solùm est propriè loquendo assertorium animi de præsenti, & in hoc sensu verum: solumque adest aliqua irreuerentia in quantum inuocatur Deus, & affertur in testem mali propositi, in quo non apparet mortalis deordinatio iuxta nuper dicta in præcedenti assertione.

Ratio magis placet.

Implere hoc Iuramentum rei venialis nō nulli putāt esse mortale.

88. Implere autem hoc Iuramentum rei venialis, eo quod sit res Iuramento promissa: nonnulli putant esse mortale. Ita Hugo quam refert, & sequitur Angelus *Iuramentum* 5. nu. 2. & fauet Sotus lib. 8. q. 1. art. 7. in solutione secundâ, vbi ait esse blasphemiam facere malum ob reuerentiam Iuramenti. Horum sanè sententia vera esset, si non intercederet ignorantia: quia blasphemum est offerre Deo peccatum quasi ei placēs.

Ratio.

Syluester aliique putant esse tantum veniale.

89. Verum enim verò, cùm id fiat non quidem ex errore in fide: sed ex quâdam ignorantia vulgari, quâ putant ad id obligari ex reuerentiâ Iuramenti, ideò Syluester, Nauarrus, Sayru suprà putant tantum esse culpam venialem. Addunt tamen eam circumstantiam reuerentiæ Iuramenti seruandæ minuere peccatum illud veniale, quod ex eo fit.

Probabilius est tātum aggrauare venialem illam culpam

90. Probabilius tamen est potius aggrauare venialem illam culpam. Ita Suarius, & Sanch. suprà; ratio est; quia pertinet ad superstitionem indebiti cultus Deo exhibiti. Item; quia volendo implere ratione prioris Iuramenti, est, quasi confirmatio prioris impiæ voluntatis. Legantur, quæ dicemus infrà disp. 3. dubit. 4. assertione vltima.

Assertio 5. Iurans se facturum aliquid contra consilia Euangelica, peccat venialiter. Ratio.

91. Assero 5. Si quis iurat, se facturum aliquid contra consilia Euangelica, vt se non futurum Religiosum; non daturum Eleëmosynam, aut mutuum; est veniale peccatum defectu Iustitiæ; quia materia hæc non est apta Iuramenti, & est leuis irreuerentia vti diuino testimonio ad se obligandum, & tale Iuramentum non obligat iuxta doctrinam infrà tradendam disp. 3. dub. 3. & 4. Ita Caiet. 2. 2 q. 89. art. 7. in solutione secundâ & q 98. art. 2. & in summâ verbo *Periurium* in principio. Sotus suprà concl. 5. Nauar. c. 12 n. 16. Armilla verbo *Iuramentum* nu. 15. Valentia, Azor, & Sayro suprà Suarius lib. 3. c. 18. num. 6. Lessius c. 42. dub. 3. nu. 17. Sanch. lib. 3. c. 4. nu. 30. Non me latet Abulensem in caput 5.

Peccare tale mortaliter putant Matthæi q. 301. Angelum *Iuramentum* 5. num. 3. Syluestrum *Iuramentum* 2. q. 7. existimare id esse mortale; sed absque idoneo fundamento id dicitur.

Abulēsis. Syluester. *Assertio 6. iurare se facturum rem indifferentem est veniale.* 92. Assero 6. iurare se facturum rem indifferentem veniale peccatum est defectu Iustitiæ, eo, quòd res indifferens non sit apta Iuramenti materiæ. Ita Armilla verbo *Periurium* nu. 3. Sotus lib. 8. q. 2. art. 3. concl. 5. Sayro lib. 5. c. 4. num. 16. Sanch. c. 4. n. 31.

Ex dictis Infertur. 93. Ex dictis infertur minus malum esse quempiam iurare se facturum rem venialem, aut indifferentem; aut contra consilia habendo animum exsequendi; quam absque tali animo; quia in priori casu solùm est veniale peccatum, vt patet ex 4. 5. & 6. assertione in posteriori verò est periuriū mortale, quia deest veritas de præsenti.

94. Infertur è contra minus malum esse iurare rem mortalem animo non exsequendi; quia in priori euentu est vnica mortalis culpa, scilicet periurij; in posteriori autem duplex, vt patet ex 2 assertione. Sed hoc non est ita certum, vt mox dicam.

95. Non me latet Suarium, & Sanch. inter se dissentire, & vtrumque satis probabiliter philosophari; nam Suarius lib. 2. de Iuramento c. 14 nu. 5. docet, quando est minùs malum periurium, quam mortale illud, quod Iuramento promittitur teneri Iurantem habere animum non implendi; quia tunc putat minus malum committere periurium, quam velle committere tale peccatum quod est maius periurio. Sanch. verò putat semper esse maius malum habere animum implendi & faciendi illa duo peccata vt explicat citato cap. 4. n. 27. *Quoad casum Illationis dissentiunt inter se. Suarius. & Sanch.*

Opinio Suarij magis placet. 96. Quamuis autem vtrùmque satis probabile sit, mihi magis placet opinio Suarij, & iuxta eam adhibendam esse limitationem præcedentis illationis: fieri enim potest in re morali vnicum peccatum mortale, tum in specie, tum in ipsa numerica grauitate, longè grauius esse quam duo peccata mortalia numero aut specie inferiori diuersa, sic ergo in nostro casu si contingat rem iuratam esse multò grauius peccatum quam sit periurium intelligi potest esse minus peccatum iurare sine animo implendi quam iurare cum animo implendi illud nam licet iurare cum animo implendi sit duplex peccatum; alterum mali propositi & intentionis peccandi; alterum malæ iurationis seu actus iurandi. Iurare autem sine animo exsequendi est periurium propriè dictum & periurium propriè dictum quantumuis sit vnicum peccatum potest esse maius peccatum quam illa peccata malæ intentionis & propositi & malæ iurationis: nam inprimis periurium propriè dictum certius & clarius est peccatum longo interuallo excedens malam iurationem & peccatum malæ intentionis seu propositi implendi rem iuratam; potest etiam esse intra latitudinem mortalis valde paruum puta furandi minimam quantitatem sufficientem ad mortale; in tali ergo casu minus apparet peccatum non iurare falsum, quamuis iuretur malum cum malo proposito quam iurare falsum atque in hoc sensu mihi placet Suarius, quamuis modus ille loquendi non placeat scilicet teneri Iurantem habere animum implendi vt euitet maius peccatum. Nec enim dicendum est teneri; absolutè enim tenetur ad non iurandum in eo casu sed dicendum est minus peccare si habeat animum implendi quam si non habeat. Tunc ergo tantum erit maius malum iurare cum animo implendi quam sine illo quando duo peccata scilicet voluntas exsequendi & mala iuratio simul sumptæ excedunt grauitate specifica vel numerica grauitatem periurij. Vnde si quis iuraret se cras odio habiturum Deum aut habiturum actum infidelitatis formalis & propriæ minus malum faceret iurando sine animo implendi quam cum implendi animo, quia minus malum est periurium quam infidelitas aut odium Dei. *Potest esse minus peccatum iurare sine animo implendi, quā iurare cum animo implendi.* *Quādo est maius malum iurare cum animo implendi, quam sine illo.* *Periurium minus malum quam odium Dei &c.*

Assertio 7. periurium duobus modis accipitur. 97. Assero 7. periurium duobus modis accipi solet. Primò significatione lata & impropria; secundo stricta & propria. In prima significatione dixit Hieronymus & habetur cap. 2. 22. q. 2. omne Iuramentum cui deest aliquis comes ex tribus prædictis nequaquam esse Iuramentum, sed periurium id est peruersum Iuramentum seu malam iurationem. In secundo verò sensu solum Iuramentum falsum dicitur periurium, atque ita illud definiunt Scholastici Doctores & in eo sensu frequenter accipitur in sacra scriptura: vt Prouerbiorum 30. versu 9. & Leuitici 19. & Zachariæ 5. ex quibus omnibus videtur definiri periurium seu peierare idem esse quod in nomine Dei mendaciter iurare. *Eius definitio.*

Periurus propriissimè loquēdo quis sit. 98. Quia tamen in Iuramento promissorio duplex est veritas altera de præsenti altera de futuro & quacunque deficiente dici solet periurium; ideo multi promiscuè vtuntur nomine periurij & periurum hominem appellat illum qui quantumuis tempore promissionis habuerit animū implendi postea non impleat: tamen si propriissimè loquamur periurus ille dicitur qui adhibet Iuramentum cui deest veritas de præsenti si verò desit veritas de futuro tantum non propriè dicitur periurus nec peccatum illud appellatur propriè periurium, sed fractio seu violatio Iuramenti. Ideo deinceps vt vtrumque distinguamus & nullus maneat æquiuocationi locus alterum peccatum appellabimus periurium falsitatis, & alterum periurium infidelitatis & de periurio quidem falsitatis, eiusque grauitate dicemus proximis sequentibus 6. & 7. dubitatione; de periurio verò infidelitatis dubitatione 8. postea ad alia, quæ circa vtrumque accidere possunt & solent gradum faciemus.

DVBITATIO VI.

An semper sit mortale peccatum Iuramentum, cui deest veritas de præsenti, & an excedat alia peccata?

Assertio Iuramentū Assertoriū veritate carens, semper est mortale, nisi defectu deliberationis excusetur. 99. ASserendum est Iuramentum assertorium veritate destitutum in quacunque materia quantumuis leui est mortale peccatum, solumque excusari potest à mortali defectu plenæ deliberationis. nam Deum afferre in testem mendacem grauissima iniuria est abstrahendo à quacunque materia; sic enim iurans quantum est ex parte sua Deum vel ignorantem facit vel improbum.

probum. Vtrumque autem est grauissima irreuerentia & atrox iniuria contra Deum. Vnde rectè dixit Suarius rationem à priore huius assertionis esse quia leuitas materiæ mendacij est accidentaria ad grauitatem malitiæ Iuramenti; nam respectu Iuramenti omne mendacium est grauis materia; primò quia periurium non sumit suam malitiam vel grauitatem ex grauitate vel leuitate mendacij, quæ solum consistit in hoc, quod fiat cum detrimento alterius, vel sine illo, vel quod fiat cum vtilitate, vel sine illa: sed in eo præcisè grauitas consistit quod Deus adducatur in testem falsitatis, ad hoc autem paruum refert quod falsitas sit perniciosa vel non. Secundò quia licet in homine affirmare mendacium iocosum sit leuis culpa in Deo tamen dicere leuissimum mendacium esset summa imperfectio; quia eo ipso amitteret eminentiam prioritatis; ergo qui Deum affert in testem mendacij etiam minimi, maximam iniuriam illi irrogat. Tertiò quia hinc fit vt quodlibet periurium euacuet quantum in se est Iuramentum fine suo finiendi controuersias, ideo assertionem nostram docent scholastici in 3. distinct. 39. Scotus quæst. vnica art. 2. Richardus q. 2. art. 3. & alij omnes. Item ferè omnes Summistæ verbo *periurium* & D. Thomas q 98. art. 3. ad 2. vbi Caietanus & alii eius Interpretes, Sotus lib. 8. q. 2. art. 3. Couar. de Pactis part. 1. §. 1. nu. 4. & lib. 1. variarum c. 1. nu. 4. Tuletus lib. 4. cap 21. Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 4. num. 15. Azor lib. 11. c. 4. q. 1. Valentia disp. 6. q. 7. punct. 3 Suarius lib. 3. de Iuramento c. 4. & lib. 1. c. 3. concl. 1. vbi ait esse de fide quod periurium sit peccatum, nō tamen esse de fide, quod sit mortale in omni materia. item Sanch. lib. 3. c. 4. nu. 6. Ex hac doctrina plura licet colligere.

Ratio 1. A priori Assertionis. — *Periurij grauitas in quo præcisè consistat. Ratio 2.* — *Ratio 3.* — *Ex doctrina iā datā. Collige 1. non excusari à mortali Periurium propter bonum finem. Ratio.*

100. Colligitur primò, non excusari à mortali periurium eo quod fiat propter quemcunque bonum finem & quantumcunque necessarium etiam ob tuendam propriam vitam, imò etiam ad totam Rempublicam liberandam, vt rectè ait Sotus, Caietanus, Sayrus, Toletus, Suarius, Sanchez num. 6. Nauar. c. 12. num. 6. & alij communiter. Ratio est quia mentiri ita est intrinsecè malum, vt nunquam valeat honestari, quod omnes asserunt cum D. Augustino lib. contra mendacium & refertur cap. *si quis* 22. q. 2. ergo multò minus poterit honestari quod mendacium confirmetur Iuramento.

Collige 2. Non excusari à mortali periurium causā Ioci dictum.

101. Colligitur secundò, non excusari à mortali Iuramentum falsum causa ioci dictum, vt pessimè dixerunt aliqui Iurisperiti, quos refert Angelus verbo periurium nu. 1. & Glossa in caput vnicum § *nunc* in fine verbo *Iuramus* 25. distinct. nec ipse Angelus rectè dixit eam opinionem esse probabilem. Probant autem hanc suam sententiam ex Augustino relato cap. *Quod autem* 22. q. 2. vbi dicit mendacium iocosum, non esse propriè mendacium, ergo neque iurare illud erit periurium.

Difficultatem facile verba Augustini. Verissima tamen sententia mortale esse asserens.

102. Verissima nihilominus sententia est quæ asserit esse mortale, imo quoad aliquid grauius, quam si seriò diceretur quia plus diuini honori derogatur si Deus adducatur in testem falsi nulla causa adducente; sed solo ioco vt docent communiter Theologi D. Thomas 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. Syluester *periurium* num. 1. & *Iuramentum* 2 q. 6. Nauarrus nu 6. & Azor c. 12. q. 4. Couar. 1. parte §. 6. Suarius suprà nu. 5. Sanch. suprà num. 7.

103. Ad Augustinum verò respondetur cum Suario intelligendum esse quando locutio ita fit per iocum, vt ex ipso modo iocandi satis intelligi possit non affirmari id quod dici videtur, sed tantum ad lusum iocumq; proferri Quapropter quantum constabit verba non asserendo, sed materialiter & sine intentione iurandi tantumque referendi & repræsentandi causa proferri non esset peccatum quia reuera, non esset Iuramentum. Hac ratione excusantur Histriones & Parasiti, qui iocandi gratia imitantur eos qui iurant & blasphemant: tunc enim neque interius neque exterius adducunt Deum in testimonium, nec loquuntur ex propria persona sed se habent vt aliorum dicta vel facta referentes, atque ita eos accipiunt auditores. Ita videntur assentire Suarius & Azor suprà, & mihi videtur certum, colligiturque ex dictis dubit. 1. disputationis præcedentis.

Ad Augustinum Resp. Quomodo sit intelligendus.

104. Colligitur tertiò Iuramentum promissorium semper esse peccatum mortale quando deest illi veritas de præsenti id est quoties iurans non habet animum seruandi siue implendi rem promissam siue ea licita siue illicita siue magna siue, parua, sit & ob quamcunque causam deficiat actus ille. Ratio est quia hac veritate deficiente, reuera Iuramentum cadit suprà id quod verè & perfectè est mendacium, cum iurans contra mentem ea affirmans se facturum quod facere minimè putat. Hæc doctrina certissima est & ab omnibus traditur. Ita Caietanus 2. 2. q. 89. art. 7. & q. 98. art. 2. & 3. & in summa verbo *periurium* c. 2. in principio & cap. 3. in principio. Syluester eodem verbo c. 1. Armilla num. 3. Sotus lib. 8. q. 1. art. 7. & q. 2. art. 1. & 3. Nauarrus c. 12. nu. 13. Valentia disp. 6. q. 7. punct. 3. concl. 2. Azor lib. 11. c. 4. q. 1. Sayro lib. 5. c. 4. nu. 27. Lessius c. 42. dub. 4. nu. 18. Sanch. lib. 3. c. 4. nu. 16. Suarius lib. 3. c. 15. nu. 2. & iterum latius c. 17. à nu. 7. vbi aliqua Iuramenta excusat vt parentum qui filiis minantur supplicium sine intentione implendi, vel promittunt præmia vt eos ad bonum faciendum excitent, etiam sine animo implendi similiter Iuramenta facta causa vrbanitatis, vt non ingrediendi: nisi alter præcedat. Quæ omnia possunt excusari à mortali ex duplici capite, primò si reuera non habeat animum iurandi quia Iuramenta sunt extraiudicialia & materia est leuis qua de re dicemus dubit. 11. Secundò, quia licet fiant cum intentione iurandi & sine intentione implendi, non tamen absolutè sine intentione sed cum aliqua subintellecta conditione, scilicet si hoc vel illud feceris, si consensens, aut si non nimium repugnatis, vel nisi aliud magis expedire iudicauerim, vel quantum in me est, vel si alteri non fuerit ingratum. quæ excusatio absque dubio habet locum, si iuxta subiectam materiam & circumstantias concurrentes prædicta conditionalis intelligatur & eo animo Iuramentum emittatur: tunc enim nec veniale peccatum erit ex defectu veritatis, quia nullum est mendacium, licet possit esse veniale peccatum defectu necessitatis.

Collige 3. Promissorium, est mortale si de sit veritas de Præsenti. Ratio. — *Suarius Excusat aliqua huiusmodi Iuramenta à mortali.* — *Ratio.*

Verum doctrina huius tertia illationis vniuersim vera est.

105. Verum si rectè aduertamus in neutra ex prædictis excusationibus iurat quis mēdacium; nam in prima reuera non iuratur; sed sunt mera vrbanitatis verba. in secunda verò iam adest animus implendi, licet conditionalis & ex circumstantiis sic ab audientibus intelligitur Iuramentum fieri ac proinde propriè loquendo doctrina huius tertiæ illationis nullam patitur exceptionem, sed vniuersim vera est. An verò sit mortale quando Iuramento promissorio deest veritas de futuro dubitatione 8. videbimus.

Collige 4. mortale esse rem dubiā vt certā iurare. Ratio.

106. Colligitur quartò esse etiam mortale peccatum, si quis rem sibi dubiam iuret vt certam, tum quia periurij periculo exponitur, tum quia reuera falsum iurat, nam qui iurat rem ita se habere, eam vt certam asseuerat; qui autem tanquam certam asserit rem de qua est dubius, mentitur quia contra mentem it, secus si iuret rem illam vt sibi dubiam & eo modo quo eam habet in mente, vt si dicat: *iuro quod suspicor ita esse vel ita esse credo aut opinor*, hoc casu verum iurat atque ita in specie docuerunt Angelus verbo *periurium* num. 3. & ibi Syluester q. 1. Sayrus lib. 5. c. 4. nu. 7. Sanch. lib. 3. c. 4. nu 8. Nauar. c. 12. nu. 7. § 8. Suarius lib. 3. c. 4. nu. 7. Addit verò Sanch. etiam esse mortale peccatum, si quis rem sibi certam iuret quasi dubiam dicens: iuro quod suspicor aut quod credo ita esse, quia nimirum sicut mentitur dicens dubium ac si esset certum ita è contra mentietur dicens, certum ac si esset dubium: perinde atque reus esset mortalis mendacij qui fateretur in confessione Sacramentali peccatum mortale quod certò nouit se commisisse: & tamen solum fatetur quasi dubium quod intellige (inquit Sanch.) quando iurans id consulto efficeret, nam alioquin sæpè aliqui scrupulis agitati hac loquendi forma vtuntur gratiâ cauendi mendacij quasi scrupulo coactè ad timendum ne fortè non ita certè sint de ea veritate quam proferunt quos à peccato excusari constat. Quam autem certitudinem debeant habere Iurantes, dicemus dubitatione sequenti.

Secus si rē illam iuret vt dubiā.

Addit Sanch. esse mortale si quis rē sibi certam iuret quasi dubiam.

Quod intellige.

Collige 5. etiā mortale esse iurare se facturū aliquid animo dubio illud implendi. Ratio.

107. Colligitur quintò etiam esse mortale iurare Iuramento promissorio, se facturum aliquid animo dubio illud implendi. Ratio est quia deficit certa veritas de præsenti sicut contingit, quando quis Iuramento assertorio affirmat rem dubiam. Ita in specie affirmant Sotus lib. 8. q. 1. art. 7. in solutione ad 1. & Sanch. lib. 3. c. 4. n. 17. & nemo quem viderim negat; imo Sanch. testatur hoc omnes Authores affirmare aut supponere tanquam certum.

Hinc mortaliter peccat iurans promissionē, quā implere se non posse credit. Ratio.

108. Ex quo patet peccare mortaliter eum qui Iuramento aliquid promittit credens fore vt implere nequeat, quia deficit veritas cum non adsit firmus animus implendi. Ita Ostiensis quem refert & sequitur Angelus, verbo Iuramentum 5. nu. 31. Syluester Iuramentum 4. q. 18. vel 25. Abulensis in caput 5. Matthæi q. 307. Nauarrus cap. 12. num. 22. Philiachus de officio Sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 13. in fine. Azor lib. 11. c. 5. q. 1. Suarius lib. 3. c. 18. in fine. Sanch. lib. 3. cap. 4. num. 18.

Item si non habeat probabilem credendi causā &c.

109 Pari ratione mortale est sic iurare si non habeat probabilem credendi causam fore vt possit implere, sed tantum id leuiter credit. Secus verò quando causam habet credendi probabilem. Ita Ostiensis Angelus, Syluester, Abulensis, Suarius & Sanch. citan, & à fortiori erit mortale quando dubitat an possit & debeat facere quando iure iurando confirmat, vt rectè Syluester verbo *periurium*, q. 1. in fine. Quapropter maximè displicet Arragon qu. 89. art. 3. dicto 4. dum ait Iuramentum rei impossibilis esse veniale, quem etiam sequutus est Sayro lib. 5. c. 4. in fine.

Collige 6. Iuramentū hyperbolicum non esse falsum. Ratio. Augustinus. D. Tho.

110. Colligitur 6. non esse Iuramentum falsum quod per hyperbolim, aliamúe figuratam locutionem iuratur, etiamsi vt verba sonant verum non sit; quia quod fingitur per aliquam figuram non est mendacium, vt in genere testatur D. Augustinus lib. 2. de quæstionibus in Euangelia c. 51 & D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. ad 1. atque ita docet Nauarrus lib. 5. Conciliorum tit. de Hæreticis concilio 14. non peccasse testem qui interrogatus ab Inquisitore, quid sentiret de fidelitate cuiusdam coniecti in carcerem, respondit sub Iuramento adeo credo Deum esse fidelem quod ero contentus vt comburar ego si ipse Hæreticus inueniatur, quia locutus est (inquit Nauarrus) per hyperbolem & exaggerationem, atque adeo sine mendacio. Hac enim loquendi formula sæpè vtitur sacra scriptura, quale est illud Dauid 2. Reg. c. 1. Saul & Ionathas *aquilis velociores & leonibus fortiores*, sic etiam videtur intelligendum quod sub Iuramento ait Paulus ad Rom. 1. versu 9. *testis enim mihi est Deus quod sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis*, huius rei rationem reddit Sanch. quia figurata locutio non enim sensum reddit, quem verba in rigore sonant, sed est quædam exaggeratio ac proinde ne id Iuramentum veritate destituatur debet iurans ita rem cum ea exaggeratione æstimare, vt si iurat se tanti æstimare calamum quanti equum censeatur verax quando calamum, illum valdè bonum existimat, quia id solum ea exaggeratione significatur. Ideo merito etiam idem Sanch. nu. 19. asserit non iurare mendaciter qui iurat alicui fore vt id ipsum auri statera pendat, si bene tale opus faciat dummodo habeat animum satis superque soluendi quia id tantum ea exaggeratio significat. Iuraret tamen mendacium, si deesset illi animus copiosæ solutionis. Item minatur quis filio, famulo aut seruo fore vt ipsum interimat siue ossa confringat; satis est & requiritur ad Iuramenti veritatem, quod iurans habeat animum grauiter puniendi quia hic est sensus illius hyperboles.

Figurata locutio enim sensū reddit, quem verba in rigore sonant.

Collige 7. id quod est maximè notandum.

111. Colligitur septimo id quod est maximè notandum pro assertione proposita & pro illationibus inde deductis non est necessarium distinctè fateri in confessione quoties quis cum mendacio & quoties cum dubio & quoties de futuro cum animo non implendi iurauerit; sed satis est fateri in confessione toties se falsum iurasse quia hæc omnia sunt Iuramenta mendacia eiusdem rationis & speciei vt constat ex dictis in assertione & in illatione 3. 4. & 5.

De his tamen omnibus distinctè interrogandi pœnitentes.

112. Nihilominus oportet de his omnibus distinctè & seorsim interrogare pœnitentes, quia rari sunt qui hæc Iuramenta coniungere sciant & omnia simul fateri vt rectè aduertit Sanch. lib. 3 c. 4. n. 46.

113. Assero

Assertio 2. periurium à mortali excusat defectus perfectæ deliberationis. 113. Assero secundò periurium à mortali excusatur quoties procedit ex defectu plenæ ac perfectæ deliberationis, vt si quis ex lapsu linguæ id iuret cuius veritatem non satis discussit aut non aduertens se iurare aut non aduertens id quod iurasset esse falsum. Ita D. Thomas q. 98. art. 3. ad 2. & ibi Caietanus in fine, Syluester verbo Iuramentum 2. q. 6. Nauarrus c. 12. nu. 7. Sanch. suprà nu. 15. qui testatur esse omnium sententiam quia omnes ad periurium mortale petunt quod quispiam aduertat & se iurare & id esse falsum aut certè eius veritatem non esse *Ratio communis.* sufficienter discussam. Ratio communis est & satis nota quia absque tali aduertentia iurare aut non est actus humanus atque adeo nec veniale peccatum aut est imperfectè talis atque adeo non est mortale sed veniale tantum.

Notandum. 114. Aduertendum verò est quod si quis fortè dum initio iurare cœpit non plenè aduertit in ipso tamen Iuramenti discursu aduertat id quod iurat esse mendacium aut esse rem dubiam & cum aduertit non cessat iam tunc mortaliter peccat quia rem falsam tunc consultò iurat. Ita videtur sentire Syluester suprà, dum ait peccare mortaliter qui iurat ex ira si aduertens esse falsum prosequitur & expresse docet Sanch. citato num. 15. nec videtur posse negari quia iam tunc incipit esse plenus actus humanus periurij. Video nonnullos excipere ab hac doctrina cum qui iurat ex consuetudine nimia iurandi quem putant peccare mortaliter atque adeo non comprehendi dictâ nostrâ assertione sed de hoc dicemus dub. 9. & 10.

SECVNDA PARS DVBITATIONIS.

An scilicet excedat periurium alia peccata?

In hac re aliqua sunt certa alia controuersa. Certum 1. est. 115. IN hac re aliqua certa sunt & aliqua sub controuersia. Certum primò est & de fide periurium esse ita malum & prohibitum vt in nullo euentu liceat. Constat hoc ex prohibitionibus clarissimis sacræ scripturæ. Leuitici 19. vers. 12. *non periurabis in nomine meo nec polluos nomen Dei tui,* & Exodi 20. vers. 7. Deut. 5. vers. 11. Matthæi 5. vers. 27.

2. Certum est. 116. Secundò certum etiam de fide hoc peccatum ex genere suo esse mortale & valde graue quia est contra præceptum secundum primæ tabulæ quod est grauissimum & consequenter contra Religionis virtutem in materia maximè pertinente ad diuinum honorem. Est etiam periurium maximè contra finem Iuramenti quia est confirmatio veritatis in quo omnes Theologi conueniunt.

An periurium sit sacrilegium controuertitur. 117. An verò periurium sit sacrilegium in controuersia est apud Authores, nam aliqui omninò affirmant, nihilominus vt rectè docet Suarius lib. 3 de Iuramento c. 3. n. 4. id non est consentaneum diuisioni vitiorum contra Religio- *Differre vnum ab altero docet D. Tho. Suarius.* nem quam ipse tradiderat Tract. 3. lib. 1. c. 1. neque doctrinæ D. Thomæ nam q. 98. art. 2. docet periurium esse peccatum Religioni contrarium quia Deo ipsi irreuerentiam irrogat de sacrilegio verò idem S. Thomas q. 99. definiendo docet esse peccatum per quod irreuerentia *Ratio.* infertur rebus sacris. Distinguit ergo specie hæc *Et quidem specie.* vitia & grauius peccatum est periurium quod ad irreligiositatem spectat quam sacrilegium.

118. Tertiò certum est minus graue peccatum ex genere suo esse periurium quam odium *3. Certum est.* Dei, desperationem & hæresin quia hæc vitia opponuntur virtutibus Theogalibus fidei spei & charitatis quæ excellentiores cæteris alijs virtutibus etiam Religione cui opponitur periurium in quo etiam omnes Theologi conueniunt.

119. Quartò etiam certum est periurium *4. Etiam certum est periurium nō esse grauissimum omniū peccatorum contra Religionem.* non esse grauissimum omnium quæ sunt contra Religionem, quia Idololatria & blasphemia grauiora peccata sunt, quam periurium. Vnde peius est iurare verum per falsos Deos quam mendaciter per verum D[illegible], quia illud continet idololatriam & blasphemiam quarum quælibet peior est periurio atque ita docet plurimi Doctores quos refert & sequitur Sanch. lib. 3. c. 4. nu. 38.

120. Ad testimonium verò quoddam Augustini Epistola 154. quod habetur capite *Mouet* 22. q. 1. vbi oppositum videtur docere, respon- *Ad Augustinum qui videtur oppositum docere.* deri potest 1. cum Soto lib. 8. q. 2. a. 3. concl. 1. intelligi quod peius sit periurium non absolutè sed *Resp. 1. cū Soto.* in ratione periurij; nam iurare falsum per verum Deum est propriè periurium; at per falsos est secundum quid periurium teste D. Thoma q. 98. art. 1. ad 2. Responderi potest 2. cum Azor *Resp. 2. cū Azorio.* lib. 11. c. 12. q. 12. Augustinum loqui de Christiano iurante per falsos Deos qui falsos eos esse existimant solo decipiendi animo: is enim si fidem non seruat peccat decipiendo, non tamen est periurus quia cum per nihil iurauerit reipsa non iurauit. Tertiò responderi potest cum Suario lib. 3. c. 3. nu. 6. Augustinum intelligi de ex- *Resp. 3. cū Suario.* cessu periurij extensiuo non intensiuo, id est quod iurans falsum per verum Deum pluribus modis peccat quia peccat contra Deum & simul contra humana pacta metiendo. Iurans verò per falsos Deos verum non mentitur atque adeo peccat tantum contra Deum & hoc est quod ipse Augustinus ibi contendit explicare si attentè legatur.

121. Certum quintò etiam videtur periurium *Certum 5. est.* assertorium esse grauius cæteris peccatis contra Religionem ex genere suo & ex obiecto post Idololatriam & Blasphemiam. Nam periurium assertorium seu falsitatis, de quo hic loquimur excedit fractionem voti sacrilegium & Simoniam, quia immediatius est contra Deum & maiorem illi irrogat iniuriam, vt rectè probat Suarius lib. 3. de Iuramento c. 3. n. 6. licet periurium promissorium seu infidelitatis infrà voti fractionem constituendum videatur si sequamur D. Thomam & alios.

122. Dixi autem ex genere suo & ex obiecto, nam ex circumstantiis ita potest aggrauari aliud peccatum vt excedat periurium, vt mox iterum dicemus.

123. Controuersia verò est inter Authores *An periurium sit grauius omnibus peccatis quæ cōmittuntur* an periurium sit grauius omnibus peccatis quæ contra proximum committuntur, nec desunt multi & comprimis graues Authores qui putant homicidium esse grauius periurio. Ita Du-

in proximũ controuertitur. Multi negant Durandus. Bonauentura. Lessius.

randus in 3. distinct.39.q.5. num.8. Richardus art.4.q.1. Gabriel q.2. art.3. dub.4. Maior q.5. Angelus verbo *periurium* num.8. Bonauentura & alij quos refert & sequitur Lessius lib.2. cap.42. dub.14.nu.75.

Asserendũ tamen est 3. periurium esse grauius peccatum. D. Tho. Abulẽsis.

124. Asserendum nihilominus est tertiò periurium ex obiecto & in essentiali specie malitiæ grauius peccatum esse quam homicidium, atque adeo grauius quam omnia peccata in proximũ. ita D. Thomas Quodli. art.18. Abulensis in caput 5. Matthæi q. 302. Gerson Alphabeto 13. littera V. Turrecremata & alij quos sequitur Couar.1.part.§.7.nu.1. Syluester v.periurium 1. q 2. Sotus lib.8.q.2.art.3. Antoninus 2.part. tit. 10.c.7 §.2. Bartholomæus à Medina in summa c.14.§.5. Azor lib.11.c.12. q.6. Sayrus lib 5.c 4. nu.9. Sanch.lib.3.c.4.nu.37. Suarius lib. 3. c.3. à num.7. qui om[illegible] optimè hanc rem discutit, Guilielmus Peraldus in summâ virtutum to. 2.tract.9.part.2 cap.4. qui duodecim rationibus conatur hanc sententiam probare; illæ tamen rationes valent quidem ad exaggerandam periurij grauitatẽ; præsertim pro concione, vbi parum pressè solent hæ res tractari; ad scholæ tamen trutinam eæ rationes vocatæ parum ad præsentis quæstionis difficultatem soluendam faciunt.

Assertionẽ probat 1. D. Tho. à posteriori.

125. Sanè D. Thomas probat 1. à posteriori, quia finis omnium controuersiarum est Iuramentum vt ait Paulus; ac proinde etiam adhibetur in causa homicidij ad illam terminandum: ergo reputatur grauius homicidio: nam si leuius esset, frustra peteretur ab homine suspecto de homicidio: deberet enim præsumi quod qui maius commisisset, non vereretur committere minus peccatum.

Rationem hanc rectè impugnat Gabriel.

126. Hanc tamen rationem rectè impugnat Gabriel suprà; quia etiam sequeretur periurium esse grauius quam hæresis: nam etiam in causa hæresis adhibetur Iuramentum.

Gabrielis instantiam conatur elidere Sotus.

127. Hanc instantiam conatur elidere Sotus quia Hæreticus per errorem labitur, ac proinde in sua apprehensione putat grauius peccatum esse periurium quam suam opinionem hæreticam. Verum vt rectè Suarius, non oportet vim huius impugnationis constituere in materiali exemplo; nam blasphemia & idololatria peccata sunt quæ sine errore proprio committuntur, & tamen sunt grauiora periurio vt ibi & aliis in locis fatetur D. Thomas; & tamen etiam in eorum causis adhibetur Iuramentum, non quia periurium sit grauius, sed quia speratur illum hominem, etiamsi grauius & maius peccatum fecerit, non additurum aliud quod etiam est valdè graue; quia multiplicatio peccatorum grauius malum est quam vnicum tantum peccatum.

Probat 2. à Priori D. Tho.

128. Probat 2. D. Thomas à priori quia periurium est contra secundum præceptum in prima tabula, & contra Deum ipsum proximè & directè; homicidium est contra præcepta secundæ tabulæ & contra proximum immediatè.

Impugnat Gabriel etiam hanc rationem inde varias inconuenientias inferendo.

129. Hanc etiam rationem impugnat Gabriel: nam inde etiam sequeretur quod violare festum laborando vel omittendo missam, esset grauius peccatum quam homicidium, quia etiam illud est contra præceptum primæ tabulæ. Neque aliquid facit Sotus respondendo peccatum violandi festum solum esse contra ius Ecclesiæ; nam inprimis malitia eiusdem speciei est siue sit contra ius diuinum, siue contra Ecclesiasticum; quia materia est contra eandem virtutem: deinde vis argumenti huius sicut & præcedentis non sita est in materiali exemplo; alia enim possunt adduci quæ non sunt de Iure tantum positiuo; nam eadem ratione sequeretur, quod Iuramentum sine necessitate aut sine Iustitia, & violatio voti & oratio qua petitur à Deo aliquid indecens, essent grauiora peccata quam homicidia; quia omnia hæc sunt contra præcepta diuina naturalia primæ tabulæ, & tamen nemo dicet hæc esse grauiora quam homicidium. Item si ratio illa esset efficax, etiam probaret periurium esse grauius quam parricidium contra patrem aut matrem, quod Molina expressè concedit, & tamen videtur incredibile & contra communẽ sensum vt aiunt Suarius & Sanch.

Nec satisfacit Sotus.

Hinc in Assertione dictum est, periurium esse grauius ex obiecto &c. Declaratur.

130. Propter hæc ergo & similia argumenta dixi in assertione periurium esse grauius ex obiecto & in essentiali specie malitiæ, quia hoc tantum probat ratio D. Thomæ, & hoc tantum ipse videtur intendere, quod sic declaro & confirmo: nam peccatum sumit speciem essentialem ex obiecto vel ex honestate qua priuat, vtrumq; autẽ excedit in peccato periurij, irrogat enim iniuriam ipsi Deo, homicidium verò homini. Præterea periurium priuat honestate Religionis & illi opponitur; homicidium vero priuat honestate Iustitiæ, virtus autem Religionis in omnium opinione excellentior virtus est quam Iustitia.

Ordinariè tamen & moraliter loquendo in grauitate circũstantiarum, homicidiũ grauius est periurio. Primò excedit. Secundò.

131. Quamuis autem hæc ita sint, negari non potest vt rectè expendit Suarius, quin ordinariè ac moraliter loquendo in grauitate circumstantiarum homicidium excedat & grauius sit periurio. Primò enim excedit ex parte irreparabilis nocumenti quod infert; tollit enim vitam humanam, quæ in bonis huius vitæ & externis maximum est, & restitui non potest; periurium autem non infert reale nocumentum personæ diuinæ, sed solum in affectu & irreuerentia ex parte iurantis. Secundò excedit homicidium, quia seruata proportione magis offendit Iustitiam, cui opponitur, quam periurium offendat Religionem: nam inter peccata contra Iustitiam commutatiuam, homicidium videtur esse maximum; periurium verò non est maximum inter peccata contra Religionem vt ostendimus. Quando autem sub diuersis generibus sunt multæ inæquales species, nihil obstat (maximè in rebus moralibus) quominus aliqua species inferioris generis superet aliam generis superioris, imò in speciebus naturalibus & physicis hoc contingere supponit Suarius num.10. & satis est probabile; atque in virtutibus etiam & actibus earum idipsum contingere probat; nam licet charitas secundum suam speciem & essentiam excellentior sit quam spes & fides, potest nihilominus actus credendi vel sperandi præstantior esse quam dilectio proximi, etiam ex charitate: ergo & in peccatis poterit hoc reperiri. Tertiò excedit homicidium quia difficilius cõmittitur, & etiam ipsi sensibili naturæ repugnat magis, estque magis scandalosum, ac proinde inter homines grauius punitur. Quapropter concludendum

Aliqua species inferioris generis superare potest aliam generis superioris.

Tertiò excedit homicidium.

dum est cum Suario nu. 12. incertum nobis esse an homicidium omnibus pensatis sit apud Deum maiori pœna dignum quam periurium. Vnde fortasse maiori pœna punitur, quod etiam contingere in aliis vitiis quæ opponuntur inferioribus virtutibus satis credibile est; atque adeo peccatum contra naturam oppositum castitati videtur esse detestabilius apud Deum, grauiusque puniri quam periurium. Et quidem rationali æstimatione videtur posse ex intentione & ex aliis circumstantiis crescere actum peccati contra inferiorem virtutem tantum vt excedat actum contra aliam virtutem superiorem, si non in essentiali specie saltem in ordine ad pœnam & dignitatem illius ad eum modum quo in rebus moralibus etiam materialibus & in communi hominum æstimatione positis, rationi consonum est, vt quæ natura inferioris sunt essentiæ & speciei, excedant in ordine ad æstimationem ea quæ sunt superioris. Sic tanta potest esse copia æris aut cupri vel ferri, vt aurum excedat & argentum communi & rationali hominum æstimatione, sicut & asinus in latitudinem suæ speciei tam perfectus potest esse in indiuiduo, vt meritò præferatur alicui equo quantumuis speciei nobilioris: sic ergo periurium quantumuis superioris speciei sit ex obiecto & essentia sua, potest in ordine ad pœnam & dignitatem illius superari ab homicidio aliisúe peccatis oppositis inferioribus virtutibus propter prædictas & alias circumstantias quæ in homicidio aliisúe delictis concurrunt.

Potest crescere actus peccati contra inferiorem virtutem, ita vt superet actū contra superiorem virtutem.

Ita ergo homicidium potest aliquo respectu superare periurium.

DVBITATIO VII.

Quam diligentiam teneatur qui iurat adhibere ad inquirendam veritatem & quàm certus esse debeat de re quā iurat?

132. NOtandum 1. est triplicem esse veritatem pariter & falsitatem vt docet D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. Prima quando dictum conformatur cum mente & existimatione dicentis. Secunda quando dictum conformatur cum re ipsa quæ dicitur. Tertia quando simul conformatur cum re dicta & mente dicentis. Pari ratione è contrario triplex est falsitas; prima quando dictum non cōformatur cum mente & existimatione dicentis: secunda quando non conformatur cum re dicta. Tertia quando cum nullo conformatur. Quamuis autem veritas absolutè sumpta in conformitate & adæquatione intellectus ad rem; & falsitas in deformitate, & in adæquatione ad rem sita sit veritas, nihilominus locutionis seu sermonis & falsitas locutionis quæ dicitur mendacium tantum consistit in conformitate & deformitate cum mente & existimatione loquentis, inde enim sumit speciem vt docet, D. Thomas loco citato & patet ex Augustino serm. 28. de verbis Apostoli & refertur capite, *Homines*, 22. q. 2. vbi sic ait, *interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit nisi rea mens*, quod etiam ex ipsa etymologia mendacij declaratur. Nam mentiri est contra mentem ire, ideo fieri potest quod quis falsum dicat nec mentiatur, & potest mentiri & tamen non dicere falsum in re, licet ipse putet esse falsum. Hanc eandem doctrinam in negotio Iuramenti tradidit etiam Magister sententiarum in 3. distinct. 39. in principio §. *sed mel m*, & D. Thomas relato Augustino qu 98. art. 1. in 1. argumento & eius solutione vbi aliam reddit rationem, videlicet quia actus moralis specificatur non ab obiecto quomodocunque, seu vt est in reipsa, sed ab obiecto prout apprehenso ab intellectu, & ideo (inquit) si id quod reuera est falsum apprehendatur vt verum, erit quidem materialiter falsum, sed formaliter & relatum ad voluntatem erit verum: si autem id quod est verum apprehendatur vt falsum, erit quidem verum materialiter, sed falsum formaliter. Hac ratione (vt notauit Gabriel suprà) si Tobias iurasset quendam hominem iuuenem se comitatum fuisse in itinere, sine vlla malitia periurij id iurasset, & tamen materialiter falsum erat, quia non homo, sed Angelus Raphael eum comitatus est. Nec peccassent homines qui viderunt diabolum transfiguratum in formam Sancti Syluani, si testati fuissent ipsum Syluanum vidisse sub lecto fœminæ latitantem vt legitur de morte Beati Hieronymi.

Notāda 1. est triplex veritas & falsitas.

Veritas absolutè sumpta in quo consistit.

Veritas locutionis in quo.

Potest quis falsum dicere & non mentiri. itē mentiri & tamen non dicere falsum in re.

Ratio ex D. Tho.

133. Notandum 2. ex generali doctrina de voluntario, eam apprehensionem seu existimationem veri debere esse prudentem & non temerariam ex leui ratione aut fundamento; alioquin si quis id asserat pro vero, imputabitur culpa mendacij plus minusúe pro maiori vel minori negligentia in indaganda veritate. Si autem in omni homine, qui sine Iuramento aliquid asserit, necessaria est aliqua certitudo in intellectu, & diligentia indaganda & examinanda veritate ne mendax sit, & imputetur illi culpa mendacij, multo potiori ratione eadem, imò & maior certitudo & diligentia necessariò erit in eo qui aliquid sub Iuramento affirmat, ne in conscientia coram Deo sit periurus & imputetur illi culpa periurij. De hac ergo quærimus quanta debeat esse. Prius tamen oportet aliquas alias præmittere assertiones quas ex tradita doctrina colligere & probare liceat.

Nota 2. existimationē veri debere esse prudētē ex parte Iurantis.

Maior certitudo in Iuramento requiritur quam in simplici assertione.

134 Assertio prima qui iurat aliquid putans esse falsum, semper mortaliter peccat peccato periurij propriè dicti, etiamsi contingat rem assertam veram esse, & etiamsi iurans per crassam ignorantiam seu errorem putauerit esse falsam. Constat hoc ex tradita doctrina, & ex Augustino & Thoma citatis, eamque expressè tradunt Authores infrà referendi. Ratio vero est, quia ille formaliter iurat falsum & mentitur cum loquatur contra mentem, & inde sumat actus suam speciem: quod autem res illa sit vera, omnino accidens est & materiale: quod vero existimatio fuerit falsa per crassam ignorantiam, id sanè vel nō minuit, sed potius auget culpam periurij, vel saltem impertinenter se habet vt rectè probat Suarius lib. 1. c. 5. num. 2. quia reuera est voluntaria.

Assertio 1. qui iurat aliquid putās esse falsū mortale periurium admittit.

Ratio.

135. Assertio secunda qui iurat rem falsam quam præmissâ diligentiâ veram putat, non peccat, quia iuxta suam mentem & formaliter verum dicit, solumque materiale mendacium est; si tamen diligentia non fuit tanta quanta debebatur, peccatum erit mortale vel veniale pro ma-

Assertio 2. qui iurat rem falsā quam præmissâ diligentiâ veram putat non peccat.

Ratio.

iori vel minori negligentia in inquirenda veritate, si enim negligentia fuit magna & notabilis: erit mortale, si verò parua erit veniale: quia quando quis est notabiliter negligens censetur perfecta voluntas iurandi falsum; quando verò leuiter censetur ea voluntas imperfecta. cum enim tota voluntarij indirecti & culpæ ratio ex negligentia proficiscatur, eatenus est perfectè aut imperfectè voluntarium quatenus est perfecta aut imperfecta, negligentia. Ita Caiet. in summâ verbo periurium ca.1. Abulensis ca. 5. in Matthæum q. 301. Angelus verbo periurium in principio & ibi Syluester q. 1. §. *secundo quando*, & verbo *Iuramentum* 2.q.6. & 8. Sotus lib.8 q. 2.art,3.concl.6. Nauarrus c.12.nu.7. & consonant alij Authores infrà referendi.

Obiicies. 136. Dicet tamen aliquis, ergo quando parua negligentia intercesserit dabitur periurium veniale ex parte materiæ scilicet veritatis quod est contra dicta dubitatione præcedenti.

Resp. 1. In casu obiectionis malitiam esse periurij. Ratio. Non tamē se tenet ex parte materiæ, sed ex parte considerationis. 137. Respondetur hanc malitiam absque dubio esse periurij, quia eiusdem speciei est quando negligentia est parua & quando est magna solumque discrimen est in eo quod in paruâ est parum periculi in magna verò multū. nego tamen quod culpa hæc seu malitia sit ex parte materiæ scilicet veritatis quæ in indiuisibili consistit, sed ex parte considerationis, quia non considerauerit homo omnia quæ debuit qui defectus considerationis licet non fuerit ex surreptione fuit tamen paruus quia adhibuit diligentiam aliquam licet non omnem quam debebat, nec fuit tunc mendacium formale saltem plenum: habuit enim iudicium quod res esset vera sed illud iudicium fuit cum aliquo defectu. ita Suarius lib.3.c.5.nu.3.in fine. & nu.4.etiam in fine.

Resp. 2. 138. Responderi potest secundò quod licet concedamus hoc peccatum veniale periurij esse ex parte materiæ adhuc non est contra ea quæ diximus loco notato vbi tantum docuimus nunquam posse esse veniale quando quis sciens iurat falsum ex eo præcisè quod falsitas sit in re parui aut nullius momenti. His duabus assertionibus præmissis ad rem propositam certitudinis requisitæ & diligentiæ adhibendæ accedamus.

Assertio 3. certitudo ad iurandum requisita non semper euidentia. 139. Assertio tertia ex præcedentibus assertionibus colligitur certitudinem requisitam ad iurandum non semper & necessariò debere esse certitudinem euidentiæ, alioquin ferè nunquam habere posset locum secunda assertio præcedens, quod est contra D. Augustinum & D. Thomam & contra alios tum in hoc dubio citatos tum paulò post referendos & contra rationem. *Ratio.* Quia sicut in omnibus aliis rebus moralibus ita etiam in hac materia potest intercedere pro humana fragilitate ignorantia inuincibilis aut vincibilis, maior aut minor. Vnde nunc in hac tertia assertione assero, *Ad veritatem Iuramenti requisita, & sufficientia.* ad veritatem Iuramenti requiri & satis esse quod iurans prudenter existimet iuxta rei & negotij quod tractatur qualitatem; ita se rem habere, nec leui cōiectura ducatur, sed certa moraliter ac proinde secundum iudicium iurantis consentaneum sit ratione assentire, siue id à parte rei verum siue falsum sit. Ita Azor lib.11.c.2. q.5. & cap.4. q.1. Valentia disp.6.q.7.part.3. columna 5.versic. *veritas enim requisita*, Suarius lib.3.c.5.nu.3.& 4. Lessius lib. 2.c.42.dub.4.nu.17. Sanch.lib.3.c.4. num.10.& ante hos omnes Scotus & Gabriel infrà inferendi. Item omnes Authores quos in simili doctrina retulimus dubitatione præcedenti assertione 1. illatione 5.

140. Ex qua doctrina rectè inferunt Sanch. suprà & Valentia, eodem puncto 3. columna 12. versiculo, *duo tamen*, non solum peccare mortaliter qui dubius est de veritate quam iurat esseque peccatum periurij; sed etiam qui leuiter ac temerè putat esse verum quod iurat siue in re contingat esse verum siue falsum, quandoquidem non sufficienter prouidet vt verum sit & per accidens contingit esse tale sicut imputatur homicidium ei qui imprudenter putabat esse feram in quam iaculabatur etiamsi contingat in re feram occidere & non hominem. Nec enim habendus est respectus ad euentum seu effectum quia est per accidens sed ad periculum & ad causam quæ est per se voluntaria. *Ex dictis rectè infertur.*

141. Quarta assertio quæ ex dictis etiam colligitur est non esse exigendam æqualem diligentiam in omni materia & negotio ad perscrutandam rei iuratæ veritatem: multò enim maior in rebus arduis & egregiis desideratur quam in rebus minoris momenti, imo aliquando potest res esse ex se tam clara vt sine vlla discussione possit sub Iuramento affirmari. Ita expresse Sotus lib.8. de Iustitia qu.2.art. concl.6. quem sequuntur, Arragon. 2.2.q.89.art.3.Sayrus in Claui Regia lib.5.c.4.num.33. Sanch.lib. 3.c.4.n.10. *Assertio 4. non est exigēda æqualis diligētia in omni materia & negotio, pro rei Iurādæ veracitate indagādā.*

142. Ex his colligitur primò ad iurandum in Iudicio maiorem certitudinem requiri quam ad iurandum extra iudicialiter & adhuc in Iudicio requiri aliquando maiorem certitudinem aliquando minorem: si enim Iuramentum exigatur in causa in qua agitur de condemnando reo seu in causa odiosa non potest testis iurare se aliquid scire nisi habeat omnimodam certitudinem quia iurans in ea causa se id scire vel rem ita esse testatur se notitia visus & præsentiæ id scire ita vt eius dicto sit integra fides habenda tanquam semiplenæ probationi quia in ea causa agitur de certitudine sine qua non potest condemnari reus: vnde Calixtus Papa, *c. Testes* 3.q.9. iubet vt testes de his solis quæ in eorum præsentia gesta sunt testificentur, quæ autem credunt aut opinantur tantum possunt iurare se credere aut opinari adiuncta causa talis notitiæ vt quia id audiuerunt à persona fide digna vel propter tales rationes aut coniecturas. In causis verò fauorabilibus vt quando agitur de probitate aut idoneitate alicuius personæ ad ordines vel ad aliquod collegium vel ad beneficia, dignitates aut officia, potest iurare illum esse dignum seu idoneum quem probabiliter credit esse talem & quem non nouit esse indignum etiamsi non certò sciat esse dignum, quia in his ex consuedine & lege intelligitur & supponitur testes interrogari & deponere de credulitate non de consuetudine iuxta caput vnicum de scrutinio in ordin. faciend. vbi Innocentius tertius, sic ait: *in tali responsione aliquem peccare non credimus dummodo contra conscientiam non loquatur quia non simpliciter illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas* *Collige 1. maiorem certitudinē requiri ad iurandum in Iudicio quā extra. Iurans in causâ odiosâ debet habere omnimodam certitudinem. At in causâ fauorabili sufficit, quo probabiliter iudicet vt ita esse. Ratio.*

gilitas nosce sinit cum illum quem indignum esse non nouit dignum debeat astimare. Hanc doctrinam tradunt Scotus in 3. distinct. 39. q. vnica art. 2. §. *quantum ad secundum dubium*, & ibidem Gabriel q. 2. art. 2. concl. 3. & Ioan. Maior q. 4. in argumentis contra 4. conclusionem, vbi sic habetur, Secundò obiicitur licentiandi in Theologia Parisiis omnes iurant se natos legitimo matrimonio, & tamen plures realiter sunt illegitimi; ergo peierant. Respondet ipse, quod non requiritur in omnibus eadem certitudo sicut 1. Ethicorum dicit Aristoteles; non ita exactè quærenda est veritas in operationibus humanis, sicut in Mathematicis; in istis fauorabilibus sufficit habere iudicium quod iurat verum, licet sint motiua in oppositum: & istud per *caput vnicum de scrutinio*. In pœnalibus verò maior certitudo requiritur. Hactenus Ioan. Maior. Eademque omnino mens est Scoti & Gabrielis, qui cuam docent, sufficere in fauorabilibus quod magis credat esse verum id quod iurat, quam oppositum. Eandem doctrinam (quamuis non ita expressè) docent Sayro in Claui Regia lib. 5. ca. 4. nu. 18. & Sanch. lib. 3. c. 4. nu. 13. qui, quamuis breuiùs quàm Authores citati, satis clarè loquitur, & eorum sententiam omninò sequi videtur, cum referat Scotum, Gabrielem & Sayrum, qui id apertè docent.

Nõ ita exacte quærẽda est veritas in operationibus humanis, sicut in Mathematicis Aristoteles.

In fauorabilibus iuxta Scotũ *&* Gabrielem *sufficit quod quis magis credat esse verum quod iurat, quã oppositum.*

143. Colligitur secundò: vt iurent scholastici aliquem scholasticum confecisse cursum requisitum in vniuersitatibus per maiorem anni partem, id est, per sex menses & vnam diem, satis esse, si eum viderint toto eo tempore communiter scholas frequentantem, & rationabiliter id credant, quia hæc est certitudo moralis quæ in ea re haberi potest, & quam exigunt constitutiones vniuersitatis: nam alia Mathematica certitudo est moraliter impossibilis. Necessarium tamen ad huius Iuramenti veritatem quòd totum id tempus Mathematicè fluxerit, quia id petunt constitutiones vt reputetur integer vnius anni cursus. Ita Sanch. lib. 3. cap. 4. nu. 11.

Collige 2. quoad Iuramenta quæ fiunt in vniuersitatibus.

144. Colligitur tertiò, iuxta Sanch. ibidem num. 12. & 13. satis esse ad veritatem Iuramenti, quòd iurans extraiudicialiter rem quam iurat audierit à persona fide digna, vel quòd rationibus probabilibus opinetur rem ita se habere; licet in speculabilibus putet temerarium esse opinionem suam Iuramento confirmare, cùm solùm rationibus & authoritate sit confirmanda; atque adeo vanè & sine necessitate iurare, non tamen fore periurum. Probarique potest quia is non it contra mentem suam cùm assentiatur illi parti quam iurat, atque adeo non iurat mendacium.

Collige 3. iuxta Sanch.

145. Hæc tamen doctrina mihi non satis probatur, multoque magis placet Suarius, qui lib. 3. de Iuramento c. 4. n. 7. planè fatetur periurum esse, qui sub Iuramento affirmat id quod probabilibus rationibus opinatur, quia periculo iurandi falsum se exponit. Et hoc (inquit Suarius) præter peccatum leuitatis. Nam vt ait D. Thomas q. 89. art. 1. ridiculum est tale Iuramentum in speculatiuis; si tamen (ait Suarius) iuraret se ita credere aut opinari, nullam incurreret culpam periurij. Est etiam contra alios Authores, qui communiter, non quemcunque assensum, seu probabilitatem ad Iuramenti veritatem postulant; sed assensum certum, aut certitudinem moralem. Nam inprimis D. Thomas in 3. dist. 39. q. 4. tertium argumentum sic proponit: *Prætereà in littera dicitur, quod qui falsum iurat quod credit esse verum, periurus est; sed talis non mentitur; ergo periurium non est mendacium Iuramento affirmatum vt definitio dicit.* Huic argumento respondet S. Doctor: *Ad tertium dicendum quòd Iuramentum non est exhibendum, nisi de eo, de quo quis certitudinem habet: vnde quicunque iurat aliquid, significat se de hoc certum esse; de falso autem certitudo esse non potest; vnde qui iurat falsum quod putat esse verum, ex ipso modo affectionis quodammodo mendacium incurrit; quamuis assertum ipsum secundùm se non sit mendacium.* Hæc D. Thomas. Quibus apertè docet non solum aliquando reperiri malitiam periurij sine mendacio actuali propter periculum mendacij, sed etiam certitudinem prærequiri ad Iuramentum, & quòd omnis qui iurat ipso facto profitetur se certum esse, & quodammodo mentiri si certus non sit. Dixerat autem ibidem in solutione ad 2. qui iurat se facturum id ad quod fixum propositum non habet, mendacium incurrere & periurium: vnde non solùm requiritur propositum, sed firmum & fixum propositum iuxta ea quæ diximus dubit. 6. illatione 5.

Magis placet doctrina Suárij *asserẽtis periurum esse, qui iurat id quod tantũ probabiliter opinatur.*
D. Tho.

D. Thõ: *ad Iuramenti veritatem requiri certitudinem moralem.*

146. Scotus etiam in fine illius articuli 2. sic concludit: *sæpe quis periuratur quia non est ita certus vt requiritur, & tamen si illud assereret sine Iuramente, credens illud plusquam oppositum, non mentiretur. Periculum igitur est habere frequenter Iuramentum in ore, quia in multis sermonibus sine Iuramento non peccaret vbi addito Iuramento peccat, & grauiter si fiat ex deliberatione, propter quod vtile est documentum illud Christi Matthæi 5. sit sermo vester est, est, non, non.* Hæc Scotus. Qui cum Gabriele infimum gradum certitudinis, cum quo sine peccato potest iurari, assignat illum quem diximus illatione 1. pro approbatione alicuius hominis, in quo eadem est ratio siue Iuramentum fiat in Iudicio, siue extraiudicialiter; nam in aliis omnibus rebus quæ non concernunt bonam proximi existimationem, potiùs requiritur maior certitudo quàm minor, propter reuerentiam diuini nominis, quod expressè, significauit S. Bonauentura in 3. distinct. 39. art 1. q. 1. in fine. dicens non carere culpa periurij qui iurat quod in animo habet, si de eo non est certus, quia ad Iuramentum requiritur certitudo, & subdit rationem: *quia summæ veritati subtrahit debitum honorem qui intendit iurare id de quo non habet certitudinem;* & quidem meritò, quia si in materia detractionis imputatur detractionis culpa ei qui, cùm sit homo existimatus probus, affirmat assertiuè sinistrum aliquid quod audiuit de proximo propter periculum iniustæ infamiæ proximi; quanto potiori ratione debetur reuerentia Deo, vt caueatur periculum adducendi illum in testem falsitatis? Item si maior diligentia adhibenda est ab homine iaciente sagittam vt caueat periculum occidendi hominem, quam vt caueat periculum occidendi animal alienum; quantò maior diligentia est ad euitandum periculum iniuriæ Dei quam hominis?

Scoti sententia de certitudine Iuramenti.

In fimum certitudinis gradum cũ quo iurari potest sine peccato assignant. Scotus. Gabriel.

Ratio, cur requiratur certitudo.

147. Vnde

Resolutio Iohannis Maioris quoad casum nostrum.

147. Vnde Ioan. Maior distinct. 39. q. 4. dubit. vlt. casum nostrum in specie proponit, & contra Sanch. resoluit his verbis: *Dubitatur an omne periurium sit mendacium?* Respondetur: potest esse periurium sine mendacio. Patet iurando verum sine comitibus Iuramenti. Potest etiam esse periurium iurando aliquid de quo homo non est sufficienter certificatus, vt sine mendacio Socrates assentit quòd Plato occidit hominem; habet magna motiua in oppositum; tunc si stante illo iudicio diceret Platonem occidisse hominem, non mentiretur; sed si Iuramentum apponeret, esset periurus: etiam vulgariter hoc est extraiudicialiter. Hæc Ioan. Maior. Vbi expresse assignat casum non solùm pro speculatiuis, sed etiam practicis & extraiudicialiter.

Sententia Thomæ. Sanch. reuocatur.

148. Deinde si vera esset sententia Thomæ, Sanchez, sequeretur quòd quicunque probabiliter assentitur quouis tenui assensu, posset id sub Iuramento affirmare sine culpa periurij, quod non videtur verum. Item sequeretur quòd posset quis iurare (maximè in sententia eiusdem Sanch.) aliquam rem ita esse, & eandem rem seu propositionem ita non esse; nam ipsemet Author cum alijs concedit alijs in locis posse eundem hominem assentiri & dissentiri eidem propositioni, quando pro vtraque parte sunt rationes probabiles, & tamen consequens manifestè est absurdum: ergo antecedens non est admittendum.

Certitudo requisita ad Iuramentum.

149. Ex his omnibus concluditur certitudinem requisitam ad licitè Iurandum debere esse talem, vt nulla vel parua sit formido de veritate alterius partis, vel saltem non formido æqualis, etiam quando agitur de approbatione alicuius proximi vt docuerunt Scotus & Gabriel.

DVBITATIO VIII.

An violatio Iuramenti promissorij possit esse veniale peccatum ex leuitate materiæ?

In promissorio duplex veritas.

150. SÆpè diximus maximè dubit. 6. illatione 3. in Iuramento promissorio duplicem veritatem reperiri; alteram de præsenti, quæ tunc adest, quando iurans habet propositum firmum faciendi quod dicit; alteram de futuro, vt scilicet suo tempore fiat quod dictum & promissum fuit; quod si non fiat, deest veritas de futuro. Diximus autem loco notato defectum prioris veritatis in Iuramento promissorio semper esse peccatum mortale, sicut & in assertorio; quia reuera quoad animum de præsenti assertorium est, nec excusari à mortali ob materiæ paruitatem. Nunc autem quærimus an idem dicendum sit de defectu secundæ illius veritatis, an scilicet semper sit peccatum mortale non implere quod sub Iuramento promissum est, etiamsi materia leuis sit, quod intelligendum est quando materia capax est obligationis; quia quando est mala, nullum est peccatum non implere tale Iuramentum; nullam enim parit obligationem.

An semper sit mortale non implere quod sub Iuramento promissum est etiamsi materia sit leuis.

151. Et quidem quando materia illa obligationis capax grauis est, nemo quem viderim Authorum negat esse peccatum mortale, si id Iuramentum non impleatur.

Controuersia de obligatione huius Iuramenti.

152. Quando verò materia leuis est, non modica dissensio est inter Authores qui in tres varias opiniones diuiduntur.

Prima opinio probabilis est.

153. Prima opinio docet semper esse peccatum mortale, quæ sententia satis probabilis est. probari verò potest, quia sicut quicunque defectus in veritate de præsenti constituit culpam mortalem, ita vt si quis iuret daturum se mille nummos integros, habens animum deficiendi in modica quantitate, etiam partiali v. g. in vno asse, mortaliter peccaret; eadem ratione peccaret quicunque deficeret in veritate de futuro quantumuis in re modica; nec enim minus requiritur veritas de futuro quam de præsenti, nec minùs fit Deus testis falsitatis à iurante quando deficit veritas de futuro, quàm quando deficit de præsenti. Nec minus est qui iurat causa vnius defectus quàm alterius. Ita docent Gabriel in 3. distinct. 39. q. 2. art. 2. concl. 4 & 7. Caiet. in summâ verbo *periurium* c. 2. Armilla verbo *Iuramentum* n. 12. Tabiena verbo *Iurare* q. 10. nu. 11. Pedraza præcepto 2. n. 5. & Sayro lib. 5. c. 4. à num. 28. Valentia tom. 3. disp. 6 q. 7. puncto 3 concl. 3. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 5. num. 23. & alij Recentiores; atque ita memini me olim audiuisse Vasquium publicè disputantem, & cum Authoribus huius sententiæ sentientem. Fauet etiam huic sententiæ D. Thomas q. 89. art. 7. ad 1. quatenus ait, ad reuerentiam diuini testimonij pertinere, vt homo faciat esse verum id quod iurauit secundùm suam possibilitatem. probarique potest; quia non minus adduxit Deum in testem sui propositi de præsenti, quam ipsius effectus de futuro. Præterea sicut ideo est peccatum graue quantumuis leuis materia sit in Iuramento assertorio mentiri, quia censetur grauis iniuria summæ veritati diuinæ; ita similiter erit peccatum graue non implere Iuramentum, quia infertur grauis iniuria diuinæ fidelitati, nec enim Deus est minùs verax in dicendo, quàm fidelis in promissis; & sicut in Iuramento assertorio affertur testis tanquam summè verax, in promissorio affertur vt fidei iussor: ergo sicut vel leue mendacium est graue peccatum contra summè veracem, ita leuis non impletio erit graue peccatum contra summè fidelem.

Nõ minus requiritur in Iuramento veritas de futuro quam de præsenti.

Fauet D. Tho.

Secunda opinio distinguit.

154. Secunda opinio hac ratione distinguit, si exigua materia omissa sit particula alicuius integræ materiæ promissæ, erit tantum veniale illa omissio; vt si quis iurauerat dare centum aureos, & omittat dare assem, erit tantum veniale, secùs si materia sit totalis, vt si quis Iuramento promittat assem, reus sit culpæ mortalis, nõ dando. Ita Caiet. 2. 2. q. 89. art. 7. dub. 1. Couar. lib. 1. variarum c. 1. num. 2. Corduba in summâ q. 188. Philiachus de officio sacerdotis tom. 1. part. 2 lib. 3. c. 3. idemque tenuit olim Nauarrus in summâ Hispanica c. 12. n. 10.

Fundamentum huius opinionis infirmum est. Ratio.

155. Fundamentum huius secundæ opinionis satis infirmum est vt latè efficaciter probat Suarius lib. 3. c. 16. à num. 5. quia non possunt hi Authores asserere non implere materiam totalem leuem esse pecatum mortale, nisi dicant cum Authoribus primæ opinionis, in defectu

veritatis

veritatis de futuro fieri Deum testem falsitatis, aut fidei iussorem rei quæ non impletur, sicut in defectu veritatis de præsenti fit testis falsitatis. Quòd si hoc dicant (vt reuerà dicunt) nihil refert quod fiat testis mendacij, aut sponsor & fidei iussor materiæ totalis, vel tantum partialis, quia veritas in diuisibili consistit, & primæ veritati, primæque fidelitati, quæ est Deus, non minùs repugnat leue mendacium, aut leuis infidelitas in materia partiali quam in totali.

Argumentum contra priores opiniones Authores.

156. Ex quo contra prædictos sic licet argùmentari. Si quis, cùm iurat se dicturum hodie rosarium, haberet animum omittendi vnum Pater vel Aue, non minùs peccaret, quam si iuraret dicere vnum Aue tantùm sine animo implendi; quia vterque iurat mendacium: ergo idem cum proportione erit, si posteà in vtroque casu non impleat. Nam si iuxta illam sententiam in priori casu materia totalis & partialis æquiparantur, æquiparari etiam debent in posteriori: est enim eadem ratio grauitatis vel leuitatis. Aut certè si assignant discrimen in posteriori, cur non in priori? cum dicere falsum de præsenti, & facere falsum in futuro æquiparentur.

Tertia opinio etiam satis probabilis.

157. Tertia opinio, satis etiam probabilis, docet non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale non implere rem iuratam in materia leui, siue talis materia sit totalis, siue partialis. Hæc sententia probatur assignando differentiam inter veritatem de præsenti requisitam in Iuramento promissorio quando fit, & veritatem de futuro in eodem Iuramento postquam factum est. Nam defectus prioris illius veritatis propriè est mendacium: defectus verò secundæ veritatis non est propriè mendacium, sed infidelitas, quod verissimum est, & expresse docuit D. Thomas 2.2. q.110.art.3. ad 5. vbi ait: *qui aliquid promittit si non habeat animum faciendi, mentitur; at si habeat animum faciendi non mentitur, quia non loquitur contra id quod habeat in mente; si verò non faciat quod promisit, tunc infideliter agit per hoc quod animum mutat.* Hæc D. Thomas. Probatur etiam ratione; tum quia mentiri est intrinsecè malum ita vt nunquam liceat; at non implere promissum sæpè licet vt ibi D. Thomas latè prosequitur; tum etiam, quia cùm mutauerit mentem, iam non it contra mentem quam habuit efficiendo falsam propositionem illam de præterito, id est materialiter tantùm, nam formaliter nullum est ibi mendacium.

Defectus veritatis primæ & secundæ, diuersos tenet D. Th.

Probatur ratione.

Inferunt aliqui.

158. Ex quo inferunt aliqui periurium primæ illi veritati de præsenti contrarium esse propriissimè & in rigore periurium, quia ibi interuenit formale mendacium: At verò quod est tantum contrarium promissioni quæ non impletur, non est propriè periurium, quia ibi tantùm est materiale mendacium vt colligitur ex D. Thoma q.98.art.1 ad 3.& art.2.& 3.& expressiùs Caiet.q.89.art.7.& q 98.art.2. vbi docet in Iuramento promissorio, licet Deus afferatur vt testis præsentis promissionis, vel assertionis quantùm ad veritatem quam de præsenti habere debet, nihilominus quantùm ad assertionem de futuro potiùs adducitur tanquam fidei iussor quod sic promittens non mutabit indebitè propositum, quia testimonium propriè non fertur nisi de veritate determinata prout est veritas de præterito, aut de præsenti; non tamen adducitur Deus vt verus fideiiussor, quia non assumit in se onus soluendi promissum, sed vt præbens authoritatem contractui, sicut sponsalia, vel alij contractus solemnes fieri solent coram Rege aut Principe, vt contrahentes intelligant iniuriam illi facturos si promissa non impleat quod optimè declarant verba quæ locuti sunt Iacob & Labam ad firmandum fœdus quod inierant quæ habentur Genesis 31.

159. Ex quibus deducitur quod licet Iuramentum promissorium non impleatur, non fit Deus testis mendacij aut falsæ assertionis, vel saltem non eo modo quo fit quando Iuramento promissorio deest veritas de præsenti. Hinc est quod licet grauem irreuerentiam faciat Deo qui non implet quod iurauerat quando materia est grauis, non faciat grauem irreuerentiam quando materia leuis est. Ideo hanc sententiam docent plurimi Authores cùm primis graues. Antoninus 2.part.tit.10.ca.4. §.1. Angelus Iuramentum 5.n. 41. Syluester Iuramentum 4. q.1. in fine. Sotus lib.8.q.1.art.7.dub.1. Nauarrus c. 12.n.10.& c.18.nu.7. Arragon q.89.art.3. Azor lib.11.c.5.q.3. Henriq. lib 5.de pœnit.c.20.n.4. in comment. littera M. Rodriguez c.192.nu.5. Petrus de Ledesma tom.2. tract.11.ca.3.dub.1. Sà v. Iuramentum num.7. Suarius lib.3.cap.16. Sanch.lib.3. c.4.nu.23. probat autem latè Suarius eam sententiam, & inter alia vtitur argumento, quòd periurium contra veritatem de præsenti est peccatum commissionis contra præceptum naturale negatiuum non peierandi; at periurium contra veritatem de futuro quod admittitur non implendo est peccatum omissionis contrariũ præcepto affirmatiuo dandi Deo reuerentiam debitam in eo præstando quod sub eius authoritate promissum est, idque apertè testatus est D. Thomas q.89.art.7 ad 2. ergo per talem omissionem non adducitur Deus ad testificandum falsum vt contendit prima opinio, sed tantùm non facit homo verum quasi materialiter id quod sub diuino testimonio verè & ex animo promiserat. Probat etiam Sanch. non esse eodem modo spectandam vtramque veritatem, scilicet de præsenti & de futuro in Iuramento promissorio; quia in quauis materia quantumuis mala vel bona mortale est deficere primariam Iuramenti veritatem de præsenti; quando verò materia est mala, etiam venialiter tantùm, nulla est culpa defectus posterioris veritatis.

Ex quibus deducuntur.

Non implens Iuramentũ in materia leui nõ facit Deo grauem iniuriam.

Probat latè Suarius.

D. Tho. idem apertè docet.

160. Vtraque sanè sententia prima & tertia probabilissimæ sunt, nec facilè est pro alterutra contrariam sententiam ferre, quamuis Authores vtriusque non omnino mihi placeant in iis quæ afferunt pro sua sententia. Meam tamen sequentibus assertionibus explicabo.

Authorũ iudicium de prima & tertia sententia.

Assertio 1.

161. Assero 1. fieri potest Iuramentum absque eo quòd Deus afferatur in fidei iussorem veritatis implendæ de futuro, sed tantùm quod promittatur coram ipso tanquam summæ authoritatis Domino, qui nouit animum de præsenti efficiendi imposterum quod iuratur, vt contendebat tertia sententia in exemplo eorum qui promittunt coram Rege, & in hoc casu vera est tertia sententia; quatenùs docet tum Deum non fieri propriè fidei iussorem; atque

adeo

adeo non implendo rem leuem non fieri grauem iniuriam Deo; quia neque contra veracitatem Dei, neque contra fidelitatem ipsius iniuria fit: non quidem contra veracitatem Dei adducti in testem, quia hoc tantùm fuit factum in veritate de præsenti, id est, in animo quem habebat iurans, qui non iuit contra mentem suam quando promisit; atque adeo Deum in testem veritatis non adduxit vt explicatum est pro tertia sententia. Solùm ergo apparet postea, quando non impletur, irreuerentia, quæ meritò censetur esse in eo quòd non impleatur id quod coram tantæ Maiestatis Domino promissum fuit, in quo casu, vel nón est propriè & formaliter mendacium vt contendit tertia sententia; vel non mendacium cuius Deus testis adhibeatur, quod secundum mihi magis placet: nam licet non sit mendacium quatenùs mentiri est contra mentem ire, contra mentem scilicet quam hic & nunc habet ille qui non implet; quia iam mutauit animum & mentem primam mutando propositum implendi: nihilominus adhuc est mentiri, quia est contra mentem ire, contra mentem, inquam illam, quam prius habuit, & quam debuisset non mutare. Item est mentiri quatenùs id contra illam mentem explicatam verbis, & fidem datam vel acceptatam, ita vt non sit conformitas dictæ promissionis cum re promissa, cuius conformitatis, si Deus adhiberetur, vel adhibitus fuisset vel testis, vel fidei iussor, non video cur non irrogaretur grauis iniuria Deo summè veraci summeque fideli. In casu autem nostræ assertionis non sic affertur Deus, sed solùm tanquam testis præsentis animi præsentisque promissionis: ideo si leuis materia sit, non censetur grauis iniuria quantumuis aliquod mendacij genus vel aliqua infidelitas reperiatur in non implendo. Ex quo patet non inferri iniuriam fidelitati Dei.

Mentiri est contra mentem ire.

Nempe quam quis habet, vel habere debet.

Assertio 2.

162. Assero 2. si in Iuramento promissorio afferatur Deus (vt fieri potest) non solùm tanquam testis animi præsentis sic implendi; sed tanquam testis etiam conformitatis futuræ posteà cum mente, quæ nunc est, & cum verbis quæ nunc proferuntur ex tali mente: Item, si quando fit promissio, in confirmationem promissionis fideliter implendæ inuocetur (quod fieri potest) ipsa Dei summa fidelitas, vt sicut summa Dei veritas & veracitas humanam veritatem confirmat; sic etiam summa Dei fidelitas confirmet fidelitatem humanam; probabiliorem puto primam sententiam & fundamentum illius; nec satis assequor cur irrogetur diuino testimonio grauis iniuria si inuocetur nomen Dei supra propositionem falsam de præsenti; & non inferatur grauis iniuria si inuocetur supra propositionem falsam de futuro; falsam (inquam) moraliter & quantùm est ex parte Iurantis; nec video etiam cur sit grauis irreuerentia inuocare Deum summè veracem pro confirmanda veritate quæ non est, atque adeò in testem falsitatis, & non sit grauis iniuria inuocare fidelitatem Dei ad confirmandam fidelitatem quæ non est.

Prima sententia in casu probabilior

Ratio contraria inefficax.

163. Nec alicuius momenti est quòd Deus non sit verè & propriè fidei iussor, eo quod non suscipiat in se onus implendi rem promissam (vt dicebant Authores tertiæ sententiæ) nam neque Deus est verè & propriè testis veritatis de præsenti quando inuocatur ad illam confirmandam; & nihilominus meritò censetur grauis iniuria contra summam veritatem Dei quia nimirum sufficit quòd iurans quantùm est ex se adhibeat Deum in testem, vt quantum est ex parte sua censeatur Deum facere testem falsi; atque adeò irroget grauem iniuriam summè veraci: pari ergo ratione, quamuis Deus non sit verè & propriè fidei iussor, satis est quod homo quantùm est ex se adhibeat illum vt talem, vt censeatur summæ fidelitati Dei iniuriam irrogare. Porrò æquè impropriè censeri Deum testem veritatis de præsenti, atque fidei iussorem fidelitatis de futuro, constat satis ex eo, quòd sicut ad rationem fidei iussoris propriè requiritur quod fidei iussor suscipiat in se onus præstandi rem quæ promittitur; ita ad rationem testis propriè dicti requiritur quod ipsemet testis adductus testificetur rem illam, in cuius testem affertur, quod Deus non facit in nostro casu; sed tantum homo ex parte sua illum adhibet in testimonium rei quæ non est; sicut, licet Deus non suscipiat onus præstandi quod promittitur, homo nihilominus ex parte sua illum adhibet in fidei iussorem. Itaque vtrobique videtur adesse grauis irreuerentia contra veritatem in assertorio de præsenti, & contra fidelitatem in promissorio de futuro.

Æquè impropriè Deus veritatis testis, quam fidelitatis fidei iussor.

164. Vnde ad nostrum negotium parum aut nihil interest, quòd propriè vel minus propriè fidelitas sit veritas, & infidelitas sit propriè vel minus propriè mendacium; nam non minùs repugnat Deo illa infidelitas quàm illa falsitas; nec minus propriè Deus est summè fidelis quam summè verus, ac proinde non minùs censenda est (vt diximus) grauis iniuria contra summè fidelem illius fidelitatem inuocasse pro actu qui non impletur, quam iniuria est contra veracitatem illius veritatem inuocasse pro confirmanda propositione quæ non est vera siue fidelitas sit propriè veritas, siue non vt interim omittam tritum esse apud D. Thomam & cæteros alios quod fidelitas sit pars veritatis, saltem non potest negari quin sit veritas illa quæ consistit in conformitate dictionis de re futura præstanda à dicente cum ipsa re quæ præstanda est, & in hac conformitate seruanda non minùs est Deus summè perfectus, quam in conseruanda conformitate quæ est inter dictionem & mentem dicentis, in qua dicitur primariò & propriè consistere veritas.

Non minus repugnat Deo infidelitas illa quam falsitas.

Tritũ apud D. Tho.

Assertio 3.

165. Assero tertiò: quamuis non sit facile discernere an iurans aliquid in confirmationem promissionis velit iurare modo dicto in prima assertione; vel potiùs modo dicto in secunda, maximè si iurans non sciat facere eiusmodi distinctiones; nihilominus in communi modo iurandi, qui verè vult iurare confirmando promissionem Iuramento, nisi aliud expressè vel virtute intendat, censetur iurare iuxta modum præscriptum in 2. assertione adducendo scilicet Deum in testem aut fidei iussorem quantum est ex parte iurantis, quod posteà præstabit suo tempore rem promissam. Ratio est quia qui iurat verè ex animo se obligandi, censetur (nisi aliter restringat) velle se obligare meliori modo quo potest

Ratio.

potest iuxta sensum quem verba admittunt; cumque verba Iuramenti admittant sensum secundæ assertionis, quo Deus adhibetur in testem futuræ conformitatis inter dictionem & rem dictam, vel in fidei iussorem præstandi rem promissam quantum est ex parte promittentis, censetur in eo sensu iurasse. Vnde sic explicata prima sententia mihi multò magis placet, quamuis tertiam probabilissimam putem vt dicebam.

Periurium contra veritatem de præsenti, est peccatum cõmissionis. Contra veritatem de futuro omissionis.

166. Quamuis autem verissima sit doctrina quam attulimus ex Suario, scilicet periurium contra veritatem de præsenti esse peccatum commissionis contra præceptum negatiuum non peierandi; periurium verò contra veritatem de futuro esse peccatum omissionis contra præceptum affirmatiuum implendi promissum, & dandi Deo reuerentiam in eo præstando; nihil tamen officit nostræ doctrinæ: nos enim tantum contendimus vtrumque esse vel contra summam veritatem quæ adducitur in testimonium, tam veritatis de futuro, quàm de præsenti; vel in veritate de futuro esse contra summam fidelitatem; & hanc obligationem non faciendi contra alterutrum horum semper esse grauem in quacunque materia minima, siue obligatio oriatur ex præcepto negatiuo siue ex affirmatiuo: id enim materiale omnino est, Imò si rem penitius examinemus, quamuis obligatio quæ restat post Iuramentum præstitum sit quodammodo semper ex præcepto affirmatiuo dandi Deo reuerentiam præstando quod promissum est; & obligatio quæ adest quando emittitur Iuramentum assertorium sit tanquàm ex præcepto negatiuo non inferendi Deo irreuerentiam peierando, id est inuocando Deum in testem falsi; nihilominus vtrobique tota radix obbligationis oritur ex præcepto naturali negatiuo non irrogandi iniuriam summæ veritati, aut fidelitati Dei: Vnde non solùm in Iuramento assertorio; sed etiam in Iuramento promissorio propriè obligatio reperitur ex præcepto negatiuo non inferendi Deo iniuriam; quia tamen non potest non inferri iniuria si res iurata non impleatur, inde resultat obligatio implendi illam. Vnde obligatio quæ est implendi promissum, & dandi reuerentiam Deo, oritur ex obligatione naturali non faciendi illi irreuerentiam, quæ non potest non fieri si non impleatur promissum. Itaque etiam in Iuramento promissorio obligatio non tam propriè est exhibendi reuerentiam Deo, quàm non exhibendi irreuerentiam; & quia actus non implendi est exhibere irreuerentiam; ideo est obligatio implendi, quia est obligatio non exhibendi reuerentiam, quæ obligatio propriè est præcepti negatiui etiamsi proximè videatur explicari per præceptum affirmatiuum exhibendi reuerentiam. Ratio autem quasi à priori huius doctrinæ est; quia non tenetur quis facere quod iurauit, propterea quòd primariâ (vt sic dicam) intentione sit obligatio hîc, & nunc præstandi reuerentiam aliquam Deo; sed propterea quòd sit obligatio non faciendi irreuerentiam; hæc autem fieret si non impleretur res iurata.

Obligatio non faciẽdi citra summam veritatem, vel fidelitatem semper est grauis.

In promissorio obligatio non tam propriè est exhibẽdi Deo reuerentiam quam non exhibendi irreuerentiam. Ratio.

Sanch. Discrimen inter vtrãque veritatem.

167. Illud autem quod dicebat Sanch. non esse eodem modo spectandam vtramque veritatem scilicet de præsenti, & de futuro; quia in quâuis materiâ quantumuis malâ, vel bona, est mortale deesse primariam veritatem de præsenti, quando verò materia est mala, licet venialiter tantùm, nulla est culpa deficere posteriorem veritatem; verum quidem est, sed non ad rem; nos enim solùm contendimus eam veritatem esse debere sub mortali quotiescunque ex vi Iuramenti adesse debet: aliud enim est eam obligationem veritatis in futurum aliquando non posse resultare; aliud verò est quòd quando ea obligatio resultare potest, & resultat, sit obligatio grauis; & hoc est, quod contendimus in nostrâ sententiâ; nimirum obligationem talis veritatis de futuro, quando est ideo esse grauem quia quando talis veritas vel fidelitas ex vi Iuramenti adesse debet & non adest, grauis irreuerentia est contra veritatem summam Dei quantumuis res promissa minima sit, quod autem obligatio talis veritatis adsit vel non adsit ex alio principio prouenit, & materiale omnino & per accidens ad præsens negotium est. Ideo autem in Iuramento assertorio semper adesse debet veritas; quia quamuis id quod asseritur in se peccatum sit; tamẽ conformare dictum diuino testimonio conformatum cum mente dicentis, ita & idem ipsum, quod ore dicitur in mente iudicetur, ex se præcisè semper est debitum; conformare verò promissam rem cum promissione non semper est debitum; quia non semper est licitum, & sicut nec promissio ipsa quæ Iuramento confirmatur quando est de re illicita, non obligat vt res dicta & promissa cum promissione conformetur, & qui posteà non implet, non dicitur infidelis & mendax, sed resipiscens. Ita, qui non implet tale Iuramentum non censetur irreuerentiam Deo facere, sed potius in eo ipso resipiscere. Hoc tamen totum ad præsens negotium impertinens est, vbi solùm contendimus quod, quando adest obligatio Iuramenti propter non inferendam irreuerentiam Deo, illa obligatio omnino grauis sit, vt explicatum est.

Non facit contra nos.

Debitum semper est vt quod ore dicitur, in mente iudicetur.

At confirmare rem promissam cum promissione nõ semper est debitum.

DVBITATIO IX.

An Periuria cum naturali inaduertentia prolata sint peccata mortalia quando procedunt ex consuetudine iurandi sine aduertentia?

168. TAntum quærimus de Iuramentis quæ proueniunt ex consuetudine voluntaria & non retractata seu interrupta per efficax propositum se emendandi iuxta ea quæ sequenti dubitatione dicemus. Nam si iam fuit interrupta & retractata, atque adeo inuoluntaria talis consuetudo, iuramenta deinceps emissa sine aduertentia non magis culpæ imputabuntur habenti eam consuetudinem, quam non habenti: tunc enim nec effectus neque causa sunt voluntaria, quod certum videtur & supponunt omnes Authores infrà citandi.

Status dubitationis.

169. Vlteriùs non disputamus de iurantibus cum aduertentia, quia certum est nihil discriminis esse inter iurantem ex praua consuetudine, vel sine illa, quando cum aduertentia nullus comes ex tribus deest Iuramento, sed in vtro-

Non agitur de iurantibus cũ aduertentiâ.

que erit Iuramentum licitum; nec enim praua consuetudo aufert ab homine legitimam benè iurandi potestatem; item si desit cum aduertentia ..ritas in vtroque, erit mortale; sicut etiam si desit Iustitia in materia graui, si verò tantum in materia leui, aut sola desit necessitas in vtroque, erit peccatum veniale. Ratio omnium prædictorum est, quia in iis casibus in quibus est aduertentia, non procedunt ea Iuramenta ex consuetudine tanquam ex causa: vnde illa tunc nec accusat nec excusat quia solum per accidens & comitanter se habet.

Nec de iurantibus ex repentinâ aliqua passione.

170. Præterea contingere etiam potest vt Iuramentum absque aduertentia prolatum etiam in habente prauam consuetudinem iurandi non ex illa proficiscatur, sed repentino quodam iræ impetu, aut ex nimio ad rem affectu, ex aliaue passione vt accidit aliquando ei qui non assuetus est Iuramentis, ac proinde neque de hoc etiam disputamus in præsenti. Nam in hoc etiam casu consuetudo neque accusat neque excusat, idemque iudicium est de hoc quod de Iuramento ptolato inaduertenter à non habente consuetudinem; quia cum consuetudo non sit causa huius inaduertentiæ, non potest dici voluntaria in illa. Omnia prædicta omnino certa videntur vt ex multis citatis Authoribus probat Sanch. lib. 3. c. 15. à num. 19. quamuis aliqui Authores non distinguentes, sed vniuersaliter loquentes, oppositum videantur docere. Iam ergo tota difficultas in eo versatur, an scilicet Iuramenta indeliberata sint mortalia quando procedunt tanquam à causa ex mala iurandi consuetudine adhuc perseuerante & voluntaria qua de re triplicem inuenio sententiam.

Petitur ergo an Iuramenta indeliberata sint mortalia quando &c.

Prima sententia docet omnia falsa huiusmodi Iuramenta esse mortalia. Gabriel. Caiet. &c.

171. Prima sententia docet omnia Iuramenta falsa inaduertenter dicta propter prauam consuetudinem frequenter iurandi esse mortalia peccata. Ita Gabriel in 3. distinct. 39. q. 2. a. 2. concl. 1. Caietanus 2. 2. q. 98. art. 3. in fine. Item in summa verbo *periurium* c. 1. & ibi etiam Armilla nu. 1. Nauarrus c. 12. nu. 6. Valentia tom. 3. disp. 6. qu. 7. paulò ante finem Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 5. num. 10. Angelus in Floribus 2. part. quæst. vnica de voto art. 1. difficultate 3. concl. 2. & loquens de blasphemia docet Toletus lib. 4. c. 13. nu. 7. ait enim blasphemiam inaduertentur prolatam ab assueto blasphemare neque curantem consuetudinem extirpare esse peccatum mortale. Probant hoc aliqui maximè Caiet. & Nauar. suprà Toletus lib. 4. cap. 21. nu. 8. § 3. huius casus Sayro c. 4. nu. 17. quia talis homo sic assuetus iurare etiamsi aduerteret peccaret ergo non excusatur à periurio.

Ratio.

Rationem meritò non probant. Sotus. Suarius. &c.

172. Hanc tamen rationem meritò non probant Sotus, Rodriguez, Valentia, Suarius, Petrus de Ledesma infrà referendi & Sanch. lib. 3 c. 5. num. 23. ex eo quod cum ea dispositio solum sit procliuitas ad peccandum neque hæc sit actus aliquis non potest esse peccatum; item quia vt rectè Augustinus contra semipelagianos non imputat nobis Deus quod faceremus si hoc vel illud occurreret sed quod actu facimus aut volumus quidquid alioqui vellemus si tale quid occurreret illa enim conditio nihil ponit in esse quando voluntas nullum habuit actum positiuum. Quod si non occurrat memoriæ aut scientiæ cum qua peccaremus, gratiæ Dei imputandum est ait Augustinus. Probatur vlterius quia alioquin ille qui consueuit non ieiunare diebus præceptis etiamsi ignoret inuincibiliter esse diem ieiunij peccabit quia etiamsi sciret non ieionaret; item qui facta sufficiente diligentia ad cauendum periculum homicidij casu occidit inimicum reus esset homicidij quia si sciret libenter occideret quæ tamen omnia omnino falsa sunt eo vel maximè quia talis conditionalis est incerta & soli Deo cognita & non obstante consuetudine posset homo non iurare si aduerteret. Quæ doctrina pro confessionibus est maximè notanda sæpè enim homines se accusant de iis quæ facerent in quibus tamen nihil peccarunt. Ratio ergo huius sententiæ esse debet (si qua est) quæ hæc Iuramentum sunt interpretatiuè voluntaria vtpote præuisa in causa.

Contra vlterius.

Doctrina pro confessionibus maximè notanda.

Secunda sententia docet omnia prædicta Iuramenta, quamuis contingat aliqua esse vera esse mortalia.

173. Secunda sententia docet omnia prædicta Iuramenta sine aduertentia prolata ab habente talem consuetudinem etiamsi aliqua ex illis contingant esse vera esse omnino peccata mortalia quia omnia illa sunt præuisa & voluntaria in sua causa sicut peccata commissa in ebrietate non liberantur à culpa mortali ex defectu libertatis quando ante ebrietatem sunt præuisa & non curatum est ea vitare quod autem etiamsi ea Iuramenta sint vera mortalia nihilominus sint. Probatur quia ad vitandam lethalem culpam non satis est iurare quod in se verum est imo id nihil prorsus confert ad rem sed oportet vt iurans prudenti discussione præmissa id verum existimet vt probauimus dubit. 7. assertione 2. & 3. Sed hic homo inaduertenter iurans non discutit sui Iuramenti veritatem quin per accidens omnino ille scit id esse verum cum ille iurandi modus æquè sit expositus veritati & falsitati neque illa aduertentia excuset vtpote voluntaria in causa, ergo æquè peccat mortaliter atque si aduertenter iuraret non discutiens verumne sit an falsum id quod iurat. Probatur etiam ex D. Augustino *lib. contra mendacium c. 15.* vbi ait ex iurandi consuetudine incurri periurium & ex D. Chrysostomo hom. 14. ad Populum vbi docet apertum esse quod necessariò multum iurans incidat in periurium nec esse idoneam excusationem causari consuetudinem. Et ex D. Isidoro lib. 2. sinonom. cap. 10. ibi *assiduitas iurandi periurium facit*, & lib. 2. de summo bono cap 31. ibi *dum vsum iurandi facimus periurij crimen incurrimus*. Et ex D. Bernardo de modo bene viuendi serm. 32. ibi: *vsus iurandi ducit hominem ad periurium.* Hæc sententia graues habet Authores inter quos Franciscus de Victoria, & Didacus de Victoria, ambo Dominicani in regulis confraternitatis nominis Iesu, vt refert Sotus de Iuramentorum abusu cap 12. Alcozer in summa c. 15. Bartholomæus à Medina in summa lib. 1. c. 13. & c. 14. § 4. Rodriguez c. 192. nu. 11. Ludouicus Lopez, allegans Ioannem de Lapeña 1. part. c. 42. Petrus de Ledesma 2. tomo summæ Tract. 11. cap. 5. dub. 4. dicto 2. & dub. 5. dicto 3. Azor tom. 1. lib. 11. c 3. q. 3.

Ratio.

Augustini authoritas.

Hæc sententia graues habet authores.

Tertia sententia cui subscribit Author.

174. Tertia sententia cui ego subscribo asserit Iuramenta ptolata sine aduertentia formali & per se sufficiente ad peccatum mortale non esse nouum ac proprium & speciale peccatum

propter

propter solam iurandi consuetudinem qualiscunque illa sit & quantumuis non sit retractata sed totam malitiam & peccatum, si quod reperitur esse ad summum in ipsa causa atque adeo vt Iuramenta ipsa in se sint peccata mortalia requiri talem ac tantam aduertentiam, qualis & quanta est necessaria in homine non assueto ad iurandum.

175. Dixi ad summum totam malitiam esse in causa, quia nonnulli putant in causa esse malitiam qua de re dubitatione sequenti dicemus.

Probatur Assertio 1.

176. Probatur nunc assertio quia nullum potest esse peccatum, nisi sit directè aut indirectè voluntarium at ea Iuramenta quæ deliberatione carent neutro modo sunt voluntaria ergo non sunt peccata. Minor probatur quia inprimis non sunt directè voluntaria vt ex se patet eo quod illa inaduertentia fuerit in se inuincibilis: quod autem neque sint indirectè voluntaria probatur ex eo, quia id petit quod quis possit & teneatur vitare, id quod dicitur indirectum volitum seu voluntarium; at illo tempore quo quis ex illa inaduertentia iurat, non potest vitare, cùm ipsa inaduertentia tunc sit inuincibilis, quia ob consuetudinem non fit homo potentior ad aduertendum; sed æquè naturaliter capitur & æquè deest illi medium quod tunc applicetur ad aduertendum.

Probatur 2.

177. Probatur 2. quia peccata sine iudicio rationis facta, ex causa tamen culpabili procedentia, & qua in eadem causa præuisa sunt, vt contingit in delictis ebriorum præuisis ab eisdem ante ebrietatem; nulla noua malitia afficiuntur, sed tota malitia est in sua causa, eò quòd eatenùs malitiam participant quatenus voluntaria sunt, ac proinde cùm in sola sua causa sint voluntaria solam illius malitiam habent; atqui prædicta Iuramenta sine aduertentia prolata ab assuetis iurare non sunt in se voluntaria, sed in sua causa, nempe in praua consuetudine non eradicatâ in qua præuidebtur: ergo nullam participant, nec habent culpam propriam & specialem, sed, si qua est, tota est in sua causa. Restat ergo nunc disputandum quando & quomodo sint voluntaria in causa, atque adeò peccata mortalia, & quomodo id sit explicandum in confessione de quo sequenti dubitatione dicemus.

Difficultatem mouent aliqui contra prædicta.

178. Verùm dicunt aliqui contra prædicta, actus illos exteriores vel omissiones quæ in somno ebrietate, vel alio impedimento vsus rationis fiunt, denominari peccata denominatione extrinseca à causa libera & culpabili quæ præcessit: ergo idem dicendum erit de his Iuramentis indeliberatis.

Resp. 1. cũ Suario.

179. Respondetur cum Suario lib. 3. cap. 7. num. 7. hanc esse quæstionem de nomine: nam quamuis hæc omnia eo modo denominentur peccata mortalia, parum refert, dummodo constet ipsa in se non afferre nouam malitiam, neque nouum tormentum, aut pœnam mereri coram Deo præter eam quæ fuit in causa; hoc enim solum est quod nos intendimus quidquid sit de denominatione extrinseca ab actu præterito.

Responderi potest & fortè melius.

180. Secundò responderi potest & fortè melius, non deesse doctos Theologos qui negent actus vel omissionis contra præcepta contingentes tempore somni vel ebrietatis, etiamsi fuerint voluntarij in causa, denominari tunc peccata, sed tantum effectus peccati præcedentis vt latè docet & doctè Vasquez 1.2. disp. 94. c. 3. & Lessius lib. 4. c. 3 num. 29. cum Paladano, Maiore, Gabriele & Adriano quos refert idem Vasquez. Et ratio quidem non contemnenda est; nam actus non denominatur peccatum nisi quamdiu liber est actu; & quambis ex liberâ causâ processerit, si tamen iam non subest libertati & potestati ipsius operantis, non sufficit vt propriè denominetur peccatum, sed tantum effectus peccati. Alioquin qui propinauit venenum, semper actu peccaret quamdiu veneni actio durat, etiamsi duraret per annum, aliaque similia absurda possent colligi. Vnde certum videtur eum qui venenum propinauit, tunc tandem commisisse totam culpam suam coram Deo quando venenum propinauit, siue posteà sequatur effectus, siue impediatur. Sicut qui in alium iaculatus est sagittam, æquè peccauit, siue scopum attigerit siue errauerit: vnde tota culpa in ipsa emissione seu impressione impetus commissa est, ideoque rectè denominatur peccatum quia libera fuit; reliqua verò quæ vel naturaliter sequuntur, vel casu impediri possunt, & sub vsum liberum iam non cadunt, videntur potiùs effectus peccati commissi, quamuis in ordine ad aliquos effectus morales pœnasque incurrendas v.g. excommunicationis vel irregularitatis multum referat an effectus sequatur vel non, vt ex dicendis in fine constabit.

litis. Facta in somno vel ebrietate non esse peccata sed tantum effectus præcedentis peccati. Ratio est.

Præcedens ratio applicanda in casu praua consuetudine.

181. Hac ergo ratione in nostro casu quando homo præuidet & experimento cognoscit ex sua consuetudine praua sequi multa periuria indeliberata, & pro nihilo ducit neque curat illam consuedinêm euellere & eradicare, tunc quidem fieri potest vt actu peccet ratione periculi sequentium actuum indeliberatorum, & voluntas expressa vel interpretatiua persistendi in illa consuetudine specialem potest habere malitiam ex effectibus præuisis; atque adeo tunc commissa est tota eorum Iuramentorum malitia quæ fiunt posteà indeliberatè. quando autem posteà sic fiunt, nec denuò peccatur, nec augetur malitia. Ideo pro hac tertia sententia sunt plurimi & grauissimi Authores præcipuè D. Thomas 2. 2. q 98. art. 3. ad 2. Durandus in 3 distinct. 39. q. 5. nu. 6. Richardus ibi a. 3. q. 2. Paludanus q. 2. a. 1. Guilielmus de Rubione q. 2. a. 1. concl. 1. quatenùs hi omnes absolutè docent Iuramenta inaduertenter prolata esse libera à culpa item Bonauentura in 3. distinct. 39. a. 1. q. 3. nu. 21. & 24. quatenùs ait esse veniale quando quis ex praua consuetudine iurat non attendens quem inuocet, & ad quid absque dubio tamen ita docent Antonius 2. part. tit. 10. c. 7. §. 1. Angelus v. *Iuramentum* 3. num. 10. & v. *Periurium* in principio Syluester v. Blasphemia q. 4. & expressimè docent Maior in 3. distinct. 39. q. 4 in principio & in 3. concl. & in solutione 2. contra 3. conclusionem. Scotus eadem distinct. q. vnica art. 1. in fine & Sotus de Iuramentorum abusu c. 12. & indicat hoc ipsum lib. 8. de Iustitia q. 2. a. 3. concl. 7. in fine. Post prædictos autem omnes latè probant & confirmant hanc sententiam Suarius

Pro hac tertia sententia sunt grauissimi Authores. D. Tho. Durãdus. Richardus &c.

lib.3.de Iuramento c.7. Sanch.lib.3.ca.5. nu.28.

Notandum tamen 1. est circa hanc sententiam.

182. Aduertendum tamen primò est circa hanc sententiam cum Scoto, quod sicut nimia bene operandi consuetudo, vt diligendi Deum, vel erogandi Eleemosynam, efficit, quòd sic assuetus deliberet plenè circa hos actus breuissimè, ea breuitate qua non assuetus non sic deliberaret; quia nimirum ratione vsus citiùs multò deliberat; ita etiam circa peccata & Iuramenta poterit contingere; ac proinde poterit sæpè esse Iuramentum indeliberatum in eo qui non est assuetus ad iurandum, quod in eo qui est assuetus, non esset indeliberatum; atque hoc videtur maximè aduertendum ad damnanda vel excusanda in speciali culpa in se Iuramenta assuetorum: nam si ratione vsus citius plenè deliberent circa Iuramentum, si id est verum, nullum erit peccatum, nec in se, nec in causa, quia sic iurans nulli se periculo exposuit, cùm plenè aduerterit ad rei iuratæ veritatem. Si autem sit falsum, erit in se culpa periurij aduertenter commissi quæ mortalis est.

Differentia quoad modū deliberationem in eo qui est assuetus & qui non est assuetus iurare.

Notandum 2.

183. Notandum 2. cum Suario suprà n. 12. etiam ad idipsum discernendum habendam esse personarum rationem: nam qui pollent discretione & ingenio, citiùs plenè deliberant, quàm Rustici & tardioris ingenij vt experientia satis docet.

Notandum 3.

Notandum 3. ex Soto habendam esse etiam rationem veritatis iuratæ: sunt enim aliquæ veritates ita patentes & peruiæ, vt breuissimè sit deliberatio circa illas, nullàque sit opus mora, vt si quis iurat Deum esse, vel solem lucere: aliæ verò requirunt plus discussionis & aliæ multò plus.

Notandum 4. Peccata præuisa in somno vel ebrietate in confessione non necessariò, sed in causa explicanda esse.

184. Notandum 4. & quidem maximè, illa peccata quæ præuisa & voluntaria fuerunt ante ebrietatem, vel somnum, vel aliud impedimentum, non esse necessariò explicanda in confessione in se ipsis, & quatenus sunt effectus, sed satis esse quod pœnitens dicat & explicet illa in causa, nempe dicendo se dedisse causam sufficientem ad eos effectus. Nihilominus tamen tenera causant aliquos effectus, si reipsa talia opera vel facta sequantur ex tali causa data, nempe inducunt iuxta materiam vel qualitatem delicti irregularitatem aut excommunicationem, aut restituendi obligationem; vt si sequatur effectus homicidij, aut percussionis clerici, aut destructionis alicuius boni temporalis, quæ pœnæ seu effectus morales perinde sequontur, ac si in vigilia liberè contigissent, atque hoc verum est etiamsi voluntas illa prior fuisset per pœnitentiam interrupta, nec iam effectus possit vitari. Vnde fieri irregularis qui proximo propinauit venenum, si contingat proximum mori, etiamsi, quando mortis effectus sequatur; iam qui propinauit, egerit pœnitentiam, & absolutus fuerit à peccato commisso. Ratio est quia ad omnia illa incorrenda satis est liberam causam in illis effectibus dedisse, & illos ex tali causa fuisse secutos; secus si non sequantur, quod in omni sententia esse ita sentiendum rectè docuerunt Azor tom.1.lib.1.c.7.q.vnica Vasquez 1.2.disp.94.ca. 4.in fine. Idem autem consequenter dicendum est de Iuramentis indeliberatis procedentibus ex praua consuetudine voluntaria non retracta-ta: si enim periurio imposita esset excommunicatio vel reseruatio, qui sic indeliberatè peieraret illam incurreret, vt multi volunt.

Talia tamen homicidij, aut percussionis clerici, aut destruendi etc.

Ratio.

185. Quamuis quod attinet ad reseruationem aut excommunicationem impositam periurio probabiliùs putem, etiam in hac nostra sententia propter huiusmodi periuria inaduertenter prolata non incurri, in quo mihi maximè placent Suarius lib.3.de Iuramento c.8.nu 6.& Sanch. lib.1. Moralium c.16.in fine. & lib.3.c. 5.in fine. probat verò Suarius. quia censuræ & etiam reseruatio non solent ferri propter hæc periuria quæ in se non sunt peccata, sed propter illa quæ cum actuali aduertentia falsitatis & mendacij proferuntur, quæ perfectè & simpliciter sunt periuria: Sanch. verò probat, quia doctrina illa generalis meritò deficit in peccatis solius oris in quæ homines facilimè labuntur. Sed de hoc dixi agens de pœnitentia disp.9. nu.415. Vide si placet dicta de pœnitentia eadem disp. 9. paulo post præsertim nu.419.& seqq. & quæ iam diximus sequente dubitatione.

Probabilius non incurritur excommunicatio propter periuria inaduertenter prolata.

DVBITATIO X.

An aliqua & quæ consuetudo iurandi incautè constituat hominem in statu peccati mortalis, & quomodo in confessione sint explicanda ea peccata?

186. Aduertendum est 1. statum peccati mortalis tripliciter dici. Primò dum quis est in actuali peccato mortali. Secundò dum est in habituali tantùm, nempè quia mortalis commissi nondum sufficientem pœnitentiam egit ad eam culpam abolendam. Tertiò quando quis versatur in proxima & morali occasione peccatis mortalis, vt cùm domi retinet concubinam, vel potens commodè restituere id differt. Hic autem tertius status quasi medius est inter duos priores, vt notarunt Suarius lib.3. de Iuramento c.6 nu.3.& Sanch.lib.3.c.5.nu.3. ille enim, qui in eo tertio statu est, non semper actu peccat, sicut qui est in primo; neque sufficit peccasse sicut in secundo, sed vltra perseuerantiam in habituali peccato addit deordinationem talem, & quoties homo se in eo esse aduertit, teneatur ab ea recedere. Vnde est quasi continuum peccatum hesternum, diciturque status peccati, quia ex vi illius semper actu peccat existens in illo, solumque interdum non peccat quod ad illum non aduertat.

Nota 1. statum peccati mortalis tripliciter. Dici.

187. Aduertendum 2. consuetudinem iurandi posse esse triplicem: prima potest esse iurandi quidem frequentissimè, sed cum debita aduertentia vt verum iuretur, siue fortè simul adiungatur; alioquin consuetudo mentiendi absque Iuramento siue non. Secunda est iurandi frequenter falsum cum aduertentia. Tertia est iurandi frequenter indiscriminatim, tam verum quàm falsum sine aduertentia, siue id sit sine aduertentia tam ad Iuramentum quàm ad veritatem, siue sit quidem cum aduertentia ad Iuramentum, non tamen ad veritatem vel falsitatem.

Nota 2. consuetudinē iurandi posse esse triplicem.

188. Aduertendum 3. ipsammet consuetudinem

Nota 3. con-

Consuetudinem ipsam iurandi secundum se non esse peccatum. dinem iurandi secundùm se non esse peccatum, quia si consuetudo sumatur pro habitu seu inclinatione generata ex multis actibus, quamuis sit habitus vitiosus eo quod inclinat ad malum, non tamen potest esse peccatum, quia peccatum in solo actu eiusue omissione reperiri potest: *Ratio.* hinc est illud commune dictum scholæ quòd *habitibus nec meremur nec demeremur*, & quod præcepta non dantur de habitibus sed de actibus, & quod peccatum est pœna dignum, non tamen habitus; non ergo potest habitus esse peccatum, sed tantum effectus peccati. Si autem consuetudo sumatur pro numero & frequentia actuum, & frequentia non est vnus aliquis actus distinctus à singulis; sed est omniū actuum collectio, atque adeò non est distinctum peccatum ab ipsis actibus; sed solùm comprehendit ipsosmet actus frequenter repetitos teste Aristotele 2. Ethicorum in quo omnes Authores conueniunt.

Omissio tamen eiusdē consuetudinis extirpandæ potest esse mortalis. 189. Quamuis autem ea praua consuetudo non sit in se peccatum voluntas nihilominùs vel expressa, vel interpretatiua seu (vt alij etiam rectè loquuntur & in idem recidit) omissio eiusdem consuetudinis extirpandæ potest esse culpa mortalis, & dubitari potest an in ea imputentur omnia Iuramenta incauta, & inde prouenientia; *Controuersia.* atque in hoc consistit expressè controuersiæ in qua sunt duæ opiniones extremè opposita. Vide nos de pœnit. disp. 9. nu. 408. sed præcipuè nu. 415. & deinceps.

Prima opinio. 190. Prima opinio docet illam consuetudinem iurandi frequenter verum non constituere hominem in statu peccati mortalis; alteram verò secundam consuetudinem iurandi falsum aduertenter, & tertiam quoque iurandi indiscriminatim sine aduertentia, constituere hominem in statu peccati mortalis, dummodo sit voluntaria expressè vel interpretatiuè, & omissionem illius extirpandæ esse mortalem culpam, in qua tanquam in causa imputantur omnia Iuramenta falsa sine aduertentia emissa, & secundùm alios Authores huius sententiæ etiam Iuramenta vera, quia incautè & sine discussione veritatis emittuntur. Ita Arragon 2.2. q.89. a.3. dub. vltimo in 3. concl. Vega 2. tom. summæ ca. 16. casu 14. & magis ex instituto & Latius, Suarius. lib. 3. de Iuramento c. 6. & 8. Sanch. lib. 3. c. 5. à nu. 11 Valentia tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 3. & Petrus de Ledesma 2. tom. summæ tract. 11. c. 5. dub. 4. & dub. 5. dicto 2. qui duo Authores id extendunt ad consuetudinem frequenter iurandi veritatem, quando consuetudo est in homine assueto ad mentiendum sine Iuramento, quam extensionem non admittunt, sed meritò impugnant Suarius & Sanch. nu. 9. & 10. Idem docet Azor lib. 11. c. 3. q. 3. qui limitat ad consuetudinem iurandi cum aduertentia quidem ad Iuramentum; non verò ad veritatem, vel falsitatem rei iuratæ; secùs, si ad neutrum aduertatur; quia tunc (inquit) emissio Iuramenti plenam rationis aduertentiam anteuertit. Hanc tamen limitationem etiam impugnat Suarius & Sanch. nu. 14. quia consuetudo, quæ est causa inaduertentiæ, vtrobique est voluntaria. Pro hac eadem sententia sunt omnes Authores, qui dicunt in assueto ad iurandum omnia Iuramenta falsa vel etiam vera esse in se peccata, quia voluntaria in causa; hi enim omnes tenentur asserere ipsam causam esse peccatum.

Probant. 191. Probant autem hanc sententiam Authores illius; quia quando experientia id docente animaduertit quis illum prauum vsum iurandi esse sibi occasionem peccati, & causam incidendi in multa Iuramenta aduertentur falsa, vel inaduertenter incauta, vidēs etiam se esse in proximo periculo peierandi: ergo tenetur extirpare talem vsum & consuetudinem, alioquin saltem interpretatiuè vult permanere in illo periculo; *Videns se in proximo periculo peierandi ratione praua consuetudinis tenetur hāc extirpare.* atque adeò est illi voluntarium, non secùs atque illi qui vult retinere concubinam domi cùm periculo fornicandi, vel qui vult permanere in officio sibi periculoso, puta in arte campsoria, vel in officio Iudicis sine sufficiēti sciētia.

Confirmatur. 192. Confirmatur; quia, si is cùm aduertit ex hac suâ consuetudine sequi tot Iuramenta incauta, & periuria, haberet voluntatem expressam, & actualem permanendi in eo statu & retinendi eam consuetudinem & vsum, in illâ voluntate implicitè vult omnia mala inde profectura; Sed quando id præuidet & negligit seu nihil curat de extirpanda illa consuetudine, interpretatiuè vult in ea permanere: ergo tunc non minus imputantur omnia illa mala quam si expressè haberet illam voluntatem: ergo est in statu peccati.

Ex hac sententia inferunt 1. Suarius. & Sanch. in ordine ad confessionem. 193. Inferunt 1. ex hac sententia Suarius & Sanch. quod teneatur pœnitens in confessione explicare tempus durationis illius consuetudinis, & quoties nouâ aduertentiâ & quasi repetitâ voluntate iurans in ea permanere decreuerit. Quamuis autem conueniens sit explicare Iuramenta indeliberata & numerum eorum, hoc tamen non est (inquiunt) necessarium, quia quando opus externum non est in se voluntarium, sed tantum in causa, satis est ipsam causam exprimere, vt probant ambo citati Suarius quidem lib. 3. 8. nu. 5. Sanch. verò lib. 3. c. 1. nu. 53. de quo etiam aliquid diximus in nostro tract. de Pœnitentia disp. 9. præsertim à nu. 411. & deinceps.

Inferunt 2. Valentia & Sayrus. 194. Inferunt 2. Valentia punct. illo 3. columna penultima versiculo *sed aduertendum* Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 5. nu. 10. in fine. cum qui ex consuetudine inaduertentur, & multò magis qui aduertēter peierat, præter hæc periuria, quæ in seipsis iuxta hos Authores sunt peccata mortalia, peccare etiam alio peccato omissionis, eo quod non conetur remouere à se talem consuetudinem, in quo peccato omissionis tanquam in causa sunt voluntaria alia quæ postea sequuntur. Idemque tenentur sentire si consequenter loquantur Authores relati dubitatione præcedenti; & etiam omnes Authores huius opinionis quam nunc retulimus, qui putant consuetudinem iurandi incautè constituere hominem in statu peccati mortalis, tenentur idem affirmare de homine habente secundam illam consuetudinem scilicet peierandi aduertenter; quia nimirum præter periuria aduertentur commissa peccat etiam alio peccato scilicet non extirpando talem consuetudinem atque ita expressè docet Sanch. c. 5. n. 11. & 15.

Inferunt 3. Alij. 195. Inferunt etiam 3. aliqui alij tunc quempiam ab hoc peccato desistere, quando dolet de peccatis,

peccatis, & de mala consuetudine præteritis, & proponit ab illa desistere eamque extirpare; atque adeo deinceps non imputari illi periurio inadnertenter commissa, perinde ac si non haberet talem consuetudinem, quia iam neque in se, neque in causa sunt voluntaria, sufficereque prædictum dolorem & propositum vt talis homo possit absolui in foro pœnitentiæ, & circa illud propositum esse habendam fidem ipsi pœnitenti. Ita Valentia & Sayro, suprà Suarius c. 8. nu. vltimo Sanch. c. 5. nu. 16. & alij. Recentiores.

Inferũt 4. Suarius. & Sanch.

196. Inferunt 4. Suarius eodem lib. 3. c. 8. à num. 1. vsque ad 4. & Sanch. c. 5. nu. 30. habenti consuetudinem prædictam quæ illud constituat in statu peccati, omnia Iuramenta quæ sine aduertentia emittit, imputari ad culpam mortalem in causa, siue Iuramenta falsa sint siue vera: in quo ex parte consentiunt cum Authoribus secundæ opinionis relatæ dubitatione præcedenti. Ratio eorum est quia tota huius culpæ ratio sita est in periculo peierandi cui iurans inaduertenter se exponit; atque adeo per accidens & prætèr intentionem iurantis contingit quod id quod iurat quandoque verum sit; nam modus iurandi sine aduertentia naturâ suâ æquè expositus est veritati & falsitati.

Ratio.

Inferunt 5. idem Authores in ordine ad confessionẽ.

197. Inferunt 5. idem Suarius ca. 8. in fine. & Sanch. c. 5. nu. 18. habentem illam consuetudinem quæ cum constituat in statu peccati, posse in rigore absolui cùm ptimum pœnitet & proponit eam extirpare; etiamsi sæpius eandem confessus fuerit, nec se correxerit, quod asserunt contra Medinam, Vegam, Ludouicum, Lopez, Rodriguez, & Azor.

Secunda sententia, quæ Authori videtur probabilior.

198. Secunda sententia quæ mihi videtur probabilior (quamuis præcedens sit probabilissima) asserit consuetudinem peierandi tam aduertenter, quam inaduertenter, non constituere hominem in statu peccati mortalis, nec esse distinctum peccatum à periuriis aduertenter emissis ex illâ, nec ea periuria sic prolata imputari ad peccatum mortale, idque nec in seipsis, neque in illa consuetudine tanquam in causa, ac proinde non imputari magis ad culpam quàm in non habente talem consuetudinem. Quapropter nulla erit obligatio explicandi in confessione ea periuria indeliberata, nec illorum causam, scilicet consuetudinem, nisi fortè quando à confessario interrogantur propter cognoscendam dispositionem pœnitentis. Sicut de circumstantia recidiui docent Authores in materiâ de pœnitentia. Nec possum non mirari huius opinionis nullam mentionem fecisse Sanchez, qui exactissimus alioquin solet esse & fidelissimus in opinionibus Authorum perscrutandis & referendis; cùm tamen pro hac sententia optimè possint referri omnes Authores quos retulimus dubitatione præcedenti pro 3. opinione exceptis ipso Thoma, Sanch. & Suario qui duo tantum ex omnibus illis dicunt Iuramenta inaduertentur prolata ex consuetudine imputari in causa scilicet in consuetudine; & quamuis D. Thomas Durandus & Paludanus & Guilielmus de Rubione non doceant exprèsse hanc opinionem satis tamen eam indicant cum absolutè proferant Iuramenta inaduertenter prolata libera esse à culpa, nihil distinguentes de Iuramentis procedentibus vel non procedentibus à consuetudine.

Nostram sententiam docent. Angelus. Syluester. Bonauentura.

199. Expressè verò docent hanc nostram opinionem Angelus, Syluester, Bonauentura, Ioan. Maior, Scotus, & Sotus ibi citati & Sà verbo *Blasphemia*, in fine. Verba Scoti art. 1. in fine. sunt hæc. *Non igitur distinguo quantum ad rationem peccati mortalis inter veritatem & frequentiam periurij, sed inter deliberationem & indeliberationem, & indeliberatio excusat siue semel siue quotiescunque.* Sentit ergo nullam esse differentiam inter iurantem falsò ex consuetudine & non ex consuetudine; ibique sæpè repetit quod consuetudo nihil faciat ad propositum iudicandi de malitia actuum. Ioannes etiam Maior in 3. distinct. 39. q. 4. statim in principio in 3. concl. expressè ait, *nullum periurium indeliberatũ esse mortale.* & paulo inferius in 2. probatione eius conclusionis sic habet. *Secundò probatur: quia alias homo affectus habitu iurandi toties peccaret mortaliter quoties in actum periurij ex habitu prorumperet.* Quod cùm inferat tanquam absuidum satis ostendit censere non esse peccata, & expressiùs paulò post in solutione ad secundum contra 3. conclusionem asserit, *assuetum iurato quando iurat ex motu qui est primo primus, nullo modo peccare, aliàs etiam dormiens aut ebrius iurans ex habitu quem habet, peccaret, & venialiter* (inquit) *peccat quando ex surreptione seu ex actu qui est secundo primus.* Angelus etiam in eadem est sententia v. *Iuramentum* 3. num. 10. & v. *periurium* in principio, & Syluester v. *Blasphemia* q. 4. vbi ait: *præsumptiuè tantùm in solo foro externo blasphemiam inaduertenter dictam esse mortalem in assueto blasphemare.* In eadem sententia est Sà loco citato & D. Bonauentura etiam in 3. distinct. 39. a. 1. q. 3. nu. 21. & 24. vbi expressè ait tantùm esse peccatum veniale quando quis ex praua consuetudine iurat, non attendens quem inuocet, neque ad quid: & Sotus de Iuramentorum abusu c. 12. reuera impugnat sententiam Victoriæ & aliorum, & inter alia hæc habet verba: *crediderim nullum esse actum qui adiuncta consuetudine sit peccatum mortale, & ea sola cessante id desinat esse mortale;* & lib. 8. de Iustitia q. 2. a. 3. statuit 7. conclusionem his verbis: *Consuetudo iurandi neque ipsa per se peccatum est, neque speciem mutat Iuramenti; neque aliter aggrauat quam tollendo aliquem trium comitum;* quod latè ibi probat & inter alias rationes hac vtitur: *quia potest contingere in assueto ad iurandum motus surreptitius, qui sic naturaliter linguam rapiat, vt culpam vel omnino tollat, vel venialem reddat.* Ecce vbi concedit si inaduertentia fuerit naturalis seu inuincibilis nullum esse peccatum, etiamsi procedat ex consuetudine, & posse etiam esse veniale peccatum si sit cum aliquali, sed non plena aduertentia, quod eodem modo contingit in non assuetis, & immediatè ad prædicta verba subiungit: *Adde quod, vt suprà monstrauimus, non quacunque negligentia iudicandi mortale peccatum est,* iuxta quam etiam doctrinam circa finem totius articuli sic ait: *Consuetudo potest præcipitare hominem vt non aduertat & ex negligentia interueniente tunc iudicandum est an sit mortalis culpa vel venialis; tanta enim potuit esse negligentia vt sit mortalis, & tam parua vt sit venialis.* Quod etiam docet Angelus v. *periurium* quæ distinctio etiam procedit in non habente

Inter iurãtem falsò ex consuetudine, vel sine hac nulla differentia.

bente

bente consuetudinem vt ex communi sententia probauimus suprà dubit. 7. asser. 2. Deinde concl. illa 7. addit Sotus: *At fortasse aliud quis hic commentum fingat, quod à nonnullis comminisci audiui, nempè eum qui consuetudinem habet inueteratam iurandi in statu esse peccati; hoc autem multò minùs intelligo;* & pergit Sotus id refutare. Consentit etiam huic sententiæ Reginaldus lib. 18. suæ praxis à num. 84. Referri etiam merito potest pro nostra sententia Vasquez. quem postea in 7. illatione, ex his quæ seorsim ex nostra sententia deducemus, patebit huius fuisse sententiæ.

200. Fusè satis & ad nauseam vsque huius nostræ sententiæ Authores protuli, & plerosque suis verbis quod fecerim ne videatur hæc opinio Authoribus destituta, eò quòd videam plures Recentiores oppositam amplecti, & minus cautè in hanc nostram inuehi tanquàm in improbabilem & singularem; cùm tamen neque Authoribus careat iisque grauissimis, nec rationibus destituatur satis efficacibus, quæ quamuis plura suppeterent, tres tantùm in medium proferētur.

Nec rationibus efficacibus destituitur nostra sententia.

Prima ratio.

201. Prima ratio est quia ille tantùm censetur esse in statu peccati mortalis, & in occasione proxima morali peccandi, qui voluntariè assumit, vel retinet aliquid extrinsecum quod statim posteà se repellere & reiicere, & quo repulso & reiecto potest per contritionem se in gratia constituere; & quod si non repellat, non potest efficacem dolorem habere, neque se in gratia constituere. Patet hoc inductione in eo qui assumit & retinet officium ad quod est inhabilis, & quod potest statim deponere, & in retinente alienum quod potest restituere statim. Item in eo qui habitat cum concubina quam potest statim domo expellere, & nisi ille deponat officium, & alter restituat alienum, & hic expellat concubinam, non possunt efficacem dolorem habere, neque possunt absolui nisi subsit aliqua causa, & sic de aliis occasionibus proximis. In nostro autem casu, qui habet consuetudinem iurandi, aut peierandi, neque assumit, neque retinet aliquid voluntarium quod possit à se statim repellere: nam præter actus peccati quos exercet (de quibus manifestum est vt sic considerator non esse causam actuum sequentium) tantùm acquirit & retinet ipsum habitum & consuetudinem quæ est causa & inclinat ad actus peccati subsequentis; sed hic habitus seu inclinatio & consuetudo nec voluntariè sumitur, nec voluntariè retinetur, cùm naturaliter generetur ex actuum frequentatione, & naturaliter retineatur & perseueret; ac proinde nequeat homo statim expellere eiusmodi consuetudinem seu actum; sed expellendus sit per cessationem ab actibus, vt rectè dixit Sotus: vnde nec potest exigi ab eo homine talis habitus, seu consuetudinis expulsio pro obtinenda absolutione peccatorum; neque aliud quippiam potest ipse hic & nunc præstare ad illius expulsionem præter propositum abstinendi à similibus actibus imposterum: ergo non constituit hominem in statu peccati, nec est occasio proxima moralis peccandi, sed remotè, quia non potest nunc & proximè euitari.

Praua cõsuetudo nõ est occasio, proxima moralis peccandi, sed remota.

Secunda ratio.

202. Secunda ratio est, quia si ea consuetudo esset proxima occasio, & constitueret hominem in statu peccati, etiam omnis consuetudo acquisita, v. g. maledicendi ex animo, blasphemandi, furandi, concupiscendi fœminas, se polluendi & similes aliæ constituerent hominem in statu peccati mortalis, & negligentia extirpandi quamcunque consuetudinem ex prædictis esset distinctum peccatum ab ipsismet actibus ex illa procedentibus, quod tamen de aliis consuetudinibus præterquam de consuetudine iurandi neminem (quod meminerim) contingit hucusque vidisse affirmantem: neque scio & puto esse vsum id interrogandi in confessione, scilicet de tempore talis consuetudinis vel negligentiæ illam tollendi. Et quamuis fortasse dici posset hanc doctrinam solùm habere locum in peccatis oris & locutionis in quibus speciale est, quod ex consuetudine multa peccata oriantur sine aduertentia prolata; tamen etiam hæc indeliberatio habet locum in aliis peccatis vt in assuetis ad concupiscendas fæminas, ad non ieiunandum, ad furandum & similibus. Ex quibus multi actus sæpè sine aduertentia ex naturali obliuione exercentur. Deinde hæc limitatio non est secundùm mentem prædictorum Doctorum, qui dicunt hæc peccata indeliberata esse voluntaria in ipsa consuetudine vt in causa: nam obligationem huiusmodi extirpandi eam consuetudinem, & huiusmodi negligentiam extirpationis dicunt esse mortale peccatum distinctum etiam in iis qui habent consuetudinem peierandi aduertenter, vt notaui & retuli in 3. illatione primæ opinionis ex Valentia, Sayro. Sanch. & Suario atque illi tres expresè dicunt esse peccatum omissionis quod Suarius non explicat, nec puto concederet interrogatus, nec videtur concedendum. Illud enim peccatum tantùm est peccatum se exponendi periculo nisi quis extirpet consuetudinem. At periculum semper est eiusdem rationis & speciei cum peccato cuius est periculum: peccatum autem periurij commissionis est contra præceptum negatiuum non peierandi. Sed quidquid sit de hoc, omnes hi Authores concedunt negligentiam extirpandi consuetudinem esse distinctum peccatum à periuriis etiam deliberatis ex consuetudine procedentibus: ergo idem etiam concedere debent in omnibus consuetudinibus peccatorũ acquisitis: Est enim eadem ratio, quod tamen inauditum est, ne dicam absurdum. Quis enim ex pœnitentibus de hoc peccato se accusauit? aut quis ex confessariis de hoc distincto peccato interrogauit aut monuit pœnitentes? quin potiùs in materia de pœnitentia communiter docent Authores non teneri pœnitentem ad confitendam circumstantiam recidiui, hoc est quod sæpè absolutus fuerit ab eo peccato, & quòd habuerit consuetudinem, nisi fortè aliquando interrogetur à confessario, quando meritò iudicat id esse necessarium pro cognoscenda dispositione pœnitentis, vel quando dubitat de suo proposito; hoc autem non pertinet ad meram integritatem confessionis, sed ad dispositionem necessariam quam debet pœnitens habere, & quam debet curare sacerdos ne deficiat antequam impendat absolutionem.

Doctrina non tãtum habet locũ in peccatis oris & locutionis, sed etiam in aliis peccatis.

203. Tertia ratio sumitur ab absurdo quod sequeretur: inde enim fieret quod omnis homo

Tertia ratio sumitur ab absurdo quod sequeritur.

mo qui habet naturalem inclinationem ad aliquod genus peccati, esset in statu peccati, & in occasione proxima peccandi, nisi proponat tali inclinationi resistere: nam nonnulli sunt homines, non minùs natura sua propensi ad iurandum vel furandum, quam alij per malam consuetudinem acquisitam, aut habitum vitiosum, imo vulgò ad significandam vim malæ consuetudinis acquisitæ, solet dici, *quod consuetudo est altera natura*, vel *quod consuetudo transit in naturam*: at nemo dicet quod fomes peccati, seu naturalis inclinatio ad malum, constituat hominem in occasione proxima morali peccandi.

Argumēto Resp. Suarius.

204. Non me latet Suarium vidisse hoc argumentum lib. 3. c. 6. nu. 10. & respondisse his verbis: *nec simile de fomite peccati, quia hic non est ita voluntarius. Vnde periculum illud, licet magnum sit, est magis contractum quam voluntarium.*

Solutio ipsius nō tollit vim argumenti.

205. Hæc tamen solutio non videtur sufficienter tollere vim argumenti: nam etiam consuetudo, seu habitus genitus ex actibus, omnino naturaliter gignitur, & prorsùs est innoluntarius. Vnde idem Suarius non satis contentus prædicta solutione statim subiungit: *& nihilominùs tenetur homo armari contra illud periculum fomitis oratione, & proposito resistendi illi; alioqui si sit notabiliter negligens, constituet se in statu peccati, vel mortalis, vel venialis pro ratione negligentia & periculi.* Hactenùs Suarius.

His verbis concedit quod proximè negauerat.

206. Verùm in his verbis quis non videat iam concedere quod proximè negauerat? Et sanè in his omnibus ex naturali inclinatione malè propensis hominibus, nemo, quod sciam, agnouit distinctum aliquod peccatum periculi cui se exponant, ex eo præcisè, quod non orent, vel non adhibeant aliud remedium; ita vt propter hanc omissionem committant nouum peccatum præter peccata quæ perpetrant ex illa mala inclinatione: solùm enim quis, ne incideret in peccatum illud in quod incidit, tenebatur orare, non verò ex alio præcepto, vt optimè docet & fatetur idem Suarius eodem tom. de Religione lib. 1. de oratione c. 29. num. 7. adhibens exemplum: vt si ad vincendam tentationem carnis iudicaretur necessarium ieiunium; qui illud omitteret tantùm peccaret illo peccato contra castitatem, ad quod vitandum erit necessarium ieiunium; quia tota necessitas, & obligatio ex sola castitate violatur; ergo non rectè nunc dicit illam negligentiam esse mortalem, vel venialem pro ratione periculi: nam, si homo ille euitet illud periculum ad quod ex inclinatione trahebatur, quacunque ratione illud euitet, negligentia non fuit peccatum, si verò in illud incidit propter negligentiam apponendi remedium, illa negligentia non est distincta culpa ab ipso peccato. Sicut ergo his hominibus naturaliter malè inclinatis sufficit se accusare in confessione de peccatis in quæ lapsi sunt, eo quòd non restiterint nec applicuerint remedium suæ prauæ inclinationi: ita etiam malè assuetis sufficit dicere peccata, quæ cum aduertentia fecerunt, quia non restiterunt suæ prauæ consuetudini. Iam verò ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeamus.

Eadem ratio in ordine ad cōfessionem de naturaliter malè inclinatis & malè assuetis hominibus.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ. Resp.

207. Respondatur ergo ad argumentum contrariæ sententiæ negando assumptum; quod scilicet quoties homo aduertat suam prauam consuetudinem iurandi, videat etiam se in proximo periculo morali peierandi, quod omninò falsum puto: videt quidem se in magno periculo, non tamen in proximo morali, quia tunc nihil assumit, aut retinet voluntarium quod possit tunc non assumere, vel à se reijcere, ne posteà peccet. Et quamuis possit tunc elicere propositum non iurandi vel blasphemandi, at nulla ratio efficax est quæ probat sub peccato mortali hominem teneri ad habendum tale propositum, cùm neque per illud causa tollatur, quæ est consuetudo, neque eo exhibito & facto desinet homo iurare, aut blasphemare tàm frequentes quàm ante factum propositum, nisi diligens sit in abstinendo se ab actibus similibus; vnde non est in eo homine alia obligatio, quàm ea, quâ in singulis actibus tenetur cauere periculum quod ex dicendis amplius constabit.

Nec obstat.

208. Neque contra hanc doctrinam est, quod non possit absolui in confessione, nisi habeat propositum non ampliùs iurandi; hoc enim propositum non est directè & propriè de pugnando contra consuetudinem; sed de abstinendo ab actibus iurandi, qui peccata sint mortalia; quamuis ex tali abstinentia si in re ponatur, necessariò sequatur extirpatio consuetudinis iurandi.

Ad conf. Resp.

209. Ad confirmationem respondetur si talis homo habeat voluntatem expressam permanendi in eo statu, grauissimè peccare in habendo talem voluntatem, vult enim multa peccata, quæ præuidet futura iuxta maiorem vel minorem frequentiam quæ solet habere, & ea ratione oportet in confessione explicare frequentiam solitam, vt inde confessarius conijciat multitudinem peccatorum, ad quæ ea voluntas se extendit, non secùs atque is qui vnica voluntate vult occidere plures homines. Negamus tamen in eâ voluntate esse voluntaria, sed tantùm volita Iuramenta illa, quæ posteà ex consuetudine emittit, vt patet si homo non assuetus Iuramentis, haberet ex vana gloria, vel ex alio prauo fine similem voluntatem iurandi frequenter, & indiscriminatim; talis enim actus solus non generat habitum, seu inclinationem; atque adeò maneret homo ille liber ad Iurandum, vel non iurandum, & talis actus non esset causa aliorum Iuramentorum quæ posteà emittuntur; neque talia Iuramenta possunt dici voluntaria in illo actu tanquàm in causa, sed solùm volita tanquàm obiecta, multoque minùs erunt voluntaria in voluntate interpretatiua, eò quòd non fecerit propositum extirpandi consuetudinem. Itaque reuera causa illorum Iuramentorum, quæ posteà sequuntur, est habitus, seu inclinatio, quæ tamen vt probauimus non est voluntaria, atque ideò Iuramenta indeliberata quæ ex illâ sequuntur, nec in seipsis, nec in causa sunt voluntaria, ac proinde neque peccata, nisi indeliberatio fuerit vincibilis propter aliqualem aduertentiam; tunc enim etiam in non assueto erit eodem modo culpabilis. Habemus ergo consuetudinem nihil facere cùm voluntaria non sit.

Aliud est Iuramenta esse voluntaria, aliud esse volita, ex consuetudine procedens.

Prauus Iurandi habitus nō est volūtarius atque adeo nec iuramenta indeliberata quæ ex illâ sequuntur.

210. Non negauerim tamen, quod si esset præceptum affirmatiuum extirpandi consuetudinem, eodem modo peccata contra illud, siue

expreſsè,

expresè, siue tantùm interpretatiuè vellet retinere illam, sicut tempore ipso, quo obligat præceptum audiendi missam, eo modo peccat, qui illam omittit, siue expresè velit omittere, siue nullum habeat actum voluntatis; negamus tamen in nostro casu esse illud præceptum, tum quia gratis asseritur, tum, quia adhuc facto proposito eam consuetudinem expellendi, manet adhuc consuetudo, sicut ante; neque potest tunc expelli, sed per longum tempus expellenda est per cessationem ab actibus, sicut per longum tempus genita fuit per frequentationem actuum, tũ denique, quia, vt diximus, non est voluntaria.

Nec est præceptum affirmatiuum extirpandi hāc consuetudinem.

211. Philosophandũ igitur est in nostro casu sicut de eo, qui cùm sit obligatus ad horas canonicas, aggreditur iter longum sine breuiario, præuidens se non habiturum alibi; si enim voluntariè, & cum præuisione omittit breuiarium in eâ causâ, voluntaria imputantur illi tot peccata mortalia, quot dies insumpturus est in eo itinere, & præuidit insumendos; posteà verò iam factus impotens ad recitandum, non peccat etsi non pœniteat, neque tenetur tunc ex præcepto pœnitere: si verò breuiarij omissio, seu relictio omnino coacta fuit, aut aliter non voluntaria, neque peccatum tunc erit in causa, neque posteà, nisi fortè velit omisisse breuiarium, vel habeat propositum non recitandi, etiamsi illud ad manum haberet.

Philosophandum ergo in nostro casu, sicut in hoc.

212. Pari etiam ratione philosophandum est in nostro casu, sicut de eo, qui per totam quadragesimam non ieiunauit, qui si habuit expressam voluntatem non ieiunandi per totam, aut per dimidiam, præter singula peccata; quæ commisit singulis diebus, tenetur confiteri illam voluntatem generalem, in qua fuerunt tot volita peccata, quot dies includebat; si tamen nullam habuit generalem voluntatem, tantùm tenetur fateri singula peccata, quia ex negligentiâ, quâ nunquàm curauit, nec proposuit ieiunare, nullum incurrit nouum peccatum; & quamuis habuerit illam generalem voluntatem, in eâ tamen non fuerunt voluntaria, sed volita omnia illa peccata; vnde etiamsi posteà omittat aliqua ieiunia cum causa, vel ex ignorantia, aut inconsideratione inuincibili, non imputantur illi ad culpam; quia nec in se, nec in causa aliqua, ex qua necessariò sequantur, sunt voluntaria, etiamsi habeat consuetudinem non ieiunandi.

Item sicut in hoc casu.

213. Secùs videtur aliquibus dicendum, si voluntariè apponat aliquam causam, ex quâ necessariò sequatur non posse ieiunare, vt, si adeò nimis multum comedit aut tales cibos, vt præuideat se reddendum impotentem ad ieiunandum; quia longam infirmitatem inde sit contracturus, quamuis hoc suam habeat difficultatem, de qua quid dicendum sit, infrà explicabimus nunc placet aliquas illationes ex tradita doctrina percurrere quæ in praxi non parùm iuuabunt pro varijs casibus occurrentibus.

Colliguntur aliqua ex præcedente doctrinâ pro varijs casibus occurrentibus.

Corolaria ex traditâ doctrinâ.

214. Colligitur 1. ex nostra assertione & doctrina non posse negari licitè absolutionem Sacramentalem ei qui habet prædictam consuetudinem peierandi, aut iurandi frequentissimè & indiscriminatim, si verè pœniteat eorum peccatorum quæ fecit, & proponat imposterum se corrigere; circa quem dolorem, & propositum habenda est fides ipsi pœnitenti, sicut & in alijs quæ pro se & contra se dicit: vnde non potest sic pœnitenti differri absolutio, etiamsi sæpiùs cum tali proposito confessus non se correxerit, quod, vt vidimus, etiam concedunt Suarius & Sanchez, quos retulimus pro prima sententia in 5. illatione; quamuis id negent Medina, Vega, Ludouicus, Lopez, Ledesma, Rodriguez, & Azor suprà citati, qui magis consequenter philosophantur iuxta suam opinionem quàm Suarius & Sanch. nam qui est in proxima occasione peccandi, non est absoluendus nisi ad ea exeat. Fundamentum autem & ratio huius doctrinæ est idipsum quod adduximus pro nostra sententia & assertione, quod etiam expressè tradiderat Sanch agens de habente consuetudinem blasphemandi lib. 2. c. 32. nu. 45. §. 2. *Dico*, vbi ait rationem esse, *quia hic nullam occasionem extrinsecam habet, vt vel sic necessariò impediatur absolutio, sed ex fragilitate carnis ruit sicut & in alia vitia.* Hæc Sanch. ex quâ ratione potuisset etiam hic Author deducere, nec esse in proxima morali occasione peccandi, cùm neque possit amplius ab eo exigi quam id quod facit, neque ipse possit pro tunc aliquid aliud facere, quam id quod facit.

Colligit 1 non posse licitè negari absolutionē habenti prædictam consuetudinē si verè pœniteat &c.

Qui est in proximâ occasione peccandi nō est absoluendus nisi ab eâ exeat.

215. Illud ipsum tradiderat Suarius agens de pœnitentia tom. 4. in 3. partem disp 32. sect. 2. circa finem his verbis: *Necesse est vt illa occasio voluntaria sit, quia aliàs quod ex illa nascitur vt sic non erit voluntarium, neque ipsa in se poterit esse culpabilis vnde fit, quando moraliter vitari non potest, illam non censeri voluntariam, neque assumptam, sed illatam, & ideo non esse aliquid morale, sed necessitatem quandam potiùs vel impotentiam, propter quam non fit homo absolutè iniquus.* Hactenùs Suarius. Quæ propriissimè & in toto rigore quadrant omni naturali inclinationi prauæ, & etiam acquisitæ, quia & intrinsecè sunt & naturaliter genitæ, non autem voluntariè assumptæ. Neque possunt statim vitari & expelli: vnde reuera non sunt occasiones proximæ & voluntariæ.

Fauet nostræ doctrinæ Suarius.

216. Duo tamen aduertit Sanch. suprà nu. illo 45. & lib. 3. c. 5. n. 17. In primo loco primum docet, scilicet ex confessarij prudentia pendere, iudicare an sit bonum consilium differre absolutionem his hominibus sic assuetis. Si enim pœnitens id non nimis ægrè ferat, & speretur non ob id retrahendum à confessione, sed potiùs id fore medicinam, consilium erit bonum absolutionem differre quantum suauiter fieri poterit. Si autem oppositum speretur, non expedier, nisi quando in iis blasphemiis aut Iuramentis ingens præberet scandalum, ac proinde confessarius iudicaret postponendum priuatum illius solatium, & ad gloriam diuinam expedire illum non absolui, donec scandalo publico satisfaciet. addit tamen lib. 3 c. 5. nu. 18. etiam in hoc mitius agendum esse cum assueto Iuramentis, quàm cum assueto blasphemiis, cùm minùs iniqua sit consuetudo Iurandi. Docet secundò citato nu. 17. Sanch. cum Soto contra Suarium, non teneri huiusmodi pœnitentem Iuramentis assuetum pœnam aliquam acceptare à confessario, si in ea temeraria Iuramenta reinciderit, quamuis id salubertimum

Duo aduertit hic Sanch. Primum ex parte confessarij.

Secundum ex parte pœnitentis.

liberrimum consilium sit; redditque rationem Sanch. quia aliis peccatis id imponi nequit, nec iure aliquo probatur id speciale esse in hac consuetudine.

Collige 2. non rectè Suarium. & Sanch. asserere. 217. Colligitur 2. non rectè Suarium & Sanch. asserere in 4. illatione ex suâ opinione, quod habenti prædictam consuetudinem in illâ tanquam in causa, imputari debeant ad culpam mortalem omnia Iuramenta indeliberata, siue vera sint siue falsa. *Ratio.* Hoc, inquam, non rectè infertur, nec verum est; nam supposito quòd iuxta suam opinionem illa in se peccata non sint, sed in causâ, sequitur deberi illi homini imputari eo modo, quo præuidentur in causa, atqui in causâ partim præuidentur futura vera, & partim futura falsa experientiâ id satis docente; ergo etiam partim aliqua eorum debent imputari ad mortalem culpam, & partim ad venialem, sicut ebrio solùm imputantur ea quæ expertus est se facere, & ad eam culpam iuxta id quod præuidit & expertus est; atque ea omnia eo modo imputantur, etiamsi posteà vel non ea, vel non eo modo faciat: quod si nihil expertus est, nec præuidit, nihil imputatur, etiamsi aliquid faciat, vt fatentur omnes Authores quos infrà referemus illatione 7. ergo eo modo debent imputari, etiam in nostro casu, quia in eo modo præuidetur periculum & non aliter.

Collige 3. non rectè eosdẽ Authores aliosque affirmasse. 218. Colligitur 3. non rectè eosdem Authores, & aliquos alios, in sua tertia illatione intulisse & affirmasse, facto proposito iam non iurandi in futurum, deinceps non imputari illi homini Iuramenta indeliberata quæcunque post tale propositum emittat: *Ratio.* quia nimirum post tale propositum manet homo tam inclinatus per habitum, sicut anteà, & potest esse tam negligens, sicut ante propositum. Deinde, si sit tam negligens, assignent, quæso, ij Authores tempus vsque ad quod non debeant imputari, nec enim dici potest nunquam ampliùs imputari per totam vitam, si per totam sit negligens; cùm autem non sit maior ratio cur ab hoc tempore potiùs, quàm ab illo, reliquum vt à principio negligentiæ debeant imputari.

Collige 4. falsum esse quod asserunt Valentia. Sayrus. Sanch. 219. Colligitur 4. falsum etiam esse quod asserunt in secundâ illa illatione pro suâ opinione Valentia, Sayrus & Sanch. scilicet in eo qui habet consuetudinem aduertenter peierandi, præter periuria, quæ committit esse etiam aliud peccatum, nempè omissionis extirpandi talem consuetudinem, quæ est causa voluntaria impellens ad periuria; hoc, inquam, falsum est, *Ratio.* tùm quia nemo quem sciam alius ex Authoribus id asseruit nec puto aliquem pœnitentem de eo peccato se accusare, neque aliquem confessarium eâ de re interrogasse pœnitentes, vt suprà notabam: tùm quia in omnibus habitibus vitiorum acquisitis esset ad scribendum huiusmodi peccatum distinctum, quod sanè est inauditum: tum etiam quia non potest peccatum esse omissionis, vt ipsi docent; nam si peccatum est, id procul dubio est propter periculum, in quo constituit *Periculum eiusdẽ malitia est cũ crimine cuius est periculum.* hominem; periculum autem eiusdem malitiæ est cum crimine cuius est periculum: constat autem periurium non esse peccatum omissionis, sed commissionis contra præceptum negatiuum non peierandi. Vlterius, si illa causa habet aliquam malitiam actualem, non potest ea esse alia quam illa ipsa, quâ inficitur ab effectu. Cuius ratio à priori est, quia tota obligatio extirpandi consuetudinem oritur à præcepto non peierandi; *Tota obligatio extirpandi consuetudinem oritur à præcepto nõ peierandi.* atque adeò illa omissio non esset mala, nisi periurium esset malum, cuius malitia commissionis est. Tandem respectu peccatorum quæ cum aduertentia, & deliberatione fiunt, habitus, seu consuetudo non est causa nisi quoad modum facilius operandi: causa enim totalis & efficax est ipsa voluntas quæ ex deliberatione operatur, & quæ non obstante consuetudine seu habitu posset non operari; quia per habitum non est ablata ei potestas ad id. Vnde melius alij Authores quos retulimus dub. 9. tantum dixerunt, habitum seu consuetudinem esse causam omnium Iuramentorum quæ sine aduertentia & deliberatione fiunt; atque hæc tantùm dixerunt esse voluntaria in consuetudine tanquam in causa, quæ consuetudo & causa si voluntaria esset, rectè hi Authores probarent suam opinionem: sed nos negamus esse causam voluntariam; solùm enim putamus esse naturalem, perinde atque inclinatio ipsa naturalis tantùm est causa physica seu naturalis, non verò moralis.

Collige 5. falsũ quoque esse quod asserunt. Suarius & Sanch. 220. Colligitur 5. falsum quoque esse quod asserit Suarius quem secutus est Sanch. suprà vt notauimus in 1. Illatione pro prima opinione, cum scilicet qui habet huiusmodi consuetudinem, peccare quoties aduertit hanc suam consuetudinem, nec retractat illam. Hoc vniuersim etiam asseruerunt de omni homine, qui est in proxima morali occasione peccandi vt diximus in principio huius dubitationis: vtrumque tamen puto non esse verum. *Ratio.* Non primum, quia qui est in consuetudine iurandi, non est in occasione proxima morali, quia nec assumpsit eam voluntariè, nec eam potest proximè à se expellere; sed per longum tempus cessando ab actibus sic eam expellendo sicut genita fuit. Non secundum; quia neque verum videtur quòd omnis homo, qui est in proxima occasione morali voluntaria peccandi, peccet semper ac videt se in ea esse, & ab eâ non recedit. Nam quamuis id verum sit de eo qui, cùm possit non restituit alienum, quia nimirum retentio illa est peccatum quóddam continuum actuale, à quo solùm excusatur quamdiu non aduertit, id verò non habet locum in omnibus aliis casibus; nam, qui domi retinet concubinam, præter peccata commissionis, quæ facit, dum ipsi commiscetur, aut dum se periculo proximo peccandi exponit quando solus cum sola in loco secreto adest, non committit noua peccata distincta actualia, quando in aliis locis considerat suum statum, idemque iudicium est de aliis, qui in similibus occasionibus versantur. Quamuis enim hi non sint capaces absolutionis, nisi tales occasiones deponant, & à se repellant; id non prouenit ex eo quòd sint in actuali peccato, sed ex eo quòd conuincantur non habere dolorem efficacem, nec propositum firmum non peccandi, vt colligitur ex eodem Suario de pœnitentia tom. 4. in 3. part. disp. 32. sect. 2. circa finem; & manifestè supponit Nauarrus in summâ c. 3. nu 16. ratione 4. & num. 19. responsione 5. Corduba in summâ

q.4. Ludouicus, Lopez 1 part. à cap.19. qui omnes accuratè de hac re disputarunt;& ideò dicunt non posse absolui concubinarium nisi domo expellat concubinam; quia credere (inquiunt) debent confessarius, & pœnitens quod nunquàm, aut rarò, si simul viuant, omittant peccare mortaliter, vel opere, vel verbis, vel affectu; vbi expendendum est eos non reddere rationem neganda absolutionis, quia sunt concubinarij in actuali peccato, aut quia præcisè eam retinere peccatum est, sed, quia eâ manente in domo, frequenter peccabunt, & ita credi debet, quâ credulitate subsistente non putant posse habere firmum propositum non peccandi, & quia esset tentare Deum fidere, aut sibi persuadere quòd perseuerante occasione, quam possunt à se repellere non peccabunt.

Non potest absolui cōcubinarius nisi domo expellat concubinā. Ratio.

221. Addunt vlteriùs regulariter non esse absoluendum; ideò autem dicunt *regulariter*, quia si subsit aliqua causa, vt, si sequatur notabile detrimentum in fama, aut in bonis corporis ex separatione, tunc putant etiam stante ea occasione posse absolui. Redduntque rationem, quia multùm interest, inquiunt, inter peccatum & occasionem peccandi, quippe non licèt vnquàm ad peccatum redire, ad occasionem autem licet ob multas causas, vt probabimus sequenti illatione. Ecce vbi supponunt hi Authores hanc occasionem, & similes non esse peccatum. Quas ob causas, & Suarius loco citato docet posse absolui, imò eas causas relinquit arbitrio confessarij expendendas, quod tamen alij Authores non faciunt, sed restrictè magis loquuntur.

Addunt supradicti Authores.

Multū interest inter peccatum & occasionem peccandi.

222. Aduertunt tamen omnes, semper quando absoluuntur propter aliquam vrgentem causam ex dictis, debere intentari aliqua media, quibus prudenter speretur correctio, nempè quod nunquam solus cum sola in loco secreto adsit: hoc enim magis periculosum est quam habitare in eadem domo: nam habitare simul occasio quidem propinqua peccandi, at ingredi simul in locum secretum, est proximum periculum peccandi, quod peccatum est actuale & iam iam sequenti illatione explico.

Aduertunt omnes.

223. Colligitur 6. eum qui voluntariè assumit aliquas externas occasiones, aut aggreditur opus v. g. ludum, vbi sæpè expertus est se peierare, aut multum iurare etiam inaduertenter; tunc in ea occasione seu opere ita peccare, vt tanquàm in causa voluntaria imputentur illi omnia Iuramenta falsa quæ solent ab eo emitti in tali occasione; non secus atque ebrio in ebrietate tanquam in causa voluntaria, imputantur ea quæ præuidet peccata à se solere committi: nam in hoc homine non est eadem ratio quæ in assueto; nam consuetudo neque assumitur neque retinetur voluntariè vt probauimus suprà; opus verò externum, aut externa occasio voluntariè assumitur cum præuisione periculi; atque adeo imputantur illi peccata quæ etiam inaduertenter facit. Atque vt homo iste sit capax absolutionis tenetur habere propositum efficax has externas occasiones vitandi vt significat Sotus loco citato & Sanchez lib.3.c.5.num.16. Ratio verò est quia certissima omnium Doctorum doctrina est, opus alioquin ex se veniale, vel etiam indifferens, imò etiam bonum, in mortale transire, si per illud operans occasione ita proximæ exponatur, vt per tale opus in morali ac proximo peccandi mortaliter periculo constituatur. Vnde Ecclesiastici 3. dicitur: *qui amat periculum peribit in illo.* quod facilè est ratione probare, quia salutem spiritualem contemnere conuincitur, qui se obiicit tam probabili eius amittendæ periculo. Ita Bonauentura in 4.distinct.17.part.3.a.2.q.1.Caiet.& Armilla in summâ v.*periculum* Alcozer in summâ c. 7. Nauarrus, Corduba, Ludouicus, Lopez & Suarius citati illatione præcedenti Sanch. lib. 1. Moralium c. 8. Tunc autem adest tale periculum (vt prædicti Authores docent) quando ex suo genere occasio talis est, vt frequenter homines similis conditionis ad mortale inducat, vel quando experimento constat in hoc homine talem effectum habere, perinde atque ille censetur periculo damni temporalis incurrendi se exponere, qui aggreditur opus eo tempore & loco, talibusque aliis circumstantiis, vt vix illud damnum effugere valeat.

Colligo 6.

Cōsuetudo neque assumitur neque retinetur voluntariè. Externa verò occasio voluntariè sumitur cū præuisione periculi peccandi.

Quando censetur quis constitui in morali & proximo mortaliter peccandi periculo.

224. Tripliciter tamen potest homo excusari ab hac malitia periculi: Primo, si nullo modo aduertat talem malitiam, vt optimè tradunt Petrus à Nauarra lib. 2. de Restitutione cap.1. dub.6.& Vasquez 1.2.d.107.c.3.à nu.6. & disp. 123.c.2.nu.6.& disp.124.c.2. num.5. Secundò, quando ita mutatæ sunt res aut ea cautio adhibetur vt cesset periculum, quia cùm tota peccati ratio ex periculo consurgat, quocunque modo periculum cesset, cessat peccatum ita Nauarrus c.3. nu.15. Alcozer, Corduba, Ludouicus Lopez & Sanch. suprà. Tertiò quando causa grauis vrget vt ei se quis periculo exponat: tunc enim periculum illud non censetur moraliter voluntarium, cùm moraliter loquendo id sine graui periculo vitari nequeat, quod dicitur docuisse Basilius in constitutionibus monasticis cap.4. vbi hæc putatur dixisse: *qui vrgenti aliqua causa & necessitate se periculo obiicit, vel permittit sese in illo, cùm tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm illud subire; ideo magis prouidebit Deus, ne in illo pereat,* sed non videtur habere Basilium talia verba, licèt illa Sanchez referat, vt notaui in Tract. de Pœnit. disp.6.dub.19. nu.340. Id etiam probari solet ex capite *consultationi* de frigidis; vbi permittuntur coniugati, cum coniugium est occultè irritum, habitare tanquam fratres cum tactuum periculo ratione scandali, & propriæ infamiæ vitandæ: sed neque is textum nec alter ex cap. *laudabilem* id probant, vt ibi notaui. Ita tamen docent Nauarrus, Corduba, Suarius & Sanchez suprà & Henriquez lib. 4. de Pœnitentia c.24.nu.4. & D. Thomas 2.2. q.10.art.9. in fine corporis & Sotus lib.5. de Iustitia q.1.art.6. concl.2. in fine. Caietanus autem & Armilla docent vrgente necessitate posse hominem se exponere periculo, si putet se constantem futurum, & non aliter. At Ludouicus Lopez 1.part.cap.21. referens Victoriam & Pedrazam & Reginaldus in Tract. de Prudentia confessarij, negat hominem posse licitè se obiicere his proximis periculis peccandi, de quibus in hac illatione locuti sumus, nisi accedant nouæ rationes & circumstantiæ, ob quas rationabiliter sperare possit se non peccaturum, etiam in ea occasione, in qua expertus est se peccasse; atque

Tripliciter, potest homo excusari ab hac malitiâ periculi peccandi. Primò. Secundò. Tertiò.

atque hæc videtur esse mens Caietani: ait enim qui experientia teste didicit se in eâ occasione statim, aut quasi statim cadere, nullâ necessitate vincatur, vt illuc eat, aut ibi moretur; scriptum est enim: *si oculus tuus, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te*: quando ergo addit Caietanus, *si constantem se putat futurum, & necessitas vrget, non peccare*, intelligendus absque dubio est quando id prudenter putat ob aliquam nouam rationem, aut circumstantiam.

Notandum valdè hoc loco est pro foro confessionis.

225. Illud tamen hoc loco est valde notandum, quod in his peccandi mortaliter periculis confitendæ sunt in foro confessionis circumstantiæ illius peccati, cuius periculo se homo exposuit, vt rectè notauit Alcozer c.20. & cum eo Sanch. suprà. Ratio verò est quam tradit Suarius de censuris tom.5.in 3.partem disp. 18.sect. 3.nu.16. quia in moralibus eiusdem malitiæ est constituere se in morali periculo admittendi alicuius criminis, atque illud admittere; nam eodem præcepto quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximum illius periculum vitandum. Vnde qui habuit rem cum ea quam nesciebat an esset soluta vel coniugata, tenetur hoc explicare, quia non solùm commisit fornicationem, sed etiam incurrit malitiam adulterij si id animaduertit.

Collige 7.

226. Colligitur 7. periuria, blasphemias, infidelitatem aut alia peccata commissa ab ebrio, quamuis in se non sint peccata secundùm probabiliorem sententiam, quam secuti sumus dubitatione præcedenti; nihilominus si præuisa fuerunt quando se inebriauit; omnino illi imputari ad culpam in ipsa causa, quia in ea fuerunt voluntaria, nempè in ebrietate, iuxtà doctrinam D. Thomæ 1.2.q.76.art.4. & 2.2.q.150. art.4. in corpore & ad 1. & Caiet. ibi & in summa verbo *Ebrietas* vbi Syluester qu. 4. Corduba lib.2.q.18.columna 2. Quod autem debeant esse aliquo modo præuisa (vt contingit quando expertus est, aut dubitauit ea esse sequenda) optimè probant Vasquez 1.2.d.127.c.3.& 4. Lessius lib.4.c.3.dubit.3.num.25.& habetur 15.q.1.per totam. Sic Augustinus lib.22. contra Faustum excusat Loth ab incœstu, non tamen ab ebrietate, & habetur cap. *Inebriauerunt* 15.q.1.

Peccata in ebrietate commissa, si præuisa fuerit imputantur ad culpam in causa. D. Tho.

Aduertit optimè Lessius, aliter dicendum si causa ipsa fuit inculpabilis.

227. Optimè autem aduertit Lessius, quod si causa ipsa, nempè ebrietas, fuerit inculpabilis, omnia quæ inde sequuntur etiam culpa vacant; talis fuit nuditas Noë secuta ex ebrietate inculpata: ignorabat enim vini efficacitatem, vt Patres docent, & cum eis D. Thomas suprà & Caiet. ibi. Ac proinde si solùm venialiter peccauit se inebriando defectu plenę deliberationis, mala etiam inde secuta, & non maiori deliberatione in causa voluntaria, solùm erunt venialia; quia cùm non sint voluntaria in se, sed tantum in causa, non possunt esse magis voluntaria quam sit ipsa causa.

Addit idē.

228. Addit idem Lessius, & meritò, etiamsi ebrietas sit mortalis, si tamen negligentia vitandi mala inde secuta fuit leuis, tantum esse venialia, quia etiam in homicidio casuali potest esse peccatum veniale ob defectum plenæ & necessariæ considerationis ad culpam mortalem; aut quia adhibuit diligentiam, sed non tantam, quin aliquis paruus defectus intercesserit. Si verò ebrietas, fuit mortalis, & perfectè fuerunt præuisa mala inde sequenda, tunc in illa præuia voluntate explicita vel implicita se inebriandi, præter malitiam ebrietatis, sunt etiam malitiæ euentuum, quibus tanquam causa inficitur illa voluntas, quæ acceptat pericula illa; Quicunque enim tenetur sub mortali vitare periculum peccati mortalis, vt diximus illatione præcedente ad finem. Quod autem diximus imputari ebrio peccata quæ præuidet futura, si peccata talia sint, quæ proximis damnum inferant, verissimum est in omnium opinione.

229. Verum enim verò vt rectè docet & probat Vasquez c.illo 3.in fine cum Ioan. Maiore in 4.distinct.17.q 8.concl.2. plurima ebriorum dicta, & facta in ebrietate commissa non imputantur culpabilia, etiamsi præuideantur, quia in ebrietate facta destituuntur prorsus malitiâ, quam haberent, si fierent, quando mens sana est, vt sunt verba vel facta contumeliosa; quia in communi hominum æstimatione non reputantur contumeliosa, sed ridicula potiùs, & tanquam facetiæ admittuntur; adeò vt ipsimet contra quos dicuntur aut fiunt, non sine voluptate & risu ea ipsa audiant, excipiant, & referant, quod etiam concedit Sanch.lib.1.Moralium c.16.nu.44.

Vasquez. rectè docet plurima ebriorum dicta & facta etiam præuisa ipsis non imputantur culpabilia.

230. Addit verò Vasquez idem iudicium esse de blasphemiis, periuriis, & infidelitate ab ebrio prolatis; postulant enim hæc scienter fieri vt imputentur: qui enim non videt, vel dubitat esse falsum quod iurat, periurus non est, inquit Vasquez, quod sanè mihi valdè probabile est.

idem dictū de blasphemiis, periuriis & infidelitate ab ebrio prolatis. Vasquez.

231. Hoc tamen impugnat Sanch. quia Deus non acceptat ea vt facetias, & cùm sint præuisa & voluntaria in causa libera, non est cur non imputentur. Et sanè quòd blasphemiæ imputentur ebrio docent expresè Caiet. 2.2.q.150. art.4.dub.2. & Toletus in summâ Tract. de septem peccatis mortalibus c.61. nu.5. Hæc etiam sententia probabilis est. Nisi (quidquid sit de blasphemiis & periuriis, quod attinet ad Hæresin, ea non potest imputari, quia non potest esse sine assensu interiori intellectus; & quamuis possent imputari propositiones hæreticales quatenùs sunt contra confessionem fidei, sicut peccat is qui oretenus fidem negat; nihilominus talis propositio hæreticalis videtur requirere, quod ea ex animo actuali proferatur tanquam significans, quantùm est ex se, id quod in animo habetur. Imo hinc sumitur argumentum ad ostendendam probabilitatem sententiæ Vasquez pro periuriis & blasphemiis: Nam hæc etiam peccata requirunt internum animum dicentis quando proferuntur, saltem libertatem actualem cognoscentis malum esse quod dicitur; & in eo genere malitiæ. Ideo enim apud homines non censentur blasphemiæ contra homines quando dicuntur, nec sunt iniuriosa hominibus quatenus sic dicta, quia quando non dicuntur cum interno animo libero, non æstimantur talia; illud autem quod dixerunt Vasquez & Maior, homines scilicet illa verba excipere vt facetias, non ideo dixerunt, vt ideo censerentur non esse maledicta, & verba iniuriosa quia excipiuntur vt facetiæ, sed ideo probatur ab his Authoribus illas

Hoc impugnat. Sanch.

Hæc etiam sentētia ex parte probabilis est.

Argumentū ad ostendendā probabilitatem sententiæ Vasquez.

lis non æstimari vt iniurias, quia potiùs aliquando æstimantur vt facetiæ; data autem ratio ob quam non sint iniuriæ, ideò est, quia quando dicuntur, non adest animus iniuriosus, nec actualis malitia ex parte dicentis; hoc autem sufficit, etiam vt non censeantur blasphemiæ, nec periuria quæ dicuntur contra Deum, quia etiam in hoc casu deficit animus actualis malitiosus. Et sicut omnia cætera dicta ab ebrio in ebrietate, maximè apud eos quibus nota est ebrietas, tantùm æstimantur tanquam dicta ab ebrio; ita similiter blasphemiæ & periuria, & non solum ipsi Deo vt supponimus, sed etiam audientibus constat de animo libero, & mente sana non existente tunc temporis quando blasphemiæ dicuntur, & periuria. Itaque sicut, etiamsi quis præuideat ante ebrietatem fore, vt in ebrietate proferat verba orationis, aut legat ex libro horas canonicas, vel ferat aliquod testimonium iuratum contra proximum coram iis, qui norunt tunc temporis illum esse ebrium, non censentur ea verba habere vim orationis, aut vim testimonij iurati; idem dicendum videtur de verbis blasphemiæ, aut verbis Iuramenti tunc prolatis.

Non censentur blasphemia nec periuria quæ dicuntur cōtra Deum quādo deest animus actualis malitiosus.

Quorum omnium ratio à priori est, quia verba, tunc quando dicuntur, sunt signa conceptuum & animi interni; & in tantùm valent & æstimantur, in quantum tunc, quandò dicuntur, proferuntur à sic concipiente, & habente animum proferendi illa, tempore quo quis est mentis compos; significant enim verba ad placitum proferentis illa ex animo interno sic proferendi, quia animus, si tunc non est rationis compos, non censetur humano modo loqui. Vnde licet ante ebrietatem videat quis fore, vt talia verba proferat in ebrietate, cùm non videat fore vt ex animo prudenti & libero illa proferat, nec videt fore, vt proferat tanquam blasphemias aut periuria. In quo apparet magnum discrimen inter hæc, & alia opera, quæ præstantur ab ebrio in ebrietate: nam illa alia opera, quantum ad damnum extrinsecum inferendum, æquè nociua sunt facta in ebrietate, atque facta tempore sanæ mentis v. g. homicidium, incendium, percussio aut destructio rei alienæ, quod non habet verbum in ebrietate prolatum, quantum est ex se, sed solùm aliquando potest contingere per accidens vt ex talibus verbis sequantur aliqua damna extrinseca, vt, si propter dicta in ebrietate oriantur rixæ, aut reuelentur defectus occulti, ita, vt in audientium notitiam venient, quæ prius omnino ignorantur, & similia. Omnibus ergo pensatis mihi placet opinio Vasquij, quia scilicet omnia ea verba non esse blasphemias seu periuria, quod ad rem moralem magni momenti est maximè in ordine ad pœnas incurrendas, nec enim incurret pœnas blasphemiæ qui verba blasphema proferet in ebrietate, si eæ non sint veræ blasphemiæ.

Verū omniū Ratio à priori.

Discrimen magnū inter hæc & alia opera quæ præstantur ab ebrio in ebrietate.

Omnibus pēsatis Authori placet opinio Vasquij.

232. Colligitur 8. eum qui operatur cum conscientia dubia, hoc est dubitans, an id quod facit sit peccatum, & qui operatur cum conscientia erronea vincibili, vel ex ignorantia culpabili talem committere peccatum, quale est periculum cui se exponit, hoc est peccatum committere eiusdem speciei atque peccatum de quo dubitat, vel quod dictat conscientia erronea, vel cuius est ignorantia culpabilis. Constat hoc ex dictis illatione 6. & communiter docent Authores in materia de conscientia, legique potest Nauarrus in summâ præludio 9. n. 9. & c. 14. n. 28. & c. 15. nu. 8. quod latè probat Sanch. de dubitante quidem lib. 1. c. 10. nu. 6. de conscientia verò erronea c. 11. nu. 5. & de ignorante culpabiliter c. 17. nu. 15. Vnde qui dubitat, vel culpabiliter ignorat, vel per conscientiam erroneam, vel temerariam putat hodie non esse diem ieiunij, & non ieiunat, peccat peccato eiusdem speciei, ac si non ieiunaret, certò sciens esse ieiunium, quamuis peccatum ex ignorantia, maxime si non sit affectata, sit minus graue inter eandem speciem, & ideo non est necessarium eam minorem grauitatem in confessione explicare.

Collige 8. quoad operantem cū conscientia dubia, vel vincibiliter erronea.

233. Pari ratione, qui dubitans, vel ignorans an contractus aliquis, quem init, sit iniustus, & nihilominus eum init, peccat contra Iustitiam; sicut & qui iaculatur putans esse feram in quam collimat, non facta diligentia sufficiente an sit homo, peccat peccato homicidij, & qui his periculis se exposuit, etiamsi reipsa non secuta fuerint ea damna, tenetur in confessione explicare ea peccata, perinde atque qui se somno tradidit cum periculo omittendi missam, etiamsi posteà maturè excitetur, & eam audiat, tenetur confiteri periculum cui se exposuit, sicut etiam qui in venatione, vel alia occupatione tamdiu moratur, vt eat ad Ecclesiam saltem hora vltima qua solet dici vltima missa, etiamsi posteà tardiorem solito missam inueniat, eamque audiat vt tenetur, reuera peccabit contra periculum cui se exposuit, teneturque fateri, non quidem omisisse missam, sed manifesto se periculo omittendi exposuisse; fuit enim per accidens quòd posteà missam inuenerit. ita omnes Doctores cum D. Thoma 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3.

Dubitās de Iustitiā cōtractus quē init, peccat contra Iustitiam.

Qui exposuit se manifesto periculo omittendi missam tenetur illud confiteri, licèt posteà audiuerit missam. D. Tho.

234. Quod autem dicimus operantem contra conscientiam erroneam, & ex ignorantia vincibili peccare, intellige, quando actio, vel omissio est libera; nam si quis carcere detentus in quo non celebratur missa, putaret se peccare non audiendo sacrum, minimè peccaret; pari ratione qui manu violentur ab aliis mota hominem percuteret, non peccaret quamuis erraret existimando se peccare; nam ad peccatum requiritur libertas, & illa actio libertate caret. Ita Sanch. lib. 1. c. 11. num. 3. & satis ex se notum est. Imò nonnulli Recentiores dicunt eadem ratione fortasse non peccare eos qui habent legitimam excusationem infirmitatis, vel laboris, ne ieiunent, & se accusant quod non ieiunauerint, dicentes, scire quidem se peccare, sed non posse ieiunare, vel missam audire. Probabilius tamen est huiusmodi personas peccare, quia contra conscientiam agunt, & simpliciter in sua potestate est, vt supponimus, actio illa vel omissio.

Limitatiō quoad operantē contra conscientiam erroneam.

235. Quando vero ignorantia est inuincibilis, quia actio vrget, nec habet homo Doctorem quem consulat, nec ipse nouit distinguere quid sit præferendum, & conscientia dictat in vtraque parte contradictionis esse peccatum, quod rusticis non rarò contingere solet, dum putant se v. g. non audiendo missam in festis peccare, & similiter peccare deserendo gregem, aut infirmum vt audiant sacrum; tunc aliqui putant

Quando ex ignorantiā inuincibili putatur ex vtraque parte contradictionis esse peccatū.

Aliqui putant talem rusticum quacunque partem eligat peccare.

tant talem rusticum quamcunque partem eligat peccare, quia hic actus absolutè in obiectum sua æstimatione prohibitum tendit, estque plenè liber, quia reuera potest homo ille gregem, aut infirmum deserere, & sacrum audire, vel è contrà sacrum omittere, & infirmo adesse vel gregi.

Probabilius nō peccare talem indicat Author. Ratio.

236. Omninò tamen probabilius puto vtramuis partem eligendo non peccare; quamuis enim actus ille vtrauis parte electâ, sit in se & absolutè liber,& vt fertur in obiectum illud existimatum malum, quod clarè probat ratio contraria: non tamen est liber in ordine ad culpam vitandam; nam vtrauis parte electâ culpa necessariò imminet; vt autem actio culpæ imputetur,necessaria est libertas actionis vel omissionis, quatenùs per eam operans vel omittens culpam vitare potest. Ita docet Adrianus in 4. in materia de restitutione quæstione quæ incipit: *Quia dictum* est versic. *mihi videtur planius* redditque rationem, *quia non liberè periculum amat quod vitare nequit*. Ita etiam docet Sanch. lib.1.cap.11. num.14. Rodriguez in summâ verbo *& scrupulos* c. 51. nu.6.

237. Addit verò Sanch. hanc doctrinam veram esse, etiamsi ignorantia illa quæ modò est inuincibilis, anteà fuisset vincibilis & culpabilis; eo quòd occurrisset dubitatio tempore quo homo ille habebat Doctorem quem consulere poterat. Tunc autem peccauit in causa propter periculum præuisum, & non cautum, quod cauere poterat iuxta mox dicenda sequenti illatione.

Collige 9.

238. Colligitur 9. non paucas transgressiones & omissiones præceptorum excusari à peccato in se ipsis, propter ignorantiam inuincibilem, quæ tamen in causa sua fuerunt peccata. Item non paucas, tam in se, quàm in sua causa, esse peccata, saltem numero distincta. Primum patet in homine qui suâ negligentiâ mortali non didicit, quod ratione officij, vel ex communi Christianorum lege discere tenebatur. Deinde verò, quando nemo est à quo instrui possit, per ignorantiam, quæ iam inuincibilis est, transgreditur præceptum, edens v.g.carnes, aut non ieiunans, aut omittens sacrum in festo; nam in tali homine,in cuius potestate fuit quidem priùs scientiam comparare ad vitanda hæc peccata; sed iam non est in potestate ipsius. Eadem est habenda ratio atque in ebrio. vt Sanch. fatetur lib.1.c.16.num.41. quod contingere solet iis qui non intersunt sacro solemni in suis parochiis,vbi festa & ieiunia indici solent,præsertim in Hispania, nec alios interrogant, cùm tamen habuerint aliquod principium dubitandi, saltem dubitandi in confuso, an sint aliqua festa, seu ieiunia in ea hebdomada, seu mense in quo ipse futurus est absens ab oppido, vel à parochia, similesque alij casus frequenter solent occurrere. Secundum etiam patet in eo qui assumit, vel retinet aliquod officium,in quo animaduertit esse,vel saltem dubitat an sint aliquæ obligationes, leges aut præcepta, & non curat discere; quamuis enim tunc actu non transgrediatur illas leges aut præcepta; præuidet tamen se alicui periculo, imò & multis fortasse periculis expositum, quod peccatum distinctum est, saltem numero, ab iis, quæ postea occurrentibus occasionibus in particulari potest committere, agendo, vel omittendo aliquid circa tale officium: nam si in casibus particularibus faciat quidquid potest,non peccabit, quia ignorantia pro tunc redditur inuincibilis; si tamen temerè tunc procedat non adhibendo diligentiam quam potest, & debet, tunc actu transgreditur legem, aut præceptum. Quæ peccata esse numero distincta patet à simili, de eo qui non adhibita diligentia se tradit somno cum periculo omittendi missam,& posteà tempestiuè casu excitatus eam, cùm possit, non audit; & idem est de eo qui venando detentus non adiuit Ecclesiam tempore consueto, & posteà extra consuetum tempus inuenit quidem sacrum paratum, tamen cùm posset non interfuit. Hi enim quamuis secundo illo tempore missæ interfuissent, iam peccauerant, non quia prius actu omisissent, sed quia iam se periculo omittendi exposuerant. Quod autem illa duo peccata ad eandem speciem pertineant, manifestè constat ex eo quod periculum peccati, eiusdem speciei est cum peccato, cuius est periculum.

Secundum etiā patet.

Primum patet.

Quid dictādum de parocho vincibiliter ignorante an sit danda Eucharistia peccatori eam publicè petenti.

239. Vnde rectè docuit Bartholomæus à Medina 1.2.q.76.a.2.dub.1. in fine. Parochum vincibiliter ignorantem an sit danda Eucharistia peccatori publicè eam petenti, peccare quando animaduertit hunc casum posse sibi facilè occurrere, & non curat scire quid faciendum. Idemque dicendum est de multis aliis casibus, præsertim si sint ex communiter accidentibus ratione officij sui; tunc enim peccat si vel non adhibeat studium sufficiens, vel non deponat officium. Quando tamen perseuerante ea ignorantia peccator occultus publicè petit Eucharistiam, si tunc parochus faciat quod pro temporis opportunitate tunc poterat, etiamsi neget ei Eucharistiam, iuxta conscientiam suam erroneam, non peccat; tenetur tamen posteà adhibere diligentiam ad sciendum quod facere debet, vel consulendo libros, vel homines doctos; alioquin etiam peccabit iterum antequàm casus ille denuò occurrat. Si tamen quando alter petebat Eucharistiam, potest consulere doctorem qui tunc fortè adest, idque non faciat, peccat siue conferat, siue neget.

Eandem doctrinam tradit Sanch.

240. Eandem doctrinam tradit Sanch. lib. 1.c.17.nu.12. vbi docet non curantem malitiam furti scire, vel aliam quam scire tenetur,obligari ad id crimen fatendum, etiamsi actu furtum nō admittat, quia periculo furti committendi se exposuit absque remorsu conscientiæ & nu. 16. docet: si quis sua negligentia suum munus ignorat,& simul quæ ex sua ignorantia pericula consurgant, si tantummodo præuidit imminere periculum alicuius peccati, vagè pertinere peccatum ad eandem speciem cuius esset actus scienter elicitus, qui explicatur per hæc verba; *volo aliquod peccatum facere*, non determinando aliquod in particulari specie. Si autem præuidit imminere periculum duorum, vel trium peccatorum, siue copulatim, siue disiunctim, pertinebit ad eandem speciem, ad quam pertineret volitio scienter elicita committendi ea peccata, siue copulatim, siue disiunctim.

Doctrina quam tradit. Azor. 1,c,12.

241. Eandem quoque doctrinam tradunt Zummel 1.2.q.76.art.2.disp.2. Azor tom.1.lib.

1.cap.12.q.5. qui tamen in eo à nobis dissentit, quòd in primo illo casu, quando ignorantia est coniuncta tantùm cum periculo transgrediendi, putat talem ignorantiam esse speciale peccatum; at quando est coniuncta cum ipsa trāsgressione præcepti, putat non esse peccatum speciale, nec distinctum ab ipsa transgressione quæ fit ex ignorantia. Quæ doctrina mihi non placet, sed omninò videtur dicendum, vel in vtroque casu, vel in neutro, ignorantiam esse speciale peccatum: nam vtrobique coniuncta est cum malitia eiusdem speciei, & contra idem præceptum; vt enim sæpè diximus eiusdem speciei, & contra idem præceptum est malitia transgressionis; & malitia periculi transgrediendi; ac proinde in vtroque casu ignorantia causa est illius malitiæ; ergo vel in vtroque casu ipsa ignorantia secundùm se habet malitiam propriam, & distinctam à malitia quam habet vt causa, id est, distinctam ab ea qua inficitur ab effectu; vel in neutro casu habet propriam malitiam, sed tantum illam quam ab effectu participat. Neque vllus alius Author quem viderim sic distinxit eas malitias.

Authori non placet.

242. Consentit etiam in doctrinam nostræ illationis Valentia tom.2.disp.6.q.6.punct.2.nam argumentanti Durando, quod si ignorantia est peccatum, quamdiu homo ignorat, continuò peccaret, respondet negando consequentiam; quia ignorantia, inquit, tantum est peccatum actuale duobus temporibus primò, quando nacta opportunitate deberet scientiam acquirere ad quam tenetur. Secundò quando acquisita scientia deberet vti vt vitaret peccatum ex ignorantia factum; colligiturque hæc eadem doctrina ex D.Thoma 1.2.q.76.a.2.ad 5.& ex Syluestro v. *Ignorantia* n.8.

Consentit in doctrinā illationis nostræ Valentia.

Ignorantia tantum est peccatum actuale duobus temporibus.

243. Non me latet quod in quocunque casu nostræ illationis docent aliqui Theologi, scilicet ignorantiam esse speciale peccatum distinctum ab eo quod ex ignorantia fit; quia ignorantia quæ est in intellectu, est quasi actus exterior, & negligentia scientiæ quæ est in voluntate, est quasi actus interior, & ex vtroque resultat vnum peccatum integrum & perfectum speciale oppositum virtuti studiositatis vt docet D.Thomas 2.2.q.166 a.1.ad 1.& a.2.ad 3.confirmarique potest ex doctrina eiusdem 1.2.q.76.a.2.in corpore & ad 5.vbi docet eum qui ignorat quæ scire tenetur, peccare peccato omissionis, & sicut in aliis peccatis omissionis, solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmatiuum obligat; ita etiam esse iudicandum in peccato ignorantiæ: non enim continuò ignorans actu peccat, sed solùm quando est tempus acquirendi scientiam quam habere tenetur: ergo ignorantia est speciale peccatum contra præceptum sciendi affirmatiuum. Nam si non haberet malitiam propriam & specialem, sed tantùm malitiam causæ ab effectibus quorum causa est, cùm possit esse causa omnium peccatorum, diuagaretur per omnes peccatorum species, & interdum esset peccatum omissionis, vt quando quis omittit missam in festo, quia culpabiliter ignorat præceptum missæ; interdum verò esset peccatum commissionis, vt quando quis pollueretur, aut delectaretur delectatione venerea; quia culpabiliter nescit esse malam delectationem, aut pollutionem. Ideo docent esse speciale peccatum Corduba lib. 2. q 6. Gabriel & Almainus ab eo citati & videtur docere Caiet. & Medina ad citatam q.76. a.2. Azor verò suprà & Valentia tom.3. disp.4. q.5.punct.1.ex parte hoc ipsum probant ex D. Thoma 2.2.q.53. vbi per plures articulos peccata imprudentiæ enumerat distincta à peccatis, quæ fiunt ob defectum prudentiæ.

Aliqui tamen docēt in quocunque casu nostræ illationis Ignorantiam esse speciale peccatum, distinctum ab eo quod ex Ignorātiā fit.

Ratio.

Confirmatur ex doctrind. D.Tho.

244. Probabilius nihilominus est quod docet Vasquez 1.2.disp.119.c.2.& 3. & Ludouicus Lopez 2.part.c.45.concl.2.a.Sanch. lib.1.c.17.n.11. scilicet ignorantiam nunquam esse peccatum mortale speciale, nec distinctum ab eo peccato, quod fit ex ignorantia, vel cuius periculo homo exponitur propter ignorantiam. Aliàs (inquit Vasquez) plus peccabit qui ex ignorantia, quàm qui scienter peccat, quia ille duplici peccato iste autem vnico delinqueret, quod est absurdum, & contra communem doctrinam, quæ asserit ignorantiam, dummodo non sit affectata, minuere peccatum.

Probabilius tamen est quod docet. Vasquez.

Ratio.

245. Dixi nunquam esse peccatum mortale speciale, quia sæpè datur ignorantia speculatiua quæ sit peccatum veniale speciale, & hæc est quæ opponitur studiositati quæ moderatur appetitum sciendi, quia omnis homo naturaliter scire desiderat, teste Aristotele, cui virtuti duo vitia opponuntur, nempè curiositas per excessum, & negligentia sciendi per defectum, quorum vtrumque malum est, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper*; & illud Apostoli ad Romanos 12. *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Officium igitur huius virtutis est continere & moderari appetitum sciendi in suo officio, & in medio, primò refrenando illum ne homo velit plura aut altiora scire quàm oporteat, & quàm ipsius conditioni & capacitati conueniat, & ne, pluris faciat scientiam quàm oportet, præponendo illam virtuti, aut rebus ad salutem necessariis, sed vt illam æstimet & amet in suo gradu. Secundò impellendo & incitando affectum, ne ob laboris tædium, & ob defectum amoris, ad cognitionem sibi congruentem, relinquat studium, & negligat scire quæ oportet. Inclinat ergo hæc virtus & incitat, vt studeamus ea diligentia qua oportet illis rebus, illis mediis & adminiculis, illis etiam locis & temporibus quibus oportet. Quia verò plerique hominum deficiunt in rebus necessariis, vel vtilibus addiscendis, potiùs quam excedunt; ideo hæc virtus potiùs à munere impellendi, quàm à munere refrenandi nomen habet, ideo appellatur studiositas.

Sæpè datur tamen Ignorantia speculatiua quæ sit peccatum veniale speciale.

Studiositati per excessum opponitur curiositas, per defectum negligentia sciendi.

Officium virtutis studiositatis.

246. Nosse tamen oportet, quòd sicut curiositas ex genere suo tantum est veniale peccatum, quia non censetur magna inordinantia quòd homo appetat scire, quæ ad se non pertinent; atque adeò intra genus suum, & quatenus opponitur studiositati, nunquam sit peccatum mortale; nihilominus si sit causa transgrediendi alia præcepta aliarum virtutum, vel exponat hominem periculo transgrediendi, erit peccatum mortale, quod sæpissimè contingit: erit autem tunc peccatum mortale, non quidem distinctum ab eo

Curiositas ex genere suo tantum est veniale peccatum. Si sit tamē causa trāsgrediendi præcepta aliarū virtutū, erit mortale peccatum.

Non tamē speciale peccatum sed generale. Exemplū.

ab eo quod ex tali curiositate committitur, vel cuius periculo se exponit, sed idem cum illo, atque adeò non est speciale peccatum, sed generale quod diuagatur per omnes materias virtutum: vt si ex curiositate velit homo discere artem magicam, pertinebit ad superstitionem contra Religionem; si autem velit legere libros prohibitos, pertinebit ad Infidelitatem, cuius intuitu prohibitio fit ab Ecclesia; ad quam etiam Infidelitatem pertinebit, si quis velit videre aut euidenter cognoscere mysteria fidei. Item lectio curiosa de rebus amatoriis & venereis, interdum est peccatum mortale contra castitatem, ob probabile periculum consensus. Si autem velit quis scire occulta peccata aliorum grauia, erit mortalis curiositas detractionis. Legatur Nauarrus c.23.n.23.

Mortalis curiositas detractionis.

Ita negligentia sciē di tantum est veniale peccatum ex genere suo. Ratio.

247. Eadem etiam ratione, ignorantia seu negligentia sciendi, tantum est veniale peccatum ex genere suo, & quatenùs opponitur studiositati, quia talis ignorantia tantùm est speculatiua, vt significant D. Thomas citata quæst. 166. art.1. in argumento 1. & eius solutione, & optimè docet Lessius lib.4.c.4.dub.11. & iuuare poterunt ad hæc intelligenda quæ proximè sequuntur, ea quæ diximus in nostro opere de Iustitia & Iure cæterisque virtutibus cardinalibus lib.1. disp.1. dubit. 6. vbi egimus inter alia vitia prudentiæ opposita de vitio negligentiæ.

At quādo Ignorantia vel negligentia est practica erit sæpissimè peccatum mortale, nō tamen speciale.

248. Quando verò ignorantia est practica, hoc est causa transgrediendi præcepta, vel exponit hominem periculo transgrediendi, erit sæpissimè peccatum mortale, non tamen speciale, nec distinctum ab eo peccato cuius est causa, vel cuius periculo exponit, sed idem cum illo, quia tanquam causa inficitur malitiâ sui effectus.

Hoc etiam contingit in peccatis quæ dicuntur capitalia.

249. Hac etiam ratione contingit in peccatis quæ dicuntur capitalia, vt in Gula, Acedia, Auaritiâ & aliis, quæ secundùm se, & ex suo genere sunt tantùm venialia peccata; & tamen quatenus capita seu radices sunt, & causæ peccatorum mortalium, sunt ipsa etiam mortalia, & legi potest Nauarrus c.23 nu. 3. & nu.70. & 76 & num. 119. §.4. Eodem ergo modo de ignorantia practica, & quæ est causa peccati, dicendum est non esse peccatum speciale, sed multiplex, & multiplici præcepto, seu virtuti oppositum; nimirum illi præcepto cuius est transgressio, aut transgressionis periculum ex ignorantia, & illi virtuti ad quam obseruatio illius præcepti pertinet: v.g. culpabilis ignorantia diei ieiunij opponitur præcepto ieiunij, & virtuti abstinentiæ, sicut & ignorantia diei festi opponitur præcepto obseruationis festorum, & virtuti Religionis.

Ex his patet solutio fundamenti oppositæ opinionis. Explicatur D. Tho.

250. Ex his patet solutio fundamenti oppositæ opinionis; atque inprimis respondemus D. Thomam q. illa 166. vbi dixit ignorantiam esse speciale peccatum oppositum studiositati, locutum fuisse de ignorantia speculatiua & in particulari, quia in illa 2.2. enumerat omnes virtutes, & vitia illis opposita in particulari: at verò in 1.2.q.76. vbi agit de peccatis in genere, loquitur de ignorantia practica & in generali, & quatenùs est causa multorum peccatorum, vt patet ex ipso titulo quæstionis, vbi ait, se iam incipere tractatum de causis peccati, atque in ea quæstione agit de causis peccati interioribus, & in eo articulo 2 in corpore expressè loquitur de ignorantia eorum quæ quis tenetur facere, vel omittere; & quamuis ibi in solutione ad 3. dicat hanc ignorantiam esse peccatum omissionis contra præceptum affirmatiuum sciendi quæ quis facere tenetur, non loquitur in rigore, sed latè, & nomine tenus, quia proximè est contra præceptum sciendi, quod affirmatiuum videtur. Verùm quia ad sciendum non obligamur sub mortali, vt dictum est, nisi propter operationes quas ex aliis præceptis exercere debemus, vt fatetur ipse D. Thomas in corpore articuli, consequens est, vt ignorantia interdum sit mala malitiâ omissionis, quando scilicet est causa omittendi præcepta affirmatiua v.g. audiendi sacrum. Interdum verò est mala malitiâ commissionis, nempè quando est causa transgrediendi præcepta negatiua, vt non fornicandi, non infamandi proximum & cætera. Quòd autem ignorans non semper actu peccet (quod erat intentum D. Thomæ in solutione 5.) verissimum est: nam quamuis præcepta negatiua obligent semper & pro semper (vt plerique docent) non tamen semper actu peccatur contra illa, sed solùm tempore transgressionis, vt patet in fornicatione, detractione & similibus; atque adeò neque ipsa ignorantia quæ est causa illarum transgressionum semper est actuale peccatum, sed tunc tantùm (vt optimè dixit Valentia) quando fit ipsa transgressio ex ignorantia; atque etiam quando est opportunitas addiscendi, ita vt nisi tunc addiscatur, præuideatur periculum errandi, iuxta doctrinam traditam in nostra illatione, & iterum tradendam in sequenti. Satisque apertè hoc significauerat D. Thomas 2.2.q.53.a.2.ad 2. dum ait ignorantiam non habere rationem peccati mortalis, nisi solùm ratione negligentiæ præcedentis, vel effectus subsequentis, & *propter hoc* (inquit) *ponitur inter generales causas peccati.*

Ignorantia interdū est mala malitia omissionis. Interdum vero est mala malitia commissionis.

Quādo habet Ignorantia rationem peccati mortalis iuxta D. Tho.

251. Eodem modo respondendum est ad ea quæ adducebantur pro contraria sententia circa peccata imprudentiæ, nempè quando D. Thomas 2. 2. q. 53. a. 2. docet esse multa vitia specie distincta opposita prudentiæ, non loqui de vitiis moralibus quæ sint peccata in confessione explicanda, quia nemo de his se accusat, neque interrogatur, sed de vitiis & de effectibus naturalibus intra limites rationis & speculationis, vt rectè explicat Caietanus in fine illius articuli; quando verò addit in solutione ad 2. ignorantiam non importare rationem peccati ex se, quia scientia non est virtus moralis; imprudentiam verò secundùm propriam rationem importare rationem vitij moralis, *quia scientia* (inquit) *magis remota est à moralibus quam prudentia*; apertè loquitur de imprudentia quatenùs est causa mali effectus; nam cùm sit practica, semper habet ex se causam, & ideo inficitur malitia effectus; non tamen distinctâ malitiâ, sed eadem; vnde nulli virtuti intellectuali vt sic opponitur peccatum moris, vt patet in arte & scientia, quibus tantùm opponitur vitium, aut error intellectus non moralis; prudentia vero non tantùm est virtus intellectualis, sed est etiam causa omnium virtutum moralium; ac proinde potest dici habere bonitatem moralem, non distinctam à bonitate effectus, sed eandem; atque adeo vitia opposita

Quomodo intelligēdus D. Tho. docens esse multa vitia specie distincta opposita prudentiæ.

Prudentia non tantum est virtus intellectualis sed est etiam causa omnium virtutum moralium.

posita prudentiæ habent quidem malitiam moralem, non distinctam ab effectibus, sed eandem. Illud tamen verissimum est in omni opinione, quòd fides Catholica virtus sit etiam intellectualis, eius tamen naturæ, vt necessariò prærequitat affectum voluntatis, ratione cuius etiam habet fides esse morale, atque hæc virtus, in omnium opinione, obligat ad sciendum speculatiuè mysteria fidei contenta in symbolo Apostolorum sub obligatione peccati mortalis, quod speciale est in hac virtute.

Speciale in fide respectu aliarū virtutum.

Collige 10. quot peccatis & periculis sit expositus qui quærit &c. officiū ad quod exercendum non habet sufficientē scientiam.

252. Colligitur 10. quot, quamtisque peccatis, & periculis sit expositus ille, qui assumit & retinet officium, aut illud quærit & ambit, & ad quod exercendum non habet sufficientem scientiam; huiusmodi sunt Iudices, Aduocati, Medici, Confessarij; & quàm sit difficile huiusmodi peccata ignorantiæ cognoscere, vt meritò iis & similibus orandum sit cum Propheta: *Ignorantias meas ne memineris*, & iterum: *Ab occultis meis munda me.*

His tamen satis erit si sciant quæ communiter contingere solent.

253. His tamen omnibus satis erit, si sciant, quæ communiter contingere solent, & in extraordinariis libros & Authores consulant, vt non temerè procedant; nam etiam periti sæpè mortaliter peccabunt, si non adhibeant diligentiam studiumque sufficiens ad sciendum quæ scire oportet pro casibus occurrentibus. Excusabuntur tamen à peccato, qui tale officium assumunt propter obedientiam, vel in defectum peritorum animo vtendi consilio aliorum, quando necesse fuerit, probabiliter existimantes habituros se opportunitatem vtendi tali consilio, vt probat D. Antoninus part. 2. tit. 3. §. 5. & Nauarrus c. 23. num. 15. quod frequens est in omnibus oppidis & pagis, quibus Iudices iuris ignari præficiuntur: imò & in ciuitatibus quibus solent præfici prætores, ignari quidem iuris & legum municipalium, sed cum iuris perito, quo assessore vtantur. Qui autem idonei non sunt ad officium illud quod assumunt, grauissimè quidem nonnulli eorum peccant in assumendo tantùm; non verò in retinendo, si semel assumptum deponi non possit; sic contingit in eo, qui ordinem sacrum suscipit non habens breuiarium, aut nesciens legere; tenetur tamen facere & addiscere quod potest, alioquin peccabit. Pari ratione si sine magna difficultate deponi non potest, & speratur, quòd adhibita magna diligentia citò fiat habilis, non peccabit qui tunc retineat.

Limitatio huius Corollary.

254. Aliquando verò grauissimè peccat in retinendo, vt contingit in eo, qui nesciens legere, retinet beneficium, vel qui nesciens administrare Sacramenta, præsertim confessiones, retinet officium parochi.

255. Prædicti autem omnes possunt, vt dicebamus, actu peccare duplici tempore, primò, quotiès nacta opportunitate nō acquirunt scientiam, quam nisi habeant, præuident periculum, & pericula errandi. Secundò, quando operantur cum ignorantia, nisi tunc reddatur inuincibilis, quia faciunt quantum in se est iuxta dicta præcedenti illatione.

Quid tenedātur scire omnes homines docet D. Thomas.

256. Quid autem teneantur scire omnes homines, docet D. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. in corpore; vbi ait primò, omnes fideles teneri scire quæ continentur in symbolo Apostolorum, vt patet ex capite vltimo Marci: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Secundò, omnis homo tenetur scire vniuersalia iuris naturalis præcepta, vt sūt præcepta Decalogi, quia omnis homo tenetur ea seruare; seruare autē nun potest nisi sciat. Tertiò, tenentur omnes fideles scire præcepta vniuersalia Ecclesiæ, vt quod sint confitenda peccata semel in anno, quòd sit accipienda Eucharistia in Paschate, quod sit audienda missa in festis, quod sit ieiunandum in quadragesima: tenentur enim hæc præcepta seruare. Quartò, homines tenentur scire quæ ad officium eorum & statum pertinent, quia quilibet tenetur satisfacere officio suo; sed non potest satisfacere suo officio, nec ea quæ ad suum statum pertinent exsequi, nisi sciat, ergo scire tenetur. Quintò, sæpè etiam tenetur quis habere scientiam facti, hoc est eorum quæ in facto consistunt, sicut Episcopus tenetur scire mores subditorum, & quomodo ea, quæ sunt diuini cultus, exerceantur; sic etiam qui vult iaculari in aliquam feram procul positam, vel absconsam, tenetur scire an fera sit vel homo.

Excusātur à cognitione prædictorum. Primus excusat.

257. Excusantur autem homines in omnibus prædictis à peccato, primò, per ignorantiam Inuincibilem, quia dari potest hæc ignorantia, etiam eorum quæ sunt iuris naturæ; sæpè enim repetiuntur ignorantes esse peccatum mentiri propter aliquod maximum bonum; imò & peierare propter tuendam vitam propriam, aut honorē. Sunt etiam qui ignorant pollutionem esse peccatum, vt cum Azor, Vasquio & aliis docet Sanchez lib. 1. c. 16. nu. 33. Item potest esse ignorantia inuincibilis præceptorū aut legum pertinentium ad statum, seu officium cuiusque, siue leges pertineant ad generalem statum Christianorum, siue ad officium vel munus peculiare confessoris, Iudicis, vel Coniugati, vt cum Suario, Vasquio & aliis docet idem Sanchez eodem c. 16. nu. 27. Hæc autem ignorantia tunc maximè contingit, quando quis nihil audiuit de obligatione talium legum, nec aliqua cogitatio, dubium, vel scrupulus subiit eius mentem.

Secundò.

258. Secundò, potest homo excusari à peccato in omnibus prædictis, quando, etiamsi dubitet, aut videat se teneri ad aliquid eorum sciendum, non tamen potest modo talem scientiam acquirere, eo quod instruente careat, nec possit operationem differre.

Tertiò.

259. Tertiò, excusatur quando vrgenti, & necessariâ aliarum rerum occupatione tenetur quæ sint maioris momenti, vel etiamsi sint minoris, tamen modo non vrget necessitas sciendi, & sine periculo potest differri ad tempus opportunum, quia in his casibus, vel non est in potestate hominis scientiam acquirere, vel sine periculo potest differri. Ita Sanch. citato lib. 1. ca. 17. nu. 10.

Hinc patet verissimā esse doctrinam traditam ex D. Tho.

260. Ex quo patet verissimam esse doctrinam traditam ex D. Thoma 1. 2. q. 76. a. 2. ad 2. quòd scilicet ignorans non actu peccet, quia multæ induciæ temporis dantur, in quibus quis vel necessariis aliis rebus vacare tenetur, vel non instat obligatio præcepti, vel non est periculum transgressionis. Illud autem est maximè aduertendum, quòd si antecedenti tempore quis ad-

Maximè notandum.

uertens necessitatem scientiæ propter periculum, vel pericula imminentia culpabilem illius ignorantię causam dederit, peccabit, eritque peccatum in causa, necessarioque fatendum in confessione, perinde ac de peccatis ebriorum, aut dormientium philosophati sumus suprà illatione 7.

Collige 11.

261. Colligitur 11. eum, qui videns aliquid esse malum in communi, & confusè illud facit, mortaliter peccare, perinde atque qui proponit in genere peccare, non determinando vllum peccatum in particulari. Ratio est, qui cùm absque sufficienti examine quantitatis & qualitatis culpæ, quam potuit & debuit examinare, voluntas culpam amplectatur, exponit se manifesto culpæ mortalis periculo. Ita Vasquez 1.2. disp. 59. c. 10. num. 10. Azor tom. 1. lib. 2. c. 8. q. 6. Saytus in Claui Regia lib. 1. c. 4. nu. 17. Sanch. lib. 1. c. 11. n. 6.

Non est tamē improbabilis aliorum opinio. Ratio.

262. Non est tamen improbabile quod alij docent, tantùm esse culpam venialem; quia nimirum in eo actu volita est solâ conscientiæ dictantis malitiâ: cum ergo conscientia solam malitiam dictet generalem, eaque tota in veniali reperiatur, erit sola venialis. Accedit, quod velle id quod solum in genere peccatum reputatur, non videtur grauis malitia, cùm adhuc eiusmodi voluntas se intra limites rationis communis veniali & mortali contineat. Ita docent Nauarrus in summâ præludio 9. nn. 9. Valentia tom. 2. disp. 2. qu. 14. punct. 4. Ludouicus Lopez 1. part. c. 3. versiculo *Præterea* Rodriguez tom. summæ c. 71. in fine. Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 3. nn. 33. Itaque vtraque, sententia satis probabilis est.

Addunt Vasquez & Sanch.

263. Addunt tamen Vasquez & Sanch. si conscientia id, quod proponit vt illicitum, non determinando an veniale sit an mortale, id proponat in aliqua determinata, materia, ex ea debere iudicari an sit veniale, an verò mortale, vt si dictet hodie esse diem ieiunij aut festiuum, quantitas culpæ debet ex horum præceptorum transgressione iudicari quæ est mortalis, si verò dictet esse gulam vel vanam gloriam; erit culpa venialis.

Collige 12.

264. Colligitur 12. iuxta quorundam sententiam, quemcunque apponentem voluntariè impedimentum aliquod, quo fieret impotens ad implendum quodcunque præceptum, peccare contra illud præceptum.

Limitatio.

265. Quamuis autem pro aliquibus casibus hæc doctrina verissima sit; nam mihi videtur posse regulam vniuersalem & generalem assignari pro omnibus præceptis, vt constat ex iis, quæ in singulis materiis docent Authores, ac proinde vt rectè Sanch. l. 1. Moralium c. 15. in fine solùm possumus generaliter affirmare spectanda esse plura. Primò enim spectanda vis est & rigor præcepti: sunt enim quædam præcepta quæ mitiùs & benigniùs explicantur, minoribusque causis excusantibus indigent: sunt è contra alia quæ strictiùs obligant, & vrgentiores causas desiderent; hoc autem discerni & colligi debet ex vsu ipso, & consuetudine, quæ optima est legum interpres. Secundò spectanda est necessitas aut vtilitas impedimenti: nam præcepta, præsertim positiua, non solent obligare cum magno incommodo. Tertiò spectandum est, an impedimentum proximum sit, vel remotum; sæpè enim proximum impedimentum opponere peccatum est, non verò remotum. Quartò, an impedimentum quod apponitur, per se, & intrinsecè ad rei præceptæ materiam pertineat, vt breuiarium ad legendum officium canonicum, vel solùm per accidens, vt bona valetudo respectu eiusdem præcepti, His ergo omnibus computatis, diuersa ratione in singulis præceptis discernendum est, an sit peccatum admittere impedimenta prædicta.

Diuersa cōsideratio quoad singula præcepta vt sciatur an sit peccatum admittere impedimentum implementi præcepti.

266. Hinc est vt nemo Authorum quem viderim excuset à peccato eum, qui iter aggreditur relinquens domi breuiarium, si obligatus erat ad recitandum, & non prudenter credit se posse, cùm opus fuerit, alibi illud habere; imò in eo impedimento voluntariè apposito tot peccata vult, iuxta suprà notata, quot sunt dies ad quos se reddit impotentem, idque præuidit.

267. Hinc etiam è contra est vt multi Doctores quos refert & sequitur Henriquez lib. 9. de Missa c. 25. nu. 11. in Glossa litera P asserant qui multùm nimis comedit, aut cibos nociuos, non in fraudem quo se à peccatis eximat, minimè contra præcepta delinquere, quamuis præuideat fore vt in morbum incidat, & se impotentem reddat multis præceptis implendis; quia nimirum ea præcepta v. g. ieiunij, audiendi sacri, aut abstinendi à carnibus solos sanos adstringunt, neque obligant ex vi suâ vt ea impleantur ad conseruandam sanitatem; est enim tale impedimentum remotum & per accidens.

Vlteriùs, non pauci è contra docent, etiam diei præcedentis impedimentum auferendum esse ex vi præcepti sequentis diei; ac proinde æditUum seu sacristanum teneri hostias conficere, templum verrere & purgare, altaria ornare pridie diei festi, ne ipso die festo cogatur laborare, quod, an verum sit, nunc non definio. Item communiter docent Doctores eum, qui voto adstrictus est, teneri ex vi voti impedimenta implendi voti auferre. Item vice versa alij prædicta opera editui excusant quidem à mortali, non tamen à veniali, si pridie fieri potuerunt vt Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. propter bonam fidem eum excusat, quæ facilè solet intercedere, eò quòd ad diuinum cultum ordinentur: imo Toletus lib. 4. c. vltimo & Suarius lib. 2. de festis c. 21. n. 11. eum etiam à mortali excusant, quia materia de se non est grauis, & fit leuior ex coniunctione ad cultum Dei.

268. Eadem ratione Authores communiter docent, eum qui voluntariè, etiam die festo incidit in excommunicationem, aut cùm facilè posset, non curat obtinere absolutionem vt possit audire sacrum, non peccare omittendo missam, dummodo id non faciat in fraudem præcepti, videlicet eo fine ne audiat missam; quamuis enim tale impedimentum voluntarium sit, est tamen remotum, & ad quod tollendum non obligatur ex vi præcepti non audiendi sacrum.

269. Econtra verò, præcepta confessionis annuæ, & communionis tempore Paschatis, iuxta multorum sententiam, obligant ad tollendum impedimentum, siue quia, vt non pauci docent, non sunt præcepta merè positiua Ecclesiastica,

Præcepta confessionis & communionis paschalis ... ?

sed

Obligans ad tollendum impedimentum confessionis &c.

sed etiam diuina, de quo dicimus in nostro opere de Sacramentis Tract.4. disp.10. dub.1.& Tract.8.disp.7. dubit.1. siue quia Ecclesia præcipiens confessionem & communionem, ita intelligit præceptum suum nolens vtriusque Sacramenti susceptionem vlterius differri, de quo etiam diximus eisdem disput. per varias dubitationes; ac proinde existimant hi Authores eum qui se voluntariè coniiciat in simile impedimentum, vel cùm possit illud non tollat, peccare contra ea præcepta. Ita Nauarrus c.21. nu.3. & nu.24. Medina in summâ §.40.& 1.2.q.77.art.7. Petrus de Ledesma in summâ cap.28. concl.16. Azor lib.7.c.2.Henriq.lib.9.c.25. nu.11. Suarius tom.3.in 3.partem disp.88.qu.6. excusatione 1. Auila Tract. de Censuris cap.6. disp. 4. dub.7. Idemque videtur dicendum de incarcerato negligente in procurando libertatem quo missam audiat in festo vt multi volunt; de quo tamen diximus in eodem opere de Sacramentis Tract. 5.disp.5.dubit.10.in 4.§.

Iuxta Medinā nulla est culpa se coniicere liberè in impedimentum seruandi ieiunij.

270. Pari ratione philosophatur Medina 1.2.q.77.a.7.& lib.1.summæ c.14. §.10. item Ledesma tom.2.summæ Tract.27.c.2. circa finem de præcepto ieiunij, dum docent nullam esse culpam se liberè in impedimentum ieiunium seruandi coniicere, etiam eademmet ieiunij die, vt si quis tunc fatigetur pilæ ludo, aut iter agendo absque vlla necessitate; imo etiam quærendo concubinam, quantumuis præuideat fore vt eam ob causam non possit ieiunare, dummodo hæc in ieiunij fraudem non fiant. Præceptum namque ieiunij tantùm obligat qui commodè potest, ieiunet, & ne per se, & ex intentione non seruandi ieiunium opus ipsi incompossibile fiat.

Medinæ doctrinam non probātes alij docētes peccare cōtra ieiunij præceptum qui ob pietatem voluntariam peregrinationē suscipit ob idque nō ieiunat.

271. Alij verò non probant hanc doctrinam, inter quos Rodrig. in summâ verbo *Aiunos* cap. 23.concl.6.nam si communis Theologorum, & Thomistarum sententia docet peccare contra ieiunij præceptum, qui ob pietatem voluntariam peregrinationem suscipit, ob idque non ieiunat, imò nec liceret peregrinationem voto promissam, aut in pœnitentiam iniunctam explere cum periculo frangendi ieiunium, non certis in casibus; atque etiam idem Medina non multò post ibidem docet saltem esse veniale talem peregrinationem inire, ne videatur à sententia omnino communi discedere. Potiori ratione videtur esse contra præceptum ieiunij illam defatigationem suscipere ob malum finem modo prædicto; nec verum esse præceptum ieiunij tantùm obligare, ne ex intentione illud frangendi opus incompossibile fiat. Et sanè, quod non sit licita ea peregrinatio, nisi quando ex ea redundaret maius bonum spirituale quàm ex ieiunio docet Caiet. in summâ verbo *Ieiunium* c.3. Nauarrus verò c.31.num.18. cum Gabriele & Syluestro quos refert addit, nisi talis peregrinatio commodò differri non possit. Idemque docet D. Thomas 2.2.q147.a.4. ad 3. Ioannes à Medina codice de ieiunio q. de iis qui ad Ecclesiasticum ieiunium tenentur Angelus *Ieiunium* 18. Antoninus, Paludanus, Armilla apud citatos, aliique multi, tum antiquiores, tum recentiores. Accedit quòd omnes Authores fatentur peccare contra præceptum audiendi missam qui

Potiori ratione videtur facere contra præceptum ieiunij impedimentum ponens ob malum finem.

illa ipsa die sine vrgenti necessitate aggreditur iter quo impeditur à missa audienda; de quo tamen diximus citata illa dubit. 10. Tractatûs 5. §.2. & aliis, vbi latè de his casibus egimus, sicut & de eo qui ob perpetrandum peccatum v. g. fornicationis missam non audit, quem multi existimant non solum peccare contra castitatem, sed etiam contra Religionem, quamuis id non fiat in fraudem præcepti, sed ad explendam libidinem. Vlteriùs, vt ibidem quoque notauimus, plerique Authores concedunt cum D. Thoma 2.2.q.79.a.3. ad 3. eum qui se inebriat, aut somno tradit cum periculo omittendi missam, peccare contra præceptum missæ quod expressè concedit ipse Bartholomæus à Medina 1.2.q.61.a.5.dub. penultimo concl. 5. & tamen hi non ea faciunt in fraudem præcepti, sed vt suæ voluptati satisfaciant. Vnde etiam prædictis Authoribus videtur, eum qui de proximo potest sine incommodo absolui ab excommunicatione, & id non procurat, delinquere contra præceptum audiendi missam, de quo tamen quid sentiendum sit diximus loco notato Tract. illo 5. de sacrificio missæ.

272. Tandem vltimo ex dictis colligitur eum, qui in omnibus casibus; de quibus locuti sumus, illatione 5. & 6. & 8. latiùs in 9.& 10. se exponit manifesto & proximo periculo peccandi, teneri in confessione explicare peccatum illud periculi, etiamsi contingat reipsa non incidere tunc vel posteà in illud peccatum cuius se periculo exposuit: nam peccatum distinctum numero est ab eo quòd posteà vel committit, vel fortè euitat apposita sufficienti diligentia, vt constat manifestis exemplis allatis in prædictis illationibus.

Vltimo ex dictis. Collige. in multis casibus eū qui se exponit periculo peccādi teneri in cōfessione explicare peccatum illud periculi quāuis reipsa non inciderit in illud.

273. Quando verò aliqua peccata tantum sunt voluntariè in causa, & quando fiunt iam, non sunt in potestate hominis, vt contingit in ebriis & dormientibus, & in eo qui propinauit venenum aut lethaliter percussit alium, multorum sententia docet eos euentus seu effectus, si sequantur priusquam per pœnitentiam retractentur, esse in confessione explicandos; nempè existimant hi Authores ea opera esse in se formaliter peccata, ad idque sufficere quod fuerint voluntaria in causa, & quod causa non fuerit intercisa seu retractata. Ita Henriq. lib.2. de pœnit. c.5.n.5. cum aliis communiter quod si quis confessus esset causam eorum, etiamsi posteà sequatur effectus, v.g. pollutio, homicidium. Sotus in 4.distinct.12.qu.1.a.7. non putat opus esse alia confessione, quamuis tutius existimet aliam adhibere ad expressiorem culpæ explicationem; quia per facti contingentiam apertiùs putat constare quanta fuerit culpa præcedens. Si tamen quis propinauit venenum, aliumúe percussit lethaliter, & confessus est statim de veneno dato, vel vulnere inflicto, post confessionem verò moriatur homo ille, necessarium putat iterum confiteri homicidium, quia antè non constitit fuisse homicidium, & quia enormius est quam pollutio. quem Authorem ita explicat & sequitur Sanch.lib.9. de Matrimonio disp.45.nu.30. quamuis Ludouicus Lopez 1.parte Instructorij c.31.§. *Præterea quia omnibus*, Sotum aliter explicet, & putet idem sensisse de vulnere quod de

Quando aliqua peccata sunt volūtaria tantum in causa, quid dicendū in ordine ad confessionē de illis. Multorum opinio.

 pollu-

pollutione, atque ea ratione eum sequitur. Verum quamuis Sotus omnia prædicta quasi sub dubio, & cum notâ dubitantis *Forsan* doceat, differentiam assignat inter pollutionem & percussionem. & de hac docet necesse esse iterum confiteri homicidium postcà secutum.

Probabilius est omnes tales euentus nō esse necessariò in confessione explicandos. Ratio.

274. Probabilius nihilominùs est omnes huiusmodi euentus qui tantum sunt voluntarij in causa, & quando posteà contingunt non sunt in potestate eius qui causam dedit, non esse necessarium eos in confessione explicare, sed satisfieri confessioni, si exprimatur quidquid peccati in causa præcessit: nam vt probauimus disp 9. præcedenti in 3. opinione, nullo modo sunt in se peccata, sed tantùm effectus peccati; ideo diuersa ratio est de iis, quæ, cùm fiunt, non sunt in potestate & libertate hominis, atque de actu exteriori respectu interioris; quamuis enim concederemus (id quod in quæstione satis positum est) totam malitiam formalem esse in actu interiore voluntatis, non inde infertur, satis esse confiteri solum actum interiorem quando coniunctus est cum exteriore; nam etiam exterior peccatum est actuale, & est in potestate hominis ab eo cessare, vel non, & quamdiu durat actus exterior, peccat homo & demeretur coram Deo; quod non contingit in illis effectibus peccati. Ita docet Vasquez 1.2. disp. 94. c. 4. nu. 16. & Sanch. lib. 1. Moralium c. 16. nu. 46. mutatâ priore sententiâ quam docuerat loco citato de matrimonio. Item Suarius lib. 3. de Iuramento c. 8. n. 5.

Diuersa ratio de his euentibus & de actu exteriori, respectu interioris.

Rectè notât Authores quoad fideles dictos euentus cōfiteri solitos.

275. Rectè autem notant hi Authores plerumque fideles solere explicare eos euêtus, tum quia nesciunt eos non esse peccata, tum quia ea ratione rectè explicant culpam quam commiserunt præbendo causam; & ideo non sunt vllo modo prohibendi ab ea explicatione; tum quia quandoque necesse est id explicare, vt sciatur an incurrerint censuras, vel irregularitatem, vel reseruationem, aut obligationem restituendi, quia nimirum censuræ, aliæque pœnæ non solent imponi nisi peccatis cum effectu; nec restitutio obligat nisi reipsa sequatur damnum. Et quidem etiam ij Authores, qui docent, reuocata priore voluntate seu causa per pœnitentiam, iam non esse peccatum euentum inde secutum; docent nihilominus si euentus sequatur, incurri excommunicationem, irregularitatem, & obligationem restituendi.

276. Hæc omnia placuit ex doctrina huius dubitationis colligere, quæ quamuis magna ex parte ad alios tractatus pertineat, potiùs quàm ad hunc de Iuramento; nihilominus & materiæ vtilitas pro multis occurrentibus casibus, & quorundam illorum necessitas, etiam pro præsenti materia inuitauit, & sensim allexit vt hæc omnia hoc loco latiùs, quàm initio putaram, explicarem. huius rei veniam facilè à lectore meo impetraturum non despero, sed ad nostrum institutum redeamus.

DVBITATIO XI.

Quale peccatum sit iurare absq; animo iurandi, aut se obligandi, aut implendi?

Status dubitationis.

277. IN hac dubitatione tantùm loquimur de eo qui vsurpat verba, quæ in communi vsu & acceptione Iuramentum continent, & tamen non vult iurare: nam de eo qui vtitur verbis æquiuocis & dubiis dicemus dub. sequenti; de eo verò qui iurat fictè sine animo iurandi, iam diximus esse probabile disp. 1. dub. 4. assertione 2. illud non esse propriè iuramentum (quamuis oppositum sit probabilius) ea tamen opinione suppositâ in omni euentu esse peccatum mortale docent Caiet. 2. 2. q. 89. a. 7. Armilla v. *Periurium* num. 3. Couar. de Pactis 1. part. §. 5. nu. 2.

Caietani opinio.

Sententia mitior & probabilior asserit tale Iuramentū quandoque esse mortale quandoque veniale.

278. Mitior tamen & probabilior est sententia quæ asserit esse quidem peccatum mortale, quando id Iuramentum est circa materiam falsam, hoc est cum mendacio; item quando est circa materiam veram quidem, sed simul legitimè à Iudice, vel à quocunque alio legitimè petitur ratione contractus. An verò si quis tantum iuret fictè, quando sine obligatione voluntariè, & sine vlla iniuria, aut nocumento alterius, tantum esse veniale. Probatur primum scilicet esse mortale, quando fictè in iudicio, vel contractu iuratur, etiamsi iuretur cum veritate; censetur enim grauis irreuerentia & abusus nominis Dei, estque id valde contrarium fini Iuramenti, quia est confirmatio veritatis: nihili enim æstimabitur Iuramenti adiectio, si intelligant homines posse absque graui peccato fictè Iuramentum fieri, etiam in negotiis grauibus. Illa autem inobedientia, & illa deceptio, quâ quis significat exteriùs, præter obligationem & Iustitiam, imponere sibi obligationem Religionis, est omninò grauis materia, & in ea decipit. Item quando iuratur falsum est eadem irreuerentia & grauior. Accedit quòd exterior ille latriæ cultus ad quem Iuramentum pertinet, exhibetur materiæ indebitæ, nempè rei falsæ; perinde atque mortale est etiam fictè latriæ cultum Idolis exhibere exteriùs; est enim indebita illius externi cultus materia. Probatur secundum, quòd scilicet sit culpa aliqua venialis quando voluntariè iuratur veritas aliqua, sed ficta; tunc enim adest fictio & mendacium, & ille qui se iurare significat, & non benè iurat, omnino mentitur. Quod autem ea culpa venialis tantùm sit, satis probatur, ex eo quòd non irrogetur iniuria alicui proximo habenti ius ad verum Iuramentum, & irreuerentia quæ tunc fit Deo, non videtur grauis; nam tunc nomen ipsius eodem modo assumptum tantum adhibetur ad confirmandam veritatem; quamuis autem sit aliqua fictio in diuino testimonio sic adhibendo, non censetur grauis & mortalis irreuerentia comparatione Dei; sicut cùm quis non tenetur præcepto orandi aut colendi Deum, non delinquit mortaliter solo actu externo fingens se orare, aut colere Deum. Ita Sotus lib. 8. q. 1. a. 7. in solutione ad 4. Arragon q. 89. a. 7. circa solutionem ad 4. concl. 6. Pe-

Probatur primum.

Probatur secundum scilicet quod quādoque sit culpa venialis.

trus

trus Ledesma Tract. 11. cap. 3. dub. 6. Lessius lib. 2. c. 42. dubio 8. num. 42. Suarius lib. 3. c. 17. à n. 3. Valentia disp. 6. q. 7. punct. 4. in fine. Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 10. Bonacina disp. 4. q. 1. punct. 12. circa finem aliique multi contra Nauar. Armillam, Clauem Regiam, Toletum & aliquos alios. Imò Sotus, Sanchez & Valentia; neque venialiter putant peccare eum, qui iniustè coactus vsurpat verba Iuramenti materialiter tantùm; vt si ita respondeat: *Dico, ego iuro vel dico, Deus est mihi testis*. Atque idem est si iure suo vtens vsurparet ea verba ad aliquid aliud interiùs conceptum quod verum sit; quia tunc non applicat Iuramenta indebitæ materiæ, nec vllum est mendacium. Cauendum tamen est scandalum aliorum audientium, si rationabiliter putare possint eum falsò iurare: tenetur enim quis cauere alterius scandalum, sicut & damnum. Vnde in foro externo, si Iuramentum fuit promissorium, cogeretur quis seruare Iuramentum dolosè præstitum cum verbis callidis & amphibologicis. ita Lessius suprà lib. 9. Valentia suprà, Sanch. lib. 3. c. 10 nu. 13. Azor lib. 11. c. 4. quæsito 2. Suarius & alij apud Bonacinam suprà nu. 6. de quo iterum posteà dicemus.

Imò quandoque nulla est culpa vt in casu Sotus. Sanch.

Cauendũ audientiũ scãdalum.

279. Sotus quidem loco citato putat peccare eum qui respondeat *dico quia iuro*, vel *dico quia Deus est mihi testis*; quia nimirum putat hæc verba non posse capi materialiter, sed formaliter. Sanchez etiam tunc putat materialiter tantùm accipi posse, vel ad significandum aliquid aliud, quod mihi placet, & ex dicendis dubitatione sequenti magis confirmabitur.

280. Quod si iurans habeat quidem animum iurandi & se obligandi, non tamen animo implendi, tunc ex dictis patet esse peccatum mortale, cum sit Iuramentum cum mendacio; neque in hoc vlla est controuersia iuxta dicta dubitatione 6. neque excusat à mortali paruitas materiæ.

Habẽs animũ Iurandi & se obligandi nõ tamen implendi peccat mortaliter.

281. Si verò iurans habeat animum iurandi & implendi, non tamen se obligandi, tunc, si animus non se obligandi, sit animus non se obligandi homini ex fidelitate, seu non promittendi, nullum est peccatum, nisi iuret se promittere, aut nisi ex contractu teneatur, vt rectè Suarius citato cap. 17. nu. 10. nam qui dicit se facturum aliquid pro alio, tantùm significat se habere propositum id faciendi, nisi ex circumstantiis constet tunc promittere, ergo etiam poterit tunc facere Iuramentum de sola assertione futuri operis sine promissione, in quo etiam consentit Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 3. Lessius citato cap. 42. dub. 8. nu. 42.

Quid si iurãs habeat animum iurandi & implendi non tamen se obligandi.

282. Si autem velit quidam iurare, & non se obligare, non solùm homini promissione, sed neque Deo ratione Iuramenti, communis Authorum sententia docet in omni euentu esse mortale peccatum. Rationem reddit Lessius suprà, quia in eo peculiaris apparet irreuerentia, cùm velit quis Deum adducere in testem, & tamen nolit eius testimonio obstringi. Vnde maior iniuria irrogatur Deo, & grauius peccatum est sic iurare (inquit Lessius) quàm solum animo non implendi.

Si quis velit iurare & non se obligare sibi homini, siue Deo iuxta communem sententiam peccabit mortaliter. Ratio

283. Valentia verò suprà columna mihi penultima versiculo *potest autem dubitari*, putat solùm esse culpam venialem; quod autem culpa sit, probat, quia irrationabiliter decipit alterum: putat enim alter quod velit se obligare. Quod verò tantùm sit venialis, quia deceptio non est admodum perniciosa proximo, eo quòd nihilominus maneat obligatus ratione Iuramenti, quia obligatio Iuramenti non nititur voluntate Iurantis sicut promissio, aut votum, sed iure naturali est per se annexa Iuramento. Vnde non est in potestate Iurantis separare illam à Iuramento. Addit tamen Valentia, quod si rationabiliter Iuramentum exigitur, & iurans sine animo se obligandi non intendit significare alteri quod velit se obligare, nihil peccat; si autem intendat id significare, peccabit venialiter mentiendo, quam doctrinam Sanchez putat probabilem, & suffragatur Abbas cap. *si vero* num. 10. de Iureiurando.

Valentia vero putat esse solum culpam venialem.

Obligatio voti pendet à volũtate vouentis, non ita Iuramenti.

284. Angelus autem v. Iuramentum 5 nu. 8. casu 9. & Syluester v. Iuramentum 4. q. 7. dicto 2. putant, quòd si quis absque animo se obligandi iuret latroni se daturum ei nummos, intelligendo interius conditionem *si debuero*, non peccat; si tamen nulla subintelligeretur conditio, peccaret mortaliter, ait Syluester: de hoc tamen dicemus dubitatione sequenti.

Quid de Iuramento latroni facto sine animo se obligandi.

285. Verum enim verò noster casus diuersimodè videtur decidẽdus iuxta varias opiniones, quæ de eo obligationes sunt, de quibus dicemus disputatione sequenti: nam si dicamus cum Caiet. Soto, Couar. & multis aliis, eum qui iurat habens animum iurandi, non tamen se obligandi ex Religione Deo, manere nihilominus obligatum; quia nimirum putant esse verum Iuramentum, à quo inseparabilis est obligatio ex Religione, tunc consequenter dicendum est, quòd sicut illa separatio Iuramenti ab obligatione impossibilis est, nisi ex erronea conscientia; ita non potest in ea fictione, seu separatione culpa interuenire, nisi etiam ex erronea conscientia, & iuxta modum & qualitatem illius; ideo non potest de illa culpa quoad quantitatem certa quædam regula & generalis assignari; nam erronea conscientia est per accidens, & ad factum pertinet, potestque infinitis modis variari; atque ea ratione interdum poterit esse culpa venialis, aut nulla; moraliter tamen loquendo ferè semper erit mortalis, quia vix potest ignorantia eò extendi, vt credatur licitum eam separationem facere, quæ reuera in effectu nihil continet: semper enim homo ille manet obligatus iuxta hanc opinionem, atque ita docet Suarius in nostro casu lib. 3. c. 17. nu. 11. quia nimirum secutus erat eam opinionem.

Verum noster casus diuersimodè decidendus.

286. In opinione verò Scoti, Bonauenturæ, Gabrielis, Richardi, D. Antonini, Ioannis à Medina, pluriumque Canonistarum & Summistarum, qui docent id Iuramentum non obligare, eo quòd non sit Iuramentum verum, sed fictum, quia scilicet per intentionem non se obligandi destructa fuit essentia Iuramenti; consequenter in nostro casu idem prorsus dicendum est, quod diximus in primo casu huius dubitationis de Iuramento ficto, emisso absque animo iurandi, atque ita docet Sanch. l. 3. c. 6. n. 7. quia nimirum hanc secundam opinionem sequitur, quam latè defendit eodem libro c. 18. nu. 8.

Quid in opinione Scoti, Bonauentura & aliorum dicendum.

DVBI-

DVBITATIO XII.

Quando ſit licitum veritatem occultare cum Iuramento? & quando ſit periurium aut illicitum iurare in alio ſenſu quam alij accipiunt? & quibus verbis aut modis poſſit veritas occultari?

Certū hic primo eſt quandoque obligationē eſſe occultandæ veritatis.

287 IN hac dubitatione duo vt certa ſupponenda ſunt, primum ſæpiſſimè occurrere caſus in quibus licitum eſt, imo aliquando neceſſarium, & obligans ſub mortali occultare veritatem, quamuis ſub Iuramento interrogetur & reſpondeatur; nec enim iurare debet homo illud verum, quod reuelare peccatum eſt, quale eſt crimen occultum alicuius; tale enim Iuramentum eſſet contra Iuſtitiam. Quod verò aliquando liceat, imo & obliget occultare veritatem, expreſsè docet Auguſtinus ſuper pſalmum 5. & refertur capite *Ne quis* 22. qu.2. vbi dicitur non licere mentiri, etiam pro tuenda propria, vel alterius vita: & ſtatim addit: *ſed aliud eſt mentiri, aliud verum occultare; ſiquidem aliud eſt falſum dicere, aliud verum tacere. Vnde ſi quis non velit ad iſtam viſibilem mortem hominem prodere, paratus eſſe debet verum occultare, & non falſum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur.* Item D. Hieronymus ibidem relatus capite *vtilem* hæc habet verba: *vtilem eſſe aſſimulationem, & in tempore aſſumendam,* quod probat Sanctorum exemplis, atque etiam Chriſti Domini ex ſacra ſcriptura deſumptis.

Eſt doctrina ſancti Auguſtini & Hieronymi.

288. Similem diſtinctionem refert ex Baſilio Anaſtaſius, Nicenus libro quæſtionum ſacræ ſcripturæ q.73. vbi *mores* (inquit) *inſidioſi & fallaces & doloſi Deo ſunt odioſi, & hominibus inimici; de iuſtis autem inſidiis, & dolo qui non malè, ſed iuſtè & ſapienter celat & abſcondit, & artificioſam præfefert ſpeciem, propter hos dolos non ſunt Sancti appellandi doloſi vel mendaces, ſed ſapientes ad bonum, ſinceri autem ad malum*, & certè hoc modo diſtinguitur dolus à bono *lege* 11. ff. de dolo.

Diſtinguitur dolus malus à bono.

Secundò certum eſt.

289. Hinc etiam ſecundò certum eſt quod huiuſmodi occultatio veritatis nunquam poteſt licitè fieri per mendacium; quia mendacium quantumuis vtile & officioſum & neceſſarium, ſemper eſt veniale peccatum; quod ſi Iuramento affirmetur, erit mortale iuxta dicta dubitatione 6. nam vt definit Innocentius III. capite *ſuper eo* de vſuris, *in diuina ſcriptura conſtanter vetatur, ne quis etiam pro vita ſeruanda mentiatur*, & ex ipſa ſcriptura probat D. Auguſtinus duobus libris Alconcenſium, & docent Scholaſtici in 3. diſtinct.37. & 38. Duo ergo reſtant in præſenti, quę non modicam continent difficultatem, duobus ſequentibus §§. explicanda. Primum de modo aut verbis quibus ea occultatio fieri poteſt abſque mendacio. Secundum quibus de cauſis id liceat.

Duo reſtāt explicāda.

§. I.

Quibus verbis aut modis poſſit fieri veritatis occultatio etiamſi decipiantur Audientes?

290. IN primis certum ſit, aliud eſſe præceptum negatiuum non mentiendi, quod obligat ſemper & pro ſemper, contra quod ſolùm peccat quis peccato commiſſionis quotieſcunque mentitur; aliud verò eſſe præceptum affirmatiuum veritatis manifeſtandæ, contra quod quis peccat peccato omiſſionis, quoties occultat veritatem aliquo artificio verborum ſine iuſta cauſa interueniente. Quod ſi id cum Iuramento affirmetur vocatur communiter ab Authoribus Periurium; & quidem meritò, quia perinde pernicioſum eſt fini Iuramenti & bono communi, ac ſi mendacium iuraretur, etiamſi propriè & in rigore non ſit mendacium nec periurium, ſed abuſio locutionis contra virtutem veritatis, & ciuilem conſuetudinem, quæ virtus, ratione boni communis & ciuilitatis, obligat quemlibet à proximo interrogatum ad reſpondendam determinatam veritatem de qua interrogatur, vel de qua ortus eſt ſermo, niſi ex iuſta cauſa interrogatus ius habeat ad eam veritatem occultandam.

Aliud eſt præceptum negatiuum non mentiendi. Aliud verò affirmatiuum veritatis manifeſtandæ.

291. Hæc doctrina ſatis conſtabit ex 1. aſſertione infrà ſtatuenda, de eo qui occultat veritatem verbis æquiuocis, de quo omnes Authores docent non mentiri, & tamen peccare, ſi ſine cauſa iis æquiuocationibus vtatur. Conſtat etiam ex doctrina D. Thomæ 2.2.q.109.a.1. ad 3. in fine. vbi docet virtutem veritatis tenere medium, in quantum verum dicit quando oportet, & ſecundùm quod oportet. Vnde per exceſſum peccare quis poteſt & per defectum. Per exceſſum quidem peccat qui importunè manifeſtat ea quæ ſunt; per defectum verò qui occultat quando manifeſtare oportet.

Virtus veritatis tenet medium iuxta D. Tho. Hinc per exceſſum & defectū poteſt quis contra illā peccare.

292. Prædictam doctrinam rectè aduertit, & ſecundùm eam diſtinxit Valentia tom.3. diſp. 5. q.13. punct. 2. in ſolutione ad ſecundum; ex quo id deſumpſerunt Leſſius lib.2. c 42. dub.9. nu.48. & Sanchez lib.3. c.6. nu.16. Suarius lib. 3. c.11. nu.4. Hoc ſuppoſito quinque aſſertionibus reſpondebo vtrique difficultati, in hoc & ſequenti §. tribus quidem in hoc, & duabus in ſequenti; vbi poſteà pro praxi non paucas illationes deducemus in caſibus particularibus.

293. Aſſero 1. quoties verba ex ſua ſignificatione ſunt æquiuoca ſeu ambigua, pluresque ſenſus admittunt, nullum eſt mendacium ea proferre in ſenſu quem ex illis proferens vult & concipit, quamuis audientes, & ipſe etiam cui iuratur, in alio ſenſu accipiant ea verba; atque hoc verum eſt etiamſi nullâ iuſtâ cauſâ moueatur proferens. Quam verò culpam contineant quando ſine iuſta cauſa vſurpantur in alio ſenſu ab eo quem audientes accipiunt, dicemus aſſertione 5. quæ erit prima ſequentis §. Ratio autem præſentis aſſertionis eſt, quia cùm verba omnes illos ſenſus admittant non dicitur aliquid contra mentem, neque contra germanum verborum

Aſſertio 1. de verbis æquiuocis.

Ratio Aſſertionis.

ſenſum

sensum ea accipienda in quauis significatione illorum; alioquin in nulla necessitate eis vtilis erat: nulla enim necessitas efficere potest, quin mendacium sit, quod ea cessante mendacium esset, atque ita docent expresse Sotus de secreto membro 3. q 3. in fine, Nauarrus in cap. *Humanæ aures* 22. q 5. in q. 3. nu 9. & 16. Pereida in caput 27 Genesis disp. 5. nu. 57. Valentia & Lessius suprà Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 13. & Suarius lib. 3. de Iuramento c. 11. nu. 4 & 5. atque hic dicendi modus ab omnibus admittitur, & verus quidem est, sed fortè non sufficiens vt videbimus post 3. assertionem.

Exemplis confirmatur assertio.

294. Nec desunt exempla quibus hæc nostra assertio confirmetur. Talisque inprimis est æquiuocatio quam indicat Glossa in cap. *Neque* 22. q. 2. nempè cum quis interrogatus an Petrus sit domi, respondet *non est hic*, accipiendo verbum *est* pro verbo comedit, vel accipiendo Petrum pro alio homine eiusdem nominis. Similis est æquiuocatio quâ fertur vsum fuisse S. Franciscum Seraphicum vt notat Nauarrus c. 12. n. 8. qui interrogatus, an reus quidam illac transisset, immittens manum per manicas, vel manu aurē tangens, dixit *non transisse illac*. Simili etiam amphibolia legimus D. Athanasium suos hostes elusisse. Nec dissimilis æquiuocatio est, si quis diceret se tali die non fuisse Hispali, accipiendo, non pro ciuitate in Hispania celeberrima, quæ vulgò appellatur Ceuilla, sed pro oppidulo eiusdem nominis posito non procul Madrito. Plures alias æquiuocationes afferunt Caietanus qu. 89. a. 7. circa finem, & Sotus lib. 8. de Iustitia q. 1. a. 7. vt si quis coactus dicat *iuro tibi dare* 100. *aureos*, intelligens quod illi iurat, non quod illi dabit. Item si quis per interrogationem dicat: Ego facturus eram id? vel de me hoc credendum erat? Vlteriùs cùm quis vnum verbum dicens, & alterum tacens, eludit audientes. Sic Abraham Genesis 20. celauit Saram esse suam vxorem, dicens esse suam sororem, quod verum erat: nam paulò inferius ipse id exposuit dicens *verè soror mea est*, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. Sic etiam Samuel 1 Regum 15. interrogatus ad quid venisset in Bethlehem, respondit venisse ad sacrificandum, qui erat tantum finis secundarius, eaque ratione occultauit primarium & præcipuum, qui erat vngere Dauid in Regem.

Assertio 2. de verbis non æquiuocis.

295. Assero 2. quamuis verba ex sua significatione ambigua non sint, possunt nihilominus absque mendacio vsurpari, si reuera attentis circumstantiis loci, temporis, & personæ, ac modi interrogandi verba eum sensum faciant, iuxta interrogantis intentionem saltem debitam. Exemplis res comprobatur, vt si quis aliquem quærens, me interroget an illum viderim, verè respondeo me illum non vidisse, si ita proximè non viderim, vt possim de illo rationem reddere, ita vt à quærente inueniatur: nam ea vniuersalis negatio *non vidi* ex intentione quærentis restringitur vt intelligatur de proxima visione. Sic etiam pœnitens rogatus à confessario de fornicatione, verè negat se admisisse, etiamsi admiserit aliquando, dummodo eam iam sit confessus in alia confessione: nam ex fine, & modo interrogandi, cæterisque circumstantiis interrogatio restringitur ad eam tantum confessionem quam confessus non sit. Item si venditor publicè frumenti, vendidit iam totum frumentum quod erat venditurus, reseruato sibi necessario, deinde verò superuenit emptor nouus frumenti, interrogans an habeat frumentum, verissimè respondet, non habeo, etiam cum Iuramento, quia ex circumstantiis personarum intelligitur se non habere vendendum. Omitto alia exempla in quæ posteà in illationibus deducendis incidemus. Hanc 2. assertionem docet Nauarrus cap. *Humanæ aures* in q. 2. nu. 8 in fine. Pañes 22. q 69. a. 2. dub. penultimo & ibidem Salon controuersia 11. Azor lib. 11. c. 4 q 5. regula 2. Sayro in Claui Regia lib. 12. c. 17. nu. 26. Suarius lib. 3. de Iuramento c. 11. in fine. Sanch. lib. 3. c. 6. n. 14. & ante hos omnes Ioan. à Medina C. de confessione q. de confessione celanda circa finem; vbi adhibet alia exempla, inter quæ est exemplum sacerdotis, qui rogatus de aliquo crimine, verè responder se nescire absolutè, quamuis in Sacramentali confessione id sciuerit, quia intentio interrogantis non se extendit ad ea quæ solum in confessione sciuit. Item reus aut testis interrogatus de crimine aliquo, verissimè respondent se nescire, si id sit occultum: tantùm enim interrogantur de iis quæ ad iudicium venire debent. Hæc sine doctrina verissima est, sed non videtur sufficiens, nisi aliquid addatur vt infrà dicemus post 3. assertionem collatio 1.

Exemplis patet Assertio.

Sic pœnitens rogatus à confessario de fornicatione, ab ipso cõmissa verè negat se admisisse, si eam sit confessus in alia confessione.

Docent hanc Assertionem. Nauarrus Suarius. Sanch. &c.

Reus rogatus de crimine occulto, ad rectè negat si crimen occultum sit.

Obiicit Medina.

296. Obiicit Medina contra dicta non habere locum hanc doctrinā, si interrogans addat se interrogare etiam de occultis aut cognitis per confessionem, quid ergo tunc faciendum?

Resp.

297. Respondet ipse etiam tunc prædictos verissimè negare se scire, respondent enim non ad mentem illicitam & iniustam interrogantis, sed ad debitam, id est ad mentem quam debebat habere: probat hoc Medina ex capite qualiter & quando de accusationibus, vbi in fine capitis ait Pontifex, vt testes Iuramento obstricti, *exceptis occultis criminibus, meram & plenam dicant in scibus veritatem.*

Cõtrouersia grauis inter Doctores.

298. In prædictis sanè nulla ferè est controuersia inter Doctores; grauis tamen inter eosdem disceptatio est, quando verba non sunt ambigua ex sua significatione, neque habent verum sed falsum potiùs sensum in ordine ad mentem interrogantis, solumque detorquentur in verum sensum ex aliqua restrictione vel additione retenta interiùs sola respondentis aut iurantis mente, vt si quis interrogatus de re quam fecit, respondeat *non feci*, subintelligendo interiùs, *tali die* aut *tali loco*, vel *vt tibi dicam*, vel affirmat *dabo tibi centum* subintelligendo *si ea debeo* & sic de aliis.

Grauissimorum authorum opinio.

299. Multi lique grauissimi Authores docent huiusmodi locutiones esse pura puta mendacia; atque adeo, si Iuramento affirmentur, esse periuria mortalia, etiamsi dicantur, aut iurentur ob quemcunque bonum finem, vel ob quamcunque necessitatem. Probant quia si hæ locutiones non essent mendacia, nihil esset tam falsum quod non posset facillimo negotio affirmari sine mendacio, subintellecta aliqua additione vel restrictione pro cuiusque beneplacito, quod si concedatur, tota fidelitas in humano conui-

ctu ruet, omnisque humanorum sermonum certitudo tolletur, vniuersaque humana commercia dolis fraudibusque patebunt: posset enim quiuis loqui vel etiam scribere quæ vellet, mente concipiendo aliquid aliud; quod altus fieret sensus distinctus ab eo quem verba prolata vel scripta sonant; quod est contra fidem humanam, & æquè nociuum atque apertum mendacium. Ita Caietanus 2.2. qu. 89. a. 7. columna penultima versiculo *ad hoc dicitur*, Sotus lib. 5. de Iustitia q. 6. a. 2. concl. 7. & lib. 8. q. 1. a. 7. Alcozer in summâ c. 15. Cordubâ in summâ q. 65. Azor lib. 11. c. 4. q. 5. Arragon 2.2. q. 69. a. 2. in fine & q. 89. a. 7. in solutione ad 4. concl. 2. Petrus Ledesma tom. 2. tract. 8. c. 34. post 6. concl. dub. 2. dicto 3. & tract. 11. c. 3. dub. 6 paulò ante finem Ludouicus Lopez 1. part. c. 42. versiculo *item qui non* & sequenti.

Assertio 3. non est mendacium vti verbis non reddentibus exteriùs verū sensum, nisi ex aliquo addito in mēte retento. Peccatum tamē est ea vti astutia sine rationabili causâ. Primam partim assertionis tenent. Nauarrus Scotus. &c.

300. Assero nihilominus 3. non esse mendacium vti verbis exterius, quæ non reddunt verum sensum, nisi ex aliquo addito quod retineatur mente proferentis; esse tamen peccatum ea astutia vti sine rationabili causa. Hæc 2. pars assertionis de peccato sic loquendi absque ea causa constabit ex dicendis sequenti §. & assertione sequenti, quæ erit quarta in ordine. Primam verò partem, quod scilicet id non sit peccatum constantissime defendit Nauarrus, in cuius defensionem multa satis eruditè allegat in capite *Humanæ aures* 22. q. 5. in q. 2. à num. 10. & meritò pro ea refert Scotum, Paludanum, Adrianum, Richardum, Maiorem, & Gabrielem, aliosque Theologos: satisque indicatur in dicto capite *Humanæ aures* ex D. Gregorio, & capite *intelligentia* de verborum significatione: vbi idem S. Pontifex ait: *intelligentia verborum ex causis dicendi est assumenda*, quia non res sermoni, sed rei sermo debet esse subiectus. Probat etiam Nauar. in cap. *inter verba* concl. 6. corollario 65. à n. 398. quam sententiam etiam sequitur in summâ c. 10. nu. 9. & 19. & c. 18. nu. 61. & c. 25. num. 43. idem docet Angelus Iuramentum 5. num. 9. Syluester Iuramentum 3. qu. 2. in fine & Iuramentum 4. q. 7. aliique multi, quos in illationibus referemus: atque ex Recentioribus eandem sequuntur Valentia tom. 3. disp. 5. q. 13. punct. 2. columna penult. & tom. 4 disp. 7. q. 13. punct. vltim. columna 2. Salon 2.2. q. 69. a. 2. controuersia 11. in 4. ratione & in solutione ad 1. & 5. Toletus lib. 4. c. 21. num. 9. & lib. 5. c. 58. Rodriguez de ordine Iudiciali c. 10. nu. 4. & in 1. tom. summæ c. 191. nu. 7. Filiarchus de officio sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 14. Sà verbo Iuramentum nu. 6. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 9. nu. 46. & 48. Suarius lib. 3. de Iuramento c. 10. nu. 4. vbi docet & securissimam & in rigore veram, item Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 15. consonatque cum iis quæ diximus tom. præcedenti in nostro opere de Iustitia & Iure lib. 2. tract. 1. disp. 6. dub. 1. & disp. 8. dub. 5. pluribusque aliis in locis.

Probatur Assertio ratione à priori.

301. Probatur 1. ratione à priori, quia quamuis nemo priuatim possit arbitrio suo imponere significationem vocibus, nec possit vsurpare verbum v.g. *comedo* pro *dormio*, vt rectè Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 4. nu. 29. nihilominus (vt rectè Suarius suprà cum Nauarro) compositio & prolatio orationum seu verborum significantium mentem propriam, liberè fit pro hominis voluntate; ergo potest propositiones componere ex terminis diuersorum ordinum, atque adeo facere propositiones mixtas ex terminis vocalibus, & mentalibus, quæ non habeant plenum sensum in solo ore, nisi simul coniungantur menti, ad eum modum, quo Gregorius super Ezechielem in principio dixit, prophetas interdum coniungere verbum quod ore sonat verbo mentis, quia vnum interdum signum potest componi ex sensibili & insensibili, sicut Sacramentum Pœnitentiæ ex confessione & contritione; vel sicut Eucharistia ex speciebus sensibilibus, & Christo inuisibili; ergo sicut datur compositio purè vocalis, & purè scripta, & purè mentalis, ita potest dari propositio mixta, id est, composita ex verbalibus terminis, & mentalibus; ergo veritas talis propositionis mixtæ non est pensanda secundùm vnam, vel aliam partem, sed secundùm internum sensum, qui ex tota oratione, seu propositione resultat, ergo cum loquens intendit conficere vnam orationem ex verbis expressis in voce, & ex additione, vel restrictione in mente concepta, nulla est falsitas in voce, cùm ex sola illa non debet sumi veritas vel falsitas.

Vnum interdum signū potest componi ex sensibili & insensibili.

Confirmatur. 1.

302. Confirmatur 1. nam qui cùm assensu diceret exterius: *Deus est*, subintelligendo *Angelus*, vel *iniustus*, reuera esset hæreticus, & qui diceret, *Deus non est* subintelligendo *Angelus*, vel *iniustus*, reuerà non diceret hæresin, sed verum; ergò in re veritas sumenda est ab integra propositione, quantumuis mixta sit ex vocali & mentali.

Veritas ex integra propositione sumenda.

Confirmatur 2. quia liberum est homini mētem suam exprimere vel non exprimere, ergo etiam inchoare expressionē, & non finire.

303. Confirmatur 2. quia liberum est homini mentem suam exprimere vel non exprimere; ergo etiam est liberum inchoare expressionem, & non finire: ergo quando mente concipio totam hanc propositionem: *Hoc non feci hodie*, possum inchoare expressionem huius conceptus, & non finire illam; ergo licet dicam, *hoc non feci*, & ibi sistam animo non finiendi propositionem, non mentior in rigore, quia nondum finiui sermonem seu propositionem meam, & non intendo per illa sola verba aliquid integrè significare; ergo licet iure in, non iurabo falsum, quia non intendo iurare quod exterius sonat absque alio quod mente concipio.

Confirmatur 3.

304. Confirmatur 3. quia in casu quo quis potest occultare veritatem, non magis tenetur totam mentem suam declarare coram alio, quàm dum solus agit & secum loquitur, cùm audiens nihil ad id iuris habear, sed dum quis secum loquitur, non tenetur totum suum conceptum exprimere, quin possit partem in animo retinere; ergo etiam quando agit cum illis ad quorum mentem & interrogationem non tenetur respondere.

Confirmatur 4.

305. Confirmatur 4. quia si quis dicat clara voce: *non feci* & submissè, ita vt non percipiatur ab aliis dicat *hodie*, nemo negabit illam esse vnam propositionem, quia est purè vocalis; constat etiam illam esse veram, quatenùs in se integra est, quamuis non sit vera quatenùs ab altero percipitur; ergo idem est dicendum si terminus ille *hodie* mente sola subintelligatur; nam in ordine ad effectus morales, & quoad significandum aliis, perinde est summissa voce eam particulam

ticulam addere, ac si sola mente concipiatur.

306. Eodem modo potest quis intendere solum materialiter proferre hæc verba: *iuro quod non feci*; poterit enim ad maiorem securitatem, cùm incipit dicere *iuro*, interponere summissè hæc verba *me dicere*, & deinde clara voce concludere *quod non feci*: sic enim verissima est tota assertio, & illud *non feci*, non profertur vt oratio integra, sed vt vnum extremum propositionis; pari ergo ratione fieri posset mente concipiendo illud me asserere, etiamsi verbis non proferatur; nam quoad effectus morales perinde est.

Probatur 2. Assertio. 307. Probatur 2. à priori nostra assertio, quia sicut virtus veritatis consistit in affectu conformandi verba & facta cum mente, ita vt homo in suis verbis & factis idipsum significet quod habet in mente; ita vitium mendacij quod veritati opponitur; consistit in affectu significandi verbis contrarium eius quod quis habet in mente, & in hoc consistit ratio formalis mendacij vt expressè docet D. Thomas 2.2.q 110.a.1. in corpore; vbi etiam ait (& clariùs in responsione 1.) quòd deceptio alterius non sit de ratione formali mendacij, quamuis pertineat (inquit) ad plenitudinem seu perfectionem mendacij, quia solet esse finis intentus per mendacium: nam regulariter qui mentitur, intendit falsam opinionem in alterius animo generare, vnde deceptio est ordinariè effectus consequens mendacium. Nihilominus reipsa quandoque potest esse mendacium sine deceptione, vel sine intentione decipiendi, vt videre est in eo, qui vult mentiri, vt non possit conuinci ex propria confessione etiamsi nouerit alterum non crediturum. Atque etiam è contra quandoque intendit quis alterum decipere, & reuera decipit sine vllo mendacio, vt videre est in eo, qui verbis æquiuocis vtitur ex intentione decipiendi, quem non mentiri, etiamsi peccet, concedunt aduersarij, & clarius hoc apparet in eo qui (vt aiunt) cum ipsa veritate decipit, quando dicit se facturum vel fecisse, quòd reuera fecit vel facturus est, certus quod non sit credendus ab audiente, sed potiùs contrarium: id quod fecisse dicitur, nostra tempestate Marchio Spinola, qui rogatus ab alio, qui saltem occultè fauebat Batauis, quam decreuisset ciuitatem obsidere; designauit illam ipsam quam obsidere intenderat, certus quod non crederetur eâque ratione decepit aduersarium, qui posteà fassus est se ipsâ veritate fuisse deceptum. Ecce ille, tunc non mentiendo, sed vera dicendo decepit.

Ex his concluditur in quo ratio mendacij propriè consistat. 308. Ex his concluditur rationem mendacij non consistere propriè in falsitate alteri menti impressa, sed in affectu significandi vobis contrarium eius quod est in mente loquentis, non ex eo quod deformitas illa aut falsitas per se, aut propter se ametur; sed ex eo quòd absolutè est volita, quamuis sit volita propter aliud; ergo sicut is qui vult mentem suam aliter exprimere, quàm alter intelligit, permittendo alterius deceptionem vel etiam illam intendendo, non mentitur, quia non vult contrarium eius quod habet in mente suis verbis significare; ita etiam non mentitur ille qui vult exprimere mentem suam, non totam, sed solùm ex parte, etiamsi videat alterum inde decipiendum; imo etiamsi intendat alterum decipere, quia neque in tali casu vult significare verbis oppositum eius quod habet in mente; sed tantum occultare veritatem de qua interrogatur, assumens pro medio, non quidem mentiri, sed exprimere verbis partem alterius eiusdemque veritatis quæ extra rem sit, & partem illius reticere, quod non est mentiri vt probatum est; tunc enim solum est mendacium, quando quis negat verbis eam ipsam veritatem quam mente concipit, siue id fiat ad decipiendum audientem, siue ad quemcunque alium finem etiam alioquin bonum.

309. Probatur 3. assertio nam in sacris literis sæpè vsurpatur hic loquendi modus à Sanctis viris, qua de re legi potest Pereila disp. illa 5. super caput 27. Genesis: nobis autem satis duo traxiue testimonia Christi Domini ab Euangelio petita sint: primum est Marci 13. *de die illa nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius, nisi Pater.* Quamuis enim hic locus varias habeat interpretationes, vt videre est apud Suarium tom. 1. in 3. partem, in quacunque tamen illarum necesse est aliquid subintelligere quod in verbis non sit expressum v.g. *neque filius scit vt reuelet*, vel *non scit à se*, vel *non scit ex humanitate*, vel aliquid simile. alterum testimonium est Ioan. 7. *Ego non ascendam ad diem festum istum*, & paulò post refertur ascendisse, vbi necesse est aliquid subintelligi, nec enim Christus Dominus ignorabat quid esset facturus: subintelligitur ergo, vel *non ascendam vobiscum*, vel *non publicè sicut soleo*; atque vtrumque videtur Euangelista paulo post declarasse dum subdit: *vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit, non manifestè, sed quasi in occulto*; cur enim tam accuratè Euangelista narrasset non ascendisse cum fratribus, sed occultè, & non publicè, nisi vellet intelligi quomodo esset accipiendum quod dixerat, *non ascendam*? Tertium testimonium est Mathæi 9. vbi dixit Christus: *non est mortua puella, sed dormit*; & tamen reuera defuncta erat. intelligitur ergo, vel non est mortua respectu meæ potestatis seu voluntatis, respectu cuius perinde est ac si non esset mortua, sed dormiret, vel non est mortua, vt sic in morte permaneat vsque ad communem resurrectionem, sed iterum surget perinde atque qui excitatur dormiens à somno. *Probatur 3. Assertio ex sacris literis.*

310. Probatur 4. nostra assertio à necessitate eiusdem, & ab inconuenienti ex opposito, atq; argumento ad hominem ex concessis ab authoritate eorum qui illam impugnant & oppositam sequuntur; nam imprimis doctrina assertionis nostræ vtilissima est, imò & necessaria ad tegenda multa quæ tegere opus est, nec tegi absque mendacio possunt, nisi modus hic loquendi esset licitus: nam cùm mentiri nunquam liceat etiam ob tuendam propriam aut proximi vitam, verbaque ambigua sæpissimè vel non sint, vel non occurrant, & quamuis occurrerent, non sufficerent propter hominum vel peruicaciam, vel calliditatem; certè nisi sequamur hanc doctrinam, non paucis opposita sententia erit occasio grauiter peccandi, ne incommoda & temporalia detrimenta incurrant. Vnde etiam Authores oppositæ sententiæ necessitate compulsi, tandem vel inuiti concedunt latenter, quod apertè, & ex professo negauerant. Sic enim Ludouicus *Probatur 4. Assertio à necessitate eiusdem & ab inconuenientibus oppositæ &c.* *Authores oppositæ sententiæ necessitate compulsi concedunt*

dunt latenter quod, apertè negant. Tales Lopez Sotus.

douicus Lopez sæpè in eodem illo capite sibi ipsi contrarius est: sic etiam Sotus lib. 5. de Iustitia q.6.a.2.concl.7. docet quod si nulla alia euasione possit satis facere interrogationi astuti Iudicis, testis interrogatus non iuridicè, poterit respondere se nescire, subintelligendo, vt tibi dicam. Addit tamen reum non posse dicere *non feci* subintelligendo vt tibi dicam, neque testem posse respondere *non vidi*, aut non audiui subintelligendo, vt tibi dicam; cuius diuersitatis rationem reddit Sotus; quia verbum sciendi dicit relationem ad loquelam, ac proinde verè potest dici, nescio, subintelligendo ad dicendum: facta verò ipsa, quæ aliis verbis significantur, non dicunt (inquit) relationem ad loquelam.

Multis ridicula videtur doctrina Soti.

311. Multis nihilominus Authoribus ridicula videtur hæc Soti distinctio. Nam licet facta ipsa non inuoluant ordinem ad loquelam; ipsa tamen verba quibus facta exprimuntur eum ordinem habent, cùm verba signa sint, non solùm conceptuum, sed etiam rerum, & actionum & visionum, ac proinde si absque mendacio dicitur, nescio, subintelligendo ad dicendum; etiam absque mendacio dici potest, non feci, non vidi, non audiui, nempe ad dicendum vlterius, si semel admittamus (vt Sotus admittit) cum verbo scire tacitam limitationem ad dicendum, quamuis ea limitatio non sit accommodata ad alia verba significantia factum non deerunt aliæ accommodatæ limitationes; nam & ipse Sotus ibidem asserit non posse Iudicem interrogare de occultis, imo in ipsa sua interrogatione quasi ipso iure excipi occulta; ergo rectè Iudici responderi potest *non feci* subintelligendo *publicè* seu non feci ita, vt factum sub tua interrogatione comprehendatur. Vnde Caietan. *tom. 1. opusculorum in Tract. de decem & septem responsionibus in responsione 5. ad 1.* expresè docet, eum qui interrogatur contra ordinem Iuris, an habeat complices, posse respondere non habeo, redditque rationem; quia verba responsiua intelligenda sunt iuxta sensum interrogationum; interrogatio autem oportet quod sit intra Iuris limites. Imò quamuis Sotus loco citato hoc dictum Caietani pro virili impugnet, & dicat potius subeundam esse mortem quam dicere, non feci, aut non habui socios, si vel fecit, aut eos habuit, quia est (inquit) mentiri, nihilominus velit nolit tenetur concedere, quòd, si sciens sub secreto potest respondere absque mendacio, *nescio*, subintellecta restrictione ad dicendum tibi (quod ipse fatetur) eâdem ratione poterit sine mendacio dicere *non feci*, subintelligendo publicè, vel non habeo socios publicos; nec enim minus ordinatè & accommodatè dicitur *non feci publicè*, atque dicitur, *nescio ad dicendum*. Vel certè concedat Sotus eum, qui iniustè interrogatur absolutè & sine vllâ restrictione posse dici *nescio, non feci, non habeo socios* & cætera, quod vtrumque vel inuitus reuera concedit in 4. distinct. 18. q. 4. a. 5. in solutione ad 4. vbi cum D. Thoma 2.2.q.70.a.1. ad 2. aliisque Theologis docet, cùm sacerdos tantùm sciat & Dei minister ea quæ tantùm per confessionem nouit, absolutè interrogatum an ea sciat, posse absolutè & sine vlla additione respondere *nescio*; quia tunc, inquit, non sunt termini contradictorij, quia scit vt Deus, & non scit, vt homo, & in hoc sensu inquit Bernardus, *nihil minus scio quam quod in confessione scio*, & addit rationem Sotus, quia cum vocum significationes ex humano vsu sint æstimandæ, & in communi sermone cum sacerdos ait *nescio*, nemo de iis, quæ in confessione nouit intelligat, verè dicit quod nesciat. Quæ sanè ratio optima est, & probat 2. assertionem suprà positam. Deinde concedit Sotus etiam posse verè & sine mendacio responderi *nescio*, aut etiam *non audiui* sub tacita restrictione interna ad dicendum. Omnia tamen prædicta putat solùm intelligi & habere locum, quando tantùm interrogatur absolutè an id sciat; nam, si infidelis (inquit) tyrannus vel impiissimus Christianus peculiariter à sacerdote exquireret, an scias per confessionem, vel an audiueris in confessione, tunc (inquit Sotus) non licere respondeo *nescio* vel *non audiui*; quia responsio hæc non recipit moderationem illam, nescio, aut non audiui vt homo, aut vt dicam; quia totum exprimitur in ipsa interrogatione, scilicet an scias aut audiueris vt Deus, & vt non dicas. Et idem est si Iudex interroget de occultis & speciali. Tunc ergo ait Sotus tacendum est ad interrogationem, & acriter increpandus sic interrogans, etiamsi ob id mors sit subeunda.

Fatetur etiam Sotus quod sciens sub secreto potest respondere absque mendacio, nescio, sub intellecta restrictione ad dicendum tibi.

Sacerdos interrogatus de iis quæ tantùm per confessionem nouit, absolutè & sine restrictione respondere potest nescio.

Ratio.

312. Verum enim verò etiam in eo casu posse licitè respondere, non scio, non audiui, non feci, non habeo complices, absolutè docent Bannes 2.2.q.79.art.2.dub. penult. concl.2. referens D.Thomam 2.2.q.89.a.7.ad 4. dicentem, quando dolus est ex parte exigentis Iuramentum, non teneri, qui iurat, iurare secundum intentionem exigentis Iuramentum, sed secundum propriam intentionem. Probat verò Bannes, quia verba ipsa respondentis ex circumstantiis accipiuntur in sensu illo quæ iurans intendit; adde quod omnes alij communiter in eo sensu accipiunt verba respondentis, vt ratio ipsius etiam Soti probat. Idem quoque docet Caietanus suprà, quia verba respondentis iuxta sensum à iure ipso intenta accipienda sunt, non iuxta iniquam intentionem exigentis Iuramentum. Consentit etiam Ioan. à Medina suprà concl. 2. & probat quia in eo casu iurans nec respondet, nec respondere debet ad intentionem elicitam & expressam petentis Iuramentum, sed ad debitam & communem hominum prudentum mentem.

Quãdo dolus est ex parte exigentis Iuramentum non teneri qui iurat iurare secundùm mentẽ exigentis Iuramentum sed secundũ propriam intentionẽ docent. D.Tho. Bannes. Caietanus.

Corollaria ex præcedentibus assertionibus.

313. EX dictis infertur 1. quam veritatem & sufficientiam habeant, & in quo differant tres assertiones suprà positæ & Authores earum; & prima quidem verissima est vt ibi notabam, sed insufficiens; quamuis enim iuxta omnium quos viderim opinionem, quoties quis non obligatus ad dicendam veritatem, sine vllo mendacio possit vti amphibologia quando verba æquiuoca & amphibologica suppetant; sæpissimè tamen vel ea verba non sunt, vel certè non occurrunt, ac proinde modus ille respondendi non satis est vt quis possit occurrentibus necessitatibus subuenire. *Ex dictis Infertur 1.*

314. Idem

314. Idem iudicium est de 2. assertione vt ibidem indicabam; quamuis enim ea quoque verisimilima sit, sed non sufficit ita strictè intellecta; atque eam tradit Azor & alij: nam quoties Iudex vel exactor Iuramenti expresse interroget de occultis, aut de iis ad quæ non habet ius, tunc non poterit respondens intra limites eius doctrinæ occultare veritatem vt contra ipsos argumentatur Sotus: tunc enim ex circumstantiis potius agitur de scientia priuata, & de factis occultis, quia de illis expresse fit interrogatio.

315. Erit tamen sufficiens prædictæ assertio doctrinæ, si addamus cum Caietano opusculo illo de 17. responsionibus responsione 5. ad 1. & cum Ioanne à Medina codice de confessione q. de confessione celanda circa finem, & cum Nauarro cap. Humanæ aures q.2.n.8. in fine, posse respondere non ad mentem priuatam & iniquam interrogantis, sed ad mentem debitam seu ad mentem communem omnium prudentum existimantium interrogationem debere esse intra limites Iuris, & intra limites humani conuictus & contractus. Vnde secundum hanc assertionem, & secundum hos Authores mendacium sic videtur definiendum: *Mentiri est contra mentem communem & prudentem ire*. vnde in hac opinione quoties adest iusta causa occultandi veritatem, non est mendacium eam occultare; quando verò non adest, eam occultare mendacium erit; quam doctrinam satis esse probabilem constat ex iis quæ tradit Suarius lib. 3.c.11.n.2.& 3.

Potest quis respondere ad mentem priuatam & iniquam interrogantis sed ad mentem communem omnium prudentum &c.

Medina. Nauarrus Caietanus.

Mendacij definitio.

316. Nec enim ex ea doctrina sequitur mendacium aliquando esse licitum propter extrinsecum aliquem finem aut causam; hoc enim asserere omnino erroneum est; sed tantum sequitur quod desinat esse mendacium id quod tale censeretur adesse non interueniente causa. Neque hoc mirum est, nam malitia moralis non est quæcunque carentia cuiuscunque bonitatis, sed bonitatis debitæ inesse: quoties autem necessitas seu causa aliqua rationabilis non adest, debita est nostro sermoni simplicitas in sensu concepto ab audiente, & ideo tunc carentia veritatis in illo sensu vitiosa est & contraria veritati: ac proinde mendacium; quando verò necessitas interuenit & iusta causa, illa carentia euenit, & est pura negatio, quia significatio iuxta conceptum & mentem audientis seu interrogantis tunc non est debita; ac proinde talis carentia non est vitiosa nec mendacium, cùm superfit alia significatio iuxta sensum vsitatum & vsurpatum à bonis viris; atque ita videntur etiam sentire Angelus v. *Iuramentum* 4. in principio & Sylnester v. *Mendacium* in fine & *Iuramentum* 3.q.2. versiculo *si verò is*, & sequenti, dum aiunt plures locutiones esse veras si dicantur cum causa, & easdem locutiones sine causa dictas esse falsas & mendacia, atque si iuramento confirmantur esse periuria. Et quidem eo modo intellecta secunda assertio sufficiens erit & vniuersalis pro praxi.

Quoties necessitas seu rationabilis causa deest debita est nostro sermoni simplicitas in sensu concepto ab audiente.

317. Absolutè tamen 3. assertio est valde probabilis vt patet ex adductis in eius confirmationem, estque multò magis sufficiens ad occurrendum necessitatibus vrgentibus; & quamuis ex ea sequatur quodlibet posse facillimo negotio affirmari, vel negari sine mendacio per additionem, vel restrictionem interius subintellectam; non tamen inde sequitur aliquod inconueniens contra fidelitatem seruandam in humano conuictu; nam licet vtens ea deceptione, etiam sine iusta causa, non peccet peccato mendacij contra negatiuum præceptum non mentiendi; peccat tamen peccato omissionis contra præceptum affirmatiuum clarè exprimendi veritatem, quando causa occultandi non subest, quod si addat Iuramentum peccato periurij saltem impropriè dicti vt docet Valentia, Lessius, Suarius & Sanchez citan ante 1. assertionem: imo omnes tenentur hoc fateri; nam etiam vti amphibologia, de qua sermo fuit tam in 1. quam in 2. assertione, si sine causa fiat, est peccatum, cùm sit in præiudicium boni communis, cum causa tamen peccatum non est vt ibi diximus; ergo eodem modo philosophari possumus in sensu 3. assertionis. Idem docet Bonacina disp. 4.q.1. punct.12.nu.2.

Satisfit obiectioni contra tertiã assertionẽ.

318. Obiicies tamen; quoties os non consonat menti est mendacium; sed in casu 3. assertionis non consonat os menti; ergo est mendacium.

Obiicies quoties os non cõsonat menti est mendacium.

319. Respondetur negando minorem, quia mens non est dicere solùm id quod os sonat, sed aliquid aliud vt explicatum est.

Resp.

Infertur 2.

320. Infertur 2. non esse, vt aliqui putant inter Authores citatos pro tribus assertionibus, discrimen & quæstio de solo nomine sed de re, eaque valde necessaria; nam cum in nullo euentu licitum sit mentiri, omnes Authores qui tantùm excusant à mendacio eam veritatis occultationem quæ fit per verba æquiuoca, consequenter necessariò dicunt nunquam licere vti aliis occultationibus quæ fiunt in sensibus explicatis in 2. & 3. assertione: deinde tam hi Authores, quàm qui 2. assertionem cum limitatione sequuntur in multis casibus ibi explicatis, vel indicatis, coguntur asserere potiùs esse subeundam mortem quam vtendum illis modis occultandi veritatem; quos tamẽ licitos esse concedunt qui 2. & 3. assertionem absolutè sequuntur. Vnde satis apparet controuersiã esse inter Authores de re grauissima, & apprimè necessaria pro praxi.

321. Infertur 3. omnino errare tam qui vituperant omnes simulatores, quàm qui eos omnes laudant; nam qui solùm vtuntur arte simulandi mala & sine causa vituperio digni sunt, qui verò bona vtilia, & cum debitis circumstantiis laudandi sunt vt rectè Nauarrus in illo capite *Humanæ aures* q.3.num.9.

Infertur 3. omnino errare tã qui vituperant omnes simulatores, quàm qui eos omnes laudant.

Ratio.

Infertur 4.

322. Infertur 4. necessarium omnino esse in quauis occultatione veritatis, ex tribus prædictis intendi à loquente verum aliquem sensum suis verbis, vt euitet culpam mendacij & periurij: nam aliàs idem incurret. Quod si quis forte adeò rudis sit, vt nesciat in particulari amphibologiam concipere & adhibere, sanum erit cõsilium, vt saltem in genere sciat, sibique persuadeat in aliquo vero sensu se posse negare aut affirmare quod pronuntiat, quamuis in particulari nesciat, si verò etiã generaliter ignoret, nullo modo poterit in vero sensu loqui; ideò si plenè & simpliciter loquatur, peierabit vt optimè notauit Suarius lib.3. de Iuramento c.10.n.4.& cum eo Sanchez lib.3.c.6. in fine.

Notandum quoad ignaros.

§. II.

Quibus de causis liceat prædictis modis veritatem occultare etiam sub Iuramento?

Quoad secundam dubitationis partem. Suppono peccatum esse vti quacunque amphibologia sine causa. Ratio pro suppositione facilis verba. D. Isidori.

323. SIc ad secundum quod attinet, ad iustam & rationabilem causam vtendi prædictis amphibologiis, cæterisque modis occultandi veritatem; supponendum est in opinione, peccatum esse vti quacunque amphibologia, etiam illa de qua in prima assertione, si sine causa fiat; quia vt paulò antè indicabamus, ex virtute veritatis tenemur, nisi causa excuset, eam manifestare planè & ad mentem eorum cum quibus loquitur; atque hoc est quod fatetur D. Isidorus relatus capite *Quacunque arte* 2.2. q.5. vbi ait *quacunque arte verborum quis iurat: Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit*, nempe quando non est causa rationabilis occultandi veritatem, eaque ratione explicatus hic textus non aduersatur aliis textibus relatis ex Augustino & Hieronymo eadem causa 22.q.2. nec Dino Gregorio capite *Humanæ aures* citato & aliis locis. Hoc supposito.

Assertio 4. ostenditur quando subsit iusta causa occultanda veritatis. Nauarrus Bonauentura.

324. Assero 4. tunc adest iusta causa, quoties id necessarium est, aut vtile ad salutem corporis, honorem & famam, vel res familiares tuendas; ac tunc vniuersim nullum erit peccatum vti prædictis amphibologiis aut occultationibus, etiam cum Iuramento, quoties quis ex non iurando incurret, aut prudenter timeret damnum aliquod notabile. Ita Nauarrus in cap. *Humanæ aures* 22.q.5. in q. sua 2. nu.10. & in summâ ca.12. nu.18. Bonacina suprà nu.3. Clauis Regia lib.12. c.17. nu.26. & lib.5. ca.4. nu.21. colligiturque ex Authoribus iam referendis, quorum quidem aliqui loquuntur de eo tantum qui cogitur vi aliqua ad iurandum: ij sunt Syluester Iuramentum 3.q.2. Nauarrus citato capite 12. nu.8. Ledesma 2.part.4 q.10.a.1.dub.6. Sayrus vbi proximè, Lessius lib.2. de Iustitia c.42. dub.9 num.46. Suarius lib.3.c.10.nu.10. Toletus lib.4.c.31.n.9. notabili.1. Qui omnes docent, eum, qui nemine petente, se ad iurandum offert, non posse licitè vti prædictis locutionibus, mediis, attende tamen Philiarchus de officio sacerdotis tom. 1. part.2.lib.3.c.14. in principio Sanch. lib.3.cap.6. num.21. docent si necessitas, vel vtilitas cum iis amphibologiis cogat, parum referre quod quis vel rogatus, vel non rogatus iuret; sæpe enim potest offerri occasio, qua maximè alicui expediat se sponte sua ad iurandum se inuitare, vt ad placandum proximum, vel ad restituendam famam iniustè ablatam, ad quam restituendam multi Authores docent id fieri posse, quos in corollariis posteà deducendis referemus.

An iusta sit causa iurandi cum amphibologia importunitas alicuius priuati petentis Iuramentum sine alia necessitate non facilis responsio. Affirmat Nauarrus.

325. An verò sit iusta causa iurandi cum amphibologia, quoties priuatus aliquis importunè rogat vt alter iuret nulla alia necessitate cogente, non videtur ita facilè. Affirmat Nauarrus citato capite 12. num.8. & capite *Humanæ aures* q.3. num.10 §. *sextò colligitur*: vbi vniuersim asserit, eum, qui non tenetur respondere interroganti, non teneri respondere ad ipsius mentem, sed posse vti subintellectione aliqua redditque rationem, quia qui nullatenus tenetur respondere adiuranti, non tenetur respondere secundum intentionem ipsius, quia à quo remouetur genus, omnes etiam illius generis species remouentur, & consequenter ad hanc doctrinam in summâ cap.12. nu.18. asserit, non peccare qui alteri iurat se non habere rem ab eo petitam, si non tenetur ad dandam vel commodandam, & ea mente iuret quod non habeat illam ad dandam vel commodandam. Idem videtur docere Toletus lib.4.c.21. num.9. §. *tertiò potest*, ibi asserit eum qui rogatus iurat posse vti æquiuocatione, maximè cum non est reuelanda res, & importunus est qui rogat, & precibus Iuramentum petit.

Authoris iudicium.

326. Quamuis autem id probabile sit propter illorum authoritatem, nihilominus si nulla alia causa interueniat præter importunas preces, non videtur ea sufficere ad id, maximè cum Iuramento; nam si aliàs non est iusta causa eius veritatis occultandæ, nullum ius ad id conferunt importunæ preces, multoque minus ad occultandum cum Iuramento; est enim irreuerentia & abusus Iuramenti, censeturque vana & indiscreta diuini nominis vsurpatio. Ita Syluester Iuramentum 3.q.2. Valentia tom.3. disp.5 q.13. punct.2. columna penultima in solutione ad 2. Suarius lib.3.c.10.nu.10. Sanch. lib.3 c.6.n.20. qui expressè docent tunc licere alicui vti simulatione, quando importunè rogatur vt veritatem dicat, quam non expedit reuelare.

Ratio. Deficiente iusta causa nullum ius celanda veritatis conferunt preces importunæ.

327. Credidenim tamen fore sufficientem causam ad licitè iurandum, se non habere quod alter petit, subintelligendo ad commodandum quando iurans aliquod detrimentum pateretur si commodaret, & petens, si sciret eum habere rem illam, ægrè ferret, mutuaque charitas minueretur; atque hoc forsasse tantum voluit Nauarrus; nam in capite *Humanæ aures* q 2.n.10. inter alias causas adhibet quando occultatio veritatis censetur necessaria, vel vtilis ad exercendum actum virtutis.

Addendum 1. pro vtendo simulatione extra Iuramentum, & non esse causam sufficientem illam quæ absque Iuramento fuisset sufficiens.

328. Addendum præterea est cum Sanch. primò lib.3.c.6. nu.22. ad vtendum simulatione sine Iuramento, posse aliquando esse sufficientem causam, non tamen ad id cum Iuramento. Sic de tegendo secreto ait nullam esse culpam vti amphibologiis ioco, quia est ludus honestus susceptus recreationis gratia, vt si quis affirmet principem esse in oppido, subintelligendo pictum, & tamen Iuramentum adderet tali assertioni, manifesta esset culpa ait Sanch. propter vanam & indiscretam diuini nominis vsurpationem; non esset tamen culpa mortalis iuxta dicenda sequenti assertione.

Addendum 2. quando non adest causa.

329. Addendum secundò, quando non adest causa non solùm teneri nos iurare secundum communem sensum quem verba verè significent, sed etiam secundùm communem eum sensum, in quo canones, leges & iura solent voces accipere; ideo ait Azor lib.11.c.8 q.2. periurij crimen admittit is, qui puerum ad ædes alicuius per alium apposuit, & tamen iurauit se non illum apposuisse; quia, quæ per alios facimus, secundùm iura, censemur fecisse; quam doctrinam veram puto, quando quis de eâ re ita iuridicè

Quæ per alios facimus secundum iura censemur fecisse.

Authoris limitatio. cè interrogatur, vt alioquin interrogans ius habeat vt sibi dicatur veritas in eâ re iuxta principia generalia de Iudice & Reo.

Quæres. 330. Quæret iam aliquis, qualis culpa sit iurare cum his amphibologiis & simulationibus sine vlla causa & necessitate?

Resp. Communis sententia docet esse mortale iurare cū amphibologia sine vlla causā aut necessitate. 331. Communis sententia docet esse aliquam culpam mortalem, eo quod sit contra præcipuum Iuramenti finem, qui est veritatem determinatam testificari. Item eo quod vti cum Iuramento prædictis simulationibus sit valdè perniciosum bono communi. Ita Angelus Iuramentum 4. Tabiena v. *Iurare* q.13.num.14. Armilla nu.16. Nauar. capite *Humanæ aures* q.3.nu.9.& in summâ c.12.n.8 & 13. Ludouicus Lopez 1.part. c.42.columna 5. Toletus, Sayro, Philiarcus citati in 4. assertione. *Ratio.*

Assero tamen 5. probabilior est sententia, negans ad dictā limitatione esseque tātum culpam venialem asserens. 332. Nihilominus assero 5. probabilior est sententia quæ asserit, quando id non fit in iudicio Iudice legitimè interrogante, nec in materia præiudiciali, vt in contractibus, tantùm esse culpam venialem, quia cùm ibi non adsit mendacium, nec iniustitia aliqua, sola discretio deficit in tali Iuramento, eo quòd diuinum testimonium non debeat absque necessitate his simulationibus immisceri; quoties autem Iuramento sola discretio deficit, tantùm est veniale. *Ratio.* *Nec obstat quod id aduersetur fini Iuramenti, quia id contingit in materiā leui.* Neque obstat quod id aduersetur fini Iuramenti: nam id contingit tantùm in materia leui pro prædicto casu, sicut quando promittitur sub Iuramento res venialiter mala, neque ex hoc solo resultat bono communi adeò magnum detrimentum, cum peccatum mortale sit quando id fit in iudicio, vel in contractibus. Atque ita docet expressè Caietanus 2.2.qu.89.a.7. versiculo *ad hoc dicitur*; licèt ipse tantum ibi loquatur de vtente verbis ex sua significatione ambiguis, sed idem diceret de loquente in sensu 2. assertionis nostræ, quam ipse sequitur in opusculo illo citato. Idemque dicendum est, si sequamur tertiam assertionem de loquente sub restrictione seu sub auditione interiore; est enim eadem ratio. Eandem sententiam sequitur Lessius lib.2.c.42.dub. 9.num.48. vbi loquens etiam de simulatione 3. assertionis nostræ ait fortè non esse mortale. Idem videtur docere Suarius lib.3. c.11.nu.5.& 6. vbi etiam loquens de eadem simulatione, docet esse peccatum, non tamen explicat esse mortale, nisi quando iniustitia admiscetur. Consentit etiam expresè Sanch. lib.3. c.6.nu.22. Limitat verò dummodò intentio Iurantis sit veritatem occultare, non vt audiens fallatur; nam in tali casu iam dixerat nu.18. esse mortale.

Nec si Iurans intenderet vt audiēs decipiatur foret mortale. 333. Verùm, etiamsi Iurans intendat vt audiens decipiatur, non credo fore mortale, quod expresè docet Caietanus loco citato. nam, vt probaui in secunda ratione pro tertia assertione, intentio fallendi non est de ratione mendacij cuius oppositum putat ipse Sanch. & falsò allegat D. Thomam 2.2.q.111.a.1. præsertim ad 4. vbi nihil fauet S. Thomas, sed eodem modo philosophatur de mendacio consistente in facto quod vocat simulationem, atque in præcedenti quæstione 110. philosophatus fuerat de mendacio consistente in verbis, & quidem malitia mendacij consistit in voluntate significandi verbis, vel factis contrarium eius quod est in mente. *Ratio.* *Malitia mendacij in quo consistat.* Quotiesautem homo non id vult, sed aliam veritatem significare distinctam ab eâ quam alij percepturi sunt, non mentitur, etiamsi expressè velit vt fallantur; imo ferè impossibile est, vt is qui vtitur æquiuocatione quacunque ex prædictis ad euadendu m aliquod malum, non habeat voluntatem, vel expressam, vel interpretatiuam vt alij decipiantur, quia deceptionem eorum assumit vt medium ad euadendum malum; quod intueri licet in facto Dauidis quando 1. Regum 21. coram Achis Rege Geth finxit se furere, quod sane factum quamuis D. Thomas quæst. illa 111.a.1 ad 2. excuset à mendacio solùm propter mysticam & figuralem significationem, nihilominus D. Hieronymus relatus in capite *vtilem* 22.q.2. non ob id excusat à mendacio, sed quia id fecit ex iusta causa ad mortem euadendam: nec S Thomas vnquam docet quod ex mera intentione decipiendi censeatur verbum aliquod, vel factum esse mendacium, nec intentio decipiendi ex se mala est, imò esse potest bona, si fiat ad auertendum alios à peccato, & ad euadendum aliquod malum. Iam verò ex dictis licet etiam aliquas illationes congerere ad praxim satis vtiles. *Vtēs æquiuocatione, deceptione aliorū vtitur ad euitandum malum. Hoc fecit David. Ex dictis pro praxi.*

Corollaria ex duabus præcedentibus assertionibus.

Collige 1. Quid dicēdum de eo qui iurat se non habere rem quā habet. 334. EX dictis colligitur 1. quid dicendum sit de eo, qui rogatus vt det pecuniam mutuam, vel commodet rem aliquam quam reuera habet, cum Iuramento affirmat se non habere, subintelligendo intra se, vt mutuo det, vel commodet, quando scilicet non tenetur ad eam mutuò dandam, in qua re multi affirmant non peccare. Nauarrus c.12.nu.18.& cap. *Humanæ aures* q.3.nu.13. Rodriguez c.191.nu.7. Philiarcus de officio sacerdotis tom.1. part.2. lib.3.c.14 ad finem Clauis Regia lib.5. c.4.nu.26. *Multi affirmant nō peccare talem.*

Alij docent esse periurium & mortale. 335. Alij verò docent esse periurium & peccatum mortale. ita Corduba de secreto num.3. q.3. Henriquez c.19.num.8. in Glossa littera R. Ludouicus Lopez 1.part.c.42.versiculo. *Item qui non tenetur*. Pallador. de rebus quotidianis lib.2. c.vlt. parte 1.§.4.num.15.& alij multi. Probant quia ex communi conceptione hæc responsio est mendax, cùm nec secundum Ius, nec secundùm vsum in tali materia talis verborum sensus accipiatur. *Ratio.*

Authoris iudicium. 336. In hac re primò, existimo sic loquentem non esse periurum; quia ibi non interuenit mendacium iuxta dicta in 3. assertione, ex quâ etiam constat parùm, imò nihil referre quod attinet ad veritatem Iuramenti an ille teneatur mutuare, nec ne, ac proinde impertinens est illa limitatio. Vlteriùs existimo, etiamsi non sit periurus, venialiter peccare, quando sine vllâ causâ non mutuandi, nec commodandi, vtitur illâ simulatione: constat hoc ex 4.& 5. assertione. Existimo prætereà nullam esse culpam sic iurare si adsit iusta non mutuandi causa aut commodandi; vt si timet inde aliquod damnum vel credit quòd accipiens tardus aut difficilis erit in soluendo, aut restituendo, vel certè ignorat qualiter se habiturus sit circa solutionem. Ita docet Sanch.

Sanch.lib.3.c.6 nu.43.atque idem iudicium est, si dicat se non habere pecunias in alio loco, ab eo in quo habet. Demum si reuerá pecunias habet, sic tamen vt illis egeat, nec mutuare eas commodè possit verè potest iurare se non habere eas pecunias; quia iuxta 2. assertionem ad petentis intentionem respondet, quæ est, an habeat pecunias quas cõmodè mutuò dare possit.

Resolutio quoad venditores rem sibi tanti constitisse asserentes alio sensu quam emptores intelligant.

337. Idem quoque iudicium est quando institores iurant se rem potuisse pluris vendere, aut rem sibi tanti aut tanti stetisse, alio sensu quam emptores intelligant, erit enim mortale peccatum, si intendant extorquere supra iustum pretium, vel obtinere pretium summum quod alioquin emptor dare noluisset, vel aliâ ratione ei sint causa damni, vt optimè Lessius c.42.dub. 9.num.46. qui addit non fore mortale quando reuerâ per hoc non volunt aliquid iniustum committere, sed tantum iustum pretium obtinere. Addo nec veniale esse, si aliâ ratione non possunt ab emptoribus habere iustum pretium, quod infertur ex 4. assertione nostrâ atque adeo huic doctrinæ fauent Authores illius.

Collige 2. quoad adulterã rogatã à marito an adulterium admiserit.

338. Colligitur 2. adulteram rogatam à marito an adulterium admiserit, non solùm posse iurare se non fregisse matrimonium, quod Sotus concedit, quia scilicet matrimonium stabile & integrum perseuerat, qui verus & proprius verborum sensus est, etiamsi vir putet illis verbis iurare non violasse fidem thori, sed etiam posse iurare non admisisse adulterium, subintelligendo in alia die, vel in alio loco, vel vt tibi reuelem, vel publicè, quod licet negent Sotus & alij, merito nihilominùs concedunt Authores 2. & 3. assertionis, & in specie Nauarrus, Philiarcus, Azor, Saytus & Sanch. c.6.nu.41. Non tamen poterit iurare carere adulterij crimine, ex eo tantum capite, quod iam illud confessa fuerit, quia nimirum ignorat veniam à Deo sibi concessam, vt docet ibi Sanch. cum Paludano, Syluestro & Nauarro contra Saytum. Vnde tùnc aliam æquiuocationem & restrictionem debet addere ex nuper dictis, aut similibus.

Collige 3. quoad dicendum quo ad promissionem iniuriosè extortam alicuius pecuniæ danda sub Iuramento.

339. Colligitur 3. si per iniuriam extorqueatur promissio alicuius pecuniæ dandæ sub Iuramento, licere iuranti vti hac æquiuocatione. Iuro tibi me daturum, aut numeraturum pecunias, ita vt sensus sit, tibi iuro daturum pecunias, non tibi, sed tibi, vel alteri, aut dicere, iuro tibi, accipiendo illud iuro materialiter ad nihil significãdum; imo si accipiatur iuro in propria significatione, non erit plusquam veniale mendacium, idque concedunt omnes Authores.

Opinio Soti. Caietani &c.

340. Quando tamen ea æquiuocatio non sufficeret, Caietanus, Sotus, Arragon & alij citati contra 3. nostram assertionem, negant licere huic absque animo dandi dicere, iuro me daturum tibi, subintelligendo si secluso Iuramento ea tibi debeam.

Authoris Iudicium probabilius.

341. Probabilius tamen est licere ita iurare, nec postea tenebitur soluere constat hoc ex 3. assertione, docentque expressè Angelus v. *Iuramentum* 5.nu.8. casu 9. Syluester Iuramentum 4. q.7. dicto 2. Nauar. cap. *Humanæ aures* q.3.nu 6. in fine, & in summâ c.12.num.14. Valentia disp.6. q.7. punct.4. qui rectè addit, nec teneri prædictum hominem propter alios hoc Iuramentum implere, quia poterunt, & debebunt credere Iuramentum in alium sensum fuisse detortum; præsertim si moneantur de eo, quia suberat iusta causa. Idem docet Sanch.c.6.nu.38.

Collige 4.

342. Colligitur 4. fœminam morti proximam, atque excommunicatam, eo quòd viro non cohabitet, quem nouit ob impedimentum occultum non esse suum, coactamque iurare vt absoluatur fore vt adeptâ sanitate illi cohabitet; posse id iurare intelligendo intra se, si id mihi licet. Ita Angelus *Iuramentum 4. in principio*, Syluester *Iuramentum 3.q.2. versiculo in Iuramento verò*. Nauarrus *c.12.nu.9.* Philiarchus *lib.3.c.14.ad finem*; imò hoc ipsum tenentur concedere Caietanus, Medina & alij citati pro 2. assertione, expresseque concedit Azor lib.11.c.4.q.5. regula 2. in fine. Ratio est; quia cum sic loquens dicit, faciam, intelligitur quod debeo, & hæc est mens Iuramentum exigentis; nec enim vult, vt peccet; ac proinde benè Syluester eam regulam generalem tradit, nempè, quod quotiescunque Iuramentum exigitur faciendi aliquid quod sine peccato fieri nequit, possit iurans subintelligere, si sine peccato id efficere potuero. Et iuxta Authores 2. assertionis, etiamsi iurans nihil per se ipsum intelligat, ex ipsis nihilominus circumstantiis subintelligitur sufficienter. Idem docet etiam Sanch.c.6.nu.40. vbi idem putat de muliere non cohabitante cum viro, eo quod conscia sit adulterij viri, ac proinde iustam diuortij causam habet; nam compulsa à Iudice vt cohabitet viro, potest id iurare, subintelligendo intra se, si ad id teneor, quia mens Iudicis non est, aut esse debet, nouam illi obligationem imponere.

Regula generalis quã benè tradit Syluester.

Quoad coactum aliquam in sponsã ducere quam nõ tenetur.

343. Eadem ratione coactus aliquam accipere in sponsam quam ducere non tenetur, potest iurare se accepturum quidem intelligendo intra se, si teneor, vel si posteà mihi placuerit. Ita Tuletus lib.4.cap.21.num.9. Sanch. lib.3.ca. 6.num.39.

Docet Lessius quoad eum qui puellæ fictè promisit nuptias.

344. Eadem ratione Lessius lib.2.c.18.dub. 8. asserit eum qui fictè promisit nuptias puellæ nihil incommodi passæ, non teneri sub mortali implere, licet peccauerit mortaliter, promittendo. Quod si talis cogetur à Iudice an promiserit, posse negare, etiam cum Iuramento; si verò per sententiam Iudicis iubeatur promissum implere solùm propter vitandum scandalum, teneri parere, ac proinde posse mutare solum ne cogatur parere, vt in simili docet Sotus lib. 7. de Iustitia a.2. Verùm in hoc quod attinet ad obligationem promissionis fictæ philosophandum est iuxta dicta à nobis in nostro Tract. de matrimonio disp. 1 dub.4. & locis ibi notatis. Vnde si obligatio adsit implendi eam promissionem quantumuis fictam, non erit locus prædictæ æquiuocationi, seu restrictioni Iuramenti; secus verò, si obligatio non sit. Quando verò, & quomodo sit obligatio, locis citatis diximus, vbi etiam disputauimus, an in eo, qui nouit naturam promissionis, possit esse externa promissio omnino ficta, id est, sine animo promittendi, aut sine animo se obligandi. Ibi legatur.

Collige 5.

345. Colligitur 5 quoties quispiam à cuiusuis debiti obligatione liber est, posse à Iudice rogatũ id negare, intelligendo intra se, ita vt debeat; respondet enim tunc ad debitam mentem Iudi-

cũ iuxta sensum 2. assertionis. Qua ratione optimè Couar. relatis Capella & Cæpolla lib. 1. variarum c. 2. nu. 4. Azor lib. 11. cap. 4. q. 5. regula 2. Parlad. lib. 2. capite finali parte 1. §. 4. n. 13. Suarius lib. 3. c. 9. nu. 6. Sanch. lib. 3. c. 6. num. 32. docent eum, qui mutuò vel alio contractu accepit nummos quos posteà soluit, & iterum postulantur ab eo in Iudicio in quo non potest probare se illos soluisse, interrogatum à Iudice posse absolutè negare se illos accepisse, subintelligens iterum, vel ita vt illos debeat, vel ita vt teneatur id declarare. Addit Sanch. idem esse dicendum, si quacunque ex causa ab eo debito absoluendo liber est; item si tunc non tenetur eum soluere, eò quòd terminus ad quem mutuum datum nondum est impletus, vel quia ex paupertate excusatur debitor à tunc soluendo, quando Iudex ad eum effectum rogat scilicet vt cogat statim soluere; quia tunc negans se accepisse, ita vt statim soluere debeat, verè ad mentem debitam Iudicis respondet. Quapropter immeritò Guttierez allegato Perez lib. 1. quæstionum practicarum *tota quæst.* 60. asserit non posse negari mutuum iam solutum.

Resolutio quoad illũ qui à Iudice cogitur soluere debitum ante solutum.

Abscondẽs bona ali quo à creditoribus licitè.

346. Ob eandem rationem, is cui licitum est aliqua bona abscondere necessaria ad vitam sustentandam; ne à creditoribus capiantur, eaque de causa cogitur mendicare; potest à Iudice rogatus iurare se nulla bona abscondita habere, atque hoc ipsum possunt iurare cæteri qui id sciunt, intelligendo scilicet, non habere abscondita quæ manifestari debeant. Ita Sanch. suprà num. 31.

Immunis ab obligatione promissi matrimonij rogatus à Iudice potest iurare se non promisisse.

347. Qui etiam ob eandem rationem lib. 1. de Matrimonio disp. 10. n. 27. & 28. asserit, quoties siue verè, siue fictè promittens matrimonium immunis vel liber est ob aliquam causam ab implendi obligatione, posse à Iudice requisitum iurare se non promisisse, quod nos etiam eum ipso, & aliis quos retulimus, diximus, & probauimus in dicto 1. tract. de Matrimonio disp. 1. dub. 15. intelligendo scilicet tunc se non promisisse, ita vt teneatur implere; vbi cum eodem diximus id locum habere, non tantùm quando causa non implendi est certa, sed etiam quoties sapientum iudicio est probabilis, quia potest amplectendo opinionem probabilem tutâ conscientia se existimare non obligatum.

Quid de clerico rogato à custodibus an aliqua portet gabellæ obnoxium dicendum.

348. Eadem quoque ratione Syluester v. Mendacium quæst. vltima docet clericum rogatum à custodibus an aliqua portet alioquin gabelæ obnoxia, vt compellatur gabelam soluere, posse iurare, se nihil tale portare, intelligendo, ex quo gabelam debeat, quod meritò extendit Suarius lib. 3. c. 9. nu. 7 ad omnem hominem exemptum à gabela soluenda; & addit Sanch. lib. 3. c. 6. num. 32. omnem hominem, etiam laicum, qui aliqua portat, aut habet, aut vendidit ex quibus vel nullam gabelam, vel non integram debet (iuxta probabilem opinionem) posse Iuramento rogatum negare se habere, portare, aut vendidisse eam duntaxat quantitatem ex qua gabelam non debet, intelligendo, ita vt ex illa debeat gabelam.

Obiiciet.

349. Verùm obiiciet aliquis: in opinione æquali probabili subditus tenetur parere superiori; ergo in hoc casu. Respondetur negando an-

Resp.

tecedens saltem quando agitur de interesse seu damno inferioris, quia in eo casu vtraque pars vtitur iure suo. Ita respondent in hoc particulari casu. Vectigalis Petrus à Nauarra lib. 3. de restit. c. 1. dub. 12. n. 267. Lessius lib. 2. c. 33. dub. 8. in fine: eadem ratione idem Sanch. nu. 36. concedit, si debitor præconueniat coram Iudice creditorem, vt iurat an pars illius debiti quod exigit, soluta iam sibi sit, posse creditorem iurare non fuisse solutam, etiamsi reuera soluta fuerit, dummodo tantundem sibi ab eodem debeatur, quod aliàs non poterit recuperare.

Casus de creditore exigẽte debitum, qui compellitur iurare.

350. Idem quoque iudicium est quando creditor virtute alicuius instrumenti publici exigit via executiua debitum, & compellitur iurare iuxta dispositionem legum aliquorum regnorum, qualis est in castella lex regia 9. tit 21. lib. 4. nouæ collectionis; poterit enim tunc iurare id totum sibi deberi, etiamsi pars illius summæ soluta sibi fuerit, dummodo alia via tantundem pecuniæ sibi ab eodem debeatur de qua non habet publicum instrumentum; virtute cuius id exigat, & aliter non speret id posse recuperare; hoc tamen intelligunt Authores cum limitatione, nisi sit in præiudicium alterius anterioris creditoris, quod ego verissimum puto, quando alius creditor habebat hypothecam eiusdem rei quam habet hic creditor; nam tunc anterior hypotheca in eadem re dat alteri anteriori ius potius & fortius quam sit ius posterioris, vt latè ostendimus in nostro opere de Iustitia & Iure cæterisque virtutibus cardinalibus lib. 2. tract. 2. disp. 11. dub. 4. vtrum autem idem dicendum sit absolutè iuxta illam regulam Iuris, *qui potior est in tempore, est potior in iure*, eaque regula extendatur ad omnes debitores personales, quorum nullus habet priuilegium prælationis contra alterum, aut supra illum, ex instituto disputauimus eadem disp. dub. 5. & duas oppositas sententias probabiles iudicauimus, & iuxta illas opiniones philosophandum est in hoc casu: vnde si tuta conscientia recuperare potest totum suum debitum nulla habitâ ratione creditoris prioris, poterit sic iurare, maximè iuxta dicta eadem disputatione dub. 7. assertione 2. & 3. vbi probauimus & ipsum creditorem posse petere & accipere totam solutionem; & probabile etiam esse quod debitor ipse teneatur soluere. In hoc ergo casu poterit debitor iurare sibi tantundem deberi, & non esse sibi solutam illam summam, intelligendo, ita vt adhuc integra non debeatur siue ex illo siue ex alio titulo.

Difficultas.

351. Maior omnino difficultas est, an debens quinquaginta rogatus in iudicio sub Iuramento an debeat centum (quæ tunc forte ab illo petuntur) possit absolute negare se centum debere; item si rogatus de domo vel fundo an sit suus possit absolutè negare suum esse, si sola pars eius sua sit: nam Bartholus, Abbas, Felinus, Alexander, Alciathus, Aretinus & alij quos refert Couarruuias 1. variarum c. 2. nu. 5. docent hunc ita absolutè negantem esse periurum; ac proinde debere partem negare, partem fateri; probant, quia qui negat totum, negat quamlibet eius partem.

Opinio aliquorum.

Authoris sententia probabilior.

352. Probabilior nihilominùs sententia est quæ asserit, posse licitè negare absolutè. Ita spe-

culator, Decius, Crotus & alij quos referunt & sequuntur Couarruuias ibi & Guttierrez in qq. practicis lib.1.q.61.num.2. idem docet Azor lib. 10.c.8.in fine & Sanch.lib 3.c.6.nu.33.nam qui rogatur an comederit in templo, cùm solùm extra comederit, verè negat illud copulatiuum comestionis & loci in templo. Prætereà propositio affirmatiua *debeo centum*, est falsa vt patet; ergo negatiua eius contradictoria *non debeo centum*, est vera; vnde qui negat totum copulatim sumptum, non ideo negat quamlibet eius partem, secùs esse si distributiuè acciperetur. Quamuis autem hic homo non sit periurus, poterit nihilominùs ex alio capite reus esse culpæ, nempè si neget ne cogatur soluere partem debitam, vel causâ alterius fraudis, vel quia cogit Actorem ad probandum partem illam verè debitam, vt rectè notauit Guttierrez suprà & ex eo Sanch.

Collige 6. 353. Colligitur 6. Scholasticos in Academia v.g. complutensi, vbi ius habent suffragij in electione professorum, quo iure priuantur si fortè cum aliquo ex candidatis, vel oppositoribus egerunt de negotio eius cathedræ quam ambiunt colligitur, inquam, eos posse tuta conscientia iurare se non collocutos cum oppositoribus, si de his tantùm rebus cum illis egerunt, quæ ad eos subornandos non pertinebant, subintelligendo scilicet, intra se non fuisse locutos de eiusmodi rebus. Hæc enim est debita interrogantium mens. Ita Nauarrus c.12. num.19. Suarius lib.3.c.9.nu.7. Clauis Regia lib.5.c.4. num.24. Sanch.lib.3.c.6.nu.34. contra Ludouicum Lopez, qui immeritò docuit oppositum 1. part. cap.42.

354. Ob eandem rationem possunt interrogati à Iudice iurare se non ingressos domum alicuius ex oppositoribus, quando non sunt ingressi vt subornarentur. Ita Sanch.suprà Rodriguez in summâ 1.part.c.191.nu.4.

355. Ob eandem quoque rationem, qui rogantur an egerint de iis quæ in aliqua congregatione, capitulo, aut consultatione tractata sunt, si solum egerint de non præiudicialibus, & quæ iuxta statutorum mentem non sunt necessariò sub secreto seruanda, possunt iurare se non egisse, sed sub secreto seruasse, intelligendo, intra se de iis que seruare tenebantur. Ita Philiarcus de officio sacerdotis tom.1. part.2. lib.3.c.14. in fine, Clauis Regia, Suarius & Sanchez proximè citati. Sic in communi sermone & conuersatione interrogatus de re quam secretò seruare expedit, licitum est dicere se nescire, intelligendo, ita vt expediat reuelare. Ita Sotus, Syluester, Ledesma, Petrus à Nauarra & alij, quos sequitur Sanch. suprà nu.25. ita Nauarrus c.25. num.43.

In communi sermone interrogatus de re quã secretò seruare expedit, licitè dicit se nescire subintelligendo &c.

Collige 7. quoad venientem ex loco peste infecto. 356. Colligitur 7. venientem & loco peste non infecto, qui tamen falsò creditur infectus, rogatum à custodibus, veneritne ex eo loco, posse iurare se inde non venire, intelligendo, tanquam ex loco pestilenti; hæc enim est debita custodum intentio. Ita Syluester Iuramentum 3.q.2.in fine, Nauarrus cap. *Humanæ aures* 22.q. 5.in quæst.sua 2.nu.9.& in summâ c.12.num.19, Philiarchus suprà, Sayrus in Claui Regia suprà nu.22. Toletus lib.4.c.21.nu.9. Azor lib. 11. c.4. q.5.regula 3.iuncto versiculo 1.quidem Suarius c 9.num 7. Lessius c.42.dub.9.num.47. Sanch. c 6.nu.35.

357. Idem iudicium est de eo qui transiuit quidem illac, sed adeo celeriter, vt nihil cum pestis attigerit, potest enim iurare se non illac transiisse, intelligendo vt aliquid mali contraxerit, quia hæc debet esse recta custodum intentio; atque ita debent intelligi Nauarrus, Toletus & Suarius suprà; & expressè docent Syluester, Azor & Sanch. suprà & Rodriguez cap. illo 191 vnde Nauarrus, Toletus & Suarius dixerunt idem esse quando credit nihil mali contraxisse, quod intelligendum est quando certò & moraliter id credit; vnde rectè Lessius dixit oportere vt iurans sit certus non esse periculum contagionis. Qui autem moratus est in loco peste infecto, meritò timere debet periculum contagionis.

Idem iudiciũ quoad transeuntẽ celeriter per locum peste infectum.

Limitatio.

358. Rectè autem aduertit Syluester quæst. illa 2. & v. Mendacium in fine, Religiosos & clericos venientes ex loco pestilenti, teneri iurare ad debitam & rationalem custodum mentem. Quamuis enim custodes non sint eorum superiores, tamen licitè id exigunt, & non vi illatâ, sed ex suppositione si in vrbem ingredi velint & petant.

Notandum quoad Ecclesiasticos venientes ex loco pestilenti.

359. Colligitur 8. testem non iuridicè interrogatum de aliquo delicto, posse respondere se nescire, non audiuisse nec vidisse, etiamsi sciat, viderit vel audiuerit, subintelligendo, ad dicendum quod licet neget Sepulueda lib. de ratione reddendi testimonij ca.13 & ex parte Sotus; in contrarium tamen sunt Nauarrus communiter receptus in cap. *Humanæ aures* in q.1.nu.9. Sayrus in Claui Regia lib.4.ca.5.nu.24.& lib.12.c. 17.nu.29.Sanch.lib.3.c 6.num.23.aliique multi consonatque hæc doctrina cum iis quæ diximus in nostro opere de Iustitia cæterisque virtutibus cardinalibus lib.2.tract.1.disp.8.dubit.5.vbi egimus de obligatione testis ad dicendam veritatem adiuncta doctrina tradita priùs disp.3. dubit.2.

Collige 8. testem non iuridicè interrogatũ de aliquo delicto posse respondere se nescire subintelligendo &c.

560. Addit verò Sanch. eodem modo negare, seu respondere posse, quamuis alias iuridicè interrogetur, quoties ob aliquam causam non tenetur ferre testimonium, vt quia notabile damnum ipsi sequetur, quia tunc verè dicit se nescire, non vidisse neque audiuisse, intelligendo scilicet, vt teneatur dicere; qua de re & in quibus casibus non teneatur testis reuelare Iudici id de quo interrogatur, latè diximus citato loco de Iustitia dubit. illa 5.item in nostro opere de Sacramentis & censuris, agentes de obligatione sub censura reuelandi delicta, quando id præcipitur per edicta generalia, vbi etiam adduximus casus in quibus excusatur quis à reuelando delicto Tract.10.disp.2.dub.41. & sequentibus.

Addit Sanch.

361 Addit etiam Sanch. sequenti cap.7.nu. 5.etiam licere testi iuridicè interrogato an aliquid sciat, non tamen interrogato an audierit, iurare se nescire si solùm audierit; quia ea solùm censentur Testes scire, quæ in eorum præsentia gesta sunt capite Testes 3. qu.9. atque ita docet Sotus in 4. dist.18.q 4.a.5. in solutione ad 4. & lib.5.de Iustitia q.6.a.2.concl.7.Arragon 2.2.q. 70.a.1. & iterum dicimus loco citato de censuris, vbi rem ampliùs explicamus quantum ad

Testis qui solùm audiuit aliquid interrogatus an sciat potest iurare se nescire. Ratio.

obliga-

obligationem denuntiandi citata disp 3 dub. 47. Ibi legatur.

Collige 9. quoad Reũ in iudicio interrogatum de proprio delicto non iuridicè.

362. Colligitur 9. Reum non legitimè, aut non iuridicè à Iudice interrogatum de proprio delicto quod fecit, aut de sociis occultis, posse respondere se non fecisse, aut non habere socios; quod quamuis negent Sotus, Corduba, Arragon. & aliqui alij, fatentur nihilominùs Caietanus, Ioannes à Medina, Bannez & alij suprà citati in 4. ratione pro 3. assertione nostra; item alij quos retulimus in iam citato opere de Iustitia eodem libro & Tractatu disp. 6. vbi egimus de obligationibus Rei in iudicio, maximè dubit. 1. vbi explicuimus an semper teneatur veritatem aperire, vbi etiam satis probabiliter diximus posse defendi, quando dubitat quis an iuridicè procedat Iudex, posse occultari veritatem, atque adeo tunc iurare, sed quidquid sit de hoc, hæc illatio probatur quia tunc respondet quis saltem ad mentem debitam Iudicis, in quo etiam cum Adriano, Ioanne Maiore, Scoto, Paludano & aliis Theologis consentiunt Nauarrus & alij recentiores citati in 3. assertione, addendo scilicet interiorem restrictionem v.g. ità vt teneat dicere, vel in tali die, vel antequam natus essem aliudúe quodcunque additum quo reddatur vera propositio vt ait Valentia ibi citatus.

Quando dubitat quis an iuridicè procedat Iudex potest occultare veritatem.

Eodē modo potest respondere quādo Iudex non est legitimus superior Rei &c. Ratio

363. Eodem modo potest respondere quando Iudex non est legitimus superior Rei; item quando iniustè extractus est ab Ecclesia à Iudice qui alioquin erat legitimus; quia tunc Iudex non habet ius interrogandi, nec procedendi vt fatetur Sotus de secreto membro 2. qu. 7. idemque iudicium est quando iurisdictio Iudicis est suspensa per appellationem, vt rectè Rodriguez de ordine Iudiciario c. 10. nu. 4. item quando Iudex est excommunicatus denunciatus, aut manifestus clerici percussor vt docet Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 27.

Ita Reus potest negare delictum quod fecit quādo ratione alicuius circūstantiæ excusatur à culpâ subintelligendo &c.

364. Eodem modo potest Reus negare delictum quod fecit, quando ratione alicuius circumstantiæ excusatur à culpa, vt si quis hominem ignoranter, putans esse feram, occidit, aut in propriam defensionem, aut rem alienam vsurpauit vt compensaret sibi debitum quod alia via non potest, nisi fortè valdè difficile recuperare; tunc enim potest de eo facto rogatus in iudicio negare, subintelligendo de facto criminoso, aut etiam absolutè; quia interrogatio Iudicis ex circumstantia Iudicis & Iudicij de eo facto solùm intelligitur. Ita Bannes 2.2. qu. 69. a. 2. dubio penultimo, & ibi Salon controuersia 11. ratione 4. Sayro lib. 12. c. 17. nu. 26. Lessius lib. 2. c. 31. dub. 3. num. 14. qui rectè addit idem esse si sola culpa venialis fuit. item Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 29. qui ob eandem rationem asserit, quando taxa alicuius rei est iniusta, si quis pluris vendens, aut defraudans in pondere & mensura; ita vt sibi satisfaciat pro pretio præcisè quantum satis est, potest rogatus à Iudice an pluris vendiderit, aut in pondere mensuraúe defecerit, negare, & simul asserere se pretio taxato vendidisse, atque integrè pondus & mensuram exhibuisse, intelligendo hæc omnia, ita vt pluris vendens, aut deficiens in pondere & mensura deliquerit: nam absque delicto vtrumque fecit. Atque ad hoc, inquit Sanch. satis est opinionem esse probabilem, quæ asserat eam taxam non obligare, probarique potest à simili ex dictis illatione 5. de eo qui negat resoluat gabelam.

365. Propter idem fundamentum rogatus iuridicè de aliqua circumstantia, vera quidem, sed quæ præbeat indicium alicuius delicti à se non perpetrati, potest eam negare, intelligendo intra se, quatenus est indicium illius delicti, vt si reperto cadauere hominis occisi quis interrogetur an gladius ibi repertus sit suus, vel tali hora illac transierit, licet vera hæc sint; tamen quià petuntur ab eo tanquam indicia illius homicidij, quod ipse non commisit, potest negare, quia ad debitam Iudicis mentem verè respondet. Ità Sotus de secreto membro 2. qu. 7. post 3. concl. dub. 2. Rodriguez de ordine iudiciali c. 10. n. 7. Salon controuersia illa 11. Sayro suprà cap. 17. nu. 11. Lessius dubit. illa 3. nu. 14. Sanch. suprà nu. 30. qui etiam num. 45. rectè docet cum Bannes, Salon & Nauarro, etiamsi callidus & iniquus interrogator expressè interroget de delictis, etiam occultis, vel per quodcunque secretum scitis, posse Reum aut Testem negare retinendo aliquem verum sensum intra se; imò quantumcunque iniquus ille vrgeat, vt iuret se nulla æquiuocatione vti aut astutiâ, adhuc posse id iurare, intelligendo intra se, ita vt planè debeat loqui, & explicare, vel aliquid aliud mente concipiendo quo verum id reddatur.

Quando iniquus interrogator petit vt quis iuret sine vllâ æquiuocatione de delictis occultis interrogatus potest iurare &c.

366. Colligitur 10. quoties Iudex iuridicè interrogat, ita vt Reus teneatur fateri veritatem, mortale peccatum committet Reus aut Testis, qui quacunque amphibologia ex adductis in tribus primis assertionibus veritatem occultaret; præsertim sub Iuramento. Quando autem & sub quibus circumstantiis Iudex iuridicè interroget, & Reus vel Testis teneatur respondere, & ad mentem Iudicis iurare, non est huius loci negotium diximus satis *citato Tract. 1. de Iustitia* maximè *tota disp. 6. & 8.*

Collige 10. quoties Iudex iuridicè interrogat ita vt Reus teneatur fateri veritatem, peccat mortaliter, si vtatur amphibologiâ.

367. Idem quoque iudicium est, quando priuata persona ratione alicuius contractus Iuramentum debet exhibere ad exactionem partis, vt docent omnes citati Authores; hoc tamen vltimum limitat Sanch. c. 7. nu. 1. quando illi priuatæ personæ damnum notabile inde immineret: nam si nullum sequatur, tantùm erit veniale. Et eadem ratione peccabit, etiamsi fingat se iurare, & reuera non iuret verba Iuramenti reticens; tunc enim iniuriam irrogat vel parti vel Iudici, si inde damnum sequatur. Ita Alcozer in summa c. 14. & Sanch. suprà num. 2. qui expressè limitat hunc casum quo notabile damnum sequeretur, nec putat mortaliter peccare si nullâ fraude; sed tantum reuerentia Iuramenti ductus & scrupulo fingeret se iurare, ita vt astantes & tabellio intelligerent eum iurare; hoc enim sufficit, vt in foro externo constet de Iuramento, nullumque damnum sequatur iudicio aut contractui, & ex alio capite nullam fraudem molitur, sed veritatem fatetur.

368. Ex dictis etiam deducunt Azor lib. 11. c. 8. q. 2. & Sanch. suprà num. 13. eum qui iuridicè rogatus negat commisisse crimen, quod per seipsum quidem non commisit, sed per alium, cui id præcepit, esse periurum; nam verba accipienda sunt iuxta legitimum sensum quem suaptè naturâ

Ex dictis deducunt Azor. & Sanch.

natura habent, aut in quo canones & leges ea accipiunt vt iam ſupra indicauimus; atqui ſecundùm communem vſum & iura, vera feciſſe dicitur, non ſolus ille qui per ſeipſum fecit, ſed & qui fieri mandauit l.1.verſ.*deieciſſe ff. de vi & firmata* & cap. mulieres de ſententia excommunicationis. vbi decernit Pontifex illos etiam quorum mandato alij percutiunt clericum, incurrere in excommunicationem, rationemque reddit cùm is verè committat cuius mandato delictum committitur.

Cõtra prædictam reſolutionem videtur eſſe cõmunis ſententia.

369. Verùm contra hanc reſolutionem videtur eſſe communis doctrina Authotum, aſſerentium in materia excommunicationis excommunicationem impoſitam contra facientes aliquod delictum, non incurri à mandantibus (qua de re nos latè diximus in noſtro Tract. de cenſuris diſp.1.dub.20.) niſi ad ipſos extendatur expreſsè, quia, qui mandat percutere, non percutit. Vnde Pontifex in cap. illo *Mulieres* extendit cenſuram ad mandantem, quam, niſi extenderet, non incurreret mandans; ideo Pontifex non dixit *quia mandans percutere percutit*, ſed *quia committit*, id eſt etiam delinquit, & quod per alios facimus, non propriè & verè nos dicimur facere, ſed tantùm metaphoricè & fictè, vt rectè Bartolus l.*ſed ſi vnius* §.1 .*ff. de iniuriis* eaque ratione interpretandæ ſunt leges quæ id dicunt; ideoque agentes & conſentientes pati pœna ſolent puniri, quia omnes eodem genere peccati delinquunt. De facto tamen non ſemper id fit (vt loco notato de cenſuris eadem dub.20. & duabus ſequentibus probauimus) ſed tantùm quando leges id exprimunt, cùm leges pœnales propriè & in rigore ſint interpretandæ, vt omnes Authores communiter fatentur ex regula Iuris *omnia ſunt reſtringenda*, idque mihi videtur probabile, additurque probabiliter ex eo quod ſupra cum Soto, Arragon & Sanch. diximus illatione 8. Teſtem ſcilicet poſſe iurare ſe neſcire id quod tantum audiuit, quia nimirum ex mera auditione non generatur propriè ſcientia, ſed ad ſummum fides.

Leges pœnales propriè & in vigore ſunt interpretãdæ.

Iudicium Authoris quoad eum qui iuridicè de delicto interrogatur.

370. Illud tamen mihi veriſſimum eſt, eum qui iuridicè de delicto interrogatur, non poſſe iurare ſe ab eodem delicto liberum ex eo præcisè quod in confeſſione Sacramentali faſſus fuerit, quia quamuis foret certus id delictum fuiſſe ſibi à Deo remiſſum, adhuc ius habet Iudex de illo interrogandi ad punitionem in foro externo. Ita Paludanus in 4.diſtinct.35.q.1.a.3.nu.26. Azor lib.11.c.11.q.1. Sanch. c.7.num.4. conſtatque ex capite *accepimus de purgatione canonica.* Iam verò duo incidunt dubia, quæ placet ſeorſim & ſigillatim explicare.

Dubium primum incidens.

Dubitari poteſt 1 quoad Reũ legitimè interrogatũ:

371. DVbitari ergo poteſt.1. quando Reus legitimè interrogatus, ita vt ſub mortali fateri teneretur, negauit nihilominus veritatem, aut eam aliqua amphibologia iniquè texit an abſolui poſſit à confeſſario, niſi ſe iudicio offerat ad veritatem detegendam, etiamſi iterum non interrogetur.

In triplici ſtatu hac de re poteſt.

372. Hac de re in triplici ſtatu poteſt dubitari, & ſeorſim de vno quoque iudicandum eſt. Primus ſtatus eſt, quando Reus iam fuit à Iudice, aut abſolutus, aut punitus, aut è carcere fugiens eſt omnino extra Iudicis poteſtatem, atque in hoc caſu veriſſimum exiſtimo non teneri ſe offerre ad veritatem manifeſtandum; quia cùm iam ſit extra Iudicis poteſtatẽ, id nihil aliud eſſet quàm ſe prodere. Ita Bannes 2.2. q.69.a.2. in 2.parte dub.1.concl.& ibi Salon controuerſia 10.concl.3. Sayro in Claui Regia lib.12.cap.17. nu.14. Sanch. lib.3.c 7.nu.6.

dubitari. 1. Status.

2. Status.

Communis ſententia.

373. Secundus ſtatus eſt quando adhuc iudicium durat, & Reus ſub Iudicis poteſtate eſt, neque ſententia eſt lata; in qua re communis ſententia affirmat eum hominem eſſe in ſtatu peccati mortalis, niſi ad veritatem fatendam ſe offerat etiam non rogatus; addo proinde non poſſe abſolui, niſi firmiter id efficere proponat; nam quamdiu iudicium durat cenſetur eadem Iudicis interrogatio durare; ac proinde eadem veritatis dicendæ obligatio. Deinde quia is eſt cauſa per iniuriam differendæ ſententiæ ac concedendæ appellationis, ſemperque negatione illa iniuſta ſe tuetur; quare iniuſtam cauſam defendit, & eſt quaſi repetita iniuſta negatio. Ita Sotus, Salcedo, Angles, Sayro, Bannes & Salon ſuprà, aliique quos refert Sanch. illo cap.7. nu. 7. quod temperant Sayro & Bannes, niſi ob periurium priùs eſſet reus alia pœna plectendus.

Authoris iudicium probabilius. Ratio.

374. Probabilius nihilominùs puto non teneri prædictum ſe offerre ad fatendam veritatem, ſed ſatis eſſe quòd doleat de præterita culpa, & proponat, ſi iterum interrogetur, veritatem fateri. Ratio eſt, quia tunc Reus duplicem iniuriam irrogauit; alteram parti læſæ (ſi qua eſt) & tunc ſatisfacit animo reſtituendi omne damnum inde ſecutum; alteram, Iudici negando illi obedientiam debitam, cui ſatisfacit dolore de peccato & propoſito obediendi Iudici iterum interroganti. Nam præceptum veritatis detegendæ eſt tranſiens, duranſque tantum dum Iudex interrogat. Probatur ſecundò, quia minus tenetur Reus contra ſe deponere quàm Teſtis contra alium, at Teſtis qui iniuſtè negauit veritatem, non tenetur ſe offerre ad manifeſtandam veritatem; ſed ſatisfacit damnum reſtituendi; ergo nec Reus. Ita Philiarcus de officio ſacerdotis tom.1. parte 2. lib.3.c.25. Sanch. ſuprà num.8. qui pro ſe citat quoſdam Neotericos & addit n. 9. quòd cùm ſit difficilimum negotium fateri proprium crimen, nullo modo debet confeſſarius, etiamſi credat fore vt Reus iterum examinetur, interrogare, an habeat propoſitum fatendi veritatem, ne eum tentet, & exponat periculo denuò peccandi habendo propoſitum contrarium; ſatis enim eſt, vt in genere proponat cauere impoſterum omne peccatum. Legantur quæ diximus *in noſtro opere de Iuſtitia cæteriſque virtutibus diſp.8. dub.7.*

Probatur 2.

Officium confeſſarij quoad talẽ Reum.

Tertius ſtatus de quo diſcentiunt Authores.

Prima opinio.

375. Tertius ſtatus eſt quando iam Reus lata ſententia damnatus eſt, & pœnam mortis vel alia plectendus; & in hoc caſu non eſt eadem mens Authorum. Prima opinio aſſerit teneri ſe offerre ad manifeſtandam veritatem, etiamſi non rogetur. Probat primò, quia eius veritatis taciturnitas redundat in detrimentum Accuſatoris, Teſtium & Iudicis, qui iniquè in eâ cauſâ proceſſiſſe cenſebuntur. Secundò, quia dum ſenten-

sententia non est executioni mandata, Reus adhuc manet sub Iudicis potestate. Tertiò, quia in eo mortis articulo, vbi de æterna salute agitur, videtur necessariò consulenda pœnitenti opinio, in quâ nullum sit peccati periculum, qualis est hæc, ne, si fortè contraria opinio sit falsa, eam secutus damnetur. Ita Corduba *q.64.punct.* 2. Bartholomæus à Medina *lib.1.summæ c.14* §. 35. Petrus Ledesma *tom.2.Tract.8.cap.24.post 2. concl.dub.2.* Vega *tom.2.c.89.casu 2.& 3.* referens Orellanam; Bannes & Salon *suprà*.

Secunda opinio est Authoris. 376. Existimo nihilominùs prædictum minimè ad id teneri, nisi fortè in aliquo speciali casu, in quo notabilissimum alicui alteri damnum sequeretur, qui casus rarissimus est. Ita Nauarrus *ca.25.nu.38.* Petrus Nauarra *lib.2.de Restitut.c.4.part.2.dub.2.nu.36.& 3.parte dub.15.num, 213.in vltima editione.* Salcedo *in practica cap.126.* Segura *in directorio Iudicum parte 2.c.14.n.36.* Rodriguez *in ordine Iudiciali c.10.num.2.* Sà v. *Iudiciales actus de Reo nu.5.* Sayrus *in Claui Regia lib.12. c.17.nu.15.* Philiarcus *suprà* Sanch. *lib.3.c.7.*

Probatur 1. 377. Probatur verò præcipuè eneruando fundamenta oppositæ sententiæ, quæ sanè parui momenti sunt. Ac inprimis nulla infamia sequitur Iudici Accusatori, aut Testibus, cũ omnibus notissi num sit solitos esse Reos delicta negare; imo pusillanimes ac stulti habentur, si ea fateantur. Accedit quòd præsumptio stat pro Iudicis sententiâ *cap.consanguinei,* & cap. *causam de re iudicata*, de quo latissimè disputant Mascardus concl.1302.nu.3. prætereà Iustitia iam latæ prætoritæque sententiæ non pendet ex futura damnati iam Rei confessione, sed ex actis in processu, per quæ fuit lata. Vnde quod caput est in hoc negotio, pro praxi amplectendo hanc sententiam, occurritur iniquæ quorundam Iudicum calliditati, qui nondum conuictum Reum iniustissimè damnant ad mortem, sperantes fore vt in vltimo agone delictum fateatur, vt ea ratione saltem coram vulgo iniquæ sententiæ excusationem habeant, vel certè denegant appellationem admonito tabellione, vt, si in patibulo delictum fateatur, afficiatur supplicio, sin minùs ad carcerem reducatur, quod iniquissimum esse probat Sanch. tum quia Iustitia sententiæ & denegationis appellationis non pendet ex eâ confessione; sed ex actis in processu; tùm, quia iniquius adhuc est velle saltem indirectè medio confessionis Sacramentalis abuti ad eam iniquitatem patrandam, sperando quod à confessario obligetur ad crimen fatendum, in quo ansa præbetur Reo negandæ veritatis freto spe euadendi mortem, vel pereundi in æternum; nam, si confessarius constanter illi affirmet teneri sub mortali veritatem fateri, damnabitur in æternum Reus ille negans, putans ex conscientia erroneâ ad id teneri, quod tamen non facit propter spem euadendi mortem.

Authoris resolutione occurritur iniquæ quorũdam Iudicum calliditati.

Probatur 2. Authoris opinio. 378. Secundò probatur nostra opinio; quia semel lata sententia à Iudice terminatum est Iudicium, & finis iterùm interrogandi Reum cessat, qui est ad Reum damnandum vel absoluendum; vnde non durat eadem causa, nec eadem interrogatio, vt falsò assumebat contraria opinio in secundo argumento. Imò neque potest iam Iudex eum interrogare, cùm iam functus sit officio suo, & deinceps reputatur quasi persona priuata, vt constat ex l.*Iudex 55.ff.de re iudicata & cap.cum Ioannes de fide Instrum.*

379. Tertiò probatur *contra* 3.argumentum oppositæ sententiæ: Nam in solis requisitis ad valorem Sacramenti necessarij ad salutem, tenetur quis (si aliquando tenetur) in articulo mortis sequi opinionem, in quâ nullum est periculum ne valor eius Sacramenti periculo exponatur; eaque ratione ægrotus absque vero Sacramento & necessariò decedat; in cæteris autem necesse non est, sed satis tutè potest quis amplecti opinionem minùs tutam, si probabilior, vel certè probabilis sit, in quo nihil est periculi; quamuis enim coram Deo, & reipsa opinio esse falsa, excusabitur qui eam sequitur ignorantia inuincibili, seu probabili. Alioquin constitutus in mortis articulo obligandus esset restituere in omnibus casibus, in quibus sunt opiniones, quia in restituendo nullum apparet periculum, saltem quando quis caret hæredibus necessariis. *Probatur 3.*

380. Probat vlteriùs Sanch. ex communi Theologorum sententiâ, quæ docet Reum non teneri veritatem fateri, nisi ipsi aperiantur status causæ, & quæ in processu probata sunt, vt vel sic certò illi constet iuridicam esse interrogationem, vt diximus loco citato de Iustitia *disp.illa 6.dub.1.* & in particulari docent Sotus *de secreto, membro 7.q.7.* Nauarrus *c.25.nu.35.& 36.* Caietanus *2.2.q.69. a.2.* Hoc autem Iudices Reum interrogantes nunquàm solent facere, freti fortassè aliâ quorundam Iurisperitorum sententiâ, dicentium id non requiri, ergo saltem sequendo communem Theologorum sententiam posset hic ab eâ delicti confessione excusari quamuis aliæ prædictæ rationes non vrgerent. *Probat vlterius Sanch. ex cõmuni Theologorũ sententiâ.*

Dubium 2. incidens.

381. Secundum dubium quod diximus incidere, est an metu tormentorum, aut alia ratione falsum sibi crimen imponens, ob quod extremo supplicio afficitur, teneatur in supplicij loco, vel antea retractare quod dixerat? Affirmant aliqui; D. Antoninus 2.parte tit.2. c.2. §.3. versic. *quantùm ad quartum.* Syluester v. *retractatio* q.3.num.4.& Angelus ibi in fine, qui hunc excusat quando timet, si negat, torturam repetendam. Idem docent alij multi. Hæc sanè sententia verissima est, quando res in eo statu sit, vt ex retractatione speretur fore vt ille mortem euadat; quia cùm non sit dominus vitæ, tenetur ad eam tuendam se retractare; vbi verò ea spes non affulget, non tenetur, est enim dominus suæ famæ. Ita Petrus Nauarra *lib.2.de Restitut.part.2. dub.1.* Rodriguez *de ordine iudiciali c.11 nu.6.* qui addit etiam teneri quando, nisi se retractet, notabilis infamia in alios redundaret. Hoc tamen rectè limitat Sanch. *lib.3.c.7.in fine,* si ea retractatione tali damno possit occurri, quod rarissimum putat, quia sicut non euadit mortem, ita nec infamiam communiter loquendo. Nihilominus mihi non videtur tam rarum; quamuis enim mortem non euadat, in communi hominum æstimatione, videntium virum Christiano more & cæteris pietatis signis datis sub ea confessione diem obire, non parui momenti esse solet ea retractatio,

Dubitari potest 2. An metu tormentorũ v.g.falsum sibi crimẽ imponẽs ob quod supplicio afficitur teneatur retractare quod dixerat.

Affirmant multi quorum sententia subscribit Author cum limitatione.

Ratio.

Etiã tenetur retractare si in alios notabilis infamia redũdaret.

tractatio, neque ipsis lesis parum solatij manet in eo, vt constantiùs possint suam innocentiam asserere; imò sæpè inde potest vel ipsis, vel posteris, ad quos deriuari solet infamia, spes aliqua subesse, quòd decursu temporis ea infamia aboleatur, vel beneficio Principis supremi iterum res tota examinetur, quod non semel factum vidimus in nostra Hispania, vt quæ famulia priùs habebatur læsæ maiestatis crimine rea, tandem ab ea infamia per legitimam sententiam nouam liberetur, & in pristinum splendorem, quoad fieri potest, restituatur, sumptâ nimirum occasione ex vltima Rei confessione facta in patibulo, quâ se à tali crimine mundum asseruit.

Quando autem hic casus contingat confessarij & aliorū prudentia relinquendū est. Quando tamen id contingat, prudentiæ tum confessarij, tùm ipsius Rei, tùm etiam aliorum, qui in consilium possunt adhiberi, relinquendum est. Legantur circa hæc, quæ diximus in citata *disp. 6. de Iustitia dub. 2. circa finem*, vbi plura etiam diximus de hac re. Ibidem quoque diximus de obligatione retractandi ex parte etiam Testium disp. 8. dub. 7.

Ex dictis vltimò colligitur. 382. Ex dictis vltimò colligitur, quòd quando Reus iniustè occultos socios detexit, aut Testis iniustè crimen alicuius Rei occultum coram Iudice prodidit, si non sit sufficiens aliunde informatio ad procedendum contra eos socios, vel contra Reum, possunt Reus & Testis ille se offerre coram Iudice, & iurare non fecisse id delictum, subintelligendo, ita vt delictum subsit tali iudicio, & falsum se dixisse, intelligendo, quatenus falsum fuit id delictum eos fecisse publicè, in quo sensu à principio iurare debuerunt.

Probatur. Probatur satis efficaciter, quia cùm res sint immutatæ, & in eodem statu quo à principio, quãdo iurarunt, sicut tunc poterant verè dicere hos non esse Reos, intelligendo, publicè, & vt illi iudicio subsunt de quo delicto solum interrogat Iudex; ita etiam nunc id verè dicere poterunt: imò si scienter iniustè detexerunt, possunt etiam dicere se mentitos esse, intelligendo, quatenus locuti fuerunt contra mentem & sensum debitum secundùm Iura, vel intelligendo de mendacio practico quod dicitur quodcunque opus rationi dissonum, vt de iniusto detractore multi docent in materia de Restitut. quos pro nostro casu refert & sequitur Sanch. Quade re nos etiam diximus in nostro opere de Iustitia cæterisque virtutibus agentes de Restitutione lib. 2. Tract. 2. disp. 12. vbi latè disputauimus an qui alium falsò infamauit, teneatur dicere se esse mentitum. Legatur Sanch. lib. 3. c. 6. nu. 28. vbi addit, quòd, licet bona fide detexissent, atque adeo sine vlla culpa, possunt nihilominùs dicere se mentitos, intelligendo de mendacio materiali, quod appellatur quodcunque falsum bona fide dictum; ac proinde tale etiam potest dici falsum practicum, id est, quod in se peccatum erat, & rationi dissonum solumque ratione honæ fidei excusatum. Horum omnium ratio est, quia necessitas reparandi damni illati est causa vtendi his amphibologiis.

Mendacium practicum dicitur quodcūque opus rationi dissonū.

Necessitas reparandi damni illati est causa vtēdi amphibologiis.

383. Quod si quæras quando prædicti teneantur, ad hoc respondent Petrus Ledesma 2. tom. summæ Tract. 2. cap. 7. concl. 3. & Sayro in Claui Regia lib. 5. c. 4. num. 27. illum omnem teneri qui iniustè famam læsi, vt famam ablatam restituat. Hoc tamen intelligendum est quando mala fide & iniustè quis detraxit, seu occultum crimen detexit, & quando id potest facere absque maiore notabiliter detrimento suo, & spes est fore, vt detractio prosit iuxta ea quæ diximus loco citato de Restitut. & docet Sanch. lib. 3. c. 6. num. 28. nam si bona fide, & sine culpa (quod sæpè contingit in Reo & Teste) detexit, non tenetur lege *Iustitiæ*, quia in nihilo factus & locupletior: vtrum autem teneatur, saltem lege charitatis, aut misericordiæ, si absque detrimento proptio, vel cùm satis paruo, vel cum spe fructus, possit, non est huius loci disputare. Obiter tamen assero teneri, quia hac lege quisque tenetur vitare proximi damnum, quando absque suo detrimento potest. Ita Sanch. suprà lib. 2. cap. 11. dub. 22.

DVBITATIO XIII.

Quando liceat petere Iuramentum à Gentili per Idola iuraturo? vel à Fideli falsò iuraturo?

384. Circa primum asserendum est 1. licitum esse petere Iuramentum à Gentili, quoties exigens cogitur aliqua necessitate vel vtilitate; quia cùm tantùm petatur Iuramentum quod licitè potest præstari per verum Deum, non est cooperari peccato alterius, neque illud velle, sed tantum vti illo in propriam vtilitatem. Legantur quæ in simili diximus in nostro opere de Sacramentis, tùm Tract. 5. disp. 3. dub. 13. nu. 296. & seqq. tùm Tract. 11. disp. 7. dub. 50. §. *Sed in hac.* *Assertio 1.*

385. Obiici tamen potest, quòd si ille Gentilis habeat ignorantiam inuincibilem veri Dei, tunc ab eo petitur quod nequit, licitè facere; cùm non agnoscat verum Deum per quem solùm potest licitè iurari. *Obiicies.*

386. Respondetur moraliter esse impossibile, quod Gentilis qui agit cum Fideli, habeat ignorantiam inuincibilem veri Dei cuius saltem habebit famam sciens esse, iuxta aliorum sententiam, alterum Deum per quem Christiani iurant, atque adeò iam esse in eius potestate plenius informari, & inquirere de vero Deo. Ita respondet Sanch. lib. 3. c. 8. in fine, & Suarius lib. 3. de Iuramento c. 13. nu. 5. & 6. qui addit si contingeret quod Christianus id petat à Gentili habente ignorantiam inuincibilem debere petere in commune, Iuramentum per verum Deum; quod si alter ad hanc petitionem offerat Iuramentum per Idolum, posse acceptari, quia acceptare non est prohibitum, & actus ille tunc poterat benè & malè fieri semel admonitus quæ sanè responsio difficultate non caret. *Resp.*

387. Fortasse poterit responderi meliùs, quòd suppositâ inuincibili ignorantiâ ille Gentilis non peccat in illo Iuramento, quia inuincibiliter etiam potest reputare id esse licitum. *Melior forte responsio.*

388. Sed contra: quia licèt inuincibiliter ignoret sufficit quod reipsa sit illicitum, vt peti non possit, vt si quis petat quod alter iuret falsum quod credit esse verum. *Contra.*

389. Respondeo, si quis petat quod alter iuret *Resp.*

iuret id quod sentit in aliquâ re, & dicat id quod verum putat, non peccare, sic petendo; etiamsi credat alterum dicturum id quod falsum est, nec enim tunc petit aliquid malum, ex eo præcisè capite, seclusis aliis damnis extrinsecis; vnde idem dicendum est in nostro casu, si quis petat, vt alter iuret per verum Deum, & ille inuincibiliter putet idolum esse verum Deum, qui petit Iuramentum, quo aliàs indiget non peteret aliquid malum.

Quæres de quantitate necessitatis vel vtilitatis requisita in casu. Resp.

390. Quæres tamen quanta necessitas vel vtilitas requiratur in eo qui petit tunc Iuramentum vt petitio sit licita?

391. Respondetur non requiri ingentem aliquam necessitatem, aut maximam vtilitatem, sed sufficere minorem vt rectè probat Sanch. eodem cap 8 n.21. Eademque est prorsùs ratio de hoc ac de petente mutuum ab vsurario; hunc autem quæcunque necessitas vel vtilitas excusat vt agentes de mutuo & de vsuris diximus in nostro opere de Iustitia cæterisque virtutibus & docent communiter Authores quos refert ibidem Sanch. nu. 12.

Licet sufficiat quæcunque necessitas ad petendum mutuum ab vsurario, vel Iuramentum à parato periurare, non tamen sufficit ad petendum à non parato. Ratio.

392. Hic tamen Author nu. 18. & 19. id limitat ad eum qui petat ab vsurario vel peieraturo ex malitia, & ad id parato; nam ad petendum à non parato, vel à peccante ex aliqua fragilitate, aut ex vehemente aliquâ passione, qualis aliquando est auaritia in vsurario, videtur requiri magna vtilitas aut necessitas; nam ex communi doctrinâ de scandalo tenetur homo cum aliquo suo detrimento vitare scandalum pusillorum, quod etiam expressè docet Valentia tom. 3. disp. 5. q. 21. punct. 4. vbi agit de petente ab eo qui ex fragilitate est peccaturus. Et quidem à petente à non parato docet Suarius lib. 3. de Iuramento c. 13. num. 7. & tom. 3. in 3. partem disp. 18. sect. 1. corollario 2.

Aliqui conantur refellere istã distinctionẽ hominis parati, aut non parati. At sine ratione alicuius momenti.

393. Non me latet aliquos alios, maximè Recentiores pro virili refellere istam distinctionem hominis parati aut non parati ad talem actum præstandum; nihilominùs non video pro illorum sententia rationem alicuius momenti; semper enim videtur dissonum rationi ei qui non est paratus ex malitia sua, sed ex fragilitate vehementique passione, quando causa non vrget, offerre illi occasionem aut materiam peccandi. Vnum tamen affirmauerim quod dixi in eodem opere de Iustitia in eodem Tract. de mutuo & vsurâ, non posse assignari certam regulam circa necessitatem aut vtilitatem requisitam, sed in peculiaribus casibus videndum esse an causa necessitatis, vel vtilitatis sufficiens sit, vt qui petit talem actum non teneatur vitare peccatum alterius. Quæ doctrina locum habet etiam in eo qui peccaturus est ex malitia: sed potiori ratione in eo qui peccaturus est ex infirmitate aut ignorantia, & cum D. Thoma 2.2. q. 43. a. 7. & 8. & cum communi doctrina diximus loco citato de vsuris; quamuis in eo qui peccaturus est ex malitia recta ratio non videatur postulare, vt malitiæ ipsius consulamus cum nostro damno; imo vt ibidem diximus si mutuum esset simpliciter necessarium ad vitæ conseruationem, posset quis illud petere etiamsi alius peccaturus esset ex infirmitate, vt ibidem probauimus.

394. Si verò absque vlla necessitate petatur ab Infideli vt iuret; maximè si non sit paratus, quia nunquam, vel rarò solet iurare, semper est peccatum mortale, sicut & de petente absque causa mutuum à non parato dare sub vsuris fatentur omnes, quia sine vlla causa præbet occasionem ad peccandum mortaliter.

Ab Infideli sine vlla necessitate petere iuramentum mortale est. Idem probabilius dicendũ de taliter petente Iuramentum à parato quidẽ iurare.

Quando autem sine vlla necessitate petitur Iuramentum, à parato quidem ad iurandum, aliqui putant non esse peccatum, sed probabilius est esse etiam peccatum mortale, idemque dicendum est de hoc vt probat Sanch. num. 24. ac de petente sine necessitate & vtilitate mutuum à parato ad dandum sub vsuris, de quo probabilior sententia docet esse peccatum mortale, quam sequuntur Syluester, Conradus, Aragon, Molina, Salon, Valentia, maximè cùm correctio fraterna etiam obliget talem corripere, cum alioquin circumstantiis; atque adeo potiori ratione non dare occasionem peccandi.

Probabilis tamen est opinio quæ asserit tantum esse veniale. Potest quandoque cogi Gentilis vt iuret.

395. Probabilis nihilominùs est opinio, quæ asserit esse tantùm veniale. Ita Caiet. Sotus, Nauarra, Petrus Ledesma & plures moderni quos refert Sanch. eodem cap. 8 num. 23. optimisque rationibus confirmat eius probabilitatem. Quando verò adest causa, non solùm potest quis petere à Gentili vt iuret, sed etiam potest illum compellere in iudicio vt iuret, si causa compellendi adsit, vt rectè Sanch. ibidem nu. 19.

Assertio 2. non licet Petere ab Infideli vt iuret per falsos Deos. Ratio.

396. Asserendum est 2. in nullo casu licere petere ab infideli formali & verâ petitione vt iuret per falsos Deos, id est, volendo vt per illos iuret; esset enim ea cooperatio directa, & velle id quod intrinsecè malum est. At verò in sensu permissiuo, sicut affirmant multi Antiqui & Recentiores, quos refert Sanch. eodem lib. 3. ca. 8. nu. 27. probabile est posse peti expressè sub vsuris ab eo vsurario, de quo certum est quod aliter non dabit mutuum; atque adeò in nostro casu pari ratione probabile est posse peti Iuramentum per Idolum in eo sensu permissiuo ab eo infideli, de quo constat quòd aliter non sit iuraturus. Ita docent contra Salon. Bannes 2.2. q. 78. a. 4. in principio dub. 2. Petrus Ledesma to. 2. Tract. 11. c. 2. dub. vltimo notabili 3. Sanch. c. 8. num. 31. Suarius lib. 3. de Iuramento c. 13. num. 10. in fine & nu. 11. in fine. Ratio est, quia in vtroque casu petens non vult quod verba exteriùs sonant, sed tantum mutuum, vel Iuramentum, quæ licita sunt; additur tamen illa particula *sub vsuris vel per falsos Deos*, permissiuè, ac si dicat, si aliter nolis dare, vel iurare, nisi sub vsuris, vel per Idola, ego paratus sum ea sic acceptare. Dixi autem in rigore in eo sensu permissiuo posse peti Iuramentum, quia ex se non est illicitum; at verò vt notant Suarius & Sanch. regulariter non licere sic Iuramentum petere, quia in hoc datur ansa scandali quæ non eodem modo datur in petitione mutui sub vsuris, quia manifestum est omnibus petentem mutuum nolle vsuras dare, sed inuitum eas offerre, atque adeò loqui in sensu permissiuo.

Limitatio.

Examinatur secunda pars dubitationis: an liceat petere Iuramentum à Fideli falsum iuraturo?

Assertio 3. licitum est Iudici cogere subditum vt iuret licet nouerit peieraturum. Ratio.

397. Circa secundam partem dubitationis asserendum est 3. licitum est Iudici cogere subditum vt iuret, etiamsi nouerit peieraturum, quod omnes fatentur saltem esse verum, quando Iudex ad instantiam partis Iuramentum exigit; tamen (quidquid alij reclament) etiam vera est assertio, quando, licet pars non instet, Iudex ex officio lege ad id obligante tenetur ad petendum Iuramentum, quod locum maximè habet in causis criminalibus, quando Iudex ex officio procedit, vt rectè explicat Iulius Clarus lib.5.practicæ criminalis num.penult.& cum Alensi, Durando, Paludano, Turrecremata docent Sanch.citato capite 8.num.3.Lessius lib.2. c.42.dub.10.nu.49. Philiarcus tom.1. part.2.lib. 3.c.16.Reginaldus lib.18.nu.77.Caietanus apud Lessium S.Thomas q 98.a.4.Salon eadem 2.2. q.87.a.7.controuersia 2.Suarius lib.3.ca.13. Bonacina disp.4. *Iuramentum* q.1.punct.11. nu.1.& 2.& nemo quem viderim ex aliis Authoribus id negat, quamuis expressè non tradunt, sicut neque Suarius omninò expressè tradit, sed generalem doctrinam docet. Ratio verò est, tùm quia non petitur, nec intenditur periurium, sed Iuramentum quod alter licitè potest emittere; tum quia in vtroque casu Iudex habet legitimam causam exigendi Iuramentum quod deseruit scientiæ publicæ quam Iudex tenetur sequi, vt satisfaciat suo muneri, legitimusque sit processus. Vnde neque directè neque indirectè cooperatur, sed tantùm vtitur Iuramento alterius, etiamsi cum peccato iuret.

docent D. Tho. Suarius. Lessius. Bonacina.

Iudicium Authoris de mente Doctorum limitantiū præcedentē assertionē.

398. Quapropter existimo Authores, qui dicunt non licere Iudici id facere, nisi ad instantiam partis, extendendi sunt ad similē causam rationabilem, quâ deficiente in omnium sententia tenetur Iudex abstinere à petitione Iuramenti vt peccatum proximi euitet; vnde absque dubio peccabit Iudex, si nec lege aliquâ nec parte postulante, sed sponte suâ ad conscientiam suam informandam à tali homine Iuramentum exigeret; quod probari potest ex cap.*Clericos* de cohabitatione Clericorum, vbi interdicitur Iudici petere Iuramentum à Clerico dimittendi concubinam ob periurij suspicionem.

Assertio 4. communis sententia.

399. Asserendum est 4. quamuis ex communi Authorum sententia videatur sequi, nunquam licere Actori petere vt Iudex exigat Iuramentum ab eo quem scit falsò iuraturum, idque docent Maior in 3. distinct.39 qu.3. ad 2. Petrus Ledesma 2.tom. Tract.11.c.5.dub.6. in solutione ad 3. falsò existimantes ex eo periurio nunquam posse aliquid vtile sequi parti ad ius suum obtinendum; quamuis, inquam, hoc ita sit ex communi multorum sententia; probabilius tamen existimo sæpè tale periurium conducere, non parum parti ad ius suum tuendum, & tunc licere petere; nam in eo casu tantùm petit vt iuret; atque adeò rem bonam petit, sæpeque id conducit Actori, quia sæpè non potest secundùm ordinem Iuris decidi causa nisi petitâ à Reo confessione sub Iuramento. Deinde, potest etiam actor sæpè vti periurio illo Rei in suum commodum, nempè ad illius fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, vt sic iniuriam euadat vel ius suum obtineat; ergo in hoc casu necessitatis id licebit Actori; secùs autem si nulla necessitas, nec vtilitas adsit. Ita Lessius lib.2. c.42.dub.10.nu.47. Suarius lib.3.c.14.num.13. Sanch.c.illo 8.nu.4.Bonacina suprà num.2.Couarruuias & Reginaldus apud ipsum. Quod autem sine causa vlla non possit, docent idem Reginaldus nu.76.Valentia 2.2.disp.5.q.21. punct. 4, Molina tom.2. de Iustitia disp. 335. concl.4. Suarius suprà nu.16. Sanch. citato nu.4.& idem docet in simili de petente Iuramentum per falsos Deos, de quo iam diximus.

Authoris iudicium.

Obiicitur.

400. Obiici tamen potest semper hoc licere Actori, quia semper Actor habet ius Iustitiæ ad exigendum Iuramentum à Reo medio Iudice; nemo autem tenetur priuare se iure suo ob alterius iniquitatem, ob quem rationem communis sententia docet, vt fatetur Sotus in 4.distinct.1. q.5.a.6.concl.2. & 3. posse subditos petere Sacramenta ab iniquo parocho nullâ necessitate aut vtilitate cogente; nempè quia adest alius sacerdos habens delegatam, iurisdictionem à quo possint petere. Quâ de re nos diximus in nostro opere de Sacramentis & censuris Tract.1. disp.3.dub.13.nu.431.

Resp. 1. Suarius & Sanch.

401. Respondent Suarius & Sanch. primò negando assumptum, neque posse in eo casu subditos petere Sacramenta à parocho, quia lex vniuersalis charitatis, & in tali casu lex Religionis obligat: ne vtatur illo iure quoties nil interest petentis, cuius tamen oppositum videtur sentire idem Suarius quem retulimus 1.loco citato de Sacramentis num.illo 431. Ideo secundò respondent & meliùs, etiam admissâ eâ doctrinâ, non esse eandem rationem, quia durum est obligare subditos ad quærendum ministrum voluntarium ob parochi malitiam, subditorumque interest non fraudari iure suo & perceptione debiti à vero debitore, qualis est parochus, quia ex officio debet ministrare Sacramenta; at verò Reus debitor v.g. pecuniæ, non tenetur ex officio directè iurare debitum, & creditor, vt supponimus, ex illo periurio nullam prorsùs vtilitatem consequitur. Deinde subditi habent ius directè percipiendi Sacramenta à parocho, quo iure priuandi essent ob parochi malitiam; creditor verò non habet directè ius ad debitoris Iuramentum, nisi quatenus ad debitum recuperandum confert; quare quoties non confert in casu quo scitur peieraturus, nullo iure fraudatur, etiamsi dicamus illi non licere hoc Iuramentum petere.

Resp. melius.

Assertio 5. communis sententia docet nō licere priuatæ personæ petere extra Iudicium Iuramentū à Peieraturo. Augusti-nus. D.Tho.

402. Asserendum est 5. quamuis communis Doctorum sententia cum D. Augustino relato cap.ille & cap.*qui exigit* 22.q.5. & cum D.Thoma 2.2.q.98.a.4.ad 4.affirmet non licere priuatæ personæ petere extra iudicium Iuramentum ab eo qui peieraturus est, esseque hanc culpam petenti Iuramentum mortalem, vt etiam D.Augustinus expressit: Nihilominùs, si adsit causa rationabilis, licita est talis petitio, etiam priuatæ personæ ob rationem allatam in 4. assertione. Quod autem possit esse talis causa in priuata persona,

Author tamen docet licitam esse talem petitionem si detur subsit causa.

sona, patet ex eo, quòd potest quispiam alterius causam agere, susceptaque administrationis ratio postulare quod exigatur tale Iuramentum, ne talis negotiorum gestor habeatur infidelis & negligens in suo munere. Item potest deseruire ad firmandum contractum, & ad addendum ei vires necessarias, ad petendum coram Iudice vt cogat implere illum: hunc autem effectum habet Iuramentum, etiamsi Iurauerit ille homo sine animo implendi, atque adeò fuerit periurus. Ita videtur sentire Lessius suprà num. 49. & expressè Suarius lib. illo 3. 14 nu. 16. & Sanch. c. 8. nu. 7. qui rectè explicant communem illam sententiam non aduersari nostræ assertioni: solùm enim debet intelligi regulariter loquendo; nam Authores prædictæ sententiæ fundantur in ea differentia, quæ reperitur inter Iudicem qui habet causam exigendi Iuramenti, & inter priuatam personam quæ non habet, quod intelligi debet communiter & ordinariè loquendo: nam Iudex communiter habet causam quam sæpè non habet persona priuata, ac proinde moralis regula est, quòd Iudici liceat communiter, & limitatio specialis est quòd illi non liceat in aliquo casu particulari. E contrà verò in priuata persona regula moralis est illi non licere, & exceptiò est peculiaris, quod in aliquo peculiari casu illi sit licitum.

Communis sententia intelligẽda cum limitatione mera.
Lessium. Suarium. Sanch.

403. Eodem modo intelligendum est discrimen assignatum à D. Augustino, & à D. Thoma suprà & à Doctoribus communiter, nempè quòd licitum sit petere Iuramentum à Gentili iuraturo per Idolum, non verò à Fideli peieraturo, scilicet intelligendum est moraliter & regulariter, quia nimirum aliqua vtilitas consequitur petenti ferè semper ex Iuramento verò facto à Gentili, quia per illud confirmatur veritas, & firmantur pacta, ideo regulariter licitum est petere Iuramentum à pagano, & exceptio particularis est quando vtilitas cesset: At in periurio regulariter deficit vtilitas, ideo regulariter non licet homini priuato petere Iuramentum à peieraturo; excipitur tamen specialis casus in quo vtilitas reperietur. Ex quo fit, vt, si adsit causa, in omnibus prædictis, & in omni casu, liceat petere, sine causa verò non liceat.

Quomodo intelligendus Augustinus & D. Tho. circa Iuramentum Gentilis & Fidelis.

404. Addunt Syluester, Angelus, Armilla quos refert & sequitur Nauarrus c. 12. num. 20. tunc non fore peccatum petere Iuramentum à peieraturo, quando & adest causa, & ipse paratus est, seque offert ad iurandum. Supponunt autem sine causa peccatum esse petere, etiam ab eo qui paratus est, imò etiam acceptare, quod etiam supponunt D. Augustinus & D. Thomas & alij; idque verissimum est, quia sine causa non licet tribuere occasionem periurij (etiam solùm quoad actum externum) aliàs non committẽdi.

405. Verum quidem est leuiorem causam sufficere ad petendum id Iuramentum à parato iurare, quàm à non parato; ad vtrumque autem requiritur aliqua causa; alioquin non esset solà permissio, sed moralis consensus, & cooperatio indirecta, vt rectè Suarius nu. 17. & Sanch. n. 7. in fine.

Leuior causa sufficit, ad petendum Iuramentum à parato Iurare quã à non parato

406. Vlteriùs probabile est tantùm esse veniale petere tale Iuramentum, etiam sine vlla causa à parato ad peierandum, vt in simili quoque suprà dicebamus de petente Iuramentum ab Infideli sub finem 1. assertionis: est enim eadem ratio quantumuis Sanch. conetur assignare aliquod discrimen inter vtrumque nu. 6. in fine; nullum tamen video, imò ipse tantum discrimen videtur reuocare in hoc, quod in petitione Iuramenti ab Idolatra; sicut & in petitione mutui à parato dare sub vsuris, aliqua petentis vtilitas regulariter reperitur, secus autem à parato peierare, hoc tamen destruit casum in quo supponimus neutrobique esse causam, & nunc quærimus, an in vtroque casu neque sit veniale saltem probabiliter, & contendimus esse eandem rationem.

Probabile à causa deficiente veniale tantum esse petere tale Iuramentũ à parato ad peierandum.

407. Asserendum est 6. quod dictum est de petente Iuramentum ab eo qui est peieraturus, idem sua proportione dicendum esse de petente aut offerente occasionem alteri iurandi quando iuraturus est sine Iustitia, hoc est rem malam, vel sine Iudicio, hoc est sine necessitate; vel etiam de petente, aut dante occasionem ei quem credit non impleturum quod iurat. Vnde sic petens, vel dans occasionem sine causa quæ id iustum reddat, peccabit ea peccati grauitate, quæ in iurante reperitur, nempè mortali, si est mortalis, & veniali, si est venialis. Vnde rectè deducit Nauarrus c. 12. num. 20. cum Syluestro & aliis, imprudenter agere confessarios à pœnitentibus exigentes Iuramentum aut votum desistendi ab aliquo crimine, quia eos transgressionis periculo exponunt. Constat hoc ex cap. Clericos de cohabitatione Clericorum.

Assertio 6.

408. Addit Nauarrus c. 26. num. 25. consilium esse vt eos iurare aut promittere faciant aliquam pœnam si reincidant. Verum neque hoc approbo propter idem periculum, vt rectè notauit Sanch. c. 8. n. 8. in fine.

409. Ex dictis etiam sequitur fieri posse, Iuramentum in ipso Iurante esse licitum absque vlla vel minima culpa, & esse culpam venialem in præbente causam seu occasionem iurandi, vt, si alicui fide digno simpliciter aliquid affirmanti non credatur cum iniuria cui expediat vt sibi fides adhibeatur, non peccat Iurãdo; at præbens talem occasionem peccat venialiter. Ita Suarius lib. 3. c. 14. nu. 3. & cum eo Sanch. cap. 8. nu. 1. Hæc tamen doctrina quamuis omninò vera sit, non videtur satis ad rem; hic enim quærimus de peccato contra Iuramentum seu reuerentiam illius, contra quam peccat saltem secundariò, qui præbet occasionem iurandi absque necessitate saltem; in nostro autem casu non vrget quidem necessitas, aut vtilitas negandi illam fidem homini fide digno, & in hoc peccatur non contrà Religionem, sed contra Iustitiam; semel autem posito peccato & iniustitiâ ex parte negantis, iustam habet causam iurandi qui tunc iurat. Vnde ille qui negauit fidem quantumuis iniustè, nullam præbuit occasionem iurandi sine necessitate, sed præbuit necessitatem, seu vtilitatem iurandi, quâ semel datâ sicut ille qui iurat non sine necessitate aut vtilitate iurat; ita ille, qui dedit causam illius necessitatis aut vtilitatis non est causa vt ille iuret sine necessitate aut vtilitate; atque adeò nullo modo peccat primariò, nec secundariò contra sanctitatem & religionem Iuramenti. Quod erat necessarium

Ex dictis sequitur posse Iuramentum in Iurãte esse sine culpâ, & esse venialem in præbente occasionem iurandi.

vt in præsenti negotio doctrina esset ad rem.

Assertio 7. 410. Asserendum est 7. probabile esse non sufficere ad hoc, vt non liceat petere Iuramentum ab alio, quòd dubitetur illum fore peieraturum; nam in dubio non est præsumenda iniquitas, vt docent Authores mox citandi.

411. Dixi probabile esse tùm propter prædictum fundamentum; tùm propter Authores, qui ita sentiunt: Mihi tamen absolutè non placet hæc doctrina: loquimur enim quando exigitur Iuramentum sine causa; nam de Iuramento petito cum causa iam satis dictum est. Probabilius itaque puto in casu dubij, an quis peieraturus sit, non licere sine vlla necessitate aut vtilitate illi offerre occasionem iurandi, & multò minùs petere Iuramentum, ipsa enim ratio naturalis postulare videtur, & lex ipsa non peierandi, non exponere hominem sine vlla necessitate, aut vtilitate, periculo peierandi, aut aliter peccandi; tali autem periculo exponitur ab eo qui petit sic Iuramentum, cùm non sciatur potiùs an peieraturus sit, an non. Neque obstat quod non sit præsumenda iniquitas, tùm quia quamuis non sit præsumenda, est timenda, & in casu dubij pro vtraque parte, etiamsi præsumenda non sit, meritò timenda censetur; tùm quia tale dubium propriè sumptum (de hoc enim loquimur) oriri solet ex aliquo experimento in aliis occasionibus habito, quòd scilicet ille talis quandoque peierare soleat, & quandoque non soleat, & quamuis charitas, & debita proximi existimatio postulare videatur quòd de eo potiùs suspicemur aut iudicemus quod bonum est, quàm quod malum; non tamen negari posse videtur eandem charitatem postulare quod timeamus, etiam fieri posse illam lapsurum in peccatum, maximè accedente experimento quòd aliàs lapsus sit; ergo non est rationi consonum; imò satis dissonum illum sine vlla causa tali periculo exponere.

Authoris Iudicium sine causâ petere Iuramentum ab eo quem dubius peierandum, non licet. Ratio.

Nec obstat quod nō sit præsumenda iniquitas.

412. Satis verò erit ad peccatum exigendi Iuramentum, credere probabiliter illum esse peieraturum; atque adeò non licebit petere sine vlla causa petendi: illa enim probabilitas censetur quædam scientia moralis; Imò & vehemens suspicio satis est, vt expressè docet D. Thomas in 3. distinct. 39. qu. vnica a. 5. quæstiuncula 2. ad 2. Gabriel, Antoninus, Syluester, Armilla, Suarius lib. 3. c. 14. nu. 9. & 14. Sanch. c. 8. num. 9. contra Sotum lib. 8. de Iustitia q. 2. a. 4. vbi ait non sufficere id suspicari, aut opinari cum alterius partis formidine, sed exigi probabilissimam coniecturam conuincentem more humano ad credendum.

Vehemens suspicio peierādi satis erit ad peccatum in petente Iuramentum sine causâ. D. Tho. Gabriel. Scotus.

DISPVTATIO III.

De Obligatione Iuramenti Promissorij.

Agitur de obligatione Iuramenti quæ manet in futurū & est propria Iuramento promissorio quatenus tali.

5. IN hac disputatione solùm agimus de obligatione quæ manet in futurum, & oritur ex Iuramento Promissorio, quatenùs tali; nam vt sæpè in præcedentibus notauimus, etiam in Iuramento Promissorio reperitur obligatio dicendi verum de præsenti, hoc est habendi verum propositum faciendi postea quod de præsenti quis iurat se facturum: Hæc tamen obligatio communis est, tam de assertorio quàm promissorio Iuramento; imò ex ea parte promissorium etiam assertorium censetur. Ideò de ea obligatione satis dictum est disp. 2. sicut & de obligatione iurandi cum Iustitia & Iudicio, quæ etiam communis est eisdem assertorio & promissorio. Solùm ergò iam restat agendum in hac disputatione de obligatione quæ propria est promissorij Iuramenti, & consistit in hoc, quòd homo obligatus maneat ad id præstandum in futurum quod priùs iurauit se facturum. Disputandum itaque restat qualis, quantaue sit hæc obligatio, quandoue oriatur, aut non oriatur, in quibus tota hæc disputatio versabitur.

DVBITATIO I.

An Iuramentum cadens supra solam assertionem de futuro absque vlla promissione obliget ad id præstandum?

2. ANtiqui Theologi nihil in speciali dixerunt circa hanc rem, imò supposuisse videntur omne Iuramentum Promissorium, seu de futura re facienda includere promissionem, nec ab illa posse separari. Iam tamen probauimus disp. 1. dubit. 2. in diuisione secunda ex iis quæ ibi attulimus sæpè Iuramentum cadere suprà assertionem de futuro sine vlla prorsùs promissione; nunc autem dicimus ex tali Iuramento reuera oriri obligationem Religionis ad illud implendum. Hanc doctrinam latè probat Suarius lib. 2. de Iuram. ca. 1. & Sanch. lib. 3. summæ c. 9. supponitq; Valentia tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 2. §. secundum est, planeque videtur supponere D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. in corpore, & ad 1. vbi nulla facta mentione promissionis docet Iuramentum de aliquo faciendo quod sit in potestate iurantis, obligare in futurum ad id faciendum; Probatur ex illo Matthæi 5. vbi Christus Dominus refert verba illa: *reddes autem Domino Iuramenta tua*; quæ videntur afferri ex illo Numerorum 30. *si quis virorum votum Domino, vouerit, aut se constrinxit iuramento, non faciet irritum verbum suum*. Vbi disiunctiuè, & tanquam distinctum quid ponitur obligatio voti & Iuramenti; qua

Antiquorū Theologorū sententia.

3. *Authoris sententia.*

Cui fauent D. Tho.

Probatur 10. ex Matthæi 5.

Votum & Iuramentũ dẽ duplici vinculo tenetur. quapropter in omnium sententia, qui aliquid Deo vouit, & posteà iurat id ipsum facturum, duplici vinculo distincta specie tenetur, quod si non impleat, duplici peccato delinquit necessariò in confessione explicando. Si verò iuret quis factum proprium v. g. fore vt ingrediatur religionem, ipsemet iurans volens se firmare in illo proposito quòd habet absque promissione, tunc vnico tantùm vinculo tenetur, vt rectè Sanch. suprà & Suarius c.2.num.4. Eodem modo qui aliquid homini promittit, & simul iurat se id facturum, manet obligatus ex Iustitia ratione promissionis si fuit acceptata, vt suis locis notauimus, & ex Religione ratione Iuramenti.

4. Si verò tantùm iuret se aliquid pro alio facturum, volens sine animo promittendi se firmare in illo proposito, tantùm manet obligatus ex Religione; Quando autem non constat de intentione iurantis, aut simul intenderit promittere, id erit ex circumstantiis coniecturandum, & ex Iuramenti occasione, vt si confessor faciat pœnitentem iurare se impleturum propositum restituendi, vel non intrandi domum vbi habet occasionem peccandi, tunc nulli obligationi voti, sed tantùm Iuramenti tenetur, quia pœnitens ad id se obligari solùm vult, & ea ratione quâ confessor præcipit, hîc autem non exigit votum.

5. Pari ratione, quando quis iurat non ludere, vel non conuersari cum tali fæmina vel homine, si id faciat ex ira vel alio fine, non intuitu pietatis, & ad cauendum peccatum, non tenetur voto; si autem id faciat pietatis intuitu, ipsique iuranti constet de sua intentione quòd solùm fuerit iurandi, non tenebitur obligatione voti. Si autem non constet, sed dubitet an fuerit simul iurandi, & vouendi Deo, aut promittendi homini, iudicandum est tale Iuramentum includere etiam votum, seu promissionem, vt in simili docet Sotus lib.8. de Iustitia q.1.a.9. ad 2. in fine, & expressè tradunt Suarius lib.2.ca.2. nu.7. Sanch. lib.3.c.9.nu.5. nam quamuis in dubio melior sit conditio possidentis, ac proinde esset iudicanda obligatio solius Iuramenti, nihilominùs, id intelligendum putant hi Authores, nisi coniectura vrgentior adsit, qualis est in hoc casu, vt iudicetur tunc adesse quoque votum seu promissum; quia solet adesse iuxtà communiter & regulariter contingentia, quia nimirum Iuramenta quæ cadunt suprà materiam voti, aut promissionis, regulariter & communiter fiunt cum voto & promissione; atque hic censentur proportionatus modus illa emittendi.

Corollaria ex præcedenti doctrina.

Ex dictis Collige 1. 6. EX dictis colligitur 1. eum qui iurat comminatoriè, iustè solum teneri obligatione Iuramenti, non verò fidelitatis aut Iustitiæ; nec enim ibi vlla est acceptatio, quam necessariò connotat & requirit promissio, vt rectè Suarius c.1, nu.13.

Collige 2. Iurantẽ se soluturũ vsuras solũ teneri vinculo Iuramenti. 7. Colligitur 2. eum qui iurat se soluturum vsuras, vel facturum alia quæcunque per iniustam vim extorta, solùm teneri vinculo Iuramenti. Illa enim promissio suprà quam Iuramentum cadit, ipso iure irrita est, & nulla, vt supponimus; ergo sola restat religio Iuramenti, quod fatentur Doctores, & habetur cap. *Debitores* de Iureiurando in illis verbis cogendi sunt Deo reddere Iuramentum.

8. Iuxta quam doctrinam rectè probat & latè Suarius eodem lib.2.c.4.num.2. quoties Iuramentum non cadit suprà promissionem homini factam nullam obligationem inducere respectu hominis, etiamsi effectus talis Iuramenti concernat vtilitatem humanam, & hominis intersit illius obseruatio; sed tantùm inducere obligationem respectu Dei, quia tota illa obligatio est ex Religione, cuius oppositum docent Caietanus, & Sotus vt paulò post videbimus sequenti corollario.

9. Colligitur 3. quando quis iurat homini aliquem contractum, aut promissionem, validam consurgere duplicem obligationem, alteram Deo ex Religione alteram homini ex Iustitia. Ita D. Thomas 2.2.qu.89.a.7. ad 3. Suarius lib.2.c.4.nu.4. Sanch. lib.3.c.9.nu.8. *Collige 3. ex Iuramento homini facto consurgere posse duplicem obligationem.*

10. Malè ergo Caietanus & contra suum Authorem D. Thomam circa illam solutionem ad 3. versiculo *ad 1. autem obiectionem*. Item Sotus quamuis etiam Thomista lib.8.q. de Iustitia q.1. a.7. ad 3. versiculo *Hæc autem singula*, existimarunt in eo casu vnicam esse obligationem erga hominem, innitentem duplici vinculo scilicet promissionis & Iuramenti; quia cùm nulla (inquiũt) fiat promissio Deo, nulla videtur ipsi obligatio requiri. In hoc tamen planè falluntur; neque enim tantùm acquiritur Deo obligatio modo illo qui respicit Deum vt creditorem cui debetur res ipsi promissa per votum; sed alio etiam modo respiciente Deum vt fidei iussorem & testem, ob cuius reuerentiam debet impleri quod iuratum est; ideo dici potest obligatio reuerentiæ, vt significat D. Thomas; & satis indicant citata verba ex cap. Debitores de Iureiurando. *Malè ergò Caietanus*

11. Obiiciet tamen aliquis hinc sequi non posse hominem remittere tale Iuramentum, cùm nequeat homo remittere obligationem cum Deo initam. *Obiicies.*

12. Respondetur negando sequelam; nam obligatio illa cum Deo, seu erga Deum, concernit voluntatem eius, in cuius vtilitatem cadit promissio tanquam necessariam conditionem; vnde homine remittente talem promissionem cessat obligatio erga Deum. *Resp.*

13. Colligitur 4. eum qui iurat aliquid de futuro quod sit in sua potestate, manere obligatum ex Religione ad id faciendum (nisi materia vel mala sit, vel indifferens) vt si iuret se restituturum alienum, aut soluturum debita, aut non sumpturum vindictam, etiam iustam. Ita D. Thomas citato art.7. Suarius suprà c.1. à num.11. Lessius lib.2.c.42.dub.11.num.53. Sanch. lib.3. c.9.nu.6. *Collige 4. quoad Iurantem de futuro.*

14. Sed obiicies: qui sic expressè iurat, dicens, iuro me habere propositum dandi Petro centum sine vllo animo aut verbo promittendi, nullam sibi imponit obligationem, ac proinde nihil tenetur dare. Eodem autem se modo habet qui sic iurat: iuro me daturum Petro centum sine animo promittendi, quia cùm nulla fiat promissio, non est Iuramentum promissorium, sed tantùm asserit cum Iuramento se habere illud propositum. *Obiicies.*

Resp. 15. Respondetur negando minorem; nam illud primum Iuramentum quod affertur in maiori propositione, est purè assertoriorum; Iuramentum verò quod affertur in minori, est verè promissorium, quamuis non omninò propriè & strictè, sed latè & reductiuè, quia scilicet iurat factum futurum quod ad promissorium reducitur, & reuera inducit obligationem exequendi propositum quod habet de præsenti. Ideo D. Thomas definit Iuramentum assertorium quod cadit suprà veritatem de præsenti & promissorium quod cadit suprà veritatem de futuro, de quo latè diximus disp. 1. dub. 2. in 2. diuisione Iuramenti. *Iurans cū solo proposito factum futurum obligatur.*

Sed quæret aliquis quid dicendū de promissione absenti facta cum Iuramento Suarij opinio. 16. Sed quæret aliquis, an ille qui alteri absenti promisit cum Iuramento daturum aliquid, maneat obligatus ante alterius acceptationem, ita vt teneatur intimare alteri suam promissionem & Iuramentum vt videat an velit acceptare. Suarius lib. 2. c. 1. nu. 13. & c. 12. nu. 21. & multi graues Authores quos refert Sanch. lib. 1. de Matrimonio disp. 7. a. numer. 23. affirmant: qua de re nos etiam egimus, tùm in nostro opere de Iustitia in Tract. de promissione tùm in nostro opere de Sacramentis & Censuris agentes de matrimonio Tract. 11. disp. 1. dub. 2. in explicatione secundæ conditionis contractus sponsalitij, scilicet acceptationis requisitæ ad eius valorem. Ideo iuxta doctrinam ibi traditam etiam nunc cum Authoribus ibi citatis, & posteà referendis probabiliùs existimo non manere obligatum, nec teneri ad id exspectandum, etiamsi Iuramentum sit de non reuocando. Ratio verò est in præsenti materia, quia Iuramentum sortitur & induit naturam actus suprà quem cadit: omnis autem promissio includit hanc conditionem, si validè acceptetur; vnde ante legitimam acceptationem semper potest reuocari, vt locis citatis diximus. Hoc tamen intellige cum hac limitatione, nisi promissio illa iurata fieret Deo per modum voti de re aliqua pia implendi; tunc enim reuocari non posset; quia tamen tunc ante acceptationem hominis non acquiritur homini ius, sed soli Deo poterit per relaxationem vel commutationem tolli instar voti homine inconsulto. Ita Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 7. num. 24. cum multis quos refert, Lessius lib. 2. c. 17. dub. 7. nu. 52. & 53. & cap. 42. dub. 4. nu. 22. Addit etiam Sanch. lib. 3. summæ c. 9. nu. 10. Iuramentum factum homini absenti sine vlla promissione, posse etiam reuocari antè hominis acceptationem, quia etsi propriè & strictè non sit tunc promissorium, est tamen instar illius, & reuera fit homini, includitque conditionem, *si homo* ille acceptet & non fit Deo in eius honorem. *Probabilius est talē nō manere obligatum. Ratio est. Limitatio responsionis. Addit Sanch.*

Colliges 5. quomodo possit quis iurare aliquid quod non sit in potestate ipsius. In duplici sensu possit hoc fieri prior sensus. 17. Colligitur 5. quonam modo possit quis licitè iurare rem futuram, aut factum alienum quod non sit in potestate iurantis: Nam si id fueret dubius de euentu, manifestum est temerè & illicitè iurare. In duplici autem sensu & casu potest esse licitum tale Iuramentum. Prior sensus est merè speculatiuus, affirmando solùm rem futuram aut factum alienum à iurante cognitum in causa talis facti, aut per reuelationem, vel alio quouis modo; atque hoc Iuramentum reuera est tantùm assertorium, vt quando quis iurat tali die futuram Ecclipsin, aut quando quis consolans ægrum aut timentem aliud malum iurat fore vt incolumis euadat, quod Iuramentum vt licitum sit, requirit in iurante sufficientem scientiam de re futura, aut sufficientem coniecturam de animo & mente facturi id opus; atque ex verbis ipsis aut ex circumstantijs colligi potest & debet, eum esse iurantis sensum; hac enim ratione excusat Suarius c. 2. in fine *Iuramentum* quod fecit Ionathas, Dauidi quod non interficeretur à Saule patre suo, quod Iuramentum fuit de facto alienum, de illo tamen quatenùs illud coniectabat Ionathas, vt ex eiusdem verbis constat, dum dixit. *Absit, non morieris; nec enim faciet pater meus quicquam grande vel paruum nisi priùs indicauerit mihi: hunc ergo celabit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud, & iurauit rursum Dauidi* &c. 1. Reg. 20. num. 2.

18. Posterior sensus est practicus, id est in ordine ad iurantem, ita vt significet se daturum operam, & curaturum quantùm possit, vt alter, cuius factum iurat, id exequatur, & tunc Iuramentum est promissorium, manetque obligatus ad eam diligentiam seriò adhibendam. Ita Suarius suprà. Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 24. nu. 7. & lib. 3. summæ c. 9. nu. 7. qui rectè probat, quoties non constat de intentione iurantis, factum alienum esse interpretandum in hoc posteriori sensu, manereque obligatum ad eam diligentiam. *Posterior sensus.*

DVBITATIO II.

Quanta sit prædicta Iuramenti obligatio; & vtra sit maior Voti aut Iuramenti?

19. Circa primum iam latè disputatum est disp. 2. dubit. 8. vbi diximus hanc Iuramenti obligationem, scilicet implendi quod iuratum est, esse ex genere suo mortalem, & aliquando posse esse venialem ratione paruitatis materiæ saltem iuxta probabilem opinionem. *An maior sit voti aut Iuramenti obligatio.*

20. Circa secundum præmittendum est, obligationem Iuramenti assertorij, scilicet dicendi veritatem, esse omninò maiorem, de quo non video esse controuersiam inter Authores. Ratio verò est, quia præceptum negatiuum non irrogandi Deo grauissimam iniuriam, & non negandi illi attributum, summæ & infallibilis veritatis est origo, vnde oriatur obligatio Iuramenti assertorij; at obligatio voti pertinet ad præceptum affirmatiuum reddendi Domino promissum, & obligat ad seruandum Deo fidelitatem; atqui peius est iniuriam passiuam directè alicui irrogare quàm esse illi infidelem deficiendo à fide data, vt rectè docent Suarius lib. 2. de Iuram. c. 3. nu. 5. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 11. nu. 53. Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 4. *Præmittendum 1.*

21. Præmittendum secundò, si Iuramentum rei futuræ contineat promissionem, etiam esse manifestùm magis obligare quàm votum: continet enim obligationem voti & Iuramenti, vt notant Lessius suprà nu. 52. Suarius cap. illo 3. in principio Sanch. suprà nu. 4. Solùm ergo restat quæstio de obligatione Iuramenti, in quo nulla est promissio modo explicato dubitatione *Præmittendum 2. Difficultas sola est de obligatione Iuramenti.*

præce-

subtrahēdo à promissione.

præcedenti, vel certè si contineat promissionem, intelligenda quæstio est de sola Iuriiurandi obligatione præcisâ à promissione; qua de re grauis est controuersia inter Doctores.

Sententia multorum.

22. Multi ergò putant maiorem esse obligationem Iuramenti, quorum sententiam sequitur Michaël à Medina lib. 5. de continentia à c. 22. & ex parte Nauarrus c. 12. nu. 32.

Asserendum cum D. Tho. maiorē esse obligationē voti quam iuramenti.

23. Asserendum nihilominus est maiorem esse voti obligationem quàm Iuramenti in sensu prædicto: Quam sententiam multi amplectuntur cum D. Thoma 2. 2. q. 89. plures autem refert Suarius dicto capite 3. vbi latè hanc sententiam probat, & argumentis Aduersariorum respondet. Nos quidem breuiter expediemus, &, ni fallor, præcedenti distinctione Iuramenti præmissâ, facillimo negotio res tota deciditur, & argumentis Aduersariorum respondetur.

Probatio conclusionis.

Probanda ergo est nostra sententia ex dictis dubit. illa 8. disputationis: quia nimirum qui non implet propositum aut promissionem quam iurauerat, non facit Deum mendacem quantum est ex parte sua, sicut contingit in Iuramento assertorio, sed irreuerenter tractat eum, ex eo quòd impleat id quod interposita illius authoritate & præsentia promiserat, aut proposuerat facturum, quæ sanè irreuerentia minor est quàm infidelitas voti, perinde atque magis censetur contemni Rex aliquis per fractionem pacti promissionis ipsemet Regi factæ, quam per fractionem pacti promissionis aut propositi sub regia authoritate coram ipso Rege facti, regiaque præsentia aut protectione authorizati; maiores enim partes censetur Rex habere in primo contractu quàm in secundo. Sic autem se habet Deus in voto & Iuramento promissorio, in quo communiter Doctores docent adduci Deum vt fidei iussorem, & non præcisè vt testem veritatis sicut in Iuramento assertorio.

Authores contrariæ sententia quomodo intelligendi.

24. Itaque adhuc existimo plures Authores qui pro contraria sententia adferuntur, & eorum argumenta, & rationes solùm contendere obligationem Iuramenti promissorij propriè dicti esse maiorem, quàm obligationem voti; atque in hoc sensu puto intelligendum esse Lessium citata dubit. 11. Maior & Medina citati, Valentia ad citatum locum D. Thomæ punct. 4. Maior in 3. distinct. 39. q. 2. & alij apud Suarium.

DVBITATIO III.

Qua ratione ex parte materiæ obliget aut non obliget Iuramentum promissorium?

Asserendum 1. Iuramentū de re honesta de se obligare si non impediat maius bonum.

25. Asserendum est 1. Iuramentum de re honesta seu de actu virtutis de se obligare si non impediat maius bonum. Dixi, de se, id est, quantùm est ex parte materiæ; nam ex aliis capitibus poterit non obligare, vt si tale Iuramentum non fuit voluntarium, sed indeliberatum, vel si ex mutatione rerum facta censeatur ablata obligatio, de quo posteà dicemus assertione 7. Dixi, etiam si non impediat maius bonum, quia quando maius bonum impedit, non semper obligatur homo ad faciendum illud minus quod iurauit se facturum quamuis aliquando obligetur illud ipsum facere etiam relicto meliori bono. Itaque si Iuramentum fiat de actu bono Deo promisso non obligat, vt in specie illud fiat si velit, qui iurauit, aliud melius facere: si tamen Iuramentum cadit sub promissionem factam homini, obligat ad id ipsum præstandum, etiamsi ob id debeat prætermitti maius bonum v. g. iurasti dare liberaliter decem aureos Petro, non potes illos egenti alicui in eleëmosynam erogare; item iurasti seruire alicui, non potes licitè illud seruitium prætermittere, vt seruias hospitali; vlteriùs, iurasti te initurum matrimonium, nulla tamen promissione alteri factâ, tunc quidem non teneris inire: si verò id iurasti alicui fœminæ in eius fauorem, teneris implere, & quidem in propria specie; quod intelligendum est iuxtà modum & circumstantias, doctrinamque traditam in nostro opere de Sacramentis Tract. 11. disp. 1. per varias dubitationes: & iterùm dicemus in hac disputatione dubit. 18. q. 2. Ita Paludanus in 4. distinct. 38. q. 1. num. 29. Syluester *Iuramentum* 4. q. 20. Rebellus de Iustitia part. 2. lib. 1. q. 9. num. 4. & etiam multi; Molina tom. 1. de Iustitia disp. 141. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 4. nu. 20. Suarius lib. 2. de Iuramento c. 12. Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 19.

Iuramentū de actu bono Deo promisso nō obligat vt in specie illud fiat, homini promisso obligat ad id ipsum præstādum.

Ratio discriminis est.

Ratio autem discriminis est, quia Iuramentum promissorium eatenùs ad sui impletionem obligat, quatenùs is, cui præstitum est, vult illud impleri; Deus autem non vult in suum obsequium impleri minus bonum cum detrimento maioris boni, sed semper illi placet quod melius est: Homo verò vult quod in suam cadit vtilitatem, etiamsi impediat maius bonum quod sibi non sit ita vtile.

Deo semper magis placet quod melius est.

26. Adducit Suarius nu. 18. & Sanch. nu. 20. eadem distinctione vtendum esse, etiam quando Iuramentum non cadit suprà promissionem, sed suprà assertionem de futuro; nam respectu Dei semper illi magis placet quod melius est, non tamen homini, qui mauult quod ipsi est magis vtile, & magis commodum.

Obijcies 1. Definitionē Pontificū.

27. Obijcies tamen 1. hanc doctrinam esse contra definitionem Pontificis cap. *si verò* & cap. *cùm contingat*, de Iureiurando. Vbi habetur generalis regula, quòd Iuramentum seruari debeat semper, nisi seruatum vergat in dispendium salutis; atque adeò quoties sine peccato seruari potest; atqui iurans soli Deo minus bonum, potest implere hoc Iuramentum sine peccato relicto meliori bono, quia omittere meliorem actum non est peccatum; ergo si iurasti minus bonum, teneris illud præstare relicto meliori.

Resp.

28. Respondetur cum Suario c. 13. nu. 1. qui iurauit minus bonum, teneri illud facere nisi velit facere maius; nam, quando maius exhibet, etiam implet iuxta regulam Iuris, quâ declaratur promissum, non frangere, qui in melius illud commutat, hoc est in id quod magis placet ei cui promissio facta est. Inde infert Suarius contra Sotum & alios, non semper esse æquiparandam materiam voti & Iuramenti: nam sponsalia & alia minora bona nunquam sunt materia voti, quia votum de illis est irritum, & tantum sunt materia Iuramenti, & sic de aliis.

Obijcies 2.

29. Obijcies 2. per Iuramentum factum homini sine promissione nulla obligatio consurgit ad hominem, sed solùm ad Deum ex Reli-

gione; ergo poterit & debebit impleri sicut placet Deo, non sicut placet homini.

Resp. 30. Respondetur negando consequentiam; quamuis enim tale Iuramentum non contineat pactum, neque promissionem, verè nihilominùs fit homini, & in eius vtilitatem, ac proinde ad Iuramenti veritatem spectat quod veritas impleatur eo modo quo prolata est, & in eo sensu quo solent communiter accipi verba, quæ sibi inuicem solent homines præstare. Constat autem quod verba hæc: *dabo tibi hoc*, vel: *faciam hoc pro te*, etiam sine promissione vlla, non soleant accipi in sensu conditionato illo, *nisi melius mutetur*, sed in sensu à tali conditione absoluto; quamuis alias conditione claudant; nempe, si commodè possint, vel si res non fuerint notabiliter mutatæ, iuxtà ea quæ posteà dicemus.

Confirmatio 1. ex Iuribus. 31. Confirmatur hoc ex Iuribus quæ dicunt seruanda esse Iuramenta facta proximo, etiam iniquè illa exigenti vel extorquenti, vt sunt Iuramenta de soluendis vsuris cap. *Debitores* de Iureiurando; & Iuramenta metu extorta cap. *si verò* eodem titulo. Nam talia Iuramenta non obligant ratione promissionis, sed solùm ratione veritatis proximo iuratæ.

Confirmatio 2. 32. Confirmatur 2. quia Iuramentum ducendæ fœminæ ipsi præstitum obligat, quamuis impediat maius bonum castitatis; atque adeò sic iuranti non licet eligere vitam cælibem absque voto, vt rectè probat Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 46. num. 4. cùm tamen id Iuramentum factum soli Deo sit prorsus irritum, nisi fortè in rato casu, in quo melius esset iuranti matrimonium inire ob frequentes carnis lapsus, vt docet idem Sanch. lib. 3. summæ c. 9. nu. 19.

Probabile est quod omnis promissio Iuramento affirmata includat conditionem hanc nisi trāsire quis velit ad statum perfectionis. 33. Illud tamen probabile est quòd omnis promissis etiam Iuramento affirmata, includat conditionem hanc, nisi transire quis velit ad statum perfectionis, iuxta doctrinam datam in nostro opere de Sacramentis, vbi egimus de Matrimonio Tract. 11. disp. 1. dub. 32. agentes de dissolutione sponsalium per ingressum religionis aut votum illius, vel castitatis, aut sacrorum ordinum. Vnde non obstante promissione etiam iuratâ, potest homo transire ad religionem, vt habetur cap. *ex publico* de conuersione coniugatorum & doctrina tradita de hac obligatione Iuramenti homini facti, intelligenda est de aliis melioribus bonis particularibus, non de statu perfectionis, quia respectu huius non obligat Iuramentum vt rectè Suarius suprà num. 6. cum communi Authorum doctrina, & latiùs Sanch. lib. 4. Moralium c. 19. à nu. 30. de quo iterum incidet sermo in Tractatu de Voto. Quale autem peccatum sit non ingredi religionem quia id iurauit, dicemus dubitatione sequenti assert. vlt.

Dices. 34. Dicet tamen aliquis inde sequi eum qui iurauit fœminæ eam nupturum in matrimonium, posse non impleto Iuramento illo religionem ingredi, quod tamen est contra decisionem Pontificis cap. *commissum* de sponsalibus.

35. Hoc argumentum malè torsit Authores, & ideò multæ variæque sunt adinuentæ expositiones circa huius textus intelligentiam, quas eruditè more suo examinat Suarius lib. 2. de Iuramento c. 13. quasque nunc nec iuuat, nec vacat latè persequi. Sufficiat nunc dicere Pontifi-

Resp. decisionis pontificis.

cem ibi videri significare tutius esse Religione Iuramenti seruata priùs contrahere matrimonium, & ante consummationem illius transire ad religionem, vt potest cap. *sicut* & cap. vltim. de sponsalibus; quod autem id sit licitum & possit fieri, scilicet vt priùs impleatur Iuramentum, certissimum est, si fiat admonita fœmina de proposito non consummandi, sed transeundi ad religionem, ipsâque sic volente vt prius impleatur Iuramentum; imò si periculum esset infamiæ sponsæ ex ingressu in religionem eâ inuitâ, vt sæpè contingere potest, obligatio erit illam admonendi, & ipsâ volente priùs debebit contrahere, quia ipsa habet ius ad tale matrimonium quamdiù sibi est necessarium ad defensionem suæ famæ, & ipsi viro hoc non est impedimentum melioris boni, cum adhuc possit transire; & quia hoc periculum ordinariè imminet, ideò rectè dixit Pontifex consultius esse contrahere, vt satis probabiliter docent Suarius suprà & Sanch. lib. 1. de Matrimonio disp. 43. num. 4. vbi notat hanc obligationem non oriri ex Iuramento. Verùm circa hæc omnia legenda sunt quæ latè in vtramque partem disputauimus citatâ disp. 1. de Matrim. dubit. illa 32. §. *veniamus nunc* vbi in vtramque partem probabilem latè disputauimus de obligatione, aut non obligatione ducendi talem fœminam cui quis iurauit eam ducturum in Matrimonium, si posteà velit ingredi religionem.

36. Iuxtà nuper dictam opinionem probabilem, quando nullum adesset periculum damni; non est obligatio contrahendi matrimonium; erit tamen bonum consilium admonita fœmina de proposito non consummandi, si ipsa velit prius contrahere, quo casu etiam vera doctrinâ est Pontificis. Fœminâ verò non admonitâ Suarius nu. 8. & 9. cum aliis iudicat non esse consulendum vt prius contrahat, sed potiùs vt statim religionem ingrediatur fœminâ nihil sciante, quia Iuramentum sequitur naturam contractus; vnde sicut probabilissimum est sponsalia non obligare cum impedimento maioris boni, ita nec Iuramentum, & ex contrahendo nulla sequitur vtilitas, & ita videtur actus otiosus; imò & quædam illusio sponsæ. Legantur quæ diximus in loco notato Tract. 11. de Matrimonio.

37. Asserendum est 2. Iuramentum de opere quod sine peccato mortali vel veniali impleri non potest, siue Deo fiat, siue homini, nullam obligationem inducit. Assertio est certa & communis omnium Doctorum quos hic non refero, imò & in Iure Canonico expressa; nam de peccato mortali habetur cap. *cum contingat* de Iureiurando: vbi dicitur Iuramentum quod vergit in interitum salutis æternæ, non obligare: constat autem omne peccatum mortale vergere in interitum salutis æternæ; & vniuersim etiam de veniali habetur cap. *quanto* eodem titulo vbi dicitur de Iuramento illicito, id est de re illicita, nullatenùs esse obseruandum, cuius optima redditur ratio, quia Iuramentum non fuit institutum vt esset vinculum iniquitatis; vnde manauit regula Iuris 58. in 6. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum*: vbi Glossa plura Iura refert quæ habentur ex conciliis & Patribus 22. q. 4. per totam. Ratio verò est effi- *Asserendū 2. Iuramētū sine Deo siue homini factū quod sine peccato impleri non potest non obligare.* *Ratio.* *Ratio effi. cax.*

cax

cax & euidens; nam contradictionem inuoluit aliquem obligari ad peccandum etiam venialiter; nemo enim peccat implendo id ad quod obligatur: nam si peccat, non obligatur; neque enim potest idem præcipi & prohiberi; alioquin homo ad impossibile obligaretur. Obiectiones verò quæ fieri possunt contra hanc assertionem, non videntur valdè difficiles; eas tamen latè explicat & dissoluit Suarius lib. 2. de Iuram. ca. 14. & 15. quamuis autem aliqui textus & glossæ significent, non esse contra veniendum Iuramentis de rebus malis, donec qui iurarunt absoluantur ab eorum obseruantia interpretandi sunt, donec declarentur esse liberi & soluti ab eorum obseruantia; nam eiusmodi Iuramentis quisque potest contra venire propria authoritate, sed ignorantibus propter scandalum ad periculum, sæpè expedit id declarari, maximè à superiore.

38. Quando autem dubium est an materia Iuramenti aut voti sit bona vel mala, Sanch. lib. 4. c. 6. nu. 6. cum aliis, docet nullam consurgere obligationem, quia operari cum aliquo dubio malum est. Suarius verò lib. 2. c. 33. nu. 9. cum D. Thoma & aliis docet esse necessariam dispensationem in hoc casu, de quo iterum dicemus infrà in hac disputatione dubit. 17. assertione 2 videnda quoque sunt quæ infrà dicimus in hac dubitatione assert. 6. in fine, & assert. 10.

39. Si verò materia partim bona sit & partim mala, vel partim possibilis vel partim impossibilis, an ex ea parte qua bona est & possibilis obliget, & quando, in Tract. de Voto explicatur: est enim eadem ratio atque de Iuramento, & legi potest Sanch. lib. de voto c. 10. Porrò Iuramento de re mala quemlibet posse propria authoritate contrauenire, latè & rectè probat Nauarrus in communi sententia c. 12. nu. 17.

Asserendū 3. Iuramētum rei indifferentis Deo factū non obligare secus si homini fiat.

40. Asserendum est 3. Iuramentum rei indifferentis vt talis, si Deo fiat, nullam obligationem inducit, secùs verò si fiat homini prior pars ab aliquibus probatur: quia actus indifferens, si fiat sine obligatione ad bonum finem, iam in indiuiduo malus est, quia otiosus. Hoc tamen licet verum sit, vt ego puto cum multis, cuius disputatio non est huius loci; quia tamen hoc ab aliis negatur, nec res est ita certa, non est cur recurramus ad principium minus certum pro assertione certiori & magis recepta. Meliùs ergo probatur ex generali doctrina promissionis aut Iuramenti promissorij, nempè quod eatenùs tantùm obliget ad sui impletionem, quatenùs is cui est præstitum vult impleri; Deus autem non vult impleri, nec exigit impletionem actus indifferentis seu impertinentis; solum enim sibi præstari vult actum bonum & honestum.

Prima pars conclusionis probatur ex generali doctrina Iuramenti promissorij.

Obiicies.

41. Obiiciet tamen aliquis, qui id iurauit non iurauit facere absque honesto fine, ergo saltem obligatur facere ex fine honesto, id enim placet Deo.

Resp. primò cum Suario.

42. Respondetur cum Suario lib. 2. cap. 16. nu. 3. primò, quandoque rem indifferentem iuratam in tali loco & tempore, & à tali persona, non posse habere proportionem cum fine vllo honesto, vt si scholasticus, qui neque ad salutem, neque ad rationabile corporis leuamen indiget ludo, iuret se lusurum, non obligabitur; alia similia possunt non pauca exempla adhiberi, in quibus actus indifferentes non possunt habere bonum finem in quem ordinentur. Respondetur secundò. Licet homo possit actum indifferentem referre in bonum finem, non tamen teneri ex vi Iuramenti, quia non hoc iurauit: si autem iurauit actum indifferentem propter honestum finem, vel certè si potest plenè præsumi quod sic iurauerit, obligabit tale Iuramentum, quia iam est de actu alicuius virtutis, vt si iurasset non aditurum domum alicuius, vel non allocuturum aliquem, quia habet ibi occasionem peccandi.

Resp. secundò.

Secunda pars assertionis probatur.

43. Secunda verò pars assertionis ex eodem principio probatur: nam cùm actus indifferentes non secùs atque actus impedientes maius aliquod bonum, possint cedere in vtilitatem & commoditatem hominum, hominesque velint quæ sibi commoda & vtilia sunt, etiamsi alias sint indifferentia & impedientia maius bonum, Iuramentum de iis præstitum obligat in conscientia, imò iam adimpletio desinit esse actus indifferens, & censeri potest & debet actus virtutis, nempè veritatis & fidelitatis, & conseruatiuus propriæ æstimationis, quæ seruatur stando promissis. Accedit quod in promissione alteri facta spectatur, non id quod melius in se est, sed melius & gratius comparatione promissarij; potest autem esse comparatione promissarij gratiùs & melius id quod absolutè tale non est: hinc est vt optimè dicatur in cap. *quamuis* de Pactis in 6. Iuramentum homini præstitum, quod absque salutis æternæ dispendio seruari potest, necessariò seruandum est. Priorem partem huius assertionis docent communiter Doctores, & colligunt ex D. Thoma 2. 2. q. 98. a. 7. vbi latè Caietanus circa solutionem ad 3. in 1. dub. versiculo *ad euidentiam huius*, Sanch. lib. 3. ca. 6. citato, Suarius lib. 2. de Iuramento cap. 16. Reginaldus lib. 18. nu. 46, vnde iuxta dicta addunt Suarius, Lessius lib. 2. c. 42. dub. 4. & Sanch. lib. 3. c. 9. loco citato, absolutè nunquam esse verum Iuramentum rei indifferentis vt talis obligare, quia eo ipso quod iuratur res in se indifferens homini, iam respicitur illius hominis vtilitas, & per talem relationem fit actus bonus, vel misericordiæ, vel liberalitatis, vel humanæ amicitiæ, vel fidelitatis. Quod sanè probabilissimum est, difficultate tamen non caret, tùm, quia non iurauit facturum actum illum indifferentem propter aliquem finem ex illis; quod si faciat opus iuratum sine vlla relatione ad talem bonum finem, reuerà implet Iuramentum; tùm, quia potuisset illi iurare ex aliquo prauo fine, & tunc teneretur reiecto prauo fine illud implere, si alter cui iurauit non remittat v. g. iurauit quis aditurum ad emendum in apotheca alicuius, vel ad molendum in molendino alterius, vel ad coquendum in furno illius, non ductus vtilitate eius cui iurauit; sed ad furandum illi aliquid vel ad alium finem, tunc reuera manet ille obligatus Iuramento vt docent Angelus v. *Iuramentum* 5. nu. 5. & Nauarrus c. 12. nu. 17. qui etiam sequuntur nostræ assertionis primam partem, dicentes Iuramenta de re indifferente non obligare. Adhibent exempla, vt si quis Iurasset se non habiturum in suum ministerium illum famulum, aut alium, vel non alloquuturum

Iuxta dicta addunt Suarius, Lessius & Sanch absolutè nūquam esse verum Iuramentum rei indifferentis.

loquuturum aliquem de illa vel illa re, vel non aditurum alterius domum, apothecam aut furnum, aut similia: duas tamen adhibent exceptiones, nisi hæc Iuramenta fiant Deo ob aliquem bonum finem, vt ad euitandam occasionem peccandi, vel nisi fiant proximo cum eius vtilitate. Deinde difficilis est illa doctrina propter probabilem aliquorum opinionem, quia docent actum indifferentem vt talem, etiam in indiuiduo non esse peccatum; ergo ille qui talem actum iurat, secutus eam opinionem, verè iurat actum indifferentem manendo in statu differenti. Tandem, quia si quis iurasset se hodie non ambulaturum, aut egressurum domo, aut non iturum ad agrum; vel contraria horum, scilicet ambulaturum, egressurum, iturum, & cætera, nullo posito fine honesto, sed vel ex indignatione vel ob aliquod commodum aut incommodum naturæ, quod non sufficit ad honestatem, etiamsi is non teneatur implere hæc Iuramenta, vel quia, vt fatetur Suarius suprà, ipse iurans non acquirit propriè ius, & licet acquireret, posset illi cedere, vel quia, vt ait Lessius; omnia hæc Iuramenta quæ non fiunt alteri homini, habent tacitam conditionem, nisi mutauero, vel nisi aliter visum fuerit; cùm enim nullius intersit ea Iuramenta impleri præterquã iurantis, iure suo cedere potest, & sibi ipsi condonare: Quamuis, inquam, hæc vera sint, nullum tamen videtur peccatum neque vlla inordinatio si hæc ipsa Iuramenta propter reuerentiam Iuramenti impleat, vt tacitè videntur concedere Suarius & Lessius locis citatis, quamuis idem Suarius cap. 17. nu. 5. & 6. probet peccatum esse facere aut omittere actum indifferentem, quando non seruit ad aliquem bonum finem, solùm ex eo quod iurauerat illum actum facere vel omittere, quia Deo non placet res vana & inutilis; quod probabile est, quando res non iurata fuit alteri homini, quia tunc implenda est si velit homo ille, etiamsi iurans non intẽderit eius commodum, quia quamuis ex tali Iuramento vt diximus dub. 1. illatione 2. nulla obligatio consurgat respectu hominis quando non continet promissionem, sed tantùm respectu Dei cui manet iurans obligatus conditionaliter, scilicet nisi homo cui fit, remittat, quamuis inquam, hoc ita sit, inde tamen colligitur, & Suarius ipse fatetur, hominem cui fit Iuramentum, acquirere ius remittendi vel non remittendi; atque adeo eo non remittente alter videtur teneri implere ex obligatione ad Deum; potest ergo esse Iuramentum indifferentis rei vt sic, quod sit verè Iuramentum & obliget.

Iuxta Lessium omnia hæc Iuramenta quæ non fiunt homini habent tacitã conditionem.

Homo cui fit Iuramentũ acquirit ius remittendi vel non remittendi.

44. Nihilominus adhuc pro Lessio, Suario & Sanch. qui id negant posse contingere, efficax ratio videtur esse, quòd homo nunquam possit obligari ad faciendum actum indifferentem seu otiosum. Ideo dicendum est, quod licet id quod promisit ex se indifferens sit, tamen posteà in eo exequendo tenetur apponere bonum finem v.g. facere illud ex fidelitate vt stet promissis, atque hoc tantùm probat Suarius, Lessius & Sanch. quod explicuit idem Sanch. in eo lib. 3. c. 11. num. 3. & nos posteà dicemus ex multorum sententia in hac disputatione dub. 12. in principio.

45. Ex eadem prima parte assertionis nostræ rectè colligit Sanch. eodem lib. c. 9. num. 15. Iuramenta inter emendum & vendendum vsurpari solita, non emendi auctiori pretio, aut non vendendi viliori, minimè obligare, quia neutrum ad Dei obsequium, aut hominis cui fit vtilitatem pertinet. Item Iuramentum non ingrediendi mare, aut non equitandi, quando ex ira ob casum aliquam fit, non obligat vt rectè Toletus lib. 4. c. 17. & Sanch. lib. 4. c. 7. nu. 15. Addit tamen, quod si fiat ad vitandum periculum imminens tali homini ob peculiarem complexionem, vel ob imperitiam equitandi, tunc validum erit; quia apponitur finis honestus iuxta doctrinam sequentis assertionis. Ex dictis manet obiter explicata secunda pars assertionis de Iuramento rei indifferentis quando fit in vtilitatem hominis, quod obligare præter citatos docent Molina disp. 149. Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 5 nu. 3. Bonacina disp. 4. punct. 4. n. 2. Legatur Lessius loco citato dub. illa 4. & dub. 6. n. 20. Sanch. c. 9 nu. 19. Suarius lib. 2. callo 16. n. 4.

Ex prima parte assertionis nostra colligit Sanch.

46. Asserendum est 4. si quis iuret rem seu actum indifferentem, non vt sic, sed tanquam medium conducens ad aliquem bonum finem, tale Iuramentum obligare quamdiu talis res aut actus deseruit ad talem finem, non tamen si cesset finis. Exempla aptissima sunt quæ attulimus ex Angelo & Nauarro c. 12. nu. 17. si quis iuret non ingressurum talem domum, vel non alloquuturum cum tali persona, quia scilicet ipsi est occasio peccandi, obligat quidem Iuramentum quamdiu occasio illa durat; illa tamen cessante, quia fortè iam abest qui erat occasio, vel quia talis amicus mutauit mores, & ex improbo factus est bonus & studiosus, cessat obligatio Iuramenti vt rectè Suarius. Probatur hoc ipsum ex generali principio, quòd Iuramentum promissorium non obligat mutatis rebus ootabiliter; item ex principio suprà dato, quòd medium de se indifferens, si fiat inutile & impertinens ad finem honestum, iam non accipit honestatem ab illo. Præterea à satis probatur ex intentione iurantis, quæ solùm fuit cauere occasionem peccandi; & ideo, si iam non est occasio, non fuit sub Iuramento comprehensa. Huc spectat etiam quod dicitur assertione sequenti in fine.

Assertio 4. iurantẽ rem seu actum indifferentem tanquam mediũ conducens ad aliquẽ bonum finem Iuramento obligari.

Iuramentũ promissoriũ non obligat mutatis rebus notabiliter.

47. Asserendum est 5. Iuramentum de re quæ erat illicita, aut indifferens tempore quo fuit factum, non obligat etiamsi posteà desinat esse illicita aut indifferens, & fiat licita. Cootra hanc assertionem sentit Nauarrus c. 12. num. 89. qui est vltimus, dum ait obligare quando fit licita, si Iuramentum generaliter factum fuit de re illa, secùs, si specialiter specificando propter talem vel talem causam, & ea durante. Vnde ait eum qui generaliter iurauit seruare statuta alicuius communitatis, inter quæ vnum erat illicitum quia contra sacros canones pontificios, si posteà pontifex certâ scientiâ confirmet, illum teneri ex vi Iuramenti ad tale statutum seruandum. Item si quis iurauit ex odio, vel indignatione, vel impertinenter alicuius personæ domum non ingressurũ, si posteà in ea domo moretur persona quæ sit illi occasio peccati, durante ista occasione censet obligari, non tantùm ratione vitandi scandali, sed etiam ratione Iuramenti ad non ingrediendum illam.

Assertio 5. Iuramentum de re quæ erat indifferens aut illicita tẽpore quo fuit factum nõ obligare etiamsi posteà desinat esse indifferens aut illicita.

Contra sentit Nauarrus.

48. No-

48. Nostram nihilominùs assertionem contra Nauarrum docent Suarius lib 2. de Iuram. c.19.à num.16.Sanch.lib.1.de Matrim.disp.50. num.5. & 6.& in responsione ad 3.& in summâ lib.4.de voto c.7.nu.19.& cap.9.nu.26. Probari verò potest 1. ex generali illo principio quæ habetur Regula 18. de Regulis Iuris in 6. & l. *quod ab initio* ff.eodem titulo, scilicet quod ab initio fuit nullum, tractu temporis non confirmatur. Probatur 2. quia secundùm Panormitanum cap. *cum Clerici de verb. signif.* Iuramentum generaliter præstitum debet restringi quantum potest: nam vbi agitur de obligatione animæ, interpretatio strictè fieri debet, quod etiam docet Angelus Iuramentum 4.num.1. & Syluester Iuramentum 4.q.23. Tertiò probatur ex Sanch. loco citato, quia promissio emissa tempore inhabili, non obligat tempore habili, vt docet idem Panormitanus cap. *placuit* de conuersione coniugatorum per illum textum, & per caput *quidam* eodem titulo. Ex quibus constat, si coniugatus profiteatur religionem quando erat inhabilis, & postea moriatur vxor, non teneri ad religionem redire. Item si habens votum castitatis contrahat sponsalia, quia fuerunt nulla, non teneri ad ea, etiamsi posteà sit in voto dispensatus, & qui contraxit secunda sponsalia subsistentibus primis, non teneri ad ea, etiamsi posteà liberetur à primis, quia per prima inhabilis erat ad secunda vt suo loco ostendimus in Tract. de Matrim.disp.1 dubit.31.& aliis in locis. Confirmatur eadem assertio quia vt dicemus dubit. 5. assert.6.in fine. Si ipso eodem tempore quo quis iurauit non ingressurum certam domum, haberet in ea occasionem peccandi, sed ipse non iurauit ob vitandam talem occasionem, sed vel ex ira, vel ex vindicta ordinans rem ipsam promissam ad satisfaciendum iræ, sumendamúe vindictam, non obligatur tali Iuramento, quia finis ille malus est finis rei promissæ, vt constabit ex dicendis assertione 8. ergò multò minùs in nostro casu. Tándem quia votum de re impossibili non obligat, etiamsi posteà fiat possibilis vt docet Peña & Ludouicus Lopez 1.part.ca.43. versiculo *stultum est*, ergò pari ratione in nostro casu.

Probari potest primò ex generali principio quæ habetur regula 18. de regulis iuris. Probatur 2.

Probatur 3. ex Sãch.

49. Quinam verò ratione Iuramentum factum de seruandis statutis alicuius communitatis sit interpretandum, quod tetigit Nauarrus suprà citatus pro contraria sententia, latè disputat Sanch.lib.3.summâ c.13. & tandem probabilius putat tale Iuramentum simpliciter & absolutè præstitum minimè extendi ad futura statuta, nisi expressè ille qui iurat, ad ea velit extendere, quia Iuramentum strictissimi Iuris est, in quo etiam consentit Suarius suprà.

50. Addendum verò est cum eodem Sanch. lib 4.c.2.nu.50. quando Iuramentum fuit inualidum vt in casu huius quintæ assertionis, nunquam quidem conualescere, etiamsi materia quę tempore Iurandi sit illicita, posteà fiat licita; quando verò fuit à principio validum, sed posteà cessante causa cessat obligatio tunc nõ omnino extingui Iuramentum eiusque obligationem, sed suspendi; quapropter redeunte fine bono redit obligatio, atque hac ratione intelligenda est 4. assertio suprà posita. Vnde si illa persona quæ erat occasio peccandi redeat ad illam domum, iterùm redit obligatio Iuramenti, idemque dicendum est ait Sanch. de voto, atque idem dixerat de dispensatione cuius finis cessauerat posteà redit lib. 8. de Matrimonio disp.30.nu.17.

Iuramentũ quod fuit inualidum nunquam posteà conualescit.

Dubium incidens an error circa causam Iuramenti aut voti reddat ea irrita? vel cesset obligatio cessante causâ?

51. Occasione duarum assertionum præcedentium emergit dubium, idemque satis grauiter voto pariter & Iuramento commune, an scilicet error circa Iuramenti vel voti causam reddat ea irrita, & an cessatio causæ Iuramenti vel voti efficiat ipsorum obligationem cessare? Hac de re latè tractat & doctè Sanch. agens de voto lib.4.ca.2.a.nu.35. cuius nos sententiam secuti breuiter rem totam expediemus.

Dubiũ satis graue.

52. Asserendum ergo 6. errorem circa causam finalem siue sit principalis, siue minus principalis causa & finis irritare votum aut Iuramentum, ita vt non obligent, secùs verò errorem causæ impulsiuæ; sermo autem est de errore inuincibili, nam vincibilis error non irritat, qui enim dubitans de finis veritate, nec inquirens an sit verus, vouet aut iurat, censetur se in quouis euentu obligare. Item causâ finali voti aut Iuramenti cessante, cessat eius obligatio, non autem cessante solâ causâ impulsiuâ. Causa autem finalis censetur illa, quæ ita mouet ad emittendum votum aut Iuramentum, vt eâ deficiente votum non fieret, aut Iuramentum; quando verò duo fines concurrunt, ita vt quocunque deficiente non fieret votum, illa qui magis mouit dicitur principalis; qui verò minùs, dicitur minus principalis; causa autem impulsiua est quæ tantùm mouit ad citiùs, faciliùs libentiusúe vouendum, aut iurandum, ita vt eâ deficiente etiam votum fieret aut Iuramentum. Ex his autem definitionibus constat ratio nostræ resolutionis & assertionis: nam causa finalis inuoluntaria reddit votum & Iuramentum inuoluntarium, non verò causa impulsiua: vnde si quis vouisset, vel iurasset ire Romam, credens confessam indulgentiam peregrinantibus Romam, ita motus indulgentiâ, vt eâ cessante non voueret si circa indulgentiam errauit, vel si indulgentia semel concessa reuocaretur, non tenebitur ire, si verò cessante indulgentiâ voueret, sed non ita libentur, tenebitur quidem ire, etiamsi indulgentia non sit. Item si vouit ire sacco indutus, putans indulgentiam concessam solùm euntibus sacco indutis, ita vt si non esset indulgentia voueret quidem ire, sed non sacco indutus, tenebitur adhuc ire, sed non sacco indutus; in tali enim causa indulgentia respectu peregrinationis fuit tantùm causa impulsiua, respectu verò circumstantiæ sacci fuit causa finalis.

Asserendũ 6. errorem circa causã finalem siue sit principalis siue minus principalis irritare votum & Iuramentũ secus errorẽ causa impulsiuæ. Causa finalis censetur illa.

Causa impulsiua est.

Ex his definitionibus cõstat ratio nostræ assertionis.

53. Ex hoc infertur quid dicendum sit quando mater pro impetranda filij salute vouet ieiunium, & anteà moritur filius. Qua in re Ludouicus Lopez 1.part.c.44.putat teneri ieiunare. E contra verò Angelus v. *Votum* 3. in principio teneri negat. Mihi verò placet hac in re distinguendum

Casus controuersus.

Authoris sententia; cum distinctione.

guendum esse: nam si salus filij fuit finis, ità vt eâ desperatâ non voueret, non obligatur; si verò tantum fuit causa impulsiua, qui eâ etiam desperatâ voueret, obligatur, idemque iudicium est de alijs similibus casibus vt rectè Sanch. suprà num 48. si verò dubitetur de mente iurantis aut vouentis, an motus fuerit tanquam à causa finali vel impulsiua, id iudicandum erit ex affectu iurantis & magno desiderio obtinendæ rei mouentis illud ad iurandum, & ex affectu ad rem promissam seu iuratam seclusâ eâ causâ. Et quidem frequentissimè hæ causæ sunt finales, saltè minùs principales, & ideò non consurgit obligatio. Quando verò rationes vtriusque partis probabiles existunt, ita vt opinionem generent, licebit alterutri parti, etiam minùs probabili adhærere. Si verò adhuc res maneat dubia, satis controuersum est an obliget vel non obliget.

Quid si dubitetur de mente vouentis an motus fuerit à causa finali, vel impulsiuâ.

Probabilis aliquorum opinio.

Quidam satis probabiliter putant non obligari, & in hoc casu putant esse locum quod in dubio melior sit conditio possidentis: alij verò probabiliter putant obligare. ita Angelus votum 3. nu. 5. Syluester votum 2. q. 8. Azor lib. 11. c. 15. q. 13. Sanch. lib. 4. c. 2. nu. 52. quia cùm constat de ipso voto aut Iuramento, non stat possessio pro libertate voluntatis, sed pro illo vinculo dum vouens aut iurans non se exonerat ostendendo verè causam finalem cessasse aut falsam fuisse. Item quia in hoc dubio præsumptio fori externi stat pro voti aut Iuramenti verbis tanquam certis, & in fauorem voti iudicaretur translato onere contrarium probandi in vouentem; ergo dum aliud in foro conscientiæ non constat, standum est in foro conscientiæ huic præsumptioni. Hæc sanè sententia quoad praxim omninò sequenda & consulenda videtur propter probabilissimas rationes & Authorum grauitatem & authoritatem.

Hæc sententia quoad praxim sequenda.

Spectata tamè præcisè ratione, opposita sententia maximam probabilitatè habet. Ratio Authoris.

54. Si tamen præcisè ratione agamus, non videtur res vsque adeò efficaciter probari, quin oppositæ sententiæ probabilitas maximum locum habeat. Et vt omittam alias rationes quas alibi me attulisse memini, sufficiat nunc illud principium satis probabile multorum Authorum contra graues alios, scilicet dubitantem an votum vel Iuramentum emiserit, aliamúe promissionem, non teneri tali voto. Ita docent idem Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 9. num. 11. & lib. 2. disp. 41. nu. 42. aliíque multi, quos posteà referemus dub. 17. in secunda assertione agentes de Iuramento dubio, sed in hoc casu eo ipso quod dubitetur de existentia finis, dubitatur de existentia voti essentialiter dependentis à tali fine, vt supponimus, ergo absque sufficienti fundamento dabimus certam obligationem propter incertam causam illius, & priuabimus hominem sua libertate, quam certò possidebat voto non emisso propter votum quod emissum esse non constat; quamuis enim constet de verbis talis voti si votum fuit verbis externis, tamen non constat de voto valido, & de vinculo illius; solùm enim habet vim vinciendi & obligandi votum aut Iuramentum, quod est verè votum aut Iuramentum cum omnibus essentialiter requisitis; atque adeò tum non constat habuisse omnia essentialia requisita, non constat esse votum, ergo est dubium voti. Nec argumenta in contrarium probant; negandum enim est ad primum constare de ipso voto, & multò minùs de possessione ipsius, quia non constat fuisse, non constat possedisse. Secundum verò argumentum de foro externo ita iudicante, facilem habet solutionem, quia forum externum eo ipso quod illi constat verba voti fuisse prolata cum alijs circumstantiis externis, habet omnia quæ ad suum iudicium sufficiunt ad iudicandum in fauorem voti aut Iuramenti emissi, & illi non constat de dubio interno animi circa finem, atque adeo eo ipso quod videt fuisse verba exprimentia votum, meritò præsumit votum sine vlla conditione expressa exteriùs circa talem finem iudicat illud esse votum absolutum; si verò foro exteriori potuissent æquè benè rationes dubitandi pro vtraque parte innotescere, negandum omninò est tale forum debere iudicare in fauorem voti; quin potiùs in fauorem libertatis. Ratio huius videtur efficax, quia si foro exteriori tam fortes rationes dubitandi innotescerēt, vt meritò prudens iudicium suspenderetur, & in neutram partem assentiendo inclinaret, non posset iudicare pro altera parte, quòd scilicet votum subsisteret vel non subsisteret, atque adeo iudicaret quod neque de voto constat, neque de non voto propter rationes dubitandi contra finem requisitum ad essentiam voti, & propter rationes dubitandi in partem contrariam, quæ simul expensæ relinquunt mentem in æquilibrio; quando autem mens prudenter est in æquilibrio, quale est purum dubium, standum est pro possessore qui antecedenter possidebat; hic autem homo est qui possidebat suam libertatem antequam superueniret votum dubium & non certum; quale contendimus esse hoc votum, in quo dubitatur de causa finali essentialiter requisita ad tale votum subsistendum.

Argumenta in contrariū, non probant.

Argumentum de foro externo facilem habet solutionē.

Ratio efficax.

Verum est illud principiū, quod forū externumq́; & internū idem iudicent: nisi externū ducatur falsà præsumptione.

55. Illud autem principium quod forum externum & internum idem iudicent, nisi quando externum ducitur falsa præsumptione, quia illi non plenè constat veritas rei, omninò verum est, & habet locum in nostro casu. Ideo enim forum externum aliter iudicat de tali voto exteriùs quidem emisso, etiamsi interiùs sit dubium de causa finali, quia non præsumit tale dubium internum; neque enim forum externum iudicat adesse nisi quod illi probatur adesse per idoneum argumentum externum. Vnde nisi probetur tale dubium internum, tantum iudicabit de voto externo vt sonat emisso, non admittendam subsistentiam dubij; quia verò in foro interno conscientiæ de dubio constat, iudicatur de tali voto tanquam de voto cuius est tale dubium: vnde forum externum differt ab interno in hoc casu, quia externum ducitur falsa præsumptione non iudicando reuera esse tale dubium, quia illi per argumenta externa non probatur; cum tamen in foro externo constet de veritate subsistentiæ talis dubij, quod dubium si constaret in foro externo, deberet etiam iudicare in fauorem libertatis hominis qui certò possidebat suam libertatem secluso voto aut Iuramento; non verò in fauorem voti aut Iuramenti de cuius possessione non certò constat, cùm neque de eius existentia certò constet vt probatum est.

56. Asse-

Asserendū 7. per errorem circa rei promissæ aut iuratæ substantiam tollit obligationem Iuramenti &c.

56. Asserendum est 7. eodem modo philosophandum est de errore aut mutatione circa rei promissæ aut iuratæ substantiam, aut circa substantiales circumstantias & difficultates quātum ad irritandum votum ad Iuramentum eiusue tollendam obligationem, ita vt nullam pariant, vel parta iam cesset, qua de re latè disputat Sanch. citato lib. 4. c. 2. à principio. Dicendum enim est, quòd si tempore quo fit votum, aut Iuramentum, fuit in vouente aut iurante positiuus error circa rei promissæ, aut iuratæ substantiam, id est circa difficultates magni momenti, notabiliterque existimationem vouentis aut iurantis superantes, quibus cognitis non vouisset aut iurasset, tale Iuramentum aut votum est irritum, quia inuoluntarium, secùs verò si error sit circa circumstantias accidentarias, id est quæ non sint magnæ considerationis, nec excedant notabiliter vouentis aut iurantis existimationem. Pari ratione, si tempore voti aut Iuramenti non fuit error, sed posteà fit mutatio in rebus, ita notabilis, vt quasi in alio statu constituat rem promissam aut iuratam, ita vt videatur diuersa res ab ea ad quam se intendit obligare, non obsistet obligatio. Secùs verò si mutatio fit in circumstantiis parui momenti.

Regula quā multi hac de re tradunt nō est semper infallibilis.

57. Vnde illa regula quam multi Authores tradunt, nempè quòd id liberat à voti aut Iuramenti obligatione, quod si à principio accidisset aut notum fuisset, non fieret votum aut Iuramentum, non videtur regula semper & omninò infallibilis; ideò enim impugnant Caietanus q. 88. a. 3. columna penultima versiculo *ad hoc dicitur*, & in summā verbo votum cap. penult. in fine, & q. 113. ad finem, Sotus lib. 7. q. 2. a. 1. ad 3. item q. 1. a. 2. Nauarrus cap. 11. num. 12. in fine & n. 39. Ludouicus Lopez 1. p. c. 43. in fine, Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4. in fine & disp. 5. q. 20. punct. 4. assert. 4. Vasquez 1. 2. disp. 3. c. 4. nu. 28. Sanch. citato cap. 2. nu. 3. & 6. & 19. & 23. Ratio verò est, quia si ea regula vniuersaliter vera esset, nihil firmum esset in rebus humanis, neque vllus firmus contractus, quia sæpè ignorantur aut contingunt aliqua, quæ si fuissent præuisa, non fierent vota aut Iuramenta, nec contractus celebrarentur, nec contrahentes se obligarent: prætereà, quia vt rectè probant Vasquez & Valentia, non satis est fore, vt si quis aduerteret, vellet aut nollet, vt subinde censeatur virtute velle aut nolle, quia conditio illa nihil ponit in esse, sed opus est aliquo actu, saltem virtuali in voluntate, qui cum casum excludat, volens in eo non se obligare, quod tunc tantùm contingit, quando substantia rei promissæ, aut iuratæ, aut finalis causa promittentis mutatur, aut aliter se habet.

Prædictam nostrā sententiam limitant Vasquez. & Sanch.

58. Vnde prædictam assertionem nostram & doctrinam traditam limitant Vasquez & Sanch. vt locum habeat, nisi talis error non dederit causam contractui, qui nimirum ita affectus erat ad rem promissam iuratam, vel ad contractum, vt etiamsi nosceret eas circumstantias, nihilominùs voueret, iuraret, aut contraheret; tunc enim talis error aut mutatio non irritat votum, Iuramentum aut contractum, etiamsi error sit circa substantiam, de quo etiam alibi non semel diximus in nostro opere de Iustitia.

Nō est vniuersaliter vera regula quā alij tradunt.

59. Eadem ratione non est vniuersaliter vera alia regula, quam alij tradunt, nempè eam mutationem satis esse ad deobligandum quam vouens, iurans, aut contrahens de hac interrogatus dicit futurum fuisse, vt non se obligasset si prænosset; quam regulam ex instituto impugnant Caietanus, Sotus & alij; quia alioquin frequentissimè dissoluerentur omnes promissiones, omniaque vota & Iuramenta cessarent, cùm similis aliqua mutatio rerum frequentissima sit. *Ratiō.*

Hæc regula limitanda sit iuxta nostram assertionē.

60. Verùm enim verò hæc etiam regula limitanda est iuxta nostram assertionem, & vt rectè asserunt Caietanus in illa qu. 113. ad finem, & Molina de Iustitia disp. 272. Sanch. lib. 4. c. 2. nu. 22. & indicat Nauarrus c. 12. nu. 11. & 39. & c. 18. num. 7. in fine. Hæc mutatio prudentis arbitrio æstimanda est spectatis quantitatis & qualitatis mutationis rerum, collataque mutatione hac cum materia, seu re promissa, aut iurata. Exempla circa primam partem assertionis adhibent Sotus in posteriori loco citatus, & alij cum illo, vt si quis vouisset ingredi religionem deceptus ab alio circa obseruantiam delectus ciborum, aut ieiuniorum, aut alterius rei, valdè difficilis in ea religione quam vouit, in quo casu votum non obligat, secùs verò si circa alia minutiora decipiatur. Hæc Sotus. Quod intelligendum est de voto simplici; nam votum solemne religionis, & vota simplicia Societatis IESV emissa post biennium, per nullum errorem fiunt irrita, nisi error sit in ipsa substantia religionis, vt si quis putans se profiteri ordinem D. Francisci, profiteretur ordinem D. Dominici; sicut enim matrimonium solius personæ error irritum facit, ita & professionem, quæ est assimilis matrimonio, & censetur quoddam matrimonium spirituale, vt rectè probat Sanch. lib. 10. de Matrimonio disp. 9. à nu. 18. cùm tamen sponsalia, & vota simplicia multæ aliæ causæ erroris, seu mutationis irrita facient. Secundò Sotus ibi & Arragon q. 88. a. 1. & Rodriguez 2. part. summæ c. 92. nu. 4. adhibent exemplum, vt si quis ab alio deceptus putet Romam non longè distare atque Hierosolymam, possit absque nauigatione adiri, voueat ire Romam, vel Hierosolymam, non ligatur voto, secùs verò si deciperetur tantùm in re parui momenti.

Exempla Soti & aliorum ad primā partem assertionis.

Limitat Author.

Addit primò Sanch.

61. Addit Sanch. lib. illo 4. c. 2. num. 11. idem esse dicendum, quando error à seipso prouenit putante inuincibiliter, aut probabiliter aliquam notabilem circumstantiam aliter se habere, quia ratio prædictæ irritationis nō tam est iniuria vouenti irrogata (vt videntur significare prædicti Authores) quàm defectus volūtatis circa notabilem circumstantiam, nec Deus, cui vouetur, intulit iniuriam in eo casu, neque homo decipiēs.

Addit secundū Sanch. ad dignoscendū an circumstātia aliqua sit substantialis aut accidentalis &c.

62. Addit secundò Sanch. nu. 12. ad discernendum an circumstantia aliqua sit vel substantialis vel magni momenti, aut tantùm accidentalis, vel parui, non esse attendendam ipsam circumstantiam secundùm se, & absolutè, sed in ordine ad materiam promissam, idque prudentis arbitrio. Hac ratione error quinque leucarum magnus erit & notabilis in peregrinatione ad locum, quem quis solis quinque putabat distare, attamen distat decem; è contra verò decem leucarum error non erit notabilis respectu loci

quem existimabat vouens distare solis centum, cùm tamen distet centum & decem.

Exempla circa secũdam partẽ assertionis. 63. Circa secundam partem assertionis exempla adhibent non pauca, Sylvester v. *Iuramentum* 3.q.1. maximè §. 3. & Angelus *Iuramentum* 4 & aliqua habentur expressè in Iure Canonico; nam cap. *Quem de iureiurando*, habetur casus de eo, qui iurauit sponsalia cum virgine, quæ posteà fornicata est qui ideo non obligatur. Eâdem ratione qui iurauit reddere gladium, non tenetur reddere si repetatur in furia, & vniuersum quoties promissio aut contractus definit obligare propter notabilem mutationem rerum quod sæpè contingere docuit Seneca relatus à D.Thoma 2.2.q.110.a.3.ad 5. quia Iuramentum sortitur naturam & conditiones actus cui adiungitur (quamuis cum limitatione posteà explicandum) atque ita hoc vniuersaliter docent Innocentius Panormitanus & alij quos refert & sequitur Guttierrez de Iuramento c.34.nu.4 Molina disp. illa 272. notabili 3. Sanch. lib.4.cap.2. nu.20.& 29. aperteque colligitur ex citato cap. *Quem* & cap. *Petitio* & cap. *Leui* & cap. *Veniens* de Iureiurando. Hinc fit vt ratione ingratitudinis superuenientis desinat obligare promissio homini facta etiam Iuramento firmata, cùm etiam donatio perfecta possit ratione illius reuocari L. finali C. de Reuoc. don. atque ita docet multis citatis Authoribus Sanch. suprà c.2.num.32.& nos diximus in nostro opere de Iustitia in Tractatibus de Promissione & Donatione. Item quia promissio non obligat quando ea superuenit mutatio vt res promissa magis noceat promittenti quàm sit vtilis promissario, vt si aduocatus suum patrocinium promisisset alicui, & interim superueniret morbus proprij filij, cui necessariò debeat subuenire, nec subueniendo possit patrocinium præstare vt docet Caiet. q. 113. ad finem, & Nauarrus c.18.nu.4. in summâ Hispaniæ; ideo etiamsi iurauerit patrocinari, non tenetur vt docet Sanch. c.2.nu.31. Vlteriùs qui iurauit aut vouit iturum Hierosolymam, aut ingredi religionem si superueniat perpetuus morbus aut debilitas, non tenetur voto aut Iuramento, vt docet Sotus lib.1. de Iustitia q.7.a.3. Idemque iudicium est de eo qui adolescens vouit religionem, & iam ita est senex vt viribus ad religionis onera subeunda destitutus sit, tunc enim est notabilis rei promissæ mutatio respectu huius, vt relato Victoria docet Ludouicus Lopez 1.part.c.44.& Sanch. lib.4.c.2.num.3. qui rectè addit hoc esse verum etiamsi sua culpa tempore iuuentutis non impleuerit id votum, quia quoad hanc obligationem imposterum exequendam nihil id refert, nec tenetur petere commutationem, imò nec obligatur etiamsi monachi eum velint recipere. Hac etiam ratione qui iurauit ire Romam, posteà verò superuenit hostium exercitus occidentium aut molestantium illuc transeuntes, non tenetur ire. Prætereà iurauit quis dotaturum aliquam, & interim tale subiit infortunium suarũ rerum, vt sit extra statum in quo promisit, non tenetur, vel si ratione amicitiæ promissio facta est, & posteà orta est magna inimicitia data causa ex parte illius cui facta est promissio, non tenetur dotare, quia cùm ille alius non seruauerit amicitiæ fidem, neque cum eo seruari debet fides promissionis quæ in tali amicitia fundata erat. Ita Sotus lib. 7. de Iustitia q.2. corollario 1. Mercadus lib.6. de contractibus c.16. in principio. Item non obligat Iuramentum quando ille cui præstitum est frangit fidem iuranti. Ita Nauarrus c.18 num.7. Abbas & Cinus quos refert & sequitur Sylvester Iuramentum 4. & Tabiena v. Iurare q.28. Azor lib.11.ca.8.q.4. Rodriguez 2.part. c.27.n.1.

Iuramentũ sortitur naturam actus cui adiũgitur.

64. Verùm omnes Authores limitant hunc casum vt locum habeat doctrina quando illæ obligationes mutuò se respiciunt, vnaque ab alia pendebat quia vterque promisit intuitu promissionis sibi ab altero factæ. *Omnes authores limitant hũc casum.*

65. Nihilominùs absolutè doctrinam veram puto absque hac limitatione; omnis enim promissio, etiam absoluta, eam tacitam conditionem habet, si alter postmodum non se præbeat ingratum, qualem reuera se præbet non implendo quod aliàs promiserat; atque ita docent expressè Mercadus lib.6. cap.16. Molina disp. illa 272. ad finem, Sanch. lib.3.c.17.nu.16. Legantur quæ dicemus infrà dub.17. assert.3. cõditione 4. *Authoris doctrina absq; limitatione.*

66. Tria verò sunt notanda circa doctrinam traditam; primò quòd illud axioma scilicet Iuramentum sortiri naturam & conditiones actus cui adiungitur, patiatur aliquot limitationes, quâ de re agemus infrà dub.11. difficultate 2. vbi dicemus deficere saltem in omni Iuramento confirmatorio contractus inualidi, & posteà dubit. 12. assert. 1. obiectione 2. probabimus deficere quoties causa irritans promissionem aut contractum non est eadem in Iuramento illi adiuncto, vt contingit in Iuramento desoluendis vsuris, aut in Iuramento metu extorto, & dub. 17. assert.3. conditione 4. dicemus Iuramentum sequi naturam contractus primordialem tantùm; non verò accidentalem. Quis autem sit verus sensus prædictæ regulæ seu axiomatis, dicemus citata dub.12. eâdem assert.1. obiectione 2. *Tria notãda circa doctrinam traditam primò. Quod Axioma suprà positum patitur varias limitationes.*

67. Secundò notandum est, si prædictæ mutationes in materia voti aut Iuramenti sint perpetuæ, omninò extingui obligationem Iuramenti aut voti; si verò tantùm sint temporaneæ obligationem suspendi pro illo tantum tempore, quo transacto iterum consurgit obligatio iuxta dicta in simili suprà assertione 5. in fine, siue talis mutatio sit ex eo quod materia quæ à principio erat bona redditur posteà ob aliquam circumstantiam mala, aut indifferens, aut maioris boni impeditiua, siue quia materia erat facilis tempore voti aut Iuramenti, posteà verò redditur nimis difficilis aut impossibilis; exempli gratiâ iurauit quis aut vouit ieiunare omnibus sextis feriis, incidit in morbum, si morbus sit perpetuus, extinguitur obligatio; si verò sit tantùm ad tempus, suspenditur. Idem est si accidat pauperes in Xenodochio valde indigere ministerio vnius hominis incompossibili cum ieiunio, vel si ipse indigeat suis operis cum ieiunio incompossibilibus ad subueniendum parentibus, vel familiæ suæ, vel ad soluendum creditoribus, & sic de aliis, arbitrio prudentis iudicandum est, lateque docet Sanch. lib.4. c.2.nu.24. Sic etiam qui dum esset diues promisit eleemosynam, deinde verò in tantam egestatem deuenit vt nequeat implere, excusatur pro tunc; *Secundò notandum est quid dicendum quãdo mutatio materia voti aut Iuramenti, est perpetua & quando tẽporanea tantum.*

quod

quod si postmodum in pinguiorem furtunam deueniat, tenebitur. ita Paludanus in 4. distinct. 38. q 3. a. 4. concl. 2. no. 24 Antoninus 2. part. tit. 11. c. a. §. 4. Molina disp. 272. columna 4. notabili 2. Sanch. lib. 4 c. 2. num. 24. Sed Molina quandam adhibet limitationem, quam optimè examinat & restringit Sanch. eodem cap. nu. 50. in qua nunc nec vacat nec iuuat immorari.

Tertiò notandum est quòd dicendum sit quoties dubium aut suspicio est an mutatio sufficiat ad deobligandum.

68. Tertiò notandum est quoties dubium est, aut suspicio an mutatio sit tanta vt deobliget à voto, Iuramento vel promissione, iudicandum esse in fauorem eorum vinculorum, ac proinde ea obligare; hoc tamen intelligendum est iuxta omnia dicta assertione 6. in quo etiam Sanch. consentit cap. illo 2. nu. 34. Quod si sequamur doctrinam quam vltimo loco ibi tradidimus, scilicet quando ab initio non fuit certum quod votum aut Iuramentum factum fuerit cum omnibus requisitis vt esset voluntarium, sed dubitatûr prudenter de aliqua circumstantia necessariò ad id requisita, standum erit iuxta ibi dicta pro libertate hominis de cuius possessione certò constat, & non constat in eo casu de subsistentia voti cum suo valore essentialiter requisitu, quantumuis constet verba voti aut Iuramenti fuisse prolata; si verò iam semel votum, vel Iuramentum cœpit possidere suam vim obligandi; quia ab initio constat fuisse factum cum omnibus requisitis, posteà verò oritur dubium an facta fuerit aliqua mutatio, ratione cuius tale votum aut Iuramentum desinat obligare; tunc vera est doctrina huius tertij notabilis, & mihi placet Sanch. qui eam tradit loco citato. Vbi rectè docet excipiendum esse ab hac regula casum, quo talis sit materiæ mutatio, vt dubitetur an in eum euentum materia sit bona, an potiùs mala, vel an sit corporali saluti promittentis nocens; in tali enim dubio non erit obligatio voti vel promissionis; nam eo dubio perseuerante peccatum est sic operari. Quando verò pro vtraque parte sint opiniones probabiles vtrilibet etiam minus probabili adhærere.

Aliquid addendum ex sententia authoris.

69. Imò meâ quidem sententiâ addendum adhuc est, quando sunt opiniones probabiles pro vtraque parte, quod grauiter & notabiliter nocebit saluti corporali, etiamsi probabilior præcisè rationibus stando appareat opinio quæ docet rem illam promissam non nocituram adhuc non solùm consultius esse à tali opere abstinere, sed etiam secluso voto aut Iuramento, vel cum illis illicitum esse non abstinere; in hoc enim differunt opiniones probabiles pro vtraque parte circa materiam merè physicam, & opiniones probabiles pro vtraque parte circa materiam merè moralem, quòd in materia morali vtrauis pars eligatur, semper sic operans euadit periculum & nocumentum animæ, etiamsi contingat reipsa eam opinionem falsam esse; nam eo ipso quòd probabilem sequitur opinionem circa talem materiam, non potest materia esse animæ nociua, Quando verò sunt opiniones probabiles circa materiam pertinentem ad nocumentum corporis, etiamsi probabilis sit opinio, quæ docet, iuxta principia probabilia physicæ aut medicinæ, rem illam notabiliter non nocituram; tamen, quia etiam probabile est quod nocitura sit, & fieri potest vt hæc pars sit vera, quantumuis opposita probabilis appareat, atque adeò fieri potest si tale opus fiat vt noceat notabiliter facienti non obstante probabilitate alterius partis; Hinc est, vt rationi consonum non sit sic operari cum probabili periculo salutis corporis, quod periculum reipsâ subitur in eo casu; non tamen in alio, quando solùm agitur de nocumento animæ vt explicatum est certè illud videtur negari non posse quod subsistente tali dubio: melius sit (nisi aliæ causæ vrgeant ad exponendum se tali periculo) ab eo opere abstinere, atque adeo desinit esse materia voti aut Iuramenti quæ talis debet esse, vt oppositum non sit melius & gratius Deo.

Differentia opinionum probabilium circa materiam merè physicam & materiam merè moralem.

Asserendum 8. Quoad votum aut Iuramentum rei bonæ propter malum finem.

70. Asserendum est 8, quando quis vouet aut iurat rem bonam propter malum finem, si finis ille sit ipsius rei promissæ aut iuratæ, ita vt iurans aut vouens solùm intendat, vt velit rem promissam aut iuratam ad obtinendum malum finem, tale votum aut Iuramentum est irritum, & non obligat: si verò sit finis solius voti, seu vouentis sæpissimè, obligat, quamuis non semper; exempli causâ, vouet quis se largiturum eleëmosynam ad aucupandam inanem gloriam ex ipsa largitione eleemosynæ, non obligatur tali voto si verò vouit eleëmosynam daturum, vt ex ipso voto seu promissione compararet gloriam ab astantibus promissioni, & eam audientibus, tenetur tali voto. Ratio autem discriminis est quam assignat Suarius lib. 5. de voto cap. 5. num. 1. quia in priori casu finis ille seu motiuum cum teneat se ex parte materiæ, fit pars materiæ promissæ seu iuratæ, atque adeo reddit illam malam. In secundo verò casu, cùm finis ille se tantùm teneat ex parte ipsius actus vouendi, seu volendi vouere, vel (vt alij loquuntur) tantùm finis sit ipsius vouentis, res promissa omninò licita est. Ita Caiet. 2. 2. q 88. a 2. dub. 4. quem ferè omnes Doctores sequuntur; quamuis autem aliam ibi tertiam distinctionem adhibeat de fine applicationis ad vouendum, nihilominùs, vt rectè expendit Suarius, talis finis applicationis idem est qui finis voti, & ideò meritò ad duo prædicta membra distinctionis reducunt Azor lib. 11. cap. 15. q. 3. & Sanch. lib 4. moralium cap. 6. nu. 11.

Aliud dicendum quando finis malus se tenet ex parte materiæ, quàm quando se tenet ex parte actus vouendi.

71. Quænam verò regulæ seruandæ sint ad dignoscendum quando obliget votum aut Iuramentum, cuius malus finis tantum sit finis voti aut Iuramenti, disputauimus in materia de voto, quia in voto habet locum frequentiùs, in Iuramento verò non ita; vnde non desunt qui excusent ob hanc doctrinam non obligari ad ingrediendam religionem eum, qui iratus parentibus, eò quòd nollent & pecunias dare, sciens eos ægrè laturos si religionem intraret, iurauit, vt eis molestiam exhiberet, se ingressurum religionem. Quæ resolutio casus mihi non displicet, nec displicuit quando hac de re sententiam fui rogatus: nam finis ille vindictæ & molestiæ fuit finis rei promissæ, & tota ratio quæ illum mouit ad rem promissam, fuit, non quidem affectus ad religionem, sed ad molestiam exhibendam parentibus ipso ingressu quem promisit. Si tamen eius intentio fuisset illis molestiam exhibere solâ comminatione ingressus, alij putant obligari Iuramento. Mihi tamen hoc diffi-

ctiè apparet, imo oppositum adhuc ceusetem, scilicet non teneri etiamsi finis mouens fuerit finis operantis & illius comminationis, quod planè colligitur ex dicendis disp. 4. dub. 4. post 3. assertionem. Ratio verò est, quia in tali casu Iuramentum illud comminatorium non fuit factum intuitu pietatis, nec vlla promissio fuit facta Deo, sed tantùm homini, scilicet parentibus, & doctrina huius nostræ assertionis locum habet in Iuramentis quæ fiunt Deo, & intuitu pietatis (de his enim nunc loquimur) ita vt saltem concomitanter intendatur pietas. Vnde etiam concedendum est iuxta dicta, eum, qui vouet eleemosynam coram aliis, vt ex ipso actu vouendi aucupet vanam gloriam, non manere obligatum si illi certò constet nihil pietatis intendisse, sed tantùm vanam gloriam, imò si prudenter id dubitet eodem modo philosophandum est, si sequamur ad id quod vltimò diximus in 6. assertione.

72. Ex hoc infertur, etiam illum qui suæ concubinæ iurauit se amplius non fore illi amicum nec peccaturum cum illa, eo solo fine vt eam contristaret, quia nolebat cum ea tunc peccare, non manet Iuramento obligatus, quod etiam probatur ex dicendis dub. 5. assert. 6. in fine. ibi legatur prædictam generalemque doctrinam colligo ex Azor, Sanch. & Suario suprà. Et clariùs adhuc ex eodem Suario lib. 2. de voto ca. 2. nu. 9. versiculo *tertium autem exemplum* & nu. 13. & 14. & c. 4. n. 3. & 4.

Doctrina præcedentis assertionis limitanda. 73. Verùm vt rectè notat Suarius in hoc vltimo loco, doctrina hæc octauæ assertionis huiusque explicata locum habet, quando malus finis est totalis finis, non verò si sit tantùm partialis aut impulsiuus; vnde quando hoc accidit, vtendum est doctrina tradita assertione 6. Atque hinc est quod ille qui iurat aut vouet ingredi aliquam religionem vt lautè viuat, & plura bona possideat (vt sunt aliqui Abbates, qui vt obtineant pinguem Abbatiam, quam quia sine emissa solemni professione obtinere non possunt eam professionem emittunt) communiter obligatur tali voto aut Iuramento quia communiter vult & intendit simul ipsam honestatem religionis. Si verò solùm intenderet lautè viuere, & bonis abundare non obligaretur, sed esset irritum tale votum, non solùm ingrediendi religionem, sed professionis emissæ vt latè docet Sanch. lib. 4. cap. 6. num. 54. cum Nauatro comment. 2. de Regul. num. vlt. & Tabiena votum 2. in fine.

Assero 9. De Iuramento aut voto facto ob finem indifferentem idem dicendum, quod de facto, ob malum finem. 74. Assero 9. Quod dictum est de Iuramento aut voto facto ob malum finem, dictum puta etiam de facto ob finem indifferentem vt indicat Suarius vltimo loco citato, & expresse docet Sanch. lib. 4 c. 7. num. 52. vbi referens Nauarrum c. 12. nu. 28. docet Iuramentum aut votum eundi Romam, vbi tot sunt reliquiæ Sanctorum, si non causa reliquias adorandi, sed tantùm vrbis illius inuisendæ gratiâ factum fuit, irritum esse, & adhuc expressiùs hoc ipsum docet idem Sanch. eodem c. 7. nu. 25. asserens si quis voueat ieiunium illud tātùm ordinans vt sumptibus parcat, vel vouet eleēmosynam ad solam auaritiæ opinionem vitandam, vel abolendam, neutri rei promissæ alium finem honestum adiiciens, irritum esse votum; reddit verò rationem, quia cùm in moralibus species rei sumatur à fine, talis est res qualis est finis; ergo sicut si finis illius rei promissæ esset malus, ipsa quoque mala esset, ita si finis rei promissæ sit indifferens, ipsa quoque indifferens erit, votum autem rei indifferentis non obligat, ergo neque hoc votum.

75. Assero 10. Quando constat de fine intento à iurante, vel vouente, & dubitatur an finis ille intentus sit malus aut bonus, in tali dubio non obligat iuxta suprà dicta, vt rectè docet Sanch. c. 6. nu. 24. quia operari cum conscientia dubiâ malum est. *Assero 10. cum constat de fine à iurante intento sed dubitatur, an sit bonus vel malus, nō obligat.*

Quando verò dubium est de fine an fuerit finis rei promissæ aut iuratæ, vel an fuerit voti aut Iuramenti, tunc præsumendum est in fauorem valoris voti aut Iuramenti iuxta doctrinam primo loco datam assert. 6. intelligendum tamen est cum limitatione, nisi ex communiter accidentibus præsumatur fuisse finem rei promissæ seu iuratæ, & non voti aut Iuramenti; Quâ ratione idem Sanch. lib. 4. c. 6. nu. 22. contra Caietanum docet non obligari concubinam voto non nubendi coram suo nuali facto, quando dubitat an id fecerit solùm vt tali amasio placeret, vel etiam amore continentiæ, quia nihil minùs huius farinæ mulierculæ, earumue amasij, amant aut cogitant, quàm castitatem, neque eam intendunt, sed prauam quandam fidelitatem, quam cupiunt in eo turpi amore non violari. Eâdem ratione c. 7. nu. 28. docet, quando quis dubius est an finis indifferens intentus fuerit finis rei promissæ, vel voti, ex communiter accidentibus esse præsumendum finem voti; atque adeo obligare, quia communiter intendunt homines per hæc vota inclinare Deum ad concedendas eas res temporales indifferentes, & nu. 30. docet idem cum Richardo vota pro rebus temporalibus obtinendis communiter includere implicitam conditionem, si illæ obtineantur, ac proinde eis non obtentis minimè obligare, & in dubio intentione ita esse præsumendum; quamuis non negauerim sæpè etiam homines absolutè se obligare vt eâ maiore liberalitate flectant Deum ad concedendum. *Limitatio.*

76. Verùm enim verò cùm in eâdem assert. 6. diximus dubium de mente & intentione iurantis, aut vouentis circa finem qui sit causa iurandi & vouendi, reddere votum dubium, atque adeò iuxta illum modum philosophandi non constare de possessione ex parte voti aut Iuramenti; ideoque fauendum esse libertati quam alias possidet homo, eodem modo philosophandum in hoc casu iuxta illam doctrinam quando dubium sit finis rei promissæ, vel iuratæ fuerit vel an potiùs fuerit finis voti aut Iuramēti.

DVBITATIO IV.

An vota seu Iuramenta non mutuandi, non fide iubendi, non petendi dispensationem, aut relaxationem sint irrita & peccata?

77. QVæ in hoc dubio proponuntur ex doctrina generali data præcedenti dubitatione,

tatione, iam videntur expedita; Nihilominùs propter specialem aliquam difficultatem in propriis materiis, placuit de illis seorsim disputare.

Assero 1. 78. Assero ergo 1. vota seu Iuramenta non mutuandi, aut non fide iubendi, communiter & ordinariè irrita sunt, quia contra consilia Euangelica, & contra virtutem misericordiæ.

Doctrina multorum authorum. 79. Colligitur hæc doctrina ex 1. assertione dubitationis præcedentis, eamque docent communiter Authores. Abbas cap. si verò de Iureiur. Angelus Iuramentum 5.nu.4. Syluester Iuramentum 4.q.29. Caietanus v. *Votum* cap.2 Sotus 7. de Iustitia q.1.a.3.dub.2. circa 5. conclusionem. Nauarrus cap.12.nu.16. Couarruuias 1. part.de Pactis §.6.num.7. Guttierrez alios referens 1.part.de Iuram.c.72.à num.5. Azur lib.11. c.5.q.1. Arragon q.88.a 2.dub.2. circa 5.concl. Rodriguez 2.part.summæ c.94.nu.13. Ledesma 2.tom Tract.10.c.2.dub.5. Suarius lib.2. de Iuramento c.17.n.12. Sanch.lib.4.c.8.n.18.

80. Dixi *Communiter*, quia si tale votum aut Iuramentum emitteretur gratiæ vitandæ alicuius occasionis peccati, valeret, quia tunc consilium optimum est non mutuare ad non fide iubere, vt rectè Sanch. suprà cum Nauarro cap.12. n.36. imò aliquando potest esse non solùm consilium; sed etiam sub præcepto vt notat idem Sanch.

Vlteriùs, si tale Iuramentum præstetur homini in cuius vtilitatem potest redundare, vt iurans non mutuet aut non fide iubeat, validum est; quia ad valorem Iuramenti homini præstiti satis est quòd possit absque peccato impleri, & sit vtile homini iuxta dicta eàdem assertione 1. præcedentis dubitationis, & docent Suarius, Sanch. citati.

Assero 2. 81. Assero 2. Si votum aut Iuramentum non sit generale & absolutum non mutuandi, vel fide iubendi, sed cum circumstantiis aut conditionibus quæ reddant bona hæc obiecta, vt si votum aut Iuramentum sit non mutuandi, aut fide iubendi indiscriminatim omnibus, sed tantùm personis securis, & cum magna cautione seu consideratione, validum est & bonum tale Iuramentum aut votum; nam hoc attendere salubre consilium est, ad plurima prodigalitatis, paupertatis, litium, inimicitiarum damna præcauenda: Ita Sotus, Arragon, Rodriguez, Petrus Ledesma, Suarius & Sanch. suprà qui vltimus n.19. cum Guttierrez asserit fore validum Iuramentum, si clericus iuret se non fide iussurum pro laico & extra necessitatis articulum, quia hoc est clericis interdictum cap.1.de Fideiuss.& cap. Te quidem 11.q.1. vbi notant Authores canonistæ peccare clericum faciendo contra hoc præceptum ipsi impositum, fidei iussio tamen valida erit quia nullibi irritatur.

Difficultas. 82. Difficultas adhuc restat an votum vel Iuramentum generale non mutuandi vel fide iubendi, etiamsi non obliget generaliter & in omni casu, saltem obliget in casu 2. assertionis: ita vt qui iurauerit non mutuare, teneatur ad non mutuandum quando non expedit ei propter aliquod periculum aut damnum, aut quia reuera pensatis omnibus circumstantiis est illi homini minùs bonum mutuum dare, quàm illud negare.

83. Suarius lib.2.c.17.num.13. affirmat, quia materia illa, inquit, capax est talis obligationis, & comprehensa sub generali negatione. Secundò probat, quia quamuis Iuramentum fuerit generaliter factum, de hac tamen materia videtur interpretandum, quia pro sola illa licitum est & obligare potest. Tertiò probat à simili ex D.Thoma quodlibeto 12.a.21. vbi de eo qui iurauit non communicare doctrinam alicuius experimenti, affirmat simpliciter non teneri ad seruandum tale Iuramentum, sed in aliquo casu teneri v.g. si in casu necessitatis sit alius qui id experimentum doceat. Vlteriùs potest confirmari ex iis quæ idem Suarius docet nu.14. vbi ex cap. *Quem §. illud* de Iureiur. docet siue id iuret vxori quòd eam super nullo crimine accusabit, Iuramentum est temerarium, & non obligat vt ait ibi Innocentius III. reddens rationem, quia aliàs etiamsi vxor fieret infidelis, non posset eam accusare, quod est absurdum; quæ decisio vt ait Suarius clara est & certissima quoad hoc vt Iuramentum non obliget in tota illa vniuersalitate quam verba continent. At obligat pro illis casibus in quibus sine culpa seruari potest & sine detrimento communis boni. *Respondet Suarius.*

84. Probabilius mihi videtur quod docet Sanch. contra Suarium scilicet, aut Iuramentum, aut votum generale non obligare in vllo euentu propter rationes quas in sequentibus assertionibus adducemus, vbi respondebimus contrario fundamento; ideò nunc tantùm. *Responsio Authoris cū Sanch. probabilior.*

85. Assero 3. Votum vel Iuramentum non mutuandi, vel fide iubendi, absolutè & generaliter factum esse de re illicitâ, & non gratâ Deo, ác proinde non obligare. *Assero 3. Votum vel Iuramentū non mutuādi vel fide-iubēdi absolutè factā non obligare.*

86. Circa secundum quod quæritur in hac dubitatione de votis aut Iuramentis non petendi dispensationem, commutationem, relaxationem, siue irritationem, vel eis non vtendi, communiter docent Authores sic generaliter emissa valere, non tamen obligare vniuersaliter; sed tantùm quando vtilius est animæ iurantis vel vouentis non petere dispensationem vel relaxationem; non tamen obligare quando vtilius est petere, eò quòd sit periculum transgressionis. Ita Suarius lib.2. de Voto ca.11.num.6. Richardus, Antoninus, Angelus, Syluester, Alcozer, Angles & Rodriguez quos refert Sanch. lib.4.cap. 8.num.3. *Circa secundum quod in hac dubitatione quæritur.*

87. Assero nihilominùs 4. tale votum & Iuramentum, si Deo præstentur, esse irrita ac proinde in nullo euentu obligare: ita Sanch. ibidem nu.21. qui ait ita sentire doctissimos viros neotericos, refertque Sotum lib. 8. de Iustitia q.1.a. 9. columnâ penultimâ versiculo. *Est autem hic,* vbi ait, hæc Iuramenta vacua & futilia sunt. Vnde secundùm hanc sententiam, si posteà petatur dispensatio sine causa iusta, non peccabitur contra votum aut Iuramentum, cùm sint irrita, sed aliunde erit culpa, eò quòd illa dispensatio est irrita. Fundamentum est, quia vota generalia quæ in quibusdam casibus vtilia sunt, & apta ad obligationem inducendam, in aliis autem inepta & inutilia, non obligant nisi quando vel ex Iure, vel ex communi hominum intellectu habent tacitam conditionem, vt ad solos casus vtiles extendantur. Cuius ratio est; quia alia vota *Assero 4. tale votum & Iuramentum Deo præstitū idesse irrita.*

quæ non includunt conditionem per modum vnius emittuntur, & æquè comprehendunt casus vtiles, & inutiles, quod clariùs apparet in casu 3. assertionis nuper positæ, & in voto nunquam peccandi, quod sic in genere emissum includit impossibilitatem moralem, ac proinde non obligat etiam ad vitãda peccata possibilia, qua de re optimè disputat Sanch. lib. 4. c. 5. nu. 10. obiecta enim quæ plus, aut æquè includunt malum aut bonum, per modum vnius apprehendi, & iurari vel voueri solent.

Oppositum contingit in voto aut Iuramento rei communiter bonæ.

88. Oppositum verò contingit in voto aut Iuramento rei communiter bonæ, sed potentis aliquando habere malum exitum, obligat enim tale votum, non tamen in casu mali exitus vt votum non obediendi prælato in omnibus; aut votum & Iuramentum reddendi gladium Domino, obligant enim quamuis superior aliquando rem iniustam possit præcipere, & Dominus gladij possit illud petere ad paternum homicidium.

Ratio discriminis.

89. Ex qua doctrina iam patet ratio discriminis, quia vota aut Iuramenta generaliter facta circa materiam quæ communiter bona est, habeot ex communi vouentium intentione conditionem tacitam inclusam in tali vouendi modo, vt intelligatur obedientia præstanda in rebus licitis & honestis, & gladius reddendus quando in ipso reddendo nihil est contra rationem. Nec enim præsumendum est velle vouentem peccare intelligendo in omni euentu. Quod si constet intendisse, idque per modum vnius, ita vt neutram obligationem sine alia intendat omittere profectò nulla consurgit obligatio.

90. Si verò diuisiuè vtramque obligationem intendit, tunc obligabit in euentibus solis licitis, & in dubio hæc diuisiua intentio præsumenda est, tùm ex communiter contingentibus, tùm quia in hoc dubio valori voti aut Iuramenti fauendum est, cùm de voto aut Iuramento constet, vt rectè docet Sanch. lib. 4. cap. 6. num. 10. quamuis hæc vltima ratio suam habeat difficultatem iuxta dicta dubitatione præcedente, assert. 6.

Responsiones ad argumenta Suarij ad primũ Resp.

91. Ad argumenta verò Suarij quæ retulimus antè 3. assertionem & in hunc locum soluenda, reiecimus, iam ex dictis facilè respondetur. Ad primum concedendo materiam, illam quidem comprehensam fuisse sub generali negatione, sed quia copulatiuè, non diuisiuè fuit comprehensa cum materia mala, ideo nulla consurgit obligatio.

Ad secundum.

92. Ad secundum negamus ob rationem dictam ita esse interpretandum Iuramentum sicut interpretatur Suarius, sed potiùs contrario modo.

Ad tertiũ & quartũ.

93. Ad tertium & quartum argumentum respondetur, Iuramenta illa præstita fuisse homini, non soli Deo, & ideo obligant in omnibus casibus in quibus possint licitè impleri, etiamsi secluso Iuramento contrarium facere salubrius esset iuranti, quod intelligendum est iuxta doctrinam datam dubitatione præcedenti assert. 1 & frequenter fatentur Suarius & Sanch. qui etiam in hoc particulari casu id aduertit dicto cap 8. nu. 32. vbi ait hucusque dicta solùm habere locum in Iuramentis præstitis Deo; nam Iuramentum non petendi relaxationem Iuramenti homini præstiti, ab eoque acceptatum, valet, quod videtur constare ex communi contractuum vsu; solet enim cum adicitur contractibus Iuramentum adici quoque Iuramentum non petendi relaxationem illius.

94. Quamuis non negauerim probabile esse Iuramentum hoc non petendi relaxationem, etiam homini præstitum, non obligare vt docet Couarruuias de Pactis 2. part. §. 3. nu. 2. & Azor lib 11. c. 7. q. 6. Suarius infrà referendus dub. 10. corollario 7. vbi explicabimus netum valorem aut non valorem Iuramenti facti de remittendo iniurias aut fraudes, & similia quando fiunt homini.

Aduertendum cum Sanch. votum aut Iuramentũ non petẽda dispẽsatione & absq; legitimâ causâ esse validũ.

95. Vltimo aduertendum cum Sanch. citato cap. 8. num. 24. votum aut Iuramentum non petendæ dispensationis aut relaxationis absque legitima causa, validum esse in omnium opinione, quia est de re valdè bona & Deo grata. imò etiam est validum quando Iuramentum aut votum de non petendo dispensationem ex quacunque causa, etiam legitima. nisi quando vtiliùs esset saluti iurantis aut vouentis, quia maius obsequium fit Deo si in aliis casibus præter istum velit vouens aut iurans manere ligatus voto aut Iuramento. Tunc autem censetur vtiliùs saluti iurantis quando est probabile periculum transgressionis.

Assero 5. vouens aut iurãs contra consilia euangelica peccat iuxta D. Tho.

96. Assero 5. qui iurauit, vel vouit aliquid contra consilia euangelica vt non ingredi religionem, non mutuare &c. peccat iuxta D. Thomam 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2. quam sententiam omnes alij quos viderim recipiunt; peccat quidem iurando, non tamen implendo quod promisit cum Iuramento. Hæc doctrina verissima est si non impleat materialiter, id est, non virtute Iuramenti, & quasi illo coactus, sed quia vult vti suâ libertate quæ non tenetur etiamsi iurauerit; at si formaliter non impleat. id est, quia iurauit, reuera peccat nisi ignorantiâ inuincibili excusetur, quia contra reuerentiam Iuramenti est illius prætextu & occasione rem consilij omittere: est enim velle facere Iuramentum vinculum iniquitatis. Item quia eiusdem malitia est iniquum Iuramentum facere & iniquum Iuramentum velle obseruare; est enim persistere in illo & eodem proposito. Ita docent Suarius lib. 2. de Iuramento c. 17. nu. vltimo & c. 22. num. 8. Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 14. qui addit tantam esse malitiam in impletione quanta fuit in emissione talis voti aut Iuramenti: vnde qui propter Iuramentum non ingreditur religionem, venialiter peccat, sicut venialiter peccabit iurando: si tamen quis iurauit se interfecturum hominem, & posteà interficiat vt Iuramentum impleat, præter malitiam homicidij includit etiam malitiam sacrilegij, quia eadem est irreuerentia in iurando & in implendo formaliter. Legantur quæ diximus ex aliis Authoribus disp. 2. dub. 5. assert. 4.

DVBITATIO V.

An Iuramentum aut votum non ludendi obliget & quando eius transgressio sit mortalis?

97. De Iuramento non ludendi facto Deo eadem est omnino ratio quæ de voto, ac proinde eodem modo philosophandum est de vtroque, & de hoc Iuramento seu voto loquemur vsque ad vltimam assertionem, in qua sermo erit de Iuramento non ludendi homini præstito.

Assero 1. Iuramentū non ludēdi ad nullum bonum finem relatū inualidum esse. Ratio.

98. Assero 1. Iuramentum non ludendi, si ad nullum bonum finem referatur, non est validum quia est de re indifferenti; sicut enim ludere de se est actus indifferens ita & carentia illius indifferens est. Ita Sotus lib.7 de Iustitia q.1. art,3. Arragon qu.88.art.2. Rodriguez 2. tom. summæ c.94.nu.6.qui quamuis loquatur de voto non ludendi cum determinata persona vel determinato ludo vel in tali loco ratio nihilominus huius Authoris & aliorum probat de voto aut Iuramento non ludendi absolutè vt rectè expendit Sanch. lib.3.c.18, nu.10. Estque communis sententia.

Assero 2. iurans aut vouens nō ludere ob honestum finem obligatur non ludere.

99. Assero 2. qui iurat vel vouet ob aliquem honestum finem (v.g. vt peccata sua puniat aut vt mens diuinis tractandis aptior sit) abstinere à ludo obligatus manet tali voto vel Iuramento ita vt quæcunque transgressio etiam modicæ quantitatis aut temporis peccatum sit etiamsi alioquin secluso Iuramento vel voto talis ludus esset actus honestus & virtutis eutrapeliæ ad quam pertinet ludus moderatus teste D.Thom. 2.2.q.168.art.2.in corpore.Hæc assertio est contra Nauarrum cap.12 num.11.& contra Rodriguez 2.tomo summæ c.189.nu.10.qui putant tale Iuramentum de abstinendo à ludo moderato esse irritum eò quòd sit contra bonos mores & contra virtutem. Nostram verò sententiam docet Sotus 7.de Iustit.q.2.a.1.qui tamen nullâ ratione probat.Item Sanch.lib.3.c.18.num.2.reddit verò rationem quia quidam virtutis actus reperiuntur quorum priuatio perfectius bonum continet eò quòd includant accessum ad res terrenas mensque circa eas eurgetur. Inter hos numerantur ludus honestus amicorum conuiuia vti cibis corpori salubribus quæ ad vrbanitatem & ad alias virtutes pertinent. Votum ergo aut Iuramentum de abstinendo ab huiusmodi virtutum actibus validum est, sicut valet votum de abstinendo à matrimonio, quod tamen res bona & Sacramentum est. Ratio verò horum omnium à priori est; quia (vt rectè docuit Paludanus in 4. distinct.38.q.1. num.22.) priuatio boni qualis est ea quæ includit bonum maius non est mala; sed melior, ac proinde legitima est materia voti aut Iuramenti.

Contrariū sentit Nauarrus.

Assero 3.

100. Assero 3. quando non constat de expressa Iurantis aut vouentis intentione, an scilicet voluerit se ad mortale vel tantùm ad veniale obligare; ex fine quem iurando vel vouendo habuit perpendenda est quantitas culpæ, vt optimè docet Sanch. eodem cap.18.nu.3. Vnde si Iurantis finis fuit priuare se temporali ludi delectatione vel vt peccata puniret, vel vt aptior esset rebus diuinis, tum si parua quantitas pecuniæ exponatur & modico tempore ludus duret, recreatio modica est, ideoque culpa venialis est (quæ semper inest nisi in casu raro quo nullum aliud sit medium ad leuandum animum tædio affectum) si autem ludus tempore longo duret, erit culpa mortalis etiamsi nulla pecunia ludo exponatur: finis enim fuit fugere voluptatem; si autem finis Iurantis fuit vitare iacturam temporis in ludendo consumpti, vt Deo vel aliis negotiis vacaret, tunc non est attendendum ad quantitatem pecuniæ, sed ad quantitatem solius temporis, & quando modico tempore luderetur, nec venialis esset culpa; Nulla enim est prodigalitas temporis quando modico tempore recreationis gratiâ luditur; sicut nec in expendenda parua quantitate pecuniæ est vlla prodigalitas: Quod si aliquantum in tempore excedatur, idque absque periculo sic applicandi animum ad ludum, vt diu protrahatur, culpa erit venialis; si si verò magna sit mora, vel tale periculum prudenter timeatur, culpa erit mortalis.

101. Quando autem finis fuit vitare pecuniæ iacturam & prodigalitatem, ludus modicæ quātitatis nulla erit culpa, quia in eo nulla est prodigalitas: si verò parùm excedatur, culpa erit venialis; si denique aut periculum graue sit multum excedendi; aut prudenter censeatur grauis excessus in quantitate pecuniæ, culpa mortalis est.

102. Ex qua doctrina fit, quòd sicut prodigalitas non est absoluta, sed respicit prodigentis facultatem, ita hæc parua vel magna quantitas censeri debet, & mensurari penes facultates & opes ludentis; quamuis non negauerim concedendam esse quantitatem adeò paruam, & respectu cuiuscunque non sufficiat ad mortale, & aliquam adeò magnam vt respectu cuiuscunque ad mortale sufficiat, idque prudentis arbitrio relinqui debet. *Ex dictis colligitur.*

103. Item si finis fuit vitare occasionem auidiùs instandi ludo spe maioris lucri acquirendi, vel iacturæ resarciendæ; culpæ quantitas pensanda est ex occasione hac & periculo sic instandi.

Denique, si finis fuit vitare discordias cum domesticis, vel cum colludentibus, aut blasphemias, aut periuria, aliaue peccata, ex periculo & occasione ex ludo proueniente attendenda est quantitas culpæ.

104. Assero 4 Quando non clarè constat de intentione Iurantis, an se voluerit obligare ad non ludendum, etiam nomine & periculo alterius amittendo vel lucrando, non sibi, sed alteri, & cum illius pecunia; spectari debet Iurantis finis. Si enim finis fuit, vel puniendi sua peccata, vel vacandi Deo, aut non faciendi temporis iacturam, nec etiam nomine alterius ludere potest, quia ad hunc etiam casum se extendit intentio iurantis, quia siue ludat nomine proprio, siue alterius, reuerà ludit, & eandem temporis iacturam facit, & eodem modo occupatur in vtroque euentu. Si verò finis solùm fuit vitare iacturam pecuniarum, omninò licebit ludere nomine alieno, cùm nullam tunc propriæ pecuniæ iacturam *Assero 4.*

subeat. Quòd si finis fuit vitare discordias, tunc inspicienda est discordiarum causa, quæ si fortè sit propriæ pecuniæ iactura in ludo, poterit ludere nomine alterius; si verò discordiæ oriantur ex eo quòd serò veniat domum, vel quòd sic ministerio desit, non poterit ludere etiam alterius nomine, atque ita iudicandum est in aliis similibus casibus. Quando autem adhuc omnibus his coniecturis attentis res est anceps, nec satis constat de intentione Iurantis, an ad vtrumque se extenderit, licebit nomine alterius ludere, tùm quia Iuramentum semper est restringendum vt minùs obliget, tùm quia damna ex ludo oriri solita, propter quæ communiter solet iurari, non oriuntur plerunque ex ludo nomine alterius. Ita Sanch. suprà n.6.

Asserto 5. 105. Assero 5. qui iurauit non lusurum, potest dum non constat de contraria intentione tradere alteri nummos, vt nomine ipsius qui iurauerat, & qui nummos tradit, ludat, potest etiam ipse ludentes inspicere. Ita Sanch. eodem cap.18.nu.7. *Ratio.* Ratio verò est, quia licet finis Iuramenti sæpè contingat in eo euentu reperiri, cùm sæpè similis temporis iactura fiat dum ludo assistitur, aut tanta pecuniæ iactura dum alter nomine ipsius ludit, similesúe discordiæ inde proueniant; hoc tamen non sufficit nisi res gesta verè & propriè comprehendatur sub materia promissa, quæ cùm solùm sit non ludere; hic autem verè non ludat etiamsi nummos tradat, vt nomine ipsius alter ludat, vel etiam si ludentibus assistat, non comprehenditur talis actus sub materia Iuramenti, aut voti, perinde atque non peccaret contra Iuramentum non ludendi ne prodigeret tempus aut pecunias, qui tantundem vel temporis, vel pecuniarum insumeret in venatione, vel cum meretrice. Vnde non placet quod docent Fulgosius & Arimino, quos refert & sequitur Sangedo in additionibus ad practicam Bernardi, Dias cap.70. in fine, scilicet hunc fore periurum si alter nomine ipsius ludat, quod nullo idoneo argumento probatur.

Infertur 1. 106. Hinc infertur eum qui iurauit non lusurum, posse cum alio quouis sponsiones in ludo aliorum facere, quod Hispanicè dicimus *atrauessar*, stando scilicet à parte vnius ludentium; hoc enim non est verè ludere, etiamsi finis abstinendi à ludo sæpè in hoc casu concurrat ita Sanch. suprà nu.8.

Infertur 2. 107. Secundò infertur, eum qui iurauit non lusurum, posse alteri nummos mutuos dare vt ludat nomine ipsius accipientis mutuum, poteritque ipsum docere in ludo, id enim totum non est ludere. Ita Alcozer de ludo cap.13.concl.5. contra Baldum & Ioannem Baptistam quos refert ita etiam Sanch. suprà nu.5

Assero 6. 109. Assero 6. Iuramenta & vota non ludendi cum persona determinata, vel in domo determinata, vel tantùm determinato aliquo ludo, non opposito aliquo fine, manenteque libertate ludendi cum aliis, & aliis in locis, aliisque ludis, non obligant, imo sunt omninò irrita, vtpote de re indifferenti ita Sotus, Arragon, Rodriguez citati pro prima assertione. Si verò fiant ex aliquo bono fine & honesto, non puto negabunt hi Authores valere & obligare, nec videtur posse negari. Qua propter obligandi vim habebunt, si tales res promissæ sint alicuius mali occasio, atque ob id fuerint iuratæ v. g. si illa persona est iracunda, ob id iuranti occasio rixarum, vel occasio nimis vacandi ludo, amittendiúe pecuniam in maiori copia quàm par est, nimisúe perita in ludo, prouocansque frequenter ad multam pecuniam exponendam, aut quia ille ludus determinatus, vel domus determinata est iuranti occasio magnæ iacturæ, aut nimium ludendi aut rixarum: In his enim euentibus res illa indifferens non est, sed grata Deo & bona. ita colligitur ex Caiet.2.2.q.88.art.2. & Nauarro, dum agentes de voto non ingrediendi certam domum docent obligare quando ea domus specialem ludi occasionem adferret, docetque expressè Sanch. cit.c.18.n.9.

Obiicies. 109. Obiiciet tamen aliquis inde sequi nullum esse discrimen inter Iurantem absolutè non ludere nullo fine apposito, & inter Iurantem non ludere cum hac determinata persona; vel in hac domo, vel tali ludo, quod videtur contra plerosque Anthores, qui illud Iuramentum docent valere.

Resp. 110. Respondetur absolutè quidem nullam esse differentiam, atque adeò, cæterisque paribus, vel vtrumque valere, vel vtrumque non valere. Moraliter verò loquendo, qui vniuersim iurat non ludere, id iurare solet ex aliquo bono fine, quod si contingat iurare ob malum finem, ordinariè ille finis est voti seu promissionis, non verò rei promissæ; ac proinde illius Iuramentum ordinariè validum non est. Qui verò iurat non ludere cum determinata persona, vel in domo determinata, vel in ludo determinato, ordinariæ iurat ob malum finem rei promissæ; nempè quia vel persona, vel domus, vel ludus sunt illi molesta & grauia, idque iurat ex ira & in vindictam alicuius qui illi intulit molestiam, atque ob has similesque causas videntur dixisse absolutè Doctores tale Iuramentum non obligare, maximè Sotus, Arragon, Rodriguez & alij citati, constatque ex ratione quam adhibent, dum dicunt ideo non obligare, quia nihil deseruit ad Deo obsequium.

Tria notanda circa huiusmodi vota &c. Primum. 111. Tria verò notare oportet circa huiusmodi vota seu Iuramenta primum non valere quando finis intentus solum esset quia ille, cum quo non ludere quis iurauit, creditur bene fortunatus in ludo, vel quia iurans credit ludum illum, vel domum illam esse sibi infelicia, hæc enim vana & superstitiosa sunt, sicut & loca in ludo variare vt felicior sors cedat. Ita Sanch. nu. 9. in fine.

Secundũ. 112. Secundum notandum est, quando Iuramentum non ludendi cum determinata persona obligat eò quòd illa nimis perita sit in ludo, atque adeo iuranti occasio iacturæ, aut quia fraudibus vtitur, vel est occasio rixarum licitum esse cum illa & aliis simul ludere nullo lucro respectu illius vtrinque reportato, sed solùm respectu aliorum, tunc enim omnia illa quæ per Iuramentum intendebantur, cessant & cautur.

Tertium. Debet res iurata &c. expressè vel tacitè in bonũ finem ordinari à iurãte &c. 113. Tertium notandum est, non satis esse rem voto aut Iuramento promissam posse in bonum finem ordinari, eiúe seruire, sed oportere simul ad id tacitè vel expressè à Iurante vel vouente dirigi; nam si quis iurauit se non lusurum

rum in certa domo, vel cum certa persona, etiamsi ob aliquam peccandi occasionem id conducat ad diuinum obsequium; si tamen iurans id non respexit, sed solam vindictam de illo sumendam, vel satisfacere iræ suæ ad hoc dirigendo rem illam Iuramento aut voto promissam, irritum esset tale Iuramentum aut votum ita Sanch. lib. 3. c. 18. n. 11.

Assero 7. 114. Assero 7. Si Iuramentum non ludendi fiat homini in eius gratiam tantùm attendendum ad Iuramenti obligationem an possit licitè impleri, tunc enim obligabit etiamsi peccatum admissum fuerit in eo præstando iuxta dicta dub. 3. assert. 1. docetque Sanch. citato cap. 18. in fine, iuxta cuius doctrinam eodem lib. 3. c. 16. nu. 18. tunc erit mortalis ea transgressio, quando homini cui præstitum fuit Iuramentum, multùm interest quod illi impleatur, venialis verò si parum. Legatur Molin. tom. 1. de Iust. d. 152.

DVBITATIO VI.

De Iuramentis parentum & puerorum.

Quando obligent Iuramenta parentum puniendi Filium & Puerorum accusandi alios pueros itemq; Iuramenta urbanitatis gratiâ facta?

Assero 1. Iuramenta parentum aut Dominorum quibus iurant se punituros filios &c. communiter nò obligant. Ratio.

115. ASserò 1. Iuramenta Parentum, Herorum aut dominorum, quibus iurant se punituros filios, famulos aut seruos, communiter non obligant, ordinariè enim fiunt ex ira, passione, & animo vindictæ sumendæ, ideoque non sunt de actu bono, sed fiunt cum culpa. quod si aliquando ad debitam correctionem ordinentur, atque adeo obligationem inducant, sæpè sæpius ea solent in melius commutare, eò quòd hic & nunc satius aut cósultius putent non punire, ne pacata iam domus fletibus perturbetur aut clamoribus, vel ne puniti fiant deteriores causâ supplicij. Ita Caiet. 2. 2. q 89. a. 7. dub. 1. & in summâ v. *Minari* & v. *Periurium* ad finem, Armilla v. *Iuramentum* nu. 12. Tabiena v. *Iurare* q. 10. num. 11. Nauarrus in summâ Hispana c. 12. nu. 12. Pedraza præcepto 2. nu. 6. Toletus lib. 4. c. 22. nu. 7. Clauis Regia lib. 5. c. 5. num. 13. Valentia tom. 3. d. 6. q. 7. punct. 3. columna 11. in solutione ad 3. Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 16. Est etiam sufficiens causa cessandi obligationem Iuramenti ordinati ad correctionem, quòd status rei mutetur, vt si seruus vel filius veniam perat corrigi paratus, vel si putetur satis ipsa comminatione correctus. Ita Caiet. vtroque loco summæ, Clauis Regia, Toletus & Sanch. suprà. Ita etiam iusta causa videtur si amicus veniam eis concedi petat vt notant Caiet. Sayrus & Sanch.

116. Quamuis autem non adsit causa excusans ordinariè prædicta Iuramenta, excusantur à mortali ratione paruitatis materiæ, vt rectè notat Sotus lib. 8. de Iust. qu. 1. a. 7. columna 6. Sanch. suprà, qui etiam rectè addit, si punitio in bonum correctionis intetur, expediatq; multùm ad Dei obsequium, omnino obligare sub mortali, quia materia grauis est.

117. De illo verò Iuramento quo solent vti nonnulli, dum dicunt, iuro quod si te arripuero, te interficiam, rectè docent Clauis Regia & Sanch. non esse mortale si non habent animum arripiendi, quia Iuramentum non fuit arripiendi, sed puniendi data eâ hypothesi. Opus tamen est, ne fit periurium mortale, habere animum, non solùm puniendi, sed grauiter & seuerè puniendi si arripuerint; id enim significat hyperbolicus ille loquendi modus.

Assero 2. Nec Iuramenta puerorum iurantiũ se alios accusaturos coram Magistro &c. obligant.

118. Assero 2. eodem modo philosophandum est de Iuramentis puerorum iurantium se alios accusaturos corã Parentibus vel Magistro; quoties enim iurant & gratiâ sumendæ vindictæ, vt ordinariè fit, non obligantur; si verò in bonum correctionis iurent, omittere possunt causâ melioris boni, vt vitandi inter se rixas, & quamuis sine causa fiat, excusantur à mortali ordinariè ratione paruitatis materiæ. Ita Sanch. suprà.

Assero 3. Iuramenta vrbanitatis causâ emissâ ordinariè nò violantur; nec peccatur eis cõtraueniendo. Ratio.

119. Assero 3. Iuramento vrbanitatis gratiâ emissa, vt non ingrediendi aut egrediendi prius quàm alij, ordinariè non violantur, neque peccatur eis contraueniendo, tùm quia imbibunt tacitam conditionem, nempè, quòd ad me attinet, non præcedam, ideo altero contendente præcedere potest licitè, tum quia cum tale Iuramentum fiat in alterius honorem quoties suo iure cedit, reuera remittit obligationem. Ita Caiet. Armilla, Nauarrus, Tabiena, Sotus, Valentia, Clauis Regia & Sanch. suprà Alcozer in summâ c. 15. ad finem Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 4. q. 4. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 4. nu. 22. Suarius lib. 3. de Iuram. c. 17. nu. 9.

DVBITATIO VII.

An Iuramentum illicitè emissum vel de re prohibita vel etiam irrita promissione si absque peccato impleri posset obliget?

Tria notãda circa illicitum Iuramentum.

120. NOta tribus modis posse esse illicitum Iuramentum. Primo ex materia in quam cadit quia illicita sit. Secundo ex prohibitione vel ratione extrinseca tantùm, etiamsi fit aliàs de materia honesta & licita. Tertio quia immediatè cadit in promissionem illicitam, vel etiam irritam.

Assero 1. 121. Assero 1. Iuramentum illicitum ex parte materiæ iuratæ quia illicita est, est irritum, & nullius roboris. Constat ex doctrina data suprà dubit. 3. assert. 2. in quo nulla esse potest controuersia.

Notãdum valdè. 122. Illud tamen est valdè notandum, Iuta, scilicet quando generaliter dicunt Iuramentum illicitum non obligare, loqui de hoc Iuramento illicito ex parte materiæ, & in eodem sensu debere intelligi Authores, quando ex eo quòd Iuramentum sit illicitum, inferunt esse nullum; cùm enim hæc malitia sit intrinseca, quia est ex obiecto, quasi per se constituens Iuramentum illicitum, meritò sermone et doctrinales de Iuramento illicito de hoc intelligi debent.

Assero 2. 123. Assero 2. Iuramentum de re licita & bona, illicitum tamen ex prohibitione, vel ratione aliquâ extrinsecâ, validum & obligatorium est. Vnde quamuis Ius prohibeat Iuramentum interponi in aliquo contractu, si vlteriùs non procedat reddendo materiam Iuramenti illici-

tam,

tam, eamque prohibendo, tale Iuramentum obligat. Hæc doctrina est contra Bartholum authentica *decernit Ius* nu.1. C. de receptis arbitris. Nostram tamen assertionem docent Glossa c.2. v. *Sacramentum* de Arbitris & ibi Abbas aliique Canonistæ quos refert & sequitur Sanch. lib.3. c.9.num.22. Molina tom.2.de Iustitia disp.520. & tom.6.disp.35.n.2.Suarius lib.2.de Iuramento c.24.nu.3. Panormitanus in cap. *cum contingat* de Iureiurando nu.6.& 7. probatque ex cap. *Etsi Christus* eodem titulo & cap. *Mouet* 21. qu.1.

Doctrina nostra docent canonistæ. Sanch. Suarius. Molina.

Probatur exemplis. Primò. Probari verò potest exemplis, primò qui iurat absque necessitate aut Iuramento contingente blasphemiam, peccat contra ius diuinum, & tamen nemo dubitat Iuramentum obligare; ergo etiamsi peccet contra ius positiuum iurando, potest obligari tali Iuramento. *Secundò.* Secundò qui vouit nunquam iurare nisi præcepto coactus, vel ille cui Prælatus aut superior præcepit ne iuret, peccat quidem iurando se facturum aliquid si tamen Iuramentum sit de materia honesta, puta celebrare missam, obligatur eo Iuramento. *Tertiò.* Tertiò qui sine vlla causa rationabili mutuum petit ab vsurario, maximè si vsurarius non sit paratus, imò illum inducat iurando se soluturum vsuras, peccat sic iurans, & tamen obligatur tali Iuramento vt probabimus sequenti assertione. Quartò votum obligat in materia capaci, licet ex causa extrinseca contingat peccare vouendo; ergo etiam Iuramentum. *Probatur à priori.* Probatur vlteriùs ratione à priori; nam licet quis peccet iurando, adducit nihilominùs Deum in testem rei licitæ; ergo licet in iurando peccauerit, tenetur si potest facere verum quod diuino testimonio confirmauit: nam sicut in Iuraméto assertorio, etiamsi alias peccetur iurando quando deberet non iurari, aut contra superioris præceptum, aut quia iurat ex odio vel cum scandalo, tenetur nihilominùs iurare veritatem de præsenti: pari ratione in Iuramento promissorio tenetur seruare veritatem de futuro, quando sine nouo peccato id potest facere.

Assero 3. 124. Assero 3. Quando Iuramentum cadit in promissionem illicitam, si promissio sit intrinsecè illicita ex obiecto, & ex parte materiæ, tam Iuramentum quàm promissio sunt irrita, & nulla; vt si quis alicui promittat & iuret se occisurum illius inimicum. Si verò promissio non sit illicita ex parte materiæ, sed extrinsecè tantùm ratione alicuius prohibitionis aut circumstantiæ adiunctæ, tunc Iuramentum obligat, etiamsi talis promissio irrita sit. Ita Molina tom.1.disp.149. versiculo ad priorem & disp.153.& tom.2.disp. 271. Suarius lib.2.c.24.à nu.4.Sanch.lib.3.ca.9. nu.23. *Prior pars Assertionis probatur.* Prior pars assertionis probatur, quia tale Iuramentum est illicitum ex parte materiæ, siue per materiam intelligamus promissionem tanquam materiam proximam, siue rem promissam tanquam remotam; nam promissio ipsa turpis est ratione turpitudinis sui obiecti, hoc est rei promissæ vt supponitur; ergo non solùm Iuramentum sed promissio etiam est irrita. *Secunda pars probatur.* Secunda verò assertionis pars probatur ex eo, quòd si promissio est illicita, non ex obiecto, sed ex circumstantia extrinseca, vt cùm promissio fit de soluendis vsuris cum scandalo alterius, vel contra præceptum superioris prohibentis subdito ne aliquid promittat, vel contra legē positiuam quales aliquæ sunt inter leges ciuiles de Pactis & Stipulationibus. In his & similibus casibus promissio iniqua non est obiectum Iuramenti; nec enim tunc quis iurat se promissurum, sed iurat materiam illius promissionis quæ bona est, vt supponimus, & nullo modo prohibita. Nam superior, aut lex non prohibuit materiam ipsam promissionis, sed promissionem ipsam. Vnde si fortè per legem talis promissio, non solùm prohibita fuit, sed etiam irrita, non consurget quidem obligatio ex promissione, quæ consurgeret si promissio irrita non fuisset, consurgit tamen Iuramenti obligatio sola, quæ nullo ex capite impeditur: ex quo etiam probata manet tertia pars assertionis quod scilicet Iuramentum obliget, etiamsi promissio suprà quam cadit sit irrita. Hoc etiam habetur cap. *Debitores* & cap. *Si verò de Iureiurando*; vbi Iuramenta de soluendis vsuris, & Iuramenta metu extorta dicuntur obligare, non ex vi promissionis irritæ, sed ex vi Iuramenti facti de re quæ possit impleri sine dispendio salutis æternæ. Vnde rectè notat Suarius rem promissam implendam esse non virtute promissionis, nec quia promissa fuit, id enim esset approbare peccatum prius, sed virtute Iuramenti quia iurata fuit.

DVBITATIO VIII.

An promissio prodiga aut ob turpem finem obliget si Iuramento firmetur?

125. Non desunt qui putent promissionem prodigam Iuramento firmatam solùm obligare quoad quantitatem in quà nulla est prodigalitas; non verò quoad incrementum: nam quoad hoc promissio est rei saltem venialiter malæ. Ita Sotus lib.4. de Iustitia q.7. art.1. ad 2.& lib.8.q.1.art.7.ad finem corporis Martinus de Ledesma 2.part.4.qu.18.a.5. Mercaro lib.6.de Contractibus cap.16. Palacios lib.5. de Contractibus Salon 2.2.q.62.a.5. Controuersia 4.post 3.assert.Bannes eodem art.5.dub.5.concl.3.Rodriguez 2.part.summæ c.40.nu.4.Arragon q.88.a.7.in principio, Suarius lib.2.de Iuramento cap.23.in fine, quæ doctrina & fundamentum illius satis probabilia sunt. *Multi docent probabiliter.*

126. Non videtur tamen minus probabile quod ea promissio integrè obliget. Ita Molina tom.2.disp.271. & cum eo Sanch. lib.3.c.9.nu. 27.quamuis enim in modo prodigè promittendi sit culpa, non tamen ex parte rei promissæ, & licet à principio promittendo eam quantitatem sit prodigalitas, at in executione ea non reperitur, nec culpa aliqua, sed impletio debiti iam contracti. Quam doctrinam latiùs explicuimus tom.præcedenti de Iustitia, tùm Tract.4.qui est de promissione, disputatione vnica dub.5. tùm Tract.2.disp.6.dub.1. & constabit etiam in casu quem mox subiicio. *Nō est minus probabile talem promissionē integrè obligare.*

127. De promissione iurata facta homini ob finem turpem, quando talis promissio est rei licita, nonnulli docent absolutè obligare. Ita Sotus lib.7.q.1.a.3. Arragon q.88.art.2.dub.2.circa 5. assertionem. Verùm hi intelligendi sunt, quando *Promissio iurata facta homini ob finem turpem sed rei licita.*

absolutè obligat iuxta nonnullos hanc tenenda est hac doctrina primò.

quando sub pacto aut conditione talis finis exequendi facta est promissio, vt si quis promisit alteri pecunias si occidat, vel vt occidat inimicum, aut fœminæ, vt fornicetur; nam, si promisit sub Iuramẽto ob malum finem mente retentum nihil paciscendo, sed vt alliciat alterum ad finem illum, tenetur reiecto malo fine implere promissionem iuxta dicta dubit. 3. assertio. si sine vllâ conditione alter acceptauit promissionem.

Secundò.

Intelligendi præterea sunt loqui post patratum crimen ab altero; nam ante illum perpetratum vterque tenetur contractum dissoluere & ab eo recedere; patrato verò crimine nulla est culpa in solutione rei promissæ, quin imò impletio debiti iustitiæ, ob quem solum finem solutio fieri debet, non ob crimen, esset enim illud approbare. Ita Caiet. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. Couarruuias regula *Peccatum* part. 2. §. 2. nu. 1. Molina tom. 1. disp. 94. concl. 2. Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 28. qui tertiò adhuc limitat, nisi solutio iniqua etiam esset ex obiecto, vt contingit in solutione simoniaca pro re spirituali alicui vendita, peccatur enim tunc soluendo.

DVBITATIO IX.

An Iuramentum factum contra prius votum, Iuramentum, aut promissionem obliget?

Assero 1. Iuramentũ contra votum prius emissum nõ obligare.

128. ASsero 1. Iuramentum contra votum priùs emissum non obligare, siue contrarietas sit ex parte obiecti, vt si priùs vouisti ieiunium, & posteà iures non ieiunare, siue sit contrarietas positiua ex parte materiæ, vt si fecisti votum castitatis, & deinde iures ducere aliquam in vxorem, non teneri tali Iuramento, quia saltem virtualiter est de violando voto, quod intrinsecè malum est. Ita definitur cap. *Rursus qui clerici vel vouentes* in quo Doctores consentiunt.

Obiicies

129. Obiicier tamen aliquis: maior est obligatio Iuramenti quàm voti, ergo illa præualet.

Resp. 1.

130. Respondetur primò, negari posse antecedens, si intelligatur etiam de Iuramento promissorio de quo non constat maiorem vim obligandi habere, qua de re latè diximus suprà dubit. 2. Respondetur 2. negando consequentiam, quia non sunt cætera paria quando promissio antecedit vt iam dicemus de promissione humana. Accedit tertia responsio, quòd etiamsi Iuramentum præcessisset, non est improbabile præualere votum subsecutum; vnde non desunt Authores qui agentes vel de voto, vel de matrimonio, putent eum qui post votum castitatis matrimonium contraxit, teneri potiùs ingredi religionem, quàm matrimonium consummare de quo suo loco diximus agentes de matrimonio, & dicemus etiam agentes de voto. Non me latet contra hanc nostram assertionem sentire Gratianum 22. qu. 4. §. vltimo, eius tamen sententia omninò falsa est, & à cæteris meritò reiicitur.

Resp. 2.

Resp. 3. Licet Iuramentum præcessisset nõ est improbabile præualere votum subsecutũ.

Assero 2. Iuramentũ posterius cõtra prius validũ & de re licitâ nõ obligat.

131. Assero 2. Iuramentum posterius contra prius, si prius fuerit de re licita & validum, non potest obligare ob rationem prædictam præcedentis assertionis; habeturque satis clarè in cap. *Sicut de sponsalibus*, vbi etiam habetur quòd facta contra Iuramentum, quamuis illicitè cum peccato fiant, non sint irrita, sed omninò valida; quòd etiam ex Iure ipso naturæ verum esse latè probat Suarius lib. 2. de Iuramento c. 19. num. 6. vsque ad 9. ibi legatur: & generaliter loquendo gesta contra obligationem Iuramenti valida sunt, nisi aliunde sint irrita; ideo reuocatio testamenti facta contra Iuramentum de illo non reuocando valida est, vt diximus tomo præcedenti in Tract. de Testamentis qui est in ordine 19. disp. 1. dub. 16. Quæ doctrina etiam vera est, quamuis iurans non iurauit habere voluntatem auferendi sibi potestatem validè faciendi actum contrarium; nec enim potest hanc sibi potestatem auferre cùm ab ipso non dependeat. Ita Suarius citato c. 19. num. 7. & lib. 4. de voto c. 16. Sanch. lib. 3. c. 12. nu. 32. & alij qui hoc idem asserunt de voto.

132. Ideò autem dixi *nisi aliundè irrita sint*; fieri enim potest quòd eiusmodi actus & gesta irritentur à Iure, vt contingit quando mulier iurat se non alienaturam fundum, dotalem, & postea illum alienat absque Iudicis authoritate, quæ alienatio nulla est, non quia fit contra Iuramentum, sed quia irritatur à Iure.

Vtrũ alienatio fũdi dotalis valeat si fiat cum Iuramento non reuocandi. Affirmat Suarius, Molina,

133. Vtrum autem ea alienatio valeat, si fiat cum Iuramento non reuocandi, non est eadem Doctorum sententia, affirmat Suarius lib. 2. de Iuramento ca. 30. num. 16. Molina in simili disp. 540. & alij, qui probant ex doctrina data: quia actus contra obligationem Iuramenti validus est quamuis illicitè fiat, sicut iurans non contrahere matrimonium, si posteà contrahat, validè contrahit, sed illicitè. Accedit quòd quamuis alienatio contra prius Iuramentum non alienandi contineat periurium, secundum tamen Iuramentum quod tribuit robur actui non aduersatur priori; nam prius Iuramentum erat non alienandi, secundum verò non reuocandi, siue non contraueniendi; longè autem diuersum est non alienare, aut alienationem factam non reuocare, cùm ergo posterius Iuramentum non aduersetur priori, & seruari possit sine periurio, dicendum est valere & sufficere ad confirmandam alienationem.

Alij negãt,

134 Contrariam sententiam docent alij, inter quos Bonacina de Contractibus disp. 3. q. 1. num. 7. sub finem Azor 1. p. lib. 11. c. 6. quæsito 3. Sanch. in summâ lib. 3. c. 12. nu. 38. cum pluribus aliis quos refert. Item Lessius lib. 2. c. 17, dub. 7. nu. 59. & alij apud Suarium loco citato probant, quia posterius Iuramentum est contrarium priori; nam iurans non alienare, tacitè censetur reprobare futuram alienationem, censeturque nolle contrauenire suo Iuramento, aut ratam habere alienationem futuram; ergo alienatio fundi dotalis facta contra prius Iuramentum non alienandi non est valida; nam ex Iuris dispositione inualida est; robur autem accipere non potest à secundo Iuramento, nec enim Iuramentum esse potest vinculum iniquitatis ca. 4. de Iureiurando. Et ex his respondent ad fundamentum oppositæ sententiæ eam doctrinam habere locum in actibus qui non accipiunt valorem à Iuramento, sed per se, si fiant, valent. Verùm de his omnibus amplius constabit ex dicendis infrà dubit. 11. vbi generaliter disputabimus an & quomodo

Iuramentũ non potest esse vinculũ iniquitatis.

modo

modo contractus qui sunt irriti Iure positiuo, accipiant robur & firmitatem ratione superadditi Iuramenti. Legantur etiam quæ dicemus dub.10.coroll.4.

Assero 3. Iuramentū factum cōtra priorē simplicem promissionē nō obligat. Ratio.

135. Assero 3. Iuramentum factum contra priorem simplicem promissionem validam, non obligat in conscientia, nec est validum. Ratio est eadem quæ pro præcedentibus assertionibus; nam non implere simplicem promissionem est peccatum saltem veniale, ergo iurare illam non implere, seu iurare rem contrariam est iurare quoddam peccatum; ergo non obligat. Ita Angelus v. *Iuramentum* 5.nu.14. Syluester *Iuramentum* 4.qu.12. Couarruuias de Pactis part.2.§.2. num.4. sumiturque ex Bonauentura, Richardo, Paludano, Gabriele, Soto & aliis Scholasticis, qui docent sponsalia priora non dissolui per sponsalia subsequentia etiam iurata. Idem docet Azor tom.1.lib.11.c.6.q.1. & 2. Suarius lib.2.c. 19.à nu.10. Sanch. lib.3. de Iuramento c.9.n.26. & lib.1. de Matrimonio disp.50. qui in vtroque loco rectè aduertit, quòd si iam prior promissio non obligabat tempore quo fit posterior iurata, quia suberat causa recedendi à priori, obligabit vtique posterior, & Iuramentum in ea factum, quia iam est de re licita. Si tamen tunc temporis prior promissio obligabat, quamuis posteà non obliget, quia pars remittit, vel ob quamcunque aliam causam, tunc posterior promissio & etiam Iuramentum nullo modo obligabunt, quod etiam Suarius latè defendit loco citato contra Nauarrum, & nos diximus in hac disputatione dub.3. assert.5. Fundamentum est illud satis vulgatum, quia quod ab initio validum non est tractu temporis non conualescit, vt habetur regula *non firmatur* de regulis Iuris in 6. Limitant verò Suarius & Sanch. nisi constiterit iurantis intentionem fuisse obligare se pro tempore, quo imposterum fuerit licitum id quod iurat, quæ doctrina mihi placet & consonat cum iis quæ diximus in D. Tract. de Matrimonio.

DVBITATIO X.

An Iuramentum de Actu prohibito lege diuina Ecclesiastica vel Ciuili & Iuramentum contra bonos mores obliget?

Assero 1. Iuramentū de materia interdicta per leges nō obligat. Ratio generalis.

136. ASsero 1. Iuramentum de materia interdicta per legem naturalem vel per legem diuinam positiuam, & per legem Canonicam non obligat. Ratio est generalis, quia tale Iuramentum est rei iniquæ. Hæc assertio est communis omnium ferè Authorum quos infià referemus, eamque latè probat Suarius lib.2. de Iuramento, & quod attinet ad legem diuinam positiuam, docet cap.18. contrà Gratianum qui aduersari videtur 22. q.4. §. vltimò & rectè respondet eius obiectionibus. Quod verò attinet ad leges Canonicas, docet cap.20.concl.2. Ratio autem est, quia cum leges naturale, & diuinæ positiuæ, & etiam Canonicæ dirigantur per se primò ad componendos animi mores, semper obligant ad culpam, ac proinde Iuramenta de materia per eas leges interdicta nunquam obligant. Quamuis autem nonnullæ constitutiones

Quoad leges naturales diuinas positiuas & canonicas. Ratio.

seu regulæ Ecclesiasticæ non ita sint in rigore & propriè leges vt ad culpam obligent; idque satis constet in constitutionibus multorum religiosorum & quorundam aliorum; nihilominùs etiam de iis vera est nostra assertio, nam actus contenti in prædictis regulis, seu constitutionibus semper meliores sunt, & in consilio; Ideo Iuramentum contra illas non obligat. Ita Suarius suprà.

Assero 2. Iuramentū de materia interdicta per leges ciuiles.

137. Assero 2. Iuramentum de materia interdicta per leges ciuiles obligantes ad culpam, non est obligatorium; Iuramentum verò contra leges ciuiles ad culpam non obligantes, si aliundè non obstet, obligatorium est. Hæc assertio communis etiam est inter Doctores. Ratio verò prioris partis est illa sæpè inculcata, quia tale Iuramentum est de re iniqua quæ impleri non potest sine peccato. E contra verò posterioris partis ratio est, quia Iuramentum non est de re iniqua, potestque impleri absque culpa; constat autem ex dictis dub.3. assert.1. quod quamuis non omne Iuramentum, quod Deo fit, obliget quoties sine peccato seruari potest; qui enim iurauit non ingredi religionem, aut non facere eleëmosynam, sine peccato potest Iuramentum implere, nec tamen obligatur: Regula nihilominùs generalis & verissima est, quòd Iuramentum factum homini quoties sine peccato potest impleri, obliget, nisi ille, cui factum fuit, remittat. Ex quo fit Iuramentum factum homini contra dispositionem legum ciuilium, quæ non obligant ad culpam, sed ordinantur ad componendos mores ciuiles & politicos, obligatorium esse, cùm sine culpa possit impleri, quod habetur tam in Iure ciuili quam in canonico vt constabit ex sequenti assertione.

Ratio prioris partis. Posterioris ratio.

Regula generalis.

Assero 3. Iuramentū cōtra bonos mores naturales non obligat.

138. Asseró 3. ex dictis Iuramentum contra bonos mores naturales non habet vim obligandi, atque ad hos tantùm mores restringendam esse regulam Iuris in 6. *non est obligatorium*. Per mores autem naturales intelligimus mores quibus homo efficitur bonus, & quibus contrauenire est peccatum, si id fit ratione prohibitionis legis naturalis, siue diuinæ positiuæ, siue canonicæ, siue etiam ciuilis, quod idem est atq; si diceremus quando Iuramentum illud nequit absque culpa, saltem veniali, seruari, nullam inducere obligationem.

Contra bonos mores ciuiles obligat.

139. Iuramentum verò quod tantùm est contra bonos mores ciuiles, obligat, quia res promissa potest absque peccato seruari, etiamsi moribus ciuilibus per leges ciuiles institutis non obligantes ad culpam aduersetur. Hac ratione contractus minorum, renunciatio futuræ successionis sine vetitate, alienatio fundi dotalis prohibentur Iure ciuili: Iuramentum verò illis appositum obligat, vt constat ex Authentica *Sacramenta puberum* C. *si aduersus vendit*: & ex Iure Canonico cap. *cum contingat* de Iureiurando, & cap. *quamuis pactum* de pactis in 6. ergo Iuramentum contra aliquas leges diuinas obligat, estque communis sententia Doctorum vtriusque Iuris, quos referunt & sequuntur Guttierrez de Iuramento 1.part.cap.40.num.4. Molina tom.1.disp.151.& tom.2. disp.271. Azor tom.1. lib.11.c.6.in fine, Rebellus de Iustit. part.2.lib. 1.q.9.nu.1. Lessius lib.2.c.17.dub 7.nu.50. Suarius lib.2.de Iuramento c.21. Sanch. lib.3.cap.9. nu 30.

nu.30. & quamuis Couarruuias de Pactis part. 2. in principio communissimum hanc distinctionem conetur impugnare; omnes tamen eius rationes solùm loquendi modo videntur discrepare à communi sententia.

Difficultas inter authores de modo cognoscendi quando lex ciuilis obliget ad culpã, & quãdo non.

140. Tota iam difficultas inter Authores est, vnde, & qua ratione dignoscatur quando lex ciuilis obliget ad culpam, & quando non obliget, vt ea ratione discernatur quando Iuramentum sit contra bonos mores naturales, obligationemque non inducat, quando verò non sit contra bonos mores, atque adeo vim habeat obligandi.

Legũ quædam respiciunt principaliter bonum cõmune, quædam verò bonum priuatum. Multi generatim respondent.

141. Vulgatissima distinctio est legum quæ primò & principaliter intendunt bonum commune, & legum quæ primò & principaliter respiciunt vtilitatem priuatam. Et iuxta hanc distinctionem multi generatim respondent, & quidem verè, si rectè intelligatur doctrina. Iuramenta facta contra primi generis leges non obligare, quia semper illorum impletio continet aliquam culpam: E contra verò Iuramenta contra leges secundi generis obligare, quia non continet eorum impletio vel minimam culpam; oportet tamen rem hanc penitiùs & à fundamentis explicare, id quod præ cæteris præstitit Sanch. citato lib.3.c.9. à nu 31. tribus assignatis regulis ad quas explicandas præmittendum priùs est, quamuis omnes leges primò & principaliter intendant bonum commune, ideoque quoad intentionem omnes dicantur respicere bonum publicum, quoad executionem tamen quædam respiciunt per se primò vtilitatem priuatam, & secundariò publicam, quatenùs vtilitas priuatorum in bonum etiam commune redundet. Huiusmodi autem leges sunt illæ quarum materia proxima est bonum vniuscuiusque ciuis, vtque consulunt imperfectioni & fragilitati minorum, aut fœminei sexus; item illæ quibus conseruantur patrimonia singulorum. Aliæ verò leges quæ immediatè & per se primò respiciunt publicam vtilitatem, & secundariò priuatam, censentur illæ, quarum materia proxima est commune bonum: eius generis sunt leges quæ disponunt ne equi, arma, pecuniæ, frumentum regno extrahantur, ex quarum transgressione immediatè regnum ipsum, seu tota communitas lædetur, cùm priuetur defensione & alimentis; ex transgressione autem illarum priorum non immediatè læditur bonum commune, vt patet in alienatione fundi dotalis; nec enim Reipublicæ interest quod fundus dotalis potiùs perueniat ad virum illius fœminæ, quàm ad alium ex ciuibus, sicut in lege *ne minor contrahat absque curatore*, & *ne vir conueniatur vltra quam facere potest*: nam in vtroque casu siue minor amittat aut vir, siue non id quod vnus amittit, ad alium ciuem transit eiusdem Reipublicæ, aut in alio manet, quod ipsi Reipublicæ perinde est.

Pro explicatione difficultatis assignat tres regulas. Sanch.

Regulæ discernentes quando lex ciuilis obligat ad culpam quando non. Prima.

142. Hoc supposito prima regula sit, quoties lex ciuilis immediatè & primariò ad bonum commune tuendum ordinatur, obligat ad culpam, ea propter Iuramentum de actu sic prohibito obligare non potest, vtpotè, rei malæ; nam pacisci in præiudicium boni communis est renunciare Iuri alieno, & in præiudicium illius agere; nemo autem potest renunciare Iuri alieno,

sed tantùm proprio L. *Iurisgentium* §. *si paciscar* ff. de Pactis est communis Doctorum sententia quos refert Sanch. suprà nu.34. & de eadem communi sententia testatur Bonacina de Iuram. disp.4.q.1. punct.1.nu.5.

143. Contra hanc regulam sentire videntur cum Immola & Corneo, Azor lib.11. c.7. qu.1. regula 2. in fine, & Lessius lib.2.c.17. dub.7.nu. 55. qui exigunt quòd idem etiam prohibeat lex canonica; id autem necessarium non esse ex ratione nuper data satis concluditur.

Secunda

144. Secunda regula sit; quando lex ciuilis immediatè ordinatur in bonum priuatorum ipsorum fauorem, non obligat eius obseruatio ad culpam, siue prohibitio dirigatur in actum ipsum, siue in personam; ac proinde Iuramentum de re sic prohibita præstitum homini, in eius vtilitatem, obligat, quia huiusmodi lex tantum priuato fauet, nec eum cogit non renunciare suo fauori, quando absque alicuius tertij præiudicio id facere potest, & saltem quando Iuramentum apponit. Constat etiam ex citatis Iuribus.

145. Nec est sufficiens signum obligationis ad culpam, quòd lex illa in fauorem priuati edita simul statuat illi fauori renunciari non posse, cùm enim ea renunciandi impotentia tendat quoque in illius priuati fauorem, non debet redundare in damnum vt obliget ad culpam; quapropter ea prohibitio id operabitur, ne scilicet valeat renunciatio non obiecto Iuramento, vt cum Aretino & Minchaca tenent Sanch. suprà num.37. quamuis tamen aliqui hanc regulam ita in vniuersum renuent admittere, nullo idoneo fundamento nituntur, rectèque illos refellunt Suarius & Sanch. suprà nu.36.

Tertia.

146. Tertia regula sit Iuramentum vergens in præiudicium tertij nullam obligationem inducere; quamuis enim alioquin secluso tertij præiudicio tantùm esset contra bonos mores ciuiles; interueniente tamen tertij præiudicio omninò est contra mores naturales; Iure enim naturali prohibetur vt quis alteri contra ius ipsius detrimentum inferret, vt rectè notat Suarius lib. illo 2.c.27.nu.5. & Sanch. citato c.9.nu.39. Habeturque doctrina huius regulæ expresè c. *cum contingat* de Iureiurando & cap.2. de Pactis in 6.

Ex dictis.

Colligitur 1. Quoad Iuramenta minorum.

147. Colligitur primò ex dictis, Iuramenta minorum adhibita contractibus initis sine curatore, etiamsi sint contra leges ciuiles, & contra bonos mores ciuiles, valere, vt habetur in Authentica *Sacramenta puberum* c. *si aduersus vendit:* item valere Iuramẽtum filiæ de cedendo bonis maternis sua dote contenta, vt habetur. c. quamuis pactum de pactis in 6. ex quo textu etiam habetur posse filiam sine peccato cedere bonis, & illi iurare; imò patrem licitè id posse petere & acceptare à filia, dummodo nulla intercedat coactio, quamuis id sit prohibitum lege ciuili, vt rectè notauit Suarius lib.2.c.20. nu.7. Idemque iudicium est iuxta eundem Suarium de casu vxoris alienantis cum Iuramento fundum totalem, *iuxta caput cum contingat de Iureiur.* Et sic de aliis. Idem quoque dicendum est de iurante solutionem vsurarum, aut promissionem metu extortam; aut solutionem eius quod amisit in ludo ad creditum alia plura similia exempla dicemus

dubitatione sequenti. Alias quoque leges confirmantes hanc doctrinam afferemus dubit. 13. maximè illatione 5.

Collige 2. non esse validum Iuramentũ clerici de parendo Iudici sęculari.

148. Colligitur 2. non esse validum Iuramentum factum à clerico de parendo Iudici sæculari, vt habetur cap. *si diligenti* de foro competenti. Et legi possunt quæ diximus tom. præcedenti de Iustitia lib. 2. tract. 1. disp. 4. dubit. 8. & sequentibus. Idem quoque dicendum est de Iuramento fidelitatis præstito à clerico principi sæculari, vt habetur cap. *Nimis* de Iureiurando, atque in vniuersum idem iudicium est de quouis Iuramento facto à clerico contrà immunitatem Ecclesiasticam; hæc enim Iuramenta non solùm sunt contrà bonos mores ciuiles; sed potiùs contra canonicos, quæ leges obligant ad culpam iuxtà dicta assert. 1. verguntque eiusmodi Iuramenta in magnum detrimentum animæ, in quibus exigendis, præstandis, & implendis grauiter peccatur, suppositâ immunitate diuino Iure, aut saltem canonico introductâ, de quo suis locis diximus. Sunt enim hæc Iuramenta contrà bonum publicum, seu contra priuilegium communitati concessum, cui à priuata persona derogari non potest; Ecclesia enim intuitu totius status Ecclesiastici condidit canones immunitatis, non vt esset tantùm priuilegium priuatorum. Item Suarius citato eodem lib. 2. c. 23. nu. 1.

Nec valet si sit contra Immunitatem Ecclesiasticã.

Collige 3. Iuramentũ non reuocandi testamẽtum obligare.

149. Colligitur 3. Iuramentum non reuocandi testamentum valere, & obligare vt docet sententia magis communis, quam sequuntur Ioannes, Andreas, Couarruuias, Iulius clarus quos referunt & sequuntur Molina tom. 1. disp. 151. & Suarius cap. 23. nu. 2. Legantur quæ diximus tomo præcedenti lib. 2. qui est de Iustitia tract. 19. vbi de testamentis disp. 1. dub. 16. vbi aliquos alios adduximus pro hac doctrina. Ratio verò est, quia illa obligatio non reuocandi, ex Iure naturæ mala non est, nec est contrà commune bonum, sed contrà priuatam ipsius testatoris cui ipse potest cedere, nec est mala ex prohibitione Iuris ciuilis; quamuis enim illam irritet, non tamen prohibet sub reatu culpæ atque, vt notauit Suarius, Authores, qui opinantur tale Iuramentum non esse validum, dicunt in ea obligatione reperiri malitiam prodigalitatis, vt hac ratione tueantur non tantùm esse contrà bonos mores ciuiles; sed etiam contrà naturales. Verùm, vt ait Suarius, difficulter ostendere possunt eam malitiam inesse illi obligationi. Probatur verò nostra sententia, quia ad bonum communitatis parùm aut nihil refert quod hæc bona pertineant ad hunc, vel illum ciuem; dummodò maneant in ipsa communitate vt suprà dicebamus. Accedit quod (vt rectè Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 31 ex Alciato cap. *cùm contingat* num. 20. de Iureiurando) quandò lex disponit de bono, siue commodo pecuniarum, censenda est principaliter priuatum fauorem respicere, & secundariò publicum quod aliis legibus probat Sanch.

Ratio est.

Quidã putant tale Iuramentũ non esse validum.

Probatur nostra sententia.

Collige 4.

150. Colligitur 4. idem esse dicendum de Iuramento non reuocandi testamentum, vel instituendi talem hæredem, & similibus. Verùm de hoc communis opinio, quam sequuntur Doctores in l. vltima c. de Pactis & Tiraquellus in l. *si vnquam* in præfatione à num 135. & Couarruuias de Pactis 3. part. in principio num. 2. & de Testamentis 2. part. num. 15. sub distinctione loquitur: nam si huiusmodi pacta fiant de consensu eius cui succedendum est, docet Iuramento firmari; quod consentaneum satis est decisioni cap. *Quamuis pactum* de Pactis; atque hac ratione validum erit, cùm non sit contrà bonos mores naturales, sed tantùm contrà ciuiles. Si verò talia pacta fiant sine consensu eius qui successurus erat, docet non firmari Iuramento, imò inualidum esse Iuramentum: quod, si ita est (inquit Suarius suprà nu. 6. Idemque non vult disputare) nititur in eo fundamento, quòd pactum circa futuram hæreditatem sine consensu eius cui succedendum est, non sit sine culpâ, siue illa sit contrà rationem naturalem puram, siue contra legem prohibentem sub culpâ, & rigorosè talia pacta.

Collige 5. Iuramentũ confirmans omniũ bonorum donationem iuxta communem Iuristarũ sententiam est inualidum. Authoris limitat.

151. Colligitur 5. Iuramentum confirmans omnium bonorum donationem, quamuis secundùm sententiam communem Iuristarum sit inualidum, eò quòd auferat testandi libertatem, cui libertati consultum volunt Iura, de quo diximus tom. præcedente de Iustitia Tract. 5. qui est de donatione disp. vnica dub. 3.) nihilominùs tantùm erit inualidum quatenùs talis donatio ex ipso Iure naturali irrationabilis est; vt si sit actus prodigalitatis, & contra debitam prouidentiam, vel suiipsius donantis, vel suorum quibus prouidere tenetur, in quo casu solùm erit inualidum quantum ad excessum, quapropter reduci debet ad mediocritatem, & quoad illam obligabit. Si verò spectatâ causâ & modo donationis non contineat malitiam intrinsecam, validum, & obligatorium erit quia leges ciuiles, quamuis illi donationi non faueant, illam tamen non prohibent, saltem sub culpâ; vt etiam docet communis sententia Iuristarum de qua Guttierrez de Iuramento confirmatorio 1. part. c. 11. & Antonius Comes in leges 69. Tauri, & legi possunt quæ diximus loco nuper citato de Iustit.

Collige 6. Iuramentũ pœnale de non recedendo à promissione valere nisi &c.

Colligitur 6. Iuramentum pœnale de non recedendo à promissione, vel contractu, sub tali pœnâ, valere, nisi talis adiectio pœnæ sit contrà ius naturale, aut contrà legem prohibentem sub culpâ, & primariò ob commune bonum. In particulari verò de Iuramento soluendi pœnam si non seruetur promissio, non reuocandi testamentum, aut instituendi talem hæredem, Couarruuias 3. part. in principio de Pactis, docet esse inualidum, nullo tamen idoneo argumento probat ideò magis placent Molina disp. illa 151. & Suarius lib. 2. c. 23. num. 4. qui docent valere; talis enim adiectio non est mala ex natura rei, neque satis probatur esse contra legem prohibentem sub culpâ. De Iuramento verò confirmante sponsalia, sub certa pœnâ soluendâ ab eo qui retrocesserit, duæ sunt opiniones probabilius. Altera affirmat obligare, & valere, quam sequitur Molina suprà. Altera negat, quam sequitur Sanch. lib. 1. de Matrimonio disp. 32. nu. 21. quia quamuis solutio illius pœnæ propriâ sponte facta non sit peccatum; at quando soluitur ex obligatione promissionis aut Iuramenti peccatum est quod sæpè accidere in multis aliis docet Sanch. lib. 2. c. 22. nu. 8. & c. 24. nu. penultimo ex vltimo, vnde iuxta hanc sententiam solutâ illâ pœnâ ex obligatione, peccatum erit eò quòd

De Iuramento confirmante sponsalia sub certã pœnã soluendã à recedente. Duæ sunt probabiles opiniones.

quòd illa obligatio minuat libertatem matrimonij in quo vt Sanch. putat consistit tota ratio huius culpæ. Suarius verò cap.33.num.5. existimat adiectionem hanc pœnæ adhibitam sponsalibus si adhibeatur aduersus eum tantùm qui contra fidelitatem seu Iustitiam pactum violauerit, non esse malam, ac proinde Iuramentum de illa soluenda obligare. Si verò addatur etiam pro casu pro quo iustè potest recedi à sponsalibus, omninò malam esse, atque adeò Iuramentum non obligare; idque putat colligi ex cap. *Gemma* de sponsalibus, quod pro se allegabat secunda opinio suprà allata, quam secutus est Caiet. v. *Sponsalia* quæ doctrina probabilis est, imò etiam eam docet Molina tom.2. de Iustitia disp. 151. Coninck disp.22.dub.5.num.29.sed quid in hac re probabilius mihi videatur, latè explico in nostro opere de Sacramentis, & Censuris Tract. 11 qui est de Matrimonio disp.1.dub.26. Ibi legatur.

Colligo 7. 153. Colligitur septimò, Iuramenta facta de remittendo iniurias, aut fraudes, vel non denunciando futura delicta, nullo modo obligare, ordinariè loquendo; quamuis enim sæpè in obseruatione talis Iuramenti non sit peccatum ex natura rei, quia sæpè potest licitè remitti iniuria, & abstineri à denunciando delicto: communiter tamen sunt prohibitæ per leges ciuiles huiusmodi obligationes, per promissiones, aut Iuramenta, principaliter ob commune bonum: quia præbent occasionem publicam peccandi, eoque fine prohibentur, ac proinde sub culpa vt notauit Angelus v. Iuramentum 6.num.4. & Glossa ad Doctoris per textus ibi in l. fi *vnus* §. *illud* cum sequentibus ff. de Pactis totalibus & cap. *quemadmodum* de Iureiurandu, quod ad hoc probandum allegat Suarius lib.2.c.22.in fine, quod latè, & rectè explicuerat eodem lib.c. 17. à nu. 14. Vnde quamuis sit Iuramentum factum tertiò quando impleri non potest sine culpâ, non obligat.

Colligo 8. 154. Colligitur 8. Iuramentum soluendi arras vltra decimam bonorum partem, non esse validum in regno Castellæ, iuxtà regulam 3 suprà positum, quia vergit in præiudicium consanguineorum iurantis, quibus per leges nostri Regni datum est ius repetendi hunc excessum, vt cum aliis, maximè cum Sanch. diximus in citato Tract. de Matrimonio disp.6.dub.34.

DVBITATIO XI.

Quâ ratione vltra implendi obligationem habeat Iuramentum vim confirmandi contractus, etiam Iure inualidos, aut contra prius Iuramentum initos?

155. Disputationem aggredimur in hac dubitatione sanè grauem, & quam à plerisque video satis copiosè disputari. Claritatis autem gratiâ placuit rem hanc in partes diuidere. Quinque igitur difficultates explicandæ sunt: prima quos effectus habeat peculiares Iuramentum confirmatorium contractus irriti quos non habet Iuramentum per se stans, hoc est Iuramentum quod tantum vim habet obligandi, non verò confirmandi contractus; secunda, an, & vnde habeat Iuramentum confirmatorium eam vim confirmandi contractus irritos. Tertia, an eam vim habeat etiam respectu contractuum, qui sunt Iure ipso irriti. Quarta an etiam respectu contractuum, qui contra prius Iuramentum ineuntur. Quinta quibus regulis dignoscatur quando Iuramentum eam vim habeat. Quas quinque difficultates sigillatim eo ordine quo indicatæ sunt placet expedire.

Quinque difficultates explicandæ sunt.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quos effectus habeat peculiares Iuramentum confirmatorium quos non habet Iuramentum per se stans?

156. Sex præcipuè effectus solent assignari in quibus differt confirmatorium Iuramentum à Iuramento per se stante. Primus est, quòd ex confirmatorio resultet duplex obligatio, altera ex religione erga Deum; altera ex fidelitate seu iustitia erga hominem, & ideò manet contractus firmus & irreuocabilis, etiamsi secluso Iuramento reuocabilis esset, vel etiam irritus, cùm tamen Iuramentum per se stans contractum relinquat in sua natura, ita vt si naturâ sua reuocabilis sit, aut etiam irritus, etiam post Iuramentum reuocabilis maneat aut irritus; Adeò vt quamuis tale Iuramentum fiat homini, nullum illi ius tribuat, quod secluso Iuramento non haberet, sed solùm pariat obligationem ex virtute religionis in ordine ad Deum, iuxtà dicta in hac disputatione dub.1.illat.2.& 3 hoc discrimen vtriusque Iuramenti docent communiter Doctores. Iason authentica *Sacramenta puberum* nu.38. c. *si aduersùs vendit*. Antonius Gomez 2. variarum c.14.num.21. Ferrarius lib.2. de Iuramento c.25.nu.2. Sanch.lib.3.c.12.nu 58.docetque Suarius id manifestè colligi ex aliu Canonistis in cap.1.& cap.cum contingit de Iureiurando & Couarruuias de Pactis part.2.§.1.per totum præsertim num.7.concl.4. & D.Thomas 2.2.q. 89.a.9.ad 3. in Iuramento extorto per iniuriam vnicam tantum agnoscit obligationem scilicet ex religione.

Assignari solent sex præcipuè effectus in quibus differt confirmatorium Iuramentum à Iuramento per se stante. Primus est.

157. Secundus effectus est, quod quando Iuramentum est per se stans, eadùque suprà contractum irritum potest relaxato Iuramento veniri contra contractum, qui non obstat, vtpote nullus, & Iuramentum iam relaxatum extinctum manet. Secùs verò quando Iuramentum est confirmatorium; nam adhuc ablato Iuramento perseuerat obligatio iustitiæ aut fidelitatis ex contractu, qui factus fuit validus eò quòd leges ipsæ quæ illum secluso Iuramento irritum fecerunt, noluerint esse irritum, si Iuramentum adhibeatur. Et quamuis aliquando ratione læsionis allegatæ concedi possit, (vt dicemus sequenti disputatione) imò de facto concedatur relaxatio ad effectum agendi; ea tamen relaxatio non operatur quod possit contra veniri contractui, sed tantum quod liceat absque periurio contendere in iudicio ad illius rescissionem ratione læsionis. Ita docet communis sententia Iuristarum & Canonistarum quos refert Couar. de Pactis part.2.§.1.num.7. vbi aliquos

Secundus effectus.

authores qui videntur oppositum docere, ne interpretatur, vt loquantur post rescissionem contractus à Iudice factam. Idem docet Molina Tract.2.disp.150.Azor lib.11.c.7.q 5. Rebellus part.2.lib.1.q.9.nu.11.Suarius cap.illo 25.nu 3. & 4.Sanch.lib.3.c.12.nu.59. & alij multi etiam Theologi. Notant verò Molina & Sanch.quòd si ille qui petit relaxationem ad effectum agendi nouerit eum, cui iuratum est, iustè possidere, relaxatio est nulla cum innitatur falsæ allegatæ causæ, ac proindè docent peccare contrà Iuramentum, & contrà Iustitiam, ideoque teneri expensas litis, & damna inde secuta aduersario restituere. Quæ doctrina verissima est iuxtà generalia principia de restitutione.

Notant Molina & Sanch.

Tertius effectus.

158. Tertius effectus est quòd Iuramentum per se stans cadens in contractum nullum impleatur solutione momentaneâ, statimque possit Iurans repetere rem solutam, aut quacunque viâ legitimâ eam recuperare: nam cùm simul ac solutio facta est, fit iurans vinculis Iuramenti solutus, vt qui iam Iuramento satisfecit, remanet illa res apud alium sine causa & titulo legitimo; quippe quæ solùm ratione Iuramenti implendi erat debitum. Secùs verò contingit quando Iuramentum confirmat contractum quòd satis clarè indicant cap. *ad audientiam*, de iis quæ vi, & alia Iuram. infrà citanda, docentque communiter Doctores quos referunt & sequuntur Couar. suprà part.2.§ 3.Guttierrez 1.part. cap. 53. Suarius c.25.nu.10.Sanch. suprà num.61. atque hoc in vniuersum putat Sanch. verùm quamuis Anton. Abbas & Immola doceant, etiamsi Iuramentum sit tantùm per se stans, & non confirmans, non dari repetitionem, nisi sit turpitudo ex parte recipientis in quorum sententiam inclinat Suarius num.11.docens videri posse fieri vt aliquod Iuramentum confirmatorium non sit, & nihilominùs non relinquatur iustus repetendi titulus. Hanc tamen vltimam doctrinam nullo argumento probat Sanch. contrà Suarium, & alios, ideò mihi videtur satis probabilis doctrina Suarij, Anton. & Abbatis; maximè quantum ad hoc quod non detur repetitio in foro externo, nisi sit turpitudo ex parte recipientis, quod ita merito fieri potest ad vitandas lites, vt in aliis casibus contingit v. g. quando in emptione, & venditione non fuit læsio enormis, & vltra nimirum iusti pretij in quo casu solet non dari repetitio in Iudicio externo, non quia non habeat ius pars læsa, sed quia meritò iudicatur expedire bono communi, vt huiusmodi lites non admittantur. In nostro ergo casu, ego, saluo meliori iudicio distinguerem: nam vel contractus ita reualidatur Iuramento, vt adhuc maneat irritabilis; & in eo casu eo ipso quòd à Iudice meritò non admittatur repetitio, nisi quando sit turpitudo ex parte recipientis, ille contractus manebit firmus, vtpote non irritus quamuis irritabilis à superiore qui non vult admittere petitionem circa hanc dubitationem: vel contractus est omnino irritus etiam posito Iuramento (qui propriè est noster casus) & tunc quamuis factâ solutione non admittatur repetitio in foro externo; licebit aliâ viâ damnum resarcire, occultâ compensatione atque in hoc sensu mihi placet sententia Sanch.

Author iudicat doctrinam Suarij probabilē.

Distinguendum in casu iuxta Authoris iudicium

159. Quartus effectus est quòd Iuramenti confirmatorij nequit dari, nec obtineri relaxatio à superiore: Iuramenti verò per se stantis, seu non confirmantis, dari potest & obtineri. Prior pars de Iuramento confirmatorio probatur ex textibus, qui dicunt de eo esse omnino & infallibiliter obseruandum, quæ verba omnem dispensationem atque omnis Iuris remedium excludunt, vt videbimus infrà explicantes secundam difficultatem. Secunda verò pars probatur 1. aliter enim loquuntur textus de Iuramento non confirmatorio. Probatur 2. quia per Iuramentum confirmatorium acquiritur ius alteri personæ, secùs verò in Iuramento non confirmatorio, quapropter in priori non est locus relaxationi, eò quòd vergeret in tertij præiudicium, quod non contingit in posteriori, vbi sola Iuramenti religio erga Deum obligat, atque adeò subiacet relaxationi Prælatorum. Ita sentiunt in vniuersum Bartolus, Iason, Curtius, Euerhardus, Couarruuias, Remín Caldus, Igneus, & alij, quos refert & sequitur Sanch.lib.3. c.12.nu.63. Quamuis autem alij Canonistæ & cum illis Suarius doceant etiam Iuramenti non confirmatorij non posse dari relaxationem à Prælato, nisi quando accipiens peccat iniustè retinendo, nihilominùs multò mihi magis placet Sanch. qui loco citato num.65. rectè probat eandem rationem quæ satis fuit, vt iustè essent leges irritantes contractum, & arctantes voluntatem contrahentium, ne validè disponerent, in illo casu esse etiam causam iustam relaxandæ obligationis Iuramenti, in illius præiudicium cedentis, vtpotè quæ nullum ius contulit parti, sed soli Deo acquiritur. Item ne aliâ viâ frustretur effectus per leges intentas. Legatur Sanch. loco citato. Addit etiam Suarius aliquando posse concedi relaxationem Iuramenti confirmatorij, si adsit causa extrinseca. Rectè autem id impugnat Sanch. cum paulo quem refert, ostenditque id solum esse verum respectu summi Pontificis qui de plenitudine potestatis, in casu extraordinario potest ob bonum commune priuare aliquem propriis bonis, & iure acquisito. Verùm quamuis hæc doctrina verissima sit, tunc non tam videtur relaxatio Iuramenti confirmatorij; (vt videtur supponere, non solùm Suarius, sed etiam Sanch.) quam ablatio seu rescissio illius contractus qui per Iuramentum robur accepit, alioquin irritus, vel etiam non irritus: satis enim est vim ipsam contractus rescindere, & vinculum illius dissoluere, vt etiam Iuramentum corruat quod contractum confirmabat; & tunc nulla erit necessaria directa Iuramenti relaxatio, sed sufficit indirecta, quæ resultat ex rescissione contractus. Hanc autem non solum Pontifex potest, sed etiam princeps sæcularis supremus, quando propter bonum commune potest aliquem priuare iure sibi aliàs acquisito. In quo casu necessariò obligatio ex religione erga Deum simul cessat, siue quia ablato (vt dicebam) fundamento suprà quod cadebat Iuramentum, ipsum etiam Iuramentum corruit. Siue quia eo ipso quòd propter bonum commune rescinditur contractus qui per Iuramentum confirmabatur, satis constat magis, expedire bono communi, quòd hic, & nunc talis contractus non

Quartus effectus est quod Iuramenti confirmatorij nequit dari relaxatio à superiore. Non confirmatorij potest. Prior pars probatur. Secunda pars probatur.

Concedere relaxationem Iuramenti confirmatorij, si adsit causa extrinseca, solus summus pontifex potest. Authoris iudicium.

non feruetur. Cùm ergò Iuramentum fuerit de eadem materia implenda, & feruanda, fatisetiam conftat melius effe non feruare Iuramentum, quàm feruare; atque adeò gratiùs Deo erit non facere, quam facere; cumque ex alio capite nullum ius acquifitum ex parte tertiæ perfonæ cogat, tota Iuramenti obligatio ceffabit.

Quintus effectus.

160. Quintus effectus eft, quòd quando Iuramentum tantùm eft per fe ftans, non confirmans contractum, nulla datur actio in foro externo aduersùs iurantem vt colligitur ex cap. *Debitores* de Iureiurando; vbi habetur licet tale Iuramentum obliget iurantem refpectu Dei, non obligare refpectu hominis, ac proinde non dare aliquod ius homini cui fit Iuramentum; ergo neque actionem, quia omnis actio fundatur in Iure creditoris vt patet ex §. 1. Inftit. de actionibus, vbi definitur actio quòd fit *ius perfequendi in iudicio quod fibi debetur*. Si verò Iuramentum fuit confirmatorium, datur actio in foro externo quia tunc homo cui fit acquirit ius. Ita docent communiter Authores maximè Conar. 1 part. §. 2 num. 3. Suarius lib. 2. c. 25. num. 7. Sanch. lib. 3. c. 12. nu. 66.

Iuramentū tamē per fe ftās, licet obliget Iurantē refpectu Dei, non obligat tamen refpectu hominis. Confirmatorii verò dat actionē in foro externo. Authoris iudicium.

161. Verùm quamuis hæc doctrina abfolutè veriffima fit, nihilominùs quod attinet ad negatam actionem in cafu Iuramenti non confirmatorij, diftinguendum mihi videtur: nam fi agamus de actione ciuili, veriffimum eft negari actionem cum qui deberet effe actor, non habeat ius acquifitum, fi verò fermo fit de actione criminali, accufandi fcilicet hominem de periurio, feu infidelitate propter non impletum Iuramentum, quod aliàs obligat (vt fupponimus) non video cur neganda fit actio, quæ non fit iuris alicuius poftulatio, fed accufatio criminis. Hoc tamen ius habet, non folùm ille tertius cui factum fuit Iuramentum, fed quiuis alius, alioquin non impeditus agere in iudicio contra aliquem. Verùm id totum non tollit hoc quintum difcrimen affignatum quod intelligi debet de actione ciuili.

Sextus effectus confirmatorij. obligatio tranfit ad hæredes, nō ita Iuramenti non confirmatorij.

162. Sextus effectus eft quòd fi Iuramentum fit confirmatorium, eius obligatio tranfeat ad hæredes quia confert ius alteri, quod ius perfeuerat in bono defuncti, quæ cum eodem grauamine tranfeunt ad hæredes. Si verò Iuramentum fit per fe ftans, obligatio eius ad hæredes non tranfit. Ita Suarius & Sanch. locis citatis, de quo fuo loco dicemus dub. 18.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An, & vnde habeat Iuramentum vim confirmandi contractus irritos?

HIc foluenda eft fecunda pars dubitationis, de quâ magna controuerfia eft inter Doctores, an fcilicet quamuis Iuramentum, neque ex naturâ fuâ, neque ex Iure pofitiuo, habeat vim conferendi Ius iuftitiæ, faltem ex difpofitione Iuris pofitiui reuiuifcat contractus ille, & pariat (quando fuperuenit Iuramentum) illam ipfam obligationem Iuftitiæ, quam naturâ fua haberet nifi irritus effet difpofitione Iuris pofitiui.

163. Nota primò dupliciter poffe intelligi contractum confirmari Iuramento, Primò, quando contractus fecluſò Iuramento erat quidem in fe validus; fed infirmus eò, quòd poterat reuocari, feu fas erat contra ipfum reclamare; virtute tamen Iuramenti efficitur irreuocabilis, reclamandique facultas denegatur. Secundò, quando contractus erat in fe Iure ipfo inualidus, virtute tamen Iuramenti adiecti ita firmatur, vt fiat validus, aut faltem effectus omnes producat, quos haberet fi validus effet. Prioris generis funt contractus quos minor, curatore carens, init. pofterioris verò funt, quos minor habens curatorem, contrahit abfque illius authoritate. Patent hæc ex l. *fi curatorem* 3. c. *de in integrum reftit.* & l. Caftellæ 25. tit. 4. partita 3. & lib. 5. tit. 11. partita 5. plurefque alij contractus funt eiufmodi. Vtro autem horum modorum Iuramentum confirmet contractum, dicemus infrà difficultate fequente.

Nota 1. dupliciter intelligi poffe cōtractum confirmari Iuramētō. Primò. Secundò.

164. Nota fecundò (id quod omninò certum eft) Iuramentum fcilicet non habere ex natura fua hanc vim confirmandi contractus, neque ex iure aliquo naturali, quod fatis conftat ex eo quòd Iuramentum natura fua, & inftitutione eandem vim femper habet; conftat autem Iuramentum quandoque non confirmare contractus, vt quando hi funt per iniuriam, aut metum extorti; ergo ad ius pofitiuum recurrendum eft à quo habeat eam vim in quibufdam cafibus, fecùs verò in alijs. Patet etiam ex eò quòd Iuramentum fuaptè naturâ folum inftitutum eft ad confirmandam veritatem, ac proinde folummodò natum eft inducere obligationem faciendi veram, rem iuratam. Ad id verò neceffarium non eft, quòd habeat vim confirmandi contractus; fed fatis eft inducere illud obligationis genus, quod etiam inducit in contractibus nullis, vtpote per iniuriam & metum extortis. Ita docent communiter Authores quos referunt & fequuntur Suarius lib. 2. ca. 28. nu. 3. Sanch. lib. 3. c. 12. nu. 3. Solùm ergo reftat difficultas an reipfa fit aliquod Ius canonicum vel ciuile tribuens hanc vim Iuramento, atque adeo fi tributam vim Iuramentum habeat?

Nota 2. Iuramentū neque ex naturâ fuâ neque ex Iure naturali habere vim cōfirmandi cōtractum.

Difficultas ergo folum eft an ex Iure aliquo pofitiuo hanc vim habeat.

165. Non defunt qui putant nullum effe Ius pofitiuum eam vim tribuens Iuramento, ideoque omninò Iuramentum ea carere. Ita Iafon, in authentica *Sacramenta puberum* nu. 5. & nu. 36. & 37. Igneus in Repetitione eiufdem authenticæ nu. 5. & 32. Portius §. *Extraneus* num. 11. Inftit. de Hæredum qualitate & differentia. Probant. 1. quia nullus eft textus qui id apertè afferat, aut ex quo efficaciter deducatur, Secundò quia data hâc confirmatione per Iuramentum, non fatis effet confultum imbecilli minorum iudicio in fuis rebus alienandis, & fragilitate mulierum, &c. Nam qua facilitate ducuntur ad alienandum, eâdem quoque iurabunt, eâque ratione fruftrabitur Iuris ciuilis finis, quem habuit irritando eas alienationes fine folēnitatibus præfcriptis & fcilicet prædictis confuleret. Prob. 3. ex vulgari axiomate quod habet iusiurandum intelligi, & regulari debere, iuxta naturam actus fuper quo imponitur, omnefque qualitates & conditiones illius recipere. Et probatur ex l. finali c. *de non numerata pecunia*.

Negāt varij. Probant 1. 2.

Probant 3. ex vulgari Axiomate.

Assertio comunis & vera sententia affirmat. 166. Communissima nihilominùs, veraque sententia, & vbique recepta est, Iuramento (vltrà vim obligandi ad seruandam veritatem rei iuratæ) inesse quandoque vim confirmandi contractus quibus adiicitur. Quod satis apertè constat ex longè diuerso modo loquendi textuum, *Constat ex logè diuerso modo loquendi textuum.* quando agunt de Iuramento confirmante, atque quando agunt de non confirmante; nam in priori casu statuunt Iuramento semel impleto compellendum esse creditorem iuranti reddere vsuras, virtute Iuramenti solutas vt patet ex cap. *Debitores* de Iureiur. aut etiam docent Iuramentum non esse seruandum (quod intellige post dispensationem) vt constat à contrario sensu ex cap. quamuis pactum de Pactis in 6. & cap. 2. de Iureiur. eodem libro & cap. *cùm contingat* de Iureiur. in quibus textibus significatur Iuramentum per vim aut dolum extortum non esse seruandum eo rigore, & modo, quo Iuramentum sine vi, & dolo. Et in authentica Sacramenta puberum c. *si aduersus vendit*: dicitur id esse nullius momenti. De Iuramento verò adhibito sine vi & dolo, dicitur esse omnino secundum, vt in dicto cap. *quamuis pactum*; aut inuiolabiliter seruandum, vt in dicta *authentica* quæ duæ dictiones *omninò*, & *inuiolabiliter*, significant contractum irreuocabilem & firmum manere, vt ibi aduertunt Doctores. Illa enim dictio importat quòd absque aliquâ dispensatione, & absque vlla exceptione, & (vt aiunt) sine remedio, & ad vnguem implendum, præcisamque executionem vt ex multis probat Sanch. tùm citato lib. 3. c. 12. nu. 5. tùm lib. 1. de Matrim. d. 32. nu. 6. Vlteriùs cap. 2. de Iureiur. in 6. interdicitur audiri mulieres contra alienationem fundi dotalis Iuramento firmatam. Cùm ergo in vtroque casu, (scilicet quando per vim, & quando spontè sine vi, Iuramentum remittitur) vim habeat obligandi, & nihilominùs tam diuerso modo de vtroque loquantur Iura, satis apertè indicare videntur in posteriori casu Iuramentum non solam vim obligandi habere, sed etiam vim confirmandi contractus; reddendo eos omninò firmos, & irreuocabiles.

167. Id ipsum quoque me quidem iudice clariùs adhuc probat textus in dicto cap. *quamuis pactum*. ibi *si tamen Iuramento non vi, nec dolo præstitum firmatum fuerit, omninò seruari debebit*. Quæ verba non ad Iuramentum, sed ad pactum referuntur, de quo ibi sermo est. Eaque ratione hunc textum interpretatur Glossa v. *seruari* & Couar. de Pactis 3. part. §. 4. n. 8. in fine.

168. Neque obstat rationem in prædictis textibus traditam esse, quòd id Iuramentum possit absque peccato seruari: quamuis enim ea ratio solam Iuramenti obligationem probet, non tamen ea sola ratio in his textibus habetur, quin etiam additur ea Iuramenta fuisse spontè præstita, & non per vim nec dolum. Quæ ratio integrè accepta non potest soli obligationi Iuramenti accommodari, cùm ea quoque oriatur ex Iuramento non spontè præstito, vt patet ex aliis textibus id expressè definientibus. Vnde id totum quod reperitur in hoc casu, sufficit vt Iuramentum cum talibus conditionibus possit contractum confirmare. Ideò hanc sententiam sequuntur omnes Doctores sequenti difficultate referendi, omnes enim tribuunt hanc vim Iuramento tantùm discrepant in assignandis contractibus, qui eâ ratione virtute Iuramenti confirmentur.

169. Ad primùm argumentum oppositæ sententiæ, satis patet ex dictis esse textum vnde nostram sententiam probemus. *Ad primũ argumentũ oppositæ sententiæ.*

170. Ad secundum negatur assumptum; nam ad Iuramentum, propter eius reuerentiam, non debet præsumi fore eamdem facilitatem, quin potiùs quisque præsumitur maiori cum consideratione, & deliberatione ad iurandum accedere, vt notauit Alexander cum aliis in Rubrica ff. de verborum significatione in fine. Prætereà propter Iuramenti reuerentiam meritò idipsum in vtroque Iure statutum est. *Ad secundum Resp.*

171. Ad tertium respondetur, illud axioma multis modis limitari, vt dicemus in sequentibus agentes de modo quo sit interpretandum Iuramentum. Quod autem ad præsens attinet, limitandum est, vt non intelligatur, nec locum habeat, in omnibus illis casibus, in quibus actus cessante Iuramento est inualidus, aut infirmus, valoremque accipit à Iuramento: tunc enim non sequitur naturam actus cui adhæret sed eius obligationem auget, idque ait esse indubitatum Vincentius Mancinus Tract. de Iuram. 4. part. effectu 9. nu. 10. & Sanch. lib. 3. c. 12. nu. 7. Quæ doctrina mihi vera absolutè videtur, sed si propriè loquendum sit, potiùs dicendum est in hoc casu Iuramentum esse conditionem sine qua non obligat contractus, nempè Iuramentum ipsum non auget obligationem ipsam contractus, sed solùm per se affert suam obligationem ex virtute Religionis. Ius autem positiuum, quod alioquin secluso Iuramento irritabat contractum, posito Iuramento non irritat, sed relinquit illum suæ naturæ. Vnde si ad amussim metaphysicam reducamus rem totam, Iuramentum per se non est causa obligationis contractus, sed conditio sine qua non causaret contractus suam obligationem, nec contractus ipse subsisteret, quia impediretur à Iure positiuo, à quo non impeditur quando ponitur conditio Iuramenti confirmantis. *Ad tertiũ Resp. Axioma illud multis modis limitari.* *Ius positiuũ quod seclusõ Iuramẽtõ irritaret contractũ, posito Iuramento, non irritat.*

TERTIA DIFFICVLTAS.

Quosnam contractus inualidos Iuramentum confirmet?

172. QVatuor de hac re opiniones apud Authores inuenio. Prima negat Iuramentum habere virtutem confirmandi contractus, qui Iuramento secluso sunt Iure irriti: sed tantùm habere vim confirmandi contractus qui validi quidem sunt, possunt tamen beneficio restitutionis rescindi. Huius sententiæ sunt plurimi Iurisperiti, quos refert Sanch. lib. 3. cap. 12. nu. 8. probantque ex Iure ciuili, ex authentica *Sacramenta puberum* c. *si aduersùs vendidit*: ex qua sic confirmant: in ea authentica agitur de contractibus minorum non retractandis, eo ipso quo confirmantur Iuramento, quod autem nullum est nequit retractari. Signum ergo est prædictos contractus, ex se, non esse nullos. *Quatuor hac de re sunt opiniones. Prima*

173. Se-

Secundò.

173. Secunda sententia docet contractus non omnino Iure irritos, sed quibus deficit sola obligatio ciuilis firmari Iuramento; secùs verò si ita irriti sint vt nec naturalem obligationem producant. Ita docent Callas, Hypolitus & Romanus aliique, quos referunt & sequuntur Lessius lib. 2. de Iustitia c. 17. dub. 7. num. 56. & Suarius lib. 2. de Iuramento c. 29. a. nu. 3. qui duo Authores vt hanc sententiam defendant, & textibus qui contrarium probare videntur, satisfaciant, docent contractibus factis inualidis per Iura positiua, semper aduci, ab eo qui iurat, aliquam promissionem non reuocandi eos contractus, quæ promissio (inquiunt) producit naturalem obligationem. Vnde si talis promissio non adiicitur (inquit Suarius nu. 25.) non firmabitur Iuramento contractus qui aliàs erat irritus. Probatur autem hæc sententia primò, quia quando actu nulla prorsùs inest obligatio, non habet locum confirmatio illius: nec enim confirmatur nisi quod vim aliquam habet.

Probatur 1. hæc opinio.

Huic probationi fundamento respondere potest.

174. Huic tamen fundamento facilè responderi potest, eos contractus qui attento solo naturali Iure validi erant, sicut potuerunt fieri irriti per Ius positiuum, ita potuisse per idem Ius reualidari, si accedat Iuramentum, vel (vt magis propriè loquamur) potuerunt posito Iuramento relinqui in sua vi naturali quam habent, non inualidando illos, quod & factum esse in aliquibus contractibus per leges tam canonicas, quam ciuiles, probauimus difficultate præcedente, & docent Authores posteà referendi pro 4. sententia.

Probatur 2.

175. Probatur secundò eadem secunda sententia. Quia quando non est aliqua promissio quæ secluso Iuramento producat aliquam obligationem naturalem, non potest ius aliquod parti cui iuratur acquiri. Quando enim Iuramentum accedit promissioni irritæ, nullum ius parti tribuit, vt constat in Iuramento soluendi vsuras, aut in Iuramento extorto per vim, quod Iuramentum non habet vim tribuendi aliquod parti, vltra id quod tribuit ipsa promissio. Alioquin ex promissione valida iurata consurgeret triplex obligatio; duplex ex Iuramento, altera erga Deum, altera erga partem, & altera ex ipsa promissione, cùm tamen (vt ex mente D. Thomæ & omnium diximus suprà dubit. 3.) duplex sola obligatio oriatur ex Iuramento promissorio.

Nec hæc probatio est efficax.

176. Verùm neque hoc argumentum vim vllam habet. Respondet Sanch. lib. 3. c. 12. num. 11. hoc Iuramentum, de quo agimus, præcisè sumptum & non conferre ius parti, sed quatenùs additum est promissioni, illamque reddit validam, saltem quoad omnes effectus promissionis validæ, & ideò non sequitur quod additũ promissioni validę, producatur triplex obligatio; quia Iuramentum confirmatorium additũ inualidæ promissioni, non producit immediatè obligationem, sed validitatem promissionis, ex quâ eâdem consurgit obligatio, ac si, per se esset valida. Quæ solutio in substantia mihi non displicet, sed si propriè loquamur, paulò aliter respondendum est, iuxta doctrinam datam in fine præcedentis difficultatis, nimirum Iuramentum si habere tanquam conditionem sine qua non valeret contractus, ita vt contractus qui naturâ suâ erat validus, sed Iure positiuo factus est inualidus, non fiet inualidus, nisi quando non adest Iuramentum; si verò adsit Iuramentum, tunc à Iure non inualidari contractum, sed relinqui suæ naturæ: atque adeò ipsum contractum ex se subsistere; & obligare; eamque obligationem non causari à Iuramento, nisi tanquam à conditione requisita, ab ipso autem Iuramento solum causari propriam obligationem Religionis. & nullam aliam.

Authoris solutio.

Iuramentum tanquam conditio requisita causat valorem contractus.

177. Tandem contrà Lessium & Suarium argumentatur Sanch. difficilè posse intelligi quonam modo promissio alicuius rei nullam inducat obligationem, & simul promissio illius non reuocandi, eam inducat. Cum hæc sit confirmatio rei cuiusdam irritæ, & illi accessoria ideoque sequatur naturam rei principalis, confirmandæ quæ promissio quædam irrita est, & irrita promissio nequeat confirmari.

Tertia opinio.

178. Tertia sententia docet contractus Iure ciuili irritos confirmari Iuramento, non verò irritas Iure canonico. Ita Azor tom. 1. lib. 11. ca. 7. qu. 1. Hanc tamen sententiam meritò refellit Sanch. suprà num. 13. ex eo quòd nulla ratione, neque vllo alio Authore idoneo prubetur. Præterea reiicitur, ex eò quòd donatio inter coniuges est Iure canonico irrita, cap. *Finali de Donat. inter virum & vxorem*, & tamen confirmatur Iuramento (vt diximus in Tract. de Matrimonio, qui est vndecimus, de Sacramentis disp. 6. dub. 11. cum eodem Sanch. lib. 6. de Matrimonio disp. 11. nu. 2. & multis Iurisperitis & Theologis, apud eundem Doctorem, & aliis quos ibi retulimus; fateturque ipse Azor ibidem.) Vlteriùs Iure canonico non valet pœna apposita in sponsalibus cap. *Gemma de sponsalibus*, & tamen magna controuersia est inter Authores, an is contractus Iuramento firmetur; & probabilissimum est confirmari, vt ex instituto diximus in eodem Tract. de Matrim. disp. 1. dub. 27. atque ita docent confirmari Lessius de Iustitia & Coninc, illum refert & sequitur in suo tom. de Sacramentis disp 22. num. 24. & alij Authores apud Sanch lib 1. de Matrim. disp. 32. n. 20.

Hæc opinio reiicitur.

Quarta opinio docet contractus Iure irritos confirmari Iuramento huic subscribit Author: probatur variis exemplis.

179. Quarta sententia docet contractus Iure irritos confirmari Iuramento, quæ sententia mihi placet. Atque imprimis probatur in contractu alienationis fundi dotalis, & in renuntiatione futuræ successionis, & in contractibus minorum absque authoritate sui curatoris, & decreto Iudicis, quando sunt circa immobilia, quæ omnia sunt Iure irrita; & tamen difficultate 2. huius dubitationis probauimus confirmari Iuramento, ex cap. *quamuis pactum* de Pactis in 6. & cap. 2. de Iureiurando eodem libro & cap. *cùm contingat* de Iureiurando & authentica *Sacramenta puberum* c. *si aduersus vendit*. Atque in vniuersum loquendo ita docent innumeri Authores, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 3. de Iuram. c. 12. nu. 11. & 12. qui in specie, & expressè, docent contractu, ita Iure irritos, vt nulla ex eis obligatio naturalis consurgat, Iuramento confirmari. Ita expressè Alciatus cap. *cùm contingat* de Iureiur. num. 340. Couar. de Pactis part. 2. §. 4. nu. 7. versic. septimo, Antonius Gomes l. 13. *Tauri* num. 4. Seraphinus de priuilegiis Iuramenti 61. nu. 5. Molina tom. 2. de Iustitia disp. 256. colu. 2.

versic. *duabus* Sanch. etiam citato illo num.11.& 12.expressè loquitur de hoc genere confirmationis qui num.15. aduertit Molinam disp.150. col. penultima, versic. *His iactis fundamentis*, & Suarium lib.2.c.29.nu.9. docere hos contractus non fieri validos formaliter, & directè, sed manere inualidos. Dici tamen confirmari Iuramento quoad effectus, quia nimirum medio Iuramen o comparant omnes effectus quos hi contractus haberent, si reuera essent validi. Sanch. verò ipse parùm putat referre, siue hoc, siue alio modo loquamur; dummodo dicamus habere omnes effectus quos habent contractus validi, ita disponente Iure, tam canonico, quàm ciuili. Itaque putat quæstionem esse de nomine, non de re. Vnde consequenter dixerat num.14. infideles non baptizatos, etiamsi obligarentur Iuramento quando vero Iuramento iurarent, non confirmare suos contractus per tale Iuramentum, si secundùm Ius ciuile illorum contractus erant irriti, quia id tantùm potest facere Iuramentum ex dispositione Iuris canonici, cui illi non subduntur, aut ex dispositione Iuris ciuilis nostri, cui etiam non subduntur, nisi fortè habitent in locis fidelium, vbi consequenter subduntur legibus ciuilibus id priuilegium concedentibus Iuramento.

Dicti contractus non fiunt, ratione Iuramenti, formaliter & directè validi. Sed solum quoad effectus iuxta Suarium. Quæstionē esse de nomine putat Sanch. non de re.

Authoris iudicium.

180. Ego sanè non diffiteor ad rem moralem parùm referre, vtrouis modo loquamur, dummodò constet eosdem effectus resultare posito Iuramento, atque si contractus ipse per se valeret, & directè confirmaretur. Nihilominùs si rem exactè velimus examinare omninò verum puto contractum in se ipso manere firmum, perinde atque si nunquam fuisset irritus à Iure positiuo; nempè (vt suprà dicebamus in hac & præcedente difficultate) Iuramentum est conditio quâ positâ contractus relinquitur suæ naturæ, ita vt Ius positiuum irritet quidem contractum quemcunque ex dictis, dummodò Iuramento non firmetur, si tamen Iuramento firmetur, non irritet atque in hoc sensu diximus iam non semel, Iuramentum esse conditionem requisitam vt talis contractus valeat. Quæ doctrina, si vera est, vt mihi verissima apparet, negari non potest, quin contractus non solùm quoad effectus, sed in seipso maneat firmus & validus, non quia Ius illos faciat validos sed quia, cùm validi sint naturâ suâ, nisi inualidentur à Iure, & Ius tantùm illos inualidet quando non firmantur Iuramento; eo ipso quòd Iuramentum adest ipsi contractus ex se validi sunt.

Contractus prædictos nō adiecto Iuramento irritat Ius positiuum, non autem si firmātur Iuramēto.

181. Sanè obligatio propria contractus nunquam potest induci à Iure positiuo, imò neque ab ipso Deo, quia tale genus obligationis essentialiter postulat consensum validum partium, ad se mutuò obligandum, iuxta doctrinam quam latè tradidimus in citato Tract. de Matrimonio disp.2.dub.6. Vnde iuxtà doctrinam ibi traditam potest quidem non solùm Deus, sed Ius positiuum, & princeps, legibus efficere assimilem quandam obligationem mutuam partium, quâ maneant sibi inuicem obligati ex Iustitia; non secùs atque si se mutuo consensu valido obligassent; ea tamen obligatio omninò diuersa est (saltem quantùm ad modum) ab obligatione quæ oritur ex contractu vt ibidem explicuimus. Vnde in nostro casu, si semel contractus fuit inualidus, quia Ius inhabilem reddidit minorem v.g. ad contrahendum sine assistentiâ curatoris, aut Iudicis, si semel talis contractus inualidus transeat, non potest Ius positiuum facere vt talis contractus valeat; nullus est enim contractus quem possit facere validum, nam ille contractus iam non existit, & quando extitit, non fuit validus. Ergo si nunc velit Ius positiuum, aut Princeps, quod contrahentes sint inter se obligati, id non faciet dando valorem contractui, qui nullus est, sed inducendo per se illam obligationem, quod non esset confirmare contractum sed inducere per se effectum quem poterat inducere contractus; ergo quando Authores & Iura volunt contractum seruari contractumque valere, non intelligi debent de inductione quadam obligationis prouenientis ab ipso Iure, sed de obligatione proueniente à contractu, quæ longè diuersa est, ita vt à Iure permittatur contractus valere qui non permittebatur quando Iuramentum non aderat.

Obligatio propria cōtractus nūquā induci potest à Iure positiuo.

182. Dicimus ergò, neque ipsum Ius dare propriè vim contractui, nec Iuramentum ipsum quod appellamus confirmatorium, sed Ius, in casu quo Iuramentum adhibeatur contractui, permittere contractum, esse in sua natura & cum sua vi naturali obligandi, & tunc effectus omnes contractus directè & per se oriri ab ipso contractu; à Iuramento verò, tanquam à conditione sine qua non permitteretur in sua natura contractus, à Iure verò tanquam à remouente, seu non apponente prohibens aliquid, quo prohibebatur, vel prohiberetur contractus, existere in sua vi & natura, quia nimirum Ius non apponit, sed remouet suam irritationem à contractu eo ipso quòd adest Iuramentum.

Neque Ius propriè neque Iuramentū dat vim contractui.

183. Neque ad rem moralem videtur omninò impertinens hæc quasi metaphysica distinctio; multum enim interest vnde proueniat obligatio. Nam si obligatio oritur ex contractu ipso est quidem obligatio Iustitiæ, quæ simul inuoluit aut essentialiter habet imbibitam quandam veritatem, seu fidelitatem, quæ in omnibus contractibus reperitur eo ipso quòd quis verbo aut signo externo explicat alteri contrahenti suum animum perstandi, & pro firmo habendi id circa quod contractus celebratur. Quod fidelitatis genus non reperiretur in obligatione illa, quam Ius positiuum causaret per se, quando quis inualidè quidem contraheret, & quia simul iurauit, Ius positiuum per se induceret obligationem Iustitiæ; tunc enim si quis non staret illi obligationi, sed contra ipsam operaretur, peccaret quidem contra Iustitiam, sed non talem ex se quæ inuolueret illud infidelitatis genus quod reperitur quando quis non seruat id ad quod seruandum verbo se suo obligauit; qua ratione dubitatione illa 6. disputationis 2. de Matrim. concessimus, posse quidem Deum sine consensu contrahentium transferre mutuum Dominium corporum maris & fœminæ in ordine ad generationem, illudque esse vinculum Iustitiæ, sed non esset tale in omnibus quale est illud vinculum quod de facto causant contrahentes mutuo consensu; neque enim tunc, quamuis essent iniusti non mutuo sibi reddendo debitum, aut faciendo

Multū interest vnde proueniat obligatio.

ciendo copiam sui alteri personę, peccarent contra fidelitatem, nec essent sibi inuicem infideles, quia neuter alteri præstitit fidem, sed absque ipsorum consensu colligati fuerunt à Deo illo vinculo. Sic ergo in nostro, casu, si obligatio Iustitiæ quæ manet propter superueniens Iuramentum, non causaretur ab ipsomet contractu directè & per se, sed à Iure positiuo, quod statuto suo decernit eam obligationem causari & Ius transferri, illa obligatio Iustitiæ non esset omninò eiusdem rationis cum ea quæ resultat ex ipso contractu. Nam quæ ex contractu resultat, obligationem quandam fidelitatis simul inuoluit quæ est annexa mutuis verbis explicantibus mutuum consensum contrahentium; quam fidelitatem non haberet imbibitam illa obligatio quam Ius positiuum per se causaret non valente contractu in se, sed solùm ex vi Iuris aut Principis potestate sua id efficientis.

Virtute Iuramenti siue tanquā causa siue tanquam conditione inducitur obligatio Iustitiæ in contractibus.

184. Sed relictis iis metaphysicis considerationibus, quod ad rem moralem attinet virtute Iuramenti, siue tanquam causâ, siue tanquam conditione, induci obligationem Iustitiæ in prædictis contractibus. Præter Authores citatos docent alij multi. Ita Rebellus lib. 1. q. 9. Molina non solùm loco citato, sed etiam Tract. 2. disp. 151. adiunctis etiam iis quæ dixerat disp. 149. item disp. 289. & disp. 513. Rodriguez tom. 1. ca. 92. n. 2. & alij quos refert & sequitur Bonacina disp. 3. de Contractibus q. 1. punct. 1.

Dubium graue.

185. Iam verò dubium est & quidem graue an ad confirmandum contractum satis sit Iuramentum implendi, seu soluendi rem promissam, an potiùs necessarium sit Iuramentum non reuocandi contractum, aut non contraueniendi, siue non petendæ rei promissæ?

Sententia multorum authorum.

186. Multi videntur sentire necessarium Iuramentum posteriori modo emissum. Ita Bartolus, Iason, Igneus, in authentica *Sacramenta puberum*. Lessius lib. 2. de Iustitia c. 17. dub. 7. n. 56. idque latè probat & docet Suarius lib. 2. de Iuramento c. 29. n. 3. & 4. probari verò potest, quia

Probatio 1.

prædicta authentica *Sacramenta puberum* & cap. *cum contingat* de Iureiur. expresse loquuntur de hoc Iuramento. Deinde quia simplex Iuramentum soluendi vel faciendi quod promittitur in contractu, non excludit priuilegium concedentis legis repetitionem rei promissæ; sunt enim diuersa obiecta soluere & non repetere vt constat ex eodem cap. *Debitores* de Iureiur. vbi deciditur Iuramentum soluendi vsuras implendum esse soluendo illas, non tamen denegari repetitionem ipsarum vbi semel solutæ sunt; nec enim Iuramentum obligat ad non repetendum. Clarius adhuc & efficaciùs probatur ex cap. *ad euidentiam de iis quæ vi* vbi qui iurauit se resignaturum beneficium & resignauit, potest illud repetere, redditurque ratio in textu his verbis: *non obstante prædicto Iuramento qui non ad*, non repetendum; sed ad resignandum solummodò tenebatur. Vnde concludit Suarius num. 24. non posse esse Iuramentum confirmatorium vbi non adest promissio aliqua non retractandi, sed Iuramentum immediatè cadit super aliquam promissionem de futuro quæ Iure irrita facta est, & huic opinioni videntur fauere multi Authores quos citat Sanch. lib. 3. summæ c. 12. n. 17.

Probatio 2.

Opinio Suarij.

Opinio aliorum authorum.

187. Alij verò putant satis esse Iuramentum quodcunque de futuro ad confirmandum contractum, dummodò sit tale Iuramentum quod seruari non possit, nisi seruando & implendo materiam de qua fuit contractus.

Sanch. multò probabiliùs docet alias quidem esse promissiones faciendi aliqua quæ non includunt promissionem non retractandi.

188. Sanchez verò eodem c. 12. nu. 19. & 20. multò probabiliùs docet alias quidem esse promissiones faciendi aliqua quæ nullo modo includunt promissionem non retractandi seu non contraueniendi, sed ab ea separari possunt; cuius generis sunt promissiones soluendi vsuras, aut promissiones metu vel vi extortæ, aut soluendi amissa ludo pecunia credità; atque in his putat Iuramentum soluendi aut faciendi quod promittitur, non satis esse ad confirmandum contractum, nisi addatur Iuramentum etiam non repetendi, aut non retractandi, seu contraueniendi; nam saltem momentaneâ solutione satisfit illi Iuramento, & statim potest repetere quod soluit, quia nullum fecit Iuramentum de non repetendo; imo ea repetitio est quid distinctum ab eo quod iurauit: aliàs verò esse promissiones aliquid faciendi quæ virtualiter & intrinsecè includunt in se promissionem non retractandi, seu non contraueniendi; ac proinde in eis nequit distingui promissio non retractandi à principali promissione; quia cùm ipsa promissio faciendi aliquid in futurum includat intrinsecè promissionem non veniendi contra illam, non solet addi aliqua promissio non retractandi, neque, si adderetur, censeretur distincta à priore, qua ratione promissio non veniendi contra votum non est distincta à voto. Huiusmodi autem sunt promissiones non reuocandi testamentum, aut instituendi aliquem hæredem, quod fatetur ipse Suarius cap. illo 29. nu. 21. quia Iuramentum non reuocandi testamentum est idem ac non reuocandi contractum, & Iuramentum instituendi aliquem hæredem nequit sortiri effectum, nisi mortuo testatore quando iam institutio reuocari nequit; ac proinde est idem ac Iuramentum non reuocandi, atque in his promissionibus Iuramentum illis additum confirmat contractum. Quapropter non poterit Episcopus relaxare tale Iuramentum iuxta sententiam hanc, vt rectè notat Sanch. c. 12. nu. 22. quia nimirum satis est formale & expressum aut certè æquipollens & virtuale Iuramentum non retractandi ad confirmandum contractum.

Alias verò esse quæ virtualiter & intrinsecè includunt in se promissionē non retractandi.

Corollaria ex præcedente Doctrina.

Colliges 1. iuxta probabilē sententiam nō posse Episcopū relaxare Iuramentū de non reuocando testamēto.

189. Ex hac doctrina colligitur 1. iuxta multorum probabilem sententiam, Episcopum non posse relaxare Iuramentum de non reuocando testamentum, aut instituendo hæredem vt nuper dicebamus cum Sanch. & idem docet Molina tom. 1. disp. 151. versic. *saluo autem* Lessius lib. 2. c. 19. dub. 8. in fine.

Oppositum probabile etiam est.

190. Probabile nihilominùs est oppositum scilicet tale Iuramentum non confirmare prædictos contractus, atque adeo posse Episcopum in eo dispensare. Quod latè docet Suarius lib. 2. de Iuram. cap. illo 29. nu. 21. & 24 & 25. & Rebellus part. 2. lib. 1. q. 9. id quod probabile etiam putat Lessius citato lib. 2. c. 17. dub. 7. nu. 56. imò Sanch. etiam suprà id ipsum tandem concedit.

Et

Et quidem videtur expedire bono communi quòd non impediatur testator vsque ad finem vitæ condere liberè testamentum, sed de hoc iam non nihil diximus suprà, & in præcedenti tomo de Iustitia Tract. 19. qui est de testamentis disp. 1. dub. 16. vbi latè egimus de reuocatione testamenti. Iterumque dicemus in sequentibus.

Colliges 2. 191. Colligunt 2. nonnulli eum qui iurauit se soluturum pecuniam, nec repetiturum amissam per ludum, vt aiunt, pecunia credita & non præsente, teneri soluere, nec posse repetere, neque Episcopum posse relaxare huiusmodi Iuramentum, quia nimirum fuit confirmatiuum contractus, & acquisitum ius tertio, in cuius præiudicium non potest Episcopus Iuramentum relaxare iuxtà dicta suprà in hac dubitatione difficultate 1. effectu 4.

Iuxta opinionē probabilem Lessij hoc dixerim. 192. Hoc dixerim iuxtà opinionem probabilem Lessij lib. 2. c. 26. dub. 4. nu. 27. & Molinæ disp. 115 versic. *vtrùm autem qui ita* & Sanch. lib. 3. summæ c. 12. nu. 21. Quod etiam consequenter fateri tenentur omnes, qui docent in Regno Castellæ per leges illius Regni tantùm auferri obligationem soluendi quòd fuit perditum pecunia credita, & concedi repetitionem si solutur, non tamen prohiberi solutionem vel non repetitionem, quia secundùm hanc opinionem, licet is qui in tali Regno sine Iuramento promisit se soluturum quidquid perderet pecuniâ creditâ, non obligetur tali promissione, & ideo possit non soluere; si tamen velit cedere Iure suo potest, soluere & qui ab eo lucratus est potest sine peccato accipere & retinere absque vlla restituendi obligatione. Quapropter si accedat Iuramentum dandi & repetendi, cùm non sit turpitudo vlla ex parte accipientis, per tale Iuramentum firmatur contractus, & qui lucratus est acquirit ius iuxtà dicenda in hac dubitatione difficultate vltima. Ideò hanc opinionem, quòd scilicet accipiens iustè retineat & accipiat, præter Molinam & Sanch. citatos, amplectuntur Suarius lib. 2. de Iuramento cap. 27. num. 10. Perez lib. 4 *Ordinam.* titulo 4. lege 9. Azeuedo lib. 8. *Recopillationis* titulo 7. lege 8. num. 8. Henriquez lib. 7. de Indulgentiis c. 35. num. 6. Bannes 2. 2. q. 32. a. 7 Arragon eodem art. Salon 2. 2. ante quæstionem 62. nu. 9. Vega lib. 3. summæ casu 288. docenque esse probabilem Ludouicus Lopes lib. 2. de Contractibus cap. 22. & Alcozer de Ludo c. 30. qui ait huius sententiæ fuisse plures viros doctissimos ex Theologis & Iurisperitis.

Quæ sit auther. 193. Iam verò solùm quæro, an stando in hac opinione, is qui tantùm iurauit soluere amissa in ludo creditâ pecuniâ; & nihil iurauit de non repetendo, ita teneatur soluere, vt ante solutionem ipsam tale Iuramentum non possit relaxari per Episcopum: nam ex doctrina tradita sequitur id Iuramentum firmare contractum, saltem quoad solutionem momentaneam: Vnde ante illam factam non videtur posse relaxari, post factam verò nulla est necessaria relaxatio, cùm iam sit impletum Iuramentum.

Afferendū cū Sanch. 194. Nihilominus asserendum puto etiam posse per Episcopum relaxari non factâ solutione. Huc probat Sanch. lib. 3. Moralium cap. 12. n. 65. quia cùm illi Iuramento satisfiat momentanea solutione, & statim concedatur repetitio modicæ vtilitatis, est ea solutio creditori, & vitantur lites agitandæ in repetitione, & fortè periuria in his committi solita. Quæ sanè videtur sufficiens causa relaxandi Iuramentum. Ideoque probauerat ipse Sanch. lib. 1 de Matrim. disp. 32. num. 25. quia non confirmauit (inquit) contractum ratione intentionis diminutæ iurantis, eùm simul habuerit animum soluendi, & postea vtendi beneficio repetitionis à lege concesso, & quia parùm vtilis est ei traditio rei quæ statim est repetenda. Et quidem Molina & Sanch. dùm docent non firmari contractum, quando iurauit quis soluere cum animo repetendi. Et Lessius etiam putat si quis iurauit soluere, eiusque mens fuit etiam non repetere, licet hoc non expresserit, relaxari non posse, quia obligatur ad non repetendum, & confirmat contractum.

195. Verùm si tantùm iurauit soluere, & nihil meminit de repetitione, mihi videtur benè posse relaxari, quia Iuramentum strictè interpretandum est, & satis indicat Lessius ipse, dum ait posse relaxari si solùm iurauit soluere aut tradere rem absque intentione non repetendi. *Authoris iudicium. Iuramentū strictè interpretandum.*

196. His tamen prædictis omnibus non obstantibus probabilis est opinio, quæ docet leges Regni Castellæ non solùm irritam facere promissionem soluendi perdita ludo ad creditum quoad effectum, vt qui perdidit non sit astrictus soluere; sed etiam quoad receptionem & retentionem ex parte accipientis, secundùm quam opinionem accipiens turpiter & iniustè accipit & retinet, tenetur que ad restitutionem; quam sententiam sequuntur Alcozer & Ludouic. Lopez suprà, Sotus lib. 4. de Iustitia q. 5. a. 2. in fine Medina in summâ 1. part. ca. 14. §. 29. Gutierrez de Iuramento 1. part. c. 35. num. 1 & 8. idemque docent communiter Authores qui referuntur pro prima opinione, quòd scilicet Iuramentum non soluendi possit relaxari ante solutionem, & eo relaxato possit quis non soluere. Ita Henriquez, Rodriguez, Azeuedo suprà, Ludouicus Lopes in Instructorio c. 184. concl. 4. Arragon & Salon suprà. Nauarrus c. 20. nu. 17. ad 5. Philiarcus de officio sac. tom. 2. part. 2. lib. 5. c. 2. nu. 11. Grauis 1. part. lib. 2. c. 1 22. nu. 13. Sayrus lib. 11. c. 13. nu. 20. Corduba in summâ q. 94 Carabon. de Restitutione q. 42. concl. 2. Legantur quæ iterùm dicemus disp. sequenti dub 6. coroll. 6. *Opinio probabilis quæ docet leges Regni Castellæ irritā facere promissionē soluēdi perdita ludo ad creditū. Item receptionem & retentionē ex parte accipientis.*

197. Hac ergo opinione retentâ, existimo Iuramentum etiam non repetendi non firmare contractum prædictum, sicut neque Iuramenta soluendi & non repetendi vsuras aut pecunias, aliàsue res metu aut vi extortas; nam vt dicemus in hac dubitatione difficultate vltima, constans est omnium sententia, quòd Iuramentum non firmet contractum quando est turpitudo ex parte recipientis. Ita docent consequenter ad suam sententiam Gutierrez de Iuramento t. part. c. 53. nu. 9. & alij Recentiores, quam sententiam probabilem fatetur Sanch. lib. 3. citato illo c. 12. nu. 21. & c 21. num. 10. vbi fatetur nullum esse discrimen inter hoc Iuramentum, & Iuramentum soluendi & non repetendi vsuras; vel alia quæ vi extorquentur quoad prædictum effectum, quantumuis promissio soluendi quæ amissa sunt ludo, tantùm sit irrita Iure positiuo; promissio verò soluendi vsuras, aut res vi extortas *Sententia Authoris. Iuramentū non firmat contractum quando est turpitudo in parte recipientis.*

tas

tas nulla ſit Iure naturali. Ideò retractat ſententiam quam ſecutus fuerat lib.1. de Matrimonio diſp.32.nu 25.vt iterum dicemus diſp. ſequenti dub.6.citata.

Duo notanda circa prædicta.

198. Duo tamen notanda ſunt circa prædicta. Primum, in omnium ſententia Iuramentum ſoluendi aut non repetendi quæ amiſſa ſunt ludo ad creditum, ſi vi extorqueatur, nullo modo firmare contractum, ideoque poſſe relaxari per Epiſcopum. Secundum, in omnium opinione aſſerendum eſſe, quando Iuramentum non firmat contractum, eius obligationem non tranſire ad hæredes; quando verò firmat tranſire; ideo quoties probabile eſt non firmare, probabile etiam eſt non tranſire. Argumenta aliqua quæ ab aliquibus fieri poſſent & ſolent contra hucuſque traditam doctrinam adeo mihi facilia videntur, vt non putem neceſſarium referre & diſſoluere. Legi poteſt Sanch. citato c.12.n.30. apud quem etiam legi poſſunt aliqua alia, quæ ad forum externum pertinent, & ea quæ circa Iuramenta adhibita contractibus minorum per ſe vel per curatores aut etiam per Procuratores tractari poſſent, de quibus magna ex parte diximus in noſtro opere de Iuſtitia.

QVARTA DIFFICVLTAS.

An præcedente Iuramento non faciendi pactum lege prohibitum nihilominus tale pactum poſteà factum contra prius Iuramentum firmetur ſecundo Iuramento ſuperaddito non contraueniendi tali pacto?

Exempla varia in quibus prædictus difficultatis titulus locum habet.

199. VAria ſunt exempla ſeu materiæ, in quibus prædictus difficultatis titulus locum habet, v.g. alienatio fundi dotalis, donatio inter coniuges, contractus minorum abſque authoritate curatoris, aut circa res immobiles abſque Iudicis decreto, ſunt ipſo Iure irrita; ſi ergò mulier iurauerit ſe non alienaturam, aut non donaturam viro; & minores iurauerint ſe non contracturos, poſteà verò mulier alienet vel donet, aut minores contrahant adiecto Iuramento non contraueniendi, quærimus in hac difficultate, an omnes hi contractus ſecundo iſto Iuramento confirmentur & robur accipiant, non obſtante quòd fuerint initi contrà prius Iuramentum non contrahendi?

Sententia aliquorum authorum affirmantium.

200. Nonnulli affirmant. ita Antonius Gomes l.52.Tauri nu 58.& Iaſon §. *ſi quis* num.11. Inſtit. de Actionibus qui ait contrarium communiter reprobari. Idem docet & latè probat Suarius lib.2.de Iuram.c.30.à num.4. Antonius verò Gomez id probat ex generali doctrina, quòd contractus contrà prius Iuramentum factus validus ſit, vt poſteà dicemus. Hoc tamen fundamentum reiicit Suarius, ex eò quòd tantùm ſit verum quando actus habere poteſt firmitatem & valorem à voluntate contrahentis, ſecùs verò dici poſſet contingere quando ratione legis impedientis contractum non poteſt habere firmitatem & valorem à voluntate contrahentis, ſed tantùm à Iuramento illam eſſet habiturus. Tunc enim non confert illam poſterius Iuramentum, eò quòd ſit contrarium priori. Rationes verò quas Suarius adducit in eo maximè ſitæ ſunt, quòd cùm prius Iuramentum fuerit tantùm non alienandi, non donandi, non contrahendi; iuramentum autem poſterius tantùm ſit non reuocandi alienationem, donationem, contractum, non contrariatur priori cùm ſit de re diuerſa, neque hoc poſterius Iuramentum continet periurium, ac proinde poteſt abſque peccato ſeruari, non ergo eſt cur non valeat, & cur non confirmet contractum.

Probabilius videtur eos contractus non firmari prædicto Iuramento poſteriori.

201. Quamuis autem prædicta ſententia ſatis probabilis ſit, mihi tamen videtur probabilius, eos contractus non confirmari prædicto Iuramento poſteriori, neque tamen Iuramentum habere vim obligandi. Ita Sanch. lib.6. de Matrimonio diſp.13.nu.2. & lib.3. ſummæ c.12.nu. 38. vbi plures alios pro hac ſententia refert. Qua de re. Nos etiam diximus in noſtro opere de Sacramentis Tract.11.diſp.6.dub.13. Idem docet Azor tom.1.lib.11.c.6.q.3.in fine. Rebellus part.2.lib.1.q.9.nu.13. Leſſius lib.2.c.17.dub.7. nu.58.& 59. Præcipuum noſtræ ſententiæ fundamentum eſt, quia cum Iuramentum nequeat eſſe vinculum iniquitatis, non poteſt contractus Iure inualidus effici validus, & confirmari periurio commiſſo per Iuramentum poſterius; nam quamuis videatur non continere periurium, nec eſſe contrarium priori, at re vera illud continet & priori contrariatur. Licet enim ille non iurauerit expreſſè in priori Iuramento ſe non contrauenturum, tacitè nihilominùs iniurauit, quia ſuppoſitâ illius actus nullitate, Iuramentum illius non celebrandi æquiualet Iuramento illius nullatenus habendi rati; at Iuramentum non reuocandi eſt Iuramentum illius habendi rati, ac proinde eſt periurium contrà prius Iuramentum neque poteſt abſque peccato obſeruari, ergo non obligat.

Fundamentum.

Limitationes aliquorum Doctorum ſuprà hanc ſententiam.

202. Nunnulli huius ſententiæ Doctores aliquas limitationes adhibent, quas rectè reiicit Sanch.capitulo 12.à num. 39. ſolumque admittit limitationem quando prius Iuramentum non celebrandi contractum aliquem ex prædictis, factum eſſet in fauorem tantum alicuius perſonæ abſentis, & nondum eſſet ab ea acceptatum; tunc enim poſſet abſque periurio contractum inire; quod ſi illum iuret, firmabitur eo Iuramento; nam iuxtà dicta dubit. 1. huius diſputationis illatione 4. Iuramentum factum homini abſenti, poteſt reuocari ante eius acceptationem, quantumuis Suarius nu 11. ex oppoſito fundamento oppoſitum aſſerat.

203. Eandem limitationem admittit Sanch. contrà Suarium, quando prius Iuramentum factum fuit nullâ pietatis, neque vtilitatis tertij ratione habitâ, ſed ſolius propriæ commoditatis, in quo euentu prius Iuramentum non ita obligat, quin poſſit iurans cedere Iure ſuo, & quaſi illud ſibi relaxare, ac proinde non ſolùm contractus ſubſequutus firmabitur ſecundo Iuramento, quod rectè ibi fatetur Suarius, ſed neque illum iniens erit periurus, quod Suarius negat contrà alios.

Notandum ſententiam authoris habere locum in contractibus à Iure irritis.

204. Notandum tamen, prædictam noſtram ſententiam habere locum in contractibus, ſeu pactis ita Iure irritis & inualidis, vt non pendeant quoad valorem à ſola voluntate contrahentis.

hentis. Nam in iis quæ dependent in valore à voluntate, neque per Ius facta, sunt irrita, verissima est communis sententia, quæ docet actum contrà prius Iuramentum factum de non faciendo talem actum, validum esse, nec irritari ex vi Iuramenti prius facti. Vt si quis iuret se non reuocaturum procuratorem aut testamentum; erit vtique periurus reuocando; valebit tamen reuocatio contrà Iuramentum. Constat hoc satis ex cap. *sicut* de sponsalibus, vbi dicitur Matrimonium initum contrà sponsalia iurata valere; & ex l. *Traditionibus* c. de Pactis, & ex l. *quoties de rei vindicat.* Ex quibus constat valere venditionem factam alicui cum traditione contra venditionem iuratam alteri factam absque traditione. Nam cùm Iuramentum non transferat dominium rei promissæ, nec reddat inhabilem iurantem ad actum contrarium ex se validum, nullatenùs tollit eius valorem, sed tantum efficit vt contraueniens sit periurus. Et sanè de actibus temporalibus omnes quos viderim Authores hoc concedunt; de spiritualibus verò aliqui negant propter cap. *Dilecta* de Præuentis. Sed nullum video discrimen inter actus prædictos vt rectè cum aliis probat Sanch. lib. 3. summæ c. 12. nu. 35. neque oppositum asseritur in citato textu, quin potiùs Suarius lib. 2. de Iuramento c. 19. nu. 7. & Sanch. nu. 32. optimè docent non esse in potestate iurantis efficere, vt actus ab eodem liberè factus contra Iuramentum, non sit validus; semper enim manet homini libertas seu potestas voluntatis libera, coërcere autem voluntatem ne validè velle possit, est potestatis solius superioris. Vnde quamuis quis iurasset se velle quod vota à se ex hoc tempore in futurum facta non sint valida, si tamen posteà ea liberè faciat, valida erit.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Quibus regulis dignoscatur quando Iuramentum vim habeat confirmandi contractus?

Vnicā regulam assignat Sanch. ex qua dignoscitur quādo Iuramentū vim habeat cōfirmandi cōtractum.

205. Varias nonnulli regulas afferunt in hanc rem, satis tamen declarari potest & dignosci vnicâ tantùm, quâ vtitur Sanch. lib. 3. c. 12. nu. 42. Nempè quoties Iuramentum absque peccato seruari potest, nec turpitudo inuenitur in creditore in cuius fauorem præstatur, nec solam faciendi promissionem continet, sed talem quæ simul etiam formaliter, aut æquipollenter sit promissio non reuocandi, nec contraueniendi, tunc contractus confirmatur Iuramento adiecto, & non aliter.

In Iuramento requiritur triplex conditio vt per illud firmetur contractus alioquin inualidus. Prima. Secunda.

206. Ex quo patet, triplicem conditionem debere requiri in Iuramento, vt per illud firmetur contractus alioquin inualidus. Primam, vt possit absque peccato seruari. Vnde omnia Iuramenta de re iniqua quæ non sunt obligatoria, de quibus egimus præcedente dubitatione 10. non confirmant contractus. Secundam, vt non reperiatur turpitudo in recipiente. Quapropter Iuramenta soluendi vsuras, & Iuramenta metu extorta, non firmant contractus. Prædictas duas conditiones possumus apertè colligere ex cap. *cum contingat* de Iureiuran. & cap. 2. eodem titulo in 6. & cap. *quamuis pactum* de Pactis in 6. & authentica Sacramenta puberum c. *si aduersus vendit.* Hi enim omnes textus inde probant Iuramento confirmari contractus alioquin infirmos, ita vt sint omninò seruandi propter Iuramentum, quia nimirum Iuramentum potest absque peccato seruari, neque ex parte recipientis intercessit metus, dolus vel turpitudo, aliàue iniustitia. Tertia denique conditio est, quòd formaliter aut æquipollenter contingat promissionem non reuocandi contractus, aut non contraueniendi. Quæ conditio patet ex dictis in hac dubitatione maximè difficultate 3. *Tertia.*

Corollaria ex præcedenti regula.

207. Ex tradita regula colligitur 1. quando contractus prohibentur primariò ob publicam vtilitatem, non firmari Iuramento defectu primæ conditionis; quia nec tunc Iuramentum secundùm se obligat, eò quòd absque peccato nequeat seruari iuxtà datam doctrinam præcedente dubitatione 10. post 3. assertionem regula 1. & quamuis Immola & Corneus, Azor & Lessius ibi citati, aliique nonnulli exigant quod lex prohibens ob commune bonum sit canonica, & non tantùm ciuilis, nihilominùs satis esse ciuilem docent communiter Doctores, quos refert & sequitur Sanch. lib. 3. c. 12. n. 43. *Colliges 1. Quando contractus prohibetur primariò ob publicā vtilitatem nō firmari Iuramēto.*

208. Colligitur 2. contractum lege prohibitum primariò ob priuatam contrahentis vtilitatem, quamuis secundariò ob bonum commune, confirmari Iuramento, dummodò non sit turpitudo in recipiente. Ratio est, quia talis lex non obligat ad culpam, ac proinde potest Iuramentum absque peccato seruari iuxtà dicta dub. 10. regula 2. docentque communiter Doctores, quos refert & sequitur Sanch. suprà nu. 44. qui à num. 45. rectè reiicit limitationes quas aliqui Authores adhibent prædictæ regulæ & doctrinæ. *Colliges 2. Quando verò fit ob priuatam contrahētis vtilitatem firmari.*

209. Colligitur 3. non firmari contractum Iuramento, quando vergit in præiudicium tertij, vt constat ex cap. *cum contingat* de Iureiur. & cap. 2. de pactis in 6. idque prouenit ex defectu conditionis primæ; tale enim Iuramentum est rei iniquæ, ac proinde nequit obligare, in quo nemo dissentit vt testatur Sánch. n. 49. *Colliges 3. Non firmari quando vergit in detrimentū tertij.*

210. Colligitur 4. non firmari Iuramento, quando hoc est irritum Iure Ecclesiastico vel etiam ciuili, quod fieri posse probabimus disp. 4. dub. 7. Ratio verò est, quia tunc perinde est ac si nullum esset Iuramentum; nam si irritum est, nullas habet obligandi vires. Ita Molina tom. 2. disp. 271. columna 5. versic. *hoc tamen loco.* Sanch. suprà nu. 50. *Colliges 4.*

211. Colligitur 5. quando turpitudo reperitur in creditore in cuius fauorem iuratur, etiamsi Iuramentum obliget non firmatur per illud contractus, vt contingit quando promissio est metu aut dolo extorta, constatque ex cap. *cum contingat* de Iureiur. & cap. *licet mulieres* eodem titulo in 6. & cap. *quamuis pactum* de pactis in 6. vbi quando deciditur contractum firmari Iuramento, excipitur nisi metus aut dolus intersit, quæ exceptio apponitur ratione turpitudinis inuentæ *Colliges 5. Nō firmari cōtractum Iuramento quādo turpitudo est in creditore in cuius fauorem iuratur.*

nentæ in recipiente. Constat etiam ex cap. *Debitores* de Iureiur. Vbi deciditur acquiri soli Deo ius ex Iuramento soluendi vsuras, & eis solutis concedi repetitionem; neutrum autem locũ habet dum contractus firmatur Iuramẽto, vt constat ex suprà dictu. Itẽ probatur ex eò quòd Iuramentum tantùm obliget in iis casibus ob reuerentiam numinis diuini, adducti in testem ad faciendum verum quod iuratur, nullaque actio acquiritur parti vt videbimus dubitatione sequenti. In tradita doctrina conueniunt communiter Doctores quos plurimos refert Sanch. ca. 12. num. 51. Eapropter meritò Couarruuias de Pactis 2. part. § 3. num. 2. reprehendit Bartolum sibimet contrarium qui l. *Seius* nu. 4. ff. ad legem falcidiam, ait huiusmodi contractum firmari Iuramento, & facta solutione concedi repetitionem. Vtrumque tamen falsum est, nec enim firmatur Iuramento vt omnes communiter docent; & Bartolus ipse l. *si quis pro eo.* in principio nu. 10. ff. *de fideiussor.* Quod si firmaretur Iuramento, non posset dari repetitio.

Soli Deo acquiritur Ius ex Iuramento soluendi vsuras.

In tradita doctrinâ conueniunt communiter Doctores.

212. Dubitabit tamen aliquis qualis debeat esse hæc turpitudo? Molina tom. 1. disp. 149. columna 2. & disp. 150. columna 2. putat sufficientem turpitudinẽ reperiri, quoties is in cuius fauorem iuratur, accipit iniquè & tenetur restituere.

Dubium de qualitate turpitudinis.

213. Sanch. verò suprà num. 53. cum multis quos refert, probat satis esse, si accipiendo peccet, etiamsi retinendo non peccet nec restituere teneatur; quin potiùs nu. 54. addit non esse necessarium quòd ea turpitudo sit formalis in recipiente, ita vt ipse reuera peccet, sed satis esse turpitudinem materialem, hoc est, quòd actus ipse accipiendi sit in se peccatum, quamuis ratione ignorantiæ recipiens excusetur à culpa. Vt cùm recipiens ignorat inuincibiliter contractum esse vsurarium, vel quando ipso ignorante alius vim aut metum intulit, aut vsuram exercuit.

Sententia Sanch.

214. Addit verò nu. 56. contrà Guttierrez de Iuramento 1. part. cap. 40. num. 5. sufficere ad hunc effectum non firmandi contractum, quòd turpitudo inducta sit per Ius ciuile tantùm, etiamsi non per Ius canonicum, in quo etiam consentit Suarius lib. 2. c. 28. nu. 4. & 5. Probaturque ex eo quòd multi quos refert & sequitur Guttierrez de Iuramento 1. part. c. 33. nu. 2. Iuramentum adiectum pacto legis commissoriæ obliget, eo tamen non confirmetur contractus ille, atque hac ratione explicant c. *significante* de Pignoribus, cùm tamen constet illam turpitudinem inductam esse Iure ciuili, interdicente eiusmodi pactum, id quod videtur apertè indicare textus ipse. Ratio autem omnium prædictorum est, quia Ius non intendit vires conferre Iuramento ad confirmandum actum turpem, ne Ius videatur fauere illi turpitudini. Vtrùm autem ad eundem effectum non confirmandi contractum sufficiat leuis metus, & dolus non dans causam contractui, & qualis læsio requiratur dicemus disp. sequenti.

Addit Sanch.

Ratio prædictorum.

215. Colligitur 6. ex tertia conditione suprà posita, Iuramentum de non reuocando testamento, aut de instituendo hæredem, confirmare contractum, quia æquipollenter & virtualiter est etiam de non contrauenendo. At verò Iuramentum de soluenda amissa ludo pecunia credita, non firmare contractum, nisi addatur etiam Iuramentum de non repetendo, vt probatum est difficultate 3.

Colliges 6.

DVBITATIO XII.

An Iuramentum de soluendis vsuris semper obliget, & quali obligatione, Religionisne vel etiam Iustitiæ, & an ille satisfiat momentanea solutione?

216. ASsero 1. Iuramentum de soluendis vsuris obligat in conscientia. Hæc assertio certissima est apud omnes Authores: habetur enim expressè cap. *Debitores* de Iuretur. ibi: *Debitores ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant, cogi non debent, si verò de ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt Domino reddere Iuramentum.* Ratio verò est quam affert D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. quem omnes sequuntur, quia scilicet ex Iuramento promissorio facto homini duplex obligatio consurgit; altera homini ratione promissionis ipsi factæ, ex qua parte Iuramentum hoc non obligat, quia promissio per iniuriam extorta nullum ius confert homini extorquenti; altera verò Deo in testem adducto, ex qua parte obligat iurantem reddere Deum testem veracem, implendo promissionem testimonio sui nominis confirmatam, quoties promissio potest absque peccato impleri per promittentem; huiusmodi autem est hæc solutio vsurarum; quamuis enim vsurarius peccet recipiendo, iurans tamen soluendo non peccat. Sunt tamen nonnullæ obiectiones contra hanc doctrinam quæ negotium facessunt Doctoribus, quas placet sigillatim expedire.

Assero 1. Iuramentũ de soluendis vsuris obligat in conscientia ita D. Tho. *Ratio* D. Tho.

217. Obiicitur 1. nemo potest obligari ad actum qui non sit honestus & alicuius virtutis; hæc autem solutio vsurarum, cùm sit vsurario inutilis, imò eius animæ noxia, quippe qui peccet mortaliter recipiendo & teneatur iuranti restituere, videtur esse actus otiosus & inutilis, imò ansam præbens peccandi & cooperandi crimini vsurarij, ergo non tenetur nec potest obligari.

Obiicies. Nemo potest obligari ad actũ qui non sit honestum.

218. Huic obiectioni vt respondeant omnes quos viderim, concedunt antecedens, actum scilicet debere esse honestum, & alicuius virtutis, vt obliget Iuramentum. Sed cuius virtutis actus sit, hoc opus, hic labor est: nec facilè inter se conueniunt Doctores. Sotus lib. 8. de Iustitiâ q. 1. a. 7. in solutione ad 3. Arragon 2. 2. q. 89. a. 7. circa solutionem ad 3. concl. 2. Valentia tom. 3. disp. 6. qu. 7. punct. 4. columnâ 6. Vasquez 1. 2. disp. 174. nu. 35. & 39. cum Caietano quem referunt 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. dicunt esse actum cuiusdam charitatis erga ipsummet iurantem, scilicet actum redemptionis vexationis.

Resp.

Actus soluendi vsuras cuius sit virtutis controuersum.

Opinio Soti, Valẽtiæ *&c.*

219. Verùm quamuis hoc concederetur in casu pecuniæ promissæ latroni, non videtur habere locum in vsuris vsurario promissis. Nec enim vsurarius vim vllam infert aut vexationem quæ redimatur, quantumuis nolit mutuum dare sine vsuris; neque tenetur vlla lege Iustitiæ ad dandum mutuum, imò neque lege charitatis, nisi fortè in extrema quadam vel grauissima necessi-

Reiicitur.

neceſſitate, quapropter extrà illam non video quam vexationem redimat.

Opinio aliorum cũ Suario.

220. Alij ergo in quibus Suarius lib. 2. de Iuramento c. 9. nu. 11. reſpondent actum illum ſoluendi vſuras non ſolùm non eſſe malum, ſed neque otioſum aut inutilem, imò multum conferre ad humanam ſocietatem, ſuamque habere commoditatem, quæ præcipuè cernitur ex parte promittentium, quibus commodum eſt quòd tanta ſit authoritas Iuramenti, vt etiam iniuſtos & iniquos exactores reddat magis certos de impletione promiſſi, quàm ſi abſque Iuramento fieret, vt, ſi promittentes iterùm indiguerint, inueniant mutuum. Idem ferè docet Sanchez, & cum eo alij, quamuis ipſe aliam quoque ſolutionem adhibeat ſeu adiungat huic, vt poſteà videbimus. Ait ergo Sanch. eam ſolutionem vſurarum eſſe valdè vtilem, vt petentibus mutuum quo indigent, fides habeatur ſi vſuras à ſe petitas promittant cum Iuramento, eaque ratione mutuum inueniant.

Nec opinio ſatisfacit.

221. Sed neque hoc etiam videtur ſatisfacere; quamuis enim fortaſſe petentibus mutuum aliquando vtilis ſit aut eſſe poſſit vſurarum iuratarum ſolutio, & ex eo capite, vt impoſterum illi fides habeatur poſſit eſſe actus virtutis illa ſolutio, quatenùs depellit à ſe huiuſmodi periculum, nihilominùs adhuc doctrina non eſt vniuerſaliter vera, vt cùm quis certus moraliter eſt nunquàm fore ampliùs eam occaſionem; ergo ſaltem in tali caſu etiamſi iurauerit non erit ea vtilitas.

Tertiò reſpondet Sanch.

222. Tertiò reſponderi ſolet, & reſpondet idem Sanch. illam ſolutionem eſſe actum conſeruandi licitè propriam exiſtimationem & honorem ſtando promiſſis, etiam in extorſionibus iniquis.

Nec hæc reſponſio videtur vniuerſim ſufficiens.

223. Hæc tamen ſolutio, quamuis aliquando locum habere poſſit, non videtur vniuerſim ſufficiens & vera; ſæpè enim fieri poteſt nullum eſſe periculum exiſtimationis prædictæ, ſiue, quia vſurarius ipſe ſolus ſcit ſibi eſſe promiſſas vſuras, & ex alio capite rectè nouit ex ipſa rei natura nullam eſſe obligationem fidelitatis ſoluendi, poteſtque ille, qui promiſit, certus moraliter eſſe quòd vſurarius nemini reuelabit ſibi eſſe promiſſas vſuras, & non ſolutas.

Probabilius eſt quod Sãch. reſpondet.

224. Probabilius eſt quod Sanch. ipſe reſpondet lib. 3. ſummæ c. 10. num. 3. nempè vſurarum ſolutionem ſuppoſitâ promiſſione eſſe actum veracitatis, & fidelitatis etiamſi promiſſio antecedens non obliget.

Difficultas in reſponſione Sanch.

225. Illud tamen habet difficile hæc reſponſio, quòd, ſi ſemel concedamus ibi eſſe veracitatem aut fidelitatem, ita vt, qui non impleat tale Iuramentum, cenſeatur periurus; eâdem ratione concedendum videtur, etiam ſecluſo Iuramento, eſſe obligationem fidelitatis ſaltem ſub veniali, ratione cuius teneatur qui vſuras promiſit; nam Iuramentum ſupponit materiam virtutis in actu, qui iuratur præſtandus; ergo antecedenter ad ipſum Iuramentum in noſtro caſu præcedit prædicta veracitas aut fidelitas; vbi autem materia talis eſt, obligat ex ſe, ergò ſecundùm hanc ſolutionem dicendum eſſet, eum, qui promiſit vſuras abſque Iuramento, adhuc teneri ſaltem ſub veniali promiſſionem ex fidelitate implere, quod tamen negant Doctores.

226. Quòd ſi reſpondeas eo ipſo quod exactor vſurarum iniuſtè illas exigat, & non habeat titulum ſufficientem illas accipiendi, non eſſe obligationem ſeruandi illi fidem datam; atque adeò fidelitatis vim ceſſare, hoc ipſum ego dicam locum habere etiamſi ſuperueniat Iuramentum: nam, vt dicemus, Iuramentum non facit materiam fidelitatis, ſed ſupponit, & illam confirmat per ſuperadditam obligationem religionis.

Reſponſio Sanch. rectè explicata placet Authori.

227. Nihilominùs prædicta reſponſio placet, ſi rectè explicetur. Quod vt faciam, ſuppono non eſſe impoſſibile quòd promiſſio aliquando propter circumſtantias occurrentes, & concurrentes non obliget; id quòd ſæpè contingit, ſi tamen quis etiam ſuppoſitis his circumſtantiis, aut cauſis deobligandi adhuc velit ſtare promiſſis, actum fidelitatis exercebit; non quia teneatur facere vera verba ſuæ promiſſionis; ſed quia fecit conformitatem rei dictæ cum dictione ipsâ, in quo conſiſtit ratio fidelitatis, quæ fidelitas (ſi ex alio capite non vitietur) materia & actus virtutis eſſe poteſt: ſemper enim apparet, & eſt aliqua honeſtas in eo, quod eſt facere vera verba promiſſionis, ſi ex alio capite non ſit impedimentum, ratione cuius exhibitio rei promiſſæ vitioſa reddatur. Ad hoc autem, vt ſit actus virtutis, non requiritur quòd ſit hìc & nunc obligatorius & ſub præcepto. Vnde quamuis ille actus fidelitatis in eo caſu non obliget, poteſt nihilominùs eſſe actus eius virtutis, quâ ratione actus v. g. eleëmoſynæ aut abſtinentiæ, etiam in caſu quo non obligat, poteſt eſſe actus virtutis, qui, ſi iuretur, incipit obligare non quidem ex vi illius virtutis in cuius materia actus eſt; ſed ex vi virtutis religionis, quæ eſt in Iuramento ſeruando. Pari ergò ratione in noſtro caſu virtus fidelitatis in præſtandis promiſſis, quamuis exhiberi poſſit in præſtandis promiſſis vſuris; quia ibi etiam relucet honeſtas faciendi vera verba promiſſionis, & confirmandi facta cum dictis, nihilominùs ſecluſo Iuramento ex vi præcisè virtutis fidelitatis nulla oritur obligatio ſub tali circumſtantiâ; quando ſcilicet res promiſſa iniquè exigitur à promiſſario, nec illi iuſto titulo debetur; tamen cùm adhuc in eo caſu exhibere promiſſum licitum ſit, licèt non obligatorium, ſi ſuperueniat Iuramentum ita faciendi, poterit quis obligari ex virtute religionis abſque eò quòd obligetur ex virtute fidelitatis. Hac ergo ratione in noſtro caſu, reſpondeo

Reſp. Authoris.

negando antecedenter ad Iuramentum debere ſupponi obligationem aliquam fidelitatis; ſed ſatis eſſe quòd ſupponatur fidelitatis materia abſque vllâ obligatione in ratione fidelitatis. An verò poſſit eſſe fidelitas, quæ non obliget, ſed poſſit non ſeruari abſque peccato mendacij, dicemus infrà reſpondendo ad 3. obiectionem. Legantur quæ dicemus dub. 13. §. *Ex quo etiam.*

Obiicies 2.

228. Obiicitur ſecundò, contra noſtram aſſertionem. Si promiſſio ſoluendi vſuras nudè facta non obligat, ſequitur nec Iuramentum illi adhibitum obligare, tum quia principalis obligatio non ſubſiſtit, quâ non ſubſiſtente corruit etiam acceſſoria; tùm quia Iuramentum ſequi-

tur

tur naturam contractus, cui adiicitur, vt dicemus dub.17.ergò si contractus est nullus, etiam Iuramentum.

Resp.1.cũ Abbate. 229. Respondetur cum Abbate cap. *Debitores* de Iureiur. nu. 2. & Immola ibidem num.5. aliisq; ic nonnullis, quando irritans principale concurrit etiam in accessorio, tunc corruere accessorium simul cum principali; secùs verò quando non concurrit, tunc enim stat corruere principale subsistente accessorio, quod in hoc casu contingit: nam principalis promissio est irrita ob extorquentis turpitudinem, quæ non inuenitur in ordine ad Deum respectu cuius solius Iuramentum obligat.

Resp.2.cũ Couar. 230. Respondetur 2.cum Couarruuia *de Pactis 2.part.*§.3.*nu.*2. id Iuramentum non esse accessorium promissioni, nec ad eam confirmandam adduci, sed esse principale, & per se stans obligans ad efficiendum Deum testem verum illius veritatis de futuro assertæ. Quam solutionem sequitur & latè probat Suarius lib.2. cap.9. nu.6. quia non iurauit se promittere, sed se soluturum. Vnde Iuramentum hoc non putat cadere suprà promissionem, neque illam confirmare; quia quod nullum est ex se, & ex Iure ipso naturæ (qualis est hæc promissio, vt rectè probauerat Suarius n.5.contrà nonnullos) nunquàm potest conualescere. Vnde vt rectè dixit Bartolus Iuramentum hoc est merè introductorium obligationis, quia nullam obligationem supponit, non verò confirmatorium prioris alicuius obligationis.

Prior solutio magis placet Authori. 231. Ex his duabus solutionibus prior mihi magis placet, ex quâ satis apparet apertum discrimen inter hæc Iuramenta per iniustitiam extorta, & inter alia quæ sequuntur naturam promissionis, de quibus diximus suprà dub.3.assert. 7.in 2.part. assertionis; nam in illis Iuramenta desinunt obligare quando promissiones nudè sumptæ, & absque Iuramento non obligarent: nam Iuramenta illa includunt easdem conditiones quas promissio & intentio iurantis, neque extenditur promissio & intentio ad casus inopinatos ibi positos. Hæc verò Iuramenta, de quibus nunc agimus, sicut emittuntur supposità violentiâ aut iniustitiâ; ita illâ non obstante obligant in ordine ad Deum & propter illius reuerentiam. Atque hoc est quod dicunt Authores primæ solutionis, concurrere diuersam causam in ipsâ promissione sine Iuramento, & in ipso Iuramento adhibito promissioni.

Solutio Lessij. 232. Aliam adhibet solutionem Lessius non absimilem nec contemnendam lib.2. c.4.2.d.6. nu.32. vbi ait Iuramentum dici sequi naturam contractus, non quoad esse firmum vel irritum, vt per se notum est; sed quoad conditiones tacitas, & alias limitationes, quas contractus ex Iure vel consuetudine contrahentium in mente habet. Hanc Lessij solutionem explicat rectè

In Iuramento duo possunt cõsiderari iuxta Suariũ. Suarius lib.2.c.32.nu.5. dum ait in Iuramento duo posse considerari; alterum sensus eius, alterum eius obligatio; longè enim diuersum est quærere quid iuretur, & quomodò Iuramentum obliget ad id, quod iuratum est; primum enim spectat ad materiam Iuramenti, scilicet quænam illa sit, secundum verò ad Iuramenti effectum. Quoad primum ergò, verissimum est quod Iuramentum sequatur naturam actus iurati, scilicet quoad sensum, qui necessariò desumendus est ex natura actus iurati, prout per talia verba aut signa significatur; atque hac ratione Iuramentum est quid accessorium quoad omnes conditiones. Quod verò attinet ad secundum, scilicet quoad obligationem Iuramenti, non est accessorium, neque sequitur naturam actus generaliter quoad omnes conditiones; sed tantùm quoad conditionem liciti vel illiciti actus, non verò quoad validitatem, aut obligationem.

233. Obiicitur 3. si Iuramentum soluendi vsuras, aut vi extortum obligat, ne admittatur mendacium aut periurium, si non fiat quod iuratur, ergò etiam promissio soluendi vsuras, aut promissio vi extorta, quamuis sine Iuramento fiat, obligabit ratione vitandi eiusdem mendacij; nam vitare mendacium est de Iure naturæ. Atque hoc videtur esse quod dicitur cap. *Iuramenti* 22.q.5.nempè Deum non constituere differentiam inter Iuramentum & simplicem loquelam, videlicet in seruanda necessaria veritate in vtroque ad vitandum culpam. *Obiicies 3.*

234. Respondetur concedendo omninò ad vitandam culpam mendacij, tam in simplici promissione, quàm in promissione iurata, requiri & necessariam omninò esse veritatem de præsenti. Id est quod cùm promittitur, adsit animus implendi, perinde atque adesse debet cum iuratur nam in defectu huius veritatis consistit verum reale & formale mendacium. At verò quoad veritatem de futuro, ad quam pertinet impletio promissionis, aut Iuramenti, defectus huius veritatis, quæ appellatur fidelitas, non semper est malus, imò quandoque est sub præcepto, vt quando promittitur aut iuratur res mala, & ideò tunc tantùm est malus & mendacium defectus huius veritatis, quando erat implendi obligatio, quia in eo defectu non consistit verum & formale mendacium, quod est contra mentem ire, cùm hoc mendacium de futuro non consistat in verbo, sed in facto, quod largè dicitur mendacium, & potiùs appellatur infidelitas, quæ solùm habet locum quando fidelitas erat sub præcepto. *Resp.*

235. Obiicitur 4.quando duo extrema iunguntur aliquo medio, hoc sublato tollitur extremorum vnio; atqui Iuramentum & eius obligatio iunguntur inter se media promissione, seu assertione illa de futuro, ergo cum eâ sit prorsùs irrita nec obliget, Iuramentum quoque non obligabit. *Obiicies 4*

236. Respondetur Iuramentum hoc, & eius obligationem non coniungi media obligatione promissionis, sed promissione ipsâ, siue promissio obliget siue non. *Obiicies 5.*

237. Obiicitur 5.cui datur actio, multò fortiùs & potiori ratione datur exceptio & retentio. Regula. *Qui ad agendum 61. de Regulis Iuris in 6. & Regula: Inuitus 197. §.cui damus ff. de Regulis Iuris*, quâ ratione multi quos citat & sequitur Sanch.lib.6.de Matrim. disp.38.nu.34. asserunt quoties lex humana concedit actionem alicui debitori ad repetendam rem solutam, posse tutâ conscientiâ non soluere, vtendo hac exceptione. Cùm ergo huic iuranti detur actio ad repetendas vsuras solutas propter vim iuramenti; pari ratione *Resp.*

ri ratione concederetur etiam exceptio, & poterit hac vtendo non soluere. Confirmatur; quia frustra petitur, & est circulus inutilis, imò petens potest exceptione doli repelli eo quòd statim sit ei danti restituendum. Regula. *Dolo 59. de Regulis Iuris in 6.* & l. *Dolo 8. ff. de Doli mali exceptione*, ergò frustranea & irrisoria esset ea solutio, valdeque aliena à Iuramenti obligatione, si statim repetenda est res soluta.

Resp.

238. Ad obiectionem respondetur eam Regulam habere locum, quando exceptio legitimè opponitur, quo casu accipiens statim cogendus est reddere acceptum: Ad non soluendas verò vsuras iuratas nequit exceptio legitimè opponi propter periurium, nisi obtentâ priùs Iuramenti relaxatione: eà verò obtentâ iuuabit exceptio, vt iurans possit retinere & non soluere.

239. Ad confirmationem dico habere locum, quæ ibi dicuntur, vbi non est peculiaris causa obligans ad eam solutionem, qualis est in hoc casu gratia periurij vitandi.

Dices.

240. Dicet aliquis: ergo non satisfaciet obligationi eius Iuramenti momentaneâ solutione, si animum habet statim repetendi: nam qui ita soloit non videtur soluere l. *qui sic soluit ff. de solutionibus.*

Resp.

241. Respondetur eam doctrinam & legem intelligi debere, casu, quo is, cui fit solutio, potest rem solutam absque onere restituendi retinere, vel certè intelligi debet quando non adest causa vrgens ad soluendum, qualis est hîc.

Assero 2. Iuramentũ de soluẽdis vsuris obligat in casu quo iurans illicitè eas promisit & iurauit contra Caiet.

242. Assero 2. Iuramentum de soluendis vsuris etiam obligat in casu quo iurans illicitè eas promisit & iurauit, vt, si iniqua inductione mutuum petiuit, aut nulla vtilitate excusante, sed ad expendendum prodigè mutuum in ludis illicitis, aut cum meretricibus. Contrà hanc assertionem sentiunt Caiet. 2. 2. q. 89. a. 7. circa solutionem ad 3. dub. 1. vbi ait Iuramentum non obligare, nisi quando eius executio est actus virtutis, vsurarumque solutionem nunquam esse actum virtutis, nisi quando induit rationem redemptionis vexationis. Cum Caietano sentit Valentia tom. 3. disp. 5. q. 21. punct. 4. columna 5. versic. Iam de secundo: vbi ait eam solutionem esse peccatum, ideò necessariò cogitur asserere tale Iuramentum tanquàm rei illicitæ non obligare. Pro quâ sententia refert Suarius, Bellarminum, & alios.

Sententia authoris est Suarii.

243. Nostram tamen assertionem exprefsè docet Suarius lib. 2 de Iuram. c. 9. n. 7. & Sanch. lib. 3. c. 11. num. 5. cum Immola, quem referunt simul cum Felino in cap. *Debitores*. Probari verò potest ex doctrina tradita in solutione argumenti primi adducti contra 1. assertionẽ. Quamuis enim culpa sit in inductione ad mutuum sub vsurâ, vel in eius petitione: at in solutione nulla inuenitur culpa, cùm concurrant iustæ causæ soluendi, & vsurarius iam sit paratus ad recipiendum, alioquin non reciperet, sed remitteret Iuramentum. Quapropter solutio in eo casu non est cooperatio ad peccatum recipientis, sed permissio peccati. Vnde falsa est doctrina Baldi in cap. 1. de Iureiur. num. 6. asserentis non obligare Iuramentum de soluendis vsuris, quando vitium vsuræ fuit expressum in ipsâ promissione iurata; quia tunc (inquit ille) notoria est vitiosa forma

Probatio assertionis in solutione argumenti primi adducti cõtra 1. assertionem.

Falsa doctrina Baldi.

exactionis vsurarum, atque adeò non obligat Iuramentum, eaque propter nullâ opus est relaxatione.

244. Hæc tamen sententia caret omninò fundamento: nam ea vitij expressio non efficit quin solutio sit licita; atque proinde quin Iuramentum obliget. Ideò contra Baldum sentiunt Cardinalis, Felinus & Alexander in cap. *Debitores de Iureiur.* Couarruuias de Pactis 2. part. §. 3. nu. 2. Salus 4. part. de Iureiur. q. 6. n. 3.

245. Assero 3. per Iuramentum vi extortum aut soluendi vsuras, nullum Ius neque vlla actio aut obligatio acquiritur vsurario, vel inferenti vim, sed tota horum Iuramentorum obligatio est erga Deum. Probatur primò ex cap. *Debitores* de Iureiurando, vbi docetur cogendum esse promittentem vsuras reddere Deo Iuramentum; vbi cautè solius Dei meminit pontifex, quasi ipsi soli maneat iurans adstrictus. Probatur secundò, quia sicut ius non fouet obligationem promissionis vsurarum aut vi extortæ quæ nulla est, ita neque fouet obligationem & ex ea acquiratur Ius aliquod recipienti, atque ita docent D. Thomas 2. 2 q. 89. a. 7. ad 3. Antonius, & Fortunius Garzia in cap. *Debitores* Couarruuias 2. p. de Pactis §. 3. num. 1. Suarius lib. 2. c. 27. in fine Lessius lib. 2. c. 17. dub. 6. nu. 55. Sanch. lib. 3. c. 11. num. 8. *Assero 3.* *Probatio 1. ex cap. Debitores.* *Probatio 2.*

246. Contrariam tamen sententiam, scilicet acquiri ei ius cui iuratur, sequuntur Abbas, Glossa, Cardinalis, Felinus, Alexander de Neuo in cap. *Debitores* Arragon 2. 2. q. 89. ad art. 3. citatum D. Thomæ, Sayrus lib. 5. Clauis Regiæ c. 6. nu. 16. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 4. columna 7. idemque tenentur dicere Caietanus & Sotus iuxtà suam doctrinam citatam à nobis suprà in hac disputatione dub. 5. illatione 3. Probant primò ex illis verbis cap. *Debitores cogendi sunt Domino reddere Iuramentum*; ergò pars cui iuratum est acquirit ius, & secundariam obligationem vt possit Iure actionis cogere iurantem. *Contrariã sententiam sequuntur Abbas & alij.* *Eorũ probatio ex c. Debitores.*

247. Huic tamen argumento facilè respondetur, eam coactionem faciendam esse ex Iudicis officio, vt iurans exequatur obligationem Deo quæsitam, non autem ad instantiam partis intentantis ius actionis quod nullum est. *Resp.*

248. Probant secundò, quia eodem titulo c. 1. dicitur cogendum vsurarium ad Iuramenta super vsuris sibi præstita relaxanda; atqui relaxatio supponit vinculum, ergo vinculum illud Iuramenti obligabat respectu vsurarij. Confirmatur, quia si vsurarius non acquisiuisset aliquod ius, per eius relaxationem non maneret iurans liber ab obligatione Iuramenti, nequit enim vsurarius remittere ius Deo quæsitum. *Probatio 2.*

249. Etiam huic argumento facilè respondetur; remissionem quidem vsurarij aut extorquentis per vim liberare à Iuramenti illius obligatione, non quia remittenti sit acquisita obligatio vlla; sed quia Deus obligationem sibi quæsitam non acceptat, nisi quatenùs est ad voluntatem & vtilitatem partis acceptantis, quâ remittente cessat acceptatio Dei. *Resp.*

250. Hinc infertur, quòd licet vera sit doctrina quam tradit Suarius lib. 2. c. 4. nu. 2 nempè quòd quoties Iuramentum non cadit suprà promissionem homini factam, nullam respectu *Hinc infertur.*

hominis

hominis obligationem inducit, etiamsi effectus talis Iuramenti concernat vtilitatem humanam, & hominis intersit illius obseruatio; sed tantùm inducit obligationem respectu Dei, tota enim illa obligatio religionis est: Nihilominùs, si intimato tali Iuramento parti, cuius vtilitatem concernit, pars ipsa remittat suam vtilitatem, obligatio erga Deum cessat ob prædictam rationem.

Assero 4. 251. Assero 4. Iuramentis metu extortis, aut de soluendis vsuris satis fit momentaneâ solutione, & statim absque aliqua Iuramenti relaxatione integrum est iuranti repetere quæ soluit.

Ratio assertionis. Ratio est; quia Iuramentum fuit tantum de soluendo; vnde solutione factâ satisfactum est tali Iuramento, ob quam rationem hæc doctrina deciditur in cap. *Ad audientiam de iis quæ vi* illis verbis, *non obstante Iuramento prædicto, quo non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.* Ita docent ibi Glossa, Hostiensis, Ioannes, Andreas, Antonius, Ancharranus. Abbas Couarruuias de Pactis 2. part. §. 3. nu. 2. in principio, Guttierrez de Iuram. 1. part. c. 53. num. 8. Lessius lib. 2. cap. 17. nu. 51. dub. 7. & c. 42. dub. 6. nu. 27. Suarius lib. 2. c. 9. nu. 16. Sanch. lib. 3. c. 11. nu. 9. & 16. Quòd si Iuramentum esset quoque non repetendi, non esset licitum repetere; nisi prius obtentâ ab Episcopo eiusdem Iuramenti relaxatione, vt colligitur à contrario sensu ex eodem *cap. ad audientiam*; traduntque prædicti Authores & alij. Quapropter quando D. Thomas 2. 2. a. 7. ad 3. ait: *potest autem repetere in iudicio quod soluit*, vel *prælato denuntiare non obstante quod contractum iurauerit* illa particula *non obstante & cætera* refertur ad solam posteriorem partem; ita vt sensus sit, quamuis iurauerit non denuntiare, posse denuntiare. Qua de re sicut & de Iuramento non petendi relaxationem dicemus disputatione sequenti dub. 6. illatione 9. de his enim Iuramentis longè alia ratio est; videntur enim esse de re illicita; at Iuramentum non repetendi potest seruari licitè, sicut & Iuramentum soluendi, ac proinde obligat, & ideo debet impleri nisi relaxetur.

Dices. 252. Verùm dicet aliquis, si factâ solutione potest solutum repetere, etiam poterit non soluere, sed retinere debitum illud via cuiusdam anticipatæ solutionis; quia eo debito soluto vsurarius, vel iniquus exactor idipsum est sibi debiturus.

Resp. 253. Respondetur negando consequentiam, quia non obstante eâ manifesta & præsenti exactionis iniustitiâ, iurata fuit vsurarum solutio; ergo excluditur compensatio cum illa iniustitia, ideò omnes Authores mox referendi consentiunt hanc compensationem fieri non posse.

Quæres. 254. Quæret tamen aliquis an fieri possit compensatio, quando vsurarius ille, seu iniustus exactor, alia via tantundem huic Iuramentum facienti debebat, aut debet post Iuramentum?

Negat Sotus. Negant aliqui. Ita Sotus lib. 8. de Iustitia q. 1. a. 7. circa solutionem ad 3. Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 6. num. 15. in fine, Suarius lib. 2. c. 37. num. 21. quia is, qui iurauit reuerà non remittit debitum, cùm remissio non valeat, nec exteriùs recompensat, cùm nihil de nouo tradat, quæ doctrina probabilis est.

255. Probabilius tamen puto quòd docent Molina tom. 2. disp. 560. columna 12. vel sic ad confirmationem Sanch. lib. 3. c. 11. nu. 11. quia remittendo quantum est ex parte sua (licet illi remissio sit aliunde irrita ratione inuoluntarij mixti ob iniuriam) censetur in communi existimatione soluere, & tradere rem debitam. Confirmatur; quia si debitum esset absque iniuria contractum, non solùm satisfieret ea compensatione obligationi iustitiæ, sed etiam obligationi religionis; ergo à fortiori satis fiet, quando est per iniuriam, nec enim hoc maiori priuilegio gaudere debet. *Affirmat Molina.*

256. Assero 5. non peccat qui iurat soluere quæ per vim aut metum ab eo petuntur, aut soluere vsuras, etiamsi habeat animum non implendi, obtentâ tamen priùs illius relaxatione quæ obtineri licitè potest à superiore vt dicemus sequenti disputatione maximè dub. 6 peccaret tamen si iuraret cum animo absolutè non implendi. Ratio est, quia in hoc posteriori casu iurat cum mendacio, in priori verò neque irrogat iniuriam extorquenti, seu petenti, neque mendacio iurat; habet enim tunc firmum implendi animum, nisi relaxationem obtineat, neque obstat quòd simul habeat animum petendi prius relaxationem, eâque obtentâ non implendi. Hic enim animus est conformis conditioni cuidam imbibitæ in eo Iuramento, scilicet, nisi eius relaxatio obtineatur. Perinde atque qui iurat fœminæ matrimonium cum intentione implendi, nisi illa fornicata fuerit. Verùm omninò iurat nec peccat, eò quòd illa conditio includatur tacitè in ipsâ promissione. Ita Suarius lib. 2. c. 7. nu. 20. in fine & Sanch. lib. 3. c. 11. n. 17. *Assero 5.* *Ratio assertionis.*

DVBITATIO XIII.

An Iuramentum metu extortum obliget item que Iuramentum non exeundi è carcere iniurioso vel ad eum redeundi?

257. Assero 1. Iuramentum metu extortum iniuriosè, si sit de re quæ licitè potest impleri, obligat. Ita expressè deciditur cap. *Si verò* & cap. *Verum* de Iureiur. & cap. *ad audientiam* de iis quæ vi; docetque D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. & q. 98. a. 3. ad 1. quem Theologi sequuntur in 3. distinct. 39. idemque docent omnes Iurisperiti ad prædictos textus. Ratio verò est eadem quæ dub. præcedenti pro 1. assertione, imò omnes assertiones ibi positæ circa Iuramentum soluendi vsuras eâdem ratione locum habeat de omni Iuramento per vim extorto, quod sine peccato potest impleri. Eædemque rationes vtrobique probant, & de vtroque Iuramento indistinctè id docent Authores vt notat Sanch. nuper citatus cap. illo 11. nu. 16. nihilominùs placuit hanc dubitationem seorsim adiungere propter proprias quasdam difficultates, quæ in Iuramento soluendi vsuras solutæ adhuc non sunt, & in hoc Iuramento faciliùs explicabuntur. *Assero 1. Iuramentum metu extortum iniuriosè si sit de re quæ licitè potest impleri obligat ita D. Tho.* *Ratio assertionis.*

258. Obiicies ergo 1. contrà positam assertionem cap. 2. de Iureiur. vbi de Episcopo qui iurauerat se non repetiturum res quibus iniustè spoliabatur *Obiicies 1.*

spoliabatur sic dicitur: *ipsum Episcopum nullius Iuramenti vinculis super hoc posse constringi.* Idem quoque dicitur de iurante quocumque per metum aut dolum in Regno Castellæ l.28.titulo 11.partita 5.

259. Ad textum citatum respondet Glossa, loqui de Episcopo qui iurauerat non repetere res Ecclesiæ, cuius Iuramentum non poterat obligare cùm esset contrà bonos mores naturales & de re illicita. Tenetur enim Episcopus res Ecclesiæ ex officio conseruare.

260. Hæc solutio non placet, quia textus loquitur de rebus suis: res autem Ecclesiæ nimis impropriè dicuntur res Episcopi. Accedit quòd Pontifex sic ibidem ait. *Quem tamen absoluimus quia nefandissima coactione iurauit.* Vbi reddit causam absolutionis metum illatum, quod non verificaretur si absolutio non sumeretur propriè sed pro declaratione quâ Pontifex declarat non obligare, vt contendit Glossa; Metus enim non efficit quòd Iuramentum deobliget, sed quòd iustè relaxetur. Vlteriùs in eo casu non esset metus causa non obligandi; quamuis enim spontè præstitisset, tale Iuramentum non obligare, eò quòd esset contra bonos mores naturales & de re illicita. Quapropter legitimus sensus illius textus est quem tradit Abbas, scilicet, quod dicatur id Iuramentum nullius momenti quoad effectum confirmandi illum contractum, ita vt non sit locus relaxationi. Eadem ratione explicanda est lex Regni Castellæ vt docet Gregorius Lopez ad eandem legem, scilicet nullius esse momenti ad hoc vt non possit relaxari, potest enim, & eo relaxato nihil tenetur iurans.

Resp.

Obiicies 2. 261. Obiicies 2. Votum & Matrimonium per iniustam vim seu metu extorta sunt prorsùs irrita ergo & Iuramentum.

Resp. 262. Respondetur disparem esse rationem: nam Votum & Matrimonium irrita sunt ex Iure solo positiuo, vt in particulari de Matrimonio diximus in nostro opere de Sacramentis & censuris Tract.11.disp.4. dub.6. at Iuramentum non est irritatum à Iure positiuo etiamsi metu aut vi extorqueatur; imò illud seruari præcepit ob diuini nominis reuerentiàm, vt patet ex textibus citatis. Ita Respondet Sanch.lib.3.c.11.n.15.& Suarius lib.2. de Iuramento c.10.nu.8. qui addit etiam in opinione satis probabili asserentium matrimonium Iure quoque naturæ esse irritum, si sit metu extortum, adhuc disparem esse rationem in Matrimonio & Iuramento: nam Matrimonium & fit directè ad obligandum, & fit inter homines inter quos non oriuntur obligationes per actiones iniuriosas, quandò quis per iniuriam obligari cogitur, sicut constat iuxtà eam sententiam in omni promissione metu extorta; at verò in Iuramento obligatio & est naturaliter consequens actum iurandi, qui per se primò non ad obligandum, sed ad confirmandam veritatem ordinatur, & obligat vt tale, non ratione hominis, sed Dei cui reuerentia seruanda est, non obstante quacunque violentia & iniuria ex parte hominis.

Instabis iuxta probabilē opinionē votū extorm 263. Instabit tamen aliquis. Etiam est probabilis opinio, quæ asserit votum metu extortum esse irritum ex Iure naturæ; ergo Iuramentum. Certè difficilimè assignatur differentia ab Authoribus illius opinionis; ideo id ipsum etiam in voto negant Sanch.& Suarius. Inter Authores verò qui eam opinionem sequuntur D. Bonauentura in 3.distinct.36.a.3.q.2.ad 1.disparitatem assignat in eo quòd votum est obligatio quædam & sacrificium quoddam Deo oblatum, Deus autem non acceptat sacrificia coacta. Sotus verò lib.7.de Iustitia q.2.a.1.ad 2. discrimen assignat, quòd voti obligatio ab arbitrio & voluntate vouentis ortum habet, atque adeò naturale est illi. Quod si fortè voluntas necessitate compellatur, votum non fit legitimum. Deinde votum est opus consilij cui metus visque repugnant; at obligatio Iuramenti non oritur ex voluntate iurantis, sed ex ipso Iuramento & ex reuerentia diuini nominis. Quæ omnia probabiliter dicuntur eâ opinione suppositâ; sed quid in hoc tenendū sit in Tract.de voto explicabimus. *metu est irritū iure natura ergo & Iuramentum. Ratio dis. criminis ex D. Bonauentura. Discrimen ex Soto.*

Colliges 1. Iuramentū metu extortū obligare sub mortali in materia graui. Ratio. 264. Ex tradita doctrina colligitur 1. Iuramentum metu extortum obligare sub culpa mortali si materia grauis sit; perinde atque alia Iuramenta absque metu & iniuria præstita, cùm vtrius obligatio sit ex strictissimo religionis vinculo erga Deum, qui nullam irrogat iniuriam, vt patet ex doctrina dubitationis præcedentis assert.3. Quamuis autem metus minuat, aut etiam tollat obligationem respectu hominis; respectu tamen Dei nec tollit nec minuit, atque adeò obligare ad mortale docent communiter Authores quos refert & sequitur Sanch.lib.3.c.11.nu.18. contra nonnullos asserentes Iuramentum metu extortum solùm obligare sub veniali. propter verba cap. *verum* de Iureiur. vbi de transgressoribus talis Iuramenti dicitur, non esse ob id tanquam pro mortali crimine puniendos. Verùm ex ipso textu constat pontificem ibi non agere de culpa transgressoris (vt minùs rectè interpretatur ibi Glossa & Angelus Iuramentum 5. nu.10.) sed de sola transgressoris pœna, volens eum non esse puniendum ita acriter, atque punitur transgressor Iuramenti sine vlla coactione præstiti.

Colliges 2. Iuramentū sponsalibus aut matrimonio metu graui extortis nō obligare. 265. Colligitur 2. Iuramentum accedens sponsalibus aut matrimonio metu graui extortis non obligare, nec indigere relaxatione ità Azor tom.1.lib.10.c.11.q.13.& 14.Sà v.Iuramentum num.9.Sanch. de Matrim. lib.4.disp 20.à nu.15.& disp.21.nu 3. Et legi possunt quæ diximus in citato Tract.de Matrim. disp.4.dub.13. *Ratio.* Ratio verò est, quia sponsalia & Matrimonia coacta intelliguntur & irritantur ob publicam vtilitatem, quia ex eis innumeræ discordiæ contrà communem reipublicæ paçem & bonum pullulant; atque adeò tale Iuramentum non potest impleri sine peccato iuxtà doctrinam generalem datam in hac disputatione dub 10. regula 1. Et quamuis sublata omni coactione liberè postea implere ea sponsalia aut matrimonium non sit culpa, at implere coactè ex Iuramenti necessitate omninò culpa est propter sublatam libertatem, quam in his contractibus Ius canonicum petit, vt diximus tùm citata dub.10.corollario 6. tùm loco notato de matrimonio.

Contraria opinio probabilis ex Sanch. 266. Non negauerim tamen contrariam opinionem esse probabilem, cuius rationes & Authores affert Sanch. loco citato. Atque eodem modo quo de Matrimonio philosophandum est de

de Iuramento adiecto constitutioni coactæ procuratoris ad matrimonium, vt contrà Azor probat rectè Sanch. lib. 3 c. 11. nu. 22. quia ille consensus coactus quo Procurator constituitur, censetur manere & esse consensus quo perficitur matrimonium.

Colliges 3.

267. Colligitur 3. Iuramentum adiectum constitutioni coactæ dotis & arrarum obligat, & est validum vt docet Sanch. ibidem num. 33. contrà aliquos quos retulerat lib. 4. de Matrim. disp. 21. nu. 5. Ratio verò est, quia talis constitutio dotis & arrarum interdicitur & irritatur à Iure principaliter ob bonum priuatum; parùm enim interest Reipublicæ, siue hic, siue illa ciuis dotem illam & arras consequatur, cùm inter eandem Rempublicam maneant, quo casu Iuramentum obligare iam diximus dub. 10. regula 2.

Ratio.

Colliges 4. Iuramentum adiectum coactæ professioni Religionis nõ valere.

268. Colligitur 4. Iuramentum adiectum coactæ professioni religionis non valere; coacta enim professio interdicitur & irritatur ob communa bonum, & ideò locum habet ratio suprà allata de Matrim. in 2. illatione. Idemque dicendum est de Iuramento adiecto simplici religionis voto per metum & coactè extorto, quia perinde se habet ac sponsalia ad matrimonium; & quamuis tale votum non sit Iure naturæ irritum, nec directè & per se ab Ecclesia irritatum; per quandam tamen consequentiam eo ipso quòd professio irritata est, censetur quoque irritari votum simplex emittendæ professionis, nemo enim potest obligari ad faciendum actum inualidum.

Iuramentũ adiectum votis simplicibus metu coactis probabilissimum est valere.

269. Quod verò attinet ad Iuramentum adiectum aliis votis simplicibus metu coactis, probabilissimum est valere, nec enim talia vota iuxtà probabiliorem sententiam irrita sunt Iure naturæ, neque ab Ecclesia irritata, quia non est in eis ita requisita libertas specialis, neque eorum coactio ita redundat in detrimentum boni communis. Ita Suarius lib. 1. de voto cap. 8. per totum & Sanch. lib. 3. de Iuramento cap. 11. num. 24. Quamuis Rodriguez 2. tomo summæ cap. 93. n. 4. & Sà v. *Votum* num. 8. de omni voto affirmant non valere, pro qua sententia plures alios refert Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 21. nu. 5. Priorem tamen sententiam præter Suarium & Sanch. docent Sotus lib. 8. de Iustitia q. 1. a. 7. ad 3. Palatius in 4. distinct. 29. disp. vnica.

Colliges 5. quoad Iuramentum metu extortum adiectum contractibus metu extortis.

270. Colligitur 5. Iuramentum metu extortum adiectum contractibus metu extortis Iure inualidis & reprobatis propter bonum priuatum (quales sunt alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ successionis, contractus minorum absque solemnitate) validum esse, ac proinde relaxatione indigere. Ita cum Couarruuia Gutierrez & aliis multis Iurisperitis docent Molina tom. 1. disp. 149. columna 2. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 7. num. 51 & cap. 42. dub. 6. num. 32. in fine. Suarius lib. 2. de Iuram. cap. 11. à num. 14. Sanch. qui plures alios refert lib. 3 c. 11. num. 20. Ratio verò est quia implere hos actus & stare tali Iuramento, non est peccatum; neque enim tales contractus prohibiti sunt & irritati ob commune, sed priuatum commodum vt diximus dub. 10. corollario 1. imò est actus virtutis siue redemptionis vexationis, vt aliqui dixerunt, siue fidelitatis iuxtà dicta dubitatione præcedenti

Ratio.

circa 1. obiectionem contrà assertionem 1. neque obligatio huius Iuramenti acquiritur homini iniuriam irroganti, sed Deo qui nullam intulit iniuriam. Accedit quòd hæc Iuramenta metu extorta non sunt ex Iure naturæ, vt per se patet fatenturque omnes, neque etiam Iure humano constat esse irritata, quamuis de hoc vltimo controuersia sit inter Doctores, probabilisque sit opinio asserentium hæc Iuramenta esse inualida, nec egere vlla relaxatione, eò quòd videantur irritata per Ius canonicum & ciuile, quando adiiciuntur contractibus inualidis metu extortis. Quam sententiam sequuntur multi & graues Iurisperiti quos refert Sanch. cap. 11. nu. 19. eosque sequuntur Antoninus 2. part. titulo 10. c. 6. casu 5. Angelus Iuramentum 5. num. 10. Syluester Iuramentum 4. q. 8. Sarmiento de Reditibus Eccles. 1. p. c. 4. num. 7. Azor lib. 11. c. 7. q. 2. Couarruuias 4. Decretalium part. 2. cap. 3. §. 5. & de Pactis 3. p. §. 4. nu. 2. & lib. 1. variarum cap. 4. nu. 7. vbi fatetur hanc opinionem esse apud sæculares Iudices receptam in praxi. Probant verò ex cap. *cùm contingat* de Iureiur. & cap. 2. eodem titulo in 6. & cap. *quamuis pactum* de Pactis in 6. vbi apertè dicitur hos contractus esse irritos secluso Iuramento, & eo accedente validos & seruandos cum hac limitatione, si absque vi & dolo sit Iuramentum præstitum; ergo à contrario sensu, si metu sit extortum nullam vim habet. Efficaciùs adhuc videtur id probare textus in authentica *Sacramenta* puberum c. *si aduersus venditorem*, ibi: *per vim autem vel iustum metum extorta etiam à maioribus nullius esse momenti iubemus.* Probant vlteriùs quia in his textibus æquiparantur dolus & metus quando accedunt Iuramento, sed quando dolus dat causam contractui bonæ fidei, Iuramentum adhibitum non obligat vt dicemus dubitatione sequenti, ergo neque quando metus præbet illi causam.

Iuramenta metu extorta non sunt irrita Iure naturæ.

An Iure humano contrauertitur.

271. Verùm hæc omnia non ita cogunt vt prima sententia desinat esse probabilior. Respondetur ergo prædictos textus decidere eos contractus, Iure ciuili alioquin irritos confirmari Iuramento, & ius homini tribuere, ita vt irreuocabiles maneant, nec sit locus relaxationi, id quòd significant illa verba *omnino seruari debet* quæ habentur cap. *quamuis pactum* vt ibi expendunt Dominicus & Francus. Quapropter quando adhibent illam exceptionem, *nisi Iuramentum sit metu præstitum*, tantùm volunt destituere Iuramentum virtute confirmandi contractus. Item quando authentica illa ait huiusmodi Iuramentum, etiam in contractibus maiorum qui aliàs validi erant; esse nullius momenti intelligitur quoad obligationem homini acquisitam, & quoad eius firmitatem, nam ratione metus potest facilè relaxari quia de obligatione Deo acquisita in contractibus maiorum non erat vlla ratio dubitandi cum certum sit consurgere talem obligationem etiam in promissione iurata metu extorta vt patet ex aliis textibus citatis in principio huius dubitationis.

Resp. ad prædictos textus.

272. Ad illud verò quod addunt de æquiparatione doli aut metus respondetur non æquiparari quoad omnia in illis textibus, sed tantùm quoad hoc, vt neutro modo præstitum Iuramentum confirmet contractum, & vt vtroque

Resp. ad æquiparationẽ doli aut metus.

modo

modo relaxari possit. Differunt tamen in eò quòd dolus quando aufert consensum, & ideo tunc reddit omninò irritum Iuramentum; metus verò nunquam consensum aufert, ideoque nunquam irritat.

Colligitur 6. quid dicendum de soluto ex carcere Iuramento præstito redeundi an scilicet teneatur redire.

273. Colligitur 6. quid sit dicendum circa eam quæstionem, an solutus è carcere Iuramento præstito de redeundo, ad ipsum teneatur redire? In qua re illud est certissimum apud omnes, teneri redire quando carcer & pœna inferenda etiam mortis sunt iusta, quia id Iuramentum est de re iusta, & ad Fortitudinem spectat tale Iuramentum, etiam cum vitæ periculo conseruare. Quod etiam docet Sayrus in Claui Regia lib. 12. cap. 18. num. 26. locum habere etiamsi reus sit verè innocens, dummodò secundùm allegata & approbata carcer & mors inferenda sint iusta, quia iustè tunc damnatur. Sanch. verò lib. 3. Moralium c. 11. num. 25. putat hoc non esse certum, sed eisdem subdi opinionibus quibus subditur quando carcer & mors sunt iniusta, de quo diximus in nostro opere de Iustitia lib. 2. Tract. 1. partim disp. 5. dub. 1. n. 5. partim disp. 6. dub. 4. & 6. Ratio est quia à parte rei eadem concurrunt in hoc casu, nec falsitas probationis aufert Domini ius protegendi se & repellendi iniuriam reipsa illatam.

Ratio.

Opinio probabilior.

274. Inter has tamen opiniones probabilior est teneri hunc redire ad carcerem quantumuis iniuriosum, etiamsi iniustam mortis pœnam timeat. Ratio est, quia hæc promissio fuit prudens, cùm absque illa nequiret iurans exitum è carcere obtinere ad res suas componendas, neque circa non promissam facta est aliqua mutatio; conscius enim iniuriæ & periculi iniustæ damnationis, & eo supposito iurauit redire, ergò prudentes exigi potest, ideoque obligabit Iuramentum. Probari potest secundò, quia supposita promissione prudenti & licitâ, talis reditus est opus virtutis & fidelitatis, & fortitudinis, & patientiæ, imò etiam redemptionis vexationis; iurando enim reditum redimit vexationem, non quidem mortis sed vexationem quam patitur de negato sibi exitu necessario ad componendas res suas.

Resp. ad argumenta Vasquez.

275. Vnde quando argumentatur Vasquez infrà referendus, probans hunc reditum non esse redemptionem vexationis, quia per illum vexatio non redimitur, sed potiùs subitur redeundo ad illam, facilè potest responderi tali reditu non redimi vexationem, sed impleri obligationem ortam ex Iuramento quo redemit vexationem non mortis (quam redemptionem retinere non potuit) sed vexationis non exeundi ad componendas res suas. Pari ratione, quando argumentatur probans quòd ille reditus non sit actus patientiæ, sed temeritatis, peccatum quia per illum se offert periculo mortis iniustæ; respondetur etiam quòd licet occidere sit intrinsecè malum, ideoque nunquam liceat; tamen non fugere periculum mortis, & illi se exponere interdum licet ex causa iusta. Quod maximè locum potest habere, quando homo non se de nouo conijcit in illud, sed ex causa iusta ratione seruandi Iuramenti, & ne habeatur & sit periurus restituit se in pristinum periculum. Tandem cum arguit quod talis reditus non sit actus fidelitatis, quia tyranno iniustè petenti fidem ad iniustam mortis sententiam exequendam, non est fides seruanda, nisi alia virtutis causa subsit; alioquin (inquit Vasquez) teneretur contrà omnium sententiam redire quamuis promissio non esset iurata. Respondetur in nostro casu adesse (vt diximus) iustam causam, neque inde sequitur obligari hunc ad reditum, per solam promissionem secluso Iuramento, sicut etiam non obligat promissio vsurarum aut metu extorta secluso Iuramento, eò quòd sit turpitudo ex parte petentis aut extorquentis, illam; tamen adhibito Iuramento non est cur obligatio non oriatur iuxtà dicta dub. 11. & 12.

276. Ex quo etiam constat solutio alterius argumenti, quo Vasquez vititur, dum ait Iuramentum non constituere promissionis materiam sub aliqua virtute, si ipsa ratione promissionis antea non esset: cui respondeo iuxtà dicta dubitatione 12. præcedente assert. 3. etiamsi promissio sit illicita, posse eius executionem ex causa esse licitam, & tunc obligare Iuramentum; sed quidquid sit de hoc in casu præsenti, etiam ipsa promissio redeundi licita est & actus virtutis, scilicet prouidentiæ erga res suas, & charitatis erga familiam suam aut hæredes. Vnde causæ nobis assignatæ satis sunt, non solùm ad reddendam licitam executionem, sed etiam promissionem, non tamen ad obligandum virtute solius promissionis nudè à Iuramento iuxtà datam doctrinam in eisdem dubitationibus 11. & 12. in quarum priori §. *nihilominùs prædicta* ostendimus non esse impossibile promissionem secluso Iuramento non obligare; posito autem illo obligationem inducere, in quo maximè in præsenti nostro casu consentiunt plures & graues Authores Caietanus 2. 2. q. 89. a. 7. columnâ penultimâ. Romanus l. *stipulationes* nu. 78. ff. verbor. obligat. Angelus *Iuramentum* 5. nu. 37. Syluester *Iuramentum* 4. q. 26. Tabiena *iurare* q. 10. nu. 11. Armilla *Iuramentum* nu. 13. Toletus lib. 4. c. 22. versic. *alterum est* Suarius lib. 2. c. 10. nu. 14. & 15. Lessius, lib. 2. c. 42. dub. 6. nu. 28. Sanch. lib. 3 Moralium c. 11. nu. 32. qui cum Tabiena & Armilla suprà addit idē esse dicendum de eo qui iurauit non fugere è carcere iniurioso, quia eadem est omninò ratio. Hæc sententia ampliùs confirmabitur ex infrà dicendis in fine huius dubitationis.

Resp. ad aliud argumentum Vasquez.

277. Rectè etiam addunt Suarius num. 16. & Sanch. num. 34. traditam doctrinam veram esse, quando quis præuiso periculo quòd sibi imminebat, & eo supposito, iurauit rediturum: nam si iurauit, ignorans tantum esse periculi, non tenebitur Iuramento; nec enim intendit se obligare cum tanto discrimine; liberaturque ratione tacitæ conditionis imbibitæ in eo Iuramento, nempè si res non sint notabiliter mutatæ; est autem in hoc casu notabilis mutatio in iurantis æstimatione.

Rectè addunt Suarius & Sanch.

278. Neque obstat fore vt etiam iuraret conscius periculi, eò quòd alioquin sibi non concederetur exitus; nec enim spectandum est quid ille iuraturus esset, sed quid iurauerit.

279. Pari etiam ratione (inquit Suarius) si iurasset non absolutè, sed sub conditione quadam in mente concepta, scilicet si sine periculo potuero, vel aliam similem, non obligatur. Quod si

si iniuriosus fuit carcer, non peccauit sic iurādo.

280. Item si simpliciter bona fide iurauit non præuidens periculum, virtualiter censetur iurare sub illa conditione, si non sit periculum, vel si res permaneant æqualiter nunc illas esse existimo.

281. Imò vt rectè notat idem Suarius, si hæc ratio efficax est, locum habet etiamsi mors quæ posteà timeatur sit iusta pœna; nam etiam licitum est eam fugere quando Iuramentum non obligat ad non fugiendum; in eo autem casu non obligat ex defectu intentionis, eaque propter extenditur tam ad casum iustum quam iniustum.

Aduertendum in hoc negotio Iuramentum exeuntis ex carcere iniusto posse relaxari ab Episcopo.

282. Illud autem est maximè aduertendum in præsenti negotio, prædictum scilicet Iuramentum, siue redeundi ad carcerem, siue non inde fugiendi quando carcer est iniustus, aut pœna inferenda iniusta est, relaxari posse ab Episcopo sicut alia Iuramenta metu aut per iniuriam extorta, cùm in ea, siue incarceratione, siue pœna, irrogetur iniuria, & tunc obtentâ relaxatione nulla erit obligatio redeundi aut non fugiendi. Ita Abbas cap. *inter alia* ad finem de immunit. Eccles. Tabiena, Armilla, Suarius & Sanch. suprà item Rodriguez in summâ c. 40. nu. 3. Sà *Iuramentum* nu. 11. & Sotus lib. 8. de Iustitia q. 1. a 7. ad 3. vbi rectè docet cauendum esse scandalum religionis Christianæ in hac relaxatione: nam si captiuus apud Infideles iurasset reditum, aut se missurum redemptionis pretium, non liceret illi petere relaxationem, nec eâ vti, id enim esset in magnum Christianæ religionis detrimentum, in quo etiam conueniunt Sanch. & Suarius.

Quidam etiam docēt de exeunte ex iusto ob naturale conseruandæ vitæ ius.

283. Quidam verò dicunt, hanc relaxationem concedendam etiam esse, quamuis carcer & mors sint iusta ob naturale conseruandæ vitæ ius. Ita Ludouicus Lupez 1. p. Instructorij conscientiæ c. 42. versiculo *qui iurat redire* & alij quos tacito nomine refert Rodriguez, quod ipse etiam concedit, dummodò aliâ viâ compensetur damnum custodis carceris.

Verū Author cōtrarium docet cū Sanch.

284. Verùm etiam cum hac compensatione non posse fieri relaxationem docet Sanch. citato c. 11. nu. 36. quia Iuramentum hoc factum est in fauorem tertij, & nulla est turpitudo, nec iniuria in Iudice, neque in custode. Vtrum autem, & quomodò, & sub quibus circumstantiis possit reus, tam in sententia iusta, quàm in iniusta, mortis fugere secluso graui scandalo aut Iuramento, latè diximus in nostro opere de Iustitia cæterisque virtutibus Cardinalibus lib. 2. Tract. 1. disp. 6. dub. 4. à n. 60.

Item quod Iudex iniuriā facit exeunti ex carcere potest Episcopus huius Iuramentū relaxare.

285. Quando verò Iudex iniuriam facit, posse relaxationem Iuramenti fieri ab Episcopo licitè, etiamsi damnum sequatur custodi carceris innocenti, cui factum est Iuramentum docent Rodriguez & Sanch. suprà nu. 35. quia nimirum iurat vt redimat vexationem quam Iudex facit: Hanc tamen doctrinam rectè impugnat Vasquez infrà referendus, & mihi omninò displicet, quia Iuramentum hoc fit custodi iustè exigenti reditum, non Iudici iniquè se gerenti.

Aliæ probabiles sententiæ secunda.

286. Quamuis autem hucusque stabilita sit potior & probabilior doctrina, non desunt aliæ variæ & probabiles sententiæ. Secunda ergò in ordine docet non obligare Iuramentum non fugiendi, aut Iuramentum redeundi ad carcerem, in casu dumtaxat, in quo probabiliter timetur pœna iniustæ mortis. Ita docent multi & graues Iurisperiti quos refert Sanch. lib. 3. ca. 11. nu. 27. eosque sequuntur ex Theologis Maior in 4. distinct. 15. q. 22. in solutione ad 2. Antoninus 3. part. titulo 10. c. 6 in principio casu 2. in fine Rossela v. *accusatus* num. 2. quorum fundamentum esse debet, quia tale Iuramentum est de re illicita, scilicet de reditu; nam redire in tali casu est temerè se morti offerre, atque adeo consequenter Couarruuias lib. 1. Variarum c. 2. nu. 7. Plaza de Delictis lib. 1. c. 22. num. 6. Seraphinus de priuilegiis Iuramenti priuilegio 132. nu. 6. Guttierrez de Iuramento 1. p. c. 57. à num. 24. docent non tantùm posse non redire, sed etiam peccare mortaliter redeundo; quamuis alij nihil explicent de hac obligatione, & alij minùs consequenter eam negent.

Docet non obligare tale Iuramentum.

Tertia.

287. Tertia opinio docet, Iuramentum hoc non tantùm obligare quando timetur periculum iniustæ mortis, sed etiam quandò timetur quodcunque iniustum periculum personæ, secùs verò si tantùm rerum. Ita Abbas cap. *sicut* 3. nu. 4. de Iureiur.

Quarta.

288. Quarta opinio extendit doctrinam, vt non obliget hoc Iuramentum quando timetur iniusta sententia, etiam solius famæ, aut rei familiaris detrimentum; idque siue carcer alioquin esset iniustus siue iniuriosus. Primum probat, quia licet quisque sit Dominus rei suæ familiaris, & etiam famæ non tamen licet ea absque iusta causa prodigere. Secundum verò probat, quia licet carcer esset aliàs iustus, redditur iniustus timore iniustæ sententiæ. Ita docet Vasquez t. 2. disp. 174. c. 5. à nu. 35. qui tamen nu 38. hoc limitat vt solùm debeat locum, quando custos carceris est particeps iniquitatis Iudicis; nam si custos ille in bona fide esset, & Iuramentum de reditu illi præstetur, putat hic Author obligare Iuramentum, siue damnum imminens custodi esset in corpore, siue in bonis, quia tunc, ait Vasquez, esset actus virtutis offerre se morti & iniustæ sententiæ pro liberando innocente. Huius etiam sententiæ videntur esse multi & graues Authores, quos refert Sanch. suprà n. 26. qui absolutè docent hoc Iuramentum non obligare quando carcer est iniustus, aut pœna quæ timetur est iniusta, non restringendo ad talem vel talem pœnam. Quamuis Sanch. putet eos Authores loqui solùm in casu quo timetur mortis pœna iniusta: omnes enim allegant celebrem quandam Glossam quæ tantùm loquitur in hoc casu.

Quinta.

289. Quinta opinio docet obligari ad redeundum si carcer iustus sit, quamuis mors iniusta timeatur; secùs quando carcer est iniustus. Ita Nauarrus cap. 12. n. 18.

Harū omnium opinionū fundamenta optimè refutat Suarius.

290. Harum tamen omnium opinionum fundamenta optimè confutat Suarius lib. 2. cap. 10. nu. 14. & 15. ex generali quadam doctrina, quòd redire in nostro casu non sit idem quod se occidere, aut temerè se morti offerre; alioquin etiam non liceret redire, aut posse non redire quando mors inferenda esset iusta; quo casu omnes fatentur obligare Iuramentum, nullamque

que habere excusationem: Nam quod res sit ardua & difficilis, non liberat à Sanctitate Iuramenti; potiùs enim spectat ad fortitudinē quando causa iusta est, vt in nostro casu, in quo iuxtà omnium sententiam debita est reuerentia Deo seruando Iuramentum. Hæc autem causa adest, quando mors est iniustè inferenda, nec tunc redire, est se occidere, sed est non fugere periculum, vel illi se exponere, quod non est per se & intrinsecè malum, sed licitum si adest causa; hic autem adest, nempè reuerentia Iuramenti, maximè cùm homo non se coniiciat de nouo in periculum, sed se propter reuerentiam Iuramenti in pristinum statum restituit ad seruandam fidem datam. Vnde si in hoc casu non est prodigalitas, sed potiùs virtus, etiamsi domo habeat maximum ius conseruandæ vitæ; multò minùs prodigalitas erit in casu tertiæ & quartæ opinionis. Prætereà, si carcer est iniustus, & mors iniusta timetur, eædem rationes locum habent, quia se exponere periculo iniustæ mortis non est intrinsecè malum; quòd si fiat propter seruandum Iuramentum, est opus virtutis, taléque Iuramentum factum fuit præuiso periculo, & quidem prudenter, idque periculum non creatur ex Iuramento, quin potiùs ob Iuramentum seruandum restituitur homo in pristinum statum, & hoc ipsum est quod iuratum fuerat. Quando verò carcer est iniustus, & periculum mortis nullum est, multò magis patet contrà Nauarrum tale Iuramentum obligare, quia tunc eadem est ratio quæ de Iuramento per metum extorto à latronibus, in quo casu obligare expresè decisum est à Pontifice cap. *si verò* de Iureiur. quod argumentum latiùs prosequitur Suarius suprà num. 15.

Non fugere mortis periculum nō est intrinsecè malū, sed licitū si adsit causa.

Nec se exponere periculo iniustæ mortis est intrinsecè malum.

DVBITATIO XIV.

An Iuramentum dolo, vel errore, vel ignorantia præstitum, sit irritum?

Differentia inter dolū errorem & ignorantiā.

291. PRæmittendum est 1. id quod sæpè in aliis locis diximus, dolum, errorem, & ignorantiam in eo differre, quòd dolus significet deceptionem iniuriosam ex parte petentis Iuramentum, quam error vel ignorantia ex se non inuoluunt, ignorantia verò latiùs patet quàm error, est enim quædam negatio, seu carentia, id est, mera scientiæ priuatio si propriè loquamur; error autem est non sola scientiæ veritatis carentia, sed cognitio oppositi falsi obiecti.

Duplex est error ignorantia & dolus iuxta D.Tho.

292. Præmittendum 2. est duplicem esse errorem (idemque iudicium est de ignorantia & dolo iuxtà D. Thamam 1.2.q.6.a.8.) quidam est error antecedens, nempè qui inducit ad actum faciendum, illique causam præbet, ita vt ipse non existente actus nequaquàm fieret, atque adeo efficit quòd actus sit inuoluntarius; nihil enim volitum quin præcognitum. Alter verò est comitans actum, qui scilicet non inducit ad volendum actum, sed ita illum comitatur, vt eo non existente actus fieret, qui error non efficit inuoluntarium, sed per accidens se habet ad actum: efficit tamen non voluntarium eò quòd nequeat actu esse volitum quod ignoratum est.

293. Priorem errorem, quando cum alicuius dolo contingit, appellant Iurisperiti l. *Et eleganter ff. de dolo* dolum dantem causam contractui, quia si is non adesset, contractus non fieret: posteriorem verò vocant incidentem in contractum, quia eo non existente contractus adhuc fieret; ac proinde causa illius contractus non est. Priorem etiam solent vocare dolum ex proposito contingentem, posteriorem verò solùm reipsa contingentem.

294. Præmittendum 3. est, vtrumque errorem, ignorantiam, seu dolum posse esse, vel circà substantiam rei Iuramento promissæ, vel solùm circà qualitatem aut conditionem mouentem ad iurandum.

295. Præmittendum est 4. ad præsentem quæstionem de Iuramento nihil referre, an Iuramentum præstetur interueniente dolo illud petentis, an mero Iurantis errore absque vlla iniuria ei illata; nam sola iniuria, dummodò consensus non deficiat, satis non est ad impediendum Iuramenti valorem, vt constat ex dictis, duabus dubitationibus proximè præcedentibus, maximè si agamus de Iuramento metu extorto, in auferendo autem vel non auferendo consensum, æqualia sunt dolus, & error; tantum enim differunt quoad solam iniuriam in solo dolo clausam, quæ non tollit Iuramenti valorem vt rectè notarunt Suarius lib.2.c.11.nu.1.& Sanch. lib.3.c.11.n.40.

Communis authorum distinctio in hac quæstione.

296. His præmissis, communis est Authorum distinctio in hac quæstione: si dolus aut error antecedens, siue dans causam contractui, seu ex proposito contingens (quæ omnia synonyma sunt vt diximus) Iuramentum illo dolo præstitum esse proisùs irritum nulláque relaxatione indigere: secùs verò si dolus aut error sit comitans, seu non dans causam contractui, seu reipsa contingens. Ratio verò est, quia in priori casu deficit consensus vt diximus in 2. suppositione, & constat ex l.1.ff.de dolo & ex l. Castellæ 57. titulo 5. partita 5. In posteriori verò consensus non deficit. Ita Iurisperiti & Canonistæ multi quos refert Sanch. supra nu.41. quos sequuntur Antoninus 2.part.tit.10.ca.6.casu 5. Angelus *Iuramentum* 5.nu.32. Syluester *Iuramentum* 4.q.88. & *Iuramentum* 5.q.12. Nauarrus c.12.num.13. Sà *Iuramentum* 9. Azor lib.11.cap.7.q.3.& alij quos infrà referemus. Rectè autem notat Alciatus ca. *cùm contingat* nu.13. & 14. & ex eo Sanch. quòd licet ad iudicandum an contractus sit nullus ipso Iure ex dolo dante illi causam, vel solùm annullandus, attendatur an contractus sit bonæ fidei vel stricti Iuris; nihilominùs quod ad nullitatem Iuramenti procedentis ex dolo id non sit attendendum. Hæc sanè omnia iuxtà communem sententiam, licet satis probabilia sint, non vsquequaque placent in omnibus, sed alia ratione distinguendum puto, quod sequentibus assertionibus explico.

Ratio.

Rectè notat Alciatus cap. cum contingat.

Assero 1. Quādo error vel dolus antecedēs est circa substantiam rei Iuramento

297. Assero 1. quando error seu dolus antecedens, dansque causam contractui, seu ex proposito contingens est circa substantiam rei Iuramento promissæ, nihil valet Iuramentum, neque vllà relaxatione indiget; atque in hoc casu certissima est prior pars distinctionis sententiæ communis

promissi Iuramentū nihil valet.

communis paulò antè relatæ, vt præter citatos Authores docent Lessius lib. 2. de Iustitia c. 42. dub. 7. num. 33. Suarius lib. 2. c. 11. num. 5. aliàs 7. Sanch. lib. 3. c. 11. nu. 42. Bonacina de Iuramento disp. 4. q. 1. punct. 8 nu. 3. Exemplum sit si quis iurat dare alicui rem quam putat esse vitream, & posteà inuenit esse gemmam, vel quam putat esse auricalcum, & inuenit esse aurum. Ratio est efficax, quia hic error tollit consensum circa illam rem, ac proinde reddit irritum Iuramentum; qua ratione similis error in persona reddit irritum matrimonium, vt latè probat Sanch. lib. 7. de Matrimonio disp. 18. nu. 12. & legi possunt quæ diximus in nostro opere de Sacramentis Tract. 11. disput. 7. dubit. 4. & 5. Si tamen res quam iurauit quis dare, diuidua sit, & respectu vnius partis fuit error, non verò respectu alterius, obligat Iuramentum circa illam partem in qua non fuit error, quia circa illam adfuit consensus licet non obliget circa aliam; nisi fortè aliunde constet intentionem iurantis limitatam fuisse ad totam illam integram numero rem per modum vnius. Ita Sanch. citato nu. 42. Bonacina suprà & alij.

Ratio assertionis.

Assero 2. idē de errore etiam consequēte versante circa rei iuratæ substantiam dicendum.

298. Assero 2. etiamsi error seu dolus circa substantiam rei iuratæ sit non dans causam promissioni, seu sit comitans, vel incidens in contractum, Iuramentum est irritum. Ratio est, quia talis error, quamuis non causet inuoluntarium, causat non voluntarium quatenùs tollit actualem cognitionem obiecti, sine qua non est actualis nec virtualis consensus efficax, seu intentio voluntaria, sed ad summum adest in voluntate habitualis vel actualis affectus inefficax, qui in ordine ad opus impertinens est; vnde in præsenti casu talis error tollit intentionem promittendi sub Iuramento rem illam, quæ quoad substantiam ignoratur, & consequenter tollit obligationem Iuramenti; perinde atque similis error circa personam, aut circa conditionem personæ seruilem irritat matrimonium vt docet Sanch. citata disp. 18. de Matrim. nu. 6. & nos cum illo diximus loco citato de Sacramentis dub. 4 vsque ad 10. Vnde sicut ibi non sufficit quòd quis tempore matrimonij eliciat hunc actum: *ducerem si noscerem hanc fœminam esse Mariam, quam puto esse Ioannam*, quia nimirum hic actus conditionalis est, ac suspensiuus, & in præsenti nihil ponit, ideò vt sit validum matrimonium, requiritur actus de præsenti quo quis dicat; duco te, etiamsi sis alia. Pari ratione in nostro casu vt Iuramentum sit validum, non sufficit quòd iurans tempore Iuramenti eliciat hunc actum; iurarem etiamsi scirem esse aliam rem à promissa; sed necessarium est ad Iuramenti valorem quòd adsit tunc temporis intentio iurandi, etiamsi res diuersa sit ab ea quam iurans existimat. Ita in propriis terminis, & loquentes de Iuramenti valore, docent Suarius lib. 2. de Iuramento c. 11. n. 7. & 8. Sanch. lib. 3. n. 43. & 44.

Ratio assertionis.

Assero 3. Quæ prædictæ assertiones sunt vera quādo error seu dolus circa substātiam inuincibilis est secus si sit vincibilis seu crassus.

299. Assero 3. duæ prædictæ assertiones veræ sunt, quando error seu dolus circa substantiam inuincibilis est; secùs verò si ignorantia, error, aut dolus sit vincibilis, seu crassus & fatuus, in quo casu probabilius est Iuramentum esse validum; talis enim error seu ignorantia non causat inuoluntarium, quapropter totum id quod sic ignorauit, virtute volitum est, & sibi imputare debet diligentiæ omissionem & detrimentum quod ex ea sequitur. Non me latet oppositum docere Sanch. lib. 3. c. 11. nu. 45. loco de Iuramento, vbi pollicetur se lib. 1. de voto cap. 1. idem probaturum, tamen in eo c. 1. nihil de hac re agit; capite verò 2. num. 14. ibi contrarius loquens de voto expressè docet, assertionem nostram; & sanè hic Author aliis etiam in locis circa hanc rem non videtur sibi satis constans: nam lib. 10. de Matrim. docet hoc virtuale voluntarium non sufficere ad valorem Matrimonij, sponsalium & voti, & tamen lib. 1. de Matrim. disp. 8. nu. 21. videtur asserere sufficiens esse ad valorem sponsalium & voti, videturque confundere voluntarium interpretatiuum, & tantùm in causa cum voluntario virtuali, quod reperitur in annexione seu connexione vnius actionis cum alia; quod tamen longè diuersum est vt latè probat Vasquez in incepto suo Tract. de Matrimonio disp. 5. c. 3. Vnde qui sana mente ibat ad contrahendum matrimonium, verum matrimonium contrahit, etiamsi dum protulit verba turbatus non attenderit. Non tamen contrahit verum matrimonium, qui sana mente vult, & proponit contrahere matrimonium per verba quæ præuidet se dicturum in furia aut ebrietate; sicut etiam sacerdos in furia, aut in ebrietate profert verba absolutionis, aut consecrationis, non conficit Sacramenta Eucharistiæ aut Pœnitentiæ, etiamsi antè furiam vel ebrietatem voluerit per ea verba consecrare, aut absoluere, quia hi non sunt actus humani nec voluntarij quando in ebrietate proferuntur, licet fuerint voluntarij seu (vt melius loquar) voliti in causa libera, iam enim cessante libertate desinunt actus esse humani & liberi. Consecrat tamen, absoluit & alia Sacramenta conficit, qui liberè se applicuit ad ministranda Sacramenta hæc, licet posteà proferat verba, præ distractione, aut alia turbatione non attendat actualiter, quia saltem virtualiter attendit, & talis probatio adhuc tunc est actus humanus & liber in se; quæ omnia intelligenda sunt iuxtà dicta à nobis in nostro opere de Sacramentis Tract. 1. disp. 3. dub. 6.

Probabile est Iuramētū obligare etiāsi dicamus matrimoniū nō valere quādo error contingit circa personam etiam vincibilis.

300. Verùm quidquid sit de hoc, quod attinet ad nostrum casum, probabilius est Iuramentum obligare, etiamsi dicatur matrimonium non valere quando error contingit circa personam, seu circa conditionem seruilem personæ, etiam vincibilis vt nos diximus citata disput. 7. Tract. 11. de Sacramentis dub. 4 & 5. & etiamsi dicamus sponsalia & vota ex simili errore circa substantiam procedentia non esse valida. Ratio est quia matrimonium, sponsalia & votum requirunt directam & expressam voluntatem formalem, quia tota obligatio in eis oritur ex voluntate ipsius volentis & contrahentis. At obligatio Iuramenti, supposita voluntate iurandi, oritur ex ipso Iuramento, & ex reuerentia Deo debita, ex quo præcepto tenebatur adhibere diligentiam circa rem quam iurauerat, vel certè suscipere in se onus præstandi materiam quam iurauit, eo modo quo ipsa in se erat; & ideo tenetur implere totum id de quo dubitauit an in re iurata includeretur. Hanc nostram assertionem videtur docere Suarius lib. 2. c. 11. num. 12. dum

Nostram assertionem docet Suarius.

dum ait, Iuramentum non extenditur ad incogitata, quando secundum prudentem æstimationem talia sunt, vt non credatur fuisse iurantis intentionem illa comprehendere sub sua promissione vel assertione iurata. Hæc Suarius. Sed in nostro casu non prudenter æstimatur cùm temerè se proiecerit ad iurandum, ergo idem dicendum est.

Assero 4. Error, dolus seu ignorantia inuincibilis circa qualitatem accidentariam rei iuratæ non irritat Iuramentum ita Suarius.

301. Assero 4. error, dolus, seu ignorantia, etiam inuincibilis circa qualitatem accidentariam rei iuratæ, vel circa causam intrinsecam mouentem ad iurandum, non irritat Iuramentum, sed validum est & firmum. Ita loquens de Iuramento docet Suarius lib.2.c.11.num.12. & Sanch. loquens de voto simul & de Iuramento lib.4.summæ c.2.nu.10.& 12.& nu 20.& 25.& sequentibus, vbique plura exempla attulimus in hac disputatione dub.3.in dubio incidenti assertione 6. in ordine & assert. 7. Suarius verò duo exempla adducit, primò vt si quis iuret dare Eleëmosynam Petro qui verè pauper est, quia putauit esse ciuem suum, quem posteà deprehendit esse peregrinum. Secundum est de Iuramento Gabaonitis facto à Iosue, & à Principibus populi de eis non interficiendis, vt habetur Iosue c.9. quem scripturæ locum & vim talis Iuramenti latè explicat Suarius c.12.à n.3. & concludit tale Iuramentum obligatorium fuisse, vt ex scriptura colligitur ibi & aliis in locis; ratio verò obligandi fuit, quia non habebant Israëlitæ præceptum perdendi eos qui conuertebantur ad cultum veri Dei, & deceptio qua Gabaonitæ Israëlitas deceperunt non fuit in re substantiali, quia verè & ex animo se subiecerunt & crediderunt Deo, sed in re accidentali, scilicet quoad distantiam loci in quo habitabant. Ratio autem nostræ assertionis est, quia si hic error, ignorantia, seu dolus irritaret Iuramentum & contractus, nihil esset firmum in votis iuratis ac humanis contractibus, quia frequenter hæc ignorantiæ contingunt absque vlla cogitatione circa hæc accidentalia, & posteà facilè & frequenter similes mutationes superueniunt.

Exempla Suarij

Ratio assertionis.

302. An verò Iuramentum dolo factum adiectum contractibus Iure inualidis, sit validum, vel irritum, eædem sunt opiniones quæ de Iuramento metu extorto, quas retulimus præcedenti dubitatione in 5. illatione. Iura enim ibi allegata æquè loquuntur de Iuramento metu aut dolo extorto.

DVBITATIO XV.

An ad obligationem Iuramenti promissorij requiratur deliberatus consensus & intentio iurandi per verum Deum, & implendi quod iuratur & promittendi, ac etiam se obligandi.

Assero 1. ad valorē Iuramenti necessaria est deliberata voluntas iurādi ea deliberatione

303. ASsero 1. vt Iuramentum obliget, necessaria est deliberata voluntas iurandi, eâ deliberatione & aduertentiâ quæ necessaria est ad peccatum mortale. Hæc assertio communis est Theologorum in 4.distinct.39.idemque docent Syluester *Iuramentum* 4.q.9. Angelus *Iuramentum* 5.nu.8. Nauarrus c.12.nu.1n. Abbas, Ioannes Andreas & alij cap. *si verò* & cap. *ex litteris* de Iureiur. Sanch. lib.3. Moralium c.10.nu.2. Suarius lib.2.de Iuramento c.7.nu.3. iuuabuntque ad hæc intelligenda quæ diximus, tùm in nostro opere de Iustitia lib.2. Tract.4. disputatione vnica dub.2.tùm in nostro opere de Sacramentis tract.11.disp.1.dub.2.& 3. Omissis autem aliis rationibus quibus à Suario & aliis latissimè probatur nostra assertio, sufficiat nobis eam probare ex eò quòd obligatio, quæ ex Iuramento promissorio nascitur, ex genere suo obliget sub mortali, saltem si materia sit grauis; ergo requirit eandem deliberationem quæ ad peccandum mortaliter sit necessaria.

quæ necessaria est ad peccatum mortale.

Ratio assertionis.

304. Opponet tamen aliquis inde sequi, quòd si Iuramentum promissorium factum est cum imperfecta deliberatione quæ sufficiat ad peccandum venialiter, obligabit & sub veniali ad implendum promissum.

Obiicies.

Respondetur cum Suario negando sequelam: nam ex actu indeliberato non potest intrinsecè oriri obligatio ad actum, qui posteà pleno iudicio & deliberatione præstandus est, sed liberum est homini ea quæ per surreptionem aut indeliberationem propriam fecit, posteà maturo consilio retractare, neque priuandus homo est ea libertate propter indeliberatum actum præcedentem; priuaretur autem si sub veniali culpa obligaretur ad implendum quod indeliberatè iurabit.

Resp. cum Suario. Ex facto indeliberato non posse intrinsecè oriri obligationem ad actum plenâ deliberatione posteà præstandum.

305. Assero 2. Iuramentum fictum, id est solùm exteriùs prolatum sine intentione iurandi, per se non inducit obligationem implendi quod sic iuratur. Hæc assertio, vt putant aliqui, certa est apud omnes, & eam tradunt Sotus lib. 8.de Iustitia q.1.a.7.ad 4.& Sanch. lib.3.c.10.n. 4.Suarius lib.2.c.7. num.2. nihilominùs non est adeo certa doctrina, sed solùm probabilis, vtpote quæ nititur supposito fundamento, quod possit esse exteriùs ficta promissio, quod sanè probabile est; sed si propriè loquamur, non existimo illam talem esse posse, vt declarauimus, & probauimus in nostro opere de Sacramentis Tract.11.de Matrimonio disp.1.dubit.4.& 7.& in principio dubitationis 9. Solùm ergò assertio nostra procedit supposità fictà promissione quæ propriè non datur externa, vt locis notatis diximus, & infrà dicemus. Probari verò potest, quia Iuramentum sine intentione factum non est Iuramentum, vt probauimus disp.2.dubit.11.ergò non potest obligationem inducere, quia quod non est, nihil operatur. Item verba non habent vim obligandi nisi ratione consensus, vt constat in matrimonio & in omnibus contractibus, & in professione ac votis, quia interior voluntas est quasi anima verborum, nec verba habent efficaciam nisi vt sunt signa mentis.

Assero 2. Iuramentum externum prolatū sine intentione iurandi nō inducit obligationem implendi.

306. Dixi autem *per se*, hoc est ex vi ac religione Iuramenti; nam ex circumstantiis extrinsecis potest consurgere obligatio quæ aliquando erit Iustitiæ v.g. si ob eam causam is cui fit Iuramentū inde passus sit aliquod nocumentum, vt si virgo consensit copulam ob Iuramentum fictum alterius. Sed in his & similibus non tam oritur obligatio ex Iuramento, quàm ex iniqua deceptione. Et legi potest Syluester *Iuramentum* 4.q.1.9. Aliquando verò consurgit obligatio ratione

tione secundali vitandi, quam obligationem Suarius & Sanch. dicunt pertinere ad charitatem, & posse etiam pertinere ad religionem quatenus publica illa periurij species in irreuerentiam Dei cedit; vel quia inducit alios ad similia periuria & dolosa Iuramenta. Probabilius tamen est pertinere ad eam speciem peccati ad quam inducit; nam interdum potest inducere alios ad similia periuria; Interdum potest inducere eum cui Iuramentum factum est ad vindictam, idque vel per homicidium, vel per detractionem, vel similia alia damna.

Assertio supponit posse esse promissionē fictam aut Iuramētū. Graues Authores asserūt tale Iuramentū obligare.

307. Prædicta assertio, vt notabam, supponit posse esse promissionem fictam, & Iuramentum fictum; tamen quod attinet ad promissionem (& idem est de Iuramento) Authores cum primis graues affirmant, promissionem verbis seriò & deliberatè prolatis externùs, inducere obligationem propriam promissionis, & habere quidquid requiritur ad veram & propriam promissionem humanam inter homines factam; atque adeò omnem talem promissionem sicut & alios quosuis contractus; (matrimonium excipio propter particularem rationem) habere vim obligandi. Quam doctrinam latè & egregiè docet, probat & explicat Vasquez in inchoato tractatu de Matrimonio disp.6.c.2. & 3. vbi probat, promissionem consistere in assertione alicuius rei in futurum faciendæ, in eius gratiam & vtilitatem seu obsequium, cui fit, & insinuatur assertio ex qua naturaliter nascitur obligatio implendi, non verò ex voluntate asserentis: nam fidelitas & veritas de futuro, quæ consistit in implendis promissis, sicut infidelitas in falsitate, seu in non implendo, non dependet supposita assertione & voluntate sic asserendi à voluntate quam habet idem asserens, quod talis assertio inducat obligationem faciendi vera ea verba, sed ex natura ipsa talis assertionis obligatio resultat. Vnde inquit Vasquez, asserere, posse esse promissionem voluntariam sine animo promittendi, aut posse proferre Iuramentum voluntariè & seriò sine animo iurandi, non minùs falsum est, quàm dicere posse aliquem voluntariè externùs infamare sine intentione detrahendi, aut posse externùs voluntariè aliquem ferire sine intentione feriendi. Hæc doctrina ampliùs explicabitur ex dicendis infrà post 5. assertionem. Itaque assertio nostra secunda solùm procedit, supposita opinione probabili, quod possit esse fictum Iuramentum fictaque promissio, cuius oppositum, quod ad promissionem cæterosque contractus attinet, latè diximus in nostro opere de Iustitia Tract.3. qui est de contractibus in genere dub.19. à n.357. & Tract.4. dub.4. n.27. & deinceps, & locis ibi notatis maximè disp. 1. de Matrimonio dub 4. & 7.

Quod & egregiè probat. Vasquez.

Assero 3. Iuramentū per Idola non obligat nisi propter erroneam conscientiam. Ratio assertionis.

308. Assero 3. Iuramentum per Idola non obligat, nisi propter erroneam conscientiam, quam fortè habent Gentiles multi, putantes esse verum numen id per quod iurarunt. Ratio verò est clara, quia cùm nihil numinis sit in Idolo, deficit fundamentum essentialiter requisitum ad Iuramentum, vt latè declaratum est suprà disp.1. dub.1. in 3. obiectione, & ibidem quoque diximus Iuramentum per beatos, Sanctos considerados per sanctitatem propriam à Deo participatam, obligare ex virtute duliæ, non tamen ex virtute religionis quæ Deum respiciat. Ibidem quoque diximus Iuramenta per mortales homines secundùm se spectatos non obligare, retulimusque Authores hæc omnia expressè asserentes.

Assero 4. Quando tantū deest intētio implendi rem iuramento promissam Iuramentū obligat. Ratio.

309. Assero 4. quando tantùm deest intentio implendi rem Iuramento promissam, & adest intentio non implendi, Iuramentum obligat. Fundamentum huius assertionis est doctrina generalis pro omni pacto & contractu, quia nimirum intentio non contraria substantiæ contractus alioquin validi & obligatorij, illum non irritat, neque impedit eius obligationem. Qua ratione intentio non reddendi debiti non irritat matrimonium, vt latè docet & probat Sanch. lib.2. de Matrimonio disp.29. nu.11. & nos etiam probauimus in nostro opere de Sacramentis Tract.11. disp.2. dubit.5. sicut & intentio non implendi votum non tollit vim voti. Ratio est, quia neque est essentia matrimonij reddere debitum, sed obligatio ad illud reddendum, sicut neque de essentia voti est illud implere, sed obligare ad illud implendum. Vnde in nostro casu intentio implendi quod iuratur, non est de essentia Iuramenti, ergò ea intentio quamuis deficiat & adsit opposita, non tollit Iuramenti essentiam. Confirmatur & probatur; quia prius est obligari quàm exigi, hoc enim ab obligatione nascitur, ergò præcisè defectus intentionis exequendi non opponitur animo se obligandi, nec tollit vim obligationis: sublato enim posteriori non tollitur quod prius est. Ita docent omnes Authores quos infrà referemus; quamuis enim contrarium doceat Almainus in 3. distinct. 39. q. vnica, videaturque docere Bonauentura ibi art.3. q.2. & Lessius lib.2. de Iustitia c.42. dub.8. num.41. dicat id non esse improbabile quando Iuramentum iniquè extorquetur: Nihilominùs Suarius lib.2. de Iuramento c.7. nu.21. & Sanch. lib.3. summæ c.3. num.5. meritò docent id esse improbabile, quia sine vlla probabili ratione contrà efficacem rationem asseritur.

Assertio 5. Quando deest sola intētio promittendi Iuramentū obligat. Ratio.

310. Assero 5. quando deest sola intentio promittendi, etiamsi sequamur opinionem, quam probabilem diximus assert.2. scilicet promissionem fictam non esse verè promissionem neque obligare; adhuc Iuramentum obligat. Ratio est, quia substantia veri Iuramenti de futuro, obligans ad veritatem illam futuram implendam, subsistere potest etiamsi promissio nulla subsistat, vt contingit quando irrita est, vt satis credo probauimus in hac disputatione dub. 1. & habetur in Iuribus quæ retulimus dub.12. assert.1. in principio & dub.13. assert.1. in principio; ergo defectus solius intentionis promittendi, etiamsi faceret promissionem, non subsistere, non inde sequeretur Iuramentum corruere.

Quapropter idem quoque dicendum est à fortiori, quando solùm deest animus non se obligandi peculiari quadam ratione Iustitiæ aut fidelitatis, sed adest intentio expressa excludendi alteram illarum obligationum (si fortè id est possibile) nam in eo casu talis intentio non est contraria substantiæ Iuramenti, nec obligationi propriæ ipsius quæ est religionis erga Deum. Vtrumque putant certum, & vt tale docent Sua-

rius lib.2.c.7.nu.5.6.& 7 & Sanch.lib.3. Moralium c.10.n.6.

Addit Suarius.

311. Addit etiam Suarius nu. 5. consequenter ad suam doctrinam, suppositâ opinione quam diximus probabilem assert.2. quòd si iurans promissionem fictam habet animum iurandi, manet obligatus ex vi Iuramenti obligatione religionis, licet non ex Iustitia aut Fidelitate; quia quamuis protulerit verba promissionis, id fecit fictè sine animo promittendi. Huius ratio est, quia cùm ficta promissione subsistere potest vera assertio de facto futuro; potest enim quis asserere se aliquid facturum quod promittere non vult. Qui autem vtitur verbis promissoriis sine intentione promittendi, affirmat nihilominùs se facturum; nam hæc affirmatio intrinsecè includitur in verbis promissoriis: atqui affirmatio est sufficiens materia Iuramenti; ergo tale Iuramentum obligat obligatione propria scilicet religionis.

Supponunt Suarius & Sanch. tanquam certũ posse esse verba promissoria sine intẽtione promittendi &c.

312. Id autem quod Suarius & Sanch. supponunt tanquam certum, scilicet posse esse verba promissoria sine intentione promittendi, & verba Iuramenti sine animo iurandi, Vasquez citata disp.6. de Matrim. non solùm impugnat vt suprà retulimus, sed etiam affirmat hanc doctrinam paucis ab hinc annis à Recentioribus introductam. Ego sanè quamuis probabiliorem putem sententiam Vasquij vt pluribus in locis suprà citatis diximus & iterum dicemus; nihilominùs in eo quo notat sententiam Suarij & Sanch. illam appellans de nouo introductam in scholas, omninò fallitur; nã de Iuramento ficto, id est exteriùs prolato, non solùm multi Recentiores, sed etiam Caietanus & Sotus disputarunt, quorum diuersas opiniones retuli suprà disp.2.dub.11. circa initium, & videri possunt quæ diximus disp.1.dub.4. assert.2. De promissione verò ficta multi in materia de Iustitia, & alij in materia de Matrimonio, alij etiam in materia de voto idipsum tractant, & satis multi docent promissionem & votum tantùm verbis externis prolata sine animo interno vouendi & promittendi, non obligare nisi ratione damni quod ex promissione ficta sequatur, vt nos etiam notauimus locis citatis de Matrimonio, & de contractibus in genere, & promissione, vbi plures Authores indicauimus, & quidem promissionem fictam non obligare, quia non est promissio, sed promissionis fictio ita docent Caietanus v. *Sponsalia*, & ibi Armilla n.14. Nauarrus c.22.num.76. Veracrux qui testatur esse doctrinam ab omnibus receptam 3. parte speculi art. 19.concl.1. Bartholomæus à Ledesma de Matrimon.dub.14. qui tamen addunt esse culpam mortalem sic fictè promittere in quolibet contractu vtrimque obligatorio, qualis est sponsalium, de quo dicti Authores loquuntur. Vnde Sanch.lib.1.de Matrim. disp.9.nu.3. docet non fore culpam mortalem quando promissio est gratuita ex altera parte tantùm facta, non vero mutua, quia non est perniciosum mendacium. Item secundò, non esse mortalem culpam quando ita promittitur vt alter facilè colligere posset iocosè promitti. Tertiò quando adest grauis causa ad sic fictè promittendum, non erit iuxtà hanc sententiam culpa mortalis, imò nec venialis si in tali promissione vtatur quis amphibologia aliqua habente verum sensum, & aliquid tacitè subintellectum, quod & de matrimonio fictè hoc modo contracto affirmat idem Sanch. suprà disp.11.nu.2. vbi tanquam certissimum supponit matrimonium fictum esse inualidum, quod affirmant multi & grauissimi Authores quos num.1.retulerat, & nos diximus in proprio Tract.de Matrimon.aliisque in locis; imò idem Sanch.disp.10. nu.26. cum Veracruce, Corduba, Henriquez & Molina docet quòd, etiamsi contrahentes sponsalia æquales sint, & alter verè promittat, non teneatur fictus promissor contrahere, quandò nullum aliud damnum sequitur præter fidem violatam; quamuis enim grauiter peccauerit contrà Iustitiam intendens in re grauissima decipere; at quia reuera coram Deo alter sibi non obligatur, & deceptio mansit in intentione, nec habuit effectum, ideò non manet obligatus, sicut si fictè promitterem Petro centum aureos si Romam petat, & antequam petat dissoluo contractum, non admitto iniustitiam, nam ratione promissionis quæ ficta fuit, minimè teneor, nec ratione iniuriæ quia alter nihil dedit nec amisit, & sicut ego non sum obligatus, ita nec alter mihi. Quæ omnia probabilia sunt, & probabilem reddunt sententiam astruentem fictam promissionem. Legantur quæ diximus locis notatis de Matrim. maximè disp. 1.dub.4. & 7. vbi oppositam doctrinam probabiliorem iudicauimus cum Petro de Ledesma de Matrim.q.43.a.1.dub.4. & cum Vasquez citato, qui expressè docent eum qui nouit promissionis vim, non posse velle promittere exteriùs, & habere interiùs animum non promittendi & se obligandi promissione. Vtrum autem sit semper peccatum mortale suppositâ alia opinione iurare exteriùs sine animo interno iurandi, diximus suprà disp.2.dub.11.

Ficta promissio quale peccatũ.

Restat difficultas maior de eo qui habet animũ iurandi, non tamen se Iuramento obligandi. Duæ probabiles sententiæ.

313. Restat modò difficultas aliquando diuersa, & quidem maior circa Iuramentum, an quando iurans habet quidem animum iurandi, non tamen Iuramento se obligandi, maneat reuera in conscientia obligatus? In qua re duplex sententia vtraque probabilis, & ferè coincidens cum vna ex altera sententia, ex iis quæ in præcedenti puncto de Iuramẽto ficto explicata sunt: nam etiam hoc, de quo nunc agimus, potest appellari Iuramentum fictum; quamuis enim quis habeat animum iurandi si simul habeat animum se non obligandi, meritò potest appellari Iuramentum fictum quatenùs Iuramentum, quod natura sua obligatur ad inducendam obligationem, non vult iurans quod eam inducat, quæ procul dubio fictio quædam est, si tamen est casus possibilis.

Prima affirmat tale Iuramentũ obligare.

314. Prima igitur opinio affirmat tale Iuramentum inducere obligationem, non secùs atque promissio inducit obligationem promissionis, eo ipso quòd quis velit exteriùs promittere etiamsi fortasse intendat se non obligare, atque in hoc casu & sensu locuti præcipuè sumus de promissione & contractu tàm sponsalitio, quàm aliis, locis notatis de contractibus in genere de promissione & de matrimonio. Ibi legatur: nam quæ ibi dicta sunt, possunt etiam ad Iuramentum accommodari. In casu ergo Iuramenti

menti consentiunt Authores comprimis graues, Summistæ & Theologi & Canonistæ; imo in Iuramento est specialis ratio ad id asserendum. Inter alios ergo ita sentiunt Angelus Iuramentum 4. in principio. Syluester Iuramentum 3. q. 2. vbi docent aliter contrahi obligationem in voto quàm in Iuramento: in illo enim contrahitur per intentionem; in hoc verò per deliberatam verborum attestationem. Expressiùs tamen hanc sententiam docent Caietanus 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. Sotus lib. 8. de Iustitia q. 1. a. 7. ad 4. versic. *at verò*. Couarruuias de Pactis 1. part. §. 5. nu. 2. Ludouicus Lopez 1. part. c. 42. Rodriguez in summa 1. part. c. 192. nu. 4. & part. 2. c. 92. nu. 7. Gutierrez in quæstionibus Canonicis lib. 2. c. 22. nu. 31. Arragon 2. 2. q. 89. a. 7. Henriquez lib. 11. cap. 13. nu. 2. in Glossa littera z. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 4. Lessius lib. 2. c. 42. dub. 8. num. 38. Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 6. num. 8. Suarius lib. 2. c. 7. à num. 1. vsque ad finem. Vasquez disp. 6. de Mutatione c. 2. & 3. citatis. Fundamentum magis commune huius sententiæ est, quia obligatio Iuramenti est effectus naturaliter consequens ipsum Iuramentum, nec dependens à voluntate iurantis si semel vult iurare; ergo quamuis in voluntate hominis sit iurare vel non iurare; si tamen voluntariè iurat quantumuis nolit obligari, necessariò obligatur. Consequentia videtur euidens, quia qui efficaciter vult applicare causam naturalem, v. g. ignem, efficaciter etiam vult effectum ex ea naturaliter secutum v. g. combustionem; nec enim est in potestate applicantis causam naturalem, impedire eius effectum naturalem. Quòd si fortè non vult effectum, id erit affectu quodam & voluntate inefficaci. Hoc argumento quo vtuntur Suarius & alij, libentissimè vtitur Vasquez loco citato, ad probandum hoc ipsum de promissione contrà Suarium & aliquos alios, nempè quòd is qui vtitur verbis promissoriis fictè cum animo non promittendi, aut non se obligandi promissioni, reuera promittit, manetque obligatus, quia positis verbis promissoriis exteriùs prolatis, turpe est & indecorum, seu contrà fidelitatem ex ipso naturali Iure non stare verbis; ergo hic effectus naturalis est non pendens ab intentione proferentis verba promissoria.

Fundamentum huius sententiæ.

·315· Hoc tamen argumentum aliqui Recentiores reijciunt in promissione, quamuis admittant in Iuramento; quia si in promissione efficax esset, multùm probaret & eneruaret communem doctrinam Authorum, asserentium in materia de voto, quòd qui profitetur fictè in aliqua religione non obligetur in conscientia & coram Deo in tali professione, pariique ratione qui exteriùs tantùm & oretenùs vouet sine animo vouendi, reuera non obligatur, quia scilicet non est vera professio & verum votum, sed fictum. Item eneruaret communem doctrinam asserentium Iuramentum fictum, id est, sine animo iurandi seu adducendi Deum in testem, non esse Iuramentum, neque obligare, de hoc tamen iam diximus suprà in hac dubitatione. De illo verò priori scilicet de paritate professionis solemnis & voti, satis diximus in nostro opere de Iustitia agentes de contractibus in genere Tract. 3. disp. vnica dub. 19. nu. 368. & sequenti, vbi de voto quidem simplici longè disparem esse rationem ostendimus; nam in voto simplici non sunt necessaria verba externa; potest enim solo actu interiori fieri; quòd si verba fictè proferantur, Deus cui soli votum fit, nequit decipi, ac proinde quando deest animus promittendi, non oritur obligatio voti ratione solius externæ locutionis; in promissione tamen externa homini facta non sic contingit vt patet, cùm non possit aliter fieri & innotescere promissario quàm externis signis; in voto autem solemni etiam constat illud fieri Deo, ac proinde si desit animus vouendi, quantumuis proferantur verba externa, nihil est deceptionis comparatione Dei. Eodem modo dicendum est, si desit animus se obligandi, qui animus iuxta sententiam Vasquij non potest non haberi ab eo qui sciens naturam promissionis, aut voti, vult promittere aut vouere; nam eo ipso quòd promittat, contendit Vasquez ex ipsa promissione naturaliter resultare obligationem implendi illam, non minùs quàm ex Iuramento resultat naturaliter obligatio, quæ non dependet ex intentione proferentis verba promissoria, quia naturali Iure apparet deformitas aut turpitudo in non implendis illis verbis verificando illa.

Argumentum hoc aliqui recentiores reijciunt in promissione quamuis admittant in Iuramento.

Disparitas inter votum simplex externum & promissionem externam.

In ipsa promissione naturaliter resultare obligationem implendi illam, sicut ex Iuramento contendit Vasquez.

316. Respondent tamen eam turpitudinem non consistere in eo quòd non impleat id ad quod non obligatur, sed in eo quòd loquitur cum fictione, & in eo quòd faciat irreuerentiam Deo si ei promittit, vel faciat iniuriam homini quem decipit.

317. Hæc tamen gratis omninò dici videtur, nec enim in communi æstimatione hominum solùm deforme est, quòd quis aliter loquatur aut promittat exteriùs quàm sentit, aut habet in mente interiùs; sed etiam in eo quòd non conformet facta cum dictis à se liberè & spontè prolatis homini, qui solùm dicta sibi seriò audit & acceptat. Quòd si Aduersariorum doctrina vera esset, eodem modo loqui deberent de voto & promissione atque loquuntur de Iuramento, vel è contrà de Iuramento atque de voto & promissione quantùm ad intentionem se obligandi, nimirum sicut de voto dicunt & promissione sine intentione se obligandi, quantumuis fiant, non obligare, ita de Iuramento deberent docere; quòd si recurrant cum Syluestro & aliis ad illud discrimen, quòd Iuramentum obliget naturaliter eo ipso quòd fiat per deliberatam verborum attestationem, votum verò aut promissio obligent per intentionem vouentis aut promittentis, aut nihil faciunt, aut petunt principium & supponunt probandum: nam sicut dicunt de Iuramento, quod positâ attestatione verborum, etiam sine animo interno se obligandi, resultat naturaliter obligatio; ita similiter dicere deberent quòd positâ internâ, vel externâ voluntate promittendi in voto aut promissione, naturaliter resultat obligatio promissionis, & hoc est quod contendit Vasquez. Quòd si in posteriori casu negent resultare, & in priori concedant, petunt principium, & reddunt pro ratione id ipsum de quo disputamus; disputamus enim an sit eadem ratio de Iuramento facto sine animo se obligandi, atque de voto, & promissione facta sine animo se obligandi quantùm ad

Authoris iudicium.

hoc quo est obligationem gaudere ex voluntate iurantis & ex voluntate promittentis, & respondent in casu Iuramenti non pendere ex voluntate iurantis, sed ex natura Iuramenti; in casu verò promissionis & voti pendere obligationem ex voluntate promittentis & vouentis.

Notant alij contra Vasquez.

318. Sed adhuc perstant, & vt ostendant discrimen inter vtrumque, notant contrà Vasquez esse aliquos actus quorum substantia consistit in sola actione exteriori, quos dum voluntariè & humano modo quis exercet, verè illi actus dicuntur tales, & homo dicitur simpliciter talis: hac ratione, homo qui sciens quid faciat, fornicatur, vel occidit, aut detrahit, verè dicitur fornicator, homicida & detractor, & verè fornicatur, occidit & detrahit. Alios tamen esse actus quorum substantia non consistit in sola actione exteriori, sed essentialiter requirunt intentionem agentis, ita vt non sint verè tales nisi fiant ex peculiari intentione, sine qua sunt inualidi. Quòd euidenter patet in collatione Sacramentorum, in excommunicatione, absolutione &c. quantumuis enim quis exteriùs baptizet & dicat verba, nisi id faciat cum intentione baptizandi, non baptizat, & sic de reliquis. Eodem ergo modo putant philosophandum in eo, qui iurat sine animo adducendi Deum in testem, quem putant non iurare; ac proinde non obligari Iuramento, perinde atque qui fictè & sine intentione contrahit solum externis verbis matrimonium, nihil facit in omnium sententia; quidquid sit an teneatur postea supplere consensum, in quo sunt variæ Doctorum sententiæ, vt videre est apud Sanch. lib. 1. de Matrimonio disp. 11. Pari ratione, inquit, qui exteriùs tantùm vouet Deo, non facit verum votum, neque veram promissionem, sed fictam & ideo voto non obligatur.

Authoris iudicium de præcedenti doctrina.

319. Hæc tamen tota doctrina quamuis concederetur in aliis exemplis allatis præter promissionem seu contractum, nihil ad rem faceret; in opposita enim sententia quam sequitur Vasquez, admissâ prædicta distinctione actuum qui in sola actione exteriori voluntariè exhibita consistunt, & actuum qui requirunt intentionem interiorem, adhuc dicendum est promissionem contractumque esse computandos inter eos actus qui apud homines humano more fiunt verbis externis seriò, voluntariè & liberè prolatis, & intentionem requisitam ad eorum valorem solùm esse eam intentionem, seu voluntatem proferendi ea verba alteri contrahenti vel promissario cum cæteris requisitis, non secùs atque in assertione nihil amplius requiritur ad mentiendum, quàm velle seriò & voluntariè affirmare id quod loquens iudicat falsum esse, & in cognoscente naturam mendacij impossibile est velle talia verba proferre, & velle non mentiri. Sic ergo iuxtà hanc opinionem dicendum est, tam in promissione quàm in contractu impossibile esse, eum qui nouit vim promissionis vel contractus, velle talia verba prædicto modo proferre, & non contrahere, nec obligari tali promissione aut contractu.

Contractus matrimonialis non celebratur

320. Quod autem dicitur de matrimonij contractu nihil refert: nam propter peculiarem rationem ille contractus non celebratur consensu ficto, aut consensu debito, sed consensu vero, vt locis suprà citatis de matrimonio & contractibus explicuimus. Quod verò attinet ad votum, ibidem quoque dictum est; atque speciatim disp. 1. de Matrimonio dub. 4. & 7. ostendimus in cæteris contractibus præter matrimonium iuxtà hanc probabiliorem sententiam sola verba externa sufficere spontaneè prolata ad valorem actus; & in dubitatione illa 19. de contractibus in genere reddidimus disparitatem voti & matrimonij.

cōsensu ficto propter peculiarem rationem.

Iuramentū factum cū animo iurandi quātūuis deficiat animus se obligandi verè inducit obligationem. Probatur efficaciter.

321. Verùm quidquid sit de his, quod attinet ad Iuramentum factùm cùm animo quidem iurandi, quantumuis deficiat animus se obligandi, verè inducere obligationem, efficaciter probatur, quia Iuramentum non est actus cuius substantia & essentia consistat in ipsa obligatione, nec eius obligatio dependet à voluntate iurantis supposito quòd iuret, sed naturaliter resultat ex ipso Iuramento. Vnde, si quis habet voluntatem iurandi, fieri non potest quòd simul velit voluntariè iurare & non obligari Iuramento. In quâ ratione consentiunt etiam Au hores, qui putant non esse impossibile velle exteriùs promittere cum cæteris requisitis, & non velle se obligare, quia nimirum etiam putant obligationem in promissione, voto & contractu pendere proximè & immediatè à voluntate contrahentis aut promittentis. Quod tamen non existimo verum, sed probabilius omninò puto, in his omnibus oriri quidem obligationem ex voluntate hominis contrahentis, & promittentis radicaliter & remotè; proximè verò ex ipso contractu aut promissione, imo voluntatem requisitam ad hoc vt oriatur obligatio contractus aut promissionis, non esse voluntatem quâ quis expresse se vult obligare, sed quâ quis vult promittere aut contrahere exteriùs, non secus atque in Iuramento non est voluntas, quâ quis vult obligari Iuramento, sed voluntas quâ quis vult iurare, proximè autem obligatio oritur à Iuramento ipso, contractu, & promissione.

Author probabilius putat in promissione, voto, & contractu, oriri obligationem ex voluntate vouentis, &c. remotè proximè verò ex ipsa promissione &c.

Secunda opinio magis communis dicit iurātem cum animo non se obligādi nō manere obligatum tali Iuramento.

322. Secunda opinio, prædictis omnibus non obstantibus, multorum est asserentium, iurantem cum animo non se obligandi non manere obligatum tali Iuramento. Hæc opinio, si Authores spectemus, multò magis communis est quàm præcedens. Ita docent Abbas, Antonius, Alexander de Hæuo, Immola in cap. *si verò* de Iureiur. & ibi etiam Felinus. Item Scotus, Bonauentura, Gabriel, Almainus, Richardus in 3. distinct. 39. Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 16. Angelus *Iuramentum* 5. nu. 8. & 10. & 32. Syluester *Iuramentum* 7. q. 7. & 17. & 19. Rosella n. 19. Armilla nu. 14. Ioannes à Medina tr. de confessione q. de dispensatione super reuelanda confessione in solutione ad 7. Palatios in 4. distinct. 29. disp. 1. Nauarrus in cap. *Humanæ aures* q. 3. nu. 6. Philiarcus tom. 1. lib. 3. c. 16. part. 2. Seraphinus priuilegio 110. nu. 16. Guttierrez de Iuramento part. 1. c. 57. num. 20. Azor tom. 1. lib. 11. c. 4. q. 2. Serua de Iureiur. 3. part. q. 1. nu. 34. & 37. Sanch. lib 3. summæ c. 10. nu. 8. & lib. 1. de Matrim. disp. 9. nu. 9. qui totam vim fundamenti huius opinionis in eo statuit, quòd quamuis obligatio sit distincta à Iuramento, saltem illius est passio & proprietas ita connexa & coniuncta essentiæ Iuramenti, vt sine illa consistere nequeat Iuramen-

ti essentia; vnde qui non vult obligationem, etiam non vult iurare verè, sed fictè. Explicat hoc tribus exemplis, sicut, qui vult (inquit) contrahere matrimonium, & se obligare ad perpetuam vitæ consuetudinem, in qua est essentia matrimonij, & simul vult non se obligare ad seruandam fidem coniugi, aut prolem educandam, aut ad reddendum debitum, non contrahit matrimonium, quia istæ sunt passiones adeò propriæ, & connexæ, vt sine illis essentia matrimonij non possit consistere.

Declaratur hac opinio exemplis. Primum.

Author reiicit.

323. Verùm idem Sanch. lib. 2. de Matrim. d. 19. nu. 12. omnia hæc dixerat esse de essentia matrimonij. Vnde responderi potest ad eius argumentum, vel quòd prædictus volens contrahere matrimonium, eo ipso, etiamsi nolit, obligetur ad illa omnia, vel negandum est voluntatem ad illa omnia, & obligandi se ad illa omnia, non esse de essentia matrimonij, atque adeò hoc exemplum nihil ad rem.

Exemplum 2.

324. Secundum exemplum est de eo, qui in contractu venditionis vellet transferre dominium, in quâ translatione consistit essentia venditionis, & nollet se obligare ad tradendum rem, destrueret venditionem, illamque irritam redderet, quia non vellet passionem propriissimam venditionis.

Reiicitur.

325. In hoc tamen exemplo petit quoque principium, & id negandum est, quin potiùs volendo essentiam necessariò consequitur talis obligatio.

Exemplum 3.

326. Tertium exemplum est eius qui iurans assertoriè de præsenti, & non vult se obligare ad dicendam veritatem de præsenti, qui vt putat Sanch. conuinceretur de voluntate non verè iurandi sed fictè, tanquam apponens conditionem impossibilem. Sic ergò putat contingere in Iuramento obligatorio veritatis de futuro, quando apponitur simul animus non se obligandi & exequendi.

Etiam reiicitur.

327. Facilè nihilominùs respondetur negando antecedens: nam qui vult iurare assertionem de præsenti, vel de præterito; non potest non obligari ad dicendum verum, alioquin peierabit si falsum iuret, quantumuis noluerit se obligare; & eàdem ratione dicendum est de eo, qui iurat assertionem de futuro, quia illa duo obiecta, scilicet iurare, & obligari, sunt quidem necessariò inter se connexa & reipsa distincta, sic tamen vt obligatio sit quid posterius & procedens ex Iuramento; ac proinde nolitio posterioris non destruit formaliter & per se volitionem prioris; quin potiùs, si vnus ex illis actibus destruit efficaciam alterius, dicendum omninò est voluntatem iurandi destruere voluntatem non se obligandi, & facere quòd voluntas non se obligandi efficax non sit.

Nolitio posterioris nō destruit formaliter & per se volitionem prioris.

Assertio 6. etiamsi detur casus in quo quis velit Iurare & iuret cum voluntate se non obligandi nihilominus obligatur.

328. Ex his omnibus hucusque in vtramque partem disputatis colligitur assertio 6. in ordine scilicet, quòd etiamsi detur casus in quo quis velit iurare, & de facto iuret cum voluntate non se obligandi, nihilominùs obligatur propter rationes allatas pro primâ opinione. Imo omninò verum puto iuxtà dicta locis notatis de contractibus, promissione, & matrimonio, impossibile esse, quòd quando homo scit & aduertit connexionem necessariam inter causam, scilicet Iuramentum & effectum, scilicet obligationem, habeat simul vtramque voluntatem absolutam & efficacem.

329. Verùm enim verò, cùm absolutè loquendo in liberâ potestate hominis sit alterutram illarum voluntatum habere efficacem vel inefficacem, consulenda est conscientia iurantis, & si certò sciat voluisse iurare, certò quoque sibi persuadere debet voluntatem non se obligandi fuisse potiùs velleitatem, vel non fuisse voluntatem non se obligandi, sed voluntatem non implendi; & in dubio ita esse præsumendum, vt notat Suarius capite illo 7. n. 18. quod per se verisimilius est & legi naturali magis consentaneū.

330. Hoc dixerim supposità opinione quòd possit esse voluntas exteriùs proferendi verba sine voluntate iurandi, quod diximus in 2. assertione esse probabile, si tamen sequamur id quod probabilius est, scilicet eo ipso quòd verba Iuramenti seriò exteriùs proferantur alteri cui datur fides, esse totum id quod requiritur ad rationem Iuramenti; vix potest esse locus huic dubitationi, de animo scilicet efficaci iurandi, & efficaci non se obligandi simul; nam, qui nouit in illis verbis voluntariè prolatis inesse vim obligandi, eo ipso quòd vult verba proferre, & profert, efficaciter vult iurare, atque adeò non potest simul velle efficaciter non iurare, aut non se obligare cùm sint obiecta incompossibilia.

Ex errore poterit quis habere voluntatem separandi obligationē à Iuramēto in hoc tamen casu Iuramentū obligabit iuxta Suarium.

331. Si verò interueniat ignorantia, vel inconsideratio, aut error quia existimabat homo posse sua voluntate separare obligationem à Iuramento, tunc poterit quidem habere propositum absolutum de re impossibili, scilicet de separatione vnius ab alio: tunc tamen putat Suarius suprà Iuramentum obligare, quia necessitate naturali sequitur obligatio ex priori actione iurandi, siue homo illam ignoret siue non, quia non sequitur ex eo quòd effectus illius obligationis sit in se voluntarius, sed præcisè ex vi causæ; sicut qui combutit segetem alienam putans se non obligari ad restitutionem, aut homo qui generat hominem putans se non obligari ad eum alendum, nihilominùs tenetur restituere & alere.

Opinio Suarij distinguenda.

332. Hæc doctrina Suarij quamuis pro casibus frequenter occurrentibus vera sit, absolutè tamen & vniuersaliter mihi non placet, sed omninò distinguendum puto: nam si ignorantia fuit non solùm inuincibilis, sed antecedens, ita vt homo ille ita esset expressè, vel virtualiter affectus, vt si sciret non posse separari obligationem à Iuramento, non iuraret, nec verba illa externa proferret, tunc sanè etiamsi de facto verba proferat & intendat iurare, verè non iurat, quia non vult id quod reuera Iuramentum est, sed aliquid aliud quod non est Iuramentum, & ipse putat esse Iuramentum, scilicet tale Iuramenti genus quod non sit obligationis inductiuum; tale autem Iuramentum impossibile est, ac proinde illa voluntas non potest esse voluntas Iurandi.

Casus quo verba externa proferēs & intendens iurare verè non Iurat.

333. Neque exemplum de igne applicato cum ignorantia inuincibili, aut de homine generante hominem, vim vllam habet supposita in omnibus his casibus ignorantiâ; nam natura ignis, & illa naturalis coniunctio quæ est inter filium & parentem non dependet à voluntate parentis,

rentis, & homo qui vult applicare ignem aut generare filium, eo ipso quòd applicet ignem aut generet filium, ille ignis applicatus aut applicatio illius, & ille filius genitus, aut generatio illius habent suum esse verum, & independens à voluntate hominis, in cuius potestate tantùm fuit velle ponere in re talia obiecta, qualia ipsa natura sua sunt; quibus semel positis cum virtute sua naturali independente à voluntate hominis resultabit, velit, nolit homo, effectus naturaliter resultans ex tali causa, quam homo reverà applicuit, vel in re posuit cum ea natura. In nostro autem casu, cùm natura Iuramenti non existat per aliquam merè physicam entitatem independentem à voluntate hominis, sed per quandam entitatem moralem quæ non producitur nisi homo velit illam producere, & in præsenti casu non vult homo illam producere, sed aliquid aliud quod est impossibile, scilicet Iuramentum quoddam tale vt obligationem non inducat; hinc est quod si intercedat talis ignorantia, non intercedit voluntas iurandi, quia solùm est voluntas cuiusdam actionis quæ non est Iuramentum: nam Iuramentum essentialiter radicaliter est obligatiuum (vt sic dicam) sicut homo essentialiter radicaliter est cognoscitiuus aut rationalis, etiamsi proxima potentia sit passio. Itaque vno verbo, entitas moralis Iuramenti obligatiui pendet ex voluntate hominis volentis facere illud secundùm suam essentiam moralem Iuramenti obligatiui. Talis autem voluntas non est in homine in nostro casu; atque adeò tunc cum illa ignorantia non iurat; cùm enim putet posse esse Iuramentum non obligatiuum, hoc quidem tantùm vult, & hoc est impossibile. Iuramentum autem obligatiuum non vult, vt supponimus, quia per ignorantiam vel errorem putat hoc non esse, vel saltem posse esse aliquod tale vt non sit obligatorium, & hoc tale hîc & nunc vult; vnde saltem hîc & nunc non habet voluntatem iurandi.

Iuramentũ essentialiter est obligatiuum.

Quando ignorantia est concomitãs quid dicendum de Iuramẽti obligatione.

334. Si verò ignorantia fuit comitans, & homo non habuit actum quasi reflexum, quo quando verba protulit, ita esset affectus, vt quamuis existimaret posse esse Iuramentum non obligatorium, nihilominùs vellet iurare etiamsi obligatorium sit, dato casu quòd aliter iurari non possit; si (inquam) homo non habuit talem actum, adhuc Iuramentum non obligabit, & nullum erit: ignorantia enim comitans etiam potest causare inuoluntarium. Si verò iurauit cum prædicto affectu, vt quamuis Iuramentum esset obligatorium (quod tamen ille non putat) adhuc velit iurare, Iuramentum procul dubio obligabit, quia iam habet homo voluntatem faciendi Iuramentum obligatiuum dato casu quòd aliud fieri non possit.

Opinio Suarij est vera in casu quo quis absolutè voluit iurare nihil cogitãs de obligatione vel non obligatione.

335. Si tamen quis absolutè voluit iurare nihil cogitans de obligatione vel non obligatione, tunc vera est doctrina Suarij; quia in eo casu adest voluntas efficax veri Iuramenti, & obligatio ex ipso Iuramento resultat vt ampliùs patebit ex sequenti assertione. Quod verum est etiamsi alioquin homo ille ignoret, vel etiam erret putans habitualiter nullam esse obligationem Iuramenti, vel saltem posse separari à Iuramento.

Assero 7.

336. Assero 7. si iurans habeat verum iurandi animum, non habens formaliter intentionem se obligandi, neque contrariam non se obligandi, sed nihil cogitet de tali obligatione aut non obligatione, Iuramentum procul dubio obligat. Ratio est, quia eo ipso quòd non excluditur formaliter intentio se obligandi, clauditur virtute in quocumque actu inducente ex natura sua obligationem: censetur enim factum iuxtà suam naturam & communem vsum, idque supponunt Authores, expresséque docent Suarius suprà c.7.n.8.& Sanch.lib.3.c.10.n.9. & putant contrarium non esse probabile.

Ratio assertionis.

DVBITATIO XVI.

An Iuramentum simulatum, seu dolosum quoad verborum significationem, obligationem inducat?

Assero 1. quoad Iuramentum amphibologicum.

337. ASsero 1. quando iurans fuit in bona fide doloque caruit, vtens prudenti amphibologia, nullam irrogans iniuriam ei cui iuratur, Iuramentum non obligat in sensu quem percipit ille cui iuratur, sed quem iurans intendit, quia tunc non obligatur ex Iustitia, cùm sic iurando caruerit dolo, nullamque iniuriam irrogarit, nec etiam ex Religione vt probabitur assertione sequenti. Ita consentiunt Authores & habetur ex D. Gregorio cap. *Humanæ aures* 22. q.5. vbi dicitur: *Humanæ aures verba nostra talia iudicant qualia foris sonant; diuina vero iudicia talia ea audiunt qualia ex intimis proferuntur, quia apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.* Quæ verba desumpta sunt ex lib.26. moralium c.27. Idem habetur ex D. Hilario lib. 4. de Trinitate & cap. *Intelligentia* de verborum significatione vbi dicitur: *intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendis, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* Idem quoque iudicium est quamuis vterque & iurans & cui iuratur in bona fide fuerint: habet enim locum eadem ratio, vt cum Angelo, Syluestro, Tabiena, Armilla docet Sanch. quos infrà referemus. In foro tamen externo cùm intentio iurantis lateat, habebitur ratio communis, & proprij sensus verborum quem ex vi suæ significationis ostendunt, vt rectè docet Couarruuias de Pactis 1. part. §. 5. in initio ex cap. *litteris* de sponsalibus ex l. *librorum* ff. de legat. 3. Quandoque etiam ligare poterit Iuramentum iuxtà intelligentiam audientium ratione scandali vt sequenti assertione dicemus.

In foro externo habetur ratio communis & proprij sensus verborum.

338. Quando verò iurans fuit in dolo vtens verbis callidis & amphibologicis, aut subauditione mente retenta ad decipiendum iniustè eum cui iurat existentem in bona fide, multi satis probabiliter iudicant Iuramentum obligare iuxtà sensum quem intellexit is cui Iuramentum præstitum est. Ita D. Thomas 2.2.q.89.art.7.ad 4.& D. Antoninus 2.part.titulo 10.c.7.§.3. Angelus *Iuramentum* 4. in principio Syluester *Iuramentum* 3.q.2. Tabiena q.13.n.14. Armilla n.16. Nauarrus c.12.nu.13. Parlador. de rebus quotidianis lib.2. capite finali 1.part. §.4.num.15. Ostiensis & alij, quos refert & sequitur Couarruuias

uias de Pactis 1.part.§.num.1.& 2.probant 1.ex D.Iſiodoro ca.*quacunque arte* 22.q.5.ibi *quacunque arte verborum quiſque iurat, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit ſicut ille cui iuratur intelligit.* Idem probatur ex l. finali Regni Caſtellæ titulo 11.partita 3. Accedit quod alioquin ex ſua fraude commodum reportaret.

Aſſero 2. Iurās verbis amphibologicis nō obligatur ex vi & religione Iuramenti. Ratio.

339. Aſſero nihilominùs ſecundò non obligare ex vi & religione Iuramenti, eo ipſo quòd verba ſint amphibologica. Probatur primò ex dicto cap. *Humana aures* quo generaliter loquitur, quia ſine intentione iurandi non eſt Iuramentum; ille autem qui ſic artificiosè iurat, etiamſi habeat intentionem iurandi id quod ipſe intendit, non habet intentionem iurandi id quod intelligit; alius ergo non iurat illud, atque adeo neque ad id obligatur religione Iuramenti, quod tantum obligat ad id quod per tale Iuramentum eſt confirmatum & aſſertum, cùm ad id ſolum is qui iurauit Deum in teſtem adduxerit, nempè ad id quod intendit iurans ipſe. Ita expreſsè Leſſius lib.2.c.42.dub.9. nu 44. aliàs 48. Rodriguez in ſummâ c.191.nu.7. Valentia 2.2. diſp.5.q.13.punct.2.Suarius lib.2.de Iuramento cap.8.nu.5.& lib.3.c.11.n.45. Sanch.lib.3.ſummæ c.10.nu.13.Clauis Regia lib.12. c.17.nu.26. & legi poteſt idem Sanch. eodem lib 3.c.6.nu. 13.& 14.& 22. Idem docet Azor 1.part. lib.11. c.4.quæſito 5.Bonacina diſp.4. qu.1.punct.12. nu.1.referunt aliqui D. Thomam in 3.diſtinct. 39.q.2.art.3.quæſtiuncula 3.vbi loquitur de Iuramento doloſo, & ſimpliciter docet ex vi & ratione Iuramenti non obligare niſi iuxta intentionem iurantis; atque hunc ſenſum ait Suarius ſibi videri intendiſſe Scotum, Bonauenturam, Richardum, Gabrielem, Angelum & Syluestrum relatos à nobis dubitatione præcedenti pro opinione quæ aſſerit, iurantem cum animo non ſe obligandi, non manere obligatum Iuramento: hunc enim ſenſum admittunt eorum verba dum docent non obligari Iuramento eum qui iurat ſine intentione ſe obligandi.

340. Habet autem locum hæc ſecunda aſſertio noſtra, non ſolùm ſi dicamus poſſe eſſe Iuramentum fictum & verbotenùs ſine intentione interne iurandi, ita vt non ſit verum Iuramentum, ſed etiam habet locum, ſi dicamus oppoſitum, & Iuramentum verbis externis prolatum eſſe verè Iuramentum. (qua de re latè diximus dubitatione præcedenti) in vtraque enim ſententia poteſt pro præſenti caſu eſſe voluntas & intentio non iurandi in ſenſu quem percipit audiens cui iuratur, ſiue ſit intentio iurandi in alio ſenſu ſiue non.

Ratione ſcandali obligatur homo ad implēdum Iuramentū iuxta intelligentiā communē verborū ita D. Tho.

341. Diximus autem in aſſertione non obligare ex vi religionis Iuramenti, quia ratione ſcandali exterioris vitandi, quando ex tranſgreſſione talis Iuramenti ſcandalum oritur, obligatur homo ad implendum iuxta intelligentiam communem, vt etiam diximus dubitatione præcedenti poſt aſſertionem 2. & docuit D. Thomas proximè citatus, Suarius & Sanch. ſuprà, Caietanus ad q.89. a. 7. circà ſolutionem ad 4. Sotus lib.8.de Iuſtitia q.1.a.7. Couarruuias citato §.5.nu.2.Azor citato lib.11.c.4.q.2. Valentia 2.2.diſp.6.q.7.punct.4.columna vltima. Petrus de Ledeſma 2.tomo ſummæ tract.11.c.3.dub.5. Leſſius citato capite 42.dubio 9. num.45.

342. Poteſt etiam tale Iuramentum ceſſante ſcandalo obligare ex Iuſtitia ratione damni alteri ſubſecuti ex tali dolo, vt docent Sotus, Azor, Ledeſma, Leſſius, Suarius & Sanch. proximè citati, Nauarrus cap. *Humana aures* q.3.num.6. Ioannes à Medina qu. de diſpenſatione ſuper confeſſione reuelanda in ſolutione ad 2. *Tale etiam Iuramentū poteſt obligare ex Iuſtitia ratione dāni alteri ſubſecuti ex tali dolo.*

343. Duo tamen notat Sanch.num.14. primum, ſi interceſſit mutuus contractus, neque alter cui fictè iuratum eſt, adhuc impleuit quando doloſus fraudem detegit, non teneri doloſum in foro conſcientiæ ratione contractus, ſed ſolùm ratione damni ad illud reſarciendum ſi aliquod ſequitur, vt in ſponſalibus fictis dixerat idem Author lib.1.de Matrim. diſp.10.num.26. qua de re nos etiam diximus in eodem Tract.de Matrim. diſp.1.dub.9.& ſequentibus, & quantùm ad obligationem Iuſtitiæ, eodem modo in hoc caſu philoſophandum eſt. Vnde in caſibus quibus ibi diximus tantùm teneri fictum promiſſorem ex Iuſtitia ad reſarciendum damnum, eodem modo in hoc Iuramento philoſophandum eſt. Secundum notat, etiamſi alter, cui iuratum eſt, impleuerit, non teneri doloſum iurantem ratione contractus, quando dolo illo promiſerat notabiliter inæquale excedens, ſed ſolùm teneri ad reddendum æquale ſicut eadem diſp.10.nu.21.dixerat de ſponſalibus fictis, quando eſt notabilis æqualitas inter contrahentes de quo nos etiam diximus loco notato de Matrimonio. *Duo notat Sanch. Primum.* *Secūdum.*

344. Tandem docet idem Sanch.num.16. ſi doloſè iurans cogatur in foro externo ſtare promiſſis, quia Iudex cogens innititur falſæ præſumptioni, tunc ratione ſolius ſcandali teneri doloſum illum parere, ſicut de fictè profeſſo docent Doctores, & de eo qui fictè promiſit docet Leſſius lib.2.c.18.dub.8.n.61. *Docet Sanch.*

345. Quòd ſi in pœnam fraudis damnaretur ad id implendum iuxta deciſionem legis Regiæ ſuprà citatæ, tunc in conſcientia tenebitur parere iuſtæ ſententiæ iuſtam pœnam inferenti, & non tantùm ratione ſcandali.

346. Neque contrà noſtram aſſertionem vim habent ea quæ paulò ante illam pro contraria ſententia poſita ſunt: nam ad Iſiodorum reſpondetur, intelligendum eſſe quoad culpam in eo Iuramento doloſo commiſſam, non verò quoad inducendam obligationem ex vi Iuramenti, niſi fortè ratione ſcandali aut damni ſecuti, quod & explicuit ipſe Sanctus adiungens: *dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Ad legem verò Regiam reſpondetur, eam procedere in foro externo & in pœnam fraudis. Ad illud verò de commodo quod ex fraude deportaretur, reſpondet benè Scotus, nullum commodum, ſed magnum incommodum ex ea iniquitate reportare, cùm mortaliter peccet: minus enim incommodum eſſet manere obligatum ſincerè & ſine dolo iurando, quàm peccare mortaliter. Idemque argumentum poſſet fieri de iurante fictè & ſine intentione iurandi, etiam ſuppoſita opinione, quod tale Iuramentum poſſibile ſit, & non obliget; item de vſurario qui reportat commodum ex ſuo peccato, quæ nullius momenti ſunt: *Reſp. ad argumentū Iſiodori contra aſſertionem.*

nam reportare tale incommodum ex peccato non iure, sed facto, reseſt ſatis ſuſcitata. Iam verò pro praxi aliqua deſcendendo ad particulares caſus colligenda ex traditis aſſertionibus, habentur diſp.2. dub.12. vbi diximus quamuis propriè loquendo non committatur mendacium, neque periurium iurando verbis amphibologicis in alio ſenſu quam percipiat ille cui iuratur, nihilominùs ſine iuſtâ causâ ſic amphibologicè iurandi & loquendi id non licere, quod intellige iuxtà doctrinam ibidem datam.

DVBITATIO XVII.

Qualiter interpretandum ſit Iuramentum quoad eius obligationem, & in dubio quid dicendum, & quas conditiones includat in ſe, ſine quibus non cenſeatur obligare?

Aſſero 1. Iuramentũ quo ad ſuã obligationẽ ſtrictè eſt interpretandum.

347. ASſero 1. Iuramentum quoad ſuam obligationem ſtrictè eſt interpretandum quantùm materia eius & verba pacti, ſeu promiſſionis permiſerint. Probatur ſpecialiter ex cap. *Clericus* & cap. *Ad audientiam* El 3. de Iureiur. & ex cap.1. eodem titulo in 6. atque ita docent Panormitanus & Anton. ibi & alij Canoniſtæ, atque Diaconus cap. *ne quis* 22. q. 2. Serua.2.part.q.2. nu.7. Syluester *Iuramentum* 3. q.3. & *Iuramentum* 4. q.23. Angelus *Iuramentum* 4. q.1. Leſſius lib.2.cap.42.dub.4. in fine. Sanch. lib 3. ſummæ c.17.nu.9 & lib.1. de Matrimonio diſp.9.nu.11. Suarius lib.2. de Iuramento c 32. à num.7. qui etiam id probat ex generali regula, quòd vbi de obligatione agitur ſtricta, ſit facienda interpretatio, idque propter periculum animæ, vt de obligatione promiſſionis & ſtipulationis habetur l. *quidquid cum* §. vnica ff. de verbor. obligat. fauet etiam regula Iuris, quòd odia ſint reſtringenda & onera; obligatio autem Iuramenti eſt valdè onerosa, ac proinde quo leuior fieri potuerit, per benignam interpretationem lenienda eſt quando id locum habeat.

Obiicies 1 fauorem Religionis ſemper eſſe præferendum.

348. Neque obſtant contrà noſtram aſſertionem ea quæ aliqui oppoſitam opinionem ſequentes ſolent opponere. Opponunt primò, quòd fauor religionis ſemper ſit præferendus, ergò cùm Iuramentum ad religionem pertineat, eius interpretatio præferenda erit, & in ipſius fauorem facienda latè & amplè.

Reſp.

349 Reſpondetur, eam obligationem ex intentione iurantis pendere; ideò veroſimilius eſſe, non ſe voluiſſe obligare, niſi quàm minimùm potuit; neque hoc eſt contrà fauorem Iuramenti, quia fauor Iuramenti ſitus eſt in eo quòd veritas ſeruetur, quæ veritas non in ampliatione, vel in reſtrictione verborum conſiſtit; ſed in conformitate quaſi indiuiſibili facti ad dictum, quæ conformitas tanta erit in ſenſu reſtricto quanta in amplo, ſi verbum impleatur in ſenſu quo prolatum eſt; nec pertinet ad reuerentiam Iuramenti quod ad plura obliget; imò quò fuerit benignior interpretatio, eò frequentiùs ſeruabitur; quod ad eius reuerentiam magis ſpectat. Vnde ſicut non ſpectat ad reuerentiam Iuramenti, quòd de pluribus rebus vel ſæpiùs fiat; ita neque quod ampliori ſenſu factum intelligatur. Vnde meritò in aſſertione diximus, interpretandum eſſe quantùm permiſerint verba pacti ſeu promiſſionis quam confirmat. Ideò ſi illa habeat tacitam conditionem, vel ex intentione iurantis vel ex diſpoſitione Iuris, vel ex conſuetudine iam recepta, explicandum erit Iuramentum eo modo quo explicatur ipſa promiſſio; quia Iuramentum ſortitur conditiones eius actus ſuprà quem cadit l.1.c. *de non numerata pecunia*, & eſt acceſſorium actus quem confirmat; acceſſorium autem ſequitur naturam principalis. regula 42. de Regulis Iuris in 6. & docent communiter Authores.

Opponũt 2.

350. Opponunt 2. textum in capite veritatis de Iureiur. vbi Iuramentum fidelitatis factum Prælato extenditur ad ſucceſſores, quæ interpretatio ampla eſt.

Reſp.

351. Reſpondetur, ibi ex materia ſubiecta, & ex perpetuitate dignitatis ſignificatæ nomine Prælati, illum ſenſum eſſe inductum, non per modum extenſionis, ſed modum proprij & adæquati ſignificati. Eaque propter diximus in aſſertione, quantùm materia & verba permiſerint. Sic Suarius cap. illo 32. nu.10. & addit in eo textu illam veluti ampliationem pertinuiſſe ad quandam reſtrictionem Iuramenti; nam cùm fidelitas iuranda eſſet cuicumque Prælato pro tempore exiſtenti, ne oporteret tot Iuramenta multiplicare, rectè declaratum eſt Iuramentum factum Prælato, vt Prælatus eſt, ipſi & ſucceſſoribus fieri. Continetur etiam ibi alia reſtrictio reſpectu perſonæ Prælati, vt non intelligatur illi factum Iuramentum, niſi pro tempore quo fuerit Prælatus & ſuperior iurantis.

Opponũt 3.

352. Opponunt 3 textum in cap. *ex parte* El 2. de Clerico non reſidente; vbi Iuramentum reſidendi extenditur ad abſentiam pro tuendo Iure præbendæ.

Reſp.

353. Reſpondetur inde potiùs probari noſtram aſſertionem, cùm ibi fiat ampliatio in verbis, vt fiat reſtrictio in obligatione Iuramenti; nam qui iurauit reſidere, non ita cenſetur obligatus ad corporalem præſentiam, vt non liceat ei abeſſe ad Iura ſuæ dignitatis & officij tuẽda.

Corollaria ex præcedente aſſertione & doctrina.

354. EX aſſertione poſita pendet plurium caſuum in particulari deciſio, qui frequenter à Doctoribus traduntur, vt videre licet in Syluestro toto v. *Iuramentum* 3. & ferè toto 4. Angelo in 4 & 5. Antonino 2.part.titulo 10.c.6. §.5. & ſequentibus Serua 2. part. de Iuramento q.2. Sanch. lib.3. moralium c.17. Bonacina d.4. q.1. punct.16. à num.2. Atque imprimis intentio iurantis ad quæ ſe extenderit, quando alioquin clarè de illa non conſtat, ex fine & aliis circumſtantiis interpretanda eſt iuxtà doctrinam traditam dub.5. huius diſputationis.

Colliges 1. ex D.Tho.

355. Colligitur ergo 1. quòd vt ait D.Thomas 2.2.q.98.a.2.ad 3. quando quis iurauit ſe facturum quidquid alter voluerit, intelligenda ſit debita conditio, ſi ſcilicet id quod mandatum fuerit ſit licitum, tolerabile, ſiue moderatum; quæ doctrina conſonat cum deciſione cap. *ve-*

niens

nitms de Iureiur. vbi Pontifex decernit non teneri Iuramento eum qui iurauerat stare arbitrio & mandato alterius in satisfactionem cuiusdam iniuriæ, cui iniunctum & mandatum fuit ne ingrederetur in curiam sui principis, vbi ille causidicus & aduocatus erat, imò & consiliarius ipsius principis. Rationem verò quare non obligetur tali Iuramento reddit Pontifex, quia rem tam difficilem sibi præcipiendam esse in mentem eius non venerat. Faciunt etiam ad hoc propositum quæ habentur cap. *quintaballis* & cap. *quemadmodùm eodem titulo*, de quo legi possunt Syluester *iuramentum* 5. q. 1. versic. 9. & q. 2. Armilla nu. 17. Sic etiam decisum fuit in Rota vt testatur Syluester Iuramentum 4. q. 6. in casu quo clericus quidam qui iurauerat stare mandato Episcopi, cui Episcopus mandauit vt renunciaret beneficio, & non appellaret: Rota verò decidit posse nihilominùs non obstante præcepto appellare, quia non erat verisimile iurantem de hoc cogitasse, nec meritò debuit cogitare id præcipiendum.

Ratio quã reddit pontifex.

356. Disputat verò Sotus lib. 8. q. 2. a. 2. ad 3. an sic vniuersaliter iurans facere alterius voluntatem, peccet mortaliter, & respondet ex genere suo esse mortale peccatum vt patet de Herode Marci 6. At verò ex circumstantiis personarum contingere potest nullum esse peccatum, quando est moralis certitudo, quòd neque præcipietur neque obtemperabitur in re illicita; quamuis (vt ait idem Sotus) vix à veniali culpa imprudentiæ possit excusari promissio non generalis.

Colliges 2.

357. Colligitur 2. Iuramentum faciendi aliquid aut omittendi, intelligi debere ex causa subsistente tempore quo præstitum est; secùs verò si noua causa superueniat. Constat hoc ex cap. 2. de renunciatione; vbi dicitur renunciantem beneficio cum Iuramento, posse id acceptare si denuò sibi conferatur. Ex quo textu deducunt ibi Antonius nu. 4 Abbas nu. 9. Immola nu. 2. & Antonius Gomez ad legem 22. Tauri nu. 10. renunciationem beneficij iuratam restringi semper ad ius competens tempore renunciationis; non verò ad ius nouum ex aliqua causa superueniens. Imo hoc etiam verum est quamuis in renunciatione addatur dictio respiciens tempus futurum, vt si quis iuret se vlteriùs non repetiturum beneficium; intelligitur enim ex causa tempore renunciationis existente, vt expressè tradunt Antonius & Immola citati.

Eadem ratione philosophandũ est de Iuramento quod præstant promoti ad gradum licentiatus.

358. Eadem ratione philosophandum est de Iuramento, quod præstant promoti ad gradus licentiatûs, non accipiendi gradum doctoratûs in alia Academia; id enim debet intelligi virtute illius licentiæ: quare integrum est illis iterùm in alia Academia gradum licentiatûs & doctoratûs simul accipere, vt notant Antonius Abbas, & Antonius Gomez suprà, & Cardinalis quem refert & sequitur Felinus cap. *ex insinuatione* nu 5.

359. Hinc etiam fit, vt qui promisit sub aliqua pœna vel Iuramento non offendere alium, non sit pœnæ vel periurij reus si ex noua inimicitia, & illata sibi denuò iniuria eum offendat. Ita Antonius Abbas & Antonius Gomez suprà, qui refert etiam Bartolum. Eadem ratione, renunciatio iurata Iuris habiti & sperati, intelligi tantùm debet de Iure quod sperabatur imposterũ ex causa de præsenti, quia non dicitur sperare qui nullum de præsenti fundamentum habet. Ita Bartolus quem referunt & sequuntur Antonius & Abbas suprà. Legatur Sanch. lib. 3. summæ c. 17. n. 4. & sequentibus.

Colliges 3.

360. Colligitur 3. Iuramentum interdum exactum ab Ordinario, dum aliquem ad beneficium promouet, non resignandi illud in fauorem alterius, vel non commutandi absque ipsius Episcopi consensu, non obstare quominùs is qui iurauit, volens ad religionem transire, possit illud in amici gratiam resignare: tale enim Iuramentum tantùm adhibetur, ne, qui recipit beneficium, statim illo se abdicet, & apud Pontificem in fauorem alterius reseruata sibi pensione deponat. Ita Azor lib. 11. cap 5. q. vltima Sanch. eodem cap. 17. nu. 10. Hac etiam ratione multi, inter quos Syluester Iuramentum 3. qu. 5. cum Panormitano quem refert, docent eum qui promisit se ducturum aliquam, posse non obstante Iuramento ad religionem transire. Hoc tamen non est ita certum quamuis probabile sit, in quo philosophandum iuxtà ea quæ in simili diximus in nostro Tract. de Matrim. disp. 1. dub. 32. disputantes an sponsalia dirimantur per ingressum religionis, aut per votum castitatis, aut sacrorum ordinum. Vbi diximus probabile esse in contractu sponsalitio (& idem est in hoc Iuramento) includi conditionem, si non elegero meliorem statum, quamuis etiam hoc patiatur difficultates: sed quidquid sit de hoc, ibi assert. 3. cum multis probauimus, eum qui contraxit sponsalia etiam iurata, posse ingredi religionem nisi aliud obstet: Ibi legatur.

Colliges 4.

361. Colligitur 4. quod licèt Iuramentum non obliget contra antecedens mandatum superioris; nihilominus aliquando tale mandatum non extenditur ad eundem euentum, & tunc Iuramentum possit obligare. Vt si Episcopus licentiam beneficiario concedat vt absens vacet litterarum studio, iussusque posteà sit ab Episcopo ad certum diem redire; Clericus autem ille debita in studio contraxerit, iurans creditori se non inde recessurum donec ei soluat, tenebitur vtique Iuramento, quamuis dies ab Episcopo constitutus instet, si illud æs alienum ob aliquid ad studia necessarium contraxerit. In quo casu præceptum Episcopi antecedens non extendebatur ad hunc casum, imò ex tacito Episcopi consensu obligatio illa cum creditore inita fuit, quia concesso vno censentur concessa illa sine quibus effectus ille concessus haberi nequit cap *preterea* & cap. *prudentiam de officio delegati*; secùs autem esset si absque Episcopi licentia se ad studia contulisset, aut si absque necessitate, vel legitima causa ea debita contraxisset. Idemque iudicium est si pater filium absentem reuocet. Item eodem modo philosophandum de quolibet alio alterius potestati subdito. Sic Ioannes Andreas & Abbas quos referunt & sequuntur Angelus *Iuramentum* 5. nu. 27. Syluester *Iuramentum* 4. q. 7. & 16. Azor lib. 11. c. 8. q. 3. & Sanch. suprà nu. 12. Suarius lib. 2. c. 34. nu. 7.

362. Colligitur 5. Iuramentum ita interpretandum

Colliges 5. Iuramentū ita interpretandum esse vt non sit cum alterius incommodo & detrimento.

tandum esse, vt non sit cum alterius incommodo & detrimento. Vnde qui iurauit secretum seruaturum, non tenetur seruare si id aliis esset noxium, vel etiam sibi, si, quando iurauit, non præuidit, nec cogitauit sibi noxium futurum. Idemq; est iudicium de eo qui iurauit se facturum quod suæ dignitati Episcopali, vel officio publico aut bono communi est perniciosum aut non decet. Constat ex cap. *sicut nostris* de Iureiur. docentque Gofredus, Hostiensis, Ioannes Andreas quos refert & sequitur Syluester *iuramentum* 4.q.15. Azor lib.11.c.8.q 6. Sanch. suprà nu.25. idemque de similibus iudicandum, vt si iuraui me tibi auxilium daturum, quod si dedero, mihi vel aliis nocebo, non teneor. Pari ratione si alter coniux castitatem cum Iuramento promittat, debitum exigere non potest, tenetur tamen reddere. Et vniuersim qui alienæ potestati subiectus, si quid sub Iuramento promisit quod in sui superioris incommodum cedat, non obligatur Iuramento vt rectè Azor suprà. Ex hoc etiam corollario deducitur, Iuramentum posterius factum contrà priorem promissionem, siue iuratam siue simplicem, vt si promisisti alicui te illi venditurum equum, & posteà sub Iuramento idipsum alteri promittas, non teneris Iuramento. Est enim contrà bonos mores, & in alterius præiudicium, cui Ius per priorem promissionem acquisitum erat. Ita Sanch. suprà nu. 18. qua ratione idem author lib.1. de Matrimonio d.50.nu.2. probat posteriora sponsalia iurata, nullius esse momenti contrà priora etiam absque Iuramento inita. Quod satis clarum est iuxtà doctrinam à nobis traditam disp.1. de Matrimonio dub.31.

Iuramentū posterius factū contra priorem promissionē siue iuratā siue simplicem non obligat.

Colliges 6.

363. Colligitur 6. Iuramentum semel iam præstitum, non posse extendi ex solo consensu & voluntate iurantis ad alium casum, nisi iterum iuret. Habetur expressè cap. *penultimo* de Iureiur. vbi deciditur clericum qui iurauerat se statuta in Ecclesia sua edita seruaturum, promittens posteà per idem Iuramentum, statutum, quod deinde subsecutum est fideliter obseruare, non teneri ad id ex debito Iuramenti, quamuis teneatur ex promissione, vt notant omnes qui ad illum textum scripsere, & alij quos refert & sequitur Couarruuias de Pactis 1. part. in principio nu.5. Abulensis in cap.5. Matthæi q.311. Antoninus 3.part.tit.10.c.6. §.6. Angelus *iuramentum* 5.n.35. Syluester *iuramentum* 4.q.23. Sanch. illo c.17.n.20. Azor lib.11.c.8.q.12.

Limitatio aliquorum authorum.

364. Rectè autem hoc limitant Abbas, Syluester, D. Antoninus, Sanch. & Azor, vt locum habeat, nisi intenderet per illa verba & formulam denuò iurare, quod mihi prædicta verba aliqua ratione sonare videntur. Consequenter etiam docent Abbas & S. Antoninus, Azor & Sanch. si quispiam aliquid cum Iuramento affirmet, & deinde aliquid aliud per Iuramentum antiquum mendaciter affirmat, fore quidem mendacem, non verò periurum, vt si dicat, per Iuramentum quod prius feci, hoc etiam est verum. Ratio est, quia prius Iuramentum iam transactum non potest se extendere ad confirmandam assertionem quæ posteà fit. Eadem ratione ait Azor, si famulus cum Domino conuenit, & conuentionem primò iurauit, posteà verò Domino exigente Iuramentum prius ad alia extenderit dicens: volo me per illud Iuramentum quod feci, adhuc etiam obligare, non extendit tale Iuramentum, nec manere famulum obligatum ex Iuramento ad posteriora. Legantur quæ dicemus dub.18. sequenti in 2. quæstione assert. 2. in fine.

Colliges 7.

365. Colligitur 7. Iuramentum absolutè & simpliciter præstitum de seruandis statutis alicuius communitatis, non extendi ad statuta futura edenda, sed ad edita ante Iuramentum, nisi expressè iurans ad futura extendat suum Iuramentum. Et sanè in iure tantùm habetur, quòd Iuramentum de seruandis statutis editis, non extendatur ad edenda, vt videre est cap. *penultimo* de Iureiur. in quem textum Cardinalis, Ioannes Andreas & Antonius docent, si Iuramentum sit de seruandis statutis in genere, comprehendere etiam edenda, quia propositio est vniuersalis. Alij verò distinguunt. Si futura sint magni præiudicij iuranti, non extendi Iuramentum ad illa, ob rationem datam suprà in 1. illatione; secùs verò si sint modici. Sic allegato Bartolo docet Abbas in eo capite, & D. Antoninus part.2. tit. 10.c.6.§.6. Rosella v. *iurare* nu.25. Probabilius tamen est quod diximus, non scilicet extendi ad futura nisi de eis expressè iureiur. Ratio est quam adduximus pro assertione; quia nimirum Iuramentum ob periurij periculum, & animæ detrimentum quod sequi potest, strictissimi iuris est & strictissimè interpretandum, ita vt non comprehendat id quod verba latè, sed quod strictè significant. Præterea, cùm futura sint incerta & dubia, grauesque ac molestos exitus habere soleant, non est verisimile iurantis intentionem ad ea protendi, aut fore vt ea iuraret si menti occurrerent iuxtà decisionem cap. *veniens* de Iureiur. ita Antonius, Baldus & Alexander de Neuo in cap. *penultimo* de Iureiur. Angelus *iuramentum* 5.nu.25. Syluester *iuramentum* 4.q.23. Armilla num.37. Tabiena q.38. Azor lib.11.c.8. q.7. Petrus de Ledesma 2.tom. Tract.11.cap 5. dub.2. Suarius lib.2.c.32.num.11. Sanch. lib.3 c. 14.num.1. qui cum Baldo & Alexandro limitat, nisi nouum illud statutum ad solius veteris declarationem ederetur, vel ad tacita in antiquo statuto declaranda; nam tunc ad illud extenderetur Iuramentum. Est enim idem statutum cum veteri §. *finali* authentica de fil. ante. dot. Instrument. nat.

Probabilius est Iuramentum non extēdi ad futura nisi de eis expressè iuretur. Ratio.

Infertur 8.

366. Octauò infertur, Iuramenta hæc seruandi statuta, non semper obligare sub mortali, sed aliquando sub veniali, & aliquando ad nullā culpā, sed tantùm ad pœnam cogere. Probatur ex Clementina 1 §. *cùm igitur improuiua* versic. *declaramus* de verborum significatione, vbi hoc ita definitur de voto seruandæ regulæ fratrum D. Francisci, vt scilicet vouentes eam regulam, teneantur ex voti religione seruare quæcumque regula proponit seruanda, eo modo quo proponit nempè præcepta vt præcepta, idque iuxta quantitatem materiæ: consilia verò vt consilia. Eadem autem ratio est de voto & de Iuramento. Ratio verò à priori pro vtroque, quia non iurant vel vouent præcisè seruare rem illam, sed quatenùs continetur in statuto, vel potiùs seruare ipsum statutum, ergo obligatio metienda est

iuxta statuti obligationem; & quidem loquendo de voto id docent D. Thomas 2.2.q.186.a.9.ad 1.& 2.& clariùs Syluester *votum* 2.q.18.in Iuramento verò id docet Gerson part.2.in regulis moralibus Tract.de superbia Alphabeto 24. littera R.& 3.part. Tract. de vita spirituali Alphabeto 63. littera O.Medina 1.2.q.96.a.4.columna antepenultima versic.*ex his patet* & lib. 1.summæ c.16.§.11. Sanch. lib.3.summæ c.14. num.2.

367. Hinc primò fit, eos qui statuta seu ordinationes alicuius confraternitatis iurant, decernentia aliquid sub certis pœnis faciendũ aut omittendum, non contrahere culpam vllam illa transgrediendo, quia ea statuta ad solam pœnam soluendam legitimè petitam obligant. ita Sanch.suprà nu.4. Idem etiam docet Medina suprà articulo illo 4 quamuis sub dubio addendo fortè esse verum. Item Ioan. Andreas, Ostiensis & Gomezius quos refert Badilla l. *cùm proponas* num. 2. codice de transactionibus, qui aiunt iurantes aliqua præcepta sub certa pœna non esse periuros transgrediendo, nec peccare mortaliter, sed satis esse pœnam soluere. Hoc autem esse puto verum, quando ex verbis ipsius legis, statuti, seu ordinationis non præceptiuis, aut ex praxi ipsa & consuetudine, vel ex mente legislatoris aut statuentis constaret tale statutum solùm ad pœnam obligare,& non ad culpam, vel non ad mortalem etiamsi materia sit grauis iuxtà probabilem doctrinam multorum in materia de legibus,quam ego non puto certam. Nam enim puto,si materia grauis sit ex se, & in ordine ad finem pendere ex voluntate legislatoris quòd obliget tantùm ad veniale.Sed quidquid sit de hoc quod attinet ad nostrum casum, idem docet D. Thomas 2.2.q. illa 186 a.9.ad 2.qui de vouente tantùm loquitur, & Gabriel in 4. distinct. 38.q.1.a.3. littera O. qui cum Gersone loquitur de vouente aliquam regulam, & de iurante statuta alicuius communitatis, eundemque Gersonem secutus satis doctè rem explicat.

Authoris iudicium.

368. Quòd autem vouens aliquam regulam, aut iurans statuta communitatis, non se obliget ad omnia sub culpa graui, probatur ex vtroque Authore, quia principaliter intendit vouere,aut iurare regulã,aut statuta prout sunt & practicantur in illa communitate, eodem modo quo cæteri eiusdem communitatis faciũt, vt sic habeatur tanquam membrum illius corporis. Est enim (inquiunt illi) magna dissimilitudo inter votum aut Iuramentum particulariter factum, & votum aut Iuramentum communitatum; nam hæc interpretanda potiùs sunt secundùm intentionem communem quæ illic habetur à sapientibus & haberi debet,quàm secundùm intentionem priuatam vouentis aut iurantis: nam vouens aut iurans particulariter in re propria, sicut est Author sui voti aut Iuramenti, ita erit interpres aut moderator ex intentione propria, etiamsi fortè hæc intentio sit erronea & stulta, peccabit vouendo nec ligabitur voto. (Quod vltimum qua ratione verum sit, intelligendum est iuxtà dicta suprà dub.7. 8.& sequentibus. Probant vlteriùs: nam quòd authoritas superioris communitatis semper excipiatur, habet generalis vsus Ecclesiæ,alioquin nunquam præsumeret subditorum vota commutare, dispensare aut relaxare.Verùm hæc ratio,aut non facilè aptatur ad præsens negotium, aut multa inuoluit difficilia quæ non sunt huius loci. Tandem probat Gabriel ab inconuenienti: nisi enim (inquit ille) sic interpretentur & modetentur vota & Iuramenta communitatum, vniuersitatum, collegiorum &c. nescio quis possit euadere mille peccatorum laqueos, cùm sæpenumero in talibus vouet, aut promittit, vel iurat homo, quæ ab hominum memoria nunquam sunt impleta, aut fortè lecta. Quòd si aliquis putauit omnia illa se vouere, aut iurare sub graui culpa, nisi scienter id fecerit, non obligatur nisi vt practicatur in communitate, quia ignorantia dedit causam promissioni, atque hoc ipsum satis indicat idem Gabriel dum ait,quòd si aliqui simplices hoc ignorent,si humiles sunt non adhærent pertinaciter suo sensui, sed parati sunt in talibus iudicio meliùs sentientibus stare & obtemperare, hoc est velle seruare regulam eo modo quo legislator eam seruari voluit & instituit. Quòd si aliquis scrupulosus vult videri, & esset perfectus obseruator regulæ,& aliter eam seruandam sese quàm mens fuerit instituentium velut singularis foetus edocuerit, is non regulam huius vel illius Sancti Patris, sed suum sentire legem sibi statuit, quia non ad eorum intentionem regulam seruat. Hactenus Gabriel. Quia tamen negotium & doctrina huius corollarij 8.& sequentis 9.circà Iuramenta magni momenti est, pro praxi placet de his Iuramentis seruandis statuta communitatum, & etiam officiorum aliquanto latiùs explicare seorsim.

Vouẽs aliquam regulam aut Iurans statuta communitatis non obligat se ad omnia sub culpa graui. Ratio.

Explicatur ampliùs doctrina præcedentis corollarij circa Iuramenta seruandi statuta communitatum; vbi etiam agitur de Iuramentis ministrorum publicorum & aliorum officialium circà statuta sui officij.

369. VT quæ hucusque diximus ampliùs declarentur,placet hoc dicere in contrarium, quòd in confraternitatum constitutionibus, alijsque similibus conuentibus hominum, nullum extat præceptum, nullus enim superior fuit qui legitimè tale præceptum posset imponere; nam ij qui primò conuenerunt, & constitutiones condiderunt, nullam habebant talem potestatem, & quamuis eas deferant ad ordinarium Episcopum, tantùm id fit vt approbet tanquam bonas, nihilque erroris continentes, idque tantùm facit Episcopus nullum in illis præceptum imponens; ergo si vera est doctrina tradita, nullum in his votum aut Iuramentum obligabit ad culpam, sed ad summum ad pœnam, cùm non voueant aut iurent aliqua vt præcepta, sed vt consilia. *Obiicitur.*

370. Respondetur negando consequentiam: nam in doctrina præcedentis octauæ illationis non contendimus vota aut Iuramenta, quæ fiunt in communitatibus, non obligare, nisi quando cadunt suprà ea quæ alioquin sunt præcepta; id enim *Resp.*

enim esset omninò falsum: sæpè enim obligant ad multa opera supererogationis, & quæ seclusso voto aut Iuramento solum erant in consilio non in præcepto. Sicut etiam extra communitatem homines in particulari sæpè obligantur per votum aut Iuramentum ad ea, ad quæ nullo tenebantur præcepto. Solùm ergo dicimus & contendimus, quòd sicut homo particulariter vouens per suam intentionem, interdum obligatur ex religione Iuramenti aut voti, ad ea ad quæ etiam tenebatur ex præcepto alterius alicuius virtutis, & tunc si transgrediatur, committit duo peccata, alterum contrà illam virtutem in cuius materia talis actus erat præceptus, alterum verò contrà religionem voti; interdum verò obligatur ex voto aut Iuramento ad ea ad quæ non tenebatur, idque sub peccato mortali si materia grauis sit; interdum verò sub veniali tantùm, siue quia materia leuis est, siue quia in multorum probabili opinione, etiamsi materia grauis sit, potest homo non velle, & in tali casu non vult imponere sibi maiorem obligationem; interdum verò vult se obligare voto aut Iuramento ad faciendum vel omittendum aliquid, non quidem sub culpa aliqua, sed sub pœna, ita vt si illud fecerit vel omiserit, teneatur ad pœnam illam: Ita etiam fit in votis aut Iuramentis quæ fiunt in religionibus, capitulis, congregationibus aut aliis communitatibus. Vnde sicut in votis aut Iuramentis particularium, ad diiudicandum, an obligatio sit ad mortale vel tantùm ad veniale, vel tantùm ad pœnam, recurrimus ad intentionem particularis vouentis aut iurantis; ita ad iudicandum an vota vel Iuramenta communitatum obligent ad mortale vel veniale, vel ad solam pœnam, recurrendum est ad mentem & intentionem legislatoris, seu institutoris, aut communitatis, vt ex Gersone & Gabriele retulimus. Addimus tamen non esse sufficiens signum ad asserendum aliquod statutum non obligare ad culpam, quòd in eo apponatur pœna, sicut in materia de legibus communiter solet dici contrà Nauarrum, non sufficere quòd lex contineat pœnam vt ad nullam culpam obliget; sed ex praxi & vsu & ex aliis signis id esse iudicandum: de quibus signis doctè agit Caietanus ad quæstionem illam 186. a. 9. super solutionem ad 2. vbi inter alia asserit, quòd quoties constat mentem legislatoris, seu institutoris, aut communitatis non esse imponere obligationem ad culpam, sed ad pœnam quocumque verbo vtatur in regula, seu lege aut statuto etiam præceptiuo, non esse talem obligationem, quod asserit his verbis: *Constat quartò quòd quocumque lex vtatur verbo, si communiter sensu intellexit, non proptereà datam obligationem ad mortale, non est tale præceptum.* Hæc ille quod paulò ante probauerat his verbis: *quòd ipsum verbum, præcipio, non inducat præcepti vim, patet primò ex Euangelio, vbi dicitur dominum præcepisse sanatis ne cui dicerent, & tamen constat quòd tales sanati non peccabant, sed benè agebant publicando Christi miracula.*

Author explicat suam doctrinam.

Nō est sufficiens signū ad asserendū aliquod statutū non obligare ad culpā quod in eo apponatur pœna.

371. Verùm circa prædicta nonnulla restant notanda. Notandum primò eos qui violant statuta seu ordinationes confraternitatum, vbi iuxtà dicta nulla sunt præcepta à legitimo superiore imposita; tantùm peccare vnico peccato contrà religionem voti aut Iuramenti (& idem est de transgredientibus statuta seu ordinationes municipales alicuius ciuitatis quæ iurauerant) sicut etiam is qui in religione non approbata à Pontifice nec exempta, non obediret ei cui obedire vouerat. At verò transgredientes statuta seu constitutiones religionis approbatæ, aut ea quæ in virtute obedientiæ earum superiores præcipiunt, peccant duplici peccato, altero contrà votum, altero contrà peculiarem virtutem, quia cùm ibi superior habeat à Papa legitimam potestatem præcipiendi suis subditis, id ipsum, quod præcipit, constituit in materia alicuius virtutis, & illum actum facit necessarium, id est, non arbitrarium, sicut & Papa & Episcopi cùm præcipiunt suis subditis. Vnde peccant transgressores non solùm contrà votum, sed etiam contrà præceptum superioris in tali materia, vt optimè notat Vasquez 1.2. disp. 98. c. 3. & Azor tom. 1. lib. 7. c. 31. q. 7. quamuis aliqui in quibus Sanch. lib. 4. Moralium c. 11. num. 25. putent id tantùm esse verum quando superior vellet vti vtraque potestate, scilicet vnâ quam habet à Papa, & alterâ quam habet per votum, vt si præciperet in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis, si tamen tantùm velit vti potestate sola quam habet per votum, tantùm esse vnicum peccatum, vt quando præcipit in virtute obedientiæ tantùm, vel sub excommunicatione tantùm; atque hac ratione putat Sanch. posse conciliari sententiam Vasquij cum sententia Soti & Ledesmæ quos refert, existimantium tantùm esse vnicum peccatum contrà votum, vt Vasquez loquatur quando superior vtitur vtraque potestate; hi verò quando tantùm alterutrum. Sed neque conciliatio neque doctrina mihi vnquam placuit de quo dicemus in Tract. de Voto. Secundò notandum, neque Episcopos, neque superiores religionum posse quæcumque præcipere suis subditis, quia potestas data est eis in ædificationem, non in destructionem. Vnde si absque rationabili causa præcipiant, non tenentur subditi obedire ex necessitate & sub culpa, sed tantum ex perfectione, quod optimè probat Gabriel suprà ex D. Bernardo lib. de dispensatione & ex D. Thoma quodlibeto 10. vbi inter alia docet, per votum obedientiæ supponi religiosum Prælato quantùm ad generalem vitæ suæ dispositionem, licet non quantùm ad omnes actus particulares: secularem verò subiici Prælato duntaxat quantùm ad aliquos actus speciales, non autem quantùm ad generalem vitæ suæ dispositionem. Vnde neque Episcopus præcipere potest suo subdito vt religionem ingrediatur, nec vt aliqua opera consilij & perfectionis consequatur, nisi quando id exiget euidens vtilitas aut vrgens necessitas reipublicæ, vel charitatis erga se & alios: neque Prælatus in religione potest præcipere quæ sunt arctiora quàm regula, aut suprà regulam. Pertinent tamen ad regulam secundùm D. Thomam, non solùm quæ sunt expressè in regula, sed etiam quæ quocumque modo ad regulam reducuntur; vt ea quæ pertinent ad obsequium fraternæ societatis, & ad punitionem culparum. Hinc concludit Gabriel suprà, non posse Prælatum id quod regula non præcipit verè vel inter-

Circa prædicta notandum 1.

Transgredientes statuta seu constitutiones religionis approbatæ peccāt duplici peccato, altero contra votum, altero contra peculiarem virtutem.

Notandum 2. Episcopos & superiores religiosorum non posse quæcumq; præcipere suis subditis. ita D. Tho.

Pertinēt ad regulā secundum D. Tho. non solum quæ sunt expressa in regula sed etiam quæ

quocumq; modo ad regulam reducitur. interpretatiuè, sed solùm consulit, monet, hortatur, præcipere & mandare, nisi in casu manifestæ necessitatis, aut euidentis vtilitatis. Hinc B. Bernardus suprà dixit: *nihil me Prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi, vota mea neque augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Ponant ergo Prælati metam obedientiæ subditorum, & votis* labiorum ipsorum, non suorum desideriorum, monentes eos non cogentes ad celsiora condescendentes eis cum necesse fuerit ad remissiora; non cadentes cum eis. Hinc Bernardus.

Notandum 3. 372. Tertiò notandum, in Iuramentis & votis communitatum ad dignoscendum quando eorum transgressio sit mortalis, attendendam esse materiam, non solùm secundùm se, sed cum ordine ad finem ad quem respicit ipsa communitas seu institutor illius; nam materia quæ secundùm se & in ordine ad vnum finem est grauis, in ordine ad alium potest esse leuis v.g præcipit Ecclesia vt singulis diebus festis omnes fideles audiant missam, volens in hoc spirituali profectui cuiuscumque prouidere, & aliquem honorem Deo in illis diebus sacris exhiberi ab omnibus fidelibus; sanè respectu huius finis vna tantùm omissio missæ est materia grauis, idemque esset si in aliqua religione, propter eundem finem spiritualis profectus, quotidie missa audienda præciperetur à singulis religiosis. Si verò in seculari aliqua Republica, congregatione, vniuersitate, litteraria, vel collegio aliquo præciperetur, vt omnes de tali congregatione quotidie missam audiant propter bonam gubernationem & pacem, & propter commune bonum talis congregationis, non esset materia grauis semel omittere aut iterùm; esset tamen si frequenter omitteretur, quia hoc notabiliter læderet finem legislatoris, non verò illud. Ita Vasquez cum Adriano & Couarruuia quos refert 1.2. disp. 158. c. 6. nu. 59. Idemque putat esse siue voto siue Iuramento inducta sit hæc obligatio, siue præcepto superioris vel institutoris.

Materia quæ secundum se & in ordine ad vnum finē est grauis, in ordine ad aliū potest esse leuis.

373. Vnde videtur colligi, si confratres qui iurarunt suas ordinationes, non adsint semel alicui congregationi aut sacro, vel funeri, non peccare mortaliter, secùs verò si frequenter id omittant, quia finis in his intentus non tam est bonum particulare cuiusque, quàm ipsius communitatis.

374. Eadem ratione dicendum est non peccare peccato periurij mortali, sed tantùm veniali scholasticos, qui iussi sub pœna præstiti Iuramenti à Rectore Academiæ interesse certæ congregationi, vel missæ sacrificio, aut publicæ aut solemni supplicationi, illi non intersunt, quia materia non est grauis in ordine ad finem, quandoquidem plurimi intersunt. Ita docet Gerson Tract. illo citato de vita spirituali. Driedo *lib. 3. de libertate christiana c. 1. ante 3.* propositionem & in alia editione c. 2. a. 3. Maior in 3. distinct. 39. q. 4. Couarruuias de Pactis 1 part. §. 7. in fine, Bartolomæus à Medina suprà Rodriguez 2. part. summæ c. 9. num. vltimo. Vasquez 1.2. disp. 158. c. 5. num. 51. Azor lib. 11. cap. 8. q. 11. Sanch. lib. 3. c. 14. nu. 6 qui contrà aliquos Authores censet, non esse etiam materiam grauem quando scholastici sub pœna præstiti iubentur vt Rectorem comitentur in die S. Nicolai & similibus. Item contrà Medinam suprà, non esse materiam grauem indui scholasticum vestibus sericis contrà statuta vniuersitatis, testaturque viros doctos ita sentire. Hæc tamen doctrina limitanda est ad casum tantùm, quo satis certò constet leuem esse materiam attentis omnibus circumstantiis.

375. Notandum ergò est quartò, sæpè contingere quòd materia præcepti aut statuti secundùm se sit leuis & incapax obligationis ad mortale; at ex circumstantiis adiunctis boni communis, quas superior intendit, sit grauis & cadat sub obligatione ad mortale, vt ratione vitandi scandali, aut iacturæ boni communis religionis, aut alterius communitatis, vel ratione alterius periculi etiam non proximi, vt optimè docent Driedo suprà, Castro lib. 1. de lege pœnali c. 5. documento 2. Sayro in Claui Regia lib. 3. c. 7. nu. 14. Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. Suarius de Censuris disp. 4. sect. 6. num. 11. & 12. & disp. 18. sect. 3. nu. 16. 17. Sanch. lib. 1. summæ c. 4. nu. 3. *Notandum 4.*

376. Hinc etiam fit, vt Iuramentum seruandi secretò id quod ab vna persona alteri committitur, vel etiam ea quæ in congregationibus tractantur (quale Iuramentum præstare solent magistratus & senatores ciuitatum quos Hispanicè appellant *Regidores, Veintiquatros, Iurados*) non obliget sub mortali in quauis re modica & parui momenti. Ita Sanch. citato lib. 3. c. 14 num. 5. & constat ex dictis disputatione 2. dub. 8. in tertia sententia quam probabilem existimauimus.

377. Colligitur iam 9. ex omnibus dictis, Iuramenta seruandi statuta communitatum non obligare ad ea statuta seruanda quæ in desuetudinem abierunt, aut reuocata sunt; tale enim Iuramentum fuit de seruandis, non quidem rebus ipsis in statuto contentis, sed seruandis ipsis statutis quamdiu sunt statuta; quando autem reuocata sunt, vel per legitimum superiorem, vel per desuetudinem desinunt esse statuta, atque adeò sicut ipsa cessant, cessat etiam obligatio Iuramenti quod erat illis accessorium. Ita Driedo suprà, Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 6. § 6. in fine. Syluester *Iuramentum* 4. q. 23. in fine. Tabiena q. 36. Nauarrus q. 25. nu. 23. Dueñas, Auiles, Burgos de Paz & alij multi quos refert & sequitur Guttierrez 1. part. c. 38. nu. 14. Azor lib. 11. c. 8. q. 8. Sanch. lib. 3 Moralium c. 14. nu. 8. Abeunt autem in desuetudinem ita vt cessent, quando maior communitatis pars ea non obseruat, vt docet Azor suprà Sanch. lib. 3. Moralium c. 15. nu. 2. Sà v. *Iuramentum* num. 25. de quo confusè satis locuti sunt Angelus *Iuramentum* 6. n. 3. & Syluester *Iuramentum* 4. q. 2. dicto 2. *Colliges 9.*

378. Ob eandem quoque rationem quando statuta non absolutè, sed certo quodam modo, aut non omninò, sed partim tantùm recepta sunt eo modo tantummodò, vel ex ea tantum parte, Iuramentum obligabit. Ita Sanch. suprà c. 14. nu. 8. qui addit num. 9. cum Suario tom. 4. in 3. partem de pœnitentia disp. 35. sect. 3. num. 5. id non tantùm esse verum quando Iuramentum fuit de seruandis statutis in genere, sed quando in indiuiduo petitur ab aliquo Iuramentum

ſeruandi aliquod ſtatutum particulare; id enim Iuramentum cùm non ſit de re ipſa, ſed de ſeruando ſtatuto, intelligitur vt reipſa receptum eſt & in quantùm extat.

Addit Sanch.

379. Addit vlteriùs Sanch. nu. 12. ſi ſtatutum iuratum ſemel reuocetur per potentem reuocare, etiamſi poſteà de nouo ederetur, non obligaturum Iuramentum ad illud ſeruandum: nam iuxtà dicta ſuprà illatione 7. Iuramentum intelligitur de ſolis ſtatutis iam editis vbi non conſtat de aliâ iurantis intentione; at hoc ſtatutum vbi ſemel reuocatum fuit ceſſauit, & perinde eſt ac ſi nunquam extitiſſet; quando verò iterùm de nouo editur, cenſetur omninò nouum & non cadens ſub Iuramento quod præceſſit.

Difficultas an poſſit communitas reuocare ſtatuta.

380. An verò & quando vniuerſitas aut communitas poſſit reuocare ſtatuta quæ fecit, etiamſi ſint à ſuperiori confirmata, diſputant Canoniſtæ in cap. *Dilecto de præbendis.* Angelus Iuramentum 5. num. 39. Syluester Iuramentum 4. q. 2. dicto 3. 4. & 5. Couarruuias de Pactis 2. part. § 2. nu. 5. Guttierrez de Iuramento 1. part. c. 38. nu. 16. Sanch. lib. 3. c. 15. num. 3 & ſequentibus cum quibus dicendum eſt poſſe communitatem reuocare ſua ſtatuta iurata etiam à ſuperiore confirmata, quando ſtatuta concernunt ea quæ per ſingulas perſonas ſeorſim ſunt adimplenda; vt quòd nullus noctu domo egrediatur, quòd nullus niſi matriculæ ſeu catalogo inſcriptus vocem in capitulo habeat, quòd omnes interſint ſacro. Statuta verò iurata quæ decernunt ea quæ non à ſingulis ſeorſim ſunt implenda, ſed ab omnibus coniunctim nomine vniuerſitatis, quòd vulgò dici ſolet *Collegialiter*, non poteſt communitas illa reuocare vt habetur cap. *Dilecto* citato v. g. ſi ſtatuant non admittendum aliquem ad ſuum collegium vel communitatem niſi talibus conditionibus affectum, vel nullum admittendum vltrà certum numerum. Hæc enim admiſſio per ſingulos ſeorſim fieri nequit ſed per omnes ſimul in vnum conuenientes nomine vniuerſitatis. Ratio verò eſt, quia ſtatuentes per hoc ſtatutum vnà cum Iuramento ſibi ipſis abdicarunt poteſtatem contrarium agendi; at in priori caſu vnuſquiſque iurauit in particulari dependenter à communitate, quæ poteſt reuocare ſtatutum, quia natura ſtatuti eſt vt reuocari queat, quam naturam Iuramentum accedens non mutat, ſed tantùm obligat dum id ſtatutum obligat.

Dicendum poſſe communitatē reuocare ſua ſtatuta iurata & à ſuperiore cōfirmata, quādo &c.

Notat Sanch.

381. Notat verò Sanch. cum Abbate, Angelo, Syluestro & Tabiena, poſſe communitatem reuocare ſtatutum, etiam ſecundo modo factum, ſi id expediat ad bonum publicum & in fauorem communitatis, quia hic caſus videtur exceptus,

Item cum eodem Abbate, Ioanne Andrea, Oſtienſi, Syluestro & Tabiena docet quoties communitas poteſt ſtatutum reuocare, ſatis eſſe vt reuocare cenſeatur, ſi ſtatuentes, aut eorum ſucceſſores veniant ſcienter & collegialiter contrà ſtatutum etiam vnico actu, neque tunc contraueniendo erunt periuri, cùm eo ipſo ſtatutum reuocent & ſic ceſſet Iuramentum circà illud, vt rectè notarunt Syluester & Tabiena.

382. Quod autem diximus, communitatem poſſe reuocare ſtatutum etiamſi ſit à ſuperiori confirmatum, Couarruuias cum multis contrà aliquos alios id limitat ad ſtatutum principaliter concernens fauorem ſtatuentium; ſecùs verò eſſet ſi ſtatutum confirmatum à ſuperiori concernat fauorem aliorum aut bonum publicum.

Limitatio.

383. Circa id verò quod diximus de ſtatuto ſemel reuocato non obligare Iuramentum, etiamſi poſtea denuò edatur. Idem putat Sanch. c. 14. nu. 12. dicendum eſſe de ſtatuto quod ſemel acceptatum vires obligandi recepit, at poſteà conſuetudine legitimâ abolitum eſt; quamuis enim deinde nouâ conſuetudine induceretur, non extenderetur Iuramentum ad illud, quia cum conſuetudo potens ſit legem reuocare ac abolere, non ſecùs atque ipſe princeps vel communitas vt habetur cap. *finali* de conſuetud. perinde eſt ac ſi princeps reuocarit.

384. Ideò autem diximus ſi ſemel acceptatum & receptum ſit, quia ſi ſtatutum iuratum nondum fuiſſet vſu receptum, at poſteà vſu reciperetur, à tempore receptionis obligabit Iuramentum eius ſtatuti obſeruandi, quia lex nondum à ſubditis recepta, & ob id non obligans, non cenſetur reuocata quaſi lex non eſſet, ſed eius obligatio eſt ſuſpenſa, vimque accipit cùm poſteà acceptatur vt docet Nauarrus lib. 1. conſil. tit. de constitution. conſ. 1. q. 7. nu. 28. ergò etiam ex tunc obligabit Iuramentum ſicut eſt ſtatutum.

Docet Sanch.

385. Conſequenter ad hanc doctrinam meritò docet Sanch. num. 11. idem dicendum eſſe quando quis iurauit ſeruare aliqua ſtatuta, inter quæ eſt vnum adhuc non obligans defectu confirmationis à ſuperiore; quamuis enim non obliget pro tempore quo nondum adeſt confirmatio, illâ tamen accedente obligabit, quia tale Iuramentum non eſt reſtrictum ad tempus quo illud ſtatutum nullam habebat firmitatem ſeu nullum erat, imò extenſum fuit ad totum tempus futurum, ergo obligauit tempore quo id ſtatutum firmitatem obtinuerit. Sicut qui innotatus excommunicatione vouit ſe ſingulis diebus impoſterùm auditurum ſacrum, tenebitur audire, non tempore excommunicationis, ſed tempore quo ab illa liber fuerit. Pro qua doctrina refert Sanch. Nauarrum c. 12. nu. vltimo.

Limitatio omnium prædictorum.

386. Limitanda verò ſunt omnia prædicta, niſi iurans vellet ſcienter ſe obligare ad rem ipſam in ſtatuto contentam independenter ab ſtatuto, ſeu non habito reſpectu ad ſtatutum; tunc enim Iuramentum obligat etiamſi ſtatutum non obliget, quod explicarunt multi ex citatis Authoribus, ſed optimè Angelus Iuramentum 5. nu. 39. & poſt illum Sanch. nu. 13. vbi etiam prudenter ait in dubio non eſſe præſumendum eam fuiſſe iurantis intentionem.

Hinc primò fit quod in caſu non teneantur miniſtri publici Iuramenti de ſeruandis ſtipendiis lege taxatis.

387. Hinc primò fit, quod miniſtri publici qui iurarunt ſeruare ſtipendium lege taxatum (Hiſpanicè el aranzel) non teneantur Iuramento quando ſucceſſu temporis à viris doctis iudicaretur tale ſtipendium eſſe minus ſufficiens & iniuſtum. Ita docet Sanch. lib. 3. Moralium ca. 14. nu. 14. Neque obſtat quòd Iuramentum factum vſurario aut latroni obliget propterea quod poſſit licitè ſeruari; nam tale Iuramentum fit etiam ſuppoſita Iuſtitia latronis aut vſurarij;

in

in nostro verò casu Iuramentum petitur & præstatur supponendo legem taxantem esse iustam, ergo ex quo constat de iniustitia, Iuramentum non ligat.

Hinc secundò fit. 388. Hinc etiam secundò fit, vt ciuitatum & oppidorum (vulgo Hispanicè regidores iurados &c.) qui iurant se bono publico talis oppidi prospecturos, teneantur ex vi Iuramenti procurare, vt ea quæ spectant ad cibos pro populo necessarios, & ad pretia rerum venalium, & ad conseruandas & ad defendendas ciuitatis res & reditus legitimè expendendos, frumentarium depositum tuendum prouidendo ne id deficiat, teneantur diligenter incumbere. Item curare ne ministri publici ciuibus iniuriam irrogent, suisque ministeriis abutantur, & vt oppidum in pace conseruetur; vt viæ sint tutæ à latronibus & grassatoribus; quòd si circum circa sit pestis, tenentur ciuitatem vel per se, vel per idoneos ministros custodire; si verò ciuitas ipsa sit peste infecta, tenentur curare vt ægris medicina adhibeatur, & tandem prouidere incolumitati vrbis: non tamen tenentur prædicti Decuriones alia peccata publica, vt coucubinatus, vel publicas ludimensas inquirere, nec de eorum punitione aut remedio tractare in suis commissis & conuersionibus, nec ea Iudici aut Prælatis denunciare, nisi quando lex correctionis fraternæ quemcumque alium proximum obligat, vt contrà Petrum à Nauarra lib. 3. de Restit. c. 3. dub. 3. num. 20. versic. 2. *peccant Decuriones* & contrà Rodriguez 2. part. summæ c. 28. nu. 1. interrogatione 4. latè probat Sanch. lib. 3. c. 14. num. 16. citans pro se omnes aduocatos curiæ Granatensis & Azebedo in curia Pissana lib. 2. c. 3. nu. 1. Ratio verò est quia munus inquirendi & puniendi peccata publica, tùm per legem naturalem, tum per ciuiles tantùm impositum est Prætoribus, Iudicibus seu Prælatis, non verò Decurionibus quibus solùm imponitur onus prospiciendi bono vrbis regimini, & cauendi eius damna ob eamque rem iubentur Decuriones in sua quisque parochia habitare, vt omnis plebis possint curam habere, & ne fiat alicui plebeio grauamen vt habetur expressè in curia Pissana lib. 2. c. 26. Vnde hi Decuriones non sunt socij & adiutores Prætorum quoad Iustitiæ administrationem, ad quam pertinet inquisitio & punitio peccatorum publicorum; sed tantùm quoad politicam vrbis gubernationem.

Hinc tertiò fit. 389. Hinc etiam tertiò fit, quòd Iuramentum præstitum à medicis seruandi statutum Pij V. de monendis infirmis vt confiteantur, & non visitandis eis nisi de eorum confessione constat per scriptum confessarij, non obliget, eò quòd tale statutum minimè sit vsu receptum, idque videntibus & dissimulantibus Prælatis. Quare quoad hoc solùm tenentur medici seruare præceptum Iuris diuini naturalis, & etiam illud transgrediendo non erunt periuri, quia Iuramentum est de seruando motu proprio Pij V. qui longè aliud disponit, nec est vsu receptus saltem in Hispania. Vbi autem vsu receptus esset, obligabit, & qua ratione intelligendus sit ille motus proprius, diximus in nostro opere de Sacramentis Tract. 8. disp. 7. de necessitate confessionis dub. 2. nu. 32. atque ita docent Suarius de Pœnitentia disp. 35. sect. 3. nu. 5. & Sanch. citato lib. 3. c. 16. nu. 15. & legi potest Bonacina de Iuramento disp. 4. q. 1. punct. 16. num. 9. qui rectè aduertit vbi fuerit vsu receptum obligare solùm medicos quando speratur admonitio profutura, & quando morbus est grauis aut periculum vt talis fiat. Quæ sicut & reliqua quæ ibi notat, etiam diximus loco notato. Rectè etiam explicat suprà nu. 1. obligationem quam ex solo Iure naturæ habent Medici, in eo consistere, vt quando præuident in infirmo probabile mortis periculum, debeant admonere per se vel per alium, vt ægrotus se muniat Sacramentis, & de suis rebus disponat, si credit id infirmo profuturum vt se in gratia constituat, vel vt testamentum condat, aut componat discordias quæ timentur inter hæredes, & cetera similia. Idem dicendum est si fortè medicus dubius sit, quia etiam in dubio tenetur quis notabile proximi damnum vitare; & quidem in his casibus non monere ægrotum culpa erit mortalis, siue contra charitatem & correctionem fraternam, siue peccatum generalis scandali iuxtà varias opiniones, de quo modò non disputo. Vnde non inducit obligationem restitutionis monitionem omittere, etiamsi ex omissione monitionis damnum aliquibus sequatur, vt rectè probat Caiet. v. *Medicus* in fine & Sanch. suprà cum Antonino, Rosella, Tabiena & Armilla.

Medici solùm tenentur seruare præceptum iuris diuini naturalis quoad monitionē infirmorū de confessione.

Obligatio quā ex solo iure naturæ habent medici.

Varij casus qui excusabunt medicum ab hac obligatione Iuris naturæ. 390. Excusabitur tamen Medicus etiam ab hac obligatione Iuris naturalis; primò quando moraliter credit ægrum in bono statu esse, ac de rebus suis disposuisse, quamuis consultius sit etiam tunc admonere. Secundò excusatur quando quis videt infirmum ita malè affectum, vt moraliter eâ admonitione eum in peius iturum, vt rectè notat Sanch. suprà cum Syluestro v. *Medicus* q. 4. dicto 4. Tertiò excusatur quando aliquis alius monet ægrum de suo periculo, vt cum Anton. Rosella & Syluestro suprà docet Sanch. qui addit quod si alij admonere nolint, non eximatur Medicus ab ea obligatione, sicut nemo eximitur ab obligatione corrigendi proximum vel ei subueniendi, quando alij corrigere aut subuenire nolunt.

Ad ea quæ tenentur medici iure naturæ addiderunt pontifices aliqua de iure positiuo. 391. Ad hæc, quæ de Iure naturali tenentur Medici, addiderunt Pontifices de Iure positiuo nonnulla. primò Innocentius III. cap. *cùm infirmitas de pœnit. & remiss.* statuit vt medici ad medendum infirmo in lecto iacenti vocati, eum ante omnia moneant & inducant vt confiteatur. Illa verba: *ante omnia*, explicant Ioan. Andreas, Hostiensis, Abbas, Antonius, & Anebarranus, Rosella, & Syluester suprà vt significent non solùm antequam mederi incipiat, sed etiam antequam de salario paciscatur. Addunt Rosella & Syluester priuari salario, in quo non consentiunt Hostiensis & alij citati, maximè Abbas ad eum textum nu. 6. meliùs autem explicat Nauarrus c. 25. nu. 63. verbum illud *ante omnia* significare antequam medicinas applicet medicus. Secundò addidit Pius V. in motu proprio citato quem edidit anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto qui incipit. *suprà gregem dominicum* ne medici vltra tertium diem ægrum visitent, nisi per confessarij scriptum ipsi de infirmi confessione fides fiat, nisi ex iusta causa confessarius

fessarius tempus longiùs concedendum iudicet, & vniuersitatibus præcipit vt quandò licentiam medendi alicui concesserint, exigant ab eo Iuramentum hæc seruandi: & vterque Pontifex imprimis id strictè, & sub grauibus pœnis præcipit; adeoque ad mortale procul dubio voluerunt obligare vt omnes Authores fatentur. Vlteriùs hæc duo decreta multi ex Authoribus de solis morbis periculosis intelligunt, vt cum Bonacina nuper dicebamus, putantque indicari illis verbis *in lecto iacentem*. Alij verò etiam de morbis non periculosis propter rationem *decidendi expressam* in citato cap. *cum infirmitas* nempè *ne admonitus æger credat sibi mortem imminere, & in desperationem incidat*, quæ non haberet locum si in solis morbis periculosis admonendus esset infirmus. Deinde quia ea verba eiusdem textus *districtè præcipimus*, clarè indicant nouum præceptum positiuum: at in mortis periculo etiam ex Iure naturali tenebantur monere. Alij verò nec de solis periculosis intelligunt, nec de quouis morbo leui, sed de omni morbo tali, qui non ex delitiis aut ex sola podagra, aut alterius similis morbi impedimento, sed ex se lectum petit. Id enim significant illa verba vtriusque decreti: *cùm infirmus in lecto iacet*. Et Tabiena Sanch. & Suarius suprà in hac re sequuntur Caietanum loco citato. Addit verò Suarius id quod diximus cum Bonacina, idem esse iudicium quando morbus est in periculo vt grauis fiat. Nonnulli etiam prædictum cap. *cum infirmitas* putant præcipere medico, non solùm vt admoneat infirmum, sed etiam vt inducat, ita vt cum effectu id assequatur vel cum deserat. Alij verò putant verbum *inducere* tantùm significare vt efficaciter hortetur quantùm est ex parte sua, nec cum deserendum esse ex vi illius decreti. Verùm Pius V. hanc controuersiam dirimit concedens inducias trium dierum vt notauimus loco citato; postea verò deserendum esse ægrotum, quæ pœna rigida nimis est, vt cum aliis explicat Sanch. suprà & Suarius quem retulimus & secuti sumus loco notato de Sacramentis. ibi legatur. Vnde meritò Sanch. docet non esse deserendum infirmum quando desertio grauiter creditur infirmo nocitura, imò nec monendum quando monitio certò creditur nihil profutura ægro ob suam obstinationem: nihil enim frustraneum intendit Pontifex præcipere, sed tantùm saluti ægrotantis consulere. Accedit quòd maiorem vim habeat præceptum naturale diuinum, & tamen in hoc casu non obligat, ergo neque positiuum Pontificium. Hæc dixerim pro illis locis in quibus seruantur in praxi prædicta decreta Pontificum: nam in plerisque regionibus non sunt in vsu. Quod autem potuerint consuetudine aboleri, contrà aliquos alios docent Caiet. Armilla, Nauarrus, Sanch. & Suarius, in particulari loquentes de hoc casu, & quidem Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 4. num. 14. id probat de omni Iure positiuo.

Statuitur secunda assertio circà eum qui dubitat an iurauerit? & tertia assertio de conditionibus inclusis in Iuramento.

392. Non pauci, neque parùm graues Authores sunt, qui putent dubium de voto, Iuramento, vel promissione teneri illud præstare. Ita Azor tom. 1. lib. 2. ca. 19. q. 10. & lib. 11. c. 15. q. 2. Vasquez 1. 2. q. 119. a. 6. disp. 65. c. 3. in fine. Antonius Bedes in sua laurea Salmantina certamine 10. scholastico dub. 2. nu. 132. Cordubа in summâ q. 147. Sayrus in Claui Regia lib. 1. c. 13. nu. 36. Salas cum limitatione, scilicet quoties votum vel Iuramentum non est de re nimis incommoda & molesta 1. 2. Tract. 8. disp. vnica sect. 17. nu. 162. & sect. 25. nu. 252. & 253. Fundamentum huius sententiæ primum est illud, maximè apud Vasquez solemne quod scilicet extrà materiam Iustitiæ semper tutior pars sit eligenda. Secundùm fundamentum est, quia quamuis in dubio Iuris non sit necessarium partem tutiorem eligere, at in dubio facti necessariò eligenda est maximè in conscientiæ foro vt docent Ioan. Andreas, Cardinalis, Anan. Socinus, & alij cap. *ad audientiam* de homicidio. Abbas ibidem nu. 2. Felinus nu. 17. Quapropter in dubio homicidij facti censetur quis irregularis, sed dubium an iuraueris, vel votum emiseris, aut promiseris, est dubium facti; ergo tunc tutior pars erit eligenda. *Graues authores putant dubiè de voto, Iuramento vel promissione teneri illud præstare.*

393. Assero nihilominus 2. quando quis dubius est an iurauerit, (& idem est de voto & promissione) non tenetur, si factâ diligentiâ vinci dubium non potest. Ratio est quia Iuramentum strictè est interpretandum iuxtà dicta assert. 1. deinde quia in tali casu non proponitur homini sufficienter ratio obligationis, vt se sentiat obligatum; sicut is qui dubitat post factam sufficientem diligentiam de lege vel præcepto superioris, quam defectu sufficientis intimationis non pauci putant non obligare, & quidem iniquum videtur aliquem cogi ad certam solutionem promissionis, quin probetur fuisse promissor, quapropter in foro externo iudiciali nemo cogitur stare promissis, dum de promissione non constat. Hinc est vt si alicui volenti vxorem ducere, obiicias coram Iudice vouisse castitatem, si votum non probes, non cogatur à matrimonio desistere. Ergo neque in foro conscientiæ cogendus erit si in illo foro non constat. Quæ doctrina etiam locum habet quantumuis quis inclinet magis in partem affirmatiuam Iuramenti aut promissionis, dummodò semper dubius maneat vt in particulari docent Thomas Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 9. nu. 11. in fine. Suarius lib. 4. de voto c. 5. nu. 5. Ioannes Sanch. disp. 43. num. 2. Generalem verò doctrinam huius assertionis docent plurimi & grauissimi. Sotus lib. 7. de Iustitia q. 3. a. 2. Grauis in decisionibus lib. 2. ca. 31. in fine. Henriquez lib. 11. de Matrim. c. 10. nu. 5. & lib. 8 de Eucharistia ca. 45. nu. 3. in commentario littera B. Rodriguez tom. 2. summæ c. 99. nu. 5. Sà in editione complutensi & Romano v. *Dubium* nu. 1. Reginaldus tom 2. lib. 18. num. 166. Villalobos tract. de consc. difficultate 31. Sanch. citato *Assero 2. qui dubitat an Iurauerit, vouerit vel promiserit nō tenetur si facta diligentia vinci dubium non potest. Ratio.*

citato nu.11.cum multis, & lib.2. disp.41.nu.32. & in summâ lib.1.c.10.nu.36.& lib.4.c.1.nu.16. quibus in locis plures alios refert. Ioan Sanchez suprà nu.1.cum aliis. Rebellus de Iustitia part.2. lib.1 q.2.nu.13. Suarius tom.5.in 3.part.disp.40. sect.5.nu.15.& latiùs tom.2.de Religione lib.4. de voto c.5.nu.7. Salas suprà quoties votum est de re molesta & onerosa. Plures alios retulimus agentes de hac re in nostro opere de Sacramentis & Censuris Tract.10.d.7.dub.2. disputantes an vt irregularitas incurratur debeat esse expressa in Iure, & an in dubio Iuris censendus sit quis irregularis. Item Tract.11.de Matrimonio disp. 1.dub.17. Quibus in locis, maximè agentes de irregularitate, latè hanc rem confirmauimus, & respondimus argumentis, ideò nunc tantùm dixerim breuiter quid respondendum sit ad fundamenta oppositæ sententiæ. Ad primum respondeo cum Suario lib.4. de voto loco citato nu.8.& sequentibus, regulam illam *in dubio melior est conditio possidentis* non solùm habere locum in materia de Iustitia, sed cuiuscumque virtutis, quod nos latè ostendimus agentes de irregularitate, tum quia Iura ex quibus regula desumitur absque vlla restrictione loquuntur, vt videre est Regula *in pari* 65.de Regulis Iuris in 6. tùm quia quilibet habet ius latè sumptum circa suas proprias actiones vt possit illas liberè & sine obligatione exercere; quapropter dum non probatur illas debere, præsumendum est in fauorem libertatis.

Solutiones argumentorum oppositæ sententiæ. Ad primũ Resp.

394. Ad secundum respondemus, nec in dubio Iuris, nec in dubio facti obligationem esse semper sequendi partem tutiorem, & quidem de dubio facti speculatiuò præcipuè id verissimum puto, & latè probaui loco citato de irregularitate dub. 3. adiuncta doctrina secundæ. Vbi tantùm in materia irregularitatis prouenientis ex homicidio diximus esse tutiorem partem sequendam, sic disponente Iure canonico ob specialem reuerentiam rerum sacrarum.

Ad secundum Resp. nec in dubio Iuris, nec facti obligationi semper esse sequendi tutiorem partem.

395. Suppositâ prædictâ doctrinâ Suarius lib.2.de Iuram.c.33. nu.2. & 3. docet eum qui asseruit se aliquid facturum per verba quæ possunt habere sensum ambiguum Iuramenti vel non, vt si asseruit per fidem suam, & dubitat de qua fide intellexerit, humanâ vel diuinâ, non obligari. Quod etiam docuerunt Caietanus 2.2. q.89.a.7. Couarruuias cap. *quamuis* pactum 1. part §.2.num.2. in fine. Alciatus in Rubrica de Iuram. num.5. & colligitur ex cap. *penultimo* de Iureiur.

Docet Suarius. de asserente se aliquid facturũ per verba dubia.

396. Docet vlteriùs Suarius: qui certus est se verba Iuramenti protulisse, & dubitat de intentione sua iurandi verè, vel simulandi seu fictè tantum iurandi, tenetur Iuramentum seruare, quia quando benignior interpretatio fieri non potest, nisi attribuendo dolum & fraudem ei qui iurauit, nullo modo est admittenda talis interpretatio, quia potiùs est præsumendus bonus quàm malus; tum etiam quia cùm constat de Iuramento ipso externo, præsumendum est de animo etiam interno vero quamdiu de ficto clarè non constat. Ita præter Suarium suprà nu.4. docet Syluester *Iuramentum* 4.q.7.referens Abbatem Archidiaconum, & Rosellam. Quamuis autem Angelus *Iuramentum* 5.num.10. cum Panormitano limitant hanc doctrinam ad Iuramentum sponte ac liberè factum; ita vt, quando hæc dubitatio accidat in Iuramento metu facto, dicant non obligare; id benè reiiciunt Immola, Alexander & Felinus, quos sequitur Guttierrez de Iuramento 1.part.c.57.nu.20.& Couarruuias in 4.part.2 c.3.§.5.nu.3.in fine & omnium optimè Suarius suprà nu.5.& 6. Legantur quæ diximus de Matrim.disp.1.dub.17.§.*vnde in hoc*.

Docet vlterius Suarius.

397. Præterea qui certus est se iurasse aliquid facturum, & dubitat an illud impleuerit, procul dubio tenetur ad id præstandum, quia Iuramentum possidet; constat enim ipsum esse factum, & debitum est certum, solutio verò incerta. Quæ doctrina à nobis variis in locis tradita est, & inter alia dubitatione illa 2.de irregularitate id cum multis aliis probauimus, & iterùm dicemus in Tract. de legibus.

Qui certus est se iurasse aliquid facturum, & dubitat an illud impleuerit tenetur ad id præstandum.

Dubitabit tamen aliquis, an si Iuramentum factum sit de re de qua dubitatur an sit licita vel illicita? vel an post emissum Iuramentum facta fuerit illicita, ita vt non possit sine peccato impleri, sit Iuramentum implendum, vel ab illo opere abstinendum?

Dubitabit aliquis.

398. In hac re si quis possit superiorem consulere, ab illoque dispensationem petere, ita est faciendum vt habetur in cap. *venerabilem* de Elect.§.idem iuncta Glossa vbi dicitur: *non valet ad plenam excusationem ipsius, si Iuramentum illud dicatur illicitum, cùm nihilominùs super eo nos priùs consulere debuisses, quàm contra ipsum propriâ authoritate venire.* Et in terminis de Iuramento docet Felinus c.1.de Iureiur. nu.19. Panormitanus in cap. *cum contingat* nu.15. Innocentius in cap. *Debitores* & ex Theologis D. Thomas 2.2.q.89.a. 9.ad 3. quatenùs docet requiri dispensationem quando adest tale dubium. Item Syluester *Iuramentum* 5.q.1. Suarius tom.2.de Religione lib. 2.c.illo 33.in fine: & postea de voto lib.4.c.6. nu.12. Quod intelligendum est post adhibitam debitam diligentiam ad pellendum dubium, & illo perseuerante. Ratio est quia qui dubitat de honestate materiæ promissæ, dubitat an sit Deo grata talis materia; tenetur ergo diligentiam adhibere vt hoc dubium vincat; cùm autem nulla possit aptior & efficacior diligentia reperiri quã recursus ad superiorem, qui loco ipsius Dei assistit, tenetur illum consulere supposito quòd alia via de re non constat.

Resp.

Assertio est D.Tho.

Ratio assertionis.

399. Atque hoc est discrimen valdè notandum inter huiusmodi dubium, & dubium de promissione, & voto, aut Iuramento, quòd quando dubitat quis an promiserit, vouerit, vel iurauerit, dubitat de exercitio propriæ libertatis quæ se tenet ex parte ipsius hominis; Vnde necesse non est ad superiorem recurrere; quando verò quis dubitat de honestate materiæ promissæ, non dubitat de conditione se tenente ex parte sua, sed de conditione se tenente ex parte Dei; ac proinde Deum, vel eum qui loco ipsius est debet consulere, & ab illo remissionem impetrare. Confirmatur & declaratur, quia qui sic dubitat non dubitat se iurasse, saltem sub conditione, si res illa grata Deo fuerit, hoc enim sibi certò constat. Tenetur ergo inquirere an fuerit grata Deo, & inter alias diligentias præcipua est quam diximus ad quam tenebitur si aliunde de veri-

Discrimen notandum inter huiusmodi dubium & dubium de promissione & voto aut Iuraměto.

veritate non constet.

Si in aliquo sensu potest Iuramentū esse de re illicita in illo factū fuisse censeri debet.

400. Illud quoque verissimum puto si in aliquo sensu potest Iuramentum esse de re illicita, in illo factum fuisse censeri debet, etiamsi de intentione Iurantis non possit certò constare, vt rectè cum aliis Authoribus probat Suarius n. 8. si verò materia Iuramenti in omni sensu proprio adhuc dubio est, nec potest quis ad superiorem recurrere, & ea via dubium tollere, tunc Iuramentum non obligat, quia malum est operari cum periculo faciendi aliquid illicitum, & tunc maximè necessaria est superioris dispensatio, vt præter citatos docent Caietanus, Sotus, Angelus, Tabiena & alij quos refert & sequitur Suarius suprà nu. 9. & tunc maximè locum habet decisio citati cap. *venerabilem*.

Probabile est debere sine vlla dispensatione non impleri tale Iuramētū.

401. Non tamen videtur improbabile posse, imò debere etiam sine vlla dispensatione non impleri tale Iuramentum, si prudenter ab homine dubitetur de materiæ turpitudine sine vlla dispensatione, quia cùm conscientia dubia operari intrinsecè malum est, quod in simili de voto docet Sanch. lib. 4. summæ c. 6. n. 5. & 6. vbi cum Soto explicat D. Thomam locutum fuisse de consilio non de præcepto. Legantur quæ diximus suprà dub. 3. assert. 6. & 10. addita doctrina septimæ.

402. Hinc est à fortiori: quòd, si prudentis arbitrio, aut superioris consilio, vel declaratione aut dispensatione non possis certus esse de honestate materiæ promissæ, vrgeatque tempus promissionis exequendæ, non tenearis. Vt expressè docet Suarius lib. illo 4. de voto c. 6. n. 13. & Sanch. suprà c. 5. n. 32. & cap. illo 6. n. 6. tùm quia non placent Deo ea in quibus periculum prauitatis imminet, tùm quia dubius de honestate materiæ promissæ, nec potens dubium vincere simul est dubius formaliter de lege aut voto aut Iuramento, cùm dubitet de essentiali requisito ad illa, nempe de honestate materiæ promissæ, qui autem dubius est de lege, voto, aut Iuramento, non tenetur illis vt dictum est.

Assero 3.

403. Assero 3. in omni Iuramento, quantumuis absolutè facto, includuntur aliquæ conditiones; quæ si subsistant, Iuramenti obligatio consurgit; non verò si desint, vt constat ex cap. *quemadmodùm* de Iureiur. ad quem textum plures enumerant canonistæ. Et quidem generales conditiones in omni Iuramento inclusæ tres præcipuæ sunt, quas primo loco sigillatim enumerabo, & declarabo dicturus posteà de conditionibus particularibus.

In omni Iuramento sunt tres generales conditiones inclusæ.

Prima cōditio generalis est si potuero.

404. Prima conditio generalis est, *si potuero*, quia nemo obligatur ad impossibile, vt sumitur ex cap. *Dicto* cap. *Quemadmodùm* & cap. *querelam de Iureiur.* quæ conditio non solùm intelligitur de possibilitate simpliciter, sed etiam de morali & humana: nam si id quod iuratum est, per rerum mutationem adeò difficile reddatur iurandi, vt verisimile sit intentionem Iurantis non se ad id extendisse, Iuramentum non obligat vt clarè colligitur ex citato cap. *quemadmodum* & cap. *petitio* cap. *breui* & cap. *veniens de Iureiur.* sumiturque ex D. Thoma 2. 2. q 89. a. 7. in corpore & ad 2. & expressiùs q 98. a. 2. ad 3. docentque communiter Doctores quos refert & sequitur Suarius lib. 2. de Iuram. c. 34 n. 4. & nos suprà multis adhibitis exemplis probauimus in hac disputatione dubit. illa 3. assert. 7. præsertim in 2. part. assertionis §. *circa* 2. & suprà in hac dubitatione illatione 1. post 1. assertionem.

Secunda cōditio est, si licite potuero.

405. Secunda conditio est *si licitè potuero* vt habetur cap. *Quintavallis* & in aliis textibus ex relatis de Iureiur. & cap. 1. eodem titulo in 6. quia quod licitè fieri non potest non censetur homini possibile simpliciter, vt docet Augustinus lib. contrà mendacium ca. 17. & habetur cap. *faciat homo* 22. q. 2.

406. Difficultas verò est quando id quod iuratur, est quidem impossibile vel illicitum quoad totum, non tamen quoad partem, an obliget Iuramentum quoad partem licitam vel possibilem? qua de re latiùs dicemus agentes de voto, & doctè tradit Sanch. lib. 4 c. 10. Nunc breuiter sufficiat dicere si materia diuidua sit, id est partibilis & diuisibilis, obligare Iuramentum ad partem possibilem aut licitam, nisi fortè clarè constiterit intentionem iurantis fuisse tantùm se obligare ad totam illam materiam coniunctim, si verò materia sit indiuidua, ad nihil obligat.

Tertia cōditio est, nisi superior vel is cui Iuramentū fit aliter voluerint.

407. Tertia conditio generalis est, *nisi aliter disposuerit, aut voluerit superior*, aut *is in cuius præiudicium est Iuramentum*, vel *is cui Iuramentum fit*; nam superiores interdum possunt variis modis tollere obligationem Iuramenti, aut voti suorum inferiorum; primo per dispensationem vt habetur cap. *non est de voto.* Vbi id tractant canonistæ; secundo per irritationem, vt si Iuramenta vel vota Iuri superiorum præiudicent. Quâ ratione patentes & Prælati religionum interdum irritant vota aut Iuramenta filiorum aut subditorum quæ in eorum præiudicium cedunt. Tertio Prælati non solùm Ecclesiastici, sed etiam sæculares Principes per legem aut per præceptum personale præcipiunt aut prohibent aliquid in oppositum eius quod quis promisit aut iurauit facere vel omittere; & tunc subditus tenetur facere quod præcipitur non obstante Iuramento vel voto: semper enim subintelligitur exceptum ius superioris vt habetur cap. *venientes* & cap. *ea te* de Iureiur. Imò non solùm de Iure superioris, sed de quocumque iure boni communis aut tertij intelligenda est conditio, siue illa obligatio erga proximum sit ex Iustitia, siue ex charitate seu misericordia. Ita habetur cap. *sicut tuis* de Iureiur. & sumitur ex cap. *cùm contingat* eodem titulo & cap. 2. eodem titulo in 6. quatenùs ad valorem Iuramenti postulatur quod in alterius præiudicium non redundat. Et notant canonistæ ibi, lateque docet Syluester adhibens multa exempla v. *Iuramentum* 4. q. 14. & 15.

Quādo occurrūt Iura cōtraria ex circumstantiis expendendum est quodnā ius valeat.

408. Si verò occurrant Iura contraria v. g. superioris & creditoris; ex circumstantiis expendendum est quodnam ius valeat: nam si Iuramentum censeatur factum ex licentia tacita vel expressa superioris, tunc illius præceptum non præualebit, sed Iuramentum obligabit; secùs verò si subditus propriâ tantùm authoritate iurauit; tunc enim non potest præiudicare iurisdictioni superioris, vt diximus suprà in hac dubitatione in illatione 4. post 1. assertionem, & constat in exemplo ibi adducto.

Iuramentū factum in commodū

409. Denique quotiescumque Iuramentum fit in commodum & in vtilitatem alterius, certum

& vtilitati alterius inuoluit conditionem si ei placuerit vel nisi ipse remiserit.

tum est inuoluere conditionem *si ei placuerit vel nisi ipse remiserit*: omnis enim obligatio pendet ex voluntate creditoris, qua de re latè dicemus disp. sequenti dub. 2. vsque ad 4. vbi præcipuè explicabimus quando homo possit remittere Iuramentum quod factum est homini intuitu pietatis & Dei. Atque hæc dicta sint de generalibus conditionibus. restat nunc vt nonnihil dicamus de particularibus.

410. Præter dictas ergò generales conditiones quæ in singulis actibus seu contractibus, super quos cadunt Iuramenta, subintelligi solent; atque imprimis videtur multorum Doctorum generalis doctrina, aut etiam ferè omnium, quòd omne Iuramentum sortiatur naturam & conditiones actus seu contractus cui adiicitur; atque iuxta eius naturam cum eisdem conditionibus, quas actus seu contractus imbibitas in se habet, siue ex natura sua, siue ex dispositione Iuris, siue ex recepta consuetudine eas habeat, Iuramentum est interpretandum vt constat ex multis legibus Iuris ciuilis & canonici, Ratio verò adduci solet, quia Iuramentum non auget obligationem nec consensum, sed ei tantùm intrà limites suos manenti addit religionis vinculum: Iuramentum enim ex se non additur, vt promissio, propositum, vel contractus aliter accipiantur quàm per se accipi solent, sed vt eo modo intellectæ; quo solent intelligi habeant superadditam illis nouam vim & firmitatem religionis vt reuocari non possint.

Omne Iuramentum sortitur naturā & conditiones actus seu contractus cui adiicitur. Ratio.

411. Hæc sanè doctrina difficultate non caret, imo non videtur vsquequaque vera, quia sæpè Iuramentum est validum, & tamen contractus suprà quem cadit est nullus vt dictum est dub 12. & 13. Imò sæpè etiam mutat naturam actus cui adiicitur, quia vel facit irreuocabilem actum qui alioquin esset reuocabilis, vel etiam facit actum validum qui alioquin esset inualidus, & secluso Iuramento nullus, vt dictum est dub. 11. Huius difficultatis solutio petenda est ex dictis eadem dub. 12. post assertionem 1. in 2. obiectione, vbi latè explicuimus quomodò intelligendum sit id quod generaliter solet dici, quod quando principalis obligatio non subsistit, corruit etiam accessoria. Item quòd Iuramentum sequitur naturam contractus cui adiicitur. ibi legatur.

Authoris iudicium.

Quando Principalis obligatio nō subsistit corruit etiam accessoria.

412. In præsenti autem solùm agimus, quòd, quando dicimus Iuramentum sequi naturam actus seu contractus cui adiicitur, intelligendum est de natura propria, & à primordio ipsi actui conuenienti, seu (vt Iurisperiti loquuntur) sequitur naturam primordialem contractus, non verò accidentalem, id est, sequitur conditiones & qualitates substantiales quas habet actus ab exordio. Dicuntur autem naturalia actus, pacti, seu contractus, ea quæ procedunt virtute quadam ab initio ex propria rei specie; quæ verò accidentaliter proueniunt, solent oriri ex variis aliis capitibus, præsertim ex triplici, nempè ex culpa, mora vel conuentione, vt allegato Baldo docent Couarruuias de Pactis 1. par. §. 4. n. 1. Rolãdus consilio 6. n. 37. Guttierrez de Iuramento 1. part. c. 37. n. 2. & 3. Vnde qui iurauit aliquid facturum pro alio & non fecit, non tenetur ex Iuramento ad damnum inde alteri secutum, quia hæc obligatio resarciendi damnum resultat in promissione ex accidenti vt rectè probat Couarruuias n. 6.

Quando dicitur Iuramentū sequi naturam actus cui adiicitur intelligendum est de natura propria & à primordio ipsi actui conuenienti.

413. Exempla verò, quibus probari & explicari solet Iuramentum sequi naturam, contractus, multa sunt; inter quæ est Iuramentum ducendi fœminam, quod absolutè præstitum habet tacitam conditionem, nisi ipsa posteà fornicetur, vel in morbum incurabilem, notabilem paupertatem aut deformitatem, vel infamiam incidat, vt habetur cap. *quemadmodum de Iureiur.* quæ de re diximus in Tract. de Matrim. disp. 1. dub 39. & 40. Item nisi ipse aut ipsa religionem ingrediantur, quod an & qua ratione verum sit, pendet ex dictis eadem disp. de Matrim. dub. 32. Pari ratione Iuramentum de parendo superiori includit conditionem, nisi excommunicetur, vel officio priuetur. Item si iurasti te facturum quidquid alter voluerit, intelligi debet, nisi velit illicitum aut importabile & immoderatum iuxtà dicta illatione 1. part. 1. assertionem. Si iurasti etiam pacem habiturum cum inimico, intelligitur nisi ipse causam nouis inimicitiis dederit, aut nisi ob flagitia proscribi contigerit iuxtà dicta illatione 2. Quòd si iurasti secretum, intelligitur nisi vergat in detrimentum alterius, & idem dicendum est de aliis quæ habentur in cæteris illationibus post 1. assertionem huius dubitationis: vt si iurasti seruare statuta, scilicet quæ sint in vsu &c. Item si iurasti Petro seruare promissa, scilicet nisi ipse quæ tibi promisit non seruet; quod intellige iuxtà varias sententias: nam quidam id admittunt si promissiones se mutuo respexerunt; alij verò etiamsi mutuò se non respiciant iuxta dicta dubit. 3. assert. 7. in 2. parte assertionis, vbi alia exempla adhibuimus huc pertinentia, ibi legantur. Imò hoc ipsum extendit Sanch. lib. 3. c. 17. n. 16. vt verum sit etiamsi promittens sub Iuramento habeat animum obligandi se, etiam in casu quo alter sibi fidem datam frangat, si eum animum verbis aut signis alteri non indicarit vt ab eo acceptetur; quia nulla promissio, etiam iurata, obligat ante acceptationem tum in nostro opere de Iustitia lib. 2. tra. 4 dub. 7. & deinceps tum in nostro opere de Sacramentis Tract. 11. de Matrimonio disp. 1. dub. 2. aliisque in locis; maximè in hac disp. dub. 1. illatione 4. Vlterius, si iurasti contractum fidei iussionis non te obligando instar principalis debitoris, non teneris soluere ante principalis debitoris executionem, & bonorum discussionem, quia contractus fidei iussionis suapte natura habet hanc imbibitam qualitatem vt non possit fidei iussor conueniri ante principalis debitoris excussionem, vt contrà Baldum docent Alexander, Iason, & Decius, quos refert & sequitur Couarruuias de Pactis 1. part. §. 4. n. 4 & Sanch. lib. 3. c. 17. n. 14. Item si iurasti te non expulsurum conductorem tuæ domus, nihilominus poteris eum expellere, si biennio post conductionem non soluerit, quia is contractus habet hanc tacitam conditionem l. quæro 5. inter locatorem ff. locati. Ita Angelus Iuramentum 5. n. 20. Syluester Iuramentum 3. q. 1. Tabiena q. 25. Armilla n. 24. Guttierrez de Iuramento part. 3. c. 6. n. 7. Sanch. suprà & alij. Si promisisti etiam alicui venditurum illi equum, non teneris hoc

Exempla quibus probatur Iuramentum sequi naturam contractus multa sūt.

Iuramento; nam, vt diximus suprà illatione 5. cum aliis multis, Iuramentum posterius factum non obligat contra priorem contractum etiam sine Iuramento initum, quia est in alterius præiudicium. Si tamen Petro equum, vendidisti, etiam cum Iuramento non vendendi illum alteri, & postea eum Ioanni vendidisti & simul tradidisti, hæc secunda venditio tenet, & præualet priori, non obstante Iuramento, quia hæc est conditio & natura contractus venditionis l. quoties c. de rei vendit. Ita Couarruuias suprà n. 2. Sanch. suprà n. 17. Azor lib. 11. c. 9. q. 3. Deinde si iurasti alicui donationem cum filios non haberes, si posteà eos habuisti, potes talem donationem reuocare non obstante Iuramento vt diximus in eodem lib. 2. de Iustitia Tract. 5. de Donatione dub. 7. n. 161. Ita cum Baldo, Tiraquello & aliis docet Couarruuias suprà num. 3. & alij quos ibidem retulimus.

414. An verò donatio causa mortis, etiam iurata, possit ad mortem vsque reuocari, & quâ ratione, diximus eadem dub. 7. nu. 188. & deinceps. Et similiter de donatione inter virum & vxorem diximus in Tract. illo 11. de Matrimon. disp. 6. dub. 13. & 14. adiuncta doctrina dub. 1. & 3. & legi possunt Authores ibi citati & Couarruuias de Testam. part. 2. nu. 10. apud quem videri possunt talia multa 1. part. de Pact. §. illo 4. & in Marquentorio Bauer. Tract. de Iuramentorum effectu 72. à num. 124. per plures sequentes, vbi plura exempla cumulat. Adhuc si iurasti te daturum alteri decem si tantumdem tibi alter ille debeat licet tibi non soluerit sed compensatione vti non obstante Iuramento quod licet multi & graues Authores negent eo quod compensatio non sit vera sed ficta solutio; multi tamen alij id probabilius concedunt quia ea compensatio censetur moraliter quædam solutio & quamuis sit ficta liberat ære alieno soluendo, estque vera satisfactio. Ita multi canonistæ quos refert & sequitur Couarruuias de Pactis 1. part. §. 4. n. 9. & 10. Angelus Iuramentum 4. nu. 4. Syluester Iuramentum 3. q. 6. & Iuramentum q. 23. Sà v. *Iuramentum* nu. 20. Azor lib. 11. c. 8. q. 10. Rodriguez 1. part. summæ c. 192. nu. 4. Sanch lib. 3. c. 17. n. 15. qui rectè addit n. 16. posse vti compensatione dictâ, etiamsi, quando iurauit, habuerit animum non vtendi illâ compensatione si animum non expressit, quia tunc alter non acceptauit illum animum de quo ei non constitit. Et quidem quòd in eo casu liceat compensatione, quando debita sunt eiusdem compensationis, constat ex doctrina à nobis data in nostro opere de Iustitia lib. 2. Tract. 2. disp. 9. dub. 6. nu. 98. disp. 10. dub. 7. nu. 117. & legi potest Suarius de Iuramento lib. 2. c. 37. vbi rem hanc latè disputat, & nostram sententiam sequitur cum aliquibus limitationibus, quæ propria sunt de materia restitutionis, nempè hæc quæ diximus, quòd debitum sit eiusdem rationis. Item quòd sit rationabilis causa ad faciendam compensationem, & quòd debitum cuius compensatio fit, sit liquidum. De quibus etiam locis citatis diximus. ibi legatur.

Duo notanda circa prædictas omnes conditiones. Primum.

415. Duo, tamen oportet aduertere circà prædictas omnes conditiones: primum, si quis haberet animum dùm iurat, excludendi omnes vel aliquas conditiones particulares suprà dictas, & obligandi se absque talibus vel talibus conditionibus, maximè si sint ex concernentibus suam vtilitatem propriam, tunc absolutè manere obligatum iuxtà talem intentionem suam, quia quoad hoc validum est & licitum Iuramentum. Si quis verò intendat excludere omnes conditiones, etiam priores & generales, tunc temeraria esset eius intentio, & nullius momenti; nec enim potest ipse excludere à Iuramento ea quæ sunt de intrinseca illius ratione vt obligare possit, qualia sunt quod sit de re licita, possibili, & quæ non pendeat ab alio. Ita Suarius lib. 2. de Iuram. c. 34. n. 9. vbi innuit ad nihil manere obligatum, quod ego verissimum puto iuxtà dicta in hac disputatione dub. 4. assert. 3. & 4.

Intendens excludere omnes conditiones etiam generales eius intentio est temeraria & nullius momenti.

Secundum notandum.

416. Secundum est ex eodem ibidem n. 12. scilicet Iuramentum includens ex parte obiecti & materiæ tantùm prædictas conditiones, non esse Iuramentum conditionatum, sed absolutum, quia reuerà cadit suprà propositionem categoricam & absolutam vt, *faciam hoc* & similia; Vnde potiùs præsupponit conditionem inclusam quàm illam exigat. Iuramentum verò quod appellatur conditionatum, cadit in propositionem hypotheticam & conditionalem, exigendo & expectando futurum conditionis euentum, vt obligatio consurgat præstandi rem promissam v.g. iuro daturum me eleemosynam si nauis ex India venerit.

417. Tandem hic videbatur, discutiendum, an quando obligatio Iuramenti cessat propter mutationem notabilem ex conditione particulari inclusa, talis obligatio cesset omninò ipso facto, vel sit necessaria ipsius relaxatio? nam esse necessariam relaxationem nonnulli docent: vt Sotus in 4. distinct. 27. q. 1 a. 3. ad 1. vbi putat, etiamsi occurrat causa dissoluendi sponsalia iurata, non esse dissoluenda sine Iuramenti dispensatione, quod etiam affirmat Ludouicus Lopez part. 2. c. 36. loquens de casu quando post sponsalia iurata sponsa fornicata est, vel inuenitur non virgo.

418. Verùm in hoc casu & similibus omninò falsam puto hanc sententiam, & Iuri canonico apertè repugnantem, vt constat ex cap. *quemadmodum* de Iureiur. de quo diximus in Tract. de Matrim. disp. 1. dub. 39. à principio repugnat etiam rationi quæ in eo textu adducitur, nempè quòd ad talem casum & similes non se extendat voluntas iurandi; Vnde contrarium docet communis Doctorum sententia quorum plures ibi retulimus.

419. Quapropter solùm puto esse necessariam dispensationem quando res est dubia, vel causa non est tanta quæ per se sufficiat vt cesset obligatio, sed tantùm sufficiat ad concedendam dispensationem, in quo casu vera est assertio Soti, vt cum aliis docet Suarius citato lib. 2. c. 36. in fine.

DVBI-

DVBITATIO XVIII.

An obligatio Iuramenti sit merè personalis, & in propria specie implenda, & quando?

Agemus hic solum de Iuramento soli homini præstito.

420 NOn agimus in præsenti de Iuramento quod soli Deo emittitur, quia cùm tale Iuramentum vim habeat voti iurati, de illo disputandum est in Tract. de voto. Solùm ergo sermo est, de Iuramento soli homini præstito. In qua re tres præcipuæ quæstiones exagitandæ occurrunt, & earum cuiuis variis assertionibus respondemus.

QVÆSTIO I.

An Obligatio Iuramenti sit merè personalis?

Assero 1.

421. ASsero 1. Iuramentum homini præstitum ita personale est ex parte iurantis, vt propria obligatio Iuramenti, quæ est religionis, in nullo euentu se extendat ad Hæredes ac successores ipsius iurantis transeundo ad illos: quare hi non adimplentes Iuramentum defuncti nullo modo erunt periuri, sed solùm tenentur adeuntes hæreditatem, in quantùm eius hæreditatis vires sufficiunt, ex Iustitia ratione contractus defuncti sicut ad cætera eius debita & reliquos contractus non iuratos tenentur. Ratio est, quia Iuramentum est vinculum personæ, & obligatio voluntariè ab vnoquoque assumpta ex virtute religionis; vnde transferri non potest ad aliam personam. Ita omnes quos viderim Authores cum D. Thoma 2.2.q.98 art.2.ad 4. & Caietano ibi. Sotus lib. 8. de Iustitia q 2.a.5. ad 4. plures alios Authores referunt Suarius lib. 2.ca. 31.n.12. Sanch. lib.3.c.13.n.1. Quod verum est etiamsi quis pro se & successoribus iurauerit; nec enim successores tenebuntur ex vi Iuramenti, quia cùm religio Iuramenti personalis sit, ea à nemine alio potest induci, sed à se ipso; vt ipse tantùm obligetur, vt cum Abbate, Syluestro, Padilla affirmat Sanch. n.2.

Ratio assertionis.

Assertio vera est etiamsi quis pro se & successoribus iurauerit.

Hinc primò fit.

422. Hinc fit primò, vt populus etiam non teneatur vi Iuramenti præcessorum facti, vt docet idem Sanch. n.1. in quo philosophandum est sicut de voto, quod non obligat ratione voti, sed ratione statuti, vt suo loco videbimus. Hinc etiam secundò, fit, vt, quamuis aliquis accipiat dignitatem v.g. episcopatum, habentem annexa multa Iuramenta, si fortè admittatur ad talem dignitatem absque vllo Iuramento, non teneatur ex vi Iuramenti prædecessorum ea seruare; poterit tamen teneri vinculo statuti aut contractus si sit tale vinculum, quod si non sit nullo vinculo tenebitur. Ita Caiet. Sotus & Sanch. suprà.

Secundò fit.

Nec hæredes ipsius qui alicui iniustè extorquenti iurauit soluere tenentur.

423. Propter eandem causam nulla ratione tenentur hæredes eius qui latroni aut vsurario, vel alteri iniustè extorquenti iurauit soluturum pecunias implere tale Iuramentum, neque quicquam soluere, quia nulla contractus obligatio defunctum obligabat sed sola iurantis religio, quæ vt diximus, ad hæredes non transit. Ita contrà Abbatem docent Immola, Alcianus, Parisius & alij quos refert & sequitur Couarruuias de Pactis 2.part.§.1.n.7. Guttierrez in authentica *Sacramenta puberum* num.21. Molina tom. 1. disp.150. versic *est verò hoc discrimen*. Sanch. citato cap.3.n.5.

Obiicies. Iuramentum erogandi eleemosynam soli Deo factum transit ad hæredes.

424. Obiiciet tamen aliquis; Iuramentum soli Deo præstitum erogandi aliquam eleëmosynam transit ad hæredes, teneturque illud implere ratione contractus, quamuis nulli pauperi, sed soli Deo ius ex tali Iuramento acquisitum sit; ergo similiter in nostro casu.

Resp. Sanch.

425. Respondet Sanch. hoc Iuramentum erogandæ eleëmosynæ acceptari à Deo, non ob solam religionem Iuramenti aut voti, sed etiam in quantùm redundat in pauperis vtilitatem. Quapropter licet non transeat ad hæredes ex vi Iuramenti aut voti, transit nihilominùs ex vi contractus cum Deo initi; at verò Iuramentum vi extortum non acceptat Deus, in quantùm redundat in vtilitatem extorquentis imò eo modo displicet Deo, cùm ille teneatur restituere, sed solùm acceptat ob Iuramenti religionem quæ personalis est. Hæc solutio probabilis est, de qua iterùm agemus in Tractatu de voto, sed mihi magis placet quòd Iuramenti, sicut & voti, obligatio tunc ideò transeat ad hæredes, quia ius acceptat huiusmodi promissionem & Iuramentum quod fieri potest, & fit in fauorem causæ piæ, de quo etiam ibi dicemus.

Resp. Authoris.

426. Constat etiam ex dictis, quòd, si iurasti te non repetiturum certam rem à Petro, possit hæres tuus illam ab eodem Petro repetere vt docet Azor lib. 11.c.8.q. 5. in fine, quod intelligendum est, vt rectè notat Sanch. suprà nu. 4. quando Petrus illam tenebatur restituere, eò quòd malè & iniustè eam retinebat. Addit etiam Azor, quòd si iurasti non repetiturum eam à Petro, poteris eandem ab hærede repetere si ad eum deuenit. Hoc tamen reiicit Sanch. quia quamuis non iuraueris eam non repetere ab hærede; Iuramenti tamen obligatio transit in iurante ad hæredes eius cui Iuramentum præstitum fuit; ac proinde etiam ex vi Iuramenti teneris non repetere ab hærede Petri cui iurasti. Verùm in hac re distinctione opus est, vt constabit ex dicendis post sequentem assertionem illatione 4.

Assero 2. Iuramentum ex parte eius cui præstatur non est personale, sicque transit in eius successores & hæredes.

427. Assero 2. Iuramentum non est personale ex parte eius cui præstatur, & sic transit in eius successores & hæredes. Colligitur hoc ex l. si Pactum 9. ff. de probat. quatenùs statuit pactum cum aliquo factum intelligi factum pro hærede, licet eius expressa mentio non fiat, nisi aliunde constet aliam fuisse contrahentium intentionem; & habetur cap. *veritatis* de Iureiur. Quamuis autem quædam Glossa ibi à multis recepta dicat necessarium esse, quòd expressio successorum fiat clarè; id tamen verisimile non est, quod satis colligitur ex cap. *tibi Domine* 63. dist. vbi habetur, quòd is qui iurat obedientiam alteri constituto in dignitate, aut in aliquo officio, exprimendo tantùm nomen dignitatis aut officij, tenetur ex vi illius Iuramenti ad obedientiam omnibus ipsius successoribus in ea dignitate

gnitate aut officio vt si quis iurat obedientiam Papæ aut Episcopo alicuius loci vel Rectori alicuius collegij, obligatur etiam successoribus in officio, etiamsi eos non exprimat. Ita expressè Angelus *Iuramentum* 5.n.40. Syluester *Iuramentum* 4.q.2.dicto 1.& q.3.Antoninus part.2.titulo 10.c.6.§.3.Couarruuias de Pactis 1.part.§ 5.n.4.Abbas & alij canonistæ ad citatum cap. *veritatis*.Matienzo lib.5.recopil.titulo 10.l.3.Glossa 3.n.11.Azor lib.11.c.8.q.5. Sanch. lib.3 Moralium c.13.n.7.Suarius lib 2.de Iuram.cap.31.nu.14. Qui Authores etiam concedunt quod si fortè solum nomen personæ explicet & non dignitatis, vt iuro Petro obedientiam, tunc Iuramentum constringere tantum obedire Petro iuxta regulam generalem quâ Doctores declarant quando intelligatur aliquid concessum personæ ipsi constitutæ in dignitate non verò ipsi dignitati vel è contra: sic v.g. dicendum est de commissione facta alicui sub nomine personæ propriæ non transire ad successorem; secus verò sub nomine dignitatis qua de re latè disputat Sanch.lib.8.de Matrim.disp.27.nu.6.& nos varijs in locis. Quid autem dicendum sit si vtriusque nominis dignitatis scilicet & personæ fiat mentio? varias sententias adducit Sanch. ibidem num.17. & tandem num.20.probabiliorem putat sententiam asserentium non transire ad successores siue nomen dignitatis præponatur siue postponatur nomini personæ.

428. Circa hanc secundam assertionem vt discernamus quando Iuramentum transeat vel non transeat ad successores eius cui iuratur notandum maximè est cum Suario suprà num.16.

Circa hāc doctrinam notandū cū Suario.

Iuramentum sicut non potest obligare successores ipsius iurantis eò quod obligatio Iuramenti propria tantum voluntate contrahatur; ita etiam potest obligare ipsum iurantem alteri & successoribus eius: id enim totum potest velle & intendere iurans,& tunc omnes illæ personæ sunt obiectum Iuramenti & ad talem obligationem in conscientia necessaria est voluntas illa & intentio sé obligandi omnibus exterius manifestata. Potest autem exterius sufficienter manifestari non tantum verbis expressis, sed etiam virtute formæ cuiusdam iurandi vsu receptæ iuxta leges aut consuetudinem & ex modo ac circumstantiis. Quâ ratione Iuramentum fidelitatis præstitum Domino Feudi censetur etiam factum successoribus eius vt constat ex titulo de noua forma fidelitatis, docentque communiter Doctores citato cap. *veritatis* & inter alios Syluester, Angelus Antoninus & Couarruuias & alij apud Suarium suprà.

Infertur 1.

429. Hinc è contra infertur 1. eum qui iurauit fidelitatem Domino vel Prælato suo si ille dominium vel prælationem amittat vel deponat, non debere ei amplius fidelitatem, quamuis debeat successori vt habetur cap. *venerabilem* in fine de electione vbi Glossa, Panormitanus & alij id notant, docetque Syluester, Abbas, Suarius, & Sanch. suprà, Caietanus 2.2. q.89.art.9. ad finem Sotus lib.8.q.1.art.9. ad 2.

Infertur 2.

430. Infertur 2. quando quis iurat ratione dignitatis aut officij quo fungitur non ratione suæ personæ tunc cessante dignitate aut officio cessare quoque obligationem Iuramenti vt si quis tanquam canonicus iuret seruare statuta suæ Ecclesiæ vel tanquam iudex statum iudicum non teneri eo Iuramento deposito canonicatu aut iudicis officio. Ita Abbas dicto cap. *veritatis* n.3.Sanch.capitulo 13.n.10.

Infertur 3.

431. Infertur 3. quoties Iuramentum alicui præstitum est circa rem ad dignitatem aut officium illius pertinentem, transire obligationem ad successorem etiamsi Iuramentum fuerit factum expresso tantum nomine proprio eius cui præstitum absque mentione expressâ dignitatis. Ratio est quia vt rectè & latè probat Sanch.lib.8.de Matrim.disp.27.n.3. ad discernendum an actus sit personalis & consequenter ad successores non transiens an potius realis & transiens, non est principaliter attendendum an fiat expresso dignitatis aut personæ nomine, sed ea consideratio adhibenda est tanquam vltimum refugium quando ex subiecta materia, aliisque circumstantiis & coniecturis id nequit discerni: nam si possit ex illis potius iudicandum est. Nulla autem huius rei vrgentior coniectura esse potest vt iudicetur actus non personalis, sed dignitatem respiciens quam si fiat prætextu rei ad dignitatem pertinentis. Ita contra nonnullos docent in nostro casu Iuramenti Couarruuias & Matienzo suprà Sanch.citato c.13.nu.8.colligiturque ex tradita doctrina Suarij.

Ad discernendum an actus sit personalis an verò realis quid principaliter attendendum.

Infertur 4.

432. Infertur 4. si iurasti stare contractui cum Petro inito aut dare Petro centum teneri te ex Iuramenti religione, & non tantum ex Iustitia, si Petrus fortè ante Iuramenti impletionem moriatur stare eidem contractui & dare centum hæredibus Petri. Ita Sanch. eodem cap.13. nu. 6. Probat verò quia actiones defuncti transeunt ad hæredem cum ergo defunctus habet actionem, vt ex vi Iuramenti illa centum sibi dentur, eadem actio ad hæredem transibit. Iuramentum enim intelligendum est secundum iustam interpretationem eius actus, cui adhæret; actus autem hic ad hæredes transit ergo & Iuramentum.

433. Hæc tamen ratio non videtur omnino firma & doctrina huius Authoris tantum vera est, si limitetur ad contractum seu promissionem validam, & quæ obligationem pariat ex Iustitia: tunc enim Iuramentum transit ad successorem, non quidem ob rationem quam Sāch. reddit nunc, sed ob rationem quam nuper ex eodem reddidimus illatione 3. præcedenti, quia videlicet cum iuras rem seu contractum pertinentem & transeuntem ad successores, reuerà censeris velle & intendere tuo Iuramento etiam successores Petri includere; quia nimirum non iuras solùm intuitu personæ cui Iuramentum præstas, sed respiciendo rem, quam iuras, quæ cum transeat ad hæredes, etiam Iuramenti obligatio illi annexa ad hæredes transit. Quando verò iurasti latroni aut vsurario certam pecuniam, aut vsuras, si ante solutionem latro moriatur, aut vsurarius, non teneris ea soluere hæredibus quia intuitu tantum personæ & iniquæ vexationis ab eâ personâ illatæ id iurasti, nullo autem modo, neque expressè, nec virtualiter, neque vllo signo aut coniecturâ exteriori voluisti te obligare successoribus, nec id vllo modo velles, si in mentem iste casus veniret. Hæc etiam ratione

Doctrina Sanch. limitāda ad cōtractum seu promissionē validā & quæ obligationē pariat ex iustitia.

ne si debebat soluere post vnum annum Petro centum ex contractu cum eo inito & iurasti ob amicitiam vel ob egestatem Petri ea intra vnum mensem soluere non teneris Iuramento, si Petrus præmoriatur, sed solùm ex contractu debes intra annum hæredibus Petri; quia Iuramentum illud non se extendit ex intentione iurantis ad hæredes.

434. Pari etiam ratione, si absque animo remittendi debitum, quod tibi Petrus debebat iurasti te ab eo non repetiturum tale debitum, ne illi molestiam exhiberes, vel ne iniustè ab eo vexareris licitè poteris eo defuncto repetere ab eius hæredibus tale debitum. Atque in hoc casu speciali vera est doctrina tradita ex Azor, quam nos post assertionem primam paulò antè secundam in hunc locum reiecimus, neque contra eam aliquid probat argumentum, quo ibi vsi sumus ex Sanch. falsum enim est quòd actiones omnes ex Iuramento acquisitæ ab aliquo contra iurantem transeant ad hæredes, vt patet in exemplis adductis in 2.3.& hac 4. illatione. Existimo ergo aliquas actiones transire, & aliquas nòn transire ad hæredes, idq́ue pendere ex tacità vel expressà iurantis intentione & voluntate.

Infertur 5. 435. Infertur 5. cum Sanch. eodem cap.13. à nu. 10. explicatio multorum textuum Iuris canonici, quia tamen in omnibus illis agitur quando in casibus Iuramenti debeatur adiri tribunal ecclesiasticum & quando sæculare quæ omnia ad forum merè contentiosum spectant ea duximus omittenda. Legantur in prædicto Authore.

Infertur 6. 436. Infertur 6. vt hæredes & successores eius qui iurauit obligentur ex Iuramento necessarium esse vt ipsi Iuramentum faciant. Quapropter hæres succedens in feudo Iure ciuili & canonico cogitur intra annum iurare vt diximus in nostro opere de Iustitia lib.2. Tract.15. disp. vnica num.161. patetq́ue ex lege 1. de prohibita fraude per alienationem per Fredericum §. *præterea*; & notant omnes in vsibus feudorum.

437. Quamuis autem is qui iurat sæpè maneat obligatus non solum ei, cui Iuramentum præstitit, sed etiam successoribus illius; aliquando tamen in Iure non obstante tali Iuramento se extendente ad successores præcipitur vt quoties Dominus aut prælatus mutatur fiat noua recognitio & nouum Iuramentum fidelitatis & obedientiæ successori, non quidem propter necessitatem Iuramenti, sed propter maiorem recordationem obligationis & propter maiorem honorem successoris atque adeò solum potest tanquam debitum exigi in casibus Iure expressis vt cap. *longinquitate* 12.q.2. docentq́ue Couarruuias citato §.5.n.5. versu 6.& Suarius dicto c.31. in fine.

Assero 3. Iuramentū personale ex parte iurātis potest præstari per procuratorem. Probatur à simili de matrimonio. 438. Assero 3. quamuis Iuramentum sit personale ex parte iurantis, potest nihilominus præstari per procuratorem; vt patet ex multis textibus quos adducit Couarruuias de Pactis part. 1. n.6.& præsertim ex capite vltimo de Iuramēto calumniæ in 6. & c. 1. §. *verum* de statu Regul in 6. Probarique potest primò à simili de matrimonio, quod quamuis actio personalis quæ non potest fieri nisi propriâ voluntate potest nihilominus contrahi per procuratorem vt latè diximus in nostro opere de Sacramentis Tract. 11. disp. 2. dub. 15. constatq́ue ex cap. *finali* de Procurat. In 6. ergo pari ratione quamuis Iuramentum sit actio personalis poterit per procuratorem fieri, imo etiam per nuncium sicut de matrimonio ibidem diximus, & docent Azor, Sanch. & Suarius infrà referendi. Probatur secundò quia Iura canonica & ciuilia sæpè recipiunt & approbant hæc Iuramenta, quæ si promissoria sint secundum eadem Iura obligant non quidem procuratorem, sed eum cuius nomine fiunt vt contingit etiam in matrimonio. *Probatur 2. à iure canonico & ciuili.*

439. Hinc autem fit quod ex natura rei, & ex Iure ipso canonico & ciuili requiratur & necessarium sit speciale mandatum, specialisq́ue commissio facta procuratori illi vt nomine alterius iurare possit adeo vt si procurator absque tali commissione iuret non teneatur pars ex vi illius Iuramenti eo quod absque illius consensu fuerit præstitum; quamuis teneatur ex contractu ob facultatem generalem ad contrahendum suo nomine factam procuratori. Ita docet Couarruuias 1.part.§ 5.num 8 Caietanus 2.2.q.98. art.2.ad 4. in fine. Sotus lib.8. de Iustitia q.2.a.2. ad finem. Iulius clarus lib.4. receptarum §. *feudum* q.49. in fine. Matienzo lib. 5. recopil. titulo 10.l.6. Glossa.2.n 15. Ledesma 2.tom. summæ Tract.11.c.5.dub.2. corollario 4. Azor lib.11.ca. 7.q. vltima Suarius lib.2. de Iuramento c.31. à n. 2. Sanch. lib.3 summæ c.13. à n.17. *Ex natura rei & ex Iure canonico & ciuili requiritur mandatum & commissio facta procuratori vt nomine alterius iurare possit.*

440. Notat verò idem Sanch. nu.19. ex sententiâ Soti, Couarruuias & Ledesmæ nō sufficerè potestatem & facultatem factam procuratori generaliter ad iurandum in quacumque causa partis dantis talem facultatem quæ potestas potest dici specialis respectu actus iurandi; sed requiri facultatem specialissimam vt dixit Couarruuias, nempè alio secundo modo speciali scilicet in tali causa particulari illi commissa, vt significauit lex.2. titulo 7. lib.4. nouæ recopil. ibi. *Responda el Procurador so Iuramento con poder especial estando bien instruido y informado.* Et quidem hoc indubitatum est in Iuramento assertorio vt quando Procurator nomine partis iurat eam non ex malitia opponi executioni aut debitum petitum verè deberi quia nullâ ratione potest procurator Iuramento tali nomine suæ partis præstito asserere aliquid vt verum nisi id in speciali pars ipsa mandauerit fieri. Quod argumentum probat etiam non sufficere generale mandatum ad omnia Iuramenta quæ in alicuius causæ etiam particularis progressu necessaria fuerint. Et quamuis in Iuramento promissorio seruandi contractum non videatur habere locum eadem ratio ac proinde videatur sufficere mandatum speciale ad iurandum licet sit generale ad omnes causas vel saltem ad omnia Iuramenta necessaria in tali causa in particulari; tamen etiam in promissorio prædicti Authores docent requiri speciale mandatum sicut in assertorio. Couarruuias probat id à simili de matrimonio in quo ex Iure Canonico constat exigi speciale mandatum & quoad matrimonium, & cum persona cum qua ineundum est. Sanch. verò id probat quia etiam in promissorio exigitur & necessaria est veritas de præsenti nempè animus seruandi contractus Iuramento promissi ergo debet procurator fieri certior de vero animo mandantis. *Notat Sanch.* *In Procuratore iuraturo requiritur specialis potestas illi pro tali causâ particulari commissa.*

dantis. Et quidem ad Iuramentum de calumnia omninò requiri tale speciale mandatum, nominatâ speciatim causâ & lite, probant cum Bartolo, Abbate, Parbat. & Alexandro, Couarruuias suprà n.8. & Sanch. n.24. contrà iniustam & iniquam praxim.

Addit Sanch.

441. Addunt & notant secundò idem Sanch. suprà n.20. Sotus & Ledesma suprà, non esse licitum, quando quis procuratorem instituit, dari illi generalem facultatem præstandi quodcumque Iuramentum nomine partis, nec virtute eius facultatis posse procuratorem iurare, cùm procurator nequeat certò nosse veritatem quæ est in mente partis, nisi instructus specialiter ab ea.

Notandum 3.

442. Notandum tertiò, & addendum est cum Syluestro v. *Periurium* q. 3. Caietano suprà & Sanch. nu.26. si procurator nomine partis iurans scienter falsum aut dubium, tam procuratorem quàm partem, cuius nomine & mandato iurat, periurium incurrere, quia, quamuis procurator nomine alterius iuret, consentit in periurium partis quam scit falsò iurare per seipsum procuratorem; quòd si procurator bona fide iuret putans partem dicere veritatem certam, immunis erit à culpa & tota refundetur in ipsam partem.

Notandum 4. si pars quæ dedit speciale mãdatum suo procuratori consensum reuocet Iuramentum non valere.

443. Notandum & addendum quartò, si pars quæ dedit speciale mandatum iurandi suo procuratori consensum reuocet, Iuramentum non valere, neque partem manere obligatam coram Deo, & in conscientia tali Iuramento, etiamsi Iuramentum præstitum fuerit à procuratore antequàm reuocatio ad suam notitiam peruenisset: Hoc latè probat Suarius suprà num.5. nullo tamen pro se citato Authore contrà Glossam in cap. *Tibi Domino* 63. dist. quæ ait, si Iuramentum præstitum fuit ante notitiam reuocationis, esse validum & obligare partem ipsam, quod probat Glossa à simili de factis per Iudicem antequàm sciat suam commissionem reuocatam, quæ constat esse valida ex cap. *mandato de Procurat.* Hoc tamen argumentum nihil probat, quia princeps potest facere vt acta per suum Iudicem delegatum ante intimationem suæ reuocationis valida sint, ita acta etiam per quoscumque Iudices delegatos ab aliis inferioribus, in hoc enim pendent ab ipso; non tamen potest facere vt quis sine proprio consensu maneat obligatione propria Iuramenti obligatus, quæ oriri non potest nisi à voluntate propria ex ipso naturali Iure; posset tamen facere vt in prædicto casu maneret obligata pars obligatione quadam forensi seu iudiciali, quæ per modum conuentionis & præcepti potest imponi per Iura præscribentia formam iudicij; At obligatione Iuramenti propria id facere non potest, cùm in dicto casu Iuramentum illud procuratoris in re ipsa fiat sine consensu partis, atque adeo sine intentione iurandi, ergo non potest eam obligationem inducere Iuramenti. Confirmatur: nam verba Iuramenti proprio ore prolata, si fiant sine intentione iurandi, non obligant in vi Iuramenti iuxtà probabilem sententiam, de qua diximus suprà dub.15. assert.2. ergo multò minùs verba per alium prolata poterunt obligare quando deest consensus & intentio iurandi. Imo in hoc multò certius est; nam in illo casu qui profert verba Iuramenti serìò & voluntariè iam aliquid facit per se pertinens ad iurandum, & significans more humano Iuramentum, & adductionem seu inuocationem Dei in testem, ratione cuius probabilius existimabimus illud esse verum Iuramentum, & inducere obligationem: in nostro autem casu verba illa proferuntur à procuratore absque intentione & voluntate partis, quamuis ipse procurator interim nesciat talem partis intentionem. Confirmatur secundò exemplo matrimonij facti per procuratorem, quod constat esse nullum, si tempore contractus procuratio erat reuocata, etiamsi procurator reuocationem ignoraret iuxtà cap. *vlt. de Procurat. in* 6. vbi pro ratione redditur, quia deficit consensus partis, qua de re latè diximus in nostro opere de Sacramentis Tract.12. de matrim. disp.2. dub.15. Sed non minùs requiritur consensus proprius ad obligationem Iuramenti quàm matrimonij, ergo idem in hoc dicendum erit. Si autem pars quæ reuocauerat, posteà ratum habeat id quod à procuratore factum est, ex tunc censebitur Iuramento obligare, iuxtà Regulam 9. & 10. de Reg. in 6.

Argumentũ Suarij pro hac doctrina nihil probat. Ratio.

Confirmatio 1. verba Iuramenti proprio ore prolata si fiant sine intentione iurandi nõ obligãt in vi Iuramenti.

Cõfirmatio 2. exemplo matrimonij.

Notandum 5. Iure humano in aliquibus casibus non admitti Iuramentum per tertiam personam.

444 Notandum & addendum est quintò, de Iure humano in aliquibus casibus non admitti Iuramentum per tertiam personam, sed per propriam, quod frequentiùs contingit in Iuramento assertorio iudiciali, vt colligitur ex cap.2. de Testibus & ex cap. *licet* 2. eodem tit. vbi notant hoc Abbas, Felinus & alij, & ex cap. *Si verò* El.2. de sentent. excom. & ex cap.2. de Hæred. Quibus autem verbis soleat vel debeat explicari in Iure hæc necessitas testificandi & iurandi in propria persona, & non per alium, tractat benè Couarruuias suprà n.8. Azor suprà & Sanch. n. 22. & 23.

Notandum 6.

445. Notandum & addendum sextò dupliciter posse fieri Iuramentum ab aliqua vniuersitate, collegio vel communitate, vt colligitur ex cap. *dilecto de præbendis.* Primò ad obligandos singulos singulariter & diuisim operantes, vt si iurent seruare talem diem festum, vel ieiunare tali die, atque vt obligentur hoc modo singuli obligatione Iuramenti, necessarium omninò est vt singuli iurent modo dicto, scilicet vel per se ipsos, vel per alium cui facultatem præbeant iurandi nomine suo: & nisi iurent hoc modo, non obligabuntur obligatione Iuramenti quicumque in illis nolunt iurare, quantumuis maior pars communitatis iurauerit; quia iurare est actio personalis; poterunt tamen obligari alio titulo v. g. Iustitiæ ex pacto, vel obedientiæ ex præcepto. Secundo modo potest fieri Iuramentum à communitate ad se obligandum collegialiter, vt si iurent non reuocare tale statutum, vel non recipere aliquem Canonicum, vel fratrem vltrà certum numerum, & sic aliis in actibus qui solent fieri ad plura suffragia, in quibus, vt id quod decernitur & statuitur firmetur Iuramento à capitulo, idem numerus suffragiorum & iurantium sufficiet, nam est eadem ratio.

446. Vtrum autem ij qui noluerunt tali Iuramento consentire, maneant obligati obligatione Iuramenti, Suarius putat rem esse satis dubiam lib.2. de Iuram. c.31. n.11. Non tamen improbabile

babile videtur eos, qui non iurarunt, non obligari virtute Iuramenti, sed tantùm pacti, promissionis aut legis, quamuis; postquàm sententia illa præualuit, vt capitulum iuret, & sub Iuramento se obliget, & maior numerus iurauit, alij iure optimo cogi possint ad iurandum, quia tenentur cum toto communitatis corpore se confirmare, & alioquin non posset esse firmum fœdus initum cum capitulo, vel à communitate iuratum, cùm frequenter mutentur personæ de communitate; atque adeo facilè posset cessare obligatio Iuramenti, nullaque esset stabilitas in ea communitate, quod in rebus moralibus magni momenti est. Quapropter eo ipso quòd communitas obligatur Iuramento, tenentur omnes & singuli de communitate iurare.

QVÆSTIO II.

An Iuramentum promissorium implendum sit in propria specie, vel possit per aliquid æquiualens impleri?

Asserendū 1. Iuramētū promissorium homini factū in aliqua certa specie non posset mutari in aliam speciē sine consensu eius cui iurauit.

447. Asserendum est 1. Iuramento promissorio homini facto in aliqua certa specie non satisfit reddendo æquiualens, vel interesse; ac proinde non potest aliquis suâ voluntate commutare rem quam dare iurauit in aliam æqualem, imò nec in meliorem sine consensu eius cui dare iurauit, nisi intelligatur facta exceptio iuxta dicta dub. 3. de eo qui iurauit sponsalia, & vult ad religionem transire, quo casu iuxtà probabilem sententiam, de qua diximus locis ibi notatis, potest ad religionem transire. Hæc est communis sententia Canonistarum in cap. *ad audientiam* 1. & cap. *peruenit* & cap. *quanto de Iureiur.* & cap. *cum inter de renunciatione*, docentque Syluester *Iuramentum* 4. q. 20. & 21. & *Iuramentum* 5. q. 6. Angelus *Iuramentum* n. 33. & 34. qui alios referunt Suarius lib. 2. c. 36. n. 3. qui etiam alios Recentiores refert. Probari verò potest ex dicto cap. *ad audientiam*, & ex illo principio, quòd Iuramentum sequitur naturam actus cui adiungitur; atqui promissio vel contractus implenda sunt in specie promissa, nec sufficit dare æquiualens vt habetur §. 1. *Institut. Quibus modis tollatur* obligatio, & adhuc expressius in l. 2. §. 1. *ff. si certum petatur*. Probari potest vlteriùs, quia nemo cogi potest ad commutandam rem suam, atque adeo neque rem sibi debitam, neque ius quod ad illam habet, ergo nec ille cui Iuramentum præstitum est. Tandem probatur speciali ratione in Iuramento, quia ex vi Iuramenti obligamur verum facere quod iuratum est; sed qui iurauit v. g. laborare in vinea alicuius, non facit verum quod dixit si non laboret, etiamsi soluat interesse, vel alium loco sui substituat, eo vel maximè quòd in Iuramento includitur conditio, nisi alter cui iuratur remiserit; ergo si commutatio fiat eo inuito, fiet directè contrà conditionem in Iuramento inclusam, aç proinde non licet creditore inuito. Quod argumentum probat nostram assertionem esse veram, etiamsi Iuramentum fuerit de faciendo aliquo sine vlla promissione, & sine animo promittendi, supposito quod tale genus promissionis externæ esse possit iuxtà probabilem sententiam.

Probatur 1. *Probatur 2.* *Probatur 3. speciali ratione in Iuramēto.*

Iuramentū promissoriū Deo factū in aliqua certa specie potest commutari in aliam speciem.

448. Consultò locutus sum in assertione de Iuramento facto homini: nam si loquamur de Iuramento quod fit confirmando promissionem factam Deo, vel quod fit absolutè iurando aliquod bonum faciendum, tantùm cum assertione de futuro, sine vlla promissione ad Deum vel ad hominem ordinata, philosophandum est & affirmandum eo prorsùs modo atque in Tractatu de voto, quandò agitur de commutatione, vt rectè probat Suarius lib. 2. de Iuram. c. 10. & c. 36. n. 4.

Cū consensu creditoris potest fieri commutatio Iuramenti.

449. Consultò etiam dixi in assertione quando commutatio fit sine consensu creditoris; nam ipso consentiente certissimum est posse fieri, imò etiam potest fieri commutatio inæquiualens authoritate superioris, quando legitima subest causa, quâ de re dicemus disputatione sequenti.

450. Nostra sanè assertio certissima est in foro conscientiæ, & in Iure canonico, quidquid sit de Iure ciuili, vt notat Suarius dicto capite 36. n. 4. in fine, quod dixerat propter quasdam leges ciuiles quæ videntur asserere promissionem homini factam sufficienter impleri per æquiualens. Atque ita docent Bortol. in l. stipulationes 1. ff. de verbor. oblig. n. 36. & id probat ex illa lege & ex l. si speculum §. 1. ff. de stat. libert. & ex l. si quis ab alio ff. de re iudic.

451. Ego sanè si semel admittam prædictas leges ciuiles vigere, & vsu esse receptas, & esse iustas (potuerunt enim esse causæ sic statuendi vt ad præcidendas lites) consequenter affirmauerim cum iisdem legis peritis, etiam in foro conscientiæ satisfieri promissioni, quia omnis promissio & Iuramentum censetur fieri iuxtà legum præscriptum; cumque in hoc casu statuant leges promissionem, atque adeò Iuramentum impleri per aliquid æquiualens; non video cur in foro conscientiæ non etiam impleatur. Non censebitur autem æquiualens, etiamsi res quæ offertur loco rei promissæ, tantumdem communi æstimatione valeat, si pensatis circumstantiis hic & nunc res in specie promissa prudenter & meritò à creditore præferatur rei quæ loco illius offertur.

Asserēdum 2.

452. Asserendum est 2. quoties commutatur Iuramentum siue ex consensu partium, siue authoritate superioris id in quo commutatio fit, sub obligationem Iuramenti cadit, v. g. iurauit quis sponsalia, conuenit autem cum fœmina vt sit contenta dote; tenebitur posteà ad dotem soluendam, non tantùm ex obligatione Iustitiæ ortâ ex pacto, sed etiam ex obligatione Iuramenti ex qua ad sponsalia tenebatur. Hanc assertionem tradit Suarius lib. 2. cap. 36. nu. 8. & duplici sequenti Arragon. 22. q. 89. art. 9. quos refert & sequitur Sanchez lib. 4. de voto cap. 55. n. 4. nos sic probamus, quia nisi vera esset assertio nostra illa, non esset commutatio, sed extinctio prioris pacti, & Iuramenti, & noua promissio & pactio simplex & nulla; hoc autem consequens falsum est; ergo illud ex quo sequitur. Quòd falsum sit consequens, probari potest, primò à simili de voto; quando enim votum commutatur, noua materia cadit sub voti obligationem vt apud omnes in confesso est: neque enim fit commutatio, quin maneat obligatio illa religionis,

Probatur 1.

religionis, & voti per nouam virtualem promissionem quæ in acceptatione illius commutationis interuenit, quæ promissio, cùm Deo fiat, vim habet voti; ergo idem erit in Iuramento; est enim eadem ratio, & intentio creditoris; imò & ipsius debitoris vt patebit ex ratione sequenti; ac proinde non solùm obligatio promissionis commutatur in aliam eiusdem rationis; sed etiam obligatio Iuramenti in similem obligationem Religionis, suprà materiam nouæ promissionis ex quo patet falli Bonacinam, dum agens de Iuramento disp. 4. q. 1. puncto 17. n. 12. asserit, quando fit commutatio superioris auctoritate Iuramenti, qui non obseruat id, in quod iuramentum fuit commutatum non faceret contrà Iuramentum sed contra pactum, falsò referens Suarium & Sanchez, qui apertè sentiunt contrarium, & horum auctorum loca quæ refert sunt pro altero casu longè diuerso, de quo q. sequenti assert. 5.

Probatur 2. 453. Probatur secundò, quia ea est mens contrahentium in illo casu, & quidem de fœmina quæ iurata sponsalia consentit commutari in dotem, satis manifestum est eam non intendere condonare priorem obligationem, nisi qui sic promisit & iurauit, circa nouam materiam similem obligationem æquè firmam suscipiat, quia non intendit cedere Iuri suo, nisi sub simili vinculo quod alter acceptat saltem virtualiter. Quòd autem idem sit de ipso debitore, probatur à simili de eo qui iurauit facere aliquod bonum opus, qui dupliciter potest commutare quod iurauit, primò exercendo opus melius vel æquale, & tunc necesse est vt per tale opus intendat satisfacere priori obligationi Iuramenti, quo vinculo non liberatur nisi id intendat per talem commutationem; secundò proponendo facere aliquod opus melius vel æquale; tunc autem vt fiat commutatio, necesse est etiam quod intendat similem obligationem Iuramenti suscipere in illa materia, etiamsi talis materia esset Deo promissa, & Iuramentum fuisset de implendo tali voto. Alioquin vel nullo modo dicenda esset commutatio, vel certè esset inualida & iniusta, quia defraudaret Deum; vnde non est verisimile à Deo acceptari; idem ergo est cum eâdem proportione respectu humani creditoris. Cùm autem de nemine præsumendum sit quòd sit malus, semper est præsumendum habuisse hanc intentionem, & reuerà illam habuit in ipsa acceptatione & contractu nisi expressè intendisset non se obligare sub Iuramento; quòd si faceret, peccaret grauiter pro qualitate materiæ, & contractus commutationis esset nullus: videtur enim deceptio in re substantiali, & manebit obligatus priori contractu iurato, de quo nihil dicit Suarius. Ego tamen dixerim, philosophando iuxtà probabilem sententiam, de qua diximus suprà dub. 15. assert. 2. & 5 scilicet verba exteriùs prolata sine intentione iurandi, aut se obligandi, aut promittendi, non efficere verè promissionem aut Iuramentum, neque inducere propriam illius obligationem: si verò loquamur iuxtà sententiam quam ibi & locis ibi notatis probabiliorem iudicauimus, scilicet sufficere verba exteriùs liberè & seriò prolata ad inducendam propriam, tùm Iuramenti, tùm promissionis obligationem contractumque humanum (excepto matrimonio) sufficienter celebrari per talia verba sic prolata ratione consensus debiti; atque adeò neminem qui sciat vim talium verborum sic prolatorum posse simul velle verba proferre, & non velle simul se obligare; dicendum est in nostro casu eo ipso quòd exterius verbis liberè & spontè prolatis fiat huiusmodi commutatio promissionis & Iuramenti in aliam materiam, manere obligationem, non solùm contractus, sed Iuramenti, & illum contractum & Iuramentum esse validum.

454. Contrà prædictam assertionem & doctrinam obiicit Suarius cap. *Clericus de Iureiur.* & communem doctrinam Authorum, quam tradidimus dub. 17. assert. 1. illatione 6. quòd Iuramentum semel iam præstitum non possit extendi ex solo consensu & voluntate iurantis ad alium casum nisi iterum iuret, vt ibi latè probauimus. *Obiicit Suarius.*

455. Rectè autem respondet Suarius disparem esse rationem: nam extensio prioris Iuramenti ad nouam materiam vt sic, non dicit repetitionem Iuramenti, sed applicationem Iuramenti eiusdem ad nouam materiam quæ applicatio est impossibilis, vt probat ratio & textus citatus; si autem extensio latè sumatur pro virtuali vel formali repetitione similis Iuramenti, sic satis constat extensionem in Iuramento habere locum; commutatio autem dicit virtualem repetitionem Iuramenti inclusam in acceptatione, sicut commutatio voti dicet virtualem quandam repetitionem seu emissionem voti circa nouam materiam. Alias adducit Suarius obiectiones quarum doctrina & solutio locum habebunt in sequenti quæstione. *Resp.*

QVÆSTIO III.

Quo tempore incipiat obligare Iuramentum?

456. Assero 1. Iuramentum absolutum statim ac fit, incipit obligare, non tamen pro omni tempore; ita vt semper peccetur si non statim fiat quod iuratur, sed pro eo tempore ad quod promissio, vel assertio ex intentione iurantis dirigitur, vel si ex intentione nullum determinetur tempus, pro eo quod ex vi verborum colligitur, & ex materia & circumstantiis ex quibus etiam solet limitari. Prima pars assertionis patet, nempè quòd statim obliget Iuramentum si sit absolutum; nam ex Iuramento necessariò sequitur obligatio, & in Iuramento absoluto nihil est quod illam suspendat, ergo statim oritur. *Assero 1. Iuramentum absolutum statim ac fit incipit obligare &c.* *Probatur prima pars.*

457. Dixi *in Iuramento absoluto*: nam ex conditionato non oritur statim obligatio ad actum promissum vel iuratum donec impleatur conditio, vt habetur cap. *peruenit de Iureiur.* quia conditio suspendit actum & consequenter Iuramentum. Ideo autem dico ex conditionato non oriri statim obligationem ad actum promissum; nam ad quandam præparationem animi saltem virtualem faciendi id quod iuratur, si impleatur conditio, & ad non resiliendum inuito altero, si alteri factum est Iuramentum, statim oritur obligatio. *Iuramentum conditionatum incipit obligare quando impletur conditio.*

obligatio. Vnde qui iurauit aliquid dare sub conditione, si fortè proponat non dare etiamsi conditio impleatur, Iuramentum animo violat; & qui iurauit ducere Mariam si pater absens consenserit, & non exspectato euentu conditionis aliam ducit inuita Maria, Iuramentum violat, vt colligitur ex Glossa in cap. *super eo de conditionibus appositis* vers. *Alieno arbitrio* docentque Molina disp. 285. q. 4. Suarius lib. 2. c. 35. n. 2. & quidem cùm Iuramentum illud apponatur contractui sponsalitio vt illi accrescat obligatio Iuramenti, sequitur quantùm ad hoc naturam illius, atque adeò sicut contractus ille conditionalis obligat ad exspectandum euentum conditionis iuxtà dicta in nostro opere de Sacramentis Tract. 11. de Matrimonio disp. 5. dub. 16. addita doctrina disputationis 1. dub. 37. Ita similiter Iuramentum.

Probatur 2. pars Assertionis. 458. Secunda verò pars assertionis, quòd scilicet illa obligatio non sit semper pro omni tempore, patet ex eo, quòd tota obligatio pendeat ex intentione iurantis; licet enim impositâ intentione iurandi necessariò sequatur obligatio independenter à noua voluntate iurantis; nihilominus applicatio Iuramenti ad assertionem pro tali vel tali tempore pendet ex iurantis voluntate, quia potest asserere hoc facturum pro tali tempore vel post tale tempus, & non ante, atque adeò vt obligatio Iuramenti sit pro tali vel tali tempore pendet ex intentione iurantis vt rectè Suarius suprà n. 3.

Probatur tertia pars. 459. Tertia verò pars assertionis, quòd scilicet deficiente expressâ intentione colligendum sit ex verbis & ex materia, & ex circumstantiis tempus pro quo Iuramentum obliget. Probatur ex eo, quòd non appareat aliud caput vnde talis determinatio fieri potest. Et declaratur adhuc, quia si Iuramentum sit circà promissionem vel assertionem negatiuam v. g. non nocendi alicui, non ludendi, non ingrediendi talem domum, non assistendi tabulorum ludo, obligat Iuramentum pro statim, seu semper & pro semper vt docent Theologi de præcepto quocumque negatiuo; quia pro omni tempore negat homo abstinere à transgressione, & à faciendo tali opere si verò Iuramentum est de promissione seu assertione affirmatiuâ faciendi aliquid, prudenti arbitrio opus est consideratâ materiâ, occasione & circumstantiis v. g. si quis iurauit se pariturum, intelligitur quando ei præcipiatur; si verò iurauit dare mutuum, intelligitur si petatur, si iurasti respondere, intelligitur si interrogeris; si verò iurasti hoc facere tali die donare vel soluere, tunc non est necessaria exactio, vel petitio alterius cui iurasti (nisi fortè in Iuramento ipso expresseris) quia in ipso Iuramento determinatur tempus.

Aduertit Suarius. 460. Aduertit autem optimè Suarius c. 35. n. 6. etiam quando est necessaria petitio ex parte eius cui iuratur, non posse assignari generalem regulam an sufficiat simplex & pura petitio, vel necessarium sit exprimere sub obligatione præstiti Iuramenti; id enim pendet ex qualitate materiæ & ex vsu; ordinariè verò non videtur necessaria talis expressio. Nihilominùs in generalibus Iuramentis obediendi Prælato, aut Rectori alicuius vniuersitatis & similibus, non censetur exigi Iuramentum, nisi quando exigitur & exprimitur sub pœna præstiti Iuramenti, vt constat ex vsu. Et idem suo modo dici potest de voto obedientiæ (de quo tamen suo loco dicemus) imò multi censent communi vsu illa verba non interponi ad obligandum sub mortali, sed ad commemorandam potestatem, & ad terrorem ne contemnatur superior. Ita Driedo, Couarruuias, & alij quos refert Suarius suprà.

Assero 2. Regula ad discernendum an obligatio Iuramenti sit perpetua, an temporalis. 461. Assero 2. eadem regula, quâ vsi sumus in 1. assertione, seruire etiam potest ad discernendum, an obligatio Iuramenti sit perpetua vel temporalis, ita vt aliquando cesset, vel iam cessauerit. Id enim primò ex intentione iurantis discernendum videtur, & quando de ea non constat ex materia & circumstantiis, & ex verbis ipsis colligendum est, cùm sit eadem ratio. Vnde tam Iuramenta affirmatiua quam negatiua de se obligabunt semper & in perpetuum, nisi ex intentione, aut ex materia ipsa & circumstantiis limitentur ad certum tempus, cum hac tamen differentia, quòd negatiua obligent semper & pro semper; affirmatiua verò semper quidem, sed non pro semper, quia id repugnat naturæ eorum, cùm non possit homo semper & pro semper in vna actione consistere, atque adeò solùm obligant pro designatis quibusdam certis & statutis temporibus, vel pro temporibus opportunis iuxtà materiæ conditionem: vel certè erit facienda coniectura ex occasione & circumstantiis ad arbitrium boni viri, vt de voto etiam diximus in tract. de voto.

Notandum 1. cum Suario. 462. Notandum verò est primò cùm Suario (id quod pro praxi magni momenti est) esse aliqua Iuramenta, quæ licet videantur affirmatiua, & simul obligantia, semper & pro semper, reuerà sunt negatiua, quia negationem includunt v. g. quando iuratur pax seruanda perpetua; tunc enim affirmatio illa non consistit in aliquo continuo actu (id enim homini repugnat) sed in statu quodam habituali perseuerante qui conseruatur per negationem actus contrarij violantis amicitiam.

Notandum 2. eodem. 463. Notandum secundò cum eodem, sæpè Iuramenti obligationem cessare, non tantùm ex intentione iurantis, aut ex materia, sed etiam per conditionem siue expressam siue subintellectam; vnde cùm quis iurauit ad tempus determinatum & præfixum, vel vnam tantùm actionem aut negationem, tunc sanè ex intentione & materia cessat obligatio in tempore determinata; si verò materia iurata reddatur impossibilis vel illicita, aut si concurrat aliquid quod notabiliter mutet statum rerum, ipsa obligatio cessat per conditionem subintellectam in Iuramento, iuxtà dicta dubitatione præcedenti de conditionibus inclusis generaliter vel particulariter, quâ ratione, si fœmina cui sponsalia erant iurata, fornicetur, cessat obligatio Iuramenti iuxtà ibidem dicta.

Assero 3. prorogatio temporis à creditore facta nõ liberat debitorem ab obligatione Iuramenti ante præstiti. 464. Assero 3. Iuramentum soluendi debitum intrà certam diem, si à creditore prorogetur tempus vsque ad aliam diem, manebit obligatio Iuramenti soluendi intrà tempus prorogationis, vnde periurus erit debitor, si vsque ad diem in prorogatione destinatum non soluat. Hæc assertio non ab omnibus admittitur; opposi-

tum enim sentiunt, scilicet extingui obligationem Iuramenti in primo tali opere præfixo, Cardinalis, Cota, Baldus, Decius, Iason vt refert Couarruuias mox citandus. Nostram tamen assertionem expressè docent ipse Baldus, Iason & Decius sibi ipsis contrarij. Item Bartolus, Imola, Felinus, Curtius, Blancus, Rebuffus quos refert & sequitur Couarruuias de Pactis 1. part. in principio nu.6. Guttierrez 1.part. c.39.nu.9. Azor lib.11.c.8.q.13. Sà v. *Iuramentum* num.15. Suarius lib.2.c.36.nu.12. Sanch.lib.3.c.17.n.24. quod latiùs idem docet Sanchez lib. 4. de voto cap.55.nu.6. vbi nu.5. plures refert pro oppositâ sententiâ pro suâ verò innumeros alios; & latè eam probat, quâ de re iterum agemus in Tract. de voto. Ratio autem pro nostra assertione est, quia creditor, sicut non remittit debitum quoad substantiam debiti, ita nec Iuramentum, sed tantùm prorogat tempus quod erat limitatum & præfixum; ergo sicut debitum ipsum erat ante debitum sub Iuramento, ita etiam posteà manet sub eadem obligatione; quia non est vnde potuerit auferri; maximè quia tunc Iuramentum non extenditur ad aliam materiam, neque mutatur vllo modo materia, sed semper manet; nec enim tollitur sed differtur, vt quod pro tempore & deinceps toto sequenti tempore debebatur, donec esset solutum, pro nunc prorogetur, & aliâ viâ debeatur; ergo etiam manet Iuramentum adhærens eidem materiæ; sicut etiam in secundo termino præfixo, & deinceps semper maneret si prorogatio non fuisset facta. Per illam autem prorogationem nihil obligationis antiquæ creditor voluit tollere, sed tantùm eam differre vsque ad aliam diem; vnde illa creditoris dilatio non fuit remissio, vel si fuit, tantùm fuit conditionata in hoc sensu, *permitto tibi dilationem solutionis dummodò hanc totam obligationem & eandem impleas intra talem terminum* quæ intentio creditoris satis nota est moraliter, tùm omnibus, tùm ipsi debitori. Ex parte etiam ipsius debitoris & ex ipsius intentione manet prædicta obligatio, quia ille dum iurauerat, nempè, se soluturum & intrà talem diem, ergo remittente creditore seu prorogante posteriorem obligationem, non manet debitor iurans liber à priori obligatione, sed illa ad diem prorogatam protenditur.

Ratio est.

465. Ex hoc fundamento patet responsio ad quædam quæ solent obiici pro contraria opinione. Obiiciunt enim primò, decisionem Pontificis in cap. *Clericus de Iureiur.* de qua egimus dubit.17. assert.1. illatione 6. cuius etiam suprà meminimus: Respondemus enim disparem esse rationem; nam ibi fiebat extensio Iuramenti ad aliam materiam, hic autem potiùs fit coarctatio intrà materiam eandem; nam Iuramentum soluendi v.g. intrà decem dies, strictius obligabat, & per prorogationem aliqualis fit remissio, non integra, sed cuiusdam partis temporis, & ideò manet quoad reliqua.

Obiic. 1.

Resp.

466. Obiiciunt secundò aduersarij, quòd excommunicatio lata in debitorem, si certo die non soluerit, prorogata eo die per creditorem, cessat omninò excommunicatio, nec contrahitur non soluendo die etiam prorogatâ, ergo etiam in nostro casu cessabit obligatio.

Obiic. 2.

467. Respondetur ea de re varias esse opiniones, vt latè & ex instituto explicuimus in nostro opere de Sacramentis & censuris Tract.10. disp.2.dub.25. & disp.3.dub.17. num.392. sed quantùm ad præsens attinet, respondetur dupliciter primò negando antecedens iuxtà omnium sententiam; secundò negando paritatem, est enim dispar ratio, quia excommunicatio pendet à sola voluntate Iudicis cùm sit actus Iurisdictionis; ac proinde non potest ex solo consensu partis iurisdictione carentis excommunicatio ad aliam diem prorogari, quàm à Iudice assignato; in Iuramento verò, cùm iurans se obligauerit creditori, sicut pendet à voluntate creditoris remittere omninò obligationem Iuramenti, ita ab illo etiam pendet remittere illam seu suspendere pro aliquo tantùm tempore, & non simpliciter idque solum vult facere prorogando. Et quidem si expressè id faciat dicendo, prorogo tempus vsque ad talem diem, dummodò maneas ab illo die obligatus sicut modo es, non tantùm ex contractu, sed ex Iuramento; nemo iure posset dubitare quin maneret tunc obligatus etiam ex Iuramento; Quamuis autem hoc non exprimat disertis verbis, satis constat vt diximus hoc velle, quod tamen in excommunicatione quantumuis ipse exprimat non potest facere remittente Iudice quia excommunicatio non pendet à sua voluntate.

Resp.

Dispar ratio excommunicationis & Iuramenti.

468. Obiiciunt tertiò, si iurasti stare sententiæ proferendæ ab arbitris Iudicibus intra certum tempus de quo fuerat conuentum, posteà verò ex consensu partium terminus prorogetur, & deinde sententia proferatur, non teneris ex priori Iuramento stare sententiæ, ergo nec in nostro casu.

Obiic. 3.

469. Respondetur etiam in hoc esse duas opiniones probabiles. Altera docet factâ eâ prorogatione termini compromissi nullam manere obligationem Iuramenti; ita Couarruuias cum multis quos refert suprà nu.6. Azor suprà q.12. Sanch. suprà nu.23. Hi verò in nostro casu respondent diuersam esse rationem in hoc casu, & in casu tertiæ assertionis, quia in casu eius assertionis transactâ die præfixâ non cessabat obligatio contractus neque Iuramenti; quin potiùs pro tunc & deinceps incipiebat, at verò in præsenti casu finitâ die constitutâ in compromisso extinguenda prorsùs erat illa conuentio & obligatio, si non fieret alia conuentio. Hæc ergo conuentio & prorogatio quæ fit, noua conuentio est & nouum pactum, cumque in ea nulla fiat mentio Iuramenti, nulla censebitur manere Iuramenti obligatio. Altera opinio est probabilior, secundùm quam.

Resp. duas hac de re esse opiniones probabiles.

470. Assero 4. etiam in præsenti casu manere obligationem Iuramenti, & quidem hanc esse magis communem sententiam fatetur idem Couarruuias, qui satis in eam inclinat; eamque sequitur Suarius lib.2. de Iuramento ca 36.nu.14. & Sanchez lib.4. de voto cap.55.nu.10. adiuncto nu.7. pluresque refert. Probari verò potest, quia cùm partes conueniant in hanc prorogationem ante terminum elapsum, nolunt facere nouum pactum in substantia, sed illud idem quod fecerant differunt pro maiori tempore, neque aliam mutationem quam temporis facere intendunt; quapropter id ipsum totum sicut ante erat

Assero 4. etiã in casu præcedentis obiectionis manere obligationem Iuramenti.

erat Iuramento vestitum prorogatur; nullum enim est indicium aut ratio separandi pactum à Iuramento, nec est impossibilitas in vtriusque continuatione, cùm ibi non fiat extensio Iuramenti ad nouam materiam, sicut fiebat in cap. *Clericus*, sed continuatio eiusdem circà eandem materiam perseuerantem, neque potest præsumi alia intentio prorogantium, nisi illam expressè declarant, maximè, quia cùm Iuramentum illi promissioni vt accessorium principali, prorogato principali, censetur accessorium illud comitari, nisi speciali intentione separetur. Secundùm hanc ergo opinionem longè probabiliorem, negamus obiectioni totum quod intendit, quia eadem est ratio in vtroque casu tertiæ scilicet & huius quartæ assertionis; atque ex dictis in eisdem assertionibus comprobatur doctrina tradita in hac dubitatione quæst. 2. assert. 2. vbi diximus quoties commutatur Iuramentum, siue ex consensu partium, siue authoritate superioris id in quod fit commutatio sub obligatione Iuramenti cadere.

471. Sed contrà omnia dicta hîc, & ibi restat adhuc obiectio; nam, si votum Iuramento firmatum commutetur, vel prorogetur in aliud tempus quàm illud præfixum à vouente pro voto implendo, tunc materia per commutationem subrogata, & prorogatio illa facta solo voti vinculo obligat, quia tunc non commutatur aut prorogatur Iuramentum, sed solùm votum & Iuramentum ex consequenti cessat obligare; ergo idem dicendum erit in casu 3. & 4. assertionis, & in casu illius 2. assertionis positæ quæstione præcedenti. Antecedens conceditur à Suario tom. 2. de Religione lib. 6. agente de modis quibus votum & eius obligatio tolli potest cap. 14. nu. 18. & Sanch. lib. 4. de voto c. 55. nu. 12. ergo & nos debemus hoc ipsum concedere. Vt huic argumento respondeam.

Assero 5. voti Iuramento firmati duobus modis posse commutari aut prorogari. Primo.

472. Assero 5. Huiusmodi votum Iuramento firmatum duobus modis posse commutari aut prorogari, primo conueniendo inter commutantem seu prorogantem & recipientem commutationem, seu prorogationem; ita vt commutans & prorogans sub ea tantùm conditione commutet aut proroget, vt recipiens suscipiat in se omninò eamdem obligationem circà materiam commutatam aut prorogatam, atque habebat ante commutationem seu prorogationem, & in eo casu non solùm obligatio voti, sed Iuramenti etiam extenditur ad materiam commutatam & prorogatam; non quidem quia idem ipsum Iuramentum quod factum fuit pro vna materia, & tempore, censeatur extendi ad aliud tempus & materiam, sed quia tunc eâ lege aut conditione admittens dispensationem, virtualiter saltem censetur & vouere & iurare tempus prorogatum, aut subrogatam materiam, & in hoc casu cessat difficultas & tota vis obiectionis, negando voti obligationem posse manere solam absque obligatione Iuramenti circa eamdem materiam subrogatam; oppositum enim constat ex prædictis assertionibus nostris. Altero modo potest fieri commutatio, seu prorogatio solius voti nullâ factâ mentione Iuramenti à commutante vel prorogante; & tunc verum est Iuramenti obligationem non transire ad materiam subrogatam & tempus prorogatum, vt expressè concedunt Authores proximè citati. *Secundo.* In tali autem casu non commutatur aut prorogatur Iuramentum, sed solùm votum; cumque Iuramentum caderet suprà materiam & tempus voti nondum commutati aut prorogati, eo ipso quòd prius votum desinat obligare circà illam materiam aut tempus, corruit obligatio Iuramenti innitentis voto; cumque per commutationem aut prorogationem acceptatam seu acceptationem illius circa solùm votum, nullâ factâ mentione Iuramenti, solùm de nouo voueatur noua materia & nouum tempus, non verò iuretur, hinc est, vt in tali commutatione aut prorogatione voti prioris, quantumuis iurati, non reperiatur pro tali casu obligatio Iuramenti, sed solius voti; sed hoc nihil probat contrà nostram doctrinam, quæ est eadem cum illa quam tradunt Suarius & Sanch. proximè citati; & quamuis loquantur solùm de commutatione voti in aliam materiam; eadem omninò ratio est de prorogatione in aliud tempus. Sed de his omnibus iterum incidet sermo in Tract. de voto.

DISPVTATIO IV.

De Dissolutione seu ablatione Iuramenti.

Agimus de Iuramento promissorio seu de futuro non de assertorio.

1. SOlùm in hac disputatione sermo est de Iuramento promissorio, seu de futuro, non de assertorio, nam vt D. Thomas, quem omnes sequuntur, docet 2. 2. q. 89. art. 9. in Iuramentum assertorium nulla potest cadere relaxatio; nemo enim dispensare potest, facultatemue concedere vt quis falsò iuret; est enim hoc intrinsecè malum. Nec de Iuramento quidem promissorio acturi agemus hic de omnibus modis quibus cessare potest, & tolli eius obligatio; nam quandoque Iuramentum vel nullum est & inualidum à principio, & tunc nulla est obligatio quæ tollatur, vel si fortè à principio obligabat, tota illius obligatio spontè & naturâ suâ cessauit propter rerum mutationem; quâ de re satis dictum est disputatione 3. præcedenti, maximè dub. 3. & 17. vbi etiam egimus de cessatione per interpretationem in casu dubio, quæ interpretatio non tam pertinet ad potestatem Ecclesiasticam & Prælatos Ecclesiæ, quam ad sapientes viros. Ideò huius tractatio non huc spectat, vbi solùm agimus de propriâ ablatione Iuramenti, alioquin obligantis factâ authoritate superioris. Hac de causa non agimus de illo cessationis modo, qui per se satis manifestus est, scilicet per solutionem rei promissæ,

Quatuor vel quinque modis fit ablatio Iuramenti.

per quam extinguitur tota Iuramenti obligatio. Dissolutio igitur seu ablatio Iuramenti, de qua nunc agimus, quatuor vel quinque modis esse potest. Primo per irritationem, secundo dispensationem, tertio per commutationem, quarto per condonationem, quinto per relaxationem. Quomodò autem hæc distinguantur primo loco declarabimus.

DVBITATIO I.

Qua ratione differant Iuramenti irritatio, condonatio, relaxatio, dispensatio & commutatio?

Irritatio, dispensatio, & commutatio communes sūt tum voto tum Iuramento.

2. PRæmonendum in principio est irritationem, dispensationem & commutationem communes esse, tum voto, tùm Iuramento; his enim tribus modis æquè potest tolli Iuramentum ac votum, & eadem ferè doctrina est pro vtroque; quapropter nunc de his tribus breuissimè agemus, reiiciendo ea quæ communia sunt ad Tractatum de voto, id quod cæteri Authores faciunt, solùm autem hoc loco attingemus quæ in Iuramento habent peculiarem aliquam difficultatem. De condonatione verò & relaxatione ex instituto agendum est hoc loco, cùm speciali ratione locum habeant in Iuramento. Vt autem de prædictorum quinque distinctione dicamus, non est cur longiùs protrahamus sermonem, cùm breuiter, quoad præsens attinet, explicari possint.

Hic solum attigemus ea quæ in Iuramento habent peculiarem difficultatem.

Quomodo distinguātur Irritatio, condonatio, relaxatio &c.

3. Irritatio dicitur illa, quæ fit ex parte materiæ per potestatem dominatiuam, vel quasi dominatiuam, sine alia causa præter beneplacitum & voluntatem ipsius irritantis. Condonatio verò est quæ fit à creditore condonando & remittendo debitum seu obligationem; ideo solet etiam appellari remissio; relaxatio verò æquiuocè nimis solet ab Authoribus vsurpari; nam interdum accipitur pro quacumque ablatione vinculi Iuramenti, interdum verò cum dispensatione confunditur, & pro eadem vsurpatur. Quod enim in votis dicitur dispensatio (ait Sanch. lib. 3. c. 19 nu. 1.) appellatur relaxatio in Iuramentis, vt iterùm dicemus dub. 6. in principio; quod aliquando ita esse fatetur Suarius lib. 2. de Iuram. c. 38. nu. 2. qui tamen addit sæpiùs accipi, & magis propriè relaxationem pro dispensatione quæ fit in Iuramentis promissoriis homini factis, quia etiam in his potest aliquando superior dispensare, vt dicemus eadem dub. 6. Quæ verò fit in Iuramentis factis per modum voti soli Deo, seu absolutè fiunt dicitur propriè & strictè dispensatio quatenùs à relaxatione strictè sumpta distinguitur.

Dispensatio seu relaxatio quatenus distinguitur ab irritatione, quid sit.

4. Est autem dispensatio, seu relaxatio quatenus distinguitur ab irritatione, ablatio totalis quæ est ex parte ipsius obligationis per potestatem non dominatiuam, sed superioritatis seu iurisdictionis in ipsam personam, à qua ea obligatio aufertur: vnde fieri debet ex causa rationabili. Itaque irritatio, vtpote pertinens ad potestatem dominatiuam, nullâ indiget causâ; dispensatio verò & commutatio, eò quòd pertineant ad potestatem Ecclesiasticam & iurisdictionis, causâ iustâ indigent. Differunt autem inter se commutatio & dispensatio, quòd per dispensationem, sicut & per irritationem & relaxationem tollitur omninò obligatio Iuramenti; per commutationem verò minimè, sed eius obligatio in aliam materiam transfertur, quòd si transferatur in Eleëmosynam pecuniariam, solet dici redemptio, si verò in alia pia opera, appellatur commutatio vt notauit Syluester v. votum 4. q. 1. in fine.

Modus quo differunt commutatio & dispensatio.

DVBITATIO II.

De Iuramenti irritatione, à quibus & qua ratione fieri possit quando Iuramentum soli Deo factum est?

Assero 1. habēs potestatē dominatiuā potest irritare Iuramenta subditorum.

5. ASsero 1. Qui habet potestatem dominatiuam in alios, potest irritare omnia Iuramenta subditorum quæ præiudicant tali potestati; atqui hæc est propriè & directè irritatio, fierique potest antecedenter, id est antequàm subditus Iuramentum emittat, sicut & consequenter postquam iam iurauit; fit autem hæc irritatio per subtractionem materiæ, neque ad irritandum requiritur causa vlla ex parte irritantis, sed solùm illius beneplacitum vt valida sit imò etiam vt sit licita iuxtà multorum sententiam. Valet etiam quamuis irritans sit excommunicatus, denunciatus, quia non est actus iurisdictionis sed dominij.

Irritatio fit per subtractionem materiæ.

Quinā habent potestatem dominatiuā.

6. Hanc autem potestatem dominatiuam habent Prælati Religionum in suos religiosos, Pater in filios, vir in vxorem, Dominus in seruos. Vnde isti superiores ordinariè possunt irritare omnia Iuramenta realia, id est quæ versantur circà dispositionem, alienationem, seu donationem rerum externarum quæ sunt sub dominio vel principali administratione talium superiorum. Possunt etiam irritare omnia Iuramenta personalia, id est, quæ fiunt circà actiones subiectas & dependentes à talibus superioribus. Horum omnium aperta ratio est, quia Iuramentum obligare non potest in præiudicium tertij; ergo si materia est sub iure alterius, non potest obligare illo contradicente. Quam doctrinam omnes Doctores sequuntur cum D. Thoma 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3.

Iuramenta realia quæ dicuntur.

Quæ personalia.

Fundamētum assertionis.

Notandum

7. Notandum verò est prædictos superiores non posse hâc propriâ irritatione, quæ nullam exigit causam, irritare Iuramenta personalia vel etiam realia subditorum, quando non præiudicant Iuri superiorum & potestati dominatiuæ, vt si Iuramenta fiant de rebus aut actionibus in quibus non subduntur suis superioribus, neque eis præiudicant. Quamuis autem hoc sit in confesso apud omnes quos viderim, tamen circà materiam subiectam potestati prædictorum superiorum non est eadem omnium sententia, imò vtrùm sufficiat quòd actus ipse vouendi, & voluntas ipsa dirigenda in omnibus actionibus suis, etiam piis, subdatur directioni & potestati superioris, & saltem ex hoc capite nulla omninò sit actio vouendi aut iurandi in quacunque materia quæ non subdatur superiori, maximè in multis Religionibus qualis est nostræ Societatis

Religio,

Religio, latè possemus disputare: de his tamen & pluribus aliis agemus magis commodè in Tract. de voto, & aliquid dicemus in 3. assert. & sequentibus.

Assero 2. habẽtes iurisdicti. onis potestatem possunt irritare Iuramenta subditorum indirectè & minus propriè. Ratio.

8. Assero 2. omnes superiores habentes potestatem iurisdictionis in alios, possunt irritare Iuramenta subditorum irritatione quâdam minùs propriâ, quæ fit per substractionem materiæ, vt rectè explicat Caietanus t. 2. ad citatam quæst. 89. a. 9. quem cæteri communiter sequuntur. Ratio est, quia omnis superior habens iurisdictionem in alios, potest legem ferre, præcipere vel prohibere aliquam materiam circà quam, etiamsi subditus iurauerit vel iuret oppositum, non obligabitur Iuramento vel voto, quia in Iuramentis subditorum semper intelligitur exceptum ius superioris, vt habetur cap. *venientes* de Iureiur.

9. Appellabimus autem hanc irritationem minùs propriam quàm præcedentem, quia hæc non solùm vt licitè fiat, sed etiam vt sit valida, requirit causam iustam, non quidem ad irritandum, sed causam iustam præcipiendi aut prohibendi, quâ suppositâ Iuramentum aut votum manet irritum, quia iam est de materia illicita vtpote prohibitâ. Si tamen præceptum aut prohibitio essent iniusta, nulla sequitur irritatio, sed validum & firmum manet Iuramentum aut votum. Quam doctrinam vt certam & verissimam tradunt Suarius lib. 2. de Iuram. c. 38. nu 3. & 5. & lib. 6. de voto à c. 1. per plura capita & Sanch. lib. 4. summæ c. 24. n. 7.

Infertur.

10. Hinc autem infertur, non posse hos superiores eo genere irritationis omnia Iuramenta aut vota subditorum irritare, sed tantùm ea quorum materiam possunt iustè licitè & validè præcipere vel prohibere. Quod etiam certissimum est apud omnes, vt docent Sanchez & Suarius.

Assertio 3. probabile est Prælatos Religionis posse omnia Iuramenta suorum Religiosorũ irritare validè absque vlla causâ &c.

11. Assero 3. probabile est Prælatos Religionis posse omnia Iuramenta suorum Religiosorum irritare validè absque vlla causa (imò & secundùm aliquos licitè absque causa, quamuis multi putent esse actum otiosum, ac proinde veniale peccatum absque causa id efficere, de quo Sanch. lib. 4. citato c. 24. à nu 1.) Item probabile est posse Patres irritare etiam absque causa Iuramenta filiorum impuberum, & maritos omnia Iuramenta vxorum. Tutores quoque omnia Iuramenta minorum impuberum. Ita Sanch. lib. 3. summæ c. 19. nu. 2. cuius fundamentum est, quia

Ratio.

eodem modo obligant Iuramentum & votum, cùm vtriusque obligatio oriatur ex propria voluntate iurantis aut vouentis; cumque prædicti subditi non solùm subdantur superioribus prædictis quoad materiam promissam præiudicantem superioribus, sed etiam quoad ipsam voluntatem, meritò poterunt irritare omnia quæ ab eorum voluntate proficiscuntur, quia in illis omnibus intelligitur imbibita conditio, nisi prælatus, pater, aut vir repugnet, vel si illi placuerit. Et quidem de votis Religiosorum aut impuberum communis est sententia, & de votis vxoris etiam multi id docent, quos sequitur Sanch. lib. 4. c. 34. De Iuramentis verò in specie solus Sanch. id affirmat loco citato, quia multi Authores eodem modo philosophantur de obligatione contracta per votum, & contracta per Iuramentum quos citauerat eodem lib. 3. cap. 9. lib. 1.

Improbabile tamen nõ est secundũ rationẽ Prælatos Patres &c. licet omnia subditorum vota irritare possint nõ posse tamen irritare omnia eorum Iuramenta. Ratio

12. Non videtur tamen improbabile si præcisè rationibus insistamus prædictos Prælatos, Patres, Tutores, Maritos etiamsi possint irritare omnia vota prædictorum subditorum, non ideò posse irritare omnia eorum Iuramenta, sed tantùm ex parte materiæ, hoc est tantùm Iuramenta quæ præiudicant potestati dominatiuæ aut iurisdictioni eorum iuxtà 1. & 2. assertionem. Fundamentum autem est discrimen quod versatur inter Iuramentum & votum; probabile enim satis est quod obligatio voti ita oriatur à voluntate vouentis, vt etiamsi emittat votum, nolens se obligare, non oriatur obligatio; quapropter sicut voluntate propriâ potest ipsemet vouens impedire obligationem voti, ita etiam superior, quia tota voluntas subditi pendet à voluntate superioris. Vnde quidquid faciunt prædicti subditi, valorem habet dependenter ab inclusa conditione nisi superior contradixerit, aut si superior consenserit; at verò obligatio Iura-

Iuramenti obligatio Iure naturali sequitur ex ipso actu Iurãdi.

menti Iure naturali sequitur ex ipso actu iurandi seu ex natura Iuramenti propter reuerentiam Deo debitam, ita vt qui vult iurare, etiamsi nolit se obligare, maneat reuerà obligatus, quia nimirum obligatio Iuramenti non pendet à suâ voluntate supposito quod iurat, ergo neque pendebit à voluntate sui superioris, qum potiùs sicut

Hinc posito Iuramento oritur ex illo obligatio velit nolit iurãs.

posito Iuramento oritur ex illo obligatio velit nolit iurans, ita eodem posito orietur obligatio velit nolit superior. Ita docent Valentia tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 4. §. 3. v. *Quartam* & Suarius lib. 2. de Iuramento c. 38. nu. 12. Legantur quæ diximus disputatione præcedenti dub. 15. §. *restat modo* & sequenti, vbi ex variis Authoribus adduximus probabilem sententiam, quòd Iuramentum naturâ suâ inducat obligationem independenter à voluntate, & posteà in §. *Hoc tamen*

Disparitas inter votũ, promissionẽ externam, & Iuramentum externum.

ostendimus disparitatem inter votum quod interius fieri potest, & promissionem externam, externumque Iuramentum, & ostendimus probabile esse Iuramentum exterius factum naturâ suâ obligare, non verò votum, quia in voto promissarius est Deus, cui notus est internus animus non se obligandi, aut reuerà non vouendi etiamsi externa verba proferat; cùm tamen ad iurandum, sicut ad promittendum homini sufficiat voluntas exterius proferendi verba iurandi aut promittendi id quod paulò ante diximus ibidem assert. 5. Ibi legatur.

Assero 4. irritatio quæ fit ex parte ipsius obligationis, & non tantum ex parte materiæ est perfecta irritatio.

13. Assero 4. irritatio de qua locuti sumus in 3. assert. quæ fit ex parte ipsius obligationis tollendo ipsam obligationem in se, & non tantum ex parte materiæ (sicut diximus in assertione 2.) est perfecta irritatio & simpliciter atque directa, quâ semel factâ omninò extinguitur obligatio, ita vt nunquam redeat neque reuiuiscat. Quapropter si Prælatus Religionis semel irritet votum aut Iuramentum sui subditi, semper subditus ille manet liber à tali obligatione: & idem est de Patre aut Tutore irritante votum aut Iuramentum filij impuberis, & secundùm alios etiam idem est de viro irritante votum vxoris; intelligitur autem de votis aut Iuramentis emissis tempore quo erant subditi prædictis superioribus,

rioribus, non verò de iis quæ ante subiectionem emissæ erant. Qua de re legi potest Sanchez lib. 4. c. 28. & 31. Hæc assertio satis videtur certa. & pauci Authores eam negant, plures verò tradunt quos referunt & sequuntur Valentia, Suarius & Sanch. posteà citandi.

Assero 5. irritatio quæ fit per potestatem Iurisdictionis non extinguit obligationē voti aut Iuramenti simpliciter.

14. Assero 5. irritatio quæ fit per potestatem iurisdictionis quæ impropria dicitur & minus perfecta, non extinguit obligationem voti aut Iuramenti omninò, sed tantùm eam suspendit pro tempore quo durat præceptum & prohibitio; vnde cessante prohibitione aut subiectione illi superiori, reuiuiscit ea obligatio & quasi recuperat pristinas vires. Hæc etiam assertio est certa & communiter recepta.

Assero 6. ac quæ fit per potestatem dominatiuā extinguit omnino obligationem voti & Iuramenti.

15. Assero 6. irritatio quæ fit per potestatem dominatiuam (de qua egimus in 1. assertione secundùm probabilem opinionem) perfecta est & propria, ac proinde etiam extinguit omninò obligationem voti aut Iuramenti semel irritati, ita vt nunquam reuiuiscat; quam opinionem contra Valentiā & Suarium latè probat Sanch. sed cum limitatione, dummodò vota aut Iuramenta emissa fuerint tempore subiectionis tali potestati dominatiuæ, saltem in specie, id est, huic superiori vel simili. Nam si ante subiectionem, vel sub subiectione alterius potestatis dominatiuæ diuersa in specie id contigit, non poterunt irritari hâc perfectâ irritatione, sed altera irritatione quæ suspendit obligationem. Qua de re agit Sanch. citato lib. 4 c. 31. & 28.

Fundamentum ex D.Tho.

16. Fundamentum verò nostræ sententiæ explicatæ tribus vltimis assertionibus est, quia vt docet expresè S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 8. ad 4. in omni voto (& idē est de Iuramento facto ab eo qui est sub potestate dominatiua alterius circà materiam subditam tali potestati dominatiuæ imbibita est conditio, si talis Dominus consenserit aut non contradixerit; ergo illo non consentiente aut contradicente subditus manet omninò liber; nec enim minùs operatur illa conditio virtualiter inclusa, quàm si expresè adhiberetur; atqui si prædicti subditi vouerent aut iurarent sub hâc expresâ conditione, si Prælatus Dominus, Pater, aut vir consenserit, eo non consentiente votum aut Iuramentum maneret irritum in perpetuum sicut maneret si conditionem ex cuiusque alterius arbitrio pendentem apponeret & alter dissentiret.

Confirmatio.

17. Confirmatur; quia si is qui habet perfectum Dominium, non solùm in materiam, sed etiam in personam & voluntatem alterius, potest omnia vota illius irritare, eò quòd ratione illius perfecti dominij omnia illius subditi vota habent imbibitam prædictam conditionem. Ita etiam quando adest partiale voluntatis subditi dominium, nempe circà materiam peculiarem promissam, poterit superior directè & omninò irritare vota circà illam materiam: nam ratione illius dominij eamdem includunt conditionem. De superioribus verò qui tantùm habent potestatem iurisdictionis & non dominatiuam, optimè docet S. Thomas, vota subditorum non habere conditionem hanc sic latè & generaliter imbibitam, vt videre est in eadem quæst. 88. a. 12. ad 2. sed tantùm aliam peculiarem, scilicet nisi iustè id prohibeant aut iustè oppositum præcipiant. Quam doctrinam fatetur Sanch. suprà, non solùm à multis Authoribus quos refert, sed etiam in communi praxi esse receptam & Caietanus art. illo 8. dubio penultimo eam rectè probat ex cap. *Quidam* & cap. *placet* de conuersione coniugatorum, vbi vir professus vxore irritante illius votum dicitur non teneri illâ mortuâ ad religionem, teneretur autem si votum non esset extinctum, sed tantùm quasi sopitum.

Ex dictis. Colligitur 1. quoad potestatem summi Pōtificis in ordine ad irritanda Iuramenta.

18. Ex dictis colligitur 1. posse Pontificem summum irritare Iuramenta præstita circà rerum Ecclesiasticarum & officiorum Ecclesiasticorum distributionem, vt circa augenda aut minuenda beneficia, circà non admittendos canonicos vltrà certum numerum, circà rerum Ecclesiasticarum alienationes, quia circà prædicta habet plenam potestatem dominatiuā. Quam ob rem potest irritare Iuramentum Clerici de danda consanguineo certa quantitate fructuum beneficij, quia dispositio seu dispensatio illorum fructuum semper est subordinata Pontifici. Pari etiam ratione Iuramentum de alienando, vel non alienando beneficium, aut de illi renunciando. Item votum Clerici beneficiarij aut Episcopi, & etiam Iuramentum de faciendâ longâ peregrinatione, vel de ingrediendo religionem, quia obest rectæ gubernationi Ecclesiæ, & semel irritato Iuramento eo aut voto nunquam reuiuiscit. Vnde, quamuis posteà beneficiarius aut Episcopus beneficio vel Episcopatui renunciet, aut deponatur ab eo, non tenebitur ingredi religionem, vel peregrinationem exequi iuxtà dicta in 6. assert. atque in hoc speciali casu docent expresè Abulensis in caput 30. numer. q. 67. & Angelus v. *votum* 2. n. vltimo. Caietanus in summâ v. *votum* cap. *de quatuor conditionibus* §. *imperfectio autem ætatis* Sanch. lib. 4. c. 26. num. 6. etiamsi oppositum doceat Suarius lib. 6. de voto c. 2. nu. 8. Eodem modo censendum est Episcopum posse irritare irritatione perfectâ quæ nunquàm reuiuiscat, Iuramenta aut vota suorum Clericorum habentium beneficia exigentia residentiam, si vergant in præiudicium suæ Ecclesiæ, vt sunt Iuramenta longæ peregrinationis & similia. Ita Sanchez lib. 4. c. 24. nu. 21. & c. 25. num. 44. & c. 26. nu. 7. Non tamen Episcopus potest irritare votum aut Iuramentum de ingrediendo religionem emissum à suis subditis, quia tale votum benè possunt & emittere & exequi, quantumuis contradicat Episcopus. Tantùm enim specialiter statuitur de Episcopo quod nequeat eo se voto adstringere absque licentia Pontificis cap. *licet* versic. *illa* de Regul. ita S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 7. imò teste Sanch. citato lib. 4. c. 25. nu. 47. Ita sentiunt omnes Doctores nemine contradicente & constat ex cap. *finali* 19. q. 2.

Colligitur 2. non posse summum pontificem irritare omnia Iuramenta & vota sæcularium nec etiam clericorum. Ratio.

19. Colligitur 2. non posse Pontificem irritare omnia Iuramenta & vota sæcularium, laicorum, nec etiam clericorum aut Episcoporum, licet possit ex iustâ causâ ea omnia dispensando rescindere: nam ad dispensandum vt scilicet dirigat subditos in finem spiritualem, gaudet plenissimâ ac supremâ potestate; caret verò potestate dominatiuâ, cuius potestatis tantùm est pro libitu irritare omnia vota & Iuramenta solùm ergo potest ea vota aut Iuramenta irritare, quo-

rum materia subiacet suæ potestati dominatiuæ. Item omnia vota eorum subditorum quorum voluntas subiacet potestati dominatiuæ; de Iuramentis verò philosophandum est iuxtà dicta assert. 3. vbi etiam hoc ipsum probabile esse diximus quamuis & probabile sit oppositum, & quod attinet ad præsens ita docet Sanch. lib. 4. c. 24. nu. 18. cum communi ferè omnium doctorum.

Potest Pontifex circa omnes Religiosos quicquid possit prælati eorum regulares.

20. Addit etiam Sanch. cum multis nu. 20. Pontificem posse circa omnes religiosos quidquid possunt eorum Prælati regulares, quia est omnium religionum supremus generalis, & omnes etiam Prælati regulares illi subduntur voto obedientiæ, quia ipsi tanquam omnium capiti fit votum obedientiæ.

Ratio.

Illatio authoris quoad Episcopos ex regularibus assumptos.

21. Ex hoc ergo consequenter intulerim, posse Pontificem irritare omnia vota & Iuramenta Episcoporum qui assumpti sunt ex regularibus: nam hi quamuis eo ipso eximantur ab obedientia Prælatorum regularium sui ordinis, manet votum obedientiæ comparatione Pontificis, nec desinunt esse religiosi; atque adeò non deest Pontifici illa potestas denominatiua de qua diximus in 3. assert. circà voluntatem talis Episcopi regularis. Solùm in vno casu posset de hac re dubitari propter specialem rationem, nempe si quis religiosus nostræ Societatis IESV non professus professione solemni, sed cum tribus votis substantialibus simplicibus quæ emittuntur post biennium, & constituunt verè & essentialiter religiosum, vt definitum est à sede Apostolica; si talis, inquam, religiosus assumeretur ad Episcopatum, an Pontifex haberet in illum eam potestatem dominatiuam quam diximus habere in Episcopos regulares alios professos, vel censendi essent omninò sæculares & liberi à votis?

Dubiũ in vno casu de his qui è Societate eligãtur ad Episcopatũ.

Ratio dubitandi pro parte qua affirmat cēseri ipsos sæculares.

Ratio dubitandi pro parte quæ affirmat censeri sæculares, est, quia prædicta vota non sunt absoluta, sed conditionata duratura pro tempore quo superiores, nempe generalis & alij ex eius commissione iustè & meritò iudicent illum esse dimittendum ex societate nostra; atqui in hoc casu prædictus assumptus in Episcopum, saltem à Pontifice, qui supremus superior est, liberatur à Societate & obedientia superiorum illius cæterisque obseruantiis regularibus; ergo illa vota religiosa conditionalia pro tempore quo retineretur à superioribus in societate, deficiente conditione cessant.

Nec refert.

Nec refert si dicas illum non dimitti ex societate, & liberari à consortio & legibus cæterorum propter aliquod delictum aut culpam, sed potiùs propter opinionem virtutis, sapientiæ & aliarum animi dotum, ratione quarum assumitur in Episcopum; hoc (inquam) non refert; nec enim sola culpa aut demeritum causam præbet sufficientem generali & societate nostræ dimittendi aliquem religiosum non professum; fieri enim potest vt absque illius culpa & demerita dimittatur, aut ob iustas alias causas, quas modò nec referre, multò minùs examinare vacat; ergo in nostro casu, non quia sine culpa ille factus est Episcopus, ob eamque rem dimissus est è societate, censebuntur vota permanere, quin potiùs cessare defectu conditionis. Ex alio verò capite in contrarium.

Pro cõtraria parte quod scilicet sic assumptus adhuc maneat Religiosus & pontifici vt talis pleno iure subiectus.

22. Pro contraria verò parte, quòd scilicet adhuc sic assumptus ad Episcopatum maneat religiosus, & Pontifici tanquam talis pleno iure subiectus; ratio esse potest, quòd ille non sit à societate dimissus, sed assumptus ad pastoralem dignitatem, quàd si hanc dignitatem habere potest, ac retinere religiosus professus, nec dignitas Episcopalis religiosum statum destruit, non repugnans iuxta veriorem sententiam cum tribus substantialibus votis solemnibus; ita similiter manere potest status ille religiosus constitutus per vota simplicia cum eâdem Episcopali dignitate absque vllâ repugnantiâ vtriusque status; nec est cur censeatur, præsertim inuitus, eo ipso per illam assumptionem absque vllâ aliâ culpâ, vel legitimâ causâ priuari eo statu religioso, nec est cur credatur ex eo tantùm capite quod sit assumptus ad Episcopatum voluisse Pontificem, aut potuisse religionem aut superiorem illius illum exauthorare nihil tale merentem; atque hoc est quod mihi magis placet; ideoque puto illum subditum Pontificis non solùm iurisdictione generali omnium Episcoporum etiam sæcularium, sed etiam potestate dominatiuâ quam specialiter habet, ergo religiosorum voluntates modo explicato. Insuper gaudere omnibus priuilegiis & communicatione communium bonorum spiritualium & suffragiorum totius religionis ex qua assumptus est. Hæc dixerim saluo meliori iudicio alterius cuiuscumque, quem non viderim hucusque de hac re disputantem.

Ratio.

Authoris iudicium.

Saluo meliori.

Addit author etiam saluo meliori Iudicio.

Potest in casu generalis ex societate dimittere Episcopum etiam consecratum.

23. Illud autem addiderim, saluo etiam meliori iudicio, posse superiorem societatis Generalem per se, vel per alium aliquando talem sic electum, imò & consecratum ex societate dimittere, ita vt desinat haberi & esse vir societatis in vno aut altero casu; primò si postquam electus est & consecratus, nouerit superior certò moraliter illum ambiuisse, & procurasse eam dignitatem, eamque esse sufficientem causam illum dimittendi à sua religione propter bonum eiusdem communitatis, ne ea videatur approbare, sed potiùs respuere iuxtà suum institutum huiusmodi ambitum: quamuis enim religiosus hic de quo agimus nondùm sit professus solemniter, atque adeò non emiserit quinque vota simplicia quæ emittuntur à professis nostræ societatis post vota solemnia, quorum vnum est non ambire dignitates ne indirectè quidem; quamuis (inquam) hic non professus non emiserit tale votum, meritò tamen deberet in re tanti momenti ipsis se professis conformare, nec tale alienum moribus societatis exemplum cæteris præbere: vnde dignus est qui pro maiori communitatis bono à superioribus iudicetur non habere spiritum conformem nostro instituto, & censeatur exindè dimissus à nobis, quia non erat ex nobis, id est, ex proprio societatis spiritu, qui ad has dignitates non modò non aspirat, sed se ostendit auersum, nisi quis ex obedientia id potentis præcipere compellatur. Porrò hanc esse causam sufficientem dimittendi ex societate non professum, video sapientissimos viros aliquos à me consultos ita sentire; imò audio à fide dignis non ita pridem dimissum fuisse ex nostra societate, nescio quem sacerdotem non professum vel hoc tantùm nomine vt credebatur quod inuentus

uentus fuerat ambiuisse Episcopatum, nescio quem dimissus autem fuisse dicitur quando prona iam erat res tota vt Episcopus fieret, nec multò postquam iam fuisset dimissus, factus fuit Episcopus, quem ego Episcopum vidi; verum autem aliæ causæ concurrerint vt è societate dimitteretur, nihil habeo certi quod affirmem. Illud vnum ausim affirmare, quòd si societas iudicauit sufficientem causam dimittendi non professum esse, quòd Episcopatum ambiuerit, etiamsi nondum ad eum non ambiendum voto sit astrictus id ipsum esse sufficientem causam ad dimittendum illum ex nostra societate, quantumuis talis ambitiosus iam sit electus, aut etiam consecratus Episcopus: quamuis enim persona illius sit iam in eo casu à iurisdictione superiorum societatis exempta, parùm mihi videtur referre; nec enim tunc propriè & directè exercet superiur Religionis actum aliquem in personam illius, aut iudicium fert de actu aliquo quem ea persona exempta fecerit postquam iam exempta est, sed cùm sibi certò & sufficienter constet illum hominem habuisse spiritum alienissimum, à spiritu societatis, meritò iudicat ab illo tempore indignum fuisse qui retineretur in societate, & (quod caput est) cùm ea potestas dimittendi aliquem non professum ex societate concessa fuerit à summo Pontifice Præposito Generali, vt ea vtatur pro casu, quo siue ipsi dimittendo, siue potiori ratione commoditatis societatis iudicauerit prudenter expedire; cumque maximè expediat societati omninò non habere, nec computare in suum gremium hominem sic ambitiosum, vt cæteri à simili vitio sibi diligentiùs caueant, meritò in hoc casu poterit indicare Generalis Præpositus societatis talem hominem iam factum Episcopum per ambitionem non esse computandum in nostrum gremium, & eo ipso cessabunt vota quæ emiserat in societate conditionalia, & dependentia ab ea conditione iuxtà nostras constitutiones, scilicet pro tempore quo iuxtà easdem constitutiones societas, vel superior illius iudicauerit expedire, & censuerit esse retinendum sic vouentem. Itaque tunc perinde erit atque quicumque alius Episcopus sæcularis, nec Pontifex quoad irritanda vota habebit eam potestatem dominatiuam quam habet tanquam supremus Religiosorum Generalis in Religiosos etiam Episcopos vt explicatum est. Sed iam ad nostrum institutum regrediamur.

Potestas dimittendi nō professum à societate cōcessa fuit à summo pontifice.

Dubium aliud.

24. Dubitari verò vlteriùs potest an Pontifex possit irritare Iuramenta eorum qui cum ad licentiatus gradum promouentur in aliqua Academia, iurant se in alia Doctoratus gradum non accepturos. Affirmant Abbas, D. Antoninus, Angelus, Syluester, Tabiena, Azor, Caietanus, Couarruuias & alij quos refert Sanch. lib. 3. summæ c.20.nu.1. Negat verò Sotus lib.8. de Iustitia q.1.a.9. circà solutionem ad 3. dicens requiri causam atque adeò tantùm posse dispensare. Vtrumque mihi videtur probabile; & in hoc posterius magis inclinat Sanch. quamuis non omninò clarè loquatur; concedit quidem tenere factum rescindente Pontifice Iuramenta ob plenissimam potestatem quã super hanc materiam fungitur, & in hoc approbat Caietanum & alios, & quidem Caietanus comparat hanc facultatem potestati quam habent Parentes irritandi Iuramenta filiorum, & viri vxorum, quod mihi magis placet, atque adeò absque vlla causa potest irritare. Imò vt plenè dicam quod sentio, cùm huiusmodi Iuramentum factum fuerit in gratiam vniuersitatis, quæ authoritate pontificiâ erigitur, & illius caput habetur supremum ipso remittente eam promissionem iuratam quantumuis cæteri renuant, cessabit obligatio Iuramenti. Hæc tamen condonatio potiùs quàm irritatio dicenda est.

Colliges 3. parentes posse irritare Iuramenta realia & personalia filiorum, viros vxoris &c.

25. Colligitur 3. etiam Parentes posse irritare Iuramenta realia & personalia filiorum, & viros vxorum, & dominos seruorum in iis quæ præiudicant dominio seu potestati eorum, vt omnes communiter docent cum D. Thoma q.89. a.9. ad 3, Syluester *Iuramentum* 3.q.7. & habetur in libro numer. cap. 30. In his autem irritationibus philosophandum est iuxtà suprà dicta assertione 3. & sequentibus, & iuxta ea quæ dicimus in Tract. de voto circà dubitationem voti, vbi de his personis in particulari disputamus.

Colliges 4. posse principes irritare aliqua Iuramenta suorum subditorū. Ratio.

26. Colligitur 4. posse etiam Principes seu potestates sæculares irritare aliqua Iuramenta suorum subditorum; quamuis enim hi non habeant directam potestatem in Iuramentum quod ad forum Ecclesiasticum pertinet, iuxtà caput vltimum de foro competenti in 6. nihilominùs ratione materiæ possunt irrita facere illa Iuramenta, quæ eorum dominio, potestati aut iurisdictioni præiudicant. Hac ratione Rex potest irritare Iuramentum factum à suo subdito, vel de donanda quantitate pecuniæ, vel de eundo in alium locum, vel de simili alia re; potest enim prohibere illum ne discedat tali loco, vel ne abeat ad talem locum, vel ne donet; tunc autem Iuramentum desinit obligare, quia incipit esse de re illicitâ. Hac etiam ratione potestas Ecclesiastica poterit interdum irritare Iuramenta laicorum, prohibendo actus circà quos versantur, quando materia talis est vt ad Ecclesiasticam potestatem pertineat. Quia verò hæc non possunt ab his potestatibus pro libito prohiberi vel recipi, sed ex rationabili causa iuxtà dicta assert. 2. ideò in tali modo irritationis adesse debet iusta præcipiendi aut prohibendi causa, nec tamen causa requiritur maior aut specialis propter interpositum Iuramentum subditi, quàm si id non fuisset; neque enim vi Iuramenti subditorum potest impediri in principe aut Prælato vsus suæ potestatis, & ideo hæc irritatio propriè vocatur. Ita Suarius lib. 2. de Iuramento cap. 38. num. 5.

DVBITATIO III.

Quinam possint irritare Iuramenta facta homini in eius fauorem?

Asserendū qui possunt irritare subditorum contractus possunt & Iuramenta illos confirmantia at

27. ASserendum est illos superiores qui possunt irritare contractos subditorum, posse etiam irritare Iuramenta quibus tales contractus firmati sunt, qui verò eos contractus irritare non possunt, neque eorum Iuramenta quibus confirmantur posse irritari. Ratio prioris partis est, quia quamuis illa irritatio in alterius præ-

quid possint illis, vt hoc possunt. Ratio prioris partis. Ratio posterioris.

præiudicium vergat, possunt nihilominùs superiores vti iure suo tollendo Iuramenti materiam in quam habent potestatem. Ratio verò posterioris est, quia non habent ius, neque id possunt in præiudicium aliorum, in quorum contractum rescindendum nullam habent potestatem, atque adeò nullo iure proprio vtuntur si id faciant; quando autem Iure suo non vtuntur, non possunt in tertij præiudicium operari. Ita Sotus lib. 8. de Iustitia q.1.a.9.ad finem corporis; Ledesma 2.tom.summæ Tract.51.c.4. dub.1. Lessius lib.2. de Iustitia c.42 nu.61.Suarius lib.2.de Iuramento c.38.à nu.7.Sanch.lib.3.ca.20.num.3. & alij.

Infertur 1. Prælatum regularem posse irritare quamcumque promissionem factam à Religioso. Ratio.

28. Hinc infertur 1. Prælatum regularem posse irritare quamcumque promissionem factam à religioso, etiamsi is Iuramento firmauerit; tùm quia religiosus omni suâ voluntate caret, ideoquè nihil firmum efficere potest absque superioris consensu; tum etiam quia absque hoc consensu nec naturaliter obligatur, vt dicemus agentes de voto paupertatis; & quamuis id neget Nauarrus comm.2. de Regularibus nu. 42. versic.15. eum aliis; ipsemet tamen fatetur ibidem posse superiorem contractus religiosorum, sicut & vota irritare, ideò nostram sententiam sequitur Sanch. suprà, & colligitur ex his quæ docet Suarius suprà num.7. An verò satis consequenter loquatur dicemus illatione vltimâ.

Infertur 2. quoad Dominum & seruum

29. Infertur 2. si seruus iuret aliquid homini quod in Domini præiudicium vergat, posse Dominum irritare illud Iuramentum; secus verò si in Domini præiudicium non vergat: nam in his quæ Dominum non lædunt, obligatur seruus *naturaliter* l. naturaliter ff.de condit.indebiti & in Castella l.5.titulo 12. partit.5. Eapropter sicut Dominus non potest irritare eos contractus, ita neque Iuramenta.

Infertur 3. de viro respectu vxoris.

30. Infertur 3. virum non posse irritare Iuramentum vxoris super contractum qui non vergat in præiudicium viri, & factum sit in fauorem alterius; vt si quæ mulier promisit bona alteri quibus tantùm potiatur post vxoris mortem, aut post mortem viri. Ita Sanch. suprà, redditque rationem, quia talis contractus firmatur Iuramento, vt cum aliis docent Burgos de Paz concilio 2. nu.97. Guttierrez de Iuram. 1.part. c.1.nu.34. omnes tamen contractus vxoris pro tempore constantis matrimonij sunt irriti in regno Castellæ, si facti sint absque viri licentia, vt constat ex l.55. Tauri & l.2. titulo 3.lib.5. recopil. Eam ob rem, cùm non firmentur Iuramento, etiam Iuramenta possunt irritari à viro, quod colligit Sanch. ex Doctoribus ibi. Quamuis illi (inquit Sanch.) non explicent an tale Iuramentum indigeat relaxatione, & Molina tom.2.disp. 343.columna 2.versic.de vxore affirmet si accedat Iuramentum id totum fore irritum & inane. Sanch.verò addit etiam si Iuramentum esset validum & seruandum, posse nihilominùs irritari à viro, cùm non firmet contractum. Idem colligitur ex Suario de quo dicam illatione sequenti.

Infertur 4. quoad Tutores respectu Minorum.

31. Infertur 4. Tutores non posse irritare Iuramenta quibus minores post pubertatem confirmant suos contractus, quia talia Iuramenta sunt rata & firma vt habetur in Authentica *Sacramenta puberum* & in l.5. c.*si aduersus venditionem* Item quia per illos contractus acquiritur ius tertio, quod Tutor auferre non potest. Ratio verò à priori est, quia potestas irritandi Iuramentum potest à lege ciuili pendere, quatenùs subiectio minoris & dependentia voluntatis eiusdem minoris à Tutore potest per legem minui vel augeri. Ita Lessius & Suarius suprà, & Sanch.lib.6. de Matrimonio disp.38 num.17.qui impugnant Ludouicum Lopez sine vllo fundamento aut probabilitate asserentem oppositum. Parentes verò possunt irritare Iuramenta puberum quæ in suum præiudicium vergunt, non verò quæ in id non vergunt. Impuberum verò Tutores & Parentes omninò possunt irritare Iuramenta filiorum aut minorum impuberum, quibus confirmant contractus cum homine initos. ita Lessius, Suarius & Sanch. suprà. quod verum putant Lessius & Suarius, etiamsi tales contractus sint circa peculium castrense vel quasi castrense, quod Sanch. etiam sequitur si retineatur opinio probabilis, quæ asserit impuberem non obligari naturaliter. Si tamen dicamus, ait Sanch. impuberes naturaliter obligari cùm iam acquiratur ius tertio, non poterunt ea Iuramenta irritare Parentes aut Tutores.

Ratio à priori.

Authoris sententia cū Lessio & Suario.

32. Mihi tamen magis placet quod docet Lessius & Suarius, nempe etiam retentâ eâ opinione posse Iuramenta irritare, quia quamuis in ea opinione tales contractus validi sint & non irriti ipso Iure; at possunt irritari per parentes aut Tutores à quorum voluntate voluntas pupilli aut filij pendet; ac proinde consequenter possunt irritare Iuramentum iuxtà regulam & doctrinam datam in nostra assertione cum Soto & aliis.

Suarij opinio quoad Parentes & Tutores.

33. Quamuis autem hoc dixerit Suarius ca. illo 38.nu.9. nihilominùs paulò ante nu.7 addiderat, Parentes & Tutores posse irritare etiam Iuramenta impuberum quę versantur circà contractus aut permissiones hominibus factas, quando contractus ipsi inualidi sunt non obstante Iuramento: probat, quia tunc ratione contractus nullum ius est acquisitum tertio; manet ergo Iuramentum in sola obligatione religionis ergo potest (inquit Suarius) irritari sicut alia vota vel Iuramenta quæ per se obligant Deo.

Quo ad Iuramenta limitandus est Suarius ne sibi contrarius videatur.

34. Verùm quoad Iuramenta limitandus est Suarius, ne sibi sit contrarius, iuxtà ea quæ ex eodem retulimus dubitatione præcedente assertione 3. quia cùm Iuramenta in eius sententiâ non pendeant quoad obligationem ex voluntate subditi, nec etiam pendere possunt ex voluntate superioris illius, atque adeò solùm poterit irritare Iuramenta ex parte materiæ suæ potestati subiectæ. Hoc dixerim suppositâ eâ opinione; nam si dicamus ipsammet voluntate filij aut minoris impuberis subditam esse patriæ aut Tutoritiæ potestati, ex eo capite poterit Iuramentum irritari; imò nunquam valebit Iuramentum nisi suppositâ conditione, si parens vel Tutor consentiat. An verò, quando hi omnes cum suorum superiorum licentiâ contrahunt, possint superiores Iuramenta validè & licitè irritare, disputamus in Tract. de voto: est enim eadem ratio, quâ de re latè disputat Sanch. lib.4 de voto c. 27. per totum.

DVBITATIO IV.

An & quando obligatio Iuramenti promissorij tollatur condonatione à creditore facta, præsertim quando Iuramentum non soli homini, sed etiam Deo intuitu pietatis factum est?

Assero 1. Iuramentū homini factum post cōdonationem desinit obligare. Ratio

35. Assero 1. Iuramentum soli homini factum per condonationem ab eo factam, desinit obligare, eâque ratione dicitur irritari seu relaxari generali & minus strictò loquendi modo. Assertio hæc videtur certa & communis, colligiturque ex multis textibus, præsertim in titulo de Iureiur. Ratio verò est quia Iuramentum promissorium intrinsecè includit conditionem, si alter cui fit promissio fuerit contentus, quia nemini inuito fit beneficium aut seruitium; ergo si ille remiserit, eo ipso Iuramentum non obligat. Accedit, quòd licet Deus testis aduocetur habeatque Iuramentum acceptum & ratum, id tamen facit in fauorem & commodum alterius, ac proinde homine condonante cui fit Iuramentum, Deus etiam remittit. Imo addit rectè Suarius lib. 2. de Iuramento c. 39. nu. 2. hoc esse verum etiam in Iuramento de futuro, in quo aliquid sine promissione fuit homini iuratum, vt si sola assertio fuit iurata, vel si facta fuit sortè promissio ea non fuit valida, vt quando iuratur promissio soluendi vsuras, aut extorta per vim: nam etiam in casu quo Iuramentum solam affirmat assertionem, inuoluit habitudinem ad eum cui Iuramentum exhibetur, & simul habet imbibitam conditionem, si ipse voluerit, vel si non remiserit, ac proinde quamuis ille tunc non tollat directè obligationem, tollit nihilominùs fundamentum illius, ideoque ipsa cessat obligatio. *Addit rectè Suarius.*

36. Idem quoque docet Sanch. ob aliam rationem, quam pro simili doctrina confirmanda retulimus disp. 3. dub. 1. illatione 3. ad finem.

Addit 2. Suarius.

37. Addit secundò benè Suarius suprà nu. 1. cum Felino in c. 1. de Iureiur. nu. 6. sufficere ad hanc relaxationem Iuramenti, non solùm expressam, sed etiam tacitam condonationem; quia tacitum æquiparatur expresso etiam in foro interno, quando ex signo externo sufficienter ostenditur consensus, exempli causâ, si filia recepta dote cum Iuramento renunciauit bonis paternis; & posteà in testamento instituitur hæres aut legataria, nam tunc licitè acceptat sine alia relaxatione Iuramenti, quia pater tacitè donauit. Alia exempla legi possunt apud Felinum.

Addendum 3.

35. Addendum tertiò cum Azor lib. 11. ca. 9. in fine & Sanch. lib. 3. summæ c. 20. nu. 4 assertionem nostram veram esse, non tantùm quando alteri vnus promisit sub Iuramento, sed etiam quando vicissim duo sibi ipsis iurant: Possunt enim mutuo consensu Iuramentum sibi ipsis, vel alter solus alteri condonare, quia est eadem ratio.

Assero 2. Iuramentū principaliter emissum in Dei honorem non potest condonari ab homine cui, secundario factū fuit.

39. Assero 2. quando Iuramentum non fuit principaliter emissum in fauorem & commodum alterius hominis, cui præstatur; sed principaliter in Dei honorem, in cuius obsequium res Iuramento promissa cedit, non potest condonari à tali homine cui secundariò factum fuit, id est ab illo ob cuius beneuolentiam seu complacentiam Iuramentum ordinatur, vel, coram quo tanquam teste promissionis fit; est communis Doctorum sententia cum D. Thoma 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2. quos refert & sequitur Sanch. lib. 3. c. illo 20. nu. 5. Suarius lib. 2. c. 39. nu. 5. Ratio verò est clara inquit Suarius; quia non est homo persona, cui fit promissio, sed Deus; homo verò tantùm est motiuum seu incentiuum, vel certè testis promissionis, quod etiam inter homines accidere potest seruatâ proportione; vt si quis promittat Petro propter Paulum, vel Paulum solùm interponat vt testem, aut fidei iussorem fidelitatis seruandæ Petro; non potest Paulus facere remissionem, sed Petrus. Exempla nostræ assertionis sunt, vt, si duo iureiurando sibi promittant, vel alter solus alteri eleemosynam pauperi dandam, vel religionis ingressum, vel quòd non furabuntur imposterùm, vel quòd audient sacrum in festis, vel si duo sibi inuicem iurent, vel vnus alteri se non lusuros, vel non lusurum. *Ratio.* *Exempla assertionis nostræ.*

Limitant assertionem Sanch & Suarius

40. Limitat verò Sanch. num. 6. & Suarius nu. 10. vt solùm intelligatur vera assertio quando iurans principaliter cultum Dei respexit, intuituque principali religionis iurauit, etiamsi minus principaliter & secundariò instigante illo homine, & vt illi rem gratam faceret: nam, si non intuitu religionis principaliter iurauit, sed animo adstringendi alteri fidem suam ratione amicitiæ, quia id fore alteri gratum existimabat; poterit ille alter remittere Iuramentum; quia principalis intenti semper habenda ratio est.

41. Vnde in eo, quod ait Syluester *Iuramentum* 5. q. 9. non posse scilicet sibi inuicem remittere, qui sibi inuicem iurarunt vt duo psalteria recitent alter pro altero, distinctione opus est (ait Sanch.) nam ex iurantium intentione pendet; si enim finis fuit recitare ambos quotidie, aut illâ vice, quamuis Deo orationes pro altero offerendæ, essent non poterit alter orationes remittere, sed tantùm condonare, ne pro se offerantur; quia priùs honorem & cultum Dei respexit: si verò finis tantùm fuit id beneficium mutuò in seipsos conferre, potest vterque mutuò sibi omninò remittere, aut alter solus alteri, In quo exemplo putat Sanch. si dubitetur de intentione verâ prædictarum fuerit, posse iudicari fuisse hanc posteriorem, & esse locum remissioni propter præsumptionem ex communiter contingentibus; quia frequentissima sic promittentium hæc solet esse intentio, secùs verò in aliis casibus vbi dubium esset æquale.

Assero 3. licet promissio iurata fuerit ob Dei honorē principaliter, si tamen tota res promissa cedat in vtilitatem hominis poterit ab eo condonari.

42. Assero 3. etiamsi promissio iurata fiat Deo, & propter eius honorem principaliter, dummodò tota res promissa cedat in vtilitatem & fauorem alicuius hominis in particulari, poterit condonari & remitti ab eo homine, in cuius vtilitatem cedit, vt, si quis intuitu pietatis iuret pauperi fœminæ se eam ducturum, aut se ei eleemosynam collaturum, si ipsa remittat, liber manet iurans. Hanc assertionem optimè tuetur Sanch. lib. 1. de Matrimonio disp. 52. nu. 8. & pro ea plures Authores refert, qui absolutè & sine vlla distinctione docent, sponsalia iurata partis remissione

remiſſione diſſolui qua de re nos etiam diximus *in noſtro opere de Sacramentis* agentes de matrimonio Tract. 11. diſp. 5. dub. 34. nu. 508. & ſequentibus. Eandem doctrinam docet Suarius lib. 2. de Iuram. c. 39. nu 6. Ratio verò eſt, quia quamuis Iuramentum Deo præſtitum ſit, cùm tamen totum illud ſit in vtilitatem partis, Deus admittit illud in partis vtilitatem, ſcilicet ſi ipſa velit ſibi impleri; ergo illa remittente Deus etiam remittit. Vnde vt rectè expendit Suarius, etiam D. Thomas eſt pro noſtra ſententia ſuprà citatus pro 2. aſſertione quidquid dicat Sotus, qui illum refert pro contraria; nam caſus noſtræ aſſertionis continetur in vltimis verbis illius ſolutionis ad ſecundum, non in prioribus, cùm in fine aſſerat D. Thomas Iuramentum principaliter factum Deo non poſſe remitti ab homine, niſi intelligatur facta promiſſio ſub conditione exhibenda ab homine. Ita autem contingit in noſtro caſu vt probatum eſt, quia principaliter fit Deo, ſed ſub conditione, ſi homo acceptet, aut velit ſibi impleri, aliàs ſequeretur quòd is qui Iurauit puellam ducere teneatur ad illam ducendam etiam nolentem quod eſt abſurdum. Vide Martinum Perez de Matrim. diſp. 3. ſect. 3.

Ratio aſſertionis.

43. Non negauerim tamen probabilem eſſe opinionem oppoſitam, negantem manere liberum, qui ſic iurauit, etiamſi pars remittat, ſed obligatum potiùs ad dandam eleëmoſynam alteri, ſi Iuramentum erat de danda eleëmoſyna; & ad ducendam puellam remittentem, quando ita remittit vt tamen velit matrimonium. Quam ſententiam ſequuntur Angelus v. *Sponſalia* num. 20. Syluester quæſt. 10. caſu 1. Azor tom. 1. c. 9. q. 11. Sotus lib 8 q. 1. a 9. ad ſecundum & alij multi Canoniſtæ, quos refert Sanch. ſuprà eamque probant primò, quia Iuramentum factum Deo intuitu pietatis, æquiualet voto, in voto autem nihil poteſt perſona priuata eiùm ſoli Deo acquiratur.

Oppoſita tamen opinio probabilis eſt.

Probatio.

44. Reſpondetur tamen pro noſtra ſententia, etiam votum quando tota res per votum promiſſa cedit in alterius hominis vtilitatem; poſſe à tali homine remitti, & ceſſare obligationem voti. Quod etiam confirmat Suarius exemplo inter homines, vt ſi quis promittat vel etiam iuret Petro dare filiæ eius in dotem centum, ſi filia nolit recipere vel remittat, liber manebit ab obligatione, nec tenebitur ea dare Petro. Quamuis enim ei promiſerit, non tamen promiſit ei; ſed filiæ, & ibi inuoluitur conditio, ſi ea voluerit. Quamuis autem licitè poſſit peti ab ea vt remittat, dummodò abſit omnis coactio, & ea remittente maneat liber; tamen ſi ita remittat vt etiam libenter accipiat, probabiliſſimum eſt (inquit Suarius) tolli obligationem Iuſtitiæ aut fidelitatis ortam ex promiſſione; manere tamen obligationem Iuramenti, quia non obſtante tali remiſſione poteſt iurans verum facere quod iurauit, ergò tenetur. Item quia conditio incluſa intrinſecè in illo Iuramento ſolùm eſt, ſi alter ſit contentus, & acceptare velit beneficium, quia ſolam hanc conditionem intrinſecè claudit ratio doni, aut gratiæ promiſſæ in vtilitatem alicuius; nec enim eſt neceſſarium quòd illam exigat tanquam debitam, ſed ſatis eſt quòd ſit paratus eam acceptare, vt qui ſe obligauit Deo teneatur id implere, atque hac ratione putat Suarius philoſophandum eſſe in ſimilibus aliis.

Reſpondet author pro defenſione ſua ſententia.

Reſponſionē confirmat Suarius. exēplo inter homines.

45. Confirmat hoc ipſum paulò poſt nu. 12. quia ſi quis abſque ſponſalibus ſponte iuraret ducere Mariam pauperem ex pietate, illâ nihil ſciente, non poſſet eadem Maria volens & deſiderans matrimonium cum illo remittere talem obligationem; nam, ſuppoſitâ illâ voluntate, iam Iuramenti obligatio non pendet ab alio actu vel exactione eiuſdem Mariæ.

46. Alio modo argumentatur Antonius Cuco lib. 5. Inſtitut. maior. titulo 10. nu. 61. dum ait promiſſionem illam Iuramento firmatam duo continere, ſcilicet pauperem ducere, aut pauperi dare eleëmoſynam, & hanc ducere, vel huic dare eleëmoſynam; ergo ſi iurans nequeat vtrumque implere, tenebitur ad alterum l. *celſus* §. 1 ff. de recept. arbitr.

Difficultas contra noſtram doctrinam.

47. Nihilominùs adhuc perſto in noſtra 3. aſſertione, reſpondendo his omnibus negando antecedens, in caſu quo huic pauperi fuit præciſè promiſſum dare, vel hanc præciſè ducere; talis enim perſona poteſt auferre materiam ſuprà quam cadit; ablatâ autem materiâ vinculum Iuramenti auffertur; quamuis enim homo non poſſit directè renunciare Iuri Deo acquiſito; poteſt tamen indirectè & conſecutiuè, nam eo ipſo quòd quis cedit iuri ſuo, vt poteſt, ceſſat ius Dei quòd eſt annexum iuri hominis illius, vt accidit in vſurario remittente vſuras ſibi promiſſas; nam eo ipſo manet liber mutuatarius qui iurauerat ſoluere vſuras. Quando verò promiſſio iurata nulli in particulari facta fuit, ſed vagè pauperi huic vel illi, tunc in omnium opinione, etiamſi vnus vel alter remittat, aut nolit accipere, perſeuerat obligatio Iuramenti dandi alteri, ſicut qui religionem in genere promittit, non ſatiſfacit voto ſi vnam vel alteram ingredi tentans, repellatur, ſed tenetur aliam eligere ſi in ea admittatur. Si verò abſque pacto aliquo reddendi, alicui pauperi largiretur eleëmoſynam, qui mox ſponte ſuà, vel etiam rogatus eam largienti redderet, ſatisfactum eſſet Iuramento, quia iam verè eleëmoſyna facta fuit, & pauper effectus eius Dominus, & vt talis potuit de illa diſponere reddendo eam danti. Ita Sanch. lib. 3. moralium c. 20. nu. 8.

Reſpondetur.

Quamuis homo non poſſit directè renunciare Iuri Deo acquiſito, poteſt tamen indirectè.

48. Iam verò dubium graue reſtat, an in iis promiſſionibus mutuis de rebus cedentibus in honorem Dei, factis tamen ab vno homine alteri homini, maneat alter liber ex eo ſolùm quod alter non impleat?

Dubium graue.

49. Hac de re latè & rectè diſputat Sanch. lib. 3. ſummæ c. 15. à num. 8. Huic difficultati ſex propoſitionibus ſigillatim reſpondendum eſt. Reſpondeo igitur primò; ſi hæc promiſſio mutua fuit Iuramento firmata, vt quando duo ſibi mutuo iurant, aut vouent ſe ingreſſuros religionem, aut non luſuros, ſpectandum eſt an hæ duæ obligationes ad ſe inuicem referantur an non? ſi enim non referantur, ſed vnus independenter ab alio promiſit; etiamſi vnus promiſſum non præſtet, alter non liberabitur à ſua obligatione. Ita Azor lib. 11. c. 8. q. 4. in fine Sanch. ſuprà & aliqui Recentiores. Si verò promiſſiones ad inuicem referebantur, quia iurantes intendebant

Difficultati ſex propoſitionibus reſpondendum eſt.

Reſpondetur. Primò.

bant hoc mutuo vterque implere altero non implente non tenetur alter quia tunc promissio vtraque tacitam habebat conditionem, si alter impleat. Ita Syluester *Iuramentum* 5. q. 9 in fine. Angelus *Iuramentum* 6. nu. 2. Tabiena v. *Iurare* q. 2. in dubio autem de intentione Sanch. cum Soto 8. de Iustitia q. 1. a. 9. putat standum esse pro religione, & iudicandum obligationem vnius non cessare ex eo quòd alter non impleat, quia tunc putant hi authores constare de voto aut Iuramẽto, dubiũ verò esse de libertate ab obligatione.

Authoru indicium pro praxi. 50. Hoc tamen ego in praxi ita consulendum iudicarem; si tamen rem penitiùs expendamus, non puto verum esse tunc de voto constare. Nam inquiro de quo voto aut Iuramento constet? an de voto absoluto? an de conditionato? non de absoluto, quia supponimus in nostro casu dubium esse an absolutè vouerit & independenter ab alterius promissione & obligatione; non de conditionato, quia etiam de hoc ipso dubitamus; ergo de nullo voto constat. Quamuis enim constet hominem vouisse, non constat de voto possidente suam vim obligandi: nam eo ipso quo dubitatur de voto an sit absolutum, vel dependens à conditione, non constat de eius vi ad obligandum quando iam conditio non subsistit, sed æquè dubium est an tale votum adhuc duret vel non duret, vel inceperit obligate vel non inceperit; ergo in tali casu spoliaretur homo suâ libertate, quam certò ex natura sua possidebat propter votum dubium, seu quod idem est propter dubium voti de quo dubitatur, & supponitur an existat vel non existat. Nam si tale votum factum fuit dependenter à conditione, factâ iam conditione impossibili, aut non subsistente, votum non subsistet, & de hoc dubitatur: ergo propter votum de quo dubitatur an sit spoliaretur homo libertate quam naturâ suâ possidet. Vnde ad fundamentum Soti & Sanch. respondeo, negando tunc constare de voto & Iuramento valido & obligante, ita vt inceperit possidere suam vim obligandi; atque adeò cùm homo naturâ suâ habeat libertatẽ, illâ censetur possidere: interim dum nõ constat de causa sufficienti vt sua libertate spolietur; in tali ergo dubio existimo non teneri, si post factam diligentiam dubium non pellatur, supposita sententiâ quam ipse Sanch. sequitur, quòd in dubiis melior sit conditio possidentis, etiam extrà materiam Iustitiæ propriè dictæ.

Resp. 2. 51. Respondeo secundò, quando promissiones non fuerunt Iuramento nec voto firmatæ, si per modum pacti respectiui & reciproci factæ fuerunt, ita vt sit contractus quidam innominatus *facio vt facias*, vt si duo conueniant pacto inter se inito vt ambo ingrediantur religionem: tunc si res non est integra, quia alter cepit implere; tenetur alter stare promissis, quia in contractibus innominatis quando res non est integra, omnes docent alterum non posse resilire.

Resp. 3. 52. Imo respondendum est tertiò: etiamsi res sit integra, ita vt neuter cœperit implere, neutrum posse altero inuito resilire; posse tamen de consensu alterius, quod sanè certius est in Regno Castellæ iuxtà dispositionem l. 2. titulo 16. lib. 5. nouæ recopill. vt cum Guttierrez & Molina docet Sanch. suprà, quidquid reclamet Padilla, putans hanc legem loqui in solis contractibus simplicibus, non verò in respectiuis. In Iure quoque Cæsareo probabilius puto non posse resilire sine consensu alterius, etiamsi res sit integra, quia Ius Cæsareum solùm denegat actionem in eo casu, non verò tollit obligationem naturalem quæ ex tali contractu oritur: obligatio autem naturalis est obligatio in foro conscientiæ, vt cum Molina, Padilla & aliis probat Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 7. nu. 15. Qui tamen putant in contractibus innominatis dum res est integra, esse locum pœnitentiæ, consequenter in nostro casu dicent quemlibet horum posse resilire, quod non puto verum iuxtà ea quę latè diximus in nostro opere de Iustitia lib. 2. Tract. 3. disp. 1. dub 4.

53. Respondeo quartò: si alter ex his paciscentibus sit in mora & implere recuset, alter liberatur ea promissionis obligatione, quia in contractibus innominatis tunc resilire licet ei qui in culpa non est, vt docent Authores citati & loco notato tradidimus. *Resp. 4.*

54. Respondeo quintò: quando promissio non est respectiua, nec per modum contractus, sed aut alterius solius, aut si mutua est, quælibet & soluta, & non pendens ab alia, tunc communiter ea promissio ad nullam culpam obligat; nam vt latè & rectè cum multis authoribus probat Sanch. lib. 1. de matrimonio disp. 5. num. 21. communiter homines in promissionibus humanis nolunt se ad culpam obligare, sed ex quâdam beneuola honestate, neque credunt obligationem ad culpam consurgere, sed solùm ad suum tuendum honorem; quod maximè locum habet in promissionibus quæ non respiciunt alterius fauorem sed honorem diuinum, respectu autem Dei nulla consurgit obligatio, cùm cessante Iuramento aut voto nihil Deo promissum sit, sed tantùm homini. *Resp. 5.*

55. Respondeo sextò: si adsit intentio vera promittendi, aut se obligandi iuxtà varias sententias & philosophandi modos de quibus diximus disp. 3. præcedente dubit. 15. & tunc alter velit & acceptet obligabit promissio; sicut contingit in aliis promissionibus rerum temporalium. Tunc autem censendum est acceptare, quãdo vel expressè acceptat vel gratias agit pro promissione illa, vel instat pro obtinenda re illa, vel optabat obtinere, vel tacet & eius interest: nam in sibi fauorabilibus tacens consentire videtur: si autem is cui fit promissio nihil de ea curat, neque gratam ostendit, nec eius interest, non obligat, quia in eo casu nulla facta fuit promissio Deo vt supponimus. *Resp. 6.*

56. Hinc est quòd etiam quando hæ promissiones sine Iuramento aut voto homini fiunt & obligant; grauitas culpæ in non implendo pensanda non sit ex materia promissa, quatenùs deseruit ad diuinum obsequium, quia Deo non fit promissio, neque eius intuitu; sed tota grauitas impendenda sit ex vtilitate aut respectu ipsius hominis cui fit promissio. Quapropter venialis tantùm erit trangressio, quando ei cui facta fuit promissio, parùm grata est, & parum illius interest. Imò idem meritò censet Sanch. lib. 3. c. 15. num. 18. etiamsi illa promissio fuerit Iuramento firmata quãdo merè in gratiam & beneuolentiam

uolentiam hominis facta fuit, nullo habito respectu ad Deum, quia quando materia promissa Iuramento leuis est, Iuramenti quoque transgressio tantùm est venialis, quod intelligendum est iuxta dicta disp. 2. dub. 8.

Obseruat Sanch. 57. Denique obseruat Sanch. nu. 19. eiusdem capitis; quoties hæ promissiones obligant, ad solum illum, cui fiunt, spectare illas remittere: vel aliquandò etiam ad supremum caput ob causam boni communis id poscentis. Et quidem si sint de re pia, solius summi Pontificis est ea remissio; si verò de re merè temporali, est Principis supremi in temporalibus, sicut in quauis alia promissione homini facta contingit.

Colligit. Sanch. 58. Ex dictis colligit Sanch. eodem cap. 15. nu. 17. quando duo concubinarij promittunt sibi cum Iuramento fidelitatem, vel solùm alter alteri vt mutuo illo turpi amore foueantur, scilicet promittentes, sore vt nullam aliam personam carnaliter cognoscant; tale Iuramentum obligare. Redditque rationem, quia hoc Iuramentum præstitum in eius fauorem obligat: nihil refert an Iurans, id promittendo peccauerit; sed tantùm spectandum est an possit absque vlla culpa impleri (& eadem, inquit, ratio est de promissione humana) atqui obiectum huius promissionis, nempe ad nullam aliam personam accedere, potest absque peccato impleri, sicut si ob eum finem promisisset illi nuptias, aut pecuniam siue cum Iuramento, siue sine illo, tenetur implere; non tamen ob eum finem malum, sed quia promisit & alter vult sibi impleri. Quæ doctrina probabilis est.

Doctrina opposita probabilior. 59. Mihi tamen probabilior apparet opposita, scilicet non obligare Iuramentum aut promissionem illam factam sine Iuramento. Quod
Probatio 1. sic probo primò: nam Iuramentum factum etiam de re pia non obligat quando fit ob finem turpem, qui sit finis non solius actus vouendi seu promittendi, sed ipsius rei promissæ, vt cùm eodem Sanch. probauimus suprà disp. 3. dub. 3. assert. 8. Finis autem intentus in nostro casu est finis ipsius rei promissæ; nam mutuus ille amor turpis vouendus est per fidelitatem quam pro-
Probatio 2. mittunt. Probo secundò, quia in hac promissione & Iuramento nihil intuitu pietatis Deo promittitur, sed homini vt constat ex suprà dictis in 6. responsione ad dubium paulò ante propositum. Ex quo etiam constat quòd hominis illius, cui fit tale Iuramentum & promissio, nihil interest vt impleatur, quia nullam inde consequitur vtilitatem temporalem. Quod si vult sibi impleri, id vult ob turpem finem scilicet ne habeat riualem, quod potiùs est ei spiritualiter nociuum; ac proinde potiùs tenetur non acceptare; & ideo etiamsi acceptet, alter non tenetur, quia malè acceptat: nulla ergo consurgit obligatio. Quamuis hæc ratio, vt verum fatear, non sit admodùm firma, quantum ad hoc vltimum, quia idem possumus dicere de vsurario acceptante Iuramentum vsurarum, qui malè acceptat & tenetur non acceptare, nec tamen ideò negamus
Probatio 3. à priori. Iuramentum vsuratum debere impleri. Probo tertiò à priori, quia Iuramentum sequitur promissionem cui in nostro casu accessorium est, vt fatetur Sanch. Vnde solùm habenda ratio est de ipsa promissione tantùm, an obliget vel non. Hæc autem promissio de seruanda sibi fidelitate ex illo fine mala est, & nullo modo seruanda, & non absimilis promissioni, qua promitteret idem amasius dare illi fœminæ tot pecunias singulis hebdomadis quamdiu perseuerauerit in concubinatu, vel dare certum pretium si secum coëat. In quibus promissionibus vterque tenetur resilire & rescindere contractum, ac proindè nulla consurgit obligatio vt ex communi sententia Doctorum diximus agentes de restitutione in nostro opere de Iustitia lib. 2. Tract. 2. disp. 6. dub. 1. nu. 7.

60. Dicet tamen aliquis, qui promisit pecuniam pro fornicatione, tenetur dare pecuniam vt eodem loco de restitutione diximus, & alter potest licitè accipere, dummodò reiiciatur malus finis; ergo etiam in nostro casu debet promissio impleri dummodò reiiciatur malus finis. *Dices.*

61. Respondeo concedendo antecedens, ex quo tantum sequitur quòd quando quis promisisset fidelitatem alicui fœminæ pro vno actu fornicationis, transacto illo tenetur illi fidem seruare, si ex bono fine id intenderet v.g. ne alter peccaret, vel ne Deus offendatur; si verò ex malo fine vt ex zelotipia, existimo non teneri, cumque in casu proposito finis malus intentus semper pendeat in futurum, constat nullam consurgere obligationem. *Resp.*

62. Tandem hoc loco potest quæri an is qui iurauit, aliquando possit sibi ipsi condonare & remittere Iuramentum? Multi quos refert Sanch. lib. 6. de Matrim. disp. 13. nu. 6. affirmant id facere posse, quando Iuramentum non fit alteri homini nec intuitu Dei, sed absolutè in commodum proprium; nam tunc (inquiunt) ipse iurans poterit cedere suo Iuri seu commoditati, vt si iurasti non donare, non alienare res proprias. *Quæritur an is qui iurauit aliquando possit sibi ipsi remittere Iuramentum. Multi affirmant.*

63. Respondendum nihilominùs puto cum Couarruuias cap. *quamuis pactum* part. 2. §. 2. nu. 4. & Suario lib. 2. de Iuramento cap. 39. in fine, nullo modo posse, quia: vel tale Iuramentum factum in proprium commodum erat vanum & inutile, & in tali casu non obligat, ac proinde non habet locum relaxatio seu condonatio: vel erat honestum, & tunc fieri non potest vt sola propriâ voluntate iurantis relaxetur; tùm quia futilis esset & nullius momenti talis obligatio, tùm quia tale Iuramentum obligat ad adhibendum comitem veritatis etiam de futuro, cùm supponamus non defuisse alios duos comites, scilicet iudicium & iustitiam. Vnde non est eadem ratio de hoc Iuramento, & de Iuramento facto in fauorem tertij, quod includit conditionem si promissarius voluerit: nam Iuramentum factum absolutè in proprium commodum non includit conditionem, si ego voluero, quæ planè repugnat iudicio talis Iuramenti, tollitque omninò illius vtilitatem. *Resp. cum Couar. & Suario negatiuè. Ratio.*

DVBITATIO V.

Quinam possint dispensare aut commutare Iuramenta soli Deo facta de rebus piis?

Assero 1. cũ D. Tho. Iuramentũ promissoriũ soli Deo factum potest commutari &c. D. Tho.

64. ASsero 1. Iuramentum promissorium quod non fit homini, sed Deo, vel absolutè propter pietatem, commutari aut dispensari potest ex iusta causa ab habente potestatem. Assertio hæc est D. Thomæ 2.2.q.89.a.9.& ibi omnium Theologorum; in qua etiam conueniunt omnes Canonistæ & summistæ, & ex instituto probanda est in Tractatu de voto; quia cùm hæc Iuramenta vel sint etiam vota vel ad modum voti facta, est eadem vt in vtrisque ratio, & ea breuiter pro nunc est, quia ordinantur in honorem Dei & in bonum animæ; ergo propter eiusdem Dei honorem & maius animæ bonum dispensari possunt.

Ratio.

Dices.

65. Dicet fortasse aliquis: ergo homo poterit dispensare in obligatione Iuris diuini naturalis, qualis est obligatio voti & Iuramenti. Respondetur hanc dispensationem fieri per subtractionem materiæ, quatenùs dispensans loco Dei condonat & remittit debitum, vel commutat illud in aliud secundum, quod ad Dei honorem & bonum animæ iurantis putat expedire. Quapropter non dispensatur propriè in præcepto naturali seruandi Iuramentum, sed fit vt quod sub tale Iuramentum cadebat, iam non cadat.

Resp. hanc dispẽsationẽ fieri per subtractionem materia.

Discrimen inter Iuramentũ assertoriũ & promissorium.

66 Ex hoc patet discrimen quod D. Thomas suprà citatus in responsione ad 1. adducit inter Iuramentum assertorium & promissorium: nam assertorium non pendet in futurum, ac proinde in eo non cadit aliquis modus dispensandi: promissorium verò, quia in futurum pendet, & materia illius mutabilis est, vel meliùs considerabilis, vel remissibilis; consequenter ex tali materia admittit mutationem aut dispensationem. Vnde in omni voto aut Iuramento promissorio includitur ex natura rei illa conditio *nisi superior aliud statuerit*, & in lege naturali prædicta *redde Domino vota & Iuramenta tua* intelligi debet *re perseuerante integrâ & eodem modo* aut *nisi res notabiliter mutatæ fuerint.*

In omni voto aut Iuramento promissorio includitur conditio.

Additur in assertione si adsit iusta causa quia sine hac nec licita nec valida erit dispensatio.

67. Addidimus in assertione *si adsit iusta causa*, quia cùm hæc dispensatio, aut commutatio attingat ius diuinum, requiritur iusta causa, non solùm vt licita sit dispensatio, sed etiam vt sit valida, quod etiam probandum est ex instituto de materia de voto, & contrà nonnullos rectè docent Syluester *Iuramentum* 5. q. 2. & latè plures alios referens Couarruuias suprà part.1.§.3.n.4. in fine & nu.5. Sotus lib.8.de Iustitia q.1.a.9.ad 3. Valentia tom.3. disp.6. q.7. punct.4. Suarius lib.2.de Iuramento c.40.nu.1. Sanch.lib.3. summæ c.19.nu.4. Quæ autem sint causæ sufficientes ad dispensandum aut commutandum, dicemus in Tractatu de voto, id quod & citati Authores faciunt: sunt enim eædem rationes, & quando causa non est sufficiens ad dispensandum, debent commutari, vel partim dispensari, & partim commutari.

68. Id tamen monet Sanch. pro Iuramento non ludendi difficilimè scilicet esse dispensandum propter nimia & innumera peccata quæ ex nimio ludendi vsu solent pullulare; ac proinde nunquàm id esse consulendum docet Nauarrus c.12.n.11.& Pius V. id renuit quondam concedere; quamobrem cùm fragilitas eius qui iurauit vrget, non solùm debet partim cum dispensatione commutari tale Iuramentum, sed etiam erit sanum consilium relinquere illum obligatum, ne ad libitum ludat, sed certis diebus, nec exponat ludo quamcunque quantitatem, sed moderatam quandam, quæ iudicio & prudentiâ dispensantis taxetur. Quæ doctrina à toto genere vera est; sed non potest esse generalis regula pro omnibus, imo sæpè fieri potest vt faciliùs quis à ludo omninò abstineat, quàm si semel indulserit, vel minimum innata ludendi orexi modum teneat, ideò res tota pro singularibus casibus arbitrio dispensantis remittenda est, pensatis circumstantiis personæ, loci, temporis & occasionum.

Difficillimè aut Sanch. dispensandum in Iuramento nõ ludendi.

Limitatio.

Assero 2. habentes ordinariã potestatem dispensandi in votis habent eãdem in Iuramentis.

69. Assero 2. omnes qui habent potestatem ordinariam commutandi aut dispensandi in votis, habent etiam eandem in Iuramentis propter eandem rationem; & idem est fundamentum in vtrisque vt latiùs in Tractatu de voto dicetur. Ita ex communi Doctorum sententia docent Azor lib.11.c.1.q.2.& c.9.q.6. Sà v. *Iuramentum* n.32.& 33. Valentia & Suarius suprà Sanch. cap. illo 19.n.5.& 8 plures alios referens.

Hãc habet summus põtifex pro tota Ecclesiâ &c.

70. Hanc autem potestatem ordinariam habent summus Pontifex pro tota Ecclesia Episcopus quisque pro suis subditis, non tamen parochi neque alij nisi per delegationem eis fuit cõmunicata; nomine autem Episcopi intelligimus habentem iurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem in suos subditos, iuxtà ea quæ diximus in nostro opere de Sacramentis & censuris disp.3.dub.3.& 4. Tractatus 10.

Dubium. An aliqua Iuramenta sint reseruata sũmo pontifici.

71. Iam verò dubium est, an aliqua Iuramenta sint reseruata soli summo Pontifici, ita vt Episcopi in eis nunquam possint dispensare?

Respondet Sotus. & Azor. affirmatiuè & talia assignant.

72. Respondet Sotus lib.8.q.1.a.9. ad 3. & Azor lib.11.c.9.q.4. esse reseruata summo Pontifici Iuramenta quibus confirmantur statuta collegiorum, Academiarum & bonorum Ecclesiasticorum, ne facilè hæc bona dilapidentur. Addit tamen Sotus, quamuis Iuramenta quæ super beneficiis fiunt pertineant plenariè ad Pontificem; si tamen quis Clericus iurasset non acceptare præbendam, neque Ecclesiæ seruire, posse Episcopum dispensare vbi expedire iudicauerit, imò & cogere vt accipiat. Sicut Gregorius coëgit quendam cap. *Florentinum* 85. distinctionum.

Addit Sotus.

73. Addit vlteriùs Sotus, quoties iuratum statutum à Papa dimanans, solum Pontificem posse dispensare, in quo etiam consentit Sanch. eodem c.19.nu.7. Bonacina disp.4.q.1.punct.17. nu.9. referens Reginaldum.

74. Inde autem colligit Sanch. secùs esse vbi id ab Episcopo manasset, tunc enim posset Episcopus dispensare, eaque ratione limitandum esse quod paulò ante dixerat Sotus, & cum eo Azor super statuta collegiorum seu Academiarum, vt intelligatur si statuta sint pontificia vel authoritate pontificia confirmata quod videtur

tur satis rationi consonum.

Secundo solus Pontifex potest dispensare in Iuramentis virorum insignium.

75. Secundò etiam solus Pontifex potest dispensare in Iuramentis quibus insignes viri se obstringunt, vt Imperatores, Reges, Duces, Episcopi, Marchiones, & Comites, supremam præsertim authoritatem in temporalibus habentes. Ita ex Abb. docent Azor, Sanch. & Bonacina suprà, addentes idem esse de Iuramentis aliorum superiorum & Antistitum Ecclesiarum, & eorum omnium qui proximè sunt Papæ subiecti, & Iuramenta etiam quod in rebus arduis & maximè dubiis interponitur.

Controuersia grauis inter authores an Iuramenta castitatis Religionis &c. sint reseruata soli Pontifici. Prima sententia communis docet esse reseruata.

76. Tertiò (quod maximè controuersum est inter Authores est) an Iuramenta castitatis, religionis, Peregrinationis Ierosolomitanæ, Romanæ & compostellanæ sint soli Pontifici reseruata, ita vt Episcopi non possint in eis dispensare, nec ea commutare? Nam esse reseruata docet magis communis opinio. Ita Caietanus ad art. 9. D. Thomæ citatum. Sotus suprà, Abbas in cap. 2. de mutuis petitionibus n. 10. vbi Glossam & Iura allegat. Arragon qu. 83. a. 12. Valentia disp. 6. q. 7. punct. 4. Azor lib. 11. c. 10. q. 3. Toletus lib. 4. c. 23. nu. 1. & alij quos refert Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 13. nu. 2. Bonacina suprà referens Suarium lib. 2. de Iuram. c. 40. Horum Authorum præcipuum fundamentum est, quia

Ratio.

votum & Iuramenta de re pia æquiparantur omninò, ergo quamuis reseruatio Iuramentorum in his materiis non sit facta in se & formaliter, satis est quòd in votis facta sit, quia eadem est ratio de vtrisque.

Secunda sententia docet non esse reseruata. Ratio.

77. Secunda sententia docet hæc Iuramenta non esse reseruata. Ita Nauarrus concilio 1. de Iureiur. n. 4. & 5. referens Tabienam. Idem docet Ledesma 2. tom. summæ Tract. 11. c. 4. dub. 2. & alij quos refert Sanch. suprà nu. 3. Probatur hæc sententia, quia hæc Iuramenta nullibi reperiuntur reseruata, & odia sunt restringenda, præsertim quia Iuramentum & votum sunt vincula diuersarum rationum; ac proinde non potest fieri illatio efficax ab vno ad aliud, & vinculum voti est efficacius, quia votum in sententia D. Thomæ, Caietani, & aliorum, maius vinculum est quam Iuramentum: non potest autem benè inferri, vt cui negatur potestas dispensandi in maiori vinculo, negetur etiam in minori.

Suarius putat prædicta quinque Iuramenta esse Pontifici reseruata. Probat 1.

78. Suarius lib. 2. de voto c. 41. non audet adhærere huic secundæ opinioni, nec in praxi consulere vsum illius; eapropter cum prima sententia putat omnia prædicta quinque Iuramenta esse Pontifici reseruata. Probat. 1. quia quando talia Iuramenta includunt votum, & cadunt supra promissiones de illis materiis, vt ferè semper contingit, tunc clarum est neminem posse dispensare in tali Iuramento qui non possit in voto dispensare; ac subinde tale Iuramentum esse reseruatum saltem ratione voti: nam votum illud non minùs est reseruatum quando fit cum Iuramento, quàm si fiat sine illo, vt ex se patet.

Probat 2.

Deinde etiamsi Iuramentum non includat votum vllum, puto si quis iurauerit se seruaturum castitatem sine animo vouendi, certum nihilominùs est, quòd reseruatiò votorum in his materiis non tam habeatur lege scriptâ, quam traditione & consuetudine, vt in Tractatu de voto dicitur; ergo ex eâdem consuetudine inferre debemus reseruationem Iuramentorum in his materiis: nunquàm enim visum est in Ecclesia Dei (quod ego sciuerim aut audiuerim ait Suarius) Episcopum aliquem ausum esse dispensare in Iuramento de perpetua castitate seruanda, vel ingressu religionis, & sic de aliis. Hoc argumentum vrget Suarius multis aliis coniecturis, quæ legi possunt apud ipsum n. 8. & 9. Vnde nu. 10. infert quòd licet in aliqua bulla vel priuilegio concedatur expressè facultas relaxandi Iuramenta sine præiudicio tertij, intelliguntur excepta hæc quæ sunt de materia reseruata, & alia quæ adduximus ex Soto, Azor, & Sanch. quod verissimum est (ait Suarius) etiamsi in eodem indulto detur simul facultas generalis ad vota & ad Iuramenta, & in votis ponatur exceptio reseruatorum, & non in Iuramentis, quia id est accidentarium, nec repetitur in Iuramentis, quia talia Iuramenta censentur vota.

Sanch. mediam sententiam sequitur & distinguit.

79. Nihilominùs Sanch. non solùm citato lib. 8. de matrimonio disp. 13. nu. 5. sed lib. 3. summæ c. 19. nu. 6. mediam sententiam sequitur, & distinguit, scilicet regulariter, & in plurimum hæc Iuramenta Pontifici reseruari; quippe quæ communiter votum iureiurando firmatum claudunt. In casu verò quo non claudant eam promissionem, posse Episcopum in eis dispensare; vt quando quis non respiciens Deum, quasi volens aliquid ei offerre in eius obsequium, sed solùm intendens eum offerre in testem, hoc iurat. De his tamen omnibus iterùm incidet sermo in Tractatu de voto; vbi etiam dicemus quando hæc Iuramenta castitatis vel religionis &c. quantumuis claudant promissionem Deo factam, pœnalia sunt, aut ferè conditionalia, probabilius esse

Authoris iudicium.

quòd possit Episcopus in eis dispensare ante & post incursam pœnam & impletam conditionem, & affirmat Sanch. citato c. 19. n. 6. in fine.

80. Quod verò attinet ad delegatam potestatem dispensandi in votis aut in Iuramentis, nihil potest vniuersaliter statui; tota enim res pendet ex concessione facta ab eo qui potestatem habet ordinariam, cui concessioni standum omninò est; nihilominùs quia in aliquibus priuilegiis mendicantium conceditur facultas dispensandi in votis & in bulla cruciatæ, & in iubilæis conceditur facultas commutandi vota non reseruata Pontifici, circà quæ solent variæ difficultates oriri, placuit breuitèr sequentes assertiones ob oculos ponere.

Assero 3. facultas commutandi vota vel Iuramenta non extenditur ad dispensandum. Ratio.

81. Assero 3. datâ facultate commutandi vota vel Iuramenta, non censetur etiam data ad dispensandum, quia, cùm commutare vota sit multò minus quàm in eis dispensare, non potest ex concessione minoris priuilegij maioris concessio deduci. Hanc assertionem puto certissimam, & vt talem eam docet Sanch. lib. 4. summæ c. 53. n. 2. & omnes Authores quos viderim.

Assero 4. facultas delegata ad dispensandum in votis vel iuramentis extenditur ad ea commutanda. Ratio ex regula iuris

82. Assero 4. facultas concessa & delegata ad dispensandum in votis vel Iuramentis extenditur ad ea commutanda. Hæc assertio probabilior est quàm opposita: eam sequuntur multi, quos refert Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 2. nu. 14. & etiam Sayrus lib. 6. Clauis Regiæ c. 12. nu. 15. Lessius lib. 2. de Iust. c. 40. dub. 11. n. 94. Suarius lib. 6. de voto c. 12. à nu. 10. vbi ait certam sibi videri hanc sententiam cuius ratio est, quia cui

licet quòd plus eſt, etiam licet quod eſt minus. Regula *ſcilicet* 53. de Regul. Iuris in 6. quæ regula tunc vera eſt vt Authores docent, quando quod minus eſt, continetur in eo quod eſt plus tanquam pars in ſuo toto, vel tanquam ſpecies in ſuo genere; hoc autem contingit in noſtro caſu, quia diſpenſatio totalis remiſſio eſt vinculi; commutatio autem eſt partialis: remittit enim & concedit quod votum aut Iuramentum non impleatur in materia promiſſa & iurata, ſed in alia æquali. Omitto alias rationes quæ videri poſſunt apud Suarium.

In quo ſenſu hæc regula vera ſit.

Sententia oppoſita probabilis eſt eamq́; tuetur Sanch. *Ratio.*

83. Probabilis nihilominùs eſt oppoſita ſententia quæ negat extendi ad commutationem, quam cum multis citatis Authoribus tuetur Sanch. ſuprà de Matrimonio num. 15. & lib. 4. ſummæ c. 53. n. 4. vbi eam latè probat, ſed præcipuè deſtruendo fundamentum nuper poſitum, oſtendendo ſcilicet, quòd commutatio non contineatur in diſpenſatione, neque vt pars neque vt ſpecies; nam commutatio valet abſque legitima cauſa; diſpenſatio verò, ſiue totalis, ſiue partialis, facta abſque legitima cauſa eſt irrita: ſi enim Dominus æconomo daret facultatem remittendi totum debitum inuentâ in creditore paupertate, certè eâ paupertate non inuenta excederet limites ſuæ poteſtatis, tam remittendo partem debiti, quàm illud in rem æqualem commutando.

Cõmutatio valet abſq; causâ legitimâ non item diſpenſatio.

Si obiicies.

84. Quòd ſi obiicias huic Authori, quòd, qui habet poteſtatem diſpenſandi, poteſt partim diſpenſare, partim commutare; ergo etiam poterit commutare ſine vlla admixtione diſpenſationis, commutando vel in æquale vel in maius.

Reſp. Sách.

Reſpondet in vtroque loco concedendo antecedens, & negando conſequentiam: nam vt ipſe putat, ratio in antecedenti non eſt, quia partialis illa commutatio contineatur in diſpenſatione tanquam pars in toto, ſed quia delegans poteſtatem diſpenſandi præſumitur, & cenſetur eam concedere, ita vt liceat etiam partim commutare: hic enim eſt melior & tutior, & receptus in Eccleſia vſus diſpenſandi, quod ipſemet Papa facit.

Authoris iudicium.

85. Contrà hoc tamen eſt, quòd etiam poſſumus præſumere concedentem facultatem ad diſpenſandum, concedere etiam ad commutandum integrè, quod eſt minus quàm ex parte commutare, eſtq́ue hoc vſitatum etiam in Eccleſia & melius eſt, quando commodè fieri poteſt, commutare, ſcilicet inæquiualens, quàm ex parte diſpenſare, & ex parte commutare, quod præſertim habebit locum, quando ſit ſufficiens cauſa ad commutandum & non ad diſpenſandum; nec facilè apparet cur cenſeri poſſit ſuperior conceſſiſſe facultatem non ſolùm vt in totum diſpenſet, ſed vt ex parte diſpenſet & ex parte compenſet, & non poſſit cenſeri conceſſiſſe vt integrè compenſet; ideò noſtram aſſertionem probabiliorem puto.

Aſſero 5. ratio aſſertionis.

86. Aſſero 5. conceſsâ facultate delegatâ ad diſpenſandam in votis (qualis conceditur in aliquibus priuilegiis mendicantium) vel ad commutanda vota (qualis conceditur in bulla cruciatæ) intelligitur etiam conceſſa facultas ad diſpenſandum vel commutandum Iuramenta quę ſoli Deo fiunt. Ratio potiſſima eſt, quia vinculum voti, & vinculum Iuramenti æquiparantur omninò, in hoc quòd tota obligatio & materia vtriuſque vinculi ordinatur ad ſolum Deum eiuſque honorem, & ſolus Deus eſt creditor vtriuſque, habentq́ue eundem diſpenſationis & commutationis modum, eundemq́ue finem & eandem rationem & connexionem, attento talium conceſſionum fine, & conſideratâ communi fidelium exiſtimatione, qui tanquam vota reputant hæc Iuramenta quæ omnia vehementem generant coniecturam voluntatis & intentionis concedentis, ex quo præſumitur ſub vnam conceſſionem ad aliam extendi. Hæc aſſertio colligitur ex Caietano 2.2. q. 89. a. 9. notabili 1. in fine & ex Soto lib. 8. de Iuſtitia q. 1. a. 9. eamq́ue docent plures quos refert & ſequitur Sanch. lib. 8. de Matrim. diſp. 2. n. 18 & lib. 4 ſummæ c. 53. nu. 8. Et præter eos Arragon 2.2. q. 89 a. 9. Siunica Tract. de voto q. 5. num. 42. Rodriguez in ſumma c. 191. aliàs 192. concl 10. nu. 16. Viualdus in Candelabro c. 14. nu. 8. Sayrus in Claui Regia lib. 5. c. 8 num. 9. Sorbus in compendio priuil. v. *Votum* notabili 5.

Obiicies.

87. Verùm obiicies contra hanc ſententiam, inde ſequi, conceſsâ facultate ad diſpenſandum vel commutandum Iuramenta facta ſoli Deo & non homini, intelligi etiam conceſſam facultatem ad diſpenſandum, vel commutandum votum quòd videtur nouum quid & abſurdum.

Reſp. non eſſe abſurdũ aſſerere quod conceſsâ facultate ad diſpẽſandum quoad Iuramẽta ſoli Deo facta etiã concedi facultatem diſpenſandi in votis.

88. Reſpondetur concedendo ſequelam, negando tamen id eſſe abſurdum, ſed omninò rationi conſonum: eſt enim eadem vtrobique ratio; atque ita expreſsè concedunt Suarius lib. 6. de voto cap. 14 vbi à num. 6. latiſſimè probat noſtram aſſertionem, & hoc conſequens conſtanter affirmat no. 24. & Sanch. in 1. loco citato nu. 19. & in 2. loco nu. 10. Atque hæc ſit prima extenſio noſtræ aſſertionis.

Suarius. Sanch. *Iuramenta ſoli Deo facta reputãtur tanquã vota*

89. Quam etiam ſecundò extendunt Suarius no. 11. & Sanch. nu. 9 ad Iuramenta; etiamſi non habeant incluſam promiſſionem, ſed abſque illa ſoli Deo facta ſit: quacumque enim ratione ſoli Deo fiant, reputantur tanquam vota. Quod etiam docet Ludouicus Lopez part. 2. vbi de Clauibus c. 9.

Extendunt nonnulli aſſertionẽ.

90. Extendunt tertiò nonnulli aſſertionem, vt facultas delegata ad vota, extendatur etiam ad Iuramenta homini facta; quando eſt turpitudo in creditore vt eſt Iuramentum factum vſurario vel per vim extortum quia nimirum nullum ius homini acquiritur, ſed ſoli Deo. Ita Bartholomæus à Ledeſma in ſumma Tract. de Matrimon. dub. 23. poſt 3 aſſert. Rodriguez 1. part. ſummæ c. 231. n. 4. & 189 nu. 9. & 244. no. 4. Nec videtur improbabilis extenſio.

Probabilius hanc extenſionẽ reiiciũt, Suarius. *&* Sanch. *Ratio.*

91. Probabilius tamen eam extenſionem reiiciunt Suarius ſuprà nu. 13. & Sanch. etiam ſuprà nu. 13. & lib. 1. de Matrim. diſp. 32. nu. 17. & lib. 3. ſummæ c. 21. nu. 16. Ratio eſt, quia quamuis homini nullum ius comparetur; at cùm non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam induunt rationem voti, ſed meræ promiſſionis humanæ, ideo nec vota reputantur. Imò addunt Suarius & Sanch. nec priuilegium ad vota iurata, quale eſt in noſtra Societate, extendi ad huiuſmodi Iuramenta commutanda: ibi enim tantùm ſermo eſt de Iuramentis votum confirmantibus,

quæ

quætantùm sunt ea quæ intuitu pietatis soli Deo fiunt; quamuis Sanch. nu.14. addit probabiliter posse affirmari hoc priuilegium extendi ad hæc Iuramenta, propter illud verbum additum in priuilegio, *dummodo commutatio huiusmodi non fiat in præiudicium tertij*. Illud enim certum videtur, quod si aliquod priuilegium concederet commutationem Iuramentorum absque præiudicio tertij, possent hæc Iuramenta extorta commutari per tale priuilegium; neo enim esset ea commutatio cum præiudicio tertij; atque ita docet Suarius lib.2.de Iuramento c.41. num.13. Lessius lib.2.c.42.dub.12.nu 63. in fine Petrus de Ledesma de Matrimonio c.47. art.3, dub.3. circa 3.argumentum Sanch. lib.8.de Matrimon. disp.2.nu.17.& lib.4. Moralium c.53.n.t 5.

Extendit vlterius assertionem Suarius ad Iuramenta coniuncta simul cum voto, vota cum Iuramento.

92. Extendit quartò Suarius nostram assertionem lib.6.de voto cap.illo 14.à nu.19. ad Iuramenta coniuncta simul cum voto, vel ad vota simul cum Iuramento; ita vt cui delegatur facultas dispensandi in votis, possit etiam dispensare in votis iuratis, idque siue Iuramentum factum fuerit ad confirmandum votum, siue non, sed tantùm impertinenter & comitanter, vt quando quis vuuerat non ludere, & posteà oblitus voti vel non respiciens ad illud, iurat non ludere. Item cui datur facultas ad commutandum Iuramenta Deo facta possit commutare etiam vota de eadem materia concurrentia simul cum Iurameotis illis. Hoc ipsum docet Sà *v. votum* vbi de voti irritatiune nu.16. indistinctè loquens, Suarius quoque testatur eam docere Neotencos doctores, posseque pro ea citari omnes relatos pro 5. assertione; quia, si consequenter loquantur, ita debent asserere. Lessius quoque lib.2.ca.40.dub.11.nu. 49. in fine, putat esse probabile quamuis ipse oppositum sequatur. Et Sanch.cap.illo 53.num.20.ait esse valdè probabile & tutum, quamuis ipse asserat non extendi quando non est factum Iuramentum in voti confirmationem: si enim (inquit) hoc modo fuit factum, est accessorium voto; ac proinde per ablationem voti manet ablatum, quia tunc non indiget vllà peculiari dispensatione aut commutatione. Quando verò

Quando Iuramentū fuit factum independenter à voto tunc sunt duo vincula ex Sanch.

Iuramentum fuit factum independeoter à voto, & sine respectu ad illud, tunc imprimis sunt duo vincula quæ fortiùs ligent, ideoque non possunt per simplicem facultatem tolli. Præterea probat Sanch. quia cùm Societas Iesv iam obtineret potestatem commutandi vota à Paulo III. non erat cur id Gregorius XIII. extenderet ad vota iurata. Tandem quia si quis habens votum iuratum peteret à Pontifice dispensationem voti, nullam faciens mentionem Iuramenti, Pontificem deciperet, & gratia illa esset subreptitia & nulla.

Author indicat quod satis efficaciter probet assertionem Suarus. Ratio.

93. Nihilominùs Suarius me quidem iudice satis efficaciter probat hanc extensionem supposità veritate 5. assertionis nostræ: quia, quamuis sint duo vincula coniuncta, qui potest separatim in vtrumque, potent etiamsi sint coniuncta, dummodo habeat intentionem circa vtrumque. Nam coniunctio per accidens est, & extensiua, & non intensiua, & coniunctio non efficit vt quod seorsim non erat reseruatum maneat reseruatum per coniunctionem; neque vnum potest impedire vsum potestatis erga aliud præsertim cùm habens potestatem talem possit sæpiùs ea vti circa eandem personam. Ex quo patet solutio ad 1.rationem quam attulit Sanch.

Ex his patet solutio ad primam rationem Sanch.

94. Ad 2. verò respondetur, sæpè concedi priuilegia ad superabundantiam & securitatem maiorum, præsertim vbi sunt variæ opiniones.

Ad 2. Resp.

95. Ad 3. respondetur, etiam ipsum Sanch. concedere esse probabilissimum dispensationem vnius vinculi non impediri per coniunctionem cum altero, & ipse fatebatur cùm multis Auctoribus paulò ante à se citatis, quando Iuramentum erat ad confirmandum votum, non esse opus vllam Iuramenti mentionem facere, quia ablato principali accessorium ruit.

Ad 3 Resp. ex concessione ipsius Sanch.

96. Imò tam Suarius quàm Sanchez nu.19. & 22. docent probabile esse factà dispensatione in voto cessare etiam vinculum Iuramenti circa eandem materiam, etiamsi non in confirmationem voti, sed seorsim & per se factum fuerit Iuramentum; quia causa & ratio illius remissionis cercà illam materiam est in ordine ad Deum; eaque propter ablatà materià in vno, censetur ablata in alio, quia fundatur simpliciter & absolutè in conditionibus & circumstantiis materiæ secundum se hic & nunc spectatis, quæ eædem sunt in vtroque vinculo. Atque ob hanc rationem Suarius cap. illo 14.n. vltimo docet, quòd, quamuis probabile sit quando facultas fuit delegata limitatè ad vnicum votum, non posse tolli Iuramentum eidem comitantet ac seorsim adiunctum, sed tantùm quando fuit adiunctum accessoriè. Nihilominùs esse etiam æquè probabile posse tolli, etiamsi non accessoriè, sed comitanter aut principaliter factum sit, quia nimirum probabile quoque est tolli etiam tunc Iuramentum indirectè ablato voto ob rationem dictam. Quod etiam probabile putat Sanch. n.22.

Imo tam Suarius quā Sāch. docet probabile esse factā dispensatione in voto etiam cessare vinculum Iuramenti circa eandē materiam.

Iudicium authoris.

97. Tandem notandum circà doctrinam eiusdem 5. assertionis esse alias tres aut quatuor sententias quas refert Suarius, ex iis autem quæ probabilius magisque consequenter loqui videtur, est illa, quæ è diametro opponitur nostræ assertioni, asserens ei cui delegatur facultas ad vota nihil posse in Iuramenta, neque è contra, cui datur facultas ad Iuramenta posse aliquid circà vota, siue seorsim siue coniunctim emissa sint, siue circà diuersam siue circà eandem materiam. Quam sententiam sequuntur Nauarrus c.27.num.275.versic. *decimo sexto* & concilio t. aliàs 3.de Iureiurando num.6. Azor lib.11.c 10. q.2.& c.t 9.q.19. & alij quorum tamen fundamenta nihil contrà nos efficiont: quantumuis enim vera sint in antecedenti, non tamen nos oitimur in illis, neque ex illis deducimus nostram assertionem.

Notandum circa doctrinam 5. assertionis.

98. Assero 6. facultas concessa ad dispensandum & commutandum vota vel Iuramenta in aliquo priuilegio, non solùm conceditur ad vota vel Iuramenta emissa ante concessionem, vel publicationem talis priuilegij, sed etiam ad emissa post concessionem vel publicationem. Ita Henriquez lib.7. de Indulgentiis ca.30. nu. Suarius lib.6. de voto c.13. à nu.4 Sanch. lib.4. summæ c.53.no.26. qui plures refert contrà Sotum, Cordubam & alios.

Assero 6. quoad facultatem concessam ad dispensandū &c. in aliquo priuilegio.

99. Assero 7. quisque potest sua Iuramenta

Assero 7.

 suli

Quisque potest sua Iuramenta soli Deo facta commutare in rem euidenter meliorem. Ratio.

soli Deo præstita commutare authoritate propriâ in rem euidenter meliorem. Quod satis probat cap. *peruenit* El 2. de Iureiur. vbi habetur promissum non confringere qui in melius commutat: cùm enim solus Deus sit creditor, optimè satisfacit eius voluntati qui reddit quod euidenter constat esse illi gratius. Ita contrà alios Alcozer in summa c.16. Toletus lib.4.c.23. Aragon q.89.a.9.dicto §.Sà *Iuramentum* num.34. Valentia tom.3.disp.6.q.7.punct.4.Sanch.lib.3. summæ c.19.nu.9.addens esse posse commutare in rem euidenter æquè bonam sicut de voto suo loco disputabimus.

DVBITATIO VI.

Qua ratione Iuramentum promissorium homini factum possit relaxari seu dispensari, aut etiam commutari à superiore Ecclesiastico?

Notandum 1. ex D. Tho.

100. NOtandum 1. vt notauimus ex Thoma Sanchez in hac disputatione dub.1. in Iuramentis pro eodem vsurpari relaxationem & dispensationem, id quod etiam docet Lessius lib.2 de Iustitia c.40.disp.17 §.2. & c.42. dub. 12.Legantur quæ diximus citata dub.1.

Notandum 2. hic solù agi de Iuramento licito & obligatorio

101. Notandum 2.nos in præsenti non agere de Iuramento illicito & nullo, quia hoc non indiget vllâ relaxatione, sed propriâ authoritate contrà iri potest aut debet solùm propter vitandum scandalum aliquando erit necessaria relaxatio, id tamen est per accidens, tantumque contingit quando aliter scandalum tolli non potest. Propter dubium verò aliquando necessaria erit relaxatio. Solùm ergo in præsenti sermo est de Iuramento licito & obligatorio.

Assero 4. potestas est in Ecclesia relaxandi Iuramenta promissoria homini facta quando id ad bonum commune expedit.

102. Assero 1. potestas est in Ecclesia relaxandi Iuramenta promissoria homini facta, quando id ad bonum commune expedit, quod efficit Ecclesia quandoque ad punitionem eius cui sunt præstita, priuans illum eo iure propter aliquod crimen. Hâc ratione relaxat Iuramenta quando interuenit fraus, metus, vel iniuria. Sic etiam propter excommunicationem relaxat subditis Iuramentum fidelitatis præstitum Domino cap. *Nos Sanctorum* & cap. *iuratos* 15.qu.8. quandoque verò fit ob maius bonum commune id postulans.

Assero 2.

103. Assero 2. quando nulla versatur turpitudo ex parte eius cui est præstitum Iuramentum, & ius ille acquisiuit in rem sibi sub Iuramento promissam, constans est omnium sententia nullum prælatum Ecclesiasticum, nisi ex causâ boni communis eâque grauissima, posse tale Iuramentum relaxare; alioquin relaxationem esse irritam: & quidem multi asserunt per solum Papam id posse tunc fieri, quippe qui consulit communi bono; aliqui verò concedunt etiam per Episcopum aliquando relaxari posse iuxtà personarum qualitatem, & quando ad ipsum spectat prospicere bono communi. Ita cum Syluestro Iuramentum 5.q.3. & Gregorio Lopez l.5.tit.5.partita 5.docet Suarius lib.2.cap.41. no.5. & probat argumento capitis quemadmodùm capite illo de Iureiur. Quod satis probabile est, & in praxi tutum. Ratio verò cur hoc Iuramentum non possit contrà voluntatem eius in cuius fauorem præstitum est, extra prædictos casus relaxari, est, quia ius acquisitum alteri non potest sine iniuria ab eo auferri, nisi id necessarium sit ad commune bonum, & tunc ab eo solùm qui tali bono communi consulit. Quod adeò verum est, vt non solùm debitum Iustitiæ ex promissione iurata alteri, & ab eo acceptatâ ortum, nequeat Pontifex remittere absque vrgenti causa boni communis; sed neque etiam manente firmâ promissione possit vinculum Iuramenti illam confirmantis relaxare, vt docent Sotus lib.8.de Iustitia q.1.a.9. in solutione ad 3. in fine, & Sanch.lib.3.Moralium c.21.n.2. quia nimirum non solùm res promissa est alteri debita, sed etiam vinculum quo iurans adstringitur soluere, ideoque illius vinculi relaxatio cederet in alterius præiudicium.

Ratio assertionis.

Assero 3. non potest relaxari Iuramentum purè assertorium faciendi aliquid in fauorem alterius.

104. Assero 3. & colligo ex ea doctrina nullo modo posse relaxari Iuramentum purè assertorium faciendi aliquid in fauorem alterius factum sine animo promittendi supposita opinione quod tale Iuramentum esse possit. Ratio est, quia hoc cedit in præiudicium alterius cui factum est Iuramentum: quamuis enim talis creditor per solum Iuramentum non acquirat in ea sententia propriù ius Iustitiæ; nihilominus obligatio religionis illum specialiter respicit, & Deus eum respectu ad illius voluntatem acceptat, & vult vt impleatur talis obligatio; ideo ipso homine remittente nulla manet obligatio; ipsoque renoente incommodum & præiudicium reputatur illius si relaxetur, accedit quòd forsasse confert tali creditori aliquam actionem canonicam. Qua de re latè tractat Couarruuias de pactis part.2.§.4. num.15. atque ita videntur sentire Sanch.lib.3 summæ c 9.nu.10 & Suarius lib.2. de Iuram.c.41.num.3.qui tantùm docent posse relaxari quando factum est homini in absentia, & nondum acceptauit; quo casu putat Suarius obligari nisi relaxetur. Sanch. verò putat etiam sine vlla relaxatione posse ab ipsomet iurante reuocari, quando non fuit factum intuitu pietatis, neque in ordine ad Deum, sed tantùm in vtilitatem hominis. Si verò factum fuit ex pietate, etiam ante acceptationem indigere relaxatione, vt cum ipso diximus suprà disp 3.dub.1.illatione 4.§.*sed quæret aliquis*, vterque tamen Author supponit si acceptatum fuit (intellige tacitè vel expressè) non posse relaxari, nisi in casu raro præcedentis nostræ assertionis 2. Præterea ex alijs locis infrà citandis assertione 5. & illatione 3.4. 5 & 6. planè constat Sanch. sentire, posse hoc Iuramentum relaxari, quia eadem est ratio in hoc casu atque in casibus de quibus ibi dicemus, Illud tamen aduertendum est requiri causam quæ alioquin sit sufficiens iudicio prudentis ad priuandum hominem eo iure, cùm in nostro casu, vt supponimus, nulla sit turpitudo, efficaciusque hoc probabitur ex concessis à Suario & Sanch. referendis à nobis in hac dubitatione assert.10.

Ratio assertionis.

Si Iuramentum homini factum sit intuitu pietatis etiam ante acceptationem indiget relaxatione vt nō obliget.

Aduertendum.

Assertio 4. Nec etiam commutari potest in melius Iuramentum

105. Assero 4. non tantùm non potest dispensari in Iuramento homini in illius fauorem emisso, sed neque commutari potest etiam in melius absque creditoris consensu, nisi ex vrgenti

ramentum homini factũ in eius fauorẽ absq; creditoris consensu nisi &c. Ratio assertionis.

genti causa boni communis iuxtà dicta, & tunc tantùm ab habente curam boni communis, vt cum Syluestro *Iuramentum* 5.q. 6. & aliis docet Sanch. suprà nu.3.4.& 5. Ratio verò est, quia fit creditori præiudicium denegando illi rem in specie & in particulari debitam contra eius beneplacitum; neque enim potest vnum pro alio solui inuito creditore l. *mutuum ff. si certum petatur* & institut. *quibus modis tollatur obligatio* in principio.

Quæres. 106. Quod si quæras quâ ratione nos diximus suprà, posse quemque commutare Iuramentum Deo præstitum propriâ authoritate in id quod melius est? *Resp.* Respondetur facilè itita esse, quia Deus semper acceptum habet quod melius est sibi reddi, non sic autem homo.

Assero 5. in casu potest Iuramentum cõmutari & relaxari inuito creditore. Ratio.

107. Assero 5. quando Iuramentum licitum est & obligatorium ex parte iurantis, cum turpitudine tamen creditoris exigentis seu recipientis, benè potest relaxari aut commutari inuito creditore per Papam aut Episcopos, quia cùm recipiens iniustitiam commiserit, licitè potest in pœnam priuari illo quali quali iure. Hâc ratione vtitur Suarius num. 6. estque conformis doctrinæ traditæ in 3. assertione. Sanch. verò lib. 3. c.21.nu.6. id probat, quia per tale Iuramentum nullum homini illi ius acquiritur, sed solùm agitur de reuerentia diuina nomini seruanda. Quare (ait Sanch.) Prælatus qui vices Dei gerit, potest eius nomine eam obligationem relaxare. Vnde rectè idem Sanch. paulò inferiùs num.6. quamuis neget huiusmodi Iuramenta posse commutari per bullam cruciatam & per priuilegia religiosorum concedentia votorum commutationem, quia nimirum hæc Iuramenta cùm non fiant Deo sed homini, non sunt similia votis, vt nos etiam diximus dubit.5. præcedente assert.5. in tertia extensione illius. Nihilominùs idem Sanch. concedit posse hæc Iuramenta commutari vel relaxari per diplomata seu priuilegia, si concedant relaxationem aut commutationem Iuramenti absque tertij præiudicio.

Infertur 1. posse etiam Episcopum dispensare in Iuramẽtis vsurariis factis.

108. Infertur 1. ex hac doctrina posse, non solùm Papam, sed etiam Episcopum commutare aut relaxare Iuramenta facta vsurariis; nec obstat cap. *si verò.* & cap. *verùm* de Iureiur. vbi dicitur huiusmodi Iuramenta solere à summis Pontificibus relaxari: nam vt rectè respondent Canonistæ, ibi Pontifex narrat factum, non tamen quasi ea potestas soli summo Pontifici conueniat, ac proinde non tollit ordinariam potestatem quam Episcopus habet in suos subditos, quæ est eadem quam habet Papa in omnes, nisi à Papa restringatur. Atque ita docent communiter Authores omnes quos refert & sequitur lib.1. de Matrim. disp.32.num.15. & pro nostro casu docet etiam Bonacina disp.4.q.1.punct.17. nu.8. idemque dicendum est de Iuramento per vim extorto quod etiam locum haber (vt rectè probat Sanch. lib.3. Moralium cap.21.num.6.) quamuis ille cui res Iuramento promissa est tradenda, in nulla sit culpa, eò quòd alius tertius metum incussit, aut vsuras extorsit ipso inscio.

Quoties, qui accipit tenetur restituere iurans iniuriam patitur.

Quoties enim is qui accipit, tenetur restituere quod accipit, iurans iniuriam patitur; & quamuis aliqui dicant hanc relaxationem non concedi quando metus est leuis: alij verò in contrarium sentiant, vt citatis Authoribus refert Sanch. lib.4. de Matrim disp.20.nu.7.& 8. & quamuis Suarius optimè probet & latè lib.2.c.41. à nu.9. posse relaxari etiamsi metus fuerit leuis, & ibidem à nu.20. doceat etiam post periurium posse relaxari contrà communem sententiam canonistarum; imò etiam in foro externo dicat relaxationem fieri posse nu. 25. & esse validam etiam obtentam sine manifestatione periurij commissi: quamuis (inquam) hoc ita sit, ipse tamen Sanch. num.9. contendit in foro externo non concedi relaxationem, sed in foro conscientiæ. Nihilominùs satis probabile est quod dixit Suarius etiam in foro externo concedi.

Hæc relaxatio satis probabiliter etiam in foro externo conceditur. Suarius.

Contrà eos verò qui dicunt non posse concedi hanc relaxationem postquàm iurans in periurium incidit, eò quòd transactum fuerit tempus intrà quod soluturum iurarat; sed cogendum esse soluere, & posteà posse repetere; rectè argumentatur Sanch. lib.1. de Matrim. disp.32. nu.16. quia scilicet ille periurus ad duo tenebatur, nempè & ad soluendum tempore præfixo, & etiam ad soluendum ex illo tempore impostcrum, casu quo nondum soluerit; benè ergo potest petere relaxationem ne deinceps peccet, nec soluere teneatur, & nulla lege priuatur suo iure licet peccauerit. Quæ doctrina satis mihi probabilis videtur, quamuis, vt verum fatear, opposita non minùs probabilis apparet, quòd scilicet cogendus sit soluere, præsertim in foro externo, quando nondum habuit tempus sufficiens probandi se iustè petere relaxationem: tunc enim antecedenter ad omnem probationem constat, saltem ex confessione ipsius, se iurasse & fregisse Iuramentum: imò actu tunc temporis frangere, meritò ergo poterit tunc Iudex illum non audire in causa, in qua constat esse periurum, & Iuramentum actu vrgere donec suæ obligationi satisfaciat.

Authoris iudicium.

Infertur 2. non posse Prælatum Ecclesiasticũ relaxare Iuramentũ homini factum, si dubium sit an vi vel dolo fuerit extortum. Ratio.

109. Infertur 2. non posse Prælatum Ecclesiasticum relaxare Iuramentum homini factum, si dubium sit, an vi, dolo an metu fuerit extortum: nam in Iuramentis homini factis reseruatio & obligatio est certa, & relaxatio solùm conceditur ratione doli aut metus; certitudo ergo & possessio stat pro reseruatione, & pro homine cui Iuramentum fuit præstitum; dubium verò stat pro dolo, seu pro concessione relaxationis, & potestate relaxandi facta Episcopo; ergo non potest relaxare cùm melior conditio possidentis sit.

Secus in voto &c. Deo facto quando dubitatur an fuerit v.g. Castitatis &c. Ratio.

Secùs verò est in voto aut Iuramento Deo facto, quando dubitatur an fuerit v.g. castitatis, atque adeò reseruatum, vel an tantùm fuerit non nubendi, ac proinde non reseruatum; nam in tali casu possessio & certitudo stat pro Episcopo qui absolutè potest in omnia non reseruata; dubium verò stat pro reseruatione & qualitate voti, in quo dubio ad id quod minus est, tantùm obligatur vouens, iuxtà probabiliorem sententiam. Ita Sanch. lib.3. summæ c.21.nu.27. contrà Sà *Iuramentum* nu.32.

Infertur 3. posse Episcopum in pœnam ingratitudinis donatarij relaxare Iuramentũ donatoris &c.

110. Infertur 3. posse Episcopum in pœnam ingratitudinis donatarij relaxare Iuramentum à donatore præstitum de non reuocanda donatione ratione ingratitudinis, quia donatarius se ipsum indignum reddidit cui Iuramentum seruetur. Ita Molina tom.2. de Iustitia disp.281. co-

lumna

lumna mihi 8. Guttierrez de Iuramento part. 1. c. 10. n. 6. Sanch. lib. 3. c. 21. n. 26.

Infertur 4.

111. Infertur 4. posse Episcopum relaxare Iuramentum quoties est perniciosum exemplo, etiamsi possit alioquin licitè seruari. Ita cum Ancarano quem refert, docet Felinus c. 1. num. 16. de Iureiur. & ca. 2. nu. 23. de sponsalibus Sanch. suprà nu. 25.

Infertur 5. posse Episcopū relaxare Iuramēta impuberum adiecta super contractus

112. Infertur 5. posse Episcopum relaxare Iuramenta impuberum adiecta super contractus, etiamsi fuerint pubertati proximi, quando talia Iuramenta emiserunt. Ita Sanch. lib. 3. summæ c. 21. num. 18. vbi nullam reddit rationem, sed refert se ad ea quæ dixerat lib. 6. de Matrim. disp. 38. nu. 17. vbi citans Couarruiam de pactis 3. part. §. 1. num. 3. & 4. in 4. Decretalium 1 part. c. 5. §. 1. nu. 4. & Gratianum regula 1. num. 4. ex eisdem Authoribus reddit rationem, quia nimirum sufficiens causa relaxationis est defectus ætatis seu impubertas, sicut & metus. Quod fundamentum facilè quis negare poterit: ex eodem tamen Sanch. illatione sequenti referendo & iam relato pro 5. assertione, potiori ratione probatur,

Ratio.

quia cùm tale Iuramentum super contractum nullum, ipso Iure neque confirmet contractum, nullum acquiritur ius ei cui iuratur; ac proinde sola manet obligatio religionis, quam Prælatus, qui vices Dei gerit, poterit eius nomine relaxare; oportet tamen vt sit aliqua causa relaxandi, & probabile est sufficere defectum ætatis. Imò idem Sanch. lib. 3. summæ c. 12. num. 59. & c. 22. nu. 7. vniuersim docet posse Episcopum relaxare Iuramenta quæ non confirmant contractus, quia per illa nullum acquiritur homini sed Deo; id quod etiam docet Suarius vt diximus disp. 3. dub. 11. difficultate 1. effectu 2. Quæ doctrina limitanda est vt locum habeat si adsit causa.

Infertur 6. posse Episcopum in regno Castellæ relaxare Iuramentū soluendi amissā in ludo pecuniā creditā.

113. Infertur 6. posse Episcopum in Regno Castellæ relaxare Iuramentum soluendi amissa in ludo pecuniâ creditâ. Ita Nauarrus c. 20. nu. 17. ad 5. & cum eo multi & graues Authores, quos refert Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 32. nu. 24. qui omnes solùm nituntur textui cap. *Debitores* de Iureiur. & quamuis Sanch. ibi hanc sententiam impugnet, eò quòd in isto casu nulla est turpitudo id recipere, quia recipere non est illi prohibitum; in casu verò de vsuris de quo agitur in cap. illo *Debitores* turpitudo fit in recipiente, nihilominùs idem Sanch. lib. 3. summæ c. 21. num. 10. fatetur se satis scrupulosè locutum in priori loco, & ait esse satis probabilem prædictam opinionem, etiamsi dicamus Iure naturæ recipientem eam pecuniam nec peccare recipiendo, nec ad restitutionem teneri. Nec est (inquit ille) sufficiens discrimen quòd turpitudo, quando se tenet ex parte recipientis, sit ex Iure naturali, vel tantùm ex Iure positiuo inducta. Et clariùs hoc docet contrà Suarium in citato lib. 3. summæ c. 12. num. 65. in fine. Quia tamen videtur exigi causam ad relaxationem; addit ibi Sanch. esse sufficientem causam, quòd cum modicæ sit vtilitatis ea solutio creditori, quia statim potest repeti in iudicio; per relaxationem vitantur lites agitandæ in repetitione, & fortè periuria committi solita. Verùm hâc de re latiùs per occasionem diximus disp. 3. dub. 11. in 3. difficultate in corollariis ex præcedenti doctrina corollario 2. per totum, maximè §. *nihilominùs* & deinceps.

Infertur 7. posse Episcopum relaxare Iuramentum homini præstitum ratione doli incidentis in contractū.

114. Infertur 7. posse Episcopum relaxare Iuramentum homini præstitum ratione doli incidentis in contractum (nam quando dolus dat causam substantiæ contractus, vtpote quia secluso dolo non iniretur, non indiget Iuramentum relaxatione iuxtà dicta disp. 3. dub. 14. assert. 1.) Ita Suarius lib. 2. de Iuram. c. 41. nu. 7. solumque exigit talem dolum vt in contractu intercesserit grauis læsio iurantis, quia passus est iniustitiam quæ per potestatem publicam potest resarciri; atque adeo dat sufficientem causam relaxationi, quod ego in conscientia verum puto. Nam quod asserit Sanch. lib. 3. summæ cap. 21. nu. 18. citatis multis Authoribus, sufficere scilicet grauem læsionem in contractibus minorum puberum; in contractibus verò maiorum requiri læsionem enormissimam, illam scilicet quæ est vltra triplum vel quadruplum iusti pretij, videtur intelligendum pro foro exteriori, quamuis ipse id non explicet. Tunc autem censetur enormis læsio quando est vltra dimidium iusti pretij secundum eosdem Authores.

Infertur 8.

115. Infertur 8. si Iuramentum fuit homini factum de non repetenda pecunia per metum aut vsuras extortâ, aut amissâ in ludo ad pecuniam creditam & iam solutam; non poterit solutum repeti ante relaxationem talis Iuramenti: potest tamen ea concedi, & concessa repeti. Ita Sanch. c. 21. num. 11. & lib. 1. de Matrim. disp. 32. num. 7.

Infertur 9. quoad Iuramentum latroni aut vsurario.

116. Infertur 9. eum qui iurauit latroni aut vsurario extorquenti pecuniam, se illum non denunciaturum, vel non denunciaturum alia crimina, posse petere relaxationem huius Iuramenti, & illa obtenta denunciare. Nam cùm hoc Iuramentum factum sit homini, & sæpè sine peccato possit seruari, quia non semper homo obligatur ad denunciandum crimina, tunc obligat secundùm probabiliorem sententiam quam sequitur Sotus lib. 8. q. 1. a. 7. ad 3. in 3. membro. Arragon q. 89. a. 7. circà solutionem ad 3. in fine Rodriguez c. 192. num. 2. Sanch. relatus à nobis disp. 3. dub. 4. assert 4. circà finem. Item hoc ipsum docet lib. 3. summæ c. 21. nu. 12. qui in duobus solum casibus docet obligari ad denunciandum, & tunc Iuramentum esse nullum, atque adeo nulla indigere relaxatione. Primus casus est quando latro ille esset tam nefarius, vt ad bonum commune expediret illum denunciare. Secundus quando iuridicè interrogaretur.

Exemplum primi casus. *Exemplum secundi.*

Communis sententia docet Iuramentum de non denūciādo Iure aut vsurario esse nullum ita D. Tho.

117. Communis tamen sententia docet tale Iuramentum non denunciandi esse nullum, quia contrà bonum publicum est à denunciatione abstinere. Ita D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. ibi Caietanus & alij: item Abulensis, Angelus, Syluester, Armilla, Tabiena & ferè tota summistarum farrago, quorum plures refert Sanch. suprà, cum quibus sentit Sà v. *vsura* in fine. Petrus Ledesma 2. part. Tract. 11. ca. 3. dub. 4. in fine. Suarius quem retulimus disp. 3. dub. 10. corollario 7.

Ratio.

Notandum

118. Notandum verò est Sotum & Rodriguez suprà citatos, negare licitum esse illi homini iurare se non denunciaturum etiamsi iuridicè interrogetur, quamuis id iuret vitandæ mortis causâ, cuius oppositum affirmat Sanch. quia cùm

Cũ periculo vitæ nemo tenetur Iudici aliàs iuridicè interroganti respondere.

cùm in vitæ periculo nemo tenetur Iudici aliàs iuridicè interroganti, respondere. Addit etiam Sotus talem hominem ad tuendam vitam licitè posse iurare latroni se gratis donare; quamuis hæc donatio à restitutione non excuset. Sanch. verò docet id esse verum, dummodò per subintellectionem addat aliquam restrictionem v. g. quantùm est ex parte mea volo transferre dominium in te instar gratis donantium, vel dicendo intrà se gratis dono, id est, nullâ re acceptâ pretio dignâ.

Infertur 10. posse Prælatum relaxare Iuramentũ non petenti relaxationẽ Iuramenti, vi extorti.

119. Infertur 10. posse Prælatum Ecclesiæ relaxare Iuramentum, quod quis fecit non petendi relaxationem Iuramenti vi extorti, & deinde licitum esse petere relaxationem ipsius Iuramenti prioris vi extorti, quod necessarium esse putat Sanch. lib. 3. Moralium ca. 21. num. 14. quia vtrumque Iuramentum est factum homini, & potest seruari sine peccato, ergo obligat, de quo latiùs diximus disp. 3. dub. 4. asserr. 4 Quamuis Couarruuias de pactis 2. part § 3. num. 2. & Azor lib. 11. cap. 7. q. 6. asserant tale Iuramentum non petendi relaxationem esse nullum, quia contrà bonos mores, & ideò non egere dispensatione.

Infertur 11 posse Episcopum relaxare Iuramentum redeundi ad carcerẽ iniuriosũ.

120. Infertur 11. posse Episcopum relaxare Iuramentum quod quis fecit redeundi ad carcerem iniuriosum, vel etiamsi non sit iniuriosus carcer, talis tamen est vt ex reditu timeatur pœna iniusta inferenda quâ de re leguntur quæ diximus disp. 3. dub. 13. in opinione prima illatione 6 vbi latè de hoc disseruimus.

Assero 6. in prædictorũ Iuramentorum relaxatione cauendum est scandalum. Ratio.

121. Assero 6. in prædictorum Iuramentorum relaxatione cauendum est scandalum: nam sæpè non poterit relaxatio fieri licitè, aut illa vti si inde sequatur scandalum: vt si captiuus iurasset Infidelibus, apud quos iniustè detinebatur, se in sui redemptionis pretium daturum eis mille aureos: id Iuramentum non est relaxandum propter scandalum & ne nomen Dei blasphemetur apud illos. Ita Caietanus q. 89. a. 7. ad 3. in 1. dubio Arragon. ibi assertione vltima Valentia disp. 6. q. 7. punct. 4. columna mihi 8. versic. *mouet autem* Rodriguez 1. part. summæ c. 92. nu. 9. Sotus lib. 8. q. 1. a. 7. ad 3. in fine qui addit idem esse si captiuus ille iurasset se illuc rediturum; tenetur enim redire etiam cum mortis periculo ob contemptum religionis Christianæ, quod meritò approbat Sanch. lib. 3. summæ c. 21. n. 15.

Assero 7. prædicta Iuramenta non possunt cõmutari per priuilegia religiosorum &c.

122. Assero 7. prædicta Iuramenta non possunt commutari per bullam cruciatam, aut per priuilegia religiosorum concedentia votorum commutationem, quantumuis ea Iuramenta fuerint vi extorta, seu cum peccato ex parte creditoris. Ita contrà aliquos probauimus dub. 5. assert. 5. in 3. extensione illius: alij verò Prælati qui possunt in his Iuramentis dispensare, seu ea relaxare, à fortiori constat posse ea commutare iuxtà dicta eadem 5. dubit. assert. 4. vbi in simili egimus de potestate delegata.

Assero 8. circa relaxationem Iuramenti adhibiti contractui doloso.

123. Assero 8. si relaxatio Iuramenti adhibiti contractui doloso, tantùm detur ad effectum agendi in iudicio, tunc si in plenario iudicio pronuncietur contractum esse validum, tenetur iurans vinculo prioris Iuramenti, quia solùm erat relaxatum ad effectum agendi in Iudicio, non verò ad ampliùs, nisi pronuncietur contractum esse nullum: tunc enim si talis pronunciatio fiat contrauenire potest contractui absque noua relaxatione, quia hunc sensum censetur habere illa relaxatio. Ita Couarruuias de Pactis part. 3. § 4. nu. 6. Sanch. lib. 3. citatos ca. 21. nu. 23. apud quos Authores videri possunt alia multa pro foro exteriori, quæ breuiter attingit idem Sanch. ibi à nu. 19. vsque ad 24. & n. 28.

Assero 9. quoad Prælatos Episcopo inferiores.

124. Assero 9. nullus Iudex aut Prælatus Ecclesiasticus inferior Episcopo, qui non habet iurisdictionem quasi Episcopalem, potest relaxare huiusmodi Iuramenta, sicut nullus talis potest in votis dispensare nisi per delegationem illi committatur iurisdictio. Capitulum verò sede vacante, & alij Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, rectè possunt ea relaxare. Ita cum Abbate, Felino, & aliis docent Azor lib. 11. c. 9. q. 8. & Sanch. lib. 3. summæ c. 21. nu. 29. & 30. Vnde vicarius generalis Episcopi, & alij Iudices Ecclesiastici, non possunt relaxare neque commutare huiusmodi Iuramenta in solo foro conscientiæ, & quando in foro conscientiæ id petitur: nam vt ex communi Doctorum sententia probat Sanch. lib. 2. de Matrimonio disp. 40. nu. 12. hi ex generali commissione vicariatus aut officij Iudicis non habent potestatem dispensandi, nisi eis specialiter committatur per delegationem. Dixi *in solo foro conscientiæ:* nam pro foro iudiciali, & ad effectum agendi in eo foro, benè possunt ea Iuramenta relaxari, vt ex Baldo & Alexandro de Næuo in cap. 1. de Iureiur. probat Sanch. dicto cap. 21. num. 31. & 32. quia habent cognitionem causarum cap. 2. de officio vicarij in 6. causa verò non potest decidi sine Iuramenti relaxatione: poterunt ergo id facere tanquam accessorium ad causam coram eis agitatam cap. *cum propterea* & cap. *prudentiam* de officio delegati.

Assero 10. solus Prælatus Iurãtis in foro conscientiæ potest relaxare Iuramentum. Ratio.

125. Assero 10. quoties in foro conscientiæ petitur & datur relaxatio Iuramenti, ea solùm potest concedi à Prælato ipsius Iurantis, quia is solùm habet in eo iurisdictionem, nullaque desideratur citatio partis, neque vlla iurisdictio aut coactio in partem. Ita Felinus cap. *finali* nu. 24 de foro competenti & cap. 1. num. penultimo de Iureiur. quem sequuntur Suarius lib. 2. de Iuramento cap. 41. nu. 11. & Sanch lib. 3. summæ c. 21. n. 35. & 36.

Opinio Molinæ.

126. E contrà verò Molina tom. 1. de Iustitia disp. 111. columna 2. & disp. 149. columnâ 6. secutus Cardinalem in cap. 1. num. 1. de Iureiur. docet solùm Prælatum eius cui Iuramentum præstitum est, posse illud relaxare; probat quia relaxatio fit in præiudicium, & in odium eius cui factum est Iuramentum, & remittendo seu condonando ius & obligationem quæ contrà iurantem habebat; ergo oportet vt relaxans habeat iurisdictionem & potestatem coactiuam in eum, cui factum erat Iuramentum.

Probat.

Probationi Molinæ respondent Sanch. & Suarius.

127. Respondent verò Suarius & Sanch. antecedens solùm esse verum de eo qui tanquam Iudex in foro exteriori Iuramentum relaxat, quod propriè & in rigore non est relaxare, quatenus hoc idem est quod dispensare, sed potiùs irritare est; quia fit per substractionem materiæ, vel per illius mutationem cogendo subditum ad remittendum tale Iuramentum: ad hoc autem

tem necessarium est habere iurisdictionem in creditorem. Quod si ille renuat, vel cogi non possit propter absentiam vel aliam causam, ipse superior potest suâ authoritate illam remissionem efficere, sicut potest de bonis subditi restituere aut condonare debita ad quæ subditus habet ius. Quâ remissione seu condonatione factâ, tollitur aut mutatur materia, ac proinde iurans manet liber ab obligatione Iuramenti, perinde atque manet liber quando ipse creditor remittit: propterea in hoc relaxationis modo requiritur iurisdictio in creditorem, non verò in personam cui iurauit.

Relaxatio propria consistit in ablatione vinculi orti ex Religione respectu Dei.

128. Relaxatio verò propria, nempe dispensatio, non est condonatio, neque consistit in condonatione partis facta eo modo quo ipse posset condonare, sed in ablatione vinculi orti ex religione respectu Dei, seu in condonatione & remissione nomine Dei facta, quam posset Deus facere etiam renuente parte: vnde relaxare seu dispensare est remittere tanquam Dei vicarium obligationem spiritualem respectu Dei ortam ex Iuramento, quod solùm requirit iurisdictionem erga iurantem cui remittitur perinde atque ad dispensandum in eius votis: in tali enim casu tantùm agitur de tollendo ligamine sui subditi, quod, existente causa, qualis est vis, dolus aut alia iniuria, fieri potest sine consensu eius cui factum erat Iuramentum, quia circà eius personam nihil disponitur, neque aliquid ab eo petitur. quæ assertio & doctrina ampliùs declarabitur & probabitur ex dicendis sequenti dubitatione.

Assero 11. ad irritandum Iuramentum in & pro foro externo quid requiratur ex parte irritantis.

129. Assero 11. ex nuper dictis ad relaxandum vel (magis propriè loquendo) ad irritandum Iuramentum in foro, & pro foro externo, requiritur quòd Prælatus seu Iudex sit superior eius cui Iuramentum factum fuit, vel habeat in illum iurisdictionem, quam etiam potest habere aliquando ratione delicti, aut contractus initi in diœcesi talis Iudicis, etiamsi alioqui persona illa non esset illi subdita vt ex citatis Doctoribus probat Sanch. suprà nu. 31. & quidem si agatur de relaxatione, seu ablatione Iuramenti ad effectum rescindendi omninò contractum, aut tollendi omninò obligationem Iuramenti, assertio est indubitata & certissima vt docet Sãch. citato cap. 21 nu. 28. & 36. quando verò relaxatio petitur in foro externo, sed solùm ad effectum agendi; tunc probabilis est multorum opinio contrà alios, asserentes posse etiam concedi à Prælato iurantis, vndecunque & vbicunque sit alter cui iuratum est, quia modicum præiudicium alteri fit, & quia non est necessaria citatio partis, & ita in praxi receptum esse testantur Couar. & alij quos refert Sanch. nu. 28.

Assero 12. causa sufficiens ad relaxationem Iuramenti est qualibet coactio.

130. Assero 12. ad faciendam licitè hanc relaxationem, sufficit pro causa quælibet coactio, etiamsi non sit per metum cadentem in constantem virum, sed per leuem, & etiamsi præcesserit periurium iuxtà dicta illatione 5. post 5. assertionem. Quod latè probat Suarius lib. 2. de Iuram. ca. 41. circà finem, qui num. 17. etiam probat sufficere turpitudinem exigentis in modo exigendi, etiamsi ea non sit in re iurata, vt si creditor cogit debitorem ad iurandum se soluturum quod re vera debebat. Nam etiam tunc facit iniuriam in extorquendo eo vinculo quo debitor non tenebatur, atque adeò tenetur creditor id vinculum remittere, & cogi potest vt remittat.

DVBITATIO VII.

An potestas sæcularis & ciuilis possit relaxare Iuramenta homini præstita? possitque irritare seu impedire vires Iuramenti antequam præstetur?

Multi negant id posse potestatem sæcularem.

131. Circà primùm multi negant id posse potestatem sæcularem, sed solius esse potestatis ecclesiasticæ, quia in ea relaxatione, agitur de spirituali quadam ac diuina obligatione, cuius absolutio ad eam solam potestatem pertinet, ad quam cura religionis præcipuè spectat, quæ est potestas ecclesiastica. Ita Felinus, Rolandus, Franciscus, Marcus quos referunt & sequuntur Barbossa l. 1. part. 1 num. 77. ff. solut. mat. Guttierrez authentica *Sacramenta puberum* num. 46. c. *si aduersùs vendit.* Azebedo lib. 4. recopil. tit. 1. lege 11. nu. 3 Petrus Ledesma tom. 2. summæ Tract. 11. c. 4. dub. 3. Azor lib. 11. cap. 9. q. 6. in fine, Rodriguez 1. part. c. 192. nu. 9.

Assero 1. sola potestas Ecclesiastica potest propriè relaxare Iuramenta ex parte Dei. Ratio assertionis. Potest etiam potestas sæcularis relaxare relaxatione latè sumpta.

132. Assero 1. si loquamur de vera & propria relaxatione quæ consistit in dispensatione, seu remissione, aut condonatione ex parte Dei, sola quidem potestas Ecclesiastica potest Iuramenta relaxare; quia relaxatio fit vice Dei; ac proinde à solo Dei vicario potest fieri; si verò relaxatio sumatur latè pro remissione seu condonatione quæ fit nomine partis, seu hominis illius cui Iuramentum factum erat, omninò potest potestas secularis relaxare Iuramenta homini facta. Ita Glossa celebris, & multi Authores eam secuti, quos refert Couarruuias de pactis 1. part. § 3. nu. 7. & ipse Couarruuias eodem § 3. nu. 11. versiculo *principaliter quartò*; quamuis soleat referri pro contraria sententia. Docetque in propriis terminis Alexander de Næuo c. 1. n. 13. c. 2. num. 10. de Iureiur. Molina tom. 1. de Iustitia disp. 149. columna 5. versic. *Esti de ...* Sà v. *Iuramentum* num. 29. Idem docet expressiùs & maiori cum distinctione Sanch. lib. 3. summæ c. 22. nu. 15. Suarius lib. 2. de Iuramento ca. 45. nu. 16. qui ait nullam esse dissensionem inter Authores si rectè intelligatur hæc doctrina. Quod verissimum puto; nam licet hæc relaxatio seu remissio Iuramenti valeat etiam pro foro conscientiæ cùm iurans eâ factâ liber maneat omninò; tamen semper à potestate sæculari fit in exteriori foro auditâ & citatâ parte cui Iuramentum factum erat: & tamen, vt notat Sanch. in principio illius capitis 21. omnes Authores consentiunt posse Iudicem sæcularem cogere laicos subditos, vt condonent & remittant Iuramenta sibi facta cum iniustitia & obligatione restitutionis. Idque probant ex eo quòd Iudex sæcularis competens sit ad cogendum seruare Iuramentum per textum in cap. 2. de Iureiur. in 6. ergo eadem ratione potest compellere ad relaxandum eum qui relaxare & condonare tenetur.

Potest iudex sæcularis cogere laicos subditos vt condonent Iuramenta sibi facta cum iniustitia.

133. Ex qua doctrina euidenter sequitur,

posse

Hinc euidenter sequitur ipsos posse per se facere si subditi renuant præstare quod tenentur. Ratio. posse ipsos Iudices per se facere si subditi renuant præstare quod tenentur,& iustè iuuentur efficere ; quia nimirum eiusdem potestatis est cogere aliquem vt faciat & immediatè facere, si ille resistat, quando opus tale est vt non repugnet renuente illo fieri : nam quoties subditus tenetur pręstare consensum alicui tali actui, potest superior illius etiam sæcularis supplere eius consensum, & eo inuito id efficere, vt facit quando esse opus venditione domus, aut *Exempli* alterius rei ad soluendum creditoribus, & Iudice vendente tenetur Dominus rei venditæ de effictione, non aliter quàm si ipsemet vendidisset L. *si ob causam* 13. *de Effictione*: vbi reddunt omnes Doctores rationem, quia in eo euentu factum Iudicis reputatur factum partis. Dixi *Limitatio.* quando opus tale est vt non repugnet renuente, illo fieri, quia non poterit Iudex, quando opus est tale,vt essentialiter requirat ipsummet verum & proprium consensum partis, vt quãdo v. g. pars ipsa tenetur pręstare consensum matrimoni alem ut impleat obligationem sponsalitiam; tunc enim,quamuis pœnis & minis possit Iudex cogere ad præstandum consensum, non potest ipse per se loco partis consentire, cùm matrimonialis contractus essentialiter pendeat ab ipso qui tenetur illum celebrare. Itaque in alijs casibus præter hunc & similes Iudex poterit renuente parte consensum pręberc,vt in casu præsenti condonationis Iuramenti. Confirmatur, *Confirmatur.* quia remissio hæc seu condonatio quid temporale est, cùm possit ab ipsa persona priuata fieri, ergo ex hac parte non repugnat potestati sæculari habenti superioritatem & iurisdictionem suprà volũtatem subditi & bona illius temporalia, iuxtà id quod ratio Iustitię exigit. Tandem probatur eadem doctrina, quia potestas *Probatur eadem doctrina.* hæc naturalis est,& reperitur in principe infideli respectu suorum subditorum, ergo ex naturali Iure est in principibus christianis, quatenùs ad Iustitiam & temporalem pacem necessaria est, neque illius potestatis vsus est illis per Ecclesiam ablatus, quia nullibi id legitur quòd sciam,neque vlla est consuetudo in contrarium, quin potiùs causæ Iuramentorum sunt quoad multa mixti fori, quando fiunt & tractantur renuente parte cui Iuramentum factum est; quo casu relaxatio Iuramenti, si facienda est, fit nomine partis, eaque relaxatio vtpote latè & minùs propriè sumpta non attingit spiritualitatem Iuramenti, sed id quòd est materiale in illo: *Iura quæ contrarium videntur dicere quomodo intelligenda.* Iura autem quæ dicunt pro absolutione Iuramenti recurrendum esse ad spiritualem potestatem, intelliguntur de relaxatione quæ strictè sumitur & est eadem cum dispensatione seu condonatione ex parte Dei & vice Dei facta, de qua in sequenti assertione.

Assero 2. 134. Assero 2. ex dictis si loquamur de vera & propria seu stricta relaxatione Iuramenti, quæ est dispensatio seu condonatio nomine Dei facta, hæc solius potestatis spiritualis est exercerique debet & potest ab eo qui est superior ipsius iurantis tantùm, iurantisque narrationi credendum & standum est quanam ratione existente falsa nihil valet relaxatio. Ex parte verò superioris solùm cauendum est, vt causa sit sufficiens (qualis est coactio & iniustitia ex parte creditoris) Item vt scandalum ex relaxatione seu dispensatione aut ex eius vsu non sequatur iuxta dicta dubitatione præcedenti assertione. 6. quod scandalum inter fideles faciliùs tolli potest reddendo rationem & causam relaxationis: quando autem dispensatio hæc fieri debet ex causa solius boni communis (quia non intercessit turpido nec iniustitia ex parte creditoris) tunc ad solum summum Pontificem pertinere contendit Sanch. lib. 3. Summæ cap. 21. num. 2. idque dicit esse certissimum in omnium sententia. Suarius verò citatis Syluestro & Gregorio Lopez, docet aliquando etiam pertinere ad Episcopum vt notauimus dubitatione præcedenti assert. 2. Prędicta omnia expressiùs quàm cęteri Authores, & in proprijs terminis docent Sanch. & Suarius citati; planè tamen colliguntur ex his quæ omnes Authores concedunt, & constat ex dictis dubitatione præcedenti assert. 10.

135. Assero 3. etiam ex dictis: si loquamur *Assero 3.* de relaxatione latè sumpta pro condonatione facienda nomine partis cui factum est Iuramentum, non potest fieri nisi ab eo qui sit superior eiusdem partis cui Iuramentum fuit præstitum; idque tantùm in foro exteriori citatâ & auditâ parte, quia, vt supponimus, fit contradicente ipsâ parte (nam si ipsa consentiat, nihil aliud opus est vt iurans liber omninò manet etiam in foro conscientiæ) constat hoc ex dictis dubitatione præcedenti assert. 11. *Notandum*

136. Addendum tamen est in hac assertione, si persona cui Iuramentum præstitum erat sit laica, & res super qua iuratum est, sæcularis & laica sit, vtraque potestas, siue Ecclesiastica, siue sæcularis potest citatâ & auditâ tali persona facere hanc relaxationem seu condonationem, quia promissio seu contractus ratione Iuramenti adiuncti est mixti fori, atque adeò apud vtrumque Iudicem potest de tali contractu disceptari, vt rectè docent Molina disp. illa 149. Sanch. c. 22. n. 16. Suarius lib. 2. c. 41. num. 5.

137. Infertur 1. ex dictis quando vterque *Infertur 1.* & iurans, & cui iuratum est, clericus, vel is tantùm cui iuratum est, solam potestatem Ecclesiasticam posse hanc relaxationem seu condonationem nomine partis facere, non verò potestas sæcularis, quia illa & non hæc est superior eius cui iuratum est: si verò is cui est iuratum sit laicus & res laica, etiamsi iurans sit clericus, vtraque potestas poterit condonationem hanc facere,quia vtraque est superior laici in ea causa. Ita Sanch. c. 22. in fine.

138. Infertur. 2. quando is cui iuratur est fi- *Infertur 2.* delis, etiamsi iurans infidelis sit, & non baptizatus, vtraque potestas vel Ecclesiastica vel sæcularis superior illius Christiniani facere posse eiusmodi relaxationem seu condonationem fori exterioris. Si verò vterque vel solùm is cui iuratum est, sit infidelis non baptizatus, sola potestas sæcularis quæ sit superior illius infidelis poterit condonationem hanc facere; nam infidelis non subditur potestati Ecclesię vt Ecclesiastica est,nisi fortè alioquin habeat potestatem temporalem & sæcularem, vt in aliquo solet haberi.

haberi. Vnde vera & propria relaxatio, quæ fit nomine Dei pro foro tantum conscientiæ, numquam habet locum, neq; fieri potest quando vterque vel solus iurans est infidelis. Habet autem locum, fieriqúe potest quando vterque, vel solus iurans fidelis est, etiamsi cui iuratum est sit infidelis. Euitari tamen debet scandalum, Ratio verò est quia iuxta dicta hæc propria relaxatio debet fieri à superiore spirituali ipsius iurantis. Ita Sanch. lib. 3. Summæ cap. 22. n. 19.

Assero 4. Quoad relaxationē latè sumptam, & quæ est fori Exterioris.

139. Assero. 4. si relaxatio latè sumpta, & quæ est fori exterioris facienda sit ex causa tantùm solius boni communis, non verò ob iniustitiam quę sit in eo qui iuratum est, eaque relaxatio facienda sit à potestate sæculari, solùm potest fieri à principe supremo in temporalibus, id est non habente suprà se superiorem temporalem, non verò ab alijs inferioribus. Ita Sanch. lib. 3. summæ c. 22. nu. 18. quod Ego verum puto, non ob huius Authoris rationem à simili, seu paritate sumpta ex relaxatione propria, quæ ex simili causa à solo Pontifice facienda est: sed quia ad solum supremum Principem spectat cura boni communis. Neque obstat quod id concesserimus Episcopis pro aliquo casu cum Suario & alijs in hac & præcedenti dubitatione: multi enim putant Episcopum quemque in sua diœcesi habere tam plenam potestatem nisi fuerit restricta à Pontifice, quàm habet Pontifex summus in tota Ecclesia. Vnde si sit bonum commune suæ diœcesis, poterit Episcopus dispensare vt ait Syluester *Iuramentum* 5. qu. 3. & cum eo Suarius lib. 2. c. 41. nu. 5. quamuis Syluester non satis videatur sibi constare.

Assero 5. Quomodo intelligenda omnia dicta circa relaxationem latè sumptam.

140. Assero 5. omnia quæ diximus, posse potestatem sæcularem circà relaxationem latè sumptam, intelligi debent quando satis constat de causa relaxandi, vt de turpitudine seu iniustia &c. nam si de hoc res dubia sit, vel etiam sit dubium de Iuramenti valore, nullo modo potest sæcularis potestas relaxare Iuramentum, sed recurrendum necessariò est ad Ecclesiasticam potestatem. quæ doctrina vt notat Suarius lib. 2. c. 41. num. 14. habetur expressè cap. *venerabilem* de electión. & multis citatis Authoribus probat Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 32. num. 18. & lib. 3. Summæ cap. 22. n. 1. Azor. lib. 11. c. 9. q. 6.

Circa secundum quæsitum in titulo dubitationis.

141. Circà secundum quod quærebamus in titulo huius dubitationis, scilicet an potestas sæcularis possit irritare seu impedire vires Iuramenti antequam præstetur, variæ sunt Authorum opiniones, quas adducit Sanch. lib. 3. Summæ ca. 22. à n. 6. Quarum prima omninò negat; probat verò quia Iuramentum est vinculum spirituale ad religionem pertinens, & ex ipso naturali Iure obligans. Nonnulli verò docent quando aliquæ leges ciuiles irritant aliquos contractus, etiam Iuramento firmatos, quales sunt in regno castellæ Lex 11. & 12. tit. 1. lib. 4. nouæ recopill. & similes solùm efficere ne contractus habeant firmitatem Iuris ciuilis, seu solam Iuris Gentium & canonici. Ita Menchaca, Barbossa & Avendaño apud Sanch. Quapropter putant posse eum cui in contractu tale Iuramentum fuit præstitum adire Iudicem Ecclesiasticum vt compellat Iudicem sæcularem ad faciendum obseruari Iuramentum. Guttierrez tamen in authentica Sacramenta puberum n. 162. dubius in hac re manet, & potiùs inclinat in id, quòd non teneatur Iudex sæcularis in ea re Ecclesiastico parere. Alij verò inter quos est Couarruuias de Pactis part. 2. §. 1. n. 8. docent eas leges ciuiles & similes, tantùm efficere ne is contractus Iuramento firmetur; Ipsum verò Iuramentum obligare, & obseruandum esse nisi relaxetur per Episcopū, quod fieri posse iam diximus dubitatione præcedenti assert. 5. illatione 5. Mattianzo verò lib. 5. recopill. tit. 2. L. 2. glossa 3. num. 7. & 12. affirmat prædictas leges irritare Iuramenta quæ suprà illos contractus cadunt; atque hoc dicit fieri obligando ad culpam eum qui iurat, vt vel sic ratione culpæ non obliget. Hæc tamen ratio nulla est quia (vt iam nos suprà probauimus cum Sanch. lib. 3. c. 9. nu. 17. & cum alijs) ad obligationem Iuramenti homini præstiti satis est, si id quod iuratum est, possit absque peccato impleri, quantumuis in eo præstando peccatum sit. Atque hac ratione cum Barbossa, quem refert, impugnat Sanch. cap. 22. nu. 9. prædictum fundamentum.

Variæ Doctorum opiniones, sunt.

Prima opinio omnino negat.

Ratio.

Alij verò docent.

Assero 6. Posse Principem sæcularem indirectè & remotè irritare Iuramenta adhibita contractibus, ad forum sæculare spectantibus.

142. Assero 6. prædictis non obstantibus rectè posse Principem sæcularem & ciuilem legem, non quidem directè & immediatè, sed indirectè & remotè irritare Iuramēta adhibita contractibus ad forum sæculare spectantibus, impediendo vim illorum Iuramentorum antequam præstentur; ita vt obligatio ex illis non oriatur: id autem præstare possunt quando exigit hoc finis politicus & bonum suæ Reipublicæ. Perinde atque Ecclesia id exigente fine supernaturali hoc ipsum potest. Ita Matthienzo suprà, licèt eius fundamentum reprobetur à Sanch. Ita etiam Molina tom. 1. de Iustitia disp. 149. columna 7. vers. *ex his colligo* & columna 8. versic. *quoad potestates* & tom. 2. disp. 271. columna 5. vers. *hoc tamen loco* & columna 6. vers. *addimus præterea*. Item Sanch. libr. 3. Summæ cap. 22. num. 10. & videtur docere Suarius lib. 2. de Iuramento cap. 4. num. 16. in fine.

Probat Assertionem Argumento à simili Sanch.

143. Hanc assertionem videtur sibi efficaciter probare Sanch. argumento à simili; nempe quod sicut Ecclesia non quidem potuit directè & immediate irritare matrimonium Clandestinum quatenùs est Sacramentum, sed id solius Christi Domini est, potuit tamen indirectè & remotè, destruendo scilicet directè & proximè contractum humanum, quo destructo tamquam fundamento destructum consequenter manet Sacramentum, quod ipsi innititur, vt idem Author probauerat lib. 3. de Matrim. disp. 4. n. 6. & nos diximus in nostro opere de Sacramentis Tract. 11. tùm disp. 3. dubit. 1. & 2. tùm generaliter disp. 7. dubit. 1. hac ipsa ratione quamuis Princeps sæcularis nequeat suâ lege Iuramentum præstandum irritare directè & immediatè, eo quod sit vinculum spirituale eius facultatem excedens, potest tamen indirectè & remotè, nempe irritando contractum humanum antequam ineatur; quo omninò destructo

ſtructo deſtruitur & irritatur conſequenter Iuramentum in ipſo fundatum. Aque hoc ſolùm ſupremus Princeps poteſt efficere: nam inferior contractus non poteſt irritare. Addunt autem Molina & Sanch. nu. 15. leges Caſtellæ citatas, & etiam Tridentinum ſeſſ. 35. de Regularibus cap. 16. irritare prædicto modo Iuramenta antequàm fiant; vnde talia Iuramenta nullam obligationem parere putant, nulláque relaxatione indigere vt talibus contractibus contrauenìatur. Probat autem Sanch. quia lex ciuilis poteſt (inquit) id efficere, vt ratio facta conuincit; quòd autem id fecerint illæ leges, probat, quia clarè (ait) illæ leges hoc ſignificant, ſiquidem omninò annullant contractum iuratum Ib. *la obligacion no valga.* Nec mirandum eſt (inquit Sanch.) tot Authores contrarium ſenſiſſe, quia non aduertentes hoc fundamentum cenſuère legem ciuilem id non poſſe efficere.

Aſſertionē quamuis Probabilē Author iudicat nō tamen approbat fundamentum quo illam probat Sanch à ſimili de Matrimonio.

144. Ego verò quamuis probabilem putem propoſitam aſſertionem, non tamen approbo fundamentum quo illam probat Sanch. à ſimili de Matrimonio. Quamuis enim annullato ſeu irritato contractu per Eccleſiam aut per Principem, ſeù Rempublicam ſecularem, naturalis ſequela tollatur Sacramentum Matrimonij, id tamen prouenit ex eo, quòd hoc Sacramentum requirit eſſentialiter tanquàm materiam contractum ipſum validum & verum; in noſtro autem caſu irritato aliquo contractu non eo ipſo tollitur Iuramentum obligatorium ſeu obligatio Iuramenti, quia Iuramenti obligatio, ſeu Iuramentum verè obligatorium non fundatur eſſentialiter in contractu ſeu promiſſione validâ in ratione contractus & promiſſionis; neque illam prærequirit vt materiam eſſentialiter præſuppoſitam. Quod varijs rationibus contrà Sanch. ad hominem probare facilè poſſumus; primò quia vt ex ipſo & Suario efficaciter probauimus diſput. 3. dub. 1. Iuramentum cadens ſuprà aſſertionem de futuro ſine vlla protſus promiſſione aut contractu, obligare procul dubio poſſit. Secundò quia rectè cohærent, quod ex vna parte promiſſio ſeu contractus ſuper quem cadit Iuramentum ſit irritus, non ſolùm ex Iure poſitiuo ſed etiam ex naturali. Ex altera verò parte Iuramentum obliget, quod ipſe Sanch. & omnes concedunt, vt patet ex Legibus ciuilibus, & ex deciſionibus Pontificum relatis à nobis ſuprà diſp. 3. dubit. 21. circa finem dilatione 5. & dubit. 12. & 13. vbi habetur Iuramenta Soluendi vſuras, & Iuramenta extorta per vim aut metum obligare; redditurque ratio, quia ſine peccato poſſunt impleri, & tamen contractus illi ſeu promiſſiones ſunt irritæ, neque Iuramento firmatur. 3. etiam in contractibus irritis ex ſolo Iure poſitiuo eſt ſub opinione poſitum, an manentibus irritis nihilominùs Iuramentum ſit validum & obligatorium, vt relatis varijs opinionibus ex ipſo Sanch. tradidimus dubit illa. 11. difficultate 3.

Iuramentum obligatorium non fundatur eſſentialiter in contractu ſeu promiſſione valida ſicut matrimonium.

Probatur 1.

Probatur 2.

Probatur 3.

Ex his Colligitur.

145. Ex quibus planè colligitur, non ſufficere quod irritetur contractus aliquis per poteſtatem ſæcularem, vt eo contractu deſtructo deſtruatur quoque obligatio Iuramenti vt patet. Ipſum autem Iuramentum in ſe, & ſecundùm ſe poteſtas ſecularis irritare non poteſt vt probat fundamentum primæ opinionis & aliarum, & fatetur Sanch. ſuprà.

146. Quapropter vel dicendum cum Couarruuia, aut alijs oppoſitæ ſententiæ, vel noſtra aſſertio probanda eſt ex fundamento tradito à Martienbo ſi rectè intelligatur & explicetur: nam quamuis ex eo quòd prohibeatur etiam ſub peccato vſus Iuramenti, & fiat contrà talem prohibitionem iurando cum peccato, non rectè colligatur quòd Iuramentum ſit inualidum & non obligatorium, quin potiùs reuerà obligat vt latè & apertè probauimus diſp. 7. aſſert. 2.; nihilominùs ſi prohibeatur ſub peccato materia ipſius Iuramenti, vt aſſertio ſeu promiſſio vel contractus quę iurantur, Iuramentum eſt nullum & inualidum, atque adeò non obligat iuxtà aſſertionem primam & tertiam eiuſdem dubitationis: in prædictis autem legibus nouæ recopill. non ſolùm prohibentur ſubditi iurare contractus cum ſecularibus initos, ſed etiam prohibentur contrahere cum Iuramento, & irritantur contractus ipſi cum Iuramento, vt patet ex verbis Legis 11. citatæ: quòd autem id ſub peccato prohibeatur, patet ex Lege ſequenti, & ex eo quòd rex ipſe proteſtatur ſe id prohibere propter commune bonum totius regni, nempe vt euitentur periuria, quibus conſcientiæ contrahentium onerantur, & excommunicationes quibus innouantur ab Iudicibus Eccleſiaſticis, & expenſæ multæ quę fiunt in illis tribunalibus; quia nimirum Iudices Eccleſiaſtici ſæpè loco diſtantes ſunt. & ne Iuriſdictio & poteſtas laicæ & ſecularis minuatur maximè ex parte dum tot cauſæ ſeculares ad tribunalia Eccleſiaſtica deuoluuntur ratione Iuramenti illis adhibiti, qui omnes fines non ad peculiaria priuilegia, ſed ad commune bonum ſpectare videntur. Iam autem ſuprà dubit. 10. aſſert. 2. ex communi doctrina, & ex Sententia ipſius Sanch. probauimus Iuramentum de materia prohibita per leges ciuiles obligantes ad culpam, non eſſe obligatorium, & paulò poſt ex ſententia eiuſdem Authoris regula 1. ſtatuimus quoties lex ciuilis immediatè & primariò ordinatur ad bonum commune tuendum, obligare ad culpam, eaque propter Iuramentum de illo actu prohibito ex tali fine non obligare ad culpam, vtpotè de materia mala & illicitia, quæ omnia docuit Sanch. lib. 3. Summæ c. 9.

Probatur noſtra Aſſertio.

Si prohibeatur ſub peccato materia ipſius Iuramenti, hoc erit nullum.

147. Ex hoc ergo fundamento ſatis videtur probari noſtra aſſertio, niſi fiat hoc modo indirectè, ſcilicet reddendo materiam malam, non puto ſæcularem poteſtatem poſſe irritare Iuramentum antequàm præſtetur: hoc autem modo poſſe ſatis probatum eſt citato illo dub. 10 ex communi doctrina Authorum, quos latè refert Sanch. dicto cap. 9.

Hinc ſecularis Poteſtas non poteſt irritare Sacramentum antequàm præſtetur, niſi indirectè.

148. Confirmatúrque poteſt ex ſimili poteſtate irritandi Iuramentum iam præſtitum; nam in omnium ſententia poteſt ciuilis poteſtas non obſtante Iuramẽto v. g. non acceptandi ciuitatis gubernationem, præcipere & cogere ſubditum vt illam accipiat iuxtà legem vltimam ff. ad municipal. & tradunt Suarius lib. 2. de Iura-

Confirmatur.

In Iuramento subditi semper subintelligitur, nisi Princeps aliud iusserit.

mento cap. 41. nu. 16. in fine, & Sanch. lib. 3. cap. 22. num. 2. nam accedente præcepto cessat obligatio Iuramenti, quia semper intelligitur exceptum iussu superioris, seu conditio (vt ibi loquitur Sanchez) nisi princeps aliud iusserit. Quam eandem rationem tradiderat idem Author cap. illo 9. n. 34. pro Iuramento præstito aut præstando contrà legem respicientem commune bonum, de quo ait non obligare, quia paciscі (inquit) in præiudicium boni communis, est renunciare iuri alieno, & iudicium illius agere; nemo autem potest renunciare iuri alieno, sed soli proprio. L. *Iuris gentium §. si paciscar. ff.* de pactis.

Aduertendum.

149. Illud tandem aduertendum est, nempe, quamuis lege illâ. 11. nouæ recopil. præcipiatur omnibus ne iurent contractus ciuiles; sequenti nihilominùs lege 12. id limitatur ad contractus tantùm initos cum sæcularibus, & de rebus sæcularibus, & ad solos contractus non requirentes Iuramentum ad sui firmamentum. Quapropter iurari passunt contractus arrarum, & rerum dotalium, conpromissa, donationes, emptiones & similes contractus alienes perpetuas continentes. Item contractus minorum, & similes qui requirunt Iuramentum ad sui validitatem, qua de re latè Couarruuias de pactis §. 2. num. 8. Gutierrez authentica Sacramenta puberum nu. 156. Auendanno, Barbossa & alij. Atque hæc de Iuramento dicta sufficiant, alia quæ cum Tractatu de voto communia sunt ibi tradentur. Placet tamen subiungere 5. disputationem de Adiuratione; quæ quamuis diuersum quid sit à Iuramento, nonnullam cum eo similitudinem habet, & ab eo nomen accepit.

DISPVTATIO V.

De Adiuratione.

Adiurationem inter Externos Religionis actus enumerat S. Thomas.

1. INter cæteros externos actus Religionis enumerat 5. Thomas 2. 2. q. 90. Adiurationem quæ affinitatem quandam habet cum Iuramento quantum ad inuocationem diuini nominis, neque de illa dicere omittendum duximus cuius notitia ad nonnullos casus morales in praxi decidendos non parùm potest deseruire. Primò igitur explicabimus quid & quotuplex Adiuratio sit, deinde in quo differat à Iuramento; præterea an & quale peccatum committatur in adiurando; quis possit ex officio dæmones adiurare, & quæ res sint capaces adiuratione? & quali

Tractanda hic de illa.

DVBITATIO I.

Quid & quotuplex sit Adiuratio?

2. STatuendum inprimis est cum D. Thoma 2. 2. q. 90. a. ad 3. *adiurare non esse aliquem ad iurandũ inducere, sed per quandam similitudinem Iuramenti à se inducti alium ad aliquid agendum prouocare.* Ex quibus verbis quantùm ad præsens attinet, adiurare est per assumptionem ac inuocationem diuini nominis, vel cuiuscunque rei sacræ aliũ quempiam ad aliquid agendum prouocare. vt idem D. Thomas eodẽ art. docet. Vnde sic possumus Adiurationem definire: *Adiuratio est contestatio rei sacræ. cuius reuerentiâ alterum ad aliquid præstandum promouere intendimus.* Ita Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 3. adiuncta doctrina capitis. 1. Sanch. & Lessius alijque multi infrà referendi.

Definitio adiurationis.

Adiuratio duplex est deprecatiua & imperatiua.

3. Hæc adiuratio communi partitione duplex est, altera deprecatiua, altera imperatiua, Deprecatiua fit rogando & deprecando personam adiuratam propter reuerentiam Dei aut rei Sacræ interpositæ. Imperatiua verò præcipiendo aut timorem incutiendo per earundum rerum sacrarum contestationem & interpositionem, qua adiuratione vti potest quis erga subditum, imò non licet in re graui ea vti erga non subditos, maximè in re graui, id enim graue peccatum est vt docent ijdem Authores citandi.

Imperatiua vti non potest erga non subditos.

4. Eadem adiuratione imperatiuâ quæ melius ab alijs vocatur Impulsiua, solent & dæmones adiurari, non verò alterâ adiuratione: talis enim modus adiurandi videtur ad quandam beneuolentiam aut amicitiam pertinere, quâ non licet ergà dæmones vti, cùm sint hostes grauissimi humani generis adiurantur autem diuratione Imperatiua & Impulsiua, eò quod Ecclesia specialem habet in Dæmones potestatem ei communicatam. Lucæ. 10. vbi dicitur *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis*: & Marci vltimo *in nomine meo dæmonia eijcient* & eodem Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes & scorpiones, & suprà omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

Adiuratione imperatiua dæmones adiurantur.

5. Ergà Deum verò, vel Sanctos, vel homines vtimur adiuratione deprecatiua vt aliquid deprecemur, quod satis ostendit communis vsus Ecclesiæ, quæ verbis adiuratorijs terminat omnes ferè orationes, scilicet, *per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM &c.* Ita S. Thomas suprà, Suarius suprà cap. 4. num. 3. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 13. Reginaldus lib. 18. num. 107. Sanch. in summa lib. 2 cap. 42. num. 12. Adamus Tannerus tom. 3, disp. 5. quæst. 5. dub. 2. Bonacina disp. 4, quæst. 1. punct. vltimo.

Adiuratione deprecatiua vtimur erga Deum, vel Sanctos vel homines.

DVBITATIO II.

In quo differat Adiuratio à Iuramento?

Conuenientia Adiurationis cum Sacramento.

6. EX dictis in præcedenti dubitatione, constat adiurationem conuenire cum Iuramento,

mento, primò in inuocatione diuini nominis aut rei sacræ, in qua respectus habeatur ad Deum; secundò, in eo quòd sicut adhibetur Iuramentum ad confirmandam veritatem quæ asseritur, aut ad maiorem firmitatem promissionis, ita adiuratio adhibetur vt postulatio aut iussio maiorem vim habeant. Differunt verò Adiuratio & Iuramentum, quòd hoc sit adductio Dei, vel in testem veritatis, vel quasi in fidei iussionem promissionis; Adiuratio verò est adductio Dei tamquam obiecti amoris vel timoris personæ adiuratæ, vt Dei timore vel amore moueatur ad rem petitam concedendam.

Differentia adiurationis à Iuramento.

7. Valentia quidem 2. 2. disp. 6. quæst. 8. punct. 2. quæst. 1. in fine ita distinguit Iuramentum ab Adiuratione, vt simul doceat in omni Iuramento promissorio inueniri adiurationem. Hoc tamen meritò reijcit Suarius citato lib. 4. cap 1. num. 10. quem refert & sequitur Sanch. dicto cap. 42. num. 1. eo quòd possit Iuramentum simpliciter peti, non interposito diuino nomine ex parte petentis, vt in contractibus contingit. Nihilominùs non videtur omninò improbabile quod Valentia docet; nam eo ipso quòd petit Iuramentum, censetur virtualiter interponere reuerentiam diuini nominis, vt res quæ promittitur certiùs fiat, & per eius interpositionem tanquàm per obiectum summæ reuerentiæ velle mouere promittentem ad præstandam rem promissam: nec videtur à ratione alienum, quòd quamuis propriè & directè diuini nominis inuocatio fiat ex parte iurantis; nihilominùs quasi consequenter & interpretatiuè eo ipso quòd alter petit Iuramentum, censeatur iuranti proponere honorem diuini nominis, vt ad rem præstandam certiùs & promptiùs moueatur qui iurat. Legatur Sanch. suprà & Suarius aliique citati.

Opinio Valentiæ.

Reijcitur à Suario.

Author Valentiæ opinionem iudicat probabilē.

8. Differt quoque adiuratio ab oratione, quòd oratio est petitio à Deo; adiuratio verò formaliter & præcisè non est petitio alicuius rei à Deo, sed propter Deum. Vnde quando petitur aliquid ab homine propter Deum, est propria adiuratio, & non est petitio à Deo. Coniungi tamen potest adiuratio cum oratione, vt quando petimus à Deo per Dominum nostrum Iesvm Christvm. Item quando adiuratur Dæmon, vel imperatur subditus adiuratione, nulla est oratio nec petitio, sed imperium.

Differentia adiurationis ab oratione.

DVBITATIO III.

An & quale peccatum committatur in Adiurando?

9. Diximus in principio adiurationem aliquam habere similitudinem cum Iuramento. Inde fit vt suo modo tres illos comites Iuramenti, de quibus diximus in præcedenti dub., adiuratio quoque debeat habere scilicet veritatem, iustitiam, & iudicium. Sanè veritas aliter debet reperiri in adiuratione atque in Iuramento, cùm in adiuratione nihil affirmetur aut negetur, sed solùm petatur aliquid ob diuini nominis reuerentiam in se aut in Sanctis. Hinc est vt Suarius citato lib. 4. cap. 4. num. 6. quem sequitur lib. illo. 2. cap. 42. num. 5. Sanch. doceat defectum veritatis in adiuratione reperiri tripliciter; primò, quando fit per falsum Deum vt per Iouem; secundò, quando est fictio ex parte rei quæ petitur vt cùm, adiuratione interpositá, petitur aliquid per Dei nomen deficiente animo impetrandi, tertiò ex parte causæ inducentis ad obtinendam rem petitam, vt cùm quis ficta paupertate petit propter Deum Eleemosynam. Primum ex his est peccatum mortale idolatriæ vt ex se patet. Secundum est solùm veniale, nec enim est grauis irreuerentia Dei, cùm non adducatur testis. Tertium etiam veniale est; & quamuis Suarius suprà num. 7. Solùm dicat id esse probabile, Sanch. putat ferè certùm loquuntur autem hi Authores expressè de peccato quod committitur contrà religionem adiurationis: nam de peccato quod committitur accipiendo eleemosynas sine titulo paupertatis, non est huius loci disputare. Iustitia verò requisita in adiuratione sita est in eo, quòd res petita non sit illicita; nam si illicita sit, grauis irreuerentia censetur Deo facta, quando interpositus est Deus vt intercessor actionis quę peccatum est ideo in hoc philosophandum est sicut de Iuramento & voto rei malæ. Ita Suarius suprà num. 8. Sanch. suprà. Bonacina disp. 4. quæst. 1. punct. vltimo referens Sotum & alios, & Sanch. testatur de communi. Ex quo fit, vt quemadmodùm votum aut Iuramentum rei venialis censetur veniale, & rei mortalis mortale, ita dicendum sit de Adiuratione quantùm ad illud peccatum quod cōmittitur contrà religionem Adiurationis vltra peccatum inductionis proximi ad malum. Ita Sanch & Suarius citati, qui etiam addunt, si adiuratio fiat per vitam alicuius hominis, vel aliam rem huiusmodi, non augeri culpam inductionis ad malum, quia hæc nec adiuratio est, nec spectat ad religionem. Si verò fiat per Sanctos quatenùs in ipsis Deus splendet, perinde est ac si per Deum fieret; Si verò habeatur respectus ad solam Sancti dignitatem, meritò putat Sanch. mortale inducere mortale malum graue quamuis non sit tam grauis culpa contra religionem atque si haberetur respectus ad Deum. grauis enim est Sancti iniuria eum culpæ illius patronum interponere.

In adiuratione debet esse veritas iustitia & iudicium.

In Adiuratione inuenitur defectus veritatis tripliciter iuxta Sanch.

Primum est mortale peccatum idololatriæ.

Secundum & tertium veniale.

In quo sit iustitia in Adiuratione requisita.

Hinc sicut votum aut Iuramentum rei venialis est veniale, & rei mortalis mortale ita dicendum est de adiuratione.

10. Quod attinet ad iudicium, requiritur in adiuratione quòd cum necessitate & debita reuerentia fiat. sicut enim Iuramentum cùm vtrobique nomen Dei assumatur Ita docent Antonius, Sylu̇ester, Sotus, Valentia. Suarius & alij apud Sanch. loco citato, qui rectè cum aliquibus alijs affirmat hunc defectum sicut in Iuramento, tantum esse venialem quatenus religionis dissonat interponere adiurationem diuini nominis pro re leui.

Iudicium requisitū.

11. Nihilominùs, saluo meliori iudicio, multò faciliorem causam & multò leuiorem puto reperiri posse sufficientem respectu adiurationis quam respectu Iuramenti. Ideò quamuis frequenter iurare pro rebus leuibus videatur meritò, & sit irreuerentia ergà Deum, nihilominùs frequenter adiurare cum aliquid petitur aut imperatur, tantùm abest vt sit irreligio seu irreuerentia

Authoris sententia de iudicio hic requisito.

uerentia contrà religionem, vt potiùs videatur esse magna religio, & denotare religiosum animi affectum, id quod frequentissimus religiosorum & deuotarū personarum vsus declarat; sic maximè viri religiosi à suis socijs & fratribus iuxtà receptum vsum omnium Ordinum, petunt, aut etiam imperant aliquid propter Deum, propter amorem Dei, propter honorem beatæ Virginis & similibus alijs religiosis locutionibus, etiamsi res quæ petitur leuissima sit, putà calamū ad scribendum, vel particulam chartæ; quis autem tunc dicet irreuerentiam esse diuini nominis cùm quis alteri petit, *da mihi chartam, aut calamū propter Deum; aut propter Deum accede huc &c.*? Itaque existimo hunc adiurandi modum etiam pro leuibus, sed licita & vtili, & etiam si passim fiat, nullum esse peccatum, imò actum religionis quo moueri potest is à quo petitur aliquid, vt id faciat in honorem Dei, cuius Sancti nominis interpositione petitur. Alia quæ pertinent ad peccatum adiurationis dicemus sequentibus dubitationibus.

Adiurationes pro rebus leuibus non sunt peccaminosæ imò sunt actus virtutis.

DVBITATIO IV.

Quis possit ex officio Dæmones adiurare?

12. Diximus dubitatione. 1. Dæmones adiuratione imperatiuâ seu compulsiuâ posse & solere adiurari. quærimus iam nunc ad quos pertineat eiusmodi adiuratio ex officio.

13. Asserendum est facultatem adiurandi solùm competere ministris Ecclesiæ ritè ordinatis ad id, scilicet exorcistis, quod intellige quoties agitur de expellendo Dæmone per adiurationē quæ secundùm publicam formam ab Ecclesia præscriptam, & iuxtà ritum exorcismorum fieri solet. Constat hoc ex ipsa eius ordinis forma in qua talis illis potestas confertur. Si verò agamus de adiuratione priuata, non negatur potestas cæteris. Ita Suarius citato lib. 4. c. 2. n. 11. & 12. quem refert & sequitur Sanch. cum pluribus alijs apud ipsum: vbi n. 18. c. 42. rectè notat cum Martino Delrio, non minùs esse concessam hic potestatem exorcistis quàm Episcopis, sed ex sola honestate à recto Ecclesiæ vsu non debere clericum inferioris ordinis id facere præsente clerico superioris ipso inuito; quod etiam intelligi debet de exorcizatione publica secundùm formam ab Ecclesia institutam, non verò de priuata quam quisque potest facere. Pro qua sententia alios refert Sanch. vbi etiam addit, si modus adiurandi & expellendi sit visibilis, vt quando Dæmon corporaliter obsidet hominē, si expulsio sit efficax & extraordinario modo; pertinere ad miraculorum potestatem, atque adeò tentari non posse absque speciali Spiritus Sancti instinctu. Si verò modus adiurandi sit priuatus & occultus, vel inuisibilis, competere cuicumque, sicut quando quis à Dæmone tentatur, potest ipsum adiurare in nomine Domini vt recedat.

Asserendū facultatem adiurandi ex officio competere exorcistis Ecclesiæ.

Non negatur potestas alijs quoad Adiurationē Priuatam.

Addit Sanch.

DVBITATIO V.

Quæ res sint capaces adiurationis & quali?

14. In qualibet adiuratione tria concurrunt, nempe adiurans & adiuratum, & id per quòd fit adiuratio. de quibus sigillatim dicemus, & omissis hominibus de quibus certissimum est, & satis constat.

In Adiuratione tria concurrunt.

Assero. 1. Deus potest adiurare vt ob nomen suum aliquid ipso præcipiente fiat, in quo nulla apparet repugnantia. *Assero 1.*

15. Assero. 2. Angeli tam mali quàm boni possunt adiurare. De bonis non videtur esse difficultas. De malis verò probatur ex illo Marci 5. vbi Dæmon adiurauit Christum. *adiuro te per Deum ne me torqueas.* *Assero 2.* *Marci 5.*

16. Assero 3. res adiurata debet quoque necessariò esse intellectualis, sicut & adiurans; de adiurante nulla potest esse dubitatio: est enim adiuratio quædam locutio quę solùm ab intellectuali natura prouenire potest. Quod verò res adiurata debeat esse intellectualis, constat, quia vanum & inutile est alloqui rem non intelligentem. Vnde quando aqua vel sal exorcizatur, etiamsi per tropum seu figuram videamur alloqui illam, potiùs alloquimur Deum, & quod petimus, vt in eius vsu Deus existat, & Diaboli vires contundat, cumque expellat. Ita Suarius suprà cap. 3. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 8. punct. 2. S. Thomas citata qu. 90. à 3. Sanch. citato cap. 42. n. 2. & 37. & 38. Bonacina suprà n. 3. Tannerus disp. 5. citata quæst. 5. dub. 2. n. 44. alijque multi.

Assero 3. res adiurata debet esse intellectualis, sicut & adiurans. *Ratio.* *Quando aqua vel sal exorcizatur alloquimur Deum non aquam vel Salem ita D. Thomas Suarius. Sāch.*

17. Hinc est quod adiurare locustas, nubes, bruchum, erucam & similia animata, vel inanimata nociua, dirigendo sermonem ad ipsa, quasi ipsa ex se moueant sponte & liberè ad efficienda nobis aduersa, omninò vanum sit, quia tamen vel Deus illa fouere potest vt nos puniat, vel Dæmon permittente Deo, possumus illa adiurare dirigendo sermonem adiuratione deprecatiuâ ad Deum, vel compulsiuâ & imperatiuâ ad Dæmonem. Ita Sanch. suprà n. 37. cum D. Thoma art. 3. citato & alijs quos refert. Vtrum autem sic adiurare inanimata irrationalia sit mortale, vel veniale, non consentiunt Authores: Nauarr. lib. 5. Concil. titulo de sententia excommunicationis in 1. editione concilio 5. n. 10. in 2. verò concilio 2. putat esse mortale, quia videtur illi ridiculos facere exorcismos Ecclesię, qui sic adiurat. Refert autem Tabienam & Angelum pro sua sententia, qui tamen non id docent, sed tantùm huiusmodi peccatum ex genere posse esse mortale, quod verum est etiamsi propter leuitatem materiæ aliquando, aut sæpè mortale non sit. Et tale putat in hoc casu Sanch. quia est sola vanitas quædam, neque sic adiurans intendit ridiculos facere exorcismos Ecclesiæ, pro qua sententia refert Syluestrum, Tabienam, Margaritam Confessorum & Suarium citato lib. 4. de Adiuratione n. 12. in fine. quibus adde Bonacinam suprà n. 4. Legatur Sāch. citato lib. 2. & Suarius libro citato cap. 3. & 4.

Quo sensu possimus inanimata vel animata irrationalia Adiurare, vel non: licite. *De grauitate peccati Adiurationis non conueniūt Doctores.* *Nauarrus Putat esse mortale. Ratio.* *Ob leuitatem materia sæpe non esse mortale docent alij.*

18. Assero

Assero 5. res per quam adiuratur quis, potest esse Deus, Angeli, Sancti, vel homines iusti Viatores non autem creaturæ inferiores.

18. Assero 5. res per quam adiuratur aliquis, possunt esse vel Deus, vel Angeli, vel Sancti in gloria, vel etiam homines iustos viatores. Ita Suarius citato lib. 4. cap. 3. & Sanch. num illo. 2. alijque citati; nullo autem modo fieri potest adiuratio per creaturas inferiores in natura aut in statu gratiæ, vt docent ibidem Authores citati. De Angelis, Sanctis & Iustis probatur satis ex eo, quòd hi omnes plurimùm valeant apud Deum, ea propter ob illorum amorem & intercessionem meritò potest & debet Deus rogari & adiurari, vt aliquod beneficium concedat. Quod verò non possit id fieri per alias creaturas probatur: vel creaturæ cæteræ inferiores in natura aut in statu gratię nihil valent apud Deum: Non ideò tamen repugnat adiurari Deum per commemorationem alicuius effectus creati, quatenùs in eo clauditur Deus ipse vt Author illius, & vt ex misericordia in vno opere suo moueatur ad aliud faciendum. Per Iustos verò tam beatos, quàm Viatores adiurari potest Deus, non tantùm quatenùs in illis Deus ipse elucet, sed etiam præcisè spectando merita eorundem Sanctorum, in quo non tribuitur Sancto aliquid proprium Dei, sed honoratur iuxtà sua merita.

Ratio primæ partis Assertionis. *Ratio 2. partis.* *Quomodò per Iustos adiuratur Deus.*

Dæmonis adiuratio.

19. Quòd verò attinet ad Dæmonis adiurationem per solum Deum, aut per Sanctos vt in eis relucet Deus, fieri potest; solus enim Deus aut Sancti eius virtute possunt Dæmonem cogere.

20. Licita etiam est quandoque impropria illa adiuratio moralis & humana, quæ fit quando vnus postulat ab alio aliquid per vitam patris, filiorum & similium. Ita Sanch. citato n. 2. Suarius dicto c. 3.

Ex his patet quod actus adiurationis cum debitis circumstantijs est actus virtutis religionis.

21. Ex his patet actum adiurationis cum debitis circumstantijs esse actum honestum & virtutis religionis, quando fit per Deum siue expresè, siue tacitè, quia in hoc adiurans tribuit honorem Deo interponendo illius authoritatem tanquàm plurimùm valentem apud omnes ad aliquid obtinendum. Ita Suarius suprà cap. 1. à num. 4. vsque ad 7. Sanch. suprà num. 2. Placet iam breuibus quæstiunculis aliqua quæ ad praxin spectant decidere.

Quæres 1.

22. Quæres 1. an sit aliquod præceptum adiurandi?

Resp. de Adiurationem oratione inclusa esse præceptum Ecclesiæ.

23. Respondeo, si loquamur de adiuratione quæ imbibita est in oratione, sæpè esse præceptum Ecclesiæ sic adiurandi: nam in plerisque orationibus adiuratur Deus per merita Christi, & adiuratur Christus in litanijs per varia mysteria incarnationis, vitæ suæ, & redemptionem generis humani. Quare hoc præceptum non est peculiare adiurationis, sed concidit cum præcepto horarum canonicarum, missæ & administrationis Sacramentorum. Seorsim autem præcisè adiurandi nullum extat præceptum. Ita Sanch. suprà num. 4. secutus Suarium cap. 4. num. 2. 3. & 4.

At adiurationis præcisè sumptæ nullum datur præceptum.

Quæres 2.

24. Quæres 2. an liceat aliquando adiurare Dæmones vt opem ferant ad fugandam grandinem & tempestates &c. similia? Respondeo nön licere. Ratio est quia non licet beneficium exspectare à Dæmone, & cum eo aliquam societatem inire vel habere. Ita Sanch. suprà n. 22. Suarius tom. 1. de Religione lib. 2 de superstitione cap. 18. num. 8. Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 44. dub. 6. num. 46. Reginaldus n. 104. citati libri. 18. Bonacina suprà num. 5. qui sicut & alia apud ipsos meritò negant licitum esse adiurando inuocare; vel præcipere Dæmoni superiori vt inferiorem è corpore pellat, quia hoc est aliquod beneficium à superiore Dæmone accipere, vt cum alijs notauit idem Sanch. num. 2.

Resp. Numquā licere adiurare Dæmones vt opem ferant ad fugandas tempestates, &c. Ratio.

Non est tamen improbabile posse adiuratorem præcipere Dæmoni Superiori vt suam legionem secum ducat.

25. Non tamen videtur improbabile quod docet Bonacina suprà, scilicet posse adiuratorem præcipere Dęmoni superiori vt totam suam legionem secum ducat, nullumque sui cætus in corpore derelinquat; quod non est, vt contendit Sanch. suprà, exspectare aut petere beneficium à Dæmone, nec est societas cum Dæmone, sed potiùs recessus, quod mihi placet & docet Syluester verbo *adiuratio* quæsito 5. Nec video cur possit quis absque eo quod dicatur à Dæmone beneficium accipere, aut petere societatem cum eo inire, illum cogere vt inuitus recedat, & non possit etiam eadem adiuratione cogere vt inuitus cæteros alios Dæmones sibi inferiores, etiam inuitos, secum ducat; nec enim est recipere beneficium ab aliquo, vel societatem & amitiam cum illo inire, quem quis cōgit per vim ad aliquid præstandum vel faciendum, quantumuis id quod præstatur, aut fit, sit gratum cogenti.

Authori placet hæc resolutio. Ratio.

Quæres 3. Resp. Adiurationem, vt sic non inducere obligationem ex parte adiurati.

26. Quæres 3: an adiuratio inducat obligationem ex parte adiurati præstandi id quod ab eo petitur? Respondeo non inducere præcisè ex adiuratione, nec est aliquod caput vnde talis obligatio probetur. Dixi præcisè ex adiuratione: nam, si qui adiuratur inferior sit & imperatiuè adiuretur à superiore, fieri potest vt teneatur, non ratione adiurationis, sed ratione præcepti quod superior intendit adiurando imponere. Ita Suarius lib. citato cap. 4. num. 14. Tabiena verbo *Adiuratio* conclus. 4. Sanch. suprà numer. 14. & alij citati. Vnde in tali casu non erit duplex peccatum, alterum irreligionis contrà adiurationem, & alterum contrà præceptum à superiore impositum, sed tantùm hoc secundum. Ideo Sotum, quem referunt Suarius & Sanch. dicentem, grauius peccari transgrediendo præceptum quàm si adiuratio non esset, meritò explicant de grauitate inter eandem speciem, eò quòd subditus ea adiuratione magis excitatur ad considerandam negotij grauitatem & potestatem qua iubetur.

Quæres 4. Resp.

27. Quæres 4. an liceat aliqua petere à Dæmone qui humanum corpus obsidet. Respondeo inprimis non licere ex mera leuitate & curiositate vana & inutilia interrogare, & petere vt ad illa respondeat: erit enim veniale peccatum. Ita Suarius citato lib 4. cap. 2. numer. 9. Sanch. citato cap 42. num. 25. vbi plures alios refert quibus adde Bonacinam disp. 4. quæst. 1. punct. vltimo num. 8. Reginaldum lib. 17. n. 167. Martinum Delrio lib. 6. Disquisitionum Magicarum cap. 3. Quòd si longi sermones cum Dæmone misceantur, meritò Sanch. putat non solùm esse periculosum (vt ait Sotus ab ipso

Habere longos Sermones cū Dæmone est peccatum mortale.

ipso relatus) sed esse mortale; quia res est grauissima & maximo periculo exposita longos cum Dæmone sermones miscere. Addit etiam Sanch. esse mortale si fiat interrogatio deprecatiuè, quia sic interrogare pertinet ad amicitiam cum Dæmone, refertque Syluestrum & Armillam. Addit vlteriùs si interrogatio fiat intentione addiscendi aliquid à Dæmone, esse mortale, quia est aliquod ab illo beneficium exspectare. Pro qua doctrina refert Armillam & idem docet Bonacina suprà num. 9. quod tamen licet omninò reprehendendum videatur, non mihi videtur satis probari esse mortale si non fiat deprecatiuè, sed imperatiuè & compulsiuè, nec enim est ab illo beneficium exspectare, cogere vt faciat inuitus. Ex aliò quidem capite potest damnari & reprehendi ea intentio, nempe ex periculo deceptiònis quæ potest aut solet esse in talibus responsis à Dæmone, si quis illi credat in re graui & doctrinali v. g. in re Theologica, sed hoc alterius genus peccati erit. Vnde si sit statura çensura contra ineuntes societatem cum Dæmone, iuxtà hunc philosophandi modum non puto incurrere eum qui, quantumuis ex intentione addiscendi, adiurondi Dæmonem adigat ad respondendum suæ interrogationi adiuratione compulsiua & non deprecatiua. Addit vlteriùs Sanch. etiam esse peccatum si interrogans firmam & certam fidem adhibeat dicto Dæmonis, quippe id esset nimis honorare Dæmonem, & interroganti valdè periculosum. Pro qua doctrina refert Syluestrum & Armillam.

Deprecatiue interrogare Dæmonem est mortale. ita Sanch.

Etiam iuxta Sanch peccatum est si Interrogans certam & firmam fidem adhibeat dicto Dæmonis.

28. Mihi tamen in hac re, quæ frequenter potest contingere in adiurationibus, distinguendum videtur: nam si quis credat etiam firmiter verum esse quod dixit Dæmon, quia id efficaci ratione vel euidenti signo ostendit Dæmon ita esse, nullum est peccatum, imò fieri non potest quin firmiter quis assentiatur. Item si Dæmon non spontè dicat quæ dicit, sed vi & sanctitate exorcismorum coactus respondeat, vel etiam iurando faciliùs potest credi quod dicit, maximè si verum est Deum non permittere Dæmonem falsò iurare, id quod ipse Dæmon aliquando exorcismis coactus falsus est cuidam sacerdoti nostræ Societatis, qui dum illum expelleret à quadam fœminâ rusticâ & simplici quam obsidebat, & impositis super caput reliquijs Sanctorum, cùm Demon clamaret se torqueri ab illis Sanctis, quæsitum est ab illo quinam essent illi à quibus torqueretur, nominauit eorum omnium Sanctorum reliquias quæ in lipsanotheca includebantur; sed addidit mendacissimus plures alios qui ibi non erant. Quæsitus verò à Sacerdote num auderet iurare ab illis omnibus contentis in ea lipsanotheca torqueri, respondit quidni iurabo? Iura ergo dixit Sacerdos: tunc Dæmon, per Deum qui me torquet iuro, quòd nunc patior à tali & tali & tali Sancto, enumerando scilicet eos omnes quorum reliquiæ in lipsan otheca habebantur prætermissis alijs quos ipse addiderat, cùm ibi non essent. Requisitus verò à Sacerdote cur non connumeraret cæteras, quos antequàm iurares addidisset: respondit sibi non esse integrum iam mentiri post interpositum Iuramentum. Et voce tremendâ addidit causam, quia Deus propter honorem sui sanctissimi nominis non permittit malignis Spiritus iurare mendacium. Quod mihi non videtur incredibile; quamuis enim qui hæc dixit, Dæmon fuerit, non dixit tamen spontè, sed vi exorcismorum coactus, & id quod dixit rationi consonum est, & non inutile & vanum, sed maximè conducens ad deterrendos homines à periurijs. Legantur dicenda infrà quæsito. 7.

At opus est distinctione iuxta Authorem.

29. Addit tandem Sanch. illicitum fore & mortale sic interrogare Dæmonem, quando creditur fore vt occultum alicuius peccatum detegat; quod mihi placet si peccatum quod timetur reuelandum tale sit, vt in proximi proximi infamiam redundet grauem prudenti æstimatione: si enim leuissima sit, aut ferè nulla infamia, & coram paucis, non video cur ex eo capite sit mortale.

Addit Sanch. mortale esse interrogare Dæmonem quando creditur quod occultum peccatum proximi, deteget redundans in ipsius infamiam grauem.

30. Illud mihi placet quod cum Caietano & Tabiena ibidem docet Sanch. ex imperfectione actus fore veniale, efficere vt Dæmon in energumeno existens aliquid vanum faciat, vt mouere lapidem. pro qua doctrina refert Caietanum & Tabienam, quod intellige dummodò non deprecatiuè, sed imperatiue fiat adiuratio.

31. Respódeo vlteriùs quęsito proposito peti posse à Dæmone imperatiuè & coactiuè ea quæ expulsioni conducunt, & quæ spectant ad aliorum vtilitatem; ideo licet quærere qua de causa ingressus sit? quod nomen habeat? quot sint Spiritus maligni obsidentes illud corpus? Ita docent Authores citati maximè Sanch. num 23. Valentia 2. 2. disp. 3. quæst. 8. punct. 1. & alij multi apud Sanch. ibi & num. 24. & apud Bonacinam citato num. 8. Quorum ratio est, quia hæc sunt media ad Dæmonem expellendum, nec in hoc initur Societas cum Dæmone, sed potiùs agitur de ipso fugando. Et quæ ad aliorum vtilitatem vel Dei gloriam spectant, etiam contra Dæmonem sunt, & nullo modo pertinent ad aliquod genus amicitiæ vel Societatis cum illo.

Addit Author peti posse à Dæmone imperatiuè & coactiuè ea quæ expulsioni conducunt, &c.

32. Quæres 5. an Sacerdos adiurans Dæmonem, licitè adhibeat rutam, stercus caprinum, & similia, vtaturque flagellis, sp[illegible], colaphis percutiendo corpus obsessi & nomen Dæmonis in charta scriptum comburendo in contemptum illius?

Quæres 5.

33. Respondeo sub distinctione. si hæc fiant quasi habeant vim naturalem & physicam ad fugandos Dęmones, superstitio est & abusio; nec enim res corporalis vim habet ad fugandos Dęmones qui spirituales sunt. Ita Martinus Delrio lib 2. q. 3. sect. & libro & libro 3. cap. 2. qu. 3. sect. 2. Suarius 3. part. tom 3. disp. 15. sect. 4. & alij apud Sanch. suprà n. 12. Bonacina suprà n. 12. Si verò hæc fiant in contemptum Dæmonis superbissimi, vt inde sumat occasionem deserendi corpus illud in quo sic tractatur, nullum erit peccatum.

Resp. sub distinctione.

34. Dicet aliquis, indè sequi frustrà adhiberi aliqua medicamenta Dæmoniaco quandoquidem hæc nihil possint in Dæmonem.

Dices Ergo frustrà adhibentur medicamenta Dæmoniaco.

35. Respondeo. 1. directè in Dæmonem nihil

Reſp. 1. Talia licet non directè, indirectè, tamẽ vtilia eſſe poſſe.

nihil prodeſſe, indirectè tamen vtilia eſſe poſſe ad expellendos, vel auertendos humores prana-ſúe diſpoſitiones, quibus obſeſſus ſolet à Dæmone vexari, vt docent nuper citati Doctores.

Reſp. 2. Nonnulla adhiberi medicamenta in contemptũ Dæmonum ad ipſos fugandos.

36. Reſpondeo 2. nonnulla medicamenta adhiberi in contemptum Dæmonum ad ipſos fugandos, vt nuper dicebamus, non verò tanquam deſeruientia ad Dæmones phyſicè torquendos; tunc autem ſatis eſt ſi adhibeantur quantùm ſufficit ad huiuſmodi contemptum & contumeliam Dæmonis ſine damno corporali obſeſſi. Ita Sanch. ſuprà num. 30. cum Tyræo de Dæmoniacis cap. 46. num. 3. & alijs quos refert. Hinc eſt vt ipſe Sanch. monet lib. 31. ex Philiarcho de officio Sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 11. adiuratores in præbendo dæmoniaco eiuſmodi medicamenta ſeu remedia, cautè debere procedere, cùm ipſi artem medicinæ non calleant, & facilè poſſint errare ſine medici conſilio.

Quæres. 6.

37. Quæres 6. an adiurans peccet conniuendo aut conſentiendo in aliquo Dæmoni è corpore egreſſuro.

Reſp. Duobus modis poteſt quis aſſentiri petitioni Dæmonis.

38. Reſpondetur cum Sanch. num. 36. & cum Tyræo quem refert, duobus modis id poſſe fieri; primò quando rem iniquam non petit Dæmon, vtpote neque contrà Dei honorem, neque contrà proximi vtilitatem, & tunc poteſt conniuere & permittere Dæmoni id quòd petit aut vult, dummodò egrediatur è corpore, quamuis non teneatur adiurans id concedere. Vnde licebit ſi petat nouis ſupplicijs non cruciari, aut in infernum relegari, tùm quia licitum eſt adhibere media ad fugandum Dæmonem, qui quandoque facilius fugatur conniuendo ipſius petitioni non iniquæ, tùm etiam quia id non eſt inire Societatem cum Dæmone, nec eſt voluntas placendi Dæmoni, ſed potiùs receſſus & medium quo faciliùs expellatur, & compellatur deſerere corpus obſeſſum. Secundò conniueri poteſt Dæmoni petenti rem malam, verbi gratia tranſeundi ad alium hominem, aut vexandi alium, & tunc peccat adiurator conniuendo, tùm quia cooperatur actioni iniquæ, tùm quia vitari debet damnum proximi quoad commodè fieri poſſit. Quamuis autem competat adiuratori facultas expellendi Dæmonem, non tamen ea competit cum aliorum detrimento.

Adducunt prædicti Doctores quandoque licere conniuere Dæmonis Petitioni quadruplici occurrente conditione.

39. Addunt tamen prædicti Doctores aliquando licere quadruplici concurrente conditione. Primâ, vt is quem Dæmon poſſeſſurus eſt, ſit homo peſſimus, & tali pœna dignus. Secundâ vt adiurans habeat imperium in eum quem Dæmoni traditurus eſt, atque in ipſum Dæmonem, ſummumque ius ad ipſum expellendum quandocunque libuerit. Tertiâ vt adſit boni maioris ſpes, quia nimirum ſperatur fore vt hac ratione proximus iuuetur, qui alijs rationibus non videbatur poſſe iuuari. Quartâ vt abſit voluntas placendi Dæmoni, ſed tantùm id fiat ad vtendum ipſo tanquàm lictore & carnifice. Legatur Tyræus de Dæmoniacis cap. vltimo, à num. 8. vſque ad finem.

Quæres. 7.

40. Quæres, 7. an liceat adiuratori petere à Dæmone ſignum ad vadem, aut chirographum quibus indicet aut ſpondeat ſe è corpore exire, & non rediturum?

Negat Sotus.

41. Negant Sotus lib. 8 de Iuſtitia à 2. circà ſolutionem ad 3. & Ciruello de ſuperſtitione 3. part. cap. 8. putantes id eſſe ſuperſtitioſum; imò Sotus ſuperſtitioſiſſimum appellat & non ferendum, eò quòd Dæmon ſit mendacij Pater, nullaque fides ipſi adhibenda.

Authori non placet Ratio Soti.

42. Hæc tamen ratio mihi non placet, nec placet Authoribus poſteà referendis. Quamuis enim ſit mendacij Pater, poteſt cogi ad dicendam veritatem; & ea ratione illi credi, vtpotè coacto per virtutem exorciſmorum, vt dicebamus quæſito 4. & docet Sanch. ſuprà num. 28. adiuncto num. 23. cum alijs, vbi docuit, & nos cum illo poſſe credi Dæmoni coacto adiuratione ad manifeſtandam veritatem conducendam ad ſuam expulſionem, talis autem hæc eſt traditionis ſigni, putà extinguere lumen, vel vitrum aliquod frangere, vel aliquid aliud; ſicut enim cogitur Dæmon relinquere obſeſſum, ita cogi poteſt vt ſui diceſſus ſignum det eaque ratione conſtet de parta victoria ab adiurante. Vnde in Sacerdotali Romano adiurator docetur hoc ſignum petere; maximè cùm licitè petantur ea quæ conducunt ad fugandum Dæmonem, & vt conſtet eſſe fugatum, vel ſciamus an adhuc ſit vtendum exorciſmis. Ita Sanch. loco citato cum Tyræo ſuprà cap. 46. num. 23. & cap. 52. num. 4. & cap. 53. num. 4. Martinus Delrio lib. 6. Diſquiſ. magic. cap. 3. litera. B. in fine & cap. 2. qu. 3. ſect. 3. in 4. remedio, quibus adde Bonacinam ſuprà num. 14. qui ſimul cum Sanch. citato & Abulenſi 1. Reg. 16. quæſt. 41. fatetur ex hac ſigni traditione præcisè non manere adſtrictum Dæmonem ad non redeundum. Imò ſi non redit, putat Bonacina id prouenire, vel ex Iuramento non redeundi ab ipſo Dæmone præſtito, vel ex auxilio Sanctorum, vel ex alia cauſa: Vnde hic Author etiam ſupponit nobis cum poſſe exigi Iuramentum à Dæmone. Solet etiam cogi vt det vades aliquos Sanctos quorum auxilium deuotio adiurantis, vel adſtantium, vel etiam obſeſſi inuocauit. Abſolutè tamen certius eſt non rediturum ſi exeat tradito ſigno, & multò adhuc certius datis vadibus, aut præſtito Iuramento non redeundi.

Sicut enim Dæmon cogitur relinquere obſeſſum ita cogi poteſt vt ſui diſceſſus ſignum det.

Quæres 8.

43. Quæri poteſt 8. an, vno dæmone expulſo cenſeantur expulſi cæteri omnes ſi qui fortè erant in energumeno? Reſpondetur plerumque omnes exire, ſiue quia plures qui obſident, ſolent habere vnum ſuperiorem Dæmonem quem ſequuntur, quo fugato profligantur cæteri, ſiue quia exorciſmi Eccleſiæ æquè ſunt infeſti & exoſi omnibus, ac ſingulis Dæmonibus; vnde quod ſufficit ad profligandum vnum, maximè potentiorem, ſatis erit ad profligandos cæteros. Non videtur tamen repugnare quin vnus exire poſſit alijs non exeuntibus, maximè ſi vnus independenter ab altero ingreſſus eſt; tunc enim ſicut ingreſſus eſt per ſe, & non in conſortio alterius, ita poteſt per ſe & ſeorſim fugari altero non fugato. Item fieri poteſt vt vnus minorem habeat poteſtatem in corpus obſeſſum, atque adeò faciliùs

Reſp. Plerumque expulſo vno dæmone omnes exeunt.

Non tamen repugnat vnum Dæmonem exire alijs non exeuntibus.

liùs deseret illud monente adhuc alio fortiori, & cui maior potestas permissa est, Ita Sanch. suprà num. 8, cum Tyræo de Dæmoniacis cap. 15. quos refert & sequitur Bonacina suprà numero 15.

Quæres 9. 44. Quæres. 9. an sit aliqua determinata pars pro ingressu & egressu Dæmonis qui adiuratur?

Resp. Nullam esse determinatam partem pro egressu vel Ingressu Dæmonis. Ratio.

45. Respondeo nullam esse; est enim Dæmon spiritus corpore carens atque adeò iuxtà varios philosophandi modos, vel nulla corporis parte exit, sed absolutè ibi definit esse cessando à sua operatione & vnione quali quali, iuxtà varias opiniones. Vel quod verius puto per motum suum localem aliò migrat, & quacunque corporis parte potest exire. Sed hæc philosophica aut theorica potiùs sunt, quàm ad praxim vtilia, & non est huius loci de ijs disputare. Legatur Tyræus loco citato cap. 9. & Sanch. suprà numero 7. qui etiam docet Dæmonem, cùm spiritus sit, posse totum aliquod spatium occupare, sicur de angelis bonis & in esse naturali dici solet, ita vt Angelus sit totus in toto & totus in qualibet corporis parte, non per modum formæ, sed per quandam assistentiam & operationem. Non repugnat tamen quòd in corpore obsesso sit aliquando in vna parte & aliquando in alia. Legatur vterque Author citatus & Abulensis cap 8. Matthæi quæst. 13. ad 2. Omitto alia quæ non sunt huius loci, & quæ dicta sunt sufficiunt pro complemento huius materiæ.

FINIS.

INDEX TRACTATVS DE IVRAMENTO PERIVRIO ET ADIVRATIONE.

DISPVTATIO I.

De Natura Iuramenti & verbis ipsum constituentibus.

DVBITATIO I.

Quid sit Iuramentum? Pag. 1.

DVBITATIO II.

Quotuplex sit Iuramentum? p. 7.

DVBITATIO III.

An omnia prædicta Iuramenta sint eiusdem speciei infimæ ac proinde satis sit in confessione explicare quoties quis iurauerit falsum vel fecerit contra Iuramentū non explicata materia & modo? p. 10.

DVBITATIO IV.

Quæ voluntas & quæ verba requirantur ad Iuramentum vel quomodo de vtrisque iudicandum sit in dubio p. 12.

DVBITATIO V.

An ad dignoscendum quæ verba contineant Iuramentum habenda sit ratio consuetudinis patriæ? p. 14

DVBITATIO VI.

Quando censeantur esse Iuramenta, quæ fiunt per Creaturas & quando non? p. 15.

DVBITATIO VII.

An referat ad Iurandum vti præpositione In *aut præpositione* Per *& de quibusdam formis iurandi æquiuocu?* p. 18.

DVBITATIO VIII.

Quanam verba contineant Iuramenta Exsecratoria & quæ non? p. 19.

DVBITATIO IX.

Quanam Iuramenta contineant simul Blasphemiam p. 21.

DISPVTATIO. II.

De Bonitate & Malitia Iuramenti & de Circumstantijs vt licitè fiat.

DVBITATIO I.

An Iuramentum sit Actus licitus & honestus? p. 27

DVBITATIO II.

An detur Præceptum affirmatiuum obligans interdum ad iurandum? p. 30.

DVBITATIO III.

An ad hoc quod sit licitum iurare requirantur naturali Iure Veritas, Iustitia & Iudicium? p. 31.

DV-

DVBITATIO IV.

Quænam conditiones in Iure positiuo desiderentur aut, quæ circumstantiæ vt Iuramentum in foro Iudiciali licitè fiat? p. 33.

DVBITATIO V.

An Iuramentum, cui deest Iudicium & Iustitia, sit Mortale & periurium? p. 34.

DVBITATIO VI.

An semper sit peccatum mortale Iuramentum, cui deest veritas de præsenti, & an excedat alia peccata? p. 38.

SECVNDA PARS DVBITATIONIS.

An scilicet excedat periurium alia peccata? p. 41.

DVBITATIO VII.

Quam diligentiam teneatur, qui iurat, adhibere ad inquirendam veritatem & quam certus esse debeat de re quam iurat? p. 43.

DVBITATIO VIII.

An Violatio Iuramenti promissorij possit esse veniale peccatum ex leuitate materiæ? p. 46.

DVBITATIO IX.

An periuria cum naturali inaduertentia prolata sint peccata mortalia quando procedunt ex consuetudine iurandi sine aduertentia? p. 49.

DVBITATIO X.

An aliqua & quæ consuetudo iurandi incautè hominem constituat in statu peccati mortalis & quomodò in confessione sint explicanda ea peccata? p. 52.

DVBITATIO XI.

Quale peccatum sit iurare absque animo iurandi aut se obligandi aut implendi? p. 68.

DVBITATIO XII.

Quando sit licitum veritatem occultare cum Iuramento? & quando sit periurium aut illicitum iurare in alio sensu, quàm alij accipiunt? & quibus verbis aut modis possit veritas occultari? p. 70.

§. PRIMVS.

Quibus verbis aut modis possit fieri veritatis occultatio etiamsi decipiantur Audientes? Ibid.

COROLLARIA.

Ex præcedentibus assertionibus. p. 74.

§. SECVNDVS.

Quibus de causis liceat prædictis modis veritatem occultare etiam sub Iuramento? p. 76.

CORALLARIO.

Ex duabus præcedentibus assertionibus. p. 77.
Dubium. 1. incidens p. 82.
Dubium. 2. incidens p. 83.

DVBITATIO DECIMA TERTIA.

Quando liceat petere Iuramentum à Gentili per Idola iuraturo? vel à Fideli falsò iuraturo? p. 84.

EXPLICATVR II. PARS.

Dubitationis: An liceat petere Iuramentum à Fideli falsum iuraturo? p. 86.

DISPVTATIO. III.

De Obligatione Iuramẽti Promissorij.

DVBITATIO I.

An Iuramentum cadens suprà solam assertionem de futuro absque vlla promissione obliget ad id præstandum? p. 88.

CORALLARIA.

Ex præcedenti doctrina 89.

DVBITATIO II.

Quanta sit prædicta Iuramenti obligatio? & vtra sit maior voti aut Iuramenti? p. 90.

DVBITATIO III.

Qua ratione ex parte materiæ obliget aut non obliget Iuramentum promissorium? p. 91.

DVBIVM INCIDENS.

An error circa causam Iuramenti aut voti reddat ea irrita? vel cesset obligatio cessante causâ? p. 95.

DVBITATIO IV.

An vota seu Iuramenta non mutuandi non fide Iubendi, non petendi dispensationem aut relaxationem sint irrita & peccata? p. 100.

DVBITATIO V.

An Iuramentum aut votum non ludendi obliget & quando eius transgressio sit mortalis? p. 103.

DVBITATIO VI.

Quando obligent Iuramenta Parentum puniendi Filiũ, & Puerorum accusandi alios Pueros, Iuramenta Vrbanitatis gratia facta? p. 105.

DVBITATIO VII.

An Iuramentum illicitè emissum vel de re prohibita vel etiam irrita promissione si absque peccato impleri possit, obliget? Ibid.

DVBITATIO VIII.

An promissio prodiga aut ob turpem finem obliget si Iuramento firmetur? p. 106.

DVBITATIO IX.

An Iuramentum factum contra prius votum, Iuramentum, aut Promissionem obliget? p. 107.

DVBITATIO X.

An Iuramentum de Actu prohibito lege diuina Ecclesiastica vel ciuili, & Iuramentum contra bonos mores obliget. p. 108.

DVBITATIO XI.

Qua ratione vltra implendi obligationem habeat Iuramentum vim confirmandi Contractus etiam Iure inualidos aut contra priùs Iuramentũ initos? p. 111.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quos effectus habeat peculiares Iuramentum Confirmatorium quos non habet Iuramentum per se stans? Ibid.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An & vnde habeat Iuramentum vim confirmandi contractus irritos? p. 113.

TER-

TERTIA DIFFICVLTAS.

Quosnam contractus inualidos Iuramentum confirmet? p. 114.

Corollaria ex præcedente doctrina. p. 117

QVARTA DIFFICVLTAS.

An præcedente Iuramento non faciendi pactum Lege prohibitum nihilominus tale pactum posteà factum contra prius Iuramentum firmetur secundo Iuramento superaddito non contraueniendi tali pacto? p. 119.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Quibus regulis dignoscatur quando Iuramentum vim habeat confirmandi contractus. p. 120.

Corollaria ex præcedenti regula Ibid.

DVBITATIO XII.

An Iuramentum de soluendis vsuris semper obliget & quasi obligatione Religionis ne vel etiam Iustitiæ, & an illi satis fiat momentanea solutione? p. 121.

DVBITATIO XIII.

An Iuramentum metu extortum obliget itemq; Iuramentum non exeundi è carcere iniurioso vel ad eum redeundi? p. 125.

DVBITATIO XIV.

An Iuramentum dolo vel errore vel ignorantia præstitum sit irritum? p. 130.

DVBITATIO XV.

An ad obligationem Iuramenti promissorij requiratur deliberatus consensus & intentio iurandi per verum Deum & implendi quod iuratur & promittendi ac se etiam obligandi? p. 132.

DVBITATIO XVI.

An Iuramentum simulatum seu dolosum quoad verborum significationem obligationẽ inducat? p. 138.

DVBITATIO XVII.

Qualiter interpretandum sit Iuramentum quoad eius obligationem & in dubio quid dicendum & quas conditiones includat in se sine quibus non censeatur obligare? p. 140.

Corollaria ex præcedente assertione & doctrina. Ibid.

Explicatur amplius doctrina præcedentis corollarij circa Iuramenta seruandi statuta communitatum vbi etiam agitur de Iuramentis ministrorum publicorum & aliorum officialium circa statuta sui officij. p. 143.

Statuitur secunda assertio circa eum qui dubitat an iurauerit & tertia assertio de conditionibus inclusis in Iuramento. p. 148.

DVBITATIO XVIII.

An obligatio Iuramenti sit merè personalis & in propria specie implenda & quando? p. 153.

QVÆSTIO I.

An obligatio Iuramenti sit merè personalis? Ibid.

QVÆSTIO II.

An Iuramentum promissorium implendum sit in propria specie vel possit per aliquid æquiualens impleri? p. 157.

QVÆSTIO III.

Quo tempore incipiat obligare Iuramentum? p. 158.

DISPVTATIO IV.

De Dissolutione seu ablatione Iuramenti.

DVBITATIO I.

Qua ratione differant Iuramenti irritatio, condonatio, relaxatio, dispensatio & commutatio? p. 162.

DVBITATIO II.

De Iuramenti irritatione à quibus & qua ratione fieri possit quando Iuramentũ soli Deo factum est? Ibid.

DVBITATIO III.

Quinam possint irritare Iuramenta facta homini in eius fauorem? p. 166.

DVBITATIO IV.

An & quando obligatio Iuramenti promissorij tollatur condonatione à creditore facta præsertim quando Iuramentum non soli homini sed etiam Deo intuitu pietatis factum est? p. 168.

DVBITATIO V.

Quinam possint dispensare aut commutare Iuramenta facta soli Deo de rebus pijs? p. 172.

DVBITATIO VI.

Qua ratione Iuramentum promissorium homini factũ possit relaxari seu dispensari aut etiam commutari à superiore Ecclesiastico? p. 176.

DVBITATIO VII.

An potestas secularis & ciuilis possit relaxare Iuramenta homini præstita? possitque irritare seu impedire vires Iuramenti antequam præstetur? p. 180.

DISPVTATIO V.

De Adivratione.

DVBITATIO I.

Quid & quotuplex sit Adiuratio? p. 184.

DVBITATIO II.

In quo differat Adiuratio à Iuramento? p. 185.

DVBITATIO III.

An & qualε peccatum committatur in adiurando? p. 186.

DVBITATIO IV.

Quis possit ex officio Dæmones adiurare? Ibid.

DVBITATIO V.

Quæ res sint capaces adiurationis & quali? p. 187.

FINIS.

IOANNIS DE DICASTILLO

Societatis IESV Doct. Theologi

TRACTATVS DE CENSVRIS ET POENIS ECCLESIASTICIS

QVÆ SVNT QVASI CENSVRÆ.

1. *VAstissimum sanè opus aggredimur & à multis copiosè nimis, & eruditè tractatum; atq; (vt omittam Nauarrum, Henriquez olim; & alios posteriores, quorum multi adhuc superstites sunt, dum hæc scribo) illi sunt inter ceteros, & à cæteris posterioribus in veneratione habiti circa præsentẽ materiam, scilicèt Suarius tom. 5. in 3. p. & Stephanus de Auila Author vterq; nostræ Societatis; qui posterior, non quidem tam latè, sed non minùs doctè hac de re disputauit, quàm prior. Quos duos vel maximè præ oculis, & præ manibus habebimus non prætermissis etiam alijs viris doctissimis, qui cùm ante tùm post ipsos hac de re scripserunt. In nullius tamen (more nostro) Magistri verba iurabimus, captiuantes solùm intellectum in obsequium Christi, & Fidei, vel (quod idem est) sanctæ Matris Ecclesiæ, cuius potestatem in ijs ferendis censuris, & agnoscimus, & veneramur. Sed antequàm descendo ad particulares disputationes circa Excommunicationem, suspensionem, despositionem, Interdictum, Cessationemq; à Diuinis, & Irregularitatem, placet aliorum methodum sequi vt & de Censuris in communi disputare.*

In hæc Tractatu Suariũ & Stephanũ De Auila, maxmè præ oculis habebimus.

Methodus seruanda.

DISPVTATIO PRIMA

De Censuris in Communi.

2. MVlta habent censuræ, quæ omnibus communia sunt sicut & Sacramenta; quâ ergo ratione acturi olim de Sacramentis, priùs egimus de Sacramentis in communi: eâdem ratione nunc de Censuris in communi agendum est.

DVBITATIO. I.

De nomine & significatione Censuræ; & an sit in Ecclesia potestas ferẽdi Censuras?

Censura quid significet

3. CEnsura iuxta latinam & propriam significationem præter generalissimam ac-

acceptionem quâ vox generaliter sumitur pro quolibet iudicio de re aliqua, quo notatur in eâ re quid sit laude dignũ aut vituperio; significat etiam dignitatem Censoris, quæ olim fuit apud Romanos. Erat autem Censor apud illos qui moribus totius Populi præerat; ad quem spectabat de Ciuium moribus indagare, atq; indignos honoribus repellere, corrigere, ac punire Populi delicta.

4. Hinc deriuatum est hoc nomen Censura, vt etiam significet correctionem ipsam, & punitionem. Quâ significatione Iuuenalis *Satyra* 2. dixit *Dat veniam coruis, vexat censura columbas.* Hoc est venia conceditur flagitiosis hominibus, simplicibus autem, id est ijs, qui simplicitate, vel fragilitate deficiunt, durum infligitur vulnus. Itaq; Censura idem est, quod seuera correctio, seu mulcta aliqua, & pœna.

Illâ voce vtuntur Doctores ad significandam Ecclesiasticã pœnam.

5. Quapropter Ecclesia & Doctores tàm Iuris periti, quàm Theologi vtuntur hac voce *Censura* ad significandam Ecclesiasticam pœnam, & mulctam, quæ seueritatem cõtineat, & rigorem aliquem Ecclesiasticæ Iurisdictionis, & potestatis coërcendi errantes, aut rebelles, seu contumaces.

Supponendum 1. esse in Ecclesiâ potestatem infligendi Censuras.

6. Supponendũ ergo est primò esse in Ecclesiâ potestatem infligendi Censuras, & puniendi suos subditos pœnis, etiam spiritualibus non solùm in foro conscientiæ interiori, sed etiam in foro exteriori. Quod fide certum est, & oppositum omnino Hereticum, vt latè probant Bellarminus lib. 1. *de Summo Pontifice.* c. 15. Suarius tomo. 5. de *Censuris disp.* 1. *sect.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Auila. 1. *p. dub.* 2. Henriq. *lib.* 13. *c.* 1. Coninc. de *Censuris. disp.* 13. *dub.* 3. Vasq. de *Excom. dub.* 1. Vgolinus de *Censuris. tabula* 1. *c.* 1. *n.* 2. Valentia. 3 *p. disp.* 7. *q.* 17. Filiucius *Tract.* 11. *c.* 2. *quæsito* 1. Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *p.* 1. *c.* 3. Bonacina *disp.* 1. *de Censuris* *q.* 1. *puncto.* 1. & alij communiter.

Probatur 1. ex Matthæi 16. & 18.

7. Probari potest primò ex Euãgelio Matthæi 16. & 18. vbi generalem potestatem contulit Christus Dominus Petro, & Apostolis dicens. *Quodcumq; ligaueris*, seu *Quæcumque ligaueritis super terram, erit ligatum*, seu *erunt ligata, & in Cælo.* Quæ verba cum sint generalia, meritò in eis potestas collata extenditur ad omnia illa, quæ ad conueniens Ecclesiæ regimen, necessaria, vel vtilia esse possunt; nec enim esse potest vlla ratio excludendi aliquid, vel limitandi verba, quę Christus Dominus non limitauit, vt expendit Innocentius 3. *in c. Solitæ.* de *maioritate & obedientia.* Item expendenda est metaphora verbi *Ligandi*; optimè enim quadrat in Ecclesiasticam Censuram, quæ (vt dicemus) vinculum quoddam est seu ligamen. Quod verò additur. *Erit ligatum & in Cælo.* Satis declarat, potestatem hinc non esse solùm temporalem, & naturalem, sed etiam supernaturalem, atq; hoc ligamen esse spirituale. Tandem, quòd sermo sit de potestate etiam fori exterioris, & contentiosi, satis declarant præcedentia verba Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, tanquàm Ethnicus, & publicanus.* Id est eijciatur extra Ecclesiam, & separetur, vt indignus ab Ecclesiasticâ communicatione, & fructu. Idèo posteà, vt ostenderet Christus Dominus futurum esse, vt hoc iustè, & validè fieret subiungit; *Amen dico vobis quæcumq; ligaueritis &c.* Atque hac ratione Sancti Patres intellexerunt prædicta loca, vt videre est apud Auctores citatos, & alios plures, quos contra Hæreticos afferunt Bellarminus, Sotus, Suarius, & Vasq. suprà.

Probatur 2. ex definitionibus Conciliorum.

8. Probatur. 2. ex definitionibus Conciliorum, & Pontificum, nam in *Concilio Constantiensi sess.* 8. damnatur error eorum, qui dixerunt non esse in Ecclesia potestatem excommunicandi & *sess.* 15. ac tandem *sess. vltima* in interrogatione Martini Quinti damnatur error Ioannis Hus, & aliorum Hæreticorum, qui generaliter irridebant Censuras Ecclesiæ. Contrà quos statuitur esse in Ecclesiâ potestatẽ ferendi Censuras. Quod attinet ad decreta Pontificum paulò post constabit.

Probatur 3. ex antiquissimo vsu & traditione.

9. Probatur 3. ex antiquissimâ Traditione, & vsu infligendi Censuras, & illis puniendi rebelles peccatores; nam ipsi Apostoli vsi sunt hac potestate. Quod enim D. Petrus *Actor.* 8. in illis verbis *non est tibi pars, nec sors in sermone isto.* excommunicauerit Simonem Magum, satis significatur *Canone* 30. *Apostolorum.* Et D. Paulus pluribus in locis suarum Epistolarum hanc coërcendi potestatẽ testatur se accepisse ab ipso Christo, eâq; vsurum comminatur, & constat ex 2. *ad Corinth. c.* 12. *&* 13. *&* 1. *ad Corinth.* 4. eâq; vsus est. 1. *Corinth.* 5. & 1 *ad Timoth.* 1. atq; in Canonibus Apostolorũ frequenter imponuntur Censuræ, & aliæ pœnæ; nam *Canone* 3. imponitur pœna depositionis, & à *Canone* 6. vsq; ad 83. rari sunt, qui non contineant aliquam Censuram, aut irregularitatem, quæ, vt plerīq; explicant, intelligitur dum dicitur *Non ordinetur*, vel *non potest ordinari.*

10. Deinde plura extant Pontificum decreta, ex quibus constat à tempore Apostolorum vsos esse hac potestate, vt constat ex *c. Episcopus* de *Consecratione. dist.* 1. & ex Anacleto Papa, & ex *c. videte.* 24. *q.* 3. atq; ex *distinctione* 33. vbi plures Canones continentur eiusdem Anacleti, in quibus Censura imponitur; & in *Concilio Niceno in confessione Fidei. & c.* 5. *&* 12. Anathomatizatur Arius; & Concilium, Calcedonense, aliaq; antiquissima concilia, nouissimèq; Tridentinum, idem fecerunt contra alios Hæreticos illis dicendo anathema.

Probatur 4. Ratione deductâ ex omni Republicâ benè instituta.

11. Probatur 4. rationẽ, quia omnis Respublica bene instituta indiget potestate Iurisdictionis tam directiuâ condendi leges, quàm coërciuâ puniendi rebelles, & priuandi illos bonis proprijs ipsius Reipublicæ. Vnde omnis Respublica habet vtramque potestatem, vt per se lumine ipso naturali manifestum est: ergo etiam Ecclesia, quæ est Respublica perfectissima habet hanc potestatem. Illud tamen interest inter Rempublicã quamcumq; ciuilem, & temporalem, & inter Ecclesiasticam, ac Spiritualem

Differentia inter Rempublicam Ciuilem, & Ecclesiasticam.

quod finis Reipublicæ Ciuilis est temporalis scilicèt pax, & tranquilitas talis Reipublicæ; finis autem Reipublicæ Ecclesiasticæ est supernaturalis, nempe clara Dei visio, & gloria æterna, & cum media debeant esse proportionata fini Reipublicæ quidem Ciuilis media, quibus seipsam defendit, & premia, atque suplicia, quæ ciuibus proponet tẽporalia sunt: è contra verò

media

media Reipublicæ Ecclesiasticæ arma scilicèt, quibus se defendit; & præmia atque supplicia, quæ fidelibus proponit, spiritualia, ac proinde potest illos priuare spiritualibus bonis, qualia sunt Sacramenta, Sacrificia, & Ecclesiæ suffragia.

Quamuis autem Ecclesia directè versetur circa Spiritualia, simul etiam potest, indirectè versari circa temporalia. Ratio.

12. Hoc tamen sic intelligendum est, vt, quamuis Ecclesia directè versetur circa spiritualia, simul etiam indirectè possit versari circa temporalia in ordine ad ipsa spiritualia; neque enim esset satis Ecclesiæ prouisum, si careret potestate puniendi pœnâ temporali, ac proinde, si aliquis Princeps defecerit à fide, potest Summus Pôtifex illum priuare Regno, & alium substituere. Potest etiam abrogare leges Principum secularium, si aduersentur fini Spirituali, & rectæ rationi, ac proinde excommunicatio priuat fructibus beneficiorum, & conuictu; seu consortio cum alijs fidelibus. His præmissis. Ad definiendam, seu describendam censuram Ecclesiasticam in communi progredimur.

DVBITATIO II.

Quid sit Censura Ecclesiastica?

Definitio Censuræ Ecclesiasticæ

13. CEnsuram Ecclesiasticam; omissis alijs descriptionibus, quæ vel obscuriores sunt, vel longæ nimis, sic possumus definire. *Est pœna Ecclesiastica spiritualis, & medicinalis ab Ecclesiasticâ potestate imposita, sic, vt ab eâdem semper tolli, & absolui possit.* Prima particula definitionis est *pœna*, quia nunquàm vel imponitur, vel incurritur; nisi propter aliquod crimen. Dicitur verò *Spiritualis*, quia semper directè, per se, & primariò priuat aliquibus commodis spiritualibus. Quòd si interdum priuet etiam quibusdam temporalibus, id tantùm fit indirectè, & in ordine ad Spiritualia. Dicitur autem *medicinalis, & quæ sēper tolli possit* ad differentiā aliarū pœnarum spiritualium, quæ non semper tolluntur, nec sunt Censuræ, quia perpetuæ sunt & absque spe remissionis imponuntur. Constat enim quod *depositio, degradatio*, per se, & ex primariâ suâ institutione sunt pœnæ Spirituales, & grauissimæ, quæ nunquàm possunt nisi propter delictum grauissimum imponi, vt patet ex *c. Tua. de pœnis.* & *c. 2. eodem titulo in* 6. Vbi interpretes id notant, & non computantur inter Censuras, quia perpetuæ sunt, & absque spe remissionis; atque adeò non vt medicinales, sed merè punitiuæ.

Explicatur, definitio.

Probatur quòd data descriptio sit bona.

14. Quòd autem hæc definitio, seu descriptio Censuræ bona sit, ex eo maximè probatur, quòd sit, quasi collectio eorum, quæ Iura & Doctores communiter de Censuris tradunt; ex his enim capitibus colligenda & essentia, & definitio earum rerum moralium, quæ ex mero arbitrio hominum pendent, eamque approbant paulò diuersis verbis Auctores omnes citati *dub. præcedenti*. cæterique communiter, qui ex Iuribus, & communi sententiā tradunt prædictas omnes proprietates in descriptione Censuræ numeratas. Quòd enim censura sit pœna, quæ non possit iustè imponi; nisi propter culpam, sumitur ex c. *Nullus* 11. q. 3. & ex c. *Sacro. de sent. Excommunicationis*, & alijs multis Iuribus. Quòd autem sit spiritualis, constat ex omnibus Iuribus, quæ de Censuris loquitur. Quòd medicinalis etiam sit, & quæ semper tolli possit, desumitur ex c. *ex literis.* de *Constit*, Vbi, quamuis Innocentius 3. de vnâ Censuræ specie, id est de Excommunicatione loquatur: eius tamen ratio in omnibus Censuris locum habet; omnes enim imponuntur propter cōtumaciam. Ait ergo Pontifex *Cùm tam iura Canonica, quàm nostri moris existat, vt is, qui propter contumaciam communione priuatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat; mandamus, quatenus supradictum Magistrum statutis vestris nunc humiliter parere conantem ad communionem vestræ consortium in Magistratibus admittatis.* Ergo omnis censura, quæ propter contumaciam imponitur, cùm primum homo resipuerit, & parere voluerit, auferenda est.

15. Hoc etiam habetur *c. Quâ fronte, eodem tit. de Constit.* & *c. Cum contingat. de officio delegati.* Vnde proprius terminus Censuræ tantùm debet esse, quantùm contumacia durauerit. Atque hinc fit, quòd nec Censura, quæ propriè sit Censura imponi possit pro certo, & determinato tempore, quo elapso cesset, etiamsi contumacia duret; neque si contumacia cesset, potest licitè differri Censuræ absolutio. Quod etiam verum est de excommunicato mortuo, qui si mortuus fuit cum signis pænitentiæ, absoluendus statim est à superuenicore illo, qui id possit. Vnde non placet lugo *De Fide disp*, 23. *n*. 111. dum ait expedire, mortum punire in dilatione absolutionis, vt timeantur Censuræ. Si enim mortuus est non contumax, potiùs expedit absolui, vt sciatur in Ecclesiâ Censuram solùm esse pro contumacibus, & resipiscentes statim admitti ad communionem fidelium, etiam mortuos. Esset enim hoc contra finem Censuræ, qui est comprimere contumaciam, & contra rectitudinem Iustitiæ; daretur enim occasio peccatori perseuerandi in suâ contumaciâ, si nosset elapso tempore Censuram cessare debere, & priùs non esse tollendam, quantumuis resipiscat: essetque id facere contra citata Iura. Itaque Censura est medicinalis pœna, & fertur contra rebelles, & inobedientes, vt patet ex loco illo Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit. &c.* & in eum dumtaxat finem dirigitur, vt homo priuatus Spiritualibus bonis, & eiectus extra Ecclesiam, expertosque Dæmonis tyrannidem, qui extra Ecclesiam liberius sæuit, redeat ad se cognoscens propriam infirmitatem, & miseriā, ac resipiscens, pareat. Quem finem expressit Paulus. 1. *ad Corint.* 5. dùm dixit *Tradidi eum hominem Satanæ; vt spiritus saluus fiat in die Domini.* & *prima ad Timoth.* 1 *Tradidi eos Satanæ, vt discant non blasphemare.* Nec pia mater Ecclesia patitur talibus pœnis subiacere; nisi rebelles, & inobedientes quandiu persistunt in suâ inobedientiâ, & contumaciâ; quâ cessante, eos absolui iubet; nec oppositum esset rationi consentaneum, seruiret enim in destructionem, & non in ædificationem. Ex quo patet diuersam esse rationem de alijs pœnis, quæ non exponunt hominem periculo peccandi, quia his meritò potest homo puniri pro culpâ præteritâ, etiam post.

Censura est, medecinalis pœna.

differentia inter Censuram, & alias Pœnas.

postquàm resipuerit. Vnde, vt communiter docent Doctores, aliæ pœnæ imponi possunt pro peccato præterito, vt sic; non verò censura, nisi adhuc pendeat aliquâ ratione peccatum in futurum. Itque colligitur ex multis Iuribus, & decretis Pontificum, vt ex c. *corripiantur* 24. q. 3. & ex c. 1. *de Iudicijs*, & ex c. 1. *de Except. in* 6. & expressius c. 1. *de Sententiâ excommunicationis in* 6. Vide *disp.* 2. *nu.* 286

Dicet aliquis. 16. Dicet tamen aliquis hanc doctrinam veram quidem esse in Interdicto, & excommunicatione à quibus homo debet absolui statim, atque resipiscit, & congruam exhibet satisfactionem, non tamen habere locum in Suspensione, quia hæc sæpissimè imponitur pro peccato porè præterito, & ad certum, & determinatum tempus; non verò, vt medicinalis, tantumque intentm dùm homo non resipiscit: ergo falsum est dicere de ratione Censuræ esse, quòd sit medicinalis, quia suspensio Censura est, vt definitum est ab Innocentio. 3. c. *Quærenti de verborum signif.*

Resp. 17. Respondetur suspensionem, quæ est Censura, semper esse medicinalem, & non habere terminum præfixum, quia omnis censura fertur ad reprimendam contumaciam, & vt homo à culpâ recedet. Ideò non potest habere alium terminum; nisi donec fiat talis correctio, & requirit præuiam monitionem, saltem illam, quæ includitur in illâ conditionali. *Si hoc feceris*, vel *nisi satis feceris*, indigetque absolutione, quia omnis censura tollitur per absolutionem.

Non omnis suspensio est censura. 18. Itaque secundùm hanc doctrinam dicendum est non omnem suspensionem esse censuram, quin vsitatissimam esse in Iure Suspensionem, quæ solùm sit pœna, & non censura; quotiescumque enim suspensio imponitur solùm, vt delictum puniatur, & non, vt à contumacia recedatur, non habet rationem censuræ, sed solius pœnæ, & tunc illa non indiget monitione, potestque, & solet pro peccato præterito imponi aliquando perpetua, aliquando ad præfixum tempus, & in hoc casu nullâ indiget absolutione; sed illo elapso per se cessat, sicut, qui relegatus est ad certum tempus, potest illo elapso ad patriam redire, quia iam pœnæ sibi impositæ satisfecit: ita etiam suspensus ad certum tempus posteà suum officium liberè potest exercere; ac proinde, quoties sic imponitur, non est censura. Quam doctrinam latè conatur explicare Suarius *disp.* 25. *Sect.* 1. Toletus etiam *lib.* 1 c. 13. Sic ait. Aliquando ponitur Suspensio ob contumaciam: aliquando verò ob peccatum, solum in pœnam illius. Vnde fit vt in suspensione ab homine non semper sit opus monitione, sed solùm quando est propter contumaciam, vt tenent Innocentius. c. 1. *de Excessibus Prælatorum*, Panormitanus *cum communi.* c. *Reprehensibilis. de appellationibus.* Tamen vtroque modo in scriptis est ponenda c. *Cum medicinalis.* de *Sent. Excom. in* 6. Et intelligo hæc de ea, quæ est ab homine. Hæc Toletus, de quo iterum dub. sequenti. Legantur quæ dicemus *disp.* 2. *dub.* 21. *in responsione ad* 3. circa finem, vbi etiam ostendemus quandoque appellari in Iuribus Excommunicationem priuationem ab Altari, & ab Eucharistiâ per duos menses, cum tamen hæc non sit propriè Censura.

Aliquando ponitur suspensio ob contumaciam, aliquando verò ob peccatum solum.

19. Non me latet hanc diuisionem, & differentiam suspensionis ab aliquibus contemni, & negari, idque fatetur Suarius *supra sect.* 2. *n.* 3. quia in Iure simpliciter dicitur suspensionem esse Censuram *citato c. Quærenti* de *Verborum significatione.* Vbi sine dubio sermo est de Ecclesiasticâ suspensione. Cumque definitio illa Pontificis doctrinalis sit quandocumque suspensionem comprehendere videtur; & quia, vbi Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.

20. Nihilominùs quoad rem constat dari duo genera suspensionum, quarum altera est vindicatiua, altera medicinalis, & quoad vsum vocum constat solam medicinalem esse propriè Censuram. de quo *dub. seq.*

Contra prædictam definitionem n. 13 datam ponuntur varia obiectiones. 21. Contra prædictam definitionem sunt aliquot obiectiones ex quarum responsione, quæ dicta, & dicenda sunt de naturâ censurarum in communi, clariora fient.

obiectio Prima. 22. Prima obiectio est, quòd Ecclesia non videatur posse priuare subditos bonis spiritualibus; potestas enim illi à Christo data est in ædificationem, non in destructionem, vt sæpe testatur Apostolus. Priuare autem fideles bonis spiritualibus, non est ædificatio eorum; sed destructio.

Secunda. 23. Secundò quia Ecclesia non est Domina bonorum spiritualium, vt eis possit suo arbitrio vti; sed ad summum est dispensatrix eorum in commodum, & vtilitatem fidelium; priuatio autem hæc non est vtilis fidelibus: ergo &c.

Tertia. 24. Tertiò, quia in spiritualibus nemo læditur, nisi à se ipso, vt latè probat Chrysostomus *in Homilia sub eo titulo*: ergo non potest ab Ecclesiâ lædi, læderetur autem, si ab illâ priuaretur bonis spiritualibus.

Quarta. 25. Quartò, quia (vt diximus) censuræ debent esse pœnæ medicinales, ac proinde vtiles; priuatio autem bonorum spiritualium semper est noxa, & incommoda: ergo non medicinalis.

Quinta. 26. Quintò, quia Censuræ pertinent ad iurisdictionem fori exterioris: ergo non possunt nocere in interiore foro. Quod si priuarent bonis spiritualibus, nocerent in interiore: ergo &c.

Pro solutione notandum est. 27. Pro solutione notandum est, quamuis priuatio alicuius boni spiritualis semper afferat aliquid incommodi, & detrimenti homini, qui tali bono priuatur; posse nihilominùs esse vtilissimam medicinam, si ex eo incommodo speretur fructus spiritualis multò maior, sicut & medicinæ corporales sæpe, aut fortè semper, afferunt aliquid incommodi, & molestiæ, nihilominùs, censentur vtiles, & medicinales propter maius commodum, in quod ordinantur. Hâc ergo ratione possunt esse Censuræ vtiles cum Ecclesia eas ordinet ad maius bonum spirituale, nempe excommunicatum priuat consortio, & communicatione aliorum, vt cà ratione erubescat; priuat eundem Sacramentis, orationibus, & suffragijs Ecclesiæ, vt sibi relictus agnoscat propriam infirmitatem, & miseriam. eâque in citatione exeat à peccato, & conuertatur ad Deum iuxta illud Pauli 1. *Corinth.* 5. *Tradidi illum Satanæ, vt Spiritus saluus fiat in die Domini.* Hæc enim est intentio Ecclesiæ; nec hoc nocu-

Ecclesia censuras ordinat ad maius bonum spirituale.

nòcumentum spirituale erit valde graue; si cẽsura breui tempore duret, vt intendit Ecclesiá; quod omnino Ecclesia posuit in voluntate eius. qui sic punitur, nam (ut in lunbus citatis pro secundâ parte nostræ definitionis, & assertionis constat) iubet Ecclesia quod cùm primum resipuerit absoluatur.

Nec refert si dicas &c.

28. Nec refert, si dicas, aliquando Censuram multum nocere, & nihil prodesse illam in currenti, propter eius indispositionem cùm pertinax sit; id enim totum ipse sibi debet imputare, quia voluntariè & culpâ suâ id patitur. Deinde satis esse, quòd, quantum est ex se sit medicinalis; sicut medicina corporalis salutifera ex se, & medicinalis est, atque ob id applicatur ægroto, quamuis interdum nihil illi prosit; sed potiùs noceat propter eius indispositionem aut abusum talis medicinæ. Accedit quod Ecclesia in his Censuris instituendis & ferendis magis debet prospicere communi bono, quàm priuato sæpe autem expedit bono communi, vt qui talis est, ab aliorum consortio segregetur, & spiritualiter puniatur, vt alij timeant, & sibi caueant, nam, vt dicitur *Prouerb.* 1.9. & 20. *pestilente flagellato stultus etiam sapientior erit.* Potest ergo Prælatus post tentata alia media adhibere excommunicationem, etiamsi sciat huic priuato nocituram, vt eâ ratione proficiat communitati, sicut prudens Chirurgus brachium abscindit, ne totum corpus tabescat, resecantur palmites aridi, vt benè sit viti, latro suspenditur, ne noceat communitati &c. Ex quâ doctrinâ patet solutio ad primam, secundam, & quartam obiectionem.

Ecclesia in ferendis Censuris magis debet prospicere communi bono quam Priuato.

Pro solutione tertia & quinta obiectionis. Notandum 2. ex D. Thõ. triplicem esse communicationem fidelium.

29. Pro solutione verò tertiæ, & quintæ obiectionis Notandum est secundò ex D. Thomâ *opusculo.* 6. *de expositione Symboli in explicatione illius particulæ Sanctorum communionem.* & ex Couar. c. *Alma mater.* in principio n. 6. Martino de Ledesma. 2. p. *tom* 4. q. 23. art. 1. Quod latè tradit Henriquez referens plures lib. 13. c. 4 & Suarius de *Excommunicatione.* disp. 8. sect. 1. triplicem scilicet esse communicationem fidelium; primam purè interiorem, Secundam purè exteriorem; Tertiam mixtam partim scilicèt exteriorem, partim interiorem. Purè interior est, quâ fideles omnes communicant inter se in fide, & fideles Iusti in Charitate; quibus virtutibus vniuntur inter se tanquàm membra, & cum Christo Domino, tanquàm cũ capite, eàque ratione fit vnum corpus mysticum, & spirituale iuxta illud Apostoli *ad Romanos.* 12. *multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* & 1. *Corinth.* 12. *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa vnum tamen corpus sunt: ita & Christus* & infra. *vos estis corpus Christi, & membra de membro.* & *ad Ephes.* 1. dicit Deum Patrem dedisse Christum *caput super omnem Ecclesiam; quæ est corpus ipsius.* Quia donum Christi (vt ait B. Thomas) communicatur omnibus Christianis; sicut virtus capitis omnibus membris, & bonum vnius membri alteri etiam communicatur. Vnde inter alia credenda, quæ tradiderunt Apostoli in Symbolo, continetur *Sanctorum communio.* Consistit autem hæc communicatio purè in eo, quod omnes fideles communicant, & vniuntur in eàdem fide. Quod si etiam Iusti sint, in eàdem charitate, & Christus, quia caput est, influit dona gratiæ conferendo multa auxilia, & inspirationes in omnes fideles (multoque abundantiùs in omnes iustos) tanquàm in membra sibi vnita saltèm per fidem; atque etiam propter consortium cum alijs in eàdem fide, vel etiam Charitate. Sic *Genes.* 18. dixit Dominus ad Abraham propter decem iustos non deleturum ciuitatem. Item, quia Deus per operà vnius Iusti, (etiam sine speciali illius intentione) confert alijs fidelibus (etiam peccatoribus) multa specialia auxilia, quibus fideles peccatores excitentur ad primam gratiam, & iusti ad augmentum gratiæ. Item auxilia, quibus vtrique protegantur à tentationibus. Vnde omnes fideles, licèt in peccato mortali sint, habent imperfectum motum Fidei, & spei, sicut manus arida conseruat vitam vegetatiuam; nec enim corrupta est, aut fœtet licet iàm abscissa. Vlterius, quia omnes fideles, vel eò quod fideles sint (& multò magis, si sint iusti) multum se inuicem iuuant, & ædificant, confirmanturque in fide, & Charitate, vel solo exemplo, ac rectè factis. Item, quia vnus fidelis potest gaudere de bono spirituali alterius fidelis; vnusque potest pro alio offerre suas satisfactiones, & orationes, quo ad effectum impetrandi, & satisfaciendi, si sint in Charitate quia vnus iustus potest communicare alijs suas satisfactiones, proprias & particulares seu priuatas, etiam merè internas iuxta dicta *Tract.* 9. *tom* 2. *de Sacramentis* maximè *disp.* 1. *de Purgatorio.* & 3. *de Suffrag.*

Purè interior communicatio quæ est.

Communicatio purè exterior est.

30. Communicatio purè exterior est, quâ communicant inter se conuictu politico, nempe in contractibus, & colloquijs, & alijs rebus, & commercijs politicis, & in bonis temporalibus communitatis quæ secundùm ius Gentium sunt in vsu apud omnes Respublicas.

Communicatio mixta est.

31. Communicatio tandem mixta est, quâ Fideles omnes (etiam si sint peccatores, communicant in eisdem Sacramentis, in Missæ Sacrificio, in orationibus, & suffragijs Ecclesiæ: nam omnia hæc etiam peccatoribus prosunt, & peccatores possunt adhuc in peccato cum solâ attritione accedere, Saltèm ad Sacramenta Baptismi, & Pænitentiæ. Communicant itaque in aliquo fructu ex Sacrificio Missæ, ex orationibus Fidelium, & ex Suffragijs Ecclesiæ, videlicet, quo-ad impetrationem, & illuminentur à Deo, & conuertantur, & protegantur ab incursibus Dæmonum, si verò sint iusti, & in gratiâ communicant etiam in prædictis, quoad satisfactionem, quæ potest haberi, vel per applicationem priuatam vnius ad alterum, vt, quando vnus iustus applicat suas satisfactiones alteri iusto: vel per applicationem communem; qualis fit per Sacrificium Missæ, & per Ecclesiæ suffragia, quibus per suos ministros orat.

32. Dicitur autem hæc communicatio mixta, quia & exterius, fit per actiones, ceremoniasque exteriores, & simul habet in animâ effectum spiritualem, ac supernaturalem ordinatum, vel ad conferendam, vel ad conseruandam, vel etiam ad augendam gratiam.

Aduertendum 3.

33. Aduertendum est. 3. communicationem purè exteriorem esse communem Republicæ Eccle-

Ecclesiasticæ, & cuicumque Reipublicæ ciuili, quantumuis Natio sit immanis,& Barbara Cõmunicationem, verò purè interiorem,& etiam mixtam proprias esse Reipublicæ Christianæ.

Notandū 4. Ecclesiam non posse priuare fideles Communicatione purè interiori.

34. Notandum est. 4. Ecclesiam non posse priuare fideles primâ cõmunicatione purè interiori, sicut non est in hominis potestate, quod membrum viuum, & vnitum reliquis non participet in fluentijs, à capite descendentibus, ciboque digestum per Stomachum. Quapropter solùm peccatum mortale priuat ea communicatione fidelium, quæ fit mediante Charitate; solumque peccatum infidelitatis priuat communicatione, quæ fit mediante fide. Duabus verò posterioribus communicationibus, nempe purè externâ, & mixtâ, omnino potest Ecclesia priuare suos subditos. Quod enim possit priuare purè externâ, constat; nam quælibet Respublica potest: ergo potest Ecclesia, vt etiam Hæretici fatentur. Quod tandem possit mixtâ priuare patet, quia ipsa Ecclesia est dispensatrix eorum bonorum per actiones externas, atque ea sunt bona communia toti communitati: ergo potest illa distribuere inter dignos repulsis indignis. Item, quia eam potestatem accepit Ecclesia à Christo Domino *Matthæi* 18. vt probatum est in hac, & præcedenti dubitatione, Satisque id significauit ipse Dominus illis verbis. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, tanquàm ethnicus,& publicanus*; Neque enim ecclesia debet impartiri huiusmodi bona sic vt Sacramenta, Indulgentias, suffragiaque sua, nisi existentibus intra gremium eius; Ethnicus autem non debet reputari intra gremium Ecclesiæ, nec in numero Fratrum, vt optimè aduertit Augustinus super eundem locum. Id ipsum etiam significauit Christus sequentibus verbis: *Amen dico vobis quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata & in cælis.* Vbi manifestè declaratur censuram Ecclesiæ non solùm excludere hominem à terreno conuictu; sed etiam à subsidijs spiritualibus,& bonis animæ internis, quæ, sicut maximam habent efficaciam ad beatitudinem consequendam: ita earum priuatio impedit à consequutione Regni Cœlestis. Quod egregiè inter alios Doctores notauit Chrisostomus super hunc locum.

Potest tamē priuare Cōmunione purè externâ, & mixtâ

His prænotatis.

35. Iam verò his prænotatis pronum est ad tertium, &quintum argumentum respondere.

Ad tertiū. Resp.

36. Ad tertium respondetur neminem lædi, nisi à se ipso in spiritualibus pertinentibus ad primam communicationem; nemo enim potest amittere Charitatem, aut fidem, nisi propriâ voluntate per peccatum mortale; secùs tamen est in spiritualibus pertinentibus ad tertiam communicationem, quibus Ecclesia potest priuare suos subditos.

Ad Quintū Resp.

37. Ad Quintum respondetur negãdo consequentiam, quia, vt videmus, multæ exteriores actiones causant. & efficiunt in animâ multa bona interiora spiritualia, & supernaturalia. atque adeò Ecclesia priuando rebelles illis bonis externis, priuat etiam internis effectibus. eâque ratione ligat illos, quoad Cœlum, vt dixit Christus Dominus.

Ex dictis Infertur 1.

38. Ex traditâ doctrinâ infertur primò turpiter errasse Glossam *in c. Quodcumque* 24. *q.* 1. dum dixit excommunicationem nihil operari apud Ecclesiam triumphantẽ; sed tantùm apud militantem. Quam Glossam meritò dixit Conarru. *c. Alma mater, in initio n.* 9. planè esse alienam à Catholicâ veritate.

Infertur 2.

39. Infertur secundò impiè, sicut alia multa dixisse Erasmus *in Colloquijs de fide*, quod excommunicatio territat pueros, non verò viros fortes.

Infertur 3.

40. Infertur 3. impijssimè dixisse Lutherum, teste Rosense contra ipsum, & teste Vasquez de *Excommunicatione*, scilicet excommunicationem tantùm esse pœnam externam, tantùmque priuare externo conuictu, & plus esse optandam, quàm timendam.

Infertur 4.

41. Infertur 4. verissimè, atque pijssimè scripsisse Augustinum *lib.* 1. *contra aduersarium legis,& Prophetarum. c.* 17. explicando citata verba. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* Vbi *Grauius hoc est* (inquit) *quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur.* Et posteà subdit. *Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo alligatur homo amarius,& infelicius Ecclesiæ clauibus, quàm quibuscumq; grauissimis & durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus.*

In primitiuâ Ecclesia Deus permittebat homines aliquos visibiliter excommunicari.

42. Vnde, vt homines intelligerent, quàm sit timenda Excommunicatio permittebat Deus in primitiuâ Ecclesiâ quod aliqui excommunicati visibiliter, & corporaliter arriperenturâ dœmone, aut in magnos corporis languores inciderent, vt referunt Chrysostomus *Homil.* 5. *in c.* 1. *Ad Timoth.*& Theodoretus *ibidem.* D. Thomas *opusculo citato.* Antoninus 3. *p. tit.* 24. *c.* 76. Sotus, Syluest. & alij.

Infertur 5.

43. Infertur 5. Ecclesiam, dum excommunicat aliquem non priuarè illum communicatione illâ, quæ fit per Charitatem, sed tantùm supponere iam illum esse priuatum eâ communicatione per mortale peccatum contumaciæ. Vnde sequitur, si excommunicatus, antequam ab excommunicatione absoluatur, conuertatur ad Deum per contusionem, frui communicatione illâ primâ, quæ est per Charitatem, neque hoc negari debet, aut potest,& satis colligitur ex *c. dixit* & ex *c. Magnæ* de *Pœnit dist.* 1.

DVBITATIO III.

Quot sint species Censuræ Ecclesiæ.

44. AB hac re multi Recentiores breuissimè se expediunt, vt videre est in Bonacinâ de *Censuris* q. 1. puncto. 1. Coninc. *disp.* 13. *lib.* 1. Cùm tamen res non videatur ita perfunctoriè tractanda; ex eius enim resolutione multa pro absolutione à Censuris dicenda in posterum pendent.

Communis Authorum sententia est esse tres species Censuræ

45. I. Communis Auctorum sententia est esse tantum tres species nempe Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, quod videtur ab Innocentio 3. satis definitum *in. c. Querenti de Verb. significatione.* Atque ita intelligunt textum illum expositores Canonistæ ibi, & summistæ *verbo Censura.* Nauarrus *in Summa. c.* 27. *in principio. & n.* 152. 194 & 254. Valentia

tom. 4.

tom. 4. *disp.* 7. *q.* 17. *puncto* 1. §. *dicitur autem* & Latiùs *q.* 19. *puncto* 1. Suarius *de Censur. lect.* 3. Vgolin. *tabul.* 1. *c.* 26. Auila *de Censuris. p.* 1. *dub.* 5. Sà verbo *Censura* n. 1. Coninc. *disp. illa* 13. *dub.* 1. Bonacina *supra n.* 4. Henriq. *lib.* 13. *c.* 2. & alij apud ipsum. Filliucius *Tract.* 11. *c.* 1. *Quæsito* 7. Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *p.* 1. *c.* 2. cum alijs multis apud Dianam. 1. p. Tract. 11. Resol. 27. & ipse computat sententiam probabiliorem.

46. Hanc sententiã dubiã non nulli reddidêre, quæ alioquin (ni fallor) certa esse deberet. Ideò ab hac veritate descifcentes Auctores sanè graues & multi vix certum numerum censurarum assignant, sed alij plures, pauciores alij.

Secunda sententia docet esse quinque.

47. Secunda ergo sententia est esse quinque species Censurarum, addit enim supra tres enumeratas alias duas nempe cessatonem à Diuinis, & irregularitatem contractum ex delicto. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *art* 1. *in principio* Corduba *lib.* 5. *Quæstionum. q.* 43. *dub.* 4. & *in Summâ. q.* 28. & *q.* 144. in fine Bartholom. à Medina 1. 2. *q.* 96. & *in Summâ. c.* 11. §. 9. qui citat Canum, item Bañez. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *circa finem.* Citatur etiam ab aliquibus Thom. Sanchez, non tamen designatũr locus, nec ego inuenio. Fortè id aliquando dixit oretenus, vel manu Scripto & de irregularitate ex delicto etiam docet Corneio in 3. part. Tract 5. disp. 1. dub. 2. diff. 2. & alij non pauci, imo Cruz. Tract. de irregularitate. p. 2. dub. 15. conclus. 2. testatur esse communem inter Thomistas. Diana sup. refert etiam alios & probabilem putat sententiam, & respondet argumentis in contrarium. Vbi de hac re disputat vt resoluat quæstionem practicam satis; nempe an virtute Bullæ cruciatæ possit confessarius absoluere ab irregularitate ex delicto, sed de absolutione per Bullam illam posteà suo loco dicemus. Probant aliqui hanc sententiam, quia Censura (inquiunt) est pœna puniens fideles in bonis spiritualibus; sed cessatio à Diuinis, & Irregularitas contracta ex delicto sunt pœnæ, quibus fideles puniuntur in bonis spiritualibus: ergo sunt Censuræ.

Probatur.

48. Verùm si hæc ratio aliquid probaret, concluderet etiam depositionem, & degradationem esse Censuras. Ideò.

49. Tertia sententia asserit esse septem Censuræ species. Ita Petrus de Ledesma *in Summâ post Sacramentum Pœnitentiæ Tract. de Censuris. c.* 1. & alij Recentiores posteà referendi; qui omnes ex hac suâ opinione, inferunt posse Confessarium electum per Bullam Cruciatam absoluere ab Irregularitate orta ex delicto, quia, cùm putent esse Censuram, tolli potest per Bullam dantem facultatẽ absoluendi ab omni censurâ, etiam Papæ reseruatâ. Atque in hoc consentiunt etiam Auctores secundæ sententiæ, & id ipsum docet Salon. 2. 2. *q.* 64. *controuers.* 4. *art.* 3. & Aragon. *ibidem circa finem* dicit esse probabilem. Eandem sequitur Nugnus 3. *p. in Bullam Cruciatam.* §. *Vltimo.* Itaque vtraque sententia plures censurarum species agnoscit, quàm fuerunt assignatæ ab Innocentio.

Tertia sententia esse septem.

50. Excipiunt tamen Sotus Medina, & Bannez & quidam alij Irregularitatem ortam ex homicidio iniusto, quia hæc (inquiunt) non solum est pœna delicti commissi; sed etiam habet rationem indecentiæ, sicut aliæ, quæ incurruntur sine delicto ex defectu significationis, & lenitatis. Ideò, cum ex hac parte non habeat rationem Censuræ, non putant posse tolli per Bullam.

51. Vlterius probant suas sententias Bannez, & Ledesma, quià in aliquibus Bullis Cruciatæ olim dicebatur (inquit Bannez) & nunc etiam dicitur (ait Ledesma) quod Confessarius per Bullam possit absoluere ab Excommunicatione, suspensione, & Interdicto & omnibus Censuris, & pœnis, quas pœnitens ex quacumque causâ incurrerit: ergo planè supponit Bulla esse alias censuras præter illas, & ab illis etiam concedit facultatem absoluendi.

52. Emmanuel Sa verb. *Absolutio. n,* 20. putat probabile esse posse Confessariũ liberare à prædicta Irregularitate, quia est pœna; non veró, quia est Censura. Ad hæc argumenta *dub. seq.* respondebimus.

53. Addit etiam Henriquez infra referendus posse Confessarium in casu nimis vrgenti hanc sententiam ad praxim deducere, quod etiam videtur sentire Corduba locis citatis, semper tamen dicit tutiùs esse recurrere ad Episcopum.

54. Gutierrez verò in Quæstionibus Canonicis *tomo.* 1. *c.* 3. aliter Philosophatur; ait enim per Bullam posse absolui Irregularitatem, quæ incurritur ex delicto violandi Censuras, quia hæc Irregularitas est veluti Censurarum effectus, quando violantur. Ideò Bulla, quæ concedit absolutionem à Censuris consequenter concedit absolutionẽ à prædicta Irregularitate.

55. Molina verò Tract. 3. *de Iustitiâ disp.* 80. *n.* 1. & 7. §. *ad secundum* concedit esse quatuor Censuras propriè dictas scilicèt tres prædictas, & Cessationem à Diuinis. Addit vlterius aliquando etiam Irregularitatem nomine Censuræ intelligi latè sumpto vocabulo. Vnde hic etiam Auctor videtur fauere prædictis sententijs, & illationi ex illis, quòd scilicèt virtute Bullæ Cruciatæ possit tolli, Irregularitas; nam, si potestas absoluendi latè est interpretanda, sicut & beneficium Principis, & nomine Censuræ potest intelligi Irregularitas, videtur hæc posse tolli per concessam facultatem absoluendi à Censuris; nihilominus id negat.

Asserendum cum Auctoribus primâ sententiâ tãtum esse tres species Censuræ.

56. Asserendum est cum Auctoribus primæ sententiæ tantum esse tres illas species Censuræ Excommunicationem scilicet, Suspensionem, & interdictum. Probatur 1. ex citato *c. Quærenti. de verborum Significat.* Vbi Pontifex tantum numerat tres Censuras.

Probatur.

Si dicas.

57. Quod si dicas enumerare quidem illas tres, vtpote magis frequentes, & ordinariè vsu receptas: contra hoc est argumentum negatiuum sæpe infirmum in Logicâ, & Metaphisicâ, in Iure haberi firmissimum, vt etiam ex sententiâ Soti probat Nauarrus *c.* 27. *n.* 22. & sanè responsio Pontificis esset alias diminuta, nec deberet poni inter decreta sub titulo *de verborum Significatione.* Vbi explicantur verba secundum totam suam significationem. Quapropter responsio Pontificis doctrinalis est, &, vt talis ponitur in eo titulo: ac proinde licet in verbis in definita videatur, æquivalet vniuersali.

contra est.

Vlterius Pontifex non plenè satisfecisset quæstioni sibi propositæ. Quæsitum enim erat à Pontifice, vt ipse testatur *quid per Censuras Ecclesiæ debeat intelligi ? cùm huiusmodi clausulam* (inquit) *in nostris literis apponimus.* & respondet *Quod per eam non solùm Interdicti; sed suspensionis & excommunicationis sententia valet intelligi.* Ergo intelligit nihil aliud eâ voce comprehendi iuxta Ecclesiasticam consuetudinem, & significationem. Aliòquin regula illa insufficiens esset ad intelligēda decreta, & rescripta Pontificum, & confessiones, quæ in eis fiunt; interdum enim possemus nomine Censuræ quidquam aliud explicare. Vnde vana, ac ferè nullius momenti esset illa responsio, quandoquidem eâ non obstante, quando concedit Pontifex facultatem ferendi vel tollendi Censuras Ecclesiæ, posset quis interpretari, etiam dari facultatem imponendi, vel tollendi Irregularitatem, cessationē degradationem, & depositionem. Sed varijs modis conantur se expedire Auctores oppositæ sententiæ ab hoc Textu, qui mirè illos torquet, & in varias adigit solutiones.

Probationi ex Textu Iuris Resp. 1. Bannez. 58. Respondet Primò Bannez, quem aliqui sequuntur. Ideò Pontificem non fecisse mentionem Irregularitis, quia hæc non est Censura; nisi quando incurritur ex delicto.

59 Contra hoc tamen manifestè possumus instare quod nec numerauit Cessationem à Diuinis, cùm tamen hæc semper sit eiusdem rationis, semperque sit Censura in eorum sententiâ vt interim omittam, etiam suspensionem non semper esse Censuram, vt cum Suario probauimus dub. præcedenti, & tamen eius mentionem fecit Pontifex, quia sufficit quòd aliquando sit censura, vt quando Pontifex facultatem dat ferendi vel tollendi censuram, censeatur facultas extendi, ad suspensionem quæ est censura.

Resp. 2. 60. Respondent 2. idem Bannez, & Ledesma ideò non numerasse Irregularitatem, quia hæc numquàm imponitur à Iudice, sed à Iure, & Pontifex loquebatur de censuris, quibus Iudices debent compellere reos quando Pontifex in suis reschriptis iubet vt per Censuras reos compellant, vt colligitur ex illis verbis *nisi Iudex discretus, rerum, & personarum circumstantijs indagatis, ferat, quam magis viderit expedire.* Verùm

Contra. ab his Auctoribus ego quæsiuerim, cur non numerauerit Pontifex inter Censuras Cessationem à Diuinis, depositionem, & degradationem, quæ semper à Iudicibus imponuntur. Video sanè Bannez (non verò Ledesmam) posse respondere pro Cessatione à Diuinis, quam ille numerat inter Censuras, eam non numerari à Pontifice, quia Pontifex sub nomine Interdicti etiam intellexit Cessationē à Diuinis. Quæ responsio quoad illam partem probabilis est. Quamuis, vt infra notabimus, & suo loco latiùs cum multis dicemus, Cessatio à Diuinis saltem particularis ab Interdicto distinguitur. Ex quo talis solutio satis infirmatur. Sed ab vtroque Auctore: ego rursus interrogo cur, quando Pontifex Iudicibus iubet vti Censuris, tantùm veniant intelligendæ illæ tres: quando verò dat facultatem absoluendi à Censuris, veniat etiam intelligenda Irregularitas ?

61. Video sanè posse responderi ad eludendam vtcumque vim argumenti diuersam esse rationem ferendi Censuram, quæ fit irregularitas & tollendi illam, nam ferre Irregularitatem non solet Iudex, vt dicebat Bannez, sed à Iure prouenit omnis Irregularitas; absolutio tamen, seu ablatio Irregularitatis ab homine fit potiùs quàm à Iure. Quæ sanè responsio pro sententia Bannez & aliorum, qui illum sequuntur, satis probabilis videtur, & quæ magnâ ex parte vim prædicti Textus eneruat, maximè si attendamus intentum capitis citati, vbi Pontifex solùm dicit quæsitum esse ab illo, quid intelligendum esset per Censuræ Ecclesias, quando illas apponit in suis literis scilicet directis ad Iudices, qui ex præscripto Pontificis debeant vti Censuris ? Tunc Pontifex respondet illas tres esse intelligendas, quia nimirum illæ tres sunt, quas ferre potest Iudex, non verò Irregularitas. Quando verò mentio fit de absolutionibus, quæ ab homine fiunt, non mirum, quod etiam irregularitas comprehendatur. cum hæc ab homine tolli soleat per facultatem ad id datum à Pontifice.

62. Nihilominus totum hoc videtur seruire potius ad eludendam vim argumenti petiti ex Textu, quàm ad indagandam ipsam veritatem.

63. Accedit quod non solùm in prædicto Texto: sed in multis alijs Iuris Canonici, dum fit mentio vnius tribus statim explicant Pontifices idem intelligendum esse statutum & decretum de alijs duabus; ita vt fere semper coniungatur, & connectantur inter se Excommunicatio, Interdictum, & suspensio. nullâ factâ mentione de alijs Canonicis impedimentis seu pœnis. Quod adeò verum est vt Syluester verbo *Interdictum* 1. *n.* 4. & Nauarrus *c.* 27. *n.* 164. enumerent decem proprietates, quibus inter se conueniunt tres prædictæ species Censuræ; easque probat Nauarrus expressis Textibus, quos citat, per quas decem proprietates differunt ab alijs quatuor impedimentis, seu quatuor Censuris. Meritò ergo illæ tres vocantur Censuræ, & non reliquæ.

64. Omissis verò cæteris alijs proprietatibus, & differentijs tres præcipuæ differentiæ sunt, quæ essentiales videntur; & 4. nos addemus. *Tres Præcipuæ sunt 7. differentiæ essentiales quibus Censuræ differūt ab alijs impedimentis. Prima est.*

65. Prima est, quam doctè satis ex ipso Iure Canonico, & ex Doctoribus colligit Valentia *tomo* 4. *disp.* 7. *q.* 19. *puncto.* 1. quod scilicèt tres prædictæ Censuræ non tantum in se; sed etiam ex intentione Ecclesiæ, & Iuris Canonici sunt pœnæ inflictæ in correctionē & in vindictam delictorum, & quidem in bonis spiritualibus; at verò alia quatuor impedimenta Canonica, licèt in se sint mala pœnæ, tamen ex intentione Ecclesiæ, & Iuris Canonici non inducuntur in vindictam, nec ad vlciscendum delictum; sed quia attentâ eximiâ, & excellenti dignitate Ecclesiastici ministerij, non decet, vt, qui talem, vel talem defectum, siue naturalem siue moralem patitur, exerceat ministeria Ecclesiastica.

66. Vnde sicut Ecclesia iudicat indecens, vt deformis, idiota, vel bigamus, aut illegitimus exerceat munus sacerdotale: ita iudicat indecens

vt

vt homicida, aut sanguinolentus, aut violator Censurarum Ecclesiasticarum exerceat idem munus; quod inde patet quia eiusdem rationis saltem genericæ est irregularitas contracta ex defectu Natalium, & ex delicto; vtraque enim conuenit in ratione generica irrigularitatis communi; omnes autem Auctores Iuraque definiunt Irregularitatem per hoc quod est esse indecentiam vel inhabilitatem, seu impedimentum Canonicum, tanquàm per genus: ergo hæc ratio generica essentialiter debet esse inclusa in Irregularitate ex delicto. Quapropter, etiamsi hæc habeat simul rationem pœnæ, non est id intentum ab Ecclesia, vt sic: & quamuis ea ratio esset intenta, non esset primariò intenta, sed secundariò; præcipua enim est ratio indecentiæ, seu inhabilitatis, quæ in omni irregularitate semper reperitur. Vnde vtraque Irregularitas tam ex delicto, quàm ex defectu eamdem inhabilitatem, quoad eosdem effectus includit, ideò merè gratis, & absque fundamēto Sotus, & sui Sectatores docent Irregularitatē ex iniustâ occisione habere rationē indecētiæ, sicut aliæ, quæ nō sunt ex delicto & ob id nō posse per Bullā Cruciatā tolli, cæteras verò Irregularitates ex delicto, non habere rationem indecentiæ; sed tantùm pœnæ: quod probare non possunt, cùm sit ab omni ratione alienum.

67. Hoc ipsum constat in depositione, quæ eiusdem rationis est & eosdem habet effectus siue fuerit imposita propter delictum siue propter defectum inculpabilem, vt propter senectutem, aut infirmitatem, aut infamiam aliquam. Quis enim vnquàm dixit depositionem aliam esse Censuram, aliam non esse: degradatio autem, quamuis præsupponat delictum, tamen in eâ etiam non tàm intendit Ecclesia vltionem, quàm vtilitatem & decentiam boni communis, esset enim indecens, vt talis criminosus cum titulo Clericali trādatur brachio seculari?

68. Cessatio quoque à Diuinis, non tàm imponitur in vindictam propriè aut compensationem præcedentis iniuriæ, seu ad correctionem, illius, vt fit per Interdictum, quod est Censura; quàm per illam declaratur eos, qui ius habent cessandi, hoc ipso, quod illa iniuria posita sit, & non sublata, meritò vacare à Diuinis officijs, nec decere, vt illâ iniuriâ existente, Diuina officia exerceantur.

Secunda differētia est.

69. Secunda differentia est, quod Censuræ, non vtcumque sunt pœnæ spirituales; sed medecinales; quæ propter solam contumaciam imponuntur, & statim, atque homo resipiscit, debet ab eis absolui, ac proinde, nunquàm imponuntur pro peccato omnino præterito sine præmissâ monitione sub interminatione Censuræ, si ab homine Censura imponatur, nam, si imponatur à Iure ipsa Iuris notitia sufficit pro monitione; notitia tamen non sufficit ad incurrendam Censuram, si sit solius præcepti, sed necessaria est notitia præcepti, & Censuræ simul impositæ, vt posteà probabitur.

70. Quod autem pœnæ sint medicinales, iam ostendimus *dub. præcedenti* & constat etiam ex c. *Cum medicinalis* de sententiâ *Excommun.* in 6. Vbi, quamuis Pontifex de solâ Excommunicatione in principio Textus dicat esse medicinalem, & ideò cautè illâ vtendum, solumque, quantùm fuerit opus ad correctionem & medelam & quamuis solùm de illâ loquens statuat, quod in scriptis semper debeat proferri, vt de illius Iustitiâ possit constare: posteà tamen in fine capitis, quasi eadem ratio sit de Interdicto, & suspensione, sic ait. *Et hæc eadem in suspensionis & Interdicti sententijs volumus obseruari.* At proinde has etiam computat inter pœnas medicinales. Constat hoc ipsum ex c. *Ex literis*, cuius verba expendimus *dub. præcedenti.* Et quod attinet ad Excommunicationem satis explicatur c. *Apostolicæ* & *quinque capitibus sequentibus.* Quod verò non sit absoluendus excommunicatus quousque pareat, & satisfactionem exhibeat, habetur c. 1. *de Iudicijs in Decreta lib.* & c. 1. *de Exceptionib.* in 6. Quòd autem is. qui ob contumaciam Interdicto vel excommunicatione est innodatus, debeat absolui statim, atque vult parere non obstante, quòd pars læsa reclamet, & appellet, dummodò Censurâ ligatus det cautionem, quòd stabit sententiæ Iudicis competentis, si suâ positâ exceptione ad huc fuerit condemnatus; habetur expressè c. *Quâ fronte de appellationib.* Atque eam suspensionem aliquando imponi pro contumaciâ, & tunc esse pœnam medicinalem, & Censuram, tenent Canonistæ in c. Reprehensibilis *de appellationibus*, & meritò, quia ibi Alexander 3. sic ait. *Præsenti Decreto statuimus, vt nec Prælati, nisi Canonicâ monitione præmissâ, suspensionis, vel Excommunicationis sententiam proferant in subiectos &c.* Canonica autem monitio debet esse trina vel vna cum interuallis competentibus, quæ valet pro trinâ, vt ibi citatis Iuribus explicat Glossa. Vnde communiter Doctores tradunt duo genera suspensionis alterum, quod sit pura pœna, & alterum, quod sit pro contumaciâ, vt aduertit Nauarrus c. 27. *n.* 264. Toletus *lib.* 1. *c.* 13. Suarius, & alij communiter vt ex ipsis notauimus *dub. præcedenti.* Et quidem quòd sint aliquæ suspensiones, quæ non sint Censuræ probatur ex *c. Dilecta, de maioritate, & obedientia.* Vt dicemus *dub.* 6. post 2. conclus. Disputātes de eo, qui potest ferre Censuras. Imò *c. In loco* 5. *q.* 4. separatio à cætu Concilij per tres tantùm dies dicitur excommunicatio, quæ tamen tantum est pœna, & non Censura, vt latiùs dicemus agentes de Excommunicatione *disp. sequenti dub.* 2. Vbi id ex alijs Iuribus probabimus. Et sanè Pontifex, si vellet, posset excommunicare ad tempus determinatum; quo transacto sine absolutione excommunicatio illa tolleretur, in Iure tamen non est talis excōmmunicatio. Nisi fortè in vno rarissimo casu, de quo dicemus agētes de Irregularitate *disp.* 7. *dub.* 4. *§. colligitur præterea.* Vbi ex cap. *licet* de *Elect.* & cap. *vbi periculum eodem titulo in* 6. dicemus eum, qui eligitur in summum Pontificem, manere liberum quāuis Censurâ & Irregularitate.

Doctores tradunt duo genera suspensionis.

Sunt aliquæ suspensiones quæ non sunt Censuræ.

71. Suspensio verò talis reperitur, & satis frequentur, vt in cap *Medicinalis* citatò probatque ex multis Auctoribus Henriq. *lib.* 13. *c.* 29. *n.* 2. *litera S.* quod etiam manifestè constat ex citato c. *Reprehensibilis* & c. *ad hæc de appel* & c. *Is, cui §. finali de Sentent. excom. in* 6. Vbi expressè habetur

quòd

quod appellatio subsequuta post terminum elapsum, & post incursam sententiam excommunicationis, aut Interdicti, aut suspensionis, non suspendit effectum talis sententiæ, neque annullat; at verò appellatio antecedens, id est, quæ fit intermino dato in monitione, omninò suspendit sententiam, ne incurratur: ergo suspensio in alijs casibus indiget monitione, & est medicinalis. Quòd verò aliquando Suspensio sit nulla, nisi præcesserit monitio in particulari ita, vt nō sufficiat generalis monitio patet ex *c. statutum de sententia excom in 6.* Vbi sententia Suspensionis ipso facto incurrendæ lata in eos, qui communicauerint cum excommunicatis ab eodem Iudice, non incurritur etiamsi generalis monitio præcesserit, nisi quisq; eorū qui, prohibentur communicare in particulari, & nominatim moneantur. Constat ergo ex Iuribus quandoque suspensionē non esse propriè Censuram; sed carere requisitis ad Censuram: quādoque verò propriè Censuram esse, & omnia ad Censuram requisita habere.

Tertia differentia. 72. Tertia differentia inter Censuras, & alia impedimēta Canonica, frequentissima est apud omnes Auctores, scilicet, quòd is, qui ligatus est aliquâ Censurâ, si exerceat solemniter actus ordinis, aut, qui in loco affecto Censurâ eumdem actum exerceat, fiet Irregularis. Inde verò sumpserunt hanc propositionem vniuersalem quod omnis violator Censuræ per exercitium solemne ordinis sit irregularis: quia de omni excommunicato, suspenso, aut interdicto, vel exercente in loco interdicto solemniter actum Ordinis expressi sunt Textus in Iure quòd incurrant Irregularitatem.

73. De alijs autem impedimentis communis sententia Doctorum est, quòd celebrans in illis, vel cum illis non fit Irregularis; & rationem reddunt, quia nullibi est expressum in Iure, quòd celebrans in Irregularitate, aut in tempore vel loco Cessationis à Diuinis incurrat Irregularitatem: Quod ipse Sotus fatetur *q. citatâ. art 2.* quia (vt expresse habetur. *c. Is. qui.* de *Sententia excommunicationis in 6.*) Irregularitas non incurritur nisi in casibus à Iure expressis.

74. Quamuis autem aliqui Canonistæ contra communem etiam Canonistarum opinati sint per violationem cessationis generalis incurri Irregularitatem; id tamen dixerunt, quia putarunt cessationem generalem non distingui ab Interdicto. De Cessatione verò particulari, quia certum est ab Interdicto distingui, omnes concedunt, non induci ex eius violatione Irregularitatem; atque ex communi consensu omnium iterpretum effectus Irregularitatis inseparabilis est à censurâ, si violetur. In intelligentia autem Iuris magnam habent auctoritatem eius interpretes. Accedit, quòd differentia hæc inducendi Irregularitatem non solùm est de nomine, sed de re ipsâ, & quidem essentialis, magnique momenti. Ex effectibus autem essentialiter distinctis optimè colligimus distinctiones causarum, vt expendit Suarius *disp. 38. sect. 1. n. 13.* Vt probet Cessationem non esse Censuram. Habemus ergo intentum tantùm scilicèt esse tres species Censuræ excommunicationem, suspensionem, & Interdictum.

75. Quartam differentiam possumus addere, quod Censuræ impediant absolutionem à peccatis, & reddant illam nullam; nam si quis ligatus Excommunicatione, Interdicto, aut suspensione contractâ ex contumaciâ scienter priùs à peccatis absoluatur quàm ab Excommunicatione, Interdicto, vel suspensione: planè & in omnium sententiâ absolutio à peccatis est nulla, & ob id communiter dicitur, quòd Censura Ecclesiæ impediat absolutionem: eoque propter, etiam in Indultis, priuilegijs, aut Rescriptis Pontificis, ut absolutio a peccatis sit valida, & efficax, solet dari facultas priùs absoluendi à Censuris: imo etiam in Bullâ Cruciatâ hæc videtur intentio Pontificis. Vnde Auctores primæ opinionis, quam sequuti sumus id etiam obseruant. Ratio verò est, quia omnis Censura etiam minima, qualis est excommunicatio minor, priuat hominem receptione Sacramentorum. Vnde hic videtur primarius effectus. At verò quòd homo sit depositus, vel degradatus, seu Irregularis, nihil impedit quominus ritè possit absolui à peccatis manente Irregularitate, depositione, degradatione aut cessatione: ergo ex effectibus, & ex re ipsâ, adiuncto modo loquendi omnium, per Censuræ nomen intelliguntur illæ tres pœnæ, non verò quatuor alia impedimenta supra dicta. *Quarta differentia.*

DVBITATIO IV.

An per facultatem Bullæ Cruciatæ concedentis potestatem absoluendi à Censuris, possit absolui quis ab Irregularitate aliquâ?

76. Hæc dubitatio, quamuis videri possit ab hoc loco aliena, incidēns tamen est in præsentem materiam, vt explicemus an saltem aliquando, & maximè in Bullâ Cruciatâ intelligi possit nomine Censuræ Irregularitas ipsa. Legātur, quæ dicemus disp. 7. dub. 27. c. 2. in fine. *Dubitatio incidēs in præsentem materiam*

77. Sanè multi grauesque Auctores, dum incidunt in sententiam Soti, & aliorum, quos pro parte affirmatiuâ retulimus dub. præcedenti, non multum in eâ probabilitatis agnoscunt; debile enim putant fundamentum, quòd nomine Censuræ intelligatur Irregularitas, vt ex re tàm falsâ, aut non satis fundatâ in solidâ doctrinâ Iuris Canonici, velint colligere irregularitatem posse absolui vel tolli virtute facultatis generaliter concessæ absoluendi à Censuris, etiamsi restringatur ad solam Irregularitatem contractam ex delicto, excepto homicidio voluntario. Vnde nullam Irregularitatem posse tolli per Bullam Cruciatam cum Auctoribus nostiæ Sententiæ dub præc. citatis ex ipsius Soti Dominicanâ familiâ, expresse docent Martinus de Ledesma 2 p. *tom. 4. q. 26. art. 2. de Irregularit. in Regula 4.* Ludouicus Lopez in *Instructorio conscientiæ q. 2. c. 92* & citantur Bartholom. *de Ledesma tit de Pœnit.* Mancius, Petrus Sotus, Peña; idemque expresse docet Nauarrus *c. 27. n. 194. & 250. & lib. 1 Concilior. cons. 35. de temporibus ordinandorum* & cons. *66. de sententia* Excom. & alibi sæpe Henriq. *lib 7. de Indulg. c. 13. n 6.* & *lib. 14* *Sotus affir.* *Nullam Irregularitatē posse tolli per Bullam Cruciatam Docent multi Auctores.*

lib. 14. de *Irregularit. c.* 17. *n.* 4. litera I. referens Villadi ego, & Perezium. Idem docet etiam Emmanuel Rodrig. *tomo.* 1. *quæſtionum Regular. q.* 20. art. 17. & in *Summâ* dicit conſtantiſſimè id tenere propter Iubilea ſummorum Pontificum, in quibus (ait ipſe Rodriguez) ſententiam Nauarri definiſſe videntur expreſsè. Docuerat autem hic Auctor Soti ſententiam in ſuâ explicatione Bullæ §. 9. Eamdem noſtram ſententiam docet Toletus *lib.* 1. *c.* 43 Antonius Gomez *in Bullam Cruciatam ad* 10. *clauſulam.* Vbi etiam dicit Sotum in hac re miſero errore lapſum fuiſſe. Tenet etiam Acoſta Luſitanus ſuper Bullam *q.* 48. Vgolinus, Valentia, Suarius, & Auila citati pro primâ opinione *dub. præced.* imò Sotus ipſe oppoſitum videtur tenere *lib.* 5. *de Iuſtitiâ q.* 1. *art.* 4. propè finem vbi ait. Ex his fit conſequens Irregularitatem non eſſe culpam, imò nec, ſemper propriè pœnam, vt *lib.* 1 *q.* 6. notauimus; ſed eſt inhabilitas, quædam, & indecentia propter immunditiem ad Sacrarum adminiſtrationem. Quapropter, cùm in Pontificijs Bullis confertur facultas abſoluendi à quibuſcumque peccatis, & Cenſuris, Cenſuræ nomine non venit Irregularitas: Hactenùs Sotus. Quibus uidetur ſententiam mutaſſe, atque ita putant Antonius Gomez, & Acoſta; quamuis Auila dicat tantùm ibi loqui de Irregularitate, quæ ſinè peccato contrahitur, quod non videtur ad mentem Soti, qui in toto articulo loquutus fuerat de Irregularitate ex Homicidio, & in eodem contextu dixerat non ſemper eſſe pœnam, Ideò luquutus videtur tam de ea, quæ eſt pœna, quàm de ea, quæ non eſt.

Sotus *contra ſeipſum.*

78. Quòd autem Irregularitas non poſſit tolli per Bullam; probatur primò, quia non non poteſt intelligi nomine Cenſuræ, vt probatum eſt. Secundò; quia Irregularitas nunquam propriè dicitur abſolui; ſed diſpenſari; Bullâ autem non vtitur verbò diſpenſandi; dum loquitur de hac facultate. Tertiò quia (vt teſtantur fere omnes Auctores noſtræ Sententiæ, & inter eos Nauarrus, & Toletus, pluresque ex noſtrâ Societate, qui Romæ fuerunt, per multos annos) ſecundùm ſtylùm curiæ quandò in Bullis datur facultas abſoluendi à Cenſuris, & pœnis non venit intelligenda Irregularitas; niſi exprimatur; ſtylus autem Curiæ facit Ius, vt expreſsè habetur in *c. ex literis de Conſtitut.* & *c. quàm graui* de *crimine falſi.* & cum Flaminio, & Antonio Cuco, alijsque multis apud ipſos, docet Sanchez lib. 3. de *Matrimonio*, diſp. 29, n. 17. Quòd ſi verùm ſit, non videtur audiendus Fagundez de præcepto Eccleſiæ *Tract.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *n.* 38. dum in ſimili ait quòd ſtylus Curiæ Romanæ fundatur, in probabilitate contrariæ ſententiæ, non autem tollit probabilitatem alteriùs, ſi enim ſtylus æquiualet Iuri (quidquid alioquin fuerit eo ſecluſo & ſpeculatiuè re ſpectatá) eo ſtylò ſubſiſtente non videtur oppoſitum habere locum, & miror quòd Diana alioquin Romani Iuris ſtrenuus propugnator 1. part. Tract. illo 11. Reſolutione 27. id quòd ait Fagundez admiſſo ſtylò Curiæ approbare voluerit.

Quòd Irregularitas non tollatur per Bullam
Probatur 1.
Probatur 2.
Probatur 3.

79. Hanc tamen conſuetudinem & ſtylum Curiæ negant Bañez, & Petrus à Ledeſma. Medina tamen putat ſolum id habere locum in Prouiſoribus, id eſt Vicarijs Epiſcoporum; in hac tamen re credendum potiùs eſt Nauarro, qui fuit Rotæ Auditor, & Cardinali Toleto, qui tribus Summis Pontificibus fuit à Concilijs. Quartò, quia vt teſtantur Henriquez, Rodriguez & Auila, tria Iubilea pleniſſima, quæ olim concedebantur centeſimò quoque anno, & conceſſa ſunt à Gregorio XIV. Syxto V. & Clemente VIII. (idemque ego vidi factū à Paulo V. Vrbano VIII. &c.) poſt ampliſſimā conceſſionem ad abſoluendum ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis alijsque Eccleſiaſticis ſententijs Cenſuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, ſubditur *Propter præſentes autem ſuper aliquā Irregularitatē publicā vel occultā non intendimus diſpenſare.* Et adhuc Sanctiſſimus D.N. Innocentius X. ait *Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua Irregularitate publica, vel occulta; nato defectu, incapacitate ſeu, inhabilitate quoquo modò contractâ diſpenſare vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi ſeu habilitandi & in priſtinum ſtatum reſtituendi etiam in foro conſcientiæ &c.* Non eſt autem credendum quòd voluerint Pontifices in his Iubileis reſtringere, ſi id in Bullâ Cruciatâ conceſſiſſent: ergo non cenſentur in illâ concedere.

80. Confirmatur hæc ratio, nam quandò Pontifex voluit hoc aliquandò concedere, iam id in Bullâ Cruciatâ expreſſit, nam (vt teſtantur Auila; & Henriq. ſup.) in Bullâ Pauli IV. anni 1545. expreſsè data fuit facultas, diſpenſandi in Irregularitate. Item; quamuis olim (ut teſtatur Bannez ſe vidiſſe, & legiſſe in aliquibus Bullis) concederetur facultas abſoluendi ab omnibus Cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, etiamſi requirant ſpecialem ſui mentionem, & non includantur in vniuerſali clauſulâ; poſtea tamen (vt ipſe Bannez fatetur) hæc verba ſublata fuerunt ex Bullâ, & in omnibus Bullis, quæ à Sede Apoſtolicâ dimanauerunt à tempore Pij V. non ſolum non habentur illa verba, ſed nec particula illa *à pœnis. Vnde* (inquit Bannez) *qui ſequimur hanc ſententiam volumus quòd nomine Cenſuræ intelligantur Irregularitates omnes, quæ impoſitæ ſunt propter culpam.*

81. Verùm, vt aduertūt Henriquez & Auila, ex eò, quòd expuncta fuerit ea clauſula, vel particula, potiùs ſumitur efficax contra ipſos argumentum; quia conſultò illa verba ſublata ſunt, ne fortè quis propter illa in Irregularitate diſpenſaret, &, ne daretur accaſio errandi; nam, vt dixit Sa. verbò *abſolutio n. illo* 20. illa potiùs eſt pœna, quàm Cenſura: item, quia ibi ſupponebat Pontifex eſſe aliquam Cenſuram, aut pœnam quæ, niſi exprimatur, non venit intelligenda per clauſulam generalem. Vnde tollendo illa verba. Voluit tollere facultatem ad talem pœnam tollendam. Quæ autem poterat eſſe niſi Irregularitas.

82. Vnde quamuis in priuilegijs Societatis Ieſu habeatur, quòd poſſunt abſolvere ab omnibus Cenſuris, & pœnis iuxta hunc modùm Philoſophandi non venit vllo modo Intelligenda Irregularitas.

In Priuilegijs Societatis Ieſu quibus abſolutioni ab omnibus Cenſuris & pœnis non intelligenda eſt irregularitas.

83. Quòd ſi petas; quid ergo in talibus pri-

Petes. priuilegijs, aut in Iubilæis, vel etiam in Bullâ Cruciatæ intelligitur nomine pœnæ quandò dicitur facultatem esse absoluendi ab omnibus Censuris, & pœnis? *Resp.* Respondent Nauarrus, Henriquez, Suarius, & Auila citati, & alij, intelligi omnes pœnas, quæ Sacramentorum vsum, aut receptionem impedire possunt, quia in eum finem hæc priuilegia conferuntur. Huiusmodi autem sunt omnes Censuræ, & præterea prohibitio qua Confessarius vetuit, ne celebret, vel communicet intra certum tempus, & etiam similis prohibitio Iudicis in pœnam posita, vel etiam pœnam quam ipse pœnitens promisit subire, si intra tale tempus celebret, aut communicet, & denique illa pœna, quâ Canones Pœnitentiales mandant per aliquod tempus aliquem non admitti ad communionem. Addit Henriquez, etiam intelligi pœnam pecuniariam, quam promisit soluere, si intra mensem non confiteatur, aut tale peccatum commiserit. Tandem probari potest eadem sententia; nam ex oppositâ sequeretur quòd Confessarius per Bullam posset absoluere à pluribus irregularitatibus, quàm ipsemet Commissarius generalis Cruciatæ; consequens verò falsum est: ergo & antecedens. Probatur maior: nam Commissarius non potest dispensare in Irregularitate contractâ ex malâ Ordinum susceptione, & ex simoniâ, hoc tamen posset Confessarius per Bullam Cruciatæ si vera esset ea sententia. Probatur etiam minor, nam in Iure specialis clausula efficacior est, quàm generalis *c.s. & c. Pastoralis §. Quoniam. de Rescriptis & c. studuisti de officio deleg.* Prætereà; quia non est verisimile Papam concedere cuilibet Confessario electo per Bullam quòd expressè denegat Commissario.

84 Noster etiam Molina Tract. 3. de *Iustitiâ, disp.* 80. ex instituto de hac re disputat, vt retulimus *dub. præcedenti*, & addit, vel ex eo solùm non esse in praxi vtendum opinione Soti; quia, vt minimum ea, quæ pro nostrâ sententiâ adducuntur, dubiam reddunt illam opinionem. In dubio autem an aliquis habeat facultatem dispensandi, & præsertim in Irregularitate, nefas est Confessario dispensare, & sic dispensato eà dispensatione vti, quia semper perseuerat dubium, an maneat Irregularis. In dubio autem Irregularitatis tutior pars est eligenda.

Dubius an habeat facultatem nō debet dispēsare, & præsertim in Irregularitate.

85. Hoc totum (pace tanti Doctoris dixerim) non me admodum mouet; nam, si loquamur de puro dubio, verum quidem est illam esse doctrinam omnino receptam; nec enim sine positiuâ ratione probabili, quæ generet assensum probabilem, fas est vti tali facultate, vel potiùs dixerim exponere se tali periculo, nihil faciendi in re tam graui. Si verò loquamur non de puro dubio, sed de opinione probabili, & ratione probabili, quæ generet tantùm assensum probabilem, non speculatiuè certum, falsa omnino est doctrina; satis enim est ad absoluendum, vel dispensandum probabilis sententia facultatis, & potestatis, maximè eius, quæ solùm pendet ex voluntate, & Iure humano, vt in simili diximus de absolutione à peccatis *Tract.* 8. de Pœnitentia *disp.* 10. *dub.* 8. in 1. & 2. p. dubitationis, agentes de absolutione à peccatis, & de vsu opinionis probabilis in administratione actiua, & passiua Sacramentorum. Vnde; nisi ex alio capite sufficienter probetur, fundamenta contrariæ sententiæ reddere sententiam Soti dubiam in primò sensu, id est, quòd non maneat per principia intrinseca vel extrinseca assensus aliquis probabilis; nisi hoc (inquam) fiat, non oportet territare sequentes sententiam Soti, & illâ vtentes actiuè, vel passiuè obijciendo illis suam sententiam esse dubiam; nam si solùm sit secundùm genus dubij; in omnibus sententijs probabilibus reperitur, & non obest ordine ad praxim. Quòd autem rationes contra Sotum sufficiant suspendere assensum etiam probabilem, hoc opus, hic labor est; nec præstitum est, me quidem Iudice à Molina eo loci.

Auctoris Iudicium assignatur duplex genus dubij.

Satis est ad dispensandū Probabilis sententia facultatis.

86. Nicolaus Garzias *de Beneficijs* 1. *p. c.* 11. *in fine* sentit etiam contra Sotum, & probat ex declaratione Pontificum in Iubilæis vltimis, de quo jam suprà diximus. Secundò probat ex *concilio* 3. *Prouinciali Mediolanensi tit. de ijs, quæ ad Sacramentum Pœnit. pertinent.* Vbi prætextu similium verborum, quæ sunt in Iubilæis, prohibentur dispensare Confessarij. Item stylum Curiæ probat ex Magistro Sacri Palatij in Indice librorum expurgatorum in Emmanuele Sà pag. 16. n. 19. sic corrigens; *non est vllo modo tenenda sententia quorundam affirmantium, quia in contrarium est praxis Romanæ Curiæ &c.* In quibus verbis obiter possumus notare id potius in Emmanuele Sà iudicatum fuisse expedite corrigi, cum tamen per tot annos in Soto, & alijs ea sententia prius fuisset typis mandata. Vnde in illo potuisset corrigi à domestico, & eiusdem Doctissimæ Dominicanæ familiæ correctore vt eà ratione *inciperet iudicium à Domo Dei.* Verùm hæc alij suis Apologijs defendent, qui volent.

87. Ex traditâ doctrinâ patet, quid dicendum sit iuxta illam de eo, qui irregularis impetrauit à Papâ beneficium, an sit valida talis impetratio ratione clausulæ generalis, scilicèt *cum absolutione à Censuris & ad effectum præsentium*; nam Corduba in *Summâ q.* 41. Ludouicus Lopez 1. *p. c.* 245. Rodriguez *tomo.* 1. *Summæ c.* 179. *n.* 5. Vega 2. *p. casu* 36. *casu* 13. affirmant esse validam, & videtur consentire Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *n.* 203. *in fine.* Sed iuxta dicta, hoc esse falsum probat Nicolaus Garzia *p.* 7. *c.* 11. *n.* 56. quia sub absolutione à Censuris, & pœnis, non venit Irregularitas, nec est Censura, vel pœna, quæ absoluatur, sed tantùm dispensatur. Atque ita tenent expressè Nauarrus *Cons.* 17. *n.* 1. de *Clerico excommunicato, & Cons.* 48. *de Sententia excommunic. ad fin.* Flaminius Parisiensis *lib.* 4. *de benef. q.* 3. *n.* 40. Gutierrez *in quæstionibus Canonicis lib.* 2. *c.* 5. *n.* 49. Sayrus *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 6. *in fine.* & *Decisio Rotæ* allegata à Nicolao Garzia. Item Rodriguez in *Summâ tomo.* 1. *c.* 29. *n.* 5. & Vega *supra casu* 15. Qui duo Auctores sibi non constant. Idem docent alij multi citati pro nostra sententia.

Ex traditâ doctrina colligitur.

88. Ad argumenta pro sententia Soti allata *dub. præcedenti* respondetur, ad primum, illud quo assumebatur illa impedimenta quatuor esse pœnas, negandum hoc est, neque enim eà inten-

Responsiones ad argumenta pro sententia Soti.

Ad primum Resp. 1. tentione ab Ecclesiâ imponuntur; sed ratione indecentiæ officij sacerdotalis, vt ex Gregorio de Valentiâ, *dub. præcedente* latè declarauimus, vel secundò respondetur cum Suario, negandò *Resp. 2.* aliquid esse Censuram ex eo, quòd sit pœnâ puniens fideles in bonis spiritualibus, nam censuræ non, vtcumque sunt pœnæ in bonis spiritualibus; sed pœnæ medicinales, vt ex Iure ipso latè probauimus *suprà dub.* 2. Quòd tamen non conuenit Irregularitati, nec alijs impedimentis.

Ad argumentum pro sententia Bannez. 89. Ad illud autem, quòd dicebatur pro sententiâ Bannez & Ledesmæ de Bullis Cruciatæ, in quibus continebatur quòd possent absoluere Confessarij electi per ipsas ab omnibus Censuris, & pœnis; & respondetur iam à tempore Pij delectum fuisse verbum illud *à pœnis*, vt fatetur Bannez. Vnde hic Auctor dixit *Resp.* (vt vidimus) nisi dicatur Irregularitas esse Censura defendi non posse quòd absolui possit per Bullam. Verba autem, quæ refert Ledesma, non sunt in originali Latino, nec in Hispano in clausulis Bullæ; sunt tamen in fine inquadam formâ absoluendi, quâ instruitur Confessarius, vt absoluat per Bullam. Quæ forma à Commissario posita videtur, cùm non sit in originali Latino. Vnde verba interpretanda sunt, vt non excedant facultatem à Pontifice concessam in ipsa Bulla iuxtà mentem Pontificis iam suprà tot rationibus comprobatam. Vel certè respondetur clausulam illam, & concessionem in eâ contentam generalem esse, atque ita interpretandam sicut priuilegia Societatis Iesu, & aliorum mendicantium quòd scilicèt Irregularitas non intellegatur comprehensa in conclusione generalij nisi speciali-ter exprimatur; atque hac ratione respondetur ad argumentum factum à Sa, qui nititur *Ad argumentum Ioannis Gutierres. Resp.* in eo quòd Irregularitas sit pœna. Ad argumentum verò Ioannis Gutierres negatur assumptum propter eamdem rationem.

90. Accedit quòd vt docet Molina *Suprà* §. *Ad secundum* etiam in Iubileo à Clemente VIII. concesso anno 1597. & ab eodem Molina Paulò ante relato, concedebatur facultas absoluendi à quacumque Excommunicatione, suspensione, & interdicto & ab alijs Ecclesiasticis Censuris, & pœnis &c. & tamen ibi addidit expresè Pontifex quòd per predictam facultatem non intendir concedere facultatem dispensandi in vllâ Irregularite, nec in vllâ notâ, defectu incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractâ Illa autem verba; *& ab alijs Ecclesiasticis Censuris* putat Molina addita propter cessationem à Diuinis, quam ille putat esse Censuram. Item ad maiorem cautelam, si fortè aliquid aliud occurrat, ut si in pœnam aliquis esset priuatus vsu Sacramentorum ad aliquod tempus &c. de quibus, & alijs pœnis iam supra diximus in hac dubitatione. Adde tu, non esse nouum in Bullis, in quibus datur facultas amplissima absoluendi; vnam & eamdem rem vno verbo comprehensam solere pluribus verbis ita significari, vt id ipsum reputatur eadem, vel æquiualenti verbo, vt rei certitudinem & firmitatem, & voluntatis plenitudinem significat sic loquens, (quòd etiam in sacris literis vsuvenit) nec necesse est procul ire, vt talia exempla quæramus in ipsa Bulla Iubilæi dicitur post datam facultatem absoluendi à Censuris, vbi venitur ad facultatem absoluendi Sacramentaliter *nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, delictis quantumuis grauibus & enormibus* &c & tamen sufficiebat vnum aut alterum illorum verborum; neque enim vna ex illis vocibus significat aliquid quod non sit comprehensum in primâ voce *peccatis*: non ergo debemus esse soliciti quærentes aliquid in vnâ voce quod non fuerit in alia iam dictum, atque adeò Censura & pœna potest vnum & idem iteratò significare.

91. Ex toto discursu huius, & præcedentis dubitationis mihi videtur, saltem quando facilis est recursus ad Episcopum, qui possit, & velit dispensare, quando oportet, non esse admodum securum in conscientiâ vti opinione Soti in prædictis Irregularitatibus; si tamen esset difficilis aditus ad Episcopum, & aliàs sequerentur grauia incommoda posset ad praxim deduci prædicta opinio, vt dixit Henriquez supra citatus propter fundamenta, quæ in simili affert Thom. Sanchez lib. 2. de *Matrimonio* disp. 36. n. 8. vbi ex Soto, Nauarro, & alijs probat, quòd quamuis opinio aliqua parum probabilis sit, & secluso graui periculo amplecti nequeat, non tamen est omnimoda probabilitate destituta sed aliqualem habet apparentiam, patronosque grauissimos, & rationes aliquantulum probabiles, id quòd alias non iudicaretur probabile, facit tale vrgens necessitas, & periculum, quòd ex opposito sequeretur. Cùm ergo tale quid contingere possit aliquando in præsenti casu non minus quam in casu, de quo ibi agit Sanchez, habeatque rationes aliquantulum probabiles, patronosque grauissimos prædicta sententia: ea doctrina locum etiam habebit in nostro casu; & in hoc casu ita est, cùm Diana, & quos refert, putent esse probabilem sententiam.

DVBITATIO V.

Quibus verbis indicetur Censura latæ sententiæ vel ferendæ.

92. Censura latæ sententiæ est, quæ statim atque quis peccat, illam incurrit sine vllâ alia sententia, vel declaratione Iudicis; ferendæ verò dicitur, quæ vt incurratur opus est sententiâ Iudicis, & comminato dici solet. Quâ de re latè tractant Canonistæ *in c. dolentes de celebr. Missar.* vbi Gloss. Hostiens Ioannes Andreas, & alij; item Angelus *Excommunicatio* 2. *n.* 7. Armilla *n.* 18. Siluest. *Excommunicatio* 1. *an.* 12. *vsq, ad* 21. Nauarrus *c.* 27. *n* 12. Cordub. *lib.* 1. *Quæst q* 36. Gabriel *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 2. *conclus.* 7. Antoninus 3. *q. tit.* 24. *c.* 74. Castro *de Lege pœnali lib.* 1. *c.* 1. *& lib.* 2. *c.* 5. *& 6.* Toletus *lib.* 1. *c.* 5. Azor. *tomo.* 1. *lib.* 5. *c.* 9. Suarius *disp.* 3. *sect.* 3. Henriq. *lib.* 13. *c.* 20. Auila 1. *dub.* 7. Coninc. *disp.* 13. *dub.* 2. *n.* 20. Caietanus 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. Sotus *lib.* 1. *de Iustia q.* 6. *art.* 6. *conclus.* 2. & alij posteà referendi. Ex quorum doctrina variæ possunt regulæ

definitio Censuræ latæ sententiæ, & ferendæ.

Censura sententiæ ferendæ dici solet comminatoria.

Variæ regulæ quibus Censura latæ sententiæ dignoscetur à ferenda.

regulæ assignari ad id internoscendum.

Prima Regula.

93. Prima regula sit, quoties in Iure, vel à Iudice aliquid præcipitur, vel prohibetur sub pœnâ, vel interminatione Excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti absolutè sine alio addito, non est Censura lata; sed ferenda. Ità communiter omnes Auctores citati.

94. Dixi tamen *absolutè, & sine addito*, quia, si addatur aliqua ex his particulis *ipso facto*, vel *ipso Iure*, vel *latæ sententiæ*, vel *eo ipso*; absque vllâ controuersiâ est Censura lata, & statim atque peccatur incurritur sine vllâ aliâ Iudicis sententia, aut declaratione; & docent etiam Auctores citati

95. Dixi de Censuris esse hoc verum, & absque controuersiâ, quia in alijs pœnis non mediocris controuersia est inter Auctores in *Tract. de legibus* examinanda. Qua de re legi potest Sanchez *lib. 9. de Matrimonio disp. 30. n. 1. & 2.* Nec volo uti in præsentiarum rationibus, quibus aliqui vtuntur ad hoc probandum; inuoluunt enim difficultatem prædictam in *Tract. de Legibus* examinandam, qualis est illa quòd ad incurrendam Censuram expertè incursuri nulla requiritur actio exequens in se ipsum pœnam; cum tamen aliæ pœnæ exequutionem requirant, ad quam prestendam non ipso facto tenetur, qui peccauit. Hâc (inquam) ratione, & alijs omissis, quæ rectè impugnantur ab Auctoribus aliquibus ex citatis maximè Auila, probanda est nostra sententia solùm ex eo quòd Ecclesia sic intendit obligare, & sic receptum est ex communi vsu totius Ecclesiæ, & Doctorum. Meritò autem Ecclesia obseruat hanc consuetudinem; Nam, cùm Censuræ sint pœnæ spirituales maiorem habent proportionem cum culpâ, & ideò faciliùs eam comitantur. Accedit, quòd, cùm sint pœnæ occultæ, in currentur cũ minori notâ. Et legi potest præter Auilam, Sanchez *sup.* qui rectè etiam impugnat alias rationes Caietani, Soti, Syluestri & aliorũ.

Probatur nostra sententia ex communi vsu totius Ecclesiæ & Doctorum.

96. Addunt Toletus, Henriq. & Suarius, & nonnulli alij, quòd etiam si prædictæ particulæ addantur verbis de futuro, nihilominùs Censura erit lata, quia talis est vis prædictarum dictionum, vt limitent, & trahant futurum illud ad significandam actualem affectionem Censuræ, & tantùm intelligitur futurum respectu illius temporis, quô lex est lata, non respectu illius, quô posteà delictum committitur. Vnde sententiam latam (inquit Suarius) continent illa verba *Decernimus ipso Iure fore suspensos*, quæ habentur *in c. Prouida, de electionibus in 6.* & illa. *Volumus eo ipso fore suspensos. c. Cupientes §. Cæterum eodem titulo*, & *Clement. 1. §. Verum de Hæreticis.*

Addunt Toletus & non nulli alij.

97. In his quidem exemplis verissimam censeo hanc doctrinam; sed ex eo, quòd ibi verbum futurum *fore* coniungitur cum participijs de præterito. Vnde futurum *fore* cum tali participio de Præterito potest significare futuritionem respectu temporis, quô lex fertur, non verò respectu temporis, quô peccatum committitur: respectu enim illius vim habet participium præteriti, vt cum primum peccatum sit in facto esse, sit etiam in facto esse excommunicatio.

Authoris Iudicium.

98. Probat etiam Suarius ex *c. Si Religiosus delect. in 6.* vbi dicitur *in præsumptionis illius pœnam electio eadem ipso facto viribus vacuetur.* Vbi, nisi esset particula *ipso facto*, tantùm significaretur electionem fore irritandam, & tamen propter illam particulam absque dubio (inquit Suarius) fit irrita electio.

Probat Suarius

99. Toletus verò addit exemplum, vt cùm dicitur *ipso facto excommunicetur vel excommunicabitur*: putat enim esse sensum quòd per factum ipsum sine aliâ sententiâ, vel declaratione erit, & manebit excommunicatus.

Toletus addit exemplum.

100. Armilla, & Antoninus, & etiam Azor (qui dicit esse communem sententiam) putant eandem vim habere has particulas *prorsus, penitùs, omnino, statim mox, ex nunc, ex tunc*, ita, vt significent Censuram latam.

101. Verum de his Suarius n. 5. dicit indicandum esse iuxta exigentiam verborum, quibus iunguntur; nam, si dicatur *statim mox, omnino, aut prorsus excommunicetur*, vel *suspendatur*, non est Censura lata: sed ferenda. Si verò dicatur *statim* vel *ex tunc sit excommunicatus*, tunc est lata, vt *in c. Quamuis de electionibus in 6.* Itaque iudicandum est iuxta vim verborum, de quibus in Regulis sequentibus.

Suarius dicit

102. Secunda regula sit, quoties lex, aut Iudex imponit Censuram per verba Imperatiui, etiam præsentis tẽporis, aut per verba cuiuscumque modi de futuro significãtia actionem ipsam, vel passionem excommunicandi, suspendendi, Censura non est lata; sed ferenda, ut si dicatur *Excommunicate*, vel *excommunicetur*, vel *excommunicandus*, vel *excommunicabitur*. Ita ferè omnes Auctores. Ratio est manifesta, quia, vt hæc verba habeant effectum, requirunt ministerium alterius, vt Iudicis, vel aliorum, quibus præcipit, vel cum quibus loquitur tale mandatum. Habet autem hæc Regula aliquas limitationes, seu (vt loquuntur Iuristæ) fallacias.

Secunda regula.

Ratio

Habet hæc regula aliquas limitationes.

103. Prima limitatio, vt verba de futuro absolutè ponantur: nam si addatur aliqua particula ex dictis *regulâ* 1. Censura erit lata. Secunda, quòd hæc regula non loquatur de verbo substantiuo *sum, es, fui.* quia hoc verbum, siue sit Indicatiui siue Imperatiui modi, si iungatur verbis, seu participijs præteriti temporis significabit latam (vt multi volunt) v. g. si dicatur, *qui hoc fecerit, sit, vel est, vel erit excommunicatus*, quia tota significatio est præteriti temporis. Vnde iudicandum putant iuxta sequentem regulam. Si verò iungatur verbis, aut participijs de futuro, excommunicatio est ferenda, ut cum dicitur *sit vel est excommunicandus.* Huic tamen limitationi non omnino consentit Sanchez. *lib. 7. de Matrimonio disp. 12. n. 2.* nam cum dicitur *excommunicatus sit*, putat intelligendum esse per sententiam Iudicis vt posteà notabimus. Cuius doctrina mihi magis placet; quam etiam approbat Layman *lib. 1. Tract. 5. part. 1. c. 2. n, 3.* Tertia limitatio est quòd, si uerba non significent actionem ipsam excommunicandi, suspendendi vel interdicendi exercendam per ministerium alterius, significabunt sententiam latam, vt si dicatur *subiaceat*, vel *subiacebit excommunicationi incidat*, vel *incidet*, *incurrat*, vel *incurret excommunicationem.* Ita Syluester *numer.* 22. Angelus *n.* 7. Armilla. *n.* 18. Castro & Suarius

Prima limitatio.

Secunda limitatio.

Huic limitationi non consentit Sanchez.

Tertia limitatio

Suarius *supra*, Auila *p.2.c.2.disp.1. dub.2.*& Vasq. 1.2 *disp.* 173. vbi etiam adducit,& approbat limitationem. 2. de verbo *Sum.*

Tertia regula. 104. Tertia Regula; quoties lex, aut Iudex, imponit Censuram per verba de præsenti indicatiui modi, vel per verba de præterito significantia ipsam actionem excommunicandi, vel suspendendi, aut manifestè aliter constat de intentione Iuris, aut Iudicis, Censura est lata,& non ferenda, vt cum dicitur *excommunicamus, anathematizamus*, vel *suspendimus.* Addunt aliqui etiam cùm dicitur, *Sit excommunicatus* de hac tamen loquutione iam nuper dicebamus,& dicemus posteà cum Sanchez posse significare ferendam tantùm. Ratio huius Regulæ est, *Ratio huius regulæ est.* quia talia verba satis significant ipso facto, sine interuentu alterius rei censuram contrahi.

105. Eandem vim habent illa verba *Excommunicationis sententiâ duximus innodandum*, vt aliqui volunt, vel *Excommunicationis sententia innodantes.* Quibus verbis utitur Bonifacius VIII. ad ferendam ipso Iure Excommunicationem *c. vnico de Schismaticis in 6.* similem vim habere videntur illa verba *sententiam excommunicationis incurrat*, vel *Ecclesiastico subiaceat interdicto*, quibus vtitur *Greg. X. in c. vnico de Iniurijs in 6.* Item illa *Excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere c. 2. de Hæreticis in 6.* idemque iudicium est de alijs similibus.

obijcies. 106. Obijciet aliquis contra hanc regulam idem esse dicere *Excommunico*, ac dicere *præcipio sub pœnâ excommunicationis*; nam vtrobique est loquutio de præsenti, ergo in vtroque est, vel lata, vel ferenda.

Resp. 107. Respondetur magnum esse discrimen; nam in primo casu est loquutio de præsenti, quantùm ad actum præcipiendi, non tamen quantum ad actum Excommunicandi. Ideò diximus in Regulâ verba debere esse significantia ipsam actionem excommunicandi; alioquin non comprehenduntur sub regulâ. Vnde, si dicat Iudex *habeo te*, aut *denuntio te*, aut *agnosco te excommunicatum*, Syluest. & Armil. putant in foro contentioso; nisi priùs excõmunicasset, non censeri excommunicatum, quia in illis verbis non est expressa voluntas excommunicandi de præsenti; sed in foro conscientiæ (inquiunt) iudicandus est excommunicatus, quia in eo foro tutior pars est eliganda. Hoc tamen mihi non placet; nam forum externum, & internum semper debent inter se conformari, nisi, quando externum nititur præsumptione reipsâ falsâ, & tamen in foro conscientiæ constat de veritate: hîc autem nec in foro conscientiæ constat, vt supponimus.

Refellitur sententia Hostiensis & Antonini. 108. Refellitur etiam sententia Hostiensis, & Antonini, qui putant in eo casu, si Iudex reverâ habuit intentionem excommunicandi, esse excommunicatum, secùs, si non habuit. Quòd meritò displicet Suario *sup. n. 7.* ex sententiâ multorum, vbi probat non sufficere intentionem excommunicantis; sed requiri vt verbis, vel alijs signis sufficienter sit expressa. Ac proinde, quia in prædictis modis loquendi non satis exprimitur Gabriel, Angelus & Nauarrus docent non esse excommunicatum,& ob eandem rationem Suarius *n. 3.* putat probabilem sententiam Felini contra alios Auctores asserentis verba illa. *Si illud feceris, excommunicationem, aut suspensionem noueris te incursurum*, non continere Censuram latam, quia non satis expressè eam significant; sed ferendam.

109. Atque ob eandem rationem Gloss. in *c. Finali de foro compet.* illa verba *Anathema sit.* putat non continere Censuram latam; sed ferendam. *Opinio docens illa verba Anathema sit non continere Censuram latã.* Hoc tamen Suarius putat improbabile, & omnimò falsum, nam grauiora sunt illa verba quam hæc *excommunicatus sit*,& tamen hæc continent Censuram latam: ergo & illa; sunt enim exequutiua sicut hæc. Itèm quia illa forma anathematizandi frequentissima est in Concilijs, &, vt grauissima pro Censura lata vsurpatur.

110. Verùm Sanch *lib. 7. de Matrimonio disp. illa 12. n. 2.* multò maiori cum eruditione docet *Sanchez maiori cum eruditione docet l. 4 de Matrimonio* per illam particulam *anathema sit* & *excommunicatus sit* non super significari latam, sed ferendam sententiam, quando scilicèt imponitur alijs peccatis distinctis ab Hæresi; Quando verò imponitur Hæresi significare latam. Placet ipsius Auctoris verba referre, quæ doctissima sunt, & pro re satis graui eruditionem continent tanto auctore dignam: ait ergo Cæterum verius est non esse latam sed ferendam sententiam; quòd *anathema sit* sententiam ferendam importet nullâ additâ particulâ ad latam trahenti, vt testatur Baldus *c. at si Clerici n. 20.* & clarè *Gloss. c. 2. de foro competenti.* Vbi in fine cum Textus ille dicat *sit sequestratus*, explicat *per sententiam, sicut 30. dist. quasi per totam:* in quâ ferè in omnibus textibus dicitur *sit anathema*; ac proinde clarè sentit Glossa ea verba *Anathema sit* desiderare sententiam, ac proinde non continere latam excommunicationem. Quod idem non obscurè significat Turrecremata *eâ dist. 30. c. 1. in fine*, vbi quærens an Textus illius distinctionis contineant latam sententiam, in quibus dicitur *anathema sit*? respondet contentos in illis esse ipso Iure excommunicatos, quia sunt Hæretici, vbi clarè sentit non virtute illorum verborum, sed quia hæretici sunt, eos incurrere excommunicationem. Prætereà, quia, esto ea verba *anathema sit*, *excommunicatus sit* importarent latam sententiam; at id intelligendum venit, nisi proferantur in materia, in quâ ex alijs Textibus constat non inferri ipso Iure excommunicationem. Ita docent *Abbas c. 2. in fine de foro compet.* & ibi eius additionator. Felinus *c. Rodulphus n. 33.* de *rescriptis.* Tiraquellus *c. si vnquàm vers. reuertatur. n. 183.* Hæc Sanchez, & postquam hanc doctrinam applicuit excommunicationi contentæ in Iure contra raptorem Virginis vel viduæ, *c. Si quis Virginem 36. q. 2.* vbi tali raptori cum sibi fauentibus dicitur *anathema sit*, & ostendit contra nonnullos illam esse excommunicationem ferendam; & non latam referens pro hac sententiâ multos Auctores, apertè docet hæc, & similia verba non significare latam; sed ferendam sententiam. Quibus adde, si placet *c. Si quis de vita & honestate clericorum.* vbi dicitur *si quis ex Clericis comam relaxauerit*, *anathema sit*; in quem Textum incidi cum scriberem *de Sacram. ordin. Tract. 6. dub. 30.* vbi disputauimus, an Clerici teneantur tonsurâ gestare?

gestare? & tamen ibi non est lata; sed ferenda Censura vt ait Glossa *ibidem*, & cum eâ Sotus *in 4. dist. 24. q. 2. art. 2. conclus. 2.* Hæc doctrina ex dicendis in sequenti regulâ ampliùs confirmabitur.

Quarta regula.

111. Quarta regula sit quoties lex, aut præceptum continet verba dubia, quæ non satis denotant vtrum Censura lata sit, vel ferenda, censeri debet ferenda, & nòn lata. Hanc regulam tradit Gloss. *c. in pœnis de regulis Iuris* in 6. vbi dicitur in pœnis benignior facienda est interpretatio, ita Auila *de Censuris*, Conine quos refert & sequitur Hurtado *Tract. de Censuris in communi diffic. 5. n. 22.* quem refert & approbat Diana *Par. 4. Tract. 3. Resol. 16.* & talem censet Sanchez suprà Nauarrus *c. 27.* Laym. *supra.* illam, de qua nuper diximus significari illis verbis *excommunicatus sit, anathema sit*, ita, vt illis verbis quasi præcipiatur Iudici, vt ab ipso criminosus excommunicatus fiat; nisi hoc dubium resoluatur ex alijs Iuribus excommunicationem latæ sententiæ expressè decernentibus. Hac ratione Sanchez *lib. 2. moralium c. 38. n. 91.* docet Diuinatores, ac veneficos, eorumque consultores non esse ipso Iure excommunicatos, sed excommunicandos iuxta *c. non oportet, c. aliquanti. 26. q. 5.* non obstante quòd *in c. 1. eadem q.* dicatur *Siquis Ariolos, Aruspices, aut incantatores obseruauerit, anathema sit.* Hanc regulam etiam tradunt Abbas, Felinus, Philippus Francus & alij, quos sequuntur Azor & Auila *Supra.* Quæ regula non solùm in Iure interpretendo; sed etiam in sententijs; vel præceptis ab homine latis (interpretando scilicèt pœnas benignè) seruari debet, vt rectè Suarius *Suprà n. 6.* quidquid in cõtrariũ videatur docere aliqui Iuristæ quod intellige; nisi aliud clare constet de mente Iudicis, tunc enim illius menti standum est, si verbis, aut alijs signis sufficienter alioquin sit expressa. Itaque quotiescũque dubium est an excommunicans, siue ius, siue homo velit latæ sententiæ excommunicationem ferre, semper iudicanda est excommunicatio ferenda, non lata. Et cum hac latitudine videntur loquuti Diana & alij Auctores citati.

DVBITATIO VI.

Quis possit ferre Censuras?

Asserendum 1. omnes habentes iurisdictionem Ecclesiasticã ordinariam in exteriori foro habere potestatem ordinariam ferendi Censuras.

112. Asserendum est primò omnes qui habẽt Iurisdictionẽ Ecclesiasticã Ordinariã in exteriori foro habere potestatẽ ordinariã ferẽdi Cẽsuras. Huiusmodi sunt Papa, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus comparatione suorum subditorum & eorumdem omnium Vicarij, quia idem tribunal censetur esse Vicarij, & Episcopi, vt habetur *c. 2. de consuetudinib. in 6.* & *c. Romana, de appellat. in 6.* & idem est de Capitulo Sede vacante quia succedit in Iurisdictione Episcopali, vt habetur, *c. vnico de maiorit, & obedientia in 6.* & *c. Cum olim, eodem tit in Decretalib.* vbi id tractant Canonistæ, & eamdem potestatem habet Vicarius electus à Capitulo sede vacante iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 25. c. 16. de reformatione*, ita communiter Doctores, inter quos Diana 8. part. *Tract. 4. Resol. 11.* cum Hurtadu & alijs, vbi id cum alijs concedit in particulari de potestate Capituli Sede vacante imponendi interdictum & cessationem à Diuinis, idque Iure ordinario, propter generalem quia succedit in iurisdictionem ordinariam Episcopi, item hanc potestatem habent Concilium generale, Prouinciale, & Synodale, & etiam Congregationes Regularium, quando legitimæ sunt, & ab Ecclesia approbatæ: & similiter omnes Prælati habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem ex Papæ concessione, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vt sunt in Religionibus Generalis Prouincialis, Abbas, Guardianus, Prior, Rector, & aliqui Abbates, & Priores Ecclesiarum Collegiatarum, vt ostendit Suarius de Censuris *disp. 2. sect. 2 ex c. Cum in Ecclesijs* de maioritate, & obedientiâ, & alij, quos retulimus *dub. 1. nu. 6*, Probantes esse in Ecclesiâ potestatem infligendi Censuras. idemque locum habet in Cardinalibus comparatione Ecclesiarũm, in quibus Iurisdictionem in foro externo habent. Et quidem quòd Abbas siue Prior possit excommunicare Monarchos iuxta citatum *c. Cum in Ecclesijs*, expressè docet Gloss. *in c. de persona.* Verbo. *Aut Monarchum 11. q. 1.* & Gloss. *in c. Quanto* verb. *Si Prælati. de officio ordin.* Seruanda tamen est consuetudo: in aliquibus enim Religionibus fertur esse consuetudo, vt Superiores locales, seu Conuentuales non excommunicent; sed tantùm Prouinciales, idque seruatur in Societe Iesu, vbi Præpositi, aut Rectores id non faciunt. Quâ de re legi potest compendium, priuilegiorum & Gratiarum Societatis Iesv, verb. *Correctio §. 2*, & verb. *Apostata §. 7. & 8.* vbi expressè dicitur concedi solùm Prouincialibus.

Idem tribunal censetur esse Vicarij & Episcopi.

Consuetudo seruanda.

113. Prædictam potestatem colligere possumus *ex c. Cùm Ecclesiarum & c. duo simul de officio ordinarij & c. sicut tuis de sent. excommunicationis* & *ex c. Transmissam, & ex c. Suffraganeis de elect* & *c. cum de Maiorit. & obed.* & *c. Cum contingat de foro compet.*

114. Ratione verò probatur, quia potestas spiritualis fori exterioris ordinatur ad puniendum delicta, & coërcendos subditos rebelles; sed hoc fit per Censuras: ergo tali potestati annexa debet esse potestas ferendi Censuras.

Probatur assertio Ratione.

115. Circa hanc assertionem notandum est primò consuetudinem ferendi Censuras debere esse legitimè præscriptam vt dicebamus; nisi enim talis sit non sufficit ad conferendam Iurisdictionem saltem ordinariam; nam ad delegatam sufficiet, si sit approbata ab aliquo Prælato pro suis subditis. Ita Syluest. *Excommunicatio 1. n. 4.* & Nauarrus *c. 27. n. 6.* & quod sufficiat, si sit præscriptio constat ex *c. dudum.* vers. *sed cum Iure de elect.* & *c. cum olim* & *c. Auditis*, de *Præscript.* & e. *cum contingat de foro compet.* & *c. 1.* eodem titulo in 6.

Circa hanc assertionem notandum 1.

116. Addit Suarius disp. illa 2. sect. 2. cum communi sententiâ Iuristarum, quòd bene potest aliquis habere ex consuetudine præscriptâ potestatem ferendi vnam Censuram, quin habeat potestatem ferendi omnes alias, vt colligitur ex c. *Cum olim* de *Præscriptionib.* & legi potest Diana 5. q. Tract. 9. Resol. 42.

Addit Suarius.

117. Notandum 2. etiam consultò nos dixisse hanc potestatem ordinariam habere aliquos

Notandũ 2.

Priores

Priores Ecclesiarum Collegiatarum; nam Parochi, & alij, qui in multis locis, & in Religionibus militaribus vocantur Priores, eò quòd sunt Rectores Ecclesiarum habentium multos beneficiarios, non tamen viuentes collegialiter, quorum multi sunt in Hispaniâ, maximè in Regno Galleciæ & Nauarræ, non possunt ferre Censuram vllam, quia nullam habent Iurisdictionē in foro exteriori, vt notat Nauarrus *c.27.n.5* Sotus *in 4.dist. 18. q.2.art.1.* Suarius *supra n.10.* Filliucius *Tract. 12. c. 1.quæst.5.n.11.* Henriquez *lib.14.c.24.n.3.* Verum quidem est, Sotum ibidem, & Syluestrum *Excommunicatio 1.2.5.* dixisse Parochos in aliquibus casibus, vt in rapina, & furto posse excommunicare. Verùm hæc potestas ablata illis est per Tridentinum *sess.25.c.3. de reform.* vt notat Henriquez *lib. 3. c.24.* & Suarius aduertit *disp. 12. sect. 1. n. 3.* id esse non solùm incertum; sed contra communē praxim.

Notandū 3. 118. Notandum est 3. prædictos, quos diximus posse ferre Censuras, id posse, etiamsi non sint sacerdotes, nec vllo ordine insigniti sed tantùm primâ Tonsurâ signati dummodò sint confirmati vel prouisi in prædictis officijs, vt colligitur ex *c.Transmissam* & *c.Suffraganeis* de *electionibus* & *c. cùm olim de maioritate, & obedientia,* vt cum communi sententiâ docet D. Thomas in *Additionib ad.3. p.q. 22.art. 2.*

Notandū 4. 119. Notandum est 4. non omnes prædictos habere ex Iure diuino, & immediatè à Christo Domino prædictam potestatem ferendi Censuras; sed tantùm summum Pontificem & aliquo modo Episcopos, quatenùs Christus ipse statuit, vt essent in Ecclesiâ Episcopi, qui essent ordinarij Pastores *ad Ephes. 4.* & Actor. 20. quia non poterat conuenienter Summus Pontifex solùs per se ipsum Ecclesiam gubernare. Et quidem Vasq. 1.2. disp.152.c. 3. n.28. putat Episcopos à Christo Domino, & ex Iure Diuino habere Iurisdictionem actiuam, passiuam verò à Summo Pontifice, & Simile quid docuit de potestate Sacerdotum ad absoluendum *q. 93. art. 1. dub. 3. de Pœnit.* vt nos retulimus & de eâ re egimus *de pœnitentia Tract.8. disp. 10. dub. 2. & 3.* Sed quidquid, de hoc sit in particulari etiam, Episcopi habent hanc potestatem medio Pontifice, & dependenter ab illo. Vnde cuicumque Episcopo in particulari poterit Pōtifex restringere, & limitare potestatem; vel etiam eum omninò priuare. Reliqui etiam omnes habent illam à Pontifice, quidam immediatè, vt Vicarius, & Legatus eius, & Religiones; alij verò mediatè, vt Vicarius Episcopi mediante Episcopo; & sic de alijs, vt sunt Prouinciales Religionum medio Generali vel eo, qui illos eligit, & Generalis medio Capitulo vel Congregatione, quæ eligit illum. Qua de re Legi potest Suarius *disp. 2. sect. 2.n.7.&11.*

Episcopi habent potestatem ferendi Censuras dependenter à Pontifice.

Potestas ferendi Censuras confertur per collationem officij absq; alia commissione. 120. Omnibus tamen prædictis confertur hæc ordinaria potestas ferendi Censuras per collationem officij, & muneris absque aliâ speciali commissione, quia iam tali muneri annexa est talis potestas.

121. Non me latet aliquos existimare etiam alios Prælatos præter Episcopos de Iure Diuino hanc potestatem, id tamen absque vllo fundamento dicitur Auila 2.p.c.3.disp. 1.dub. 5. Vbi id rectè reijcit, & non nihil dicemus agentes *de Excommunic.* & quidem stando in solo Iure Diuino omnes Religiosi essent subiecti, & sub ordinari Episcopis: ergo quòd modo sint exempti, & quòd habeant Iurisdictionem in foro externo, & consequenter potestatem excommunicandi est omnino ex Iure humano. Quamuis enim concederemus statum Religionis esse ex Diuino, non sequitur habere Iurisdictionem in foro externo requisitam ad Censuras; sed ad summum sufficeret in foro pœnitentiali, sicut Parochi, etiamsi sint instituti Iure Diuino, non habent potestatem in foro exteriori, vt dictum est.

Asserendū 2. 122. Asserendū est 2. Posse etiam ferre Censuras omnes illos, qui per delegationem, seu cōmissionem accipiunt potestatem talem ab illis Prælatis, qui eam habent ordinariam de quibus egimus in præcedenti assertione, dummodò hi delegati capaces sint talis potestatis delegatæ. Hanc sententiam docent Auctores omnes posteà referendi. Ratio generalis est; quia omnes habentes Iurisdictionem Ordinariam possunt illam delegare, seu committere alijs, ut habetur in l. *more ff. de Iurisdictione omnium Iud.* & patet ex ipso vsu. *Ratio assertionis.*

Duplex est discrimen inter Potestatem delegatam & ordinariam. Primum discrimen. 123. Est tamen duplex discrimen inter potestatem delegatam, & ordinariam; primum est, quòd potestas delegata semper pendet à concedente, & delegante illam: ideò Cessat illo defuncto, nisi res non sit iam integra, id est causa inchoata sit, hac enim inchoatâ, poterit delegatus vlteriùs pergere etiam ferendo Censuras vsq; ad causæ finitionem, vt habetur C. *licèt* & *c. gratum* & *c. relatam.* & *c. vltimo de offic. delegati* & *c. si à subdelegato eodem titulo in 6.* quæ tamen dependentia non est in alio, qui ordinariam potestatem habet. Secundum discrimen est, quòd licèt habens ordinariam potestatem possit (vt diximus) eam delegare habens tamen delegatam subdelegare non potest, alijsue committere ex vi modi habendi talem potestatem, & Iurisdictionem, vt constat ex toto titulo *de officio delegati.* Dixi *ex vi modi habendi,* quia interdum hoc etiam conceditur ipsis delegatis ex speciali tamen concessione, vel ex generali priuilegio talis delegati, vt de Pontificis delegato docent Canonistæ in *citato titulo,* & videri potest Iason in *dicto titulo* C. *de Iudicijs.* *Secundum discrimen.*

Angeli, & beati sicut & non Baptizati incapaces sunt huius Potestatis. 124. Dixi in assertione *dummodo capaces sint potestatis* nam Angeli & Beati, & etiam homines non Baptizati incapaces sunt vt multi putant clauium Ecclesiæ, atque adeò etiam huius potestatis, & Iurisdictionis, etiam exterioris fori, non tantùm ex Ecclesiastico Iure, vt putauit Vgolinus *tabula 1. de Censuris, c.2. §. 9.* sed etiam Diuino, & quasi naturali Iure; quod (vt putat Suarius *disp. 2. sect.3.n.12*) satis probatur ex perpetuo vsu, & traditione Ecclesiæ, quæ Ius Diuinum declarat. Vnde sumi potest ratio quasi à Priori, quia in suâ institutione noluit Christus hos capaces esse huius potestatis. Vide multa circa hoc in Diana 8.p. Tract.1. Resol. 39. vbi etiam agit de Iurisdictione & potestate danda fœminæ idque coniungit cum capacitate ad ordines vel ad tonsuram, sed hæc ex parte possunt separari, vide si placet dicta à nobis to. 1. de *Ratio.*

Sacramentis Tract. 6. nu 286. nunc de potestate ad Censuras ferendas agimus, & obiter dicemus de tonsura & ordinibus iuxta ibi dicta cum probabili sententiâ & de non Baptizatis aliquid etiam dicemus.

125. De fœmina verò, quamuis aliqui sentiat, etiam de Iure Diuino, esse incapacem huius Iurisdictionis, atque adeò nec ex commissione Papæ posse ferre Censuras, vt docet Ledesma 2. p. 4. q. 21. art. 3. & q. 24. art. 2. Auila 1. p. dub. 6 Conninc disp. 13. dub. 4. n. 33. & alij apud Dianam supra de hac re latè tractantem; pro quâ sententiâ refert Auila Syluestrum, & Sotum; idque videtur probare Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 2 n. 3. quia fœmineus sexus naturaliter poscit statum subiectionis, vt apertè colligitur ex Ad Ephes. 5. & ideò prohibetur prædicare, & dominari in viros, multoque minus in Sacerdotem, quod ex ipso Iure naturæ videtur indecens.

Probabile est fœminam non esse iure naturæ & Diuino incapacem Iurisdictionis fori exterioris.

126. Nihilominus probabile est, non esse Iure Naturæ & Diuino incapacem huius Iurisdictionis fori exterioris, quamuis sit incapax potestatis Ordinis; atque adeò posse Pontificem pro suâ potestate absolutâ delegare illi Iurisdictionem, vt alios, præsertim fœminas excommunicet, aut suspendat. Quod docet Paludanus in 4. dist. 19. q. 2. art 1. Sotus dist. 20. q. 2. art. 4. Armill. verb. Excommunicatio n. 24. Nauarrus cons. 73. aliàs 72. de sent. Excommunic. Vgolinus tabulâ 1. c. 2. §. 7. n. 5. qui plures alios refert. Suar. disp. 22 lect. 2. n. 7. Filiucius Tract. 11. c. 2. quæst 8. Reginald. n. 116. Bonacina disp. 1. q. 1. puncto 2. Layman lib. 1. Tract. 5. q. 1. c. 3 & alij apud Dianam supra, inter quos aliqui infra referendi. Et quidem negari non potest committi posse mulieri aliquem vsum spiritualis Iurisdictionis, & clauium, vt subditos dignè gubernet, corrigat, & puniat, & vt vota irritet, & dispenset, eaque ratione etiam possit suspendere ab Officio, & beneficio, & largo modo suspendere, & interdicere ab ordine Clericali subiectos suæ Iurisdictioni, v. g. præcipiendo eis, ne celebrent, donec satisfecerint, vt patet ex c. Dilecta de maiorit. & obedientiâ, & ex c. Dilecti filij. de arbitr. & ex c. dilecta de excessib. Prælatorum. quidquid sit an propriè loquendo possint interdicere, vel suspendere Interdicto, & suspensione, quæ sint verè Censuræ Ecclesiasticæ, & inducant irregularitatem, si violentur; sed tantùm sint prohibitiones quædam, seu priuationes, quæ latè dicuntur suspensiones, vt latè docent Panormit. & alij Canonistæ in c. Dilecta citatum & Summistæ verbo Abbatissa. Victoria relect. 2. de potest. Eccles. q. 2. n. 3. Suarius disp. 2. lect. 2. n. 6. vbi optimè expendit verba Pontificum; id quod etiam rectè præstat Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 2. n. 3. &c. 4.

Multi volunt prædictam potestatem, non solum à summo Pontifice, sed etiam à Prouinciali, & Episcopo conferri posse.

127. Porrò multi putant prædictam potestatem conferri posse non solùm à summo Pontifice, sed etiam à Prouinciali Ordinis, aut Episcopo sub cuius obedientiâ viuunt, talemque vsum Iurisdictionis committi, saltem indirectè Abbatissæ, seu Priorissæ, vt, si Prouincialis cum moniali dispenset in lege Ieiunij sub conditione relatâ in arbitrium Abbatissæ, scilicet, quoties ipsi visum fuerit causam non ieiunandi adesse: vel, si Monialibus præceptum imponatur obediendi Abbatissæ præcipienti aliquid in tali casu ad spiritualem finem pertinente. Qua de re agit Sanchez in Summa lib. 6. Moralium c. 1. n. 17. Sotus in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. Rodriguez tomo. 1. Regularium q. 12. art. 2. & q. 15. art. 1. Accedit, quod Abbatissæ non Iure ordinario, sed ex concessione Pontificiâ solent instituere Clericos in Ecclesijs ad Monasterium suum pertinentibus, & legi potest abbas Panormit. in citatum c. Dilecta n. 5. de maiorit. obedient. Syluest. verb. Abbatissa, q. 2. Garzias de beneficijs p. 1. c. 2. n. 33. & p. 5. c. 1. n. 622. Victoria Relectione 2. de potest. Eccles. q. 2. n. 5. in fine.

128. Verùm speciatim & expressè quod attinet ad Censuras, illam potestatem posse fœminis à Papa communicari, probabiliter satis docuerũt Sayrus lib. 1. c. 5. & Filiucius Tract. 11. c. 2. quæsito 8. quos refert & sequitur Gaspar Hurtado in suo Tract. de Censuris, in communi, difficult. 4. n. 13. in fine & alij supra citati & apud Dianam loco notato, inter quos Cardinalis Lugo; atque hoc intellige de plenitudine potestatis Pontificiæ. Idemque iudicant de merè laico, & Clerico coniugato, etiam bigamo, imò & de non baptizato; quod probant satis probabili fundamento; quia, si quam incapacitatem habent, eam habent ex solo Iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest, & ideò iuxta hanc sententiam quilibet ordinarius ex Papæ dispensatione potest suam Iurisdictionem delegare omnibus prædictis. Atque hoc est quod tandem concedit Layman, dum loco citato n. 4. in fine, cùm dixisset duplicem esse clauem, Ordinis, & Iurisdictionis, subdit illius incapax omnino est mulier secundum Christi institutionem, huius autem capax esse potest saltem ex commissione, & quoad exercitium, sicuti & merè Laicus capax est; cùm tamen Apostolorum successor censeri non debeat &c. interim fatemur nec Christum, nec Ecclesiam vnquàm huiusmodi potestatem mulieri concessisse; idque probari potest ex c. nouâ de pœnit. & remiss. non autem quòd Iuri Diuino absolutè repugnet. Quæ doctrina probabilissima est, & multi probabilem iudicant, aut veram. Vnde (vt notaui loco citato de Sacramentis) si verum esset, quòd minores ordines solùm sint de Iure Ecclesiastico, idem de illis esset dicendum, sed oppositum est verius vt ibi diximus.

Sententia Suarij magis placet Authori.

129. Verum loquendo de facto rationabili, mihi absolutè magis placet Sententia Suarij, quam non solùm disp. 2. de Censuris, lect. 2. n. 5. explicat, sed iterum repetens eandem doctrinam, paulò aliter docet tomo. 4. de Religione lib. 2. c. 9. a. n. 10. vsque ad finem capitis. vbi tandem postquàm explicuit aliquos actus Iurisdictionis, qui conferri possunt, aut etiam conferuntur Abbatissis, quãdo iurisdictio non datur ad actus proprios spirituales, sed ad alios temporales, vel corporales, quatenùs in personâ Ecclesiasticâ versari possunt, concludit. n. 14. his verbis. Quando actus est propriè spiritualis, existimo nunquàm dari huiusmodi personis propriam Iurisdictionem ad illos efficiendos; sed ad summum concedi actum aliquem, qui sit veluti conditio, ad cuius præsentiam id, quod spirituale est, fit ab Ecclesiastico Prælato, ad cuius potestatẽ spectat.

Excm-

Exemplum pro sententia Suarij

Exemplum est in facultate eligendi Confessorem, quæ datur pœnitenti; non enim illi tribuitur potestas dandi alteri Iurisdictionem, sed designandi personam, cui statim Pontifex dat Iurisdictionem. Ita ergo cum dicitur, Abbatissam posse conferre beneficium, aut habere ius instituendi, & similia, intelligendum existimo (inquit Suarius) quoad actum præsentandi, seu designandi Clericum, cui beneficium, seu Iurisdictio Ecclesiastica conferatur; nam dare hanc Iurisdictionem, vel beneficium, quoad Ius spirituale, quod includit, est actus Clauium, quarum potestas fœminis non communicatur iuxta c. *Noua de pœnit. & remiss.* Aliquando verò hæc præsentatio fit homini v.g. Episcopo, vt ab eo collatio, & institutio fiat, vt in *c. ea noscitur de ijs, quæ fiunt à Prælatis sine* &c. Aliquando verò fieri potest absoluta per simplicem designationem, & quasi electionem, vt ipso facto beneficium, & spirituale Ius à Pontifice conferatur; atque eàdem ratione potest interdum Abbatissa dare possessionem beneficij, quia ille in rigore non est actus propriæ Iurisdictionis spiritualis in ipso exequutore; tunc autem Abbatissa solùm se habet tamquam is, cui delegatur exequutio: & eodem modo potest dare titulum, id est testimonium beneficij alteri collati; non à se, sed à Pontifice ad suam nominationem. Eodem ergo modo possunt è contrario priuare beneficijs, vel possessione eorum in pœnam, si hoc eis speciali priuilegio concessum sit; quia tunc etiam non exercent propriè Iurisdictionem spiritualem; sed ad voluntatem earum Pontifex est qui suspendit influxum, seu aufert Iurisdictionem spiritualem. Hæc Suarius.

Possunt Abbatissæ indirectè Excommunicare non directè

130. Ex quâ doctrinâ n. 15. concedit posse etiam Abbatissas excommunicare; non directè, & per spirituale vinculum id faciendo, sed designando personam, quam Pontifex statim liget ad declarationem, seu voluntatem Abbatissæ; neque in hoc putat inueniri repugnantiam, nec excedere potestatem Pontificis; regulariter autem hoc non putat concedi, fortasse propter periculum abutendi Censuris, vellent enim suo iudicio illas imponere; vel auferre, quod non potest esse conueniens. Aliquando autem concedi solet Abbatissis, vt per officiales suos possint excommunicare, tunc autem ipsi officiales non accipiunt potestatem excommunicandi ab ipsis; sed à summo Pontifice ad mandatum, seu designationem Abbatissæ, sicut dici etiam potest de Conseruatoribus Iudicibus; eliguntur enim à Religiosis per sua priuilegia; Iurisdictio autem eis datur à Summo Pontifice. Denique eodem modo de alijs Censuris, suspensionis, & Interdicti iudicandum est, & docet expressè Abbas Panormitanus citatus ab eodem Suario, quamuis latiùs loquendo de his (inquit Suarius) prout solùm significant prohibitionem aliquam, possit interdum per huiusmodi Abbatissas fieri; vt supponitur in dicto capite *Dilecta* & dixi in Materiâ de Censuris. Hactenus Suarius. Quæ doctrina mihi placet. Et quidem si talis modus sufficit ad obtinendum finem intentum, non video causam quæ cogat asserere Christum reliquisse eam potestatem dandi Iurisdictionem & potestatem prædictis personis. Nam quamuis supposito illo principio, quòd tota hæc incapacitas Iurisdictionis (etiam ad Censuras) sit potiùs de Iure positiuo, satis probabilis mihi videatur, vt notabam de plenitudine potestatis, posse Pontificem hanc iurisdictionem prædictis conferre; tamen non video posse occurrere causam eam sic conferendi, cùm quantùm ad effectum, si dicamus eo modo quo ex Suario nunc explicuimus id fieri, possint Censuræ suũ effectum habere, sicut & alij actus Iurisdictionis, prouenicndo scilicèt non ab ipsâ Abbatissâ, sed à Pontifice; seu Prælato iuxta voluntatem, seu designationem Abbatissæ. Quòd si nulla causa ad id possit occurrere, nulla ratio cogit efficaciter admittere talem potestatem à Christo datam ad id; certè non esset in ædificationem, & posset esse in destructionem saltem prudentis dispositionis talem potestatem exercere. Cur ergo etiam in moralibus, moralem potestatem agnoscemus, cui repugnet in actum ad ædificationem prodire, & sufficiat indirectus modus iam explicatus. Atque eodem modo possumus explicare potestatem indirectã ferendi Censuras, quæ rectè potest reperiri aliquando in hominibus non Clericis, etiam primæ Tonsuræ. Qua ratione olim Præfecti Monasteriorum, licèt essent Laici, poterant suspendere, & excommunicare, nam de Excommunicatione sæpe fit mentio in Regula Sancti Benedicti, vt patet ex Reg. 23. *& seq. q. vsque ad Reg.* 28. suspensionis autem meminit Cassianus *lib.* 4. *Instit. c.* 20. Quæ omnia non est cur prædictis concedamus ab ipsis fieri per Iurisdictionem propriè, & directè concessam, sed a Pontifice, vel Prælato fieri ad designationem, & voluntatem prædictorum, sicut de Abbatissis dictum est.

131. Atque hunc modum non solùm summum Pontificem, sed alios etiam Prælatos posse exercere (saluo meliori iudicio) non videtur improbabile, quia cùm nec fœminæ, nec Laici in eo casu exerceant propriè Iurisdictionem; sed ad voluntatem, vel designationem illorum Prælatus exerceat, non videtur ex se repugnare, nisi aliqua sit prohibitio Iuris positiui, quam mihi vidisse non contingit.

Communis opinio Doctorum est Laicos etiam Tonsurâ carentes, non esse Iure Diuino incapaces huius Iurisdictionis fori exterioris sed tantum Iure Ecclesiastico.

132. Sanè de Laicis omni ordine etiam Tonsurâ carentibus communis Doctorum sententia est, non esse ex Iure Diuino incapaces huius Iurisdictionis fori exterioris ex; Iure tamen Ecclesiastico esse incapaces, ac proinde posse Põtificem delegare illis talem Iurisdictionem, cæteros verò non posse, quia non habent potestatem dispensandi in Iure Canonico, in quo id prohibitum est, probantque Auctores ex *c. 1. 69. dist.* & ex *c. Ecclesia de Constit.* & ex *c. 2. de Iudicijs.* In quibus generaliter dicitur non posse Laicos Ecclesiastica tractare negotia, aut iudicia maximè spiritualia; sed censuræ sunt negotia Ecclesiastica: ergo &c. & quamuis Suarius *lect.* 2. *n.* 9. dicat hæc decreta nihil ad rem facere, quia non assignant quid Iurisdictionis Pastores Ecclesiæ possint committere Laicis, sed quid ipsi Laici ex se, vel ex suis dominijs habeant: nihilominus ipse Suarius à communi sententiã non recedit, Probaturque satis ex *c. Indicatum*

89. *dist.* vbi ex *Epist.* 66. D. Gregorij dicitur cauendum esse, nec res, & officia Ecclesiastica commutantur Laicis. Quæ generalis admonitio habetur in multis decretis. 16. q. 17. sed præcipuè probatur ex *c. Sanè de Clerico coniugato.* Vbi Alex. 3. expressis verbis præcipit, ne deinceps Clericus coniugatus ad Ecclesiastica beneficia, vel ad Sacros Ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittatur. Ex quo à fortiori colligitur alios Laicos non Clericos multò minus esse admittendos.

133. Atque ex communi sententiâ prædictâ lex non solùm prohibet, sed incapacem etiam facit Iurisdictionis. Vnde etiamsi Prælatus aliquis tentet Laico delegare Iurisdictionem, irrita erit, & inanis talis delegatio, vt fatetur Suarius *supra n.* 12.

Nulla consuetudine quantumuis diuturnâ potest hæc potestas præscribi a Laico.

134. Ex quo fit, vt nullâ, quantumuis diuturnâ consuetudine possit hæc potestas acquiri, seu præscribi à Laico, vt notauit Abbas *in c. Cùm tanto n.* 15. *de consuetudinib.* Vbi alijs Iuribus & rationibus id confirmat. Et quidem ad præscribendam iurisdictionem requiritur capacitas in subiecto, vt in nostro opere de *Iustitia cæterisque virtutibus*, agentes de præscriptione Iurisdictionis diximus.

Ex traditâ doctrinâ Colligitur. 1.

135. Ex traditâ doctrinâ habemus dum Parochus vel Confessarius prudenter iniungit pœnitentiam, quâ priuat ad tempus communione, aut suspendit pœnitentem sacerdotem à Missæ celebratione, aut ab auditione Confessionum, vel interdicit ab ingressu monasterij, seu Ecclesiæ alicuius, non esse propriè Censuram, cùm non habeat Iurisdictionem in foro contentioso, ideò licet pœnitens violet eam iustam prohibitionem, & peccet, non fit Irregularis. Ita Henriq. *lib.* 33 *de excommun. c.* 24. *n.* 13.

Colligitur 2.

136. Colligitur etiam ex dictis eum, qui excommunicat, aut aliam Censuram fert, non habens ad id potestatem, mortaliter peccare, & irritam esse Censuram; est enim vsurpare alienam Iurisdictionem in re graui. Ita Nauarrus *c.* 27. *n.* 8. & Auila *p.* 2. *c.* 3. *disp.* 1. *dub.* 1. *in fine.*

Quæret aliquis circa Secundam assertionem.

137. Quæret tamen aliquis circa secundam assertionem, an delegatus possit Censuras ferre factâ reuocatione delegationis à delegante?

Resp.

138. Respondetur postquàm ad eum peruenit notitia reuocationis non posse: quod si tentet, nihil faciet, quia deest ei Iurisdictio: si tamen Censuram ferat, antequàm ad eum notitia reuocationis perueniat, non peccat, valetque Censura. Idque probatur ex c. *Audit is* & c. *Mandato* de *Procuratoribus* idque magis constat ex c. *Debitus honor* de *Appellationibus* Limitat verò Syluest. *Excommunicatio* 1. n. 6. & Abbas Panormit. c. *Audita* de *restit. spoliatorum* nisi delegans intendat per reuocationem sic auferre potestatem ex tunc tali delegato, vt quidquid fecerit ex tunc, irritum sit, & inane. Verùm hæc intentio sola non videtur sufficere; nisi id verbis, aut alijs exterioribus signis manifestet.

DVBITATIO VII.

An affectus Censurâ possit ferre Censuras? & an quis possit eas ferre in se ipsum, vel in æqualem sibi? vel Suspensionem.

Circa Primum Asserendum affectum excommunicatione maiori vel suspensione notoria non posse validè ferre Censuram.

139. Circa primum asserendum est, si excommunicatio maior, vel suspensio est notoria, vel publicè denuntiata, non potest licitè, nec validè Censuram ferre. Si tamen excommunicatio illius, aut suspensio sit occulta Ecclesiæ etiamsi sit sibi nota, quantumuis peccet vtendo suâ Iurisdictione in eo statu, valida erit Censura ab ipso lata. Addendum est 1. etiamsi sit notoria excommunicatio, si tamen non est denuntiatus; sed toleratus, valere ab eo latam Censuram. Legatur Henriquez *c.* 24. *n.* 4. *lib.* 13. de *Excommunicatione.* Addendum est 2. omnem illum, qui auctoritate veri superioris introductus est in officium Prælati, aut Iudicis, falso quidem titulo re ipsâ; communi tamen errore vulgi existimato vero, validè exercere omnes actus Iurisdictionis pertinentis ad suum officium; quia in his casibus Ecclesia propter commune bonum confert illi iurisdictionem, vt habetur *c. nihil* de *electione*, & *c. ad Probandum* de *sententiâ, & re iudicata*, & *L. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Sepissimè ab Auctoribus pro hac re in medium producta; estque communis sententia vtriusque Iuris peritorum ad prædictos Textus, & alij consentirent quos Diana refert 5. par Tract. 9 Resol. 50. & quidē de excommunicato tolerato tamquam probabile docent Diana cum Gutierrez & Couinc quos refert eodem *Tract. resol.* 135. & eodem modo se habere post Concilium Constantiense hunc atque excommunicatum occultum & habitum pro non excommunicata, quantum ad valorum actuum Iudicialium quorum valorem ob commune bonum supplet Ecclesia.

Nemo in se ipsum sibi æqualem vel superiorem Censuram ferre potest. Ratio est

140. Circa 2. in quo quærimus an quis possit censuram ferre in se ipsum, vel in æqualem, vel superiorem? absolutè asserendum est non posse. Colligitur ex *c. à nobis* de *Sententia Excom* & ex c. *cum inferior.* de *maiorit. & obed.* & c *Inferior* 21. dist. Ratio est, quia potestas coactiua, qualis est potestas ferendi Censuras, non operatur; nisi in subditum; nemo autem est sibi ipsi subditus propriè loquendo, nec æqualis est subditus alteri æquali multoque minùs inferiori. Vnde dicitur *par imparem non habet imperium*, docentque Doctores communiter *in c. Quoties* 1. *q.* 7. Legatur Suarius *disp.* 1. *sect.* 4. *vers. Secunda* & *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 28. Reginald. *n.* 140. Henriquez *lib.* 13. *c.* 25. *n.* 3. Nauarrus *c.* 27. *n.* 6. *in fine* Diana & apud ipsum alij. part. 5. Tract. 9. Resol. 51 & 52. & ipse Diana ex Megala docet ibidem neque Inquisitores posse ferre in Episcopos Censuram, id enim ipsis prohibitum est neque Episcopos in Inquisitores, quia sunt officiales Pontificis. Simul tamen affert Canterà in *qq. Cardinalibus*, qui testatur inquisitorem Conchensem excommunicasse Episcopum illius Ciuitatis, quod ego non facilè credo; nisi interuenerit facultas

Pon-

Pontificia, præsertim cùm officium Inquisitoris seclusâ speciali dispositione Pontificia sit quasi inuisceratum in officio & dignitate Episcopali, & inquisitores teneantur etiam vocare pro ferenda sententia ordinarium, sed quidquid sit de ijs omnibus, si Papa dedit potestatem vel specialem vel generalem poterunt; secus sine illâ. Cum neque in grauioribus causis etiam Concilium nationale possit liberè punire Episcopum, nisi suffultum Apostolicâ auctoritate. Vide Dianam 4. *par tract.* 8. *Resol.* 21. *vbi de potest. Inquisitorum* erga Episcopum etiam titularem tantum agit.

Objicies 1. 141. Objicies tamen primò, si Episcopus communicet cum excommunicatis à se ipso incurrit minorem excommunicationem; si verò communicet in crimine criminoso cum excommunicato à se incurrit eamdem cum illo Excõmunicationem: ergo incurrit excommunicationem à se latam. Legantur quæ dicemus *disp.* 2. *dub.* 37.

Resp. 142. Respondetur concedendo vtrumque antecedens, & negando consequentiam; nam illæ excommunicationes, quas in prædictis, casibus incurrit Episcopus à Summis Pontificibus latæ sunt; vtraque enim habetur in Decretis, Pontificum quamuis occasione Censuræ à se latæ incurrat illas. Quòd si Episcopus excommunicet aliquem v.g. furem cum suis auxiliantibus, non incurrit licèt ipse fuerit auxilians, vt docet Henriquez *suprà*.

Objicies 2. 143. Objicies 2. si Papa præcipiat Parocho, vt intimet excommunicationem contra omnes, qui fecerint tale delictum: tunc si Episcopus, vel ipse Parochus illud committat, incurrit: ergo in se ipsum, vel in superiorem potest Parochus excommunicationem ferre.

Resp. 144. Respondetur cum Nauarro suprà concedendo antecedens negando consequentiam, quia in eo casu Parochus non fert excommunicationẽ; sed illam tantùm intimat, & denuntiat, ipse verò papa illam fert. Quòd si Parocho daret Papa facultatem, vt ipse Parochus imponeret excommunicationem contra patrantes aliquod delictum, eamque generaliter Parochus imponeret, etiamsi ipse tale delictum committere non incurreret excommunicationem.

Objicies 3. 145. Objicies 3. simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ excommunicare Episcopũ vel Patriarcham, vt colligitur ex suprà citato *c. A nobis*, in illis verbis *nisi fortè plus contulerit largior auctoritas delegantis* ergo inferior potest in superiorem.

Resp. 146. Respondetur negando consequentiam, quia iam per commissionem maiorem superioris fit ille Sacerdos saltèm in eâ re superior Episcopo, vel Patriarchæ.

Objicies 4. 147. Objicies 4. concedere Indulgentias est actus Iurisdictionis, vt in *proprio Tract.* 9. *disp.* 2. *dub.* 2. dictum est, & tamen potest quis sibi ipsi Indulgentiam concedere, vt *in eâdem disp.* diximus: ergo & excommunicare se ipsum.

Resp. 148. Respondetur concedere Indulgentias non esse actum Iurisdictionis coactiuæ, sicut est ferre Censuram; atque in eo sita est vis nostri argumenti suprà facti. Quòd scilicèt nemo possit exercere potestatem coactiuam; nisi circa subditos. Alij respondent Papam, aut conferentem Indulgẽtias non illas conferre sibi per modum absolutionis, nec imperij, sed per modum solutionis, atque hoc non esse actum Iurisdictionis erga illum, cui conceduntur. Verùm tamen an, & quâ ratione possit conferens Indulgentias frui illis à se collatis, non solùm generali collatione participando Indulgentijs cõmunitatis ab ipso concessis; sed directè etiam, & primario sibi solitariè diximus *disp. citata dub. illa* 2. *quæsito* 10. n. 55. & seqq.

149. Objicies 5. in foro pœnitentiæ potest quis per commissionem absoluere sibi æqualem, vel superiorem etiam ipsum, à quo accepit potestatem Iurisdictionis, vt patet in Confessario, quem Papa eligit sibi ipsi, & etiam est probabile, quòd Confessarius Episcopi potest in Episcopum, quidquid Episcopus potest in subditos. Ergo etiam æqualis, vel inferior poterit excommunicare æqualem, vel superiorem. *Objicies 5.*

150. Respondent aliqui diuersam esse rationem de foro interiori cõscientiæ, & de exteriori; nam in interiori exercetur actus in ordine ad Deum, & nomine Dei, cui quilibet homo est inferior, ac proinde per peccatum confitendo illud fit inferior alteri homini, tanquàm ministro Dei: at verò Censuræ pertinent ad forum externùs & in ordine ad ipsos homines, quibus Prælatus & superior; & ideò in foro exteriori non subijcitur inferioris iudicio.

151. Aliter, & meliùs respondetur iuxta doctrinam à nobis traditam *Tract.* 1. *de Pœnitentia* disp. 10. dub. 3. duplicem esse opinionem probabilem, alteram, quæ dicit in ordinatione Sacerdotis conferri à Christo Iurisdictionem, & à Pontifica, seu Superiore solùm designari materiam, circa quam actiuam illam iurisdictionem, & potestatem exerceat; & iuxta hanc sententiam dicendum est, Pontificem, eligendo sibi Confessarium, non tribuere illi Iurisdictionẽ, sed hanc à Christo in ordinatione collatam perficere, & complere se ipsum illi Confessario submittendo, seque subditum in eo foro designando ex generali potestate, quam habet designandi subditos, sacerdotibus. *Meliùs respõdetur iuxta duplicẽ opinionem probabilem de Iurisdictione sacerdotis iuxta Primam dicendum.*

152. Iuxta secundam verò sententiam, quæ negat propriè in ordinatione concedi iurisdictionem; sed potestatem ordinis distingui à potestate Iurisdictionis, & hanc à superiore concedendam esse, iuxta hanc (inquam) opinionem dicendum est actum Iurisdictionis, qui exercetur immediatè nomine Dei posse hominem ratione sui muneris subeundo diuersam personam in se ipsum exercere, maximè quando non agitur de Iurisdictione coactiuâ, sed liberâ, qualis est ea, quâ Pontifex, tanquàm priuatus homo, suo Confessario in foro confessionis se subijcit, idque præstat tanquam Vicarius Christi, eius personam immediatè sustinens, eâque ratione habens iurisdictionem in omnes Christi fideles; ac proinde aliquo modo & quasi indirectè in se ipsum, secundum quod est etiam ouis gregis Christi, & secundum, quod est necessarium, vt possit frui communibus pascuis; eâque ratione censeri debet collata potestas summo pastori Pontifici submittendi se suo Confessario, & *Iuxta secundam sententiam dicendum est.*

idem

idem potest suo modo dici de Episcopo, quamuis de hoc etiam dici possit Confessarium eo ipso, quòd sit electus ab ipso Episcopo, concurrentibus requisitis habere potestatem à Romano Pontifice a quo immediatè accipit Iurisdictionem.

153. Ex quo patet diuersam esse rationem de censuris quarum latio est actus Iurisdictionis coactiuæ, & in foro externo, non sacramentali, & in ordine ad externam gubernationem, & regimen Ecclesiæ, in ordine ad quam inferior, vel æqualis non habet Iurisdictionem, & potestatem in superiorem, vel in æqualem.

Obijcies 6. 154. Obijcies 6. Paulus *Ad Galat.* excommunicauit Angelum, imò & se ipsum, dicens; *Si nos, aut Angelus de Cælo Euangelizauerit vobis aliter, quàm Euangelizatum est à me, anathema sit.* Sed Angelus erat maior Paulo; ergo iam in se ipsum, vel in maiorem potest quis ferre Censuram.

Resp. 155. Respondetur facilè cum Richardo *in* 4. *dist.* 18. *art.* 5. *q.* 1. ibi *anathema* non significare excommunicationem; sed vehementem quandam maledictionem, vel execrationem.

Obijcies 7. 156. Obijcies 7. c. *Feliciùs* de *Pænit. dist.* 1. vbi dicitur: *faciliùs Deum placabunt qui se ipsos excommunicabunt.*

Resp. 157. Respondetur, ibi excommunicare accipi pro redarguere & remouere ita, vt sensus sit Deum faciliùs placandum, si delinquens se ipsum redarguat, vel ab altari remoueat.

158. Eodem ferè modo responderi potest ad *c. nunc autem dist.* 27. vbi dicitur *tuo ore iudica causam tuam, &, ex ore tuo condemnaberis.* Id enim intelligendum est siue Papatum deponendo, & sic de submittendo se iudicio Concilij, vel certè voluntariè subeundo pœnam aliquam; locus enim ille est Nicolai Papæ referentis celebrem illum casũ Marcellini Papæ, qui postea Martyr effectus fuit; priùs autem adoleuerat incensum Dijs, & pœnitentiâ ductus, venit ad Concilium, vbi confessus peccatum suum, se volebat submittere iudicio Concilij; quod tamen illi non ausi sunt præstare. Hoc tamen nihil ad rem nostram, neque enim ibi exercuit actum iudicialem fori externi in se ipsum, qualis est actus ferendi Censuras, de quo nunc agimus.

Addendum est Censurã latam ab aliquo prælato in propriâ causâ esse nullam. 159. Tandem addendum est quamcumque Censurã latã ab aliquo Prælato in propriâ causâ esse nullum; nisi esset per modũ iustæ defensionis contra inherentem sibi vim. Quod expressè tradit Gregorius *in c. inter querelas* 23. q. 4. vbi Glossa optimam reddit rationem, quia nemo permittitur esse iudex in propriâ causâ, vt docet Fabianus Papa *c.* 1. 4. *q.* 4. & quia (vt rectè notat Suarius *dist.* 2. *sect.* 4. *n.* 7.) contra Ius naturæ est, vt aliquis simul sit actor & Iudex; esset enim magna inæqualitas, & alteri parti iniuria fieret. Quòd autem ratione defensionis iusta contra inferentem vim possit Prælatus ferre Censuram, tradit Innocentius IV. *c. Dilecto de sent. excommunic. in* 6. ex illo naturali principio quod *vim vi repellere licèt.* Ad quam defensionem potest vti armis sibi proprijs, qualis est potestas Ecclesiastica in Ecclesiæ Principe. Vide etiam Dianam 5. part. *Tract.* 9. Resol. 52. affert Abbatum docentem etiam posse par modum Iudicij casu quo causa ita esset manifesta vt negari non possit. Idem docet Marcerus apud eundem Dianam.

DVBITATIO VIII.

An Censura per metum lata valida sit?

Multi docent Censuram per metum latam esse nullam. Probant. 160. Nonnulli volunt Censuram per metum latam esse nullam, quia potestas ligandi semper est coniuncta cum potestate absoluendi, & (vt dicitur in *c. verbum* de *Pænit.* dist. 1.) qui soluẽdi Ius non habet, nec ligandi habet, sed absolutio à Censurá metu extorta est nulla ex *c. vnico de his, quæ vi, metusue causâ fiunt in* 6. ergo, & Censura metu lata est nulla.

Confir. 161. Confirmatur nam Iura in fauorabilibus amplianda sunt, & in odiosis restringẽda. Si ergo absolutio, quæ fauorabilis est, Iure irrita fit ratione metus, & violentiæ, multò magis idem censendũ erit de ipsâ Censurâ, quæ odiosa est.

Asserendum Censuram metu graui latam esse validam. Ita Suares 162. Assero nihilominùs censuram metu, etiam graui, seu cadenti in constantem virum latam esse validam. Ita Suarius *dist.* 2. *sect.* 5. cum quibusdam Glossis, contra Vgolinum, Tabula 1. c. 2. §. 4. & alij apud eundem Vgolinum. Conine disp. 13. dub. 5. Abbas, Panorm. apud eundẽ Suarium, Diana p. 5. Tract. 9. Resol. 69. cum pluribus contra alios quos refert & eorum sententiam putat probabilem imò nostram solã appellat non minùs probabilem. Ratio nostra est quia Iure naturæ sufficit illud voluntarium mixtum, quod est simpliciter voluntarium, vt actus validus sit; Iure autem positiuo tantùm fit irrita absolutio per metum extorta, non autem illatio Censuræ, nec est efficax argumentum à simili in ijs, quæ pendent à Iure positiuo præsertim, quia multa potuerunt mouere Pontificem ad irritandam absolutionem metu extortam, non verò lationem Censuræ; atque inter alia mouere potuit quòd sit fauor Ecclesiasticæ potestatis quòd absolutio metu extorta sit irrita, & fuit moraliter necessarium eam irritare, vt Pastores Ecclesiæ ab his vexationibus, quæ frequenter accidunt, essent immunes. *Iure positiuo tantum fit irrita absolutio per metum extorta non autem illatio Censuræ.* Quòd verò Censura metu illata sit irrita, non est fauor ecclesiasticæ potestatis; sed eius, in quem fertur, & rarò extorquetur. Quod si aliquando id accidat facilè potest reuocari. Porrò, quod metu lata non sit inualida Iure naturæ; ex eo probant communiter Auctores, quia gesta per metum Iure naturæ valida sunt, sicut contractus iuxta magis communem sententiam. *Quod Censuræ metu lata non sit inualida iure naturæ probant Auctores.* Quâ de re egimùs in nostro opere de Iustitiâ agentes de contractibus in genere, & absolutè metus non tollit inuoluntarium simpliciter. Vnde quòd sufficit ad contrahendum sufficit ad ferendam Censuram. & communiter dici solet gesta per metum regulariter loquendo esse valida *L. si mulier.* §. *si metu ff. de eo quod metus causâ.* Quòd si contractus metu initus aliquis est inualidus, id Iure Naturæ pleriqne non putant esse, sed ex mero Iure positiuo. De hoc tamen suo loco satis diximus. Legantur quæ dicemus *disp.* 3. *dub.* 33, vbi assignabimus disparitatem inter ferendam, & absoluendam Censuram cum pluribus Authoribus.

DVBI-

DVBITATIO IX.

Quis possit Censuras ferre duraturas post ferentis mortem.

Censura aliquando fertur a Iure de se Perpetua. Aliquando ab homine per modum praecepto

163. ALiqoando ferri solet censura â Iure, seu statuto; quæ de se perpetua est, quamdiù non abrogatur à Superiote, vel ab æquali, scilicèt à successore, vel per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam. Aliquando verò fertur Censura ab homine per modum sententiæ, aut præcepti, quæ expirat cum ipso Auctore; hanc diuisionem communiter tradunt Doctores in excommunicatione. Est autem eadem ratio de suspensione, ut notat Abbas *in c. vltimam de Clerico ex communi Ministr. n* 4. Caietanus, Syluest. & alij Summistæ verbo *Suspensio*, & idem etiam est de Interdicto, vt notat Calderinus *Tract. de Interdicto 1.p.* & Suarius *disp. 3. sect. 1.n.2.* quamuis hæc Censura ratiùs, vt ait Suarius, videatur ipso Iure ferri. Censura quidem à Iure est perpetua, & semper ligat eos, qui contra faciunt. Censura verò ab homine non ligat eos, qui post eius finitam Iurisdictionem transgrediuntur. Legatur Nauarrus *c.* 27. *n.2.* Suarius *citatâ disp. 3. sect.4.a n.*10. qui ait hoc esse verum, etiamsi Censura per sententiam generalem pro futuris culpis lata sit. Quæ communis est sententia Canonistarum cū Glossa *in c. A nobis vers. non nisi de sententia excōmunicationis*, Tabiena *excommunic.2.n.*10. Nauarrus *c. Placuit de pœnit. dist.6. n.35.& 161.* Vgolinus *Tabula.1.c.2.§.2.& c.9.§.4.* Horum autem rationem impugnat Suarius, & ipse id probat ex ipso vsu, & consuetudine, quæ vim habet legis, Fundatique potest in ipso Iure, quia mandatum expirat morte mandantis c. *Relatum* c. *licet*. c. *gratum*, de *officio deleg.* & *L. Mandatum* c. *Mandati* & §. *rectè*. Instituta eodem titulo. Nec solum expirat morte mandantis; sed etiam quocumque modo cesset mandantis Iurisdictio pro eo tempore sententia non habet vim. Vnde, si sententia fuit conditionata, si intra mensem non restitueris, & cum completur illud tempus, Iudex mortuus est, vel ab officio amotus, non incurris. Si verò erat suspensus, aut excommunicatus pro eo quidem tempore non contrahis; sed posteà ablatâ à Iudice suspensione, aut excommunicatione, si perseueres in non restituendo, incurres. Si verò Iudex tulit excommunicationis sententiam; si v.g homicidium, vel periurium commiseris & peierasti, vel occidisti tempore quo Iudex est suspensus, non contraxisti tunc, quia tunc inhabilis erat Iudex; nec posteà, etiamsi ablata sit Iudicis suspensio, quia conditio solùm pendebat ex illo actu, & ex illo puncto temporis, quo deliquisti, & posteà nulla fuit noua contumacia. Ita Suarius *Suprà n.* 15. Auila *p.2. c.1. disp. 2, dub.1.§. Tertio diuiditur*, adiunctis ijs, quæ *dicit c.3. disp.1. dub.4.* Quos Auctores sequuntur. Alij Recentiores, si verò semel contraxisti excommunicationem ex vi sententiæ Iudicis: tunc etiamsi Iudex moriatur, vel amoueatur, ligatus manes, quousque absolueris, quia semel contracta Censura non pendet à Iudice in conseruari, vt habetur *c. Pastoralis §. t. de officio ordinarij* & c. vnico *de Maiorit & obed. in* 6. Ita Suarius suprà n. 16. cum alijs, quos refert, & suprà retulimus. Iam verò ad quæstionem propositam respondeamus.

Censura a Iure est perpetua & semper ligat eos qui contra faciunt. Censura ab homine ligat eos qui post eius finitam iurisdictionē transgrediuntur.

Ratio.

Asserendum

164. Asserendumque in primis est Summum Pontificem, & Concilium generale posse ferre Censuras à Iure per modum legis pro toto orbe, vt condendo legem, ne hoc vel illud fiat sub censurâ latæ sententiæ. Deinde Episcopi, & Concilia, Prouincialia, seu Synodalia possunt Censuras ferre sub eàdem forma, quæ obligent in suis diœcesibus, condendo scilicèt Constitutiones, quæ, non tàm leges, quàm statuta dicuntur, & durant donec per alium reuocentur, vel per superiorem (etiam mortuo, vel amoto conditore) siue id sit, quia à Christo Domino, & ex Iure Diuino Iurisdictionem acceperint, vt aliqui volunt; siue (vt alij putant) quia à summo Pontifice talem Iurisdictionem acceperunt cōdendi scilicèt leges Synodicas, & diœcesanas.

Episcopus extra Synodum habet potestatem ferendi censuras,

165. Quamuis autem Glossa in *c. Si quis* de *maiorit* & *obed.* & Syluest. *suprà.* & *verbo* Excom*municatio* 1. *n.* 5. putent hanc potestatem conuenire Episcopo solùm in Synodo suorum Parochorum, hoc tamen (vt rectè notat Vasquez 1.2. *disp.153.c.1.n.4*) nullo Iure probatur, atque adeò etiam extra Synodum videtur habere talem potestatem. In quo etiam consentit Suarius *lib.4. de legibus c.5.n.1.& 2.* Vbi probat Episcopum posse sine capitulo, aut Clero statuta facere, prætetquàm in casibus in Iure expressis, vel in rebus, quæ possunt vergere in præiudicium capituli, vel cleri, quia Papa potest illi limitare, & restringere potestatem.

Eamdem potestatē cōcessit pontifex legatis Apostolicis in prouinciâ suæ legationis.

166. Deinde eandem potestatem concessit Pontifex legatis sedis Apostolicæ in Prouinciâ suæ Legationis, vt notant Sylvest. & Vasquez locis citatis, & habetur c. *vltimo de officio Legati* & *c. ex rescripto. de locato. & conducto.* Eamdem potestatem condendi statuta perpetua, seu constitutiones concessit Pontifex superioribus Religionum in congregatione, seu Capitulo generali, vt apertè constat ex priuilegijs, & tradit Vasquez *suprà.n.* 6. alij autem Prælati omnes nequeunt condere leges, aut statuta atque eorum præcepta, & censuræ ab eis positæ, etiam in scriptis expirant & cessant mortuo, vel amoto ab officio earum Auctore vt post Syluestrum, & Vasquez tradit Auila *Tract. de Censuris p.2.c.3. disp. 1. dub.4.* sunt enim (ait Vasquez *disp.152.c.3.*) similes Dynastis in quolibet Regno scilicet Marchionibus. Comitibus &c. qui licet sint Præfecti Prouinciarum, & suis subditis præcepta imponere possint, leges tamen, aut statuta ferre non possunt, nisi specialiter id alicui concederetur à Rege; sed legibus communibus Regni gubernare debent suas Prouincias. Quòd si in aliquâ Communitate statutum sit, vt mandata superiorum non expirent sed etiam illo amoto vel mortuo, aut aliter cessante Iurisdictione illorum, perseuerent, id non erit virtute mandantis, & non iam subsistentis; sed virtute talis legis aut statuti sic statuentis. Ideò in nostrâ Societate statutum fuit, olim quidem, vt mandata Generalis Præpositi non cessarent illo defuncto. Posteà verò in Congregatione Generali 9.

Item Superioribus Religionum in capitulo generali.

Decreto

decreto 12. id ipsum extensum fuit ad præcepta aliorum superiorum. Verum autem id ipsum de Censurâ intelligendum sit; vellem esse clarè decisum. Id interim videò in ipsâ Censurâ essentialiter involui plura præcepta, vt ex se patet in excommunicatione, vi cuius prohibetur celebrare & ministrare Sacramenta &c. videntur ergo manere talia præcepta; sed hoc intelligendum est semel incursâ censurâ ob transgressionem præcepti primarij. Verùm autem hoc præceptum primarium ob quod fuit imposita censura non solùm ipsum in se cum suâ pœnâ maneat, ita, vt si postquàm cessauit superioris iurisdictio, non tantùm præceptum perseueret, sed etiam censura, quam incurrat qui contra illud peccet non videtur sufficienter declaratum. Multum autem refert id scire. Nam, si incurratur censura, & sub eo peccato inobedientiæ cum censura quis celebret non solùm sacrilegè celebrabit; sed suspensionem, & posteà irregularitatem incurret; si verò duret quidem mandatum, sed non censura, etiamsi sacrilegè celebret, non incurret prædicta.

167. De capitulo verò, aut vniuersitate Clericorum, aut Doctorum videtur sentire Syluest. *loco citato* posse facere statuta siue leges, sed tandem docet id esse verum, si ea approbet Papa, vel Episcopus & non aliter. Quod etiam dixerat verba *Constitutio* & docet Vasquez *disp. illâ* 153. *n.* 10. & Auila *suprà*, qui rectè addit cum Syluestro *verb. Capitulum q.6.* & cum Panormitano *c. à Nobis* 1. de *sent. excommunicationis n. vltimo* de Capitulo Sede vacante censendū esse, quòd possit condere statuta & excommunicare per modum statuti, ita, vt duret post aduentum Episcopi successoris; est enim de Naturâ statuti, quod duret etiamsi expiret potestas statuentis, *ex c. finali de officio Legati.* Poterit tamen Episcopus statutum illud reuocare; nec mirum, quod Capitulum Sede vacante possit facere Statuta, quia succedit Episcopo in omni suâ potestate ad gubernandum.

Capitulum Sede vacante potest condere statuta & Excommunicare per modum statuti, ita vt duret post aduentum Episcopi.

168. Addit etiam Auila *suprà* cum Soto *disp.* 22. *q.* 2. *art* 1. ante 2. *conclus.* & cum Ledesma. Mexia *difficult.* 7. *de Excommunic. conclus.* 3. Visitatores diœcesium, vel Religionum, dum visitant, posse facere ordinationes in scriptis cum pœnâ excommunicationis, quæ durent donec per alium reuocentur. Oppositum tamen dicit Nauarrus *c.* 27. *n.* 2. sed hoc Nauarri dictum ait Auila *p.* 2. *disp.* 2. *dub.* 1 intelligi debet *de Excommunicationibus* quibus iubent sibi aliquid reuelari.

Visitatores diœcesium vel Religionū possunt facere ordinationes quæ durēt donec reuocentur.

169. Mihi verò de visitationibus Religionum præcisè nitendo in munere visitatoris, difficile videtur. quādo a Generalibus prouisi sunt, quia si Generales, sine consensu Capituli, seu Congregationis non habent ad id potestatem. Quomodo eam visitatoribus conferent dixi nitendo præcisè in munere visitatoris; nam ex alio capite possunt eiusmodi statuta, & Censuræ latæ durare, etiam visitatoribus mortuis, vel amotis; nam si Generalis speciali aliquo decreto suo, vel etiam generali sufficienter intimato decreuerit, vt quæ visitatores à se missi, aut etiam Provinciales, statuerint in suis visitationibus vim habeant, donec ab ipso Generali, vel ab alio visitatore à se etiam misso reuocentur, tunc perseuerabit quidem tale mandatum, seu statutum; eius tamen vis non nitetur præcisè in auctoritate, & munere visitatoris; sed in auctoritate Generalis sic mandantis. Durabit ergo tunc quādiu Generalis non reuocet, & ille perseueret in munere cessabit tamē mortuo vel à moto. Ex alio etiam capite fieri potest, vt etiam amoto & mortuo visitatores, Prouinciali, aut etiā Generali perseueret tale statutum, seu mādatum, quòd immediatè manauit a visitatore, vel Prouinciali; si nimirum in aliquâ Religione statutum sit in capitulo Generali, quòd tales ordinationes, visitationes, statuta, mandata, &c. vim semper habeant donec vel a successore, vel ab alio superiore maiore, aut ab ipsa congregatione, seu Capitulo reuocentur; tunc enim etiam mortuo Generali perseuerabit tale statutum, & quidem quod ad praxim attinet, si in aliqua Religione vt v. g. in nostra Societate vsu receptum, aut statum sit, quod ea, quæ Provinciales, seu visitatores in singulis domibus, seu Collegijs statuerint, ad Generalem mittantur, & ille videat & approbet imò iuxta ordinationes, & vsum receptum ea scribantur in libro ad id deputato & in ijs ordinationibus se superior subscribat, vt res in posterum perseueret, imò & Prouincialibus seu visitatoribus sequentibus mandatum sit, aut in suis Regulis, seu facultatibus præscriptum, vt quando visitent Conuentum legant prædictum librum & visitationes ibi contentas, easque si fortè videat non obseruari, redintegret, & obseruari curet vel moneat superiorem de causis, ob quas iam prædicta non seruentur, vt ille statuat quid faciendum sit: si hæc (inquam) omnia in aliquâ Religione sint vsu recepta, & in prædictis visitationibus contineantur aliqua præcepta sanctæ obedientiæ, vel simul etiam Censuræ, perseuerabunt amoto, vel mortuo visitatore, aut Prouinciali; nixæ tamen eæ ordinationes non præcisè in præcepto illorum immediatorum Superiorum, sed in confirmatione, vel Generalis pro tota suâ vitâ, aut vòluntate, vel tempore Iurisdictionis, vel in perpetuum donec legitimè reuocentur, si confirmatio proueniat à Capitulo generali seu à Superiore cum consensu Capituli; sed in his omnibus Constitutiones, Regulæ Leges & vsus, seu Consuetudo legitimè præscripta seruari debent in quauis Religione.

Author hoc limitat quoad visitatores Religionum.

Obseruandum quoad Praxim circa illa quæ visitatores in singulis monasterijs statuerint.

Quoad hæc omnia constitutiones & leges Religionum obseruanda sunt

DVBITATIO X.

An Episcopus existens extra suam diœcesim possit ferre Censuras in suos subditos?

170. Asserendum est non posse habetur *ex c. Episcopum* 9. *q.* 2 iuncta Gloss. ratio est, quia Iurisdictio contentiosa non potest exerceri in alieno territorio, vt probat Couarr. *lib.* 3. *variarum* c. 20. n. 8. & Doctores communiter, & est Textus in *c. nouit.* de *officio delegati*, & l. 2. ff. *de officio Proconsulis*, facit ad hoc ratio Textus *c. vt animarum* de *Const. in* 6. *Cùm extra territorium Ius dicenti non pareatur impunè.* Diana referēs Ioannem præpositum à quo tamen dissentit in exceptione mox à nobis adhibenda, lega-

Asserendum Episcopum existentem extra suam diœcesim nō posse ferre Censuras.

legatur Diana 5. p. Tract. 9. resol 35. Quæ assertio locum habet, etiamsi per vim esset expulsus à suâ diœcesi. Ita Sylvest. *excommunicatio* 1. *n.* 6. & Nauarrus *c.* 27. *n.* 6. atque uterque sicut & Diana addit limitationem, nisi in re adeò manifestâ, quæ non requirat causæ cognitionem, vel, nisi de consensu Episcopi illius diœcesis. In quo etiam consentit Sayrus *lib.* 1. *Thesauri c.* 6. prope finem. Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *p* 1. *c.* 4. *n.* 8. Addit Nauarrus, nisi Episcipus ferat sententiam in loco viciniori suo Episcopatui iuxta Clem. 1. *de foro competenti*. Quæ concedit Episcopis vi expulsis è suo Episcopatu, vt in loco ei viciniori suam iurisdictionem exerceant petitâ (quãuis nõ obtẽtâ) licẽtia ab Episcopo loci In quibus casibus Censuras potest ferre in alieno territorio alioquin censeretur alienum territorium inuadere, & violare; atque hæc est potissima ratio, ob quam non possit, non verò illa, quæ afferri solet, scilicèt, quod extra territorium non habeat subditos; constat enim eos, qui ratione domicilij, aut beneficij ordinario subditi sunt, licèt extra diœcesim abeant, semper iurisdictioni subiectos manere, vt ipsis proinde imperari, & sententia in eos ferri possit, vt notauit Abbas citato *c. Cùm contingat. n.* 7. quem refert, & sequitur Layman suprà, & alij citati, qui cum eodem Abbate *c. nouit. n.* 3. & alijs citatis id totum confirmat, & constabit ex dicendis *dub. sequenti.*

Ratio potissima.

DVBITATIO XI.

An Excommunicatio Episcopi liget suos subditos extra territorium commorante? & alienigenas existentes intra suum territorium?

171. IN hac dubitatione plures includuntur casus, variæque sunt Auctorum opiniones, nec improbabiles, breuiter explicabo quid mihi videatur probabiliùs.

Asserendû 1. 172. Assero 1. si Excommunicatio Episcopi lata sit per Constitutionem, seu statutum perpetuum, non ligat subditum existentem in territorio alieno pro crimine commisso in illo territorio alieno. Hæc assertio certissima est apud omnes Auctores, quos viderim, & habetur expressè in. c. *vt animarum* de *Constit. in* 6. vbi Geminianus alijque Doctores Panormitanus in c. vltimum *de foro competenti* n. 4. Couarruu. *c. Alma mater p.* 1. *§.* 10. *n.* 13. Diana postea citandus cum alijs, atque habet locum assertio, etiamsi Episcopus exprimat suam intentionem esse ligare subditos extra territorium delinquentes; quo casu Bartholom. & alij dixerunt ligare. Hoc tamen rectè impugnant Couarrun. *citato §.* 10. & Recent. post Syluestrum *verb. Excom.* 2. *n.* 7. ratione desumptâ ex ipso Textu, quia ibi Pontifex non dicit illum subditum non ligari ex defectu voluntatis statuentis, sed potiùs ex defectu Iurisdictionis, vt patet ex illis verbis Pontificis, *quia extra territorium ius dicenti non paretur impune*; id est cùm sit dignus pœnâ, qui patet Iudici dicenti ius extra proprium territorium, vel fortè alio sensu *impunè non paretur* id est nulla pœna, aut culpa incurritur ex eo quòd illi non pareatur. Rectè autem limitat Sylvest. *suprà n.* 8. & 9. nostram assertionem, & prædictum Textum, vt intelligatur, quando delinquens, & res, circa quas delinquit, & ipsum delictum, sunt totaliter extra territorium statuentis.

Rectè limitat Syluest. nostram assertionem.

173. Consultò etiam dixi pro delicto commisso in territorio alieno, quia in eo tantùm casu loquitur citatum c. *vt animarum*. Vnde, si delictum commissum fuit in proprio territorio, vbi per statutum est imposita Censura, etiamsi tempore, quo est incurrenda, iam se receperit delinquens in territorium alienum, illam incurret, vt, si in diœcesi Conchensi sit statutum vt omnis homicida ipso facto sit excommunicatus, & in eo aliquis alium lethaliter vulneret; quãuis iam sit in aliâ diœcesi, quando vulneratus moritur, atque adeò, quando vulnerator incipit esse homicida, nihilominùs excommunicationem contrahet, etiamsi in aliâ diœcesi non sit imposita excommunicatio, & idem est in peccato Simoniæ, & similibus vt docet Diana citandus & optimè contra nonnullos docet Suarius *disp.* 5. *sectione* 5. *n.* 3 & 4. & contra quosdã assignantes discrimen inter statutum, & inter præceptum, seu sententiam; quòd scilicèt, statutum non liget existentes extra territorium; sententia verò, seu præceptum liget etiam extra territorium existentes. Cùm tamen, vel nulla sit assignanda differentia, vel assignanda sit inter delinquentes extra, vel intra Territorium. Quâ de re placet speciatim nunc disputare.

Delictum committens in proprio territorio incurrit cẽsuram extra illud existens tempore quo est incurrenda.

174. Quærimus ergo an, si subditus contra sententiam, seu mandatum sui Episcopi sub pœnâ excommunicationis, vel suspensionis aliquid agat, vel omittat extra diœcesim, vel in loco exempto vt, si Episcopus Clerico peregrinaturo sub pœnâ suspensionis præcipiat, ne aleis ludat, vel arma prohibita ferat, incurrat tunc Cẽsuram nec ne?

An subditus aliquid contra sẽtentiã sui Episcopi sub Censura pœna latam agens extra diœcesim, Censuram incurrat.

175. Prima sententia negat. Ita Coninc *disp.* 13. *dub.* 7. *num.* 61. Henriquez *lib.* 13. *c.* 26. *n.* 1. Auila de *Censuris p.* 2. *c.* 3. *disp.* 2. *dub.* 2 *conclus.* 1. Sayrus *lib.* 1. *Thesauri. c.* 6. *n.* 40. Petrus de Ledesma *Tract. de Excommunic. c.* 5. *post* 4. *conclus.* & alij quos refert & sequitur Diana tamquam probabile 3. *part. Tract.* 5. *Resolut.* 74. *§. verùm*, vbi oppositam sententiam etiam putat probabilem. Negat etiam Basilius Pontius de Matrimonio *lib.* 5. *cap.* 7. *§.* 2. *n.* 20. existit in alieno territorio; putat verò, si post delictum extra territorium commissum redeat ad suum territorium posse ab Episcopo puniri. refert pro se Gabrielem in 4. *dist.* 1. *q.* 2. *conclusione* 2. Probat Auila, quia, quamuis dictum *c. vt animarum*, loquatur de Excommunicatione positâ per statutum, tamen ratio, quam adhibet Pontifex, æquè vim habet in excommunicatione latâ per præceptum, seu sententiam, siue particularem, siue generalem. Probat. 2. Ledesma, quia Episcopus non potest punire subditum delinquentem extra territorium dum ibi manet, pœnâ temporali, siue corporali, ergo nec spirituali. Tertiò probat à simili, quia Rex, aut Iudex sæcularis nullo modo potest punire subditum delinquentem extra Regnum, vel territorium; ergo nec Episcopus. Non me latet Suarium dum de loco

Prima sententia negat.

exempto agitur non putare intelligi monasteria intra diœcesim & similia quæ non eximuntur nisi ratione personarum, sed oppositum tenet Diana cum Bonacina & Sequillante quos refert, & quidem in gratiam personarum fit talis exemptio, fit tamen, & est exemptus locus; sicut bona alia in gratiam personarum earumdem eximuntur, sunt tamen exempta à tali Iurisdictione vide Dianam 5. part. Tract. 9. Resol. vbi plures Resol. 32. 33. & 37. & 66.

Hæc opinio Authori probabilis videtur sed opposita probabilior

176. Hæc opinio satis probabilis est, mihi tamen probabilior est opposita, prædictis verò argumentis respondebimus *dub. sequenti.* Asserendum ergo est 2. Censura lata ab Episcopo per præceptum siue sententiam particularem, vel generalem ligat suos subditos delinquentes extra proprium territorium. Hæc assertio est de mente Canonistarum, qui communiter aliter loquuntur de Sententiâ quam de statuto; nam per sententiam aiunt posse excommunicari existentem in alieno territorio non verò per statutum, & videre licèt in Abbate *c. vltimo de foro competenti*, & in Vgolino Tabula 1. *c.* 9. §. 2. *&* 3. *n.* 4. & docet Suarius *disp.* 5. *sect.* 5. *in fine* Sa verbo *Iudex de sententiâ, & citatione n.* 8. & alij Canonistæ apud Abbatem, & Vgolin. qui, quamuis loquantur de existenti extra territorium; tamen de delinquenti id intelligunt, vt optimè notat Suarius *suprà*, quia regulariter, & moraliter non accidit, vt qui delinquit in vno territorio, tempore contrahendi Censuram iam sit in alio; imò, si quando id accidat, existentia ipsa impertinens est, vt latè probat Suarius, Item, quamuis Canonistæ non declarent, an loquantur de sententiâ generali, vel de perticulari tantùm: rationes tamen, quas afferunt, vtrique communes sunt. Quarum Summa est quòd Statutum respicit territorium, vt omnes, qui ibi adsunt intelligant, quid ibi agendum sit, vel cauendum. Vnde obligat omnes ibi existentes etiam externos, & peregrinos (vt multi volunt) & extra territorium neminem obligat, etiam ex subditis, dum alibi commorantur. Sententia verò respicit personas vbicumque sint. Quam doctrinam etiam sequitur Layman *supra n.* 7.

Asserendum ergo est 2.

Statutum respicit territorium extra quod neminem obligat. Sententia verò respicit personas vbicumque sint.

177. Ex hac sententiâ videtur colligi subditum transgredientem sententiam Prælati, etiam cùm existit in alieno territorio, Censuram incurrere, vt latè probat Suarius, & Laym. *ibidem*; & ex differentia huiusque dictâ sumenda præcipuè ratio est assertionis, quæ amplius declarabitur post tertiam assertionem.

Ex hac sententia colligitur.

178. Quod verò possit per sententiam ferri ab homine Censura generali sub conditione; si quis fecerit tale peccatum, non videtur dubium, omnes enim concedunt fore validam, quamuis multi dicant id esse prohibitum *in c. Romana de sententiâ excommunicationis in* 6. sed ibi tantùm prohibetur, ne id fiat sine causâ rationabili. Et quamuis contineretur ibi absoluta prohibitio, per consuetudinem contrariam esset abrogata, differt autem generalis sententia ab statuto quòd hoc perpetuum est, non illa, deinde quod (vt dicebamus) hoc non ligat extra territorium; illa verò ligat extra illud.

Potest per sententiam ferri ab homine censura sub generali conditione si quis fecerit tale peccatum.

Differentia generalis sententiæ à statuto.

Asserendū 3. 179. Assero 3. Episcopus benè potest procedere, atque adeò etiam ferre Censuram contra subditum alienum, quando deliquit in proprio territorio ipsius Episcopi, & ibi manet. Hæc assertio est certissima, & ab omnibus conceditur, qui, (vt habetur *in c. postulasti.* & *in c. finali de foro comp.*) ratione delicti sortitur quis forum, & per consequens fit subditus ordinario ipsius loci atque adeò poterit puniri pœnâ excommunicationis sicut, & qualibet aliâ pœnâ. Dixi autem *quando ibi manet.* Nam, si antequam excommunicetur, & citetur, profectus est, non potest excommunicari: Si autem præuentus fuerat citatione, antequâm discederet: tunc etiam poterit excommunicari, quia iam inceptum erat Iudicium in loco, & tempore, quo erat Subditus: ergo rectè potest finiri. Ita Siluest. *verbo excommunicatio* 2. *n.* 10. Armilla *n.* 35. Henriquez *supra n.* 2. Auili *supra dub.* 3. *conclus.* 1. *&* 2.

Episcopum posse ferre censuram contra subditum alienum delinquentem in proprio territorio Episcopi Ratio est

Asserendū 4

180. Assero 4. qui existens in alieno Episcopatu frangit consuetudinem receptam, siue legem, aut statutum sub censurâ positum, probabilissimum est eius Censurâ ligari. Ita communiter Canonistæ præsertim Panormit. *in c. a nobis* 1. *de sent. excommunic. n.* 7. & *in c. vltimo de foro compet. n* 39. Syluest. *Excommunic.* 2. *n.* 5. Tabiena *Excommunic.* 4. *n.* 2. Couarruu. *citato c. Alma mater* 1. *p.* §. 10. *n.* 2. Sa *verbo excommunic. n.* 12. Graff. *lib.* 4. *decis. c.* 8. *n.* 39. Vgolinus, Henriquez & Auila *supra.* Suarius paulò post referendus & alij apud Dianam 3. part. Tract. 5. Resol. 73. ferè omnes, præter Suarium, probant; quia ille fit subditus ratione delicti. Hæc tamen ratio petit principium, adeòque insufficiens est: & nihil valet, eamque efficaciter reijcit Suarius *disp.* 5. *sect.* 5. à *n.* 10. tùm, quia statutum potest esse de re non intrinsecè malâ, sed solùm malâ, quia prohibita in eâ diœcesi, vt, si sit de abstinentia à carnibus, vel de Ieiunio, aut festo ibi seruando, tunc autem Peregrinus, qui ibi moratur; nisi supponatur esse subditus, & obligatus ad seruandum statutum, nullum admittet peccatum, seu delictum, atque adeò non incurret censuram vllam: tùm etiam; quia, quamuis faciat rem intrinsecè malam non potest talis homo incurrere Censuram ipso facto, nisi supponatur subditus, quia ad incurrendam Censuram ipso facto non sufficit delictum precisè spectatum, vt est contra legem naturalem, vel Diuinam; sed ut est contra Ecclesiasticam, & includit contumaciam, quæ supponit obligationem talis legis, & consequenter subiectionē ad illam. Quare licèt delictum in alieno territorio commissum constituat hominem delinquentem talis Fori, & supposito foro possit citari, & contumax fieri, atque adeò excommunicari, vt probatum est *in* 3. *assertione*: tamen, si ante delictum commissum non est subiectus, fieri non potest, vt per delictum immediatè, & simul fiat subiectus, & contumax, & censuram incurrens.

Ratio Assertionis quam assignant aliqui in sufficiens est.

181. Ratio ergo vera, & propriâ est quam insinuauimus *in* 2. *assertione*, quia lex siue statutum, aut constitutio primò, & per se datur pro ipso territorio, vt in eo tali modo, ac ordine homines operentur, Vnde non solùm obligat homines habentes ibi domicilium; sed etiam peregrinos, qui ibi versantur; nam pro illo tempore

Ratio vera & propria assertionis.

pore tenentur se conformare legibus illius territorij; quia ita expedit ad commune bonum, & pacem. Vt tradidit expresse D. Augustinus *Epistol. 86. ad Casulanum.* Vnde talis homo, licèt extraneus sit; si conscius est talis statuti, illo sufficienter admonetur, sicut & alij subditi: & si contra faciat, fit inobediens, & contumax, atq; adeò Censuram incurrit.

Cōfirmatur ex doctrina tradita in prima assertione.

182. Confirmatur ex doctrinâ traditâ in primâ assertione, nam, qui in alieno Episcopatu transgreditur statutum sui Episcopatus, non incurrit censurā eius, ergo obligandus est ad seruandum statuta alterius Episcopatus, in quo versatur, sub censuris eorum; alioquin ille fieret melioris conditionis, seu extra omne iugum & legem, solùm, quia in alieno territorio peregrinatur.

Cōfirmatur 2 ex communi vsu.

183. Confirmari potest 2. ex communi vsu, & illo vulgari axiomate *Dum fuetu Romæ, Romano viuito more.* Propter hæc probabilissima videtur hæc sententia.

Probabilis & tuta in conscientia est sententia quæ docet peregrinos nō adstringi legibus loci in quo detinentur per modum hospitij.

184. Probabilis tamen etiam est, & in conscientiâ tuta sententia, quæ asserit Peregrinos, & forenses non adstringi legibus, aut consuetudinibus, siue statutis loci, in quo per modum hospitij detinentur cessante scandalo, & quando tales leges non obligant in suâ Patriâ. Qua de re latè, & doctè disputat Sanchez de *Matrim. lib. 3. disp. 18. a. n. 6.* & iterum in Summâ. *lib. 1. c. 12. a. n. 19.* qui tamen optimè asserit sufficere, vt aliquis teneatur legibus, & consuetudinibus alicuius oppidi, vt maiori anni parte ibi sit habitaturus; non tamen, si per minus temporis. Ex quâ opinione manifestè sequitur, nec ligari Cēsuris. Pro quâ sententiâ plurimos refert idem Sanchez vtroque loco, & præter illos dicent alij posteriores inter quos Diana citat. Resol. 73. Layman & Coninc apud illum, & colligit contra Basilium non ligari Censurâ qui sciunt aliquod furtum esse commissum, licèt lata sit contra non reuelantes; si tales sint transeuntes alienigenæ, de quo nunc non vacat latiùs disputare, dicemus suo loco maximè in Tract. *de legibus*, si Deo placeat.

Assertio 5.

185. *Assero 5.* si Censura feratur per præceptum siue sententia Iudicis, solùm ligat suos subditos; non verò alienigenas siue extraneos, etiāsi in eius territorio delinquant. Hæc assertio habetur *in c. à nobis 1. de sent. excommunic.* atque ita intelligunt Textum illum Gloss. Innocent. Abbas, & alij Canonistæ ibi, & Vgolinus *citato c. 9. §. 2. n. 4.* Layman *suprà n. 5. & eodem lib. 1. Tract. 4. c. 12. assertione 3.* Suarius *disp. 5. sect. 5. à n. 7.* qui rectè assignat rationem, quia

Ratio assertionis.

præceptum, seu sententia Prælati respicit personas subditas, sinè vllo respectu ad locum, & ideò non ligat, nisi eius subditos; extraneos verò nullo modo, quia nullo modo subditi sunt: non enim ratione Domicilij, vt supponimus, nec etiam ratione delicti, quia tale delictum supponit obligationem legis illius; agimus enim de delicto inobedientiæ transgressionis mandati talis Prælati; obligatio autem supponit subiectionem: ergo ante delictum oportet, vt interueniat titulus subiectionis, qui in præsenti nullus est nullibi enim habetur in Iure, quòd

Obligatio le-

Prælatus possit obligare suis præceptis extraneos in suâ diœcesi per modum transitus ibi existentes: quin potiùs non posse eos obligare colligitur apertè *ex c. cum contingat de foro competenti*, & ex *illo c. a nobis de sententia excommunicationis* cuius verba sunt *à nobis fuit ex parte tuâ quæsitum; vtrùm, si quis ita pronunciauerit, quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit. Hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur? an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de Iurisdictione illius? Ad quod dicimus, quod hac sententiâ non, nisi subditi, obligantur.* Quo loco, vt optimè expendit Suarius, sententia generalis est in omnes, & pro peccato omnino futuro. Pontifex tamen absolutè dicit eâ non obligari, nisi subditos, ac proinde sine vllo fundamento volunt ex parte limitare, & ex parte extendere hanc decisionem Pontificis Syluest. *Excomm. 2. n. 10.* Couarr. *suprà n. 2.* Henriquez & alij *suprà* docentes, si Episcopus generali edicto excommunicet omnes, qui in futurum fecerint tale delictum, vel qui scientes non manifestauerint talem Scripturam, seu tale delictum, eos non comprehendi, qui tempore promulgationis non sunt subditi; atque adeò non comprehendi eos, qui postcà fient subditi, siue ratione delicti, siue ratione personæ, & domicilij, quia sententia (inquiunt) tantùm sumit vires in continenti. Quæ ratio nulla est, & falsum, quod ex eâ inferunt, scilicèt non ligare eos, qui posteà fiunt incolæ, & vicini. Quod etiam docet Layman *suprà.* Satis autem reijcitur à Suario nam si hæc sententia generalis sit, & pro futuro tempore duret, saltem quandiu durat Iurisdictio ferentis (in quo solùm distinguetur ab statuto, quod etiam duret post mortem sine dubio complectitur non tantùm eos, qui sunt subditi, siue per Nationem, siue per nouum vsum rationis, quia sententia illa non solùm habet vim, & efficaciam cùm primum fit; sed toto tempore, quo durat. Et sicut hæc sententia non obligat extraneos posteà ibi adfuturos etiamsi contra talem sententiam, agant: ita nec ligat eos, qui adsunt tempore, quo pronuntiatur sententia; quia eo ipso, quod sint extranei, non sunt subditi. Quod tandem videtur etiam concedere Auila, cùm dicat ita sentire viros doctos, nec ipse improbet: Couarr. etiam fatetur Innocentium, Panormit. & alios ita sentire sicut nostra habet assertio: quæ absolutè tenenda est, cum & ratio eam suadeat, & Pontifex absolutè dicat sententiam non ligare, nisi subditos. Et à fortiori idem sentiunt, qui etiam de Censura per statutum non putant ligare externos.

qui supponit subiectionem

Differentia inter statutum & præceptum.

186. Concludendum igitur est hanc esse differentiam, & discrimen inter statutum, & sententiam siue præceptum; quòd statutum ligat omnes existentes intra Territorium, vbi est tale statutum, non verò delinquentes extra illud; etiamsi sint ex diœcesi, vbi est statutum, atque ita intelligendum est *c. vt animarum de Constitut.* at verò præceptum, seu sententia solùm ligat subditos, quatenùs tales. Ideò eos ligat, etiamsi per transitum merentur extra suam diœcesim, vt diximus *in 2. assert.* non tamen ligat externos, etiamsi in diœcesi, vbi fertur sententia, faciant contra illam: atque hac ratione intelligitur *c. A nobis de sententia excommunicationis citatum.*

Sacramentis Tract. 6. nu 286. nunc de potestate ad Censuras ferendas agimus, & obiter dicemus de tonsura & ordinibus iuxta ibi dicta cum probabili sententia & de non Baptizatis aliquid etiam dicemus

125. De fœmina verò, quamuis aliqui sentiāt, etiam de Iure Diuino, esse incapacem huius Iurisdictionis, atque adeò nec ex commissione Papæ posse ferre Censuras, vt docet Ledesma 2. *p.4.q.21.art.3.& q.24.art.2.* Auila 1.*p.dub.*6 Conin: *disp.* 13. *dub.*4. *n.* 33. & alij apud Dianam supra de hac re latè tractantem; pro quâ sententiâ refert Auila Syluestrum, & Sotum; idque videtur probare Henriquez *lib.3. de Pœnit. c.2 n.* 3. quia fœmineus sexus naturaliter poscit statum subiectionis, vt apertè colligitur ex *Ad Ephes.5.* & ideò prohibetur prædicare, & dominari in viros, multoque minus in Sacerdotem, quod ex ipso Iure naturæ videtur indecens.

Probabile est fœminam non esse iure natura & Diuino incapacem Iurisdictionis fori exterioris.

126. Nihilominus probabile est, non esse Iure Naturæ & Diuino incapacem huius Iurisdictionis fori exterioris, quamuis sit incapax potestatis Ordinis; atque adeò posse Pontificem pro suâ potestate absolutâ delegare illi Iurisdictionem, vt alios, præsertim fœminas excommunicet, aut suspendat. Quod docet Paludanus in 4. dist. 19. q. 2. art 1. Sotus dist. 20. q. 2. art. 4. Armill. verb. *Excommunicatio* n. 24. Nauarrus cons. 73. aliàs 72 *de sent. Excommunic.* Vgolinus tabulâ 1. c. 2. §. 7. n. 5. qui plures alios refert. Suar. disp. 22 sect. 2. n. 7. Filiucius Tract. 11. c. 2. quæs 8. Reginald. n. 116. Bonacina disp. 1. q. 1. puncto 2. Laym. lib. 1. Tract. 5. q. 1. c. 3 & alij apud Dianam supra, inter quos aliqui infra referendi. Et quidem negari non potest committi posse mulieri aliquem vsum spiritualis Iurisdictionis, & clauium, vt subditos dignè gubernet, corrigat, & puniat, & vt vota irritet, &c. dispenset, eaque ratione etiam possit suspēdere ab Officio, & beneficio, & largo modo suspendere, & interdicere ab ordine Clericali subiectos suæ Iurisdictioni, v. g. præcipiendo eis, ne celebrent, donec satisfecerint, vt patet ex c. *Dilecta de maiorit. & obedientiâ*, & ex c. *Dilecti filij. de arbitr.* & ex c. *dilecta de excessib. Prælatorum.* quidquid sit an propriè loquendo possint interdicere, vel suspendere Interdicto, & suspensione, quæ sint verè Censuræ Ecclesiasticæ, & inducant irregularitatem, si violentur; sed tantùm sint prohibitiones quædam, seu priuationes, quæ latè dicuntur suspensiones, vt latè docent Panormit. & alij Canonistæ in c. *Dilecta* citatum & Summistæ verbo *Abbatissa.* Victoria relect. 2. *de potest. Eccles.* q. 2. n. 3. Suarius disp. 2. sect. 2. n. 6. vbi optime expendit verba Pontificum; id quod etiam rectè præstat Henriquez *lib. 3. de Pœnit.* c. 2. n. 3. &. 4.

Multi putāt prædictam potestatem, non solum à summo Pontifice, sed etiam à Prouinciali, & Episcopo conferri Posse.

127. Porrò multi putant prædictam potestatem conferri posse non solùm à summo Pontifice, sed etiam à Prouinciali Ordinis, aut Episcopo sub cuius obedientiâ viuunt, talemque vsum Iurisdictionis committi, saltem indirectè Abbatissæ, seu Priorissæ, vt, si Prouincialis cum moniali dispenset in lege Ieiunij sub conditione relatâ in arbitrium Abbatissæ, scilicèt, quoties ipsi visum fuerit causam non ieiunandi adesse: vel, si Monialibus præceptum imponatur obediendi Abbatissæ præcipienti aliquid in tali causâ ad spiritualem finem pertinente. Qua de re agit Sanchez in Summa lib. 6. *Moralium* c. 1. n. 17. Sotus in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. Rodriguez tomo. 1. *Regularium* q. 12. art. 2. & q. 15. art. 1. Accedit, quod Abbatissæ non Iure ordinario, sed ex concessione Pontificiâ solent instituere Clericos in Ecclesijs ad Monasterium suum pertinentibus, & legi potest abbas Panormit. in citatum c. *Dilecta*. n. 5. *de maiorit. obedient.* Syluest. *verb. Abbatissa*, q. 2. Garzias de *beneficijs p.1.c.2.n.* 33. *& p.5.c.1. n.* 622. Victoria *Relectione 2. de potest. Eccles. q.2.n.5. in fine.*

128. Verùm speciatim & expressè quod attinet ad Censuras, illam potestatem posse fœminis à Papa communicari, probabiliter satis docuerūt Sayrus lib. 1. c. 5. & Filiucius Tract. 11. c. 2. quæsito 8. quos refert & sequitur Gaspar Hurtado in suo Tract. *de Censuris*, in communi, difficult. 4. n. 13. in fine & alij supra citati & apud Dianam loco notato, inter quos Cardinalis Lugo; atque hoc intellige de plenitudine potestatis Pontificiæ. Idemque iudicant de merè laico, & Clerico coniungato, etiam bigamo, imò & de non baptizato; quod probant satis probabili fundamento; quia, si quam incapacitatem habent, eam habent ex solo Iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest, & ideò iuxta hanc sententiam quilibet ordinarius ex Papæ dispensatione potest suam Iurisdictionem delegare omnibus prædictis. Atque hoc est quòd tandem concedit Layman, dùm *loco citato n.4.* in fine, cùm dixisset duplicem esse clauem, Ordinis, & Iurisdictionis, subdit illius incapax omnino est mulier secundum Christi institutionem, huius autem capax esse potest saltèm ex commissione, & quoad exercitium, sicuti & merè Laicus capax est; cùm tamen Apostolorum successor censeri non debeat &c. interim fatemur nec Christum, nec Ecclesiam vnquàm huiusmodi potestatem mulieri concessisse; idque probari potest ex c. nouâ *de pœnit. & remiss.* non autem quòd Iuri Diuino absolutè repugnet. Quæ doctrina probabilissima est, & multi probabilem iudicant, aut veram. Vnde (vt notaui loco citato de Sacramentis) si verum esset, quòd minores ordines solùm sint de Iure Ecclesiastico, idem de illis esset dicendum, sed oppositum est verius vt ibi diximus.

129. Verum loquendo de facto rationabili, mihi absolutè magis placet Sententia Suarij, quam non solùm *disp.2. de Censuris, sect.2.n.5.* explicat, sed iterum repetens eandem doctrinam, paulò aliter docet tomo. 4. de Religione *lib.2. c.9.a.n.10. vsque ad finem capitis.* vbi tandem postquàm explicuit aliquos actus Iurisdictionis, qui conferri possunt, aut etiam conferuntur Abbatissis, quādo iurisdictio non datur ad actus proprios spirituales, sed ad alios temporales, vel corporales, quatenùs in personâ Ecclesiastica versari possunt, concludit. *n.*14. his verbis. Quando actus est propriè spiritualis, existimo nunquàm dari huiusmodi personis propriam Iurisdictionem ad illos efficiendos; sed ad summum concedi actum aliquem, qui sit veluti conditio, ad cuius præsentiam id, quod spirituale est, fit ab Ecclesiastico Prælato, ad cuius potestatē spectat,

Sententia Suarij magis placet Authori.

Exem-

Exemplum pro sententia Suarij

Exemplum est in facultate eligendi Confessorem, quæ datur pœnitenti; non enim illi tribuitur potestas dandi alteri Iurisdictionem, sed designandi personam, cui statim Pontifex dat Iurisdictionem. Ita ergo cum dicitur, Abbatissam posse conferre beneficium, aut habere ius instituendi, & similia, intelligendum existimo (inquit Suarius) quoad actum præsentandi, seu designandi Clericum, cui beneficium, seu Iurisdictio Ecclesiastica conferatur; nam dare hanc Iurisdictionem, vel beneficium, quoad Ius spirituale, quod includit, est actus Clauium, quarum potestas fœminis non communicatur iuxta c. *Noua de pœnit. & remiss.* Aliquando verò hæc præsentatio fit homini v.g. Episcopo, vt ab eo collatio, & institutio fiat, vt in *c. cas noscitur de iis, quæ fiunt à Prælatis sine* &c. Aliquando verò fieri potest absoluta per simplicem designationem, & quasi electionem, vt ipso facto beneficium, & spirituale Ius à Pontifice conferatur; atque eâdem ratione potest interdum Abbatissa dare possessionem beneficij, quia ille in rigore non est actus propriæ Iurisdictionis spiritualis in ipso executore; tunc autem Abbatissa solùm se habet tamquam is, cui delegatur executio: & eodem modo potest dare titulum, id est testimonium beneficij alteri collati; non à se, sed à Pontifice ad suam nominationem. Eodem ergo modo possunt è contrario priuare beneficijs, vel possessione eorum in pœnam, si hoc eis speciali priuilegio concessum sit; quia tunc etiam non exercent propriè Iurisdictionem spiritualem; sed ad voluntatem earum Pontifex est qui suspendit influxum, seu aufert Iurisdictionem spiritualem. Hæc Suarius.

Possunt Abbatissæ indirectè excommunicare non directè

130. Ex quâ doctrinâ n. 15. concedit posse etiam Abbatissas excommunicare; non directè, & per spirituale vinculum id faciendo, sed designando personam, quam Pontifex statim liget ad declarationem seu voluntatem Abbatissæ; neque in hoc putat inueniri repugnantiam, nec excedere potestatem Pontificis; regulariter autem hoc non putat concedi, fortasse propter periculum abutendi Censuris, vellent enim suo iudicio illas imponere; vel auferre, quod non potest esse conueniens. Aliquando autem concedi solet Abbatissis, vt per officiales suos possint excommunicare, tunc autem ipsi officiales non accipiunt potestatem excommunicandi ab ipsis; sed à summo Pontifice ad mandatum, seu designationem Abbatissæ, sicut dici etiam potest de Conseruatoribus Iudicibus; eliguntur enim à Religiosis per sua priuilegia; Iurisdictio autem eis datur à Summo Pontifice. Denique eodem modo de alijs Censuris, suspensionis, & Interdicti iudicandum est, & docet expressè Abbas Panormitanus citatus ab eodem Suario, quamuis latiùs loquendo de his (inquit Suarius) prout solùm significant prohibitionem aliquam, possit interdum per huiusmodi Abbatissas fieri; vt supponitur in dicto capite *Dilecta* & dixi in Materia de Censuris. Hactenus Suarius. Quæ doctrina mihi placet. Et quidem si talis modus sufficit ad obtinendum finem intentum, non video causam quæ cogat asserere Christum reliquisse eam potestatem dandi Iurisdictionem & potestatem prædictis personis. Nam quamuis supposito illo principio, quòd tota hæc incapacitas Iurisdictionis (etiam ad Censuras) sit potiùs de Iure positiuo, satis probabilis mihi videatur, vt notabam de plenitudine potestatis, posse Pontificem hanc iurisdictionem prædictis conferre; tamen non video posse occurrere causam eam sic conferendi, cùm quantùm ad effectum, si dicamus eo modo quo ex Suario nunc explicuimus id fieri, possint Censuræ suum effectum habere, sicut & alij actus Iurisdictionis, proueniendo scilicèt non ab ipsâ Abbatissâ, sed à Pontifice; seu Prælato iuxta voluntatem, seu designationem Abbatissæ. Quòd si nulla causa ad id possit occurrere, nulla ratio cogit efficaciter admittere talem potestatem à Christo datam ad ædificationem; certè non esset in ædificationem, & posset esse in destructionem saltem prudentis dispositionis talem potestatem exercere. Cur ergo etiam in moralibus, moralem potestatem agnoscemus, cui repugnet in actum ad ædificationem prodire, & sufficiat indirectus modus iam explicatus. Atque eodem modo possumus explicare potestatem indirectâ ferendi Censuras, quæ rectè potest reperiri aliquando in hominibus non Clericis, etiam primæ Tonsuræ. Qua ratione olim Præfecti Monasteriorum, licèt essent Laici, poterant suspendere, & excommunicare, nam de Excommunicatione sæpe fit mentio in Regula Sancti Benedicti, vt patet ex Reg. 23. *& seq. q. vsque ad Reg.* 28. suspensionis autem meminit Cassianus *lib. 4. Instit. c. 20.* Quæ omnia non est cur prædictis concedamus ab ipsis fieri per Iurisdictionem propriè, & directè concessam, sed à Pontifice, vel Prælato fieri ad designationem, & voluntatem prædictorum, sicut de Abbatissis dictum est.

131. Atque hunc modum non solùm summum Pontificem, sed alios etiam Prælatos posse exercere (salvo meliori iudicio) non videtur improbabile, quia cùm nec fœminæ, nec Laici in eo casu exerceant propriè Iurisdictionem; sed ad voluntatem, vel designationem illorum Prælatus exerceat, non videtur ex se repugnare, nisi aliqua sit prohibitio Iuris positiui, quam mihi vidisse non contingit.

Communis opinio Doctorum est Laicos etiam Tonsurâ carentes, non esse Iure Diuino incapaces huius Iurisdictionis fori exterioris sed tantum Iure Ecclesiastico.

132. Sanè de Laico omni ordine etiam Tonsurâ carentibus communis Doctorum sententia est, non esse ex Iure Diuino incapaces huius Iurisdictionis fori exterioris; Iure tamen Ecclesiastico esse incapaces, ac proinde posse Pontificem delegare illis talem Iurisdictionem, cæteros verò non posse, quia non habent potestatem dispensandi in Iure Canonico, in quo id prohibitum est, probantque Auctores ex *c.* 1. 69. *dist.* & ex *c. Ecclesia de Constit.* & ex *c.* 2. *de iudicijs.* In quibus generaliter dicitur non posse Laicos Ecclesiastica tractare negotia, aut iudicia maximè spiritualia; sed censuræ sunt negotia Ecclesiastica: ergo &c. & quauis Suarius *loc.* 2. *n.* 9. dicat hæc decreta nihil ad rem facere, quia non assignant quid Iurisdictionis Pastores Ecclesiæ possint committere Laicis, sed quid ipsi Laici ex se, vel ex suis dominijs habeant: nihilominus ipse Suarius à communi sententiâ non recedit, Probaturque satis ex *c. Indicatum* 89. *dist.*

89. *dist.* vbi ex *Epist. 66.* D. Gregorij dicitur cauendum esse, nec res, & officia Ecclesiastica commutantur Laicis. Quæ generalis admonitio habetur in multis decretis.16.q.17.sed præcipuè probatur ex *c. Sanè de Clericò coniugato.* Vbi Alex. 3. expressis verbis præcipit, ne deinceps Clericus coniugatus ad Ecclesiastica beneficia, vel ad Sacros Ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittatur. Ex quo à fortiori colligitur alios Laicos non Clericos multò minus esse admittendos.

133. Atque ex communi sententiâ prædictâ lex non solùm prohibet, sed incapacem etiam facit Iurisdictionis. Vnde etiamsi Prælatus aliquis tentet Laico delegare Iurisdictionem, irrita erit, & inanis talis delegatio, vt fatetur Suarius *supra n. 12.*

Nulla consuetudine quantumuis diuturnâ potest hæc potestas præscribi à Laico.

134. Ex quo fit, vt nullâ, quantumuis diuturnâ consuetudine possit hæc potestas acquiri, seu præscribi à Laico, vt notauit Abbas *in c. Cùm tanto n. 15. de consuetudinib.* Vbi alijs Iuribus & rationibus id confirmat. Et quidem ad præscribendam iurisdictionem requiritur capacitas in subiecto, vt in nostro opere de *Iustitia cæterisque virtutibus*, agentes de præscriptione Iurisdictionis diximus.

Ex traditâ doctrinâ Colligitur. 1.

135. Ex traditâ doctrinâ habemus dum Parochus vel Confessarius prudenter iniungit pœnitentiam, quâ priuat ad tempus communione, aut suspendit pœnitentem sacerdotem à Missæ celebratione, aut ab auditione Confessionum, vel interdicit ab ingressu monasterij, seu Ecclesiæ alicuius, non esse propriè Censuram, cùm non habeat Iurisdictionem in foro contentioso, ideò licet pœnitens violet eam iustam prohibitionem, & peccet, non fit Irregularis. Ita Henriq. *lib. 33. de excommun. c. 24. n. 13.*

Colligitur 2

136. Colligitur etiam ex dictis eum, qui excommunicat, aut aliam Censuram fert, non habens ad id potestatem, mortaliter peccare, & irritam esse Censuram; est enim vsurpare alienam Iurisdictionem in re graui. Ita Nauarrus *c. 27. n. 8.* & Auila *p. 2. c. 3. disp. 1. dub. 1. in fine.*

Quæret aliquis circa secundam assertionem.

137. Quæret tamen aliquis circa secundam assertionem, an delegatus possit Censuras ferre factâ reuocatione delegationis à delegante?

Resp.

138. Respondetur postquàm ad eum peruenit notitia reuocationis non posse: quod si tentet, nihil faciet, quia deest ei Iurisdictio: si tamen Censuram ferat, antequàm ad eum notitia reuocationis perueniat, non peccat, valetque Censura. Idque probatur ex c. *Audit is* & c. *Mandato* de *Procuratoribus* idque magis constat ex c. *Debitus honor* de *Appellationibus* Limitat verò Syluest. *Excommunicatio 1. n. 6.* & Abbas Panormit. c. *Audita* de *restit. spoliatorum* nisi delegans intendat per reuocationem sic auferre potestatem ex tunc tali delegato, vt quidquid fecerit ex tunc, irritum sit, & inane. Verùm hæc intentio sola non videtur sufficere; nisi id verbis, aut alijs exterioribus signis manifestet.

DVBITATIO VII.

An affectus Censurâ possit ferre Censuras? & an quis possit eas ferre in se ipsum, vel in æqualem sibi? vel Suspensionem.

Circa Primum Asserendum affectum excommunicatione maiori vel suspensione notoria non posse validè ferre Censuram.

139. Circa primum asserendum est, si excommunicatio maior, vel suspensio est notoria, vel publicè denuntiata, non potest licitè, nec validè Censuram ferre. Si tamen excommunicatio illius, aut suspensio sit occulta Ecclesiæ etiamsi sit sibi nota, quantumuis peccet vtendo suâ Iurisdictione in eo statu, valida erit Censura ab ipso lata. Addendum est 1. etiamsi sit notoria excommunicatio, si tamen non est denuntiatus; sed toleratus, valere ab eo latam Censuram. Legatur Henriquez *c. 24. n. 4. lib. 13.* de *Excommunicatione.* Addendum est 2. omnem illum, qui auctoritate veri superioris introductus est in officium Prælati, aut Iudicis, falso quidem titulo re ipsâ; communi tamen errore vulgi existimato vero, validè exercere omnes actus Iurisdictionis pertinentis ad suum officium; quia in his casibus Ecclesia propter commune bonum confert illi iurisdictionem, vt habetur *c. nihil* de *electione*, & *c. ad Probandum* de *sententiâ*, & *re iudicata*, & *L. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Sepissimè ab Auctoribus pro hac re in medium producta; estque communis sententia vtriusque Iuris peritorum ad prædictos Textus, & alij consentirent quos Diana refert 5. par Tract. 9 Resol. 50. & quidē de excommunicato tolerato tamquam probabile docent Diana cum Gutierrez & Coninc quos refert eodem *Tract. resol. 135.* & eodem modo se habere post Concilium Constantiense hunc atque excommunicatum occultum & habitum pro non excommunicata, quantum ad valorum actuum Iudicialium quorum valorem ob commune bonum supplet Ecclesia.

Nemo in se ipsum sibi æqualem vel superiorem Censuram ferre potest Ratio est

140. Circa 2. in quo quærimus an quis possit censuram ferre in se ipsum, vel in æqualem, vel superiorem? absoluè asserendum est non posse. Colligitur ex *c. à nobis* de *Sententia Excom* & ex c. *cum inferior.* de *maiorit. & obed.* & c *Inferior 21.* dist. Ratio est, quia potestas coactiua, qualis est potestas ferendi Censuras, non operatur; nisi in subditum; nemo autem est sibi ipsi subditus propriè loquendo, nec æqualis est subditus alteri æquali multoque minùs inferiori. Vnde dicitur *par imparem non habet imperium*, docentq; Doctores communiter *in c. Quoties 1. q. 7.* Legatur Suarius *disp. 1. sect. 4. vers. Secunda & disp. 5. sect. 1. n. 28.* Reginald. *n. 140.* Henriquez *lib. 13. c. 25. n. 3.* Nauarrus *c. 27. n. 6. in fine* Diana & apud ipsum alij. part. 5. Tract. 9. Resol. 51 & 52. & ipse Diana ex Megala docet ibidem neque Inquisitores posse ferre in Episcopos Censuram, id enim ipsis prohibitum est neque Episcopos in Inquisitores, quia sunt officiales Pontificis. Simul tamen affert Canterâ in *qq. Cardinalibus*, qui testatur inquisitorem Conchensem excommunicasse Episcopum illius Ciuitatis, quod ego non facilè credo; nisi interuenerit facultas Pon-

Pontificia, præsertim cùm officium Inquisitoris seclusâ speciali dispositione Pontificia sit quasi inuisseratum in officio & dignitate Episcopali, & inquisitores teneantur etiam vocare pro ferenda sententia ordinarium, sed quidquid sit de ijs omnibus, si Papa dedit potestatem vel specialem vel generalem poterunt; secus sine illâ. Cum neque in grauioribus causis etiam Concilium nationale possit liberè punire Episcopum, nisi suffultum Apostolicâ auctoritate. Vide Dianam 4. *par tract. 8. Resol. 21. vbi de potest. Inquisitorum* erga Episcopum etiam titularem tantum agit.

Objicies 1.

141. Objicies tamen primò, si Episcopus communicet cum excommunicatis à se ipso incurrit minorem excommunicationem; si verò communicet in crimine criminoso cum excommunicato à se incurrit eamdem cum illo Excōmunicationem: ergo incurrit excommunicationem à se latam. Legantur quæ dicemus *disp. 2. dub.* 37.

Resp.

142. Respondetur concedendo vtrumque antecedens, & negando consequentiam; nam illæ excommunicationes, quas in prædictis casibus incurrit Episcopus à Summis Pontificibus latæ sunt; vtraque enim habetur in Decretis, Pontificum quamuis occasione Censuræ à se latæ incurrat illas. Quòd si Episcopus excommunicet aliquem v.g. furem cum suis auxiliantibus, non incurrit licèt ipse fuerit auxilians, vt docet Henriquez *suprà*.

Objicies 2.

143. Objicies 2. si Papa præcipiat Parocho, vt intimet excommunicationem contra omnes, qui fecerint tale delictum: tunc si Episcopus, vel ipse Parochus illud committat, incurrit: ergo in se ipsum, vel in superiorem potest Parochus excommunicationem ferre.

Resp.

144. Respondetur cum Nauarro suprà concedendo antecedens negando consequentiam, quia in eo casu Parochus non fert excommunicationē; sed illam tantùm intimat, & denuntiat, ipse verò papa illam fert. Quòd si Parocho daret Papa facultatem, vt ipse Parochus imponeret excommunicationem contra patrantes aliquod delictum, eamque generaliter Parochus imponeret, etiamsi ipse tale delictum committere non incurreret excommunicationem.

Objicies 3.

145. Objicies 3. simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ excommunicare Episcopū vel Patriarcham, vt colligitur ex suprà citato *c. A nobis*, in illis verbis *nisi fortè plus contulerit largior auctoritas delegantis* ergo inferior potest in superiorem.

Resp.

146. Respondetur negando consequentiam, quia iam per commissionem maiorem superioris fit ille Sacerdos saltèm in eâ re superior Episcopo, vel Patriarchæ.

Objicies 4.

147. Objicies 4. concedere Indulgentias est actus Iurisdictionis, vt in *proprio Tract. 9. disp. 2. dub. 2.* dictum est, & tamen potest quis sibi ipsi Indulgentiam concedere, vt *in eâdem disp.* diximus: ergo & excommunicare se ipsum.

Resp.

148. Respondetur concedere Indulgentias non esse actum Iurisdictionis coactiuæ, sicut est ferre Censuram; atque in eo sita est vis nostri argumenti suprà facti, Quòd scilicèt nemo possit exercere potestatem coactiuam; nisi circa subditos. Alij respondent Papam, aut conferentem Indulgētias non illas conferre sibi per modum absolutionis, nec imperij, sed per modum solutionis, atque hoc non esse actum Iurisdictionis erga illum, cui conceduntur. Verùm tamen an, & quâ ratione possit conferens Indulgentias frui illis à se collatis, non solùm generali collatione participando Indulgentijs cōmunitatis ab ipso concessis; sed directè etiam, & primario sibi solitariè diximus *disp. citata dub. illa 2. quæsito* 10. n. 55. & seqq.

Objicies 5.

149. Objicies 5. in foro pœnitentiæ potest quis per commissionem absoluere sibi æqualem, vel superiorem etiam ipsum, à quo accepit potestatem Iurisdictionis, vt patet in Confessario, quem Papa eligit sibi ipsi, & etiam est probabile, quòd Confessarius Episcopi potest in Episcopum, quidquid Episcopus potest in subditos. Ergo etiam æqualis, vel inferior poterit excommunicare æqualem, vel superiorem.

150. Respondent aliqui diuersam esse rationem de foro interiori cōscientiæ, & de exteriori; nam in interiori exercetur actus in ordine ad Deum, & nomine Dei, cui quilibet homo est inferior, ac proinde per peccatum confitendo illud fit inferior alteri homini, tanquàm ministro Dei: at verò Censuræ pertinent ad forum exteriùs & in ordine ad ipsos homines, quibus Prælatus & superior; & ideò in foro exteriori non subijcitur inferioris iudicio.

Meliùs respōdetur iuxta duplicē opinionem probabilem de Iurisdictione sacerdotis iuxta Primam dicendam.

151. Aliter, & meliùs respondetur iuxta doctrinam à nobis traditam *Tract. 1, de Pænitentia* disp. 10. dub. 3. duplicem esse opinionem probabilem, alteram, quæ dicit in ordinatione Sacerdotis conferri à Christo Iurisdictionem, & à Pontifice, seu Superiore solùm designari materiam, circa quam actiuam illam iurisdictionem, & potestatem exerceat; & iuxta hanc sententiam dicendum est, Pontificem, eligendo sibi Confessarium, non tribuere illi Iurisdictionē, sed hanc à Christo in ordinatione collatam perficere, & complere se ipsum illi Confessario submittendo, seque subditum in eo foro designando ex generali potestate, quam habet designandi subditos, sacerdotibus.

Iuxta secūdam sententiam dicendum est.

152. Iuxta secundam verò sententiam, quæ negat propriè in ordinatione concedi iurisdictionem; sed potestatem ordinis distingui à potestate Iurisdictionis, & hanc à superiore concedendam esse, iuxta hanc (inquam) opinionem dicendum est actum Iurisdictionis, qui exercetur immediatè nomine Dei posse hominem ratione sui muneris subeundo diuersam personam in se ipsum exercere, maximè quando non agitur de Iurisdictione coactiuâ, sed liberâ, qualis est ea, quâ Pontifex, tanquàm priuatus homo, suo Confessario in foro confessionis se subijcit, idque præstat tanquam Vicarius Christi, eius personam immediatè sustinens, eâque ratione habens iurisdictionem in omnes Christi fideles; ac proinde aliquo modo & quasi indirectè in se ipsum, secundum quod est etiam ouis gregis Christi, & secundum, quod est necessarium, vt possit frui communibus pascuis; eâque ratione censeri debet collata potestas summo pastori Pontifici submittendi se suo Confessario, &

idem

idem potest suo modo dici de Episcopo, quamuis de hoc etiam dici possit Confessarium eo ipso, quòd sit electus ab ipso Episcopo, concurrentibus requisitis habere potestatem à Romano Pontifice a quo immediatè accipit Iurisdictionem.

153. Ex quo patet diuersam esse rationem de censuris, quarum latio est actus Iurisdictionis coactiuæ, & in foro externo, non sacramentali, & in ordine ad externam gubernationem, & regimen Ecclesiæ, in ordine ad quam inferior, vel æqualis non habet Iurisdictionem, & potestatem in superiorem, vel in æqualem.

Obijcies 6. 154. Obijcies 6. Paulus *Ad Galat.* excommunicauit Angelum, imò & se ipsum, dicens; *Si nos, aut Angelus de Cœlo Euangelizauerit vobis aliter, quàm Euangelizatum est à me, anathema sit.* Sed Angelus erat maior Paulo; ergo iam in se ipsum, vel in maiorem potest quis ferre Censuram.

Resp. 155. Respondetur facilè cum Richardo *in* 4. *dist.* 18. *art.* 5. *q.* 1. ibi *anathema* non significare excommunicationem; sed vehementem quandam maledictionem, vel execrationem.

Obijcies 7. 156. Obijcies 7. c. *Felicius* de *Pœnit. dist.* 1. vbi dicitur: *facilius Deum placabunt qui se ipsos excommunicabunt.*

Resp. 157. Respondetur, ibi excommunicare accipi pro redarguere & remouere ita, vt sensus sit Deum faciliùs placandum, si delinquens se ipsum redarguat, vel ab altari remoueat.

158. Eodem ferè modo responderi potest ad *c. nunc autem dist.* 27. vbi dicitur *tuo ore iudica causam tuam, &, ex ore tuo condemnaberis.* Id enim intelligendum est siue Papatum deponendo, & sic de submittendo se iudicio Concilij, vel certè voluntariè subeundo pœnam aliquam; locus enim ille est Nicolai Papæ referentis celebrem illum casū Marcellini Papæ, qui postea Martyr effectus fuit; priùs autem adoleuerat incensum Dijs, & pœnitentiâ ductus, venit ad Concilium, vbi confessus peccatum suum, se volebat submittere iudicio Concilij; quod tamen illi non ausi sunt præstare. Hoc tamen nihil ad rem nostram, neque enim ibi exercuit actum iudicialem fori externi in se ipsum, qualis est actus ferendi Censuras, de quo nunc agimus.

Addendum est Censurā latam ab aliquo prælato in propriâ causâ esse nullam. 159. Tandem addendum est quamcumque Censurā latā ab aliquo Prælato in propriâ causâ esse nullum; nisi esset per modū iustæ defensionis contra inherentem sibi vim. Quod expresse tradit Gregorius *in c. inter querelas* 23. q. 4. vbi Glossa optimam reddit rationem, quia nemo permittitur esse iudex in propriâ causâ, vt docet Fabianus Papa *c.* 1. 4. *q.* 4. & quia (vt rectè notat Suarius *dist.* 2. *sect.* 4. *n.* 7.) contra Ius naturæ est, vt aliquis simul sit actor, & Iudex; esset enim magna in æqualitas, & alteri parti iniuria fieret. Quòd autem ratione defensionis iusta contra inferentem vim possit Prælatus ferre Censuram, tradit Innocentius IV. *c. Dilecto de sent. excommunic. in* 6. ex illo naturali principio quod *vim vi repellere licèt.* Ad quam defensionem potest vti armis sibi proprijs, qualis est potestas Ecclesiastica in Ecclesiæ Principe. Vide etiam Dianam 5. part. *Tract.* 9. Resol. 52. affert Abbatum docentem etiam posse par modum Iudicij casu quo causa ita esset manifesta vt negari non possit. Idem docet Marcerus apud eundem Dianam.

DVBITATIO VIII.

An Censura per metum lata valida sit?

160. NOnnulli volunt Censuram per metum latam esse nullam, quia potestas ligandi semper est coniuncta cum potestate absoluendi, & (vt dicitur in *c. verbum* de *Pœnit.* dist. 1.) qui soluēdi Ius non habet, nec ligandi habet, sed absolutio à Censurá metu extorta est nulla ex *c. vnico de his, quæ vi, metusue causâ fiunt in* 6. ergo, & Censura metu lata est nulla. *Multi docent Censuram per metum latam esse nullam. Probant.*

161. Confirmatur nam Iura in fauorabilibus amplianda sunt, & in odiosis restringēda. Si ergo absolutio, quæ fauorabilis est, Iure irrita fit ratione metus, & violentiæ, multò magis idem censendū erit de ipsâ Censurâ, quæ odiosa est. *Confir.*

162. Assero nihilominùs censuram metu, etiam graui, seu cadenti in constantem virum latam esse validam. Ita Suarius *dist.* 2. *sect.* 5. cum quibusdam Glossis, contra Vgolinum, Tabula 1. *c.* 2. §. 4. & alij apud eundem Vgolinum. Coninc disp. 13. dub. 5. Abbas, Panorm. apud eundē Suarium, Diana p. 5. Tract. 9. Resol. 69. cum pluribus contra alios quos refert & eorum sententiam putat probabilem imò nostram solā appellat non minùs probabilem. Ratio nostra est quia Iure naturæ sufficit illud voluntarium mixtum, quod est simpliciter voluntarium, vt actus validus sit; Iure autem positiuo tantùm fit irrita absolutio per metum extorta, non autem illatio Censuræ, nec est efficax argumentum à simili in ijs, quæ pendent à Iure positiuo præsertim, quia multa potuerunt mouere Pontificem ad irritandam absolutionem metu extortam, non verò lationem Censuræ; atque inter alia mouere potuit quòd sit fauor Ecclesiasticæ potestatis quòd absolutio metu extorta sit irrita, & fuit moraliter necessarium eam irritare, vt Pastores Ecclesiæ ab his vexationibus, quæ frequenter accidunt, essent immunes. Quòd verò Censura metu illata sit irrita, non est fauor ecclesiasticæ potestatis; sed eius, in quem fertur, & rarò extorquetur. Quod si aliquando id accidat facilè potest reuocari. Porrò, quod metu lata non sit invalida Iure naturæ; ex eo probant communiter Auctores, quia gesta per metum Iure naturæ valida sunt, sicut contractus iuxta magis communem sententiam. Quâ de re egimùs in nostro opere de Iustitiâ agentes de contractibus in genere, & absolutè metus non tollit inuoluntarium simpliciter. Vnde quòd sufficit ad contrahendum sufficit ad ferendam Censuram. & communiter dici solet gesta per metum regulariter loquendo esse valida *L. si mulier.* §. *si metu ff. de eo quod metus causâ.* Quòd si contractus metu initus aliquis est inualidus, id Iure Naturæ plerique non putant esse, sed ex mero Iure positiuo. De hoc tamen suo loco satis diximus. Legantur quæ dicemus *disp.* 3. *dub.* 33, vbi assignabimus disparitatem inter ferendam, & absoluendam Censuram cum pluribus Authoribus.

Asserendum Censuram metu graui latam esse validam. Ita Suares

Iure positiuo tantum fit irrita absolutio per metum extorta non autem illatio Censuræ.

Quod Censura metu lata non sit invalida iure naturæ probant Auctores.

DVBI-

DVBITATIO IX.

Quis poſſit Cenſuras ferre duraturas poſt ferentis mortem.

Cenſura aliquando fertur a Iure de ſe Perpetuo

Aliquando ab homine per modum præcepto

163. ALiquando ferri ſolet cenſura à Iure, ſeu ſtatuto; quæ de ſe perpetua eſt, quamdiù non abrogatur à Superiore, vel ab æquali, ſcilicèt à ſucceſſore, vel per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam. Aliquando verò fertur Cenſura ab homine per modum ſententiæ, aut præcepti, quæ expirat cum ipſo Auctore; hanc diuiſionem communiter tradunt Doctores in excommunicatione. Eſt autem eadem ratio de ſuſpenſione, ut notat Abbas *in c. vltimam de Clerico ex communi Miniſtr. n. 4.* Caietanus, Syluest. & alij Summiſtæ verbo *Suſpenſio*, & idem etiam eſt de Interdicto, vt notat Calderinus *Tract. de Interdicto t. p.* & Suarius *diſp. 3. ſect. 1. n. 2.* quamuis hæc Cenſura rariùs, vt ait Suarius, videatur ipſo Iure ferri. Cenſura quidem à Iure eſt perpetua, & ſemper ligat eos, qui contra faciunt. Cenſura verò ab homine non ligat eos, qui poſt eius finitam Iuriſdictionem transgrediuntur. Legatur Nauarrus *c. 27. n. 2.* Suarius *citatâ diſp. 3. ſect. 4. a. n. 10.* qui ait hoc eſſe verum, etiamſi Cenſura per ſententiam generalem pro futuris culpis lata ſit. Quæ communis eſt ſententia Canoniſtarum cũ Gloſſa *in c. A nobis verſ. non niſi de ſententia excommunicationis*, Tabiena *excommunic. 2. n. 10.* Nauarrus *c. Placuit de pœnis. diſt. 6. n. 35. & 161.* Vgolinus *Tabula. t. c. 2. §. 2. & c. 9. §. 4.* Horum autem rationem impugnat Suarius, & ipſe id probat ex ipſo vſu, & conſuetudine, quæ vim habet legis, Fundarique poteſt in ipſo Iure, quia mandatum expirat morte mandantis c. *Relatum* c. *licet.* c. *gratum*, de *officio deleg.* & *L. Mandatum* c. *Mandati* & §. *rectè.* Inſtituta eodem titulo. Nec ſolum expirat morte mandantis; ſed etiam quocumque modo ceſſet mandantis Iuriſdictio pro eo tempore ſententia non habet vim. Vnde, ſi ſententia ſuit conditionata, ſi intra menſem non reſtitueris, & cum completur illud tempus, Iudex mortuus eſt, vel ab officio amotus, non incurris. Si verò erat ſuſpenſus, aut excommunicatus pro eo quidem tempore non contrahis; ſed poſteà ablatâ à Iudice ſuſpenſione, aut excommunicatione, ſi perſeueres in non reſtituendo, incurres. Si verò Iudex tulit excommunicationis ſententiam; ſi v.g. homicidium, vel periurium cummiſeris & peieraſti, vel occidiſti tempore quo Iudex eſt ſuſpenſus, non contraxiſti tunc, quia tunc inhabilis erat Iudex; nec poſteà, etiamſi ablata ſit Iudicis ſuſpenſio, quia conditio ſolùm pendebat ex illo actu, & ex illo puncto temporis, quo deliquiſti, & poſteà nulla fuit noua contumacia. Ita Suarius *Suprà n. 15.* Auila *p. 2. c. 1. diſp. 2. dub. 1. §. Tertio diuiditur*, adiunctis ijs, quæ *dicit c. 3. diſp. 1. dub. 4.* Quos Auctores ſequuntur. Alij Recentiores, ſi verò ſemel contraxiſti excommunicationem ex vi ſententiæ Iudicis: tunc etiamſi Iudex moriatur, vel amoueatur, ligatus manes, quouſque abſoluaris, quia ſemel contracta Cenſura non pendet

Cenſura a Iure eſt perpetua & ſemper ligat eos qui contra faciunt. Cenſura, ab homine ligat eos qui poſt eius finitam iuriſdictionẽ tranſgrediuntur.

Ratio.

à Iudice in conſeruari, vt habetur *c. Paſtoralis §. 1. de officio ordinarij* & c. vnico *de Maiorit. & obed. in 6.* Ita Suarius ſuprà n. 16. cum alijs, quos refert, & ſuprà retulimus. Iam verò ad quæſtionem propoſitam reſpondeamus.

164. Aſſerendumque in primis eſt Summum Pontificem, & Concilium generale poſſe ferre Cenſuras à Iure per modum legis pro toto orbe, vt condendo legem, ne hoc vel illud fiat ſub cenſurâ latæ ſententiæ. Deinde Epiſcopi, & Concilia, Prouincialia, ſeu Synodalia poſſunt Cenſuras ferre ſub eâdem forma, quæ obligent in ſuis diœceſibus, condendo ſcilicèt Conſtitutiones, quæ, non tàm leges, quàm ſtatuta dicuntur, & durant donec per alium renocentur, vel per ſuperiorem (etiam mortuo, vel amoto conditore) ſiue id ſit, quia à Chriſto Domino, & ex Iure Diuino Iuriſdictionem acceperint, vt aliqui volunt; ſiue (vt alij putant) quia à ſommo Pontifice talem Iuriſdictionem acceperunt cõdendi ſcilicèt leges Synodicas, & diœceſanas. *Aſſerendum*

165. Quamuis autem Gloſſa in *c. Si quis de maiorit. & obed.* & Syluest. *ſuprà. & verbo* Excommunicatio *1. n. 5.* putent hanc poteſtatem conuenire Epiſcopo ſolùm in Synodo ſuorum Parochorum, hoc tamen (vt rectè notat Vaſquez *ſ. 2. diſp. 153. c. 1. n. 4.*) nullo Iure probatur, atque adeò etiam extra Synodum videtur habere talem poteſtatem. In quo etiam conſentit Suarius *lib. 4. de legibus c. 5. n. 1. & 2.* Vbi probat Epiſcopum poſſe ſine capitulo, aut Clero ſtatuta facere, præterquàm in caſibus in Iure expreſſis, vel in rebus, quæ poſſunt vergere in præiudicium capituli, vel cleri, quia Papa poteſt illi limitare, & reſtringere poteſtatem.

Epiſcopus extra Synodum habet poteſtatem ferendi cenſuras.

166. Deinde eandem poteſtatem conceſſit Pontifex legatis ſedis Apoſtolicæ in Prouinciâ ſuæ Legationis, vt notant Sylveſt. & Vaſquez locis citatis, & habetur *c. vltimo de officio Legati* & *c. ex reſcripto. de locato. & conducto.* Eamdem poteſtatem condendi ſtatuta perpetua, ſeu conſtitutiones conceſſit Pontifex ſuperioribus Religionum in congregatione, ſeu Capitulo generali, vt apertè conſtat ex priuilegijs, & tradit Vaſquez *ſuprà n. 6.* alij autem Prælati omnes nequeunt condere leges, aut ſtatuta atque eorum præcepta, & cenſuræ ab eis poſitæ, etiam in ſcriptis expirant & ceſſant mortuo, vel amoto ab officio earum Auctore vt poſt Syluestrum, & Vaſquez tradit Auila *Tract. de Cenſuris p. 2. c. 3. diſp. 1. dub. 4.* ſunt enim (ait Vaſquez *diſp. 152. c. 3.*) ſimiles Dynaſtis in quolibet Regno ſcilicet Marchionibus. Comitibus &c. qui licet ſint Præfecti Provinciarum, & ſuis ſubditis præcepta imponere poſſint, leges tamen, aut ſtatuta ferre non poſſunt, niſi ſpecialiter id alicui concederetur à Rege; ſed legibus communibus Regni gubernare debent ſuas Prouincias. Quòd ſi in aliquâ Communitate ſtatutum ſit, vt mandata ſuperiorum non exſpirent ſed etiam illo amoto vel mortuo, aut aliter ceſſante Iuriſdictione illorum, perſeuerent, id non erit virtute mandantis, & non iam ſubſiſtentis; ſed virtute talis legis aut ſtatuti ſic ſtatuentis. Ideò in noſtrâ Societate ſtatutum fuit, olim quidem, vt mandatá Generalis Præpoſiti non ceſſarent illo defuncto. Poſteà verò in Congregatione Generali 9.

Eamdem poteſtatẽ cõceſſit pontifex legatis Apoſtolicis in prouincijs ſuæ legationis.

Item Superioribus Religionum in capitulo generali.

Decreto

decreto 12. id ipsum extensum fuit ad præcepta aliorum superiorum. Verum autem id ipsum de Censurâ intelligendum sit; vellem esse clarè decisum. Id interim videò in ipsâ Censurâ essentialiter involui plura præcepta, vt ex se patet in excommunicatione, vi cuius prohibetur celebrare & ministrare Sacramenta &c. videntur ergo manere talia præcepta; sed hoc intelligendum est semel incursâ censurâ ob transgressionem præcepti primarij. Verùm autem hoc præceptum primarium ob quod fuit imposita censura non solùm ipsum in se cum suâ pœnâ maneat, ita, vt si postquàm cessauit superioris iurisdictio, non tantùm præceptum perseueret, sed etiam censura, quam incurrat qui contra illud peccet non videtur sufficiēter declaratum. Multum autem refert id scire. Nam, si incurratur censura, & sub eo peccato inobedientiæ cum censura quis celebret non solùm sacrilegè celebrabit; sed suspensionem, & posteà irregularitatem incurret; si verò duret quidem mandatum, sed non censura, etiamsi sacrilegè celebret, non incurret prædicta.

167. De capitulo verò, aut vniuersitate Clericorum, aut Doctorum videtur sentire Syluest. *loco citato* posse facere statuta siue leges, sed tandem docet id esse verum, si ea approbet Papa, vel Episcopus & non aliter. Quod etiam dixerat verba *Constitutio* & docet Vasquez *disp. illâ* 153. *n.* 10. & Auila *suprà*, qui rectè addit cum Syluestro *verb. Capitulum q.*6. & cum Panormitano *c. à Nobis* 1. de *sent. excommunicationis n. vltimo* de Capitulo Sede vacante censendū esse, quòd possit condere statuta & excommunicare per modum statuti, ita, vt duret post aduentum Episcopi successoris; est enim de Naturâ statuti, quod duret etiamsi expiret potestas statuentis, *ex c. finali de officio Legati.* Poterit tamen Episcopus statutum illud reuocare; nec mirum, quod Capitulum Sede vacante possit facere Statuta, quia succedit Episcopo in omni suâ potestate ad gubernandum.

Capitulum Sede vacante potest condere statuta & Excommunicare per modum statuti, ita vt duret post aduentum Episcopi.

168. Addit etiam Auila *suprà* cum Soto *disp.* 22. *q.* 2. *art* 1. ante 2. *conclus.* & cum Ledesma. Mexia *difficult.* 7. *de Excommunic. conclus.* 3. Visitatores diœcesium, vel Religionum, dum visitant, posse facere ordinationes in scriptis cum pœnâ excommunicationis, quæ durent donec per alium reuocentur. Oppositum tamen dicit Nauarrus *c.* 27. *n.* 2. sed hoc Nauarri dictum ait Auila *p.* 2. *disp.* 2. *dub.* 1 intelligi debet *de Excommunicationibus* quibus iubent sibi aliquid reuelari.

Visitatores diœcesium vel Religionū possunt facere ordinationes quæ durēt donec reuocentur.

169. Mihi verò de visitationibus Religionum præcisè nitendo in munere visitatoris, difficile videtur. quādo a Generalibus prouisi sunt, quia si Generales, sine consensu Capituli, seu Congregationis non habent ad id potestatem. Quomodo eam visitatoribus conferent dixi nitendo præsisè in munere visitatoris; nam ex alio capite possunt eiusmodi statuta, & Censuræ latæ durare, etiam visitatoribus mortuis, vel amotis; nam si Generalis speciali aliquo decreto suo, vel etiam generali sufficienter intimato decreuerit, vt quæ visitatores à se missi, aut etiam Prouinciales, statuerint in suis visitationibus vim habeant, donec ab ipso Generali, vel ab alio visitatore à se etiam misso reuocentur, tunc perseuerabit quidem tale mandatum, seu statutum, eius tamen vis non nitetur præcisè in auctoritate, & munere visitatoris; sed in auctoritate Generalis sic mandantis. Durabit ergo tunc quādiu Generalis non reuocet, & ille perseueret in munere cessabit tamē mortuo vel à moto. Ex alio etiam capite fieri potest, vt etiam amoto & mortuo visitatore, Prouinciali, aut etiā Generali perseueret tale statutum, seu mādatum, quòd immediatè manauit a visitatore, vel Prouinciali; si nimirum in aliquâ Religione statutum sit in capitulo Generali, quòd tales ordinationes, visitationes, statuta, mandata, &c. vim semper habeant donec vel a successore, vel ab alio superiore maiore, aut ab ipsa congregatione, seu Capitulo reuocentur; tunc enim etiam mortuo Generali perseuerabit tale statutum, & quidem quod ad praxim attinet, si in aliqua Religione vt v. g. in nostra Societate vsu receptum, aut statum sit, quod ea, quæ Prouinciales, seu visitatores in singulis domibus, seu Collegijs statuerint, ad Generalem mittantur, & ille videat & approbet imò iuxta ordinationes, & vsum receptum ea scribantur in libro ad id deputato & in ijs ordinationibus se superior subscribat, vt res in posterum perseueret, imò & Prouincialibus seu visitatoribus sequentibus mandatum sit, aut in suis Regulis, seu facultatibus præscriptum, vt quando visitent Conuentum legant prædictum librum & visitationes ibi contentas, easque si fortè videat non obseruari, redintegret, & obseruari curet vel moneat superiorem de causis, ob quas iam prædicta non seruentur, vt ille statuat quid faciendum sit: si hæc (inquam) omnia in aliquâ Religione sint vsu recepta, & in prædictis visitationibus contineantur aliqua præcepta sanctæ obedientiæ, vel simul etiam Censuræ, perseuerabunt amoto, vel mortuo visitatore, aut Prouinciali; nixæ tamen eæ ordinationes non præcisè in præcepto illorum immediatorum Superiorum, sed in confirmatione, vel Generalis pro tota suâ vitâ, aut voluntate, vel tempore Iurisdictionis, vel in perpetuum donec legitimè reuocentur, si confirmatio proueniat à Capitulo generali seu à Superiore cum consensu Capituli; sed in his omnibus Constitutiones, Regulæ Leges & vsus, seu Consuetudo legitimè præscripta seruari debent in quauis Religione.

Author hoc limitat quoad visitatores Religionum.

Obseruandum quoad Praxim circa illa quæ visitatores in singulis monasterijs statuerint.

Quoad hæc omnia constitutiones & leges Religionum obseruanda sunt

DVBITATIO X.

An Episcopus existens extra suam diœcesim possit ferre Censuras in suos subditos?

170. Asserendum est non posse habetur *ex c. Episcopum* 9. *q.* 2. iuncta Gloss. ratio est, quia Iurisdictio contentiosa non potest exerceri in alieno territorio, vt probat Couarr. *lib.* 3. *variarum c.* 20. *n.* 8. & Doctores communiter, & est Textus in *c. nouit.* de *officio delegati,* & l. 2. *ff. de officio Proconsulis*, facit ad hoc ratio Textus *c. vt animarum* de *Constit. in* 6. *Cùm extra territorium Ius dicenti non pareatur impunè.* Diana referēs Ioannem præpositum à quo tamen dissentit in exceptione mox à nobis adhibenda, lega-

Asserendum Episcopum existentem extra suam diœcesim nō posse ferre Censuras.

legatur Diana 5. p. Tract. 9. resol 35. Quæ assertio locum habet, etiamsi per vim esset expulsus à suâ diœcesi. Ita Sylvest. *excommunicatio 1. n. 6.* & Nauarrus *c. 27. n. 6.* atque uterque sicut & Diana addit limitationem, nisi in re adeò manifestâ, quæ non requirat causæ cognitionem, vel, nisi de consensu Episcopi illius diœcesis. In quo etiam consentit Sayrus *lib. 1. Thesauri c. 6.* prope finem. Layman *lib. 1. Tract. 5. p. 1. c. 4. n. 8.* Addit Nauarrus, nisi Episcopus ferat sententiam in loco viciniori suo Episcopatui iuxta Clem. 1. *de foro competenti.* Quæ concedit Episcopis vi expulsis è suo Episcopatu, vt in loco ei viciniori suam iurisdictionem exerceant petitâ (quãuis nõ obtẽtâ) licẽtia ab Episcopo loci In quibus casibus Censuras potest ferre in alieno territorio alioquin censeretur alienum territorium inuadere, & violare; atque hæc est potissima ratio, ob quam non possit, non verò illa, quæ afferri solet, scilicèt, quod extra territorium non habeat subditos; constat enim eos, qui ratione domicilij, aut beneficij ordinario subditi sunt, licèt extra diœcesim abeant, semper iurisdictioni subiectos manere, vt ipsis proinde imperari, & sententia in eos ferri possit, vt notauit Abbas citato *c. Cùm contingat. n. 7.* quem refert, & sequitur Layman suprà, & alij citati, qui cum eodem Abbate *c. nouit.* n. 3. & alijs citatis id totum confirmat, & constabit ex dicendis *dub. sequenti.*

Ratio potissima.

DVBITATIO XI.

An Excommunicatio Episcopi liget suos subditos extra territorium commorantes? & alienigenas existentes intra suum territorium?

171. IN hac dubitatione plures includuntur casus, variæque sunt Auctorum opiniones, nec improbabiles, breuiter explicabo quid mihi videatur probabiliùs.

Asserendũ 1.

172. Assero 1. si Excommunicatio Episcopi lata sit per Constitutionem, seu statutum perpetuum, non ligat subditum existentem in territorio alieno pro crimine commisso in illo territorio alieno. Hæc assertio certissima est apud omnes Auctores, quos viderim, & habetur expressè in. c. *vt animarum* de *Constit. in 6.* vbi Geminianus alijque Doctores Panormitanus in c. vltimum *de foro competenti* n. 4. Couarruu. *c. Alma mater p. 1. §. 10. n. 13.* Diana postea citandus cum alijs, atque habet locum assertio, etiamsi Episcopus exprimat suam intentionem esse ligare subditos extra territorium delinquentes; quo casu Bartholom. & alij dixerunt ligare. Hoc tamen rectè impugnant Couarruu. *citato §. 10.* & Recent. post Syluestrum *verb. Excom. 2. n. 7.* ratione desumptâ ex ipso Textu, quia ibi Pontifex non dicit illum subditum non ligari ex defectu voluntatis statuentis; sed potiùs ex defectu Iurisdictionis, vt patet ex illis verbis Pontificis, *quia extra territorium ius dicenti non paretur impune;* id est cùm sit dignus pœnâ, qui paret Iudici dicenti ius extra proprium territorium, vel fortè alio sensu *impunè non paretur* id est nulla pœna, aut culpa incurritur ex eo quòd illi non pareatur. Rectè autem limitat Syluest. *suprà n. 8.* & 9. nostram assertionem, & prædictum Textum, vt intelligatur, quando delinquens, & res, circa quas delinquit, & ipsum delictum, sunt totaliter extra territorium statuentis.

Rectè limitat Syluest. nostram assertionem.

173. Consultò etiam dixi pro delicto commisso in territorio alieno, quia in eo tantùm casu loquitur citatum c. *vt animarum.* Vnde, si delictum commissum fuit in proprio territorio, vbi per statutum est imposita Censura, etiamsi tempore, quo est incurrenda, iam se receperit delinquens in territorium alienum, illam incurret, vt, si in diœcesi Conchensi sit statutum vt omnis homicida ipso facto sit excommunicatus, & in eo aliquis alium lethaliter vulneret; quãuis iam sit in aliâ diœcesi, quando vulneratus moritur, atque adeò, quando vulnerator incipit esse homicida, nihilominùs excommunicationem contrahet, etiamsi in aliâ diœcesi non sit imposita excommunicatio, & idem est in peccato Simoniæ, & similibus vt docet Diana citandus & optimè contra nonnullos docet Suarius *disp. 5. sectione 5. n. 3.* & 4. & contra quosdã assignantes discrimen inter statutum, & inter præceptum, seu sententiam; quòd scilicèt, statutum non liget existentes extra territorium; sententia verò, seu præceptum liget etiam extra territorium existentes. Cùm tamen, vel nulla sit assignanda differentia, vel assignanda sit inter delinquentes extra, vel intra Territorium. Quâ de re placet speciatim nunc disputare.

Delictum committens in proprio territorio incurrit cẽsuram extrà illud existens tempore quo est incurrenda.

174. Quærimus ergo an, si subditus contra sententiam, seu mandatum sui Episcopi sub pœnâ excommunicationis, vel suspensionis aliquid agat, vel omittat extra diœcesim, vel in loco exempto vt, si Episcopus Clerico peregrinaturo sub pœnâ suspensionis præcipiat, ne aleis ludat, vel arma prohibita ferat, incurrat tunc Cẽsuram nec ne?

An subditus aliquid contra sẽtẽtiã sui Episcopi sub Censura pœna latam agens extra diœcesim, Censuram incurrat.

175. Prima sententia negat. Ita Coninc *disp. 13. dub. 7. num. 61.* Henriquez *lib. 13. c. 26. n. 1.* Auila de *Censuris p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2 conclus. 1.* Sayrus *lib. 1. Thesauri. c. 6. n. 40.* Petrus de Ledesma *Tract. de Excommunic. c. 5. post 4. conclus.* & alij quos refert & sequitur Diana tamquam probabile *3. part. Tract. 5. Resolut. 74. §. verùm,* vbi oppositam sententiam etiam putat probabilem. Negat etiam Basilius Pontius de Matrimonio *lib. 5. cap. 7. §. 2. n. 20.* existit in alieno territorio; putat verò, si post delictum extra territorium commissum redeat ad suum territorium posse ab Episcopo puniri, refert pro se Gabrielem in *4. dist. 1. q. 2. conclusione 2.* Probat Auila, quia, quamuis dictum *c. vt animarum*, loquatur de Excommunicatione positâ per statutum, tamen ratio, quam adhibet Pontifex, æquè vim habet in excommunicatione latâ per præceptum, seu sententiam, siue particularem, siue generalem. Probat. 2. Ledesma, quia Episcopus non potest punire subditum delinquentem extra territorium dum ibi manet, pænâ temporali, siue corporali, ergo nec spirituali. Tertiò probat à simili, quia Rex, aut Iudex sæcularis nullo modo potest punire subditum delinquentem extra Regnum, vel territorium; ergo nec Episcopus. Non me latet Suarium dum de loco exempto

Prima sententia negat.

exempto agitur non putare intelligi monasteria intra dioecesim & limitia quae non eximuntur nisi ratione personarum, sed oppositum tenet Diana cum Bonacina & Sequillante quos refert, & quidem in gratiam personarum fit talis exemptio, fit tamen, & est exemptus locus; sicut bona alia in gratiam personarum earumdem eximuntur, sunt tamen exempta à tali Iurisdictione vide Dianam 5. part. Tract. 9. Resol. vbi plures Resol. 32. 33. & 37. & 66.

Haec opinio Authori probabilis videtur sed opposita probabilior. 176. Haec opinio satis probabilis est, mihi tamen probabilior est opposita, praedictis verò argumentis respondebimus *dub. sequenti*. Asserendum ergo est 2. Censura lata ab Episcopo per praeceptum siue sententiam particularem, vel generalem ligat suos subditos delinquentes extra proprium territorium. Haec assertio est de mente Canonistarum, qui communiter aliter loquuntur de Sententiâ quam de statuto; nam per sententiam aiunt posse excommunicari existentem in alieno territorio non verò per statutum, & videre licèt in Abbate *c. vltimo de foro competenti*, & in Vgolino Tabula 1. c. 9. §. 2. & 3. n. 4. & docet Suarius *disp. 5. sect. 5. in fine* Sa verbo *Index de sententiâ, & citatione n. 8.* & alij Canonistae apud Abbatem, & Vgolin. qui, quamuis loquantur de existenti extra territorium; tamen de delinquenti id intelligunt, vt optimè notat Suarius *suprà*, quia regulariter, & moraliter non accidit, vt qui delinquit in vno territorio, tempore contrahendi Censuram iam sit in alio; imò, si quando id accidat, existentia ipsa impertinens est, vt latè probat Suarius, Item, quamuis Canonistae non declarent, an loquantur de sententiâ generali, vel de particulari tantùm: rationes tamen, quas afferunt, vtrique communes sunt. Quatum Summa est quòd Statutum respicit territorium, vt omnes, qui ibi adsunt intelligant, quid ibi agendum sit, vel cauendum. Vnde obligat omnes ibi existentes etiam externos, & peregrinos (vt multi volunt) & extra territorium neminem obligat, etiam ex subditis, dum alibi commorantur. Sententia verò respicit personas vbicumque sint. Quam doctrinam etiam sequitur Layman *supra n. 7.*

Statutum respicit territorium: extra quod neminem obligat. Sententia verò respicit personas vbicumque sint.

Ex hac sententia colligitur. 177. Ex hac sententiâ videtur colligi subditum transgredientem sententiam Praelati, etiam cùm existit in alieno territorio, Censuram incurrere, vt latè probat Suarius, & Laym. *ibidem*; & ex differentia huiusque dictâ sumenda praecipuè ratio est assertionis, quae amplius declarabitur post tertiam assertionem.

Potest per sententiam ab homine censura sub generali conditione si quis fecerit tale peccatum. 178. Quod verò possit per sententiam ferri ab homine Censura generali sub conditione; si quis fecerit tale peccatum, non videtur dubium, omnes enim concedunt fore validam, quamuis multi dicant id esse prohibitum *in c. Romana de sententiâ excommunicationis in 6.* sed ibi tantùm prohibetur, ne id fiat sine causâ rationabili. Et quamuis contineretur ibi absoluta prohibitio, per consuetudinem contrariam esset abrogata, differt autem generalis sententia ab statuto quòd hoc perpetuum est, non illa, deinde quod (vt dicebamus) hoc non ligat extra territorium; illa verò ligat extra illud.

Differentia generalis sententia a statuto.

Asserendũ 3. 179. Assero 3. Episcopus benè potest procedere, atque adeò etiam ferre Censuram contra subditum alienum, quando deliquit in proprio territorio ipsius Episcopi, & ibi manet. Haec assertio est certissima, & ab omnibus conceditur, qui (vt habetur *in c. postulasti. & in c. finali de foro comp.*) ratione delicti sortitur quis forum, & per consequens fit subditus ordinario ipsius loci atque adeò poterit puniri poenâ excommunicationis sicut, & qualibet aliâ poenâ. Dixi autem *quando ibi manet*. Nam, si antequam excommunicetur, & citetur, profectus est, non potest excommunicari: Si autem praeuentus fuerat citatione, antequàm discederet: tunc etiam poterit excommunicari, quia tam inceptum erat Iudicium in loco, & tempore, quo erat Subditus: ergo rectè potest fieri. Ita Siluest. *verbo excommunicatio 2. n. 10.* Armilla *n. 35.* Henriquez *supra n. 2.* Auila *supra dub. 3. conclus. 1. & 2.*

Episcopum posse ferre censuram contra subditum alienum delinquentem in proprio territorio Episcopi Ratio est.

Asserendũ 4. 180. Assero 4. qui existens in alieno Episcopatu frangit consuetudinem receptam, siue legem, aut statutum sub censurâ positum, probabilissimum est eius Censurâ ligari. Ita communiter Canonistae praesertim Panormit. *in c. a nobis 3. de sent. excommunic. n. 7. & in c. vltimo de foro compet. n. 39.* Syluest. *Excommunic. 2. n. 5.* Tabiena *Excommunic. 4. n. 2.* Couarruu. *citato c. Alma mater 1. p. §. 10. n. 2.* Sa *verbo excommunic. n. 12.* Graff. *lib. 4. decis. c. 8. n. 39.* Vgolinus, Henriquez & Auila *supra*. Suarius paulò post referendus & alij apud Dianam 3. part. Tract. 5. Resol. 73. ferè omnes, praeter Suarium, probant; quia ille fit subditus ratione delicti. Haec tamen ratio petit principium, adeòque insufficiens est, & nihil valet, quare efficaciter reijcit Suarius *disp. 5. sect. 5. à n. 10.* tùm, quia statutum potest esse de re non intrinsecè malâ, sed solùm malâ, quia prohibita in eâ dioecesi, vt, si sit de abstinentia à carnibus, vel de Ieiunio, aut festo ibi seruando, tunc autem Peregrinus, qui ibi moratur; nisi supponatur esse subditus, & obligatus ad seruandum statutum, nullum admittet peccatum, seu delictum, atque adeò non incurret censuram vllam: tùm etiam; quia, quamuis faciat rem intrinsecè malam non potest talis homo incurrere Censuram ipso facto, nisi supponatur subditus, quia ad incurrendam Censuram ipso facto non sufficit delictum precisè spectatum, vt est contro legem naturalem, vel Diuinam; sed ut est contra Ecclesiasticam, & includit contumaciam, quae supponit obligationem talis legis, & consequenter subiectionè ad illam. Quare licèt delictum in alieno territorio commissum constituat hominem delinquentem talis fori, & suppositio foro possit citari, & contumax fieri, atque adeò excommunicari, vt probatum est *in 3. assertione*: tamen, si ante delictum commissum non est subiectus, fieri non potest, vt per delictum immediatè, & simul fiat subiectus, & contumax, & censuram incurrens.

Ratio Assertionis quam assignant aliqui insufficiens est.

Ratio vera & propria assertionis. 181. Ratio ergo vera, & propriâ est quam insinuauimus *in 2. assertione*, quia lex siue statutum, aut constitutio primò, & per se datur pro ipso territorio, vt in eo tali modo, ac ordine homines operentur, Vnde non solùm obligat homines habentes ibi domicilium; sed etiam peregrinos, qui ibi versantur; nam pro illo tempore

pore tenentur se conformare legibus illius territorij; quia ita expedit ad commune bonum, & pacem. Vt tradidit expresse D. Augustinus *Epistol. 86. ad Casulanum.* Vnde talis homo, licèt extraneus sit; si conscius est talis statuti, illo sufficienter admonetur, sicut & alij subditi: & si contra faciat, fit inobediens, & contumax, atq; adeò Censuram incurrit.

Cõfirmatur ex doctrina tradita in prima assertione.

182. Confirmatur ex doctrinâ traditâ in primâ assertione, nam, qui in alieno Episcopatu transgreditur statutum sui Episcopatus, non incurrit censurã eius, ergo obligandus est ad seruandum statuta alterius Episcopatus, in quo versatur, sub censuris eorum; alioquin ille fieret melioris conditionis, seu extra omne iugum & legem, solùm, quia in alieno territorio peregrinatur.

Cõfirmatur 2. ex communi vsu.

183. Confirmari potest 2. ex communi vsu, & illo vulgari axiomate *Dum fuetu Romæ, Romano viuito more.* Propter hæc probabilissima videtur hæc sententia.

Probabilis & tuta in conscientia est sententia quæ docet peregrinos nõ adstringi legibus loci in quo detinentur per modum hospitij.

184. Probabilis tamen etiam est, & in conscientiâ tuta sententia, quæ asserit Peregrinos, & forenses non adstringi legibus, aut consuetudinibus, siue statutis loci, in quo per modum hospitij detinentur cessante scandalo, & quando tales leges non obligant in suâ Patriâ. Qua de re latè, & doctè disputat Sanchez de *Matrim. lib. 3. disp. 18. a. n. 6.* & iterum in Summâ *lib. 1. c. 12. a. n. 19.* qui tamen optimè asserit sufficere, vt aliquis teneatur legibus, & consuetudinibus alicuius oppidi, vt maiori anni parte ibi sit habitaturus; non tamen; si per minus temporis. Ex quâ opinione manifestè sequitur, nec ligari Cẽsuris. Pro quâ sententiâ plurimos refert idem Sanchez vtroque loco, & præter illos dicent alij posteriores inter quos Diana citat. Resol. 73. Layman & Coninc apud illum, & colligit contra Basilium non ligari Censurâ qui sciunt aliquod furtum esse commissum, licèt lata sit contra non reuelantes; si tales sint transeuntes alienigenæ, de quo nunc non vacat latiùs disputare, dicemus suo loco maximè in Tract. *de legibus*, si Deo placeat.

Assertio 5.

185. *Assero 5.* si Censura feratur per præceptum siue sententia Iudicis, solùm ligat suos subditos; non verò alienigenas siue extraneos, etiãsi in eius territorio delinquant. Hæc assertio habetur *in 6. à nobis 1. de sent. excommunic.* atque ita intelligunt Textum illum Gloss. Innocent. Abbas, & alij Canonistæ ibi, & Vgolinus *citato c. 9. §. 2. n. 4.* Layman *suprà n. 5. & eodem lib. 1. Tract. 4. c. 12. assertione 3.* Suarius *disp. 5. sect. 5. à n. 7.* qui rectè assignat rationem nempe, quia præceptum, seu sententia Prælati respicit personas subditas, sinè vllo respectu ad locum, & ideò non ligat, nisi eius subditos; extraneos verò nullo modo, quia nullo modo subditi sunt: non enim ratione Domicilij, vt supponimus, nec etiam ratione delicti, quia tale delictum supponit obligationem legis illius; agimus enim de delicto inobedientiæ transgressionis mandati talis Prælati; obligatio autem supponit subiectionem: ergo ante delictum oportet, vt interueniat titulus subiectionis, qui in præsenti nullus est nullibi enim habetur in Iure, quòd Prælatus possit obligare suis præceptis extraneos in suâ diœcesi per modum transitus ibi existentes: quin potiùs non posse eos obligare colligitur apertè *ex c. cum contingat de foro competenti,* & ex *illo c. à nobis de sententia excommunicationis* cuius verba sunt *à nobis fuit ex parte tuâ quæsitum; vtrùm, si quis ita pronunciauerit, quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit. Hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur? an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de Iurisdictione illius? Ad quod dicimus, quod hac sententiâ non, nisi subditi, obligantur.* Quo loco, vt optimè expendit Suarius, sententia generalis est in omnes, & pro peccato omnino futuro. Pontifex tamen absolutè dicit eâ non obligari, nisi subditos, ac proinde sine vllo fundamento volunt ex parte limitare, & ex parte extendere hanc decisionem Pontificis Syluest. *Excomm. 2. n. 10.* Couart. *supra n. 2.* Henriquez & alij *supra* docentes, si Episcopus generali edicto excommunicet omnes, qui in futurum fecerint tale delictum, vel qui scientes non manifestauerint talem Scripturam, seu tale delictum, eos non comprehendi, qui tempore promulgationis non sunt subditi; atque adeò non comprehendi eos, qui posteà fient subditi, siue ratione delicti, siue ratione personæ, & domicilij, quia sententia (inquiunt) tantùm sumit vires in continenti. Quæ ratio nulla est, & falsum, quod ex eâ inferunt, scilicèt non ligare eos, qui posteà fiunt incolæ, & vicini. Quod etiam docet Layman *suprà.* Satis autem reijcitur à Suario nam si hæc sententia generalis fit, & pro futuro tempore duret, saltem quandiu durat Iurisdictio ferentis (in quo solùm distinguetur ab statuto, quod etiam duret post mortem sine dubio complectitur non tantùm eos, qui sunt subditi, siue per Nationem, siue per nouum vsum rationis, quia sententia illa non solùm habet vim, & efficaciam cùm primum fit; sed toto tempore, quo durat. Et sicut hæc sententia non obligat extraneos posteà ibi adfuturos etiamsi contra talem sententiam, agant: ita nec ligat eos, qui adsunt tempore, quo pronuntiatur sententia; quia eo ipso, quod sint extranei, non sunt subditi. Quod tandem videtur etiam concedere Aula, cùm dicat ita sentire viros doctus, nec ipse improbet: Couart. etiam fatetur Innocentium, Panormit. & alios ita sentire sicut nostra habet assertio: quæ absolutè tenenda est, cum & ratio eam suadeat, & Pontifex absolutè dicat sententiam non ligare, nisi subditos. Et à fortiori idem sentiunt, qui etiam de Censura per statutum non putant ligare externos.

Ratio assertionis.

Obligatio legis supponit subiectionem.

Differentia inter statutum & præceptum.

186. Concludendum igitur est hanc esse differentiam, & discrimen inter statutum, & sententiam siue præceptum; quòd statutum ligat omnes existentes intra Territorium, vbi est tale statutum, non verò delinquentes extra illud; etiamsi sint ex diœcesi, vbi est statutum, atque ita intelligendum est *c. vt animarum de Constitut.* at verò præceptum, seu sententia solùm ligat subditos, quatenùs tales. Ideò eos ligat, etiamsi per transitum merentur extra suam diœcesim, vt diximus *in 2. assert.* non tamen ligat externos, etiamsi in diœcesi, vbi fertur sententia, faciant contra illam: atque hac ratione intelligitur *c. A nobis de sententia excommunicationis citatum.*

Quæ omnia magis confirmabuntur ex dicendis sequenti dubitatione.

187. Hanc eandem doctrinam iterum tradit Suarius de *legibus lib.3.c.33.n.12.* quia scilicèt lex statutum, & consuetudo est perpetua, & afficit locum, seu personas mediante loco. At verò sententia, seu præceptum non est perpetuum, atque directè, & immediate cadit in personas subditorum.

Ex qua doctrina infertur. 188. Ex quâ doctrinâ infertur, quòd, si quis mutet domicilium statim desinit obligari non solùm statutis; sed etiam præceptis, & sententijs, etiam generalibus illius diœces. in quâ anteà habebat domicilium; quia iam desinit esse subditus. Quod verissimum est loquendo de præceptis, vel sententijs, quæ præcipiunt aliquid in futurū sine vllo respectu ad præteritum; nam, si præceptum, aut sententia sit de delicto præterito sub conditione in futurum v. g. nisi satisfecerit intra annum; tunc si delictum fecit in hac diœcesi, etiamsi, antequàm tempus impleatur, mutauerit domicilium, incurret Censuram, si hæc iam imposita erat, quia licèt iam non sit subditus ratione domicilij, ratione tamen delicti manet subiectus *per c. finale de foro competenti.* Quod optimè confirmat Textus *in c. 1. de Raptoribus, & c. 1. in principio de priuileg. in 6.* atque idem est, quando causa quæcumque, vt ratione concontractus, vel debiti, inchoata est in priori diœcesi; nam tunc, quantumuis mutet domicilium, manet subiectus quoad illam causam, vt expresse habetur in *c. proposuisti de foro compet.* & simile quid habet lex *si quis 7. ff. de Iudicijs*, atq; in hoc sensu vera est sententia Glossæ, Innocentij, Abbatis, & aliorum *in c. Præterea de appell.* Ita Suarius *de Censuris disp. 3. sect. 5.*

189. Quamuis autem prædicta omnia vera sint, non obstat quominùs Prælatus diœcesis, vbi quis delinquit, possit procedere contra externum delinquentem, ita, vt, si non pareat possit illum Censuris punire; iam enim fit subditus ratione delicti, qui ante delictum commissum, vtpotè nondùm subditus, non ligabatur Censurâ sententiæ, aut præcepti, etiam generalis iuxta dicta in tertiâ, & quintâ assertione. Placet nunc sequenti dubitatione aliqua per modum Corollarij ex præcedenti doctrinâ deducere, quæ possint ad praxim deseruire.

DVBITATIO XII.

De quibusdam pro praxi deducendis ex precedenti dubitatione?

190. EX dictis *dub. præcedenti* nonnulla possumus pro praxi inferre, quæ in cassibus particularibus difficultatem possunt ingerere.

Infertur 1. 191. Infertur primò Episcopum v.g. Conchensem posse excommunicare subditum, qui delicuit in suo territorio, etiamsi aufugerit in alienum. Ita Sotus *dist. 22. q. 2. art. 1. post primam conclusionem* Syluest. Excommunic. 2. n. 8. Armilla

Probatio 1. *n.* 30. Auila *supra dub.* 2. & alij. Probant, quia, si hic non posset excommunicari in territorio, in quo deliquit, cum non possit excommunicari in alieno, ad quod se contulit, facilè posset subterfugere excommunicationem, & per consequens Ecclesiastica iurisdictio facilè in multis casibus contemneretur, & defraudaretur, quantùm ad forum exterius.

192. Probat 2. nam. *c. vt animarum*, solùm loquitur de subdito delinquente in alieno territorio; sed hic delinquit intra proprium territorium: ergo non excusatur per hunc Textum. *Probatio 2.*

193. Hæ tamen rationes non multum habent roboris, nam, si delictum, quod commisit in pruprio territorio fuit furtum cui non erat annexa excommunicatio ipso facto, etiamsi postcà Episcopus excommunicet eum, qui fecit tale furtum, nisi intra certum tempus restituat, non incurret: si vera est horum Auctorum sententia, quæ docet propter peccatum extra territorium non incurrere; quia peccatum hoc contumaciæ, seu iniustæ retensionis extra territorium committitur. Si ergo incurrit, ut re verâ incurrit, & hi Auctores fatentur: ideò est, quia iuxta secundam assertionem nostram inpræcedenti dubitatione, sententia ligat etiam existentes, & delinquentes extra proprium territorium quia directè fertur in personas etiam absentes, vt earum contumaciam coërceat, & puniat. Vnde, etiamsi furtum fuerit commissum extra territorium, si valida est sui Episcopi excommunicatio, & habeat notitiam illius, incurret eam. V. g. si pars læsa ius suum requirat à proprio Episcopo dicens multa bona sibi per iniuriam ablata & petens, vt excommunicet omnes, qui iniustè retinent eius bona; nisi intra certum tempus restituant, & Episcopus sub excommunicatione latæ sententiæ id præcipiat omnibus suis subditis: tunc subditus huius Episcopi, si notitiam habeat talis sententiæ eam incurret, etiamsi in alienâ diœcesi, vbi manet, furatus fuerit pecunias abhomine illo, ad cuius petitionem excommunicatio fertur. Quod absque dubio concedendum est, & negari non potest, vt ait Suarius *supra sect. 5. n. 5.* quia illa sententia iusta, & valida est. Nec obstat, quod is, in quem fertur Censura, sit extra territorium ferentis, quia Censura ferri potest in absentem: ligareque Censurâ existentem in alieno territorio non est propriè exercere Iurisdictionem in alienâ diœcesi, sed habere ibi effectum, & quoad hunc illum attingere; vt sic dicam per actionem in proprio territorio exercitam, & cum Cornejo docet Diana *5. part. Tract. 9. Resol 34. §. Respondetur.* Hoc autem non est terminos Iurisdictionis excedere, sicut potest superior præceptum imponere subdito in alieno territorio existenti, vt ex sequentibus corollarijs magis patebit, & concedit Abbas *c. vltimo de foro compet. n. 32. & sequentibus* & ibi alij Canonistæ. Quando verò citatio, vel alij actus exterioris fori debent fieri in alieno territorio: tunc necessaria erit requisitoria, & per eam de Licentiâ Episcopi illius diœcesis debet fieri; vt dicemus infra in *responsione ad 2. argumentum factum dub. præcedenti in fine primæ assertionis*; quamuis Syluest. & alij videantur concedere id non esse necessarium. *Hæ rationes non multum habent roboris.* *Vera Ratio.* *Nec obstat quod is in quem fertur Censura sit extra territorium ferentis. Ratio.*

194. Secundò infertur si Episcopus præcipiat sub excommunicatione latæ sententiæ, vt omnes Clerici veniant ad Synodum Clericos subditos *Infertur 2.*

subditos ligari, etiamsi in alieno territorio existant. Quod etiam concedunt Syluest. Couarr. Auila, & alij *suprà*, qui, cùm in hac re satis videantur contradicere suæ sententiæ, diù multumq; laborant in reddendâ ratione, quæ non pugnet cum alijs à se dictis, atque eam præcipuè reddunt: quòd scilicèt hoc est in vtilitatem, & bonum co mmune ipsius diœcesis, seu Prouinciæ, ac proinde tunc licet alibi delinquant, non censentur extra territorium delinquere cùm delinquant in iniuriam ipsius territorij, ideoque quodammodo in illo peccent. Atque idem putat Couarr. dicendum, quando Episcopus prohiberet sub censurâ, ne quis triticum, vel alias merces necessarias extrahat à diœcesi, & in alienâ diœcesi eas vendat quia totum spectat ad commune bonum propriæ diœcesis.

Ratio illationis iuxta aliquos

195. Verùm hac ratione, ni fallor, non satisfit difficultati propositæ: tùm quia re verâ hoc peccatum extra territorium committitur: & (vt argumentatur Suarius sup. n. 18) non solùm propter illam causam boni communis; sed etiam propter alias causas iustas pertinentes ad bonum ipsius subditi, vel aliorum particularium poterit Prælatus Ecclesiasticus, etiam sub Censura præcipere subdito, ita, vt teneatur parere, & seruare præceptum vbicumque sit. Si enim propter aliquod delictum iustâ sententiâ Prælatus interdixerit subdito, vt per duos annos, aut tres abstineat à celebratione Missæ præterquam in diebus festis, quis dicat hunc subditum extra suam diœcesim posse omnibus diebus sacrum facere? Item cur non poterit Episcopus ex iusta causa alicui præcipere ne extra diœcesim sacrum faciat, vel quid simile?

Hac ratione non satisfit difficultati. Ratio.

196. Hoc in Religiosis appertissimè probatur; quis enim neget posse Prouincialem, vel Abbatem, seu Rectorem sub excommunicatione præcipere subdito, ne ingrediatur domum suspectæ fœminæ vbicumque fuerit talis fœmina, vel vt ieiunet semel in hebdomadâ, quod facere tenebitur, etiamsi extra Prouinciam versetur. In quo clarè cernitur discrimen inter statutum, vel præceptum territorij aut Prouinciæ à præcepto personæ; nam licèt in Prouincia Societatis IESV. V. g. Toletana esset consuetudo, aut statutum sub Censurâ ieiunandi sexta feriâ, subditus, qui extra illam versatur, non tenebitur illo præcepto, nec incurret Censuram non ieiunando. Secùs autem est, si præceptum directè impositum est personæ.

Probatio exemplo religiosorum.

Discrimen inter statutum vel præceptum territorij aut Prouintiæ, a præcepto personæ.

197. Ad hoc tamen exemplum Religiosorum respondet Syluest. *Excommunicatio 2. n. 15.* cum Laurentio, & alijs, quos refert Prælatos Religiosorum non habere territoria diuisa. sed totum mundum esse eis pro territorio. Quæ tamen doctrina non videtur vera nullus enim Prouincialis potest extra suam Prouinciam exercere actus pertinentes ad iurisdictionem contentiosam; ideò rectiùs sentit Angelus *Excommunicatio n. 15. & verbo sententia n. 6.* Religiosos ligari eo modo, quo subditi Episcoporum: de vtrisque autem concedit ligari extra territorium sententijs, seu præceptis, quæ pertinent ad voluntariam Iurisdictionem, ad quæ non proceditur in formâ iudicij in alieno territorio; non tamen ligari præceptis, quæ pertinent ad contentiosam iurisdictionem, ad quæ necesse est procedere per modum iudicij in alieno territorio. Quod verissimum est, vt etiam dicemus *in solutione ad 2.* Nec obstat huic doctrinæ quod, si Religiosus fugiat à monasterio, possit vbicumque sit, à Prælato capi propriâ auctoritate, etiam non implorato auxilio brachij sæcularis, vt docet Nauarrus *lib. 5. Consiliorum. tit. de sent. excommunic. consi. 33.* quia etiam vir potest hoc modo vxorem vbicumque sit capere; hæc enim captio non tam est per viam Iurisdictionis, quàm per viam Dominij, & rei vindicationem. Adde hanc potestatem capiendi fugitiuum esse etiam à Papa, qui vbique habet ius talem capiendi & id potest superiori Regulari communicare.

Ad hoc Religiosorum exemplum Resp. Syluest.

Sed non bene

Religiosos ligari eo modo quo subditi Episcoporum rectius sentit Angelus.

198. Tertiò infertur, si Episcopus excommunicet omnes habentes beneficium in suâ diœcesi; nisi intra certum tempus venerint ad residendum personaliter, absque dubio incurrere illam, eos, qui vltra illud tempus extra diœcesim sponte versantur. Quod omnes Auctores concedunt. Et quidem, si Episcopus hoc præcipiat per sententiam, siue generalem, siue particularem in nostrâ opinione nullam habet difficultatem, quantumuis concedamus extra diœcesim delinquere. In opinione tamen oppositâ difficultatem habet non paruam, à quâ varijs modis illius auctores conantur se expedire. Respõdent Syluest. *excommunic. 2. n. 8.* Nauarrus *c. 27. n. 6.* & alij ideò incurrere, quia peccatum illud non residendi inchoatum fuit in proprio territorio licèt consummatum in alieno.

Infertur 3.

In opinione opposita difficultatem habet hac illatio a qua varijs modis conantur se expedire Authores.

199. Hæc tamen ratio nullius momenti est primò; quia, si vltimo die temporis præfixi erat absens, tunc ibi inchoabit peccatum; nam quãdo lex præfigit terminum, non inchoatur contumacia donec terminus præfixus compleatur. Secundò, quia Censura non contrahitur in inchoatione delicti donec consummatum est, & ideò precipuè est attendẽdum territorium, vbi consummatur; nam, si stuprum v. g. esset prohibitum in hoc Episcopatu sub Censurâ & aliquis decipiens virginem, eam traheret extra terminos diœcesis, quamuis in eâ per oscula, & tactus inchoaret delictum, si tamen non consummet donec sit in aliâ diœcesi, non incurret Censuram. Idem intelligi potest in homicidio, & alijs similibus. Prætereà; si quis occidat hominem in ecclesiâ existentem, quamuis loco extra Ecclesiam proijciat sagitam, & ibi inchoet delictum, incurret Censuram latam contra homicidam in Ecclesiâ. Secùs verò esset, si in Ecclesiâ inchoaret delictum inde proijciendo sagitam, & extra consummaret per occisionem hominis extra Ecclesiam existentis. Quæ omnia latiùs prosequitur Suarius *disp. 5. sect. 4. a. num. 7.* aliam rationem reddit idem Syluest. quem sequitur Auila *citato dub. 2. conclus. 3.* videlicèt. quoties res, propter quam imponitur præceptum, vel statutum est in Territorio statuentis, aut præcipientis, benè potest excommunicare existentem in alieno territorio, nec in hoc casu loqui, *c. vt animarum* de *Constitut.*

Ratio tamen illorum nullius est momenti.

200. Vera tamen ratio est, quod peccatum hoc non residendi in Ecclesiâ, vbi residendum erat

Ratio vera illationis.

erat ex obligatione; consummatur, & committitur in ipsâ Ecclesiâ; quia quod ibi prohibetur, est omissio residentiæ; hæc autem omissio in illâ Ecclesiâ fit, vbi residendum erat. Est enim priuatio, quæ ibi iudicatur esse vbi actio positiua esse debuit, quod etiam insinuant Nauarrus, & Syluester, dum dicunt, vbi quis tenetur aliquid facere, & non facit, ibi censeri factum delictum, saltem in fictione quâdam Iuris, & ob hanc rationem concedendum est, vt omnes Auctores fatentur, quod etiamsi per statutum imposita sit Censura non residentibus in suis beneficijs requirentibus residentiam, incurrent illam, qui extra diœcesim versantur. Quod etiam posset dici ijs, qui non veniunt ad Synodum.

Priuatio actionis ibi iudicatur esse vbi positiua actio esse debuit.

Inferunt multi. 4.

201. 4. Inferunt multi eum, qui contra statutum, seu præceptum sui Episcopi sub excommunicatióne latum, furatur, vel aliud delictum facit in loco exempto, vt in monasterio, non incurrere excommunicationem, etiamsi locus ille exemptus intra proprium territorium Episcopi contineatur. Probant, quia locus exemptus, & locus extra territorium æquiparantur, quoad iurisdictionem. Ita Syluest. cum multis, quos citat *verbo Excommunic.* 2. *n.* 12. Armil. *n.* 30. Tabiena. *Excommunic.* 4. *n.* 4. *circa fin.* Auila, Henriq. Laym. *suprà* & alij. Ex quo etiam inferunt, quòd si Episcopus excommunicet ingredientes Monasteria Monialium ad loquendum cum illis; qui ingreditur monasterium exemptum à Iurisdictione Episcopi non incurret; quia peccatum, ob quod est imposita excommunicatio, committitur in loco exempto. Si tamen ferat excommunicationem contra accedentes ad monasteria etiam exempta, incurrent, qui accedunt; quia via quâ pergitur ad monasterium, non est exempta. Ita Syluest. Armilla, Auila *suprà*; licèt Henriquez dicat in hoc etiam casu non incurrere, quia excommunicatio (inquit) non ponitur propter viam; sed propter peccatum intrandi.

Corollarij huius doctrina distinctio prohibenda est.

202. Verùm, si consequenter ad nostram sententiam loqui velimus, circa totam doctrinam huius Corollarij distinguendum est; si enim prohibitio fiat per sententiam, aut præceptum sub Censurà, qui contra faciunt, etiam in loco exempto incurrent in censuram, quia præceptum sequitur personam, vbicumque sit, vt dictum est. Si verò prohibitio fiat per statutum, vera est doctrina huius quartæ illationis præsertim, si locus exemptus sit oppidum, vel parochia aliqua exempta à Iurisdictione ordinarij, quia hæc magis propriè dicuntur loca exempta; Monasteria verò aut Ecclesiæ Religiosorum exemptorum; non, nisi ratione talium personarum ibi commorantium exempta censeri putant aliqui & ideò si personæ subditæ Episcopis intra ea frangerent statuta Episcoporum, censuras eorum incurrere putat Suarius *sect. illa* 4. *n.* 6. Quamuis autem Suarius nullum referat Auctorem, possunt referri Archidiaconus, & alij, quos refert Syluest. *suprà*; id enim expressè docent. Sed iam *suprà n.* 175. notaui hoc non tollere probabilitatem oppositæ sententiæ. Nam eximuntur quidem ea in gratiam personarum, exempta tamen sunt talia loca, in cuiuscumque gratiam id fiat, id autem de quo agimus non prouenit ex eo quòd locus in huius vel illius gratiam fiat exemptus, sed ex eo quòd re verâ sit locus exemptus, vt dictum est.

Inferunt 5. aliqui.

203. 5. Inferunt aliqui excommunicationem latam per Archiepiscopũ si lata sit per statutum, comprehendere etiam suffraganeos. Si verò feratur per sententiam, tantùm comprehendere diœcesanos. Ita Geminianus in *c. Romana de sent. excommunic.* in 6. Couarr. *sup. n.* 3. vbi ait hoc esse communiter receptum. Illud tamẽ primum intelligendum est habere locum tantùm, quando statutum factum est in Concilio Prouinciali, secùs enim tantùm ligat diœcesanos. Ita Gloss. in dicto *c. Romana* in principio, & in vers. *sententia*, & Auila suprà. Ratio est; quia Archiepiscopus non habet iurisdictionem ordinariam in suffraganeos Prouinciales; nisi in quibusdam casibus relatis à Syluestro *verbo Archiepiscopus*. Quâ de re latè & eruditè Azor 2. *tomo Summæ. lib.* 3. *c.* 33. & sequentibus, maximè *c.* 34. *quæsito* 9. Vnde rectè ait Couarr. quòd nomine subditorum Archiepiscopi propriè non intelliguntur suffraganei; sed tantùm diœcesani.

Notandum ex Auila

204. Tandem notandũ est ex *Auila* 2 *p. c.* 3. *disp.* 2. *dub.* 6. *in fine*, & ex Henriquez *lib.* 13. *c.* 25. *n.* 5. cum Armilla *Excommunicatio n.* 29. & Tabiena *Excommunicatio* 4. *n.* 2. Archiepiscopum, & mendicantes non fieri subditos ratione delicti. Verum, quantum ad mendicantes limitatum hoc est per Tridentinum *sess.* 6. *Decreto de Reform. c.* 3. *& sess.* 21. *de Reform c.* 8. & *sess.* 25. *Decreto de Regularibus c.* 14. in quibus locis designantur casus nonnulli, in quibus Regulares, etiam exempti, si delinquant, possunt ab Episcopis puniri.

Responsiones ad argumenta contra assertionem 2. facta dub. præcedenti nu. 175.

205. Iam verò ad argumenta *dub. præcedenti* facta nu. 175. quæ difficultatem videbantur habere contra assertionem secundam, & in hunc locum soluenda reiecimus, oportet respondere.

Ad primum Resp.

206. Ad primum respondetur rationem illius Textus non habere locum in sententijs, seu præceptis personalibus siue specialia præcepta sint, & sententia, siue generalia; nam hæc præcepta (vt iam sæpe diximus) atque etiam prolatio Censuræ secundum se non respiciunt territorium; sed personas; ac proinde, qui sic præcipit, non dicet Ius extra territorium propriè; sicut qui absoluit Sacramentaliter subditum in alienâ diœcesi, non dicit propriè Ius extra territorium, sed ab illo abstrahit, quia actus ille non respicit locum, sed personas; quæ solutio ampliùs confirmabitur ex responsione sequẽti.

Ad secundũ Resp.

207. Ad secundum respondetur concedendo Antecedens & negando consequentiam. Ratio verò discriminis est; nam illæ pœnæ corporales non incurruntur ipso facto; sed per condemnationem Iudicis, & ad earum exequutionem necessariò debet fieri aliquis actus Iudicialis ad Iurisdictionem contentiosam pertinens, qui non potest in alienâ diœcesi exerceri: nec, si exerceatur, erit validus; at verò excommunicatio, cùm incurratur ipso facto, & secum afferat exequutionem, non requirit actum Iudicialem Iurisdictionis contentiosæ, vt incurratur. Et ideò in alienâ diœcesi potest incurri.

Quod

Quod etiam concedunt Auctores oppositæ sententiæ in casu proposito in primo corollario initio huius dubitationis.

Quamvis omnes actus Iurisdictionis contentiosæ non possint exerceri in aliena diœcesi possunt tamen omnes actus Iurisdictionis voluntariæ.

208. Quamuis autem omnes actus Iurisdictionis contentiosæ exerceri non possint in alienâ diœcesi exerceri nihilominus possunt, vt iam obiter notauimus, omnes actus Iurisdictionis voluntariæ, vt sunt adoptio, emancipatio, manumissio, & absolutio etiam à Censuris; quia non fiunt contradicente parte, nec petunt Iudicem pro Tribunali sedentem. Quod latè & eruditè ex Iure, & Doctoribus docet, & probat Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, disp. 19. n. 7.* atque ex hoc patet solutio ad tertium argumentum.

APPENDIX DVBIVM.

Vnde dignoscatur Censuram latam esse per sententiam, vel præceptum, aut per Statutum?

209. PRo intelligentiâ duarum præcedentium dubitationum solùm videtur restare discutiendum, vnde, & quomodò dignosci possit, an ordinatio, seu Iussio superioris potentis condere legem seu statutum, contineat legem, aut statutum; vel potiùs præceptum, aut sententiam?

Opinio Vasquez.

210. Vasquez 1. 2. *disp.* 151. *c.* 3. *n.* 16. docet in eo dignosci, quod præceptum versatur circa personam singularem, lex verò seu statutum circa communitatem.

Suarius hoc rectè impugnat

211. Hoc tamen rectè impugnat Suarius *lib. 1. de legibus c. 10. à n. 10.* quia sententia, & præceptum, de quo loquitur Pontifex *in c. à nobis* generalis erat non tamen statutum, aut lex vt ibi notant omnes Canonistæ, alioquin oppositum huius Decreti esse Decretum ab alio Pontifice *in c. vt animarum, de Constit, in 6.*

212. Suarius tamen ipse non assignat aliam differentiam; nisi per prædictos effectus, tantùm hoc videtur insinuare, quòd scilicèt, ex verbis statuendi, constituendi, vel legem ferendi, vel, quæ significent perpetuitatem, colligendum sit, an sit lex; quando enim non est aliquid huiusmodi; sed tantùm iubendi, seu præcipiendi verbum, tunc præceptum potiùs est censendum, quam lex, seu statutum: nisi fortè ex praxi, & consuetudine receptum sit pro lege aut statuto. Quod etiam tractat idem Suarius *lib. 4. de legibus c. 14.* de quo latiùs disputare non est huius loci, dicemus in Tract. de legibus.

DVBITATIO XIII.

Quinam Generaliter loquendo possint comprehendi Censuris?

Asserendum.

213. ASserendum est solos homines habententes superiorem, cui subditi sint, atq; adeò viatores posse ligari Censuris ab eo superiore latis. Ex quâ responsione plurima dubia pro praxi colligenda sunt.

Colligitur 1

214. Primò colligitur bruta animalia non ligari Censurâ, vt locustas, bruchû, & alia, neque posse excommunicari, vt vulgus aliquibus in locis putat; nec enim sunt culpæ, atque adeò, nec pœnæ aut correctionis capacia; licitè tamẽ, & piè utitur Ecclesia contra huiusmodi animalia, quod fructibus terræ noceant; adiurationibus, precibus, & aquâ benedictâ, vt ea à nobis remoueamus

Aduertendum est verbum anathematizandi & excommunicandi aliquando accipi pro verbo execrandi & detestandi.

215. Aduertendum tamen est verbum *anathematizandi & excommunicandi* aliquando accipi pro verbo execrandi, & detestandi, & separandi á nobis aliquid, tanquàm nociuum, & detestabile. Sic dicitur *Marci 14. de Petro*, quod cæperit *anathematizare; & iurare*, id est maledicta in se conijcere. Sic Iosue 6. & 7. dicitur *sit Ciuitas hæc* (scilicèt Ierico) *anathema, & omnia, quæ in ea sunt Domino*, id est (vt multi interpretantur) execrabilis, & prorsus destruenda, ac succendenda: & hoc sensu non tantùm personæ; sed etiam res aliæ imò verba; seu sententiæ, aut hæreses anathematizari dicuntur; sic enim Hæretici, quando abiurant errores, eos anathematizant; cùm tamen ipsi errores, & hæreses non sint capaces Censuræ. Significant ergo se execrare, & à se omnino separare tales errores. Atque hic est vsus à Concilijs, & summis Pontificibus antiquissimè obseruatus, vt patet ex *c. Ego Berengarius, de consecratione dist. 2. & c. Donatum.* cum alij 1. *q.* 7. Cùm ergo exorcizantur animalia Bruta, & similia verba in ea dicuntur, solùm sunt maledicta, & imprecationes quædam, quibus Populus Christianus à Deo postulet vt illa auertat, ac destruat. Vnde dicere similia verba in ea animalia animo ferendi Censuram superstitiosum est. Ita Nauarrus *c. 27. n. 13.* Sotus 5. *de Iustitia q. 12. art. 2. con, clus. 4.* Henriquez *lib. 13. c. 25. n. 1.* Auila *q. 2. c. 4. dub. 3.* Coninc. *disp. 13. n. 47. in fine.* Filliucius *Tract. 11. c. 5. Quæsito 1. n. 121.* Reginald. *lib. 9. n. 134.* & alij communiter. Legatur Suarius *disp. 5. sect. 1.*

Infertur 2.

216. Infertur 2. nec Angelos, nec Beatos, nec Dæmones posse excommunicari, tum; quia beati non sunt capaces delicti, nec iam dæmones possunt se emendare; tùm maximè; quia omnes prædicti sunt extra forum Ecclesiæ, atq; adeò non sunt subditi; nec obstat illud Pauli *ad Galat. 1. licet Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis anathema sit.* nam ibi anathema, non pro excommunicatione ponitur; sed pro execratione, & maledicto, vt exponit Basilius *in Preuiis disputatis Regul.* 114. ac si diceret talis fugiendus est, atque execrationi habendus. Nec indecens iudicauit Paulus ad persuadendam Christianis constantiam in acceptâ fide Angelo etiam de Cœlo maledicere, si doctrinam contra fidem prædicaret. Quod tamen est impossibile, atque adeò per exaggerationem dictum ad ostendendam firmitatem fidei, & quàm sit execrabilis, & fide indignus, qui contrarium prædicat, atque in eodem sensu accipienda sunt similia verba quoties in dæmones dicuntur.

Infertur 3.

217. Infertur 3. non posse Censurâ ligari Iudæos, Saracenos, nec quoscumque alios Gentiles, aut infideles non Baptizatos, etiamsi subiecti

iecti sint Regibus Christianis, vel etiam ipsi summo Pontifici temporaliter. Ratio est, quia Censura est actus Iurisdictionis non qualiscumque; sed spiritualis, quam Ecclesia non habet in huiusmodi homines; ob id enim Paulus dixit. *De his, qui foris sunt, quid ad nos?* & Constat ex *c. Gaudemus de diuortijs*, traduntque omnes Doctores communiter cum *D. Thom. 2.2. q. 12. art. 2.* idemque ob eandem rationem dicendum est, quamuis sint Catechumeni, & in gratia Dei iam existant (quidquid Archidiaconus *c. Eos de Consec. dist. 4.* quem aliqui sequuntur, in contrarium dixerit) id enim sine fundamento dicitur, quia fides; vel Sanctitas sine Baptismo non confert iurisdictionem, vt optimè tradit Suarius *disp. 5, sect. 1. n. 25. in fine*, & Henriquez *lib. 13. c. 25. n. 1.* cum D. Thoma, Syluestro verbo *Excommunicatio 1. n. 7.* & cum Nauarro, idem docet Coninc. *n. 44* Vgolinus, *Tabul. t. c. 17. § 2.* Filliucius *suprà quæsito 3.* Reginald *n. 135.* Legatur Henriquez, vbi alia docet de Catechumeno. Idem docent alij multi, inter quos Azor *tomo. 1. lib. 8. c. 9. q. 3.* Simancas *de Catholic. Instit. tit. 31. n. 6.* Suarius iterum *disp. 19. de Fide sect. 5. n. 8.* Sanchez *lib 2 Sum. c. 7. n. 34* Farinacius referens multos, *de Hæresi q. 178. a n. 128.*

Fides vel Sanctitas sine Baptismo non confert Iurisdictionem.

218. Hinc est, quod Gentilis, vel Iudæus violentas manus in sacerdotem inijciens non incidat in Censuram Canonis *si quis suadente diabolo*, quia non erat subiectus tali legi, quatenùs Ecclesiastica est. quod apertè colligitur ex *c. postulasti, de Iudæis*, nec fideles teneri talem percussorem vitare, quia non est excommunicatus. Poterit tamen Ecclesia, & Iudex Ecclesiasticus Censuram ferre in Christianos, vt se separent; aut non communicent, vel commercia exerceant cum aliquo infideli in vindictam alicuius iniuriæ factæ Ecclesiæ; vel alicui membro eius. Quod non est ferre Censuram in infideles saltèm directè; nam indirectè multi dicunt sic ferri. Quod autem id fieri possit patet ex *c. Iudæi 2. de Iudæis* & *c. post miserabilem* & *c. Quando de Vsuris* & tradunt Simancas, Couarr. Nauarrus, quos refert Suarius *suprà n. 25.*

Addendum cum Suario.

219. Addendum etiam est cum eodem Suario *n. 23.* etiam, quando ad salutem, seu fidem, & bonos mores fidelium necessarium iudicatur, posse Ecclesiam cogere infideles non baptizatos, vt cum fidelibus familiariter non communicent, vel vt non cohabitent in eadem domo; & eadem ratione ob reuerentiam sacrorum mysteriorum Missæ, & aliorum, potest eos cogere, ne illis adsint. Hæc tamen non sunt pœnæ, aut Censuræ, nec fiunt ex Ecclesiastica spirituali Iurisdictione in illos; sed est veluti iusta defensio innocentium, & religiosa obseruatio, & custodia rerum sacrarum, ad quam Ecclesia ius habet; & colligitur ex *c. Post. miserabilem de Vsuris*, & *c. In Archiepiscopatu de Raptoribus.*

Potest Ecclesia ligare Censuris Apostatas.

220. Potest tamen omnino Ecclesia, vt rectè docet Suarius citato *n. 25.* & alij communiter ligare Censuris Apostatas Baptizatos qui Hæretici sunt, vel ad Iudaismum, vel Paganismum transeunt; sunt enim verè subditi Ecclesiæ ratione Baptismi secundum iurisdictionem Ecclesiasticam spiritualem.

Infertur 4.

221. Quartò colligitur Correlatiuè ad dicta dub. 7. n. 540. neminem posse excommunicari à se ipso, nec ab æquali; nec ab inferiori. Ratio est; nam iurisdictio, & subiectio correlatiua sunt. Sicut ergo in eo, qui fert Censuram requiritur iurisdictio, atque adeò vt sit superior; ita in eo, in quem fertur necessaria est subiectio; nemo autem est subiectus sibi, nec æquali, nec inferiori. Hinc est quod Papa nulla Censura ligetur non solùm ab homine, quod clarum est; sed nec à Iure cum non sit ipse Iuri humano subiectus quippe qui æqualem habet potestatem cum eo, qui illud ius condidit. Quare licèt, quoad vim directiuam obligari aliquo modo possit Iure communi, eo modo, quo Princeps obligari potest legibus à se latis: tamen, quoad vim coerciuam, ad quam pertinet Censura, ligari minimè potest. Vnde etiamsi in Hæresim incideret, non esset ipso Iure excommunicatus. Ita Maiolus *lib. 2. de Irregularit. c. 4. n. 8.* Nauarrus *in c. Nouit de Iudicijs, notabili 3. n. 78 & 142. & c. 27. n. 13.* Bellarminus *lib. 2 de Romano Pontificè. c. 12. & 30.* Suarius *disp. 5. sect. 5. n. 27.* & alij. Verum autem Papa possit excommunicari à Concilio Generali in casu dumtaxat Hæresis, vel Apostasiæ (nam pro alijs certissimum est non posse) disputant Doctores, & affirmatiuam partem sequuntur multi inter quos Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 2* & Ledesma *2. p. 4 q. 24. art. 4.* Azor *tom. 2. moralium lib. 4. c. 7. Quæsito 4.* referens Turrecrematam, Albarum, Pelagium, Paludanum, Cordubensem, Antoninum, Caietanum, & alios. Sed de hac re; nec hoc loco necesse est, nec expedit disputare; pendet enim (ut notat Vasquez de *Excommunic. dub. 57. n. 6.*) ex alia quæstione quâ ratione, & quando Ecclesia in Concilio generali sit superior ipso Pontifice, quæ non est huius loci, nec huius etiam temporis. Quamuis autem Papa in quantum Papa, & quatenùs induit personam Sedes Apostolicæ, & est immediatus Christi Vicarius, non possit errare circa res fidei: errare tamen potest, quatenus est persona particularis, vt communiter affirmant tam Theologi in materia de fide, quàm Iurisperiti.

neminem posse Excommunicari à se ipso nec ab æquali nec ab inferiori.

Papa quatenus persona particularis errare potest.

222. Ex hoc etiam corollario sequitur Episcopum non incurrere excommunicationem per sententiam vel statutum à se vel à suo prædecessore latam; sed solùm à summo Pontifice, vel à Metropolitano, alijsue superioribus sibi. De quo legatur *c. Nullus 9 q. 3. & c. Pastoralis de officio Iudicis ordinarij & ibi Gloss. verbo exceptis.*

223. Rex verò, & imperator, si solùm spectaremus Ius commune antiquum, possent excommunicari non tantum à Papâ; sed etiam à suo Episcopo, vt patet ex *c. Duo. 96. dist.* & *c. nos si 2. q. 7. §, sic Beatus Ambrosius*, vbi refertur Archadium Imperatorem excommunicatum ab Innocentio Papâ, & Imperatorem Theodosium ab Ambrosio Episcopo; sed iam à solo Papa posse excommunicari tradunt Sylvest. *Excommunic. 1. n. 10.* (quamuis §. quem citat, non inueniatur) Tabiena *Excommunic. 4. paulò ante. q. 3.* Armil *n. 28.* sed textum, quem allegant, nihil ad rem facit, Antoninus verò *3 p. tit. 24. c. 75. § 2.* ait solùm pro notorijs posse Regem, aut Imperatorem ab Episcopo excommunicari

Rex & Imperator iuxta Ius commune Excommunicari etiam à suo Episcopo possunt.

municari. Verum vt ait Auila *supra* 2. *p.c.* 4. *disp. vnicâ dub.* 4. & Henriquez id potiùs auctoritate Doctorum, qui sic communiter sentiunt, asserendum est; cui accedunt particularia priuilegia, quibus solent esse exempti Reges, & Imperatores, vel fortè etiam Principes alij supremi, vt non possint excommunicari, nisi à Papâ: Papam verò semper posse, & quemcumque alium membrum Ecclesiæ punire censuris probat rectè Auila ex communi sententiâ; quia Papa semper retinet, supremam auctoritatem super omnia membra Ecclesiæ.

Ex Priuilegiis solent esse exempti Reges &c. vt nō possint nisi à Papa Excommunicari.

224 Ex eâdem etiam Doctrinâ fit Religiosos ordinariè non posse ab Episcopis excommunicari, quia exempti sunt ab eorum Iurisdictione, præterquàm in casibus exceptis in Tridentino Concilio, de quibus diximus præcedenti dubitatione.

Religiosi ordinariè non possunt ab Episcopis excōmunicari.

225. Quintò infertur nec infantes, quamdiù carent vsu rationis, nec perpetuò amentes posse Censuris ligari: tùm, quia non sunt subditi moraliter vlli superiori; sicut nec rationi; tùm, quia non sunt capaces delicti, quod est proxima causa Censuræ, nec alicuius obligationis, vel effectus, qui per Censuram infeatur. Vnde non incurrunt Censuras etiam à Iure, licèt opus sub censurâ prohibitum efficiant, vt si Clericum percutiant; vel quid simile faciant. Ita Coninc n. 47. & alij posteà citandi, & iterum dicemus nu. 232.

Quintò Infertur carētes vsu rationis non posse Censuris ligari.

226. Dixi *perpetuò amentes*; nam de ijs, qui pro aliquo tempore carent vsu rationis, vt dormientes ebrij, & similes alia est ratio; hi enim, quamuis nullam Censuram incurrent propter opus factum in Sumno, vel ebrietate, quià tunc nullo modo est peccatum; si tamen præuisum fuit, & voluntarium, in causâ, tunc incurrere possunt Censuras etiam in tempore illo, quo carent vsu rationis vt si esset imposita Excommunicatio omnibus, qui missæ non intersint, vel processioni, & aliquis præuidens, & culpabiliter non præcauens futuram omissionem sese inebriet, aut somno tradat, Censuram incurret omittendo, quam tamen non contrahit eo tempore, quo se inebriat, aut sumno tradit; quia tunc non est consummata transgressio; nec causa Censuræ existet. Ideò, si casu contingat illum excitari à somno, vel ad se redire ex ebrietate, & non omittere tale opus, non incurret Censuram, quamuis priùs, quoad interiorem culpam iam peccatum commiserit; ratione periculi, cui se exposuit. Contrahit ergo Censuram eo tempore, quo reipsâ omittit, tunc autem est ebrius, vel actu dormiens, vt in casu supponitur: idemque erit de mandante interficere Clericum, si mandatarius id exequatur, quando mandans est ebrius, aut dormiens, tunc enim Censuram incurret imò Suarius *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 21. incurrere putat, etiamsi mandans in perpetuam amentiam inciderit; quia tunc impletur conditio, sub quâ lex Censuram posuit, & consummatur eius transgressio. Ideòque tunc ex vi legis Censura infertur, estque per accidens, quod illo tempore sanus sit, vel amens. Hoc tamen vltimum, quod Suarius addit, suas patitur difficultates, quas ille dissoluere conatur, & apud ipsum legi possunt. Sanè ipse etiam meritò concedit statim esse absoluendum, quia correctio in illo non habet locum; & ideò nullius vtilitatis est, quod maneat Censurâ ligatus. Postquam autem absolutus est, potest iuuari suffragijs Ecclesiæ. Quod autem attinet ad dormientem, & ebrium doctrinam *suprà* traditam concedunt Suarius *ibidem* Auila 1. *p. dub.* 11. Syluest. *verb.* Ebrietas *q.* 4. Castro *lib.* 2 *de lege pœnali c.* 14. §. 1. Couarr. in Clementina *Si furiosus* de *Homicidio* 3. *p.* *in initio n.* 4. Nauarrus *c.* 27. *n.* 230. Bonacina *de Censuris disp.* 1. *q.* 1 *puncto* 4. Vbi refert Vasquez & alios. Item Coninc *disp.* 13. *dub.* 6. *n.* 46. Filliucius *Tract.* 11. *c.* 5. *quæsito* 4. Sayrus *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 3. & alij apud ipsum. Quorum plures etiam referemus *dub. sequenti.*

Alia est ratio dormientium & ebriorum.

DVBITATIO XIV.

An pueri ante annos pubertatis videlicet masculi ante annum decimum quartum, & Fœminæ ante 12. possint Censuras incurrere?

227. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 11. *in fine* & *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *in fine* Corduba *in Summa q.* 60. Henriquez *lib.* 4. *c.* 5. §. 2. Vasquez de *Pœnit. q.* 90. *art.* 2, *dub.* 4. & Sa *verbo Censura* putant pueros ante annos pubertatis non incurrere excommunicationem. Sancius in selectis disp. 26. n. 18. & alij cum apud illos tùm posteriores; & quidam videntur loqui de Censuris ab homine, & a Iure cum tamen alij, promiscuè de omnibus loquantur, & legi potest Sanchez *in summa to.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 7. Quod probant ex *c.* 1. & 2. *de delictis puerorum*, vbi tamē id non expressè habetur; sed tantùm ibi Pontifex dicit cum pueris in pœnis mitiùs esse agendum, quàm cum puberibus, ac proinde in illis sæpe relinqui inulta peccata, quæ in alijs seuerè puniuntur. Limitant verò Vasquéz & Corduba suam sententiam; nisi Ius ipsum expressè eos comprehendat, sicut eos comprehendit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *c.* 5. *de Regularibus*, dum prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ omnibus, cuiuscumque ætatis sint, ne ingrediantur monasteria monialium. Hanc sententiam sequutus est Suarius *tomo* 4. *in* 3. *p. disp.* 36. *in fine* dum asserit huiusmodi pueros non incurrere excommunicationem, quæ solet esse in constitutionibus, Synodalibus in multis diœcesibus propter omissionem annuæ Confessionis. Eccipiunt alij excommunicationem Iure latam ob percussionem Clerici, quam propter grauitatem putant incurri ab impuberibus doli capacibus. Ita Castrus Palaus *to.* 1. *sui operis moralis Tract.* 3. *disp.* 1. *puncto.* 24. §. 2. *n.* 9. quem refert & non reprobat Diana 3. p. Tract. 6. Resol. 88. imò ex illa infert cum Auila, & alijs contra Layman & Sanchez suprà n. 8. & alios citandos puerum impuberem etiamsi accidat hominem non incurrere irregularitatem, & idem de Censurâ percussionis putant alij infrà citandi, de irregularitate verò, de quibus pueris loquatur Auila & alij posteà videbimus nu. 232. Posteà verò Diana 5. part. Tract. 9. Resol. 46. cum

Sotus cum alijs negant.

cum alijs docet ante annos pubertatis pueros excusari à Censuris

Hæc opinio alijs non placet saltem sine exceptione.

228. Hæc tamen sententia ideò alijs sine exceptione præsertim non placet, quia videtur apertè contra decisiones Alexandri 3. & Gregorij 9 *in c. 1. & vltimo de Sententia excommunicationis*, vbi Pontifices supponunt Pueros se percutientes initiati primâ tonsurâ ante annos pubertatis incurrisse excommunicationem latam in Canone *Si quis suadente diabolo* 17. q. 6. quæ tamen absolutè lata erat sine vllâ ætatis mentione; solumque docent Pontifices huiusmodi pueros non esse ad Sedem Apostolicam mittendos pro absolutione; sed ab Episcopo debere absolui; quia ratione ætatis mitiùs est cum illis agendum. Vnde planè fatendum est, si peccatum eorum mortale sit, incurrere excommunicationes à Iure impositas. Ita tenent Glossæ & Canonistæ in prædictis Textibus, & Suarius ipse tomo 5. de *Censuris* disp. 5. sect. 1. n. 19. Coninch. 45. Filiucius sup. c. 5. quæsito 4. n. 131. Layman lib. 1. Tract. 4. cap. 10. num. 5.

Alij sub distinctione putant veram Primam opinionem.

229. Alij ergo sub distinctione censent veram primam opinionem in Censuris ab homine latis, quas (inquiunt) non incurrunt pueri ante annos pubertatis. Ita ex Abbate, Socino & alijs Vgolinus *c.* 17. §. 3. n. 5. & alij apud Dianam in quibus sunt nonnulli ex iam citatis vt Sanchez, Suarius, Saruius, Henriquez etiam & Azor quorum loca ibi notat Diana in Censuris vero à Iure negant comprehendi, rationem reddunt; quia huiusmodi ætas non censetur sufficiens ad intelligendum ordinem Iudiciarium, propter quod, nec de Iure citari possunt, nec ad agendum, vel defendendũ se in iudicio admitti iuxta c. vltim. de Iudicijs in 6. & quamuis in alijs causis possint per procuratorem, vel tutorem agere; tamen in huiusmodi causâ quæ valde ad animam spectat, non possunt ad hoc obligari.

Hanc doctrinam temperat Suarius

230. Hanc doctrinam temperat & verissimam putat Suarius, quantum ad hoc, vt Censura iustè, & secundum debitum ordinem feratur à Iudice propter rationem dictam; putat tamen esse validam; si de facto Iudex eam ferat, & in impubere sit contumacia; quia nullo Iure fit irrita. Vnde prædicta ætas impuberum per se considerata capax est censuræ, imo addit Suarius, quod in Censurâ Interdicti ab homine latâ, quoties populus interdicitur, absque dubio (vt ex ipsa praxi constat) comprehenduntur impuberes; si iam sint doli capaces, vt omnes etiam Auctores fatentur agentes de Interdicto, atque hoc fit etiam absque vllâ indecentiâ, aut iniustitiâ ex parte Iudicis ferentis talem Censuram.

231. Sanchez verò lib. 1. *Moralium* c. 12. n. 8. citato & Henriquez lib. 8. de Eucharistiâ solum fatentur prædictam Censuram percussionis Clerici incurri; non alias; nulla tamen ratione id probant: solùm Henriquez eam insinuat, quòd hæc Cẽsura imponatur præcepto negatiuo. Hæc tamen ratio nullam mihi videtur vim habere.

Authoris iudicium.

232. Quare absolutè dicendum puto pueros doli capaces incurrere Censuras ipso facto in Iure impositas si mortaliter delinquant contra talia iura, vt dixerunt Vgolinus. Gloss. Abbas, & Socin. supra immò, & latas etiam ab homine iuxta doctrinam Suarij. Nec puto esse valde probabilem sententiam, quæ vniuersaliter docet à pueris non incurri Censuras; tùm propter capita citata, quæ id expressè statuunt in percussione Clerici; tùm quia communiter omnes Auctores id docent, inter quos Nauarrus *c.* 27. *n.* 76. Syluest *Excommunic.* 6. § 1. Couarr. *c. Alma mater* 1. *p.* §. 7. *n.* 2. Auila *p.* 2. *c.* 5. *disp.* 3. *dub.* 13. Abb. Panormitanus *c.* 1. *de sent. excommunic.* Tabiena *verb. Excommunic. n.* 5. immò Sotus ipse qui citatur pro primâ sententiâ excusante pueros à Censurâ in eo casu apertè *lib.* 5. *de Iustitia q.* 1. *art.* 4. *coll. penult.* solùm excusat pueros se percutientes ab excommunicatione hac ob paruitatem materiæ percussionis. quod clariùs repetit *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. & Henriquez loco citato pro primâ opinione & *lib.* 8. *de Eucharistiâ c.* 42. Sicut, & Sanchez suprà apertè cõcedunt incurri à pueris eam excommunicationem; nec inuenio vllum auctorem ex paulò antiquioribus contrarium asseruisse præter Vasquez & Sa vniuersaliter loquendo, licet enim Vasquez, Syluestrum & Corduba pro se citet: expressè tamen docent incurrere Syluester quidem vbi nuper. Vnde sumi potest argumentum à simili de *Irregularitate*, quia, si puer doli capax ante pubertatem occidat, incurrit irregularitatem; quod non audet negare Vasquez loco citato, eo quod in Clem. *Si furiosus* de *Homicidio*. Solùm excipiuntur Infantes iuxta dicta nu. 225. quia non sunt doli capaces, & docent communiter omnes Doctores, nec etiam Syluest. & Corduba sunt in contrarium. Quos falsò refert Vasques ibidem, qui expressè docent incurrere Irregularitatem, Syluest. quidem *Homicidium* 3. q. 1. §. 5. & q. 2. § 3. & Corduba q. 60. §. *Lo segundo*, quin potiùs etiamsi ante septennium occidat, dicunt incurrere Couarr. 3. *p. n.* 5. *vers. de Infante*, vbi alios citat, & Villa Diego *c.* 6. *n.* 58. Rodriguez c. 176. *conclus.* 1. Nauarrus *c.* 27. *n.* 230. quamuis probabilius sit in eo casu non incurrere; quia in Iure absolutè excipitur Infans, vt cum Henriquez, & Didaco Perez docet Auila *p.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 13. & in hoc sensu ego admitto Auilam eodem loco relatum à Diana & in eodem sensu Dianam loquutum credo nimirum Auilam refert qui solùm de infantibus loquitur, vbi simul rectè contra alios asserit Auila non incurrere, etiam post septennium, si adhuc non sit doli capax; sed quidquid sit de Irregularitate, de quâ iterum *disp.* 7. *dub.* 26. *c.* 12. §. *ex his constat*

Probatio à simili de Irregularitate quam potest incurrere Puer ante pubertatem

Iniuria facta ab Impuberibus sæpe non censetur mortalis qua tamẽ esset mortalis si fieret a Pubere.

233. Illud verissimum est sæpe iniuriam factam ab Impuberibus non censeri mortalem; quæ tamen esset mortalis, si fieret ab hominibus maioris ætatis, vt videre est in simili de verbis contumeliosis, aut in pugnâ, quâ se percutiunt pueri alapis, quæ in maioribus esset grauis. Quoties autem culpa percussionis probabiliter iudicatur tantùm venialis, non incurrunt in Censuram: vnde nec tunc indigent absolutione, vt notarunt Panormit. *c.* 1. *de sentent. Excommunic.* Tabiena *n.* 5. Nauarrus *in Summâ Hispanâ c.* 27. *n.* 77. Auila *p.* 2. *c.* 5. *disp.* 3. *dub.* 13. §. *tertius casus* Qui rectè addit in dubio an peccauerint mortaliter, necessariò esse absoluendos, non tamen esse

esse vitandos, quia stante hoc dubio, non sunt notorij Clerici percussores.

234. Atque hoc, quod diximus de pueris, seriuunt viri dicti de hominibus maioris ætatis in fine sortis initiatis primâ tonsurâ, vel minoribus, comparatione quorum non censeatur grauis percussio.

Idem dicendum de clericis maioris ætatis sese percutientibus sine plenâ deliberatione.

235. Quæ omnia etiam habent locum in Clericis maioris ætatis, quando sine plenâ deliberatione, aut ex loco se percutiunt, vel dubitatur, an percussio fuerit ex plenâ deliberatione vel ioco: de quo legi potest Angelus *Excommunic.* 5. *n.* 26. *casu* 1. & Nauarrus *lib.* 5. *consiliorum cons.* 74. *de sentent. Excommunic.* & Auilà *suprà*.

DVBITATIO XV.

An defunctus possit excommunicari, & absolui ab excommunicatione?

Non nulli Authores docent posse mortuos Excommunicari.

236. CVm diximus homines, qui possunt excommunicari, debere esse viatores, facilè inde colligitur non posse excommunicari mortuum, nihilhominùs adhuc inter Auctores, est aliqua controuersia, & nonnulli affirmant saltèm in aliquo casu posse mortuos excommunicari. Ita Gratianus 24. *q.* 2. *c. penultimo, & vltimo* Glossa *c. si quis Episcopus de Hæreticis verbo post mortem*, Panormit. *ibidem*, & ex Theologis Richardus *in* 4. *dist.* 18. *art.* 5. *q.* 4. Gabriel *ibidem q.* 2. *art.* 2. *Corollar.* 4. *post.* 5. *conclusionem*. Probant ex dicto *c. si quis* & ex *c. Sanè* 2. 24. *q.* 2. & ex multis Concilijs, & Patribus adductis à Gratiano *suprà* & à Castro *lib.* 2. *de iustâ Hæreticorum punitione*, in quibus decernitur Hæreticos, etiam defunctos esse anathematizandos, & condemnandos, Confirmarique potest ex Inquisitorum vsu, qui Hæreticos difunctos solent damnare, anathematizare, & exhumare eorum corpora, vt comburantur. Probatur 2. ex D. Cypriano *Epist.* 9. & refertur *c. neq.* 88, *dist.* qui propter speciale crimen, cui alias non erat imposita excommunicatio, quendam mortuum excommunicauit, faciunt etiam ad hoc *c.* 2. *&* 4. *de statu Monarchorum*, de Diuo Gregorio etiam legimus priuasse quendam Religiosum defunctum suffragijs & communi sepulturâ propter inuentam apud eum pecuniam.

Probatur 1.

Probatur 2.

Probatur 3.

237. Tertio probatur ex *c. A nobis* 2. *de sententia excommunicationis*, vbi Innocentius 3. decernit excommunicatum debere absolui post mortem, si dedit signa contritionis, *nec obstat* (inquit Pontifex) quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque soluendi homines super terram, tanquàm non possit soluere, & ligare sub terrâ sepultos, cùm in certis casibus à Canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, & soluisse. Idem statuit paulò post. *c. Sacris eodem titulo*: ergo etiam mortuus potest Censurâ ligari. Consequentia probatur, quia eiusdem rationis est ligatum teneri, vel de nouo ligari, & quia eadem est ratio potestatis ligandi atque soluendi: nam vtraque potestas iurisdictionem requirit. Et Pontifex vtrumque ibi coniunxit, & vtrumque ab Ecclesiâ fieri posse dixit. Legatur disp. 3. dubitatio 30. vbi de hoc agimus.

238. Quarto probatur; quia Ecclesia concedit Indulgentias defunctis, & etiam applicat illis suffragia: ergo potest illos priuare huiusmodi bonis, adeòque excommunicare.

Communis sententia.

239. Communis tamen sententia docet defunctos non posse directè Censurâ ligari, quæ sit propriè, & in rigore Censura, posse tamen indirectè & Censurâ impropriè, & largo modo dictâ. Ita Ioannes de Lignano *tit. de Censuris* §. 9. *n.* 2. *&* 3. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 7. §. Syluest, Excommunicatio 1. n. 7. Sotus dist. 22. q. 2. art. 2. Castro supra c. illo 19. & 20. Nauarrus c. 26. n. 32. & c. 27. Couarr. *c. Alma mater p.* 1. §. 11. *n.* 8. Armill. *verbo Excommunicatio n.* 28. Henriquez *lib.* 13. *c.* 25. *n.* 22. Hugolinus *Tabiena* 1. *c.* 17. §. 2. Auila *p.* 2. *c.* 4. *dub.* 8. Suarius *disp.* 5. *sect.* 1. *a. n.* 3. Coninc *disp.* 13. *n.* 41. Filiucius *Tract.* 11. *c.* 5. *quæsito* 2. Laymam *lib.* 1. *Tract.* 5. *p.* 1. *c.* 4. Reginaldus *lib.* 9. *n.* 133. Vasquez *de Excommunic. dub.* 17. *n.* 6. *&* 7. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *punct.* 17. Diana p. 5 Tract. 9. Resol 58. *Bonacina disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 4. & alij apud citatos. Probat hæc sententia ex doctrinâ traditâ, nam solùs homo viator, & subditus Iurisdictioni Ecclesiæ potest propriè & directè ligari Censuris. Sed mortuus nec simpliciter homo est; nec viator, nec subditus potestati & iurisdictioni Ecclesiæ, nec aliquis ligatur à Iudice non suo iuxta *c. Quod autem de Pœnis. & Remiss.* ergo mortuus non ligatur ab Ecclesia.

Probatur 1.

Probatur 2.

240. Probatur 2. quia mortuus, iam nec propriè contumax est, nec correctionis capax, qui est finis, in quem Censura propriè dicta dirigitur.

Indirectè tamen & largè potest Ecclesia defunctos Excommunicare.

241. Dixi *directè & propriè seu immediate*, nam largè, indirectè & mediatè, rectè potest Ecclesia punire defunctos, & largo modo excommunicare; neque enim ad hoc requiritur iurisdictio erga personas excommunicandas; sed satis est Iurisdictio circa alias personas sibi subditas, quibus potest præcipere, vt non dent Ecclesiasticam, & sacram sepulturam, nec offerant sacrificia, nec suffragia Ecclesiæ pro tali personâ; atque hoc modo potest dici Ecclesia aliquando posse excommunicare defunctos; nam præter eum in quem directè fertur excommunicatio, habet etiam effectum in alios, & redundat in illos obligatio, & quoad hunc effectum, & obligationem imponendam habet Ecclesia potestatem post mortem, quia hæc potestas directè exercetur circa viros sibi subditos.

Duobus modis solet Ecclesia hoc modo punire defunctos. Primo.

242. Duobus autem modis solet Ecclesia hoc modo punire defunctos primo per sententiam declaratoriam declarando illum decessisse in statu damnationis, & in Excommunicatione, ideòque illum anathematizat, id est maledicit, priuatque illum suffragijs, & sepulturâ sacrâ; atque hoc præcipit à fidelibus viuis obseruari. Quæ promulgatio, & exequutio prioris Censuræ in quâ erat, quando decessit non ordinatur ad emendationem defuncti, qui iam damnatus supponitur; sed ordinatur ad terrorem viuentium, & ad condignam punitionem delicti propter commune bonum. Quod ritè & rectè ab Ecclesiâ fieri potest.

243 Imò,

243. Imò, etiamsi nullâ Censurâ affectus aliquis moriatur; si tamê publicè constet decessisse in statu peccati mortalis, & cum sufficientibus signis impœnitentiæ finalis, Ecclesiasticâ sepultura priuatur, vt constat ex c. Placuit 23. q. 5. & ex c. Ex parte 2. de Sepulturis, nec est cur pro eo oretur. Quod volunt significasse Ioannem Epistolâ 1. c. 5. dum dixit qui viderit fratrem suum peccare peccatum ad mortem non pro illo dico, vt oret quis. Sed quâ ratione huiusmodi locus intelligendus sit, diximus agentes de Pænit. Tract. 8. disp. 2. dub. 1. n. 52.

Licet quis cum signis Pœnitentiæ decesserit, Censurâ ligatus, non possunt fideles eum in loco sacro sepelire donec absoluatur.

244. Quin imò, etiamsi quis cum signis Pœnitentiæ decesserit, tamen Censurâ ligatus, quia non adfuit, qui illum absolueret, quousque absoluatur per eum, ad quê pertinebat illum absoluere, si viueret, non possunt fideles eum in loco sacro sepelire, nec Missam, aut Ecclesiæ suffragia pro illo offerre. Quamuis enim per mortem hominis excommunicati Censuræ subiectum destruatur, consequenterque destrui videatur ipsa censura iuxta illud axioma Philosophorum destructo nobis, destruuntur omnia, quæ sunt in nobis: tamen, quoad fideles viuos remanet obligatio prædicta, non solùm in foro externo, seu in existimatione, sed etiam in re, & in foro conscientiæ, quia Ecclesia ita declarauit vim huius præcepti, fuitque hoc maximè expediens, vt Censura in maiori esset timore, & reuerentiâ, ac proinde defunctus indiget absolutione, quâ tollatur ea obligatio, quæ remanet apud fideles viuos. Atque hoc est, quod definiuit Innocentius Tertius. Quæ absolutio etiam indirectè cadit, & redundat in mortuum. Eâque ratione intelligunt citati Auctores Ecclesiam soluere mortuos, vel ligare, nempe non directè, quoad ipsos; sed, quoad actus exercendos alioqnin à viuis erga mortuos; eâque ratione intelligenda sunt omnia, quæ in primo argumento pro contrariâ sententiâ ex Conciliis Textibus, & Patribus adducuntur.

Ratio.

Quâ ratione Ecclesia dicatur soluere mortuos vel ligare.

Secundò potest Ecclesia punire defunctos propter delicta in vita commissa.

245. Secundo modo potest Ecclesia propter delicta in vita commissa etiamsi nullam habuerint Censuram annexam, & etiamsi non constet de impœnitentia defuncti, priuare defunctum suffragiis suis, & honore sepulturæ in loco sacro tum ad terrorem aliorum tum ad vindictam delicti; eâque ratione dici potest largo modo, seu indirectè excommunicare defunctum; & in hoc sensu intelligenda sunt, quæ citantur secundo argumento contrariæ sententiæ, eâque ratione Censendi sunt fecisse Cyprianus, & Gregorius citati. Quod autem hoc possit ab Ecclesiâ fieri ex eo probatur, quia omnis Respublica punire potest post mortem aliqua delicta in vitâ commissa, quando propter eorum atrocitatem ita expedit ad commune bonum: ergo etiam hoc potest Ecclesia per pœnas suæ potestati proportionatas, & quæ conferre possunt ad exemplum, & terrorem aliorum subditorum.

Probatur.

Dices.

246. Verum dicet aliquis viuentes non possunt priuari suffragiis propter solam vindictam delicti commissi; nisi in ordine ad emendationem; cur ergo priuantur mortui, in quibus ea priuatio ad emendationem non ordinatur?

Resp.

247. Respondeo viuos per talem priuationem exponi periculo labendi in peccata: ac proinde; nisi perseuerent in contumacia non puniuntur ab Ecclesia tali pœnâ; mortui verò iam sunt extra tale periculum; nam si decedant sine gratiâ, sicut non prodest suffragium, non obest carentia illius; si verò in gratiâ decedant, solùm sequitur, quod sit eorum pœna in Purgatorio diuturnior, quod non reputatur ab Ecclesiâ inconueniens; sed iusta pœna delicti, & necessaria ad obseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ. Ex quibus patet solutio secundi argumenti.

Ex his patet solutio secundi argumenti oppositæ sententiæ.

Ad 3. Resp.

248. Ad 3. patet ex dictis, quòd scilicet Ecclesia ligat, & soluit mortuos, tùm declarando eos decessisse ligatos, vel absolutos, tùm indirectè; non tam quoad ipsos directè, & immediatè, quam quoad actus, vel effectus, à viuis erga mortuos exercendos, vt explicatum est, & docet Paludanus dist. 18. q. 1. n. 7. Couarr. & Armilla suprà Aquila supra conclus. 5. Suarius suprà n. 11.

Ad 4.

249. Ad 4. respondetur Ecclesiam concedere defunctus Indulgentias non tam per modû; absolutio ad hoc enim esset necessaria Iurisdictio in ipsos defunctos; sed per modum suffragij & solutionis, ad quos non est necessaria iurisdictio, vt latè explicuimus Tract. 9. præcedendi maximè disp. 2. dub. 17. assert. 3. & deinceps.

Ex dictis Infertur 1.

250. Ex dictis infertur primò, si alicui impositum fuisset præceptum, vt restituat vel satisfaciat intra mensem sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendam, & ille ante elapsum illud tempus moriatur, non incidet in Censuram; nec enim incidit viuens, quia non fuit contumax; nondum scilicèt impletâ conditione, dum viuebat; nec incidit mortuus, quo tempore impletur conditio; quia tunc iam non est capax Censuræ, nec obligationis prouenientis ex præcepto Ecclesiastico, maximè cum illam iam implere non possit. Quod si dicas debuisse præuenire tempus solutionis. Respondeo fortasse debuisse ex iustitiâ, & naturali obligatione; non tamen ex vi præcepti Ecclesiastici: quia hoc non fuit impositum, vt obligaret ante elapsum tempus; sed post elapsum, ideòque non fuit ecclesiæ contumax, nec incidit in eius Censuram. Ita Suarius suprà num. 12.

Infertur 2.

251. Infertur 2. eum qui alteri mandauit Clerici percussionem, & post eius mortem mandatarius id exequitur, non incurrere in excommunicationem latam c. Mulieres de senten. Excommunic. contra talem mandantem, quia non incurrit illam, antequam effectus sit secutus, cum euidens sit eam numquàm fore incursurum si effectus non sequeretur; nec etiam incutrit quando iam effectus exequutioni mandatur; tunc enim iam non est capax. Ita Suarius suprà n. 13. vbi refellit rationem Vgolini, qui quatuor opiniones circa hunc casum refert.

DVBITATIO XVI.

An vniuersitas, vel Collegium possit Excommunicari?

Primo. Licitè & validè fertur excommunicatio ad præcauendũ peccatum contra singulos de vniuersitate.

252. PRimo certum sit, si excommunicatio feratur ad præcauendum in futurum peccatum, licitè, & validè posse ferri contra singulos de vniuersitate, v. g. quòd nullus Collega eggrediatur noctu è Collegio, sub excõmunicatione latæ sententiæ: tunc enim quilibet delinquens ligabitur. Ita Sylvest. *Excommunic* 9. *n.* 33. resque certa est. Legatur Suarius *disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 2. Couarr. 2. *Variar. c.* 8. *n.* 9. & alij posteà citandi: tunc verò non fertur censura contra vniuersitatem absolutè, atque adeò non contra personam indeterminatam; sed contra determinatas, & particulares personas, quæ sufficienter determinantur per delictum ab ipsis commissum, vt notant relati, & referendi Auctores,

Secundò certum est.

253. Secundò certum sit, si excommunicatio feratur in vniuersitatem sumptam, prout abstrahit, & præscindit à singularibus membris, erit omnino nulla, etiamsi feratur à Papâ. Ita Syluester *Excommunicatio* 1. *n.* 10. Couarr. suprà, Vasquez de *Excommunic. dub.* 17. *n.* 8. Rodriguez 1. *p. c.* 78. Sayrus *lib.* 1. *c.* 8. *à n.* 17. Vgolinus *Tabul.* 1. *c.* 17. §. 4 Suarius *disp. illa* 5. *sect.* 1. *n.* 29. Filiucius *Tract.* 11. *c.* 5. *quæsito* 6. *n.* 138. & *Tract.* 12. *c.* 1 *quæsito* 7. *n.* 20. Reginald. *lib.* 9. *n.* 138. Henriquez *lib.* 13. *c.* 25. *n.* 4. Turrianus de *Censuris l.* 2. *d.* 23. *dub* 2. Conine *disp.* 13. *dub.* 6. *n.* 48. Diana *p.* 5. *Tract.* 9. *Resol.* 38. cum alijs apud ipsum, Nauarrus c. 26. *n.* 13. & omnes communiter.

Ratio est.

Ratio est, quia communitas hoc modo sumpta non est persona vera; sed repræsentata, & ficta. lege, *Mortuo*, ff. de fide iussoribus. Nec est baptizata, nec communicat suffragijs Ecclesiæ; communicatio enim consistit in actibus singularibus; sed sententia excommunicationis tantùm ligat personam veram habentem animam rationalem baptizatam, & communicantem suffragijs Ecclesiæ: ergo &c.

Tertiò. Probabilius est si excommunicatio feratur contra vniuersitatem &c.

254. Tertiò probabilius est, si excommunicatio feratur contra vniuersitatem sumptam pro omnibus singularibus membris simul sumptis, nullo examine præcedẽte, & nullâ factâ restrictione ad solos delinquentes: esse nullam, ita, vt non liget, etiam eos qui fuerunt in culpâ. Ita Auctores citati, & alij vt Richardus in 4. *dist.* 18. *art.* 5. *q.* 3. Paludan. *ibi q.* 2. *art.* 3. Henriquez *suprà*, & Auila *p.* 2. *c.* 4. *dub.* 6. *conclus.* 2.

Ratio.

Ratio est, quia continet errorem intolerabilem contra Ius naturale, & Diuinum quod prohibet puniri innocentes, qui nullo modo sunt probati nocentes. Quod vltimum dixerim; quia Ecclesia, & Respublica Ciuilis quandoque licitè punit innocentes probatos nocentes. De quo diximus in nostro opere de *Iustitia* agentes de Iudice & reo.

Ecclesia quandoq; licitè punit innocentes probatos nocentes.

255. Verùm objiciet aliquis, etiamsi excommunicatio feratur promiscuè contra omnes; innocentes quidem in foro interiori non ligabuntur; nocentes verò meritò ligari debent: ergo nullum sequitur inconueniens, quod hac ratione feratur.

256. Respondet Henriquez, cùm excommunicatio sit vnica, & probata in omnes, aut omnes debebit ligare, aut nullos: non omnes: ergo nullos; Auila verò respondet, quòd si talis excommunicatio esset valida, sequeretur saltem quod Innocens non probatus nocens puniretur saltem in foro exteriori; haberetur enim pro excommunicato. Quod tamen esset contra Ius naturæ.

257. Hæc assertio locum habet, siue excommunicatio feratur sub hac formâ *Excommunico totam hanc vniuersitatem*, siue sub hac, excommunico Præpositum, Decanum, Archidiaconum &c. nominando singulos; est enim eadem ratio in qualibet prædictarum formarum vt notauit Sylueſt. contra aliquos alios *Excommunicatio* 1. *n.* 10. sed, quod attinet ad Papam, probabilis est sententia Syluestri, & aliorum assentientium, quod, si prædicta sententia feratur à Summo Pontifice, erit valida, quia excommunicatio (inquit Sylueſt.) tenet etiamsi liget innocentem. Quod etiam videtur sentire Nauarrus *lib.* 5. *concilior. tit. de sentent. excommunic. cons.* 2. *dicto* 3. cum dicat prædictam excommunicationem solùm esse irritam Iure positiuo per *c. Romana* §. *vltimo de sentent. excommunic. in* 6. propter verbum illud *penitus prohibemus*. Papa verò non subjicitur positiuo Iuri. Vnde secundum hanc opinionem dici poterit talem excommunicationem, etiam à Summo Pontifice esse iniustam, sed omnes ligare vel certè solos delinquentes in foro conscientiæ; innocentes verò propter scandalum teneri se abstinere à Diuinis coram ijs saltèm, qui eorum innocentiam ignorant,

258. Imò, nec videtur etiam improbabilis opinio Glossæ, Bernardi, Ioannis Andreæ, & aliorum *ad prædictum c.* qui dicunt, etiamsi ab Episcopo feratur, esse validam, in eo enim Textu non irritatur, licèt prohibeatur, & iniquè fiat. *Quartò verum puto &c.*

259. Quintò verum puto, si præcedente examine constaret omnes, & singulos de tali communitate esse nocentes, Excommunicationem latam ab Episcopo contra totam communitatem sumptam pro singulis membris esse quidem illicitam, sed validam; si verò lata sit à Pontifice, non solùm validam; sed licitam. Ita mihi videtur sentire Couarr. cum alijs; quos refert 2. *variarum c.* 8. *n.* 9. & tenent expressè Enriquez, & Auila *suprà*. Et quidem, quòd lata ab Episcopo sit illicita, probari potest ex eo quòd sit contra tenorem *c. Romana* citati, cui Episcopus est subiectus; non verò Papa. Quamuis alij Auctores non videantur distinguere de examine præmisso; vel non præmisso; & sanè probabiliter dici posset prædictum *c. Romana* non loqui, quando examine præmisso fit; in eo enim casu iam cessat finis totalis, qui mouit Pontificem ad prohibendum Episcopis ne ferrent Censuram in vniuersitatem, finis enim fuit, vt expressit Pontifex *ne innoxij irretirentur*.

260. Quinto verùm etiam puto licitam esse, & validam excommunicationem; si feratur, etiam ab Episcopo, contra singulos nocentes de Vniuersitate; quia hoc modo esse ferendam *Quintò verum etiam puto.*

expressè dixit Pontifex in fine illius capitis,& concedunt omnes, quos viderim Auctores: siue feratur generaliter dicendo: *Excommunico omnes & singulos de tali vniuersitate, qui cõmiserũt tale delictũ nisi satisfaciant &c.* siue specialiter dicendo *excommunico Petrum, Paulum &c. de tali vniuersitate, qui commiserunt tale delictum.* Intelligitur autem (vt notauit Nauarrus *suprà*, de nocentibus tantùm mortaliter.

Obijcies. 261. Obijciet tamen aliquis contra prædicta; vniuersitas potest interdici: ergo etiam excommunicari. Respondeo concedendo antecedens,& negando cõsequentiam, seu paritatem. Ratio disparitatis est, tum quia de Interdicto nullo positiuo Iure prohibetur; tùm, quia nec naturali; neque enim Interdictum semper ponitur pro culpâ eorum, qui interdicuntur; sed in odium illius, qui in Ciuitate est excommunicatus. Vnde interdicti, qui non habenr culpam, licet à Diuinis officijs arceantur, non tamen à suffragijs Ecclesiæ. Accedit, quòd suspensio, & Interdictum non sunt pœnæ ita graues, sicut excommunicatio; neque enim priuat hominem internis animæ bonis, id est suffragijs,& auxilijs Ecclesiæ. Ideò non est absurdum innocentes aliquando ligari suspensione, & Interdicto. Ita Suarius *disp.* 28. *sect.* 3. *n.* 1. Rodriguez in *summa c.* 78. *n.* 2. Sayrus *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 2. *&* 20. Vgolinus *Tabul.* 2. *c.* 26. §. 1. Conine *disp. illa* 13. *dub.* 6 Filiucius *Tract. illo* 11. *c.* 5. *quæsito* 6.& alij *suprà* citati.

Resp. licet vniuersitas possit interdici non tamen potest Excommunicari

Ratio disparitatis est.

Obijcies 2. 262. Obijcies vlterius, sæpe innocentes puniuntur pro nocentibus, vt patet in Bello iusto, & in filijs Hæreticorum, qui spoliantur Hæreditate paternâ.

263. Respondetur in bonis temporalibus illud aliquando licitè fieri, vel propter maius bonum commune, vel quia in illis bonis vnus pendet ab alio. Quâ verò ratione possint in bello iusto indirecte occidi innocentes, diximus agentes de bello, & homicidio in nostro opere de Iustitiâ. At verò in bonis spiritualibus hæc dependentia & connexio non habet locum; sed solùm per se, & seorsim, qui peccat debet puniri.

Resp. Innocentes licitè puniri pro nocentibus in bonis temporalibus aliquando.

DVBITATIO XVII.

An semel ligatus vnâ Censurâ sit adhuc capax alterius?

264. Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quod excommunicatio consistat in priuatione, priuatio verò eiusdem formæ non suscipit magis,& minus, vel potiùs dicam, in eodem subiecto non potest multiplicari; tot enim sunt priuationes quot possunt esse habitus, seu formæ oppositæ. Cùm ergo secunda sententia excommunicationis inueniat iam hominem priuatum eisdem prorsus bonis, quibus illa priuatura erat, nihil inueniet, quo priuet, atque adeò nihil efficiet.

Ratio dubitandi pro parte negatiuâ.

265. Vt res intelligatur, notandum & supponendum est posse eumdem hominem ligari pluribus Censuris diuersæ speciei, v.g. poterit quis excommunicari, suspendi, & interdici: quia cùm hæ Censuræ sint diuersarum rationum, rectè possunt simul eidem subiecto inesse, atque ita frequenter fit in Ecclesiâ, non solùm propter diuersas causas, sed etiam propter idem delictum, si perseueret contumacia; solet enim Iudex ob id aggrauare,& multiplicare Censuras, imò in Iure ob atrocitatem delicti videntur interdum plures impositæ eidem delicto. Extrauag. 3. *de Priuilegijs*.

Notandum posse eundem hominem ligari pluribus Censuris diuersæ speciei. Ratio.

266. Dubium ergo tantùm est, an possit quis simul ligari multis excommunicationibus? vel suspensionibus? vel Interdictis?

Dubiũ tãtũ est de censuris eiusdem speciei.

267. Asserendum est; si causæ propter quas ligatur, sint diuersæ. Est communis Auctorum affirmans sententia. Ita D. Thomas *Addition. q.* 22. *art.* 6. Sotus *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *conclus.* 3. Bonauentura *in* 4. *dist.* 18. 2. *p. dist. q.* 4. Gabriel *ibidem. q.* 2. *art.* 2. *conclus.* 5 Richard. *ibi art.* 5. *q.* 2. Alensis 4. *p. q.* 22. *membro* 1. *art.* 5. Syluest. *Excommunic. n.* 10. Couarr. *c. Alma mater* 1. *p.* §. 11. *n.* 13. Gloss. & Canonistæ *in c. Ita quorumdam* de *Iudæis.* vbi Nauarrus *notab.* 11. & *in c. Quicumque verò incurrant*, *eodem tit in* 6. & *in c. Engeltrudam* 3. *q.* 4. Suarius *disp.* 5. *sect.* 2. Auila 2. *p. c.* 4 *disp. vnica dub.* 7. Filiucius *Tract.* 11. *c.* 5. *quæsito* 7. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 5. & alij communiter, inter quos Henriquez citatus *dub. præcedenti.* Consultò dixi, si causæ sunt diuersæ; nam ab eodem Iudice propter solam eandem perseuerantem contumaciam in eodem delicto non potest multiplicari censura eiusdẽ speciei; sed tantùm dicitur aggrauari per plures denuntiationes, promulgationes, seu publicationes eiusdem Censuræ, vt cum Bonauentura probant Nauarrus *suprà* & Suarius *sect. illa* 2. *n.* 8. quidquid in contrarium sentiant ex suprà citatis Sotus, Auila, & Henriquez *suprà*. Vnde in hoc casu sic excommunicatus non indiget pluribus absolutionibus. Ratio verò est, quia (vt dixit Pontifex *in c. Pastoralis* §. *Verum*) denuntiatio non addit nouum vinculum. Legantur dicenda *disp.* 3. *dub.* 31. *post.* 3. assertionem, vbi magis explicabitur an vna vel plures absolutiones requirantur? vide Dianam 5. part. Tract. 9. Resol. 60. §. *Tertiò nota* vbi rem hanc rectè aduertit & declarat.

Asserendum & posse etiã hoc fieri si causæ sint diuersæ ob quas ligatur Ita D. Thomas.

Dixi si causæ sint diuersæ.

Nota. 268. Nota verò plures esse Textus, quibus probant nostram assertionem Canonistæ, & aliqui Theologi; qui tamen non sunt ad rem; solùm enim loquuntur in tali casu plurium denuntiationum; non tamen plurium Censurarum. In casu tamen nostræ assertionis, quando causæ Censurarum ferendarum sunt plures, & diuersæ, feranturque Censuræ per modum plurium, indiget homo pluribus absolutionibus, vel vnâ generali, quæ explicatis diuersis causis, & Censuris, cadat super omnes simul. Quod omnes Auctores,& Iura fatentur.

269. Probatur ergo nostra assertio ex *c. officij* & *c. Cum pro causâ de sentent. Excommunic.* in quibus apertè nostra assertio continetur, & *in Clem.* 2. *de sentent. Excommunic.* noua excommunicatio fertur in eos, qui contra priorem publicam excommunicationem, & admonitionem sacris intersunt. Atque hæc secunda adeò diuersa est à priori, vt sit Papæ reseruata quamuis non prior. Ex quo Textu colligit Suarius *suprà n.* 10. posse aliquem pluribus excommunicationibus ligari, tam à Iure, quam ab homine; si

Probatur assertio.

si causæ, seu peccata sint diuersa, & quidem, si peccata sint diuersæ rationis & speciei, est res certissima, vt patet ex dicto *c. pro causa*, vbi declarat, & decernit Pontifex eum, qui ob duplicem causam, videlicet ob violentam manuum iniectionem in Clericum, & violationem immunitatis Ecclesiæ absolutus fuit, factâ tantùm mentione vnius causæ, adhuc manere ligatum aliâ excommunicatione ob aliam causam, atque ita indigere aliâ absolutione. Idem etiam constat ex Extrauag. vnicâ de *Schismaticis*, in illis verbis *Plurium Excommunicationum sententijs innodauit.*

Plures excõmunicationes incurri possunt ob plura peccata solo numero distincta.

270. Si vero peccata sint plura solo numero diuersa, etiam videtur esse certum propter illa plures excommunicationes posse incurri, vt, si quis percutiat tres Clericos, tres excommunicationes incurret. Item si bis percutiat eundem Clericum morali interruptione interpositâ, duplici excommunicatione ligabitur. Ita Couarr, *suprà*, & Nauarrus *in summa c.6.n.17. & 18.* & Vgolin. *Tabul. 1.c.16.§.3.n.4.* & latè Suarius *disp. 5. sect. 3.* vbi multa tradit de distinctione numericâ peccatorum. Qua de re nos latè diximus agentes de *Pœnit. Tract.8. disp. 9. dub. 2. 3. & 4.* & deinceps. Eandem doctrinam de multiplicitate excommunicationis repetit idem Nauarrus. *c. 26.n. 8.* quem sequitur Henriquez *c. 25.* Auila *2.p.c.7.disp.2.dub.3. conclus.4.* referens Syluestrum & Couarr. Probatque, nam si in hoc casu non sunt diuersæ excommunicationes numero, nec etiam erunt, quamuis causæ sint diuersæ speciei, vt excommunicatio propter percussionem Clerici, & excommunicatio propter furtum bonorum naufragi.

Posse aliquẽ pro eodem delicto excõmunic. à Iure & ab homine duplici excommunicatione nõ est tam certum.

271. Illud verò non videtur tam certum, quod asserit cum Abbate Suarius *disp.5.sect.4. in fine* scilicèt posse aliquem pro eodem delicto excommunicari à Iure, & ab homine duplici excommunicatione. Probatur; quia licèt quodam modo sit causa eadem, etiam quodam modò est diuersa; nàm Censuram à Iure incurrit quis statim atque ius transgreditur, vt verò postea ab homine ob idem delictum excommunicetur, necesse est, vt à Iudice moneatur, illique sit contumax; est ergo alia, & alia contumacia formaliter diuersa; & idem erit (inquit Suarius) in sententijs Censuræ latis à diuersis Iudicibus, si quilibet habeat Iurisdictionem in reum. Quæ omnia probabiliter dicuntur.

Ad rationẽ dubitandi positam n. 264 Resp.

272. Ad argumentum in oppositum, seu rationẽ dubitandi respondetur, verum esse quod priuatio in se non suscipiat magis & minùs, nec multiplicetur in se non multiplicatis formis positiuis, quibus priuat: potest autem multiplicari in ordine ad causas ex quibus prouenit; vt, si in Physicis plura corpora opaca obijcerentur ad impediendum lumen in aëre. Vnde sicut pluribus his corporibus obiectis non sufficit tollere vnum nisi tollantur omnia: ita quod ad rem moralẽ attinet, censetur multiplicari illa priuatio propter diuersas causas, & indignior censetur suffragijs Ecclesiæ excõmunicatus duplici excommunicatione propter duplicem causam, quàm solâ vnâ. Sic Theologi non pauci intelligunt, & explicant vnumquodque peccatum mortale priuare gratiâ Dei, etiamsi secundum peccatum supponat primum, quòd iam priuauerit illâ; nam secundum, quantùm est ex se illâ etiam priuat. Et sanè in re morali magni momenti est diuersitas respectus moralis ad diuersa; nec excommunicatio, etiam passiuè sumpta, est ita nudè ipsa formaliter priuatio communicationis prædictorum bonorum; quin sit cum respectu ad prĩcipium infligens hanc pœnam, ratione cuius moralis quædam resultet indignitas, seu incapacitas talis cõmunicationis, & sint plures indignitates, si sint plures causæ, nam, si per possibile, vel impossibile fingamus aliquem hominem carere ijs omnibus bonis, quibus excommunicatio priuat, absque respectu ad aliquem infligentem talem pœnam propter aliquam causam, ille non censeretur excommunicatus, quamuis possit, vtcumque appellari non communicatus, seu non communicans cum alijs in talibus bonis: Ratio ergo excommunicationis inuoluit essentialiter prædictum respectum. Dicimus ergo talem respectum posse multiplicari pro diuersitate causarum priuandi talibus bonis, siue, quia causæ, quæ mouent, & merentur (vt sic dicam) talem priuationem, sunt diuersæ, vel etiam causæ infligentes diuersæ sunt, atque adeò diuersæ etiam contumaciæ, vt explicatum est. Vnde corruit, quod aliqui obijciunt, non posse scilicèt multiplicari accidentia in eodem subiecto; negandum enim est in accidentibus respectiuis, & quæ inuoluunt ordinem ad aliquid extrinsecum; quem ordinem dicit Excommunicatio ad actum excommunicantis, & ad causam propter quam inducitur.

Excommunicatio dicit ordinem ad duo.

Ad multiplicitatẽ causæ excommunicationis sufficit diuersa ratio formalis malitiæ in eodem actu.

273. Ad multiplicitatem verò causæ excommunicationis, atque adeò ad excommunicationem multiplicandam, sufficit diuersa ratio formalis malitiæ in eodem actu. Hinc est, quod si supponamus furantem in Ecclesiâ bona illius, committere simul illo actu non solùm furtum contra Iustitiam, sed sacrilegium contra Religionem, & pro furto sit imposita vna excommunicatio; altera pro sacrilegio, incurret fur ille duplicem excommunicationem; quamuis enim sit vna actio numero entitatiuè, & Physicè: nihilominus est multiplex formaliter, & moraliter.

274. Non me latet, quòd quamuis iuxta prædictam doctrinam plures & graues Auctores, etiam in actione vnicâ, quæ habet plures malitias numero tantùm distinctas, putent locum habere, vt quando vno actu quis percutit, vel occidit tres Clericos, incurrat tres excommunicationes iuxta numerum Clericorum occisorum, atque ita doceant, præter Nauarrum, Couarr. Vgolinum, Henriquez & Auilam supra citatos, Zerola de *Pœnit, c.12. quæsito 48,* Sayrus *lib.1.c. 10.n. 9.* eamque sententiam dicat Suarius esse sequendam in praxi, & Vasquez tanquam veram defendat agens de *Pœnit.q.91. art.1. dub.4.* nosque illam sequuti sumus *loco citato de Pœnitentia*: nihilominus idem Suarius *suprà*, Bonacin. *disp. 1.q.1.puncto 5.* alijque nonnulli apud Dianam citatum probabile putant tantùm incurrere vnam excommunicationem; quia nimirum putant tantùm esse vnum numero peccatum, & vnam transgressionem. Idque probant à simili, quia qui vno actu malum imprecatur

precatur vni familiæ, committit vnum tantummodo peccatum, quamuis in eâ familia plores existant personæ. Verùm de his omnibus latè diximus *loco notato de Pænit.* maximè *dub.* 5. vbi latè ad hæc, & similia argumenta respondimus; ibi legatur; vide Dianam *5. p. Tract. 9. Resol.* 59. & 60. vbi ex alijs probat plures esse Censuras, licèt probabile putet contrarium. Imò Suarius, & Cornejo ibi relati probabilius putant esse plures censuras, quod videtur negare, vel omittere Compendiator Dianæ *verbo Excommunicatio num.* 20. in quo compendiatore aliquanto maiorem auram desidero in ijs fideliter contrahendis, quæ ab auctore dicuntur latiùs, ita vt nihil substantiale dissimulet. Illud ego dissimulare non debeo, posse fieri vt plures quidem sufficientes causæ in eodem concurrãt, quarum quæuis seorsum sufficeret per se ad excommunicationem, sed ex omnibus fiat vna perfectior, & quasi integrata, atque adeò non plures sed vna incurratur v.g. si quis percutiat Presbyterum, non incurrit plures, vnam quia Presbyter, & alteram quia Diaconus &c. percutitur. An verò si quis percutiat Religiosum qui simul habeat ordines Ecclesiasticos, affirmant aliqui apud Dianam; inter quos Suarius quia diuersa consecratio est Monachi & Clerici, vti declarat Suarius de Censuris *disp.* 5. *n.* 14. alias 15. sectione 3. Sed id non scio ita intelligi. Certè non video si quando contingat percussio Clerici simul & Monachi ita peti diuersas absolutiones.

DVBITATIO XVIII.

Quomodò dignoscendum sit in generali quanam persona incurrerint Censuras?

275. Descendendo in particulari dicemus sequentibus dubitationibus: nunc solùm breuiter generalem regulam tradere oportet.

Assertio. Asserendum ergo est, vt cognoscamus quas personas comprehendat Censura, tàm à Iure, quàm abhomine lata, generaliter loquendo cõsideranda sunt diligenter verba & personæ, quæ Censura afficiuntur; item actio propter quam Censura fertur; atque hæc omnia strictissimè & cum rigore sunt interpretanda; ita vt verba nõ se extendant, nisi ad id, quod saluo illorum sensu non potest non includi; est enim materia odiosa, & odia sunt restringenda. Vnde nullum verbum extendi debet, nec vlla censura vltra illa quæ propriè, & in rigore per talia verba significantur, vt docent Caietanus in *summa, verb. Excommunic. in principio* & Nauarrus *c.* 27. *n.* 5. Atque communis Doctorum sententia.

Notandum 276. Notandum verò est, in omni Censurâ esse personam quæ censuratur, & actionem, propter quam afficitur Censura; actionem verò posse considerari, vel ex parte agentis, à quo progreditur, vel ex parte termini, ad quem tendit, de hoc autem posteriori modo dicemus dub. 23 & disp. sequenti agentes de causis excusantibus ab incurrendâ Censurâ; nunc verò agemus de actione, prout ab agente procedit, & de personis secundùm hunc respectum ad agẽs; & quidem de personis ex ipso tenore verborum facilè constabit, an Censura feratur contra omnes, vel contra certas, vel certam personam? Ideò verbis standum est; solùmque oportet aduertere, quòd in Censuris suspensionis, & interdicti etiam generaliter latis ipso facto in omnes personas, quæ tale quid fecerint, non censeantur comprehensi Episcopi, nec alij Prælati, Episcopi superiores, etiamsi illud faciant; nisi de illis fiat expressa mentio, quia in hoc sunt priuilegiati per c. *Quia periculosum de sentent. Excommunic. in* 6. at verò Excommunicatio generaliter lata Episcopos, & alios eis superiores comprehendit, quamuis de illis non fiat expressa mentio; quia in Excommunicatione non sunt priuilegiati. Vnde, si Episcopus iniustè percutiat Clericum, incidet in Excommunicationem Canonis *si quis suadente diabolo.* Ita Glossa, & Canonistæ in illo *c. quia periculosum*, Syluest. *verbo Episcopus § finali*, Nauarrus *c.* 27. *n.* 161. Iam verò de actione ex parte agentis quatuor sequentibus dubitationibus disputandum est.

In Censuris suspensionis & interdicti non censentur comprehendi Episcopi nisi de ijs fiat expressa mentio.

At Excommunicatio, generaliter lata eos comprehendit.

DVBITATIO XIX.

An Censura latâ contra facientes comprehendat mandantes, & consulentes?

277. Affirmant Panormitan. *c. significauit de Iudæis*, & Syluest. *Excommunicatio* 10. *n.* 5. Probant 1. quia agentes, & consentientes, pari pœnâ puniuntur. Secundò, quia in c. *Mulieres*, de sentent. *Excommunic.* dicitur, quòd illi etiam, quorum auctoritate, vel mandato alij percutiunt Clericum, incurrunt in Excommunicationem Canonis: redditurque ibi ratio, *cum is verè committat, cuius auctoritate vel mandato delictum committitur.* Tertiò quia, quod per alios facimus, per nos facimus.

Affirmant Panormitan. & Syluester.

278. Asserendum nihilominus est, Censuram latam contra facientes non comprehendere mandantes, nec consulentes, nec alios participantes seu cooperantes, dummodò non sint exequentes, vel dummodò non faciant, consulant, vel cooperentur in delicto, propter quod iam is, cui cooperantur, incurrerat in excõmunicationem, tunc enim in eandem incurrit fauens, aut consulens, per *c. Nuper* & *c. si concubinæ de sentent. Excommunic.* Ita Caietanus *verb. excommunic. in principio*. Tabiena *Excommunic. 5. casu* 49. § 5. Nauarrus *c.* 27. *n.* 51. (vbi falsò pro se citat Syluestrum) & *lib. 5. tit. de sentent. excommunic. consil.* 54. *n.* 4. Aula 2. *p. c.* 3. *dub.* 2. & 3. Vgolinus *Tab.* 1. *c.* 9. §. *vltimo*. Couarr. *c. Alma mater p.* 1. §. 10. *n.* 15. Suarius *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 5. *ad finem*. Reginaldus *lib.* 9. *n.* 214. & alij Recentiores, cùm apud citatos, tùm apud Dianam qui illos sequitur part. 3. Tract. 9. Resol. 56. & 57. legique possunt pro hac & sequentibus dubitationibus, quæ dicemus *disp. sequenti dub.* 11. & *dub.* 43. item *disp.* 3. *dub.* 33.

Asserendum Censuram latam contra facientes non comprehendere mandantes &c.

279. Dixi, *quando censura est lata contra facientes* v.g. contra furantes, percutientes &c. Nam, si etiam feratur contra consulentes, vel cooperantes

rantes, clarum est comprehendi. Imò non solùm quando exprimuntur; sed etiam, quoties apponitur alia particula, quâ propriè significentur, vt si dicatur *quomodocumq́; quis fuerit causa*, vel *si quis fuerit causa*, vel *omnis, qui mediatè, vel immediatè, directè, vel indirectè*, vel *quicumq́; fuerint culpabiles*, per hæc enim, vel similia verba omnes participantes in delicto significantur, & comprehenduntur. Si verò etiam dicatur *adiuuans*, comprehenditur qui dat instrumentum vel modum. Quod si dicatur, *si quis per se vel per alium fecerit*, comprehenduntur iubentes, & dantes pecuniam, vt illud fiat; sed non comprehenditur consulens tali verbo. Ita Auila, & nonnulli viri docti ipso teste, *p.2.c.5. disp.3. dub. 2. conclus.*2. qui etiam addit, & mihi placet iuxta principia tradita *dub. praeced.* si fortè sit dubium, an aliqui comprehendantur, iudicandum esse non comprehendi, quia materia est odiosa.

Probatur 1. Assertio. 280. Ex quo etiam principio probatur primò nostra assertio, quia, cùm pœnæ sint restringendæ, verba legis pœnalis formaliter, verè, & propriè sunt intelligenda; sed non dicuntur formaliter, verè, & propriè agere; nisi illi, qui eliciunt, & exercent talem actionem; mandans autem, vel consulens tantùm intepretatiuè dicitur facere: ergo, quamuis ad rationem peccati satis sit actio interpretatiua; non erit satis ad incurrendum pœnam contra facientes. Probatur 2. nam, quando lex vult punire non tantùm facientes; sed etiam mandantes, & consulentes, id explicat extendens ad mandantes, vel auxilium aut fauorem dantes &c. vt patet ex *c. fœlicis* de pœnis in 6. & in Clementina *si quis suadente* de pœnis, & in multis excommunicationibus Bullæ Cœnæ, pluribusq́ue alijs Textibus. Tertiò probatur, quia, vt colligitur ex *c. Quicumque de sententia Excommunicationis in 6.*, excommunicatio lata contra dantem licentiam malè faciendi non extenditur ad vtentem illâ licentiâ; nisi id expresè dicatur. Probatur 4. quia Consilium, vel mandatum multo tempore, vt per annum, solet præcedere factum ipsum; sed nihil potest præcedere se ipsum: ergo qui mandat, vel consulit, non propriè dicitur facere, nec consilium, aut iussio sunt idem quod factum.

Mandans vel consulens tantùm interpretatiuè dicitur facere.

Probatur 2.

Probatur 3.

Probatur 4.

Notandum. 281. Notandum verò est Nauarrum *vtroq; loco citato*, & Valentiam *tomo.4. disp.7. q.17. puncto 9*, aliosq́ue viros doctos apponere prædictæ doctrinæ aliquas limitationes, scilicèt, nisi talis lex frustratoria esset, si mãdantes non cõprehẽderet, vel, nisi in aliquâ particulari materiâ iubens, seu mandans secundùm communem modum loquendi dicantur facere. Ex quo inferunt, quod licèt in *c. Ita quorundam de Iudæis*, solùm lata sit excommunicatio contra deferentes equos, arma &c. Saracenis, eam nihilominus incurrunt mercatores, qui ea mittunt, & iubent, vt deferantur. Verùm tales mittentes per alia Iura incurrunt excommunicationem scilicèt per *c. signauit de Iudæis*, & mandantes, & consulentes mittere incurrunt per Extrauag. *Multa*, & per Extrauag. *copiosus*. Ideò, vt rectè notat Auila *citato illo dub.* 2. non sunt necessariæ prædictæ limitationes.

Ad Primum 282. Ad primum argumentum supra factum respondetur agentes, & consentientes posse quidem eâdem pœnâ puniri, & illâ dignos esse, non tamen de facto semper id fieri; nisi etiam consentientium fiat mentio, vt ex multis Iuribus constat. *argumentũ n 277. positum Resp.*

Ad 2. Resp. 283. Ad secundum respondetur illos mandantes, & consulentes incurrisse quidem, quia expresè voluit eos comprehendere Pontifex; Ratio autem Pontificis est, quia ij etiam committunt id est delinquunt. Quod omninò verum est; atque adeò potuit Pontifex velle, & voluit eis etiam imponere eandem pœnam; non tamen dixit quod percutere mandans sit percussor, & percutiat. Ac proinde; nisi alijs verbis extenderet ad mandantem, non incurreret mandans pœnam impositam percutienti. Quæ doctrina colligitur ex Nauarro *suprà*. Non videtur quidem expressum quod etiam cõsulẽtes aut auxilium præbentes comprehendantur, tamen comprehenduntur consentientes & satis consentiunt, qui dant consilium & auxilium. Vide Dianam 9. part. Tract. 4. Resol. 14. vbi ex alijs iuribus id probat.

Ad 3. 284. Ad 3. respondetur non dici nos propriè, & verè facere, quod per alios facimus; sed tantùm metaphoricè, & fictè, vt notat Barthol. in l. *Sed si vnius* §. 1. ff. *de Iniurijs*. Leges autem pœnales propriè, & verè sunt interpretandæ iuxtà dicta ex Regulâ illâ *odia sunt restringenda*.

DVBITATIO. XX.

An quando Excommunicatio fertur etiam contra consulentes, & mandantes, comprehendat eos, licèt effectus non sequatur?

285. Casus sit: mandaui Petro, vt percutiat Clericum, ille tamen non percutit. Quæritur, an incurrerim ego tantùm propter mandatum? *Casus dubij.*

286. Notare oportet excommunicationem dupliciter ferri posse, primò principaliter contra facientem; & secundariò, seu accessoriè contra mandantem, vel consulentem. Secundò æquè principaliter contra omnes. Quo supposito *Nota. Excommunicationem dupliciter ferri posse.*

287. Asserendum est, quando excommunicatio fertur primo modo, non comprehendi mandantes, vel consulentes effectu non sequuto; si verò secundo modo imponatur, comprehendi, etiamsi effectus non sequatur. Exemplum prioris sit in eo, qui mandauit percutere Clericum; in quo, quia hæc excommunicatio principaliter imponitur contra facientes, & accessoriè contra cooperantes; si mandatarius non faciat, mandans non incurrit. Exemplum secundi sit in eo, qui mandauit percutere aliquem per assisinos, incurrit excommunicationem, licet effectus non sequatur; hæc enim excommunicatio æquè comprehendit mandantes, & occidentes *c.1. de Homicidio in 6.*. Idem est de eo, qui concionatur animo retrahendi Auditores à solutione decimarũ, incurrit enim, *Assertio.*

quamuis nemo retrahatur iuxta *Clement. cupientes § de pœnis*, prædicta enim iussio, & prædicatio æquè primò subiacet excommunicationi, atque ipsa retractio. Ita Caietan. *verbo Excommunicatio ante c.1.* Syluest. *Excommunic. 7. n. 24.* Nauarrus *c. 27. n. 51. versi. Adde quod refert.* Valentia *tomo. 4. disp. 7. q. 17. puncto 9.* Auila 2. *p. c. 5. disp.* 3. *dub.* 6. Conínc *disp.* 13. *dub.* 8. *conclus.* 7. Atque ita intelligi debet Diana *part. 5. Tract. 9. Resol. 56. & 57.* & alij qui absolutè negant incurri, quando effectus non sequitur.

Duo hic notanda.

288. Duo tamen sunt hic notanda: primum, quòd si lex non exprimat, nec ex eâ clarè colligatur, æquè primo comprehendi mandantes & consulentes, iudicandum sit eos accessorios esse ex dicto principio, quia odia sunt restringenda. Ita Nauarrus in *Commentario de datis, & promissis pro iustitia, n. 15. versic. adhuc omnia* & Clarius *lib. 5. conciliorum conf. 55. tit. de sentent. excommunic.* Auila *suprà.* Cum quo notandum est 2. Irregularitatem nunquàm incurri, nisi effectu sequuto, quamuis aliquis mandet, vel consulat homicidium.

DVBITATIO XXI.

An si mandans, & consulens reuocent mandatum vel consilium ante effectum sequutum excusentur à Censura?

Sensus Dubitationis.

289. DVbitatio locum habet, quando Excõmunicatio accessoriè extenditur; nã, si æquè primò eo ipso, quod semel mandent, vel cõsulant incurrunt, etiamsi statim, & in continẽti reuocent. Quærimus ergo, an, si mandans, vel consulens reuocet mandatum, vel consilium, antequàm delictũ committatur, incurrat, si post talem reuocationem mandatarius, &, qui consilium accepit, exequatur delictum?

Assertio 1. si mandans reuocauerit sufficienter mandatum, non incurrit Excommunicationem patrato post delicto.

290. Assero 1. si mandans reuocauit mandatũ, & reuocatio peruenit ad notitiam mandatarij ante patratum delictum, mandans non incurret excommunicationem licet mandatarius delictum perpetret. Ita Angel. verbo *Mandatum*, Syluest. *eodem verbo n. 5. & verbo homicidium 1. q. 7. § 3. n. 11. & verbo Excommunicatio 6. n. 5. § 3.* Nauarrus *c. 27. n. 233.* vbi loquitur quantum ad Irregularitatem; sed eadem est ratio de Excommunicatione. Idem docet Auila *p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 7.* Lessius *lib. 2. de Iustitia c. 13. dub. 3. n. 1. 7.* Molina *Tract. 2. de Iustitia disp. 731.* & alij multi inter quos Diana citatus dub. præcedente. diximus in simili *in nostro opere de Iustitia & Iure.* Tract. *de Restitutione disp. 4. dub.* 3. Idemque dicendum est si reuocauit mandatum tacitè, vt si redeat cum aduersario in amicitiam, vel contrahat cum eo affinitatem sciente mandatario. Ita Angelus, & Syluest. citans Innocentium, & in simili diximus loco citato de *restitutione.*

Idem dicendum licet tacitè tantũ reuocauerit mandatum.

Si mandatarius delictũ patret ante intimationẽ reuocationis incurret mandans Censuram

291. Si verò, antequàm veniat ad notitiam mandatarij, hic delictum patret, incurrit mandans Censuras, vel irregularitatem. Ita Syluest. suprà *Excommunic. 6.* Nauarrus Molina, Less. & alij multi. Nec obstat, quod fortassis iam sit in statu gratiæ; quia quamuis Censura, & Irregularitas non contrahatur, nisi propter peccatum mortale; non tamen opus est, vt duret culpa, quando contrahitur; sed sufficit commissam esse; & quod effectus, seu opus externum ex vi illius culpæ tunc fiat, vt diximus de vulnerante ad mortem, & de dormiente, aut ebrio *dub. 13. à num. 225.* hic autem eodem modo accidit; nam mandans est Auctor, ex vi cuius mandati, & in cuius gratiam mandatarius, tanquam instrumentum mouetur.

contra hoc ultimum sentiunt aliqui.

292. Non me latet contra hoc vltimum sentire Innocentium relatum à Sylnestro, idque tradere etiam Hurtadum *de Excommunicatione disp. 5. num. 76.* Mazuchellum Homobonum & Bordonum, quos refert Diana 8. *part. Tract. 7. Resol. 85.* ex Auersa, qui putat excommunicationem quidem incurrere, licet non debeat confiteri effectũ si ante effectum fuit confessus. Cæteri negant incurri censuram, quam sententiam valde probabilem putat Auila suprà, & aliqui alij; sed non video in quo sit tanta probabilitas vt mereatur particulà *valde* quæ auxesim significat, dicunt aliqui quòd Ecclesia non intendit punire aliquem censurâ, qui ante incursionem iam est pænitens actualis & non inobediens. Quod gratis dicitur & præbet occasionem, vt quis mittat cum mandatis aliquẽ, vt percutiat Clericũ, & post illũ missum & procul absentẽ veniat ad aliquem confessarium & ostẽdat se pænitere, vel alios testes ostẽsæ pænitẽtiæ adhibeat, siue ex animo id fiat, siue non; sufficit enim signum externum pænitentiæ vt sic euadat Censuram, etiamsi alter missus percutiat, quia iam tunc pænitet, saltem in foro exteriori.

Assertio 2.

293. Assero 2. si consulens ante patratum delictum reuocet Consilium & innotescat ei cui consilium dedit, probabilissimum est nihilominus incurrere; si hic non obstante reuocatione delictum perpetret. Ita Nauarrus, Molina & Lessius *suprà.* Diana cum Cornejo & alijs 4. part Tract. 2. Resol. 15. Ratio discriminis est inter mandantem, & consulentem, quia mandatum datur & executioni mandatur in gratiam ipsius mandantis. Ideò, cum mandatarius agat nomine mandãtis vt illi morem gerat, hoc ipso, quòd mandans reuocat mandatum, & reuocatio innotescit mandatario ante operis exequutionem, cessat omnis ratio agendi à mandante proposita, ac proinde omnis ratio ab ipso proueniens; non secùs, ac, si vis sagittæ impressa subitò cohibeatur, & extinguatur, quæ alioquin tendebat in hominis occisionem; at verò consilium datur in gratiam ipsius accipientis Consilium, ac proinde hic agit nomine suo propter commoda sua, ideò non eo ipso cessat statim ratio agendi ipsi impressa; nisi contrarium re ipsâ persuadeatur illi, vel certè, nisi ostendatur illam rationem, ob quã motus fuit, qui consilium dedit, non subesse, sed fuisse omninò falsam, & apparentem. Secùs enim consulens Censuras incurret. Et iuxta hanc doctrinam philosophandum censeo, & iuxta ea, quæ diximus in simili de *restitutione*, cum Molina citato, & alijs *disp. illa 4. dub. 4. assert 2. num. 52 & seqq.*

Ratio discriminis est inter mandantẽ & consulentem.

Probabile tamen putat Auila *quod si consulens &c.*

294. Probabile tamen putat Auila cum Syluest. suprà v. *Homicidium*, Antonino & Toleto. & docet Diana suprà, quòd, si consulens faciat quantum potest dehortando ab opere eum, cui

dederat

dederat consilium, & simul monendo eum, cui damnum est inferendum, vt sibi caueat, non incurret: immò neque improbabile esse non incurrere, etiamsi non moneat lædendum, quia sine vllo discrimine eodem modo dicunt nonnulli non teneri obligatione restituendi (atque adeò nec Censurâ) mandantem, & consultorem. Ita Diana infrà citandus & Ioannes à Medina, C. de *Restitutione* q.7. Petrus Nauarra *lib.* 3.*c*.4. *n*.27. Salon *q.* 62. *art.* 7. *controuers.* 6. & Bannes *eodem articulo* 2.2. & Less. *vbi supra* hoc non esse improbabile, quia, quando fecit, quod potest, vt prius illud consilium euertat, vel ostendit esse iniquum, & non sequendum, non videtur ille consulentis consilio moueri; sed malitiâ suâ. In quam sententiam etiam inclinat Suarius *de Censuris disp.* 44. dicens consiliarium esse causam moralem, & eo ipso, quòd fecit, quod moraliter potuit, censeri causam moraliter abstulisse, & ideò illi iam non imputari; ibi legatur; vbi rem probabilem satis ostendit, & sequitur Præpositus & alij apud *Dianam* 4. *part. Tract. illo* 2. *Resolutione* 14. & ex alijs notat quod si bona fide consulens putauit sufficere reuocationem, non incurret etiamsi homicidium sequatur. Idem alij apud eundem Dianam 9. *part. Resol.* 14. Nihilominus quod diximus hic, & loco citato verius puto; tunc enim ille exequutor mouetur vtilitate, vel ratione ostensâ ab illo consulente, quam semel arreptam non vult dimittere; sed illâ potiùs vti sicuti si dedisses illi ensem, quo occideret, & non posses tollere semel datum & probabilius cum alijs putat Diana proximè citatus. Legatur Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 7. vbi vtriusque sententiæ probabilitatem adstruit.

Quomodo dignosci possit an quis suo consilio influxit in factum prohibitum.

295. Quomodo verò possit dignosci, an aliquis suo Consilio influxerit in factum prohibitum, breuiter explicari potest: primò ex dicto ipsius exequentis, si alioquin fide dignus sit. Vnde, si asserat se motum non fuisse consilio, vel ad substantiam actus, vel ad illius accelerationem; credere potest se non influxisse. Ita Sayrus *lib.* 7. *c.* 3. *n.* 2. Henriquez *lib.* 14. *c.* 16. *n.* 3. Auila *citato dub.* 7. Sanchez *lib. summæ c.* 10. *n.* 44. & alij apud ipsum, pluresque Recentiores. 2. ex coniecturis, v.g. si iam exequutor ille minatus fuisset percussionem, & homicidium; vel necessaria instrumenta ad delicta perpetranda parauerat &c. Ita Sanchez *supra*, quod iuuabit etiam pro doctrina sequentis dubitationis.

DVBITATIO XXII.

An prædicta excommunicatio comprehendat quomodocumque mandantes, vel consulentes, etiamsi sine suo mandato, vel consilio delictum fieret?

Assertio 1.

296. ASserendum est primò, si consilium fuit bonum, & licitum, non incurret consulens in Censuram. Ita Syluest. *excommunicatio q.* 5. *dicto* 1. Ratio est illa generalis, quia excommunicatio non incurritur, nisi ob peccatum. Imò neque suspensio aut interdictum (de quo suo loco) putànt multi non incurri pro peccato veniali solo. legatur interim Diana part. 5. Tract. 10. Resol. 19. & Resol. 78. & Suarius qui putat *disp.* 4. *sect.* 20. *n.* 8. & alij cum illo nullam censuram aut irregularitatem incurri propter venialem culpam. Item probari potest ex illâ regulâ Iuris *in* 6. *nullus ex consilio nisi fraudulentus fuerit, obligatur.* Vnde, si consuluisti amico quod esset contentus leui percussione Clerici, quia aliter non poteras retrahere illum ab illius occisione, aut grauissimâ percussione, non incurristi, quia in eo casu licitum est consulere minus malum; saltèm probabilissimum est & docent communiter Doctores, & in simili diximus de *restitutione*, modo sit contra eandem personam.

297. Quod intelligo, nisi percussio tam leuis sit vnius, vt meritò censeatur debere illum ex Charitate sustinere tàm leuem percussionem, vt excuset grauissimam alterius iuxta dicta à nobis cũ multis *de restitutione dub.* 4. *assert.* 6. *citat. a disp.* 4.

Assertio 2. *si consilium aut mandatum prauum dedisti sine quo fieret delictũ, non ideò excusaris ab incurrendâ Censurâ.*

298. Assero 2. si consilium, seu mãdatum prauum dedisti, sine quo fieret delictum, quia, si tu non dedisses, dedisset alius, non ideo excusaris ab incurrendâ Censurâ. Est communis Doctorum sententia. Cuius ratio est; quia ob id non desinis esse causa, nec desinis influere in effectum. Sicut ergo is, qui rapuit id, quod, si ipse nõ rapuisset, rapturus erat alius, non ob id excusatur ab obligatione restituendi, etiamsi res non extet apud raptorem, nec factus fuerit locupletior, sic nec in nostro casu excusaris ab incurrendâ Censurâ. Consonat hæc doctrina cum ijs, quæ diximus de *restit. disp. illa* 4. *dub.* 2. vbi plures pro nostrâ sententiâ retulimus, asserentes omnem illum, qui verè fuit causa damni, etiamsi sine illo nihilominùs damnum esset inferendum, teneri ad restitutionem; ibi legatur, maximè à num. 8.

Ratio est.

Assertio 3.

299. Assero 3. si tale mandatum dedisti, aut consilium, sine quo effectus fieret, quia exequutor facturus erat alioquin, etiamsi nec tu, nec alius mandaret, aut consuleret, tunc probabile est te non incurrisse Censuram: simul autem probabile est, non incurrisse quidem, si nullo modo permouisti, nec auxisti voluntatem exequutoris; incurrisse tamen, si auxisti, & permouisti ad libentiùs, citius, aut celerius faciendum; quia in eo casu iam fuisti causa, & aliquo modo influxisti in effectum. Ita loquentes de obligatione restitutionis docent Petrus Nauarra *lib.* 3. *c.* 4. *dub.* 1. & 5. *n.* 48. Rebellus *lib.* 2. *q.* 14. *sect.* 2. *conclus.* 2. Molina *disp.* 736. & alij multi quos retulimus, & sequuti sumus in simili de *Restitut disp. illa* 4. *dub.* 2. *assert.* 2. & 3. Quâ de re ibi latè disputauimus, & loquens de Excommunicatione idem docet *Auila p.* 2 *c.* 5. *disp.* 3. *dub.* 3 citans Couarr. & Syluest. huius etiam sententiæ videtur esse Nauarr. *c.* 27 *n.* 51. *ante* 5. *Adde quod refert* loquens de excommunicatione incurrendâ; quia vt consulens non incurrat, exigit Nauarrus, vt sine eius consilio tam certò, & iniquo animo esset perpetrandum delictum, quàm cum tali consilio.

probabile est mandantem &c. non incurrisse Censu-

300. Verum esse probabile, quod non incurreris, si delictum patrandum alioquin erat, quamuis non tam libentius, aut celeriùs, vel citiùs, constat ex ijs, quæ doctè tradit Lessius *lib.* 2.

tam si delictum alioquin patrādum erat quamuis nō tam cuò &c.

c. 13. *dub.* 2. & alij, quos retulimus ibidem *dub.* 2. *conclusio illa* 3. Accedit, quod D Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. & Nauarrus c. 17. n. 17. *&* 20. Paludanus, Gabriel, Richardus, Antoninus, Adrianus, Syluester, & alij, quos *eadem dub.* 2. retulimus pro primâ sententiâ sine vllâ distinctione consulentem vniuersaliter excusant; quoties sine suo consilio effectus sequeretur. Præterea (ut ibi quoque notabamus) ille consulens non causa substantiæ operationis; sed tantùm modi, vel circumstantiæ, seu accidentis, quæ paruum, aut nihil moraliter referunt ad substantiam damni, ac proinde non tenentur illud rependere; adeòque non incurrunt censuram propter contumaciam non rependendi, quæ nulla est.

Quid dicendum si dubius sis an tuo mandato &c. sequeretur effectus vel non. Probabile est talem non incurrere censuram.

301. Sed quid dicendum si dubius sis an tuo mandato, vel consilio sequeretur effectus vel non? Nam quod non tenearis in tali dubio ad restitutionem ex illo principio, quod in pari causâ melior est conditio possidentis, docent probabiliter cum Syluestro, Medina Tabiena, & alijs Petrus Nauarra, Rebellus, Henriquez, Lessius, & Auila suprà, qui tamen vltimus, quoad excommunicationem dicit tutiorem partem esse eligendam. Quam sententiam videtur tenere D. Thomas 2. 2. q. 61. art. 7. in fine corporis vbi ait. *Tunc solùm tenetur consiliator, aut palpo ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio sequuta.*

Contraria etiam sententia satis probabilis est.

302. Satis etiam probabile videtur prædictum teneri in tali dubio tàm ad restituendum, quàm ad se gerendum pro excommunicato, vt cum Anania, Angelo, Hyppolito, Baldo, Decio, Felino, Couarrub. docet Sanchez lib. 2. de *Matrimonio* disp. 41. n. 17. fundamentum est;

Ratio est.

quia cum in dubio nemo præsumatur delictum admissurus. *L. Merito ff. pro socio*, & alijs Iuribus; in hoc dubio præsumendum est, sine meo consilio fore, vt ille non perpetraret, ac proinde meum consilium opem contulisse. Accedit, quod in hoc dubio non videtur possessio pro consulente, cùm constet de iniusta actione ipsius, quæ apta est ad effectum producendum. Vnde non est par causa; quia damnum est certum; ideòque certitudo stat potiùs pro damnificante. Sicut ergo debitum certum non soluitur sufficienter dubiâ solutione, ita in præsenti.

Non ex eo quod quis peccet corā Deo & actione etiam exteriori Iniustitiæ statim sequitur incursio censuræ &c.

303. Quamuis re verâ hoc vltimum suas patiatur difficultates, nam non quælibet certitudo delicti in hoc negotio sufficit; sed delicti, quod sit causa damni: neque enim ex eo quod quis peccet coram Deo, & actione etiam exteriori peccato iniustitiæ statim sequitur obligatio restituendi, aut incursio Censuræ; sed ex delicto, quod hîc, & nùnc, quando committitur, causet effectum pertinentem ad consummationem externam delicti. Cum ergo, vt supponimus, sit purum dubium, an concurrerit consilium ad effectum ipsum, quamuis non sit dubium, quod tu dederis consilium; est tamen dubium quod dederis consilium, quod sit vera causa talis effectus, & hoc sufficit in ordine ad restitutionem, & incursionem Censuræ, &, vt dicamus esse dubium, in quo melior sit conditio possidentis, & quod vtrumque externum sit in pari causâ; nam æquè certum est, quòd, si tunc consilium de facto existens non fuit causa damni, non inducit obligationem restituendi, nec incursum Censuræ; atque certum est quòd si tale consilium de facto sit causa damni, tenearis restituere, & incurras Censuram: ergo ad huc posito delicto dandi consilij, potest esse par causa, & habere locum conditio possidentis: ergo ex eo præcisè capite, quod possessio pro consulente non sit, non potest inferri obligatio, quia sola positio Consilij, nisi addatur ratio positiuè probans consilij efficacitatem, & influxum, non tollit conditionem possidentis, Quare sufficiat prior ratio, quòd scilicet præsumendum sit, quod nō cōmitteret delictū, nisi consilium accederet. Atque hoc tunc tantùm erit præsumendū (ut rectè idem Sanchez ex Decio, & Felino 12.) quando non sunt oppositæ coniecturæ aliud suadentes; tales autem essent, si exequens delictum erat inimicus capitalis occisi, vel percussi, aut necem minatus fuerat, vel præparauerat instrumenta, vt paulò ante diximus. Legantur, quæ diximus in nostro opere de Iustitia & Iure lib. 2. Tract. 2. disp. 4. dub. 2. n. 39. & 40.

Sola positio consilij non tollit conditionem possidentis.

Authoris Iudicium.

DVBITATIO XXIII.

An Appellatio excuset à Censura incurrenda?

Aliquæ causæ excusantes ab incurrenda censurâ commodius explicabuntur disputat. sequenti.

304. ALiquæ causæ commodiùs explicabuntur sequenti disputatione agendo de Excommunicatione. v. g. primò disputari potest an excuset quod actus peccati sit purè interior. Secundò an quòd actus exterior non sit omnino cōsummatus in suâ specie. Tertiò an defectus deliberationis, & paruitas materiæ & in vniuersū quidquid excusat a peccato mortali excuset à censura? Quartò an ignorantia iuris, vel ipsius Censuræ, aut defectus monitionis in Censuris ab homine, aut quod sit peccatum præteritū, impediat vim Censuræ. Tandē an appellatio interposita excuset. Et de hac tantùm placet hoc loco disputare, de alijs dicemus *sequēti disp.* nempe dubitatione 20. & sequētibus, vbi alias causas assignabimus. Supponit hæc quæstio posse esse validam appellationem & admittendam à sententia Excommunicationis, etiamsi feratur per sententiam interloquutoriam ante definitiuam, quia continet damnum irreparabile in definitiua sicut tortura & incarceratio, atque adeò comprehendi in *sess.* 13. Tridentini cap. 1. de reformatione vbi vult admitti appellationem à sententia etiam interloquutoria *si grauamen* huiusmodi per definitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiua appellari non possit, tale autem est grauamen quod secum affert excommunicatio, vt cum sacra congregatione & Clemente VIII. & cum multis probat Diana 9. part. Tract. 8. Resol. 21.

Hic examinandum an appellatio interposita excuset.

Supponit hæc quæstio.

Assertio 1.

305 Assero primo appellatio facta post contractam Censuram non suspendit Censuram. Ita Syluest. *verb. Excommunic* 2. *n.* 1. casu 7. Armilla *verb. appellatio. n.* 4. Nauarrus *c.* 27. *n.* 4. & 159. *&* 271. Suarius *disp* 3. *sect.* 6. *n.* 5. Auila *p.* 2. *c.* 5 *disp.* 5. Henriquez *lib.* 13. c. 16. Filiucius

Tract.

Ratio assertionis.

Tract. 11. c. 3. Saytus lib. 1. c. 16. Vgolinus tab. 1. c. 13. & alij communiter, & quidem de Excommunicatione habetur expressè c. *Pastoralis* §. *Verum de appellationibus*, vbi redditur ratio, quia excommunicatio secum affert exequutionem. A sententia verò iam exequutioni mandatâ nemo potest appellare, sed quærẽdum est aliud remedium, nempe absolutio, & eadem est ratio de suspensione, & interdicto. Ideo hoc ipsum statuitur de interdicto *c. ad hæc. eodem titulo*, & de suspensione est expressus Textus *c. is cui, de sentent. excommunicationis in* 6. Verum quidem est, quòd, licèt hæc appellatio non habet effectum suspensiuum, habeat saltem deuolutiuum, quia debet audiri, & examinari causa eius, qui sic appellat, licèt interim maneat ligatus Censurâ, vt notauit Syluest. & Auila.

Assertio 2. Appellatio suspendit declarationem censuræ.

306. Assero 2. Appellatio suspendit declarationem Censuræ, seu sententiam declaratoriam, quâ scilicèt declaratur aliquem incurrisse in suspensionem, vel excommunicationem, & ob id præcipitur denuntiari, & declarari, v. g. Iudex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine, vel à Iure; ego verò appello à declaratione, allegans quod non feci id, propter quod est imposita excommunicatio, vel certè quod factum sit dubium; talis appellatio suspendit declarationem. Vnde talis denunciatus non erit vitandus post appellationem: sic Gloss. recepta c. *Cupientes*, § *quod si verbo priuatus de electione in* 6. Angel. verbo *Appellatio* §. 8. Nauarrus c. *Cum contingat*. causâ 15. & *lib. 5. consiliorum tit. de sentent. excommunic. concilio* 2. n. 5. & *cons.* 14. Couarr. c. *Alma mater* p. 1. § 10. n. 4. Suarius, & Auila *suprà*. Addidit Nauarrus cons. 20. quod licèt à facto vero notorio non possit appellari; tamen à sententiâ Iudicis declarantis factum esse notorium potest appellari, quia potuit hoc Iudex iniustè declarare.

Assertio 3. Appellatio facta ante contractam Censuram latam sub conditione Censuram suspendit.

307. Assero 3. Appellatio facta ante contractam Censuram latam sub conditione, censuram suspendit, dummodò appellatio fiat ex causâ probabili, & sufficienti. v. g. Iudex excõmunicat, aut suspendit aliquem ipso facto, nisi intra sex dies compareat, vel aliud quid piam faciat intra certum tempus; tunc, si homo ille ante impletum tempus appellet, non incurrit. Ita Syluest. *verb. excommunicatio* 2. q. 1. Nauarrus c. 27. n. 159. Auila c. *illo* 5. *disp.* 5. *dub.* 11. *conclus.* 3. Saytus *lib.* 1 *cap.* 16. n. 24. Vgolinus *tabula* 1. c. 13. §. 18. Henriquez *lib.* 13. c. 16. Filliucius *Tract.* 11. c. 3. *quæsito* 11. Laymàn *lib.* 1. *Tract.* 5. *part.* 1. c. 6. Diana cùm pluribus 5. part. Tract. 9. resol. 30. & alij posteà referendi. Ratio est quia, cum talis sententia nihil operata sit ante impletam conditionem, & tempore quo impletur conditio, tam iurisdictio sit suspensa per appellationem, amittit suam vim. Ita habetur *c. Præterea* 2. *de appellat.* & *c. cùm contingat. de off. delegati*, & *c. Per tuas* de *sentent. excommunic.* & *c. solet eodem titulo in* 6.

Ex hoc Infertur 1.

308. Infertur ex hoc primò, quod si post prædictam legitimam appellationem Iudex à quo appellatum est, procedat, & ferat excommunicationem, sit nulla talis excommunicatio, vt habetur dicto *c. per tuas* §. *nos igitur*, & docet Couarruuias, Auila, & Layman *supra*.

Infertur 2.

309. Infertur 2. quòd licet ab alijs sententijs appellatio debeat necessariò fieri intra tempus à Iure præfixum, scilicèt intra decem dies à prolatione sententiæ iuxta Textum *quod ad consultationem de re iudicata*, & iuxta leges Ciuiles; nihilominùs ab excommunicatione, aut suspensione sufficit appellare ante impletam conditionem etiamsi post decem dies fiat, vt contra Panormitanum docent Couarruuias, Suarius, Auila supra citati cum alijs Canonistis, & Nauarrus c. *Cùm contingat de rescriptis* & *in Summâ, c. illo* 27. n. 272. §. 11. Item Gutierrez in *quæstionibus Canonicis*, c. 4 n. 25. & fauet citatum *c. Præterea* verb. *illo medio tempore*, & videtur hoc ipsum probare ratio adducta prò 3. assertione. Accedit quod ad Censuram requiritur contumacia, quæ non est, quousque impleatur conditio; Contumacia verò non requiritur in alijs sententijs, & pœnis. Accedit 2. quòd tempus in Iure præfinitum ad appellandum à sententiâ, intelligi debet de sententiâ absolutâ & perfectâ; non verò de conditionatâ, quæ pro eo tempore, quo non est impleta conditio, non est sententia simpliciter, sed secundum quid; quia conditionalis nihil ponit in esse; ac proinde quando conditio impletur, tunc ferri censetur. Ideò meritò docet Suarius hanc opinionem, & in foro conscientiæ esse satis tutam, & in foro externo posse Iudices iuxta illam pronunciare.

ab excommunicatione sufficit appellari ante impletam conditionem.

Tempus in Iure præfinitum ad appellandum intelligi debet de sententiâ absolutâ

Infertur 3.

310. Infertur 3. habere locum tertiam assertionem, quantumuis Iudex dicat; *nisi satisfeceris intrà mensem, ex nunc sis excommunicatus*. Ita Gutierrez *suprà* n. 201 & Auila *supra*. Ratio est, quia licèt verbum *ex nunc* sit præsentis temporis, denotat nihilominùs futurum effectum.

Infertur 4. habere locũ tertiam Assertionem quamuis cõditio apposita sit de non appellando. Ratio.

311. Infertur 4. etiam habere locum tertiam assertionem, quamuis conditio imposita sit de non apellando, vt si Iudex dicat *Excommunico te, si appellaueris*; quamuis enim tunc appellet, non incurret. Ita contra Ioannem, Andream tenet cum Innocentio, & alijs Syluest. *verb. Excommunic.* 2. n. 16. & ratio est, tùm quia antequàm impleatur conditio, præcedit appellatio, quæ suspendit Censuram, tùm; quia talis conditio est contra Ius naturale defensionis; ac proinde continet errorem intolerabilem.

Dubitari potest 1. contra assertionem.

312. Dubitari potest 1. contra nostram assertionem an appellatio facta ante impletam conditionem suspendat Censuram, etiamsi postea quis non prosequatur; sed appellatio relinquatur deserta?

Opinio Syluestri

313. Syluest verbo *Excommunic.* 10. q. 2. putat suspendere solùm intra illud tempus, intra quod erat prosequenda; non tamen posteà. Probat; nam aliàs Ecclesia concedens *in c. solet. de sent. Excommunic.* talem posse denuntiari excommunicatũ, concederet posse mentiri, si reverâ non est excommunicatus.

Author docet contrarium.

314. Oppositum tamen affirmandum est scilicèt, quamuis appellatio deserta fuerit, vel appellationi renuntiatum, non incurri excommunicationem, etiam post illud tempus, in quo prosequenda erat appellatio. Ita Geminianus dicto c. *licet* & dicto *c. is cui* n. 4. Angelus *verbo Appellatio* §. 5. & refert solet Archidiaconus, & Couarr. c. *Alma mater* p. 1. §. 10. n. 6. vers. *In hac autem*. Qui tamen Auctores loquuntur tantùm, quando

quando appellatio interposita est ante promulgationem sententiæ. Quo sensu etiam videtur illud docere Layman *suprà*, Gutierrez tamen *n.* 24. & Auila *suprà, dub.* 12. hoc ipsum docent. etiamsi appellatio interposita sit post latam sententiam conditionalem, & ante euentum conditionis, cui doctrinæ multum fauet citatum *c.licèt* illis verbis, *vel aliàs de ipsius sententiæ docuerit nullitate.* Et ratio est; nam ex quo appellatio legitima fuit ante contractam Censuram, illam suspendit.

Ad argumẽtum Syluestri Resp. 315. Ad argumentũ verò Syluestri respondetur illam denuntiationem fundari in præsumptione; nam ex quo ille deseruit appellationem, præsumitur non habuisse legitimam causam appellandi. Quæ solutio colligitur ex Gloss. magna dicto *c. licet*; appellatio autem sine legitimâ causâ non prodest, vt posteà videbimus.

Dubitari potest 2. 316. Dubitari potest 2. quid sentiendum sit, si aliquis ante latam sententiam appellauerit, & Iudex illegitimam, ac nullam putans appellationem, procedat nihilominus ad sententiam excommunicationis; excommunicatus verò fiduciâ præmissæ appellationis bonâ fide celebret? Erit ne hic irregularis, si Iudex superior, ad quem appellatum fuit, posteà pronuntiet appellationem, aut sententiam?

Resp. 317. Glossa recepta *in c. solet verbo in officijs de senten. Excommunic. in* 6. quam sequitur Nauarrus *c.* 23. *n.* 104. Auila *disp. illa* 5. *dub.* 12. Layman *suprà* (& inferunt ex *c. ad præsentiam de Appellat.*) putant non esse irregularem. Quæ sententia mihi placet; ad incurrendam enim irregularitatem ex eo capite, temeritas requiritur, aut saltèm mala fides culpaque mortalis, quæ in hoc casu (vt supponimus) non reperitur.

318. Quod si mala fides interueniret, etiamsi prosequatur appellationem, irregularitatem incurreret celebrans, quia verè excommunicatus celebraret.

319. Idem quoque dicendum est, si quis Censuram latæ sententiæ incurrisse declaretur ab ordinario, & ille ab eâ declaratione appellet, eâque non obstante celebret; Iudex verò, ad quem appellatur, habeat seu confirmet declarationem ordinarij; tunc enim consequenter pro irregulari reputabitur. Ita Layman suprà. Quod ego verum puto in foro externo; secus verò in interno, si bonâ fide appellauit credens se non incurrisse excommunicationem; nec ritè & rectè declaratum fuisse ab ordinario excommunicatum. Imò absolutè docent non incurrere Irregularitatem etiamsi pronuntiatum sit à Iudice appellationis eam appellationem fuisse nullam, docent Couarr. cũ alijs, & Nauarr. *c. Cùm contingat remedio* 3. & Auila *suprà* referens Nauarrus *c. illo* 23. & Henriquez *lib.* 13. *c.* 19. *n.* 3. citans Nauarrum *c.* 27. *n.* 151. *in fine.* Et Addit Henriquez consequenter hoc esse verum licèt appellatio non fuerit admissa, vel fuerit deserta, aut renuntiata. & docet Auila *suprà dub.* 12. fauetque *c. Ad præsentiam nostram, de appel.* legatur Rodrig. verbo *Irregularidad c.* 152. *n.* 6.

Dubitatur 3. 320. Dubitari potest 3. an, non subsistente iusta causâ appellandi, appellatio nihilominus suspendat Censuram?

321. Pro foro exteriori multa docent Auctores; sed pro foro nostro interiori breuiter respondeo, si quis bonâ fide appellet, putans se habere causam sufficientem, & probabilem, id satis erit, vt non incurrat censuram, nec eius effectus quamdiù durat bona fides. Si autem malâ fide appellet solùm ad dilationem litis, sciens appellationẽ esse iniustam, & sine causâ, grauiter peccat, & talis appellatio non suspendit vim præcepti, nec Censuræ; quia fraus & dolus nemini debent patrocinari, neque illa est vera defensio; sed offensio. In foro tamen exteriore, quamdiù non probatur talis defectus, appellatio habebit prædictum effectum; nisi esset in causâ, in quâ secundum iura non habet locum appellatio, ut in causâ fidei, vel in causâ Religiosi, quando secundùm regulam corrigitur, vt habetur *in c. Ad nostram, & c. reprehensibilis de appellat.* Quâ de re legi possunt Suarius, & Auila *suprà*, & Gloss. penult *in c. solet de sentent. Excommunic. in* 6. verbo *in officijs*, & Salzedo *super practicam criminalem Bernardi Diaz c.* 35. *§. nec etiam.* *Respondeo Author pro foro interiore.*

322. Tandem aduertendũ est ex Paludario *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 4. Suario *suprà. n.* 7. Filliucio *suprà quæsito* 11. *n.* 59. Sayro *lib.* 1. *c.* 16. *n.* 19. & alijs citatis, quoties is, cui imponitur Censura, nesciens appellare, recurrit ad Papam, & se tradit summo Pontifici protegendum, aut inchoat iter Romam versus, aut recurrit ad alium superiorem mediatum prouocando, aut petendo iudicium illius, huiusmodi actiones æquiualere appellationi, & ideò id satis esse, vt Censura suspendatur vt patet ex *c. Ad audientiam de appellat, & c. Dilecti filij.* 2. *de dolo & contumacia.* Idemque à fortiori intelligendum est si Papa vel superior ad se totum negotium auocauerit, vt docet Suarius *disp.* 3. *sect.* 6. *citato n.* 7. *Notandum cum Paludano & alijs.*

DVBITATIO XXIV.

An excommunicatio iniusta liget in conscientiâ, & obliget ad sui obseruationem?

323. Consentiunt 1. Auctores in eo, quod excommunicatio extrinsecè tantum iniusta, sit simpliciter valida & obliget in conscientiâ, & verè liget, & habeat suos effectus, perinde ac si iusta esset, quando scilicèt iniustitia non se tenet ex parte tituli, & causæ ferendi Censuram; sed solùm ex parte intentionis, & modi. Quâ ratione est iniusta excommunicatio illa cui deficit tantùm recta intentio ex parte Iudicis, vt si procedat ex odio, vel vindicta, cupiditate &c. vel si deficiat tantùm Iuris ordo accidentalis in eâ ferendâ, vt quando non præmittitur trina monitio, vel vna pro tribus cum competentibus interuallis; sed vna tantùm, & hæc sine interuallis, vel, quando non fertur in scriptis, vel scriptum non continet expressè causam, vel non traditur scriptum ipsi reo petenti. *Excommunicatio extrinsecè tantum iniusta est valida & ligat in conscientiâ*

324. Secun-

Censura est simpliciter nulla quando continet intollerabilem errorem.

324. Secundo Auctores consentiunt in eo, quod excommunicatio, seu Censura sit iniusta, & simpliciter nulla quando continet intolerabilem errorem, ideò non obligat, neque habet vllos effectus in foro interiori, imò, nec in exteriori, dummodò publicentur causæ nullitatis, vt populus sibi persuadeat, vel persuadere debeat de nullitate, vt eâ ratione scandalum euitetur.

Multis modis contingit censuram esse nullam.

325. Multis autem modis contingit Censuram esse nullam, quorum plerosque sine methodo, & tumultuariè enumerant Summistæ, vt videre est apud Angel. *Excommunic.* 3. & Syluestrum *Excommunic.* 2. Antonin. qui 3. *p. tit.* 24. *c.* 73. *§.* 1. assignat nouem.

Ad tres modos nullitatis omnes reducit Suarius.

326. Mihi verò placet methodus Suarij *disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 39. vbi omnes reducit ad tria capita, seu modos nullitatis, quos placet sigillatim referre, & explicare.

Primus modus nullitatis est defectus Iurisdictionis.

327. Primum ergo nullitatis caput est defectus Iurisdictionis, vt, si Iudex non sit legitimus superior respectu personæ quam excommunicat, suspendit, vel interdicit, *c. nullus* de *Parochijs*. Huc spectat excommunicatio lata ab Ordinario contra habentem priuilegium, ne excommunicetur; est enim nulla etiã Ordinario ignorante tale priuilegium, vt rectè Syluest. *Excommunicatio* 1. *n.* 6. Huc etiam spectat excommunicatio, si feratur ab ordinario cõtra suos quidem subditos; sed in odiũ priuilegiorũ religionũ Mẽdicantiũ, vt, si excõmunicet omnes, qui antequàm accedant ad Eucharistiam, non sunt confessi proprio Parocho. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *in* 4. *membro.* Syluest. *excommunic.* 2. *n.* 1. Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 1. *dub.* 1. Qui omnes putant prædictam excommunicationem esse nullam. Item excommunicatio, sub quâ Episcopus præciperet suis subditis, vt diebus festis audiant Missam in suâ Parochiâ, tùm, quia Episcopi non possunt tollere consuetudines habentes vim legis communis, qualis est hæc consuetudo audiendi Missam alibi, quàm in Parochiâ: tum, quia est contra Priuilegium à Leone X. Mendicantibus concessum, & per Pium V. confirmatum. vt scilicèt fideles adimpleant præceptum audiendo Missam in eorum Monasterijs, & refertur *in compendio Priuilegiorum nostræ Societatis. verbo Missa §.* 2. Atque ita docent Nauarrus *c.* 21. *n.* 5. *dicto* 3. Syluest. *Missa §.* 3. Pedraza *præcepto* 3. *§.* 2. Gutierrez *tomo* 1. *quæstionum canonicarum c.* 3. *n.* 22. Bartholom. à Medina in *summâ lib.* 1. *§.* 40. qui duo putant peccare mortaliter Episcopum id præcipientem. Quod verò huic doctrinæ non obstet decretũ Trid. *sess.* 22. *de obseruandis in Missa in fine*, vbi dicitur *hæc omnia prohibeant, mandent, corrigant Censuris Ecclesiasticis &c.* Rectè ostẽdit Auila *p.* 2. *c.* 5. *disp.* 1. *dub.* 12. illa scilicèt verba non comprehendere nostrum casum; sed alios multos præcedentes in eodem Decreto, qui quoniam illiciti sunt, & debent prohiberi ab Episcopo, monet Concilium, vt possint prohiberi & mandari sub Censura; non tamen dixerat Concilium, quod mandent fidelibus, vt accedant ad Parochias; sed quod moneant: ergo excommunicatio non comprehendit hunc casum cùm non imponatur nisi per mandatum, vel prohibitionem, alioquin esset contradictio in verbis Concilij. Confirmat. quia clausula in fine posita non refertur ad proximiora verba, si ex tali relatione resultaret absurditas. Item Concilium *sess.* 25. *c.* 3. *de reformatione*, ait gladium excommunicationis sobriè, magnaque cum circumspectione exercendum esse. Non est autem præsumendum voluisse Cõcilium ut Episcopi hoc præciperent cum tanto scandalo fidelium, vt ait Nauarrus *supra*, & cum detrimento deuotionis eorum. Accedit esse regulam Iuris, quod licèt aliqua lex secundum corticem litteræ videatur aliquid dicere; si tamen hic sensus est peregrinus, & absonus, non sit legitimus sensus legis. Quæ omnia doctè dicta sunt ab Auila.

Huic doctrinæ non obstat decretũ Trid. sess. 22.

Vt rectè ostẽdit Auila

Confirmat.

Ad hunc etiam modum nullitatis spectat, quando Iudex non est ritè electus &c.

328. Ad hoc etiam caput nullitatis spectat, quando Iudex est intrusus, vel nõ ritè electus, vel ab Ecclesiâ non toleratus, ut, si sit excommunicatus, vel suspensus à iurisdictione, vel interdictus, & denuntiatus talis, vel manifestus talis, vel manifestus Clerici percussor. Ita Sotus, Sylvest. & alij. Item quando fertur à Iudice existente extra suum territorium, iuxta doctrinam tamen explicatam & limitatam *dub.* 10. *usq; ad.* 12. & appendicem sequentem. Item, quando fertur à delegato excedente fines suæ delegationis *c. finali de Præbendis.* An vero sit nulla Excommunicatio lata à delegato, qui copiam suæ commissionis petenti noluit dare, doctè tractat Nauarrus *lib.* 5. *tit. de sentent. excommunicationis cons.* 9. & quidem Sà *verb. excommunicatio n.* 10. cum Felino, Innocentio & Panormitano putat eam excommunicationem esse nullã. Tamẽ (ut aliqui viri docti docẽt, maximè Azor *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *q.* 20. referens Ioannem Andream, Balduin, Panormit. & Cardinalem) credendum est Cardinali asserenti se Romani Pontificis legatum esse extra Curiam, item sibi aliquid viuæ vocis oraculo demandatum esse, vt docet idem Azor cum alijs, quæsito 20. *§. quintum*, & *§. sextum*, consequenter dicendum est excommunicationem ab eo latam valere etiamsi non ostendat copiam suæ commissionis petenti: tùm, quia, si delegatio ipsi facta creditur propter ipsius testimonium, non est necessaria fides litterarum: tùm, quia, si potestatẽm habeat ex speciali mandato viuæ vocis oraculo, eo ipso quod sit viuæ vocis oraculum, non habet scripturam authenticam ab ipso concedente, vt optimè docet Suarius *lib.* 8. *de legibus c.* 7. *n.* 3.

Secundus modus nullitatis est defectus causæ.

329. Secundum caput nullitatis est defectus causæ, ratione cuius potest esse iniqua, vt si quis excommunicetur, quia fecit aliquod bonum v. g. quia dedit eleemosynam, vel, quia non fecit aliquid illicitum, aut impossibile *c. venerabilibus. §. finali de sentent. excommunicationis in* 6. *& c. qui præest.* 11. *q.* 3. vel si detur contra eum, qui secundum allegata, & probata est innocens, vt, si debitor excommunicetur pro debito, quod sufficienter probatum est soluisse; vel etiam causa potest esse leuis, & improportionata, vt si feratur excommunicatio pro furto leuissimo, vel pro peccato tantum veniali. Huc etiam spectat, quando fertur pro peccato graui quidem; sed occulto, & nondum sufficienter in iudicio probato, quia non satis est, quod causa in re subsit, si sit occulta, vt cum Gloss. Innocentio, Abbate, & Nauarro docet Suarius *disp.* 4. *sect.* 7

Huc spectat quando censura fertur, pro peccato quidem graui sed occulto

Hoc probat exemplo; Suarius

sect.7.n.4. idque probat appositissimo exemplo; sicut enim causa naturalis, vt actu causet, non solùm debet habere sufficientem virtutem ad causandum; sed etiam debet esse sufficienter applicata, & deficiente applicatione, nihil operatur: ita similiter, non sufficit delictum re ipsâ commissum ad causandam Censuram; nisi sit sufficienter applicatum in iudicio per probationem.

Tertium caput seu modus nullitatis est defectus ordinis Iudicij essentialis.

330. Tertium caput nullitatis est defectus ordinis Iudicij essentialis, vt, si excommunicatio feratur ab homine sine vlla prorsus monitione, de quo posteà dicemus, vel si feratur interpositâ legitimâ appellatione, vt diximus *dub. praecedenti.* Item, si feratur excommunicatio contra participantes cum excommunicato ab eodem Iudice, non nominando eos expresse praeuiâ trinâ monitione; est enim tunc nulla excommunicatio; nisi trina monitio, & nominatio specialis personarum praecedat, vt patet ex *c. Statutum* de *sentent. excommunic.* & *ex c. praesenti.* & *c. Constitutionem, eodem tit. in 6.*

Excommunicationem tria monitio praecedere debet.

Tota difficultas est.

331. Tota ergo difficultas est circa Censuram iustam quidem secundùm allegata & probata, sed re ipsâ absque vllâ existente causâ; quia scilicet fertur in re verâ in innocentem; licèt in iudicio probatus sit nocens. Quaerimus ergo an haec excommunicatio vel Censura sit valida?

Prima sententia docet talem censuram esse validam: D. Thom.

332. Prima sententia docet esse validam, & obligare, habereque omnes effectus Censurae. Ita D. Thomas in 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 1. *quaestiunc.* 4. & ferè omnes alij Scholastici in eâdem *dist.* vt Richardus *q.* 4. Paludanus, *q.* 1. *art.* 1. *conclus.* 1. Gabriel *q.* 2. *art.* 2. *conclus.* 8. Maior *q.* 2. *conclus.* 3. *coroll.* 4. Durand. *q.* 4. *n.* 6. & idem docet Alensis 4. *p. q.* 82. *membro* 1. Cordub. *lib.* 1. *q.* 43. Antonin. 3. *p. tit.* 24. *c.* 73. Angel. *Excommunic.* 1. *n.* 18. Syluest. *Excommunic.* 2. *notabili* 1. & *not. ab.* 4. *dub.* 8. & verbo *correctio n.* 7. Petrus Sotus *lect.* 3. *de Clauibus;* & alij multi. Probari potest 1. ex Greg. Papa, & ex Vrbano Papa *c. sententia* & *c. Quibus* 11. *q.* 3. qui docent sententiam Pastoris siue iustam, siue iniustam timendam esse. Secundò; quia omnis lex, & sententia lata per potestatem Clauis, si Clauis non erret, est valida in conscientia vt patet Matthaei 18. *Quaecunque alligaueritis super terram, &c.* sed in praedicto casu Clauis non errat; quia Iudex rectè iudicat, vt debet secundùm allegata, & probata. Confirmatur à simili quia, vt actus Sacramentalis sit validus, sufficit quòd procedatur bonâ fide secundum prudentiam humanam, licèt re verâ sit falsitas à parte rei, vt, si sacerdos secundùm informationem poenitentis bonâ fide factam iudicet esse veniale quod in re mortale est, vel è contra, vel iudicet diligentiam poenitentis ad se examinandum fuisse sufficientem, quae tamen re verâ non erat: tunc confessio non solùm est valida, sed fructuosa: ergo similiter in praesenti. Confirmatur 2. etiam à simili de Indulgentiâ quae concessa ex causâ legitimâ secundùm prudentem existimationem concedentis est valida; quamuis in re causa non subsit. Quod an & quatenùs verum sit, diximus *tomo. de Poenitentia Tract.* 9. *dub.* 2. *quae in ordine est* 16. *nu.* 142. *in fine.* Tertiò probatur; quia in causis beneficialibus sententia iusta secundùm allegata & probata, est valida, & re verâ priuat beneficio, licèt causa, quae putatur, in re non subsistat: Quartò quia, si superior ex sufficienti probatione praecipiat alicui in poenam, vt ieiunet, obligabit praeceptum, etiamsi re ipsâ non deliquerit, quia praeceptum est iustum. 5. probatur, quia à tali censurâ in Iure praecipitur, vt petatur, & detur absolutio, non solùm ad cautelam; sed simpliciter, vt patet ex *c. venerabilibus §. sed si ex causâ de sentent. excommunic. in 6.*

Probatur 1. *Probatur 2.* *Confirmatur 1. a simili.* *Confirmatur 2.* *Probatur 3.* *Probatur 4.* *Probatur 5.*

Secunda sententia docet esse nullam in foro conscientiae & huic subscribit Author tanquam probabiliori.

333. Secunda sententia docet hanc Censuram, seu excommunicationem esse nullam in foro conscientiae; atque adeò non habere effectus; esse tamen seruandam sub mortali in foro exteriori coram ijs, qui nesciunt eius nullitatem. Quae sententia mihi probabilior videtur, quàm praecedens, eamque docent satis graues Auctores, tùm Canonistae, tùm Theologi. Vnde tumultuariò videtur dixisse Bonacina Iuris peritos communiter docere oppositâ sententiam; Theologos verò hanc secundam, quam ipse etiam sequitur *disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 10. *n.* 4. nam & pro praecedenti sententiâ, & pro hac sunt Theologi, Canonistae, & Summistae cum primis nobiles, hanc enim docent Adrianus. *Quodlib.* 6. *art.* 1. *conclus.* 1. Caietanus 2.2. *q.* 70. *art.* 4. *circa solutionem secundi,* & *tom.* 1. *opusculorum, q.* 19 *ad* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *Coroll.* 3. & *relectione de tegendo secretò q.* 1. *membro* 3. *conclus.* 4. & *lib.* 3. *de Iustitia q.* 4. *art.* 5. Ledesm. 2. *p.* 4. *q.* 23. *art.* 4. *circa fin. conclus.* 1. Bartholom. à Medina *c.* 11. §. 2. Sà *Excommunic. n.* 4. Auila *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 1. *dub.* 3. Suarius *disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 3. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 39. *n.* 9. Panormit. Cardinalis; Curtius, Felinus, quos refert Couarr. *c. Alma mater,* §. 11. *n.* 14. eamque videntur tenere ipse Couarr. (saltèm ex parte) ibidem & §. 7. *conclus.* 4. Nauarrus *c.* 9. *n.* 4. & *c.* 27. *n.* 3. & *n.* 38. *in fine.* Victoria *de Excommunicatione, q.* 7. Imò expresse id docet hic Auctor *in summa de Matrim. n.* 264. loquens de Excommunicatione, quâ in foro exteriore excommunicatur coniux; quia debitum negat conscius veri impedimenti, quod tamen coniux probare non potest. Item Toletus *lib.* 1. *c.* 8. *in fine.* Gutierrez *tom.* 1. *quaestionum Canonicar. c.* 4. *n.* 34. & Henriquez *lib.* 13. *c.* 15. *per totum.* Dixi hos Auctores *saltem ex parte* consentire, quia etiam aliqua ex parte dissentiunt, nec videntur consequenter loquuti. In quo nunc nec vacat, nec iuuat immorari. Item praeter citatos id docent Manuale Praelatorum 2. *p.* *q.* 35. *art.* 14. Filliucius *c.* 8. *quaestio* 4. & 5. Sayrus *lib.* 1. *c.* 17. vbi plures refert. Layman. *lib.* 1. *Tract.* 5. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 3. Diana 5. parte Tract. 9. Resol. 26. 27. 28. 29. & 72. vbi tangit & resoluit varia quaesita de quibus nos infra dicemus. Vide eundē part. 9. Tract. 9. Res. 45. inter quos est Vasq. cuius verba refert Resol. 29. & sequitur Turrianus de Censuris lib. 2. disp. 21. dub. 3.

Fundamentum huius sentent. & ratio a priori est.

334. Fundamentum huius sententiae est, & ratio à priori, quia sententia in tantum est vera, & valida; in quantum est iusta, cum intrinsecè sit actus iustitiae, & quaedam lex particularis. De ratione autem omnis legis est aequitas: ergo vbi non est aequitas, & iustitia, non est vera lex, nec vera sententia. Confirmat Caietanus ex D. Thom. 2.2. *q. illa* 70. vbi ait iniustum iudicium

Confir. 1.

Confir. 2. cium non esse iudicium. Confirmat. 2. quia, si apud Deum, & in Coelo talis sententia non obligat, non in terris in conscientia obligabit iuxta multa decreta. 11. *q.* 3. & 24. *q.* 1. & 4. Quod autem apud Deum non obliget patet ex *c.* 1. *de sententia & re iudicata in* 6. vbi ait Pontifex, *aeterni Tribunal Iudicis illum reum non habet: quem iniustè Iudex condemnat.* Et idem habetur *c. à nobis, 2. de sentent. excommunic.*

Probatur 2. quia absolutio ex falsa causâ existimatâ verâ per Iudicem est nulla. 335. Probatur 2. nam absolutio ab Excommunicatione ex falsâ causâ existimatâ verâ per Iudicem est nulla ex voluntate tacitâ absoluentis, quia, si sciret, nollet absoluere: ergo similiter excommunicatio ex falsâ causâ existimatâ verâ erit nulla ex voluntate tacitâ ferentis, & ipsius Ecclesiæ. *Confir.* Confirmatur, quia non est præsumendum quod pia mater Ecclesia velit tàm acerbâ poenâ punire filios, qui re verâ sunt Innocentes. Ex quâ præsumptâ voluntate multi etiam ex Auctoribus primæ sententiæ dicunt sic excommunicatos non esse priuatos suffragijs Ecclesiæ; sed idem potest præsumi, quoad alios effectus: ergo &c.

Probatur 3. quia cum hæc pena sit medicinalis essentialiter requirit causam materialem, quæ sit graue peccatum. 336. Probatur 3. quia cùm hæc poena sit medicinalis, & ad correctionem, & bonum ipsius excommunicati essentialiter requirit causam materialem, quæ sit graue peccatum. Immo potestas ipsa excommunicandi solùm data est à Christo Ecclesiæ in ædificationem, & non pro libito, & voluntate; sed tantùm pro mortali peccato, quod aliter corrigi non potest: ergo vbi non est causa, nec excommunicatio erit; &, vbi non est vera causa; sed tantùm apparens, non erit vera excommunicatio; sed tantum apparens exteriùs talis. *Dicet aliquis* Dicet aliquis iam tunc est causa præsumpta licet non vera; cui ego re- *Resp.* spondeo eodē modo excommunicationem fore præsumptam, & non veram; ac proinde illius effectus præsumptos etiam fore, non veros; sicut homo mortuus (inquit Caietan.) apparens homo est non verus homo.

Talis tamen Censura in externo foro debet obseruari sub mortali 337. Quod autem in exteriori foro talis Censura debeat obseruari sub mortali omnes citati Auctores conueniunt; sed differunt in eo, quod Adrianus citans Innocentium, Hostiensem, & Panormitanum item Castro *de lege pœnali c.* 5. *ante secundum documentum* Rodriguez *Tract. de ordine Iudiciali, c. vltimo in fine,* & alij dicunt id esse solùm ratione scandali idemque tenet Auila *suprà conclus.* 3. & probat, quia quandocumque ratione cesset scandalum hic homo celebrans etiam in publico, vt in loco distanti vbi ignoratur omnino talis excommunicatio non peccat: ergo solùm scandalum impediebat. Sotus verò, Victoria, Henriquez *suprà,* & Armilla verbo *Excommunicatio n.* 10. & à fortiori Sà *verbo Iudiciales actus* § *de sententia n.* 5. dicunt non solùm ratione scandali, sed etiam ratione obedientiæ, quæ debetur Prælatis in foro exteriori, tunc obligari. Consentit Suarius *suprà. n.* 17. & alij ex citatis.

Author Indicat mortale non ex ratione inobedientiæ sed scandali. 338. Verum enim verò hæc obligatio est ratione scandali, & quamuis dicatur esse obedientiæ: non tamen ita, vt sint duæ malitiæ; hoc enim peccatum non est speciale contra charitatem, vt suppono ex doctrinâ generali de scandalo; sed est scandalum generale, ac

proinde tota malitia huius scandali, quod committitur in hoc casu, est inobedientiæ generalis, quia scilicèt præbet alijs occasionem, vt non obediant Prælatis, sicut ipse non obedit.

339. Obijcit tamen Suarius inde sequi nullam esse differentiam inter hanc excommunicationem, & illam, quæ simpliciter & absolutè est inualida; quia etiam illa obligat ad sui obseruationem ratione scandali vitandi coram ijs, qui nesciunt esse nullam. *Obijcit Suarius hinc sequi inter hanc censuram, & illâ quæ absolutè est inualida, nullum esse discrimen.*

Resp. 340. Respondeo concedendo consequens; solùm enim est discrimen in eo, quod in sententiâ simpliciter nulla non ita frequenter, & vniuersaliter occurret hæc occasio scandali, & facile potest ostendi nullitas: in nostro verò casu difficillimè. Atque hinc etiam oritur aliud discrimen, quod in illo casu Iudex non potest punire transgressorem talis excommunicationis; in nostro verò potest, etiamsi transgressio fuisset occulta, dummodò probatur in foro exteriori.

341. Quod dictum est de Excommunicatione iustâ secundum allegata, & probata, eodem modo locum habet in quauis aliâ sententiâ iustâ, vt rectè Sotus notauit. Quâ de re nos etiam aliquid diximus in nostro opere *de Iustitiâ & Iure, cæterisque virtutibus Cardinalib. lib. 2. Tract. 1. disp. 4. dub. 5.* Oportet verò aliqua ex prædictâ nostrâ sententiâ colligere.

Ex dictis Colligitur 1. 342. Colligitur 1. ex dictis eum, qui re ipsâ iniustè excommunicatus, iustè tamen secundum allegata, & probata in publico audet celebrare, peccare quidem, vt dictum est propter scandalum in obedientiæ, quod præbet; non tamen fieri irregularem in foro conscientiæ, vt consequenter ad sua principia docent Martinus de Ledesma, Auila, & Suarius *suprà,* & minus consequenter irregularem putant Couarr. § *illo* 7. Nauarrus, Victoria Toletus. Gutierrez, & Henriquez *suprà n.* 4. Ratio autem pro nobis est, quia illa excommunicatio, quam violat, non est vera excommunicatio; sed præsumpta: ergo non incurret veram irregularitatem; sed præsumptam, præsumetur enim Irregularis, & vt talis habebitur in foro externo. Vide Dianam supra præsertim 5. p. Tract. 9. Resol. 27. & 28. vbi alios affert pro hac sententia expressè docentes non fieri irregularem etiam si celebret coram ijs, qui putant illum verè excommunicatum.

Obijciunt. Armilla & Nauarrus. 343. Opponunt tamen Armilla, & Nauarrus illam Excommunicationem, quæ solùm erat valida in foro externo. Fieri validam in foro interno ratione subsequentis contemptus, & inobedientiæ; huic tamen obiectioni rectè occurrit Suaris *supra n.* 22. negando antecedens, quia propter hoc peccatum mortale non est lata in Iure aliqua censura; atque prior illa Censura, quæ iustè tantùm secundum allegata, & probata in re tamen iniustè lata fuit, non cadit in culpam, quæ in eius transgressione committitur. Si tamen Prælatus (inquit Suarius) sub nouâ excommunicatione præciperet, ne illa prior contemnatur; tunc incurreret. *Resp. rectè Suarius.*

Hinc sequitur. 344. Hinc sequitur, quod, si alicui sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiatur, vt soluat debitum, quod re verâ non debet; sed

E legi-

legitimè probatum est debere; si talis homo non soluat, cùm possit, incidet in veram excommunicationem; & post illam si celebret, incurret irregularitatem. Atque in hoc casu & similibus verissimum est quod docent Armilla, & Nauarrus; quia tunc iam præcedit contumacia, & inobedientia; ratione cuius incurritur excommunicatio imposita inobedienti, & contumaci: sed in nostro casu nulla præcessit inobedientia; sed tantùm qui excommunicatur, supponitur innocens, quamuis secundum allegata probatur nocens. v.g. si probatum est aliquid scire, vel aliquam scripturam habere, cùm re verâ nesciat, nec habeat; vel admonitum fuisse, vt aliquid faceret; & re verâ non fuit admonitus: vel, si coniux impedimenti conscius excommunicetur, quia debitum negat, quod tamen sine pecto reddere non potest.

Colligitur 2. idem dicendum de alijs effectibus excommunicationis. 345. Colligitur 2. eodem modo esse philosophandum de alijs effectibus excommunicationis, vt discurrendo per singulos latè probat Suarius *suprà*. Vnde in conscientiâ non amittit fructus beneficij, & in secreto vbi non est scandalum, poterit absoluere à peccatis, & dispensare & actus Iurisdictionis exercere; item, si electus fuit ad beneficium; vel collatio illi facta fuit, poterit in conscientiâ retinere. Si tamen talis collatio, aut electio probetur in externo foro facta sic excommunicato, declarabitur irrita, & re verâ erit irrita propter commune bonum, vt efficaciter probat Suarius *n. 29. & 30.* quia sicut communis existimatio confert titulum, & Iurisdictionem propter commune bonum: ita è contra tollit ei, qui habebat propter commune bonum. Iam verò ad argumenta primæ sententiæ respondeamus, vt in simili dicamus dub. 44. vide Dianam citata Resol. 28.

Ad Argumenta primæ sententiæ posita n. 332. Ad primum Resp. 346. Ad primum respondetur Pontificem non dixisse esse validam, sed timendam. Quod verum est, quia in publico est seruanda. Secundo respondetur loqui Pontificem de dubiâ; de quâ nos dicemus *assert. sequenti*.

Ad secundũ. 347. Ad secundum respondetur in ijs, quæ sunt de substantiâ actus vel sententiæ requiri non esse errorem practicum, nec speculatiuum; *Causa ferendæ censuræ est de substantia illius.* causam verò ferendæ Censuræ esse de substantiâ illius. Ideò solus error speculatiuus circa causam reddit nullam excommunicationem; sicut etiam, qui tantùm speculatiuè erraret circa materiam, aut formam Sacramentorum; non quidem peccaret; sed nihil efficeret, vt si quis sine dolore, aut sine dolore efficaci, vel sine supernaturali dolore aliquâ ratione accederet ad Pœnitentiam inuincibiliter putans se habere dolorem supernaturalem & efficacem, vel putans nõ esse necessarium, non reciperet Sacramentum. Illa verò, quæ afferuntur in confirmationem secundi argumenti non sunt de essentiâ Sacramẽti; sed de præcepto, & ideò error speculatiuus tantùm circa illa non facit irritum Sacramentum. Ita Auila *suprà*.

Ad tertium in publicis propter commune bonũ fit irritum, quod alias non erat. 348. Ad tertium iam responsum est in secũdâ illatione scilicèt in publicis, vt est collatio beneficij propter commune bonum, quando publicè declaratur, & ritè secundùm allegata, & probata, fieri irritum quod aliàs non erat. Hoc autem non habet locum in nostro casu.

349. Ad 4. respondetur, prædictam sententiam circa obligationem tunc parendi superiori præcipienti, solum habere locum, quando actus exhibendus est in publicò, nón verò si exhibendus tantum sit in secreto. *Ad quartũ*

350. Ad quintum respondetur prædictos Textus præcipere quidem absolui simpliciter; sed in foro exteriori; quia in eo simpliciter existimatur excommunicatus. De alijs verò, qui ad cautelam iubentur absolui, non constat in foro exteriori, eos esse excommunicatos. *Ad quintũ*

Assertio quando causa est dubia ex vtraq; parte, & index præcipit alteram partem sub excommunicatione, illi parendum est ex multorũ sententia. 351. Asserendum tandem est, quando causa est dubia ex vtrâque parte, siue dubiũ accipiatur propriè; siue lata significatione vt, si sint rationes probabiles pro vtraque parte: tũc si Iudex præcipiat alteram partem sub excommunicatione latæ sententiæ, in multorum sententiâ illi parendum est in conscientiâ, & etiam in foro exteriori, & qui non obedit incurret verè excommunicationem, & si celebret in eâ, fiet irregularis; quia possessio, & ius stat pro superiore, ac proinde non est par causa. Sic Sotus *dist. 22. q. 1. art. 3. ante tertiam conclusionem §. secundo modo.* Auila *suprà conclus. 2.* Suarius *disp. 4. sectione 6. n. 6.* Vasquez *de Excommunicatione dub. 11. n. 23.* vbi loquens de hac excommunicatione dicit valere & obligari in occulto, quia iam est peccatum inobedientiæ etiam in occulto contra sententiam excommunicationis & (vt ait Sotus) hic est proprius casus, de quo loquitur D. Gregorius, quando ait *sententia Pastoris iusta vel iniusta timenda est.* Hæc doctrina (illæsa oppositæ probabilitate) ex principijs generalibus in materiâ de conscientia, & de legibus probanda est; (docetq; & probat Suarius *suprà n. 2.*) ex regula generali scilicèt quoties lex, seu præceptum superioris, est iustum, & obligat in consciẽtiâ, etiam Censura in tali lege, vel præcepto posita valida erit. Quoties verò lex, aut præceptum non obligat, nec obligat Censura: sed lex superioris præcipientis cum opinione probabili iusta est, & præcipit actum, qui potest iustè præstari: ergo obligat in conscientiâ; atque adeò ligabit Censura illi annexa. Vide Dianam *part. 4. Tract. 3. Resol. 8. & 9. & 5. part. Tract. 9. Resol. 29. & 9. part. Tract. 9. Resol. 45.* *Probat Suarius ex generali Regula.*

Limitat assertionem Suarius 352. Hanc assertionem limitat Suarius, vt locum solùm habeat, quando opiniones sunt æquè probabiles (& à fortiori intelligi debet, quando opinio superioris est probabilior) nam subditus, qui probabiliori nititur, non putat teneri parere; sicut, neque quando sequeretur ei notabile damnum; quod vltimum videtur colligi ex eodem Suario *disp. 26. sect. 3.* Verùm tota hæc doctrina pendet ex dicendis in materia de legibus, & de conscientiâ. Ideò hæc vltima assertio, tanquàm probabilis propter multorum auctoritatem nunc à nobis traditur, saluâ semper probabilitate alterius. Legatur Castro Palao *tom. 1. disp. 3. puncto 13.* & Diana citandus qui pro vnâ & altera sentẽtia, eiusq; probabilitate latè agit auctoribus & rationibus, & vtriusque probabilitatem ostendit locis notatis. *Authoris Iudicium de probabilitate assertionis.*

Quod si teneatur etiã opinio probabilis res. 353. Atque obiter aliquid dicam, si daretur opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire; etiam si contraria probabilis esset

An subditi non teneatur hic obedire. esset, imò probabilior, licitum esse amplecti eam opinionem ut notauit Thomas Sanchez *lib.6.in Decalog. c.3. n. 7.* Sayrus *in Claui Regia lib.1. c. 12. n.6.* Turrianus *de Iustitiâ, disp. 50. dub. 5. n. 9.* Ioann. Sanchez *disp.* 33. *n.* 28. Petrus Nauarra *lib.3. de Restit. p. 3. dub. 13. n. 239. in fine.* Vide Dianam & Palaum suprà & eundem Dianam *part. 9. Tract. 9. Resol.* 45. vbi id cum alijs latè probat. Sed omnia continentur in dictis & dicendis â nobis, & vtrumque probabile puto. Quamuis autem superior tunc iustè præcipiat, solùm præcipit probiliter iustè ac proinde, tu probabiliter obligatus eris obedire; &, quia probabiliter etiam præcipit iniustè, probabiliter eris deobligatus, ita vt ex ignorantiâ, seu diuersitate opinionum dari possit ex vtraque parte bellum iustum. Quâ de re alibi est ex instituto disputandum. Nunc ergo suppositâ probalitate, cum his Auctoribus, quod scilicèt licitum sit subdito non parere superiori præcipienti, quando est opinio probabilis, quod non sit obligatus parere. Sic argumentor quotiescumque est opinio probabilis, quod non sit licitum id, quod superior imperat, vel quod id, quod imperat, sit extra illius iurisdictionem: tunc etiam est opinio probabilis, quòd non sit obligatus parere; ergo &c. *Probatur.* Probo antecedens, quia in nullo alio fundamento efficaciore subsistere potest probabilitas opinionis de obligantis subditum obedire, quàm in eo, quod probabile sit rem â superiori præceptam illicitã esse, aut extra Seperioris sphæram Iurisdictionis; imò quotiescumque est probabilis opinio, quòd non teneatur subditus obedire superiori in tali, aut tali casu, ideò est, quia, (vt docet etiam Thomas Sanchez) possessio superioris in illâ materiâ vocatur in dubium; sed pari ratione in dubium vocatur superioris potestas quoties probabile est, illicitum esse, quod præcipit; aut esse extra illius Iurisdictionem: ergo &c. *Accedit quod superior nunquã fuit in possessione imperandi illicitum &c.* Accedit quod nunquàm superior fuit in possessione imperandi illicitum, aut, quod excedit eius Iurisdictionem: ergo possessio superioris non potest ad hoc negotium afferri; cum eo ipso probabile sit, non habere ius præcipiendi talem rem: ergo est probabile non teneri tunc subditum parere. Tandem, non videtur superior strictiùs posse obligare subditos suo præcepto, quàm ipse met Christus, aut Ecclesia obligat suis præceptis; atqui quoties, quis probabiliter iudicat sub materiâ præceptâ rem aliquam non contineri, non obligatur ad illam præstandam: ergo neque in nostro casu. Ideò non tenetur quis confiteri peccatum; quod probabiliter putat non esse mortale, vel jam esse confessum, vt latè docet Thomas Sanchez cum multis, quos refert, *c.* 10. *n.* 76. quia licèt præceptum de confessione integrè faciendâ possideat, excusatur, nihilominùs sequendo opinionem probabilem, existimando scilicèt probabiliter, quòd in tali casu non possideat: ergo in præsenti negotio, quantumuis superior ius habeat præcipiendi; quia tamen non habet ius certum præcipiendi rem, quæ probabiliter censetur illicita, aut extra suã Iurisdictionem; ideò etiam subditus tantùm probabiliter obligatur; atque adeò probabiliter deobligatur, & erit immunis à Censurâ.

354. Ex quo patet fundamentum sententiæ Suarij & aliorum quam *suprà* tradidimus, non esse adeò firmum, vt tollat opinionis oppositæ probabilitatem; superior enim iustè quidem præcipit probabiliter, atque adeò tantùm probabiliter obligat, & probabiliter validè excommunicat; non tamen certò, & indubitato adeò, que quâ ratione probabile est, id non licere; probabile est etiam præceptum non obligare, & non ligare Censuram. Pro quâ doctrinâ sunt tot graues auctores citati, vt & ratio & auctoritas illam probabilissimam & tutam reddant. *Hinc patet Suarij fundamentũ non esse adeò firmum, vt tollat opinionis oppositæ probabilitatem.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De Excommunicatione secundum se, & ex parte ferentis illam.

Disputatio hæc diuidetur in quatuor sectiones. 1. HAnc disputationem quatuor sectionibus diuidam, seruato tamen continenter numero dubitationum, vt breuiùs possim loca indicare, quando me referam ab vno ad alium. In primâ sectione dicemus, quid sit Excommunicatio? Et Quotuplex? vbi de excommunicatione minori, eiusque effectibus, & absolutione dicemus, vt nos ab illâ omnino expediamus. In secundâ verò sectione agemus de causâ materiali proximâ excommunicationis. In tertiâ de formâ, & modo seruando in excom. ferendâ; & quæ iusta, quæ verò iniusta; quæ valida, quæ invalida excommunicatio censeatur? In quarta de effectibus excommunicationis maioris.

SECTIO PRIMA

De definitione, & diuisione Excommunicationis in communi, & de naturâ & effectibus minoris Excommunicationis.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit excommunicatio? & quotuplex?

2. EXcommunicatio solet definiri hic, aut æquiualentibus verbis scilicèt *Censura,* *Definitio excommunicationis*

qua homo Christianus separatur ab Ecclesiasticâ communione fidelium. Quæ definitio in ipso nomine excommunicationis indicatur; nam excommunicatus idem sonat, quod extra communicationem factus; habetque fundamentum in verbis Matthæi. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, id est ab Ecclesiâ segregatus. Dicitur in definitione esse Censuram, *quâ homo christianus separatur*; quia nec infideles non baptizati, nec animalia bruta sunt subiecta capacia huius Censuræ iuxta dicta *disp. præcedenti dub. 13. & sequentibus.* Dicitur verò *Censura*, tanquàm genus commune Excommunicationi, suspensioni & Interdicto vt constat *ex c. Quærenti de verbor. signif.* & ex communi sensu Ecclesiæ; de quo diximus *præcedenti disp. dub. 3.* Per eam tamen particulam *Censura* distinguitur Excommunicatio ab alijs quatuor pœnis Ecclesiasticis, quæ non sunt Censuræ iuxta ibidem dicta, nempe ab Irregularitate, depositione, degradatione, & cessatione à Diuinis. Dicitur etiam *ab Ecclesiasticâ communione fidelium*: quæ particula ponitur loco differentiæ, vt differat à suspensione, & Interdicto, quarum prior Censura priuat Ecclesiastico ministerio, posterior verò, tantùm Diuinis officijs, vt in proprijs locis declarabitur. Dicitur etiam *Ecclesiasticâ communione*, quia tantùm separat excommunicatio à cōmunione eorum bonorum, quæ sunt in potestate, & voluntate Ecclesiæ, & quorum distributio ad Ecclesiam pertinet. Quapropter non separat excommunicatio à communione purè internâ, quæ est in gratiâ, & Charitate, & fide, quâ vnitur cum suo capite, qui est Christus & cum alijs membris, scilicèt cum fidelibus; quia Ecclesia nec vult, nec potest priuare sua membra hac vnione, & communione, quæ consistit in internis virtutibus spiritualibus, quæ non possunt à nolentibus amitti, vt notauit D. Thomas in 4. *dist. 18. q. 2. art. 5. quæstiunc. 2. ad 1.* Vnde Excommunicatio supponit quidem carentiam huius communionis ratione culpæ, propter quam fertur; non tamen illam communicationem auget, imò nec etiam impedit, quo minùs is, qui excōmunicatione ligatus est, possit ad prædictam communicationem redire, etiamsi ab Excommunicatione nondum sit absolutus; quia per contritionem potest ad gratiam redire; ob eamque causam inter alias peccatum mortale non potest dici excommunicatio, quia priuat per se tantùm prædicta cōmunicatione internâ, quâ non priuat Excommunicatio, ac proinde per illam particulam *Ecclesiasticâ communione* quantumuis in alijs conueniret, differret à peccato mortali, à quo satis alioquin differt, per illam particulam Censura, cum nec peccatum Censura sit Ecclesiastica; nec Censura Ecclesiastica habeat rationem peccati, sed tantùm pœnæ. Priuat itaque excommunicatio alijs duabus communionibus fidelium; nempe externâ, quæ cōsistit in coniunctione cū fidelibus; nempe confabulatione, salutatione &c. & mixtâ, quæ licèt consistat in externis actionibus, habet tamen effectum interiorem in animâ; huiusmodi actiones sunt collatio, aut receptio Sacramentorum, applicatio suffragiorum Ecclesiæ, & sacrificij Missæ; item simul conuenire ad publicam orationem, vel ad Missam & Diuina officia audienda; de quibus iam diximus *disp. præcedenti, dub. 1. & 2.* vbi etiam diximus aliqua, ex quibus colligitur grauitas huius pœnæ maximè *in fine dubitationis 2.*

Explicatur definitio.

Excommunicatio non separat à cōmunione purè internâ.

Priuat tamē communione externa & mixtâ.

3. Præcessit autem in veteri testamento huius Censuræ figura, & exemplum in leprosis, qui excludebantur à Castris, vt notaretur iuxta Sotum, & alios, quod sicut leprosi ad cauendam contagionem corporalem expellebantur à consortio cæterorum hominum: ita excommunicati maximè Hæretici rebelles ab Ecclesiâ sint expellendi ad cauendam spiritualem pestem, præcessit etiam aliquod huius rei signum, & figura in eo, quod propter delicta homines à Synagoga expellebantur. Sic *Ioann. 9. conspirauerant Iudæi vt, si quis confiteretur Iesum, extra Synagogam fieret*, & propterea eiecerunt cæcum illum à Natiuitate.

In veteri testamento præcessit huius censuræ figura.

4. Ex dictis hucusque colligitur non esse cur addamus definitioni illam particulam, quam aliqui addunt, scilicèt *quoad fructum & suffragia generalia*; quam etiam addidit S. Thomas *Addit. q. 21. art. 1.* propter illam enim additam definitio non comprehenderet minorem excommunicationem, quæ tamen verè est excommunicatio; non tamen priuat suffragijs Ecclesiæ, nec conuictu fidelium. Itaque sufficiunt verba *suprà* posita in definitione, vt notauit Auila *p. 2. disp. 1. dub. 2.* Alias verò particulas, quas nonnulli addunt, rectè à definitione expungendas esse docet Suarius *disp. 8. sect. 1. à n. 4.*

5. Circa secundum de diuisione excommunicationis varijs modis solet diuidi: primò in Excommunicationem iustam, & in iniustam, de quibus dicemus *sect. 3.*

Varijs modis diuiditur excommunicatio. Primò.

6. Secundò diuiditur in Excommunicationem ferendam, seu comminatoriam, quæ non statim incurritur, atque fit actus, qui sub illâ prohibetur aut præcipitur, sed requiritur sententia Iudicis; & in excommunicationem latæ sententiæ, quæ statim incurritur sine aliâ sententiâ Iudicis eo ipso, quod fit aut omittitur actus sub illâ prohibitus aut præceptus de quibus latè diximus *disp. præcedenti dub. 5.*

Secundò in latam, & ferendam.

7. Tertiò diuiditur in generalem, & particularem; generalis est, quæ fertur in communi contra omnes qui commiserint tale delictum, vel contra eos qui iam commiserunt; nisi restituant; &c. particularis verò est, quando fertur, contra personas in particulari v.g. contra Ioannem, vel contra Prætorem.

Tertiò in generalē, & particularem.

8. Quartò diuiditur excommunicatio in excommunicationem à Iure, quæ perpetua est; & in excommunicationem ab homine per sententiam generalem, vel particularem, quæ expirat, mortuo, vel amoto ab officio superiore, qui illam tulit. Quâ de re diximus etiam præcedenti *disp. dub. 9. vsque ad 12. cum appendice.*

Quartò in eam quæ fit à Iure, & ab homine.

9. Quinta & potissima diuisio hoc locò pertractanda est, quâ diuiditur in excommunicationem maiorem, & minorem. Maior excommunicatio est, quæ priuat hominem communicatione; non tantùm sacrâ, sex mixta; sed etiam ciuili, & humanâ merè exteriori. Excommunicatio verò minor est, quæ solùm priuat communione sacrâ, seu Sacramentorum, &

Quintò in maiorem & minorem de quibus hic potissimè agendum.

electione

electione passiuâ ad beneficia Ecclesiastica, vt constabit ex dicendis in sequentibus.

10. Huius diuisionis, & vtriusque membri fit expressa mentio in multis Iuribus, vt patet ex *c. vnico de Clerico excommunicatio ministrante. & c. penultimo. de sentent Excommunic.* soletque hæc diuisio censeri generis in duas species essentialiter diuersas; illud tamen habet incommodi, hæc doctrina, quod magis, & minùs, vt aiunt, non variant speciem. Maior autem excommunicatio est priuatio eorundem ipsorum, quibus priuat minor, & insuper addit alia plura, quibus ipsa per se priuat. Ideò, si differentia inter vtrâq; essentialis habenda sit, moraliter potiùs quàm metaphysicè intelligi debet, & ex Iure ipso positiuo, praxique, & vsu Ecclesiæ potiùs desumenda est essentialis diuersitas, quàm ex ratione metaphysica, vt rectè notauit Suarius *disp.8. sect.2.n.12.* Vndè, si rectè aduertatur, sicut est determinata quædam excommunicatio minor distincta à maiori, ex eo, quòd maior priuat totali communione, minor verò partiali, nempe communione passiua &c ita possent aliæ multæ partiales minores diuersæ inter se introduci ab Ecclesiâ; posset enim esse alia, quæ tantùm esset separatio à sola ciuili communione fidelium, & alia à solis suffragijs. &c. non tamen videntur introductæ aliæ, nisi duæ prædictæ species. Quod si aliquando aliæ fuerunt, non tantùm antiquæ iam sunt; sed antiquatæ, & extra vsum.

differentia inter hanc vtramq; censuram, vnde petenda.

11. Obijciet aliquis adhuc esse aliam speciem excommunicationis distinctam à prædictis duabus, scilicèt anathema; quod videtur colligi ex multis Iuribus. Huic tamen obiectioni sequenti dub. respondebimus, quæ tota erit de hac re.

12. Tandem aduerto cum Soto *dist.21. q. 1. art 1.* minorem excommunicationem non sic appellari propter paruitatem obiecti res enim grauissima est hominem priuari receptione Sacramentorum, & talis in primitiuâ Ecclesiâ habebatur; dicitur tamen minor per comparationem ad maiorem, cuius est pars, & propter materiam supra quam cadit, incurritur enim ob veniale peccatum; item; quia faciliùs tollitur, sicut & culpa, propter quam incurritur. Cumq; iam adsint tempora de quibus dixit Apostolus *refrigescet Charitas multorum* non ad modum graue reputatur priuari vsu Sacramentorum ad quæ multi rariùs accedunt.

Excommunicatio dicitur minor nō ratione obiecti sed per comparationem ad maiorem &c.

DVBITATIO II.

In quo differat anathema ab Excommunicatione?

Ratio dubitandi est quòd ex vno capite videntur hæc duo nōn differre.

13. Ratio dubitandi est quod ex vno capite videantur, non differre, quia excommunicatio est pœnarum Ecclesiasticarum grauissima, cum priuet medijs ad vitam animæ opportunis, vt sacramentis, & suffragijs, ergo cum nullum alium effectum possit habere anathema, non erit distincta ab excommunicatione. Secundò, quia à Sanctis Patribus, & in multis decretis, quæ adducit Suarius *disp. 8. sect. 2. à, n.5.* pro eodem vsurpantur. Ideò c. *Certum 24.q.3.* excommunicatio maior appellatur *Anathema.* & *c. debent. 11. q. 3.* eadem solemnitas præscribitur excommunicandi, & ferendi anathema. Atq; in Tridentino *sess.25. de reform.c.3.* pro eodem sumūtur excommunicationis gladius, & anathematis mucro, qui naruus Ecclesiasticæ disciplinæ dicitur. Vnde Calepinus, & alij eo solùm putant differre excommunicationem ab anathemate quod excommunicatio interdum pro maiore, interdum pro minore accipitur. Anathema verò nunquàm, nisi pro maiore vsurpatur.

Ioan. de Dicastil. de Censur.

14. Ex alio verò capite videntur hæc duo multum inter se differre, & anathema multum excedere excommunicationem maiorem esseq; pœnam longè grauiorem. Probarique potest primò ex *c. vltimo. 3. q.4.* vbi de Engeltruda dicit Pontifex non solùm excommunicatione, quæ à fraternâ Societate separat; sed anathemate, quod ab ipso Christi corpore recidit, crebro percussam esse. Secundo ex *c. nemo Episcoporum 11.q.3.* apertè distinguitur excommunicatio ab anathemate, ait enim Pontifex, quod licèt Episcopus possit excommunicare; non possit anathema imponere sine conscientia Archiepiscopi, aut coepiscoporum. Tertio quia *c. Cùm non ab homine, de Iudicijs*, de quodam Clerico Homicidâ ait Pontifex, quod primò est deponendus; de inde, si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; posteà contumaciâ crescente anathematis mucrone feriri. Vbi Pontifex in secunda pœna apertè loquitur de excommunicatione maiori, vt patet; tùm ex absolutâ loquutione excommunicationis, quæ maiorem significat, vt sequenti dubitatione videbimus; tùm ex grauitate causæ, seu delicti; tùm etiam; quia subiungitur post depositionem, & tamen tertio loco additur anathema, tanquàm grauior censura ergo distincta est ab excommunicatione. Quartò, quia in multis Iuribus, & præsertim in Consilijs excommunicatio solet imponi propter peccata communia; anathema verò, non, nisi propter grauissima, qualia sunt Hæresis, vel schisma; vt videre est frequenter in Tridentino *sess. 13.* vbi anathema fertur in eum, qui negauerit aliquam ex veritatibus fidei pertinentibus ad mysterium Eucharistiæ. *In Canone verò 11.* cùm docuisset Concilium post scientiam peccati mortalis esse necessariam præmittendam confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, quantumuis homo sit contritus; quia tamen id non definiebat tanquàm de fide subdit. *Siquis autem contrarium docere præsumpserit eoipso excommunicatus existat*: ergo significat maiorem excommunicationem, de quâ absque dubio loquitur, esse aliquid minus, quàm anathema.

Ex alio verò capite videtur multum differre.

15. Asserendum ergo existimo propter dicta in vtramque partem Anathema non differre substantialiter, seu essentialiter ab excommunicatione maiori; ac proinde omnem excommunicationem maiorem, quoad essentiam esse quoddam anathema, sæpeque vsurpari pro eâdem re, seu pro eâdem Censurâ quod solùm probant Iura pro priori parte allata. Ratio est, quia nulla communicatione Ecclesiasticâ reperi-

Assertio Anathema non differt essentialiter ab Excommunicatione maiori.

Ratio.

Sæpe tamen in Iure hæc duo accipiuntur tanquam diversa, sed accidentaliter tantum.

sit priuare anathema, quâ non etiam priuet, & à quâ non separet excommunicatio maior. Addendum tamen est propter decreta allata secundo loco pro contrariâ parte, sæpe in Iure hæc duo accipi tanquàm diuersa non quidem essentialiter; sed accidentaliter. Addit enim anathema supra maiorem excommunicationem maiorem quandam grauitatem accidentalem, vel in peccatis, quibus imponitur, vt patet ex Concilijs; vel in ceremonijs quibusdam & in solemnitate, & notitiâ, atque acclamatione publicâ, vt in anathemate, quod fertur ab homine, & ob id in dicto *c. nemo Episcoporum*, prohibetur Episcopus eâ vti; nisi de consensu Archiepiscopi, vel Coepiscoporum; solemnitatque anathematis præscribitur *c. debent.* 11 *q.* 3. nempe quòd Episcopum debeant Circumstare duodecim sacerdotes habentes in manibus lucernas ardentes, quas in fine anathematis in terram debent projicere & pedibus conculcare, & debet mitti Epistola per Parochias continens nomen excommunicati, & causas excommunicationis.

Anathema incutit maiorem timorem.

16. Hinc fit, vt, licet anathema non magis liget, quam excommunicatio maior: incutiat nihilominùs maiorem terrorem, & præseferat maiorem timorem. Ita Sotus *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Couarr. *c. Alma mater* 1. *p.* §. 8. *n.* 6. & Syluest. *Excommunic.* 1. *in fine*, vbi dicit, quòd in Iure sæpe hæc duo pro eodem sumuntur, sæpiùsque sumitur anathema pro excommunicatione maiori solemni, quæ est solius Episcopi.

Ex his patet quo sensu intelligenda sint Iura pro distinctione horum allato n. 14.

17. Atque ex his patet, quo sensu intelligenda sint Iura secundo loco adducta pro distinctione anathematis ab excommunicatione: solùm enim significant hanc distinctionem accidentalem, & maiorem grauitatem, vel in causâ, vel in solemnitate & acclamatione prædictâ, vt patet ex Tridentino & ex *c. cùm non ab homine.* Quòd verò hæc differentia sit accidentalis probari videtur ex citato *c. debent.* vbi præscribitur solemnitas anathematis, & simul appellatur excommunicatio.

18. Solùm videtur obstare prædictis, quòd *in c. Engeltrudam & in c. nemo Episcoporum*, citatis in eo distinguitur anathema ab excommunicatione quod anathema plus separet hominem, & plus præcidat illam à corpore Christi, quàm excommunicatio. Ideò responderi potest cum Glossis in his Iuribus Excommunicationem sumi pro minori, & anathema pro maiori. Contra hoc tamen obijci potest *quòd in c. Engeltrudam*, de Excommunicatione, quæ ab anathemate distinguitur, dicatur separare à Societate fraternâ; minor autem excommunicatio non separat à Societate fraternâ. Nihilominus responderi potest cum Glossâ, & alijs intelligi de Societate fraternâ in participatione Sacramentorum.

19. Quamuis autem hæ responsiones probabiles sint, probabilior adhuc mihi apparet alia, olim scilicèt fuisse in vsu quandam minorem excommunicationem, quæ solùm separaret ab externo conuictu quod asseritur in legibus nostri Regni Castellæ. *l.* 5. *Partita.* 1. *tit.* 9. vbi Gregorius Lopez ex multis Textibus Iuris Canonici id probare contendit.

20. Ex quibus apertissimè constat sæpe olim in Iure separationem ab aliquo conuentu, vel ab aliquâ Ecclesiâ; vel ab aliquo Concilio appellari excommunicationem, vt patet ex *c. Placuit.* 18. *dist.* & *c. Quorundam* 24. *dist.* & *c. Siquis de alterius*, 57. *dist.* Imò separatio à Concilio per tres tantum dies appellatur *Excommunicatio. c in loco* 5. *q.* 4. & ex *c. præsenti q.* 2. & ex *c. neminem* 45. *dist.* Quæ tamen pœnâ (vt latè probat Suarius *disp.* 4. *sect.* 5. *n.* 26.) non est propriè Censura quia & imponitur pro peccato omninò præterito, & transacto tempore præfixo tollitur absque vllâ absolutione.

21 Item priuatio solius Eucharistiæ dicebatur olim excommunicatio, vt ex Richardo, & alijs probat Suarius *disp.* 8. *sect.* 2. qui etiam (vt probant Henriquez *lib.* 13. *c.* 1. *n.* 1. *litterâ l.* & Auila *p.* 2. statim in principio nomen *Excommunicatio*, à priuatione, seu separatione ab Eucharistia primariè sumptum est; excommunicatio enim idem est quod extra communionem; communio autem inter fideles per quandam antonomasiam significat Eucharistiam, vt constat ex D. Dionysio *c.* 3. *de Ecclesia Hierarchia*; quia per Eucharistiam maximè vnimur fideles cum Christo, & inter nos. Vnde in primitiua Ecclesiâ pro durissimâ pœnâ habebatur priuari sumptione Eucharistiæ, quæ quotidie frequentabatur.

22. Nihil ergo mirum, si in *c. Engeltrudam*, & in alijs Iuribus antiquis separatio à conuictu solo fidelium dicatur excommunicatio, & hæc condistinguatur ab anathemate sumpto pro excommunicatione maiori, quæ est vera Censura, & non; nisi pro mortali, vt ibi dicitur, & tantùm contra incorrigibilem, seu contumacem debet imponi.

DVBITATIO III.

An, quando aliquid præcipitur sub excommunicatione absolutè intelligenda sit maior, vel potius minor?

Assertio nomine excommunicationis absolutè, & sine addito posita, semper intelligitur maior.

23. Asserendum est nomine Excommunicationis absolutè, simpliciter & sine alio addito positæ, tàm in Iure, quàm ab homine, iam semper intelligi maiorem excommunicationem: quia id dubij sublatum est à Gregorio, 9. *c. penult. de sentent. Excommunic.* Vbi licèt Pontifex tantùm videatur loqui de Excommunicatione latâ ab homine; idem tamen est post illum Pontificem de excommunicatione latâ à Iure, vt concedunt Auctores, & vsus receptus declarat. Ita Marsilius *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. Maior ibidem *q.* 12. Tabiena *Excommunic.* 2. *n.* 7. Angelus *Excommunic.* 2. *n.* 19. Syluest. *Excommunicatio* 1. *n.* 18. Couarr. *c. Alma mater*, *p.* 1. §. 8. *n.* 5. Toletus *lib.* 1. *c.* 5. Suarius *disp.* 8. *sect.* 3. *n.* 3 & *disp.* 9 *sect* 2. Auila *q.* 2. *disp.* 2. in principio Conine *disp.* 14. *dub.* 1. *n.* 5. Filliucius *Tract.* 12. *c.* 1. *quæsito* 3. *n.* 8. & quidem verba absolutè prolata accipiuntur in suâ significatione simpliciter *l. non aliter. ff. de lega.*

Ratio.

Variæ obijciuntur.

24. Sed contra obijci potest primò ex *Regulâ Iuris in* 6. *in pœnis benignior pars est accipienda.*

Secun-

Secundo ex Iuribus *dubit. præced. in fine*, adductis; & ex c. *Sacerdote de consecratione dist.* 1. vbi excommunicatio absolutè posita intelligitur de minori.

Ad Primum Resp. 25. Ad Primum respondetur illam Regulam esse intelligendam cum exceptione hac; nisi vbi Ius, vel consuetudo contrarium declarauerit. *Ad Secundum.* Ad secundum respondetur distinguenda esse tempora, vt concordemus Iura; illa enim Iura lata fuerunt ante Gregorium IX. nostra verò assertio loquitur post illum.

Contra 26. Sed contra; nam Innocentius IV. qui fuit post Gregorium IX. *c.* 1. *de Exceptionibus in* 6. statuit non sufficere ad repellendum actorem obijcere, quod sit excommunicatus; sed speciem excommunicationis debere exprimere.

Resp. 1. 27. Responderi potest primò cum communi sententiâ Glossæ, & Auctorum eiusmodi Textum continere specialem casum in materiâ particulare de reijciendo actore: quod factum est in fauorē causarum Iudicialium & iudicum; vt ibi dicit Pōtifex; ne scilicèt huiusmodi exceptionibus lites differantur, & Iudex contemnatur.

Resp. 2 *cum Suario.* 28. Responderi potest 2. & fortè meliùs cum Suario *suprà*, quòd ibi dicit Pontifex excommunicationem esse exprimendam in specie; idem esse, ac si diceret esse exprimendam in particulari; & non in confuso; explicando scilicèt ex quâ causâ, & à quo Iudice. Quòd manifestè patet ex intentione Pontificis, & ex verbis sequentibus, vt expendit Suarius; ac proinde illa expressio non postulatur in illo Texto propter ambiguitatem verbi *Excommunic.* respectu maioris vel minoris, quia, vt certissimum, supponitur debere esse maiorem; exceptio enim de minori nihil vnquam operatur ad illum effectum, sed propter claritatem, & veritatem Iudicij, in quo res, & causæ in particulari sumptæ melius examinantur, probantur, & cognoscuntur; quàm rationem videtur expressisse Pontifex illis verbis; *quia talis exceptio probanda est apertissimis documentis.*

DVBITATIO IV.

An Excōmunicatio habeat ex Iure Diuino aliquem effectum, saltem priuare participatione Sacramentorum.

An excommunicatio in communi habeat effectū aliquem effectū ab ipso Christo. 29. Dicturi de effectibus excommunicationis minoris, debemus prius examinare an Excommunicatio in communi habeat effectum aliquem ab ipso Christo, qui effectus tolli non possit per Ecclesiam ab ipsâ excommunicatione?

Supponendum 1. 30. Supponendum est primò datum esse à Christo potestatem Ecclesiæ excōmunicandi, vt latè probauimus de omni Censurâ *disp. præcedenti dub.* 1. ex verbis *Matth.* 18.

Supponendum 2. nullam esse excommunicationē latam ex ipso Iure diuino. 31. Supponendum est 2. quamuis potestas Excōmunicandi data sit ex Iure Diuino Ecclesiæ; nullam tamen esse excommunicationem latam, & impositam ex ipso Iure Diuino, vt docent communiter Doctores, maximè Sotus *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Castro *lib.* 2. *de Iust. Hæreticorum punitione c.* 18. Vasquez *l. dub.* 1. *n.* 8. Henriquez *lib.* 13. *c.* 1. Auila 1. *p. dub.* 2. & 2. *p. disp.* 1. *dub.* 6. Vgol. *Tabul.* 1. *c.* 3. §. 1. Filiuc. *Tract.* 11. *c.* 2. *quæstio* 3. Suarius *disp.* 2. *sect.* 1. *assert.* 3. & alij multi. Nec oppositum colligitur ex verbis *Matthæi* 18. quia statim subdit Christus: *quodcumq; ligaueritis* &c. quasi reddens rationem, ob quam sit habendus, vt Ethnicus, quia nimirum ab illis ligandus est neç ex alio capite potest colligi: nam Apostoli (vt notat Syluester) tanquàm Prælati Ecclesiæ excommunicabant. Immeritò ergo Almaynus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. Echius *in Enchiridio*, & Iacobus Latomus *contra Lutherum*, dixerunt excommunicatos esse Hæreticos ex ipso Iure Diuino. *Nec oppositū colligitur ex Matthei* 18

Aliqui docent excommunicationē à Iure Diuino habere quod priuet homines participatione Diuinorum. 32. His positis Maior *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. Almaynus *q.* 1. *art.* 3. Driedo *de libertate Christianâ*, dicunt excommunicationem ex Iure Diuino habere, vt priuet homines participatione Diuinorum ita, vt nec excommunicati ipsi, neque alij fideles cum ipsis possint communicare in Diuinis; per Diuina autem intelligit Couarr. (qui eandem sententiam sequitur *c. Alma mater p.* 1. §. 1. *n.* 1.) Sacramenta tantùm; nam postea *n.* 10. dicit posse fideles audire Missam excommunicati tolerati. Probant; nam ex *Matthæi* 18. excommunicatus est cauendus, vt Ethnicus, sed ex ipso Iure Diuino prohibita est communicatio cum Ethnicis: ergo non possunt dari illis nec accipi ab illis. Aliqua alia loca adducit Couarr. quæ nihil probant; nam Apostoli Paulus, & Ioannes, quorum auctoritatibus vtitur, etiam in humanis præcipiebant vitare excommunicatos, & tamen communicatio in humanis (vt ipse, & omnes fatentur) non est prohibita Iure Diuino. Deinde plura ex illis locis intelligi possunt de naturali obligatione, quā quisque habet vitandi periculum nocumenti, & consequenter personam, quæ est illi occasio peccandi: huiusmodi autem est Hæreticus, cuius sermo *serpit vi cancer.* 2. *Corinth* 2. Tandem aliqua intelliguntur de præcepto naturali non cooperandi, nec exhibendi signa, quibus, vel consentire illis videamur, vel ipsi in suo errore possint confirmari, vel latè expendit Suarius *disp.* 2. *sect.* 1. *Conclus.* 3.

Assertio. excommunicatio nullum effectum determinatum habet à Iure Diuino. 33. Asserendum ergo est excommunicationem ipsam nullum habere effectum determinatum ex Iure Diuino, idemque iudicium est de quacumque aliâ Censurâ. Ita Sotus *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. & *art.* 4. *argumento ultimo ante* 2. *conclus.* & *q.* 2. *art.* 1 Victoria *de Excōmunic. n.* 11. Suariùs *citata sect.* 1. *conclus.* 2. & 4. qui testatur de communi sententiâ. *Ratio.* Fundamentum est, quia licèt Christus *Matthæi* 18. in illis verbis: *Sit tibi tanquàm Ethnicus*, quæ idem significant, quod sequentia verba, *quidquid ligaueritis &c.* dederit Ecclesiæ potestatem puniendi rebelles priuatione bonorum Ecclesiasticorum; cùm tamen hæc bona communia Ecclesiæ multa sint, nullum in particulari exprimit Christus; sed dispositioni ipsius, Ecclesiæ reliquit, an omnibus, an aliquibus, an hoc, an illo bono debeant priuari, proinde, atque in omnium Catholicorum sententiâ certum est reliquisse arbitrio Ecclesiæ suæ tales rebelles excommunicare; vel non; nec opus est, vt quotiescumque Ecclesia illos excommunicat, faciat eosdem in omnibus similes Ethnicis: sat enim est, si hæc similitudo sit in aliquibus

rebus; sic autem interpretanda esse verba Christi, satis constat ex ipso Ecclesiæ vsu, nam in Concilio Constantiensi ablata est fidelibus obligatio vitandi excommunicatos non denunciatos, etiam in Sacramentis. Sic etiam excommunicationi minori apposuit Ecclesia tantùm duos effectus omnibus alijs ablatis. Confirmatur, quia in huiusmodi Censuris nihil est, quod per Ecclesiasticam potestatem mutari non possit, & in discursu Ecclesiæ multa sunt mutata, & alia temporum successione aucta, vt patet ex dictis *dub. 2. ad fin.* & ex dicendis sequenti dubitatione. Vnde (vt rectè notat Suarius) colligitur ipsam institutionem Censuræ esse de Iure humano, nam Diuina institutio, vel simpliciter immutabilis est, vel si est dispensabilis, id solùm est in aliquo casu valde singulari, quod colligitur ex Constitutionibus Apostolicis. *Can. 11. 12. & 13.* & ex *c. Excommunicatos*, & *c. Sicut Apostoli 11. q. 3.*

Hinc colligitur ipsam institutionẽ Censuræ est de Iure humano.

34. Ad argumentum negatur sequela; nec enim in omnibus debet teneri similitudo. Accedit, quod si hæc sequela bona esset, sequeretur etiam omnem hominem in obedientem Ecclesiæ esse excommunicatum Iure Diuino, quod est absurdum.

Ad Rationem in contrarium.

DVBITATIO V.

Quid sit minor excommunicatio? & quos effectus habeat.

Multi putãt duas esse species excommunicationis minoris.

35. MVlti putant duas esse species Excommunicationis minoris, alteram, quæ priuat perceptione passiua Sacramentorum: alteram, quæ priuat, vel sola communicatione ciuili cum alijs fidelibus (vt videtur sentire nostri Regni Castellæ *lex. 5. tit. 9. partita 1.* & ibi Gregorius Lopez propter Iura, quæ retulimus *dub. 2. paulò ante finem*) vel omni communicatione, tàm ciuili, quàm Sacrâ; sed limitatâ respectu quorundam fidelium tantùm, non tamen respectu aliorum vt sentiunt Richardus *in 4. dist. 18. art. 7. q. 4.* Ioannes de Lignano *Tract. de Censuris* §. 11. Felinus; & alij Canonistæ, & ex parte consentit. Syluest. *verb. Excommunicatio. 1. mi. nor. n. 3.*

Authoris Iudicium

36. Verùm hæc secunda species excommunicationis minoris (quidquid fuerit de Iure antiquo, siue secundum illud fuerit Censura, siue non) iam prorsus non est in vsu, vt latè probat Suar. *disp. 24. sect. 1.* Itaque iam est vna tantùm species minoris excommunicationis, vt patebit ex Iuribus infrà citandis; tota enim ratio harum Censurarum pendet ex institutione Ecclesiæ.

Definitio minoris excommunicationis.

37. Excommunicatio ergo minor sic potest definiri. *Est censura priuans hominem passiuâ participatione Sacramentorum, & electione passiuâ ad beneficia Ecclesiastica.* Ex hac definitione constat hos duos tantùm esse effectus huius Censuræ, primus habetur *c. penultimo de sentent Excommunic.* vbi dicitur excommunicatio minor separare à perceptione Sacramentorum, & *in c. A nobis. de except.* dicitur, quod excõmunicatus minori excommunicatione tantùm à Sacramentorum participatione, est remotus. Secundus verò de electione passiuâ ad beneficia habetur expressè, & simul cum primo effectu *c. Si celebrat* de *Clerico excommunicato ministrante.* Vnde non videtur hæc Excommunicatio alios effectus habere. ex quâ doctrinâ pro praxi non nulla licèt breuiter inferre.

Duo tantum sunt effectus huius Censuræ.

Ex hac doctrinâ.

38. Infertur 1. excommunicatum minori licitè, & validè posse eligere, & actus Iurisdictionis exercere, quamuis ipse eligi non possit. Ita habetur expresè in citato *c. si celebrat.*

Infertur 1.

39. Infertur 2. non incurrere celebrando Irregularitatem, quia ita definit Pontifex *eodem c. Si celebrat*, & docet Suarius *suprà*. Filliucius *c. 2. n. 22, q. 5.* Auila *c. 6. dub. 12.* & alij posteà referendi, inter quos Diana citandus infra *5. p.* cum alijs Resol. 3. & 45. putat nec venialiter peccare ex sola administratione Sacramenti, quidquid Faber quem refert dicat. Vide tamen circa hoc quæ diximus *de Pœnitentia disp. 8.* presertim *à n. 68.* & maximè n. 71. 72. & seq. sed de hoc iterum posteà infra dub. 7, ex instituto-

Infertur 2.

40. Infertur 3. non prohiberi communicare cum alijs fidelibus nec alios cum ipso, vt habetur in dicto *c. à nobis*, & notat Caietanus *verbo Excommunicatio 5.*

Infertur 3.

41. Colligitur 4. non esse priuatum communibus Ecclesiæ suffragijs, quia hæc, nec sunt Sacramenta, nec beneficia Ecclesiastica, vt rectè Petrus Sotus *lect. 4. de clauibus, ad finem.* Armill. *verb. Excommunicatio n. 5.*

Infertur. 4.

42. Colligitur 5. non prohiberi audire Sacrum, etiam associatum cum alijs; nec recitare cum alijs, vt contra aliquos Canonistas docent Paludanus *dist. 18, q. 6. art. 3.* Gabriel & Maior *ibidem* Sylvest *Excommunicatio 4. n. 5. dub. 2. in fine.* Nauarrus *c. 27. n. 23.* Antoninus *3. p. tit. 25. c. 2. §. 1.* Couarr. *§. 8. n. 2.* Hinriquez *lib. 13. c. 3. n. 1.* Suarius *disp. illa 24. sect. 2.* & , quod possit orare cum alijs habetur dicto *c. à nobis.*

Infertur 5.

43. Vtrùm autem hic excommunicatus peccet ad ministrando Sacramenta? posteà dicemus. Nunc dico cum Adriano *q. 3. de Clauibus.* & Suario *suprà*, alijsque multis posse huiusmodi excommunicatum absoluere ab Excommunicatione, vt colligitur *ex c. Duobus de sentent. Excommunic.* Ratio est, quia hæc excommunicatio non priuat Iurisdictione aut vsu eius, vt habetur expresè *c. Si celebrat.* citato.

Potest huiusmodo excõmunicatus absoluere ab excommunicatione.

44. Tandem infertur non priuare Ecclesiasticâ sepulturâ, quia nullum extat tale præceptum.

Infertur 6.

45. Ex dictis sequitur cauendum esse *à lege 6. tit. 9 partita 1.* Regni Castellæ, quæ asserit excommunicatum minori eligere non posse, quod falsum est, vt notauit Couarr. *sup. n. 3.* est enim contra expressum Textum *c. Si celebrat* citato ubi dicitur. *Nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione Iurisdictionis sibi competunt, exercere.*

46. Quod verò attinet ad ipsos effectus huius excommunicationis verum omnino est excommunicatum minori excommunicatione non solùm peccare mortaliter, recipiendo Sacramentum, quod expresse habetur citato *c. Si celebrat*, & omnes Auctores concedunt; sed etiam procurando, vel acceptando electionem ad Ecclesiasticum

Quantum ad effectus huius Censuræ.

peccat mortaliter non solum recipiendo Sa-

cramentum, sed etiam acceptandò electionem ad Ecclesiasticum ministerium. hic excõm. ligatus.

siasticum ministerium, quia agit contra præceptum ibi impositum in re graui. Et ita expressè tradidit Nauarrus *in Summâ Hispanâ c.* 27. n. 44. Pedraza *lib.* 2. *c.* 1. Toletus *c.* 11. Rodriguez. *c.* 74. *conclus.* 1. Auila *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 12. *dub.* 4. *conclus.* 1. & idem dicit de eligentibus illum. Vnde ligatus Excommunicatione minori accipiendo beneficium grauissimè peccat.

Conferentes tali Sacramentum, vel scienter eligentes peccant etiam mortaliter.

47. Illi etiam, qui conferunt Sacramenta, aut scienter eligunt Excommunicatum ad munus Ecclesiasticum, peccant mortaliter, non quidem contra Ius positiuum, quia post Concilium Constantiense tantùm prohibemur ab Ecclesiâ communicare cum denuntiatis; excommunicatus autem minori non est denuntiatus, sed peccant contra Ius naturale non dandi Sacramenta, aut beneficia indignis, & quia tenemur non cooperari peccatis aliorum. Ita Suar. *n.* 3. Auila *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 12. *dub.* 2. Vgolinus. *Tabula* 3. *c.* 6. §. 3. Filliucius *c.* 2. *q.* 10. *n.* 35. & alij apud ipsos.

Adde cum Suario talem licet contritum peccare mortaliter accedēdo ad Sacramentum.

48. Addendum etiam est cum Suario *disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 11. excommunicatum minori, etiamsi contritus sit, peccare mortaliter accedendo ad Sacramentum, licet alias peccatum mortale non adeò impediat, quin possit quis cum eo accedere, si habeat attritionem, ad pœnitentiam; & si contritionem habeat, ad alia Sacramēta, excepto ad Eucharistiam. In casu verò quo quis non haberet à quo absolueretur, & sequeretur infamia, posset celebrare, vt ait Auila & alij multi.

Aliquorum additio.

49. Illud etiam addunt aliqui, etiamsi quis sequatur opinionem, quæ docet Sacerdotem sibi ministrantem Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali peccare duplici peccato, quatenùs scilicèt ministrat, & quatenus recipit: nihilominùs in hoc casu eum, qui celebrat, non peccare conferendo sibi Sacramenta; sed solùm recipiendo, vt ait Suarius *sect.* 2. *n.* 3. Filliucius *c.* 2. *q.* 4. *n.* 24. quia actus conferendi, & ministrandi, non est prohibitus excommunicato minori; sed actus suscipiendi. Verùm hæc doctrina mihi non placet; nam, licèt etiam sequeremur præcisè ministrare Eucharistiam in peccato mortali non esse peccatum mortale (qua de re disputauimus *Tract.* 1. *de Sacramentis in genere disp.* 3. *dub.* 10.) Nihilominus, cum sacerdos celebrans verè conficiat Sacramentum Eucharistiæ; conficere autem Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali sit mortale, & item recipere sit etiam mortale; duplex erit peccatum; quia eo ipso, quod quis videns se esse excommunicatum minori, aggreditur celebrare, existit in peccato mortali. Qui autem in mortali existens celebrat, iuxta illam opinionem ex duplici capite peccat, scilicèt, quia confert in mortali, & quia recipit in mortali. Si verò sequamur opinionem, quæ docet sacerdotem celebrantem non duplici, sed vno peccato peccare celebrando simul, & conficiendo, quia per modum vnius actionis vtrumque fit; in eo casu non erit duplex; sed vnum peccatum, quatenùs est receptio, confectio, & ministratio totum simul per modum vnius actionis. Vtrùm autem absolutio collata excommunicato (saltèm bona fide confitenti) valeat, dicitur tùm infra dub. 40. asserit 6. tùm *de Pœnitentia disp.* 8. *dub.* 4. *n.* 64. & seqq. est autem eadem ratio de Excommunicatione minori atque de maiori. Vide ibi n. 68. & seqq.

Author i non placet

DVBITATIO VI.

An electio facta excommunicato minori excommunicatione, etiam ignoranti excommunicationem, sit ipso facto irrita?

Aliquorum opinio

50. GLossa in citato *c. Si celebret*, & Couarr. §. 8. *n.* 3. citans Hostiensem, & Cardinalem, item Armilla. *Excommunic. n.* 5. Toletus *lib.* 1. *c.* 11. putant esse ipso facto irritam, siue ignoranter, siue scienter sit facta; quoniam verò *c. Si celebret.* dicitur esse irritandam, ipsi exponunt eam vocem, vt idem sit, quod irritam declarandam. Syluest. verò *Excommunicatio* 3. *n.* 4. *dub.* 1. Angelus *Excommunic.* 1. *n.* 1. dicunt esse quidem irritam, si fiat excommunicato minori scienter; non tamen esse irritam, si fiat ignoranter. Primum videtur probari efficaciter ex verbis illius capitis; nam, licèt dicat electionem factam scienter excommunicato minori esse irritandam; tamen additur statim ratio hæc *quia ad eorum susceptionem eligitur à quibus à Sanctis Patribus est priuatus*: ergo, sic priuatus inhabilis erat, atque adeò irrita. Secundùm verò probat Syluest. quia non adderet Pontifex particulam scienter; nisi oppositum intelligeret de ignoranter factâ, quòd scilicèt non sit irrita, & præterea sequerentur ex opposito infinita incommoda; nam si ignoranter excommunicato datum esset beneficium curatum, quando posteà sciret fuisse excommunicatum, obligaretur restituere fructus omnes, & inualidè fuissent absolutiones omnes ab eo datæ. Cum Syluestro sentit Henriquez *c.* 3. *n.* 3. qui multos refert pro suâ sententiâ.

Assertio 1. *Talis electio scienter facta non est ipso facto irrita sed tantùm irritanda. Ratio est*

51. Asserendum nihilominus est primò electionem factam excommunicato minori scienter non esse ipso facto irritam; sed tantùm irritandam. Ratio potissima est, quia sic habetur in dicto capite *Si celebret*. Particula verò, quæ additur in ratione illius capitis, scilicet *quia est priuatus*, idem est quod prohibitus, quia peccat recipiendo electionem in Excommunicatione. Ita Felinus *in c. Dilectæ de Exceptionib.* citatus à Couarr. & Angelus verbo *Electio n.* 24. citanturque Richardus *in* 4 *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 7. *q.* 2. & Marsilius, quem etiam sequutus fuerat Syluest. verbo *Electio* 1. *n.* 15. & *Excommunic.* 4. *in principio*: eamque videntur tenere Antoninus 3. *p. tit.* 25. *c.* 2. & Sotus *q.* 2. *art* 4. cùm tantùm dicant esse irritandam. Eandem sententiam docet Vasquez *de Excommunic. dub.* 6. *n.* 12. Suarius *disp.* 24. *sect.* 2. *n.* 21. Auila *de Censuris p.* 2. *c.* 6. *disp.* 12. *dub.* 4. Reginaldus *lib.* 32. *c.* 14. *n.* 142. Filiucius *c.* 2. *q.* 8. Coninc. *disp.* 14. *dub.* 17. & alij multi.

Expositio textus, quã dat Couarr. & alij non est genuina.

52. Exceptio autem Couarruuiæ, & aliorum, quod *irritanda* idem sit quod irrita declaranda, non est genuina Textus, maximè cùm sit pœna, in quâ benignior est facienda interpretatio.

pretatio. Et quidem contra Couarruuiam, & præcipuè contra secundam sententiam Syluest. Henriq. & aliorum possumus argumentari, quia electio facta cum ignorantiâ excommunicationis minoris non est irrita ipso Iure, vt patet ex illo verbo *scienter*: ergo nec facta cum scientiâ, nam solâ ignorantia non habilitat eum, qui est ipso Iure inhabilis.

Assertio 2. Si electio facta sit ignoranter excommunicato minori, neq; est irrita, neq; irritanda. Probat.

53. Asserendum est 2. si electio facta sit ignoranter excommunicato minori, neque est irrita, nec irritanda. Probatur ratione Syluestri, quia frustra poneretur verbum *scienter*, nisi oppositum intelligeretur de ignoranter factâ. Ita sentit Vasquez & Reginaldus *suprà*. Auila *suprà conclus.* 4. cum aliquibus Magistris, vt ipse testatur. Imò à fortiori id dicent Auctores 1. assertionis nostræ.

Suarius probabilius putat talem electionem esse irritandam. Ratio.

54. Suarius tamen probabilius putat, siue fiat ignoranter, siue scienter, siue scientia, vel ignorantia se teneat ex parte electi, siue eligentium, esse irritandam, quia particula *scienter* potius ponitur ad augendum, quàm ad limitandum, & ad eligentes potius refertur; quia, si elegissent ignoranter hoc ipso erat inuoluntaria & surreptitia ac proinde irritanda; si tamen scienter eligerent, viderentur, quantùm est ex se, velle conferre non obstante impedimento; atque adeò velle non esse irritandam; ait ergo Pontifex, etiam in hoc casu, quo scienter eligerent, esse irritandam; atque Auila testatur hanc opinionem Suarij esse communem Canonistarum.

Authoris Iudicium de opinione Suarij.

Quæ doctrina Suarij valde probabilis est, quamuis absolutè veram putem secundam assertionem propter rationem ibi factam.

Dubitatur.

55. Dubitabis an quod dictum est de electione factâ excommunicato minori, habeat etiam locum in præsentatione, & collatione beneficij Ecclesiastici?

Distinctio in collationem & electionem ad beneficiū Ecclesiasticum.

56. Vt respondeamus præmittenda est distinctio inter hæc, quam tradit Glossa *in Regul. 1. de Regul. Iuris in 6.* collatio enim in Iure dicitur, quæ fit ab Episcopo de beneficio non patronato, quando scilicet totum Ius pertinet ad ipsum Episcopum: Præsentatio verò dicitur designatio alicuius personæ, quæ à Patrono fit, vt ab Episcopo detur beneficium personæ sic designatæ; hic autem consensus Episcopi habitus ad præsentationem Patroni dicitur institutio in rigore, & vtrumque est necessarium, vt præsentatus adquirat Ius. Electio autem, vt tradunt Syluester, & Angelus verbo *electio* in principio, & verbo *Ius Patronatus*. distinguitur à præsentatione in eo, quod præsentatio est ad beneficium, & fit à Patrono; at electio est ad dignitatem, vel Prælaturam, vel ad hoc, vt aliquis admittatur ad Societatem alicuius congregationis, & fit ab electoribus. Consensus autem superioris habitus ad huiusmodi electionem, quo approbat electum dicitur confirmatio in rigore, quia (vt notat dicta Glossa) aliquando confunduntur hæ voces hoc supposito.

Assertio 3. dictum de electione, idē dicendum de collatione & præsentatione.

57. Asserendum est 3. idem, diximus de electione, esse dicendum de collatione, & præsentatione; quia licet Ius tantùm faciat mentionem de electione; tamen eadem est ratio de omnibus, neque essentialiter differunt, & Ius omnibus voluit excommunicatum priuare, atque ita vsus recepisse videtur, vt tenet Glossa communiter recepta *in c. vltimo de electionibus*, & Couarr. 1. q. §. 7. n. 1. & n. 9. Henriquez *c. 3. n. 3.* & Suarius *suprà n. 21.* pluresque Canonistæ, quos citat Couarr. qui tamen loquuntur de præsentatione factâ excommunicato maiori; sed loquendo etiam de minori, docet Curtius citatus à Couarr. n. illo. 1. & Nauarrus in *summâ Hispanâ c. 27. n. 44.* item Pedraza lib. 2. c. 1. & Armil. *suprà*. Rodriguez, & alij. qui dicunt electionem, ad beneficium factam excommunicato minori illicitam esse, quæ in rigore præsentatio est. *Ratio.*

Assertio 4. eligentes scienter talē excommunicatum peccant mortaliter.

58. Hanc eandem assertionem docet etiam Auila *suprà conclus.* 2. contra aliquos Thomistas; idemque docent aliqui Canonistæ, quos refert Couarr. *citato* §. 7. n. 1. *vers. secundo est ad idem.*

59. Assero 4. eligentes scienter talem excommunicatum peccare mortaliter. Ita Henriquez *c. 3. n. 2.* Suarius *sect. illâ 2. n. 31.* Auila *suprà*, & alij. Aliqui probant ex *c. Postulastis de Clerico excommunicato*; ille tamen Textus loquitur de Excommunicatis maiori, vt rectè notat Suarius, quamuis, quod attinet ad hanc electionem non minus prohibitus sit excommunicatus minori, quàm excommunicatus maiori.

DVBITATIO VII.

An excommunicatus minori peccet administrando sacramenta?

Supponendū est excommunicatum validè conferre Sacramenta.

60. Videnda sunt quæ latè dixi *de Pænitentia disp.* 8. præsertim *à n.* 68. & seqq. Supponendum est absolutionem, & à fortiori reliqua Sacramenta collata ab excommunicato valida esse, vt habetur expressè, *c. Si celebrat*, & concedunt Sotus, Couarr. & alij plures. Hoc supposito.

Prima sententia docet esse mortale administrare Sacramenta in excōmunic. minori. Ratio est.

61. Prima sententia est Adriani *q. 3. de Clauibus, in principio. Syluest. Excommunicatio 4. in principio & in fine.* Armillæ *eodem verbo n. 20. & 21.* Maioris *d. 18. q. 2.* Refertur etiam Durandus *eadem dist.* & habetur *in nostro Regno Castellæ, lib. tit. 9. partita 1.* qui omnes docent esse peccatum mortale administrare Sacramenta in Excommunic. minori. Fundamentum est, quia caput; *Si celebrat*, de Clerico excommunicato ministrante expressè dicit peccare conferendo Ecclesiastica Sacramenta: ergo est aliquod præceptum, contra quod peccat; sed materia est grauis: ergo grauiter peccat, huiusmodi autem præceptum (ut inquit Syluest) est diuinum; quia Ecclesiasticum non potest esse, vt infra dicemus: ergo peccat mortaliter contra præceptum Diuinum.

Secunda sententia docet esse veniale.

62. Secundam sententiam sequitur Sotus *disp. 22. q. 2. art. 3.* Couarr. §. 8. *n. 2.* Ledesma *2. p. 4. q. 25. art. 2.* Bartholom. à Medin. in *summa lib. 1. c. 11. §. 6.* Auila *2. p. c. 6. disp. 12. dub. 3.* & alij apud Dianam *3. p. Tract. 4. Resol. 56* & *p. 5. Tract. 9. Resol. 3. & Resol. 45*, qui docent esse veniale peccatum propter aliqualem irreuerentiam irrogatam Sacramento, & citat Couarr. Ancarran. & Caietanum; sed Caietanus, Antonin. Gabriel, & Victoria nō satis explicant suam men-

mentem in hoc; tantùm enim dicunt excommunicationem minorem priuare hominem à receptione Sacramentorum

Assertio nullum est peccatum administrare Sacramenta in excomm. minori, nisi simul salis illa recipiat.

63. Asserendum est nullum esse peccatum administrare Sacramenta in Excommunicatione minori; nisi simul recipiat Sacramenta. Ita Nauarrus *c. 27. n. 24.* & apud ipsum Panormitanus, item Petrus Sotus *lect. 3. de claui*, videturque sentire Angelus *Excommunic. 1. n. 1.* dum ait excommunicationem minorem priuare receptione; non verò administratione Sacramentorum. Item Toletus *lib. 1. c. 11.* Rodriguez *in summa c. 74. n. 1. in fine*, licèt *c. 8. 2. conclus. 12.* dicat esse veniale. Consentit etiam Hostiensis *in c. si celebret.* Suar. *infrà* referẽdus, & alij apud Dianam suprà, quos ipse sequitur. Ratio est; quia excommunicatio non habet huiusmodi effectum ex Iure Diuino, vt iam in præcedentibus diximus: sed nec Iure aliquo Ecclesiastico prohibetur excommunicatus minori conferre Sacramenta, vt patet *ex c. si celebret. citato* & *ex c. penultimo de sentent. excommunic.* vbi hæc ponitur differentia inter minorem, & maiorem, quòd minor separat à perceptione, & maior etiam à collatione Sacramentorum. Cùm ergo hæc pœna nec Iure Diuino, nec Ecclesiastico reddat hominem indignum conferendi Sacramenta, nulla erit culpa etiam venialis. Accedit quòd culpa, ob quam hæc pœna incurritur, solùm est venialis, & potest iam displicere: ergo vel nulla est irreuerentia, vel eadem erit ministrare Sacramenta cum quocumq; alio veniali. Quando autem Pontifex dicit, *peccat autem conferendo* intelligitur, quando simul ipse recipit, vt contingit in eo, qui celebrans alios communicat, aut ordines confert. De quo benè subditur *quod Sacramenta ab eo collata virtutis non carent effectu*: ad differentiam eius, qui excommunicatus maiori ea confert nam hic absoluens nihil efficit, & ordinans non confert ordinis exequutionem: ordinatus enim suspensus manet ab ordinum exequutione. Vide dicta disp. 8. de Pœnitentia à n. 68. præsertim num. 71. & seqq.

Ratio.

minor excommunic separat à perceptione, maior etiam a collatione Sacramentorũ.

64. Idem docet Suarius de *Censuris disp. 24. sect. 2. à n. 9.* qui benè expendit illa verba *peccat autem* &c. referre sacerdotem celebrantem, de quo dixerat Pontifex in principio, & loquitur in toto capite. Quod satis indicat particula aduersatiua *autem*. Idque addidit, vt ostenderet, quod, licèt peccet; valida sunt Sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis quæ celebrando confert.

Probatur vlterius assertio.

66. Probatur vlterius nostra assertio *ex c. A nobis de exception.* vbi sic dicitur *excommunicatus minori, tantùm à participatione Sacramentorum est remotus*: participatio autem non significat effectionem, sed receptionem Sacramenti. Deinde *c. penultimo de sentent. Excommunic.* dicitur esse remotum à perceptione, quæ idem est, quod receptio.

Confir.

66. Tandem confirmatur, quia in *dicto c. Si celebret*, definit Pontifex hanc participationẽ, quã priuat excommunicatio minor, in solã consistere perceptione, & non in actiuo ministerio; ait enim *peccat autem conferendo &c.* Atque ex his patet ad fundamentum primæ; & secundæ sententiæ. Quæ doctrina latius confirmata est loco notato *de Pœnitentia disp. illa 8. à n. 68.*

67 Ex dictis in hac, & duabus præcedentibus dubitationibus fit nullo modo prohiberi electionem ad temporalem dignitatem, aut ministerium, vt ad Regnum &c. id quod notat Suarius locis citatis, quia textus solùm loquitur de electione ad dignitates vel beneficia Ecclesiastica.

DVBITATIO VIII.

Quis possit absoluere ab excommunicatione minori?

Assertio: etiã Parochus a minori excommunic. absoluere potest nõ tamẽ simplex sacerdos.

68. Asserendum est posse quidem absoluere omnes illos qui habent Iurisdictionem, & potestatem excommunicandi, & prætereà Parochum, seu Confessarios, qui possunt huiusmodi excommunicatos à mortalibus absoluere; simplicem tamen Sacerdotem non posse. Est communis sententia. Ita Richardus *dist. 18. art. 1. q. 3.* ad primum, Caietanus *verbo absolutio. & excommunicatio c. vltimo.* Armilla *absolutio n. 37.* Sotus *dist. illa 22. q. 2. art. 3. conclus. 1.* Antoninus *supra.* Victoria *n. vltimo* Syluest. *absolutio c. circa principium n. 3.* Couarr. *supra §. 12. n. 6.* Rodriguez *c. vltimo de Excommunic.* Gutierrez *in quæstionibus Canonicis c. 6.* Auila *supra c. 7.* Henriq. *lib. 13. c. 3. n. 3. in fine*, Vasquez *de Excommunic dub. 21. n. 2.* Reginald. *lib. 22. n. 152.* Coninc. *disp. 14. n. 265.* Vgolin. *Tabul. 3. c. 4. c. 5. n. 2. cum alijs quos refert*, & alij apud Dianam infra citandum, Suarius *disp. 24. sect. 4. circa finem*, & *disp. 7. sect. 4. n. 16.* qui probat; quia *in c. nuper de sentent. Excommunic.* requisitus fuerat Pontifex an excommunicatus minori posset absolui à simplici sacerdote? & respondet, quod ab Episcopo, vel à suo proprio sacerdote.

Quis per simplicem sacerdotem intelligatur.

69. Verum ibi per simplicem sacerdotem intelligitur omnis ille, qui non habet Iurisdictionem pro foro externo. Vnde interrogatio præcedens hæc erat: *an communicantes cum excommunicatis necessariò essent absoluendi ab Episcopo, seu Archiepiscopo? vel etiam à simplici Sacerdote possent absolui?* & respondet *non solum ab Episcopo; sed etiam à proprio sacerdote*, quia eo ipso; quòd non sibi reseruauit absolutionem, videtur eam alijs commisisse.

70. Aliæ rationes ab aliquibus adducuntur, vt, quòd qui potest à peccato absoluere, potest à Censura, & quod ad veniale peccatum Iurisdictio non requiratur; cùm tamen requiratur ad excõmunic. minorem; atque adeò, nõ quilibet sacerdos possit, sed, qui habet alioquin Iurisdictionẽ: inefficaces mihi rationes videntur, nam potiùs dicendum esset, quod, nisi quis possit absoluere à Censura, nec à peccatis absoluere possit eum qui habet Censuram, & ad peccatum veniale etiam requiritur Iurisdictio iuxta dicta *Tract. 8. de pœnitentia disp. 10. dub. 19.* & rectè probat Nauarrus contra Caietanum.

Fundamentum assertionis est.

71. Fundamentum ergo assertionis est, quia nemo potest absoluere à Censura, nisi habeat Iurisdictionem in foro exteriore ex officio, vel per delegationem; proprio autem sacerdoti; non verò simplici commissa est huiusmodi potestas

testas absoluendi ab Excommunicatione minori per delegationem, vt videtur significari citato *c. nuper de sentent excommunic.* ergo tantùm proprio. & non simplici sacerdoti competit, se quidquid sit de ijs rationibus, venio ad oppositam sententiam.

Authori tamen probabile videtur simplicem sacerdotem ab illa posse absoluere. Ita docet D. Thomas.

72. Opposita sententia videtur mihi satis probabilis, scilicèt simplicem sacerdotem ab illa posse absoluere. Ita Nauarrus *c.* 27. n. 24. & 39. & in *c. Placuit de Pœnit. dist.* 6. *n.* 25. eamque videtur tenere Gloss. *in c. penultimo de sentent. excommunic.* & expressè docet D. Thomas *in additionibus q.* 24. *art.* 1. *in corpore* & *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. Toletus *c.* 11. Valentia *tomo.* 4. *disp.* 7. *q.* 17. *puncto.* 8. & probabilem putat Armilla *verbo absolutio n.* 37. & alij apud Dianam 5. part. Tract. 9. Resol. 3. qui docent illam, quando non incurritur ob mortale, quos ipse Diana sequitur. Nec abhorret ab hac sententiâ *c. nuper* citatum: nam, si ibi Pontifex dicit quod Episcopus, qui tulit excommunicationem minorem, eo ipso quòd non sibi reseruauit absolutionem, videtur eam alijs commisisse, & par alios ibi intelligit proprios sacerdotes: imò, vt vidimus intelligitur saltē ille etiam sacerdos, qui nō habet iurisdictionē in foro externo, qualis est tum Parochus, &, qui potest absoluere à mortalibus tùm Confessarius quicumque communis; profectò etiam videtur possint intelligi sacerdos quiuis ordinarius; alioquin non impeditus; quia hic respectu venialis peccati, quale est illud, ratione cuius incurritur excommunicatio est etiam proprius sacerdos, à quo potest quicumque absoluere Sacramentaliter. Ideò existimo in praxi tutam hanc sententiam cum prædictis Auctoribus. Imo Diana cum alijs, inter quos Hurtado *disp.* 16. *diffic.* 2. *n.* 10. quem & alios sequitur part. 5. Tract. 9. Resol. 3. citata docet excommunicationem minorem incursam ob veniale posse ab illo sacerdote absolui quamuis sic excommunicatus habeat mortale; quia potest absoluere à peccato, ob quod fuit incursa excommunicatio, sicut etiam proprius sacerdos, & confessarius ordinarius possunt ab illa absoluere quamuis sic excommunicatus habeat alia mortalia reseruata, à quibus non possunt absoluere, sufficit enim, quod quātum est ex se possint absoluere à peccato ob quod fuit incursa Cēsura. Amplius adhuc addunt quidam apud Dianam ibidē, & ipse non putat à ratione alienum posse absoluere etiamsi sit incursa ob mortale quia (vt ait Hurtado supra) cùm ea Censura non exigat ad sui incursionem mortale, non videtur exigere in absoluente potestatem absoluendi à peccato mortali. Addit Diana cum Cornejo posse etiam ex delegatione Diaconum, aut alium Clericum absoluere. Quæ omnia non ausim improbare. Legantur quæ dicemus *disp.* 3. *dub.* 2. §. *Ex dictis.* Vbi de his iterum dicemus aliqua præter hic dicta.

DVBITATIO IX.

Quibus casibus incurratur minor Excommunicatio?

Assertio.

73. ASserendum est olim propter octo casus incurri; sed iam post Concilium Constantiense propter solam communicationem cum Excommunicato maiori denuntiato; vel manifesto Clerici percussore. Ita plures inter quos Henriquez *c.* 3. *n.* 4. qui rectè notat peccatum, ob quod incurritur, aliquando esse mortale, aliquando verò veniale; mortale quidem, si sit participatio in Diuinis; veniale verò, quando solùm est in humanis. Quod etiam notat Suarius *citatá disp.* 24. *seq.* 3. Quoties autem communicando cum excommunicato non peccatur; nullo modo incurritur. Vnde (ait Henriquez) quando quis non aduertens aliquem esse excommunicatum, cōmunicat cum illo, non incurrit. Addit Suarius etiam non incurri, quamuis peccetur venialiter, si peccatum fuit solùm ex imperfectâ deliberatione, & inaduertentiâ, subiungit etiam Henriquez, si excōmunicatus denuntiatus sit tolleratus cōmuni errore vulgi, eum, qui cum illo communicat, etiamsi peccet, non incurrere; refertque Sotum, & Victoriam *de Excommunic.* in fine. Petrum Sotum, Caietanum, Syluestrum, in principio. Legantur quæ dicemus disp. 38.

SECTIO SECVNDA.

De causâ materiali proximâ excommunicationis maioris,

DVBITATIO. X.

An actus interior possit esse materia excommunicationis? vel saltem exterior; sed occultus omnino? & quæ signa sufficiant, vt dicatur exterior sufficiens ad incurrendam Censuram?

Nota dupliciter aliquid posse dici occultum.

74. NOtandum in primis, quòd dupliciter dicitur aliquid occultum: primò per se, & naturâ suâ ita; vt non subdatur sensibus, à quibus incipit omnis nostra cognitio, v. g. desiderium omnino internum occidendi, vel furandi: secundò per accidens, scilicèt quod, licèt subdatur sensibus hominum; caret tamen omnino testibus, quibus possit probari, vt, si in cubiculo nomine audiente proferat qui heresim. Hoc supposito.

Assertio 1. nemo ob actum per se occultum incurrit excommunic. &c. per actū tamen per accidens occultum incurrit.

75. Asserendum est primò neminem propter actum peccati occultum per se, id est omnino interiorem incurrere excōmunicationem, aut aliquas pœnas legum Ecclesiasticarum incurrere tamen propter actum occultum per accidens, id est exteriorem elicitum coram nullo prorsus teste. Hæc est communis sententia Doctorum; & quidem primam partem assertionis tradunt Paludanus *in* 4. *dist.* 17. *q.* 7. *n.* 20.

&

& *dist.* 15.*q.*5.*art* 2. *conclus.*4. *n.*24. Durandus *dist.* 17.*q.*8.*n.*7. & *dist.*15.*q.*12.*n.*6. Gabriel *in Canonem lect.*62. *litera* K. Gerson. *lect.* 4. *de vitâ spirituali.corol.*1.& 2.*Alphab.*62. *litera* G.& K. Antoninus 3.*p.tit.*24.*c.*4. Angelus *verbo Hæreticus n.* 2. & *verbo Horâ n.*27. Syluest.*verbo Excommunic.* 7.*n.*3.& 4. Driedo *lib.* 3. *de libertate Christiana.c.* 5. in fine.Caietanus 2. 2.*q.* 11. *art.*3. & *in Summa verbo Hæresis*. Sotus *dist.* 18. *q.*2. *art.*5. *columna* 10. & *dist.*22.*q.*2. *art.* 3. Nauarrus *c.* 11. *n.*17.& *c.* 27.*n.* 56. & *in c. inter verba n.* 491. Castro *de iustâ Hæreticorum punitione lib.* 2.*c.*8. & de *lege pænali,lib.* 2. *c. vltimo,conclus.* 1. & 2. Gutierrez *in quæstionibus Canonicis c.* 13.*n.* 28. Couarr. Regula *peccatum* 2. *p. in initio n.* 7. Simancas *de Cathol. instit.tit* 42. *n.* 11. Vasquez 1. 2. *disp.*160. & alij apud Dianam p.5. Tract.9 Resol.48.& 49.idque vel docent, vel supponunt & sentire tenentur quotquot sentiunt Ecclesiam non posse præcipere, aut prohibere actum internum non manifestatum per externum, etiamsi necessarium sit ad aliquod esse morale externi quorum multi referuntur à Diana 8. part.Tract.1. Resol. 50. paulò post initium, & quos refert paulò post pro secunda sententia, quæ admittit posse præcipere aut prohibere actus inter nos, qui sunt necessarij vt principium quoad esse physicum actuum externorum, non verò si solùm sint necessarij quoad esse morale, vbi Diana plures refert eorum quos retulimus & alios etiam recentiores & antiquores, sed adhuc non loquuntur omnes, quo ad esse virtutis vt posteà dicam, qui omnes aut plerique etiam secundam partem assertionis tradunt; eamque iterum concedit Vasquez de *Excommunic. dub.* 13. Valentia 2.2.*disp.* 7.*q.*3. *puncto*2. Coninc.*disp.* 14. *n.* 71. Reginald.*lib.*9.*n.*158. & alij apud Salas *de legibus disp.*9. *sect.*1. & apud Vgolinum *Tabula* 1.*c.*9.§.10. item Auila 1.*p.dub.*10. qui alios refert,& ait Ecclesiam Benè posse punire Censuris per legem,aut statutum generale peccatum per accidens ocultum, non tamen per sententiam particularem, & nominatim, quàdiu manet occultum. Item Suarius cum alijs *disp.*4.*sect.* 2.*n.*1. & deinceps. Sayrus *lib.* 3.*c.*1.& *lib.*1.*c.*9, cum alijs, quos refert. Filliucius *quæsito* 3.*n.* 162. etiam alios referens.Henriquez *lib.*13.*c.*17. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim.disp.*32.

76. Hæc assertio sumitur ex *c. Tua nos*,& *c. sicut tuis*,de *Simonia*, vbi tanquàm certum supponitur Ecclesiam non iudicare de occultis; atque hoc est de facto. Quod autem; neque possit,nititur in eo certo principio,quòd Ecclesia sit visibilis ac proinde non potest iudicare de inuisibilibus,quales sunt actus purè interni. Ideò nec de illis potest sententiam ferre, nec præcipere aut prohibere. Quæ ratio sic explicatur,& declaratur. Nullus legislator etiam Ecclesiasticus potestatem habet in actus omnino internos, qui interiùs ita consummantur, vt non sint causa actionum exteriorum, vt docent communiter Auctores cum D. Thoma, qui id duplici loco probat videlicèt.1. 2.*q.* 91. *art* 4. & *q.*100. *art.* 9. cuius rationis vis optimè exprimitur à Vasquez *disp. illa* 160. *c.* 2. quia nimirum nullus Legislator potest præcipere, aut prohibere actus; ad quos non potest cogere, & de quibus non potest sententiam ferre, tanquàm de re sibi cognitâ; sed Ecclesia non potest cogere homines ad actus merè interiores, non potest de talibus, tanquam de sibi notis sententiam ferre: ergò nec potest eos præcipere nec prohibere, & multò minùs eós punire. Probatur maior, quia lex ex hoc solo differt à sententia, quòd lex est præceptum vniuersale; sententia verò partuculare; est enim declaratio ipsius legis in particulari,& singulari,seu est applicatio coactionis, hoc est pœnæ, quâ utitur lex; ab eâdem igitur facultate lex, & sententia procedunt. Quod autem nullus Legislator etiam Ecclesiasticus possit sententiam ferre de actibus,omnino internis, per se est euidens,quia nullus intellectus humanus potest cognoscere,intueri, aut scire corda hominum, imò, nec coniecturâ aliquâ inuestigare; nisi signo aliquo sensibili indicentur. Et hoc,quod diximus,scilicèt esse incognoscibiles actus omnino internos per Iudicium humanum; habent ex naturâ suâ. Vnde ex suâ naturâ habent non subdi potestati Ecclesiæ.

Ecclesia enim non Iudicat de occultis.

Nec vllus legislator, etiam Ecclesiasticus potestatem habet in actus merè inter nos.

Ratio.

77. Ex quo apparet diuersitas satis clara inter actus istos merè internos, & actum quencumque externum, quantumuis occultum per accidens; quòd actus externus suapte naturâ Ecclesiæ,& humano Iudicio,ac testimonio subditus est, quantumuis in occulto & in secreto factus sit;quia eiusdem naturæ est actus exterior secretus cum publico, licèt secretus defectu testium interdum non possit probari;atque adeò, nec per sententiam in particulari puniri. Hoc tamen non obest quo minùs legi Ecclesiasticæ subiiciatur,quia lex humana in foro conscientiæ obligat subditos ad sui obseruationem, etiam in occulto;neque enim lex humana solùm obligat ratione scandali;sed etiam ratione obedientiæ, alioquin nõ obligaremur lege ex verâ obedientiâ; sed solâ ratione scandali, quod est absurdum: ergo lex humana eodem modo obligat ad actum publicum, & ad actum occultum externum. Atque hâc ratione probata manet secunda pars assertionis, quod scilicet Ecclesiâ possit punire actus occultos per accidens, quam nullus Auctorum negat,& est certissima, patetque apertè ex multis capitibus Iuris Canonici, vbi supponitur incurrisse aliquos Irregularitatem, & alias pœnas Iuris ob crimina occulta, vt videre est.*c. nisi cum pridem* de *renuntiat c. Inquisitionis de accusationibus*,& clarissimè in Trid.*sess.* 24.*c.*6. *Decret.*2. *de reformatione*.(De quo dicemus agentes de *Irregularitate*) vbi cum concedatur Episcopis facultas dispensandi in omnibus Irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus exceptis quibusdam (de quibus suo loco dicemus) manifestè supponitur posse Ecclesiam huiusmodi actus talibus pœnis punire.

Diuersitas inter actus merè inter nos, & externũ quàntumuis occultum.

Lex humana non solùm obligat ratione scandali,sed etiã ratione obedientia.

78. Contra primam partem nostræ assertionis senserunt nonnulli, vt Adrianus *in materiâ de Confessione*, & *quodlib.*8. *art.* 1. Rosella, Panormit. Felinus. Bald.& Cardinalis alijque quos refert Symancas *suprà*. *Cordub.lib.* 4. *quæstionum q.*13. Ioannes à Medina C. *de pænit. Tract.de Oratione q.de potestate Ecclesiæ respectu actuum cordis*. Item Gloss. *in Clem.* 1. *de Hæreticis* & alij,quos

refert Rojas inquisitor *Tract. de Hæreticis p.* 1. *n.* 246. quæ sententia omnino falsa est, & contra communem, & quidem de facto (vt inquit Sotus *disp.* 2. *q.* 2. *art.* 3. Ecclesia nunquam actibus interioribus apposuit hanc pœnam, vt ex ipso vsu, & Doctorum communi sensu constat, & ex *c. cogitatio. de pœnit dist.* 1. vbi habetur *cogitationis pœnam nemo patitur*, & ex Vlpiano *l. cogitationes ff. de pœnis*: de possibili verò probat ratio *suprà* facta pro nostrâ assertione.

Assertio 2. qui ad petendum consilium reuelat amico suum peccatum internum nō incurrit excommunic. tali peccato impositam.

79. Assero 2. eum, qui in confessione Sacramentali, aut ad petendum consilium reuelat amico suam Hæresim, aut alia peccata interiora non incidere in excommunicationem impositam illis peccatis. Hanc assertionem tenet Couarr. *regula peccatum* 2. *p. in princip. n.* 7. Gutierrez in *qq. Canonicis. c.* 13. *n.* 9. Sà *verb. Excommunic. in reseruatis. n.* 3. Simancas in *Instit. Cathol. tit.* 24. *n.* 9. & omnes, vt ipsi fatentur desumpserunt ex Victoria 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. idemque docent plures alij, quos retulimus *Tract.* 8. *de Pœnit. disp.* 11. *dub.* 5. vbi hac de re latissimè disputauimus in ordine ad absolutionem in confessione, & in particulari de hac explicatione Hæresis amico aut inquisitoribus, aut etiam Confessario latè diximus *n.* 74. *collectione* 12. *vsq, ad* 13. ibi legatur.

Ratio fundamentalis est.

Ratio fundamentalis est, quia excommunicatio, vt eâdem dub. diximus imposita est peccatis. v.g. Hæresis, aut Symoniæ, non interioribus, vt probauimus in prima assertione; ergo exterioribus peccatis; sed, quando quis peccata, quæ habet in corde modo prædicto alteri refert, non peccat illis peccatis, quin meritoriè potest illa referre: ergo per illam manifestationem non incidit in excommunicationem: ex quo fit nec incurrere excommunicationem, qui per iocum ex loquacitate, aut otiosè refert te habuisse interiùs Hæresim, vt ibidem diximus *collect.* 13. & docet Suarius, & alij ibidem citati; aliaq; multa, quæ eodem loco diximus ad dignoscendum quando peccata sint sufficienter externa, vt possint reseruari, eodem modo locum habent in ordine ad ferendam Censuram; imò à fortiori hic locum habent, certiùs enim est non posse ferre Censuram, quàm Ecclesiam non posse reseruare interna peccata, imò ibi *dub.* 4. diximus absolutè habere Ecclesiam potestatem reseruandi mere interna (quamuis de facto id non fecerit) Legantur quæ diximus, *vtrâque illâ dub.* 4. *&* 5.

Assertio 3. quâ ratione potest Ecclesia præcipere actum internum.

80. Assero 3. quando actus exterior præcipitur, aut prohibetur ab Ecclesiâ potest illa præcipere, ac prohibere, ac præcipit, & prohibet actum internum necessarium, vt actus ille externus sit humanus, & moralis. Hanc assertionem tanquàm verissimam, aut expressè asserunt, aut apertè supponunt plerique Theologi, & Sumistæ, & Canonistæ, presertim Antoninus, Maior, Angelus, Syluest, Sotus, Caietanus, Suarius, Henriquez, & alij, quos referemus posteà *assert.* 4. *&* 5. Imò Adrianus *in* 4. *q.* 2. *de Confessione. Quodlibeto* 8. *art.* 1. Albertus Pighius *lib.* 6. *de Ecclesiast. Hierarchia c.* 16. Corduba *lib.* 4. *questionum q.* 13. Rosella *verb. Absolutio.* 1. *n.* 28. & *verbo Hæresis.* Medina *C. de Pœnit. Tract. de Oratione q. de potest. Eccles.* putant directè etiam posse Ecclesiam præcipere actus internos. Quod tamen nos negamus, iuxta dicta *assert.* 1. Hanc quoque tertiam assertionem docet Auila *suprà*, & Less. *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 11. *n.* 65. qui eam probat, inter alia ab absurdo; nam, si Ecclesia non posset præcipere, aut prohibere actus internos necessarios, vt externi sint actus virtutis, sequeretur, quod Ecclesiæ præceptis posset satisfieri per meram simulationem, & hypocrisim sic enim satisfaceret præcepto, qui accederet animo irridendi Diuina mysteria, & præcepto de annuâ confessione, qui confiteretur omnino fictè, & absque consensu in absolutionem. Sequeretur etiam, quod Ecclesiæ potestas non posset præcipere vtilia ad suum finem; sed tantùm se extendere ad externam disciplinam, & politicam.

Probat Lessius Assertionem.

Author indicat rationes Lessij non esse omnino efficaces.

81. Verùm hæ rationes Lessij non sunt omnimo efficaces, nec ad rem, quam intendimus collimant; sed vlteriùs progrediuntur hic enim solùm agimus actu voluntatis, qui necessarius est ad exhibendum opus externum præceptum ab Ecclesiâ; ad exhibendum autem hoc opus externum non semper requiritur talis actus internus, qui sit bonus secundum virtutem; sed sufficit voluntas præstandi opus ita, vt exteriùs nihil appariat, quòd sit contra finem, & præceptum Ecclesiæ. Vnde inconuientia siue absurda, quæ congerit Lessius, non sunt absurda; sed concedenda iuxta doctrinam à nobis traditam de *Pœnit. Tract.* 8. *disp.* 7. *dub.* 12. vbi ostendimus per confessiones inualidas, & fictas posse impleri præceptum Ecclesiasticum precisè, vt Ecclesiasticum, si alioquin non inuoluat aliquid præcepti Diuini. Ideò, dummodò opus alioquin ex se bonum præceptum quis exequatur, quantumuis malo fine fiat, implet præceptum Ecclesiæ. Item, si in aliquo opere externo omittatur actus internus aliquis necessarius, vt opus illud sit verum, & non fictum; sicut, si omittatur dolor internus requisitus ad confessionem validam, impletur præceptum Ecclesiæ precisè, quatenùs Ecclesiæ est, vt latè ibidem ostendimus. Quod verò addit Less. sequi inde, non posse Ecclesiam præcipere vtilia ad suum finem supernaturalem, nec ad salutem animarum, distinguendum est; si enim loquatur de vtilibus sufficientibus; omnino concedendum est; nec enim externa opera, quantumuis alioquin materialiter bona, sufficiunt ad salutem animarum, sed indigent consortio actuum internorum bonæ intentionis, & honesti affectus &c. qui non cadunt sub præceptum Ecclesiæ. Si verò loquatur de vtilibus non sufficientibus se solis, negandum est Ecclesiam non habere potestatem præcipiendi eos actus externos, qui vtiles sint ad vitam æternam, & finem supernaturalem. si alioquin accedant actus interni ad eundem finem requisiti. Vtrùm autem ij actus interni accedant, vel non; non potest Ecclesia cognoscere, & iudicare; ac proinde non cadunt sub illius præceptum, aut prohibitionem.

Absurda quæ congerit Less. non sunt absurda, sed concedenda.

Probatur ergo aliter conclusio.

82. Probatur ergo aliter nostra assertio, quia nimirum sicut Ecclesia potestatem habet & iurisdictioně in animas hominū, non quidē separatas, & secundum se; sed, vt vnitas corporibus, &, vt informāt corpora: ita non solùm habet Iurisdictioně in actus externos visibiles, & sensibiles sed etiam in actus internos volendi, aut nolendi facere

facere tales actus externos præceptos, aut prohibitos. quia non possunt huiusmodi actus fieri sine aliquâ voluntate imperante illos: ergo consequenter obligat ad habendum talem voluntatem. Confirmatur, quia ex eo solùm v. g. quod Ecclesia prohibet comestionem carnium in aliquo die necessario intelligitur prohibita voluntas interior comedendi carnes eo die; & qui solùm interiùs proponeret eas comedere, peccaret, & tamen non peccaret, si non esset tale præceptum; tunc autem illud peccatum in eo solùm consistit quòd cum illa comestio sit prohibita, seu (quod idem est) omissio præcepta; voluntas autem illa interior, quantum est ex se, sit causa comestionis prohibitæ. & non seruandi omissionem præceptam, eo ipso dissonat rationi velle comedere, aut velle non omittere comestionem, quia eæ voluntates pugnant cum externo actu, vel omissione præcepta, aut prohibita ab Ecclesia. Verum hic modus præcipiendi actum internum refunditur in Ius naturale posito iam obiecto externo præcepto ab Ecclesia. Vt dicemus in fine huius dubitationis.

Confir.

83. Sed quidquid sit de hac totâ nostrâ assertione, quæ ideò hic locum habet, vt explicemus, an ligetur Censurâ annexâ, qui actum internum omittit, non solùm illum, qui necessarius est, vt opus, aut omissio fiat: sed etiam, qui necessarius est, vt opus fiat bonum; vt hoc (inquàm) omittam.

84. Asserendum est 4. quoties actus exterior, qui ab aliquo fit, est bonus, aut indifferens ex obiecto, & circumstantijs, etiamsi fiat ex malo animo. & propterea sit peccatum, non incurritur excommunicatio, nec aliæ pœnæ Ecclesiasticæ. Ratio est, quia illa mala voluntas per accidens coniungitur operi exteriori, quòd posset fieri ex aliâ bonâ voluntate, aut indifferenti. Vnde non potest iudicari ab alijs tale opus esse malum; nisi temerariè. Hâc ratione vtuntur etiam Auctores multi, qui putant Ecclesiam posse præcipere actus internos, qui requiruntur vt externi boni fiant secundum virtutem, vt sunt Less. Auila, Henriquez, Azor & alij quos postea referemus. Sed hi Auctores non video, quomodò possint vtrumque coniungere; nam, si ex vno capite ideò hîc concedunt non incurrere Censuras Ecclesiæ, quia non potest Ecclesiæ innotescere defectus illius interni actus, hoc argumentum si apud illos valet destruit id, quod dicunt ex alio capite, Ecclesiam scilicèt posse præcipere huiusmodi actus; nam si (ut suprà vidimus *assert.* 1.) ideò non potest Ecclesia præcipere actus merè internos, qui non coniunguntur cum externis, & manifestantur ab illis, quia nõ potest illos cognoscere, & iudicare nec de illis sententiã ferre; hoc ipsum locũ habet in præsenti casu; quamuis enim isti actus cum externis coniungendi sint ad bonificandum (vt sic dicam) externos; tamen, quòd adsint vel non adsint interni illi actus coniuncti cum externis, æquè ignotum est Ecclesiæ, vt supponimus in prædicto argumento nostræ assertionis: ergo, si consequenter hi Auctores vo voluissent loqui, debuissent nobiscum asserere non posse Ecclesiam etiam hos actus internos præcipere, aut prohibere; sed tãtùm illos internos actus, qui præcisè necessarij sunt, vt actus externi præcepti, vel prohibiti fiant, vel omittantur iuxta dicta loco notato de *Pœnit.* & dicenda in Tract. *de legibus.* Vnde, si esset præceptum sub Censurâ audiendi Missam, vel confitendi peccata externa actus ille assistendi in Missa nullo dato signo externo distractionis voluntariæ, & actus ille externus confitendi peccata Sacerdoti, nullo dato signo externo deficientis doloris interni possunt cognosci ab Ecclesia atque adeò & præcipi possunt, & censurâ puniri omittentes illos. Quod autem in auditione Missæ deficiat interna attentio & intentio, & in cõfessione internus dolor, non potest ab Ecclesiâ cognosci atque adeò non solùm non potest punire; sed neque præcipere propter eandem rationem. Ergo minùs consequenter prædicti Auctores concedẽtes non incurrere Censuram propter defectum notitiæ ex parte Ecclesiæ: concedunt nihilominùs posse huiusmodi actus internos præcipi subsistente eodem defectu notitiæ.

Assertio 4. quoties actus exterior est ex obiecto &c. bonus aut indifferens, licet fiat malo animo non incurritur Censura. Ratio.

Less. Auila &c non consequenter videntur loqui

85. Porrò qualis exterioritas sufficiat, vt internum aliquod peccatum sufficienter innotescat Ecclesiæ ad hoc, vt possit Censurâ puniri? eodem modo explicari debet, atque exterioritas requisita ad hoc, at actus censeatur casus reseruatus. Quâ de re latè diximus Tract. *de Pœnit. disp.* 11. *dub.* 5. agentes in particulari de peccato Hæresis, & descendendo, quandoque ad alia: ibi legatur; & legi etiam potest Sanchez *lib. 2. moralium c.* 8. *a. n.* 6.

qualis requiratur exterioritas, vt peccatũ sufficienter innotescat Ecclesiæ.

86. Hanc etiam quartam assertionem possumus probare ex *c. Mandato* & ex *c. Tua nos de Simonia*, vbi quædam dationes, & acceptiones dicuntur fortassè fuisse Simoniacæ, nimirum, si habuerint in animo dandi vnum pro alio; sed, quia id non fuit deductum in pactum non incurrisse pœnas Symoniæ impositas. Ideò Nauarrus *dicto c. Mandato. n.* 10. hanc nostram sequitur assertionem sicut & Suarius de *Censuris disp.* 4. *sect.* 2. *à n.* 18. Henriquez *lib.* 6. *c.* 14. *n.* 6. *in fine* Sà verbo *Excommunic.* agens *de excommunicationibus Bullæ Cœnæ. n.* 3. qui in ordine est 75. Item idem Nauarrus in *sum. Hispanâ c.* 27. *n.* 179. *littera M.* & plures Modernos citat Henriquez. Eandem assertionem docet Vasquez 1ª 2. *disp.* 160. *c.* 5. qui cum Simancas *loco citato* id declarat exemplo, si quis interius cogitans, & credens aliquam Hæreticam propositionem, quasi concludens exteriùs diceret *profectò ita est*, vel capite annueret, vel pugnò pluteum cederet, aut signo vel opere alio omnino indifferenti vteretur, nec quidquam aliud adderet, non incurreret Excommunicationem, nec illud peccatum esset reseruatum; quâ de re iam diximus citata *disp.* 11. *de Pœnit. collectione* 2. *nu.* 46. vbi plures alios casus adduximus. Eandem assertionem docet Vgolinus Tabul. 2. c. 2. n. 3. & Petrus â Nauarra (quamuis vtatur verbo *fortassè*) lib. de *Restit.* c. 2. n. 278. Vega c. 125. casu 13. & probabilem putat Azor tomo 1. lib. 8. c. 9. q. 12. Alios adduxi *loco citato.* Vidæ Dianam p. 5. Tract. 9 Resol. 49. & sic sunt intelligendi aut omnes aut pleriq; quos postea retulit *in illa Resol.* 50. *part.* 8. *Tract.* 1. qui nihil aliud dicunt si attentè legantur exceptis paucis (vt

Probatur 4. Assertio.

(vt iam subijcio) si comparentur cum reliquis.

87. Sed Nicolaus Garzia tomo 2. de *beneficijs, p. 11. c. 10.* refert Bañes, & Petrum à Ledesma asserentes posse Ecclesiam hos actus exteriores sic indefferentes prohibere, & etiam punire excommunicatione, & alijs pœnis; de facto tamen non puniuisse, & ipse Nicolaus Garzia asserit de facto puniuisse Ecclesiam pœnâ excommunicationis eum, qui Hæresim interiorem actu exteriori de se indifferenti manifestat, annuendo capite, vel alio signo, quia sufficit (inquit) esse actum exteriorem, vt legi Humanæ subdatur. Et licèt eius malitia in indiuiduo non possit cognosci, tamen sat est de se esse cognoscibilem. Deinde id probat ex *Clem. 1. de statu Monachor.* & ex *Clem. 1. de Hæreticis.* & impugnat responsionem, quam adhibet Vasquez; dicens cum Lorca, quem refert doctrinam illam Vasquij esse singularem, & Canonibus repugnantem; sed de hoc vltimo dicemus infrà *in responsione ad 6. & 7. argumentum aduersariorum,* quæ posteà obijciemus, & dissoluemus. Ad primum autem, respondetur Ecclesiam posse prohibere actus externos indifferétes, imò alioquin bonos; sed positâ iam prohibitione Ecclesiæ ex tunc iam constabit de malitiâ eorum, & poterit punire; quia nimirum tunc illi actus alioquin naturâ suâ indifferentes, aut boni, sunt mali; quia prohibiti ab Ecclesiâ, & nihilominùs fiunt contra eius prohibitionem: & ideò, tanquàm actus sensibiliter dissonantes legi Ecclesiasticæ, possunt ab Ecclesiâ puniri: Nos verò cum eodem Vasquez & alijs dicimus, non posse puniri actus malos internos, quamdiu eorum malitia non manifestatur signo exteriori significante malitiam; quando autem actus ille interior malus tantùm imperat actus externos indifferentes de se, & nondum prohibitos, non est vllum signum exterius significans malitiam illam, atque adeò non potest puniri ab Ecclesiâ, imò, nec talis actus internus præcipi, aut prohiberi. Quod si Vasquez putat posse Ecclesiam præcipere in auditione Missæ attentionem, & in confessione dolorem merè internum; ex eo est, quia ex alio capite putat talia præcepta Missæ, & confessionis, quoad substantiam esse Diuina; licèt, quoad determinationem sint Ecclesiastica, vt videre est in ijs, quæ diximus eodem *Tract 8. de Pœnit. disp. 11. dub. 12.* Nam si spectemus præcisè præceptum Ecclesiasticum, expressè docet idem Vasquez, vt ibidem notauimus, non posse directè præcipere huiusmodi actus internos. Legantur etiam, quæ ex eodem Vasq. diximus eodem *Tract. de Pœnit. disp. 7. dub. 5.* vbi latè ostendimus. ex vi Ecclesiastici præcepti non posse præcipi actus merè internos, & repetit hoc Vasq. de *Excommunic. dub. 13. n. 4.*

Ad primum Resp.

Non potest Ecclesia punire actus malos internos, nisi eorum malitia significetur signo exteriori significante malitiam.

Assertio 5.

88. Asserendum est 5. quoties Ecclesia imponit Censuram alicui operi exteriori malo, si fiat ex tali, vel tali intentione, incurritur excommunicatio, vel Censurâ, quando opus illud fit cum illâ intentione, etiam si talis intentio omnino lateat interiùs, & nullo modo se prodat. Ratio est, quia cùm absolutè posset Ecclesia imponere excommunicationem tali peccato exteriori, etiamsi sine illo animo fieret, potiùs restringit suam potestatē non puniendo illum; nisi fiat tali vel tali modo. v.g. scienter, vel ex præsumptione, vel ex odio, & similibus. Vnde Excommunicatio imposita inquisitoribus *in Clementinâ multorum §. verùm de Hæreticis,* si omittant procedere, aut procedant contra Iustitiam ex amore, vel odio vel ex spe lucri, incurritur ab eis quoties faciunt illud opus exterius malùm ex tali affectu, etiamsi animus ille nullo modo se prodat. Vt docent cōtra Recentiores aliquos Suarius *suprà* Caietanus. 2. 2. *art 3. q. 11.* Castro *lib. 2. de lege pœnali, c. 15. conclus. 1. §. contra hanc conclusionem* Sotus 10. *de* Iustitia & idem videtur docere Vasquez de *Excomm. dub. 13. n. 4.* Sotus 10. *de Iustitia. q. 5.* Angelus *verbo Hæreticus n. 2.* Syluest. *Excommunic. 7. n. 3. & 4.* alijq́; Recentiores. Vide quæ diximus *de Matrim disp. 7. dub. 56. §. Probabile nu. 611. vbi ad hunc locum non retulimus.*

Ratio.

89. Sed contra primam assertionem Auctores, qui dicunt Ecclesiam posse præcipere, & prohibere actus purè interiores, & illos punire, varijs modis argumentantur; quorum aliqua sigillatam referemus.

Argumenta oppugnantiā conclusionē Primam n. 75. positam soluuntur. Argumētū 1

Primū argumentū, quia apotestas Ecclesiæ est spiritualis: ergo potest punire peccata quātumuis sint spiritualia, & purè interna.

90. Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam, quia, licèt potestas Ecclesiæ sit Spiritualis, residet tamen in hominibus, ideò debet exerceri humano modo; ita, vt solùm se extendat directè ad ea, quæ homines possunt cognoscere. Quæ solutio admittitur à quibusdam Auctoribus ex ijs quos suprà numerauimus in 4. assertione; qui tamen volunt, vt vidimus Ecclesiam posse obligare ad actus illos internos qui coniunguntur cum externo indifferenti, quamuis non possit prædictos actus internos punire Censurâ; quod non videtur consequenter dictum, vt iam notauimus.

Resp. Licèt potestas Ecclesiæ sit spiritualis, debet tamen exerceri humano modo.

91. Secundum argumentum est Adriani; quia Ecclesia dispensat in voto purè interiori, & solâ mente facto: ergo habet Ecclesia potestatem, & Iurisdictionem in actus purè interiores: ergo eâdem ratione habebit potestatem puniendi & prohibendi illos modo accommodato, id est per legem, quæ non requirit in legislatore cognitionem delicti facti, nec faciendi, vel per sententiam, si de eo constiterit, saltèm per confessionem delinquentis.

Argumēt 2. Ecclesia dispensat in voto purò interno ergo &c.

92. Respondet Ioannes Medina aliud esse obligationem tollere, aliud ponere: minùs enim requiritur ad illud prius quàm ad hoc posterius. Vnde, quia dispensare votum est tollere obligationem, & vinculum (vt idem putat de absolutione peccatorum) ideò datum est Ecclesiæ à Domino, vt paternâ prouidentiâ possit rationabili modo hæc vincula tollere, etiamsi ex solo mentali actu originem ducant; ferre autem leges est imponere obligationem, & onus (& adhuc multò magis punire) est odiosum & inuoluntarium, & ideò non oportuit Iurisdictionem ad hos actus ampliari.

Resp. Ioannes Medina

93. Azor, & Aula respondent Ecclesiam habere potestatem, & Iurisdictionem in actus purè internos, in quantum spontè manifestantur exteriùs, & spōtè subijciuntur Ecclesiæ iudicio, Eccle-

Resp. Azor & Aula.

Ecclesiæ iudicio; non tamen, si omnino interiùs maneant occulti.

Hanc solutionem impugnat Suarius.

94. Hanc solutionem impugnat Suarius de *Censuris disp. 4. sect. 5. n. 6.* quia illa manifestatio solùm est conditio necessaria ad vsum talis Iurisdictionis: ipsa verò Iurisdictio immediatè cadit in actum ipsum internum; nisi enim cadat in illum, nihil efficiet.

Resp. Suarius.

95. Respondet, autem idem Suarius dispensationem propriè non cadere in actum ipsum interiorem, qui præcessit; sed in effectum eius, qui moraliter, manet, id est in obligatione, quæ iam non est actus internus; sed morale quoddam vinculum, quod manet in homine, & ex iustâ causâ auferri potest ab habente potestatem cuius signum est quia obligatio voti eadem est apud Deum, siue votum sit purè mentale, siue externum.

96. Vasquez verò *disp. illa 160. c. 4. n. 17.* vrget argumentum, quia etiamsi votum omnino interius maneat, & nullo modo fuerit manifestatum; potest adhuc commutari, aut irritari aut dispēsari, potest enim Superior dicere, *Si tale votum emisisti ego dispenso tecum, aut commuto, aut omnino irrito*; etiamsi præcipere, aut vetare non possit actus interiores.

Resp. Vasquez.

97. Respondet ergo ipse Vasquez assignando discrimen interdico prædicta; nam præcipere est actus Iurisdictionis; at verò irritare, commutare, vel dispensare, pertinet ad quandam potestatem dominij, quam nomine Dei habet superior; nam in omnibus his nomine Dei remittit verbū promissionis, quod fieri potest etiamsi quis non haberet Iurisdictionem ad præcipiendum, & etiamsi promissio non innotescat; veluti quisq; particularis nullam habens Iurisdictionem posset Iuramentum in suam vtilitatem ab altero factum ei remittere, etiamsi omnino interius in corde factum esset; cùm enim aliquis non vult eleemosynam, quam alius iurauit se illi daturum, iam amplius non est Deo infidelis ille qui iurauerat, si non soluat.

Paulò aliter Resp. idem Vasq. doctrina Authori placet.

98. Paulò aliter respondet idem Vasquez *dub. illo 13. de Excommunic. 3. in fine*, dum ait hoc; quod est dispensare, non facere superiorem potestate eâdem, quâ leges statuit; sed irritat à principio subtrahendo materiam voti, efficiendo illam non subiectam voto, vt potest; atque hoc quantum ad irritationem. Quantum ad disputationem verò dicit dispensare superiorem, quia est interpres Diuinæ voluntatis, & sicut Deus potest remittere debitū ex voto sic & Pontifex iustâ de causâ; Ad hoc autem sufficit, quod ipse cognoscat naturâ suâ simile votum habere causam dispensandi, sicut, si proprium debitum ipse remitteret, vt si diceret, si iurasti interius mihi daturum centum, ego debitum remitto, & tunc sanè nullum maneret vovotum. Hactenus Vasquez: quæ doctrina mihi placet.

Argumentantur 3. Ecclesia iubet confessionem peccatorum merè internorum ergo &c. Confir.

99. Tertiò argumentantur Auctores oppositæ sententiæ, quia Ecclesia iubet, vt fideles, quotannis confiteantur peccata mortalia, etiam interna, & solius cordis, & præcipit etiam internum dolorem: ergo &c. Confirmatur quia etiam quoties tollit Iurisdictionem ab aliquo sacerdote, vel reseruat peccata; etiamsi omnino interna sint, manent reseruata, & etiamsi tentet ille sacerdos absoluere, nihil faciet: ergo, quando uult, confert Ecclesia Iurisdictionem ad interiora, & quando vult, tollit: ergo habet talem Iurisdictionem.

Resp. multi præceptum confessionis esse Diuinū quoad substantiam.

100. Respondēt multi prædictum præceptū confessionis esse Diuinum, quoad substantiam, & solùm Ecclesiasticum, quoad determinationem temporis: solùm enim statuit Ecclesia, vt semel in anno recipiatur Sacramentum Pœnitentiæ à fidelibus. Nos verò quid in hac re dicendum sit satis significamus disp. illa 7. *de Pœnit. dub. 5.* & locis ibi notatis *suprà in hac. dub* ibi legantur.

Ad Confir.

101. Quod verò attinet ad confirmationem quâ ratione Ecclesia possit tollere, vel auferre Iurisdictionem circa merè interna peccata absoluenda, latè diximus *disp. 11. de Pœnit. dub. 4.* vbi inter alia explicuimus tunc peccata interna, vt proximè subijciuntur Sacramento Pœnitentiæ per confessionem fieri sensibilia, & eâ ratione esse partem Sacramenti. Item ipsum actum absoluendi, & collationem Iurisdictionis esse aliquid externum; Sacerdotem verò indigere collatione Iurisdictionis ex institutione Christi. Vnde, si Ecclesia illam non conferat, nihil potest facere sacerdos, eâque ratione manebit peccatum reseruatum. Legantur ibi dicta à *n. 28.* vbi diximus Christum reliquisse Ecclesiæ, vel collationem iurisdictionis conferendæ sacerdoti, vel applicationem materiæ iuxta diuersas sententias. Vnde, nisi sacerdotes habeant huiusmodi materiam applicatam, nihil facient iuxta latè dicta eodem Tract. de *Pœnit. disp. 10. dub. 2. 3. 4.* & *disp. 11. dub. 1. & 3.* alijsque multis locis.

Peccata interna per cōfessionem fiunt sensibilia.

Argumētū 4. ex decretis conciliorum.

102. Quartò argumentatur Ioannes Medina ex multis Decretis Conciliorum in quibus anathemate percutiuntur, qui hoc vel illud dixerint, docuerint, aut crediderint: sed actus credendi est internus. Item Hæretici interrogantur à Iudice, an hoc vel illud credant, vel crediderint: ergo &c.

Resp.

103. Respondetur concedendo talia decreta esse multa; illud tamen verbum *crediderint* semper esse intelligendum, si talem credulitatem verbo, vel nutu, vel alio signo expresserint. Ita Azor, Auila, Suarius, Vasquez, & alij multi ex citatis.

Obijcit. 5. Medina.

104. Quintò obijcit Medina *c. commissa de electione in 6.* vbi constitutum est, quòd, si quis Parochialem Ecclesiam obtinuerit sine voluntate ascendendi ad ordinem sacerdotalem beneficium ipso Iure amittat, & fructus non faciat suos: ergo ob solùm defectum voluntatis priuatur beneficio, fructibus,

Obj. 6.

105. Sextò obijcit Clementinam *1. de statu Monachorum. §. quia vero*, vbi Pontifex ipso facto excommunicat Monachos Benedictinos, qui se conferunt ad curias Regias animo accusandi, vel nocendi suo Prælato, vel Monasterio.

Obj. 7.

106. Septimò obijcit Clementinam *multorum §. verum de Hæreticis* vbi etiam excommunicantur ipso facto Inquisitores, qui odij gratiâ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu contra Iustitiam, & conscientiam suam aliquem vexauerint, aut contra aliquem omiserint procedere, vbi fuerit super prauitate Hæreticâ procedendum. De quo Textu iam diximus obiter

suprà assertio, 5.

Obij. 8. 107. Octauo obijcit caput. *Dolentes de celebr. Missar.* vbi Clericis recitantibus Diuinum officium præcipitur attentio interior, & deuotio: ergo Ecclesia habet, & exercet Iurisdictionem in actus internos.

Ad hæc omnia Resp. Caietanus. 108. Ad hæc omnia respondet Caietanus in *summâ verbo Excommunic. c.* 3. & *verbo Hora* §. 3. Sotus *lib.* 10. *de Iustitiâ q.* 5. *art.* 5. Azor, Auila & alij, quòd etiamsi Ecclesia non possit præcipere, vetare nec punire actus internos directè, & per se, & solicitariè acceptos; potest tamen eosdē præcipere, aut vetare, & punire indirectè, & quatenùs coniunguntur cum exterioribus, & eos informant, tanquàm causæ vel conditiones modificantes ipsos actus externos.

Solutio hæc Caietani falsa est 109. Hæc tamen solutio friuola, & falsa est, nec cum rationibus communis opinionis, quam isti Auctores etiam sequuntur, consentit; vt benè probat Vasquez. *illa dist.* 160. *c.* 3. nā licèt Ecclesia possit præcipere, & punire actus interiores, qui per se sunt causa externorum, vt dictum est *in* 3. *assertione,* tamen affectus internos, qui solùm, tanquàm causæ, aut circumstantiæ accidentariè coniunguntur cum exterioribus, & qui non sunt necessariò coniuncti neq; vllo modo produntur, nec manifestantur per exteriores, quibus accidentaliter sunt coniuncti, quomodo Ecclesia poterit punire, cum ex se, & naturâ suâ maneant occulti, nec vllo modo possint cognosci ab Ecclesia, nec illa de ijs possit sententiam ferre? Tales sunt affectus omnes interni, de quibus loquuntur argumenta proposita; nam is, cui confertur beneficium, sicut potest habere animum recipiendi ordinem, potest etiam habere animum non recipiendi, & Monachus, qui adit Curiam, ex multis motiuis potest ire. Vnde; nisi malus animus aliquo signo se prodat exteriùs, temerariè iudicabitur, quòd eo animo adeat, cum possit ire ex bono. Ideò aliter respondendum est argumentis.

Vt benè probat Vasq. (margin)

Author indicat aliter respondendū argumentis. (margin)

Ad Quintū ergo Resp. Azor. 110. Ad quintum ergo in ordine respondet Azor Ecclesiam benè posse exigere actum voluntatis internum ab eo, cui confert beneficium, non quidem ex lege humanâ, quæ non habet potestatem in actus omnino internos, sed ex conuentione, & pacto. Et quamuis Vasquio non placeat hæc solutio, quia (vt ipse inquit *c.* 5. *in fine*) opus omnino interius nō potest esse conditio vt Ecclesia, quæ tantùm iudicat de exterioribus, fungatur officio suo, & gubernatione conferendo beneficia sub eâ conditione Mihi tamen (quidquid sit de facto) de possibili non est dubium quin Ecclesia possit nolle sua beneficia conferre, nisi sub eâ conditione, vt quiuis potest legare in suo testamento bona aliqua alicui dummodò habeat intentionem ascendendi ad ordines, quâ conditione, seu intentione interiori deficiente non potest licitè illis bonis frui.

Vasquio nō placet hæc solutio. (margin)

Authoris Iudicium. (margin)

111. Quod verò ita factum fuerit ab Ecclesiâ in illo Textu, mihi valde probabile apparet, videturque id sentire Sotus 10. *de Iustitia q.* 5. *art.* 6. *conclus.* 1. Nauarrus *c.* 25. *n.* 118. Lessius *lib.* 2. *c.* 34. putant enim hi Auctores hanc fructuum restitutionem non esse necessariò faciendam ab alijs omnibus, qui adquirunt alia beneficia non parochialia sine voluntate suscipiendi ordinem, quem prædicta beneficia requirunt; quia illa conditio non inuenitur opposita ab Ecclesiâ alijs beneficiarijs. Cùmque illa restitutio fructuum, quæ in eo capite decernitur, solùm sit Iuris scripti. & ex Ecclesiæ ordinatione, & voluntate; non verò Iuris Diuini, aut naturalis; in alijs beneficijs locum nō habebit. Ita cum prædictis Auctoribus sentit Azor *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 9. *q.* 5. expendenda, autem est in his Auctoribus illa vox *conditio,* vbi videntur sentire huiusmodi beneficium, & Ius ad fructus dari ab Ecclesiâ beneficiario Parochiali sub eâ conditione quòd habeat talem animum.

112. Non me latet Glossam ad citatum *c.* Gabrielem, & alios existimare teneri quoque cæteros beneficiarios ad restitutionem fructuum quod à fortiori debet asserere Vasquez, qui existimat ex Iure ipso naturali, & diuino teneri beneficiarium ad habendam voluntatem suscipiendi ordinem sacrum & inseruiendi Ecclesiæ in beneficio, quia beneficium datur propter officium. Vnde ipse Vasquez ad argumentum respondet teneri, si suscipit beneficium, habere illam interiorem voluntatem, non ex præcepto Ecclesiastico; sed ex ipso Iure Diuino, & naturali quod obligare potest, vt diximus ad actus interiores; atque ideò asserit Pontificem in eo capite non condere nouum ius; sed explicare Diuinum, quam doctrinam repetit in opusculo de *beneficijs c.* 3. §. 3. *dub.* 1.

Tenetur beneficiatus habere voluntatem suscipiendi ordines, cum beneficium sit eo fine Collatum. (margin)

113. Omnes tamen citati Auctores tenent contra Sotum, quod etiamsi non habuerit animum suscipiēdi sacerdotium; si tamen ante annum completum, mutato animo sacerdotium suscipiat, facit omnes fructus, etiam illius anni præteriti, suos; sic enim colligitur ex eo capite, Ecclesia enim illi concedit inducias illius temporis & eâdem ratione potest frui fructibus illius anni, si habuit animum se ordinandi, licèt in fine anni mutato animo non se ordinauerit. Sed de hac re latiùs disputare non est huius loci. Legantur Vasquez, & Azor *locis citatis.* Itaq; quocumque modo ex prædictis respondeamus, nō probat Textus contra nostram doctrinam.

114. Ad 6. respondetur Monachum Benedictinum adeuntem curiam, etiam animo nocendi Prælato non incurrere prædictam excommunicationem; nisi animus ille interior aliquo modo exteriùs indicetur; quia actus eundi est omnino indifferens de se. Ita Vasquez *disp.* *illâ* 160 *c.* 5. *n.* 12 Suarius *disp. illâ* 4. *de Censuris, sect.* 2. *n.* 20. idemque sentire Nauarrus citatus pro nostrâ 4. assertione, & docent alij multi Recentiores sequuti prædictos Auctores; probaturque efficaciter ex *c. mandato* & *c. tua nos, de Simonia* vt in eâdem 4. assertione diximus; licèt autem Caietanus, Sotus, Syluest, & alij dicant incurrere Excommunicationem, minus consequenter loquuntur, & omnino falsum est, vt iam probauimus, si tamen ex circumstantijs; vel alijs signis significetur sufficienter internus animus incurret Excommunicationem iuxta dicta. *Ad 6. Resp.*

115. Ad septimum eodem modo respondet Vasquez non incurrere Inquisitores eam excom- *Ad 7. Resp.* Vasquez.

communicationem; nisi affectus ille odij, vel auaritiæ exteriùs manifestetur. In quo libenter consentimus cum Castro, Auila, & alijs *suprà*, si in omnibus externis actibus seruetur æqualitas & iustitiâ secundum allegata, & probata; tunc enim licèt ex intestino odio Inquisitor sententiâ iustâ exequatur, non incurret. Si tamē exteriùs faciat iniustitiam aliquam, vel omittat facere iustitiam: tunc quidem, si non faciat ex odio, vel amore &c. sed ex ignorantiâ, vel negligentiâ etiam culpabili, non incurret. Si tamen illa iniustitia procedat ex odio, vel amore &c. quantumuis occulti maneant, huiusmodi effectus incurret excommunicationem iuxta dicta *assert* 5. cum Caietano, Soto, Syluestro, & alijs non propter rationem eorum Auctorum, quam impugnauimus; sed propter rationem Suarij, quia scilicèt Ecclesia in illo casu potiùs restringit suam potestatem; cum pro illo peccato exteriori, etiam sine illo speciali animo odij, amoris &c. commisso posset imponere excommunicationem. Alioquin aliæ excommunicationes impositæ qui ijs ex contemptu, vel præsumptione, vel scienter transgrediuntur Ecclesiæ præcepta, rarò incurrerentur.

Ad 8. Resp. Suarius. *cum communi sententia Ecclesiā præcipere etiam attentionem interiorem in oratione.*

116. Ad 8. cum communi sententiâ Auctorum respondet Suarius *a n.26.* eo ipso, quod Ecclesia præcipit orationem vocalem, seu recitationem præcipere etiam attentionem interiorem; quia oratio (inquiunt hi Auctores) sine attentione non est oratio. Atque adeò sicut præcepto ieiunio, aut peregrinatione præcipitur voluntas ieiunandi, vel peregrinandi: ita præcepta oratione præcipitur attentio, quæ de substantiâ est orationis, quam sententiam retulimus in primo tomo de sacramentis *Tract.* 5. *qui est de Sacrificio Missæ disp.* 5. *dub.* 8. vbi plures retulimus pro vtraque sententia negante & asserente.

Vasquez verò concedit posse esse substantiam orationi vocalis sine attentione.

117. Vasquez verò concedit posse esse substâtiam orationis vocalis, sine attentione, licèt ex Iure Diuino requiratur attentio, vt ratio sit bona, & actus virtutis. Dicunt autem hi Auctores præceptum recitandi horas Canonicas esse, quoad substantiam Diuinum, atque adeo eo Iure præcipi attentionem & esse Ecclesiasticum, quoad tempus, & quantitatem eorum, quæ recitanda sunt, quia Ecclesia modificata est, & determinauit præceptum quoad prædictam quantitatem & tempus, & materiam.

Alij cum quibus author verò putāt præceptum recitandi horas esse merè Ecclesiasticum, nec illo posse præcipi attētionem internam.

118. Alij verò satis probabiliter, & me quidem Iudice, verè, putant præceptum recitandi horas esse merè Ecclesiasticum, & humanum, nec in illo posse præcipi attentionē interiorem; sed solùm præcipi exteriorem; ideòque satisfacere præcepto, qui voluntariè distractus in varias cogitationes recitat, dummodò interim non faciat opera, quæ exteriùs satis indicent internam animi distractionem; ac proinde non teneri ad repetendum; nec ad restitutionem. Ita Durandus, Antoninus, Gerson, Medina, & alij multi, quos in simili retulimus Tract. 5. citato agentes de sacrificio Missæ disp. 5. dub. 8. de attentione requisitâ ad implendum illud preceptum. Et quidem Suarius, quantumuis primo aspectu videatur contrariùs huic doctrinæ, non omnino repugnat, vt ibidē quoquē notauimus, & explicuimus idque maximè in præsenti re de recitatione officij; nā ex tribus, attētionibus quas ipse distinguit loco ibi notato, vna est attētio ad verba, quæ in eius sententiâ sufficit etiam deficientibus alijs; hanc autem attentionem præcisè ad verba, quæ dicuntur (saltem aliquâ ratione) esse requisitam non possunt negare Durandus, & alij prædicti auctores ibi relati; vnusquisque enim debet aliquâ ratione nosse, & scire se recitâse id, quod præcipitur; id autem sciri non potest; nisi cognitione, & actu quodam mentis, quo quis cognoscat aliquâ ratione se tale opus præstare, aut præstitisse; atque adeò debet cognoscere in hoc casu se proferre, aut protulisse talia verba, quæ Ecclesia præcipit proferre. Omnis autem cognitio est attentio quædam mentis; atque adeò tale genus attentionis, saltèm leuissimæ, non potest non requiri, vt homo sciat se impleuisse præceptum; cumque Suarius solùm attentionem ad voces putet sufficere, quantum ad hanc rem parum tandem aut nihil dissentit à Durando, & cæteris. Item Vasquez, si ab hac opinione dissentit, non est, quia putat Ecclesiam posse præcipere internam animi attentionem; sed; quia, vt diximus, putat illud præceptum esse Diuinum. Si enim putaret esse merè Ecclesiasticum, expresè iuxta sua principia dicendum esset non posse præcipi alium internum actum, quam qui requiritur ad efficiendum actum externum præceptum ab Ecclesiâ.

119. Aduertendum etiam est iuxta dicta loco notato de Sacrificio Missæ hoc esse discrimen inter orationem, & assistentiā Missæ, quod ad assistēdum Missæ, cum illa assistentia non sit actio quædam, quæ semper requirat nouam actualem attentionem animi ad assistendum, sicut actio recitandi horas requirit actualem attentionem animi ad proferendum, benè potest quis perseuerare in externâ assistētiâ Missę sine vllâ attentione adeâ, quæ fiunt in Missa à sacerdote; cum tamen non possit pergere in recitatione sine aliquo genere cognitionis; quia non alius; sed ipse est exequutor externæ actionis orandi, cum tamē exequutor Missæ sit alius, nempe sacerdos, fidelis verò audiens tantùm assistat. Legantur quæ diximus loco notato vbi hæc paulò aliter explicuimus. *Aduertendū*

120. Nono Argumentātur non nulli, quia sæpissimè Ecclesia punit eos, qui omittunt actus externos: ergo tunc solùm punit actum interiorem, quo homo vult omittere actionem externam. Antecedens patet exemplis; nam Hæreticus, qui omittit audire Missam ex eo quòd credit corpus Christi non esse realiter in Eucharistia, quamuis non manifestauerit aliter suā credulitatem, incidet in excommunicationem latam contra Hæreticos. Secundò qui cum posset & tenebatur ex Iustitia defendere Clericum à percussione, non eum defendit, incidit in excommunicationem *c. quintæ de sentent. excommunic.* Tertiò qui contra Edictum sub excommunicatione non denuntiat, cùm teneretur, incidit in Excommunicationem pluraque alia possent afferri exempla; ergo &c. *Argumentantur. 9. nonnulli Ecclesia punit eos actus externos ergo &c patet exemplis.*

121. Auila 1. *p. dub.* 10. *in fine* respondet con- *Resp.* Auila.

 cedendo

Ecclesiam tunc non solum actum internum punire, sed omissiones actuum externorum.

cedendo omnia, quæ in exemplis adducuntur; sed negando, quod tunc Ecclesia puniat solum actum internum, quin potiùs omissiones actuū exteriorū, ad quos homo tenebatur, & consequēter punit actum interiorem in quantum est causa huius omissionis.

Hæc solutio Authori placet.

122. Hæc solutio absolutè mihi placet, quāois in illo exemplo omittentis Missam; nisi omissio hic & nunc ex circūstantijs sufficienter sit indicatiua talis animi Hæretici, non sufficiet ad incurrendam excommunicationem; potest autem ex circumstantijs sufficienter indicari, quod iudicio prudentis relinquitur discernendum; multi enim omittunt Missam sine vllo animo Hæretico.

Argumentum 10.

123. Decimò argumentantur aliqui quoties Ecclesia definit aliquid esse de fide, obligat, vt interius illud credamus, & quoties prohibet actionem aliquam externam, vt comestionem carnium in aliquo die, simul etiam prohibet propositum, seu voluntatem efficacem comedendi carnes eo die, quæ mala erit, etiamsi nullo modo manifestetur; quod si Ecclesia non prohibuisset, non esset mala illa voluntas.

Resp.

124. Respondetur hoc non esse directè præcipere, aut prohibere actus interiores; sed tantùm explicare, & constituere veritatem, quam definit sub obiecto Fidei. Quod obiectum diuino Iure tenemur credere. Item prohibere Ecclesiam, aut imperare actionem exteriorem, quà imperatâ, vel prohibitâ, naturali Iure tenemur non velle, quod prohibitum est, quia posito obiecto ex eo naturaliter deriuatur malitia, vel bonitas in actum internum efficacem. Omitto alios casus qui solent afferri ad probandum posse præcipi à Iudice humano actus internos, qui eodem modo vel negandi, vel explicandi sunt, atque hucusque allati qualis est ille: quòd superior possit præcipere merè internam intentionem obligando vt quis offerat v.g. Missam pro tali, aut tali re, quod negandum est ex vi purè præcepti humani nisi accedat alia obligatio Iuramenti, aut voti ita faciendi, quando superior præscribat, sed de hoc alibi agēdum est, & tunc etiam non probatur esse locus Censuræ.

DVBITATIO XI.

An actus exterior, qui non est perfectus, & Consummatus in specie, excusetur à Censura?

Communis Doctorum sententia.

125. IN hac re communis doctrina Doctorum est verba legis imponentis Censuram propriè, strictè, & cum proprio rigore intelligenda esse, iuxta doctrinam traditam *disp. 1. à dub. 18. vsque ad* 22. est enim materia odiosa, & odia sunt restringenda iuxta *Reg. Iuris.* ibi explicatam. Quo supposito;

Assertio 1.

126. Asserendum est 1. legem excommunicantem, aut suspendentem committentes aliquod delictum non quidem comprehendere mandantes, aut consulentes; nisi ipsa lex hoc exprimat, Ita Caietan. *Excommunic.* in principio, Sotus *disp.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *columna* 9. Couarr. *r. p.* §. 10. *n.* 15. Vgolin. *tabula* 1. *c.* 9. §. *vltimo* Nauarrus *c.* 27. *n.* 51. Suarius *disp.* 4. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 13. *c.* 21. *a.* 1. & alij, quos retulimus locis notatis, maximè *dub. illa* 19. qui tamen consulit, fauet, aut cooperatur cum excommunicato, postquàm iam incidit in excommunicationem, in illo crimine propter quod iam incurrerat in excommunicationem, incidit in eandem propter *c. Nuper* & *c. si concubinæ de sent. excommunic.* quâ de re agemus in sequentibus disputantes de priuatione communicationis ciuilis & humanæ.

127. Asserendum est 2. ex eâdem doctrinâ, si homicida excommunicetur, non incurrere eum, qui vulnerat aliquem ad mortem, vnde, etiamsi miraculosè viuat vulneratus, vulnerator non incurrit. Est communis sententia, & colligitur ex *c. perpetuò de electionibus in* 6. Item, qui vulnerauit insufficienter ad mortem non incurret Censuram impositam homicidæ; licèt vulneratus moriatur superueniente aliâ causâ accidētali, incurret tamen irregularitatem, quia hæc imposita est etiam danti causam, vel occasionem homicidio. Legatur Suarius *suprà. n.* 6. Diana 5. *p. Tract.* 9. *Resol.* 56.

Assertio 2. si homicida excommunicetur, non incurrit eū vulnerans aliquem ad mortem.

128. Asserendum est. 3. qui solùm verbo læsit Clericum, &, qui volens Clericum occidere, contorsit hastam; sed casu, fallente ictu, illum non tetigit, non incurrit Excommunicationem. Ita Nauarrus de *Datis & promissis n.* 13. & *lib.* 5. *consiliorum tit. de sent. excommunic. conclus.* 37. *n.* 2. Couarr. Vgolin, Suarius, & Henriquez *suprà.* *Assertio 3.*

129. Addendum etiam est licèt effectus, qui non est sequutus, sit tantùm extrinsecus, dummodo sit principaliter intentus à legislatore adhuc non incurri excommunicationem. v. g. Gregorius XIII. prohibuit sub excommunicatione latæ sententiæ, ne Religiosi cuiusdam Ordinis scriberent ad Moniales eiusdem Ordinis, quidam scripsit; sed Epistola non peruenit ad Monialem: hunc non puto incidisse in excommunicationem. Ita Nauarrus *tit. citato conclus.* 60. & Auila 2. *p. c.* 5. *disp.* 3. *dub.* 5. quia Epistola non potuit nocere, nisi perveniat ad Monialem; atque hoc est quòd principaliter præsumitur Pontifex intendisse.

130. Asserendum est 4. Simonia conuentionalis, quæ non peruenit ad traditionem propter imperfecti actus non inducit excommunicationem; nec irregularitatem, vt latè probat Nauarrus *c.* 23. *n.* 104. qui plures citat. Ita Suarius, & Henriquez *suprà.* *Assertio 4.*

131. Asserendum est 5. eum, qui electionem inchoat; sed non perficit non incurrere Censuram legis vetantis sub Censurâ electionem, & quòd talis non incurrat poenas habetur *c. perpetuo de Electionibus in* 6. *Assertio 5.*

132. Asserendum est 6. quando lex imponit Censuram spontè facienti aliquid, non incurrit, qui coactè, & per metum facit. Ita Caietanus *verbo Excommunicatio c.* 58. Syluest. *Excommunic.* 7. *casu* 6. & alij, quos referunt & sequuntur Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 32. Suarius *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 9. legatur Sanchez loco citato *n.* 33. vbi latè, & eruditè probat non sufficere quancumque voluntatem in tali casu. Item quando *Assertio 6.*

kx

lex dicit. *Qui hoc scienter fecerit; qui præsumpserit hoc facere: Qui temerè, aut temerario ausu fecerit* non incurrit; nisi quis ex certâ scientiâ operetur. Vnde excusat omnis ignorantia culpabilis dùmmodò non sit affectata; quamuis Sanchez *ibidem n.* 39. etiam ignorantiam non affectatam, dummodò sit adeo crassa, vt esset ingens temeritas, putet non excusare: Ita docet *n.*9. cum Antonino, & alijs scilicèt Nauarro, Henriquez, Ledesma. Quæ opinio satis probabilis est, & de hac re iterum dicemus in sequentibus agentes de ignorantiâ. Hanc eandem sextam assertionē docet Auila 2 *p.* 5 *disp.* 5. *dub.* 9. *ad finē*, Salas *de legibus disp* 15. *sect* 9. *n.* 114. Molina expertè *Tract* 5. *de iustitia disp.* 71. *n.* 13. Filliucius *Tract.* 11. *n.* 566. & sequentibus. In prædictis assertionibus ferè consentit Bonacina cum multis, quos refert *disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 3. vbi plures alios refert, estq; communis sententia. Legantur Sanchez, & Suarius *loco citato*, & quæ diximus citatis illis quatuor dubitationibus *disp. præcedenti.*

Assertio 7. 133. Asserendum est 7. quoties aliquid fit ex graui metu, qui excuset à peccato contra præceptum Ecclesiæ, non incurritur Censura, etiamsi quis peccet contra Ius naturale. Sic excusantur à Censura Christiani remigantes in Triremibus Turcarum contra Christianos. Ita Suarius tùm disp. 4. sect. 3. n. 12. generaliter loquens de casu quo metus excuset à culpa contra præceptum Ecclesiæ & posteà *disp.* 21. *sect* 2. *n.* 62. admittens casum, quo remigantes illi excusentur à præcepto, vt Ecclesiastico, censet non incurrere excommunicationē; tunc autem putat excusari quando metu mortis coguntur & tunc non putat illos contumaces: excipit tamen, nisi in aliquo casu illa remigatio vergat in detrimentum graue commune Ecclesiæ (quod non putat ordinariæ contingere) tunc enim non putat excusari à peccato & censurâ secluso tamen graui metu putat contra alios non excusari, & incurrere censuram & in eo casu illum cum multis alijs pro ea sententiam refertur à Diana 3. part. Tract. 5. Resol 36. Alij verò multi absolutè negant incurrere ex metu prædicto dummodò non incutiatur in contemptum potestatis Ecclesiasticæ aut Religionis Christianæ. Legatur Auila citatus. Ita inter alios Nauarrus *c.* 27. *n.* 63. 7. 5. & *n.* 130. Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 8. *dub.* 5. Salag. de legibus, *disp.* 15. *sect* 1. Coninc. *disp.* 13. *dub.* 12. Filliucius *Tract.* 11 *c.* 6. *quæsito* 4 *ad fin. n.* 171. & *c.* 8. *quæsito* 14. Leonard. Durandus *in Bullam Cœnæ lib.* 1. *c.* 1. *quæsito* 3, & alij multi vide dicenda n. 345 & seqq.

Ratio. 134. Thomas Sanchez verò huiusmodi metum non putat excusare à Censuris *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 31. vbi *n.* 4. & 6. contendit probare, quando quis non excusatur à peccato propter metum, non excusari à Censurâ, referens aliquos pro suâ sententiâ. Ratio verò nostræ assertionis est, quia metus grauis excusat a transgressione, & contumaciâ contra legem Ecclesiasticam, cum præcepta Ecclesiæ benignè sint interpretanda; nec credibile appareat Ecclesiam velle obligare cum tanto rigore; ac proinde excusabitur quis ex graui metu ab incurrendis Censuris etiamsi alioquin peccet contra Ius naturale; quia Censura non imponitur propter transgressionem contra Ius naturale, vel diuinum; sed contra Ecclesiasticum.

Obijcit Sanchez varios textus. 135. Sed obijcet Sanchez Textus aliquot, & Doctores, quos refert *eâdem disp.* 31. *n.* 1. quià pœnâ non petendi debitum eximunt vxorem vi absolutâ cognitam à consanguineo viri ex eo, quia cessat culpa vt videre est. *c. Discretionem de eo qui cognouit consanguin:* ergo à contrario sensu vbi culpa interuenit, non excusabitur.

Resp. ad illos textus. 136. Respondetur in illo Textu solùm decidi excusari talem fœminam à pœnâ, quando nullum peccatum commisit, quia scilicet *affinitas iniquè contracta non ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non existit; cum suo iure non debeat sine suâ culpâ priuari*; inde autem non licet inferre, quod, si sit culpa contra Ius naturale, licèt non contra Ecclesiasticum; pœna incurratur; quamuis enim supponamus veritatem nostræ assertionis adhuc subsistit decisio, & ratio Textus; nam in illo casu non solùm defuit culpa contra Ius naturale; sed etiam contra positiuum, & respiciens Pontifex ad omnimodam culpæ carentiam potuit decidere illam non incurrere pœnam.

Vrget ad huc Sanchez. 137. sed vrget adhuc Sanchez, quia in ijs, quæ aduersantur Iuri Diuino, & naturali, metus non excusat à pœnâ, sed à grauiori, & probat cum Turrecrematâ, quem refert *ex c. Si quis coactus 22. q. 5. ibi si quis coactus pro vitâ redimendâ, vel pro qualibet causâ, vel necessitate periurat, quia plus corpus, quam animam dilexit, tres Quadragesimas pœniteat.*

Sed parum probat. 138. Verùm hoc caput parum probat, tùm, quia non loquitur de pœnis, quas veluti Iudiciariâ potestate inferunt Iudices; sed de pœnis, quas in salutem animæ ad agendam condignam pœnitentiam exercere oportet eos qui talia peccata committunt; & huiusmodi Pœnitentiæ non imponuntur propter aliquam contumaciam contra Ecclesiam seu Ecclesiasticum præceptum; sed ad satis faciendum pro peccato coram Deo commisso, & pro pœnis debitis in animæ foro in quo longè differunt à pœnâ Censurarum; nec enim Censura infertur, tanquàm pœna satisfactoria; seu merè punitiua, & quamuis sit medicinalis infligitur tamen in ordine ad tollendam contumaciam contra Ecclesiam, in hoc autem casu negamus esse contumaciam contra præceptum Ecclesiasticum, quod non vrget cum tanto rigore, vt nostra assertio docet cum prædictis Auctoribus. *Censura infligitur in ordine ad tollendam contumaciam contra Ecclesiā.*

Fortius putat Sanchez probari suā sententiam ex C. sacris. 139. Fortius putat Sanchez (vt ille loquitur) probari suam sententiam ex *c. Sacris de ijs, quæ vi.* ibi *Licèt metus attenuet culpam quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Vbi Textus (inquit Sanchez) decidit non excusari ab excommunicatione metu participantem cum excommunicato, sicut non excusatur à culpâ.

Resp. 140. Hic tamen Textus tantùm probat limitationem illam, quam nuper adhibebamus, scilicèt, quando metus incutitur in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, Religionis, aut Fidei; tunc enim videtur non excusari à Censurâ, talisque videtur casus prædicti Textus, vbi quis

quis cogebatur communicare cum excommunicato, quod redundat in contemptum excommunicationis Ecclesiasticæ; maximè cū ibi non constet loqui de quamcumque communicatione, sed de aliquâ, quæ sit grauis culpa, à quâ non excuset necessitas; neque enim credendum est, loqui de illâ communicatione, quæ est veniale peccatum, & per quam minor Excommunicatio incurritur; cum ad hanc actionem excusandam sufficiat multò minor necessitas. Loquitur ergo de quâdam communicatione, quæ redundet in contemptum, vel Ecclesiæ, vel Religiosis, vel Fidei. In quibus casibus mirum non est Ecclesiam velle obligare, atque adeò Censura comprehendere delinquentem. Vel aliter potest responderi cū Suario *disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 10. Pontificem in eo Textu non constituere vniuersalem regulam negatiuam scilicèt, metum nunquam in hac materiâ excusare à peccato mortali, & nouâ censurâ; sed absolutè regulam generalem affirmatiuam constituere, scilicèt vim ablolutam excusare à culpâ, & consequenter à censurâ; metum verò non semper; non verò docet quod nunquam excuset. Mens ergo Pontificis fuit docere metum ex se non habere illam efficaciam, vt semper excuset à culpâ quā habet vis, & quoties metus non excusat à culpâ, non excusari à Censura, à culpâ (inquam) illa ob quam fertur Censura scilicet à contumaciâ contra Ecclesiam. Quando autem talis metus non excusat à peccato illo mortali, tunc intelligi potest non excusare à censurâ, vt quando communicatio cum excommunicato intrinsecè includit malitiam; quia fit cum iniuriâ Fidei, vel contemptu Censuræ, vel fit in crimine seu contumacia, propter quam lata est Censura. Legatur Suarius ibidem & quæ dicemus infra dub. 24. nu. 345. & seqq. præsertim nu. 348. Nec Sanchez dissentit, vt ibi diccemus.

Vel aliter: Resp. cum Suario.

142. Non me latet quod Salas de *de legib. disp. illa* 11. *sect.* 1. dixit *n.* 5. illum scilicèt non affici excommunicatione, qui per grauem metum cogitur in contemptum Ecclesiæ committere furtum prohibitum sub censurâ; quia nimirum, cùm non peccet contra præceptum Ecclesiæ subripiendo per metum grauem, videtur excusandus à Censurâ appositâ pro violatione legis in tali materiâ; non verò pro tali modo contemptus. Vnde hic Autor putat malitiam contemptus esse accidentariam, & præter intentionem superioris prohibentis furtum sub Censurâ.

Salas *docet illum non affici Censurâ qui per grauem metum cogitur in contemptum Ecclesiæ committere furtum prohibitum sub censurâ.*

143. Contrarium tamen scilicèt Incurrere Censuram, & obligari præcepto Ecclesiæ docens graues Auctores, quos refert, & sequitur Bonacina. Tract. *de peccatis*, agens de causis excusantibus à peccatis *q. vltima puncto* 2. Item Coninc. *tom.* 2. *disp.* 13. *dub.* 12. *conclus.* 1. *&* 3. Suarius *de Censuris disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 3. & deinceps Filliucius *Tract.* 11. *c.* 8. *quæsit* 14. qui testatur de communi.

Contrarium tamen docet graues Authores.

144. Ego tamen (ut ingenuè dicam, quod sentio) neutram opinionem omnino probo; sed quâdam quasi media via incedendum puto in hac furti materia; nam si furtum tale sit, quod prudēti æstimatione censeatur dignum, vt propter illud vitandum quis vitam exponat: tunc peccabitur contra præceptum Ecclesiæ, & incurretur culpa, vt si furtum esset adeò graue, vt prudenti iudicio redundaret in maximum damnum boni communis aut Ecclesiæ, aut in contemptum Religionis; tunc enim propter rationem dictam, & Textum citatum meritò censeri debet Ecclesiam velle sub Censurâ obligare. Quando autem furtum non esset talis materiæ, nec tantùm; sed commune aliquod furtum: ex alio capite quam Salas puto illud non esse peccatum; quia nimirum in tali casu propriè desinit esse furtum; nec enim furtum est capere, sumere aut disponere de re alienâ; sed id facere Domino rationabiliter inuito. Quando autem metus esset grauis comparatione talis personæ; nisi rem illam acciperet; vt si occideretur; nisi acciperet, & alioquin pium esset, & honestum, aut fortè obligatorium quod Ecclesia talē rem, vel tandumdem daret pro redimendâ vitâ illius, non censetur rationabiliter inuita; atque adeò non erit furtum; nec incurret Censuram; & subsistet doctrina data hîc & danda *infra n.* 345. *& seq.*

Author neutram opinionem probat sed mediâ quâdam viâ incedendum putat in hac furti materiâ.

145. Ex dictis inferri potest non peccare mortaliter, nec affici excommunicatione latâ in aliquibus diœcesibus cōtra Clericos deferentes certum quoddam genus armorum, eum Clericum, qui id facit propter metum mortis, quam prudenter timet. Item id, quod *suprà* dicebamus de Christianis remigantibus in triremibus Turcarum contra Christianos; id enim metu mortis faciunt, vt præter Suarium, & Nauarrum *suprà* citatos docent Auila cum alijs, quos refert *a. p. c.* 6. *disp.* 8. *dub.* 5. *§. Tertio sequitur.* Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. *puncto* 3. idque docent, etiamsi alioquin sit peccatum contra ius naturale De quo iterum dicam n. 352. & locis ibid. notatis.

Ex dictis Infertur Clericum metu mortis gestantem arma contra prohibitionem, non peccare mortaliter.

146. Sanchez verò *disp. illa* 31. *citatâ n.* 6. putat ex alio capite excusari posse ab excommunicatione; quia nimirum communiter non peccant mortaliter illi remiges. Quam doctrinam iterum tradit in summa lib. 1. c. 7. n. 18. cum multis, quos ibi refert, & alios refert Diana in copia *Resol. illa* 36. *§. ideo*, nosque id sequuti sumus in Tract. de *Restit.* in nostro opere de *de Iustitiâ disp.* 4. *dub.* 7. & alijs in locis, vbi aliquos Auctores retulimus. Et legi potest Molina *tomo.* 1. *de Iustitiâ disp.* 115. vbi maximè *assert.* 4. explicat forè peccatum, etiam cum periculo vitæ sic cooperari, quando inde timeretur, maximum Reip. Christianæ damnum, quod vitari posset, si illi non remigarent, quia pro maximo Reipublicæ bono tenetur quisque sub reatu lethalis culpæ propriam vitam exponere. Et ibidem alios casus affert. Sicut & Diana & alij similiter limitant doctrinam. Probant verò non esse peccatum remigare, quia id ex se est indifferens & illi non faciunt in malum finem, licet Turcæ in malum finem vertant, quam doctrinam latè persequi & explicare non est huius loci in quo solùm agimus de Censura & dicemus excusari quia præceptum Ecclesiasticum (quidquid sit de naturali) non vrget cum tanto metu, in quo non assentimur Sanchezio, qui hoc principium videtur negare loco citato de Matrimonio.

147. Ex

Ille qui metu adulterium commisit excusatur a censura qua lata esset.

147. Ex hac doctrina merito etiam consequenter inferunt aliqui eum, qui metu mortis adulteriũ committeret excusari ab incurrendâ Censurâ quæ esset lata contra adulteros,quamuis enim iure naturali,non excusetur à peccato contra Castitatem & Iustitiam : nihilominùs excusatur à peccato,& contumaciâ contra Ecclesiam, quæ non obligat cum tanto periculo. Ita Bonacina *suprà* cum alijs apud Dianam citatis.

Queres.

148. Quæret aliquis;an, sicut metus grauis excusat modo prædicto ab incurrendâ Censurâ, excuset etiam ab eius effectibus,ita, vt liceat cõtrauenire talibus effectibus ratione metus;etiamsi alioquin contracta fuerit Censura.

Resp. Metum grauẽ excusare ab incurrẽdis effectibus mediatis censuræ. Ratio.

149. Respondetur metum grauem excusare ab incurrendis effectibus mediatis Censurarum. Ratio est,quia Ecclesia non censetur cum tanto metu obligare ad seruandos tales effectus Censuræ. Vnde quamuis alioquin excommunicatus celebret ex graui metu,non incurrit Irregularitatem.

Qui dicuntur effectus mediati hic.

150. Appello autem effectus mediatos illos, qui ratione Censuræ resultant;ita, vt ex vi Censuræ incursæ non possit Cẽsuratus certos quosdam actus exercere, qui illiciti sunt ex præcepto Ecclesiæ:de quibus latè agit Vgolinus *tabula* 1. *c.*14. Suarius *disp. illâ* 6. *sect.*2. *n.*7. Filliucius *c.*7. *quæsito* 5.

Aliud dicendum de effectibus censuræ immediatis.

151. Quod si loquamur de effectibus immediatis,aliter philosophandam est; nam Censura trahit secum exequutionem, & dum manet Censura effectus immediati ipsius perseuerant, qui sunt, quasi de intrinsecâ ratione Censuræ. Ideò excommunicatus eo ipso priuatur suffragijs Ecclesiæ,quamuis aliquando possit liber esse ab obligatione obseruandi alios effectus excõmunicationis; potest enim accedente vi,aut metu graui facere aliquid quod alioquin per Censuram prohibetur. Vnde potest absoluere,vel alia Sacramenta ministrare, vbi id necessarium sit ad vitandum scandalum ob propriam, vel propter grauem proximi necessitatem, aut similia,nec peccabit, nec incurret Irregularitatem. Item excommunicatus occultus potest audire sacrum, aut celebrare,vel quid simile facere ad vitandum scandalum, vel grauem detractionem; nomine autem scandali Auctores meritò intelligunt,non quandam, quasi admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de eâ re;sed præbere occasionem peccati, sermonis iniusti, Iudicij temerarij &c. Ratio prædictæ doctrinæ est,quia concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus seruandum est, quod prudenti iudicio censetur maius,& fortiùs. Sed maioris momenti censetur non exhibere scandalum populo, quam facere præter obligationem Censuræ,audiendo sacrum, celebrãdo &c. Secundò,quia (vt sæpe diximus) præcepta piæ Matris Ecclesiæ non cẽnsentur obligare cum tãto incommodo. Ita Henriquez lib.3. de *Pœnit.* c.15. n.7. & lib.3. c.6. n.3, Suarius *disp. illâ* 4. *loco citato n.*15. & *disp.* 6. *sect.*3. Auila *suprà*. Coninc. *disp. illâ* 13. *n.*103. Corduba *in sum. q.* 13. *c. &* 142. Nauarrus *c.* 27. *n.* 339. Azor 1. *p. lib.* 10. *c.* 31. Sayrus *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 4. & alij apud citatos maximè apud Auilam contra Caietanum 1.2. *q.* 96. *art.* 4. Syluestrum verbo *Excommunic.* 5. *n.* 1. & alios. Sed,vt nihil dissimulem non caret difficultate quòd possit absoluere. Nam cùm absolutio essentialiter supponat Iurisdictionem, hæc autem per excommunicationem videatur tolli,metus autẽ, quantumuis grauis,aut aliquod aliud damnum,quod posset sequi, non absolueret,non det iurisdictionem, quomodo poterit valere absolutio? Nihilominùs facile respondetur Iurisdictionem non propriè tolli, sed suspendi, & pro tali casu non censeri suspensam. Ideò quando absoluitur ab excommunicatione non indiget nouâ collatione Iurisdictionis, indigeret tamen si fuisset extincta & non tantùm suspensa.

Assertio 8. qui tantum exterius negat fidem, illam in corde retinens non incidit in excommunic. latam contra Hæreticos. Ratio.

152. Asserendum est 8. eum,qui tantùm exteriùs negat fidem, retinens alioquin veritatem fidei in corde,vt si metu,vel irâ vel alio motiuo exteriùs faciat aliquem actum contra fidem, vt illudere Imaginibus,immolari idolis, conculcare venerabile Sacramentum,seu verbo, aut signo aliquid concedere contra fidem, non incidere in excommunicationem latam contra Hæreticos; Ratio est,quia non est ille actus completus in suâ specie. Est multorum,& grauissimorum sententia. Ita Nauarrus *c.* 11. *n.* 35. aliàs 27. *& c.* 27. *n.* 56. referens Alensem, Tabienam, & Syluestrum. Item Vasquez *dub.* 12. *de Excommunic.* Suarius *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 15. Coninc. *disp.* 13. *n.* 75. Toletus *lib.* 4. *c.* 4. Auila 1. *p. dub.* 11. *conclus.* 3. referens Antoninum 2. *p. tit.* 12. *c.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. Ratio est,quia Excommunicatio lata contra Hæreticos tantùm comprehendit eos,qui verè Hæretici sunt; ille autem non est verè Hæreticus,cum de intrinsecâ ratione Hæresis sit error in intellectu contra fidem,& idiò Hæresis consummatur in actu interiori, atque hæc est communis doctrina contra Caietanum, & alios apud citatos Auctores. Vnde nec hoc peccatum est reseruatum ex vi reseruationis peccati Hæresis; exteriùs tamen reputabitur Hæreticus. Posset quidem Ecclesia excommunicationem ferre,& reseruare peccatum proferentis Hæresim externam; etiamsi deficeret internus animus; sed de facto illam excommunicationem non tulit, nec reseruauit. Legatur Filliucius *Tract.* 11. *c.* 6. *quæsito* 4. & *quæsito* 6. *n.* 176.

De intrinsecâ ratione Hæresis est error in intellectu contra fidem.

Assertio 9.

153. Asserendum est 9. eum,qui facit exterius opus, quod præcipitur sine actu tamen interiori necessariò vt opus fiat bonum, & honestum, non incurrere Censuras,& pœnas impositas transgressoribus illius præcepti iuxta dicta *dubit. præcedenti nu* 84. assertione 4. & deinceps, & Tract. de Pœnit. locis ibidem notatis.

Assertio 10. qui ex conscientiâ erroneâ putat annexam esse censuram peccato quod facit reuera non est excõmunicatus.

154. Asserendum est 10. illum, qui ex conscientiâ erroneâ putat annexam esse excommunicationem peccato, quod committit; licèt se debeat gerere,vt excommunicatus donec errorem deponat,reuerâ non est excommunicatus. Ita Castro *lib.* 1. *de lege pœnali. c.* 5. *documento* 5. Antonin. 3. *p. tit* 24. *c.* 34. Syluest. *excomm.* 2. *casu* 14. Victoria *de Excommunic. q.* 9. Henriquez *lib.* 13. *c.* 17. *n.* 3. estque communis sententia. Siquis tamen propositionem,quam erroneè putat Hæreticam erodat, & proferat, Henriquez ibi putat fieri excommunicatum cum aliquibus Recentioribus, quos refert,quia prædictus est Hære-

Hæreticus cum signo externo. Hoc tamen quã ratione intelligendũ sit, diximus de *Pœnit. Tract. 8. disp. 11. dub. 5. §. colligitur 4. n. 53.* vbi probauimus; nisi aliquo signo externo exprimat assensum Hæreticum, id non sufficere, vt expressè docet Thomas Sanchez, *lib. 2. moralium c. 8. n. 11.* Vide etiam dicta *suprà dub. 10.*

DVBITATIO XII.

An peccatum veniale possit esse sufficiens materia excommunicationis Maioris.

155. CErtum in primis est requiri peccatum, vt incurratur Censura, & præterea peccatum contumaciæ iuxta dicta in præcedentibus. Hoc supposito Asserendum est primò non sufficere peccatum veniale ad excommunicationem maiorem, sed requiri mortale. Est receptissima sententia Doctorum. Ita S. Thomas *Additionibus q. 21. art. 3.* Paludanus *dist. 18. q. 1. art. 2. conclusione 2.* Adrianus *q. 3. de clauibus* Sotus *dist. 22. qu. 1. art. 2.* Syluest. *Excommunic. 1. notabili 3.* Angelus *Excommunic. 22.* Nauarrus *c. 27. n. 9. &* *n. 253.* *Couarr. 1. p. §. 9. an. 1.* *Rodrig. c. 77. n. 1.* Salas *de legibus disp. 16. sect. 9. ad finem & disp. 10. sect. 9. n. 64.* Suarius *disp. 4. sect. 4. n. 2* Coninc. *disp. 13. dub. 8. n. 66.* Filliucius *Tract. 1. c. 6. quæsito 2 & Tract. 12. c. 1. quæsito 8.* Reginald *lib. 9. n. 167.* Sayrus *lib. 1. c. 17. n. 8.* & alij quos refert Vasquez *de Excommunic. dub. 12.* Sanchez *lib. 9. de Matrimonio disp. 32. n. 29.* Diana cum alijs *3. part. Tract. 5. Resol. 69. & part. 5. Tract. 5. Resol. 46. cum alijs.* Ratio est; quia, cùm sit pœna grauissima, non debet infligi; nisi pro culpis grauissimis, & defacto ita statutum est ab Ecclesiâ, vt nisi pro mortalibus, illisque grauibus non imponatur *c. Nemo Episcoporum, & c. Nullus 11. q. 3.* & in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 3.* Legatur Suarius *disp. 4. sect. 4. n. 4.* & quidem Sotus suprà videtur innuere ex ipso Iure Diuino à Christo fuisse limitatã potestatẽ excõmunicandi ad mortalia; nam *Mathæi 18.* vbi conceditur hæc potestas, dicitur, quòd præmittatur correctio fraterna, & additur *lucraberis fratrem tuum.* Vnde colligitur peccatum oportere esse mortale, vt habeat in eo locum doctrina Christi.

Assertio 1. non sufficit veniale peccatum ad incurrendã Excomm. Maiorem.

Ratio.

156. Quamuis autem non expediat quodcumque mortale externum subijcere excommunicationi, tamen valida erit Censura lata pro quolibet mortali externo; sicut enim peccator per quodlibet mortale excluditur à Regno Cœlorum; ita etiam excludi posset ab Ecclesiâ per Censuram. Ita Sotus *suprà* Vasquez *suprà n. 7.* Suarius *suprà sect. 4 & 6. n. 9.* Filliucius *c. 8. quæsito 7. n. 240. Tract. 11. & Tract. 12. c. 1. quæsito 8. sub finem. n. 31.* Vnde alij etiam à fortiori putant posse minorem Excommunicationem pro quolibet peccato mortali ferri: sicut enim sunt aliqua peccata mortalia, quæ graui maioris excommunicationis pœnâ meritò puniantur, & multa alia, quæ nullâ pœnâ puniuntur: ita non videtur ratio aliqua sufficiens posse assignari, ob quam peccatum mortale puniri non possit minori excommunicatione; quamuis hoc non videatur vsu receptum, & pro mortalibus merè internis non possit fieri.

Valida esset Censura lata ob quodlibet mortale externum. Ratio.

157. Ex traditâ doctrinâ colligitur 1. inualidam esse Censuram Excommunicationis maioris, suspensionis, aut grauis Interdicti latam pro veniali peccato; videtur enim incapax tantæ pœnæ tam leuis culpa. Vnde inualida est suspensio à beneficio, & officio ad longum tempus imposita pro veniali peccato; sicut & interdictum vnius Prouinciæ, aut dœcesis pro veniali; valida tamen videtur esse suspensio ad breue tempus imposita pro peccato veniali, & validũ interdictũ ad aliquẽ particularẽ vsũ, & ad breue tempus; huiusmodi enim censetur leuis Censura, & vtcumque proportionata cum delicto. Ita Suarius *disp. 8. sect. 4. n. 7. & disp. 28. sect. 4. n. 6.* Toletus *lib. 1. c. 45.* Coninc. *suprà n. 58.* Filliucius *Tract. 11. c. 1. quæsito 8. & Tract. 12. c. 1. quæsito 8.* & alij, quos referemus *disp. 4. dub. 3. agentes de suspensione & disp. 5. dub. 3.* agentes *de Interdicto.* Item Diana 5. part Tract. 10. Resol. 19, cum alijs, contra Caietanum in *summa* verbo *Præceptum.* Nauarrus *c. 27. n. 165.* Auilam *3. p. disp. 4 dub. 3.* & alios simpliciter asserentes suspensionem ferri posse, aut interdictum pro qualibet culpâ veniali. de quo iterum *disp. 5. dub. illa 3.*

Ex dictis colligitur 1. inualidam esse Excom. maiorem latam pro veniali.

158. Infertur 2. Vniuersaliter, loquendo non incurri maiorem Censuram, quando aliquid sub maiori Censura prohibetur; actio tamen externa non sufficit ad peccatum mortale. Ita Sayrus *c. illo 17. n. 8.* Suarius *disp. illa 4. sect. 4. n. 2.* Filliucius *suprà*, & alij, quia non est pœna proportionata delicto. Idem Diana docet cum Pottello, & Sanchez, Henriquez & alijs *5. part. Tract. 9. Resol 41.* quos ibi refert.

Infertur 2.

159. Colligitur 3, descendendo ad particularia, eum, qui rem paruam offert Episcopo ex intentione Simoniacâ, non incurrere pœnas. Ita Nauarrus de *datis pro gratiâ. notabili 10. & 11. ad finem & 12. in fine*, vbi etiam ait aliter esse hîc materiam computandam ex *c. Si quæstiones de Simonia* Henriquez *lib. 6. c. 14. n. 6.*

Colligitur 3.

160. Colligitur 4. non incurrere Censuram contra alienantes bona Ecclesiæ, eum, qui rem modicam Ecclesiæ alienauit. Ita Syluest, *verbo Alienatio §. 16.* & alij.

Colligitur 4.

161. Colligitur 5. non incurrere Censuram qui percutit Clericum percussione quæ non peruenit ad peccatum mortale externum, etiam si interius habuerit animum lædendi grauiter; soli enim actioni exteriori imponitur excommunicatio. Ita Nauarrus *c. 27. n. 90.* Diana *suprà & eadem 5. part. Tract. 5 Resol. 65.* cum alijs, Suarius *disp. 4. sect. 4 n. 2.* Valentia *22. disp. 7. q. 3. puncto 2.* Rodriguez *c. 80. n. 8.* Vnde nec pueri, qui rixantur, etiam si sint Clerici ordinariè manent excommunicati, quando se mutuò percutiunt rixantes, quamuis absolutè possint incurrere. Quâ de re latè diximus *disp.* præcedenti *dub. 14.* ibi legatur.

Collig. 5 percutientẽ clericũ percussione non mortali, non incurrere Censuram.

162. Colligitur 6. non incurrere excommunicationem contra eos, qui furantur, eum, qui furatus fuit paruam quantitatem; nisi fortè retineat partem alicuius magni damni (de quo dicemus posteà *dub. seq.*) neque etiam, qui furatus est magnam quantitatem; sed iam restituit, etiam-

Collig. 6.

etiamſi aliquàm paruam apud ſe retineat. In quo etiam conueniunt communiter Doctores. Vide Dianam ſuprà vbi alia exempla ponit, vt de eo qui parum & obiter loquutus eſt cum moniali, licèt pro ſic loquente poſita ſit excommunicatio, non putat incurri ad ſpatium vnius *miſerere*, reprobatque dicentes per vnum horæ quadrantem quod nutu etiam diſplicet ſatis enim diuturna colloquutio videtur.

Colligitur 7.

163. Colligitur 7. non incurrere excommunicationem latam contra iniuſtè retinentes aliqua bona, eos, qui non ſunt ſoluendo, quod iniuſtè acceperunt, nec tenentur ſe manifeſtare cum damno famæ, imò nec reſtituere cum damno famæ, & honoris detrimento, vel cum magno damno bonum temporalium (vt latè diximus in *noſtro opere de Iuſtitia & Iure* Tract. *de Reſtitutione* maximè *diſp.* 10. *dub.* 3. Vnde non obligari cum magno detrimento victus, & veſtitus; niſi Dominus reteſſet in æquali detrimento, & neceſſitate. Ita Syluest. *Excommunic.* 2. *quæſita* 12 Henriquez *c.* 21. *n.* 2. Nauarrus *c.* 17. *n.* 56. Antonin. 2. *q. tit.* 2. *c.* 8. Auila *c.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 1. Ideò rigida nimis apparet ſententia Soti *diſp.* 22. *q.* 1, *art.* 2. *poſt medium caſu* 2. qui contrarium ſentit. ratio verò pro nobis, & contra Sotum eſt; quia ex eo, quòd addatur excommunicatio, non tenetur quis maiori vinculo, quàm antea tenebatur Iure Diuino, & naturali; non enim magis obligat præceptum ſuperioris, quàm Dei; fatemur tamen, ſi talis poſſet partem reſtituere, teneri ad id, aliàs incurreret, fatemur etiam; ſi poſteà decurſu temporis fiat potens, teneri reſtituere, vel incurrere excõmunicationem, quæ ſemper durat iuxta Cordubam *q.* 64. Nauarrum *c.* 25. *n.* 46. *&* *c.* 27. *n.* 2. Sotum *ſuprà q.* 1. *art.* 2. *verſ.* 2. Quod verum eſt cum duplici limitatione, prima dummodò maneat in officio Iudex, qui illam tulit, ſi enim mortuus iam eſſet, aut officio perfunctus, cum ipſo expirat ſententia excommunicationis cum ab homine ſit, & ideò, ſi homo non ſit, non incurretur. Ita Syluest. *Excommunic.* 2, *caſu* 55. Henriquez *c.* 18. *n.* 4. Suarius *diſp.* 3. *ſect.* 4. conſonatque hæc doctrina cum eâ, quam tradidimus *diſp. præcedenti dub.* 9. vbi aſſignauimus diſcrimen inter Cenſuram latam à Iure, ſeu ſtatuto, & latam per modum ſententiæ, ſeu præcepti, & hanc diximus expirare per mortem, vel amotionem ferentis; non illam. Secunda limitatio eſt dummodò debitor, qui ſit potens, maneat in eâdem diœceſi; nam ſententia non ligat extra territorium iuxta dicta *diſp. præcedenti dub.* 11. 12. & eius appendice. Sed iuxta illam doctrinam hæc limitatio intelligenda eſt de Excommunicatione à Iure, vel ab homine generaliter latâ; nam particulariter lata à Iudice, contra aliquem, quando hic erat ſubditus, etiamſi exeat à Territorio, ligat) quia ratione cauſæ inceptæ manet ſubditus iuxta dicta *eâdem dub.* 11. & docet Suarius *diſp.* 3. *ſect.* 5. cõſonatque doctrina eiuſdem *diſp.* 5. *ſect.* 5. Legantur quæ ibi diximus; qui tamen potens eſt reſtituere, & non reſtituit, iam incidit in Cenſuram, licèt poſteà fiat impotens, & pœniteat, atque in Dei gratiam redeat, manetque adhuc excommunicatus donec abſoluatur vt docet Sotus *ſuprà art.* 2. de quo dicemus poſteà *ſect.* 4.

Ratio pro doctrina huius Corrolarij eſt.

Duplex hic adhibenda limitatio. Limitatio 1.

Limitatio 2.

agentes de effectibus excõmunicationis. Vnde etiamſi moriatur, qui eam tulit, perſeuerat, vt docet Suarius *ſuprà*; conſtatque ex *c. Paſtoralis de officio Ordin.*

164. Non negauerim tamen probabile eſſe non incurrere excommunicationem eum, qui primò propter impotentiam ſoluendi non incurrit, & poſteà factus potens non ſoluit; credi enim poteſt intentionem Iudicis fuiſſe tantùm, vt reus exiret à peccato pro tunc, nec durare pluſquàm Edictum viſitationis. Ita Armilla *Excommunic. n.* 43. & Henriq. *c.* 18. *n.* 4. in fine qui Recentiores citat.

165. Non me latet Suarium *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 12, *&* 14. quamuis doceat impotentiam moralem excuſare à peccato, & conſequenter à Cenſurâ, exiſtimare tamen ſi illa impotẽtia fuerit voluntaria & malitioſè inducta, vt, ſi prodigè expẽdat, aut grauiter negligat cum ſufficienti præuiſione futuræ impotentiæ, eaque impotentia ſit voluntaria poſtquàm ſub excommunicatione illi fuit præceptum impoſitum, vt intra tale tempus ſoluat, tunc incurrere elapſo termino propter contumaciam præteritam. Quæ doctrina mihi placet, & legi poteſt idem Suarius *ibidem ſect.* 3. *n.* 9. de Excommunicationibus verò impoſitis penſionarijs in formâ Cameræ, niſi ſoluant, legi poteſt Nauarrus. *c.* 23. *n.* 104. & *c.* 27. *n.* 274. cuius doctrinam ſequuntur Suarius *eâdem diſp.* 20. *ſect.* 2. & Henriquez *lib.* 13. *c.* 19.

Is cui voluntaria eſt impotentia ſoluendi, non eximitur ab excommunicatione impoſitâ non ſoluentis Suarius.

Hæc doctrina placet Authori.

166. Colligitur 8. non incurrere excommunicationem latam contra eos, qui acceperunt aliquid, eum, qui in recompenſationem debiti certi accepit licitè iuxta Regulas Iuſtitiæ, de quo diximus *citata diſp.* 10 *de reſtit. dub.* 7. Ita Nauarrus *c.* 17. *n.* 114. & *n.* 135. & *c.* 25. *n.* 46. Cordub. in Summ. *q.* 64. *verſ.* 4. & *q.* 111. & *q.* 181 Sotus *diſt. illa* 22. *q.* 1. *art.* 2. § *Tertio poteſt.* & *lib.* 5. *de Iuſtitia q.* 3. *art.* 3. *ad* 1. Syluest. *verb. furtum* §. 15. Ludouicus Lopez. lib. 2. *Inſtructorij c.* 25. Henriquez *lib.* 13. *c.* 18. *n.* 2. *litera* 1, & alij multi, quos retulimus tum *citatâ diſp.* 10 *de reſtit. dub.* 7. tùm *eiuſdem Tractatus diſp.* 9. *dub.* 6. vbi egimus de compenſatione; omnes enim, qui dicunt cum certis, & debitis circumſtantijs licitam eſſe debiti compenſationem conſequenter dicunt non incurri tunc cenſuram, quia ad incurrendam Cenſuram peccatũ requiritur; tunc autem non eſt peccatum. Hæc doctrina etiam locum habet, quantumuis in excommunicatione publicè lectâ, aut affixâ apponatur clauſula, quod comprehendat eos, qui in compenſationem acceperint; nec enim ea clauſula ſufficit, vt liget, quia continet intolerabilem errorem, & talis clauſula intelligi debet in caſu quo dubitetur de debito; tunc enim, cùm non ſit locus compenſationi, quæ ſolùm licet, quando debitum eſt liquidum, tenetur ille reſtituere; alioquin ligabitur Cenſurâ. Ita Auctores citati, & Angelus *verbo furtum n.* 41. Gutierrez *c.* 11. *n.* 67. licèt, quando apponitur ea clauſula, omnino putent ligare. Syluest. *Excommunicatio* 2. §. 4. *n.* 18. *dub.* 8. Roſella apud eundem Syluest. & Medina. C. de *Reſt. q.* 15. Armilla, *Excommunic. n.* 32. probabilior tamen eſt prima opinio, quòd non liget, etiamſi accipiens peccauerit mortaliter in accipiendo furtiuè. Quod latè diximus & probauimus cita-

Collig. 8. non incurrere Cenſurâ latam contra aliquid accipientes, eum qui in recompenſationem debiti certi, accepit licitè.

Ratio.

ta *disp.* 9. *de restit.* Legantur, quæ ibidem diximus, vbi hanc doctrinam, & illarum circumstantias latiùs explicuimus; docetque Nauarrus *c. Inter verba conclus.* 6. *n.* 295. Sotus 5. *de Iustitiâ q.* 3. *art.* 3. *ad primum*, Syluest. *Excommunic.* 2. *n.* 21. *Casu* 10. & alij, quos ibi retulimus. Ratio est, quia illud peccatum iam est præteritum; iam enim iustè retinet (debet tamen prouidere, vt alter sciat nihil iam debere) at pro peccato, præterito vt posteà videbimus, non potest ferri excommunicatio.

Collig. 9. Limitandã esse doctrinã Soti.

167. Colligitur 9. limitandam esse doctrinam Soti *in* 4. *loco citato & 5. de Iustitia q.* 7. *art.* 1 *& detegendo secreto membro* 2. *q.* 4. *dub.* 4. qui docet teneri ad exhibendam scripturam continentem ius alterius, qui eam retinet, quando præcipitur illam exhibere sub excommunicatione; id enim limitandum est, vt tunc habeat locum, quando sine sui incommodo potest illam exhibere, & etiam cum incommodo, si est aliena, & furtiuè, malâ fide & per dolum, & iniustè eam retinet; nam, si iustè retineat, & eam exhibens patiatur detrimentum, vt, si alter cum eâ scripturâ non solùm tuebitur ius suum; sed etiam iniustè vexabit possessorem, petendo titulum, quem ostendere non potest; non tenetur eam exhibere, vt late docet Corduba *in Summa q.* 63. & Henriquez *lib.* 13. *c.* 18. *n.* 2. qui alia notatu digna tradit ibidem. Vnde, qui retinet alienam scripturam, & præcipitur, vt eam reddat; tenetur obedire: nisi tanta illi sequatur famæ, aut aliorum bonorum iactura, vt iustè excusetur per doctrinam generalem de restitutione traditam citatâ *disp.* 10. & alijs in locis *eiusdem Tractatus*, maximè *dub.* 3. Idque docet Nauarrus *c.* 17. *n* 57. Ita Suarius *disp.* 20. *sect.* 3. *p.* 9. Henriquez *c.* 18. *n.* 2. *in fine*; quando verò præcipitur, ut exhibeat, non iam alienam; sed propriam non tenetur; nisi, quãdo sine suo incommodo potest alteri subuenire. Hanc difficultatem latè quidem & optimè tractat *Auila* 2. *p. c.* 5. *disp.* 4. *dub.* 1. *& sequentibus.* Et quidem doctrina tradita colligitur apertè à simili ex doctrinâ communi de Testibus, qui cum sui detrimento non tenetur testificari vt docet Nauarrus *c.* 25. *n.* 50. Syluest. *verbo denuntiatio q.* 1. & *Correctio* 5. 7. *circa finem* imò & Sotus ipse de *tegendo secretò membro* 2. *q.* 7. *dub.* 5. *post tertiam conclusionem.* Et nos diximus lib. 2. de *Iustitia.* Tract. 1. disp. 8. dub 5. n. 62.

168. Addendum etiam est ex Nauarro *lib.* 5. *tit. de sentent. Excommunic. conclus.* 7. sufficere, quòd quis iuxta probabilem sententiam habeat ius se tuendi, vel retinendi aliquam rem, ne teneatur illam manifestare ob monitoriam generalem sub Excommunicatione.

Collig. 10.

169. Colligitur 10. in prædictis casibus in quibus Rei, aut debitores non obligantur se manifestare, aut soluere; vel; quia non possunt, vel, quia peccatum eorum, si quod fuit, tantùm fuit veniale; etiam scientes non tenentur eos manifestare, quantumuis monitoriæ dentur contra scientes, & non manifestantes, dummodò illis constet de innocentiâ aliorum, contra quos fertur excommunicatio. Ita Rodriguez *c.* 79. *conclus.* 10. Gutierres *c.* 11. *n.* 67. Quod expressè etiam docet Nauarrus *c.* 17. *n.* 114. & *c.* 25 *n.* 46. & Henriquez *c.* 18. *n.* 3. Suarius *disp.* 20. *sect.* 3. Couarru. *Regula possessor.* §. 2. Sotus. 7. *de Iustitia q.* 5. *art.* 4. Petrus Nauarrus *lib.* 3. *de restit. c.* 1. Quando autem, & quomodo scientes debeant denuntiare, dicemus *disp.* 3. *dub* 41. *& sequentibus*, agentes specialiter de hac re, de quâ placuit seorsim disputare.

Collig. 11. Quando sub Censurâ præcipitur vt omnes eant ad concionẽ &c. illos solum obligari qui commodè possunt.

170. Colligitur 11. quando sub excommunicatione præcipitur, vt omnes eant ad processionem, vel ad concionem, quæ habetur de fide, vel intersint Diuinis officijs in tali Ecclesiâ, illos solùm obligare & incidere in excommunicationem, qui commodè possunt quia verba generalia intelligenda sunt moraliter, & secluso impedimento. Ita de hac re consulti senserunt viri docti. Colligique potest ex Syluestro *Excommunic.* 2. *n.* 1. *casu* 12. *& ibidem n.* 20. *notabili* 4. *dub.* 9. & *verb. pœna n.* 18. Ratio verò esse potest, quia non est æquum, vt superior velit magis obligare, quàm Ecclesia suis præceptis: sed Ecclesia non obligat nisi eos, qui commodè possunt: ergo nec superior. Idem colligitur ex Nauarro *c.* 38 *in fine.* *Ratio.*

171. Addit Henriquez *lib.* 13 *c.* 18. *n.* 4. satis esse, vt quidam de familiâ intersint, qui alijs Edictum referant.

Collig 12. Sicut præceptum iniustum non obligat. Ita nec excommunicatio. lata contra transgredientes illud.

172. Colligitur 12. quando imponitur præceptum iniustum, aut excedẽs facultatem, præcipientis, sicut præceptum non obligat, nec excommunicationem ligare. Vnde, quando præcipitur, vt qui sciuerit reuelet talia peccata, nemo obligatur reuelare secreta, aut occulta; nisi, quando peccatum est in præiudicium tertij, & reus monitus non vult satisfacere, & est alius testis, cum quo possit probari. Ita Nauarrus *c.* 17 *n.* 134. Petrus à Nauarra *lib.* 3. *c.* 4. *n* 145. Henriquez tamen *c.* 18. *n.* 5. *litera H. in Glossa* asserit nec in eo casu esse denuntiandum quando peccatum est præteritum, & non imminet in futurum, vt Homicidium, & adulterium, & consentit Auila *p.* 2. *c.* 5. *disp* 4. *dub.* 3.

Item non obligatur qui sine suo patris, vel fratris incommodo, nõ potest exequi id quod præcipitur.

173. Item non obligatur, qui sine incommodo proprio aut Patris, vel fratris non potest exequi id, quod præcipitur, quia Ecclesia non obligat eum tanto dispendio: ita Henriquez, & Suarius *suprà.* Nauarrus *c.* 17. *n.* 57. *& c.* 24. *n.* 12. *& c.* 25. *n.* 50. Sotus de secreto *membro* 2. *q.* 7. *dub.* 5. Cordub *q* 63. *&* 64. *casu* 5.

Nec tenetur quis ad testificandum contra personas sibi valdè coniunctas.

174. Pari ratione nemo obligatur ad denuntiandum, neque ad testificandum contra personas sibi valde coniunctas. Ita Nauarrus. *c.* 14 *n.* 12. *& c.* 25. *n.* 48. *& sequenti* Cordub. *q.* 64. *casu* 7. Henriquez *suprà n.* 3. Suarius *suprà n.* 10. propter eandem rationem, de quo dicemus *disp.* 3. *dub.* 41. & sequentibus.

175. Vlterius etiam excusantur, qui rem nouerunt per secretam consultationem. Est communis sententia. Ita Nauarrus *c.* 12. *n.* 40. *&* 54. *& c.* 25. *n.* 29. *&* 42. *&* 46. Corduba *q.* 64 *casu* 3. Gutierrez *in quæstionibus Canonicis c.* 11. *n.* 47. Hẽriquez & Suarius *suprà*, de quo etiam dicam *loco notato dub.* 42.

Limitatio Prædictæ doctrinæ.

176. Limitanda tamen est hæc doctrina; nisi reuelatio esset necessaria ad cauẽdũ & obuiãdũ graui dãno iam imminenti alicui proximo. Imò in omnibus prædictis excipiuntur peccatum hæresis, & peccata quæ in Reip. perniciem, aut

Ciuita-

Ciuitatis vergunt; Hæc enim, quamuis sunt occulta, debent regulariter loquendo denuntiari, quia rarò speratur alio modo posse obuiari his malis, vt rectè Bañez 2.2. *q.33. art.7. ad* 4. & alij multi. Sed de prædictis omnibus dicemus *citata dub.* 41.

Nota.

177. Tandem notandum est excommunicationem solere imponi in edictis illis generalibus; nisi intra sex dies compareant, & nunquàm incurritur; nisi elapsis illis diebus; atque in praxi constat (inquit Henriquez *n.*6.) non numerari primum diem publicationis; & qui nesciuit, posse à die notitiæ numerare sex dies, vt docet etiã idem Henriquez *suprà*, & Suarius *n.* 14. & Sà *verbo Excommunic. n.* 22. Quòd si edictum proferatur in visitatione, solùm durat toto tempore visitationis; post quod nemo tenetur denuntiare. Ita Henriquez & Suarius suprà. Edictum tamen Inquisitoris maiori tempore durat. Quamuis Henriquez cum Peña non putent durare toto anno. Addit Sà *n.*22. & docet Armilla *n.* 24. qui scit rem post elapsum terminum positum in Edicto; non ligari; si non reuelet.

DVBITATIO XIII.

An qui furatus est paruam quantitatem, ex quâ damnum notabile fuit sequutum, incidat in excommunicationem latam ob furtum?

Assertio negatiua.

178. ASserendum est non incidere, si excommunicatio tantùm feratur contra eos, qui furati sunt. Ita Nauarrus *c.17. n.3.* Petrus à Nauarra *lib.3. c.1. dub.* 3. Sà verbo *Furtum n.* 2. Rodriguez *c.*150. conclus. 4. qui etiam citat Aragon. 2.2. *q.*66. *art.*6. citatur etiam Ledesma 2. *p.*4. *q.*18. *art.* 4. Auila *suprà* & alij. Fundamentum est, quia retentio illa damni notabilis, quòd sub mortali tenetur restituere, non est furtum; ille enim propriè dicitur furari, qui clàm aliquid surripit. Vnde retentio debiti ex promissione, venditione, aut mutuo, vel alio contractu, imò, & vsura, quæ altero sciente fit, non dicuntur furta, nec legibus ciuilibus puniuntur quadruplo, verberibus, suspendio, vel infamiâ, alijsue pœnis furibus impositis; nec contra istos datur actio de furto. Vnde sicut tales iniustitiæ non dicuntur furta: ita neque illatio damni, de quâ loquimur. Aliàs sequeretur, quod, si alicui detur excommunicatio ob furta, illi facta comprehenderetur vsurarius, & alius quicumque debitor, quod nemo fatetur.

Ratio.

Oppositum videtur sentire Syluester.

179. Oppositum quidem sentire videntur Syluest. *verb. furtum n.*1. & 4. & Sotus 5. *de Iustitia q.*3. *art.*3. *ad* 3. probabilius tamen est, quod diximus; omnes tamen videntur fateri, si Censura feratur contra omnes iniustè retinentes aliqua bona, comprehendere etiam damnificatorem, de quo loquimur.

DVBITATIO XIV.

An incidat in excommunicationem latam contra deuastatores vineæ, is, qui ignarus aliorum, leue furtum fecerat?

180. QVantum ad peccatum mortale, vel veniale huius philosophandum est iuxta doctrinam traditam à nobis in nostro opere de *Iustitia Tract. de Restit. disp.*9. *dub.*5. & iuxta varias opiniones ibi traditas faciliùs vel difficiliùs philosophari possumus; nam, qui dicunt eiusmodi hominem peccare mortaliter non solùm, quando communicato consilio cum alijs omnes subripiunt partem vniusque peruam; sed etiam, quando quis veniens post alios scit iam læsum esse dominum vineæ grauiter, vel saltèm illo suo paruo furto læsionem grauem compleri: imò etiamsi in principio furando paruam quantitatem, ignorarit aliorum furta, posteà tamen resciuerit; in his casibus iuxta talem sententiam, consequenter dicere quis debet illum hominem incurrere excommunicationem, quia secundum auctores qui ita sentiunt in illis casibus mortaliter peccans comprehendi potest excommunicatione, & illâ compelli ad faciendam illam restitutionem partis, etiam leuis, quam aliàs restituere tenetur sub mortali.

Opinio aliquorum dicentium peccare mortaliter.

Et consequenter incurrere excommunic.

181. Maior difficultas est, si sequamur opinionem, quæ docet prædictum non peccasse mortaliter, vt quando non communicato consilio, nec ex proposito quis accepit vnum aut alterum racemum ex vineâ alienâ, putans aliqua, etiamsi sciat alios accipere; vel accepisse, non teneri sub mortali ad restitutionem, si ipse nullo modo suâ hortatione, vel exemplo fuit alijs causa accipiendi. Quam doctrinam expressè tradit Less. *lib.2. c.* 12. *dub.*9. *n.* 52. Ledesma 2. *p.*4. *q.* 18. *art.* 4. eamque docet Auila de *Censuris* 2. *p. c.* 5. *disp.*2. *dub.*3. Aragon, 2.2. *q.*62. *art.*7. & plures alij. *in hoc* enim casu iuxta hanc sententiam difficiliùs apparet posse obligari ad restituendum sub censurâ; cùm enim non peccet mortaliter, spectatâ præcisè obligatione restitutionis; non videtur materia sufficiens ad censuram; nihilominùs etiam in hoc casu, & secundum hanc sententiam potest obligari homo ad restituendam suam partem sub excommunicatione. Quæ doctrina colligitur ex Soto qui prædictam sententiam in negotio Restitutionis sequitur *in* 4. *dist.*22. *q.* 1. *art* 2. *casu* 3. 5. *arguitur autem*: idemque docet Lessius *suprà*, Auila *loco citato* imò & Aragon. Diana cum Moscoso quem refert 5. part. Tract. 9. Resol. 54. vbi testatur de communi. Ratio verò est, quia excommunicatio non solùm imponitur ratione culpæ; sed ratione damni illati, aut, quod timetur inferri. Quamuis ergo ratione culpæ imposita censura præsupponat alioquin culpam grauem contra præceptum impositum ab Ecclesiâ, vel contra ius etiam naturale; quando tamen imponitur ratione damni illati aut inferendi, vt illatum resarciatur, aut inferendum præcaueatur, tunc potest mandari actus, alioquin leuis secundum se consideratus; & virtus obedientiæ Ecclesiasticæ obli-

Maior difficultas in opinione dicente talem non peccare mortaliter.

In hoc etiam casu iuxta Authorem potest talem sub Censura obligari ad suã partem restituendam.

Ratio.

Actus secundum se leuis potest sub mortali obligari.

obligabit sub mortali in ordine ad hunc finem; potest enim excommunicatio imponi non solùm pro peccato mortali eius, qui excommunicatur; sed etiam pro magno damno alteri illato, ordinando hoc in bonum spirituale damnificati (nec enim Censura imponitur ab Ecclesiâ, nisi ob bonum spirituale) tollere autem huiusmodi damnum temporale, aut præcauere, potest ordinari in bonum spirituale damnificati, nè scilicèt præ tœdio, & molestiâ, ac dolore damni, quod patitur, vel irascatur, vel moueatur ad furandum, aut committẽdum alia peccata, ad maledicendum direptoribus &c. Hâc ratione potest etiam defendi sententia vera, quæ docet excommunicationem latam contra eos, qui non soluunt decimas, comprehendere etiam illos, qui paruam retinent quantitatem; nam, cum sint multi, qui soluunt Decimas ministris Ecclesiæ, fieri potest, vt multi retinentes singuli paruam quantitatem grauissimè lædant Ecclesiam, & ministros illius. Vnde ad præcauendum huiusmodi damnum meritò potest Ecclesia Censuras ferre contra prædictos retinentes; imò, vt plerique Auctores maximè Lessius, & Sotus concedunt, potest quis ex iustâ causâ compelli positiuo præcepto sub peccato mortali ad id, quod aliàs Iure naturali non tenebatur: ad hoc enim satis est, vt sit causa iusta præcipiendi, etiãsi hæc causa per se absque peccato superioris nõ sufficiat ad obligandum. Sic ergo in nostro casu adesse videtur iusta causa præcipiendi, sub excommunicatione, vt singuli suam partem restituant, vt graue illud damnum resarciatur, etiamsi demus talem causam non esse sufficiẽtem, vt secluso præcepto superioris tenerentur sub mortali, quia quisque in particulari poterat cogitare suam restitutionem parum profuturam ad damni compensationem, eò quòd alij non restituturi essent. Vidi tamen quæ infrà dicemus circa istam materiam quæ putatur leuis & censeri potest meritò grauis vt ibi explicamus.

Potest Excommunic. imponi non solum pro mortali, sed etiam pro magno dãno alteri illato &c.

Excomm. lata contra non soluentes decimas comprehendet eas qui paruam retinent quãtitatem.

Sic ergo in nostro casu, fieri poterit.

Hanc doctrinam limitat Auila.

182. Hanc doctrinam duplici limitatione limitat Auila *suprà*, & pro primâ refert Nauarrum *lib. 3. de restitutione c. 1. dub.* 8. nimirum quòd si excommunicatio feratur absolutè pro ijs, qui deuastarunt vineam, non comprehendet prædictos; nec enim præsumendum est Prælatum voluisse excommunicare nisi eos, qui peccarunt mortaliter deuastando, vt constat ex quibusdã verbis, quæ in Hispania solent apponi in huiusmodi excommunicationibus scilicèt, *Quienes ile vos otros con poco temor de Dios, y gran peligro de sus conciencias. &c.* Tunc verò comprehendi prædictos, quando charta Excommunicationis expressè contineret ferri cõtra eos, qui deuastarunt vineã etiam modicam quantitatem accipiendo. Quæ limitatio mihi probabilissima apparet; imò sæpe vidi in ijs Monitorijs generalibus, maximè in Archiepiscopatu Toletano, adhibitum fuisse hanc limitationem, vt etiam non se extendat ad eos, qui tantum subripuerunt infrà duodecim argenteos nummos, seu infrà scutum aureum Hispanicum.

Limitatio Auilę Authori placet.

183. Vnde à fortiori habet locum secunda limitatio Soti, & Ludouici Lopez, quam refert, & amplectitur idem Auila *suprà* scilicèt non incurrere Censuram, quando id, quod acceptum furit est tam minimum; vt pro nihilo reputetur, vt, si ex vineâ accipiat vnum tantùm racemum. Probat hoc, quia *Deuteron.* 13. id impunè permittitur iter facienti. Hæc tamen ratio non debet in argumentum prædictæ doctrinæ assumi. Quod enim circa hæc, & similia in illo Populo statuta erant, non sunt ad nostram legem Christianam referenda. Sicut enim non ex eo; quòd in eo Populo quinquagesimo quoq; anno debita remittebantur, & possessiones absque pretio restituebantur antiquis Dominis, & serui libertate donabantur (vnde multi volunt nomẽ *Iubilei* traxisse originem, vt notauimus *tomo. de Pœnitentia Tract.* 9. *disp.* 2. *dub.* 24) non ideò debemus inferre hæc omnia etiam habere locum in populo Christiano: ita, nec illud, quod potuit Deus tanquàm absolutus Dominus pro illo populo statuere, aut etiam Populus ex præscripto Dei, vel à se metipso motus potuit in prima diuisione terrarũ illius Regionis cũ eo grauamine distrubuere fundos, & prædia, & Iure relicto trãseuntibus. Solùm ergo ratio huius limitationis est, quia nõ censetur volũtas excõmunicantis cõprehẽdere prædictum furtum; censeretur autem comprehendere, vt idem Auila concedit cum Medina. C. *de restitutione q.* 10 *vers. ad.* 1. *casum* si nullus accepisset, nisi racemum, & tamẽ magnum damnum fuisset illatum; quamuis Medina propriè non possit referri pro hâc sententiâ, supponit enim, quod quicumque talis peccet mortaliter, nos autem loquimur in casu, quo non sit peccatum mortale in materiâ furti.

Secunda limitatio Soti.

Statuta circa talia in populo Israelitico nõ sunt referenda ad legem Christianam.

Ratio ergo huius limitationis est.

184. Eodem modo cum ipso Auila *suprà* existimo, si excommunicatio feratur propter magnum furtum. v.g. propter mille aureos, & verba generaliter extendantur ad omnes, qui aliquid rapuerunt à tali Domino, & tu non accepisti, nisi vnum argenteum, non ligaris Censurâ, quia nec fuisti causa totalis, nec partialis damni principalis. Imò putat idem Auila te non incurrere quamuis accepisses quantitatem sufficientem ad mortale, & aliquid amplius. v.g. inquit Auila, Octo argenteos in Hispania, & viginti in Indica Regione (Perusnâ scilicèt, in quâ ille versabatur) quia non præsumitur esse intentionem partis quod excommunicatio comprehendat te; nisi per multa furta similia patrata à diuersis magnum detramentum passa sit.

Eodẽ modo putat Author cum Auila latam excõ. pro magno furto non comprehendi accipientem vnum aureum tamẽ ex illo. Ratio.

185. Non affero in confirmationem nostræ sententiæ Suarium *disp.* 20 *sect.* 2. Henriquez *lib.* 13. *c.* 17. *n.* 4. cum alijs, quos refert, nec Couarruuiam, Medinam, & alios, quamuis enim hi omnes mordicùs defendant prædictum ligari Excommunicatione; tamẽ hi omnes supponunt sententiam, quæ agnoscit peccatum mortale, vel in ipsâ acceptione cum circumstantijs supradictis, vel posteâ in retentione. Vnde Suarius, tanquàm certissimum statuit eum, qui tantùm peccauit venialiter accipiendo aliquid paruum, teneri ex ipso Iure naturæ sub mortali restituere cùm primum aduertit id, quod retinet, esse partem damni notabilis, vel, quia ipse acceperat alias paruas quantitates, vel quia alij acceperant: nam cùm posteâ scit se retinere partem damni notabilis, perinde peccat retinendo, quando alij retinent, ac si à principio omnes scientes furta aliorum, furarentur; & licet Nauarrus dicat

eum

eum, qui furatus est multa parua, & furatur postea aliud paruum non peccare mortaliter, adhuc referri non potest pro nostrâ, sententiâ, dicit enim obligari sub mortali ad restitutionem.

186. Nec illud placet quòd Petrus Nauarrus *lib. 3. c. 1. dub. 8.* nescio quo metaphysico discursu ductus docet illum scilicèt solùm teneri excõmunicatione, qui complenit vltimò damnum, notabile & illum etiam, qui suâ quantitate restituta, potest facere, vt non maneat iam damnum notabile. Sanè moraliter loquendo non potest sciri quis fuerit vltimus, qui compleuerit, & quamuis sciretur, non desinerent obligari alij, si ille non restituat; idque maximè, quando quolibet restituente non maneret quantitas notabilis. Sed omittamus hæc, quæ non sunt huius loci. Sufficiat nunc statuere quod præcipuè intendimus, scilicèt, etiamsi non peccet mortaliter Iure naturæ contra Iustitiam posse incurrere Censuram, si non restituat, obligariq; Censurâ ad restituendum.

Obijcies.

187. Obijciet tamen aliquis multò meliùs posse excusari ab excommunicatione hunc, qui seclusâ Censurâ furando, aut retinendo, non peccat mortaliter, quàm ille, qui in casu præcedentis dubitationis furatus est rem paruam, ex quâ damnum notabile sequebatur, ille enim mortaliter peccat, & sciens, & volens intulit damnum; in præsenti autem casu furando tantùm peccat venialiter & damnum sequutum ex furtis aliorum nullâ ratione illi imputatur, & fortè, si sciuisset, non furatus esset, nec postquam sciuit tenetur ex naturâ rei sub mortali, vt supponimus. Ita sentiunt nonnulli, maximè Ledesma *suprà.*

Resp.

188. Respondetur nihilominus disparem esse rationem; nam in casu dubitationis præcedentis tantùm ille peccauit leui furto formaliter loquendo, damnum enim, quod inde sequutum est; non est furtum, sed alius modus iniustitiæ, vt ibi diximus; in nostro verò casu obligatur ad restituendum leue illud furtum non ex vi præcisæ obligationis, quam haberet ex Iustitia sub mortali, sed in ordine ad resarciẽdum damnum proximi, qui per restitutiones illas paruas debet à tali damno liberari, vt explicatum est. Quamuis huiusque dicta, non mihi displiceant; possumus adhuc (vt indicaui *nu. 181. in fine*) illam materiam, quæ putatur leuis meritò censere grauem in ordine ad finem intentum à præcipiente illam restituere. Quamuis enim si spectes præcisè damnum carentiæ illius particulæ, sit res leuis; tamen cùm præcipiens intendat liberare à graui detrimento sic læsum, & non sit aliud medium, quàm leuia multa damna resarciendo in eum finem, per illa maneat grauis læsio, iam in ordine ad talem finem, grauia possunt meritò censeri. Quando enim finis, in quem aliquid vt medium præcipitur grauis est, & tale medium in ijs circumstantijs est necessarium ad finem, grauis est materia. Et quod in ordine ad vnum finem, leuis est materia, in ordine ad aliũ potest esse materia grauis, vt alibi explicuisse memini & trita sunt & vulgaria exempla. Leuis materia est gustare pomum, in ordine ad finem temperantiæ, sed grauis est in ordine ad exhibendam subiectionem Deo in paradiso ab

Quod in ordine ad vnũ finem leuis est materia in ordine ad alium finem potest esse grauis.

Adamo. Leuis itèm materia est vnam guttam aquæ vino miscere in ordine ad temperantiam; graui verò in Missa in ordine ad mysticam significationem. Vide dicenda num. 211.

DVBITATIO XV.

An quando aliquid præcipitur aut prohibetur sub pœna Excommunicationis comminatoriæ, obliget sub culpâ mortali semper, etiamsi materia leuis sit?

189. Conueniunt Auctores primò posse superiores præcipere & obligare subditos ad aliqua; ad quæ alias subditi non tenebantur, & prohibere ea, quæ aliàs licita erant. *Conueniunt Authores 1.*

190. Conueniunt secundò, si superiores præcipiant, aut prohibeant aliquid in materiâ graui, & de se sufficienti ad mortale sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, obligare ad mortale; quia cum materiâ grauis sit, & de voluntate superioris sufficienter constet, obligare velle, nihil deest quominùs oriatur obligatio ad mortale. Loquor autem de Excommunicatione maiori: nam excommunicatio; si minor sit, quomodocumque feratur, non est de se sufficiens signum obligationis sub mortali, cum excommunicatio minor frequẽter incurratur propter venialem culpam iuxta dicta in *hac disputatione dub. 3. 5. 7. & 8.* Præcipuè ergo dubitatio præsens est, quando materia grauis est, & præcipitur sub excommunicatione maiori comminatoriâ; item, quando materia leuis est, & præcipitur sub excommunicatione maiori, vel comminatoriâ, vel etiam latæ sententiæ. *Conueniunt 2.* *Status dubitationis.*

191. In hac re cum Suario *lib. 4. de legibus c. 18.* est in primis notandum excommunicationem maiorem dupliciter esse posse, scilicèt, vel ipso Iure latam, vel per homines ferendam; si sit ipso Iure lata certum est indicare obligationem sub mortali; incurritur enim ipso facto ex vi transgressionis legis; numquàm autem incurritur; nisi propter mortale. De Excommunicatione verò per homines ferendâ multi putant sufficienter significare obligationẽ legis ad mortale, si materia grauis sit. Ita expressè Angelus *verb. lex. n.* 3. Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *c.* 5. Medina *C. de Ieiunio q.* 7. Couarr. §. 9. *n.* 2. *de Excommunic. & regula peccatum p.* 2 §. 5. *n.* 2. Sotus *in 4. disp.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *conclus.* 1. *corollario* 1. Syluest. Ex*communic.* 1. *notabili* 3. & verbo *præceptum q.* 3. Armilla *eodem verbo. n.* 6. Castro de *lege Pœnali lib.* 1. *c.* 5. *ante* 5. *documentum.* Nauarrus r. 23. *n.* 53. Perez *lib. 5. ordin. tit. 1. p. 2. columna 2.* Antoninus citans Ioannem de Neapoli 2. *p. tit.* 4. *c.* 2. & 3. Caietanus 2. 2. *q.* 199. Diana part. 3. Tract. 6. Resol. 76. Sanchez infra citandus & alij. Item Diana ipse latius 9. parte *Tract. 6. Resol.* 5. vbi paulò aliter rem explicat sed substantia sententiæ videtur eadem, & alios refert prò vtraq; parte, & Serræ sententiam nimis laxam reijcit. Verum ex citatis Medina, Castro; & Nauarrus putant obligationem ad mortale pendere ex solâ intentione superioris: quos rectè refutat Vasquez. Fundamentum huius sententiæ est; quia

Nota cum Suario Excomm. maiorem dupliciter esse posse

Censura a Iure lata indicat obligationem sub mortali.

Ab homine etiam ferenda sufficienter significat obligationẽ legis sub mortali si materia sit grauis, Ita Angelus Vasquez *&c.*

Probatur 1.

quia, quando superior habet voluntatem obligandi, & res, ad quam vult obligare est grauis, peccatum mortale est non obedire; sed hîc, vt supponimus, materia est grauis, & signum voluntatis imponendi talem obligationem nullum potest esse melius, quam grauissima pœna adiuncta præcepto, sicut in ciuilibus comminatio pœnæ mortis satis ostendit voluntatem obligandi ad totum id, quod superior potest.

Probatur 2. 192. Probatur 2. quia quoties in Iure præcipitur, aut prohibetur aliquid sub pœnâ Excommunicationis (& idem est, quando præcessit mandatum Iudicis sub excommunicationis pœna,) si statim Iudex de facto excommunicet, valida est Excommunicatio, vt probabimus *sect. sequenti dub. 20.* quia iam præcessit vna monitio, quæ satis est, vt valida sit Excõmunicatio: ergo erat dignus ille homo tali pœnâ; nemo autem meretur Excõmunicari, nisi per peccatũ mortale: ergo peccauerat martaliter. Hæc sẽtẽtia mihi valde probabilis est, imò si intelligatur cum distinctione aut restrictione ex Suario & alijs adhibendâ, est omnino vera. *Hæc sententia Authori placet.*

Aliorum opinio. 193. Alij verò putant, quando lex fertur sub Excommunicatione tantùm ferenda non esse sufficiens signum obligationis sub mortali. Hanc sententiam probabilem putat Antoninus suprà, & Armilla verbo *Lex* n.4. & verbo *Præceptum n.6.* dum solùm indicat priorem sententiam esse securiorem; & pro hac refert Caietanum *in summâ verbo Præceptum*; soletque referri Driedo *lib.2. de libert. Christianâ c.1.* & potest referri Nauarrus *c.23.n. 53.* qui duo Caietanum in *summâ* sequuntur. Idem docet Palaus *tom.1. moralium Tract.3.disp.1.punct.15. n.3.* & alij apud Dianam *suprà.*

Distinguendum est hac in re cum Suario iuxta Autorem. 194. Distinguendum verò est in hac re cum Suario *suprà c. illo 18.5. veritas ergo;* & aliquibus alijs; dupliciter enim potest imponi Censura ferenda: primò, vt lex sufficientem contineat monitionem ita, vt pro illius transgressione statim sine aliâ monitione possit excommunicatio in transgressorem ferri; tunc autem verissima est prima sententio, quæ docet excommunicationem sic ferendam esse signum legis obligantis sub mortali; si enim, vt dicebatur in secundo argumento, potest trangressor statim excommunicari, iam supponitur peccasse mortaliter in illâ transgressione; atque in hoc sensu intelligo loquutos Auctores primæ sẽtẽtiæ, vt notat Suar. *loco citato.* Sanchez etiam *in summa tom.2.lib.6.c. 4.n.51.* (quem refert nec reprobat Diana suprà citatus) sententiam hanc sequitur cum quâdam limitatione, scilicèt nisi excommunicatio sit posita ad terrorem & non statim illam sine vlla monitione inferendi voluntate, eâque ratione putat frequenter fieri à Iudicibus Ecclesiasticis, quod vt rectè notat Diana seruire potest ad tollendos scrupulos pro confessarijs. Hoc tamen totum vix differt â temperamento quod iam subijcio vide Dianam *5. part. Tract. 9. Resol.21.*

195. Secundo ergo modo potest excommunicatio imponi per legem, ita, vt non solùm non inferat illam ipso facto, verùm etiam, nec sufficienter admoneat subditum in ordine ad talem Censurã; sed potius requirat superioris admonitionem, vt si post illam subditus legis transgressor contumax sit, excommunicetur. Tunc sanè excommunicatio ferenda non est sufficiens signum obligationis sub mortali ex vi legis per se spectatæ; fieri enim potest, vt ante monitionem Prælati ea trangressio non sit mortalis; Quamuis enim necessarium sit, vt post monitionem Prælati contumacia in tali transgressione sit mortalis, & transgressor sit excommunicatione dignus, nihilominùs, non potest inde colligi legem per se spectatam obligare sub mortali; multum enim augetur culpa ex inobedientiâ & contumaciâ contra Prælati monitionem: includit enim maiorem contemptum non solùm legis; sed etiam superioris per quem completur causa talis excommunicationis, atq; hanc fuisse mentem Caietani, & Driedonis *loco citato*; sicque exposuisse Nauarrum mentem Caietani testatur Suarius *loco citato.* Notant verò auctores aliqui nostræ huius sententiæ pro alijs censuris & irregularitate pænali si absolutè non proferantur, sed solùm ferendæ sint non esse iudicium obligationis sub mortali. Ita Palaus suprà referens Salam *de legibus disp.10. sect. 9. nu.54. & 62.* Azorium, Vasquez, Suarium, Sanchez & alios quibus adde Dianã suprà. Nauarr. tamen *in Manuali cap.23.n.53.* videtur repugnare quia interdictũ & irregularitas imponi possunt & solent aliquando extra culpam. Sed parum hoc refert quia sermo est de irrigularitate pœnali quæ eo ipso culpam requirit. Interdictum verò semper supponit culpam vt suo loco videbimus. Vide rem hanc latius tractatam paulò post nu.206. & deinceps vbi de suspensione etiam agemus & dicemus quid tenendum in hac re.

196. Dubitari verò potest, quando lex, quæ imponit excommunicationem ferendam requirat monitionem hominis posteà faciendam? & quando per se faciat illam? Nonnulli, teste Suario, affirmant, nunquàm requirere monitionem hominis; nisi hoc exprimat. *Dubium.* *Resp. non nullorum.*

197. Probabilior tamen est sententia Suarij, quòd scilicèt semper talis lex intelligenda sit monitione præmissâ; nisi illam apertè excludat. Probat, tùm, quia hic sensus mitior est, ideoque præferendus in lege pœnali; tùm etiam; quia est Iuri magis conformis; nam excommunicatio, prærequirit monitionem hominis, quando lex illam expressè non facit: tùm denique, quia iuxta communem vsum ita videntur intelligi similes comminationes legum. Atque hoc videntur sentire Auctores prædictæ sententiæ asserentis ex vi talis Censuræ non satis colligi legem obligare per se sub martali, vtique (inquit Suarius) regulariter loquendo; &, nisi lex ipsa declaret, vt excommunicatio feratur nullâ aliâ admonitione præmissâ. *Probabilior sententia Suarij.*

198. Ex tradita doctrina colligitur â fortiori, quãdo in Iure statuitur, ut quis excõmunicetur, si admonitus non destiterit ex eâ pœnâ appositâ non posse colligi transgressionẽ esse mortalẽ, sed aliunde debet iudicari an transgressio sit mortalis. Cùm enim non possit Excommunicatio validè infligi ante monitionem non iudicatur dignus excommunicatione. Ita Nauarrus citatus *c. illo 23.* & Suarius iuxta doctrinam traditam; Huiusmodi autem sunt multa statuta in Iure *Ex tradita doctrinâ a fortiori colligitur.* *Excomm. nõ potest validè infligi ante monitionem.*

Iure, quæ tradit idem Nauarrus *c.27.n.114.& n.115.* Excommunicatione 5. & 7. & n. 138. atque alibi sæpè.

iuxta communem non peccat mortaliter communicans cum excõm. non ter monito.

199. Vnde etiam est communis sententia Doctorum non peccare mortaliter, qui communicat cum excommunicato in casibus non concessis, etiamsi Iudex excommunicauerit omnes communicantes cum excommmunicatis à se; nisi ter nominatim fuerit ille admonitus: quia; nisi præcedat hæc triplex monitio non est valida excommunicatio iuxta caput. *constitutionem de sententiâ excommunic. in 6.* de quo dicemus *dub.37.*

200. Iuxta hanc etiam doctrinam Auila *p.2.c.5. disp. 1.* agens de contumaciâ requisitâ ad incurrendam excommunicationem, doctè, & latè tractat, an Clerici, & Religiosi, dum assistunt agitationi Taurorum, peccent mortaliter? & tandem concludit peccare mortaliter, si publicè assistant, non verò si occultè. Loquebatur autem tunc iuxta Motum proprium Pij V. qui incipit *de salute gregis Dominicæ*, quem tamen Motum proprium postea temporauit Clemens VIII. nec video huiusmodi Motum satis esse vsu receptum in Hispaniâ, vbi non pauci Religiosi assistunt, etiam publicè eiusmodi spectaculis; nam de Clericis sæcularibus constat excusatos iam esse postmodo rationem Clementis VIII. continebat autem huiusmodi Motus tàm Pij quàm Clementis iuxta probabiliorem sententiam, excommunicationem comminatoriã, non latæ sententiæ. Vnde iuxta nostram doctrinam, si eiusmodi Motus non continebat monitionem, imò si non expresse excludebat illam, non erat peccatum mortale interesse eiusmodi spectaculis; nisi post monitionem factam ab homine, scilicèt à superioribus cuiuscumque contenti in illâ prohibitione. Verùm autem de facto excluderet hanc monitionem, vel non, mihi non constat; neque enim præ manibus habeo dùm hæc scribo prædictos Motus proprios. Sed quod ad præsens tempus attinet, neuter videtur vsu receptus in Hispaniâ, vt nuper notabam.

Motus proprius Pij V. sicut & Clementis VIII. cõtra clericos agitationi taurum assistentes iuxta probabiliorẽ sententiam continebat excõmunic. comminatoriam non verò latæ sententiæ

Admonet Castro

201. Admonet etiam Castro *c. illo 5. documento 4.* quoties superior præcipit aliquid sub Excommunicatione in materiâ graui, etiamsi non habeat intentionem obligandi subditos; ipsos subditos teneri ratione conscientiæ suæ sub mortali parere (quod intellige, si alioquin cætera requisita concurrant) etiamsi dubitent de tali intentione; quia licèt tunc lex re ipsâ non obliget, obligamur conscientiâ suâ; ac proinde peccant, imò addit quòd si infligat excommunicationem latæ sententiæ sine intentione ligandi tali excommunicatione, qui contra fecerunt, tenentur ob suam conscientiam, vt excommunicati, licet re verâ non sint. Si tamen subditis constaret de illâ intentione non obligandi, quã habet superior, dum præcipit sub excommunicatione, non peccarent contra faciendo. Sed de hoc paulò post dicemus.

202. Hâc ratione Driedo *suprà c. illo 1. propositione 2.* excusat à peccato mortali scholasticos, qui iussi à Rectore Academiæ sub pœnâ præstiti Iuramenti ire ad concionem, vel lectionem, non eunt, quia, inquit, præsumitur de intentione præcipientis nolle eos obligare presertim in causis communibus, & ordinarijs non magni ponderis, Imò idem Driedo, & Rodriguez *in summâ p.2. c. 9.* docent quando Rectores in communi præcipiunt *sub pœnâ præstiti* ire ad funus, ad concionem &c. etiamsi vellent obligare ad mortale non fore obligationem sub mortali; quia esset voluntas irrationabilis, & temeraria, accedit quòd, vt ipsi concedunt, quando præcipitur sub pœnâ præstiti Iuramenti; non est sensus, vt præcipiatur sub culpâ periurij; sed sub pœnâ, quam meretur, qui iuramentum non obseruat. Sicut Religiosi (ait Driedo) præcipiunt *sub pœnâ inobedientiæ*, id est sub pœnâ in obedientibus debitâ; non sub peccato inobedientiæ. Tantùm ergo volunt Rectores per has loquutiones reuocare in memoriam iuramentum, & obedientiam debitam & hic est communis sensus omnium Scholarum. Hactenus Driedo ferè eisdem verbis. Et Suarius *disp.4. sect.6. n.9. communiter* (inquit) *& benè dicitur à Doctoribus, quando adiunguntur Censuræ leuioribus præceptis illas non esse veras Censuras, sed comminatorias, & ad terrorem;* imò ipse Suarius omnino reprobat earum vsum; quia non continent sinceram veritatem, & possunt esse indoctis occasionem peccandi mortaliter ex conscientiâ erroneâ.

203. Nihilominùs, si materia grauis sit, & apponatur Censura, exclusâ necessitate alterius monitionis, existimo teneri sub mortali, nisi ex consuetudine, vel aliunde constet de intentione superioris non obligandi. Illud tamen, quod dicebat Castro de obligatione ratione conscientiæ, etiamsi dubitetur de intentione superioris, quod velit obligare si loquamur de vero dubio, mihi difficile apparet, imò falsum: ad hoc enim, vt subditi spolientur libertate, quam habent hîc, & nunc faciendi contrarium, debet esse causa in contrarium sufficiens ad causandum illum effectum; talis autem non est lex dubia, id est, de quâ non constat esse verè legem: quo dubio posito definit homo esse contumax maximè; si adhibitâ sufficienti diligentiâ non potest pellere dubium. Vnde in casu talis dubij, etiamsi superior verè habuerit intentionem, vt incurratur Censura ipso facto; si tamen adhibitâ sufficienti diligentiâ adhuc perseueret dubium, non incurretur Censura, imò non peccabit subditus, quia iuxta veriorem mihi sententiam, etiam in alijs materijs præter iustitiam melior est conditio possidentis; ac proinde melior est conditio subditi possidentis suam libertatem, quàm conditio legis, quæ nondum incepit obligare, & possidere suam vim obligandi. *Authoris Iudicium.*

204. Dixi *quæ nondum incepit obligare, & possidere &c.* quia si fortè iam lex prius certò, & indubitatò cæpisset possidere, & obligare, & tunc superueniret aliquod dubium de intentione superioris, an scilicèt velit eam legem seu præceptum in eo vigore, quem sonat, perseuerare, vel non; tunc interim, dum aliud non constat, adhuc obligabit lex, aut præceptum, quia præceptum possidet suam vim obligandi; non verò subditus suam libertatem, sed de hoc latiùs disputare non est huius loci.

295. De alijs verò Censuris, & de alijs pœnis, quæ solẽt apponi v.g. maledictionis æternæ, *De alijs censuris & pœ-*

 vel

tis quæ solū apponi an sint sufficientia signa obligationis ad mortale dubitatur. vel indignationis omnipotentis Dei, dubitari potest, an sint signa sufficientia obligationis ad mortale?

Aliquorum opinio. 206. Et quidem de maledictione æternâ, & indignatione omnipotentis Dei plerique citati docent esse sufficiens signum obligationis grauis. Mihi tamen dubium est, saltèm in casibus, in quibus non est sufficiens signum excommunicatio maior imposita. Si enim Excommunicatio non semper significat obligationem sub mortali, vt dictum est; nisi pult promissam admonitionem, cur non eodem modo philosophari poterimus de ista comminatione maledictionis æternæ, vel indignationis omnipotentis Dei, quæ sunt annexa peccato, quod ad quamlibet excommunicationem incurrendam requiritur? Quod verò attinet ad alias Censuras suspensionis, & interdicti Nauarrus, & Medina negant esse sufficiens signum & dubitat Castro; quamuis hunc dicat Suarius absolutè etiam negare.

Siluestri opinio. 207. Syluester verò, Armilla, & alij maximè Antoninus 2.*p.tit.*4.*c.*2.*§.*3. Angelus apud Suarium absolutè docent obligationis signum esse. Distinguendum tamen est cum Suario; nam, si loquamur de suspensione, quam idem Suarius distinguit agens de suspensione in maiorem & minorem instar excommunicationis, dicendum est cum eodem Suario loco citato de *legibus*, si suspensio sit maior, id est totalis, vel partialis à graui aliquo munere, seu officio; signum esse obligationis grauis sub mortali; neque enim tam grauis pœna imponeretur iustè propter leuem culpam. Nec amplius distinguit Diana loco citato part. 9. quamuis dicat aliquid addendum distinctioni Suarij; solum enim Suarius postulat vt suspensio sit grauis siue sit totalis suspensio siue non omnimoda & non totalis sequatur Diana vbi doctè & eruditè rem exponit. Si autem suspensio sit minor, potest (inquit Suarius) incurri propter levem culpam, ac proinde non erit signum sufficiens obligationis sub mortali. Eodem modo philosophandum est cum proportione (vt docet idem Suarius) de Interdicto; habet enim locum similis distinctio, vt suo loco videbimus. Atque hoc modo intelligendus est etiam Vasquez 1.2. *disp.* 158. *c.*5. cum quo, & cum Suario, & alijs citatis notandum est idem censendum esse de Irregularitate, non semper; sed, quando habet rationem pœnæ; tunc enim semper est pœna grauis. Præterea Interdictum tunc obligat ad mortale, quando imponitur tanquàm vera pœna respectu eius, qui dedit causam Interdicto, nunquàm enim imponitur sine graui culpâ eius, qui personaliter, & specialiter interdicitur: solet enim, vt constat, vniuersale interdictum, etiam innocentes comprehendere; quia non est propriè pœna respectu eorum; ac proinde nullam, nedum mortalem, indicat culpam.

Distinguendum iudicat Author cum Suario.

Assertio 2. quando materia. apertè leuis est licet superior sub excommunic. præcipiat 208. Asserendum est 2. quando materia apertè leuis est, etiamsi superior sub excommunicatione præcipiat, transgressio non erit peccatum mortale. Ita Couarr. 1.*p.* §.9.*n.*2.*&* 3. Sotus *dist.*22.*q.*1.*art.*2.*conclus.*1. *Corollario* 1. Castro *lib.* 1. *de lege pœnali c.* 5. *documento* 2. Driedo *lib.*2. *de libertate Christiana c.*1. *ante* 3. *propositionem* & *lib.* 3.*c.*3. *ad* 5. *argumentum.* Sà *verbo lex n.*5. & verbo *Excommunic. n.* 18. Rodriguez *in summa p.*2.*c.*9. *in fine*, & de *ordine iudicali c.*10. *conclus.* 6. Suarius varijs in locis: tùm de *legibus*; tùm sæpe alibi; expresséque supponit *in citato c.* 18. & omnium optimè, & latè probat Vasquez 1.2. *disp. illa* 158. *c.* 4. Azor *lib.* 5. *c.* 6. *q.* 5. qui omnes, & alij docent, non esse in potestate legislatoris, aut superioris obligare ad mortale; nisi materia grauis sit. Ex quo sequitur, etiamsi apponat grauissimam pœnam, non obligare ad mortale. Et, quidquid sit, an quando materia grauis est, possit obligare ad veniale tantùm (de quo suo loco disputabimus) illud pro nunc verissimum est, non posse facere, vt materia leuis, manens leuis, sit causa, & materia obligationis grauis. Itaque licèt ex volũtate legislatoris pendeat præcipere, aut non præcipere; tamẽ semel posito præcepto ex lege naturali deriuatur obligatio parẽdi; ratio enim naturalis dictat parendũ esse præceptis superiorum; quia (vt inquit Paulus *ad Rom.* 13.) *omnis potestas à Domino Deo est, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* Vnde nõ parere in re graui grauiter Deo displicet, & grauis Dei offensa cẽsetur; in re verò leui, tãtùm leuis; quantitas ergo obligationis nõ pẽdet ex voluntate Legislatoris; sed ex quantitate materiæ. Eodem modo putant non esse in potestate vouentis, aut Iurantis, obligare se ad mortale, aut veniale; sed de hoc disputare non est huius loci, & quidem de Iuramento longè alia ratio esse potest quam de voto, vt suo loco videbimus.

transgressio non erit mortale peccatum.

Probatur

Confir. 209. Confirmatur doctrina nostra, quia Prælatus, aut legislator nihil sine legitimâ causâ, & ratione præcipere potest; nec obligatio pendet ex absolutâ; sed ex rationabili eius voluntate; non est autem rationabilis si (vt dicitur *Ezechielis* 34.) cum austeritate, & potentiâ imperet, vel si onera grauia & importabilia iuxta verbum Christi *Matthæi* 23. imponere velit.

Confirmatur 2. 210. Confirmatur 2. quia superior non potest maiorem obligationem imponere subditis, quam Ius Diuinum, & naturale; sed neutrum horum in materiâ leui obligat sub mortali: ergo nec superior.

In hac re magna adhibenda est cautio. 211. In hac tamen re magna est adhibenda cautio, ut prædicti Auctores monent; nam primò quoties dubium est, an materia sit leuis, aut non? pro superiore standum est. In casu autem probabili pro vtrâque parte philosophandum est iuxta dicta præcedenti *disp. dub.*24. *a §. Asserendum tandem nu* 351. Secundò oportet attendere non solùm rem, quæ præcipitur, sed etiam necessitatem, vtilitatem, & causam præcipiendi, & potissimùm finem legislatoris, aut Superioris, ac denique omnes circumstantias, si enim leuis patuis rebus; aut, quæ tales videntur, adiungatur scandalum aliorum, aut occasio relaxationis regulæ, professionis, aut bonum publicum, absque dubio grauis materia erit. Vnde ex diuerso fine ab Ecclesiâ intento videmus in diuersis præceptis diuersimodè de materiâ iudicari; sic semel non audire Missam materia grauis est respectu præcepti Ecclesiastici obseruandi festa, & tamen semel non audire Missam contra statutum alicuius Collegij audiendi quotidiè Sacrum, non erit materia grauis etiamsi præceptũ esset

Ex diuerso fine ab Ecclesia intento in diuersis præceptis, diuersimode de materia iudicatur.

esset sub excõmunicatione, quia finis illius præcepti est Dei cultus, & animæ ipsius audientis profectum; huius verò finis est bona gubernatio domus; ad hunc autem finem, non est grauis materia, vna, vel altera omissio, esset autem grauis; si transgressio frequens esset. Vnde attento fine legis arbitrio prudentis iudicandum est de grauitate, aut leuitate materiæ, vt docet Vasquez t. 2. *disp. illa* 58. *c.* 6. *n.* 59. De peccante verò ex contemptu tantum; quia res leuis est, legatur Vasquez eâdem disp. c. 4. in fine, & dicta à nobis *dub. præcedenti nu.* 188.

Attento fine legis, arbitrio, prudentis iudicandum est de grauitate aut leuitate materia ita Vasquez

Hanc doctrinam de considerãda graui aut leui materia sequitur Suarius.

212. Hanc doctrinam de considerandâ graui, aut leui materiâ sequitur Suar. de *Censuris disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 6. & dixerat *disp.* 4. *sect.* 6. *n.* 15, vbi propter bonum commune (inquit) grauis materia Censetur cùm Inquisitores vocant ad Edictum sub excommunicatione, aut Iudex præcipit aliquem comparere in iudicio. Vnde oportet scire finem, & circumstantias, & scire certò, etiam omnibus consideratis leuem esse culpam, & improportionatã Censurã; sæpe enim apparet leue, quod in ordine ad finem intentum nobis incognitum erit graue; & exemplum est accommodatum, quando excommunicatio fertur ob furtum, si res furto ablata sit leuis, omnino non ligat; si tamen sit leuis, sed pars magni damni ligat. Ideo oportet certò & in dubitatò constare leuem esse culpam, & improportionatam Censuram, quæ omnia consonant cum dictis *notato n.* 188. *dub. præcedenti* in fine.

SECTIO TERTIA.

De forma, & modo seruando in ferendâ excommunicatione.

DVBITATIO XVI.

An pro damnis temporalibus ferenda sit Excommunicatio?

Asserendum est pro dãnis parui aut magni momenti temporalibus ferri non posse excommunicationem, si potest exequutio realis fieri.

213. Asserendum est pro damnis parui momenti temporalibus ferri non posse; imò, nec pro damnis magni momenti, si potest exequutio realis fieri, aut aliâ procedi viâ; nam præter antiquos Canones extat nouum Decretum de hoc in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de reform.* a. *c.* 3. si tamen damnum sit graue, & dãnificator sit occultus, licitè potest fieri excommunicatio contra talem damnificatorem, & contra scientes; nisi reuelent. Quamuis autem hoc solùm Episcopis concedat Concilium Tridentinum; tamen id ipsum licitè possunt eorum Vicarij Generales alio nomine Prouisores, vt tradunt Gutierrez *tomo.* 1. *Quæstionum Canonicar. c.* 15 *n.* 8. Henriquez *lib.* 13. *c.* 17. *n.* 4. & Auila *p.* 2. *c.* 5. *disp.* 2. *dub.* 2. tùm, quia est idem Tribunal; tùm, quia de hoc fuit declaratio Cardinalium, quam referunt; tùm denique ex vsu, & praxi receptissimâ.

Docent aliqui in rebus Ecclesiasticis posse procedi per censuras etiamsi exequutio realis aliâ viâ possit fieri

214. Docent etiam hi Auctores in rebus Ecclesiasticis posse procedi per Censuras, etiamsi exequutio realis aliâ viâ possit fieri, & etiamsi debitum sit certum, & persona nota; id quod etiam est vsu receptissimum, quamuis in hoc foro Ecclesiastico tentanda quoque sint priùs alia media, vt capere pignora; & similia, vt habetur in Tridentino.

Ex dictis colligitur 1.

215. Ex dictis sequitur primò peccare ordinarios, si pro rebus parui momenti ferant Excommunicationem. Ita Sotus *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *post* 4. *conclus.* Nauarrus *c.* 27. *n.* 9. Gutierrez *suprà n.* 59. & sequentibus Rodriguez *c.* 79. *conclus.* 1. & 3. imò mortaliter peccant, vt docet Victoria in *summa*. de *Excommunic. n.* 334. aliàs secundum aliam diuisionem. *n.* 51. Vnde Gerson non in congruè dixit *lib. de vitâ spirituali p.* 3. *lect.* 4. *coroll.* 7. huiusmodi Prælatos similes esse homini, qui volens abigere muscam à fronte vicini, eum securi percutiens occidit.

Colligitur 2.

216. Colligitur 2. etiam peccare Prælatos si ferant excommunicationem in causis sæcularibus, quando damnificator non est occultus, & potest aliâ viâ procedi, & exequutio fieri. Probatur ex dicto Decreto Tridentini, & ex *c. Causam* 2. *qui filij sint legitimi* Præterea, quia in eo casu Iudex Ecclesiasticus sine causâ vsurparet sibi officium Iudicis, sæcularis. Ita cum communi sententiâ docet Auila *suprà dub.* 1.

Colligitur 3.

217. Colligitur tamẽ 3. si Iudices Ecclesiastici contra prædicta decreta ferant excommunicationes, easque varias, quamuis ipsi malè in eo faciant valere dummodò peccatum mortale contumaciæ ex parte excommunicandi præcedat. Ratio est; quia nullo Iure tales excommunicationes irritantur, vt notant Sotus, Gutierres, & Auila *suprà*.

Colligitur 4.

218. Colligitur 4. causam directam, & per se ferendi has excommunicationes contra sæculeres debere esse vtilitatem spiritualem maximè delinquentis, scilicèt, vt exeat à peccato restimõdo, vel satisfaciendo. Vtilitas autem temporalis damnificati solùm est causa indirecta, & secundaria. Ita Henriquez *lib.* 3. *c.* 18. *n.* 4. *in fine* & Auila *suprà conclus.* 3. quamuis etiam possit ferri ad vitandum damnum spirituale damnificati, ne vel desperet vel impatiens fiat, &, vt liberetur à magno damno temporali, ne inde occasionem sumat magni damni spiritualis, vt iam notauimus *suprà*.

219. Atque hoc capite excusari potest imò, & sæpè laudari quòd Episcopus intromittens se in resarciendis damnis temporalibus velit succurrere suis ouibus laicis; neque enim in ordine ad talem finem spiritualem censetur iniustè vsurpare Iurisdictionem sæcularem, vt rectè notat idem Auila citans Victoriam.

220. Item idem Auila docet, & meritò in casu, quo Iudex sæcularis nollet iustitiam exequi, vt tenetur, posse cogi per Censuras à Iudice Ecclesiastico, vt præstet suum officium, quia potestas Ecclesiastica potest corrigere sæcularem. Atque etiam, si fortè Iudex sæcularis nolit procedere contra debitorem, seu damnificatorem, poterit Iudex Ecclesiasticus contra talem debitorem procedere vt habetur *c. Ex transmissa de foro competenti*, & Gloss. ibi, quæ alios Textus allegat.

DVBITATIO XVII.

An Excommunicatio habeat aliqua determinata verba pro forma? & an requiratur intentio excommunicantis? & hæc debeat regulari per intentionem partis petentis excommunicationem?

Asserendum 1. ad ferendam excommunicationem aut aliā censurā nulla determinata verba requiri pro forma.

221. ASsero 1. ad ferendam excommunicationem, aut aliam Censuram nulla determinata verba requiruntur pro formâ; sed tantùm ea, quæ exprimunt intentionem excõmunicandi. Est recepta sententia Doctorum. Ita Sylvest *Excommunic.* 1. n. 12. Nauarrus. c. 27. n. 12. & alij, quos refert, & sequitur Vgolinus *tabul.* 1. c. 20. *in principio & tabul.* 2. c. 28. Auila p. 2. c. 2. *dub.* 1. Coninc. *disp.* 13. *dub.* 2. n. 23. Suarius *disp.* 3. *sect.* 7. n. 5. Filliucius c. 3 *quæsito* 2. n. 53. Reginald *lib.* 9. n. 194. Ratio est, quia nullo Iure cautum est censuram per certa verba debere ferri.

Asserendum 2. intentionē Iudicis excōmunicantis requiri.

222. Assero 2. intentio Iudicis excommunicantis adeò requiritur, vt etiamsi quis putet se excommunicatum, si excommunicatio re verâ non fuit lata, vel non fuit intentio ferentis, vt liget, non incurratur, quãuis ob conscientiã erroneam obligetur homo ad se gerendũ, tanquàm excõmunicatum. Ita Castro *lib.* 1. *de lege pœnali* c. 5. *documento* 4. Syluest. *Excommunicatio* 2. *casu* 14. Nauarrus c. 27. n. 11. Angel. *Excommunic.* 3. n. 16. Couarr. §. 10 n. 15. *vers.* 12. Suarius *disp.* 2. *sect.* 4. n. 10. & alij multi.

Asserendum 3. intentionē excommunicantis explicari debere iuxta petitionem partis.

223. Assero 3. quando excommunicatio fertur ad petitionem partis, intentio excommunicantis secundum eam explicari debet. Ideò non ligat excommunicatio vltra intentionem petentis. Ita Syluest. *excommunic.* 2. n. 1. *casu.* 14. Angelus *Excommunic.* 3. n. 16. qui id probant ex c. *bonæ memoriæ c. de postulatione Prælatorum.* Nauarrus c. 27. n. 11. & alij communiter. Ratio est; nam iudicium Iudicis ab aliquo postulatum, & requisitum non debet excidere intentionem requirentis: ergo non comprehendit eos, quos pars non intendit comprehendere.

Ex hac doctrina Colligitur 1.

224. Ex hac doctrinâ colligitur 1. quãdo maritus, vel Pater petit excommunicationem contra eos, qui clàm aliquid rapuerunt, nõ comprehendi regulariter loquendo vxorem, nec filios. Ita Sotus *lib.* 5. *de Iustitiâ q.* 3. *art.* 1. *in fine corporis,* Ludouicus Lopez *in Instruct.* p. 2. c. 12. *in fine* Cordub. in *summâ q.* 175. Rodriguez c. 79. *conclus.* 15. Petrus â Nauarra *lib.* 3. *de Restitutione* c. 1. *dub.* 5. n. 81. Henriq. *lib.* 13. c. 20. n. 1. Auila p. 2. c. 5. *disp.* 5. *dub.* 1. Dixi regulariter loquendo; nam, si maritus, vel Pater explicet hoc etiam velle, vel, si quantitas tanta sit, vt prudenter præsumatur eum velle, ligantur, vel saltèm se debent putare excommunicatos, quamdiù durat præsumptio, quousque constet de intentione, vt rectè Corduba, Lopez, Rodriguez, & alij suprà,

Colligitur 2.

225. Colligitur 2. si creditor, ad cuius petitionem lata est excommunicatio ante completum terminum præfixum à Iudice proroget illum, quamuis debitor non restituat intra terminum illum primum à Iudice præfixum, non incurrere excommunicationem propter rationem, quâ probauimus hanc tertiam assertionem. Et confirmatur, quia huiusmodi excommunicatio fertur propter debitoris contumaciam in fauorem creditoris: dato autem assensu creditoris cessat contumacia debitoris. Confirmatur 2. quia, si creditor ante terminũ à Iudice præfixum remittat omnino debitum, debitor non soluendo, non incurreret: ergo etiam prorogato termino ab eodem non incurret, quidquid in contrarium senserint Hostiensis, & Innocent. in c. *Præterea* 2. *de appellat.*

226. Quæret tamen aliquis an, si non soluat in 2. termino à creditore præfixo, incurrat illo transacto? *Quæret aliquis.*

Sententia probabilis.

227. Probabile est, si terminus prorogatus fuit ex consensu Iudicis incurrere secùs verò, minimè. Ratio est, quia quamuis excommunicatio data ad petitionem partis possit impediri antequàm incurratur solùm per consensum partis; suspendi tamen non potest, aut differri, vt posteà habeat effectum, semelque sublata iterum reuiuiscat; ad hoc enim requiritur Iurisdictio; est enim tollere primam excommunicationem, & aliam ad diuersum tempus imponere. Ita Pedraza *Præcepto* 7. n. 15. Angelus *excommunicatio* 1. n. 1. *casu* 13. Nauarrus c. 27. n. 15. Couarr. p. 1. §. 11. n. 6. Cordub. *in sum. q.* 20. Rodriguez c. 84. *conclus.* 2. & 3. Henriquez *lib.* 13. c. 20. n. 1. qui plures citat. Sà *verbo excommunicatio n.* 6. Auila *suprà* & alij.

Probabilior opposita sententia quam sequitur Suarius.

228. Probabilior nihilominùs est opposita sentententia, quæ absolutè docet incurrere; eamque sequitur Suarius *disp.* 3. *sect.* 6. *in fine* cum Innocentio, & Hostiensi nuper citatis. Item Antonius Gomez ad 10. *clausulam Bullæ Cruciatæ* n. 26. referens plures, imò ait esse communem sententiam, quam sequitur Rodriguez *tomo* 1. *quæst. Regularium q.* 61. *art.* 6. aitque esse communem sentiam Canonistarum secundum Rebuffum, & Couarr. c. *Quamuis pactum.* p. 1. in principio n. 5. Ratio huius sententiæ est; quia sicut Iudex Censetur velle, vt incurrat, si inuito creditore terminum præfixum transgrediatur, non tamen, si de consensu creditoris differat solutionem vltra terminum: ita etiam censetur velle, vt incurrat, si vltra terminum à creditore concessum differat solutionem. Quod sic explicatur. Nam terminus ille impositus à Iudice, intelligitur negatiuè, scilicèt, ne vltra illud differatur solutio: habet autem sub intellectam conditionem scilicèt inuito creditore; quia in eius gratiam talis sententia fertur, & ideò cùm primùm ipse incipit esse inuitus, impletur conditio, quia iam vltra terminum differtur solutio inuito creditore. *Ratio.*

Confirmatur 1. ex doctrina & praxi cõmuni recepta.

229. Hoc ipsum confirmo ex doctrinâ & praxi communi receptâ, quam tradit Nauarrus c. 23. n. 104. vbi docet excommunicationem latam ipso Iure contra pensionarium, si non soluat pensionem intra certũ terminum, non censeri incursam, donec is, cui pensio debetur declaret se velle illam esse incursam, & illo declarante, incurri etiam post terminũ. Cuius doctrinæ & sententiæ Suarij tota ratio est, quia Papa, seu Iudex suam intentionem vult regulari per inten-

intentionem partis, ad cuius instantiam fert excommunicationem.

Confirmatur à simili. 230. Confirmatur adhuc hæc sententia à simili, quia si excommunicatio feratur (vt sæpe solet) contra omnes occultos damnificatores, debitores, nisi intra mensem restituant: tunc si aliquis eorum toto illo mense est impotens, non incurrit; & tamen, si post mensem fiat potens, & non restituat, incurret, si adhuc Iudex fungatur officio, vt expressè concedit Sotus *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *Post.* 4. *conclusionem casu* 2. ergo pari ratione in nostro casu, quia subintelligitur conditio, quandocumque trāsacto termino illo extiterit contumacia. Eandem sententiam confirmat Suarius *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 14. *ex c. Odoardus de Solutionib.* ibi legatur.

DVBITATIO XVIII.

An Excommunicatio debeat ferri in scriptis sub mortali? & an valeat non in scriptis.

Asserendum est 1. *non debere ferri Censuram solo verbo sed in scriptis Iudexq; contra faciens mortaliter peccat & incurrit suspensionē.* 231. **A**Sserendum est 1. non debere ferri censuram solo verbo; sed in scriptis, vbi expressè contineatur causa, propter quam fertur excommunicatio, ipsique excommunicato tradatur intra mensem si petierit. Ita habetur expressè c. 1. de *senten. Excommunic. in* 6. Iudex autem contra faciens mortaliter peccat, & incurrit suspensionem, vt mox dicemus. Ita Nauarrus c. 27. *n.* 8. & Petrus Sotus *lect.* 3. *de Clauibus* circa principium. Sayrus *lib.* 5. *c.* 13. *n.* 17. Angelus *suspensio* 1. *n.* 6. Vgolinus *tabul.* 1. *c.* 14. §. 6. Henriquez *lib.* 13. *c.* 34. *n.* 4. Auila 2. *p. c.* 2. *disp. vnicâ dub.* 3. & 3. *p. disp.* 3. *dub.* 1 *conclus.* 4. Suarius *de Censuris disp.* 3. *sect.* 13. & *disp.* 37. *sect.* 13. *prope initium*; Coninc. *disp.* 13. *dub.* 9. *n.* 85. Filliucius c. 4. *quæstio* 9. & alij multi; est enim communis sententia; & (vt Suarius primo loco expendit n. 8.) ex pœna eodem Textu impositâ colligitur esse grauem culpam; nam contra faciens suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & Diuinis officijs, Quæ pœna grauissima est, & (vt ait Suarius) propriè est Censura talis suspensio; nam ibi addit Pontifex, quod, si talis Iudex sic suspensus durante suspensione exerceat solemniter actum Ordinis, fiet irregularis. Vide Dianam part. 5. Tract. 9. Resol. 79.

Hanc suspēsionem non incurrunt Episcopi. 232. Hanc tamen suspensionis pœnam non incurrunt Episcopi quia eorum non fit particularis mentio in eo Textu; hoc autem necessariū erat, vt ipsi incurrerent suspensionem, & interdictum iuxta c. *quia periculosum eodem tit. de sent. excommunic. in* 6. idemque iudicium est de illis, qui sunt superiores Episcopis.

Excusantur ignorantes hoc ius, & pœnam in eo contentā. 233. Pari ratione excusantur ignorantes hoc ius, & pœnam in eo contentam, vt rectè notauit Angelus *Excommunic.* 2. *n.* 3. & alij. Probaturque ex illo verbo Textus *Si quis autem eius modi Constitutionis temerarius violator extiterit &c.* nec enim censetur talis, qui bonâ fide, & ex inaduertentiâ Censuræ id fecerit. Sylvester verò *Excommunicatio* 1. *n.* 12. & 14. Nauarrus *suprà*, & Gloss. *in eodem verbo Textus.* dicunt rarò inueniri ignorantiam, quæ excuset, quia omnes Iudices, & Prælati tenentur hoc scire. Verùm (quidquid sit de culpâ) ignorantia, vt videbimus suo loco, excusat ab incurrendâ Censurâ.

Excusantur etiam Prælati religiosorum in ferendis Censuris contra suos subditos sine scripturâ. 234. Excusantur etiam Prælati Religionum in ferendis Censuris contra suos subditos, sine scripturâ, siue, quia nimis durum esset ipsis seruare hunc ordinem Iuris, cum sæpe Censuram ferre debeant, vt ait Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 8. quæ ratio mihi non placet, neque enim ita frequens est, aut esse debet excommunicatio in Religionibus; quin ordinariè maturè prius consideretur, & præmissâ monitione feratur. Quod si aliquando casus esset nimis vrgens, nec facile concederet tempus scribēdi, etiam in alijs extra Religionem ferri potest sine scripturâ, vt mox dicemus. Vnde melius probat Auila *suprà dub.* 8. quia Prælati Religionum habent priuilegium ad excommunicandum solo verbo, sine scriptis, vt patet ex compendio Minorum verbo *Excommunicatio* § 7. non tamen habent priuilegium ad ommittendam Canonicam monitionem. Hanc eandem sententiam sequuntur Angelus referens quosdam Canonistas, Gabriel *dist.* 18. *q.* 2. *conclus.* 7. Toletus *lib.* 1. *c.* 7. & refert etiam potest Sylvest. & Nauarrus *suprà*, Quamuis enim tantùm excusent quando id habetur in suis Constitutionibus, iam pleræque vel per se, vel per communicationem cum alijs Religionibus id habent; intelligendæ tamen sunt Constitutiones nomine (vt rectè Nauarrus, & Auila) illæ tantùm, quæ sunt confirmatæ à summo Pontifice; nam cùm forma excommunicandi in scriptis sit Iuris communis, non potest illi derogari per Constitutiones, quæ non sint à Papâ confirmatæ. Vide Dianam part. 5. Tract. 9. Resol. 73. & Resol 79. & prius Resol. 20. vbi distinguit cum alijs quos refert inter excommunicationem contra priuatum, & contra prouinciam totam: & in hoc secundo casu non admittit eam doctrinam. sed in omnibus standum puto vsui, & consuetudini; si tamen nulla sit in contrarium non displicet distinctio.

Excusantur item ab illa Pœna & culpa qui solo verbo Excomm. propter iustā & vrgentē causam. 235. Excusantur etiam ab ea pœnâ, & à culpâ, qui excommunicant solo verbo propter iustam vrgentem causam, vt, si laicus iniustè ab Ecclesiâ extractus, vel Clericus subitò feratur ad supplicium per Iudicem sæcularem, & quoties est periculum in morâ. Ita docet Gloss. *in dicto c.* colligitque ex illo verbo Textus *Si quis temerarius violator extiterit* & Auila suprà, quidē esse dicendum affirmat de excommunicante non præmissâ trinâ monitione propter similem causam.

236. Non incurrit etiam suspensionem Iudex verbo tantùm excommunicans, quoties excommunicatio non sortitur effectum, sed caret illo, vt quia alter appellauit, vel paruit. Ita cum alijs docet Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disp.* 3. *n.* 15. Ratio est, quia Censura non incurritur nisi consummatus sit actus, qualis non est ille eo ipso quòd excommunicatio non habeat effectum.

237. Asserendum est 2. id quod diximus de *Excomm.* habere locum in alijs Censuris, suspensione scilicet, & Interdicto; id enim expressit Pontifex in citato Textu. Ideò meritò Suarius *disp.* 3. *Asserendum* 2. *id quod dictum est de excommunicatione*

habere locũ in aliis censuris.

disp. 3. sect. 13. n. 2. de omnibus Censuris affirmat esse in scriptis ferendas; imò, & plerique Auctores citati pro primâ assertione.

Notat Suarius.

238. Notat etiam Suarius n. 1. hoc tantùm habere locum in Cẽsuris latis ab homine, quod ex verbis eiusdem Textus clarè colligitur: & quia in Censuris à Iure, vel per Statuta latis solùm ea solemnitas est necessaria, quæ ad ferendam legem requiritur. Notat etiam n. 6. id, quod dicitur de causâ in scriptis ponendâ, solùm habere locum in Censurâ latâ contra particularem personam notam, non verò, quando fertur contra ignoratam, vel tantùm in futurum.

239. A doctrina prædictarũ assertionum eximuntur ferentes simplicem prohibitionem; qui non intendunt ferre Censuram propriè dictam, vt, quando præfecti Chori abigunt, & repellunt aliquos Canonicos à Choro; sed non intendunt illos propriè suspendere à Choro. Ita Bonacina suprà ex Auilâ *citato dub.* 3. & alij Recentiores communiter.

Asserendum 3 Censuram latam sine prædicta solemnitate validã esse

240. Asserendum est 3. Censura lata sine prædictâ solemnitate, quamuis iniustè feratur, valida est. Colligitur hæc assertio clarè ex illis verbis Textus citati *superior verò, ad quem recurritur, sententiam ipsam, sine difficultate relaxet &c.* relaxare enim propriè est soluere quod erat ligatum: supponit ergo sententiam illam verè ligasse. Itaque omissio Scripturæ, seu causæ non est omissio formæ substantialis; sed tantùm accidentalis; Ideò valet Censura. Ita Suarius *disp.* 3. *sect.* 13. *n.* 8. & *lib.* 5. *de legib. c.* 32. Filliocius *suprà. n.* 109. & alij communiter.

Obijcit Ripa

241. Sed Ripa In Rubricis de constitutionibus *n.* 48. putat prædictam Censuram esse nullam, propter *c. finale de sentent. & re iud.* vbi habetur, quod omnis sententia lata absque scripturâ, sit nulla.

Resp. cum Suario.

242. Respondetur tamẽ cũ Suario *suprà n.* 11. id solùm intelligendum esse de proprijs, & rigorosis sententijs definitiuis, non verò de Censuris, quæ potiùs sunt quædam Ecclesiastica mandata, & sententiæ medicinales, quæ magis ad emendationem, quam ad punitionem applicantur.

243. Alia solemnitas solet requiri in Excommunicatione, scilicèt, vt publicetur, seu denuncietur. Quâ de re latè Suarius *disp.* 3. *sect.* 14. vbi declarat, quando Iudex teneatur eam denuntiationem facere, & quando teneatur eam prætermittere, & quando possit, sed non teneatur eam facere. Quæ omnia legi possunt apud ipsum. Nos verò omittimus, quia merè ad forum externum contentiosum spectant.

DVBITATIO XIX.

An verba, quibus, siue prolatis, siue scriptis fertur Censura debeant esse determinata, & definita ad aliquam particularem Censuram, & personam?

Asserendũ 1.

244. ASserendum est primò Censuram ita ferri, & exprimi debere, vt verba, in quibus continetur, sint definita, & determinata ad aliquam particularem Censuram. Vnde qui sic ferret Censuram: *quicumq́; arma prohibita gestat, vinculo Censuræ ipso facto subiaceat*: nihil operabitur; quia verba nullam in particulari censuram determinant; effectus autem non potest causari in communi, & in genere; sed in determinatâ specie. verba autem faciunt, quod significant, & non aliud. Cum ergo vox *Censura* non significet in specie aliquam Censuram; sed solùm in genere, nihil fiet.

Dices.

245. Nec obstat, si dicas eum, qui fert excõmunicationem verbo generali *Excommunico* habere effectum: ergo qui dicit fero Censuram, aut subiaceat Censuræ, etiam habebit effectum, neganda enim est consequentia; nam verbum *excommunico*, seu *excommunicatio* absolutè significat excommunicationem maiorem. verbum autem *Censura* non significat potiùs Excommunicationem, quam suspensionem, aut Interdictũ. Ita Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 9. Filliucius *c.* 3. n. 55. & alij multi.

Ex dictis colligunt nõnulli non incurri excõmunicationẽ vel suspensionem quando feruntur sub disiunctione. Ratio.

246. Ex dictis colligunt nonnulli, non incurri excommunicationem, vel suspensionem, quando feruntur sub disiunctione, vt, si dicatur, *qui gestet arma prohibita sit excommunicatus, vel suspensus, aut Clericus, qui tulerit arma, sit suspensus ab Officio, vel à Beneficio.* Probant, quia cùm verba non sint determinata ad aliquam particularem censuram, & effectus debeat esse determinatus, nullus fiet. Accedit, quòd sententia sine certâ quantitate prolata non meretur nomen sententiæ *l.* 3. *C. de senten. quæ sine certa quantitate profertur.* Prætereà non est maior ratio cur vna potiùs Cẽsura incurratur, quàm alia, aut cur verba de vno potiùs effecto intelligãtur, quàm de alio. Ita Nauarrus *c.* 27. *n.* 161. & alij, quos refert, & sequitur Vgolinus. *Tabul.* t. 1. 20. §. 3. *n.* 4 Henriquez *lib* 13. *c.* 32. *n.* 4. Sayr. *lib.* 4. *c.* 7. *n.* 3. & alij nonnulli. Vide Dianam part. 5. Tract. 9. Resol. 63.

Probabiliùs Suarius & alij putant valere censurã sub formâ disiunctiuâ.

247. Suarius verò *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 12. Filliocius *Quæstio* 5. *n.* 58. & Turrianus apud Dianam & alij probabilius putant valere Censuram sub formâ disiunctiuâ; quamuis enim sub hac formâ data non sit absolutè determinata ad vnam partem; nihilominùs confusè saltem est definita, & determinata ad vnam earum Censurarum; nam Iudex intendit, vt delinquens vnam illarum incurrat; ita, vt liberum sit delinquenti se applicare ad partem, quam ipse voluerit. Probãt à simili in sententiâ a Iudice latâ; vt reus, vel soluat Ducẽtos aureos, vel mittatur ad triremes per biennium, aut quando Confessarius iniungit pœnitenti satisfactionem sub disiunctione, vel ieiunandi vnâ die, vel elargiendi eleemosynam certæ quantitatis. In quibus casibus liberum est reo, vel pœnitenti eligere alterutrum: ergo idem erit de Censurâ sub disiunctione. Vide Dianam *citata* 5. *parte Tract.* 10. *Resol.* 13. loquente de suspensione disiunctiua ab officio & beneficio,

Vtraq; sententia satis probabilis videtur asseri sed prior ipsi magis placet.

248. Vtraque sententia mihi satis probabilis videtur; sed illa prior mihi magis placet; Neque est par ratio in exemplis adductis; nam pœna prædictorum exemplorum continet exequutionem ex parte eius, qui afficitur tali pœna, atque adeò non mirum, si possit esse locus electioni ex-

ex parte ipsius. Excommunicatio verò vel suspensio propriè non requirit exequutionem ex parte eius, qui subit pœnam, nec requiritur voluntas ipsius ad hoc, vt illam patiatur; Censura enim, siue excommunicationis, siue suspensionis sine vllâ cooperatione subeuntis incurritur, etiãsi alioquin teneatur seruare id, quod inde resultat, vt in excommunicatione abstinere à participatione in Diuinis, & consortio aliorum, & in suspensione abstinere. v.g. ab exequutione officij, vel ordinis, quæ abstinentia non est ipsa Censura; sed effectus Censuræ. Vnde vix potest intelligi electio ex parte patientis; nisi fortè quatenùs infligens Censuram applicat intentionem ad infligendam illam, quàm Censurandus elegerit & hoc videtur velle Turrianus de Censuris lib. 1. disp. 4. dub. 1. Quod si Censurandus nullam eligat, non erit assignabilis vtra sit incurrenda ex duabus, quas sub disiunctione tulit superior posito quod nullam tunc superior determinet & nolit incurri, nisi illam, quem censurandus elegerit. Legatur Diana loco citato.

249. Sed aiunt nonnulli, in quibus Suarius, & Fillincius *suprà* in eo euentu subiacere vtrique pœnæ; nam hæc videtur intentio ferentis pœnas sub disiunctione. Hæc tamen solutio multò mihi magis displicet; ex nullo enim capite constat hæc intentio ferentis; nulla enim verba id significant, maximè cum verba legis pœnalis, aut præcepti strictè sint interpretanda. Præterea sæpe contingit vt delictum, cuius intuitu imponitur, dignum sit alterutrius non vtriusque simul. Cur ergo tunc existimabimus superiorem vtramque velle infligere pœnam?

250. Secundo respondent dici posse delinquentem, qui vnam Censuram non obseruat censeri alteram elegisse; nam, quando ex disiunctiua vna pars destruitur, manet altera.

251. Hæc etiam solutio minùs placet; nam in primis, si loquamur de sententia ipso facto incurrenda (censura enim ferenda illa incurretur, quam Iudex posteà de facto tulerit) fieri potest, vt neutrius Censuræ obligationes per multum tempus transgrediatur, quia non sese obtulit occasio faciendi contra alterutram: tunc ergo inquiro; vtram illarum incurrerit, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius?

Argumentũ ad hominẽ contra Suarium aliosq; suprà dictos Authores.

252. Tandem ad hominem contra prædictos Auctores sic argumentor. Ipsi concedunt cum communi sententiã prædictam primam assertionem nostram, scilicet, censuram latam communi nomine Censuræ non determinando speciem, non incurri; sed cùm tantùm sint tres species Censuræ (vt ipsi quoque concedunt) perinde est dicere de aliquo, *Si delinquat subiaceat Censura* atque dicere *subiaceat Excommunicationi, vel suspensioni, vel Interdicto, ab ingressu Ecclesiæ &c.* Nam eo ipso quòd non sint nisi tres species; nihil aliud requiritur dialecticè loquendo; atque etiam moraliter ad hoc, vt sit vera hæc propositio *Petrus subiacet Censuræ*, quàm ad hoc, vt sit vera hæc *Petrus subiacet Excommunicationi, vel suspensioni, vel Interdicto.* Nam ad vtriusque propositionis verificationem sufficit, quod vna ex prædictis tribus effectum habeat; ergo sicut, quando feruntur sub disiunctione valida est sententia; quia potest verificari electione vnius ex tribus Censuris, & censetur dari optio Censurando, vt eligat, quàm maluerit ita pariter in nostro casu Censuræ latæ in communi, valida erit; quia potest verificari electione vnius ex tribus; vel certè è contra; si hoc, quod est subiacere Censuræ, non censetur determinata sententia, quia nomen Censura non determinat vnam speciem Censuræ: ita nec, quando fertur sub disiunctione trium specierum, vnam speciem determinabit. Accedit, quòd in propositionibus; quæ non sunt de materiâ naturali, aut remotâ; quales sunt *Homo est animal*, & *homo non est lapis*: sed de materia contingenti, qualis est *homo est albus* vel *homo currit*: indefinita æquiualet disiunctiuæ, ex singularibus contentis sub subiecto communi. Vnde idem est dicere *Homo currit*, atque *vel hic homo currit*, *vel ille homo currit*, &c. nec amplius requiritur ad verificationem in definitæ propositionis Categoricæ, quam hypotheticæ ex pluribus disiunctiuis, in quas resoluitur. Vnde in nostro casu hæc propositio *Censura infligitur Petro*, vel *incurritur à Petro*, nihil amplius requirit ad sui verificationem, quàm hæc propositio disiunctiua *vel hæc Censura infligitur Petro*, *vel illa Censura infligitur* &c. designatis tribus speciebus Censuræ prædictis; vtraque enim propositio est in materia contingenti, vt patet; & illa Categorica indefinita æquipollet disiunctiuæ ex particularibus, in quas resoluitur: ergo vel hæc disiunctiua sententia Censuræ defectu determinationis non est valida; vel etiam est valida indefinita sub nomine communi Censuræ, aut è contra, si hæc non valet, illa non valebit. Ideò magis placet, quod neque disiunctiua, neque indefinita valeat; quia neutra determinat, iuxta rationem datam pro nostrâ assertione; est enim eadem ratio vtrobique.

Nec censura disiunctiua nec in definita valet iuxta Authorem.

253. Colligitur vlteriùs validè ferri excommunicationẽ hoc pacto *Excommunico & absoluo*, si superior distinctas sententias intendat ferre, alteram excommunicationis, alteram absolutionis, quia verba vtrumque sufficienter indicant; atque adeò vtrumque operantur iuxta superioris voluntatem: Si verò superior illis verbis omnibus intendat solùm Censuram ferre, non valebit Censura, quia illa verba non satis indicant Censuram, nec efficiunt sensum, quem superior intendebat. Hinc est, vt superior in ferendâ Censurâ non debeat vti prædictâ, aut simili verborum formulâ, quâ non potest actum validum efficere, imò nec etiam in primo illo sensu, & modo debet uti prædictâ verborum formulâ: esset enim ferè omnino inutile; si enim statim incontinenti absoluitur, quorsum Censura feriendus erit? Legatur Suarius *de Censuris disp. 3. sect. 2.* Fillincius *Tract. 11. c. 3. quæsito 2. n. 53.*

Colligitur vlteriùs.

254. Assero 2. verba, quibus fertur Censura, debent esse determinata ad aliquam personam eam nominando, si cognoscitur, vel aliqua ratione describendo, aut designando illam per ordinem ad delictum v.g. Si dicatur *Clericus, qui non gestauerit tonsuram, vel gestauerit comam, aut mystaces, incidat in suspensionem*; eo enim modo sufficienter determinatur persona per tale delictum ab ipsâ commissum.

Asserendum 2. verba quibus fertur Censura debere esse determinata ad aliquam personam.

Ioan. de Dicastillo de Censur. H 255. Ne-

Necessitas talis determinationis ad personam oritur.

255. Necessitas autem talis determinationis ad personam oritur ex eo, quòd verba Censuræ efficiunt, quod significant: ideò, si nulla designatur persona, in quâ efficiant, nihil efficient, nullamque priuabunt ijs bonis, quibus Censura priuat. Vnde non valet excommunicatio, si quis tantùm dicat *excommunico*, vt rectè notat Suarius *suprà sect. 2. n. 16.* & Filliucius *suprà quæsito 4. n. 56.* tali enim verbo nulla persona, quæ excommunicetur, exprimitur; nisi fortè (vt mihi videtur) id fiat ex circumstantijs v. g. si promotor fiscalis, aut aliquis alius inquirat à Iudice an excommunicet Petrum, vel eum, qui tale delictum commiserit, Iudexque respondeat tantùm hoc verbo *excommunico*: tunc verbum illud videtur satis esse, vt Censura feratur; nam ex circumstantijs interrogationis, & responsionis sufficienter manet significata persona.

256. Placet etiam, quod docet Angelus verbo *excommunicatio n.* 4. consequenter ad prædictam doctrinam, neminem scilicèt excommunicationi subiacere, si superior dicat *excommunico vnum ex his duobus*, aut *excommunico vnum ex ijs, qui furati sunt*, quando duo vel plures sunt in eodem delicto; tunc enim verba sunt indeterminata, nec constat, ad quem dirigatur superioris sententia.

DVBITATIO XX.

An inferenda Censura debeat precedere monitio, & notitia Censuræ, & Iuris illam ferentis?

Doctrina communis omnibus censuris.

257. Doctrina hæc non est solius Excommunicationis propria, sed aliarum etiam Censurarum; vt ex ipso Iure latè probat Suarius *disp. 3. sect. 8. n. 2.* & constat *ex c. sicut de cohabitatione Clericorum, & mulierum* & ex *c. Reprehensibilis* de *Appellat*, vbi præcipitur monitio ante suspensionem, & excommunicationem, & ex c. *Statutum* de *sentent. Excommunic. in 6.* vbi hoc ipsum ad Interdictum extenditur. Verùm hoc, quod attinet ad monitionem faciendam reo, propter cuius culpam Interdictum imponitur, ex eo prouenit, quòd ille solus est, qui est contumax, & inobediens; Ideò non est necessarium, vt ea monitio fiat alijs, videlicèt, toti cõmunitati, quæ interdicitur: nam ij tenentur quidem seruare Interdictum; ad hoc autem satis est, si habeant illius notitiam.

Asserendũ 1. ad incurrẽdam aliquã censuram a Iure ipso facto impositã non esse necessariam præuiam monitionem.

258. Assero 1 vt aliquis incurrat excommunicationem, vel aliam Censuram à Iure, si erat imposita ipso facto, nulla est necessaria monitio præuia. Est communis doctrina omnium, quos viderim, Auctorum. Ideò non refero, quia omnes, vel dicunt, vel expressè supponunt. Ratio est, quia alioquin nulla esset Censura à Iure imposita ipso facto incurrenda, quia nulla incurreretur ipso facto, quoties non præcessisset talis monitio facta in particulari; quod est absurdum, & contra omnia Iura, & Doctores. Vnde Iura, quæ præcipiunt fieri monitionem loquuntur apertè de Censuris, quæ feruntur ab homine, & monitionem requirunt quia non vult Ecclesia, vt aliquis tàm graui pœnâ puniatur, nisi fuerit contumax. Cùm ergo, qui nõn obedit legi prohibenti sub Censurâ ipso facto incurrendâ, satis se contumacem ostendat, non indiget aliâ monitione.

Aduertendũ est.

259. Aduertendum verò est, non sufficere notitiam legis prohibentis; sed necessariam esse notitiam ipsius Censuræ impositæ ipso facto per legem, vt talis censura incurratur, vt obiter notauimus *disp. præcedenti dub.* 23. & doctè tradit, & probat Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 13.* nam *in c. 2. de Const. in 6.* generaliter deciditur ignorantes non ligari Sententijs; Textus autem generaliter de ignorantiâ loquitur; ac proinde, cùm in hoc sit fauor animarum; nõ est cur nõ extendatur ad ignorantiã etiã ipsius pœnæ, & non solius Iuris, maximè, cùm Censuræ non ferantur, nisi ob contemptum & contumaciam: non est autem contemptus & contumacia; nisi delinquens norit talem pœnam inflictam in rebelles. Legatur Sanchez *loco citato*; vbi plurimos refert pro hac sententiâ, & nos agemus *dub.* 23. disputantes de ignorantiâ impediente Censuram.

Assertio 2.

260. Assero 2. non requiritur monitio ad incurrendam excommunicationem, vel aliam Censuram latam ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, & tantùm ad ea præcauenda; est enim eadem ratio, quæ de latis â Iure, vt doctè satis & latè probat Suarius *citatâ disp. 3. sect. 8. a. n. 4. & disp. 18. sect. 3. à n. 28. & sect.* 4. docetque expresè Nauarrus *in summâ Hispanâ c. 27. n. 10.* idque sentit Angelus, & Syluest. infrà referendi: quibus adde Toletum *lib. 1. c. 9.* & Coninc *disp. 13. dub. 9.* Excipe casum de quo dicemus *dub. 37. §. notat etiam Auila n. 538.*

Asserendũ 3. in omni excommunicatione & censura quæ fertur ab homine ob culpam cõmissam, necessariã esse monitionem Canonicam.

261. Assero 3. in omni Excommunicatione, & Censurâ, quæ fertur ab homine ob culpam commissam, quamuis pendentem in futurum necessaria est monitio, non quæcumque sed Canonica nempe trina, vel saltem vna pro tribus cum competentibus interuallis. Hæc assertio patet ex *c. Sacro* de *sententiâ Excommunic.* & *c. Romana* & *c. Constitutionem de sent. Excommunic. in 6.* & *c. cum speciali*, & *c. Reprehensibilis de appellat.* & *c. de illicitâ 24. q. 3.* & *c. Presbiterium 17. q. 4.* & ex *c. Statutum de sent. excommunic. in* 6. idque latè probat Vgolinus *Tab. 1. c. 18.* Suar. *disp. 3. sect. illâ 8. n. 2.* Filliucius *Tract. 11. c. 4. quæsito 1.* & alij posteà referendi: Iudex autem, qui contra fecerit, non solùm peccat mortaliter, vt docent Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. conclus. 2.* Nauarrus *c. 27. n.* 8. Toletus *suprà* Auila *p. 2. c. 5. disp. 1, dub. 7. conclus.* 4. & alij; sed etiam suspensus manet per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ iuxta *c. Sacro de sent. Excommunic in* 6. de quâ Philosophandum est, sicut *de suspensione*. de quâ egimus *dub.* 18.

Iudex qui contra fecerit peccat mortaliter & manet suspensus.

Vna monitio cum competentibus interuallis sufficit.

262. Dixi *vel vna pro tribus cum competentibus interuallis*, quia hæc sufficit, etiamsi nulla necessitas, aut causa subsit, vt colligitur ex dicto *c. constitutionem de sent. excommunic. in* 6. & ita iam vsu receptum est, & docent Syluest. *Excommunic. 1. n. 12.* Nauarrus *c. 17. n. 10.* Couarr. *c. Alma mater p. 1. §. 9. n. 5.* Henriquez *lib. 13. de Excommunicat. c. 17. n. 3. litera O.* Auila *citato dub. 7. conclus. 5.* & ex *eodem c.* colligitur, quod vrgente causa

etiam

etiam vnâ monitione præmissâ, sine vllis interuallis poterit licitè excommunicatio ferri iuxta dicta in simili *dub.* 18. cum Gloss. & Auila. Imò Suarius *disp.* 3. *sect.* 9. in fine ex verbis illis Textus, *nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda*, colligit quòd, si necessè sit poterit Iudex nullam aliam monitionem præmittere præter eam quæ in ipso præcepto, seu sententia conditionata includitur. Vide finem huius dubit.

Quando sine causa illa prætermittuntur internalla tunc licèt Iudex peccet excommunicatio valida est.

263. Quando autem sine causâ vllâ prætermittuntur, interualla tunc licèt Iudex peccet, excommunicatio valida est; quia iam præcessit monitio (vt supponimus) & contumacia; atque hoc concedunt omnes Auctores, quos viderim, & habetur in illo *c. Sacro*; vbi hæc excommunicatio dicitur iusta, id est ex causâ, licèt nō ex ordine vt ibi exponit Gloss. Si ergo iusta potest esse excommunicatio, etiam si Canonica, seu trina monitio non præcedat; non potest esse nulla, vt rectè argumentatur Suarius *disp. illâ* 3. *sect.* 12. *n.* 1. qui rectè etiam aduertit in *c. Romana.* citato non esse contradictionem cum illo *c. Sacro.* Quamuis enim ibi dicatur excommunicatio esse iniusta id intelligendum est; ita, vt sit iniusta ex ordine, nullibi; tamen dicitur esse irrita, vt in eo capite notat Glossa. An verò aliquando excommunicatio sit nulla; si omittatur Canonica monitio; dicemus *dub.* 37. agentes de excommunicatione, quæ incurritur propter communicationem cum excommunicatis.

Assertioni addendū 1.

264. Addendum primò est huic assertioni nullam Censuram, quæ propriè Censura sit, & medicinalis pœna, posse imponi secundum Iura Canonica; nisi præmissâ; vel trinâ monitione prædictâ, vel (si necessitas vrgeat) saltem vnâ monitione; adeò, vt nulla sit admittenda exceptio; neque vllus casus excipiendus, vt contra aliquos latè probat Suarius *disp.* 3. *sect.* 10. per totam & alij contra Vgolinum quem refert Diana 5. *p. Resol. illa* 18. vbi pro nostra doctrina quàm illo docet refert Turrianum: putat autem Vgolinus tunc posse absque monitione præmissa quando Iudex vt homo priuatus ad defensionem Iuris proprij censuram fert quod alij non admittunt. Ratio est, quia in ratione pœnæ medicinalis pro peccato; quod necessariò debet esse voluntarium intimè includitur monitio; nam ad minimum necessarium est ferri sub eâ conditione, *nisi satisfeceris, respectu, hoc vel illud feceris, aut omiseris*; Quæ forma intrinsecè monitionem includit, quod ampliùs patebit ex *dub. sequenti*. Itaque debet dari etiam spatium morale sufficiens ad præceptum implendum vltra communicationem Censuræ, vt illa medicinalis sit; ac proinde non potest non præcedere pro illo tempore monitio. Nec oppositum docet Suarius *disp.* 3. *sect.* 8. vt refert Bonacina de *Censur. disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 9. quin potius hanc nostram sententiam expressè tradit; tùm ibi; tùm loco à nobis notato.

Addendū 2.

265. Asserendum est 2. hanc monitionem debere fieri personaliter ipsi Excommunicando; nec sufficere, si fiat in domo ipsius; nisi fortè dolò lateat, ne moneatur; tunc enim sufficiet fieri in eius domo. Ita Couarr. *c. Alma mater p.* 1. *§.* 9 *n.* 4. ex Innocentio, & alijs, Auila 2. *p. disp.* 1. *dub.* 7. *conclus.* 3. probarique potest ex *c. Quoniam frequentèr vt lite contestatâ* in illis verbis *seu sit absens absq; malitia, vt conueniri non possit* item ex *Clem.* 2. *vt lite pendente*, in illis verbis, *postquam à iudice competente citato emanauit, vel per eum factū fuit quominus ad eius notitiam perueniret.* Quid autem sit latitare explicat Couarr. loco citato; vbi refert alios casus, in quibus non requiritur monitio personalis, & legi potest *Clementina causam*, de *Electionibus*. Consentit etiam in hanc doctrinam Suarius *disp. illâ* 3. *sect.* 11. *n.* 6. quem sequitur Coninc *suprà* & addit Suarius, si non possit in eius domo sufficere, si fiat in Ecclesiâ principali, seu in publico loco. Vnde præsumitur ad eius notitiam facilè posse peruenire, consentit etiam Henriquez *lib.* 13. *c.* 17. *n.* 3. In foro autem conscientiæ satis est, si quomodocumque ad eius notitiam perueniat; at in foro exteriori, præsumptioni stabitur, vt notant prædicti Auctores, & ex hac præsumptione colligit aliquos casus Couarr. *suprà*. Quid autem sentiendum sit de suspicante se esse excommunicatum? dicemus, agentes de causis, quibus quis excusetur à culpâ, & minori Excommunicatione, etiam si ciuiliter communicet cum Excommunicato.

Asserendū 4. Excommunicationem ab homine & omnem aliam propriè dictam censuram nullam esse si nulla præcesserit monitio.

266. Assero 4. excommunicatio ab homine (& idem est de quacumque aliâ censurâ, quæ sit verè & propriè Censura) nulla est, si nulla præcessit monitio iuxta obiter dicta *disp. præcedenti dub.* 23. Hæc assertiò communis est Auctorum exceptis paucis quibusdam, vt constabit ex sequenti dubitatione, ubi rem hanc probauimus efficaci argumento; Confirmaturque ex dictis nuper; quia non potest esse medicinalis; nisi aliquod genus monitionis præcedat. Constat verò ex *c. Sacro*, & ex *c. reprehensibilis*, alijsque Iuribus suprà citatis *in principio huius dubitationis* neque etiam esse propriè contra Ecclesiam, vel superiorem; nisi talis admonitio præcedat, imò præsumi debet, quòd si delinquens per admonitionem conscius esset Censuræ fortasse obediret, & non peccaret perterritus metu pœnæ. Ità Sayrus *lib.* 1. *c.* 12. Suarius *disp. illa* 3. *sect.* 12. *n.* 4. Nauarrus, & alij apud ipsos, Vasquez de *excommunic. dub.* 12. *n.* 4. & Vgolinus *Tab.* 1. *c.* 18. cum alijs, quos refert. Item Coninc *suprà dub. illo* 9. *n.* 79. Reginald. *lib.* 9. *n.* 180.

Aduertendum est.

267. Aduertendum verò est non quamcumque monitionem sufficere; sed requiri sub excommunicatione latæ sententiæ. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. Henriquez *lib.* 13. *c.* 27. *n.* 3. Suarius *disp. illâ* 3. *sect.* 11. *n.* 7. Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio disp.* 32. *n.* 13. quod ex ipso vsu, & Ecclesiæ consuetudine probat Suarius; alioquin pro transgressione cuiuscumque legis Ecclesiasticæ præsertim sæpius repetitâ posset quis statim excōmunicari; quod non est in vsu Ecclesiæ, nec Iure Ordinario fieri potest. Accedit, quòd excommunicatio non fertur; nisi ob contemptum, & contumaciam. *c. Nemo Episcoporum* 11. *q.* 3. & *c. Sacro* citato; sed non est contumacia, nec competens monitio; nisi fiat comminatio excōmunicationis latæ; quia eius conscius forsan resipisceret, si videret se eo ipso incursurum: ergo ea monitio requiritur, vt non ignoret. Vide Dianam *part.* 5. *Tract.* 9. *Resol.* 18. idque supponit *Resol.* 55. & colligitur ex contextu ita sentire, &

ex *Resol.* 19. sed mihi sicut & alijs cum quibus contuli videtur aliquid omissum ibi vel à typographo vel à descriptore, ita, vt verba non satis cohæreant, quæ infelicitas mihi etiam in meis libris, & alijs pluribus auctoribus accidit.

Confir. 1 268. Confirmatur 1. quia excommuni omnium sententiâ nunquàm incurritur, quantumuis præceptum fuerit sub excommunicatione; nisi fuerit latæ sententiæ: ergo sub eâ ratione debet fieri monitio.

confir. 2. 269. Confirmatur 2. quia ex vno capite est medicinalis iuxta dicta *c.* 1. *de sentent. Excommunic. in* 6. ex alio verò capite est vltima pœna, quâ Ecclesia punit *c. Corripiantur* 24. q. 3. ergo petit summam, & perfectam contumaciam, qualis est, vt cognitâ excommunicatione statim incurrenda duret contumacia.

Ex hoc infertur 1. 270. Ex hoc me quidem Iudice infertur 1. quòd etiam, quando lex prohibet aliquid sub excommunicatione non lata; sed comminatoriè, non potest Iudex statim excommunicate vahdè, vt eum Couarr. *sup. n.* 5. Caietano *verb. clericorum peccata & verb. Præceptum*, docet Suarus *disp.* 3. *sect.* 10. *n.* 19.

271. Non me latet oppositum huius illationis docere Sanchez *lib.* 2. *de Matrimonio disp.* 24. *n.* 28. *in fine*, quia nimirum lex ipsa erat monitio, & in eius transgressione præcessit cõtumacia.

272. Verùm hoc non cohæret cum ijs, quæ dixit posteà *lib.* 9. *disp.* 23. *n.* 13. atque hæc Excommunicatio esset pro peccato præterito, vt vbi concedit, quod est contra Iura citata, & contra ea, quæ probabimus *dub. sequenti*.

Infertur 2. 273. Infertur 2. quòd, si quis tantùm fuit monitus sub excommunicatione, vt soluat aliquid, vel compareat, & posteà; quia non soluit, neque comparuit, Iudex iubeat decerni Declaratoriam, quâ præcipit denuntiari, & declarari excommunicatum, iste homo sic declaratus, & denunciatus potest se reputare non excommunicatum, quia monitorium non continebat excõmunicationẽ latam; sed ferendã & sẽtentia declaratoria nõ fert excõmunic. sed declarat fuisse incursam, quod non ita in hoc casu contingit iuxta doctrinam traditam. Ideò hoc docent Nauarrus *lib.* 5. *consiliorum tit. de sentent. Excommunic. conclus.* 10. & Henriquez *lib.* 13. *c.* 18. *in fine*, & dicit ita tenuisse multos Theologos, quidquid in oppositum sentiant nonnulli.

Prædicta nostra doctrina probatur ulterius. 274. Probari adhuc potest prædicta nostra doctrina de monitione continente excommunicationem latam; quia etiam, quando lex Excommunicat ipso facto, ac proinde, vt incurratur Censura, non requiritur alia monitio iuxta dicta *asser.* 1. adhuc nullo modo potest Iudex declarare transgressorem excommunicatum sine citatione, & aliter facta sententia declaratoria est nulla, vt ex Doctoribus tradit Couarr. *sup.* §. 9. *n.* 5. *&* 6. & Nauarrus *lib.* 5. *tit. de sententia Excommunic. conclus.* 20. Auila *suprà dub.* 5. §. *secunda conclusione*, Suarius *disp.* 3. *sect.* 10. *a n.* 15. Diana cum alijs *part.* 5. *Tract.* 9. *Resol.* 18. §. *Non desinam* excipit tamen casum quo crimen esset notorium: ergo etiam, vt incurratur requiritur denuntiatio.

275. Dubitabit tamen aliquis, quanti temporis spatium debeat intercedere inter vnam, & alteram monitionem Canonicam?

276. Nonnulli respondent saltem esse constituendos duos dies pro lingulis monitionibus, vt colligitur ex *c. Constitutionem* citato vbi habetur obseruanda esse aliquorum dierum intervalla; qui modus loquendi saltem videtur postulare duorum dierum distantiam; Verùm iuxta supradicta poterit Iudex prosuâ prudentiâ restringere huiusmodi spatia, sicut, & vnam tantum monitionem præmittere quando res postulet. Legatur Vgolinus tab. 1. c. 18 §. 2. n. 4. Filliucius c. 4 quæsito 5, Suarius disp. 3. sect. 9. n. 3. Reginald. lib. 9. n. 181. & *seqq.*

277. Quæres 2. an requirantur testes quandò fit alicui personæ citatio, vel admonitio. *Quæres* 2.

278. Respondeo debere interesse aliquas personas idoneas, quæ testenter si opus fuerit, monitionem factam fuisse, vt colligitur ex *c. Sacro* cit. vbi superior, qui sine monitione, & sine hac eius circumstantiâ tulerit excommunicationem, interdicitur per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ. Ita Panorm. in *c. Sacro* Suarius *suprà sect.* 11. *n.* 4. Filliucius *suprà n.* 101. & alij Auctores citati.

279. Quæres 3. cuius auctoritate debeat fieri monitio? *Quæres* 3.

280. Respondetur faciendam esse auctoritate eius, qui laturus est censuram; Ita Panormitanus *in c.* 1. *de Iudicijs n.* 33. Suarius *sect. illâ* 11. *n.* 1. Filliucius *Tract.* 11. *c.* 4. *quæsito* 6. & alij. Ratio est, quia monitio vices gerit citationis, & hæc facienda est auctoritate Iudicis; item Censura infligitur ob inobedientiam, & contumaciam contra præceptum superioris; non est autem contumax, qui non admonetur auctoritate & nomine superioris. Debet etiam fieri admonitio ad instantiam partis iuxta prædictos Auctores, quando Censura fertur ob commodum priuatæ personæ; nec debet proprio motu Iudex tunc id facere; Quando verò Censura est commune bonum potest ex officio procedere, & admonere, *c. veritatis de dolo & contumacia & c. venerabilibus de sent. Excommunic. in* 6. Legatur Suarius & Filliucius *suprà*. *Respondetur debere fieri auctoritate illius qui laturus est censuram. Ratio est.*

DVBITATIO XXI.

An pro culpa merè præterita possit ab Ecclesiâ ferri valide Excommunicatio, vbi agitur de monitione requisita?

281. Prima sententia affirmat posse Ecclesiã de plenitudine potestatis excõmunicare pro peccato omnino præterito, licet per Ius cõmune hoc sit prohibitũ omnibus Prælatis. Ita Caietan. 2. 2. q. 69. *art.* 2. Almayn. de *Potestate Eccles.* c. 10. Gloss. *in* c. *Romana de sent. excomm. in* 6. Cordub. *lib.* 2. q. 27. 5. *sed ad exaltationem*, qui citat Sylvestrum, & Couarruuiam; hi tamen Auctores id non docent; semper enim loquuntur de præterito sub aliquâ conditione in futurum, scilicet, *nisi satisfecerit*, &c. & in hoc sensu loquitur *c. Romana*, citatum. Hæc sententia consequenter asserit nullam monitionem esse de essentiâ excommunicationis, sed posse validè ferri, etiamsi nulla præcesserit monitio, nec à Iure, *Prima sententia affirmat. Ratio.*

nec

Ratio 1. nec ab homine; eamque sequitur Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *puncto.* 9. Filliucius *c.* 4. *quæsito* 4. Probant. 1. quia Ecclesia potest punire alijs pœnis, vt Irregularitate, vel depositione peccata omnino præterita, etiamsi solùm fuerint contra Ius diuinum, aut naturale; ergo etiam poterit illud punire Censuris, quia sufficientem causam dedit homo per tale peccatum vt priuetur bonis Ecclesiæ communibus, quæ sunt in Papæ potestate. Consentit villalobos apud Dianã 5. part. Tract. 9. Resol. 18.

Ratio 2. 282. Probant. 2. quia, si aliqua monitio ex Iure Diuino esset necessaria & essentialis Illa deberet esse trina monitio. Nam *Mathæi* 18. vbi Christus dedit Ecclesiæ potestatem excommunicandi; trinam monitionem dixit esse faciendam; sed trina non est de essentiâ iuxta dictã *dub. præcedenti*: ergo nulla.

283. Tertiò probant ex multis Textibus Iuris Canonici, vbi videtur posita excommunicatio, & etiam aliæ Censuræ pro culpis omnino præteritis.

Secunda sententia dicit excommunicationem non posse poni pro peccato præterito cuius nulla præcessit monitio Ita D. Thomas. 284. Secunda sententia est huic opposita, quam omnino veram puto, nempe Excommunicationem non posse poni pro peccato omnino præterito, cujus nulla præcessit monitio sub excommunicatione; quòd si feratur sine tali monitione, omnino fore nullam, ac proinde aliquã monitionem esse de essentiâ excommunicationis. Est communis sententia Canonistarum, Sũmistarum, & Scholasticorum. Ita D. Thom. *in* 4 *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. & habetur *in Additionibus q.* 21. *art.* 3. Gerson *Tract. de vita spirituali lectione* 4. *coroll.* 7. Sotus *in* 4 (qui dicit in auditam esse opinionem Caietani) *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *conclus.* 2. 4. *&* 5 *lib.* 5. *de Iustitia q.* 6. *art* 2. *columna mihi* 6. Martinus à Ledesma *q.* 23. *art.* 3. *dub.* 3. & vtriusque præcedentis Magister Victoria. *tit de Excommunicatione*. Petrus Sotus *lect.* 3. *de Excommunicatione*. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali*

Fundamentum huius sententiæ. *c. vltimo conclus.* 2. Nauarrus *c.* 27. *n.* 9. *&* 11 Vgolinus *tabula* 1. *c.* 9. §. 5. Toletus *lib.* 1. *c.* 7. *&* 8. Henriquez *lib.* 13. *c.* 17. *n.* 3. *& c.* 21. *n.* 1. Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio disp.* 32. *n.* 13. Aula *p.* 2. *c.* 5. *disp.* 1. *dub.* 10. Suarius *disp.* 4. *sect.* 5. Coninc *disp.* 13. *dub.* 9. *conclus.* 3. Tasquez *de Excommunic. dub.* 12. Vide Dianam qui alios refert & cum illis docet non posse Reum cedere Iuri monitionis 5. part. Tract. 9. Resol. 19.

285. Fundamentum huius sententiæ esse debet, quia potestas ipsa excommunicandi non fuit cõcessa Ecclesiæ à Christo Domino; nisi ad coërcẽdos inobediẽtes & contumaces Ecclesiæ post eius monitionem, seu præceptum, vt patet ex illâ conditionali à Christo Domino posita. *Si Ecclesiam non audierit*, deinde in eum finem, vt homo exeat ab statu peccati, & corrigatur, vt patet ex illis verbis Christi, *citato cap.* 18. *Mathæi. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; & ex illis *Pauli* 1. *Ad Timotheum* 1. *quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare* & 1. *Corinth.* 5. *tradidi Sathanæ, vt spiritus saluus fiat.* Vnde *in c. omnes decimæ* 16. *q.* 7. ex Concilio Rothomag. dicitur esse præceptum diuinum, quod homo admoneatur, antequàm excommunicetur, & habetur etiam *c. de Presbyterorum* 17. *q.* 4. Vnde (ait D. Thomas) cùm hæc pœna nón tantùm sit flagellum,

sicut aliæ; sed subtractio auxiliorum cum detrimento spirituali, quâ manet homo expositus incursibus Dœmonis, atque adeò peccatis, ideò non est hac pœnâ vtendum; nisi contra rebelles, & perseuerantes in contumaciâ. Quapropter semper Ecclesia iubet, vt non feratur, nisi in contumaces præmissâ monitione sub tali pœnâ, vt patet ex Iuribus citatis *dub. præcedenti*, adeò vt, cùm primùm homo resipuerit, iubeat Ecclesia illum absolui *c. Quâ fronte, de appellationibus.* Ex quibus facile est soluere argumentum aduersariorum.

286. Ad primum respondetur tale argumentum posse, & debere retorqueri contra aduersarios; nam cùm Ecclesia nunquàm vsa sit hac potestate, signum est eam non habere. Vnde sicut puniuit peccata omnino præteritã Irregularitate, vel depositione, puniuisset etiam huiusmodi Censuris, si talis esset potestas. Itaque respondemus non esse eandem rationem de alijs pœnis; atque de Censuris propriè dictis; omnis enim Censura propriè dicta est medicinalis, ac proinde semper respicit peccatum aliquã ratione pendens in futurum iuxta dicta in hac, & præcedenti dubitatione. Quã de re etiam egimus *disp.* 1. *dub.* 2. *n.* 15. *Ad primum Resp.*

287. Ad 2. respondetur tres monitiones esse quidem de præcepto Diuino, vt habetur *in c. omnes decimæ citato*; sed non omnes esse de substantiâ & essentiâ, vt declararunt Pontifices *c. Cùm medicinalis*, & *c. Constitutionem dub. præced.* citatis, atque adeò Christum Dominum vnicam monitionem ab Ecclesiâ faciendam instituisse, tanquàm de substantiâ. Nam duas priores monitiones priuatim tantùm dixit faciendas, & ne sine causâ reuelentur secreta peccata, id, quod exigit Ius ipsum naturæ, & ordo correctionis fraternæ, vt multi docent ex *illo c. Mathæi* 18. *Ad 2 Resp. tres monitiones esse de præcepto diuino, sed non omnes esse de essentiâ excomm.*

288. Ad 3. respondetur Ecclesiam nunquàm puniuisse peccatum omnino præteritum aliquã Censurã, quæ verè sit Censura includens aliquod detrimentum spirituale. Vnde plura ex Iuribus, quæ adferũt aduersarij, vt sigillatim ostendit Suarius, loquuntur, vel expresè, vel virtualiter de peccatis cum dependentiã in futurũ, & contra persistentes in suo peccato, vel in non satisfaciendo, vt debebant pro eo, quæ omnia ampliùs intelliguntur ex dictis *disp.* 1. *dub.* 2. *&* 3. vbi latè ostendimus Censuras propriè dictas tãtùm esse medicinales, & respicientes correctionem eius, contra quem feruntur. Alia verò Iura non imponunt Censuras, quæ propriè sint Censuræ; sed pœnas merè temporales; licèt quãdoque eodem nomine, quo Censuræ appellentur, vt de priuatione ab officio, vel beneficio, etiam per determinatum tempus diximus eisdẽ dubitationibus 2. *&* 3. solere appellari suspensionem; cùm tamen sit tantùm pœna, & non Censura sicut etiam olim separatio à Concilio, vel ab Eucharistiã per duos menses dicebatur excommunicatio & tamen non erat Censura, vt patet ex Iuribus allegatis *disp.* 1 *dubitationibus illis citatis*, & ex *c. Tanta* 86. *distinctione*. vbi separatio ab Altari, & ab Eucharistiã per duos menses dicitur excommunicatio: quæ tamen non est cẽsura non tollitur, nisi per absolutionem, & tolli debet cùm primùm homo resipuerit, neutrum autem *Ad 3. Resp.* *Censura propriè dicta respiciunt correctionẽ eius contra quem fertur.*

autem horum habet locum in pænâ illâ; nam transactis duobus mensibus cessabat, & ante tolli non poterat de lege ordinariâ.

DVBITATIO. XXII.

Quænam inobedientia requiratur ad excommunicationem? & an peccet dupliciter peccato omnis, qui incidit in excommunicatonem?

Henriquez affirmat duplex peccatū committere.

289. HEnriquez *de Pænit. lib. 2. c. 7, n. 2.* affirmat duplex peccatum committere: alterum contra virtutem, in cuius materiâ versatur præceptum superioris præcipientis, sub excommunicatione: alterum contra specialem virtutem obedientiæ; quia nunquàm incurritur excommunicatio; nisi adsit inobedientia, seu contumacia, & contemptus.

Asserendum tantū vnicū committere peccatum illum qui Censuram incurrit.

290. Asserendum nihilominus est tantùm vnicum committere peccatum contra eam virtutem, in cuius materiâ versatur præceptum. Ita Corduba *in summâ q. 11.* Sanchez *lib. 9. de Matrimonio disp. 15. n. 5.* Auila *p. 2. c. 5. disp. 1. dub. 11.* fundamentum est, quia ad incurrendam excommunicationem non est necessarium, vt præcedat peccatum inobedientiæ specialis, quæ secundum D. Thomam *2. 2. q. 104. art. 2. ad 1.* & *q. 105. art. 1. ad. 1.* solùm committitur ex expresso motiuo non parendi; sed sufficit materialis, seu generalis inobedientia; nam ex quocūq; motiuo sit aliquis inobediens contra præceptū Ecclesiæ sub excommunicatione latæ sententiæ incurrit illam. Vnde, si quis, quando confitetur suum peccatum, ob quod incurrit excommunicationem, iam erat absolutus ab excommunicatione, non tenetur fateri circumstātiam excommunicationis saltèm si cito ab ea curauit absolui, ita vt propter eam non fuerit trāsgressus alia præcepta.

Ad incurrēdam excommunicationē non sufficit generalis inobedientia.

291. Illud tamen ex dictis in præcedentibus constat, quod scilicèt ad incurrendam excommunicationem non sufficit generalis inobedientia, quâ quis transgreditur præceptum Ecclesiæ obligans ad mortale; sed vltra hoc requiritur quod obliget ad mortale sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, quia tunc contemnit claues Ecclesiæ, & adest contumacia requisita, quæ ex *c. Certum 11. q. 3.* tripliciter contingere potest, primo, si vocatus sub excommunicatione non compareat; secundò, si comparuit quidem; sed sine licentiâ Iudicis discedit: Tertiò, si sententiæ iam latæ non vult parere.

292. Hic erat disputandum de excommunicatione iniustâ, sed iam supra egimus de hac re generaliter *disp. 1. dub. 24.*

DVBITATIO XXIII.

An ignorantia impediat vim Censuræ?

293. QVod attinet ad ignorantiam Iuris seu legis prohibentis, & ad ignorantiam Censuræ impositę in tali lege, iam diximus *suprâ dub. 20.* necessariam esse notitiam legis prohibentis, & Censuræ impositæ, ac proinde ignorantiam excusare, Itaque triplex in hoc casu potest esse ignorantia scilicèt Iuris facti, & pœnæ; prima contingit, quando ignoratur lex præcipiens, aut prohibens; secunda contingit, quando etiamsi adsit notitia legis, seu Iuris, ignorat tamen, quod hîc, & nunc contraueniat tali legi, ut, si quis sciens latam esse Censuram contra Clerici percussorem ignorat tamen hunc, quem percutit, esse Clericum. Tertia contingit, quando, etiamsi quis sciat & legem prohibentem, seu mandantē, & actum, quem patrat hîc, & nunc esse contra legem; nescit tamen pœnam esse in lege impositam, vt cum quis scit prohibitum esse percutere Clericum, & scit etiam hunc, quem hîc, & nunc pulsat, esse Clericum; nescit tamen esse latam Censuram contra percussorem.

Triplex in hoc casu potest esse ignorantia scilicèt Iuris facti & pœnæ.

Ignorantia Iuris esse potest vel Iuris communis vel Iuris particularis.

294. Ignorantia Iuris esse potest, vel Iuris communis, vel Iuris particularis, id est, vel Iuris, quod vniuersaliter se extendat ad omnes, vel Iuris, quod solùm obliget particulares aliquas personas, vel in aliquo tantùm particulari territorio. Atque hæ diuisionis ignorantiæ sumuntur ex parte obiecti ignorantiæ.

Diuisiones Ignorantiæ.

295. Ex parte verò ipsius met ignorantiæ, (quantum ad præsens attinet) diuidi potest in ignorantiā probabilē, inuincibilem, & in culpabilem; & in ignorantiā improbabilē vincibilē, & culpabilem: Ignorantia probabilis inuincibilis, & inculpabilis dicitur illa, quæ saltèm hîc, & nunc moraliter vinci nō potuit, nedum debuit, vt si quis nihil vnquâm audiuit de Censurâ, vel nihil dubitauit, aut cogitauit de Censurâ; tunc censetur habere ignorantiam inuincibilem; seu probabilem Censuræ; nemo enim potest, nedum tenetur ignorantiam vincere eius, cuius nihil menti occurrit, nec tetigit animum, vt, oppositam scientiam adquirendo, ignorantiam pelleret. Item probabilis, & inuincibilis appellatur quando subijt quidem animum de tali re dubitatio, & oportere talem veritatem inquirere, quam ignorat; adhibuit tamen quam moraliter iudicauit sufficientem, & debitam diligentiam; nec tamen potuit dubium pellere, vt ignorantiam, vt si quis Clericus dubitans, an esset aliqua Censura contra Clericos non gestantes habitum, & Tonsuram, consuluit peritos qui responderunt nullam esse cùm tamē re verâ esset in illa diœcesi, is dicitur habere ignorantiam probabilem talis Censuræ, quia adhibuit, vt supponimus, moraliter sufficientem diligentiam.

Definitio ignorantiæ probabilis inuincibilis

Definitio ignorantiæ vincibilis.

296. Vincibilis uerò ignorantia dicitur quæ vinci quidem potuit, & debuit sed ignorans nō adhibuit sufficientem diligentiam iuxta qualitatem negotij, vt eam pelleret ignorantiam; ea verò negligentia, quæ tunc committitur esse potest vel grauis, vel leuis, scilicèt, vel sufficiens ad mortale vel tantùm ad veniale peccatum.

Diuisio ignorantiæ vincibilis

297. Rursus ignorantia vincibilis alia dici solet affectata, alia crassa & supina; tunc censetur affectata, quando quis, vt liberiùs agat & peccet, eligit nescire, vel præceptum, vel pænam, vt, si Clericus, vt liberiùs in habitu sæculari incedat, eligat nescire pænas impositas Clericis sic incedentibus. Crassa verò, & supina ignorantia appellatur à Suario infrà referendo ignorātia quæuis vincibilis; putat enim crassam igno-

ran-

rantiam, & supinam, quoad substantiam non distingui à vincibili.

298. Alij verò docent ignorantiam crassam, & supinam distingui quidem à vincibili, tanquàm quid inferius à superiore; omnis enim ignorantia crassa, & supina vincibilis est; non tamen omnis vincibilis est crassa, & supina, tunc enim ignorãtia vincibilis distingui potest à crassâ & supinâ; quando quis non adhibuit mediocrem diligentiam morali, & humano modo congruentem ad sciendum id, quod tenebatur scire. Ignorantia verò crassa & supina dicitur illa, quæ oritur ex latâ culpâ ignorantis, seu ex summâ negligentiâ vt cùm quis, aut nullam, aut nimis exiguam diligentiam adhibuit, vt sciret, quod scire tenebatur, postquàm eâ de re habuit aliquam cogitationem, seu dubium; atque hæc distinctio mihi placet. Ita Henriq. *lib.13.c.23. n.2.* Sanch. *lib.9.de Matrim.disp.32.n.33.* Auila *2.p.c.5.disp.5.dub.8.* Sotus *disp.28.q.vnica art.2.* & alij.

Diuiditur ignorantia in antecedentem, comitantem & consequentem.

299. Diuidi etiam solet ignarantia in antecedentẽ, comitantem, & sequentem; cõcedens dicitur probabilis, & invincibilis, quæ, si nõ adesset actus, Ante prohibitus nõ fieret, vt cũ quis ex ignorãtiâ, quod homo, quem percutit, sit Clericus, aut, quod specialiter prohibitũ sit Clericũ percutere, percutit hominem, quem non parcuteret, si id non ignoraret. Comitans verò ignorantia dicitur, quæ etiam si non ad esset, actus nihilominùs fieret, vt si quis nesciens, quem vulnerat sagittâ, esse inimicum suum, illum vulneret, vulneraturus alioquin, etiamsi sciret esse suum inimicum. Ignorantia verò consequens dicitur illa, quæ quacumque ratione ex prædictis censetur vincibilis, & culpabilis.

Dictum de ignorantia locum habet in obliuione aut naturali inaduertentia.

300. Quidquid hucusque dictum est de ignorantiâ, locum etiam habet in obliuione, aut naturali inaduertentiâ, seu in consideratione, quæ contingere potest in eo, qui habuit quidem notitiam præcepti, aut legis &c. tamen hîc & nunc omnino non aduertit. Ita Sanchez *in sum. lib. 1.c.16.n.8.* Azor *1.p. lib. c. 16. q. 3.* Suarius *de Censuris disp.4. sect.8. n. 5. & 11.* & alij, qui meritò aduertunt prædictam obliuionem, inconsiderationem, seu in aduertentiam eodem modo posse excusare à peccatis & Censuris, sicut ignorantiam. Quibus positis.

Assero 1.

301. Assero primò ignorantia probabilis, tàm Iuris communis quàm particularis; tàm facti, quàm qualitatis facti, item ignorantia pœnæ, omnino excusant à Censuris. Ratio generalis est, quia in his omnibus cessat peccatum, aut contumacia iuxta dicta *dub. 20. §. aduertendum verò nu. 267.* nam *in c. 2. de constitutionibus in 6.* generaliter dicitur ignorantes non ligari, vt eadem dub. notauimus, & quidem, vbi ad est ignorantia probabilis Iuris, aut facti, cessat peccatum, vt patet, si verò qualitatis facti, ratione cuius qualitatis imponebatur Censura, cessat etiam ratio peccati in tali qualitate. v.g. si quis occidit Hominem putando esse feram, est ignorantia circa substantiam facti; si verò sciuit quidem esse hominem, sed probabiliter ignorauit esse Clericum, quamuis non excusetur à peccato homicidij, excusatur à peccato Sacrilegij. Vnde, si Censura imposita sit pro Sacrilegio percussionis Clerici, excusatur ab eo peccato, suprà quod cadit Censura, atque adeò excusatur à Censurâ, neque adest contumacia contra Censuram, & Ecclesiam; atque ex his probata manet prima, & secunda pars assertionis de ignorantia Iuris, & facti, immò etiam tertia pars de ignorantiâ probababili Censuræ, cessat enim contumacia, quando ignoratur talis pœna inflicta contra rebelles. Primam partem docent Syluest. *verb. excommunic. notab.3.* Nauarrus *c.27. n. 16. & c. 23. n.47.* Couarr. *c. Alma mater 1 p. §. 10. n.6.* Henriquez *lib. 3. c.23.* Sanchez *suprà n. 18.* & *loco citato à nobis dub.20.* (vbi illius doctrinam retulimus) Vgolinus *Tabul. 1. c. 9. §. 8.* Molin. *de Iustitiâ. Tract. 5. disp. 71. n.8.* Suarius *disp.4. sect. 8. n.6.* Filliucius *quæsit. 10. n. 250* Reginald. *lib.9. n.200.* Sayrus *lib.1. c. 18.* & alij, quos referunt Valentia *tomo.4. disp.7. q.17. puncto 7.* & Salas de *legibus disp.15. sect.11.*

Ratio generalis assertionis est.

302. Secundam verò partem de ignorantiâ facti, aut qualitatis facti docent etiam præter citatos idem Molin tom.4. disp.53. n.1. & 3. Sotus in 4. distinctione 22. q. 1. art 2. Bartholum. ab Angelo. Dialog. 5. *de missâ* §. 545. Salas de *legibus* disp.19. sect 9. n.110. Vasquez de *Excommunic.* dub. 14. n. 2. & 7. Filliucius c.8. quæs.9. Reginald lib.9. n.190. & alij plures. Quæ doctrina locum habet, vt nuper indicabamus, etiamsi homo daret operam alioquin rei illicitæ, vt, quando occidit Clericum sciens esse hominem, & ignorans esse Clericum; quod præcipuè notauit Molina: suprà.

303. Tertiam verò partem assertionis de ignorantiâ Censurę docent Nauarrus c.27. n.274. Lopez & alij, quos refert Sanchez lib.9. de Matrim. disp. 32. n. 13. & Coninc disp.13. dub.10. n.90. Carolus Macignus de *Horis* Canonicis c. 28. n. 32. Suarius disp. 4. sect.9. n.19. Filliucius Tract.11. c.8. n. 257. Salas de *legib.* disp. illa 15. sect.9. n.113. de Censuris id putat verum, negat tamen de Irregularitate. Omnia præcedentia docent Diana à fortiori 3. part. Tract. 5. Resol. 13. vt legenti constabit vbi alios refert.

Doctrinam assertionis extendit. Sanchez.

304. Doctrinam tamen assertionis extendit Sanchez ad Irregularitatem prouenientem ex delicto; nam, quæ non prouenit ex delicto, sed ex defectu incurritur etiam ex ignorantiâ, nec enim hæc Irregularitas, vt incurratur requirit culpam, cùm non sit pœna.

305. Imò Nauarrus *c.27. n. 274.* non solùm ad Censuras, sed ad alias quascumque pœnas exorbitantes, & extraordinarias extendit prædictam doctrinam nostræ assertionis; nimirùm, quia, qui sic ignorat pœnam, si quid peccat, multò minus peccat quàm, qui scit pœnam appositam tali delicto; cùm ergo pœna debeat proportionari delicto, non videtur puniendus sic ignorans tàm acri pœnâ.

306. Limitat tamen hanc doctrinam ad pœnas maiores; non verò ad mediocres, & ordinarias, & iuxta prudentis viri arbitrium accommodatas delicto non delinquens, vel nouit pœnam mediocrem, vel scire debuit, & potuit, saltèm; quia lumen naturæ dictat delicta mediocriter esse punienda iuxta *l. Ita vulneratus. ff. ad l. Aquiliam.* Ideò putat Nauarrus ignorantem pænam delicto appositam non excusari à mediocri, & ordinariâ pœnâ, excusari verò posse

ab extraordinariâ, qualem putat esse Censuram, vel Irregularitatem ex delicto. Hanc Nauarri sententiam probabilem putat Sanchez *suprà n.* 21. & Suarius *disp. illa* 4. *sect.* 9. *n.* 22. in pœnis humanis. De Irregularitate verò dicemus *disp.* 7. *dub.* 5.

Graues authores distinguunt. Hic inter Ius commune, & Ius particulare.

307. Non me latet graues Auctores existimare ignorantiam probabilem, & inuincibilem statuti particularis excusare; non verò ignorantiam pœnæ legis vniuersalis Pontificię pro quâ sententiâ Suarius refert graues aliquos Doctores, & re verâ eam docet Vasquez *de Excommunic. dub.* 16. in fine cum pluribus, quos retulerat *dub.* 14. *in princip.* inter quos tenacissimè id sentit. Couarr. quamuis hic Auctor etiam de statuto particulari idem sentiat, quod de communi lege. Putat ergo Vasquez (& in eâdem sententia existimat esse Sotũ, Paludanũ, Gabrielẽ, Maiorẽ, Driedonem, & alios) ratione illius *c. vt anim. tit. de Constit. in* 6. admittendã esse hanc distinctionẽ inter Ius cõmune & ius particulare; ait enim Textus *vt animarũ periculis obuietur sententijs per statuta quorũcumq; Ordinarium prolatis ligari nolumus ignorantes &c.* Loquitur ergo Textus de statutis particularibus, & de illis dicit Pontifex nolle se, vt ligent ignorantes *dum tamen eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.* Itaque; nisi obstaret hic Textus, putat Vasquez eandem esse rationem de statutis particularibus: ac proinde quancumque Censuram, quantumuis ignoratam; quia tamen de statutis particularibus Textus ille decernit non ligare: ideò putat legem Pontificiam ligare, quantumuis eius pœna ignoretur; non verò cetera particularia statuta.

Admittendã hanc distinctionem probant ex Iure

Author indicat illam distinctionẽ non esse inducendam propter prædictum Ius.

308. Mihi verò auctoritas prædicti Textus nihil videtur facere ad eam distinctionem inducendam: nam, vel Textus loquens de statutis *quorumcumq; Ordinariorum* etiam comprehendit statuta Pontificia, & nomine Ordinarij potest etiam intelligi Pontifex; quâ ratione in approbatione administrandum Sacramentum Pœnitentiæ nomine Ordinarij venit etiam intelligendus summus Pontifex; vel, si dicamus nomine Ordinariorum solùm intelligi Ordinarios inferiores Pontifice, adhuc facilè possumus respondere in eo Textu fieri mentionem Ordinariorum designatiuè non limitatiuè, ita, vt ea decisio Textus designet quidem statuta particularia Ordinariorum quorumcumque, quia de ijs erat proposita quæstio Romano Pontifici; hoc autem non tollit, quin eadem sit quoque ratio de Iure communi Pontificio, quia (vt suprà *in hac dubit. & dub.* 20.) Censuræ non feruntur; nisi ob contemptum, & contumaciam; hæc autem non censetur esse, aut non tanta, quando ignoratur pœna legis imponentis Censuram; & iterum paulò post explicabimus per ordinarium Papam intelligi.

Hactenus, dicta locum habẽt de sola ignorantia. inuincibili.

309. Quæ hucusque dicta sunt locum habent de solâ ignorantia inuincibili, aut probabili, nam de ignorantiâ vincibili alia est ratio, vt ex dicendis constabit.

Ex traditâ doctrina infertur.

310. Ex traditâ doctrinâ infertur eum, qui nouit aliquid esse prohibitum Iure naturæ, aut Diuino, ignorat, tamen prohibitum esse ab Ecclesiâ, non incurrere Censuras impositas ab Ecclesiâ contra patrantes huiusmodi delictum; nam Censuræ nõ imponuntur pro delictis contra Ius naturale, aut diuinum præcisè; sed pro delictis contra legem Ecclesiasticam; nec censetur quis contumax contra Ecclesiam, cuius præceptum ignorat. Ita Nauarrus *c.* 27. *n.* 272. Syluest. *verb. Excommunic.* vltimò *quæsito* 3. Sotus *suprà.* Vasquez *dub. illo* 16. *n.* 6 Filliucius *c.* 8. *q.* 10. *n.* 253. Suarius *disp illa* 4. *sect.* 8. *n.* 20. & alij suprà citati pro nostra assertione, & tribus partibus illius, quidquid in contrarium sentiat Auila 2. *p. c.* 5. *disp.* 5. *dub.* 10. *conclus.* 2. & Couarr. *suprà n.* 12. alijque nonnulli.

311. Dicet aliquis; qui committit aliquod delictum sciens prohibitum esse sub Censurâ, illam incurrit: ergo etiam, qui illud committit ignorans esse prohibitum sub Censurâ: Probo consequentiam, quia scire, & debere scire paria sunt; debet autem scire talem pœnam eo ipso quod scit esse prohibitum ab Ecclesiâ: ergo eâdem ratione puniendus est. *Dices.*

312. Respondetur etiamsi concederemus scire, & debere scire esse paria; nihilominùs nemo tenetur scire id, de quo nulla subijt animum cogitatio, seu, cuius ignorantiam habet inuincibilem, atque adeò ille talis, nec scit, nec debet sciri; Deinde adhuc non est vniuersaliter verum scire, & debere scire paria esse maximè in ordine ad Censuras incurrendas; sæpe enim imponuntur Censuræ contra præsumẽtes aliquod delictum patrare, & tamen eas Censuras non incurrunt, qui ex ignorantia vincibili tale delictum committunt; de quo dicemus infra, & videri potest Diana *suprà.* *Resp.*

313. Quæret tamen aliquis an ignorantia vincibilis, siue facti siue Iuris, quia crasa est, aut supina excuset ab incurrendis Censuris, vel Irregularite proueniente ex delicto? *Quæres.*

314. Respondetur non excusare. Ita Molina *tomo* 4. *disp. illa* 53. *n.* 4. Sanchez *lib. illo* 9. *de Matrim. disp.* 32. *n.* 31. Auila *suprà* Salas *suprà n.* 111. Suarius *disp. illâ* 4. *sect.* 10. *n.* 10. Coninc *disp.* 13. *dub.* 11. *n.* 94. & 95. Filliucius *quæsito* 12. Reginald. *lib.* 9. *n.* 198. & alij apud citatos. Ratio est quia in c. illo. *Vt animarum de Constit in* 6. generaliter asseritur ignorantiam, quæ non est crasa, nec supina, excusare, vt iam sæpe diximus hîc & *dub.* 20. ergo crassa, & supina non excusant maximè cum tùm sufficienter adsit contemptus. Vnde quando ignorantia ita leuis est, vt excuset à culpâ mortali, excusat etiam à censurâ, vt ex dictis satis constat. *Resp.*

315. Vtrùm autem quando ignorantia vincibilis est moraliter; sed non est crasa, & supina, excuset? non consentiunt Auctores. Omissis tamen alijs sententijs mihi placet sententia eiusdem Sanchez ignorantiam vincibilem, culpabilem facti vel Iuris imponentis Censuras, quãtumuis factum sit damnatum, & aliàs habeat pænas spirituales, excusare ab illis omnibus pœnis; siue statuantur Episcopalibus, siue Pontificijs Constitutionibus, nam in sæpe citato *c. vt animarum* de omnium ordinariorum sententijs dicitur ignorantiam excusare, quæ non est crassa; nec supina; ab omnibus sententijs quorumcumque Ordinariorũ; & sentẽtiæ Nomine non sola excommunicatio; sed cæteræ Censuræ, *Quæres. Resp. cum Sanchez.*

&

Nomine ordinarij comprehenditur Pontifex comprehenditur.

& pœnæ saltèm spirituales comprehenduntur & nomine Ordinarij, vt suprà dicebam, etiam Pontifex Summus comprehenditur, cum (vt ait Sanch. suprà ex Syluestro verb. *Ignorantia* q. 8. dicto 3) sit Ordinarius omnium ordinariorum, vel certè si tali nomine non comprehendatur Pontifex, saltèm comprehendetur ipsamet lex Pontificiâ propter rationem illius Textus *vt animarum periculo obuietur*, quæ locum etiam habet in lege Pontificiâ, quæ minus solet publicari, & faciliùs, ac iustiùs ignotari, &(vt suprà dicebã, docetque idem Sanch. *n.* 17. & 31.) vbi adest talis ignorantia, deest contemptus, & contumacia. Ita docent multi, quos ibidem refert Sanchez, item Diana illa Resol. 13.

Ex traditâ doctrinâ colligitur affectatam ignorantiam non excusare à pœnis.

A fortiori colligitur ex traditâ doctrinâ affectatam ignorantiam, quâ videlicet ignorans eligit nescire, vt liberiùs delinquat, nunquam excusare à pœnis; hæc enim ignorantia potiùs auget, quàm minuit culpam, & rationem voluntarij eum directè per se eligatur. Ideò dici solet affectatam ignorantiam æquiparari scientiæ iuxta *caput eos qui de tempore ordin.* in 6. vbi dicitur simul *scienter aut affectata ignorantia*. Ita Suarius de *Censuris* disp. 4. sect. 10. n. 1. & deinceps eum alijs multis, quos refert, & sequitur Sanch. disp. illa 32. n. 40. ex D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 4.

317. Docet etiam Suarius ignorantiam affectatam non excusare ab incurrendâ Censurâ, etiãsi in sententiâ cẽsuræ dicatur *Qui scienter hoc fecerit vel temerè* vel cõsultò vel *qui præsumpserit*, vel *qui contẽpserit*, vel *qui temerarius violator extiterit*. Quod etiam videtur docere Sanchez dum ait *citato n.* 40. prædictam ignorantiam affectatam non excusare à prædictis pœnis scientiam, ac præsumptionem exigentibus. Quam doctrinam absolutè probabilem puto propter rationem traditam, eamque tradit Layman *lib.* 5. *Tract.* 5. *part.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Henriquez *lib.* 13. *c.* 23. *n.* 3. Molina *Tract.* 5. *disp.* 72. *n.* 13. Graffius *in decis. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 83. & alij apud citatos.

318. Oppositum tamen non improbabiliter dicendum putat Filliucius apud Dianam Bonacinã de Censuris *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 1. cum alijs, quos putat idem sentire, & tamen id expressè non dicunt. Idem vt æquè probabile, docet Diana 3. *part. Tract.* 6. *Resol.* 7. referens etiam Daardum *in Bullam Cenæ* & Sanchium se retractantem in Summ. *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 38. sed ille ibi se ipsum citat & explicat, excipitque casum in quo sit ingens temeritas, vt mox dicam, præsertim nu. 322. Fundamentum est, quia superior tunc non videtur requirere quãlibet temeritatem, præsumptionem, vel contemptum; sed talem, quæ proueniat ex certâ scientiâ, aut saltèm, quæ sit coniuncta cum ingenti temeritate, qualis non est tunc.

Ignorantia crassa vel supina non sufficit ad incurrendã Censuram latã contra eos qui Præsumpserint, vel temerè fecerint.

319. Vnde colligit idem Bonacina à fortiori cum Syluestro verb. *culpa quæsito* 11. & Angelo *verb. Dolus n.* 1. idem dicendũ esse à fortiori de ignorãtiâ crassâ vel supinâ, ita vt nõ sufficiat ad incurrendam Censuram latam contra eos, qui præsumpserint, vel temerè fecerint. Quæ doctrina, quantum ad hoc mihi placet, eamque docet, & probat vt dicebam Sanchez citatâ *disp.* 32. *à n.* 36. vsque *ad* 39. innumeris relatis Auctoribus ex eo scilicèt fundamento, quia tunc positâ tali ignorantiâ deficit scientia, quam Canon requirit, quia nimirum, quando Canon expressè, aut tacitè petit dolum ad incurrendam pœnam non satis est crassa ignorantia, & lata culpa; at cum Canon postulat scienter aliquid fieri, dolum manifestè petit, ad enim est, facere dolosè Hispanicè *à Sabiendas teste* Dimnico *c. si qu.* 5. *is verò n.* 1. *de sentent excommunic.* in 6. præsupposuerat autem Sanchez ex multis Iuribus, & Auctoribus, quoties dolus exigitur in legibus non sufficere latam culpam. Porrò eo ipso quòd lex requirit scientiam ex parte delinquentis, requirere dolum, ibidem probat Sanchez ex Imola c. 2. n. 14. de *Constit.* & ex Bartulo maximè ex *l. Igitur* 12. *verf. & generaliter ff. de liberali causa vbi & generaliter, quoties aliquis lactis rationibus ductus, vel non iusta fine calliditate tamen putauit se liberum, dicendum est hunc in eâ causâ esse, vt sine dolo malo in libertate fuerit.* Item ex *l. si quis id, quod* ad finem verf. *doli mali ff. de iurisd. omn. iudicum* ibi *doli mali ideò in verbo edicti fit mentio, quia, si per imperitiam, vel rusticitatem, vel casu aliquis fecerit, non tenetur.* Legatur Sanchez *loco citato*, vbi rectè notat eum alijs tunc constitutionem petere dolum saltem tacitè, cùm punit actum tertio iniustiam fetentem, vt, si quis furatus fuerit, aliumve percusserit, quia iniustia nequit absque dolo reperiri 15. *q.* 1. *c. c.* Cum ergo ex citatis Iuribus constet quàcumque ignorantiâ ex latâ culpâ interueniente non esse dolum; sequitur tunc non interuenire dolum, atque adeò non incurri pœnam requirentem saltem tacitè dolum, quidolus esse non potest sine scientiâ; maximè cum Doctores citati ab eodem Sanchez doceant tunc Canonem tacitè exigere dolum, cùm punit actum aduersus alterum gestum; Canones verò, qui inferunt Censuras, frequentiùs puniunt huiusmodi actus: ergo non satis est crassa ignorantia, & lata culpa.

Quoties dolus exigitur in legibus non sufficit lata culpa.

Confirmatur primò ex eodem Sanchez, quia iuxta veriorem sententiam, quam probat idem Sanchez n. 31. & nos suprà tradidimus, quoties in Canone non additur particula *scienter*, desideratur crassa ignorantia ne ignorans excusetur: ergo aliquid ampliùs requiritur, quando in Canone continetur particula *scienter*; alioquin frustrà adderetur. *Confir.* 1.

320. Confirmatur 2. quia tunc intendit Ecclesia punire delictum expressè, & formaliter volitum præmissâ illius notitiâ, quod non contingit, vbi adest ignorantia crassa cum tunc verè non adsit notitia illius. Vnde quantum ad particulam *scienter* hanc sententiam sequuntur multi, quos in fine numeri 36. refert idem Sanchez, qui meritò putat n. 37. & 38. cum alijs multis idem dicendum esse, quando Canon dicit *si quis ausus fuerit*, aut cùm pœnam indicat præsumenti, vel ausu temerario facienti; hæc enim omnia, prærequirunt scientiam; quia non verè dicitur præsumens, & temerarius, seu audax (quia audacia temeritatem inuoluit) ille, qui ex ignorantia culpabili, & crassâ peccat, maximè cum præsumere importet dolum, & temeritatem, vt ex multis probat Sanchez n. 38. dolus autem requirit scientiam & non sufficit ignorantia crassa, & lata culpa. *Confirm.* 2.

321. Me-

Legis temerarius violator censetur dubitans an lex sit & nõ inquirens, non tamen censetur sub hac temerarius violator quantum ad incurrendas pœnas. Ratio.

321. Meritò etiam reijcit Sanchez, quod docet Suarius *disp. illa 4. sect. 10. n. 4.* vbi censet temerarium violatorem eum, qui cum suspicione vel dubitatione legis nòn adhibet aliquam diligentiam ad sciendum, an eà lex sit, quamuis enim, vt vult Suarius, & omnes concedimus peccet non tamen censetur (quidquid Suarius dicat) temerarius violator, quantum ad incurrendas pœnas; licèt enim temerarius, quantũ ad culpã moralẽ & mortalẽ censendus sit ratione periculi, cui se exponit, Iura tamẽ, quæ puniunt temerarium violatorem, aliquid amplius petunt iuxta dicta; alioquin omnis ignorans culpabiliter Ius tunc puniretur; omnit enim ignorantia culpabilis Iuris, vel facti supponit necessariò præcessisse aliquam dubitationem circa illa; quę si non præcessit, erit profsus inuincibilis ignorantia, vt latè probat idem Sanchez *lib. 1. summæ c. 16. à n. 12, maximè n. 21.* quam etiam latè, & doctissimè tradit Vasquez *t. 2. disp. 107. c. 3. à nu. 6.* & *disp. 123. c. 2. n. 6. & disp. 124. c. 2. n. 5.* cum multis Complutensibus, quos *c. illo 3.* refert, qui re maturius considerata hanc doctrinam, quam priùs non satis probabant, postea publicè docuerunt, & probarunt; Imò Suarius, quem aliqui putant pro oppositâ sententiâ *disp. illa 4. sect. 8. n. 18.* expressè ait necessarium esse considerare, an aliquando venerit in mentem tale præceptum, vel dubitatio aliqua, vel aliquid simile, quo posset homo excitari ad inquirendam scientiam talis præcepti; nam, si nihil eiusmodi aliquando menti occurrit, signum sufficiens est inuincibilis ignorantiæ; & probat Suarius quia non potest homo se applicare ad aliquid considerandum, vel administrandum; nisi præcedat cogitatio aliqua, quâ possit voluntas moueri, quia homo non se applicat nisi per voluntatem, & hæc non potest se mouere nisi præuiâ cogitatione. Ideò ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio &c. Hactenus Suarius. Ex quo sumitur argumentum contra ipsum nuper factum, quia, nisi subsit hæc cogitatio, erit prorsus inuincibilis ignorantia.

Limitat præcedentem doctrinam Sanchez.

322. Limitat præcedentem doctrinam Sanchez *n. 39.* vt locum non habeat, quando ignorantia esset adeò crassa, vt esset ingens temeritas; tunc enim non excusaretur à pœnâ Canonis contra scienter facientes; quia re verâ ille diceretur esse in dolo, cum crassissima ignorantia importet latissimam culpam, & dolo æquiparetur iuxta Anton. *c. 2. n. 9. de Constitut.* & Nauarrum in *Summa Hispana c. 27. n. 74.* & à fortiori Henriquez *lib. 13. c. 23. n. 3.* vbi putat ignorantiam quidem crassam excusare, non tamen supinam. Quæ doctrina valde probabilis est, idemque dicendum putat Sanchez cum tali ignorantiâ, quando pœna imponeretur audienti aut facere præsumenti, aut ausu temerario facienti. Verùm Bonacina suprà, & alij, quos ipse refert, eo ipso quòd etiã ignorantiã affectatam, vt vidimus, putẽt excusare, faciliùs de hac ignorantiâ crassissimâ & supinâ docent, vt vidimus.

An percussor Clerici per ignorantiam crassam

323. Vtrùm autem percussor Clerici per ignorantiam crassam, quòd Clericus sit excusetur ab excommunicatione lata in Canone *si quis suadente 17. q. 4.* non consentiunt Doctores. Nonnulli affirmant excusare, quia in prædicto capite eo ipso quòd requiratur percussionem fieri suadente Diabolo, videtur requiri dolus; quia, vt suprà vidimus, cum ignorantiâ crassâ non est locus dolo. Diaboli autem suassio dolum inuoluit, & ignorantiam excludit. Præterea in *c. Si verò 2. de senten. excommunic.* excusatur propter ignorantiam percussor, Clerici comam nutrientis. Ita docent Abbas *c. 2. n. 6.* de Constitutionibus, & alij apud Sanchez de *Matrim. sup. n. 41.*

quòd clericus sit excusetur ab excommunicatione lata in Canone si quis suadente. Nonnulli affir.

Negat Sanchez.

324. Oppositum docet Sanchez cum Decio, Barois, Tabiena, Couarr. ibidem relatis, neutrum enim caput citatum probat nam sufficere latam culpam, & requiri dolum; non in *c. si quis suadente*, illa verba suadente Diabolo solùm apponuntur vt intelligatur excusari à Censurâ quando percussio alioquin iusta est, vt causa correctionis (& idem puto de iustâ defensione, quando fieri non potest sine percussione) Caput autem *si verò*, extra rem est, ibi enim ignorans excusatur quidem non defectu doli; sed defectu culpæ latæ, quæ tunc nulla fuit, quia probabiliter ignorauit & iustè eum esse Clericum, qui contra solitum Clericorum morem comam nutriebat; talis enim quisque præsumitur esse qualis ex habitu iudicatur, vt ex *l. Item apud Labeonem §. si quis virgines ff. de Iniurijs*, probat idem Sanchez. Item, quia percussor Clerici tonsuram in eo videns non excusatur ignorantiâ Clericatus, vt cum multis docet ibidem Sanchez, & tamen ea culpa ignorantiæ lata est; nisi fortè (vt ait Syluest. *Excommunic. 6. §. 6. notabili 4.* & Antonin *3. p. tit. 24. c. 1. §. 2.*) consuetudo esset in aliquo locó, vt etiam laici tonsuram deferrent, tunc enim probabilis esset ignorantia Clericatus.

Talis quisque præsumitur esse qualis ex habitu iudicatur.

Hinc infert Sanchez.

325. Hinc meritò infert Sanchez cum Antonio, Angelo, & Syluestro, quos refert, & sequitur, *n. 42.* videntem habitum Clericalem in aliquo non excusari, dummodò simul videat tonsuram; nam solùm vestes non putat Sanchez, & meritò, esse sufficientem habitum, aut signum Clericalem, cùm hodie multi non Clerici habitu Clericali vtantur.

Asserendum 2. Ignorantiam comitantem excusare ab incurrendis Censuris & Irregularitate orta ex delicto. Ita Vasquez.

326. Assere 2. Ignorantia comitans excusat ab incurrendis Censuris & Irregularitate ortâ ex delicto. Ita Vasquez *1. 2. disp. 126. à n. 4.* & de *Excommunic. dub. 14. n. 4.* Sanchez *suprà n. 26.* Molina *tomo 4. disp. 53. n. 2.* & *tomo 6. Tract. 5. disp. 71. n. 8.* Filliucius *c. 8. quæsito 9.* Suarius *disp. illa 4. sect. 8. n. 8.* & alij apud citatos Auctores (quidquid in contrarium sentiat Couarr. *suprà §. 10. n. 15.* & alij, quos refert & sequitur Vgolinus, & Sayrus suprà citati) Ratio prædictorum Auctorum est, quia quamuis ignorantia illa comitans non excuset operantem à peccato circa tale obiectum, quia simul cum illâ potest manere, & manet etiam affectus internus peccati circa obiectum illud ignoratum, opus autem externum factum cum ignorantiâ comitante non est peccatum, non enim potest esse peccatum sine voluntario, nec voluntarium cum ignorantiâ, cum voluntarium iuxta Aristotelem *3. Ethicorum c. 1.* sit *à principio cognoscente singula, in quibus est actio.* Illud autem opus externũ non processit ex prauâ illâ voluntate, & affectu circa

Ratio prædictorũ assertionum est.

obiectum

obiectum peccati, quia non fuit præcognitum tale opus, vt factum circa tale obiectum; quando enim, v.g. quis actu habens affectum occidendi hominem; tamen hic & nunc telum mittit in corpus, quod putat esse bestiam, actus ille iaculandi non procedit ex affectu occidendi hominem, quem tunc credidit non adesse; sed ex affectu occidẽdi feram, quam adesse putat. Ideò ille actus tali existente ignorantiâ non est effectus voluntatis occidendi hominem. Vnde quamuis re verâ sit hominis mactatio, non est peccatum illud externum hîc, & nunc homicidium morale, & voluntarium. Cùm ergo excõmunic. Irregularitas, & cæteræ pœnę non incurrantur ob solum prauum affectum animi; Ecclesia enim non punit actus internos; actus verò externus à tali culpâ excusetur, non incurretur pœna. Et idem iudicium est de obligatione restituendi; vt notant citati Auctores, & alij apud Sanchez ibidem, quia nimirum obligatio restituendi non oritur ex solâ prauâ voluntate, quæ nocere nequit; sed ex actione ipsâ externâ iniustâ, & in eo casu opus ipsum externum à culpâ, & iniustitiâ excusabitur.

327. Idem iudicium propter eandem rationem est de percutiente Clericum quem ex ignorantiâ comitante putabat esse laicum; nam illa percussio, quatenùs est Clerici, non est voluntaria hîc & nunc, docentque communiter Doctores.

Obijcies. 328. Obijciet tamen aliquis, qui dat operam rei illicitæ incurrit Censuram, si faciat actum prohibitum sub Censurâ; sed qui iniustè percutit Clericum putans esse laicum, dat operam rei illicitæ: ergo incurrit Censuram impositam propter Clerici percussionem.

Resp. 329. Respondetur negando antecedens, quando qui dat operam rei illicitæ, habet ignorantiam probabilem alicuius circũstantiæ, seu qualitatis facti, propter quam imposita est Censura; nam. *c. si verò de sentent. Excommunic.* deciditur enim, qui percussit Clericum ignarus Clericatus, non ligari excommunicatione; & tamen constat prædictum dedisse operam rei illicitæ. Ita Vasquez *de Excommunic. dub. illo 14. & n. 3. dub. 15. n. 4.*

Quæritur. 330. An verò qui vult percutere Titium Clericum, putans eum esse, percutit alium Clericum, excommunicationem incurrat, non videtur ita clarum. Sanchez *suprà n. 27.* putat incurrere; *Resp. Sanchez* quia reipsà, & animo Clericum percutit; Pro quâ sententia refert Couarr. *c. Alma mater 1. p. §. 10. n. 15. vers. 8.* qui refert impium Carolum Molinæum; item Corduba in quæstionario *lib. 2. q. 26. § secundò probatur eadem pars.* Bartholom. à Ledesma de *Pœnit. dub. 17. de Excommunic. §. sed dubium oritur.* Vega *1. tomo summæ c. 85. casu 107.* *Doctrina Sanchez difficultate non caret.* Hæc tamen doctrina difficultate nõ caret propter rationem supradictam in eo, qui occidit feram putans esse hominem, vel occidit Clericum putans esse laicum; sicut enim, quamuis voluntas actu adsit occidendi hominem alia nihilominùs voluntas, à quâ prouenit actus ille exterior occidendi, non est voluntas occidendi hominem; sed occidendi feram, & hoc sufficit, vt actus occisionis hominis non censeatur hic & nunc voluntarius: ita similiter actus occidendi externus nõ oritur à volũte occidendi Caium quẽ reverâ occidit, neque illa occisio est volũtaria occidenti hîc, & nunc, quia omnino inuincibili ignorantia laborat seu errore, quo putat esse Titium, & est Caius: ergo occisio Cay nullo modo est voluntaria: ergo non sufficit ad incurrendam Censuram, quæ requirit occisionem Clerici voluntariam. *Resp. ergò Author.*

Confirmatur & declaratur. 331. Confirmatur, & declaratur, quia nulla est occisio, ob quam iste incurrat Censuram; nam, vel est occisio Titij, & hæc non cùm Titius non occidatur; vel est occisio Cay, qui reverâ occiditur, & hæc non; quia ratione ignorantiæ est involuntaria, vt patet.

Dices. 332. Dices fortasse occisionem Caij quamuis in indiuiduo sit involuntaria; in specie tamẽ, & in communi esse voluntariam, quatenus est occisio Clerici; qui enim volebat occidere Titium Clericum, volebat occidere Clericum; ratio autẽ Clerici etiam reperitur in Caio; occisio tandem Caij orta fuit ex voluntate occidendi Titium Clericum atque adeò occidendi Clericum: ergo occisio illa, quatenùs est Clerici, fuit voluntaria.

Resp. 333. Contra hoc est, quòd voluntas occidẽtis non fuit voluntas occidendi Clericum in communi, vel occidendi Clericum vagè hunc, vel illum; sed occidendi determinatè hunc Clericum scilicèt Titium, & non Caium imò fieri posset, quòd actu haberet voluntatem non occidendi Caium, atque adeò occisio Caij etiam cogniti, vt Clerici, potuit esse non voluntaria sed involuntaria: ergo frustra recurritur ad voluntatem illam occidẽndi Clericum.

Impugnatũ doctrina Sanchez. 334. Ex quo etiam posset impugnari doctrina eiusdem Sanchez, qui cùm sibi obiecisset n. 27. quòd, si quis proijciens lapidem, quo Titium Clericum cædat, si casu, ac inculpabiliter percutiat alium Clericum illac tunc transeuntem, nec Excommunicationem, nec Irregularitatem morte inde sequuta incurret vt aliqui docent, quos referemus *disp. 3. dub. 38. s. 3*; ergo neq; in nostro casu; respondet Sanchez negando paritatem, & disparitatem in eo consistere, quod in nostro casu & affectus, & opus ipsum externum sunt penitùs mala, & iniusta, qua nimirum affectus fuit Clericum percutiendi, & adfuit voluntas cædendi illum Clericum putando esse alium similiter Clericum; quod non adfuit in casu obiectionis; opus enim externum illius fuit omnino præter voluntatem. Quæ responsio ex dictis satis reijcitur. Nam tota ratio, ob quam opus externum vacat culpâ, non est, quia affectus, qui tunc adest, & opus ipsum externum culpâ vacent ex alio capite; sed, quia non procedunt ex voluntate occendi hunc hominem determinatum; sed alium, quod in vtroque casu reperitur; nam actus externus, quo occiditur Caius, non oritur ex voluntate accidendi Caium, sicut, nec in alio casu actus percutiendi hominem tunc fortè transeuntem, oritur ex voluntate illum occidendi. Ideò sicut in vno casu defectus voluntatis circa tale obiectum excusat à culpâ & à pœnâ circa illud: ita, & in alio casu idem defectus voluntatis excusabit.

Quod autem actio illa externa ex alio capite sit iniusta, quia procedit alioquin ex affectu in-

iniusto per accidens omnino est ad delictum, & pœnam, de quâ nunc agimus. Video sanè in nostro casu fuisse voluntatem occidendi illum Clericum, quem putabat esse Titium; in casu verò obiectionis nullam fuisse voluntatem occidendi alium tunc fortè transeuntem: sed hoc nihil refert; nam voluntas occidendi illum Clericum, quem putabat esse Titium, processit ex ignorantiâ, seu errore personæ, etiamsi sensu externò videat percussor illam, quam percutit, nam solus visus non sufficit, vt actus dicatur voluntarius circa talem personam, circa quam est error, seu ignorantia, imò potest esse voluntas contraria, scilicèt non occidendi; sed seruandi illam.

Opposita sententia in praxi seruanda, atq; adeò occidens Caium clericū quem putat Titium excommunic. incurrit.

335. Propter hæc posset quis putare fortasse probabile in occisione Caij Clerici, qui putatur Titius Clericus, nō incurri Irregularitatem, nec excommunicationem; nihilominùs placet opposita sententia, & in praxi seruanda; tùm propter Doctorum auctoritatem, tùm, quia negari non potest in eo casu adesse voluntatem occidendi illum, quem videt, & percutit falsò putansesse Titium, cum sit Caius, atque adeò semper adesse voluntatem occidendi illum Clericum, quem videt, & actus occidendi illum Clericum procul dubio præcedit ex voluntate occidēdi illum eundem Clericum, quem videt; ideòque concurrunt simul, & voluntas occidēdi illum Clericum, quem videt, & actus externus occidendi eum Clericum, quem videt, ortus ex ipsâ voluntate occidendi illum, ita, vt in hoc casu non fuerit ignorantia, seu error in eo, quòd hic, quem videt, sit Clericus, & occidatur; id enim totum operanti notum est, & vult occidere hunc Clericum, etiam cognitum Clericum, quamuis, non occideret, si sciret esse Caium. Cum ergo excommunicatio incurratur ex occasione Clerici, & hanc intenderit, & exequutus fuerit hîc & nunc occisor ille incurret omnino excommunicationem.

Casus in quo pleriq; Auctores conueniunt.

336. Illud est certum apud Auctores plerosque, si quis falsò existimans eum, quem cædit esse Clericum, percutiat laicum, non incurrere excommunicationem; quia re verâ non percutit Clericum, quamuis id habuerit in animo; sicut nec Irregularis esset si occidat feram putans esse hominem; affectus enim interni non subsequuto effectu non puniuntur huiusmodi pœnis. Legatur Sanchez *suprà n.* 28. vbi plures Auctores refert, & meritò excusat Hostiensem, & Glossam, quibus Couarruuias tribuit eos sentire prædictum esse excommunicatum, donec nouerit Clericum non esse à se occisum. Quod Auctores prædicti non dicunt; sed id tantùm docent, quod verissimum est, scilicèt interim dum durat conscientia erronea, quod occisus fuerit Clericus, debere se reputare excommunicatum, de quo nemo dubitat.

Alius casus certus.

337. Illud etiam verissimum est, si percutiat Clericum, quem putat esse laicum, cum hac intentione *volo scilicèt occidere hunc hominem qui est laicus; aut, si est Clericus volo adhuc illum occidere*, incurrere excommunicationem, actus enim externus malus efficaciter dependet ab illo actu interno, etiam secundum rationem occasionis Clerici, cùm etiamsi Clericus sit ex vi talis actus interni exterior occisio procedat, & efficaciter dependeat ab illo; quod non contingeret, si solùm adesset ignorantia comitans; tunc enim actus externus occisionis Clerici quatenùs Clerici, non prouenirèt ab interno actu iniusto. Ita Sanchez *in summ. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 14. Suar *disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 10. *alias* 9. Filliucius *Tract.* 11. *c.* 8 *quæstio* 9. & si rectè intelligatur, idem docet. Vasquez *disp.* 125. *c.* 2. *n.* 5. *in* 1.2. Azor, Cordub. & alij relati à Sanchez *loco citato*, qui rectè explicat triplicem dispositionem, quæ esse potest in operante; primam habitualem tantùm, quâ vellet hostem perimere, quamtumuis Clericum, & hæc, positâ ignorantiâ comittanti in vincibili, prorsus excusat à peccato occidendi Clericum, sicut & à peccato occedendi hominem, quando ex tali ignorantiâ occiditur putando esse Feram, quia per talem dispositionem habitualem nō peccatur formaliter, donec in actum prodeat; secundam verò dispositionem, quando actu haberet voluntatem actualē occidendi Clericum, si ibi adesset, at credens inuincibiliter non esse Clericum illum occidit, aut cum voluntate actuali occidendi hominē, si adesset, credens tamen inuincibiliter esse feram, illum traijcit sagittâ ita, vt prauus ille animi affectus solum comitetur actum externum, ac per accidens cum eo coniungatur, & tunc actus externus vacat culpâ Sacrilegij, vel homicidij. Tertiam dispositionem explicat Sanchez esse illam, que concurrit in nostro casu; quando scilicèt ignorans voluntatem haberet actualem occidendi quēcumque habeat in suo cōspectu, siue sit homo siue fera, siue Clericus, siue laicus, & tunc est reus externi homicidij, seu etiam Sacrilegij, quia habet actualem voluntatem occidendi id, quod videt, quamuis putet inuincibiliter id esse feram.

Assignatur triplex dispositio quæ in operante esse potest. Prima.

Secunda.

Tertia.

Alter casus certus.

338. Illud quoque certissimum est eum, qui percutit Laicum, putans ex percussione laici incurri excommunicationem, illam non incurrere, quia, cùm in Iure non sit excommunicatio imposita propter percussionem Laici, sola conscientia erronea, quod talis sit Censura, non sufficit. Nec obstat quod actus internus dicatur esse sacrilegus, quia solùm propter sacrilegium externum consummatum contra personam Clerici incurritur excommunicatio. Ita Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio disp. illa* 32. *n.* 28. *&* 48. Suarius *disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 53. Vasquez *loco citato de Excommunicatione. n.* 3. estque communis sententia, & satis nota.

DVBITATIO XXIV.

An Impotentia, & metus impediant vim Censuræ?

Impotentia præstādi quod sub censura præcipitur excusat ab ea incurrenda.

339. Certum primò sit impotentiam præstandi, quòd sub Censura præcipitur excusare ab eâ incurrenda. Ratio est facilis; quia nemo tenetur ad impossibile. *L. Impossibilium, ff. de Regul. Iuris* Ideò nemo peccat, nec contumax censetur, si non faciat, quod præcipitur, quando id non potest; atque adeò Censura non incurritur, quæ incurri non potest; nisi obpeccatum, & contumaciā. Hinc est, vt, qui propter impo-

impotentiam non restituit, non incurrat excommunicationem latam contra non restituentes vel retinentes rem alienam. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. Graff. *lib.* 4. *Decisionem c.* 8. *n.* 10. Reginald. *lib.* 9 *n.* 206. Suarius *disp.* 20 *sect.* 2. *n.* 14. Henriquez *c.* 18. *n.* 4 Filliucius *Tract.* 11. *c.* 8. *quæsit. n.* 8. 241. & alij plerique.

Dictum de impotentia physica congitur dictum de impotentia morali.

340. Idem quod dicitur de impotentiâ physicâ, censendũ est de impotentiâ morali, vt cùm quis præstare non potest quod præcipitur, sine graui incommodo, vt contingit, quando quis sub Excommunicatione præcipitur pensionem aliquam soluere, aliquidue restituere; quod non potest præstare, sine longè maiori damno; vel sine detrimento bonorum superioris, seu alioris ordinis; tunc enim censetur moraliter impotens, & non peccat non restituendo; quod totum intelligendum est iuxta regulas traditas à nobis in *nostro opere de Iustitia Tract. de Restitut. disp.* 10. maximè *dub.* 3. cùm enim tunc non peccet moraliter, vt cum multis ibi diximus, nec incurret excommunicationem. Ita etiam Nauarrus, Sotus, Corduba, & alij, apud Suarium *disp. illâ* 20. *sect.* 3. *n.* 9. vbi hoc latè Probat. Idem Filliucius *n. illo* 24. & alij plures infra referendi.

Quæres.

341. Quæret tamen aliquis; an, qui videt se futurum impotentem, quando impleatur certum tempus statutum ad restituendum sub pœnâ excommunicationis, teneatur, si possit sub eâdem excommunicationis pœnâ anticipare solutionem. v. g. Si post finem mensis tenetur sub Censurâ restituere; teneatur in principio mensis sub Censura restitutionem facere, quando prænidet, si tunc non restituat, fore posteà impossibilem restitutionem?

Resp.

342. Omissis alijs modu dicendi, mihi videtur probabilius incurrere Censuram; nisi solutionem anticipet, est enim iam sub obligatione restituendi sub pœnâ Censuræ, illamque tenetur restitutionem præstare non solùm Iure naturæ; sed ex vi præcepti Ecclesiastici iam tunc obligantis sub Censurâ. Vnde Censetur sufficienter contumax, & tunc dedisse causam sufficientem omissionis solutionis obligantis sub Censurâ; omnis enim, qui tenetur ad aliquod præceptum intra certum tempus; si præuideat futurum impedimentum in secundâ parte illius temporis: tenetur anticipare opus præceptum, quia iam incipit vrgeri præcepto, & est intra tempus designatum à præcepto pro illo implẽdo; sicut, qui die festo præuidet in secundâ parte illius temporis in quo vrgetur præcepto audiẽdi Missam, fore impediendum, tenetur anticipare auditionem illius iuxta dicta *Tract.* 5. *de Sacrif. Missæ disp.* 5. *dub.* 10. §. *nu.* 147. Item quando quis præuidet intra quindecim dies assignatos pro communione Paschatis non posse in posterioribus diebus communicare; tenetur in prioribus iuxta probabilem multorum sententiam, de quâ diximus agẽtes *de Eucharistia Tract.* 4. *disp.* 10. *dub.* 6. *à n.* 140.

Aduertendum hoc loco.

343. Illud autem est hoc loco aduertendum, non incurri talẽ Censuram propter omissam restitutionem, vsque ad transactum illum mensem, intra quem tenebatur restituere; quãuis enim peccatum commissum iam sit statim atque se impotentem reddidit ad restituendum; vel præuidens se iam deinceps fore impotẽtem, restitutionem omittit; incursio tamen Censuræ solùm incipit, quando opere externo consummatur peccatum non restituendi; quod solùm contingit in fine mensis illius. Vnde, si quis tunc casu iterum posset restituere, & restitueret, non incurreret Censuram, quantumuis iam omnino incurrisset peccatum; idemque iudicium est de Censurâ, quæ esset lata contra omittentes, vel sacrum, vel horas Canonicas, vel aliquid aliud, qui peccarent quidem, si intra tempus præscriptum in primâ parte illius temporis assignati ad præceptum implendum illud non impleant, cũ possint, præuidentes fore impedimentum illud implendi in sequenti tempore. Est communis Doctorum sententia, quam præter alios tradit Suarius *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 16. Filliucius *Tract. illo* 11. *c.* 8. *n.* 243.

Contritus & in gratia constitutus, potest censuram incurrere.

344. Addit tamen Filliucius excusari ab incurrendâ Censurâ, qui, quando venit terminus præfixus dolet de culpâ commissâ. Quæ limitatio meritò alijs displicet, parùm enim interest quod quis iam doleat, dummodò sufficientem prius causam dederit omissioni voluntariam, sæpè enim incurritur Censura, etiam si tempore incurrendi iam fuerit quis contritus de peccato, & in gratiâ constitutus; sic qui iaculum misit in Clericum, vel venenum illi propinauit, etiamsi antequàm effectus sequatur, conteratur de peccato, excommunicationem incurrit, & Irregularitatem, quia causam voluntariè dedit tali occisioni, & percussioni. Legatur Suarius *citato n.* 16. quidquid in contrariũ sentiat Tabiena verb. *Excommun. sc.* 5. casu 1. n. 35. Innocentius, & alij apud Filliucium suprà n. 267. & alij quos retuli *disp. præcedente dub.* 21. *n.* 292. asserentes non incurri Censuram ab eo, qui resipuit, & paratus est obedire tempore, quo, vel actus, vel omissio prohibita sub Censurâ, consummatur; quod nullo idoneo fundamento probatur.

Asserendum est metum grauem excusare à Censura.

345. Quoad secundum, quod inquiritur in titulo huius dubitationis de metu; asserendum omnino est metum grauem, siue (vt aiunt) cadentem in constantem virum excusare à Censurâ. Ita Nauarrus *c.* 27. *n.* 63. *&* *n.* 130. Suarius *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 13. Auila 2. *p. disp.* 8. *dub.* 5. Salas de *Legibus disp.* 14. *sect.* 1. Coninc. *disp.* 13. *dub.* 12. Filliucius Tract. 11. *c.* 6. *quæs.* 4. *n.* 178. *in fine* & *c.* 8. *quæs.* 14. Duardus *in Bullam Cœnæ lib.* 1. *quæs.* 3. *n.* 49. *&* *c.* 2. *n.* 29. aliique multi quorum aliquos retulimus supra nu. 133. & *seqq.* vbi de hac re latè etiam egimus. Fundamentum est; quia intercedente metu graui non censetur adesse contumacia contra legem Ecclesiasticam, nec præcepta Ecclesiastica cẽsentur præcisè ut talia obligare cum tanto rigore, nec id velle piam matrem Ecclesiam, cuius præcepta benignè sunt accipienda, & interpretanda, cessante autem contumacia, & contemptu cessat incursio Censuræ iuxta sæpè dicta. Legantur quæ dicemus *dub.* 30. *nu.* 433. *&* *dub.* 31.

Limitari solet hæc doctrina.

346. Limitari solet hæc doctrina dummodò talis metus non incutiatur in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, aut Catholicæ Religionis, & fidei, tunc enim sicut metus non excusat à culpâ, non excusat à Censurâ. Quod verò à culpâ non excusetur satis constat ex eo, quòd

quilibet tenetur vitare contemptum Religionis & præferre bonum commune propriæ vitæ. Tunc ergo non mirum quòd Ecclesia obliget sub censurâ cum tanto incommodo, & rigore ad conseruandam, tuendámque Religionem, & commune bonum. Itaque, quando Ieiunium præceptum est ab Ecclesiâ, & mihi propter alias causas præter contemptum Religionis, & Ecclesiæ, grauis metus incutitur; nisi soluam ieiunium, non pecco illud soluendo, quia præceptũ Ecclesiæ iuxta hanc doctrinam cum illâ circumstantiâ non obligat. Quod si metus incutiatur in contemptum Religionis, & Ecclesiasticæ potestatis, peccabo ieiunium frangens, cùm potiùs mortem oppetere, quàm illud frangere debeam, & consequenter incurram Censuram, si lata sit contra frangentem ieiunium iuxta dicta locis notatis præsertim nu. 140.

Salas putat prædictum non incurrere excõmunicationem.

347. Salas verò *suprà n. 5.* putat prædictum non incurrere Excommunicationem, quando enim quis v.g. per grauem metum cogitur in cõtemptum Ecclesiæ committere furtum prohibitum sub Censurâ, non peccat contra præceptum Ecclesiæ subripiẽdo per metum grauem; atque adeò non incurrit Censuram, etiamsi metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ; quia Censura illa imposita est propter peccatum furti; non propter peccatum contemptus; malitia enim contemptus est accidentaria, & præter intentionem superioris prohibentis furtum sub Censurâ. Ex quo fit, vt quamuis peccet contra Ius naturale, & Diuinum in tali modo contemptus non peccet contra præceptum Ecclesiæ.

Oppositum probabilius videtur auctori.

348. Nihilominùs probabilius mihi videtur oppositum iuxta dicta; Ecclesia enim in tali casu obligat suo præcepto. Ita Coninch *disp. 13. dub. 12. n. 100. & 102.* Suarius *de Censuris disp. 6. sect. 3. n. 3. & deinceps.* Filliucius *c. illo 8. quæsito. 14.* & alij multi. Ratio est, quia, quandoque ratio præcepti Ecclesiastici tam grauis est, vt nullus metus à præcepti obseruatione excuset, vt in casu præcedenti metus incussi in contemptum, & iniuriam Ecclesiæ & fidei. Item, quando aliquis iuberetur violentas manus iniicere in Episcopos, Cardinales, & similes. Cederet enim hoc in contemptum grauissimum Ecclesiæ & Christianæ Religionis. Itaque grauitas præcepti secundùm se expendenda est, vt discernamus, an velit Ecclesia, etiam cum vitæ discrimine obligare; quando enim tanti momenti est res præcepta, censetur etiam cum tali periculo obligare. Porrò aliquando ita velle, & posse Ecclesiam obligare constat ex c. *Sacris de iis, quæ vi,* vbi dicitur; *licèt metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit (cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere) excommunicationis labe credimus inquinari.* Vbi apertè agit de actu, qui est peccatum contra prohibitionem Ecclesiæ, scilicet de communicatione cum excommunicatis hîc, & nunc illicita, & tamen solùm illicita est, quia prohibita solo Iure Ecclesiastico. Itaque vult Pontifex metum non excusare à pœnâ, quia non excusat à culpâ; scilicèt; quando, non obstante metu, adhuc vrget præceptum. Itaque iuxta dicta videndum est an, non obstante metu, adhuc præceptum Ecclesiæ obliget; tunc enim etiam incurretur Censura, si non seruetur præceptum sub eâ pœnâ latum. Quando verò pensatâ materiâ, & circũstantiis prudenter existimetur Ecclesiam non obligare, tunc, sicut non peccatur contra præceptum, nec Censura incurretur. Atque hanc doctrinam videtur sequi Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 31. num. 4. circa medium,* referens citata verba *c. Sacris* testaturque in casu, quo peccatum est mortale facere contra prohibitionem Ecclesiæ, omnes Doctores sentire iuxta illum Textum metum non excusare ab excommunicatione, & rectè probat ex Abbate *ad illum Textum n. 4.* ibi esse sermonem de metu graui.

Ex hoc colligitur 1.

349. Ex hoc colligitur primò eum, qui iam incurrit Censuram, sæpè facere posse aliquid, quod aliàs per Censuram ei prohibitum est, nimirum quoties non potest seruari prohibitio sine graui incommodo tali, vt hîc & nunc non censeatur Ecclesia cum tanto incommodo ad id obligare, vt iam diximus per occasionem *suprà n. 148. & seqq.* vbi explicuimus an & quatenus metus grauis excuset ab effectibus mediatè resultantibus à censurâ. Recognosce, si placet ibi dicta. Ideò, qui secretò incurrit Censuram, & non fuit negligens in petendâ absolutione, potest exercere actus ordinis, quoties hoc est necessarium, ne alij credant, aut coniiciant, non sine eius infamiâ Censuram aliquam incurrisse; tunc ergo non fiet irregularis, quia irregularitas ea non incurritur nisi propter peccatum exercendi actum Ordinis; tale autem peccatum tunc non committitur, etiamsi actus Ordinis exerceatur. Ita Suarius *disp. 6. sect. 3. n. 7. & 14.* & Auila *7. p. disp. 2. dub. 7.* Coninc *suprà n. 103.* Vbi videtur etiam requirere statum gratiæ; hoc autem ita intelligendum puta, vt talis status requiratur ad licitè exercendum actum Ordinis, quando exercitium Ordinis requirit alioquin statum gratiæ; non verò ad excusandam Censuram; quando enim quis non potest excusare exercitium Ordinis à quo arcetur virtute Censuræ, nisi notam & infamiam subeat, non vrget, vt supponimus prohibitio Censuræ. Vnde, si ex alio capite Censuratus omittat actum contritionis, vt constituatur in gratiâ, peccabit quidem contra præceptum Diuinum tractandi sancta sanctè; sed non contra prohibitionem Ecclesiæ contentam in Censurâ, atque adeò quantumuis peccet, non incurrit Irregularitatem. Imò, si ministerium Ordinis sit tale, vt non teneatur sub mortali minister esse in gratiâ iuxta dicta propriis in locis, tùm *Tract. 1. de Sacram. in genere disp. 3. dub. 10.* tùm alibi, dum ageremus in particulari de ministris Sacramentorum; nec peccabit contra præceptum Diuinum, nec incurret Censuram, etiamsi in eo casu exerceat actum Ordinis sine statu gratiæ.

Limitãda est prædicta illatio exercitij actus ordinis.

350. Limitanda verò est prædicta illatio exercitij actus Ordinis iuxta paulò ante traditam doctrinam nempè; nisi in contemptum Ecclesiæ, Religionis, aut fidei incuteretur metus, tunc enim, cum adhuc obliget præceptum, incurretur Censura iuxta doctrinam Pontificis in *illo c. Sacris.*

Colligitur 2.

351. Infertur 2. iuxta dicta nu. 145. Clericum, qui metu mortis gestat arma sub excommunicatione illi prohibita, non incurrere Censuram,

suram, nec peccare contra præceptum Ecclesiæ, quæ non censetur cũ tanto rigore obligare.

Colligitur 3. 352. Infertur 3. Christianos, captos à Turcis iuxta ibidem dicta & positos ad Triremes posse remigando impellere naues contra Christianos, quando metu mortis id faciunt, siue, quia reuerà tunc non peccant, etiam Iure naturæ, atque adeò multò minùs Ecclesiastico, quod vtrumque ego verum puto, vt variis in locis diximus, maximè *in nostro opere de Iustitiâ. Tract. de Restit. disp.*4. *dub.*7. & alibi. Siue, quia quamuis peccetur contra ius naturæ, vt non nulli volunt, nihilominus non peccatur contra Ius Ecclesiasticum, quod non censetur obligare cum tanto rigore. Hoc tamen secundum non placet; si enim secundum Ius naturæ tenerentur non remigare, meritò censendum esset præceptum etiam Ecclesiasticum in eo casu obligare. Itaque in eo casu, nec naturale, nec Ecclesiasticum præceptum obligat, quidquid aliqui in contrarium senserint apud Sanchez suprà *n.* 6. & apud Auilam 2.*p.c.*6.*disp.*8.*dub.*5.*ad finem.* Vide dicta nu.145. & seqq.

Colligitur 4. 353. Infertur 4. eos, qui metu mortis adulterium committunt, non excusari ab incurrendâ Censurâ, si quæ lata sit contra adulterantes, tunc enim meritò censetur Ecclesia velle illos obligare suâ lege, sicut, & obligantur Iure naturæ. Ita Suarius *suprà disp.*6.*sect.*3.*n.*3. Sanchez *citata disp.*31.*n.*4. loquẽs in simili de impedimẽto petendi debitum inducto lege Ecclesiasticâ.

Non satis consequenter videtur loqui. Bonacina. 354. Vnde non satis consequenter videntur loqui Bonacina *de Censuris disp.*1.*q.*2.*puncto* 3. *n.*5. & alij nonnulli docentes metum grauem non semper excusare ab incurrendâ Censurâ; quia nimirum aliquando (vt quando res fit in contemptum Ecclesiæ, & Religionis) obligat præceptum Ecclesiasticum etiam sub graui metu, & ex alio capite docent adulterantes metu mortis non incurrere Censuram, nec obligare cum tanto rigore præceptum Ecclesiæ; si enim Ecclesia, vt constat ex illo *c. Sacris* non excusat ab excommunicatione; nec de obligat à præcepto eum, qui communicat cum excommunicato, quando id vergit in contemptum Ecclesiæ, vel (vt alij volunt) absoluté; profectò non minori ratione censebitur Ecclesia non velle deobligare à lege non adulterandi à se latâ, etiamsi peccatum fiat eodem metu mortis; imo cùm communicatio cum excommunicato prohibita sit ex mero Iure positiuo, vt notabamus; adulteratio verò sit prohibita Iure naturæ, multò potiori ratione præsumi posset, quòd Ecclesia non obliget cum tanto periculo, & metu ad non communicandum cum excommunicato, quàm, quòd non obliget ad non adulterandum; maximè, cùm possit cessare materia contemptus præcepti Ecclesiastici in eâ communicatione cum excommunicato & nullo modo possit cessare ratio adulterij in illo alio casu. Hoc secundum ex se patet; illud primum sic probo; nam eo ipso quòd supponamus Ecclesiam, quando adest grauis metus, non obligare, redditur impossibilis ratio contemptus præcepti Ecclesiastici; neque enim esse potest locus contemnendi præceptum, si non sit præceptum. Vnde, si quis in contemptum præcepti Ecclesiastici, v. g. Ieiunij, cogeretur ab Infideli metu mortis carnes comedere, eo ipso, quod præceptum præsente metu cessaret; non posset esse locus contemptui externo talis præcepti, nam eo ipso quòd comedens carnes videret se non obligari, & incutiens metum sciret eo ipso quòd metus incutiatur, non subsistere præceptum, nec ille posset velle quòd præceptum contemneretur re ipsâ præceptum, quod non est, posset contemni. Quod autem incutiens metum habeat illum prauum animum contemnendi ex parte suâ præceptum, & faciendi, vt alius illud contemnat, non imputatur; nec imputari potest illi, cui metus incutitur; neque enim ille cooperatur ad contemptum, vel ad animum alterius. Itaque multò magis impossibile est, quòd ratione metus cesset ratio prohibitionis Ecclesiasticæ sub Censurâ contra Adulterium, quam quòd cesset eadem prohibitio contra alias materias solùm illicitas, quia prohibitas ab Ecclesiâ.

355. Vlterius notare oportet, quando Ecclesia suâ prohibitione reddit aliquem inhabilem ad aliquem actum ita, vt eum nequeat validè facere; quamuis fortè excusetur ratione metus à peccato, cessetque obligatio præcepti Ecclesiastici, nunquàm tamen ille metus facit, vt actus sit validus, qui alioquin inualidus erat. Ideò, quando talem actum inualidè facere esset contra Ius naturæ, nullo metu excusabitur quis à peccato v.g. qui publicè excommunicatus est, & denunciatus, amittit Iurisdictionem omnem ad absoluendum, ideò ob nullum metum poterit velle Sacramentaliter absoluere quia extra articulum mortis id non potest validè facere, ideò est intrinsecè malum, & iterum dicemus *dub.*31.*n.*441.§.*intelligenda tamen.* *Notandum.*

356. Vtrùm autem tunc peccet contra præceptum Ecclesiæ? non est ita certum; non nulli enim putant ob grauitatem periculi ab eo excusaris probabiliùs tamen est iuxta doctrinam traditam etiam peccare contra præceptum Ecclesiæ, atq; adeò fieri irregularem; non enim cẽsetur Ecclesia in tali casu redũdante in potestatis Ecclesiasticæ iniuriam velle illũ deobligare. Ita Suarius *disp.*6.*sect.*3.*n.*3. Coninck *dub. illâ* 12. & alij, idque tenetur à fortiori docere Sanchez iuxta doctrinam à se traditam *disp. illa* 31.*n.*4.

357. Quæret aliquis à quibusnam effectibus Censurarum possit quis etiam excusari ratione metus grauis incussi? *Quæres.*

358. Quæsitum hoc vnum supponit, & alterum quærit; supponit quidem id, quod verissimum est, nempè etiam post incursam Censuram esse aliquos Censuræ effectus, seu obligationes, à quibus ratione metus grauis excusari potest Censuratus; nam v. g. Sacerdos, qui iam est excommunicatus ratione metus, vt dictum est, excusari quandoque potest ab obligatione non celebrandi cum eâ Censurâ, ac proinde ab incurrendâ Irregularitate, si celebret, sicut, & excusari potest ab administratione aliorum Sacramentorum, vt iam suprà notauimus. Quærimus ergo, quinam effectus Censurarum sint illi, à quibus post incursam Censuram, Censuratus potest, aut solet excusari? Huic quæsito possumus generaliter respondere excusare metum grauem ab effectibus mediatis Censuræ, itaque *Resp. metum grauem excusare ab effectibus me-*

diaris Censura.

excusat ab illis effectibus qui tunc quædam obligationes non præstandi actus aliquos à quibus exercendis Censuratus tenetur abstinere, vt celebrare, administrare Sacramenta, & similia cum circumstantiis, & limitationibus doctrinæ suprà traditæ. Quâ de re latè tractat Vgolinus *Tabula* 1.c.14. Suarius *disp.* 6. *sect.* 2. *n* 7. Filliucius *cap.* 7. *quæstio* 5. quod si loquamur de effectibus immediatis, non ita absolutè id potest affirmari; nam Censura secum inuoluit exequutionem, ita, vt manente Censurâ, maneant etiam effectus ipsius immediati, maximè illi, qui non requirunt aliquam exequutionem, positiuam, aut negatiuam ex parte ipsius Censurati, quales sunt, qui videntur de intrinsecâ ratione ipsius Censuræ. Vnde excommunicatus v. g. eo ipso quòd lapsus est in excommunicationem priuatur participatione suffragiorum Ecclesiæ; & verâ Iurisdictione etiam priuatetur ad absoluendum quicumque excommunicatus occultus stando Iuri antiquo; sicut secundum Ius nouum priuatur excommunicatus publicè denuntiatus. Itaque post incursam Censuram accedente vi, vel metu graui, potest censuratus facere aliquid, quod per Censuram vetitum est, vt absoluere vel alia Sacramenta ministrare, si timeat hæc omittens subiturum infamiam, aut fore causam grauis scandali, aut sit grauis necessitas proximi ita faciendi. Potest etiam occultus excommunicatus audire sacrum, aut celebrare ad vitandum scandalum, vel grauem detractionem, & similia; nomine verò scandali non debet intelligi quædam quasi admiratio hominum, aut vulgi cum frequenti sermocinatione de eâ re, sed intelligi debet occasio peccati cum detractione, iudicij temerarij &c. Ratio verò doctrinæ huius est, quia, quando duo præcepta incompatibilia simul occurrunt, & alterutrum illorum necessariò prætermittendum est, illud debet seruari, quod maius est, & vrgentius; maius autem videtur non exhibere scandalum populo, quam illud alterum præceptum non faciendi præter obligationem Censuræ audiendo sacrum, aut celebrando &c. Ergo in eo casu hoc secundum non censetur obligare, nec cum tanto dispendio vult Ecclesia præceptum suum vim habere. Ita Suarius *suprà n.* 15. *disp* 6. *sect.* 3. Coninck *suprà n.* 103. Filliucius *c. illo* 7. *quæst.* 7. *&* c. 8. *qu.* 14. *n.* 271 Henriquez *lib.* 13 *c.* 6. *n.* 7. *& lib* 3. *de Pænit. c.* 15. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. Nauarrus *c.* 27. *n.* 339. Azor 1. *p. lib.* 10. *c.* 31. *q.* 6. Cordub. *in summa q.* 137. *&* 142. Sayrus *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 4. & alij apud Auilam 2. *p. c.* 6 *disp.* 8. *dub.* 5. Quidquid in contrarium sentiat Caietanus 1.2. *q* 96. *art.* 4. & Syluest. *verb. excom.* 5. *n.* 1. aliique non nulli; sed de his omnibus sequenti sectione dicemus, vbi ex instituto disputabimus de effectibus excommunicationis.

Quod non est ita absolutè asserendum de immediatis effectibus.

Potest occultus excommunicatus celebrare &c. ad vitandum scandalum.

Vtrum autem excommunicatus, vel suspensus toleratus possit actus Iurisdictionis exercere? ibidem quoque per occasionem disputabimus.

DVBITATIO XXV.

An excuset ab incurrenda Censurâ consensus partis in cuius fauorem Censura fertur?

359 Omissis variis dicendi modis asserendum omnino est voluntatem, seu consensum illius in cuius fauorem concessa fuit Censura; sufficere ad suspendendam Censuram ne incurratur. Vnde, si quis obtinuit à summo Pontifice excommunicationem contra suos debitores non restituentes intra sex menses sufficit, vt etiam elapso tali tempore non incurrant, si creditor ille remittat debitum, aut prorroget terminum ad satisfaciendum, siue sit ipse Dominus debiti, siue procurator, aut alius quiuis, qui habeat plenipotentiam ab illo ad remittendum, vel prorogandum. Ita Angelus *verbo excommunic. n.* 2. Suarius *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 8. Filliucius *Tract.* 11. *cap.* 3. *qu.* 12. *num.* 80. Diana cum aliis Par. 5. Tract. 9. Res. 65. Coninck *disp.* 14. *dub* 16. *n.* 199. aliique non nulli. Ratio est, quia, si ille creditor condonaret absolutè debitum, cessaret omnino Censura propter ablatam materiam, & causam, ob quam ferebatur; quod etiam concedunt Auctores oppositæ sententiæ, de quâ posteà: ergo, si suspendatur obligatio debiti concessâ prorogatione termini, suspenderetur etiam ipsa Censura; sicut enim absoluta, & in perpetuum condonatio debiti facit, vt iam non sint ampliùs debitores, qui debebant, ita remissio illa pro aliquo tempore facit, vt debitores pro illo tempore non sint propriè debitores: ergo sicut cessat absolutè Censura pro toto tempore in vno casu, cessabit pro illâ parte temporis in alio. Accedit, quod excommunicatio obtenta à prædicto creditore censetur habere tacitam conditionem, nisi creditores restituant intra tale tempus iuxta voluntatem ipsius creditoris. Vnde si voluntas est creditoris, vt non teneantur intra tale tempus restituere, cessat conditio; sub qua censetur data censura. Vlterius Iudex concedens Censuram in gratiam creditoris non censetur velle obligare debitorem vltra voluntatem, & intentionem creditoris. Tandem Censura non censetur ferri; nisi in contumaces, non tamen censetur contumax, qui non restituit intra illum terminum concessæ dilationis.

Asserendum consensum illius in cuius fauorem concessa fuit Censura sufficere vt Censura non incurratur.

Ratio est.

360. Oppositam sententiam sequuntur Nauarrus c. 25. *n.* 25. Sayrus *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 20. Vgolinus *tabula* 1. *c.* 20. *§.* 6. *non longè à fine*, aliique recentiores Probant 1. quia sicut ferre Censuram est actus Iurisdictionis, ita illam differre seu ad tempus suspendere. ergo sine consensu Iudicis non potest illam suspendere creditor, cùm non habeat Iurisdictionem.

Oppositam sententiam sequuntur Nauarrus &c. Probat. 1.

361. Respondetur tamen facilè, suspendere quidem Censuram directè, & potestatiuè esse actum Iurisdictionis; suspendere verò solùm per subtractionem materiæ; & condonationem, seu prorogationem debiti esse actum non Iurisdictionis; sed dominij; qui actus competit creditori. Vnde ille prorogando terminum Censuram suspendit indirectè per ablationem materiæ, quatenùs condonat solutionem debiti intra præfixum terminum.

Resp. ad rationem oppositæ sententiæ.

362. Por-

Probant 2. 362. Probant 2. quia verba Censuræ faciunt, quod sonant; sed sonant, & significant debitores ligari intra sex menses, si non soluant: ergo quantumuis creditor remittat, id faciunt.

Resp. 363. Respondetur ex dictis verba Censuræ facere quod sonant iuxta mentem, & voluntatem superioris ferentis Censuram, eius autem mens, & voluntas est non ligare debitores; nisi iuxta intentionem creditoris, in cuius fauorem Censura fertur; creditoris autem intentio est, vt prorogetur terminus.

Dubium. 364. Verùm autem elapso termino prorogato debitor, in cuius fauorem terminus prorogatus fuit, incidat in Censuram absque nouo consensu Iudicis ex vi præcepti? non consentiunt Auctores negant enim Angelus Syluester, Nauarrus suprà, & alij; affirmant verò Suarius *disp. illa 3. sect. 6. n. 11.* Filliucius *suprà n. 82. & c. 7. q. 8. n. 244.* Hurtado Cornejo quos contra Vgolinum sequitur Diana *5. par. Trac. 9. Res. 22. & 65.* aliique non nulli, quia Iudex, qui præfixit terminum non præfixit illum ad finiendum intra eundem terminum suum præceptum, & obligationem, annexamque Censuram; sed solùm ad finiendam permissionem aut licentiam differendi impletionem præcepti, & solutionis; sensus enim præcepti est, vt intra talem terminum soluat; quod si non soluerit, Censuram incurrat, ita, vt intra talem terminum soluens (saltem in vltimâ parte temporis) euadat Censuram; si tamen vltra illum terminum distulerit, censuram incurrat. Vnde præceptum Iudicis cum suâ pœnâ perseuerat, etiam post terminum ab ipso præfixum, & adhuc post terminum à creditore prorogatum. Ideò ex vi illius præcepti absque nouo consensu Iudicis incurritur Censura, non, quia creditor præceptum differat, aut Censuræ impositionem; sed; quia differt, aut suspendit naturalem obligationem soluendi, & sic indirectè, & non potestatiuè, vt explicatum est suspenditur ipsa latio Censuræ vsque ad finem prorogationis termini. Idem docent alij referendi *disp. 3. dub. 17. §. Ad quartum* nu. 392. Legantur ibi dicenda §§. sequentibus.

Non consentiunt Auctores.

De aliis causis excusantibus ab incurrendâ Censura partim diximus in præcedentibus partim dicemus in sequentibus.

SECTIO IV.

De effectibus excommunicationis maioris.

Communis effectus excomm. maioris. 365. Communis, & vniuersalis effectus excommunicationis maioris est, vt ipsi excommunicati teneantur abstinere ab aliquibus actibus de quibus sigillatim dicemus. Item effectus excommunicationis est vt cæteri fideles teneantur ipsos excommunicatos vitare. In vnoquoque igitur actu dicemus, quid sit prohibitum, & sub quo peccato, an mortali, vel veniali comparatione aliorum; item comparatione ipsorum excommunicatorum; priùs tamen placet examinare quid requiratur, vt nos teneamur eos vitare, & quid, vt ipsi teneantur abstinere ex vi ipsius excommunicationis. Omnes autem effectus reduci possunt ad quatuor capita: primum quos excommunicatos teneamur vitare: secundum spectat ad communicationis ciuilis, seu humanæ priuationem: tertium ad priuationem communicationis sacræ, hoc est in rebus sacris videlicèt in suffragiis Ecclesiæ, in Sacramentis, in sacrificio Missæ, & in sepulturâ; quartum spectat ad inhabilitatem ad officia, vel beneficia, tam Ecclesiastica, quàm sæcularia, & ad ea, quæ sunt Iurisdictionis. De his omnibus sigillatim dicemus.

Omnes effectus excommunicationis reduci possunt ad quatuor capita.

Ioan. de Dicastillo de Censur.

DVBITATIO XXVI.

Quos excommunicatos teneamur vitare? & qui excommunicati se debeant abstinere?

vid. Diana 1 p. Tr. 11. Resol. 35.

366. Asserendum est, nullum excommunicatum tenemur vitare ex Ecclesiæ præcepto; nisi sit nominatim excommunicatus, & denuntiatus, vel Clerici percussor adeo manifestus, vt nulla possit tergiuersatione celari. Assertio est in praxi tuta, & recepta ab omnibus. Aliqua tamen, quæ in hac assertione continentur, sunt in opinione posita; atque inprimis certum est apud omnes esse obligationem vitandi duo illa genera excommunicatorum, scilicèt nominatim excommunicatum denuntiatum, & manifestum percussorem Clerici. Certum secundò est neminem teneri ad vitandum; nec in secreto, neque in publico eum, quem scit esse excommunicatum per generalem excommunicationem à Iure, vel ab homine, quando id non est notorium & publicum; quia, licèt olim per caput. *Cùm non ab homine c. cum desideres, & cap. A nobis de sententia excommunicationis.* quisque fidelium teneretur vitare quemcumque sciret esse excommunicatum, publicum quidem publicè; & occultum occultè; tamen post constitutionem quæ incipit *ad euitanda scandala* editam in *Concilio Constantiensi*, & à Martino V. approbata, & confirmata certum est & in dubitatum non esse obligationem vitandi excommunicatos excommunicatione generali, quando non sunt notorij, & publici, quia saltem hoc concessum fuit in illâ constitutione. An verò excommunicatos specialiter, & nominatim teneamur vitare, etiamsi non sint notorij, & publici: in opinione positum est. Nam Adrianus *in 4. de Confessione q. 5. dub. 9. & de Eucharistiâ q. vltimâ.* Ioannes à Medina *c. de Pænit. q. de Confessione facta excommunicato.* Felinus *in c. Rodulphus de rescript.* Petrus Sotus *lect. 3. de Clauibus* & Dominicus Sotus *in 4. dist. 1. q. 5 art. 6 & dist. 22. q. 1. art. 4.* & alij apud Sanchez paulò post citandum dicunt esse vitandos ab eo, qui scit esse excommunicatos, quia nihil putant circa hos innouatum, aut concessum per dictam constitutionem. *Ad euitanda.*

Asserendum est: nullum excommunicatum tenemur vitare præcepto ecclesiæ nisi nominatim excommunicatum & denunciatum vel manifestum percussorē clerici.

Controuersia de excōm. specialiter & nominatim. Adriani opinio.

Auctoris Iudicium. 367. Nihilominùs verissimum puto etiam excommunicatos specialiter & nominatim non esse vitandos, quando eorum excommunicatio non est notoria, & publicata. Ratio est, quia hoc ipsum continet prædicta constitutio. Nam postquam dixerat quòd non teneamur abstinere ab excommunicatis per sententiam generalem, addit in hæc verba, *nisi talis sententia, prohibitio, suspensio;*

spensio, aut Censura, fuerit in certam personam à Iudice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè. Ita Nauarrus *c. 27. n. 35. notabili* 1. & *n. 93. in fine.* & *de Pænit. dist. 6. c. 1. § laboret. n. 10. & 23.* Caietan. *verb. absolutio c. 3.* Couarruuias *§. 2. n. 7. illatione* 4. & *§. 6. n. 7. post 5. conclus.* Victoria *de Excom. §. 4.* & 16. Syluester *Excomm. 3. §. 10. & 11. & 21.* Guttierrez *in quæst. Canonicis c. 1. n. 29.* Henriquez *lib. 13. c. 5. n. 1.* Suarius *disp. 9. sect. 2. n. 8.* Vasquez *de Excom. dub. 2.* & quod caput est, Hæc doctrina in praxi est vsu recepta in vrbe Romana, & in toto Orbe. Illud aduerterim Sotum, Nauarrum illas duas particulas *publicata, vel denuntiata.* Copulatiuè legere, & accipere per particulam &; Syluestrum verò & Antoninum disiunctiuè. Maiorem difficultatem in hac re agnoscit Sanchez circa hæreticum, de quo agit in summa lib. 2. cap. 9. n. 4. & citat non paucos sentientes si lata sit sententia illum declarans hæreticum statim esse vitandum quorum aliqui (vt *num. præcedenti* dicebam) de quouis alio damnato id putant si crimen sit tale cui certum sit & indubitatum habere annexam excommunicationem. Atque hoc probabilissimum putat Sanchez. Probabilius tamen censet non esse vitandum, nec censeri nominatim sic excommunicatum; idque probat ex verbis citatis ex ea constitutione, quam etiam legit cum particula &. & non disiunctiuè præterea decretum illud, vtpotè in animarum fauorem, potius est extendendum, vt requiratur expressa & formalis censuræ declaratio, quàm restringendum vt sufficiat tacita præsertim cùm multi ignorent illi crimini esse annexam censurã. Hocusque dicta ea dicenda in hac dubitatione intelligemus melius & in particulari ex dicendis dub. 28. vbi iterũ tanguntur.

Dubium.

368. Est etiam in opinione positum an teneamur vitare omnes notoriè excommunicatos; nam quòd teneamur eos vitare etiam ante denuntiationem, docet Couarr. suprà, & Nauarrus *in c. 1. de Pænit. dist. 6. §.* laboret in fine, & olim in *summa.* Item Syluester *Excommunic. 5. n. 9.* Felinus *suprà* Panormit. & alij apud citatos Auctores. Fundamentum eorum est, quia Consilium Basileense quod fuit post Constantiense, postquàm dixit eum Constantiensi non esse vitandos excommunicatos; nisi essent nominatim excommunicati, & denuntiati, addit, *vel; nisi sint adeò notorij, vt nulla possint tergiuersatione celari, nec vllo Iuris remedio excusari;* cùm tamen Concilium Constantiense tantùm excepisset ab illa generali regula manifestum Clerici percussorem adeò notorium, vt nullo remedio Iuris possit excusari.

Resp. Couarr. Nauarrus *&c. iuxta Concilium Basileense.*

Standum est Concilio Constantiensi potius quam Basileensi

369. Standum nihilominùs est Concilio Constantiensi potiùs quàm Basileensi estque communis sententia Doctorum. Ita Antoninus *2. p. tit 9. c. 10. §. vltimo,* & *3. p. tit 25. c. 3.* Caietanus & vterque Sotus, Victoria Gutierrez. Henriquez, Suarius, Vasquez. *locis citatis,* Maior, *q. 3.* Corduba *casu* 142. Armilla *Excommunic. n. 50.* Toletus *lib. 1. c. 9.* Sà *Excommunic. n. 34.* Auila *p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 2.* & pro hãc sentẽtia refert Turrecrematã (qui interfuit Concilio Basileensi) *2. p. summæ c. 100.* & ait Syluestrum mutasse sententiam in *Conflatorio Epistolarum* postquàm vidit in Turrecremata illud Decretum Basileense conditum fuisse, postquàm Eugenius 4. reuocauerat illud Concilium. Vnde Syluest. varijs in locis diuersimodè sentit; nam verbo *Excommunicatio. 5. n. 7. notabili* 4. & verbo *Missa 2. q. 3.* hanc tenet sententiam; quamuis posteà in illo *verb. Excommunicatio,* sententiam mutet. Consentit etiam nobiscum Nauarrus *c. 27. in vltimâ editione n. 35. notabili* 3. & Clarus *c. 9. n. 8.* in hanc inclinat, ac tandem expressè docet *in libro de Oratione miscel. 47.*

Probatur 1. ex vsu fidelium.

370. Probatur 1 ex vsu fidelium; nam in Angliâ & Germaniâ Catholici securè, & sine scrupulo communicant cum ijs, qui sunt notoriè Hæretici, & consequenter notoriè excommunicati. Imò in Regionibus etiam, omnino Catholicis, quando propter varia negotia intra fines admittuntur aliqui Hæretici, quos notoriè constat esse tales, atque adeò excommunicatos, omnes promiscuè fideles cum ipsis agunt, etiam ijs, quos nulla vrget necessitas absque vllo scrupulo, aut dispensatione, quod non semel contigit in Hispaniâ cum Anglis alijsque Hæreticis,

Probatur 2. ex Martino 5. pontifice.

371. Probatur 2. quia teste Antonino *suprà* Papa Martinus V. prædictam Constitutionem iuxta tenorem Concilij Constantiensis viuâ voce in perpetuum confirmauit. Vnde in posterum vsus est receptissima in tota Ecclesiâ videntibus Pontificibus; quod satis est, vt, quamuis alioquin Consilium Basileense tunc temporis auctoritatem habuisset, iam esset illi Iuri derogatum.

372. Ita habemus ex dictis non esse obligationem ex Ecclesiæ præcepto vitandi vllum excommunicatum; nisi sit nominatim denuntiatus, vel manifestus Clerici percussor.

Ex hac doctrina Colligunt Nauarrus &c.

373. Ex hac doctrinâ meritò colligunt Nauarrus *dist. illa 6. de Pænit. n. 32.* Henriquez, Suarius, Gutierrez, & Auila *suprà.* Armilla *excommunic. n. 6.* alijque recentiores Parochum, etiamsi secum habeat sententiam declaratoriam contra aliquam personam, non teneri illam vitare, antequàm eam denuntiet; nec sanè malefaciet; sed potiùs optimè; si antequam publicetur talis sententia declarandum illum moneat, vt resipiscat.

Aduertunt Maior Sotus &c.

374. Aduertunt etiam Maior *dist. 18. q. 2. &* 3. Couarr. Sotus, Gutierrez, Suarius, & Auila *suprà* tunc dici personam aliquam nominatim excommunicari; quando, vel proprio notatur nomine, vel talibus circumstantijs, & signis, quibus sufficienter, & in particulari designetur persona, vt, si dicatur Prætor Salmantinus, vel Decanus huius Ecclesiæ. Si verò denuntietur Petrus, & sequaces pro excommunicatis, Petrus quidem erit nominatim denuntiatus, non verò alij.

Addit Auila

375. Addit Auila, quòd si quis appellet à declaratione, & denuntiatione excommunicationis; non est vitandus; imò sententia declaratoria est nulla; si fiat sine citatione vt diximus *suprà dub.* 20.

Addit vlterius Suarius.

376. Addit vlterius Suarius sententiam debere esse absolutam, vt teneamur vitare, nec sufficit conditionata, etiamsi fuisset iuridicè denuntiata, vt, si Petrus denuntietur excommunicatus publicè in Ecclesiâ, si non fecerit tale quid, non tenemur eum vitare; nisi post impletam conditionem

ditionem absolutè denuntietur excommunicatus.

377. Vtrùm autem ad obligationem vitandi excommunicatum sufficiat, quòd contra eum sit lata, & denuntiata sententia Declaratoria criminis, cui est annexa excommunicatio, vt criminis Hæresis, non est ita certum. Affirmat Suarius suprà, & aliqui alij; alij verò negant; de hoc tamen dicemus dub 28. & diximus nu. 367.

Aduertendum est, quod hucusque diximus non esse obligationem vitandi intelligendum esse ex præcepto Ecclesiæ.

378. Tandem aduertendum est, quod hucusque diximus non esse obligationem vitandi, intelligendum esse ex præcepto Ecclesiæ; nam ex præcepto naturali non cooperandi cum peccato alterius, aut non inducendi proximum ad peccatum, sæpe tenebimur vitare excommunicatos generaliter, & occultos, vt suo loco dicemus. Et quidem Sotus *in 4. dist. 13. q. 1. art. 9.* enumerat quatuor casus, in quibus Iure ipso naturæ tenemur vitare quoscumque excõmunicatos, primum, quando ex tali communicatione sequitur fauor tali excommunicato, & eius doctrinæ, vt si sit Hæreticus; secundum ratione correctionis fraternæ, vt, si credo quod ex non communicando cum eo confundetur; tertium; quando ex tali communicatione immineret mihi periculum incidendi in similem errorem; quartum, quando ex tali communicatione sequeretur scandalum; quibus addi potest quintus; quando talis communicatio esset cooperatio. Legantur quæ dicemus *dub. 36.*

Ex præcepto naturali sæpe temur vitare excommunicatos generaliter.

Quoties nõ peccatur cõtra Ecclesiæ præceptum communicãdo cum excommunicatis non incurritur excommunicatio minor.

379. Illud autem est verissimum quoties non peccatur contra Ecclesiæ præceptum communicando cum excommunicatis, non incurritur excommunicatio minor, quæ est Censura Ecclesiastica contra eos, qui sunt contumaces, & in obediẽtes Ecclesiæ. Vnde excommunicatio minor, nunquàm incurritur; nisi communicando, vel cum publicè denuntiato, vel cum notorio Clerici percussore; qui duo solùm dicuntur non tolerati.

Asserendum est omnes excommunicatos teneri abstinere a communione cum alijs fidelibus nisi in casibus permissis.

380. Quoad secundum, quod queritur in hac dubitatione asserendum est excommunicatos, siue generaliter siue nominatim; siue publici sint siue occulti tenentur abstinere à communicatione cum alijs fidelibus (nisi in casibus permissis de quibus posteà) cùm primum sunt excommunicati, quod est certum apud omnes Auctores. Ratio est; quia in prædictâ Constitutione, quæ edita fuit in Concilio Constantiensi, & in illâ etiam Basileensi additur *per hoc tamen nihil volumus releuare, aut fauere ipsis excommunicatis:* ergo remanent cum eâdem obligatione, quam anteà habuerunt; solùm autem resultat illis ex fauore aliorum, vt requisiti ab alijs possint licitè agere cum illis; quia, cum cõmunicatio sit relatio mutua, non potuit alijs fidelibus ille fauor concedi licitè communicandi; nisi etiam excommunicatis ipsis concederetur, vt incommodum, & fauorem aliorum possint cum illis communicare. Quod ex posteà dicendis ampliùs confirmabitur quidquid nonnulli sentiant in contrarium. Legantur quæ dicemus *dub. 33. & 34.*

DVBITATIO XXVII.

An teneamur vitare suspensos & interdictos nominatim denuntiatos?

Ratio dubitandi.

381. Ratio dubitandi est, quia ex vno capite nulla videtur esse obligatio vitãdi prædictos; nã suspensio (idemque iudicium, & de interdicto) non est Cẽsura priuans cõmunicatione hominũ, in quo differt ab excõmunicatione ergo vi suspensionis non tenemur euitare suspensum. Confirmatur, nullum enim extat Ius, in quo Ecclesia prohibeat fidelibus cõmmunicare cum suspenso, aut interdicto; & tamen multi sunt Textus prohibentes fidelibus communicationem cum excommunicatis; non est ergo asserenda talis obligatio sine fundamento. Vlterius, si esset prohibitum communicare cum suspenso communicans cùm illo incurreret suspensionem, aut excommunicationem minorem; sicut cõmunicans cùm excommunicato; sicut enim hic, ita & ille faceret contra Censuram; nemo autem dixisse videtur per communicationem cum suspenso incurri minorem excommunicationem. Imò & Nauarrus *c. 25. n. 93. & 94.* ait nullam incurri suspensionem ex eo, quòd quis celebret coram personis interdictis.

382. Ex alio verò capite videtur esse talis obligatio vitandi suspensos, & interdictos; nam Constitutio illa Concilij Constantiensis eodem modo confert fidelibus facultatem, vt non teneantur vitare suspensos & interdictos; nisi nominatim denuntiati; sicut confert respectu excommunicatorum; eodemque tenore loquitur de suspensis, & de excommunicatis; ergo est obligatio vitandi suspensos; aliàs nihil conferret. Hinc est, vt Auctores communiter doceant non esse obligationẽ euitãdi suspẽsos, & interdictos; nisi sint denuntiati, si verò sunt denũtiati teneri. Ita Gutierr. *in quæstionibus Canonicis c. 1. n. 43.* Caietanus *3. p. q. 82. art. 9.* Auila *p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 5.* Nauarrus *c. 27. n. 163. in fine.* Imò *in c. §. Labores de Pœnit. dist. 6. n. 24.* ait grauius esse non vitare suspensum in ijs, in quibus suspensus est, quàm non vitare excommunicatum, quia hoc posteriùs (inquit Nauarrus) regulariter est veniale; non vitare autem suspensum; aut interdictum in illis, in quibus suspensus est, nemo dixit non esse mortale.

383. Huic sententiæ videtur quodammodo fauere *c. statutum de sententiâ excommunicationis in 6.* sed; si rectè intelligatur, parum, aut nihil fauet; nam ibi Glossa explicat non velle Pontificem quod teneamur vitare suspensos, & interdictos; sicut excommunicatos; sed, quòd, sicut sententia excommunicationis maioris lata ab homine contra participantes cum excommunicatis à se, nisi nominatim, & in particulari moneantur, est nulla, & irrita: ita etiam sententia Interdicti, aut suspensionis lata ab homine contra participantes cùm excommunicatis à se; sit nulla; nisi monitio nominatim præcedat.

Aduertendũ nullum esse præceptum.

384. Asserendum est non esse vllum præceptum Ecclesiasticum fidelibus impositum, quo teneantur vitare suspensos, aut interdictos, etiã nomina-

Ecclesiæ quo fideles tenentur vitare suspensos aut interdictos nominatim denuntiatos.

nominatim denuntiatos. Id, quod satis probant rationes dubitandi in principio positæ. Vnde, qui secluso scandalo audiret Missam à suspenso, vel interdicto, etiam nominatim denuntiato in loco non interdicto, vel simul cum illis interesse Missæ, alijsque Diuinis officijs, non peccaret, nec qui communicant in humanis. Ita Henriquez *lib. 13. c. 5. n. 5.* Suarius *disp. 28. sect. 5 n. 5. & 6. & disp. 35. sect. 3. n.* 2. Rodriguez in Summa p. 1. verb. *Descomunion. c.* 86. *n.* 1. alijque multi; Lege *disp. 5. dub. 4. c.* 5. vbi agimus de priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ virtute Interdicti & *dub.* 55. *infertur* 15.

385. Peccabunt tamen fideles si communicent cum suspensis, & interdictis, etiam non denuntiatis, cooperando, vel inducendo, in actibus, vel ad actus, à quibus sunt suspensi, vel interdicti: nam ipso Iure Naturali est obligatio non inducẽdi, & non cooperandi cum peccatis aliorũ.

Post Concilium Constantiense poterunt fideles petere a suspenso vel interdicto nõ denuntiato vt ministret Sacramenta &c. quando talia petenti vtilia sunt.

386. Post Concilium tamen Constantiense poterunt fideles petere à suspenso, vel interdicto non denuntiato, vt administret Sacramenta; vel alia faciat, in quibus est suspensus, quando vtilia sunt ipsi petenti, & tunc, nec petentes peccabũt; nec suspensi facientes; quando requisiti, & rogati faciunt in fauorem aliorum; hoc enim contulit Constitutio illa *Ad euitanda.* Concilij Constantiensis, de quâ diximus *dub. præcedenti,* vt scilicet, nunc licitæ sint multæ actiones suspenso non denuntiato, si eas faciat ad petitionem aliorum fidelium, & propter eorum, vel necessitatem, vel iustitiam, quæ anteà ipsi non licerent, iuxta ea, quæ in sequentibus dicemus, agentes de communicatione in Sacramentis, vbi dicemus quænam requiratur necessitas, vt id sit licitum. Quod si hoc non esset concessum in illâ constitutione, inutilis planè esset illa concessio, vt *suprà* notabamus in ratione dubitandi. Ita Suarius *suprà.* Sotus *lib. 10. de Iustitiâ q. 5. art. 3. Column. 6.* imò, & Auila sui non memor *p. 2. c. 6. disp. 4. dub. 6* vbi contra alios Auctores docent quod suspensi degradati, & Irregulares non solùm possunt recitare Diuinum officium cum alijs priuatim; sed etiam in Choro, quia prædictis si alias non sint excõmunicati non est prohibitum (inquit) communicare cum alijs; solùm enim prohibita illis est exequutio Ecclesiasticæ Iurisdictionis; administratio Sacramentorum; susceptio, & executio ordinum.

Ex tradita doctrina infertur.

387. Ex traditâ doctrinâ infertur posse fideles audire Missam hominis personaliter interdicti, & simul cum personis interdictis, vt concedit expressè Suarius *disp. 35. sect. 3. n. 4.* quod intelligo dummodò non sint excommunicati denuntiati.

388. Nec inde inferre licèt posse aliquem celebrare coram personis interdictis; id enim prohibitum est (vt notauit idem Suarius) per *c. Alma mater.*

De Irregularitate eodẽ modo philosophandum atq; de suspensione & Interdicto.

389. De Irregularitate eodem modo esse philosophandum; atque de suspensione, & Interdicto docet enim Cano Auila *suprà,* quia licèt non sit Censura, est saltèm sententia; & decretum dicit prætextu cuiuscumque sententiæ, vel Censuræ à Iure, vel ab homine: ergo comprehenditur Irregularitas.

DVBITATIO XXVIII.

Quænam denuntiatio excommunicationis, & quæ notitia ipsius denuntiationis requiratur, vt teneamur vitare excommunicatum?

390. MVlta circa hoc dubitari possunt; quæ sigillatim placet decidere, licèt aliqua iam tetigerimus per occasionem in præcedentibus. Dubitatur primò, an satis sit, vt teneamur aliquem vitare, quòd fuerit per sententiam Iudicis damnatus, & publicè denuntiatus de crimine, cui est notorium esse annexam excommunicationem, vt de hæresi, vel simonia. Duæ sunt in hac re oppositæ, & probabiles sententiæ. *Probatur 1.* *Duæ hac de re oppositæ & Probabiles sententiæ.*

391. prima sententia docet non sufficere esse publicè denuntiatum de crimine; sed requiri, quòd sit denuntiatus de ipsâ excommunicatione. Ita Nauarrus de *Oratione c. 22. Miscel. 2. n. 5.* in antiquâ editione; sed in nouâ *Miscellan. 47. monitione 2. & in summa c. 9. n. 8. in fine* & alij posteà referendi. Probant, quia sunt multi rustici qui ignorant excommunicationem esse annexam peccatis illis; item quia sunt diuersa valde crimen, & excommunicatio, quæ imponitur crimini; ergo diuersum est denuntiare aliquem incidisse in crimen, & incidisse in pœnam criminis, quæ est excommunicatio. *Prima.*

392. Secunda sententia, est satis esse, vt aliquis censeatur nominatim excommunicatus, & denuntiatus, si in eum lata sit sententia, & denuntiata criminis commissio, quando certum & indubitatum est tali crimini annexam esse excommunicationem; nam tunc perinde est declarare, & denuntiare commisisse crimen; ac denuntiare incurrisse excommunicationem. Quòd si aliqui ignorent illi crimini annexam esse excommunicationem, illi durante tali ignorantiâ, ab obligatione illum vitandi excusabuntur. Ita docet Sotus apud Nauarrum, & Conart. § 2. n. 9. *in fine* Gutier. citatus *dubitationibus præcedentibus.* Henriquez *suprà n. 4.* &, idemque repetit idem Henriquez lib 9. *de Missa c. 55. n. 4. litera A.* contra Nauarrum. Item Auila *p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 3. post 3. conclusionem consentit* Suarius suprà vt iterum notabo paulò post. *Secunda.*

393. Nihilominus probabilior mihi videtur sententia Nauarri propter secundam illius rationem; sicut enim crimen distinguitur à pœnâ criminis: ita denuntiatio criminis distinguitur à denuntiatione pœnæ; in odiosis autem, quale est hoc requisitum de denuntiatione strictè sunt verba interpretanda. Cùm ergo odiosum sit, & onerosum vitatio excommunicati sub conditione denuntiationis; lex autem denuntiationem excommunicationis, aut excommunicati requirat, potius, quàm criminis, aut criminosi; non est cur denuntiationem excommunicationis, aut excommunicati extendamus ad denuntiationem criminis, aut criminosi; sed strictè sistendum est in verbis. Quando ergo aliquis denuntiatur criminosus, & commisisse crimen formaliter, & præcisè per hoc, non significatur incursus in pœnam criminis, sed in culpam: ergo formalis illa denuntiatio, si strictè & pro- *Probabilior videtur sententia Prima Authori.*

priè

priè accipiatur, non est denuntiatio excommunicati, aut excommunicationis, qualis requiritur in illâ Constitutione Concilij Constantiensis. Ideo hanc sententiam docet Sanchez (vt notauimus nu. 167. *in sum. lib. 2. c. 9. n. 4.* Vbi pro oppositâ sententiâ plures refert. Idem docet Graff. 1 p. lib. 4. c. 11. n. 5. Reginald. lib. 1. n. 118. & alij Recentiores. Imo Sanchez satis probabiliter putat, non sufficere; etiam si in sententiâ declaretur illum esse hæreticum, aut alterius criminis reum, ac incurrisse omnes illius pœnas, quia adhuc non est specialiter, & expressè denunciata excommunicatio; & in Concilio Constantiensi dicitur non esse vitandum *nisi censura fuerit à Iudice denuntiata contra personam specialiter, & expressè.* Et propter eandem rationem latis etiam probabiliter docet non esse vitandum, etiam si diceretur fuisse hæreticum, & incurrisse omnes illius pœnas, & Censuras. Consentit Diana nobiscum Par. 5. Tract. Res. 62. vbi alios refert.

Placet quod addit Suarius.

394. Illud mihi placet quod docet Suarius *disp. 3. sect. 14. n. 7.* scilicet, quod, quamuis sit notorium, & diuulgatum crimen alicuius, cui ex annexa est excommunicatio, hoc non sufficit, vt dicatur publicata excommunicatio; sed requiritur semper, vt præcedat sententia declaratoria Iudicis habentis Iurisdictionem; quòd etiam docet Henriquez *lib. 13. c. 5. nu. 4.* Sententia autem declaratoria apud Suarium, & Henriquez sufficit esse criminis, cui notorium est esse annexam Censuram: apud Nauarrum verò, quem sequimur, non sufficit sententia criminis declaratoria; sed ipsius incursionis in Censuram, vt explicatum est.

Notat rectè Auila.

395. Illud etiam rectè notat Auila disp. 11. dub. 11. quod etiamsi non teneamur euitare excommunicatum non denuntiatum, rectè possumus publicè vitare eum, qui publicè scitur esse excommunicatus, quia nullam ei iniuriam facimus.

Dubitatur 2.

396. Dubitari potest 2. an satis sit, vt debeat euitari excommunicatus, quod excommunicatio fuerit publicata, etiamsi non fuerit denuntiata in Ecclesiâ in publicâ missâ populari; nam prædicta Constitutio Concilij Constantiensis disiunctiuè loquitur dicens. *Nisi sententia fuerit à Iudice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè.*

Asserendum est.

397. Omissis aliis asserendum est non sufficere publicationem excommunicationis factam in consistorio Iudicis coram paucis; sufficere tamen si auctoritate Iudicis in loco à populo frequentato publicetur, vel, si talis sententia affigatur in locis ita, vt in communem omnium notitiam venire possit facilè. Ita Guttierrez, & Suarius locis citatis, & Henriq. *c. 5. num. 1 littera E. in Glossa* Auila *p. 2 c. 6. disp. 2. dub. 3. concl. 3.* referens Palatium, & quidem Suarius non solùm *citatis locis; sed disp. 9. sect. 2. num. 8.* sic ait *sententia propriè denuntiari dicitur, quando ore profertur publicè in Ecclesiâ vt fieri solet; publicari autem dicitur, vel alio modo; vel etiam, quando in foro, vel aliis publicis locis afficitur, vel quacumque aliâ ratione ita promulgatur, vt in communem omnium notitiam venire possit. Quæ omnia sub illo nomine publicata comprehenduntur.* Itaque Suarius sentit cum aliis quos refert, illa duo verba *publicata, denuntiata* quamuis cū disiunctione ponantur in prædicta constitutione Constantiensis Concilij, non poni propriè disiunctiuè, tanquàm diuersa, sed tanquàm æquipollentia; nisi, quod participium *publicata* propriè refertur ad Censuram, vel sententiam; *denuntiata* verò ad personam, Sed, quidquid sit de his omnibus explicationibus, vsus Ecclesiæ satis declarat, vt notat ibidem Suarius non sufficere sententiam esse prolatam à Iudice, & in autenticam etiam scripturam relatam; sed necessaria est publicatio modo prædicto. Vnde (vt iam in præcedentibus notauimus) etiamsi Parochus habeat apud se sententiam declaratoriam; non tenetur vitare excommunicatum, donec publicauerit, & denuntiauerit prædictum excommunicatum, quem potest priùs monere, vt resipiscat, iuxta dicta *dub. 26.*

Notandum quoad intellectionem horum verborum. Publicata & denuntiata.

In Regni Castellæ plerisque Episcopatibus vsu receptum.

398. In Regno quidem Castellæ in plerisque Episcopatibus video vsu receptum tum censeri aliquem publicè denuntiatum, quando in Missâ solemni denuntiatur excommunicatus coram populo, quamuis (vt audio) aliquibus in locis soleat esse tabella publicè appensa, in quâ excommunicatorum nomina scribuntur, Vtrùm autem hæc sola scriptura sufficiat, vel necessaria simul sit publica illa denuntiatio per vocem facta? mihi non constat, standum est vsui, alterutra enim videtur sufficere iuxta doctrinam traditam; nisi vsus contrarium habeat.

Rectè notat Auila.

399. Rectè autem notat Auila, quod, licèt quis transgressus fuerit legem continentem excommunicationem ipso facto, non est denuntiandus; nisi priùs citetur, & alleget pro se, & audiatur, præterquàm, in casu, quo delictum esset omnino notorium. Ita cum Philippo Recio, & aliis tenet Couarruuias 1. *p. §. 9. n. 5.* Nauarrus *c. 27. n. 10.* & *tit. de sententia excommunicationis cons. 20. n. 4.*

Nemo potest denuntiari excommunicatus nisi per suū Iudicem competentem.

400. Hinc est, vt nemo possit denuntiari excommunicatus; nisi per suum Iudicem competentem. Vnde, nec Religiosus ab ordinario denuntiari potest. Ita Nauarrus *suprà cons. 3.*

Dubitatur 3.

401. Dubitari potest 3. an, qui non audiuit denuntiationem, sed per relationem aliorum accepit factam fuisse, teneatur vitare excommunicatum?

Asserendum primo.

402. Asserendum est primò Confessarius, qui ex solâ Confessione auditâ scit reum esse denuntiatum, non debet illum vitare. Ita Henriquez *suprà c. 6. nu. 1.* Couarruuias cum multis, quos refert *c. Alma mater p. 1. §. 2. n. 3.* Auila *disp. 11. dub. 11.* Suarius *disp. 15. sect. 3. nu. 6.* imò existimo, non solùm non debere vitare; sed nec posse, etiamsi occultè fiat; esset enim hoc aliquâ ratione exprobrare suam excommunicationem, & peccatum Pœnitenti, & redderetur odiosa Confessio iuxta regulas generales de sygillo Confessionis. Quâ de re satis diximus *Tract. 8. de Pœnit. disp. 12.*

Asserendū 2.

403. Asserendum est 2. eum, qui dubitat, an aliquis sit denuntiatus, etiamsi sciat esse excommunicatum, non teneri illum vitare in humanis: tùm, quia nemo in dubio præsumendus est malus, tùm quia in dubio melior est conditio possidentis, & in eo casu iam excommunicatus, quàm ille alius dubitans possident suam libertatem. Ita Henriquez in Glossâ, & Suarius

cum

Z.

cum Maiore & aliis. Dixi *in humanis*, quia in Diuinis, vt in recipiendis Sacramentis, alia potest esse ratio obligationis vitandi, vt rectè Suarius notat, scilicèt propter periculum faciendi irritum, Sacramentum.

Aduertit Suarius. 404. Aduertit etiam Suarius ipsum excommunicatum, cum primùm dubitat, an sit excommunicatus? teneri se habere, vt excommunicatum quia in dubiis tutior pars est eligenda. Verùm hoc suam babet quæstionem, & ad summum intelligi debét, interim, dum adhibet diligentiam; secus, si moraliter factâ diligentiâ, non possit pellere dubium; maximè cùm generaliter plures, & graues Auctores teneant, & meritò etiam extra materiam Iustitiæ meliorem esse conditionem possidentis; cumque ille dubius de excommunicatione denuntiatâ ante denuntiationem posset; non quidem in fauorem suum; sed in fauorem alterius illi correspondere iuxta facultatem Concilij Constantiensis; eo ipso quòd alius ratione dubij non tenetur abstinere à communicatione cum illo, nec ipse quoque tenebitur; quamuis absolutè non possit se ingerere, si certus sit de excommunicatione, & solùm dubius de denuntiatione. Legantur, quæ dicemus *dub. 38. §. circa particulam: Resignorat a.* num. 590.

Asserendū 3. 405. Asserendum est 3. vt quis teneatur vitare excommunicatum non est necesse, vt ipse audierit denuntiatum; sed satis est, si ei constet de denuntiatione per testimonium fide dignum, vel per famam publicam; nam in rebus moralibus non est maior certitudo exigenda. Ita Nauarrus *lib. 5. Consiliorum tit. de sententia excommunicationis cons. 54 & c. 27. n. 27.* Auila, Suarius, & Henriquez suprà, Sanchez *lib. 1. sum.* cap. 10. nu 63. Imo & testimonium vnius fide digni videtur sufficere iuxta Antoninum *3. p. tit. 25. ca. 1. circa finem*, Paludanum, Durand. Syluest. infrà citandos; sed Auila *c. 6. disp.* 11. *dub. 11. conclus. 5.* putat soli testimonio vnius fide digni non teneri credere; atque adeò nec vitare, citatque Nauarrum *c. 22. n. 82.* Ego quidem, si testis sit magnæ auctoritatis, vt, si sit Episcopus, vel Parochus, non video cur non sit credendus, & ipsi etiam denuntiato. Si tamen id dicat aliquis non fide dignus, aut multi quidem, sed inimici, seu aduersarij in lite cum ipso excommunicato, non facilè crediderim.

Asserendū 4. 406. Asserendum est 4. postquàm quis semel scitur esse denuntiatus, semper est vitandus; quousque, vel per famam publicam, vel per testimonium fide dignum probabiliter credatur iam esse absolutus. Ita Nauarrus *num. 36.* cum Angelo, quem citat, & Suarius, Paludan. Durand. Couarrun. & alij, vel citati, vel apud citatos. Imo etiam potest adhiberi fides eidem excommunicato dicenti se iam esse absolutum, si alioquin sit fide dignus. Ita Nauarrus, Angelus Henriquez, & Auila *suprà*.

407. Addunt etiam Paludanus, Syluester, Henriquez, & Armilla *excommun. n. 62.* quòd si quis non se babeat, vt excommunicatum, potest credi quòd iam non sit; si alioquin sit fide dignus, & timoratus, & qui priùs obseruabat excommunicationem.

Dubitatur 4. 408. Dubitari potest 4. an denuntiatus in vno loco sit vitandus in alia Prouinciâ, vel oppido, vbi non scitur esse denuntiatus?

409. Non satis in hac re consentiunt Auctores Syluester *verb. excomm. 5. nu. 26.* Armill. eodem *verb. n. 61.* Auila *2. p. c. 6. disp. 11. dub. 12.* Sanchez *lib. 2. moralium c. 11.* putant talem in publico vitandum non esse; sed in occulto; quia à lege antiquâ recedendum non est, nisi quatenùs in lege nouâ exprimitur, argumento legis *Præcipimus in fine c. de appellat.* Cùm ergo in Extrauag. Constantiensi nihil decretum sit circa modum vitandi excommunicatum publicè, vel occultè, sed solùm agatur de denuntiatione; an, scilicèt, denuntiatus sit nec ne? stare debémus Iuri antiquo *c. cùm non ab homine.* Vbi præcipitur, vt excommunicati vitentur; conditio autem denuntiationis iam est impleta, quam requisiuit concilium Constantiense; sed in prædicto capite præcipitur, vt publicè excommunicati publicè vitentur, & occulti occultè, ergo &c. *In hac re dissentiunt Auctores.*

410. Suarius *tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 2. in fine* ait prædictum excommunicatum non dici occultum; quia quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum, & non occultum, eo vel maximè, quod moraliter, ac regulariter loquendo, quod in aliquo loco publicum est, facilè ad alia loca defertur.

411. Asserendum est probabile satis esse non esse vitandum in publico, in occulto tamen esse vitandum; nisi sit periculum scandali aut damni. Ita præter Sanchez, Auilam, aliosque citatos docet Layman *lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 4. n. 3.* Vtrumque colligitur ex *c. cum non ab homine. de sententia excomm.* & ratio est, quia eum, qui habet hic bonum nomen, non licet diffamare; occultè autem vitando illum non diffamatur, ac proinde tunc debet impleri præceptum vitandi excommunicatum. Ita etiam expressè docent Paludanus *dist. 18. q. 6. art. 2.* Durand. *q. 5. in fine.* Henriq. *c. 6. n. 1.* Couarruuias *§. 3. n. 2.* *Asserendum*

412. Ex hac doctrinâ colligit primò Auila, si sacerdote celebrante Missam ingrediatur iste excommunicatus, qui talis cognoscitur ab aliquibus paucis ibi existentibus, illi tenentur, si possint, secretò, & cautè exire absque manifestatione illius; secùs non debent. Pro quâ doctrinâ refert Antoninum, Syluestrum, & Tabienam. *Ex hac doctrina colligit primò* Auila.

413. Colligit 2. Si talis excommunicatus petat publicè à me Eucharistiam; posse me, & teneri illam præbere; sicut de occulto peccatore diximus *in proprio Tract. 4. de Eucharistiâ disp. 9. dub. 12.* talis enim excommunicatus in eo casu censetur occultus peccator. *Colligit 2.*

414. De eò verò, qui alibi erat publicus percussor Clerici hic verò est occultus, probabile putat, quòd neque in occulto teneamur hic vitare, in quo etiam Layman consentit.

415. Tertiò colligit Layman, si vera sit sententia multorum, qui dicunt crimen, quod per Iudicis sententiam publicatum est in vno loco, posse etiam aliis in locis publicari, sine iniuriâ, consequenter dicendum esse prædictum posse euitari etiam in publico ab iis, qui illius denuntiationem alibi factam esse norunt. Addit tamen sub aduerbio *fortasse*, atque adeò sub dubio; non teneri eum euitare; quod mihi valde probabile, *Colligit Layman 3.*

&

& tutum videtur; quia nimirum Canones Ecclesiastici non videntur obligare tàm strictè, vt ad id cogant cum nouâ infamiâ excommunicati; quod mihi maximè verùm apparet, si aliquo modo vitaturi sint coniuncti cum tali personâ, vt consanguinei, cognati, amici, etiamsi alioquin nulla necessitas vrgeret cum eo agendi.

Ratio disparitatis assignata a Layman.

Et rectè assignat disparitatem, ob quam non sit eadem ratio de percussore Clerici alibi noto, & de alibi denunciato, quia nimirum sententia Iudicis denunciatoria, sicut & ipsamet excommunicatio afficit personam, quæ proinde illam secum fert, quocumque vadat, accedente simul Iuris dispositione; publica verò notitia facti, seu criminis circumscripta est loco; ponimus enim alibi crimen occultum esse.

417. Quod etiam aliter potest explicari, nam denuntiatio, seu sententia Iudicis denuntiatoria, & ipsa excommunicatio, aut inuoluunt, aut causant priuationem Iuris, & facultatis, quam habebat talis excommunicatus communicandi cum alijs, &, vt alij communicent cum ipso; notitia verò seu notorietas criminis percutientis Clericum solùm est cognitio existens in ijs, qui sunt in eo loco, vbi tale crimen notum est; hæc autem cognitio in alio loco non reperitur; atque adeò, neque ibi reperietur obligatio efficiendi id, vnde notitia, & cognitio resultet in illo loco vbi non erat, maximè cùm vitatio talis percussoris Clerici supponere potiùs debeat notitiam, quàm causare illam.

Notat Layman.

418. Illud etiam notat Layman (quod mihi placet) supposito, quòd, vt suprà notabamus cum Auila, possimus, licèt non teneamur, vitare excommunicatos toleratos, inde sequi licitum esse Iudici, aut parti litiganti exceptione repellere actorem, Aduocatum, aut testem excommunicatum. Item licere Regularibus, & Clericis recusare imperium, seu Iurisdictionem Episcopi, Abbatis, alteriusvè superioris excommunicati, perinde atque de Iure antiquo testantur Doctores *in 4. dist.* 18. vbi Ricardus *art. 11. q. 2.* Item non posse cogi subditos, vt à Parocho excommunicato Sacramenta suscipiant, aut eius missæ intersint, neque, vt excommunicati Iudicis, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, legi, sententiæ, aut mandato pareant. Quod totum probatur; quia Concilium Constantiense non ipsis excommunicatis; sed reliquis fidelibus fauorem, & gratiam conferre voluit. Iuxta *regulam* 61. *de Regulis Iuris in 6. quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, & iuxta regulam 69. *ff. nemo beneficio inuitus vti cogitur.* Quod intelligit idem Auctor; nisi, vel consuetudo, vel specialia fœdera alicujus Regionis aliud postulent. Qua ratione (inquit) in Imperio Lutherani, Confessionistæ à publicis contractibus, Iudicijs, dignitatibus ciuilibus repelli non possunt. Addit etiam interdùm legem naturalem Charitatis, pietatis, & obseruantiæ postulare, vt subditi Prælato suo, & liberi, etiam emancipati parentibus suis excommunicatis, si Iure possint, subsidium aut obedientiam præstare non intermittant. Quæ doctrina etiam mihi placet, dummodò intelligatur eâ limitatione, vt omnia illa, quæ Iure antiquo ante Concilium Constantiense erant ne-

Concilium Constantiense non ipsis excommunic. sed reliquis fidelibus fauorem conferre voluit.

ganda à subditis, & filijs suis Prælatis, & Parentibus excommunicatis non obstante debitâ alioquin obseruantiâ; etiam nunc post Concilium Constantiense; licèt non sit obligatio illa negandi, possint similiter negare propter rationem dictam; nam virtute fauoris, aut priuilegij non debet quis cogi ad id, quod alioqui secluso tali fauore non tenebatur. Legantur quæ dicemus *dubio* 38.

DVBITATIO XXIX.

Quis dicatur notorius Clerici percussor, vt teneamur illum euitare?

419. SVpponendum in primis est, aliud esse notorium notorietate Iuris; aliud notorium notorietate facti. Notorietate Iuris dicitur, quando cognoscitur per confessionem ipsius Rei in iudicio, vel per sententiam latam à Iudice. Quâ de re latiùs egimus *in nostro opere de Iustitia. Tract. de Restitutione disp. 12. num. 293. & sequentibus.* disputantes de detractione, & famæ restitutione, vbi diximus crimen tripliciter dici publicum; primò, si sit notorium Iure, de quo constat per iuridicam sententiam, & hoc dicitur notorium Iure simpliciter. Quod autem ità constat per confessionem factam à reo in Iudicio, vel per legitimam testium depositionem, vt de eo condemnatoria sententia ritè possit proferri, licèt nondùm prolata sit, dicitur notorium Iure secundum quid.

Supponendum aliud esse notorium notorietate Iuris, aliud notorium notorietate facti.

420. Illud autem dicitur notorium facti, quod tali euidentiâ constat, vt nulla possit tergiuersatione celari, vt, si in aliquo loco publico in presentiâ multorum est perpetratum; vel, quod maiori parte viciniæ passim ob oculos versatur. v. g. si quis in publicâ plateâ pugnet, vel iurgia cum clamore misceat, vel si quis publicè concubinam habeat, & domi filios alat. Ita Less. *lib. 2. de Iustitia c. 21. dub.* 13. Molina *tomo* 5. *Tract. 4. disp.* 31. qui addit non esse notorium facti id, de quo ex opinione etiam multorum constat; quia potest tergiuersari, & obijci, deceptos fuisse eos, qui ita opinati sunt, ex falsisque præsumptionibus id concepisse, & asseruisse, nec satis est tres, quatuor, aut quinque asserere, se id vidisse, euidentiuè cognitione id scire; quàuis enim hi sufficiant ad id in iudicio probandum, non tamen sufficiunt ad notorietatem facti, quia ille, de quo id dicitur, tergiuersari, & aliquâ ex parte celare poterit, obijciēdo eos esse sibi inimicos, & mutuo consilio id confinxisse, corruptosve esse largitionibus, aut aliquâ aliâ ratione, vel omnes, vel eorum aliquos. Sufficeret tamen (inquit Molina) si ab octo, aut decem id euidenter cognoscatur, maximè alijs id audientibus, aut aliqua eius rei indicia conspicientibus. Addit etiam Molina esse notorium notorietate facti, quod Iuris præsumptione est notorium, vt quando aliquis publicè semper habitus fuit filius alicuius, vt patet ex *c. Quoniam de filijs Presbyterorum* & *c. Per tuas* de *Probationibus*, vel, quando aliqui publicè domi mulieres retinent, quas nullus dubitat esse eorum concubinas, vel, quia ex illis filios habent, vel parentibus

Definitur notorium facti.

Addit Molina.

al ijs

alijs indicijs, etiamsi de concubinatu ipso euidentia non sit: hos enim non solùm esse publicos concubinarios; sed etiam notorios docent Panormit. *Vestra de cohabit. Cleric. & mulierum. n. 6.* & Syluest. *verbo Clericus 2. §. 4. q. 2.* Quidquid verò sit de notorietate, certissimum est prædictos esse publicos concubinarios.

Definitur famosum seu publicum

421 Famosum verò, seu publicum dicitur id, cuius fama ex sufficientibus indicijs orta ad multos peruenit, ita vt maior pars Ciuitatis, vel pagi, aut parœciæ, vel viciniæ id norit, vt colligitur ex *c. vestra* & ex *c. Tua nos de cohabit. Cleric. & mulierum.* Ad hanc ergo famam seu infamiam non sufficit, si pauci id opinentur, aut loquantur; sed necessaria est opinio multorum ex verisimilibus coniecturis, seu indicijs orta.

422. Videtur autem significare Nauarrus in *summâ c. 25. n. 73.* & Syluest. verbo Notorium q. 4. id, quod est notorium, aut publicum seu famosum in maiori parte alicuius Congregationis, seu collegij, ubi non sint pauciores quàm decem, esse simpliciter, & absolutè notorium, seu famosum. Hoc tamen meritò reijciunt Lessius *dub. illo 13.* Rebellus *lib. 4. de iustitia q. 3. n. 4.* & Molina *disp. 41.* & alij quos retulimus loco notato *de Restitutione*, vbi hoc ipsum reiecimus. Solùm ergo tunc erit notorium, aut famosum in illo Collegio, Congregatione, aut domo, in quâ maior pars id scit, aut opinatur, non tamen respectu totius viciniæ, aut oppidi similiter, quod sciunt, aut opinantur plures de vnâ Ciuitate, erit notorium, aut famosum pro totâ illâ Ciuitate; non tamen pro alijs, quæ non habent commercium cum illâ. Si tamen aliquis infamatus est in Curia Regia, vel in aliâ Ciuitate illustri, quo solent homines ire ex toto Regno, & vnde facilè fama per totum Regnum spargitur, infamatus censetur in toto Regno. Quod breuissimè notauit Caietanus *tomo 1. opusculorum, Tract. Vltimo,* qui est 31. *respons. 9.* dum dixit aliud esse per se publicum, scilicèt, quod ex se habet vnde in communem notitiam perueniat, & aliud per accidens publicum, quod posset latere, & culpâ alterius publicatur. Itaque (vt compendio dicamus) quando iam res ita limites secreti, seu occulti egreditur, & adeò diuulgata est in aliquâ communitate, aut loco, vt moraliter attentâ conditione humanâ necessariò sit vlterius diffundenda in totâ eâ communitate, vel loco, censendus est ille, de quo ea opinio à tot iam personis habetur, amisisse ibi in eâ re suam famam, esseque in toto illo loco infamatum.

Quod est notorium respectu alicuius collegij aut domus, nō est tale respectu totius oppidi & infamatus tamen in curia regiâ &c. censetur infamatus in toto regno. Aliud est esse per se publicum, & aliud per accidens esse publicum.

423. Hinc rectè colligit Molina non semper esse necessarium, vt medietas, aut maior pars communitatis aut Ciuitatis id sciat, vt censeatur aliquis in totâ illâ communitate, aut Ciuitate infamatus. v. g. si domus, aut familia constet ex octo, fortassè ad infamiam in ea domo requiritur, vt quatuor id opinentur, & obloquantur, aut sciant. Si tamen domus, aut Collegium constet ex viginti, fortasse sufficiet septem aut octo; Quod si constet ex centum, sufficient quindecim, aut ad summum viginti. Eodem modo, vt aliquis scholasticus censeatur esse infamatus in totâ aliquâ academiâ, seu vniuersitate, quæ mille scholasticis constet, sufficiet, si viginti, aut plures, vel forte pauciores id sciant, aut opinentur & obloquantur, si illi sint ex diuersis domibus, vel Collegijs; nam, si essent de eâdem domo, vel Collegio, vel de duabus domibus, vel Collegijs, tunc, quamuis id sufficeret ut sit infamatus in eâ domo, vel domibus, non tamen, vt censeatur infamatus in totâ vniuersitate. Similiter in viciniâ quæ constet ex quatuor, aut quinque domibus in quibus sint quadraginta personæ, vt aliquis in eâ viciniâ dicatur infamatus de re aliquâ, satis erit, si infamia illa sit inter octo, aut decē de diuersis illis domibus, & in oppido, quod ex quadraginta domibus constet, satis erit, si opinio de ea re sit apud viginti de eo oppido vt censeatur infamatus in toto oppido. Hæc Molina fere ijsdem verbis, quæ ex ipso retulimus loco *notato de restitutione*, vbi satis consentaneè ad praxim, & experientiam dicta esse indicabamus, quamuis ipse Molina in hoc potius arctasse rem quam laxasse fateantur, si ad praxim spectemus, nec requiri tantùm numerū id opinantium, aut sciētiū quantus explicatus est. Quibus præmissis.

Non est in Hine rectè colligit Molina.

424. Asserendum est primò non sufficere, vt teneamur vitare percussorem, quòd sit notorius notorietate Iuris; sed requiritur facti euidētia, quia ipsa Constitutio hæc expressit dum dixit. *quod ita sit notorium, vt factum nulla possit tergiuersatione celari*, vt notauit Couarr. §. 2. n. 9. *in fine* cum quâdam Glossâ, Suarius *disp. 9. sect. 2. n. 11.* Aula *disp. illa 2. dub. 4.* scilicèt *2. p. c. 6.* Layman *lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 4. n. 2.* qui etiam colligit, quòd cùm notorium facti debeat esse publicum, etiamsi aliquid tribus, aut quatuor personis præsentibus factum sit, vt sufficienter in iudicio probari possit; non ideò statim factum notorium censeri. Vnde (inquit) si quis Clericum te alijsque tribus aut quatuor testibus in domo priuatâ percussit, non erit ille tibi, alijsque tribus, nec priuatim quidem vitandus, quia licèt factum his notorium sit, non tamen absolutè notorium, siue publicum existit. vt nulla tergiuersatione celari possit, pro quâ sententiâ refert Nauarrum *c. 25. n. 73.* Gomez *3. variar. resolutim. c. 1. n. 42.* Aragon. *2. 2. q. 10. art. 9.* Aulam *citato dub. 4.*

Asserendū 1.

ex eo quòd aliquid tribus vel quatuor præsentibus factum sit, non ideò statim censetur notorium, simpliciter.

425. Mihi tamen magis placet iuxta supradicta doctrina Suarij *disp. 9. sect. 2. n. 12.* illud factum non esse notorium simpliciter, & respectu omnium; esse tamen notorium ijs, qui viderunt; ac proinde satis esse, vt respectu illorum ille vitandus sit, occultè quidem, si adhuc delictum sit occultum respectu communitatis; publicè verò, si iam sit publicum, quamuis probabile sit, quod dixerunt Layman, Aula, & alij iuxta supra dicta.

Sed solum ijs qui viderunt vt bene Suarius.

426. Asserendum est 2. non sufficere, quod de tali percussione sit publica infamia, quando infamia non præcedit ex facti euidentiâ per testes oculatos; sed ex suspicione, aut ex auditione à varijs; qui etiam illa audierunt, quia hoc non dicitur notorium; sed famosum, vt rectè notauit Molina *citatâ illâ disp. 31.* & Suarius *suprà* probans id ex *c. Tua nos de cohabit. Clericor. & mulier.* & ex *c. vltimo eodem titulo*; tum ergo dicendum est esse notorium sufficiens ad inducendam obligationem euitandi illum, quando plures testes oculati interfuerunt percussioni, &

Asserendū 2.

notorium & famosum differunt.

& ex huiuſcemodi teſtium relatione diuulgata eſt in magnâ parte oppidi, vel maiori parte viciniæ, aut collegij. Ita Henriquez *c.5.n.2.* Suarius *ſuprà*; & colligitur ex Nauarro *c.25. n.73.* & ex Syluestro, Angelo, & aliis ſûmiſtis *verbo notorium*. Vnde ſequitur iuxta doctrinam *ſuprà* traditam ex Molina eum, qui percutit Clericum coram decem, vel duodecim, non eſſe notorium in magnâ aliquâ ciuitate ita, vt coram omnibus teneamur illum vitare, benè tamen in oppido paruo, etiam in vicinia illius magnæ ciuitatis.

427. Sequitur etiam, quòd ſi quis in ciuitate illâ in domo priuatâ percutiat Clericum coram ſex, aut ſeptem, non erit notorium: ſi verò in foro, notorium erit, ſi alij indicia habent, nec erit notorium in ciuitate, ſi id accidat in conuentu Religioſorum. Ita Auila *p.2.c.6.diſp. 2.dub.illo* 4. Molina *ſuprà* Leſſ. *lib.2.c.11.dub.13.* Rebellus *lib.4.q.4.n.4.*

Notat optimè Auila.
428. Notat etiam optimè Auila cum viris doctis eâdem *p.2.c.6.diſp.11.dub.11.* Quòd, vt ego tenear vitare excommunicatum, non ſufficit, quòd ſit publica fama, quòd Clericum percuſſerit; ſed requiritur, quòd ſit fama publica, quòd notoriè percuſſerit coram multis; nam, ſi fama ſit, quòd percuſſerit coram vno, vel altero, non tenemur vitare illum.

Ex prædictis ſequitur.
429. Illud etiam ſequitur ex prædictis, vt rectè notauit Auila, quantumuis factum ſit notorium; tamen ſi ſit aliquod dubium Iuris, adhuc non eſſe obligationem vitandi v. g. Petrus notoriè percuſſit Clericum, tamen allegat non incurriſſe excommunicationem, quòd id fecerit vim vi repellendo, vel; quia ille non geſtabat habitum Clericalem, & ipſe neſciebat eſſe Clericum, vel quid ſimile, vel, quia erant pueri, vel amici.

430. Itaque habemus ex dictis tunc eſſe vitandum neceſſariò Clerici percuſſorem, quando ita eſt notorius notorietate facti, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari. Tunc autem cenſetur publicè notorius notorietate facti, quando in maiori parte viciniæ diuulgatum eſt per relationem teſtium occulatorum: tunc enim vitandus eſt etiam coram iis, qui neſciunt, quia de ſe eſt notorium, & per accidens quòd id neſciant. Quando autem ſolum eſt notorium aliquibus paucis, qui illud viderunt, & non eſt publicè notorium modo explicato, probabile eſt, quod illi in occulto, & coram iis, qui ſciunt, teneantur illum vitare vt dixit Suarius. Probabile item eſt oppoſitum, vt nec priuatim vitandus ſit; vt ex Auila, Arragon, Couarruuias, Layman & aliis notatum eſt. Si autem de facto vitemus, non peccamus iuxta dicta in præcedentibus.

DVBITATIO XXX.

An præceptum non communicandi cum excommunicatis obliget etiam cum periculo grauis damni v. g mortis, tormentorum &c.

Grauium auctorum opiniones variæ.
431. MVlti graues Auctores dixerunt nemini licere communicare cum excommunicato, etiam in humanis ob vitandum periculum mortis. Ita Caietan. 1.2.q.96. art.4. & 2.2.q.125.art.4. Adrianus q.3. *de Clauibus* ex cap. 8. Licere autem in humanis, non tamen in Diuinis, docet Syluester *Excomm.* 5.*n.*1. Petrus Soto *q.3.de Excomm.* Quod autem poſſit communicare in humanis, & etiam in Diuinis, non tamen in Sacramentis docet Couarruuias 1.*p.*§.2. *circa finem*, & Sotus *diſt.22.q.1.art.4. circa finem.* Probant verò, qui putant licere in humanis; ſed non in diuinis, ex *c.Sacris. de iis, quæ vi, metuvè causâ fiunt.* Vbi id videtur aſſerere Pontifex: Secundò probant, quia nullum peccatum, etiam veniale licet facere ob vitandam mortem. Tertiò, quia effectus excommunicationis ex Iure Diuino inſunt ipſi excommunicationi; ergo eâ poſitâ, de Iure Diuino eſt, vt teneamur vitare; Ius autem diuinum eſt in diſpenſabile: ergo &c.

Aſſerendum ad vitandũ graue nocumentum in vita vel famâ vel in re familiari poſſe fideles communicare cũ excommunicato denunciato.
432. Aſſerendum eſt ob vitandum graue nocumentum in vitâ vel, famâ, vel in re familiari poſſe fideles communicare cum excommunicato etiam denuntiato; non ſolùm in humanis; ſed in Diuinis nec per eam communicationem incurrent excommunicationem minorem; nec peccatum vllum, quantum eſt ex præcepto Eccleſiæ. Ratio eſt; quia præceptum Eccleſiæ non obligat cum tanto detrimento; licèt enim Eccleſia poſſit condere leges obligantes etiam in periculo vitæ, id tamen non facit, niſi raro, & quando id eſt neceſſarium ob bonum commune; regulariter autem non obligant leges Eccleſiaſticæ cum tanto diſpendio iuxta dicta *dub.*24. & hæc, de quâ loquimur multo minùs cenſetur obligare; cùm ob multas cauſas minoris momenti concedat Eccleſia ſuis fidelibus communicare cum excommunicatis, vt videbimus in ſequentibus. Ita Victoria de *Confeſſione num.*162. Sotus *diſt.22.q.1. art.*4. Syluester *Excomm.5.q.*14. Angelus *excomm.8.n.*18. Nauarrus *in c.Inter verba prælud.3.n.*4. Paludanus *diſt.18.q.2.art.2.* Ledeſma 2.*p. q.25. art.*3. Bartholom. à Medina 1.2. *q.96. art.* 4. Corduba *caſu* 137. & 142. Nauarrus *c.27.n.36.in princ.* & nu.239.& c.25.n.84. Henriquez li.13.c.21.n.2. Suarius diſp. 6.ſect.3.

Ratio.

Ex hac doctrina colligitur.
433. Ex hac doctrinâ colligunt multi, quòd licèt aliquis committat peccatum prohibitum Iure naturæ, & habens annexam excommunicationem, ſi faciat metu mortis; licèt non excuſetur à peccato, non tamen incurret excommunicationem; quia hæc tantùm eſt inducta Iure humano; vnde non incurrit excommunicationem, qui metu mortis compulſus ducit conſanguineam, vel percutit, aut occidit Clericum. Ita Auila *p.2.c.6.diſp.8.dub.5.* nec is, qui metu mor-

& præcipuos hî: nos indicamus. Idem docet Armill. *Excommunicatio* §.9. qui rectè notat hoc esse intelligendum, quandu non est in morâ petendi absolutionem Tabiena *excomm.* 1 §.5. Corddub. *lib.* 1. *quæstionum* q.35. *paulò ante finem.* Auila *p.2.c.6. disp* 8. *dub.*5. qui ait assertionem veram esse, qoando aliàs sequeretur excommunicato amissio omnium bonorum, vel certè magnæ partis illorum. Suarius etiam aduertit casum necessitatis celebrandi, aut recipiendi Eucharistiam ob vitandam infamiam, vel scandalum, sæpè accidere in excommunicatis non denuntiatis, rarò tamen in denuntiatis. Quod si accideret, etiam denuntiatus posset celebrare; est enim eadem ratio. Probatur autem assertio ex doctrinâ traditâ *dubit. præcedenti* & *dub.* 24. quia Ecclesia non censetur velle obligare cum tam graui damno.

Intelligenda est assertio de iis quæ sunt tantum mala quia prohibita.

441. Intelligenda tamen est assertio de iis, quæ sunt tantùm mala, quia prohibita; nam, si peccatum esset contra Ius naturale Diuinum, non potest sine grauissimo peccato ministrare Sacramentum Pœnitentiæ, etiam ob vitandam mortem, vel infamiam vt *dub. illâ* 24. notauimus num.355. quia, cùm careat Iurisdictione, nihil faceret; metus enim non dat Iurisdictionem; idemque est si metus incutiatur in contemptum fidei, vel Ecclesiæ iuxta dicta; esset enim tunc grauissimum peccatum. Itaque intelligenda est assertio de iis, quæ tantùm sunt mala, quia prohibita.

442. Eâdem ratione ob vitandam mortem non potest indigno, & peccatori dare Sacramentum aliquod, quia est intrinsecè malum.

443. Poterit tamen Iudex non toleratus ob vitandam mortem ferre sententiam, & alios actus Iurisdictionis exercere, quia Princeps ad quem spectat, præsumitur in eo casu, vt ait Auila conferre Iurisdictionem, & pars, contra quam sententia iusta fertur, non est tunc rationabiliter inuita.

Aduertit Suarius.

444. Aduertit etiam Suarius *disp. illâ* 6. *n.*18. & Corduba *q.* 142. quod cùm dicimus hoc licere ob vitandum scandalum intelligendum est, quando esset scandalum propriè sumptum, quale est, quando datur aliis occasio committendi aliquod peccatum; non verò quædam admiratio populi, vt iam notauimus *loco citato.*

Ex dictis sequitur.

445. Ex dictis sequitur quòd, si quis Sacerdos incidit in excommunicationem propter delictum, quod in se est publicum; sed eius auctor est occultus, potest, dum non habet à quo absoluatur, facere id, quod solebat, celebrando, aut assistendo choro, ne se prodat, nec sic celebrando incurrit Irregularitatem, vt iam etiam *eâdem dub.*24. notauimus. Ita Suarius. Henriq. & Auila *supra* Nauarrus *c.*25. *n.*75. Angelus *verbo Eucharistia* §.6. Tabiena verbo *Missa* §.32. Syluester *Eucharist.* 1. §.7. Sotus *dist.* 13. *q.*2. *art.*6. *ad* 2. qui idem dicunt de eo, qui inchoatâ Missâ aduertit se esse excommunicatum, vel suspensum, & perficit ob vitandam infamiam; vel scandalum. Ratio est, quia hæc Irregularitas non incurritur; nisi propter celebrationem, aut exercitium Ordinis, quod sit peccatum mortale; tunc autem non est peccatum.

Quæritur.

446. An verò, qui celebrare cogitur, & habet copiam confessarij, teneatur confiteri sua peccata sacerdoti, qui potest absoluere à peccatis mortalibus; non tamen à Censurâ, disputatur à Suario *tomo* 4. *de Pœnit. disp.* 31. *sect.* 3. & nos partim per occasionem partim ex instituto diximus; *Tract.* 4. *de Eucharistiâ disp.*9. *dub.*6 & *Tract.* 8 *de Pœnit. disp.*7. *dub.*10. vbi varias opiniones retulimus, & quidem variæ opiniones sunt non improbabiles, quas refert Suarius *loco notato*, & nos etiam dictis locis retulimus maximè *dub. illa* 6. *disp.*9. *de Eucharistia.* Sed in terminis nostro casui respondendo variæ sunt opiniones. Probabilis quidem est, quæ docet posse, & teneri ad præmittendam Confessionem, & debere absolui cum onere comparendi cum primùm possit; & in eo casu indirectè à Censurâ absoluitur. Ita Suarius *suprà* referens Angelum *Confess.* 5. *num.*9 & 10.

447. Porrò esse hanc obligationem comparendi, saltem ratione Censuræ annexæ peccato, & reseruatæ, diximus *Tract. de Pœnit. disp.* 51. *dub.*14. aliisque in locis; & sanè de peccato reseruato id affirmarunt multi, quamuis non expresserint de habente excommunicationem annexam. Ratio autem est, quia excommunicatio non minùs prohibet sumptionem Eucharistiæ, quàm Pœnit. sed potest secundum illos omnes Auctores citatos suscipere Eucharistiam; ergo potiori ratione pœnitentiam; quia hic ordo videtur consentaneus Iuri naturali & Diuino, vt per Confessionem disponatur homo ad Eucharistiam quæ doctrina probabilis est. Henriquez tamen *lib.*13 *c.*12. *n.*2. *in fine* dicit non debere absolui, qui ligatur excommunicatione reseruatâ, cùm satis sit pro vitando scandalo, aut infamia occurrente suscipere Eucharistiam, quæ est res de se publicâ. Idem docet Rodriguez *in quæstionibus Regularibus q.*62. *art.*5. *tom.* 1. Atque hoc mihi probabile videtur propter eâdem rationem, & propter aliam petitam ex naturâ Confessionis; nam cùm ad absoluendum requiratur Iurisdictio deriuata, & concessa à superiore præter potestatem Ordinis; iurisdictio autem non, Censeatur collata, nec habeatur comparatione excommunicati, non est eadem ratio respectu Eucharistiæ, & respectu Confessionis. Nec præsumi potest collata iurisdictio Confessario pro eo casu; quia (vt rectè dicebant Henriquez & Rodriguez) ad vitandam infamiam satis est communicare; quod si non posset vitari infamia nisi etiam confiteretur probabilis quidem esset præsumptio, seu existimatio quòd pro eo casu non auferat superior Iurisdictionem, quamuis neque hoc omnino mihi placeat; quia potest tunc Confessio fieri ad euitandam infamiam, & differri absolutio, quousque superior, quando sic occasio, facultatem absoluendi concedat vel si confessio non fiat, saltem genuflexus apud confessarium ita se gerere potest, vt cæteri putent illum confessum. Legantur quæ dicemus locis statim notandis.

DVBITATIO XXXII.

An excommunicatus denuntiatus possit administrare Sacramenta homini existenti in articulo mortis?

LEgantur quæ diximus de Pœnit. *Tract.* 8. *disp.*10.*dub.*13.*&* 14.15.*&* 16. nunc breuiter, quæ sufficere videantur ad præsentem locum pro hac & præcedenti dubitatione dicemus; & item aliqua dub.41.

Asserendū 1. à quolibet excommunicato posse ministrari Sacramentū Baptismi in extrema necessitate quando non est alius qui baptizet.

448. Asserendum est primo: à quolibet excommunicato etiam denuntiato potest ministrari Sacramentum Baptismi in extremâ necessitate v.g. paruulo animam agenti, quando non est alius qui baptizet. Hanc assertionem omnes concedunt cum D.Thoma 3.*p.q.*64 *art.*6.*ad* 3. plures Auctores pro hac re affert Suarius *tomo* 3. *in* 3.*p. disp.*71. *sect.*5. & nos retulimus *Tract.*1. *de Sacram.in genere disp.* 3. *dub.*10. multi tamen Auctores graues negant posse huiusmodi excommunicatum ministrare Sacramentum Pœnitentiæ, etiam existenti in articulo mortis, quia videtur illis non habere Iurisdictionem; hoc tamen omnino falsum est, & indubitatum post Tridentinum *sess.* 14. *c.*7. iuxta dicta à nobis in *Tract.de Pœnit.citatâ disp.*10.*dub.*13 *&* 14. quia in eo articulo mortis omnes Sacerdotes dicit habere Iurisdictionem, neque vllum excipit. Ideò

Asserendū 2. quando non adest alius non excommunicatus teneri prædictum Sacerdotem excōmunicatum absoluere pœnitentem.

449. Asserendū est 2. quando non adest alius non excommunicatus posse; imo teneri prædictum sacerdotum excommunicatum absoluere Pœnitentem, vt cum multis diximus citatâ *disp.* 10.*de Pœnit.dubitationibus* 13.*&* 14. Vbi explicuimus non posse pœnitentem absolui, si adest alius, & pœnitens non ignoret impedimentum. vide dicta ibidem *assertione* 2. vbi plures remissiuè retulimus, qui eandem sententiam docent, inter quos Syluest. *verbo Confessor.*1.§.*vltimo* Angelus *Confess* 3.*n.*2. Nauarrus *c.*22.*n.*4.*& c.*27.*n.* 172. Sotus *dist.*18.*q.*4. & plures alij, quos refert, & sequitur Suarius tomo *de Censuris disp.*11.*sect.*11 *n.*6. qui rectè aduertit, & nos etiam diximus, hoc tantùm licere excommunicato, quando non adest alius, licèt tantùm sit simplex sacerdos, qui possit ministrare Sacramentum; tunc enim excommunicatus, etiamsi sit doctior; & prudentior, reiiciendus est, etiamsi sit parochus; sicut etiam in extremâ necessitate Baptismi potiùs conferendus est Baptismus à Laico non excommunicato, quàm à Sacerdote excommunicato, vt rectè Nauarrus *c.*22.*n.*7. in principio, & Syluest. Baptismus 3.*nu.*1. Seruandusque est ordo, quem assignauimus agentes de Baptismo *Tract.* 2.*disp.*2.*dub.*1. paulò ante secundam assertionem, & assertione 3. Non me latet multos referri à Ferdinando de Castro *in suo opere morali part.*1. *Tract.*4.*disp.*4.*punct.*3.§.5.*nu.*8. qui videntur absoluiè docere, etiam præsente proprio sacerdote posse absolui à reseruatis tam censuris, quàm peccatis à quolibet alio sacerdote etiam excommunicato, & degradato; idque ipse putat probabile *nu.*9. licèt oppositum putet probabilius. Ego verò propter rationem locis citatis à me allatam, omninò falsum puto id posse excommunicatum, & suspensum & degradatum, vt ibidem latiùs docuimus. Legantur quæ diximus *locis citatis de pœnitentiâ.* Illud aduerterim non omnes quos refert prædictus auctor pro oppositâ sententiâ id satis clarè affirmare, vt legenti constabit.

450. Asserendum est 3. iuxta eandem doctrinam ibi latiùs tractatam, licitè posse in extremâ necessitate peti, & recipi ab hæretico Sacramentum pœnitentiæ, dummodo non sit periculum scandali in ipso pœnitente, vel in aliis iuxta dicta locis notatis de *Pœnit.* Legantur quæ ibi diximus, *& citatâ disp.*2. *de Baptismo dub.*1. *&* 2. Hanc assertionem multi ex Auctoribus, qui secundam præcedentem asseruerant, negarunt, scilicèt Panormitanus, Castro & alij. Prætereà nonnulli dubij sunt, nempe Sotus, & Cano, sed eam docent Paludanus *dist.* 25.*q.* 1. Durandus *dist.*19 *q.*2. Maior *q.*1. Syluest. *Confessio* 3.*q.*2.& *Confessor* 1.*q.*20. & *Confessor* 3. *q.*6. Armilla *absolutio* §.12. Ruardus *art.*3, *contra Lutherum.* Suarius *disp.*11.*n.*15.*sect.*1. Ipsi autem hæretico non licet dum in hæresi permanet administrare Sacramentum; si tamen interiùs conuertatur ad fidem, & pœnitentiam, & occurrat necessitas illa, antequàm possit obtinere beneficium absolutionis à suâ hæresi, licitè poterit administrare. Imo Sotus *dist.*13. *qu.*1. *art.* 9. & Suarius *suprà* docent licere eiusmodi excommunicato in eâ extremâ necessitate ministrare Eucharistiam, & indigenti eam recipere; quia etiam hoc Sacramentum est suo modo Sacramentum necessitatis iuxta illud. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* Quod etiam videtur tenere Nauarrus *c.*22.*n.*4.

451. Auila verò *p.*2.*disp.*3.*dub.*3. docet licere excommunicato non tolerato administrare Sacramentum pœnitentiæ extremè indigenti, non tamen Eucharistiam; quia hæc non est adeò necessaria; &, quia præceptum diuinum de suscipiendâ Eucharistiâ semper intellectum est ab Ecclesiâ, supposito quòd possit reuerenter administrari à ministro non tolerato; nisi in casu, quo non posset extremè indigens Sacramentum pœnitentiæ recipere, quia tunc iam esset medium necessarium ad liberandum hominem à periculo damnationis. Pro quâ sententiâ refert Victoriam, Canum, & Palacios, & mihi videtur valdè probabilis, & in praxi sequenda, maximè cùm probabilis sit sententia, quòd hoc Sacramentum det primam gratiam in aliquo casu ex opere operato, quam sequuntur plurimi & grauissimi Doctores, quos retulimus de *Eucharistia. Tract.*4.*disp.*8. *dub.*7. *& locis ibi notatis.* Fieri autem potest vt qui tunc suscipit Eucharistiam sit verè attritus, quando illam suscipit, nondum tamen constitutus in gratiâ. Eucharistia verò tunc est probabile remedium ad constituendum hominem in gratiâ: ergo non est illi denegandum, si alioquin licitè potest fieri. Idemque iudicium est de extremâ vnctione, imò potiori ratione, cùm hoc Sacramentum possit dare primam gratiam iuxta dicta de *Extremâ vnctione Tract.* 7.*disp. vnicâ dub.* 6. *assert.*1. Quod si vrgeat necessitas, & non habeat tempus se conterendi, aut absoluendi, Sacerdos ille non peccabit iuxta dicta *in eodem Tract. dubitatione* 12. §. *item nullam.* De confirmatione verò, & aliis Sacramentis non

Authori videtur sententia valde probabilis & in praxi sequenda.

potest

potest occurere talis necessitas. Itaque, si in extremo vitæ reperiatur aliquis sensu carens, atque adeò incapax Confessionis, quia nullum dedit signum, quo illam peteret, & alioquin dedit aliqua signa attritionis, vel bonæ vitæ, debet illi conferri, vt *in eodem Tract.* notauimus, quantumuis sit excommunicatus, & denuntiatus minister.

452. Sanè de Sacramento ordinis dicendū videtur, si casus esset tantæ necessitatis boni communis, vt esset necessarium illud conferre ad cōmune bonum Ecclesiæ alicuius Regionis, in quâ nemo est qui possit Episcopum absoluere, prudenter credi potest prædictum excommunicatum Episcopum, quantumuis denuntiatum non censeri impeditum ad exercendos actus sic necessarios; & casus etiam esse potest, in quo excommunicatus denuntiatus licitè assistat Matrimonio, sed rarissimè hoc continget. Ita Suarius *supra;* sed de hoc dicemus suo loco.

453. De excommunicatis verò non denuntiatis, dicemus posteà agentes de prohibitione communicationis in Diuinis, & nonnihil per occasionē diximus *de Sacramentis in genere Tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 13. & *locis ibi notatis.* Nunc prius agemus de priuatione communicationis ciuilis, seu humanæ. Legatur *dub.* 41. *ab assert.* 4. *n.* 683. *& sequentibus.*

DVBITATIO XXXIII.

Quibus actibus ciuilibus priuet excommunicatio?

Omni ciuili communicatione priuat excom. munic.

454. OMni Ciuili communicatione priuat excommunicatio, ita, vt nec ipse excommunicatus possit licitè agere, & communicare cum alijs fidelibus, nec alij fideles cum ipso; nisi in casibus Iure expressis, vt frequenter fatentur Auctores, & constat ex multis Iuribus maximè *c. nuper c. Si aliquando c. penultimo de sententiâ excommunic.* & *c.* 2. *de exceptionibus*, vbi dicitur excōmunicatum à communione fidelium esse remotum, & qui cum eo communicat esse etiam remotum à perceptione Sacramentorum. Idemque habetur ex multis capitibus 11. *q.* 3. & 24. *q.* 1. omnes tamen actiones prohibitas in prædictis Iuribus ad has quinque voces in versiculo contentas reduxerunt, nempe *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Omissa vero illa particula *Orare*, quæ ad Sacram communicationem pertinet, de quâ posteà vltimo loco in sequentibus agemus, nunc de alijs quatuor sigillatim in hoc dubio & proximè sequentibus. Illud autem præmitto cum Coninc *disp.* 13. *dub.* 1. & alijs posse sic excommunicatum communicare cum non baptizatis, quia hi non subduntur Ecclesiæ.

nisi in casibus Iure expressis.

Omnes actiones in Iure prohibitæ ad quinque voces reductæ sunt Os orare &c.

Potest sic excommunicatus cōmunicare cum non baptisatis.

455. Iam verò circa primam particulam *Os* prohibetur in primis osculum pacis, & omnia signa amicitiæ, & beneuolentiæ; quæ fieri possent excommunicato, ut habetur *c. Nuper de sententiâ excommunic.* Per eandem quoque particulam prohibetur omnis confabulatio & sermo cum excōmunicato, siue secretò siue palam, siue mutuò colloquendo, vel aures ei præbendo, siue loquutio fiat per se ipsos, siue tantùm per literas, aut nuntium, vel per nutus. Si tamen contingeret, vt Petrus. v. g. excommunicatus salutaret, vel deoscularetur Paulum non excommunicatum, & Ioannes etiam simul in eodem ipso tempore salutaret, & deoscularetur eundem Paulum, non ideò censeretur Ioannes communicare cum Petro excommunicato; nisi fortè id vterque facerent ex conuentione aliqua simul osculandi, aut salutandi. Non prohibetur munerum prius acceptorum retentio, quamuis bonum consilium videatur etiam ipsa munera prius accepta remittere, vt excommunicatus ille confundatur, & occasionem capiat resipiscendi. Ita Auila 2. *p. c.* 6. *diff.* 9. *dub.* 2. Syluest. *verbo Excommunicatio* 5. *n.* 2. Nauarrus *loco citato n.* 20. Sayrus *lib.* 2. *c.* 13. Suarius *disp.* 15. *sect.* 1. Henriquez *lib.* 13 *c.* 7. Vgolinus *Tabula* 2. *c.* 23. §. 1. Filliucius *Tract.* 13. *c.* 5. *n.* 84. *q.* 3. Reginaldus *lib.* 5. *n.* 68. & alij posteà referendi.

Per primam particulam Os prohibentur omnia signa amicitiæ &c.

456. Dubitabit tamen aliquis, num peccet contra hanc Ecclesiæ prohibitionem, qui loquitur cùm excommunicato cum verbis contumeliosis afficiendo? *Dubium.*

457. Respondetur negatiuè, illa enim communicatio non est ciuilis, & humana, nec fructuosa, & orta ex familiaritate, quam solam videtur Ecclesia prohibere; quin potiùs est auersio, & dissocietas, Quâ ratione Sanctum Polycarpum legimus Hæretico interroganti *Agnoscis nos?* respondisse *agnosco primogenitum Diaboli.* *Resp.*

458. Circa secundam particulam, *vale*, prohibetur omnis salutatio honorifica, quâ indignus est excommunicatus. Aliqui verò Authores hoc restringunt ad salutationem tantùm, quæ fit verbis, quam in rigore videtur significare verbum *vale*, quia pœnæ, cum sint odiosæ sunt restringendæ. Ita Angelus *Excommunic.* 8. *n.* 4 Antonin. 3. *titulo* 25. *c.* 2. *in principio*, Maior *dist.* 18. *q.* 2. *in principio.* Idemque videtur tenere Henriquez *c.* 22. *in fine.* Sà *Excommunic. n.* 41. Azor *lib.* 2. *c.* 11. *in principio* dicens esse valdè probabilem sententiam. Item Palatios *distinct.* 18. *disp.* 3. *Columna* 32. Auila infra referendus. Graff. & plures alij apud Sayrum *lib.* 2. *c* 13. *n.* 7. idemque sentiunt de scripturâ, quæ æquiualet verbis. Ex quo inferunt, quòd, qui reuerentiam exhibet excommunicato ei assurgendo, caput aperiendo, mouendo labia, dando locum in sedili; vel similia signa præbendo in signum vrbanitatis, aut sine animo salutandi, vel resalutandi; sed potius intra se dicendo *Deus te conuertat*, vel similia dummodò non loquatur, non peccare, nec incurrere excommunicationem minorem.

Per particulam vale prohibetur omnis salutatio honorifica.

Aliqui hoc restringunt ad salutationem tantū quæ fit verbis.

459. Hæc autem sententia, ait Suarius, licèt ad praxim accommodata sit, & ex consuetudine possit esse vera; quia hæc prohibitio humana est, quæ consuetudine potest aboleri, de rigore tamen Iuris falsa est; quia non minùs hæc signa salutationis prohibentur quā verba, quod si hæc particula *vale* restringēda sit ad propriam vocē, quia est odiosa, eâdem de causâ loquutio erit restringenda ad loquutionem tantùm verbalē, quam propriè significat particula *Os*, quod nemo

Hæc tamen doctrina licet ex consuetudine possit esse vera, in rigore tamen Iuris falsa est ait Suarius.
Ratio.

Sententia Suarij tanquam probabilior subscribit Author.

nemo dixit. Ideò probabilius mihi videtur cum eodem Suario eum, qui exhibet talia signa venialiter peccare, & excommunicationem minorem incurrere. Ita Vasquez *de Excommunic. dub.*8. *n.* 5. & Henriquez *lib.*13. *c.*7.*n.*3. Reginald. n. 75. & 82. Vgolinus Tabul.2. *c.*2.§.5.*n.* 10. Syluest. *Excommunic,* 5. *n.* 3. Rosella, & alij multi quos refert Suarius *disp. illâ* 15. *sect.*1. Item Nauarrus *c.*17.*n.*20.

Quidam putant licere resalutare excommun. &c. quando ipse prius salutat.

460. Putant vero Henriquez vbi proximè *litera O. & c. 22. in fine.* Auila *p.*2.*c.*6.*disp.*9.*dub.* 9. Diana cum non paucis 5.p.*Tract.*9. *Resol.*116. id probabilissimum appellans (vide eumdem Resol.117. & 525.) licere resalutare, rescribere excommunicato, quando ipse salutauit prius, vel scripsit; quia est (inquit Henriquez) solutio debiti, quæ etiam respectu Inimici obligat. addit tamen Auila dummodò non fiat animo salutandi, vel resalutandi; sed ne se ostendat inurbanum.

Quæ doctrina Authori non placet.

461. Verùm neque hæc omnino placent, maximè cùm iam satis constet excommunicatum in pœnam delicti talibus salutationibus esse priuatum. Ideò, tàm ille, quàm cæteri alij, si sapiunt, non inurbanitati, aut rusticitati, vel superbiæ; sed religioni potiùs, & obseruantiæ erga mandata Ecclesiæ tribuere debent illam abstinentiam à salutando & resalutando.

Pro excommun. priuatim orare licet & cum illo agere de ijs quibus liberari possit ab excomm.

462. Illud tamen videtur probabiliùs posse Excommunicato dicere *Deus te adiuuet*, vel *conuertat*, vel alia verba deprecatoria, quæ non cōtinent salutationem honorificam; sed ad emendationem & resipiscentiam postulandam diriguntur; nam pro excommunicato etiam denuntiato bene potest orari priuatim, & agi cùm illo de ijs, quæ iuuare illum possunt, vt exeat ab excommunicatione. Ita Nauarrus *n.* 20. *& n.* 36. *ad* 5. Suarius, Antoninus, & alij ferè omnes, præter dictos Recentiores, quorum auctoritas probabile reddit oppositum

463. Illud autem mihi non displicet, licere scilicèt, caput aperire vel assurgere personæ publicæ, vt Episcopo, aut Prætori excommunicato;, hoc enim videtur permittendum; tùm ob consuetudinem, tùm propter vtilitatem, seu periculum damni; subditus enim cauere potest, ne in manus sui superioris incidat. Ita Suarius *sect. illa* 1.*n.* 4. Filliucius *Tract.*13.*c.*5.*n.*86.

Voce communio prohibetur omnis associatio in alijs actionibus exterioribus.

464. Quod attinet ad vocem *Communio* prohibetur omnis associatio in alijs actionibus exterioribus; huiusmodi sunt cooperari simul, vel illum iuuare in aliquâ actione, seseque illi socium adiungere in aliquo negotio gerendo, inire cum illo contractus, cohabitare in eâdem domo cum illo, dormire in eodem lecto, negotia etiam turpia cum illo exercere.

465. Quamnis autem dormire in eodem lecto prohibitum videatur, non videtur ita prohibitum dormire in diuersis lectis positis in eodem cubiculo, dummodò, qui in eodem cubiculo dormiunt, non ibi maneant per modum societatis, vel ad idem negotium gerendum, tunc enim dicerentur simul communicare, Quando autem manent in eàdem domo, seu cubiculo, vt quisque suis intendat negotijs, non dicuntur simul communicare, vt, quando excommunicatus suum gerit negotium in vno angulo seorsim ab altero, & alter in alio absque cooperatione alterius. Idemque fieri potest, quando duo dormiunt in eodem lecto non per modum societatis; sed quia sic res casu fuerunt dispositæ, vt quando duo perueniunt ad idem diuersorium, & vnus tantùm lectus conceditur pro vtroque. Ita Suarius *citatâ disp.* 15. *sect.* 2.*n.*8. Filliucius *c. illo* 5. *quæsito* 6. *n.* 87. Reginaldus *suprà n.* 84. & alij.

Nota.

466. Notandum verò est primò circa prædicta, contractum initum cum excommunicato esse validum, vt docet Auila *suprà* cum multis *dub.*10. Item alter contrahens potest agere contra excommunicatum in Iudicio, non verò è contra donec absoluatur. Ita Vgolinus *Tabula* 2. *c.*20. §. 1. Syluest. *verbo excommunic.* 5. *n.* 3. Vasquez *dub. illo* 8 *n.* 8. Sayrus *lib.* 2. *c.*13.*n.*10. Henriquez *c. illo* 7. *n.* 3. Filliucius *loco citato*, Coninc *disp.*14.*dub.*12.*n.* 559. Reginald. *suprà n.* 83. & alij communiter.

467. Hæc omnia valent ad probandum non posse excommunicatum licitè (quidquid sit de valore) adhiberi & eligi in executorem Testamenti, quæ est magna communicatio cum illo in re satis graui & magnæ confidentiæ ex parte Testatoris, sed licere dixit Sāchez *in opusculis to.* 2. *lib.*4. *c.*1.*dub.* 40. *n.*51. potest verò in Iudicio repelli. Quod si de facto exequatur vt talis voluntatem testatoris, quam exequendā suscepit, valebit; nec video cur non sit valitura, sed non licitè fiet. Excipio casum necessitatis, si non esset alius, qui posset eligi, & res vrgeret. Quod si ante excommunicationem non sit absolutus & adsit Episcopus, ad illum potius, vel eius Officialem spectabit res tota. Vide circa hoc Dianam 8. *part. Tract.*5. *Resol.* 2. *præsertim in fine*, vbi alios retulit de quo nos iterum n. 898. Vtrum autem excusetur debitor ab obligatione soluendi excommunicato creditori, interim dum manet in excommunicatione, disputaui *in nostro opere de Iustitia lib.* 2. *Tract.* 2. *disp.* 50. *n.* 159. *& seqq.* duas attuli oppositas probabiles sententias, & magis placebat teneri soluere, vide Dianam 5. *part. Tract.* 9. *Resol.* 130.

Dubium.

468. Dubitari etiam potest, an liceat communicare cum excommunicato mortuo etiam in humanis, vt ipsum lauando aut vestiendo?

Resp. non licere communicare cum Excomm: mortuo etiã in humanis Ratio. licèt tamen illum sepelire in loco profano.

Respondeo non posse. Ita Vgolinus *Tabul.* 2. *c.* 23. *n.* 8. Henriquez *lib. illo* 13. *c.* 7. Sayrus *lib.*2. *c.*3. *n.* 11. Reginaldus *lib.* 32. *n.* 85. & alij Recentiores. Ratio est, quia illa censetur quædam communicatio; cui autem viuo non communicamus; nec mortuo communicare debemus; non erit autem illicitum illum sepelire in loco profano, ne fœteat, & aërem corrumpat; id enim fit ex necessitate, & in vtilitatem viuorum.

Per particulam mensa prohibetur. comestio in eadem mensa.

469. Quod verò attinet ad particulam *mensa* prohibetur, ne aliquis cum excōmunicato simul comedat in eâdem mensâ, quod intelligitur siue alter alterum inuitet, siue simul sint in conuiuio alicuius tertij. Atque ita sentiunt fere omnes Doctores, D. Thom. Antonin. Syluest. Nauarrus, Henriquez, Suarius, & alij locis citatis, & citandis, qui addunt, etiamsi in prandio inchoato excommunicatus adueniat, teneri alios mensam deserere, si aliter non possit eius consortium

tium vitari. Imo multi sentiunt, & meritò, comprehendi casum, quando aliqui communem, & socialem vitam agunt, & in eâdem mensâ comedunt; non solùm, quando eisdem cibis vescuntur; sed quando vnicuique proprium apponitur oblonium pro se diuersum, & nomine suo paratum. Vnde in Seminarijs, vel monasterijs, licet diuersæ mensæ sint dispositæ in eodem refectorio, & apponatur vnicuique suus cibus, censentur in eâdem mensâ comedere. Vnde Auila *p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 11.* putat in eâdem mensâ communicare, qui inuitati ad idem conuiuium comedunt in eâdem domo, licet sint in diuersis cubiculis, quod probari videtur, quia iam ex intentione sociantur, & ex accidenti diuiduntur, scilicèt, quia idem refectorium non capit omnes. Vnde videtur colligi aliter esse sentiendum, si caperet quidem locus; ego tamen ex affectu separandi me ab excommunicato ingredior aliud cubiculum. Nihilominùs tanta posset esse separatio, vt quamuis ad idem conuiuium, quantum ad cibos, & inuitatos, & ad solemnitatem attinet, intentionemque inuitantis, vocarentur, & confluerent, censeantur nihilominùs sic separati àb excommunicato non communicare cum illo, vt, si comederent in diuersis domibus, quæ non censentur etiam pro illo actu vna domus, quales sunt, quæ ordinariæ esse solent in vna Ciuitate, & vico: quando enim aliquis toti vico per modum vnius pararet conuiuium, distribuendo tamen conuiuas per domos; etiamsi inter conuiuas esset aliquis excommunicatus, non ideò censerentur cæteri comedentes in alijs domibus cum ipso communicare; sed ille tantùm, qui inuitauit illum, & qui illum admittunt ad suum consortium. Atque ita videtur intelligendus Auila loco citato, concedens in diuersis domibus comedere non esse communicare cum excommunicato.

Hæc communio in mensâ intelligenda est formaliter non materialiter.

470. Itaque hæc communicatio in mensâ intelligenda est formaliter, non materialiter. Ideò quando tabula in diuersorio longa est pro mensâ diuertentium hospitum, non erit communicare cum excõmunicato, quod in eadem tabulâ comedant excommunicatus, & alij ab inuicem separati; reputantur enim tunc diuersæ mensæ, & solùm materialiter, id est continuatione, vna materialis tabula. Vnde sicut dicebamus de existentibus in diuersis cubiculis, vel etiam in eodem, quoad habitationẽ, & lectum, philosophari etiam possumus, quoad mensam. Imo etiam Nauarrus addit non improbabiliter, quòd quamuis verum sit communicare inter se, qui in eadem domo comedunt in vno conuiuio, etiam in diuersis mensis, quando omnes illæ mensæ sunt in eodem refectorio, aut cænaculo ordinatæ, vt in conuentibus Religiosorum, quia scilicèt componunt vnam artificialiter mensam, etiamsi physicè sint diuisæ; tamen, si sint in diuersis cubiculis, quantumuis conuenerint rogatu eiusdem personæ, & quasi ad idem conuiuium, non id satis est vt physicè, vel moraliter vnus censeatur cum alio prandere, nec est communio Censuræ contraria, vt notat etiam Suarius *suprà disp. 15. sect. 5.* vbi rectè etiam aduertit quod dictum est de eâdem mensâ, censendum esse de eâdem domo, & de eodem lecto; nimirum solùm prohiberi esse in eâdem domo, & in eodem lecto formaliter; non materialiter; nam si duo per modum societatis eodem cubiculo utantur, vel in eâdem domo commorentur, licèt sint in distinctis lectis, vel cubiculis, censebuntur communicare inter se: è contra verò, si absque vllâ mutua societate accidat in eadem domo habitare, vel casu eueniat, vt duo in eodem hospitio pernoctent, & vtrique vnus tantùm lectus tribuatur, in eodemque dormiant, vt dictũ est, non erit communicare.

471. Auila verò putat dormire in eodem lecto semper esse communicare, etiamsi id sit ex accidenti; quia in diuersorio non est alius, sicut etiam comedere in eâdem mensâ, quando paruula est. In quo etiam consentit Angelus *Excommunic. 8. n. 4.* & Toletus *lib. 1. c. 19.* Mihi tamen absolutè magis placet doctrina Suarij.

Omnes aliæ communicationes cũ Excomm. etiam non materialiter sed formaliter intelligendæ sunt prohibitæ.

472. Atque eodem modo intelligendæ sunt omnes aliæ communicationes, quæ possunt excogitari, vt scilicèt non materialiter, sed formaliter sint prohibitæ. v. g. consedere, coambulare, simul iter agere, collaborare, seu cooperari; nam si hæc fiant sine mutuâ societate, quamuis excommunicatus, & non excommunicatus simul deambulent, vel iter agant per eandem viam, vel in eâdem naui incedant, non agunt contra Censuram, quia illa non est humana communicatio, atque in hac doctrina generali Auila ipse consentit, quamuis descendendo ad casus particulares in aliquibus videatur dissentire. Idemque colligitur ex Syluestro, Angelo, Tabiena, & Armilla locis citatis à nobis, & alijs Auctoribus relatis.

Asserendũ vlterius prædicta intelligi de excõmunicatis denuntiatis.

473. Asserendum est vlterius in omnibus prædictis teneri fideles ad vitandos excommunicatos, tantùm cùm sunt denuntiati, vel manifesti Clerici percussores; ipsi tamen excommunicati, vt iam in præcedentibus notauimus, etiamsi non sint denuntiati, tenentur in omnibus prædictis se abstinere à consortio aliorum fidelium; nisi ab ipsis præueniantur, & tunc ad Sacramenta quidem ministranda tenentur conteri, quod ego intelligerem, si alioquin habeant conscientiam peccati mortalis; si enim contingat aliquem per contritionem iam fuisse iustificatum, vel etiam per Confessionem antequàm defacto incurratur excommunicatio (vt in aliquibus casibus fieri potest) non tenebuntur de nouo conteri post incursam excommunicationem, quando requisiti ab alijs fidelibus administrant Sacramenta. Legantur, quæ diximus in fine dubitationis 26.

Notat rectè Suarius ipsos excõm. teneri se abstinere a cõmunione cũ alijs excommunicatis.

474. Notat etiam rectè Suarius *disp. 15. sect. 1. in fine* ipsos excommunicatos teneri se abstineri à communicatione cum alijs excommunicatis, etiam Apostatis, & Hæreticis contra Gloss. *in c. Deuotam 27. q. 1.* quando enim Ecclesia remouet excommunicatos à communione fidelium, intelligit omnes baptizatos, in quos habet Iurisdictionem; atque huiusmodi sunt excommunicati etiam Hæretici, & Apostatæ; non tamen sunt prohibiti ipsi excommunicati communicare cum non baptizatis, vt iam etiam in præcedentibus notauimus, & docet idem Suarius cum Panormi-

tano, Hostiensi, & Ioanne de Lignano, quos refert.

DVBITATIO XXXIV.

An fideles possint pro libito sine vllâ necessitate, & rationabili causâ communicare cum excommunicatis non necessariò vitandis?

Sententia nonnullorũ.

475. NOnnulli existimant, si ipsi excommunicati sint parati ad talem communicationem, licitè posse fideles cum illis communicare; si tamen non sint parati; nec ipsi excommunicati se ingerant; non licere fidelibus illos prouocare, aut inuitare ad secum communicandum, nec in Diuinis, neque in humanis, nisi adsit aliqua rationabilis causa, quia nimirum, cùm ipsi excommunicati, etiam tolerati peccent communicando, etiam alij fideles peccabunt contra naturale præceptum non inducendi ad peccatum, vel non cooperandi. Ita Auila *p. 2. c. 6. disp. 8. dub. 1.* & alij.

Assertio posse fideles pro libito communicare cum Excommunic. toleratis etiam in Sacramẽtis Sayrus.

476. Asserendum nihilominus est posse fideles pro libito, & sine vllâ causâ communicare cum excommunicatis toleratis, etiam in Sacramentis vt cum Victoria, Ledesma, Soto, Viualdo, & Lopez doctè probat Sanchez *lib. 7. de Matrimonio disp. 9. n. 8.* Diana 5 *Tract. 9. Resolut.* 117. cum Hurtado, quem refert, quia concessio Concilij Constantiensis absoluta, & vtilis est sine restrictione, & fauorabilis; atque adeò amplianda vtpotè concessa ad tollenda peccata, & scrupulos: non tollerentur autem, sed augerentur, si discutiendum esset, an alter sit paratus; vel, an ego habeam causam &c. Item quia eâdem probabilitate, quâ ipsi dicunt Concilium omnino abstulisse excommunicationem minorem, eâdem nos dicimus abstulisse obligationem ad culpam; quam potiùs, & expressiùs sonant ipsa verba Concilij Constantiensis dum ait, *constituimus, vt nemo posthac teneatur abstinere &c.* manente autem culpâ non esset verum dicere neminem teneri ad abstinendum. Vnde excommunicationem minorem solùm aufert per modum naturalis sequelæ; cessante enim culpa, cessat pœna illi annexa. Eandem sententiam sequitur Filliucius *Tract. 13. c. 3. & 4.* imò, & Auila ipse probabilem putat *citato dub. 1. & 2.*

Ad argumentum contrarium.

477. Argumentum autem aduersariorum nullius momenti est; negamus enim antecedens assumptum, probandum enim erat illis peccare excommunicatum præuentum à petente Sacramentum ab illo, si ei illud administret; cùm enim prohibitio, quâ cauetur ne excommunicatus ministret Sacramenta sit ex merô Iure Ecclesiastico; potuit vtique Ius Ecclesiasticum hanc prohibitionem restringere ad omnes & solos excommunicatos, qui aut denuntiati, aut manifesti Clerici percussores sunt; ad cæteros autem in eo solo euentu, in quo ipsi suâ sponte se ingerunt; id autem fuisse patet ex dictis; maximè cùm priuilegium fidelibus concessum non possit aliter commodè intelligi; atque in eâ re non releuantur directè & ex intentione ipsi excommunicati, quibus per se nullo modo fauere intendit Concilium, vt notauimus *in fine citatæ dubitationis 26.*

Notandum maximè.

478. Illud autẽ est etiam maximè notandũ, illicitum esse excõmunicato tolerato acquiescere communicationi fidelium, etiam prouocantium ad illam, quando ipse, antequàm sit necessarium acquiescere, habet in suâ potestate absolui ab excommunicatione, idque prætermittit facere, tunc enim, vt communicatio sit fidelium cum illo, & prouocatio sit ipsis fidelibus licita, non est necessarium quòd excommunicatus licitè acquiescat in statu excommunicationis, cum ab illâ possit excommunicatus omninò liberari si velit, & sic licitè absolutè communicare.

Authoris Iudicium.

479. Imò aliqui putant in eo casu, quando ipsemet excommunicatus, qui posset liberari ante communicationem cum prouocante ad illam, censetur sic communicaturus, & peccaturus, non posse licitè à fidelibus prouocari propter rationem primæ sententiæ, quia scilicet induceretur ad peccandum, quod mihi non placet; illud enim opus potest fieri ab excommunicato benè, & sine culpâ. Vnde, quod petit fidelis, non est aliquid illicitum, quod si excõmunicatus, id illicitè facit, ex malitiâ suâ facit, non se liberando ab excommunicatione; atque hoc maximè verum est, quando est vtilius fideli communicare cum tali excommunicato potius, quàm cum alijs.

Ex dictis infertur fieri irregularem excomm. toleratum celebrando.

480. Ex dictis infertur fieri Irregularem excommunicatum toleratum, qui celebrat Sacrũ non prouocatus, etiamsi faciat, vt fideles id audiant, imò etiam, quando prouocatus, si potuit post prouocationem absolui, & tunc peccat bis; primo, quia illicitè celebrat affectus Censurâ sine excusatione sufficienti sic faciendi, cum possit ab eâ liberari; secundo; quia celebrat non præmissâ confessione peccati, quam tenetur præmittere, si potest. Legantur quæ dicemus *dub. 41. assert. 4. & deinceps.*

DVBITATIO XXXV.

Quale peccatum sit communicatio ciuilis cum excommunicato.

Assertio 1. regulariter loquendo, communicatio ciuilis cum excõm. est tantum veniale D. Thom.

481. ASserendum est primo regulariter loquendo esse tantum veniale peccatũ. Ita D. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art 3. & in Additionib. q. 23. art 3. & quodlib. 11. art. 9. eumq; sequuti sunt cæteri Theologi, & Summistæ fere omnes, inter quos Caietanus verbo *Excommunic.* ad fin. Nauarrus c. 27. n. 29. Sotus dist. 21. q. 1. art. 4. Henriquez lib. 13. c. 8. Suarius disp. 15. sect. 2, Sayrus lib. 2. c. 11. n. 20. Vgolinus Tabula 2. c. 23. §. 14. Vasquez Tract. de Excommunic. dub. 7. n. 8. Filliucius Tract. 13. c. 3. quæsito 2. & sequentibus. Bannius in Theologia morali part 2. disp. 6. q. 5. cuius verba latè refert nec reprobat Diana part 7. Tract. 11. Resol. 47. & dicit se de hac re alibi egisse, sed non indicat locũ. Puto esse 5. part. Tract. 9. Resol. 2. vbi cum plerisque docet esse tantum venia-

Probatur.

veniale: de casibus verò in quibus sit mortale sequenti dub. dicam. Nunc præsentem resolutionem probemus, quam latè probat Bannius apud Dianam. in illa Resol. 47. & omissis alijs iam pridem probabant alij; quia quælibet lex, licèt ex suo genere grauis sit; in materiâ tamen leui tantùm obligat sub veniali; hæc autem materia in his actionibus ciuilibus ad humanum conuictum pertinentibus leuis est, tùm secundum se; quia hæ actiones non sunt magni momenti; tùm in ordine ad excommunicationem, quæ indirectè tantùm, & secundariò has actiones prohibet; nam primariò alia infert grauissima incommoda, tàm in diuinis, quam in humanis, quæ mouere debeant excommunicatum, vt resipiscat. Accedit id, quod suprà D. Thomas etiam docuit non esse verisimile Ecclesiam velle tam grauem obligationem omnibus fidelibus imponere in materiâ adeò leui frequenti, & vulgari, cùm sine magno animarum periculo esse non possit, alioqui, quod in vnius medicinam esset institutum, in commune damnum, & periculum vergeret.

Assertio 2. idem asserendum est de ipsis excõm. quando in dictis actionibus se immiscent communicatione aliorum fidelium. Probatur.

482. Quamuis autem prædictam assertionem nostram communiter intelligant Auctores de communicantibus, asserendum nihilominùs est secundò idem sentiendum esse de ipsis excommunicatis, quando in dictis actionibus ciuilibus se immiscent communicationi aliorum fidelium; est enim eâdem prohibitione prohibitum vtrisque scilicèt excommunicatis, & non excommunicatis, vt alij alios teneantur vitare; idq; expresse docuerunt Victoria Excommunic. *n.* 3. Syluest. *verb. excommunic.* 3. §. 5. adiunctâ doctrinâ, quam posteà tradit Excommunic. 5. §. 3. Couarr. §. 2. *n.* 11. Henriquez *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 3. Auila *p.* 2. *c.* 6. *dub.* 3. Suarius *disp.* illâ 15. *sect.* 2. *n.* 4. Caietanus *verbo Excommunic. c.* 5. *ante finem totius Tractatus.* Quantumuis autem c. *Illud de Clerico excommunicato ministr nte* dicatur *non vitare, multo magis, quàm non vitari periculosum existere,* hoc tamen æquè intelligi debet de ipso excommunicato, atque de non excommunicato: prædicta enim culpa potiùs consistit in non vitando aliũ, quã in non vitãdo ab alio. Prætereà, etiamsi concedamus magis peccare excõmunicatũ non vitando alios, quàm alios non vitando ipsum, id tamẽ totũ est intra latitudinem culpæ venialis; est enim maius peccatum; sed veniale.

Alij textus qui dicunt talem esse letalem Explicantur

483. Vlteriùs; quamuis alij Textus dicant hanc communicationem esse lethalẽ, loquuntur tamen in communi; atque ita intelligendi sunt ex genere suo, quia in aliquibus casibus, vt iam dicemus, mortalis est, non tamen in alijs, ideò diximus *regulariter esse peccatum veniale*, dicturi dubio sequenti, quando sit mortale?

DVBITATIO XXXVI.

In quibus casibus sit peccatum mortale communicare in humanis cum excommunicato?

484. NOn agimus hoc loco de communicatione cum excommunicato in sacris; illa enim communiter est peccatum mortale, de quâ dicemus in sequentibus, nec de communicatione forensi, seu, quæ pertinet ad Iurisdictionem de qua etiam post communionẽ in sacris agemus. Solùm ergo agimus de communicatione illâ Ciuili, seu in conuictu humano.

Solum agitur hic de communicatione ciuili.

485. Asserendum est primò iuxta dicta *disp.* 26. §. *tandem aduertendum.* esse peccatum mortale, si ex eâ communicatione sumat occasionem excommunicatus perseuerandi in suo delicto, & in excommunicatione; quia hoc esset scandalum actiuum, quod omnino tenemur vitare iuxta principia generalia in materiâ de scandalo.

Assertio 1. Talis erit mortalis, si ille sumat inde occasionem perseuerandi in delicto. Ratio.

486. Secundò etiam erit mortale communicatio ciuilis, si fiat ex cõtemptu Clauium, & potestatis Ecclesiæ: quæ etiam doctrina communis est, & ad omnes transgressiones præceptorum solet accommodari, quantumuis sint in materiâ leui. Quid autem sit operari ex contemptu explicuit D. Thomas 22. *q.* 186. *art.* 9. *ad.* 3. & ibi Caietanus, latiùsque Couarr. *c. Alma mater p.* 1. § 7. *n.* 6. *&* 7. Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *n.* 37. *&* 38. adiunctis ijs, quæ dixerat *disp.* 102. *c.* 5. Quibus in locis docet contemptum consistere in sola directa intentione non parendi, in quâ est speciale peccatum inobedientiæ formalis, cùm quis directo animo non obediendi superiori, vt ei directè opponatur ex dedignatione quâdam, quam habet, quòd ei subditus sit, eius præceptum transgreditur. Si rem hanc ex instituto doctissimè videre cupis tractatam, lege Suarium *lib.* 3. *de legibus* vbi toto capite 28. explicat, in quo consistat contemptus, ex quo quis non paret legi, aut legislatori: præsertim verò *à nu.* 18. *& deinceps.* & admittit prædictam inobedientiam inuoluere contemptum, & ex contemptu prouenire quòd quis tunc non obediat. Ex quibus patet operari ex contemptu non esse frequenter transgredi legẽ; sed eam transgredi ex spirituali inobedientiâ, quando motiuum, seu ratio formalis violandi præceptum est ipsum non obedire, quia tunc est contra virtutem obedientiæ prout est specialis virtus. Quando verò motiuum non obediendi non est ipsum non obedire, sed aliquod bonum vtile, vt, cùm quis frangit ieiunium propter appetitum cibi, tunc non adest contemptus, neque inobedientia specialis; sed tantùm generalis.

2. etiam erit mortale si fiat ex contemptu potestatis Ecclesiæ.

in quo consistat dictus contemptus.

487. Tertiò peccatum erit mortale, quando communicatio ciuilis fuerit cooperatio in crimine mortali; talis enim communicatio, quamuis non prohiberetur ab Ecclesiâ, esset peccatum mortale, contra Ius ipsum naturale; est enim intrinsecè mala, & tunc, etiam cum tolerato, erit communicatio mortalis. Quod si ea communicatio sit in alijs criminibus distinctis à crimine criminoso, tantùm erit circumstantia venialis ex eâ parte, quâ est contra prohibitionem Ecclesiæ, vt expresse docet Henriquez *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 3. *literâ L. & c.* 9. *in princip.* Si verò sit in crimine criminoso, videtur circumstantia mortalis & duplex peccatum, alterum contra Ius naturæ, alterum contra prohibitionem Ecclesiæ, & contra Claues, vt præter Henriquez docent vterque Sotus, Gabriel, & alij, propter quam inobedientiam incurritur excommunicatio. Verùm in hac re philosophandum est iuxta

3. Talis cõmunicatio erit mortalis quando &c. Ratio.

dicta

dicta *dub.* 22. vbi explicuimus tantùm vnum peccatum committi.

4. *Erit etiā mortale.* 488. Quartò erit peccatum mortale communicare, etiam in humanis, quando per Iudicem imponitur excommunicatio contra participantes, si talis excommunicatio fuerit valida, iuxta dicenda *dub. sequenti.*

5. 489. Quintò addunt aliqui peccare mortaliter, qui communicat, etiam in humanis, cum excommunicatis à Papa. Hoc tamen non est vniuersim verum, vt explicabimus *dubi. sequenti.*

6. 490. Sextò Addit Nauar. *c.* 27. *n.* 29. peccare mortaliter, qui nimis frequenter communicat, etiam in humanis, cum excommunicato, sed *n.* 30. videtur id limitare, quando ex illâ frequentiâ sequitur scandalum ipsi excommunicato; Atque hoc docent communiter Auctores, dum dicunt per se loquendo, & secluso contemptu, & scandalo tantùm venialiter peccare. Ita docent Sayrus *supra n.* 4. Auila 2. *p. c.* 7. *disp.* 8. *dub.* 3. *conclus.* 2. Reginald. *lib.* 32. *n.* 92. aliíque multi.

Quando ex frequenti visitatione excommunicati sequitur scandalum ipsi excommunicato, erit mortale.

Suarij opinio. 491. Suarius tamen *disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 11. putat esse mortale, si quis per modum vnius obiecti velit illam frequentiam, & consuetudinem communicandi cum communicato, quod etiam videntur sentire aliqui alij illum secuti, vt Coninc. *d. sp.* 14. *dub.* 14. *n.* 149. Filliucius *Tract.* 13. *c.* 3. *q.* *alias* 3. *n.* 43. & *c.* 5. *quæsito* 9. *n.* 92. Quamuis Bonacina *disp.* 2. *q.* 1. *puncto* 6. §. 1. *n.* 6. in distinctè prædictos referat, & dicat frequenter communicantem cum excommunicato vitando mortaliter peccare, cùm tamen Coninc, & Suarius expressè docent non sufficere, quod aliquid intra longum tempus sæpiùs verbi causa per aliquot menses penè quotidie cùm excommunicato communicet, quando illæ communicationes sunt omnino inter se distinctæ, & independentes; nam sic constituunt solùm multa peccata venialia; non autem materiam grauem peccati vnius; ad hoc enim necessarium est vt per modum vnius obiecti velit illam frequentiam, & consuetudinem communicandi cum excommunicato, vt, si dicat volo frequenter, & perseueranter communicare cum excommunicato denuntiato, Cuius ratio est, quia licèt singuli actus per se considerati sint materia leuis; frequentia tamen eorum simul volita est grauis materia, quemadmodum velle multa furari ab eodem est materia grauis. Item si quis velit quotidie recitare orationem Dominicam, velle id prætermittere per annum mortale erit, quia materia iam est grauis.

Non placet Authori doctrina præcedens nec exempla quibus confirmatur. 492. Nihilominus nec hæc Doctrina, nec exempla, quibus confirmatur, placent. Nam ad hoc, vt censeatur materia grauis, debet vniri ea materia, vt sit vna. Quando autem materia nullo modo vnitur, non potest esse materia grauis coalescens ex multis leuibus. Vnde, qui proponit sæpius iterare aliquod veniale peccatum, v.g. sæpius mentiri absque damno graui extrinseco, non peccat mortaliter. Item, qui pro pono omnibus diebus quadragesimæ aliquid parum comedere præter cibum permissum, etiam mortaliter non peccat, quia materia vnius mendacij, & alterius, vnaquæque per se leuis, & venialis est, & non vniuntur inter se, nec in ordine ad aliquod tertium; sicut nec fractiones illæ leues ieiuniorum diuersorum dierum. Exempla verò leuium furtorum ab eodem, & leuium omissionum Orationis Dominicæ nihil probant; nam vel extra rem sunt, vel falsa. Si enim loquamur de furtis paruis factis eidem perseuerante semper læsione vniuscuiusque furti in damnificato: extra rem est exemplum, quia materiæ vniuntur moraliter, & omnes simul constituunt hominem grauiter læsum in suis bonis, cùm tamen quæuis materia parua non constitueret grauiter læsum. Si verò loquamur de paruis furtis ita, vt, quando fit secundum, præcesserit iam satisfactio primi, vel certè nunquàm tot simul furta perseuerent, quot sufficiunt ad materiam grauem, etiamsi quis velit à Petro subripere mille ducatos, aut quęcumque numerum, nunquàm peccabit mortaliter; quia nunquàm existet damnum graue eo ipso quòd furta sequentia supponant satisfactionem antecedentium ita, vt nunquàm tot simul existant, quot sufficiant ad damnum graue. Similiter, si votum orationis Dominicæ recitandæ ita fit singulis diebus, vt per modum vnius intra annum voueris vouens tot dominicas orationes fundere, quot sunt dies in anno: verum quidem est, quòd peccet mortaliter, qui vult omnes simul orationes omittere; sed extra rem est exemplum: cùm iam per modum vnius sit promissa illa materia; si tamen votum sit, vt sic dicam, diarium, ita, vt Oratio Dominica sit pro vnoquoque die, & quis velit omnes totius anni Orationes Dominicas omittere; non peccat mortaliter, quia materiæ non coniunguntur, nec assumuntur per modum vnius. Ita ergo in præsenti communicatio cum excommunicato, quæ fit in vna occasione, non est communicatio, quæ fit in alia; nec ex vtraque componitur vna tertia grauis, quæ Censeatur in æstimatione murali materia grauis, atque adeò illa voluntas sæpiùs communicandi non erit voluntas committendi vnum peccatum graue; sed committendi plura leuia, sicuti voluntas sæpiùs mentiendi, & sicuti voluntas, quâ quis proponit non abstinere ab aliqua consuetudine, aut proximâ occasione peccandi sæpiùs venialiter.

Diuersæ communicationes cum excommunic. nō coalescūt adeóq; nec constituunt materiam grauem.

DVBITATIO XXXVII.

Quando incurratur excommunicatio? & quales propter communicationem cum excommunicatis?

493. In hac re primò certum est apud omnes eum, qui communicat cum excommunicato denuntiato, vel manifesto Clerici percussore, saltèm incurrere excommunicationem minorem; etiamsi communicatio fit in humanis; nisi fiat in casibus à Iure concessis, de quibus agemus dub. sequenti. Ita omnes, quos vide rim Auctores, patetque ex multis Iuribus præsertim. c. *a nobis* de *Exception.* & ex c. *Nuper.* c. *cum consideret. de sententia excommunic.* & c. *Excommunicato*, & duobus sequentibus 12. q. 3. Quàuis autē cū *excōmunic.* & sequēti, dicatur quod communicans cum excommunicato, simili, aut eâdem

Hoc in re certum est 1.

Quando dicitur quod communicans cum excom. eandem excom. incurrat quomodo intelligendũ.

dem excommunicatione innodatur, intelligendum est de simili, aut eâdem in genere morali, non de eâdem in specie vt patet ex *c.2.* de Exceptionibus. Id quod notarunt Sotus, Adrianus, Couarr. & alij posteà citandi, & satis etiam liquet in *c. vltimo de Clerico excommunicato ministrante.*

Certum est 2.

494 Secundò certum sit ipsum Excommunicatum communicando cum alijs sine causâ, quamuis peccet, quia est illi prohibitum; non tamen incurrere minorem excommunicationem, quia hæc tantùm est imposita communicationibus cum excommunicato, vt notauit Suarios *disp.2. sect. 1 n.3.* Si tamen excommunicatus communicet cum alio excommunicato incurrit illam.

Certum est 3. communicantem cum Excõm. maiori ne quidem peccare.

495. Tertiò certum sit eum, qui communicat cum excommunicato excommunicatione minori, nec incurrere vllam excommunicationem, nec peccare. Quod videtur dixisse Gregorius VII. *c. Quoniam multos.* 11. q. 3. Vbi inter eos quos Pontifex excipit à prohibitione, & ab incurrendâ excommunicatione propter communicationem cum excommunicatis, excipit etiam

Ratio.

illos, qui communicant cum ijs, qui cum excõmũnicatis communicant; ac proinde excõmunicatio minor non transit in tertiam personam. Ita Gloss. *c. Excellentissimus* 11. q. 3. Sotus *dist.* 22. *q.1. art.4.* Armill. *Excommunic. n.97.* Auila *p. 2. c. 6. disp.10. in principio*, idque multò magis constat ex *c. 2. de Exceptionibus*, vbi dicit Pontifex quod excommunicatus à communione fidelium est exclusus; qui verò communicat cum excommunicato in loquutione vel oratione, tantum à Sacramentorum participatione est remotus. Vide quæ spectant ad minorem excommunicationem quâ de re supra diximus *dub. 5. & seqq. vsq. ad 9.*

Excõm maior non trãsit in tertiam personam.

Casus in quibus ob solã excõmunicationem cum excõm. incurritur excomm maior.

496 Sunt tamen aliqui casus, in quibus ob solàm communicationem cum excõmunicatis incurritur excommunicatio maior, de quibus placet sigillatim dicere.

Casus 1.

497. Primus casus habetur *c. significauit de sentent excommunic.* propter quem Textum aliqui dixerunt omnes communicantes etiam in humanis cum excommunicatis à Papa, & peccare mortaliter, & incurrere maiorem excommunicationem. Hoc tamen omnino falsum est, vt ex prædicto textu notant Auctores. Glossa verò in eodem capite; & Nauarrus *c.27. n. 30.* putant tunc esse mortale & incurri maiorem excommunicationem, quando Papa aliquem excommunicauit; & simul participantes cum eo; talem enim fuisse, putant Excommunicationem impositam à Pontifice; de quâ ibi mentio fit. Verùm hæc mera diuinatio est, & gratis fingitur; nullum enim habet in Textu fundamentum, vnde colligatur. Ideò dicendum puto cum Antonino *3.p. tit.24. c 32.* Adriano *Quodlib.6. art. 2. ad.2. & q.3. de Clauibus* Soto *dist. 22. q.1. art.4.* Couarr. *c.p. §.3. à 2.3.* Syluest. *Excommunic. 7.* casu 6. Angelo *Excommunic. 5. casu 4.* Caietano *verb. Excommunic. c.58.* (qui rem optimè tractat) Henriquez *lib.13. c. 8. n.2. & 3.* Auila de *Censuris p. 2. c.6, disp. 10. dub.2.* Soario *disp. 10. sect.2. conclus.1.* alijsque multis neminem incurrere eam excommunicationem maiorem

Quinam incurrant excõm. maiorem ob cõmunionẽ cum excõm. a Papa iuxta Authorem.

nec peccare mortaliter participando in humanis etiam cum excommunicatis à papa; nisi sit Clericus, & recipiat excommunicatum à Papa ad Diuina officia scienter, & spontè; quia omnia hæc requirit textus ipse. Item ex ipsâ consuetudine (vt notant Caietanus. Antonin. Sotus, Adrianus, & non nulli alij citati) constat requiri, vt excommunicatus à Papa fuerit nominatim excommunicatus. Quod si sufficeret esse excommunicatum à Papa, sequeretur omnem Clericum, qui in Diuinis communicaret cum excommunicatis à Iure communi, & cum excommunicatis in Bullâ Cœnæ, incurrere excõmunicationem reseruatam Papæ; omnes enim illæ excommunicationes sunt à Papa; Quod tamen (vt notat Suarius) inauditum videtur, & præter omnẽ vsum. Solùm ergo incurritur per cõmunicationẽ cum excõmunicato nominatim à Papa, & post Concilium Constantiense requiritur etiam, quod sit denuntiatus, vt rectè tradit Nauarrus *c. 27 n 93.* & Henriquez *suprà*, videturque fauere Suarius *suprà.*

498. Ex quâ doctrinâ infertur hanc excommunicationem maiorem illius capitis nullo modo incurri à laicis, imò nec à Clericis, nisi comparatione horum adsint omnes illę conditiones nimirum *quòd participent recipiendo scienter, & spontè ad diuina excommunicatum nominatim à Papa, & denuntiatum.* Ideò excusatur ab hac excommunicatione Clericus, qui non admittit talem excommunicatum ad officia Diuina, licèt cum illo assistat Missæ sicut priuatus aliquis, & tanquam vnus de populo, vt rectè notarunt Caietanus Nauarrus, Henriquez, & Armill. *suprà* a. 24. alijque recentiores, contra Couartuuiam.

hanc excõm. illius capitis non incurratur a laicis.

499. Excusatur etiam saltèm pro foro conscientiæ ab excommunicatione Clericus, qui prædictum admitteret ex metu grauis damni, etiamsi metus esset leuis, quia non spontè admittit. Ita Caietanus, Syluest. & alij. Item excusatur, qui ignorat etiam ignorantiâ crassâ hunc esse à Papa excommunicatum, & denuntiatum, quia Textus dicit *scienter*. Ita Henriquez *suprà*, colligitque videtur ex doctrinâ generali, quam tradit Nauarrus *c.27. n.141.* philosophandumque est in hac re iuxta dicta à nobis *suprà dub.23. à 3. vnde colligit nu. 319.* vbi cùm Sanchez, & alijs ostendimus prædictam ignorantiam excusare ab incurrendâ Censurâ eo quòd lex requirit scientiam ex parte delinquentis. Illud mihi verum apparet sufficere ad incurrẽdam hanc excommunicationem, si Clericus admittat talem excommunicatum ad recitandas horas Canonicas, etiam priuatim, & extra Ecclesiam, vt rectè notat Armilla, & Couarr. *suprà* cum Syluestro *supra n.12.* Item Henriquez *suprà* contra Somm. Est autem huiusmodi Excommunicatio reseruata Papæ, vt constat ex ipso Texto.

Excusatur etiam Clericus ab illa in casu.

Casus sufficiens ad incurrendam hanc excõm. iuxta Authorem.

500. Habemus ergo sex conditiones requisitas vt incurratur hæc excommunicatio maior.

Sex cõditiones requisitæ vt incurratur hæc excomm maior.

501. Prima, quòd communicans sit Clericus: est certa & patet ex Textu.

Prima.

502. Secunda, quod communicatio fit in Diuinis, non quomodocumque sed admittendo talem excommunicatum à Papa ad Diuina officia intra Ecclesiam, vel extra; nec sufficit quod

Secunda. quod communicatio fiat in diuinis.

Clericus

Clericis cũ illo intersit Diuinis officijs, tãquàm vnus de populo; quia minorem tantùm tunc Excommunicationem incurret. Ita Caietan. *verb. Excommunic.c.* 58. Nauarrus c. 27. *n.* 93. Armilla *n. illo* 24 Henriquez, & Auila *suprà*. contra Couarr. Quod verò sufficiat admittere ad recitandas Horas extra Ecclesiam, docet ibi Armilla, & Couarr. 1.p. §. 3. Syluest. *Excommunic.* 7. *n.* 12. Henriquez, & Auila *suprà* contra Sotum; probaturque ex Textu, qui vniuersaliter loquitur.

Tertia

503. Tertia est, quod id facienti faciat sciens esse excõmunicatum à Papa; quia Textus dicit scienter, vt notatum est. Vnde ignorantia, etiam crassa excusat.

Quarta.

504. Quarta, quòd faciat sponte. Vnde quicunque metus, etiam leuis excusat à Censurâ, si fuit causa, sine quâ non; licèt non excuset fortè à peccato. Ita Caietanus, Syluest. Couarr. Nauarrus, Auila *suprà*.

Quinta.

505. Quinta quòd nominatim, & per sententiam particularem sit excommunicatus. Ita Caietanus, Nauarrus, Antoninus, Sotus, Adrianus, Suarius, Auila *suprà*.

Sexta.

506. Sexta denique est quod sit denuntiatus. Ita Nauarrus, Henriq & Auila suprà, & indicat Suarius. Hæc placuit quasi in Synopsi repetere & simul ponere, vt in promptu & simul habeatur pro praxi.

Casus 2. est participatio scienter in crimine criminoso.

507. Secundus casus, in quo, non solùm homo peccat mortaliter communicando, etiam in humanis; sed etiam incurrit excommunicationem maiorem, est propter participationem scienter in crimine criminoso, id est in illo peccato, ob quod alter fuit excõmunicatus; & satis est, si participet in eo crimine, vel cooperando, vel dando Consiliũ, auxiliũ, vel fauorem; atq; hæc excommunicatio non potest absolui; nisi ab eo, à quo solùm potest absolui ille excommunicatus, cum quo participat. Omnia hæc habentur *in c. nuper & c. Si concubinæ de sententia excommunicationis.* Ita Sotus *citatâ q.* 1. *art.* 4 *conclus.* 3. *casu* 1. Syluest. *excommunicatio* 5. *n.* 6. *notabili* 3. & *Excommunic.* 8. *n.* 10. Angelus *excommunic.* 8. §. 1. & 2. Couarr. §. 3. *n.* 5. Caietanus *Excommunic. c.* 57. Armilla *Excommunicatione* 25. Henriquez *c.* 9. *n.* 1. Suarius *disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 7. Antonin 3. *p. tit* 24. *c.* 35. & alij multi posteà referendi. Duplex autem redditur ratio in illis duobus capitibus citatis: prima est, quia agentes, & consentientes pari pœnâ puniri debent: Secunda, quia offendit excommunicantem; atque adeò dignus est pœnâ ab eo latâ. Vnde, si lata sit pœna, seu Excommunicatio contra concubinarium, eo quòd noluerit concubinam domo expellere, præbens auxilium, fauorem, & consilium concubinario ad retinendam domi concubinam, non solùm peccat mortaliter; sed maiorem incurrit Excommunicationem; quia participat in crimine criminoso. Similiter iudicandum de impediente aliquem, ne restituat; de hoc enim censendum est incurrere eandem excommunicationem, quam incurrit, qui non restituit. item, qui dat Concilium percussori Clerici denuntiato excommunicato, ne exeat ab illâ excommunicatione non solum peccare grauiter; sed affici maiori excommunicatione.

Duplex Ratio.

508. De dante etiam consilium, vel fauorem, vt aliqui consanguinei, vel affines contrahant Matrimonium intra gradus prohibitos scienter celebrando iuxta Clementinam vnicam de *Consanguinit. & affinit.* esse Excommunicatum, quoties hoc modo participat in crimine criminoso, dixerunt nonnulli.

509. Sed in hac re, & similibus mihi magis placet doctrina, quam sequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrimonio disp.* 48. vbi loquens *n.* 3. de consulentibus, & mandantibus, atque opem ferentibus ad matrimonium inter consanguineos, & affines, affert quidẽ prædictã sententiam, quod tales incurrant, pro quâ refert Rosellam, & Syluestrum; ipse tamen sequitur oppositum cum Caietano *verb. Excommunicatio c.* 47. Armilla *casu* 45. Tabiena *Excommunic.* 5. *casu* 49. Nauarrus in Summâ c. 27. in Hispana quidem *n.* 142. in Latina *verò n.* 141. Petrus de Ledesma *de Matrimonio q.* 55. *art.* 9. *dub.* 1. Fundamentum verò est, quia dicta Clementina vnica solos ineuntes Matrimonium excommunicat. Ex quo infert Sanchez cum Petro de Ledesma non incurrere hanc excommunicationem Procuratorem, per quem initur Matrimonium, nec Parentes, qui nomine filiorum consensum in Matrimonium explicant, quia hi non sunt verè contrahentes Matrimonium; sed verorum contrahentium instrumenta. Itaque neque prædictæ Clementinæ Excommunicationem incurrunt prædicti iuuantes, & consulentes; nec Excommunicationem, de qua antea dicebamus *in c. Nuper, & in c. Si concubina*, nam in prędictis capitibus excõmunicãtur (vt diximus) omnes participantes consilium, auxilium, vel fauorem præstando in crimine, ob quod contraxit alter Excommunicationem; quod in talibus fauentibus, & consulentibus prædictum matrimonium non contingit; quia verior sententia est desiderari ut is, quo cum in crimine participatur, iam incurrerit excommunicationem, & sit nominatim excõmunicatus, vt expressè requiritur in dicto c. *Nuper* & dicemus posteà iuxta quod intelligẽdum est dictum c. *Si Concubina*, quamuis huius conditionis non meminerit; imò, cùm ibi requiratur scienter participare cum excommunicato, & scientia excommunicationis post Concilium Constantiense sit eius denuntiatio. ideò meritò idem Sanchez, cum Nauarro, quem ibidem refert, & cum Henriquez *lib.* 13. *de Excommunic. c.* 9. *n.* 1. & 2. & cum Sà *in Summa verbo Excomm. n.* 24. *in principio* requirit, vt excommunicatus, cum quo in crimine participatur, sit priùs denuntiatus. Imò rectè addit Henriquez *eodem n.* 2. non satis esse, quòd quis sit notorius Clerici percussor; quia quamuis id sufficiat, vt vitandus sit; non tamen verè est nominatim excommunicatus donec propriè talis denuntietur; quæ conditio requiritur in dicto. c. *Nuper*, vt participans cum illo in crimine incurrat excommunicationem ibi latam. Cùm ergo participantes in prædicto Matrimonio, antequàm iniens contraxerit excommunicationem (quæ per ipsum contractum iam de facto initum incurritur) talem fauorem, vel consilium præbeant, non incurrent ipsi excommunicationem, quæ non supponitur in contrahente; imo, etiamsi contrahens suppo-

Notorius Clerici percussor licet vitandus, non tamen verè est nominatim excommunicatus donec propriè talis denuntiatur.

natur

natur incurrisse, si nondum sit denuntiatus, non ligabuntur participantes post Concilium Constantiense in excommunicatione latâ contra participantes in crimine criminoso; atque hâc ratione intelligendi sunt Auctores, quos retulimus in hoc secundo casu, dùm dicunt talem participantem scienter in crimine criminoso incurrere excommunicationem maiorem. Nempe, si concurrant conditiones ad id requisitæ, quæ possunt ad quatuor reduci, quas subijcio.

Conditiones 4. requisitæ vt participãs in crimine criminoso incurrat excommunic. maiorem.

Prima conditio.

510. Prima conditio est vt quis communicet cum excommunicato in crimine postquàm iam erat excommunicatus, vt si consulas, ne restituat ille, qui erat Excommunicatus ob furtum; qui enim dedit consilium, vt faceret furtum, cui annexa est Excommunicatio, non incurrit excommunicationem; nisi excommunicatio alioquin lata esset contra furantes, & consilium dantes &c. Itaque generaliter non incurrit communicans in primo actu, propter quem criminosus principalis ligatur excommunicatione; in hoc enim casu criminosus principalis nondum est excõmunicatus, cum tamen *in c. Nuper* sermo sit de participante cum excõmunicato.

Secunda cõditio vt cõmunicet in illo eodem crimine propter quod erat excommunicatus.

511. Secunda conditio est vt communicet in illo eodem crimine propter quod erat excommunicatus, vt ipsa Iura exprimunt, & Auctores omnes. Vnde qui auxiliatur excommunicato non in crimine, propter quod est excommunicatus; sed in alijs criminibus, peccat quidem mortaliter, si crimina sint mortalia; non tamen incurrit excommunicationem maiorem; sed minorem tantùm.

512. Hanc infert Panormitanus *in c. si Concubinæ*, quid, si laicus cognoscat carnaliter concubinam Clerici, quæ propter hoc erat excommunicata, non incurrit maiorem excommunicationem, quia crimen damnatum, ob quod erat excommunicata est sacrilegium; si tamen esset excommunicata propter fornicationem, incideret. Eodem modo ait Suarius suprà, si quis excommunicatus sit ob furtum factum in Ecclesiâ, qui posteà communicat cum eo in furto facto alibi; non incurret in hanc, secus verò si sit excommunicatus absolutè quia est fur.

Distinctione hac in re opus esse ait Author.

513. Doctrina quidem Suarij maximè propter hoc vltimum, quod dicitur absolutè, quia est fur, mihi placet; sed adhuc distinctione opus est in hac re; tùm pro illatione Panormitani, tùm pro illatione Suarij. Nam, si in exemplo Panormitani in illa fœmina fuisset excommunicata propter concubinatum, quem exercebat cum illo Clerico, ab eoque concubinatu monita non tecedebat, ita, vt excommunicatio ferretur non absolutè contra ipsam, quia semel, aut iterum peccauit, aut, ne si peccaret cum illo Clerico; sed, quia concubina erat illius, id est habens consuetudinem cum illo manendi, & concubendi, vt ab eâ consuetudine per Censuram remoueretur: tunc sané non tantùm, si laicus, verum etiamsi Clericus alius quicumque distinctus ab illo concubinario talem fœminam carnaliter cognosceret, non incurreret Excommunicationem maiorem latam *in c. Nuper* de quâ agimus. Cuius ratio est, quia non communicat cnm tali fœmina in eo ipso concubinatu, propter quem illa est excommunicata; quia solùm excommunicata fuit propter concubinatum cum alio Clerico, vt ab illo recederet; concumbere autem cum illâ alium Clericum diuersum, non est cooperari aliquo modo ad priorem concubinatum: sed potiùs posset esse medium auertendi ab illo, propter quem erat excommunicata. Si autem absolutè talis fœmina excommunicata esset propter delictum in genere concubinatus sacrilegi cum persona sacra, quæcumque illa sit, vt auerteretur a tali consuetudine, tunc sanè locum habere potest illatio Panormitani, quatenùs restringit doctrinam ad laicum carnaliter cognoscentem concubinam Clerici; tunc enim solus laicus excusaretur, non Clericus. Ita videtur sentire Auila *suprà*.

514. Eodẽ modo in exemplo Suarij de furto, si quis enim excõmunicatus sit ob furtũ factum in Ecclesiâ, donec rem illam restituat, quã furatus est, etiamsi alius communicet cum illo in alio simili furto facto etiam in Ecclesia, & in eâdem Ecclesiâ præbens ad id consilium, vel fauorem &c. non incurret excommunicationem maiorem contentam in c. *Nuper*, quia non communicat cum illo in eo crimine, propter quod iam erat excommunicatus; sed in alio simili non contento in illâ excommunicatione; Excõmunicatus enim erat fur Sacrilegus propter furtum præcedens, & retentionem illius, vt ab illo emendaretur; non propter furtum sequens, quod posteà fit, ille autem communicans cum tali excõmunicato non communicat cum illo in crimine, propter quod fuit excommunicatus; sed in alio crimine; propter quod nondum est excommunicatus, quando illi dat consilium, vel fauorem.

Cõmunicãs cum excõm. ob furtum in Ecclesia in alio furto etiam in Ecclesia non incurret excomm. hanc Ratio.

515. Imò etiamsi supponamus esse latam excommunicationem conira furantem in Ecclesiâ, non incurret excommunicationem c. *Nuper* ille, qui consilium præberet ad secundum furtum in Ecclesiâ. Nam tale consilium non est ad perseuerandum in alio furio iam facto, propter quod Sacrilegus ille fur est excommunicatus; sed ad patrandum aliud furtum, propter quod, vt poté nondum de facto commissum, nondum est secundò excommunicatus, cum tamen necessarium, sit, vt talis participans & cõsulens excõmunicetur, quòd principalis criminosus sit iam excommunicatus propter illud ipsum crimen.

516. Si tamen quis excommunicetur propter consuetudinem, quam habet furandi Sacrilegè, aut etiam furandi absolutè, vt ab eâ cõsuetudine recedat, tunc vera est illa doctrina Suarij, quod cõmunicans in crimine quocumque furti cum tali excommunicato, incnrrit excommunicationem contentam *in c. Nuper*; quia nimirum tunc communicat in ipso crimine, propter quod principalis criminosus est excommunicatus; quamuis enim furtum, quasi de nouo committitur, non sit vnum ex furtis præcedentibus ratione quorum iste criminosus, tanquàm fur erat excommunicatus, vt à consuetudine furandi recederet; nihilominùs furtum illud sequens est quasi continuatio quædam illius consuetudinis furandi, propter quam vt illam desereret, fuerat iam excommunicatus ille criminosus, & eodem modo philosophandum est de concubinâ Cle-

rici circa exemplum Panormitani. Quamuis enim concubitus cum alio Clerico non sit concubitus cum præcedenti, nec secundus Clericus suo peccato iuuet, aut communicet in crimine præcedenti, si tamen fœmina illa excommunicata fuit propter consuetudinem fornicandi sacrilegè absolutè, & in vniuersum; sufficit peccatum commissum cum secundo Clerico, vt per illud censeatur adhuc perseuerare in ea consuetudine fornicandi sacrilegè sicut de furto explicatum est.

517. Verum quidem est ex alio capite posse excusari etiam hunc communicantem cum tali criminoso excommunicato propter consuetudinem; quia scilicèt, semel, aut iterum participare cum illo non est participare in consuetudine, vt iam proximè dicimus.

518. Colligit secundò Henriquez & Auila cum alijs Recentioribus, quòd confirmat doctrinam proximè à nobis traditam, quod si fœmina excommunicata sit ob concubinatum; qui ter, aut quater cognosceret eam, non incurreret hanc excommunicationem maiorem, quia Concubinatus significat consuetudinem vitij, & vnus actus repetitus non facit consuetudinem vitij.

519. Tertiò colligit Auila, quòd licèt, si sciam Petrum excommunicatum, quia non restituit, vel satisfacit, incurram excommunicationem maiorem dando illi Concilium, ne satisfaciat; non tamen incurram, si solùm adiuuem illum, ne capiatur à Iudice eo solo animo, ne suspendatur, vel publicè flagelletur.

Tertia conditio est. 520. Tertia conditio est, vt communicans in crimine sciat illum, cum qua communicat, esse excommunicatum ob tale crimen; quia *c. Nuper* habet patticulã illã *scienter*. Vnde, vt docent Henriquez, Avila, & alij citati, & constat ex dictis excusatur, qui per ignorantiam, etiam crassam, participat in crimine iuxta dicta in hac dubitatione, & *dub. 23. citatã.*

Quarta conditio. 521. Quarta conditio est, vt participatio sit cum excommunicato nominatim, quia caput nuper sic ait, *is qui nominatim excommunicato communicat scienter in crimine criminoso*, & hanc conditionem requirunt Antoninus, Syluest, Armilla, Sanchez, Henriquez *suprà*, Auila *p. 2. c. 6. disp. 10. dub. 3.* Suarius *disp. 17. sect. 2. n. 5.* Addit verò Sanchez *citato lib. 2. c. 10.* (vt suprà notauimus) & cum eo Auila *dub. 3. & 4.* Henriquez *c. 5. n. 2. in fine. & c. 9. n. 2. in principio*, Reginald. *lib. 32. n. 96.* alijque multi Recentiores, esse necessarium non solùm, vt sit nominatim excommunicatus; sed etiam, vt sit denuntiatus iuxta Constitutionem Concilij Constantiensis, *Ad euitenda* quia hæc excommunicatio non incurritur; nisi per perticipationem cum excommunicato non tolerato, & per illam Constitutionem aufertur Ecclesiastica prohibitio, ita, vt tantùm maneat ab Ecclesiâ prohibitum participare cum denuntiatis, vel manifestis Clerici, percussoribus, quidquid in contrarium teneant Caietanus & Sotus, imò (vt etiam *suprà* cum Sanchez notauimus, & probauimus, & docent Auila *suprà dub. 4.* & Henriquez *suprà*) ille qui cum notorio Clerici percussore participat in crimine criminoso non incurrit eandem excommunicationem, quia non imponitur, nisi participanti cum excommunicato per iudicem nominatim, & (vt suprà diximus) ille non est nominatim excommunicatus; quantùmuis sit manifestus Clerici percussor. Idem docet Sà *Excommunic. n. 24.*

522. Respondet tamen Caietanus, & probare intendit oppositum quia licèt *in c. Nuper* apponatur illa conditio, vt scilicèt participatio sit scienter cum excommunicato nominatim; tamen postea *in c. si concubinæ*, absolutè dicitur incurri ob participationem cum excommunicato in crimine criminoso, & huic capiti est standum quia posterius est. *Oppositum probare contendit Caietanus.*

523. Facilè tamen respondetur, & reijcitur; nam in eo capite. *Si concubinæ*, non condidit Pontifex nouum Ius; sed declarauit illos Clericos incurrisse *per c. Nuper*. Vnde satis est quòd ibi apponatur hæc conditio. *Reijcitur.*

524. Sotus verò putat incurri per perticipationem in crimine criminoso cum excommunicato, etiamsi non sit denuntiatus nec Clerici percussor. Vasquez verò olim probabat, quia Concilium Constantiense tantùm concessit communicationem in fauorem excommunicatorum. Vnde, sicut ipsis excõmunicatis conceditur communicatio, quæ concernat vtilitatem, & commodum aliorum, ita etiam alijs scilicèt non excommunicatis non concessit communicationem, quæ concernat commodum, & vtilitatem Excommunicatorum; aliàs in aliquo fauisset ipsis excommunicatis, quod est contra expressa verba Concilij. Vnde (inquet Vasquez in antiquis manu scriptis) etiam post Concilium Constantiense manent prohibiti fideles communicare cum excommunicatis denuntiatis, quando talis, communicatio est directè in commodum excommunicati; & quia hæc, de quâ loquimur, est fauor excommunicati, ideò manet prohibita, sicut anteà.

525. Hanc tamen sententiam posteà inuenio mutatam apud Vasquez in posthumis *de Excommunicatione dub. 10 n. 7. & 8.* vbi absolutè concedit nostram sententiam, vt sequenti constabit; nec argumentum antiquum Vasquij aliquid probat; respondetur enim quòd Concilium absolutè concessit, vt non teneamur vitare excommunicatos nisi sint denuntiati. semperq; hic est fauor respectu non excommunicati, quòd scilicèt nullo modo teneamur vitare, & multò maior fauor, quam, si in aliquibus casibus teneamur vitare, quidquid autem est fauorabile fidelibus concessit Concilium in vtilitatem animarum, ne peccatis grauarentur; & licèt ex hoc fauore fidelium colligamus aliquid concessum ipsis excommunicatis, scilicèt, vt possint communicare in vtilitatem nostram, non mirum est, quia fauores sunt ampliandi. Ex eo verò, quod Concilium in nullo voluit excommunicatis fauere, non potest colligi, quòd non possimus cum illis communicare in ijs, quæ concernunt vtilitatem eorum; quia odia sunt restringenda; neque hoc dicemus nobis concessum, quatenùs cedit in eorum commodum sed quatenùs cedit in nostrum; est enim magnum nostrum commodum non grauari illa obligatione, & præcepto Ecclesiæ. Vnde dicimus participantem in crimine cum excommunicato non denuntiato, pec- *Concilium Constantiense absolute concessit vt non teneamur vitare excommunicatos, nisi sint denuntiati.* *Et hoc non in commodũ excomm. sed in nostrum*

peccare quidem; sed contra Ius naturæ; non verò contra Ecclesiæ prohibitionem, quæ nulla est; atque adeò nec incurrere excommunicationem, quæ, nisi propter contumaciam non incurritur. Atque hæc videtur esse sententia Suarij *disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 19. & *disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 5. quatenus dicit Concilium concessisse fidelibus omnem communicationem externam cum excommunicatis non denuntiatis. Vnde docet non peccare, qui eos excommunicatos sepeliunt in loco sacro, & expresse eam sententiam tenet *disp.* 17. *sect.* 2. *n.* 5. Nam *verba* (inquit) *extrauagantis generalia sunt, & auferre illam prohibitionem, utile fuit fidelibus ad vitanda scandala, & pericula, qui fuit finis illius extrauagantis.*

526. Idem latè probat Auila *suprà*, quia, cùm sit fauorabilis illa Constitutio, extendenda est, & quia lex disponens indistinctè de genere, vendicat sibi locum in omni eius specie *c. Solitæ de maiorit, & obedientia*: ergo Concilium Constantiense non solùm moderatur excommunicationem minorem (de quâ moderanda putant aliqui solùm ibi esse sermonem) sed etiam maiorem. Tertiò, quia Concilium voluit vitare scandala fidelium in participatione in crimine criminoso, ex quâ maius imminebat scandalum & periculum. Quartò; quia propter hanc rationem Pontifex *in c. Nuper*, noluit quòd incurreretur hæc maior excõmunicatio; nisi propter participationem cum nominatim excommunicato.

Aduertendum non sufficere quãcumq; communicationẽ cum excõm. vt incurratur maior excomm.

527. Est etiam vlterius aduertendum circa hanc excommunicationem non sufficere quamcumque communicationem cum excommunicato, vt incurratur maior Excommunicatio, etiam propter cooperationem in crimine; nam, si sit adeò leuis, vt pro nihilo habeatur, non erit peccatum mortale, atque adeò, nec sufficiens ad incurrendum maiorem Excommunicationem. Ita Nauarrus. *c.* 27. *n.* 112. Caietan. *verb. Excommunicatio c.* 57. Auila & Reginald *suprà* Filliucius *Tract.* 12. *c.* 9. *n.* 222. Henriquez *lib.* 13. *c.* 9. Sayrus *lib.* 2 *c.* 11. & alij.

Notandũ 2.

528. Notandum etiam vlterius hanc excommunicationem ob participationem in crimine criminoso esse à Iure, non ab homine, etiamsi ipse excommunicatus, cum quo fit participatio sit ab homine, vt rectè notauit Syluest. *Excommunic.* 8. Couarr. 1. *p.* §. 3. *n.* 5. Suarius *disp. illâ* 17. *sect.* 2. *n.* 7. & patet *ex ipso c. Nuper* ibi *non Iudicis, sed Iuris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus*. Vnde rectè inferunt Antoninus, & Syluest. quòd sic participans ligatur in quocũque territorio sit. Colligit etiam Nauarrus quòd quoties participat, toties incurrit, quod etiam consequenter dicitur.

Incidit in hanc excõm. Iudex participans cum excõmunicato a se in crimine criminoso.

529. Colligit item Suarius, quòd si ipse Episcopus, aut Iudex, qui aliquem excommunicauit participet in crimine criminoso cum illo homine à se excommunicato, incidit in hanc excommunicationem, sicut & omnes præter Papam, communicando in alijs cum excommunicatis; Papa verò non incidit, quia non subijcitur Iuri Canonico, saltèm quoad vim coactiuam. Legantur, quæ diximus *disp.* 1. *dub* 7. *nu.* 141. §. *obijcies tamen primò*. Vbi cum alijs diximus incurri Censuram ab Episcopo communicando in crimine criminoso cum excommunicato à se.

Excipitur Papa.

Notandum vltimo approbantem crimen suo nomine factum incidit in excomm.

530. Vltimo aduertendum est eum qui ratum habet, & approbat crimen suo nomine factum, participare in crimine criminoso, & incidere in excommunicationem. Ita Syluest. *Excommunic.* 10. *q.* 4. & alij illum sequuti; talis enim ratihabitio æquiparatur mandato. Regul. *Rati habitionem. de regul. Iur. in* 6. & *c. Cum quis de sentent. Excommunic. in* 6. qui autem approbat, quod non est suo nomine factum, non dicitur in crimine criminoso participare, nec incurrere, vt ibidem habetur, & docet Gloss. ibi, & Tabiena *Excommunic.* 5. *casu primo n.* 34. Couarr. *Clemẽt. furiosus* 2. *p.* §. 1. *n.* 6. vbi rectè probat quod primus per illã ratihabitionẽ non incurrit Irregularitatem, & secundus non tenetur ad restitutionem. Quã de re legi potest Nauarrus *c.* 17. *n.* 133. & nos docuimus cum multis *in nostro opere de Institiâ Tract. de Restit. disp.* 4. *dub.* 5. *asserr* 3.

non ita qui approbat factum non suo nomine.

Tertius casus in quo etiam incurritur excomm. maior etiam in humanis est.

531. Tertius casus, in quo incurritur Excommunic. maior etiam in humanis communicando cum excommunicato, est, quando à Iudice fertur excommunicatio contra participantes cum aliquo excommunicato, si Iurè, & debitè ponatur, ita, vt sit valida. Debitè autem ponitur, & est valida, quando Iudex generaliter præcipit sub excommunicatione latæ sententiæ, vt nemo alloquatur, aut participet cum excommunicato à Iure, vel ab alio Iudice non subordinato; tunc enim omnes alloquentes, aut participantes cum illo & mortaliter peccabunt & maiorem excommunicationem incurrent. Si tamen excommunicet generaliter omnes alloquentes, aut participantes cum excommunicato à se, vel (vt addit Henriquez suprà) ab alio eiusdem Tribunalis inualida est, & nulla talis excommunicatio. Ideo participantes in humanis non peccant mortaliter; nec incurrunt maiorem excommunicationem, etiam si in Diuinis participent; vt enim sit valida excommunicatio contra participantes cum excommunicatis à se, non debet generaliter ferri contra omnes participantes; sed specialiter contra aliquos nominatim expressos, ex præmissâ trinâ monitione, vel vnâ pro tribus cum interuallo dierum. Ita expressè statuit Innocent. Tertius. *c. statuimus de sentent Excommunic. in* 6. & adhuc expressiùs Greg. 10, *c. Constatutionẽ* & *c. statutum*, eodem libro, & titulo, vbi dicit debere nominatim exprimi ipsos monendos, quibus imponitur excommunicatio, & quòd aliter sit nulla. Vnde non possum non mirari Sotum *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *post* 3. *conclusionem casu* 4. illam particulam *nominatim* referre ad ipsum excommunicatum, cum quo alij iubentur non communicare, ita, vt ille debeat esse nominatim excommunicatus; non verò ipsi communicantes. Verùm in hoc nulla relinquitur dubitandi ratio ex textu ipso, vbi statuit Pontifex debere exprimi nominatim illos, qui monentur, ne communicent, & aliter esse nullam sententiam excommunicationis in eos promulgatam. Atque ita expressè docet Angelus. *Excommunic* 3. *n.* 17. *casu* 14. Syluest. *Excommunic.* 2. *n.* 1. *casu* 9. Gabriel *dist.* 18. *q.* 3. *art.* 2. *conclus.* 2. Couarr. 1. *p.* §. 3. *n.* 6.

Debent nominatim exprimi ipsi monendi quibus imponitur excomm.

Putant aliqui sufficere generalem monitionem. 532. Putat autem Couarr. cum Hostiensi in dicto *c. statuimus* & Panormitano *c. Peruenit. de appellat.* sufficere generalem monitionem ad incurrendam excommunicationem generaliter latam tantùmque requiri monitionem particularem, & nominatim ad hoc, vt prædicti nominatim excommunicentur, & denuntientur; quia sic est in praxi receptum.

Author putat illam nõ sufficere in hoc casu vt incurratur excomm. maior. Ratio. 533. Nihilominùs non puto sufficere generalem monitionem in hoc casu, vt incurratur excommunicatio maior, quia (vt rectè expendit Glossa *in dicto c. Constitutionem.*) Si sufficeret monitio generalis ad generalem excommunicationem incurrendam, & specialis monitio tantùm requireretur ad specialem excommunicationem nihil omnino speciale concessisset Pontifex in hoc casu; quod non esset in alijs concessum. Quod est cõtra expressum animũ Pontificis dicentis in hoc casu requiri monitionẽ specialẽ quâ exprimantur nominatim, qui monentur. Ideò cũ Glossâ id docet expresse Angelus, & Gabriel *suprà*, Nauar. *c.27.n.4.& n.36.§.ad 4. & n.165.* Gutierres *in quæstionibus Canonicis c. 4. n.32.* Henriq. *lib.13.c.8.n.1.* Rodriguez *in Summà c. 75.* Suarius *disp. 3. sect. 12. in fine* & *disp. 15. sect. 2. in fine.*

Ad argumentum autem illud de praxi recepta respondent, quòd sicut Iudices sunt in possessione ferendi sententiam excommunicationis contra participantes cum solâ monitione generali, vt procedant vlteriùs ad Interdictum aliasque Censuras: ita etiam subditi sunt in possessione non parendi, & non se reputandi excommunicatos.

Suarius probabile putat omnes excomm. in participantes cum excomm. latas nisi nominatim moneãtur esse nullã. Ratio. 534. Addit etiam Suarius *citatâ sect. 12 in fine,* si solùm respiciamus ad ipsa Iura, probabile videri, quod omnis excõmunicatio lata in participantes cum excommunicatis, siue à se, siue ab alio; nisi nominatim moneantur sit nulla, quia licèt caput *Statuimus* loquatur de participantibus cum excommunicatis à se: in conclusione tamen illius decreti absolutè dicitur *aliter excommunicatio lata in participantes cum excommunicatis non teneat*, & *c. statutum* & *c. Constitutionem,* refertur prædicta lex sine illâ *limitatione*, & verbo *ab eodem Iudice.* Et, quia materia est fauorabilis extendenda videtur, sed prior opinio (inquit) Suarius est magis Iuridica.

Auila præter monitionem requirit vt etiam nominentur ipsi excommunicati & sic intelligit Sotum. 535. Auila *p.2.c.6. disp. 10. dub. 5.* sic intelligit Sotum *suprà* citatum, vt præter Canonicam monitionem præceptam in dictis Iuribus, adhuc requiratur, vt nominentur ipsi excommunicati, cum quibus præcipitur ne communicetur, ita, vt, si Iudex dicat *excomm.* omnes participantes cum excommunicatis huius Vrbis, atque etiam addat cum nominatim excommunicatis, vel notoriè percussoribus Clericorum, non valeat iuxta Sotum talis excommunicatio; nisi nominet in particulari ipsos excommunicatos, vt dicendo cum Petro, vel cum Prætore, nec sufficere, si dicat cum ministris Iustitiæ, aut cum Senatoribus. Fundamentum Soti est, quòd ex opposito magna sequeretur parturbatio, & confusio in Republicâ.

Alij absolutè reijciunt opinionẽ Soti. 536. Alij tamen absolutè reijciunt hanc Soti sententiam, vt potè nullo fundamento, & Textu nixam. Alij verò eam sequuntur, in quibus est Auila *suprà*, quia si illa excommunicatio valeret, esset illaqueare animas, quod est præter Ecclesiæ intentionem. Esset tamen valida (inquit Auila) quantum ad participantes cum excommunicatis ab alio, si poneretur sub hac formâ *Excommunico* omnes scienter participantes cum excommunicatis non toleratis huius vrbis. Nam ex quo per particulam scienter requiritur dolus cessat confusio. Nihilominùs, quamuis hæc probabilia sint, verior & magis Iuris conformis videtur doctrina præcedens quòd tantùm in excommunicatis ab alio non requiratur; & quod prædicta omnia requirantur in excommunicatis ab ipso Iudice. Nec sequetur magna confusio, si talis excommunicatio cum cæteris requisitis feratur.

537. Verosimiliùs autem est quod ait Auila requiri scilicèt quod excommunicati, cum quibus prohibitur participare, debeant esse non tolerati; nam, si sint tolerati; sicut non incurritur minor excommunicatio Iuris, ita nec maior Iudicis. Et quidem id videtur valde rationi consentaneum; alioquin posset Iudex inferior Papâ priuare fideles Iure, & libertate concessâ in Iure communi, qualis est illa Concilij Constantiensis. Nam, si incurreret excommunicationem maiorem, qui sic participat cum excommunicato tolerato, eo ipso careret libertate, & fauore concesso in Concilio Constantiensi, atque hoc solùm auctoritate Iudicis inferioris. *Author Iudicat verosimilius quod docet Auila. Ratio.*

538. Notat etiam Auila circa prædictam excommunicationem contra participantes cum excommunicatis, quòd, si prætermittatur monitio Canonica scilicèt tres monitiones, vel vna pro tribus, non solùm erit illicita excommunicatio; sed etiam inualida, & irrita; id enim expresse dicitur in in prædictis Iuribus, idque docere videntur Angelus, & alij maximè Suarius *disp. illâ 3. sect. 12. n. 4.* Consonatque cum doctrina, quam tradidimus *disp. 20.* ibi legatur. Vnde in hoc speciali casu, de quo agimus, non solùm requiritur, quòd hi, qui monentur, nominatim exprimantur; sed etiam, quòd monitio sit Canonica, & aliter excommunicatio sit irrita, quòd voluerunt Pontifices in hoc speciali casu vt coërcetur nimia licentia Iudicum cum animarum periculo, qui seueriùs student; & curant obseruari excõmunic. à se latas, potius quam ab alijs. Vnde hoc speciale constitutum est in isto casu, & similiter in Censuris latis à Iudice delegato, si Iurisdictionem accepit sub hac expressâ conditione, vt Canonicam monitionem præmittat; quia tali casu forma datur Iurisdictioni, & non Iudici. Ita Suarius *suprà*, & Auila *c. 5. disp. 5. dub 9.* *Notat Auila circa prædictam excõm. contra participantes cũ excommunicatis.* *Si monitio non sit Canonica excomm. nulla est.*

539. Quæret tamen aliquis an, licèt concedamus prædictam excommunicationem generaliter latam contra participantes cum excommunicatis à se esse nullam; & præceptum nihilominus Iudicis obliget ad mortale? *Quæres. An saltem præceptum Iudicis obliget sub mortali in illo casu.*

540. Affirmat Nauarrus *in Summâ Hispana c. 27. n.31. & 47.* Corduba *in Summa q. 179.* & indicat Sotus *suprà*, probarique potest primò; quia intentio Iudicis fuit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ. Secundò; quia quoties præcipitur sub excommunicatione non latæ; sed comminatoriæ senteniæ, obligatio est sub mortali, *Affir. Nauarrus. Ratio 1. 2.*

3\. tali, vt tenet communis opinio. Tertiò; quia in alijs casibus, quamuis Iudex excommunicet non præmissâ monitione Canonicâ præceptum nihilominus illius obligat ad mortale: ergo &c.

Probabilius negat Author. Ratio

541\. Probabilius omninò est non obligare ad mortale in nostro casu, quia Ius Pontificium prohibuit Iudicibus, ne ferant talem sententiam, & eam, si ferant, cassat, & annullat; atque hoc eâ intentione, ne animæ illaqueentur; magnus autem laqueus esset, si obligarentur ad mortale: ergo prohibuit eisdem Iudicibus ne imponant tale præceptum. Sicut ergo sententia non habet vim obligandi, quoad excommunicationem maiorem: ita neque, quoad peccatum mortale, quod expressè docet Auila suprà, & videtur docere Syluest. *Excommunic. 5. n. 6. circa finem.* Armilla *Excommunic. n.* 49. legitur Auila, qui alios refert. Argumenta verò in contrarium facile habent solutionem.

Ad primum Resp.

542\. Ad primum respondetur, neque esse præsumendum quòd Iudex velit dare maiorem vim suo præcepto, quàm sententiæ excommunicationis; neque quamuis id velit, sufficere; est enim contra intentionem Pontificis.

Ad secundum.

543\. Ad secundùm respondetur in alijs casibus concedendo antecedens, si materia sit grauis, & concurrant cætera requisita iuxta dicta in præcedentibus & dicenda *in Tractatu de legibus* in nostro verò casu neganda est consequentia, siue præcipiat sub excommunicatione latâ, siue comminatoriâ propter rationem dictam, quia est contra Iudicis intentionem, imò, nec absolutè assumptum antecedens est verum iuxta dicta *dub. 15. maximè 5. ex traditâ doctrinâ,* & deinceps ibi legatur à nu. 198. & deinceps.

Ad tertium.

544\. Ad 3. respondetur negando eŭsequētiā latè diximus *dub. 20.* maximè cùm in alijs casibus excōmunicatio possit esse valida iuxta dicta *eâdem dub. 20.* in nostro autem casu propter Iura citata sit nulla. Quod autem dictum est de excommunicatione, intelligendum est de suspensione, & interdicto, si ponantur à Iudicibus contra participantes cum excommunicatis à se. Erunt enim nulla, vt expressè habetur *in dicto c. Statutum de sentent. excommunic. in 6.* & notarunt Nauarrus *c. 27. n. 165.* Syluest. *Excommunic. 2. §. 1. casu 9.* Suarius & Auila suprà, & generaliter eandem esse rationem habendam de tribus dictis Censuris, diximus in principio dubitationis 20.

Quæ dicta sunt de excom. intelligenda sunt de suspensione & interdicto positis à Iudicibus contra participantes cū excom. n. 450.

545\. Quartus Casus, in quo incurritur excommunicatio maior ob participationem cum excommunicato non tolerato est, qui habetur *in Clem. 1. de Sepulturis.* Scilicet, quando aliquis scientes præsumit sepelire in loco sacro excommunicatum. Quâ de re agemus posteà disputantes de priuatione communicationis in Diuinis, atque in particulari de priuatione communicationis in Diuinis officijs, & qua ratione prohibeantur fideles assistere Diuinis officijs, vel Orationi cum excommunicatis, de quo *dub. 42. & 43.*

Quartus casus in quo incurritur Excommun. maior ob participationem cum excommun. non tolerato.

DVBITATIO XXXVIII.

Quibus de causis excusetur à culpâ, & à minori excommunicatione communicatio ciuilis cum excommunicato?

Causæ excusantes ab excomm. &c. communicantes ciuiliter cum excomm.

546\. GLoss. in *c. cùm desideres de sentent. Excommunic.* omnes causas excusantes illo versiculo satis vulgato complectitur. *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse,* quas causas omnes Auctores communicant, & explicant D. Thomas *in addit. q. 23. art. 1.* Sotus *dist. 22. q. 1. art. 4.* Caietanus *verbo Excommunic. circa fin.* Paludanus *dist. 18. q. 6. art. 2.* Maior *q. 1. argument. 4.* Gabriel *dist. 18. q. 3. art. 1. Notabili 3.* Richardus *art. 11.* Adrian. *q. 3. de clauibus,* Antonin. *3. p. tit. 25. c. 1. §. 1. & c. 26.* Syluest. *Excomm. 5. notabili 2. & excommunic. 3. §. 1. effectu 5.* Angel. *Excomm. 8. à n. 6.* Nauarrus *c. 27. n. 26.* Armill. *n. 44.* Sà *num. 41.* Henriquez *lib. 13. c. 22.* Suarius *disp. 15. sect. 3.* Auila *p. 2. c. 6. disp. 11.* Sanchez *lib 9. de Matrimonio disp. 14.* Conine *disp. 14. dub. 12.* Vasquez *de Excommunic. dub. 9.* aliique multi, tùm apud citatos, tùm Recentiores, cum quibus omnibus sigillatim explicandæ sunt prædictæ causæ. Vide circa has excusationes Dianam 5. part. Tract. 9. Resol. 118. vsque ad 127. quibus in locis inter cætera docet Patrem cum filio etiam emancipato, adoptiuo, illegitimo. Item maritū & vxor nisi factum fuerit diuortium. Seruus cum Domino, etiamsi seruitus vel matrimonium inceperit post excommunicationem: item consetui & filij inter se (secus sponsi de futuro) Religiosi verò cum Prælato tantum in ijsque ab habitantibus in eâdē familia vitari non possunt: nec putat Excommunicato tolerato teneri Religiosos subditos obedire. De ijs tamen sigillatim dicemus in sequentibus. Sed volui hunc copiosum & eruditum auctorem simul & semel propter dicta omnibus referre.

Per particulam Vtile quid significetur.

547\. Circa particulam *Vtile* asserendum est 1. per eam significari licitam esse communicationem cum excommunicatis, etiam denuntiatis propter vtilitatem, siue specialem, siue temporalem alterutrius, vel vtriusque excommunicati scilicèt, & participantis cum illo. Vnde licèt contionari coram excommunicatis denuntiatis. *c. Responso de sentent. Excommunic. & c. Episcopus de consecrat. dist. 1.* quod Nauarrus dicit licere, etiamsi in ipsâ contione, vt de more fieri solet, recitetur oratio Angelica. Licet etiam priuatim excommunicatum mouere, vt resipiscat, vel de alijs agere, quæ ad bonum animæ eius spectant. *c. Cum voluntate de sentent. Excommunic.* vbi habetur licere etiam alia verba incidenter interponere, vt magis proficiat correctio. Vnde in eo casu licebit vti verbis Vrbanis, & benignis; illum salutare, caput detegere, & in litteris ob eum finem ad illum scriptis scribere consueta verba salutaria. Ita Sotus, Henriquez, Auila, Suarius, & alij ex iam citatis contra Syluestrum, & Armillam. Probaturque sans ex *c. cum voluntate citato;* & (vt Auctores notant) concesso aliquo fine, conceduntur media conducentia ad finem. Ideò Auila cum alijs viris doctis putat licere

licere Confessario admittere excommunicatum ad Confessionem, etiam si eidem constet non esse absoluendum, vt præbeat ei salubre Concilium iuxta *c. Quod quidem de Pœnit. & remiss.*

Quæ excõm. licita sunt.

548. Item licitum est excommunicato audire contiones, & consilium ad suam salutem spiritualem conducens postulare, petereque orationes, & apud homines intercessiones conducentes ad bonum animæ, vel ad obtinendam absolutionem, vt notarunt Gabriel *suprà dub. 5.* & Suarius *suprà*; quia cùm Ecclesia hunc finem maximè exoptet, nullo modo prohibet media ad illum conducentia. Quapropter; quamuis rescriptum ad alia negotia impetratũ ab excommunicato nullum sit; si tamen detur pro absolutione obtinendâ valet *c. 1. de rescript. in 6.*

Cum Ecclesia optet bonum spirituale excommunicati nullo modo prohibet media ad illum conducentia.

Notat rectè Henriquez

549. Notat verò rectè Henriquez cum Maiore, colligiturque ex ipso Iure prædicta licere tantùm, quando speratur correctio, aut bonum spirituale, estque communis sententia Auctorum, qui vel cum hac limitatione loquuntur, vel illam planè supponunt, & meritò; cessat enim tunc vtilitas, ratione cuius licitum erat, quando non speratur correctio.

Notant alij.

550. Notant etiam Petrus Soto, Adrianus, & alij etiam licere communicationem propter spiritualem vtilitatem alterius tertij vel aliorum; nam ob nostram propriam multò certius apparet. Vnde possumus licitè agere cum excommunicato, petendo consilium pro nobis, vel pro alijs, dummodo non sit alia persona non excommunicata, quæ possit æque benè Consilium dare. Ita Suarius *disp. 15. sect. 3.* & alij. Item licèt persuadere excommunicato, vt satisfaciat parti læsæ, vel Reipublicæ, & petere secum creditum ab eodem, vt ex dicendis amplius constabit.

Circa vtilitatem temporalem Asserendum 2.

551. Circa vtilitatem temporalem tàm excommunicati, quàm non excommunicati asserendum secundò est, propter illam excusari, dummodo vtilitas sit moralis quædam necessitas ad meliùs esse in quâ non tàm de lucro temporali augendo, quàm de damno vitando, vel de vitâ sustentandâ, aut de statu agatur. Vnde, si æger indigeat corporis curatione, potest Medicum excommunicatum vocare, ab eoque medicinas, & consilium accipere: Item possumus ab excommunicatis eleemosynas petere, & accipere, quando egemus, & necessaria ab illis emere, si aliunde habere non possumus, vel non æquè commoda, vel vtilia, vt habetur in *c. si verò de sentent excommunic.* & in *c. Quoniam multos 11. q. 3.* vbi etiam habetur posse nos dare eleemosynas ipsis excõmunicatis, non in sustentationem superbiæ; sed humanitatis causâ, vbi etiam significatur (vt rectè expendunt Suarius, Henriq. & Auila) id licere, etiamsi necessitas excommunicati non sit grauis; sufficit enim cõmunis indigentia, causâ ostendendæ, & exercendę humanitatis, & misericordiæ. Ita etiam Syluest. Antonin. Paludan. & Tabiena *Excommunic. 8. n. 10.* Item quoties excommunicatus eget nostrâ ope, ne aliquod notabile damnum incurrat, possumus cũ eo agere, & ipse nobiscũ ad simile damnum vitandũ; est enim hæc subuentio eleemosyna quędã, *&* sepe ex precepto debita. Ita Adrianus, & Suar. *suprà*, & sicut in dictis casibus possumus nos Iuuare excommunicatum: ita ipse potest petere, & procurare licitè à nobis has actiones, vt rectè argumentantur Gabriel, & Suarius *suprà* & alij. Vnde à fortiori homo debilis iter faciens potest recipere equum, aut hospitium ab excommunicato, vt docet Henriquez, & è contra sic indigenti dari hospitium excommunicato, vt notarunt Antonin. *suprà*, Syluest. *excomm. 5. n. 5.*

Quoties excomm eget nostrâ opera vt notabile damnum Euitet possumus cũ eo agere.

552. Eadem ratione possumus petere Consilium temporale, sicut diximus in spiritualibus, quando non est alius, qui æquè commodè illud det, & è contra ipse excommunicatus potest ab alijs petere Simile consilium in suam vtilitatem necessariam. Ita Nauarrus *c. 27. n. 26.* Syluest. *suprà n. 4.* qui dicunt hanc necessitatem arbitrio boni viri pensandam esse.

553. Vtrùm autem debita possint exigi, & recipi ab excommunicato, difficultatem habet, si loquamur tàm in Iudicio, quàm extra; & quod attinet ad iudicium, diximus in nostro *opere de Iustitia Tract. de Restit. disp. 10. dub. 10.* vbi censuimus probabile esse debitorem non teneri ad soluendum debitum creditori excommunicato denuntiato, etiam extra Iudicium. Itaque in hac re dicendum est ex parte non excõmunicati debita posse exigi, & recipi ab excommunicato, tàm in iudicio, quàm extra, vt habetur *c. si verò de sententia excommunic.* quia aliàs vt ibi ait Pontifex commodum reportaret excõmunicatus ex suâ excommunicatione. Addit etiam Suarius *disp. 15. sect. 8.* in eo casu creditorem posse alia verba interponere cum excommunicato, vt suum negotium meliùs expediat, sicut diximus posse pro vtilitate spirituali meliùs consequendâ.

Potest nõ excomm. petere & recipere debita ab excomm.

554. De ipsis verò excommunicatis existimo licitum esse ijs debita exigere à suis debitoribus extra Iudicium. Nam in Iudicio denegata est eis actio, vt notauimus loco citato de *Restitut.* & expressè habetur. *c. Pia de except. in 6.* Item *c. iniunginus, de Iudicijs* excommunicati apertè excluduntur ab agendo in Iudicio quamuis ipsi conueniri ab alijs possint. De debitoribus verò probabiliùs puto teneri in conscientiâ soluere debita excommunicato, quia hic non priuatur dominio suarum rerum. Ita Innocent. *in c. veritatis de dolo, & contumaciâ*, Suarius *sect. 8. citata*, qui id confirmat. *ex c. inter alia de sentent. Excommunic.* & *c. quoniam multos 11. q. 3* & à fortiori id debent docere Gloss. *in c. 1. dist. 41* & Gloss. *in c. si verò de sententiâ Excommunic.* & Couarr. *p. 1. §. 1. n. 8.* alijque multi, quos retulimus pro 2. sententia loco citato de *restit.* Iuxta quam doctrinã dicendum est contractus omnes initos cum excommunicato ante excommunicationem posse licitè continuari post excommunicationem, vt præter Couarr. Caietan. Syluest, citatos docet Suarius. Atque hoc verum est, siue cedant in fauorem non excommunicati, siue excommunicati, quia in dictis capitibus obligatio dicitur implenda ipsi excommunicato; quia illi debita est, non quia sit vtilis seruienti, vel soluenti debitori; quidquid alij in contrarium dicant. Legantur, quæ diximus *loco notato*, & Molina *de Iustitia tomo 4. disp. 756.*

De ipsis excõmunicatis quoad petitionem debiti Authoris Iudic inno.

555. Hinc

Potest licitè accipi legatum relictum ab excomm. non tollerato

55. Hinc fit, vt possit licitè suscipi legatum relictum ab excommunicato non tolerato, vt cum Armillâ, & Innocentio docet Auila suprà, qui etiam addit id habere locum, etiamsi relinquatur cum conditione, vt oretur pro eo; id enim debet intelligi de priuatâ Oratione, quæ licita est, imò, etiamsi sub conditione vt oretur pro eo publicâ Oratione; non tamen conditio adimplenda est, quia turpis, quæ tamen non vitiat Legatum, vt docet Syluest. verbo *conditio in fine.* Quâ de re nos egimus suo loco *in Tract. de Testam.* & de *contractibus* in nostro opere de *Iustitiâ.*

Pro lucro temporali augendo, seclusâ necessitate sustentandi vitam &c. non licet communicare cum excomm. Ratio.

556. Si vtilitas temporalis sit de lucro augendo seclusâ necessitate sustentandi vitam, aut statum, non excusat à peccato, nec ab excommunicatione minori communicantem cum excommunicato; Quod deducitur ex dictis Iuribus. & probat Adrianus *q. illa 3. de Clauibus.* §. *si petas*; quia præcepta alia Ecclesiastica propter huiusmodi vtilitatem captandam non desinunt obligare: ergo neque hoc, præsertim cum ex nullo Iure possit colligi. Ita Paludanus, Antonin. *suprà*, Suarius *sect. illa* 8. *n.* 7. & probatur ex Auctoribus, quorum nemo concedit posse inuitari ad prandium sine necessitate & indigentia, vel iniri contractus cum excommunicatis denuntiatis post excommunicationem denuntiatam, vt patet *ex c. Inter alia, de sentent Excommunic.* Nam ante denuntiationem, quamuis ipsis excommunicatis non liceat inchoare contractus huiusmodi; alijs tamen licet eos inuitare ad contrahendum; & tunc licitè possunt contrahere. Contractus tamen celebratos, etiam post denuntiationem excômunicationis, validos esse latè probat Suarius *suprà* contra aliquos. An verò possint excômunicati non tolerati admitti ad lectionem Artium Liberalium, Medicinæ, vel Theologiæ, res est dubia; Sotus ait esse licitum fortasse, quia est bonum spirituali. Idem putat Henriquez *c.* 22. *n.* 1. *in fine*, & testatur Recentiores multos ita sensisse. Fauet etiam Nauarrus. *c.* 25. *n.* 66. quamuis hic tantùm videatur dicere non esse mortale peccatum. Quod verum est contra Antoninum, quia illa communicatio non est in Diuinis, Auila verò *c. illo* 6. *disp.* 11. *dub.* 3. ait omnes Auctores conuenire non licere coram excommunicato non tolerato ita legere, & docere, aut simul cum eo audire lectionem Artium humanarum, vt Philosophiæ, aut Medicinæ; at verò de lectione Theologiæ, aut etiam Iuris Canonici, quia est pars scientiæ Diuinæ, probabile est cum Soto, & Henriquez licere, quia ordinantur ad bonum animæ spirituale, sicut concio.

Dubium.

Author probabilius putat non posse excomm. non tollerata admitti ad lectionem artium liberalium. Ratio.

557. Probabiliùs tamen puto non licere, quia non sufficit quæuis vtilitas, neque hæc est per se ordinata, vt resipiscat, sicut est côncio, neque est bonum pertinens directè ad salutem animæ. Ita etiam Suarius *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 5. qui etiam addit non pertinere hanc actionem ad Diuina officia. Item excommunicatum non vitandum posse licitè prælegere, quando ex officio tenetur docere, & non potest per alium satisfacere, quia id facit in gratiam boni communis, quòd semper quasi exigit Ius suum.

558. De prædicatoribus etiam probabile est posse licitè accipere eleemosynam ab excommunicatis, etiamsi alias sibi possint prouidere vt docet Gloss. *in c. cum voluntate. de sententiâ excommunic.* & Henriquez *suprà. c.* 23. *n.* 4. Probaturque quia debetur illi pro ministerio sustentatio spiritualis, & tanquàm debitû potest recipi & peti. Item quia *c. citatum* aliquid speciale videtur illis concedere. Idem docet Auila vtens eodem ipso Textu, & Glossâ, quamuis oppositum teneat Innocentius, Hostiensis & Panormit. & Syluest. *excommunic.* 5. *n.* 14. & Paludanus & Antoninus putant licere, quando aliàs commodè non potest sibi prouidere, aut quando speratur inde vtilitas specialis ipsius Excommunicati.

Per particulam lex intelligitur vinculum Matrimonij

559. Circa particulam *lex* notari debet per eam intelligi vinculum Matrimonij de hoc disputare pertinet ad hunc locû, ideo hoc reijcimus hanc difficultatem in Tractatu de Matrimonio nu. 244 in fine. In quâ re primò asserendum est posse vxorem licitè communicare cum Marito excommunicato, non solùm in redditione, aut petitione debiti, sed etiam in omnibus actionibus pertinêtibus ad hanc vsualem communicationem humanam, & ciuilem; probarique solet ex *c. Quoniam multos* vbi sine vlla limitatione conceditur ea communicatio vxori cum viro & notat rectè post alios Martinus Perez *de Matrimonio* disp. 49. sect. 5. nu. 1. vt amplius infra explicamus, & quidem quoad petendum & soluendum debitum, omnes id videntur concedere, quamuis Suarius *disp.* 15. *sect.* 4. & Filliucius *quæsito* 4. *n.* 103. putent non licere vxori petere debitum coniugale, si contraxit Matrimonium sciens maritum esse excommunicatum.

In quâ re asserendum est. P. posse vxorem licitè cômunicare cum Marito excommunicato.

Etiã petere debitum quamuis matrimonii contraxit Suarius. virum esse excomm.

560. Oppositum tamen videtur probabiliùs. Ita Vgolinus. *Tabul.* 2. *c.* 23. §. 6. quamuis enim peccauerit vxor, & incurrerit minorem excommunicationem in eo contractu; non tamen peccat petendo, vel reddendo, tùm, quia Matrimonium est validum; ex Matrimonio autem valido oritur Ius ad petendum, & reddendum; tùm, quia *c. Quoniam multos*, permittitur vxoribus manere cum viris excommunicatis, & ibi non distinguitur inter vxores quæ tales fiunt ante, vel post excommunicationem marit; vbi autê Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec dici potest in eo casu delinquentem reportare commodum ex delicto nam vxor tunc non ex delicto id reportat; sed Iure naturæ, & positiuo; id enim probant rationes allatæ ex qua doctrina corruunt rationes quædam Suarij, quas loco citato attulit Filliucius nostramque sententiam docet Sanchez *lib.* 9. de *Matrimonio disp.* 14. *n.* 3. & 4. & *seq.* & post ipsum Perez, qui alios plures referunt nobiscum sentientes.

561. Vtrum peccatum illud contrahendi cum excommunicato vitando, per quod minor excommunicatio incurritur, sit peccatum mortale? affirmat Sanchez, & meritò lib. 7. de *Matrim disp.* 9. cum multis, quos refert. *n.* 6. 7. & 8. quando autem excommunicatus non est denuntiatus, nec manifestus Clerici percussor, quãuis multi putent sic contrahentem cum excommunicato peccare mortaliter, probabiliùs est nullam

Et probabilius non peccauit contrahendo cum illo si non fuerit denuntiatus &c.

nullam esse culpam, vt cum multis docet ipse Sanchez *citato nu.* 8. & colligi potest ex doctrinâ traditâ *dub* 34. & ex dicendis posteà quando agemus de communicatione in Diuinis; Diximus enim, & dicemus petentem Sacramenta à ministro quocumque, etiam non parato excommunicato, non peccare, si non sit ille minister excommunicatus denuntiatus. Sed ad institutum nostrum redeamus.

Ex dictis infertur.

562. Et addendum videtur ex dictis inferri cum citatis licitum esse vxori communicare cum viro excommunicato in colloquijs familiaribus in mensâ, & in ijs, quæ pertinent ad domus gubernationum, alijsque omnibus obsequijs, quæ vxor præstabat uiro ante ipsius excommunicationem & præter textum citatum non desunt aliæ rationes in quibus meritò potuit ille textus fundari. Ratio est primò, quia vxor subijcitur viro, eique debet parere, neque eximitur ab eius obedientia, propter illius excommunicationem. Secundò; quia valde difficilis est eorum separatio maximè cum sæpe esset periculum fornicationis. Ideò hanc sententiam, aut docent, aut supponunt plerique Authores, & expresse eam docent Syluest. *Excommunic.* 5. *n.* 4. & Caietanus eodem *verbo*. Armilla *n.* 45. Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 12. *dub.* 5. Hugolin, *Tabula.* 2. *c.* 23. §. 6. *n.* 1. vbi alios refert. Item Henriquez *suprà. c.* 22. Sanchez lib 9. de Matrimonio illa disp. 14. præcipuè n. 4. cum alijs multis, quos refert, inter quos Hostiensis Gabriel, Nauarrus, Turrecremata, Petrus de Ledesma, Vivald. Rodrig. & Sà, qui omnes, sicut Reginald. *lib.* 32. *n.* 101. & alij citati hanc cõmunicationem extendunt non solũ ad debitũ cõiungale; sed ad omnia alia humana obsequia, & commercia, quod etiam docet Suarius *disp.* 15. *sect.* 4. qui rectè colligit rationem ex eodem textu, qui habetur dist 11. q. 3 probat ergo, tùm ex intentione Pontificis ibi expressâ, quæ fuit à periculis & scrupulis animas eximere; tũ ex verbo Põtificis *ab Anathematis vinculo subtrahimus*; tùm etiã quia priuilegiũ voluit ibi Põtifex concedere. Si autem in rebus tantùm necessarijs dicatur posse subditos communicare suis superioribus, hoc nullum erat priuilegium; quia ex Iuris interpretatione iam hoc erat illis concessum. Deinde quia (vt dicebamus) Pontifex generaliter loquitur & fauores sunt ampliandi, non restringendi. Præterea, quia *c. Inter alia de sentent. excommunic.* Pontifex interpretatur prædictum. *c. Quoniam multos*, & distinguit inter personas subditas excommunicato, & inter non subditas, vt sicut Peregrini, viatores, mercatores & alij; ac de his vltimis ait *à communione cum excommunicatis; nisi articulo necessitatis debẽt abstinere.* De alijs autem dixerat non solùm posse cum excommunicato communicare; sed etiam ad id teneri, in quibus ante excommunicationem erant obligati; ergo etiam in non necessarijs, possunt communicare. Vnde hæc doctrina locum habet, etiam in famulis, & filijs, & alijs, de quibus dicemus posteà explicantes particulam *humile*. Item coniux excommunicatus licitè potest agere cum coniuge non excõmunicato, vt iam supra dicebamus, & probat Suarius cum Turrecremata, Hostiensi, & Panormitano, & paulò post amplius declarabimus.

Ratio est.

Doctrina locũ habet in famulis, filijs &c.

563. Extendit Sanchez *suprà n.* 5. hanc participationem vxoris cum viro, vt etiam in Diuinis non sit prohibita, refertque Nauarrum, Henriquez, & Sà, quibus fauent Turrecremata, & Viualdus idque adhuc extendit Sanchez, quãuis non tantum Maritus sit excommunicatus, sed etiam cum eo participantes, refertque Socinum, & Vgolinum; nisi fortè ob particulares causas in speciali prohibeatur vxori talis participatio; nunquàm tamen potest illi prohiberi debitum coniugale, quia hæc obligatio ex ipso Iure naturæ consurgit.

Extendit Sanchez participationem vxoris cum viro ad Diuina etiam.

564. Item docet idem Sancez *n.* 8. cum Vgolino, idque docent alij ex citatis vt Perez hanc facultatem extendi ad sponsam de præsenti; non verò ad sponsam de futuro; hæc enim non est vera vxor; sicut est illa, neque aliquid oppositum pro sponsâ de præsenti potest colligi ex Tridentino *sess.* 24. *c.* 1. vbi non prohibet cohabitationem inter sponsos de præsenti, sed monet, ne ante benedictiones in templo susceptas cohabitent vt rectè expendit Sanchez maximè, cum ibi monitione illâ non à cohabitatione, & cæteris obsequijs; sed à copulâ tantùm coniugali moneantur abstinere. Iam videamus de Marito comparatione vxoris excommunicatæ.

Hæc facultas non extenditur ad sponsam de futuro.

Ratio.

565. Asserendum est 2. Maritum non excommunicatum posse agere cum excommunicatâ vxore in omnibus humanis actionibus, hanc assertionem multi ex Auctoribus negant, tùm quia de hoc nihil dicitur in citatis Iuribus; tùm, quia ad maritũ spectat corrigere vxorem, non è contra. Hæc tamen parum vrgent, nam eo ipso, quòd Ius excipit vxorem ad euitanda animæ pericula, intelligitur exceptus vir, eadem enim pericula etiam ex eâ parte emergunt. Accedit, quod vxor, & vir sunt correlatiui; ideò in Iure dispositum in altero censetur dispositum in vtroque. *L. finali. C. de indicta viduit.* Præterea per Ius Canonicum ablata est positiua prohibitio; atque adeò etiam excommunicatio; remanet tamen in viro obligatio naturalis, quâ tanquàm superior tenetur corrigere vxorem contra quam procul dubio peccabit, si negligat corrigere, quando tenetur; non tamen incurret excommunicationem. Ita Sanchez *suprà n.* 16. cum Gabriele, Couarr. Vgolino, Capua; idemque docent Perez & Auila *suprà*. Sed de his iterum in sequenti particula.

Assertio 2. maritum non excomm. posse agere cũ excomm. vxore.

Ratio.

Accedit quod vxor & vir sint Correlatiui.

566. Excipiendi tamen sunt aliqui casus, in quibus vxor non videtur posse communicare cum marito.

Excipiendi aliqui casus.

567. Primus casus fit, quando per hanc cõmunicationem coniungum in humanis, & vsualibus actionibus foueatur contumaciâ coniugis excommunicati; tunc enim communicatio est intrinsecè mala, & ideò nullo Iure concessa; imò in eo casu talis communicatio transiret in communicationem in crimine criminoso; atque adeò peccatum erit mortale; quod Doctores, omnino obseruandum monent; quando vxor est excommunicata; quia maritus tenetur auertere vxorem à contumaciâ, & ideò faciliùs imputabitur ei, si in hoc sit negligens, (quod etiam pro filijs, & famulis est obseruandum.) Quando-

Primus casus.

Maritus tenetur auertere vxorem à contumaciâ.

documque verò superior faueat in crimine subditum, incurret, eandem excommunicationem, quia est participatio in crimine damnato, vt rectè notat Suarius. Si tamen sit negligens corrigere, cum tenetur, non puto incurrere, vt nuper notabamus cum Sanchez *n.* 16. & alijs, tunc enim non peccat contra præceptum Ecclesiæ non communicandi cum excommunicato; sed quo tenetur corrigere proximum iure naturæ.

568. Quamuis autem Suarius *disp. illa* 15. *sect.* 5. *n.* 22. dicat oppositum argumento. *c. Quantæ* de *sentent. excommunic.* dum ait superiores debere procurare, vt à contumaciâ recedant inferiores; nam si in hoc sint negligentes fieri potest (inquit) vt indirectè saltèm consentire, vel cooperari videantur; sententiã nihilominùs Suarij solùm puto habere locum, quoties illa omissio corrigendi pensatis circumstantijs censeatur quædam quasi conniuentia, atque adeò aliquâ ratione cooperatio moralis ad crimen, non verò, quando est mera omissio.

Duo maximè notanda. Primum.

569. Duo verò sunt etiam maximè notanda ex Auctoribus, primum, quod si excommunicatio esset lata contra alterum, vel vtrumque coniugum in causâ Matrimonij, quia lis est, an sit legitimè contractum, tunc neuter potest communicare; non enim censentur simpliciter coniuges, cùm res sit dubia, nec ortum est debitum coniugale cum vsus eius illicitus sit stante illo dubio. *Secundum.* Secundum notandum est, quòd si fortè Maritus admittat aliquem excommunicatum ad mensam, vel colloquium non ideò potest vxor cum excommunicato vitando communicare. Ita Paludanus, Antoninus, Angelus, Syluest, & communiter omnes, vt rectè Sanchez suprà n. 12. & plures alij.

Secundus casus.

570. Secundus casus est, quando coniuges diuortio separati essent, vt cum Ioanne Andrea, Ancarrano, & Vgolino tradit Sanchez *n.* 12. qui limitat; nisi durante excommunicatione reconcilientur: tunc enim per reconliationem tollitur diuortium.

Tertius casus.

571. Tertius casus est, si participatio sit in crimine, ob quod lata est excommunicatio quia hæc coõmunicatio nunquam permittitur, vt habetur *c. Inter alia.* de *sentent. excommunic.* in fine, atque in eo casu incurritur excommunicatio maior, vt Glossa ibi notat.

Dubium.

572. Dubitari, autem solet, an coniux Excommunicatus possit debitum exigere? multi negant, quia ipsi excommunicato, nullum priuilegium reperitur concessum; nihilominùs probabilius est posse, sicut licet cuilibet excommunicato alia debita exigere, & obsequia à suis famulis: ita Vgolinus, Henriquez, & Sanchez n. 20. Suarius sect. 4. n. 10. & alij plures constatq; satis ex dictis; si enim maritus excommunicatus potest communicare cum vxore non excommunicata, in quibus ipsa potest cum marito; eodem modo vice versa, quam regulam tradunt Nauarrus c. 27. n. 16. Suarius n. 14, Sanchez suprà n. 16. Vasquez *dub. illa* 9. *n.* 3. Filliucius *n.* 104. Reginald. *n.* 102. Coninc *disp.* 4. *dub.* 12. Vgolinus, Sayrus, & alij contra Syluestrum supra; & alios. Vide Perez citatum.

Probabilius est posse coniugem excõm. petere debitum. Ratio.

Circa particulam Humile.

573. Circa Particulam *Humile*, intelligunt Auctores, per illam, filios, famulos, colonos, vel rusticanos, aliosque seruientes, qui ante excommunicationem erant obstricti ipsi excommunicato; nam *c. Quoniam multos*, sæpe citato, dicitur posse ipsos participare sicut ipsos participare sicut ante excommunicationem, & *c. Inter alios*, de *sentent. excommunic.* ait Pontifex non solùm posse; sed etiam teneri ad communicandum in his rebus, ad quas sunt obstricti. Ex quo *c.* deducitur vt expendimus explicantes præcedentem particulam non solùm in debitis; sed etiam in omnibus alijs humanis actionibus, quæ non sunt intrinsecè malæ, posse reperire talem communicationem.

Simile intelliguntur filij famuli aliique ante excomm. seruientes.

Ex qua doctrina infertur.

574. Ex quâ doctrinâ descendendo ad particularia infertur primò Religiosos professos, atque etiam nouitios posse obedire suis superioribus, atque Prælatis excommunicatis. Ratio est, quia superior per excommunicationem, non amittit Ius suum ad gubernandam domum, & Religionem, nec inferior eximitur à subiectione per excommunicationem sui superioris; quod communiter supponunt Auctores. Et quidem S. Thomas in additionibus *q.* 23. *art.* 1. Gabriel, & Paludanus apud Suarium *locis suprà citatis* videntur generaliter & absolutè docere posse subditos cõmunicare cum suis superioribus. Ita expresse Sotus, Vasquez, & Auila locis citatis. Aliud verò Iudicium est, quatenùs Iudex, vt posteà dicemùs.

Superiores excomm. posse agere cum subditis multi negant.

575. Multi sanè negent posse superiores ipsos excommunicatos agere cum subditis, quia nullibi reperitur illis concessum. Syluester tamen, & Nauarrus putant posse agere in ijs tantùm, quæ, sibi debentur ab inferioribus, & in ijs, quæ ipsi tenentur præstare inferioribus. Sanctus verò Thomas, & Sotus dicunt posse saltèm in ijs, quæ sibi debentur, & ipsi debent. Negant tamen communiter Auctores ipsos superiores posse in omnibus agere cum inferioribus excommunicatis.

Authoris Iudicium absolutè in prædictis superiores cum suis subditis & è contra in omnibus, vsualibus agere possunt actionibus. Ratio.

576. Absolute tamen in prædictis omnibus dicendum est, prædictos superiores cum suis subditis, & è contra tàm excommunicati, cum non excõmunicatis, quàm non excommunicati cum ipsis excommunicatis posse agere in omnibus vsualibus actionibus. Ita Suarius *disp.* 15. *sect.* 5. *a n.* 18. Henriquez *c. illo* 22. *n.* 3. Auila *suprà dub.* 7. quia Iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus iuxta dicta fauoresque sunt ampliandi, atque hoc modo tolluntur scrupuli & anxietates, quæ fuit intentio Pontificis, vt ipse expressit. Vnde Ius concedens hoc inferioribus respectu superiorum, idem videtur cõcessisse superioribus respectu inferiorum, cum sit eadem omnino ratio, & idem animarum periculum, quod Ius euitare prætendebat, & licèt ad superiores spectet curare, aut subditi resipiscant; hoc tamen non semper possunt obtinere, & quando id negligunt peccabunt contra Ius naturæ, vt iàm argumentati sumus explicantes præcedentem particulam. Et quidem subditi regulariter, nec prudentiam habent requisitam, nec vires, & animi valorem, vt discernant inter debita vtilia, & necessaria, & indebita, & inutilia, vel, vt ab his abstineant, & intra illorum terminos se contineant. Item (vt suprà etiam dicebamus) Pontifex aliquod priuilegium voluit

ibi

ibi concedere. Quod autem possent in necessarijs, & vtilibus communicare, ex ipsâ naturali Iuris interpretatione per se habebant: ergo aliquid vlteriùs concessum est.

Regula dispositæ in vno correlatiuo in alio etiam intelligi debet vbi est eadem ratio.

577. Quamuis autem in Iure scripto non concedatur hoc priuilegium expressè superioribus; tamen in suis correlatiuis satis exprimuntur, vt iam suprà notabam; est enim regula Iuristarum, quod disposita in vno correlatiuo in alio etiam intelligi debent. vbi est eadem ratio, qualis est hîc argumento legis final. s. c. *de indulta viduit suprà citato.*

578. Imò, quod etiam in Diuinis possint subditi communicare cum suis superioribus, quantum est de Iure Ecclesiastico absolutè docet Auila *dub.* 6. & probari potest à simili eorũ, quæ diximus intra virum, & vxorem. Et quidem Suarius *sect. illa* 5. *n.* 22. & Henriquez *c.* 22. *n.* 1. *litera L. in Gloss. & n.* 3. *in fine*, referens Nauarrum in Summa Hispanâ. *c.* 27. *n.* 27. aliquas communicationes in Diuinis excusant, vt, si inferiores assistant cum suo superiori excommunicato eidem Missæ dummodo non inducant, nec cooperentur. Atque hoc modo intelligendus videtur Auila quantumuis absolutè loquatur. Sed hoc iterum *infrà in hac dubitatione.*

Specialis difficultas.

579. Dixi autem licere prædictis inter se communicare *in omnibus vsualibus actionibus.* propter hanc specialem difficultatem de communicatione in Diuinis, ad quam saltèm inducere non licèt, aut cooperari; atque etiam propter illa, quæ spectant ad Iurisdictionem forensem, circa quam non est verisimile aliquid voluisse concedere Pontifices; non est vnde colligatur.

A prædicta regulâ filiorum, &c. excipiunt Authores.

580. A prædicta regulâ filiorum subditorum &c. excipiunt ferè omnes Auctores filios emãcipatos existentes extra domum & Patris contuberniũ; nam, si sint commensales, etiamsi sint emancipati poterunt communicare. Imò Suarius *suprà* probabilem putat sententiam quorumdam Recentiorum, qui dicunt filium etiam emancipatum quemcumque gaudere priuilegio agendi cum Patre excommunicato, quia Pontifex simpliciter excipit filios; & fauores potiùs sunt ampliandi.

Excipit pontifex simpliciter filios.

581. Sanè in ijs, quæ filius emancipatus debet parenti, qualia sunt reuerentia, & subsidium, meritò certissimum, putat Suarius posse communicare cum Patre, quia (ut ait Pontifex citato *c. Inter alia*) debita ante excommunicationem, etiam debentur post illam vnde poterit Patri præcipienti obedire, subsidiumque exhibere, si egeat, assurgere Patri, caputque aperire, amplexari, & similia obsequia debita præstare; hæc enim noluit Ecclesia impedire, quæ & debita sunt, & necessaria propter naturale vinculum, & inclinationem, quæ semper manet; non tamen licebit filio nouam inchoare communicationem non debitam. v.g. Si iam habitabat extra domum Paternam iterum cohabitationem inire non poterit; atque hoc modo veram putat Suarius aliorum sententiam; sicque videtur intelligendus Auila *dub.* 6. Filliucius *Tract.* 13. *c.* 6. *n.* 108. Coninc *disp. illa* 14. *n.* 132. alijque Recentiores.

Quinam nomine parentum & filiorum intelligantur.

582. Nomine verò parentum, & filiorum intelliguntur etiam adoptiui dùm sunt sub curâ parentum, & similiter tutores, & pupilli, nurus, & gener, socer, & socrus, priuignus, & priuigna, & nouerca. Similiter aui, nepotes, & pronepotes quandiù simul cohabitant; non tamen intelliguntur cognati spirituales. Intelliguntur autem fœminæ sicut masculi, & filij vtriusque sexus quantumuis illegitimi, vt concedunt prædicti auctores.

Colligitur 2.

583. Colligitur 2. ex traditâ doctrinâ milites posse in bello participare cum Duce exercitus excommunicato vitando, vt docent plerique auctores citati interim dum sunt sub tali duce; non licebit tamen inire cum illo de nouo contractum non pertinentem ad debitum officium, aut de nouo se subscribere sub illo.

Omnes etiã qui sunt de familia excõmunicati gaudent priuilegio filiorum &c. Excipit 2. *Pontifex eos qui Consilium dederunt &c.*

584. Omnes etiam, qui sunt de familia & Commensales excommunicati gaudent prædicto prouilegio filiorum, famulorum, &c. Excicipit tamen secundò Pontifex eos, qui consilium, vel auxilium dederint ad crimina perpetranda, propter quæ est imposita excommunicatio, quod Gloss. & Nauarrus *n.* 27. ad eos solùm seruientes putant partinere, quorum consilio, vel fauore dominus in contumacia perseuerat. Quo casu eandem cum illo excommunicationem incurrunt; & ideò meritò non gaudent tali priuilegio. Verùm (vt rectè expendit Suarius) Pontifex non de auxiliantibus ad perseuerandum; sed ad perpetrandum loquutus est; ac proinde hi etiam priuantur prædicto priuilegio.

Tertiò excipiuntur ab hoc priuilegio.

585. Tertiò excipiuntur ab hoc priuilegio, qui post excommunicationem inierunt contractus cum excommunicato, vt habetur *c. Inter alia*, hi enim non gaudent priuilegio. Ex duplici tamen capite possunt excusari: primò, si absque violatione Censuræ contraxerunt per ignorantiam probabilem de alterius excommunicatione. Si enim famulus, quando contraxit famulatum ignorabat herum esse excommunicatum. perinde est, atque si contraxisset ante Excommunicationem; non enim obligatur ad rescindendum contractum. Secundò excusari potest necessitate, siue ea sit ipsius excommunicati; siue non excommunicati. Excommunicati quidem, vt si morali modo indigeat famulis, ne damnum incurrat in suis rebus vel, vt liberetur necessaria ad sustentationem suam; vel suæ familiæ, hoc enim titulo potest quis sine culpâ eius seruitio obligari, & consequenter posteà poterit, & debebit cum illo communicare; necessitas verò ipsius non excommunicati excusat, vt, si ad suam sustentationem indigeat tali ministerio, & non inuenit alium, cui commodè possit inseruire. Ita communiter Doctores, maximè Suarius *suprà.*

Difficultas quoad Inferiores eiusdem familiæ.

586. Difficultas verò est an inferiores eiusdem familiæ possint inter se communicare, siquis eorum excommunicatur? videntur enim posse, quia vix possunt moraliter communicare cum Domino, quin inter se communicent. Idéque videtur dicendum de fratre cum alio fratre.

Author putat verius hoc priuilegium liberè inter se com-

587. Nihilominùs veriùs puto hoc priuilegium liberè inter se communicandi nullo Iure ipsis concedi, vt notauit Suarius *suprà. n.* 23. ex Fœlino *c. inter alia*, nec ipsi sunt correlatiui, sicut supe-

municandi illis a Iure non esse concessam.

superior, & inferior. Tamen debent cohabitare simul propter obligationem, quam habent ad eundem dominum, quia sicut non tenetur, nec potest seruus, aut famulus recedere à contractu, & cohabitatione propter excommunicationem sui domini: ita multò minùs poterit recedere, aut non cohabitare propter excommunicationem conserui. Atque adeò, sicut debent cohabitare poterunt etiam communicationem habere licitè, illam scilicèt, quæ moraliter vitari non potest supposità cohabitatione, & communicatione cum eodem superiore; in reliquis tamen non poterit. Et eodem modo philosophandum est de fratribus. Ita Vgolinus *Tabula* 2.*c*.23. §.8. Filliucius *n*.113. *&* 121. Reginaldus *n*. 120. & alij communiter.

Clericis non conceditur priuilegium communicandi cum suo Episcopo excomm. Ratio

588. De Clericis verò respectu sui Episcopi meritò docent Auctores communiter non concedi illis priuilegium communicandi cùm Episcopo excommunicato, quia, cùm sit Episcopus priuatus Iurisdictione, Clerici non debent illi obedientiam, sumiturque hæc doctrina ex *c. vltimo de Excessib. Prælatorum* & ex *c. Miratus* 93. *dist.* omnes tamen excipiunt Clericos seruientes Episcopo: hi enim titulo famulatus communicare possũt sicut, & alij famuli, & seruitores. Ita cum cõmuni. sententia Henriquez, Suarius, & Auila.

589. De Religiosis verò cum suo Prælato iam diximus, quamuis sit controuersia inter Auctores, & quidem titulo subiectionis putat Suarius *suprà sect.* 7. non posse cum illo agere, quia superior est priuatus Iurisdictione; sed posse agere cum illo eo modo, quo cum alijs Monachis, eâ scilicèt cõmunicatione, quæ annexa est cohabitationi, & quæ eâ supposità vitari non potest: Idemque dicendum putat vice versâ de superiore cum subdito. Sed de hoc iam satis diximus, & placet doctrina Auilę *dub.*6. vbi cum Syluestro, Soto & Armilla docet Religiosos absolutè, & vniuersaliter posse agere in omnibus cum suis Prælatis excommunicatis, quia Prælati non solùm habent Iurisdictionem spiritualem; sed etiam potestatem temporalem, & politicam ad gubernationem domus, & omnium suorum subditorum, etiamsi sint nouitij, vt dictum est. Ita sentiunt Coninc, Filliucius, Reginald. & alij Recentiores. Vasquez. *dub.*5. n.3.

Circa particulam res Ignorata quid intelligendum.

590. Circa particulam *Res ignorata* quomodo excuset, & intelligatur, iam satis dictum est *supra dub.*28. *&* 29. vbi egimus de notitiâ necessariâ, ibi legatur: sufficiat hîc dicere excusari à peccato, & excommunicatione minori, qui cum ignorantiâ inculpabili, vel cum inaduertentia communicat cum excommunicato vitando; nam ignorantia, & inaduertentia excusat à peccatis & à Censuris iuxta ibidem dicta, constatque ex *c. Quoniam multos* 11. *q.*3. & *c. Apostolicæ de Clerico excomm.* Ita Nauarrus, Suarius, Vgolinus, Sayrus, Henriquez *locis citatis*. Reginaldus *n*.121. & alij apud Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio disp.* 32. Imò Suarius *disp.* 5. *sect.* 3. *n*.5. Filliucius *Tract.*13. *c.*6. *quæsito* 11. *n*. 128. Coninc *disp.* 14. *dub.* 12. *n.* 124. existimant quamcumque ignorantiam excusare ab incurrendâ minore excommunicatione, quæ incurritur participando cum excommunicato; nisi ea ignorantia sit affectata. Probarique potest; quia culpa participationis cum excommunicatis in rebus communibus (non agimus de spiritualibus) regulariter est tantummodò venialis; & per ignorantiam ita extenuatur, & minuitur, vt non videatur digna pœnâ Excommunicationis minoris. Quæ doctrina mihi placet (quidquid aliqui Recentiores reclamẽt) consonatque id, quod diximus *dub.* 9. cum eodem Suario scilicet non incurri, quamuis peccetur venialiter, si peccatum fuit solùm ex imperfectâ deliberatione, & inaduertentiâ.

Culpa participationis cum excom. in rebus cõmunibus regulariter est tantum venialis.

Dubium

591. Dubitari verò potest, an peccator cùm sufficienter fuit admonitus, & vehementer suspicatur in eum latam esse Censuram, quia iam est sufficiens tẽpus elapsum; teneatur se habere pro excommunicato, & alij illum debeant vitare?

Resp.

592. Respondetur non teneri, etiamsi elapsum sit tempus, non solum, quo ferri poterat excommunicatio; sed etiam quo poterat ad ipsum perferri sufficiens notitia, dummodo bonâ fide se habeat, nec consultò fugiat, vel abscondatur; ne ad illum perueniat notitia excommunicationis.

593. Ratio prioris partis, quantum ad dictũ peccatum, est quia ignorantia excusat illum; suspicatio verò non sufficit ad obligandum, cùm potuerit superior, vel mutare, vel suspendere voluntatem. Quod si consultò fugiat, vel se abscõdat; ignorantia illa erit affectata, atque in eo casu se habet sicut ille, qui per vim vel fraudem impedit monitionem, ne sibi fiat. Ita Suarius *disp.*4 *sect.* 11. *n.*9. & nos diximus *dub.*28. Recognosce ibi dicta.

594. Quod verò attinet ad alios communicaturos cum illo probatur, quia seclusâ simili fraude, illi possident suam libertatem; nec satis illis constat, an fuerit excommunicatus, & denuntiatus, maximè cùm se exponerent periculo inferendi illi iniuriam priuando illum Iure suo. Legatur Sanchez *in Summ. lib.*1.*c.*10. *n.* 48. 55. *&* 57. & alijs ibi notatis. Item Suarius *supra n.* 4. Filliucius *n.* 129. qui in hac doctrina consentiunt. Legatur dicto dub.28. assert.2.

Maius dubium

595. Maius dubium esse potest de ijs, qui sciunt esse excommunicatum; non tamen sciunt esse denuntiatum; tunc enim iuxta dicta in precedentibus nullam illi faciunt iniuriam; quia etiamsi certò scirent non esse denuntiatum, possent illum vitare, licèt non tenerentur. Cùm ergo ex vno capite eo ipso, quòd constat de excommunicatione, non fiat illi iniuria, etiamsi non sit denuntiatus. Ex alio verò capite sit periculum contraueniendi denuntiationi, seu legi vitandi denuntiatum, videtur in tali dubio esse vitandum.

Sciens aliquem esse excomm. nesciens an etiam denũtiatum: verius non tenetur illum vitare regulariter loquendo. Ratio.

196. Nihilhominus verius puto nõ teneri illum vitare regulariter loquendo; quia in dubijs melior est conditio possidentis; prædicti verò possident (etiam suppositâ excommunicatione) suam libertatem communicandi cum illo nondum denuntiato, & adhuc dubitant de denuntiatione.

597. Dixi autem *regulariter*, quia in aliquibus casibus potest esse obligatio. Primò, quando

est

eſt periculum ſcandali: ſecundò, quando eſt periculum faciendi actum irritum communicãdo cum excommunicato, vt in diuinis, ſi quis ſciat aliquem Sacerdotem eſſe excommunicatum, & dubitet, an ſit denuntiatus; non poteſt etiam ſecluſo ſcandalo extra articulum neceſſitatis illi confiteri; fieri enim poteſt, vt re verâ ille ſit excommunicatus vitandus; atque adeò invalidè impedat abſolutionem defectu Iuriſdictionis, cuius vſu caret. Ita Suarius *diſp. illâ* 15. *ſect.* 3. *n.*6, Auila 2 *p. c.* 6. *diſp.* 11. *dub.* 2. Filliucius *ſuprà n.* 531. & alij.

Ex dictis infertur 1.

598. Ex dictis infertur vitandum eſſe à me eum, qui mihi ſuo proprio ore dixit ſe eſſe excommunicatum vitandum; non enim poſſum excuſari titulo ignorantiæ, cùm habeam moralem certitudinem. Ita Sylveſt. verbo *Excomm.* 5. *n.* 27. Dummodò ſit dignus cui credatur.

Infertur 2.

599. Infertur 2. eum, qui adhibitâ ſufficienti diligentiâ adhuc dubitat, an lata fuerit contra ipſum ſententia excommunicationis, neque ipſum teneri ſe gerere vt excommunicatum, neque alios illum vitari. Ratio eſt, quia in dubio Iuris, quale eſt hoc nemo tenetur ſe gerere tanquam excommunicatum poſt adhibitam diligentiam. Ita Suarius *ſuprà ſect.* 5. Clericus Regia *lib.* 1. *c. n.*13.23. *& lib.* 2. *de Cenſuris c.* 14. *n.* 28. Rebellus. 2. *p. lib.* 1. *ſect.* 2. & alij. quamuis in contrarium ſentiat Salas 1. 2. *q.* 21. *Tract.* 8. *diſp. vnica ſect.* 5. Valſquez 1. 2. *diſp.* 66. *c.* 1. & alij apud Sanchez *ſuprà*, qui putant tutiorem partem eligendam eſſe in dubio extra materiam Iuſtitiæ. Probabiliùs tamen puto, vt ſæpe dixi, etiam extra materiam Iuſtitiæ habere locũ illud axioma. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Itaque in præſenti negotio in dubio Iuris fauendum eſt poſſidenti libertatem, & forum exterius non Iudicabit illum excommunicatum. Præterea cum lex non obliget, niſi ſit ſufficienter promulgata; in dubio autem Iuris, quando ſcilicet dubitatur legem aliquam latam eſſe, talis lex non cenſeatur ſufficienter promulgata, nec etiã habebit vim obligandi.

Probabilius putat Author etiam extra materiam Iuſtitia habere locum Axioma In dubio.

Dicta vera ſunt tam de dubio Iuris, quam facti.

600. Quod diximus in dubio Iuris non minùs verum puto in dubio facti (quidquid in contrarium ſentiant Azor 1. *p. lib.* 2. *c.* 19. Suarius. Rebell. Vaſquez, Clauis Regia locis citatis, qui idem ſentiunt in dubio ſuſpenſionis Interdicti, & Irregularitatis) quam ſententiam noſtram latè probat, & doctè Sanchez *citato lib.* 1. *Summa. c.* 10. *à n.* 55. Ratio verò eſt, tùm, quia in hoc etiam eſt melior conditio poſſidentis libertatem; Ideò enim in criminibus dubijs potiùs fauendum eſt reo iuxta regulam *Cùm ſunt de regulis Iuris*, tùm quia nec in foro externo iudicaretur excommunicatus: ergo nec in foro conſcientiæ; neque enim vtrumque forũ differt; niſi, quando forum exterius innititur falſę præſumptioni. Quam ſententiam etiam ſequitur Filliucius *Tract.* 13. *c.* 6. *quæſito* 11. *n.* 130. & alij Recentiores.

Ratio.

Obijces. 1. C ad audientiam.

601. Obijci ſolent (vt videre eſt apud Sanchez. *n* 47.) *c. ad audientiam*, & *c. Significaſti de Homicidio*, vbi dicitur in dubio facti iudicandum eſſe Irregularem.

Reſp. Illos textus.

602. Reſpondetur tamen cum eodem Sanchez *citato n.* 48. prædictos Textus ſolùm loqui de Irregularitate in dubio facti Homicidij; non verò de Cenſuris, eſſeque eam legem ſpecialiter poſitam pro Irregularitate ſolâ Homicidij, & nullo modo extendendam ad alia. Imò Henriquez *lib.* 14. *c.* 14. *n.* 5 & alij apud Rebellum *ſuprà n.* 13. putant, nec in dubio æquali facti cenſendum eſſe aliquem Irregularem; ſed ſolum; quando veroſimiliùs apparet commiſſum fuiſſe delictum; ſicque intelligunt *c. ſignificaſti* 2. *de Homicidio.* de hoc tamen agentes de Irregularitate dicemus. Sicut de dubio homicidij quando dubitatur, an fuerit vel non fuerit homicidium factum ita vt non conſtet certò de corpore ipſo delicti; imò etiam ſi conſtet, & dubitatur, an quis fecerit, ſed de his loco notato dicemus.

ſolum loqui de dubio facti Homicidij non verò de cenſuris

ex his Infertur.

603. Ex his licet inferre dubitantem, an pro aliquo delicto lata ſit excommunicatio? vel, an Iudex tulerit ſententiam excommunicationis? non debere ſe gerere, tanquàm excommunicatum poſt adhibitam, diligentiam ſi adhuc non potuit pellere dubium; eſt enim dubium Iuris.

604. Item, neque illum, qui dubitat ſe Clericum percuſſiſſe, qui tunc non tenetur etiam ad cautelam petere abſolutionem eo ipſo, quod, adhibitâ deligentiâ, non potuit ſpeculatiuum dubium pellere.

605. Conſequenter non eſt vitandus, qui dubitat an Clericum percuſſerit; an verò fama, vel teſtes fide digni percuſſionis ſufficiant? diximus *dub.* 28.

606. Vtrùm aliquis teneatur ſe tanquàm excommunicatum gerere, quando conſtat latam quidem eſſe excommunicationem; ſed dubitatur an fuerit iuſta? vel an fuerit lata ex iuſtâ causâ? vel an Iudex, qui eſt in poſſeſſione iudicandi, legitimam habeat auctoritatem? philoſophandum eſt iuxta dicta *diſp.* 1. *dub.* 24. *vbi n.* 351. & ſequentibus pro vtraque parte latè diximus, & n. 353. tandem concluſimus cum Sanchez, & alijs, ſi datetur opinio probabilis ex parte ſubditi, quod non teneatur obedire ſuperiori præcipienti, quotieſcumque eſt probabile quòd ſuperior non poſſit in eo caſu præcipere, ſiue, quia, quòd præcipit, probabiliter eſt iniuſtum, ſiue, quia probabile eſt ipſum non habere Iuriſdictionem; tunc etiam eſſe probabile, non eſſe obligationem obediendi, & licitè in praxi poſſe ſubditum ſequi hanc opinionem, ibi legatur. In praxi tamen ſemper conſulendum eſt in fauorem ſuperioris; nam poſſeſſio ſtat pro ipſo, & pro excommunicatione, quam conſtat eſſe latam. Quid verò faciendum ſit quando certum eſt excommunicationem fuiſſe latam; ſed dubitatur, an ſuperior habuerit animum excommunicandi? diximus dub. 15. §. *Nihilominus. n.* 203. & ſequenti. Idemque dicendum, ſi ſit dubium de ſeruatâ debitâ formâ.

607. Infertur vlteriùs non Cenſeri excommunicatum illum, contra quem lata eſt excommunicatio ſub conditione; ſed dubitatur, an cõditio ſit impleta. Ita Sanchez *ſuprà n.* 58. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 135. Diana cum alijs *part.* 4. *Tract.* 3. *Reſol.* 35 5. *& nota*, in tali enim caſu nulla eſt pro excommunicatione poſſeſſio, cùm non conſtet de impletâ conditione, ſine quâ non ligat. Ideò præualet poſſeſſio eius, in quem

lata

ata est, videturque fauere Couarr. *c. Alma mater* p. 1. §. 2. n. 6. Legatur Sanchez n. 57. & 58. & Diana citatus.

Infertur adhuc. 608. Vlterius infertur ex dictis illum iudicandum esse excommunicatum vitandum, quem constat denuntiatum fuisse, non tamen constat, an fuerit absolutus, quia possessio stat pro excommunicatione, & denuntiatione, nec ius præsumit absolutionem fuisse collatam; nisi probetur; quia cùm absolutio sit quid facti, non præsumitur. *Cum absolutio sit quid facti non præsumitur* Ita Couarr. *loco citato*, & Sanchez *citato n.* 57. qui probat. *ex c. sicut de sent. excomm.* & testatur de communi omnium sententia ad *dictum c.* Ita etiam Syluest. *verbo excommunic.* 5. *n.* 26. Nauarrus *c.* 27. *n.* 36. Auila *suprà dub.* 11. *conclus.* 6. Suarius *disp.* 5. *sect.* 3. *n.* 7. De notitia verò absolutionis requisita, vt possimus cum illo communicare, & quale testimonium absolutionis sufficiat diximus *citatâ dub.* 28. *assertione* 4.

Circa particulam necesse. 609. Circa Particulam *Necesse*, si intelligatur de necessitate secundum quid, seu ad melius esse, dictum est suprà circa particulam *vtile*; est enim hoc genus necessitatis propriè loquendo solùm vtilitas; si verò intelligatur de necessitate simpliciter, & grauiore; qualis non rarò solet reperiri, vt quando quis cogitur vel quando necessarium est communicare ad euitandum damnum graue in vitâ, vel in famâ, aut in re familiari, philosophandum est iuxta dicta *in hac disp. dub.* 24. in simili eo, qui per metum grauem cogitur facere id, quod prohibitum est sub censurâ, atque in vniuersum, si vtilitas excusat ab incurrendâ Censurâ participationem cum excommunicato vitando, potiori ratione, necessitas; videturque colligi ex *c. Quoniam multos* 11. q. 3. Vnde non solùm hîc sermo est de necessitate extremâ; sed de graui etiam, nec solùm de spirituali; sed etiam de temporali pertinente ad victum, vestitum, Habitationem &c. vt docent communiter Doctores, vt videre est apud Vgolinum. *Tabul.* 2. *c.* 23. §. 11. & apud Auilam *disp. illa* 11. *dub.* 12. apud Suarium *suprà* n. 8. Henriq. *lib.* 13. *c.* 23. Filliucium *Tract.* 13. *c.* 6. *quæsito* 12. Reginald. *lib.* 32. *n.* 124. ex quâ doctrinâ multi casus colliguntur, de quibus iam diximus in particulâ *Vtile*.

Si vtilitas excuset ab incurrenda censura participantem, potiori ratione hoc faciet necessitas quævis grauis.

Collige 1. 610. Colligitur præterea primò licere communicare, quando id est necessarium ad pacem aliorum conciliandam, vel scandalum euitandum, tùm, quia ea sufficiens est necessitas, tùm; quia si concurrant duo præcepta, quorum alterum necessariò deferendum sit, illud potiùs deseri debet, quod minoris momenti est, minoris autem momenti censetur non communicare cum excommunicato, quàm præceptum vitandi scandalum, & procurandi pacem.

611. Item non censetur Ecclesia velle obligare ad vitandum excommunicatum eum, qui per metum grauem, aut per vim cogitur, communicare, aut diuinis interesse corám excommunicato. In quo casu non tenetur claudere oculos, vel obturare aures, vt notat Auila *dub.* 13. Henriquez *lib.* 13. *c.* 13. *n.* 4. aliique multi, quidquid Caietanus dicat *verbo excommunicatio.* nam obturare aures, vel claudere oculos non sufficit, vt quis dicatur non interesse Missæ, nam surdus, & cæcus potest interesse; nec credendū est Ecclesiam velle hoc præcipere, ideò satius est, si non potest commodè discedere, reuerenter attendere, & Eucharistiam adorare; metus autem, vel necessitas non sufficit, vt fiat alioquin aliquid intrinsecè malum; sed philosophādum est iuxta dicta *citata dub.* 24. Legatur Suarius *loco citato n.* 8. & Vasquez *Tract. de Excomm. dub.* 7.

612. Ex dictis etiam constat me non teneri dissoluere contractum Societatis initum cum excommunicato, vt iam diximus circa particulam *Vtile*. *Collige 2.*

DVBITATIO XXXIX.

An liceat fidelibus orare pro excommunicato vitando non tolerato.

LEgantur quæ diximus de Sacrificio Missæ *Tract.* 5. *disp.* 2. *dub.* 3. & 4.

613. Notandum in primis est duplicem esse orationem, quantum ad præsens attinet, alteram publicam, alteram priuatam: publicæ orationes, quæ & suffragia communia Ecclesiæ appellantur, sunt illæ quæ à Ministris Ecclesiæ, & nomine Ecclesiæ fiunt; quas enumerat Nauarrus *c.* 27. *n.* 36. *ad.* 5. & *n.* 176. Oratio autem priuata est, quæ fit à personâ priuatâ, vt est persona particularis, & non nomine Ecclesiæ. *Nota 1. duplicem esse orationem publicam, & priuatam.*

614. Solet autem hoc discrimē assignari inter Orationes publicas Ecclesiæ, & priuatas quòd si fiant nomine Ecclesiæ seruant adhuc valorem, etiamsi minister sit in peccato mortali, quia valor orationum non pendet solùm à ministro orante; sed ab Ecclesiâ, cuius nomine offeruntur. Valor verò Orationis priuatæ nullus est (quantum ad satisfactionem loquor non quantum ad impetrationem) atque adeò non proderit quantum ad satisfactionem ei, pro quo offertur. Legatur Vgolinus *Tabula* 2. *c.* 9. *in principio numeri* 2. Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 4. *dub.* 1. Filliuc. *Tract.* 12. *c.* 2. *quæsito* 1 *n.* 33 Reginald *lib.* 32. *n.* 9. Suarius, & alij, quos retuli loco citato de Sacrificio Missæ. *Discrimen inter orationes publicas Ecclesiæ & priuatas.*

615. Notandum vlteriùs, vel potius reuocandum in memoriam, quod diximus *dub.* 1. de triplici communicatione seu communione bonorū, quæ esse potest inter fideles; quarū prima est purè interna, secunda purè externa, tertia mixta. Et de purè internâ iam ibi diximus Ecclesiam nec velle, nec posse priuare: de purè externâ multa dicta sunt, & dicentur in sequentibus; de mixta verò quæ pertinet ad sacramenta, & suffragia præter ea, quæ iam diximus, restant adhuc multa dicenda, de quibus in sequentibus. Hoc supposito. *Nota 2. triplicem communionem bonorū posse esse inter fideles.*

616. Assero primò excommunicatos priuatos esse orationibus communibus seu suffragijs Ecclesiæ, paret ex *c. A nobis* & *c. Sacris de sentent. excommunic.* & ex multis capitibus, quæ habentur 11. q. 3. ex quibus omnibus loco in principio citato diximus pro illis sacrificium, Orationes, & suffragia non posse offerri. Vide Dianam cum alijs quos refert 5. *p. Resol.* 75. 76. & 77. vbi etiam pro non toleratis affert Auctores sentiētes posse offerri si iam sint per contritionem iustificati *Assertio 1. excomm. priuati sunt suffragijs Ecclesiæ.*

ficati, quia non censetur Ecclesia velle priuare ijs bonis eos, qui iam sunt Deo reconciliati; sed probabilior est assertio nostra: & inde sequeretur absque absolutione sublatam esse magnam partem effectuum excommunicationis: vide dicenda infra nu. 622.

Ex hac assertione sequitur 1.

617. Ex hac assertione sequitur primò non licere excommunicatis ipsis petere, vt pro se offerantur huiusmodi suffragia, qualia sunt Missæ, Horæ Canonicæ, Indulgentiæ, & similia. Quod Adeò verum est vt peccent mortaliter iuxta communem Doctorum sententiam. Legatur Vasquez de *Excommunic. dub.* 2. Suarius *disp. 9. sect. 1. n. 2.* Filliucius *Tract. 12. quæsito 2. n. 35.* & nos probauimus loco citato in principio.

Infertur 2.

618. Infertur 2. eum, quia applicat excommunicato communia suffragia prædicta excommunicatis non toleratis peccare mortaliter, quia Ecclesia priuat excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragijs, quod præstat prohibendo fidelibus ne talia offerant pro illis, quæ prohibitio in re graui est. Ita Nauarrus *suprà.* Suarius *suprà n. 4.* Fillincius *suprà quæsito 3.* & alij communiter. Vide Dianam citatum.

619. Solùm in vno casu licet publicè orare pro Hæreticis excommunicatis, vt multi volunt, scilicèt in Feriâ sextâ Parasceues; quo die id facit Ecclesia, tùm ad imitationem Christi, qui tempore passionis orauit pro inimicis; tùm ad ostendendum valorem mortis Christi, qui pro omnibus mortuus est, & cuius mors ad omnes extenditur. Ita Suarius *loco citato nn. 5.* Saytus *lib. 2. c. 4. n. 7.* & Filliuclus *suprà quæsito 3.* Reginaldus *lib. 32. n. 17.* Hugolinus *Tabul. 2. c. 9. §. 2. n. 4.*

620. Sed in hac re Philosophandum est sicut de sacrificio Missæ diximus *disp. illa 2. dub. 3. num. 69. & seqq.* Vbi de hac re disputauimus ibi legatur.

Suffragia oblata pro excomm. an illis prosint.

621. Vtrùm autem, si defacto offerantur suffragia pro excommunicatis illis prosint? facile est respondere iuxta doctrinam ibidem traditam. In primis, si adhuc excommunicati sint in peccato mortali, nihil illis prodesse, quoad satisfactionem non solùm alias rationes, & suffragia; sed neque sacrificium Missæ. Quoad impetrationem verò in sacrificio Missæ distinguendum est, si excommunicati sint tolerati, & pro illis offeratur sacrificium, proderit illis saltèm secundum fructum respondentem ex parte Christi instituentis, & per sacerdotem; tanquàm per ministrum offerentis; imò supposito quod probabile sit post Concilium Constantiense, quod pro toleratis possit offerri etiam nomine Ecclesiæ probabile etiam est, quòd fructus impetrationis respondens ex parte Ecclesiæ, quatenùs nomine illius offertur sacrificium, etiã illis prosit. Item fructus respondens ex parte sacerdotis offerentis, tanquàm priuatæ personæ. Consequenter etiam probabile est, si hi excommunicati tolerati sint per Contritionẽ in statu gratiæ etiam tunc prodesse sacrificium, & cæteras orationes, & suffragia ad satisfactionem. Vtrùm autem, si defacto offeratur sacrificium pro excommunicatis non toleratis, siue id culpabiliter siue inculpabiliter faciat sacerdos, illis prosit, diximus eodem loco, sicut, & alia, quæ circa hanc rem tractati possent, ibi legantur.

Assertio 2. ablata in orationes priuata pro excommunic. non est prohibita ab Ecclesia.

622. Assero 2. orationes priuatæ non sunt prohibitæ ab Ecclesiâ offerri pro excommunicatis, quod de orationibus non institutis ab Ecclesia certissimum est; & communiter receptũ, quidquid probabile putent & acclament faber apud Dianam citandum & pauci alij sine idoneo fundamento. Neque enim ex eo quòd excommunicatus sit priuatus suffragijs bonus Ecclesiæ, censetur suffragijs illis priuari sed solùm communibus: priuata enim suffragia. Nondum facta sunt communia totius Ecclesiæ, donec quasi vel derelicta, vel superflua, & non applicata alicui intento fini conferãtur in communem thesaurum: quoties enim quisque sua priuata applicat, non censetur applicare communia. Vnde sacri Canones prohibentes communionem Ecclesiæ cum excommunicato cõmunia tantùm prohibẽt & ab ijs excludunt excommunicatum. Atque vt cætera deessent, sufficit quòd ita sit communiter receptum inter Doctores. Legatur Diana *part. 5. Tract. 9. Resol. 76. & 77.* Hæc de priuatis saltem non institutis ab Ecclesia, de institutis verò ab Ecclesia, aliqui dicunt esse publicas orationes, & Ecclesiæ suffragia, etiamsi à laico fundantur, vt si laicus dicat Horas Canonicas. Ita Petrus à Nauarra *lib. 2. de Restit. c. 2. n. 255.* & Nauarrus de *oratione c. 20. n. 4. & 66.* Auila *p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 2.* cum eâ tamen limitatione, vt id verum sit, quando ex intentione vult orare nomine Ecclesiæ. Item Couarr. c. *Alma mater. § 5. n. 8.*

623. Hoc tamen quod scilicèt publicæ orationes censeantur illæ quæ dicuntur etiam à laicis vtentibus eisdem verbis Ecclesiæ, non est ita certum, imò nec puto verum.

Quid requiritur vt oratio dicatur publica & nomine Ecclesiæ offerri.

624. Dicendum ergo existimo præter id, quod sint orationes, & suffragia ab Ecclesiâ instituta, vel approbata, requiri quòd afferantur per Ministros Ecclesiæ ad id munus deputatos. Vnde licitè poterunt laici Psalmos, vel litanias, vel horas recitare pro ijs. Ita Suarius *tomo 4. in 3. p. disp. 48. sect. 8. n. 9.* vbi (vt nos etiam notauimus de sacrif. Missæ *disp. 3. dub. 8. nu. 214.*) ideò ipse docet illas orationes videri propriè fieri nomine Ecclesiæ, quæ dicuntur à Ministris ad hoc deputatis: addit Suarius *ex præcepto vel ordinatione suâ.* Hoc tamen vltimum de præcepto (vt ibi notauimus, & alijs in locis) non videtur necessarium; sufficit enim, quod minister Ecclesiæ oret iuxta formulam Ecclesiæ consuetam, imò non sufficit quod dicat Orationes, aut sacrificet iuxta præscriptum Ecclesiæ nisi alioquin ex voluntate (saltèm permissiuâ) Ecclesiæ id faciat. Quâ ratione eâdem *dub. 8.* diximus eum, qui offert sacrificium Missæ pro excommunicato non tolerato, etiamsi celebret iuxta præscriptum Ecclesiæ cum omnibus ceremonijs ab illâ præscriptis adhuc id non facere auctoritate Ecclesiæ. Sed, quidquid sit de hoc, laici sic recitantes, & non tanquàm Ministri Ecclesiæ, Censentur recitare, tanquàm priuatæ. Et idem docet Sotus *dist. 13. q. 2. art. 1.*

Laici recitantes orationes Ecclesiæ censentur recitare tanquàm priuatæ personæ.

625. Imò etiam Clerici possunt recitare horas, vel alias orationes Ecclesiæ pro excommunicato dummodò priuatâ intentione, & tanquàm priuatæ personæ eas recitent, & non ex vi

præ-

præcepti Ecclesiastici, nec ad implendum illud, vt concedit Suarius *disp. 9. sect. 1. circa finem.* Quod etiam fateri tenentur consequenter Nauarrus *c. 27. n. 166. & Cordub. in Summâ q. 187. puncto* 3. dum docent Psalmos, & litanias, si dicantur in processione, quæ fit cum cruce, & solemnitate Ecclesiasticâ, esse officium Diuinum, non verò, si dicantur à laicis in suis confraternitatibus.

Ratio assertionis.

626. Ratio autem nostræ assertionis est, quia opposita sententia nullâ ratione efficaci nititur, nec vllus est locus in Iure, vnde colligi possit. Ita, quia D. Augustinus *Epist.* 107. & alij Patres docent Orationem Dominicam pro infidelibus, & pro reductione Hæreticorum dici posse, sepeque Pontifices Indulgentias concedunt, si dicant pro Infidelibus, & Hæriticis Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam; quæ tamen in Horis Canonicis, & in officio Ecclesiastico continentur.

An offerens Ecclesiæ suffragia pro excomm. vitando incurrat minorem excomm. Affirmant Aliqui. Negat Auila.

627. Vtrum, qui offert Ecclesiæ suffragia pro excommunicato vitando incurrat minorem excommunicationem? affirmat Nauarrus *n.* 36. Bonacina *disp. 2. q. 2. puncto. 1. n.* 5. & alij Recentiores. Negat Auila *supra dub.* 4. quia orare pro excommunicato non est cōmunicare cum illo; Solus enim ille communicat cum excommunicato in Oratione, qui simul orat cum illo, vel coram illo, vt notat Syluest. *Excommunic. 5. n.* 2. & Caietanus *verbo Excomm. circa finem § Illicita autem.* Ex quo principio probat Auila, quòd non possimus suffragia Ecclesiæ, aut missas offerre pro excommunicatis toleratis, & non denuntiatis, quia Concilium Constantiense solùm concessit communicationem cum illis; orare autem pro illis non est communicare. Item hoc directè pertinet ad eorum fauorem.

Author Iudicat, quod pro talibus orare liceat Ratio.

628. Nihilominùs quoad hoc vltimum magis placet quod etiam orare liceat; nam Concilium Constantiense absolutè ita voluit nos gerere quantum est ex parte nostrâ cum excommunicatis, sic toleratis perinde, ac si non essent excommunicati. Vnde solùm manet respectu illorum impedimentum, quod Iure naturali resultat suppositâ excommunicatione. De cætero, quantum est ex parte Ecclesiæ ablata sunt à cæteris fidelibus reliqua impedimenta. Quamuis autem Concilium Constantiense præcipuè abstulerit impedimentum communicationis, id videtur ideò specialiter designasse, non vt limitaret ad præcisam communicationem; sed quia est quod frequentiùs contingit. Imò hæc concessio orandi pro excommunicatis toleratis videtur, quasi consequenter oriri ex priori concessione admittendi illos ad communicationem orationis; nam eo ipso, quòd alij fideles possint illos inuitare, etiam ad Diuina, censentur posse etiam illos participes facere, tanquàm cooperatores. Vnde, si Sacerdos celebraturus Missam,

Sacerdos carens ministro ad celebrandum potest vocare excomm. toleratum.

& carens alio ministro potest vocare excommunicatum toleratum, vt ministret sacro & ibi orare pro omnibus circumstantibus, vt de more fit in Missâ, eo ipso videtur concedi consequenter quòd oret pro Ministro in illo sacrificio, eademque ratio est de omnibus, siue in choro siue aliâ ratione simul, & communi oratione orantibus pro totâ illa communitate & familia præsenti.

Difficultas de oratione sacerdotis in Memento Missæ.

629. De oratione verò sacerdotis in *Memento* Missæ an possit applicari excommunicato cuiuis? Suam habet difficultatem, quam tetigimus *dub. illa 3. citata de sacrificio Missæ.* vbi diximus nu. 78. cum Suario licitum esse sacerdoti orare priuatim in *Memento* Missæ, & intentione priuatâ, atque in propriâ personâ petitionem adhibere pro excommunicato, totumque pium opus dicendi Missam, vel recitandi horas Canonicas, quatenùs est proprium opus talis priuatæ personæ, & quoad satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis offerre pro excommunicato: quia eâ ratione est priuata oratio, & satisfactio priuata, cuius applicatio voluntaria est, nec prohibita. Pro quâ sententiâ plures alios ibi retulimus.

Authoris iudicium cum Suario.

Contra non improbabiliter sentit Auila.

630. Contra hoc tamen non improbabiliter sentit Auila *supra dub.* 5. cum Martino de Ledesma, Cano, & Medina, docens sacerdotem in *Memento* Missæ orare tanquàm personam publicam; & Ministrum Ecclesiæ, & nomine Ecclesiæ; nam tota Missa, & quælibet eius pars celebratur à sacerdote, vt Ecclesiæ ministro, sed *Memento* est pars Missæ: ergo &c. Secundò, quia in personâ Ecclesiæ dicit illa verba, *Memento* &c. & deinde sequentia scilicet *& omnium circumstantium*, vbi coniunctio denotat copulationem cum illis, quorum memoriam fecit in *Memento*. Vnde colligit Auila, quòd si sacerdos non habeat aliam intentionem specialem præter illam, quam intendit Ecclesia, non potest orare pro excommunicatis: nam Ecclesia intendit, & præcipit, vt in *Memento* oret, tanquàm persona publica, imò in eo debet applicare sacrificium pro eo, à quo accipit stipendiū, pro quo, vt Minister Ecclesiæ debet orare, aliàs iniuriam faciet illi, qui dedit stipendium.

Ipsius rationes non conuincunt.

631. Hæ tamen rationes, quamuis probabilem reddant prædictam sententiam, non satis conuincunt; nam, quòd sacerdos priuatâ intentione oret & offerat maximè, si fiat sine verbis exterius pro latis, sed merè internâ intentione, & quæ nullo modo innotescat Ecclesiæ, non est prohibitum. Vnde, sicut communis sententia docet intentione priuatâ, vt est opus pium particularis operantis, posse sacrificium offerri pro excommunicatis, etiam non toleratis, quia id Ecclesia non prohibet: ita quoque dici potest de *Memento* Missæ, quantumuis sit pars Missæ; sicut enim totum opus pium Missæ potest offerri: ita & illa pars, quæ est in *Memento*. Quamuis autem in eo præcipiat Ecclesia orare pro aliquibus non prohibet, quòd secretà, & priuatâ intentione oret pro alijs, quantumuis excommunicatis, & quidem de toleratis iam diximus, etiam exteriùs, posse admitti ad communicationem in sacrificio, sicut ministrando in Missâ siue assistendo; siue etiam cantando in Choro Diuina officia; de non toleratis verò satis erit, quòd nullo modo ex intentione publicâ & nomine Ecclesiæ pro illis oretur; negamus tamen, quòd eo ipso, quod ea oratio, quæ fit in *Memento* fiat nomine Ecclesiæ, non liceat simul oratione priuatâ, & maximè mentali priuatâque intentione alios adiungere, quantumuis excommunicatos. Alia quæ ad hanc rem pertinent,

legantur locis citatis de *Sacrificio Missæ* vbi latè explicuimus, quot modis Sacerdos in Missâ consideretur? quotque sint effectus sacrificij? & quænam ex istis effectibus debeant applicari ijs, pro quibus Missa offertur? & an prosint excõmunicato? & an Sacrificium oblatum à sacerdote excõm. pro se ipso ipsi prosit? & legi possunt Coninc *disp.* 14. *dub.* 6. Suarius *suprà sect.* 5. Henriquez *lib.* 13. *c.* 12. Filliucius *Tract.* 12. *c.* 2. *quæsito* 8. & alij apud ipsos.

Indulgentia non prodest excommunicato.

632. Vtrum autem Indulgentiæ prosint excomm.? diximus Tract. 9. *de Purgatorio, indulgentijs & suffragijs. disp.* 2. *dub.* 9. *n.* 147. vbi cum multis diximus non prodesse excommunicato, quia vna ex pœnis excommunicationis est priuatio communium suffragiorum, quamuis in contrarium videatur sentire Henriquez *lib.* 7. *c.* 18. Filliucius *suprà c.* 2. *quæsito* 1. *n.* 33. Nauarrus apud Vgolinum de Censuris *Tabula* 2. *c.* 9. *in principio.*

DVBITATIO XL.

Quomodo excommunicatio priuet vsu passiuo Sacramentorum? & quid de eo, qui ministrat excommunicato.

Assertio 1. mortaliter peccat excommunic. recipiendo Sacramentum regulariter loquendo.

633. ASserendum est primo mortaliter peccare quemcumque excommunicatum quodlibet recipiendo Sacramentum regulariter loquendo. Ita est expressum in Iure *c. Cum illorum* & *c. Si quem de sententia excommunic.* & *c. Illud.* & *c. Si celebres.* de *Clerico excommunic. ministrante*, docentque omnes, quos viderim Auctores, præcipuè S. Thom. 2. 2. *q.* 49. *art.* 5. Nauarrus *c.* 27. *n.* 18. Sayrus *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 2. Suarius *disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 5. Henriquez *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 1. Conarr *t. p.* §. 6. *n.* 5. Sotus *disp. illâ* 22. *art.* 5. Vgolinus *Tabul.* 2. *c.* 7. *n. t.* 2. & 3. Filliucius *Tract.* 12. *c.* 7. *quæsito* 1. Dixi *regulariter loquendo*; nam aliquando potest excusari ob ignorantiam, vel necessitatem vt ob vitandam infamiam, scandalum, periculum mortis &c. quod aliâ ratione vitari non potest iuxta dicta *dub.* 24. & sæpe alibi pro quâ sententia plures affert & sequitur Diana 5. part. Tract. 9. resol. 53. 81. 82. & 96. & prius docuerat part. 3. Tract. 4. Resol. 78. Ratio, omissis alijs est, quia præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto incommodo, & præceptum naturale vitandi scandalum præualet præcepto Ecclesiæ abstinendi à Sacramentis; sed omnia regulati debent cum circunstantijs, & limitationibus notatis tum eadem *dub.* 24. tum *dub.* 38.

Ratio assertionis.

Ratio assertionis est, quia Ecclesia excommunicatum probibet suscipere Sacramenta, quæ prohibitio est in materia graui. Legatur Coninc *disp.* 14. *dub.* 5. *n.* 31. Filliucius *suprà n.* 56. qui sicut, & alij citati, excusant à peccato ob ignorantiam, vel necessitatem predictam, & *dub.* 45. dicemus licere Matrimonium aliquando in articulo mortis.

634. Dixi autem quemcumque excommunicatum, qui, etiamsi non sit denuntiatus, mortaliter peccat recipiendo Sacramenta; neque enim Concilium Constantiense voluit ipsis excommunicatis fauere vt sæpe dictum est.

Assertio 2.

635. Asserendum est 2. prædictum excommunicatum recipiendo Sacramentum, nullam incurrit pœnam ipso facto, excepto Sacramento Ordinis; nulla enim pœna extat in Iure expressa contra recipientes Sacramenta in excommunicatione; nisi tantùm pro Sacramento Ordinis; in hoc autem excommunicatus suscipiens illud suspensus manet. Ita Suarius *suprà* cum Innocentio in *c.* 1. *de sentent. excommunic. in* 6. & cum Vgolino. *Tabulâ* 1. c. 14. *n.* 22. id quod etiam latiùs docet *disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 57. Henriquez de *Irregularit. c.* 7. *n.* 1. *literâ* F. vbi dicit minores Ordines esse Sacramentum ac proinde illos recipiendo incurrere excommunicatum suspensionem, idque nos dicere tenemur, quia *tom.* 1. *de Sacramentis Tract.* 6. *de Ordine dub.* 8. diximus probabiliùs esse, & magis commune quatuor minores Ordines esse Sacramentum. Sed, quidquid de hoc sit, quòd in ordine sub excommunicatione suscepto incurratur suspensio consentiunt Auctores, quos iterum referam agendo *de Irregularitate, & de suspensione* proprijs in locis. Legatur *disp.* 4. *dub.* 7. *s.* 3. 5. *vndecima suspensio* & *disp.* 7. *dub.* 58.

talis tamen nullam incurrit pœnâ ipso facto nisi ordines suscipeat. Ratio.

Excusantia à pœnâ incurrenda.

636. Poterit tamen excusari, vt nuper dicebamus ex ignorantiâ inuincibili, vel probabili Iuris, vel facti, & ex graui necessitate vitandi mortem, vel infamiam, tunc enim sicut non peccat, ita nec pœnam incurrit. Legatur Coninc *suprà n.* 32. & Filliucius *suprà n.* 54.

Assertio 3.

637. Asserendũ est 3. eum, qui ministrat Sacramentum aliquod excomm. denuntiato peccare mortaliter, quia, quoad hunc excommunicatum nihil innouatum est per extrauagantem Concilij Constantiensis. Ideò Doctores cõmuniter monent standum esse antiquis Iuribus, prohibetur autẽ hoc *c.* 14. *q.* 3. *in multis capitibus* & *c. significauit.* & *c. Cum desideres de sententiâ excommunic.* & *c. Episcoporum*, de *Priuileg. in* 6. poterit tamen excusari à peccato, qui sic ministrat primò propter ignorantiam inuincibilem. Secundò, quando ipse excommunicatus propter vitandum graue damnum licitè iuxta dicta recipit; tunc enim licitè poterit ministrare. Ita Suarius *suprà sect.* 2. qui addit nullam incurrere pœnam ipso facto sic ministrantem Sacramenta excommunicato denuntiato præter minorem Excommunicationem; nam, quæ imponitur *in c. significauit*, est quidem, sed solùm comprehendit eos, qui scienter, & spontè darent Sacramenta excommunicatis à Papa *iuxta dicta dub.* 37. Ita Filliucius & Mercerus quos refert & sequitur Diana 5. part. Resol. 82. in fine.

Quæres.

638. Quæret tamen aliquis an sacerdos administrans Sacramenta excommunicato vitando ignoranti se esse excommunicatum, peccet?

Resp.

Respondeo peccare contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, quæ prohibitio ipsi ministro innotescit, vt supponimus, quantumuis ipse excommunicatus propter ignorantiam excusetur à peccato. Ita Bonacina *disp.* 2. *q.* 2. *puncto* 1. §. 2.

Assertio 4. post Constantiense non prohibetur ministrari Sacramẽtorum non denuntiato.

639. Asserendum est 4. ex vi Censuræ excommunicationis post Concilium Constantiense non prohibentur ministri Sacramentorum, ea tribuere excommunicatis non denuntiatis, si tamen ea ministrent, sæpe peccabunt contra Ius naturale Diuinum; quia ex eo tenemur non

dare

Ratio. dare sancta canibus, interdum verò etiam ab hâc culpâ excusabuntur. Quòd non prohibeantur præcepto Ecclesiastico patet per extrauagantem *Ad euitanda*, Concilij Constantiensis sæpe citati, ratione cuius, etiam malè ministrantes Sacramenta excommunicatis non denunciatis non incurrunt excommunicationem minorem, quam ante illam extrauagantem incurrebant. *Ministrantes tamen talibus sæpe peccabunt ex alio capite. Ratio.* Quòd verò sæpe contra Ius naturale Diuinum peccent probatur ex eo, quòd tenemur non ministrare Sacramēta peccatori, & indique petenti iuxta dicta *de Sacram. in genere. Tract. 1. disp. 3. dub. 12.* Quòd autem Concilium Constantiense permiserit communicare cum excōmunicato tolerato in Diuinis, & Sacramentis? solùm probat abstulisse prohibitionem Ecclesiasticam; non verò naturalem, quam non poterat auferre: propterea sacerdos ministrans Sacramenta non peccat contra illam Constitutionem; quamuis peccet contra Ius naturale Diuinum, rectè notarunt Suarius *disp. illâ 10. sect. 2. n. 12.* Vasquez *Tract. de Excommunic. dub. 2.* Filliucius *suprà n. 65.* Couarr. *1. p. §. 2. n. 11.* & alij multi. *Interdum talis administratio nō est peccatum Ratio.* Quòd autem interdum non sit peccatum patet; quia, sicut occulto peccatori petenti publicè Eucharistiam debet illi ministrari: ita etiam occulto excommunicato petenti publicè danda est, ne infametur; & ne sequatur scandalum. Ita Couarr. *suprà*, Suarius *suprà n. 9.* quâ de re generaliter agentes *de omnibus Sacramentis*, diximus *Tract 1. disp. 3. dub. illa 12.* maximè *assertione 4.* etiam *de Eucharistiâ Tract. 4. disp. 9. dub. 12.* credere autem potest Minister excommunicato occulto, qui petit Eucharistiam dicens se absolutum esse, imò, quamuis non asserat se esse absolutū, si alioquin est fide dignus eo ipso quòd petit Eucharistiam potest sacerdos præsumere eum esse absolutum; nisi manifestè constet contrarium, aut, nisi periculum immineat schandali, vel alterius incommodi, nemo enim præsumitur velle sic delinquere. Ita Nauarrus *c. 27. n. 36.* Suarius *citatâ disp. 10. sect. 2. n. 12.* Filliucius *Tract. 12. c. 3. n. 65.* & alij multi.

An ignorāti se esse excōm. &c licet conferre Sacramentum. 640. An verò Sacramentum excommunicato tolerato ignoranti se esse excommunicatum; aut ignoranti excommunicationem esse impedimentum, & peccatum mortale sic accedere ad Sacramēta, licitum sit ea conferre? Nō est ita facilè. *Negat Bonacina.* Negat Bonacina *suprà*, & aliqui alij.

Authoris Iudicium. 641. Nihil tamen videtur non esse sufficiens fundamentum ad negandum id esse licitum, nam ex nullo capite videtur sic conferens Sacramenta vniuersaliter loquendo teneri, vel abstinere à tali administratione, vel monere talem excommunicatum. Nam Iuxta Concilium Constantiense non tenetur vitare (etiam in Diuinis) prædictum excommunicatum: ex alio capite ipsemet excommunicatus, quantum est ex se, suppositâ ignorantiâ inuincibili, vel probabili facti, aut iuris, non peccat: ergo ex hoc capite nec etiam ministrans peccabit. Tota enim ratio peccandi ex parte ministri consistit non præcisè in prohibitione Iuris Ecclesiastici; quod nullum est prohibens post Concilium Constantiense, vt diximus; sed consistit in prohibitione Iuris naturalis Diuini, quatenùs minister non potest dare Sacramentum indignè suscipienti illud. In hoc autem casu suscipiens Sacramentum excusatus prædictâ ignorantiâ non suscipit indignè; ergo ex hoc præcisè capite ministrans non peccat. Monere autem illam, & tollere illius ignorantiam, non semper tenetur minister; nisi fortè talis sit cui incumbat ex officio talem personam docere; tunc autem fortè peccabit ex eo capite; non verò præcisè in administrando Sacramentum indignè accedenti. Accedit, quòd non semper expedit monere suscipientē; nam, quādo prudēter timetur, quod suscipiens alioquin bonâ fide accedens; licèt moneatur de obligatione abstinendi propter excommunicationem; nihilominùs, quantum est ex se ausu temerario volet suscipere Sacramentum, non est obligatio illum monendi, imò Consultiùs est non monere Iuxta dicta à nobis *de Pœnit. Tract. 8. disp. 10. dub. 28. n. 531.* ergo ex nullo capite tenetur minister præcisè, quamuis minister Sacramenti arcere vniuersaliter loquēdo accidentem ad Sacramentum, & versantem in eâ ignorantiâ.

642. Dixi *vniuersaliter loquendo*, nam, si speretur, quòd ille acquiescet monitioni, & sese accommodabit præceptis Ecclesiæ, alia potest esse ratio iuxta dicta *in eâdem disp. 28.* Habemus ergo ex dictis, quòd, si minister Sacramenti timeat prudenter prædictum excomm. tolleratū malè vsurum monitione, quâ tollatur eius ignorantia, non tenetur minister eum monere, nec negare illi Sacramentum, quòd alioquin dignè petit, & suscipit.

643. Asserendum est 5. omnia Sacramenta recepta ab Excommunicato (præter Sacramentum Pœnitentiæ, de quo posteà dicemus) valida, & rata sunt, quoad substantiam. Ratio est, quia in reliquis Sacramentis, exceptâ Pœnitentiâ, si applicetur debita materia, & forma vnius cuiusque cum debitâ intentione ministri, & suscipientis, necessariò perficitur Sacramentum, nec potest Ecclesia per Censuram illud impedire, quia Censura, vt talis non reddit personam incapacem, nec impedit aliquid, quod ad substantiam Sacramenti pertineat. Ita Suarius *disp. 12. sect. 3.* Vasquez *de Excommunic. dub. 4.* Henriq. *lib. 13. c. 10. n. 1.* Auilà *p. 2. c. 6. disp. 3. dub. 4.* Filliucius *Tract. 12. c. 3. quæsito 3.* Reginaldus *lib. 32. n. 4.* Vgolinus, & alij citati, & *infra* citandi. *Assertio 5. Excomm validè suscipit omnia Sacramenta præter Pœnitentiam. Ratio.*

644. Dixi, *quoad substantiam*, quia, si loquamur de effectu gratiæ, certum est excommunicatum non semper validè recipere Sacramenta, quoad effectum id est, quoad gratiam, cùm ponat obicem, vt ex se patet.

645. Assero 6. Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab Excommunicato, probabile est validum esse, imò, & suum habere effectum quando sine vllâ culpâ suscipitur, vt, si adsit inuincibilis ignorantia vel necessitas grauis vitandi scandalum, aut infamiam, aut, si adeò instaret mors repentina, vt non esset tempus priùs absoluendi ab excommunicatione. Ignorantia prædicta inuincibilis potest esse Iuris, vt, si ignoret excommunicationem esse impedimentum ad recipiendam absolutionem, vel potest esse facti, vt, si ignoret se esse excommunicatum, habetque locum hæc sententia, siue excōmunicatio sit reseruata, siue non. Ita Suarius de *Assertio 6. Probabile est sacramētum pœnitētia ab eo susceptum esse validū & suum effectum quandoq; habere.*

de Censuris disp. 10. sect. 3. Coninc disp. 14 dub. 5. Auila p. 2. 6. disp. 3. dub. 4. Couarr. 1. p. §. 6. a n. 7. Adrian. q. 3. de clauibus circa finem, & expressius q. 2. de Confess. circa finem, Medina Tract. 2. de Confess. q. de Confess. ab excommunicato facta. Armill. verb. absolutio n. 5. Nauarrus c. 9. a n. 3. vsq. ad 8. Petrus Sotus de Confess. Lect. 6. & de excommunic. Lect. vltima, Henriquez lib. 13. c. 12. n. 1. & 2. Sà verb. absolutio n. 17. in editione antiqua. Caietan. verbo absolutio. Filliucius suprà, quaesito 3. n. 59. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 11. puncto 3. circa principium & q. 17. puncto 2. & alij apud Vasquez de Excommunic. dub. 4. & apud Reginaldum lib. 6. n. 172. quam sententiam probabiliorem iudicauimus disp. 8. de Poenitētia praesertim à num. 65. & deinceps & praeter ibi dicta. Videri potest Diana, qui varijs in locis praesertim verò 5. part. Tract. 9. Resol. 53. & 82. plures alios refert. Vide eundem 3. p. Tract. 4. Resol. 78. quidquid in contrarium sentiant Syluest. & Vasquez ibi citati, alijque nonnulli. Fundamentum est, quia nullo Textu constat huiusmodi absolutionem irritam fieri, sed solùm esse prohibitam, in ijs autem rebus, quae pertinent ad augendum rigorem poenae sufficiens argumentum est, vt non admittantur, si non satis probentur; nec huiusmodi poenae extendendae sunt ab vno casu in alium. Quamuis autem absolutio data ab excommunicato denuntiato sit nulla: quia est priuatus Iurisdictione, inde tamen non rectè sumitur argumentum ad susceptionem; quia collatio, & susceptio sunt valde diuersae; nec ex eo, quòd esset irrita collatio aut susceptio beneficij Ecclesiastici, inde sumi potest argumētū ad susceptionē Sacramenti; quia sunt valde diuersa; & hęc necessaria sunt ad salutē animae; nō verò illa; si tamen sine ignorantiâ, vel necessitate culpabiliter suscipiatur Sacramentum Poenitentiae ab excommunicato, omnino concedendum est cum Suario esse nullum, & irritum propter defectum materiae sufficientis, & requisitae; est enim materia huius Sacramenti integra peccatorum confessio, & attritio, ibi autem non est saltèm attritio vera. Ita praeter Suarium Vgolinus Tabul. 2. c. 7. §. 2. n. 6. Sayrus lib. 2. c. 2. n. 2. Filliucius suprà. Coninc suprà n. 29. & alij multi à Diana & a nobis citati notatis locis. Licèt Caietanus suprà. Nauarrus c. 9. n. 3. Henriq. & alij, quos ipse citat, putent, si confiteatur illud ipsum peccatum, quod committit in suscipiendo, fieri Sacramentum informe, ita, vt non sit iteranda confessio, quando culpa illa prouenit ex ignorantiâ vincibili, quae sit peccatum mortale; sed non crassa. Idem docet Armilla verbo absolutio n. 5. Auila verò conclus. 2. sic ait, *Si ignorat culpabiliter mortaliter, sed non affectatè se esse excommunicatum, vel quòd est mortale, sic accedere; confessio erit valida; sed informis, si tamen scit se esse excommunicatum, & quòd est mortale sic accedere: confessio est nulla ex defectu debitae dispositionis; non verò precise ex vi excommunicationis.*

Fundamentum assertionis est.

646. Haec tamen doctrina nullo modo mihi placet; nam eo ipso, quòd adsit ignorantia culpabilis mortaliter, talis culpabilitas ignorantiae sufficienter innotescit sic ignoranti; neque enim potest esse culpabilis ignorantia absque eo, quòd nouerit sic ignorans se teneri adhibere diligentiam pellendi talem ignorantiam, & peccare in non adhibendo illam; atque adeò non erit integra confessio ea parte doloris, & confessionis; si enim confiteatur tale peccatum debet adhibere diligentiam ad pellendam ignorantiam; quā adhibitā, vel ignorantia pelletur, vel desinet esse ignorantia culpabilis. Si autem confiteatur tale peccatum non adhibendo talem diligentiam, aut, si non confiteatur illud, satis liquet illam Confessionem nō esse integram; ergo nunquàm potest esse casus, in quo concurrente ignorantiâ mortaliter culpabili, Sacramentum sit validum, & informe, cùm subsistente tali culpabilitate mortali ignorantiae, desinat esse integritas, vel doloris requisiti, vel confessionis. Legantur quae diximus de Poenit. à n. a. 14. disp. 8. dub. 4. & eiusdem Tractatus disp. 6. dub. 5.

Authori nō placet praecedens doctrina.

647. Ex nostra assert. sequitur, vt rectè notat Auila, fieri posse quòd aliquis recipiat Sacramentum Poenitentiae validum, & fructuosum & tamen quòd maneat excommunicatus, vt, si inuincibiliter ignorabat excommunicationem, & ab eâ non fuit absolutus, vel licèt Confessarios ad cautelam, vt fieri solet, absoluisset quidem, excommunicatio tamen erat superiori reseruata. *Ex nostrâ assertione sequitur 1.*

648. Infertur praetereà falsò aliquos dicere ideò Sacramentum Poenitentiae susceptum ab excommunicato inualidum esse, quia excommunicatus est incapax absolutionis: solùm enim est inualidum ratione prohibitionis Ecclesiasticae, quam, si ignorat inculpabiliter, remanet illi alioquin sua capacitas ad recipiendum hoc Sacramentum, non minùs quam caetera. *Infertur 2.*

649. Colligitur praetereà, si Confessarius malitiosè, aut naturali inaduertentiâ, omittat absolutionem excommunicationis, & solùm absoluat à peccatis, praedictum manere verè absolutum à peccatis, etiamsi non sit absolutus ab excommunicatione. Vnde, si talis poenitens sic absolueretur in articulo mortis, & sub eâ excommunicatione quàm falsò putabat ablatam, moriatur, priuabitur suffragijs illis communibus, quibus alioquin frueretur iuxta sententiam illorum, qui putant suffragia oblata pro excommunicatis, etiam toleratis illis non prodesse; vel certè, licèt probabile sit frui suffragijs pro se determinatè oblatis, probabilius videtur non frui suffragijs generalibus oblatis pro fidelibus defunctis, maximè iuxta intentionem generalem Ecclesiae, quia Ecclesia non intendit orare, nisi pro ijs, qui habent communicationem; id est qui non separati sunt à communione fidelium. Si tamen sciatur praedictum mortuum esse eo modo sub excommunicatione, statim absoluendus est ab excommunicatione, vt dicemus suo loco. *Infertur 3.*

DVBI-

DVBITATIO XLI.

Quomodo excommunicatio priuet vsu actiuo Sacramentorum, & Sacrificij Missæ?

Assertio 1. mortaliter peccat excōmunic. vitandus administrando Sacramentum.

650. ASsero primò, excommunicatus vitandus administrando Sacramentum, vel celebrando Missam, mortaliter peccat. Ita omnes Auctores, & est expressum in Iure. *c. Si celebret. de Clerico excommunic. minist.* & *c. Latores eodem titulo.* Potest tamen excusari ab hac culpâ ex duplici capite, videlicèt ex ignorantiâ inuincibili, vel naturali obliuione, vt patet ex *c. Apostolica de Clerico excommunic. ministrante* vel ex graui aliquâ necessitate vitandi mortem, aut succurrendi proximo extremè indigenti iuxta dicta *dub.* 31. *&* 32. vide Dianam quem retulimus ibi nu. 440.

Assertio 2. talis validè omnia Sacramenta administrat præter pœnitentiam.

651. Assero 2. omnia Sacramenta excepto Sacramento Pœnitentiæ validè administrari possunt ab excommunicato vitando; estque communis sententia inter Theologos, quam rectè probat Suarius *disp.* 11. contra Vgolinum, qui putauit Sacramentum extremæ vnctionis fieri nullum, quando ipse recipiens scit conferentem esse excommunicatum denuntiatū, atque adeò peccat recipiendo; putat enim Vgolinus nihil recipere; sed deceptus est, non distinguens inter valorē Sacramenti; & effectū Sacramentū suscipit enim Sacramētū, sed nō effectū. Vide Dianā 5. part. Tract 9. Resol. 82. de Matrimonio etiam quoad valorē nulla est difficultas; an verò excōmunicati contrahentes peccent dupliciter tùm quia suscipiunt, tùm ministrant Sacramentum videtur probabiliter affirmandum suppositâ cōmuni sententiâ quòd ipsi sint ministri Sacramentorum, & affirmat Præpositus 3. *part. q.* 2 de *excommunicatione dub.* 8. *num.* 5. quem sequitur Diana 5. *p. Tract.* 9. *Resol.* 85. vterque tamen non putant improbabile, quòd ex eo capite non peccent contra censuram, quia si bene perpendantur Canones, quibus vetatur excommunicatus ministrare Sacramenta solùm agunt de Clerico, semper tamen manet peccatum indignè suscipiendi, & cum obice Sacramentum; de peccato verò indignè ministrandi diximus pro matrimonio *tomo* 1. *de Sacramentis Tract.* 1. *disp.* 3. *n.* 237. suppositâ doctrinâ ibidem datâ totâ *dubitatione* 10. vniuersim pro omnibus Sacramentis. Ibi Legatur.

Difficultatibus de Sacramento ordinis. Rectè respondet Suarius.

652. De Sacramento quidem Ordinis maior esse poterat difficultas propter aliqua decreta, quæ dicunt interdum non esse consecrationes, & interdum irritas vocant. Sed rectè respondet Suarius ad ea omnia Decreta; nam aliqua dicunt non esse Consecrationes, non quia factæ ab excommunicato sint; sed quia non fuit seruata forma substantialis, & vera, eo quod conferens esset ignorans, vel Hæreticus, nolens formam essentialem seruare: alia verò Decreta dicunt esse ordinationes irritas, quoad ordinis suscepti exequutionem. Ratio verò assertionis nostræ est, quam tradit D. Thomas 3. *p. q.* 64. *art.* 9. *ad.* 3. quia ea, quæ sunt de Iure Diuino, nec pendent à Iurisdictione Ecclesiæ, non potest Ecclesia annullare; concurrunt enim omnia essentialia, scilicet materia, forma, & minister cum intentione; In Sacramento verò Pœnitentiæ simul cum potestate ordinis requiritur Iurisdictio Ecclesiastica ordinaria, vel delegata juxta dicta de *Pœnit. Tract* 8. *disp.* 10. *dub.* 2. *& sequentibus.* Legantur, quæ diximus *de Sacramentis in genere disp.* 3. *dub.* 11. vbi generaliter diximus fidem, & sanctitatem ministrantis non esse necessarias ad valorē Sacramenti. Legatur Suarius suprà. Sayrus *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 11. Henriq. *lib.* 13. *c.* 10, *n.* 2. Vasquez *Tract. de excommunic. dub.* 4. Filliucius *c.* 3. *quæsito* 9. Reginald. *lib.* 23. *n.* 7. Coninc *disp* 4. *dub.* 5. *n* 34 & alij. Qui omnes in præcedenti doctrinâ conueniunt.

Ratio assertionis ex D. Thoma.

Hinc Infertur.

653. Hinc infertur factam excommunicato vitando confessionem esse iterandam, & inualidam, etiamsi pœnitens ignoret esse excommunicatum, vel esse tale impedimentum; ignorantia enim inculpabilis excusabit quidem à peccato; sed non dabit valorem confessioni: atque adeò erit repetenda. Ita Henriquez *suprà*; Suarius *disp.* 40. *sect.* 2. & alij communiter; talis enim excommunicatus caret Iurisdictione necessariâ ad validè absoluendum; hanc autem iurisdictionem, quæ pendet ab Ecclesiâ, illa negat. Vide Dianam *suprà* Tractatu 9. Resol. 84. vbi affert Vasquium in contrarium pro venialibus in quæ Vasquez putat à Deo habere sacerdotes iurisdictionem, quod non putant plerique quorum aliquos affert ibi Diana.

Duplex limitatio adhibenda. Prima.

654. Duplici tamen limitatione accipienda est hæc doctrina, primâ, dummodò confessio non fuerit facta in eo loco, in quo excommunicatus sacerdos ignorabatur talis, & excommuni errore, tituloque colorato habebatur pro legitimo sacerdote; tunc enim Ius supplet Iurisdictionem. Qua de re latè diximus varijs in locis & *in Tract. de Matrimonio iuxta l. Barbarius ff. de off. Prætoris.* Legantur etiam quæ diximus *de Pœnit. Tract.* 8. *disp.* 10. *dub.* 8. *in primâ, & secundâ* parte maximè in principio. Vbi plures Auctores retulimus atque in præsenti casu id docent Vgolinus *Tabulâ* 1. *c.* 13. §. 16. *n.* 12. & Suarius *disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 14. Filliucius *suprà n.* 78. Coninc *disp.* 14. *dub.* 10. *n.* 83. Sanchez & alij, quos loco notato retulimus. Ita etiam Auila *suprà*.

Secunda limitatio.

655. Secunda limitatio est dummodò confessio facta non fuerit in articulo mortis deficiente alio, qui legitimè possit absoluere & velit. In eo enim casu à quolibet potest absolui iuxta dicta *eâdem disp.* 10. *de Pœnit. dub.* 13. 14. *&* 15. Ita Caietanus *verbo absolutio.* Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 4. Sayrus *lib.* 2. *c.* 18. Filiucius, & Reginaldus *suprà*, & alij apud Suarium *suprà sect.* 1. *n.* 14. Fundamentum est quia nec quoad peccata, nec quoad Censuras in articulo mortis est casus reseruatus ut ex Tridentino latè probauimus *loco citato*.

Sacramentalia & benedictiones facta à non tollerato valida sunt.

656. De Sacramētalibus verò, & benedictionibus factis ab excommunicato vitando rata esse, & valida rectè docent Suarius *disp.* *illâ* 11. *sect.* 2. *n.* 9. Syluest. *verbo Consecratio* 2. *n.* 6. Angel. *eodem verbo, & numero*, Tabiena *n.* 8. Sayrus *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 11.

657. Orationes verò, aut Missæ, quæ fiunt

ab

ab excommunicato de matrimonio, an habeant valorem prouenientem ex personâ, & nomine Ecclesiæ iam varijs in locis diximus, & legi possunt dicta de sacrificio Missæ qui est *Tract. 5. disp. 3. dub. 8. n. 206.* vbi latè de hac re diximus & *num.* 211. mediam quandam sententiam tenuimus & diximus sacerdotem excommunicatum denuntiatum non orare nomine Ecclesiæ, atque adeò orationes, & sacrificia oblata ab illo non conferre fructum ijs, pro quibus offertur respondentem Ecclesiæ, cuius nomine tunc non operatur, vt cum Diuo Thoma, Paludano, Scoto, & Soto probat Suarius & nos loco citato cũ alijs. Vide Dianam 5. *part. 9. Resol. 1. Tract. 83.* præsertim §. *Nota etiam.*

Sacerdos excomm. denuntiatus nõ orat nomine Ecclesiæ.

658. Notat etiam Suarius Excommunicatum denuntiatum non posse Iurisdictionem alteri delegare ad audiendas confessiones, nec alteri suas vices committere; licèt alij oppositum dicant, de quo posteà decemus.

Notat Suarius.

659. Quod attinet ad Sacramentum Matrimonij, cui assistit Parochus excommunicatus non toleratus controuersia est, an sit validum? satisque probabilis est sententia asserens esse validum, quia assistantia eius non est actus Iurisdictionis, vt cum Henriquez, Ledesma, & Vega latè, & doctè defendit Sanchez *lib. 3. de Matrimonio disp. 21.* Diana cum alijs *part 5. Tract. 9. Resol.* 78. Licèt probabile etiam sit esse inualidum; vt docet Auila *p. 2. c. 6. disp. 3. dub. 1. conclus.* 5. quia vniuersaliter actus omnes, quos excomm. non toleratus exercet ratione publici officij, vt Iudicis vel Tabellionis, sunt nulli, etiãsi in Tabellione non requiratur Iurisdictio, sed præsentia, de quo dicemus dub. 47. ergo pari ratione in præsenti negotio, quia Parochus ratione officij publici, scilicèt Parochi, assistit, adeò vt licèt mille testes adsint sine Parocho, aut alio sacerdote de licẽtiâ ipsius Matrimoniũ non valeat: ergo pari ratione dicendum est, si ipse sit excommunicatus non toleratus, non valere eius assistentiam, sed primum magis placet, de quo *Tract. de Matrim. disp. 3. dub.* 10. Vide Dianam proximè citatum; vide etiam citatam *dub.* 10. *disp. 3. de Matrimonio vbi. num.* 78. probamus etiam licitè assistere, & dare alteri sacerdoti licentiam assistendi matrimonio contra Basilium & alios. Vide Dianam *suprà Resol.* 70. id ipsum cum alijs docentem.

Sententia asserens parochum excomm. non toleratum validè assistere; matrimonio probabilis est. Ratio.

Contraria sententia etiam probabilis est.

660. Ex dictis huiusque pro praxi colligi possunt aliqua circa administrationem, seu receptionem Sacramentorum.

Authori magis placet Prima.

661. Colligitur 1. licitum esse accipere Baptismum ab excommunicato vitando propter summam huius Sacramenti necessitatem. Ita Vgolinus Tabula 1. c. 13. §. 17. Filliucius *Tract. 12. c. 3. quæsito 6. & 8.* Suarius *disp. 11. sect. 1.* & plures alij apud Sayrum *lib. 2. c. 2. n.* 12. De hoc verò legantur, quæ diximus *dub. 32. & locis ibi notatis.*

Ex dictis Collige 1. licitum esse accipere baptismum a non tolerato.

662. Dubitari autem potest an, qui non vrgente necessitate suscipit Baptismum ab excommunicato non tolerato, peccet?

An extra necessitatem talis non peccet.

663. Respondetur distinguendo de peccato contra prohibitionem Censuræ primariò, & directè, & de peccato contra Ius naturale, & Diuinum & quasi secundariò, & indirectè contra Censuram; & de primario peccato contra Censuram respondeo non peccare, nec sic baptizatum incurrere excommunicationem. Ratio est, quia, cum ille, qui accedit ad Baptismum, vsq; ad susceptum Baptismum non sit subditus Ecclesiæ, non peccat contra præceptum non communicandi cum tali excommunicato; nec excommunicationem minorem potest incurrere per illam susceptionem Sacramenti. Nam, quando suscipit, nondum est baptizatus, in puncto autem, quo finitur susceptio, cessat communicatio, vt supponimus; quod si vlteriùs progrediatur communicando, & agendo cum illo, ex vi talis communicationis incurret excommunicationem minorem, vel etiam maiorem, si imposita sit maior, vt fieri potest in aliquo casu; quia iam ille tunc baptizatus subditur Ecclesiæ, nunquàm tamen peccabit contra Censuram directè prohibentem susceptionem Sacramenti ab excommunicato, quia numquàm suscepit Sacramentum existens subditus, sed factus fuit subditus per ipsam susceptionem. Circa secundum autem modum peccandi contra ius naturale Diuinum, & indirectè & secundariò contra Censuram, existimo prædictum sic communicantem cum excommunicato peccare mortaliter, nam eo ipso quòd minister Sacramenti sit excommunicatus vitandus, non potest licitè baptizare extra casum necessitatis: atque adeò nec baptizandus potest absque vllâ necessitate ab eo petere Baptismum, ne illum inducat ad peccandum; dissonat enim rationi absque vllâ necessitate, & quando potest æquè facilè suscipere Baptismum ab alio, illum velle suscipere ab excommunicato probitito, & peccaturo in tali administratione.

Resp. cum distinctione.

664. Quæres vlteriùs, quinam ordo seruandus sit in suscipiendo, vel administrando Baptismo, quando adsunt plures sacerdotes excommunicati? vide dicta suprà dub. 32. num. 448.

Quæres, quis ordo seruandus, quando plures sacerdotes excõm. adsunt.

665. Respondeo in hac re philosophandum esse, sicut philosophati sumus agentes de ministro Pœnitentiæ, quoad absolutionem in articulo mortis, de quibus diximus *disp. illa 10. de Pœnit. dub. 13. & 14.* Vbi ideo etiam obiter diximus de Censuris, & dicemus in sequentibus agentes de absolutione ab excommunicatione. Itaque ordo seruandus in absolutione iuxta varias sententias, seruari debet in hoc. Est autem in hoc etiam aliquid peculiare; nam præsente Parocho excommunicato, & alijs sacerdotibus similiter excommunicatis, parochus est præferendus, cui alioquin hoc munus incumbit; si hic autem sit excommunicatus & alius sacerdos excommunicatus non sit, præferendus est alius sacerdos; quia Parochus habet iurisdictionem impeditam. Similiter, si tantùm sint sacerdos, & Diaconus ambo excommunicati, præferendus est sacerdos. An verò præsente sacerdote excommunicato, & Diacono non excommunicato, sit præferendus Sacerdos, vel Diaconus? non consentiunt Auctores. Sayrus *lib. 2. c. 2. n. 16.* Vgolinus *Tabul. 1. c. 13. §. 17.* Diana 5. part. Tract. 9. Resol, 87. cum Cornejo, & aliqui alij probabiliter docent preferendum sacerdotem excommunicatum.

Resp. Idem hic dicendum sicut de ministro pœnitentiæ in articulo mortis quoad absolutionem.

Est etiam in hoc aliquid peculiare.

Præsente Parocho excomm. & Diacono nõ excõm. quis præferendus.

Aliqui probabiliter docent præferendũ parochũ. Ratio est.

Pro-

Probant quia quando conceditur aliquibus priuilegium seruandum est inter illos Ius commune C. *Assiduis. C. qui potiores in pignore habeantur*, ergo præferendus is est, cui ratione suæ consecrationis id munus competit qualis est sacerdos; Syluest. verò *Baptismus* 3.*n*.1. Nauarrus *c*.27.*n*. 7. Suarius *disp. illâ* 11. *sect*.1.*n*. 12. alijque Recentiores putant præferendum esse Diaconum; vel alium quemcumque non excommunicatum; nam excommunicatus repellitur ab Ecclesiâ & prohibetur administrare Sacramenta extra necessitatis articulum: non censetur autem articulus necessitatis, si adsit aliquis non excommunicatus, sciens, potens, ac volens baptizare. Quod mihi videtur probabilius; præsertim pro Diacono de quo dicitur in eius ordinatione; *Diaconum oportet ministrare ad altare baptizare & prædicare.* Legantur quæ dixi *tom.* I. *de Sacramentis Tract*.2. *disp*.2. *nu*. 5. *& seqq.* vbi ostendimus etiam Diaconum procul absente sacerdote, aut non potente, ob graues occupationes posse: Cùm ergo possit is, & sacerdos excommunicatus (nisi in defectum legitimè potentis & volentis, non possit) & tunc non desit potens, non videtur excommunicatus admittendus, quàmuis enim sic ille sacerdos, caret pro tunc priuilegio, nisi in defectum & non est defectus; ideò non est computandus inter potentes tunc in ijs circumstantijs, quod etiam suo modo probat de alio quocumque infra Diaconum. Nec licèt argumentari ab alio sacramento absolutionis, quia neque tunc licèt ab excommunicato, aut aliter impedito, vt irregulari, degradato, si adsit non sit prohibitus; simplex autem sacerdos alioquin non talibus impedimentis obnoxius; potest, quia non est præceptum non communicandi cum illo, sicut est cum excommunicato & alijs, qui solùm possunt in defectum. Vide dicta *de Pœnitentia disp*.10. *à n*. 382. *& seqq.* præsertim *n*. 386.

Suarius verò cum alijs putant præferendum esse Diaconum vel alium quēcumq; non excomm.

Ratio.

666. Colligitur 2. probabile esse licere accipere Eucharistiam in articulo mortis ab excōmunicato vitando; tùm, quia non est credibile Ecclesiam velle priuare fideles tanto Sacramēto solùm, vt vitetur communicatio cum excommunicato; tùm, quia probabilis est sententia, quòd Eucharistia conferat primam gratiam attrito suscipienti; ergo, quando infirmus non potuit Sacramentum Pœnitentiæ recipere, quia non adest, nisi tantùm Diaconus excommunicatus, aut sacerdos etiam, qui nesciat absoluere, vel sit mutus, poterit Eucharistiam recipere. Ita Suarius vbi proximè *sect*.2 *n*.18. & alij contra Sayrum *lib*.2.*c*.1.*n*.21. & contra Auilam 2.*p*.*c*.6. *disp*.3.*dub*.3. & alios.

Hæc 2. Resp. Authori videtur probabilior.

Collige 2. probabile esse licere in articulo mortis Eucharistiā sumere ab excomm. vitando.

Ratio

667. Idem iudicium est, & potiori ratione de extremâ vnctione, quam recipiendo potest accipere primam gratiam, vt *Tract*,7.*dub*.6. diximus cum aliquibus. Ita Suarius *suprà n*.23. Coninc *suprà n*.34. Filliucius *quæsito* 8. *n*.76. Quâ de re diximus etiam de *Sacram. in genere Tract*.1. *disp*.3.*dub*.13.

Idem dicendum de extrema vnctione.

668. Asserendum est 3. Excommunicatum celebrando, aut Sacramenta ex officio ministrando, incurrere Irregularitatem. Est in dubitata assertio apud omnes; Quamuis autem non sit Textus expressus, qui hoc specialiter asserat de Excommunicato; multi tamen sunt Textus, qui de suspenso id asserunt; Vnde sumitur argumentum non à simili tantùm; sed veluti à parte ad totum, quia licèt suspensio sit distincta ab excommunicatione; tamē, quoad effectum suspendendi ab vsu Ordinum, eandem habent efficacitatem; & quia communi vsu totius Ecclesiæ ita receptum est, ideò nullo modo dubitandum est de huiusmodi irregularitate, quam incurrit excommunicatus, siue sit denuntiatus, siue non; dummodò peccet mortaliter violando Censuram. Iura autem, quæ de hac re loquuntur, sunt *c*.1.*in fine*. *de sententiâ, & re Iudicatâ in* 6. *& c*.1. *&*: *Is, qui* §. *Is vero, & c. Is cui. de sentent excommunic. in* 6. Legatur Couarr. 1.p.§. 6. in fine.

Assertio 3. excomm. celebrādo &c. incurrit Irregularitatē.

Ratio.

669. Nauarrus verò *c*.27. *n*. 244. hanc Irregularitatem extendit ad eos, qui faciunt, vt excommunicatus coram se celebret; quod meritò non approbat Suarius *disp. illâ* 11.*sect*.3.*n*.4. quia sine Textu id dicitur. Glossa verò, quam pro se allegat Nauarrus, loquitur in casu quodam particulari, de quo dicemus *dub. sequenti.*

670. Excusari verò potest ab hac Irregularitate ignorantia inuincibilis, aut probabilis; & omnis ignorantia, quæ excuset culpam illam à mortali, excusat ab Irregularitate, quæ, nisi pro culpâ graui non incurritur; Ideò, qui dubitauit, an esset excommunicatus, videndum est, an adhibuerit diligentiam debitam pro temporis opportunitate ad pellendum dubium; quā si adhibuit, & non potuit pellere, cæteraque concurrunt iuxta doctrinam traditam, non incurrit Irregularitatem; qui tamen excommunicatus administrat Baptismum priuatim, non incurrit Irregularitatem; non solùm, quando in necessitate, & absque culpâ; sed etiam; quando extra necessitatem; & peccando id facit. Ita Syluest. *Excommu*.3.*n*.1. *& verbo Irregularitas n*.15. Richardus *dist*.18.*art*. 7. *q*. 5. Suarius *suprà*. Henriquez *lib*.13.*c*.7.§. 1. & alij.

Excusat ab hac Irregularitate ignorātia &c.

Excomm. administrās priuatiū baptismum nō fit Irregularis.

671. De quocumque verò excommunicato exercere actum Ordinis sacri solemniter, affirmandum est incurrere Irregularitatem; secùs verò, si absque solemnitate exerceat, perinde atque laicus posset id efficere. Vnde Doctores communiter docent Subdiaconum, & Diaconum cantando Epistolam cum Manipulo incurrere Irregularitatem; non verò sine Manipulo.

Fit tamen quicumq; talis exercēs actum ordinis solemniter Irregularis.

672. Inde colligit Suarius contra Richardum *loco citato*, administrantem Sacramentum Pœnitentiæ, quantumuis id faciat secretò, & occultè, eam incurrere, cum nemò laicus possit id facere perinde atque celebrans, quantumuis occultè, & sine solemnitate, incurrit.

Hinc colligit Suarius.

673. Item docet Suarius Excommunicatum Nuptias benedicentes incurrere, quia est actus ordinis sacro deputatus. Idemque iudicium est de eo, qui confert solemnitatem Baptismi, etiāsi non Baptizet, & de eo, qui ministrat Sacramentum Eucharistiæ non celebrando. Quæ doctrina mihi placet.

674. Addit verò Suarius, etiam Diaconum in necessitate ministrantem Eucharistiam incurrere, quia exercet actum Ordinis; mihi verò in hac re, suppositâ probabilitate doctrinæ

Addit Suarius.

Authoris Iudicium.

supra

ſupra traditæ, aliter Philoſuhandum videtur; nam, ſi ſequamur probabilem ſententiam, quòd liceat excommunicato miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, atque etiam extremæ Vnctionis, ſicut & licèt recipere ab illo in caſu extremæ neceſſitatis articuli mortis, ſuppoſitâ hàc opinione, de quâ diximus *ſuprà. & de Sacramentis in genere Tract. 1. diſp. 3. dub. 13.* eodem modo philoſophandum videtur in his Sacramentis; atque in Sacramento Pœnitentiæ; neque enim tunc cenſetur Eccleſia velle prohibere excommunicato prædictam adminiſtrationem: imò de excommunicato tolerato poſt Concilium Conſtantienſe clarius eſt iuxta doctrinam traditam etiam extra caſum neceſſitatis poſſe illa miniſtrare in gratiam fidelis non excommunicati petentis; atque adeò tunc non incurrit.

Laicus excomm. non incurrit Irregularitat. miniſtrando Euchariſtiã. Ratio.

675. Item non incurret Laicus miniſtrando in excommunicatione Euchariſtiam; quia ſolis Clericis eſt impoſita hæc Irregularitas, vt patet ex ipſo titulo de *Clerico excommunicato miniſtrante.* Vnde nec Laicus excommunicatus, qui ſe fingit Sacerdotem, & exteriùs celebrat, eam incurret, nec etiam Clericus inferior ſimili fictione vſurpans miniſterium ſuperioris Ordinis, vt, ſi Diaconus Miſſam celebret, vel Subdiaconus Euangelium ſolemniter cantet; hæc enim Irregularitas impoſita eſt Clerico miniſtranti in officio ſuo, à quo fit ſuſpenſus per Cenſuram; nemo autem ſuſpenditur ab eo, quod non habet. Ita Suarius ſuprà, & alij.

Prædicti licet non incurrant Irregul. ratione excomm. incurrunt tamen illã ex alio capite.

676. Quamuis autem prædicti non incurrant Irregularitatem hanc ratione Excommunicationis, incurrunt nihilominùs Irregularitatem impoſitam omni vſurpanti ordinem, quem non habet, ut patet *ex c. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtrante*

Parochus excomm. matrimonio aſſiſtens Irregularit. nõ incurrit.

677. Parochus autem aſſiſtens Matrimonio, etiamſi excommunicatus ſit, quando aſſiſtit, non incurrit hanc Irregularitatem; neque enim tunc præſtat actum ordinis. Ita Suarius *ſuprà.* Vt videre eſt in Parocho etiam quando nondum habet, niſi primam tunſuram, & aſſiſtit matrimonio, vt dicimus *in Tract. de Matrimonio* diſp. 5. dub. 9. n. 65.

678. Si quis verò tantùm exteriùs & ſine intentione conficiendi Sacramentum, & cum animo decipiendi proferat verba abſolutionis, non incurret Irregularitatem, ſicut neque is, qui exteriùs rebaptizat. Ita Suarius *diſp. 11. ſect. 3. n. 14.* confirmat etiam, quia Hæreticus purè exterior non incurrit Cenſuras; eſt enim actus ille non conſummatus in ſuo genere.

679. De actu verò concionandi dicemus *dub. ſequenti*, ubi etiam explicabimus, quinam dicantur actus Ordinis.

De ijs qui ſolemniter exercent actus minorum ordinum diuerſa Authorũ mens quoad incurrendam Irregul.

680. De illis verò, qui ſolemniter exercent actus minorum Ordinum non eſt eadem mens Auctorum; multi putant incurrere Irregularitatem; multi etiam negant; vtrumque probabile, probabiliùs tamen videtur incurrere. Ita Syluest. *verbo Irregularitas q. 13.* & ait eſſe communem. Nauarrus *c. 25. n. 63.* Suarius *diſp. illa 11. ſect. 3. in principio*, qui etiam dicit eſſe communem ſententiam. Ratio eſt quia ille eſt actus Ordinis.

681. Oppoſitum tamen docet Sotus *q. 3. art. 1. circa finem*, & *diſt. 25 q. 1. art. 3. circa finem*, & Henriquez *ſuprà* ait eſſe Recentiorum. Fundamentum eſt, quia illi actus à Laico poſſunt exerceri. Quæ ratio mihi non placet; atque in primis, de actu exorcizandi falſum eſt, vt patet *ex c. vltimo 69. diſt.* imò, & de actibus aliorum Ordinum Minorum præcipitur *c. 1. eiuſdem diſt.* ne ſolemniter exerceantur niſi ab ijs, qui Ordines acceperunt. Ideò abſolutè puto veram primam ſententiam Sylueſtri, & aliorum.

De prima tonſura authoris Iudicium.

682. De prima verò Tonſurâ verum puto, quod docet Suarius *diſp. 31 ſect. 1. n. 18.* non habere proprium actum, à quo ſuſpendatur id quod docuerat priùs *diſp. 12. ſect 2. n. 7.* vbi etiam addit meritò iam ferè nunquàm ob exercendum actum minorum Ordinum incurri Irregularitatem; quia ſecundum præſentem vſum communem Eccleſiæ totum id, & eodem modo, quod exercent ordinati minoribus, exercent etiam laici, & Clerici cum ſolâ primâ Tõſurâ. Si tamen alicubi aliquo ſolemni modo fieret, aut talibus veſtibus, quibus laici non uterentur, tunc in Irregularitatem incurrerent. Sanè (vt notabam) actus exorcizandi, non videtur exerceri, nec poſſe à laicis, vel à non exorciſtis Clericis, vt ſunt ſolùm Tonſurati, Oſtiarij, & lectores; ideò in hoc non habet locum ea doctrina.

Aſſertio 4. recipiens Sacramentum ab excomm. denuntiato licet mortaliter peccet, non fit tamẽ Irregularis.

683. Aſſerendum eſt 4. eum, qui recipit Sacramentum aliquod ab excommunicato denuntiato, peccare quidem mortaliter; non tamen ideò incurrere Irregularitatem, vel aliam pœnam Eccleſiaſticam generaliter loquendo, præterquam excommunicationem minorem. Hanc aſſertionem communiter ſupponunt Auctores, & latè probat Suarius *diſp. 11. ſect. 3. n. 26.* Dixi *generaliter loquendo*, quia, ſi ſermo ſit de eo, qui ordines ſuſcipit, aſſerendum eſt manere ſuſpenſum, aut Irregularem juxta varias Doctorum ſententias. Qua de re agit Suarius *diſp. illâ 31. ſect. 1. n. 61.*

Limitatio quoad ordines.

De recipiẽte à tollerato variæ ſententiæ.

684. De Excommunicatis verò toleratis variæ ſunt ſententiæ Doctorum, propter Extrauagantem *ad vitanda* ſæpe citatam ex Concilio Conſtantienſi; varijs enim modis interpretantur illam conceſſionem, ſed de hac re iam diximus *dub.* 34. agentes de facultate ex parte non excommunicati ad communicandum cum excommunicans non denuntiatis, & in fine dubitationis, diximus incurri Irregularitatem, ſi excõmunicatus ſe ingerat ad Sacramẽta miniſtrãda non minùs, quàm, ſi eſſet denuntiatus, quia (vt expreſsè dicitur in illâ Extrauaganti) nihil excommunicatis conceditur ordinatum ad ipſorum fauorem. Si tamen peccando adminiſtrent Sacramenta huiuſmodi excommunicati non denuntiati, valida ſunt, etiam Sacramentum Pœnitentiæ: quia poſt illam Extrauagantem non tollitur Iuriſdictio; niſi excõmunicato denuntiato, vel manifeſto Clerici percuſſori, vt docet Nauarrus *c. 9. n. 9.* Suarius *diſp. 11. ſect. 4. n. 9. & 12.* Couarr. *1. p. §. 6. n. 7. concluſ. 5.* qui pro eâ ſententiâ refert Adrianum, & Medinam, & docet Driedo *lib. 3. de libertate Chriſtianâ c. 7.* Victoria *in ſummâ Tract. de Excommunic. q. 10.* Sanchez & alij apud ipſum *lib. 7. de Matrimonio diſp. 9. n. 8.* vt notauimus, & probauimus *citatâ dub.*

Authoris Iudicium ſi toleratus ingerat ſe ad Sacramenta miniſtrãda fit irregularis.

dub. 34.

Infertur si petitus administret nō peccat nec fit irregularis. 685. Ex quo infertur, quòd ad præsens negotium attinet, non solùm cum morali aliquâ necessitate; sed etiam pro libito fidelium petentium posse prædictum excommunicatum toleratum licitè, & sine peccato, & Irregularitate Sacramenta ministrare iuxta doctrinam traditam *eâdem disp.* 34. quia hoc illis conceditur in prædictâ extrauaganti in fauorem aliorum. Ita Sanchez probat *loco citato* dummodò ministrās sit aliàs contritus. Item docet Auila *p.2.c 6.disp. 6.dub.2.* Henriquez *lib.1.c.29.n.5.& c.30.n.2. & 3.* quia; nisi hoc intelligatur, nihil concessit dictum Concilium in Sacramentorum communicatione; cùm tamen velit ibi fidelibus non excommunicatis fauorem concedere tollereq; pericula, & scrupulos. *Modo sit contritus*

Obijcies. 1. 686. Quod si obijcias inde sequi posse prædictum excommunicatum licitè celebrare coram alijs fidelibus, etiamsi sine vllâ necessitate id petentibus; quod tamen non audet cōcedere Sotus *lib.9 de Iustitiâ.q.8. art.1.ad.1.* Responderi potest in primis non esse omnino eandem rationem propter maximam reuerentiam; & susceptionem Sacramenti. Respondetur secundò, concedendo sequelam, quando non adest copia Confessoris potentis absoluere; idq; locū habere saltèm in casibus in quibus sacerdos aliàs non excomm. præmissâ contritione, non obstante cōscientiâ peccati mortalis, posset sine confessione celebrare; nam excommunicatio in gratiam fidelis petentis, & indigentis, non impedit post prædictam Extrauagantem *Resp. 1.* *Resp 2.*

Obijcies 2. 687. Obijcies etiam sequi licere mihi inducere prædictum excommunicatum, vt simul mecū interfit sacro, aut ministret alijs Eucharistiam; quia Concilium non solùm dixit, quòd non tenemur illum vitare in Sacramentis; sed etiam, nec in alijs Diuinis officijs. Propter hoc argumentum nonnulli Recentiores putarunt nullam quidem requiri causam ad communicandum in humanis; quia cum aliquali necessitate in his etiam cum denuntiatis permittit Ecclesia communicationem; at in Diuinis requiri aliquam saltèm vtilitatem ex parte fidelis inuitantis; quia sine vllâ prorsus causâ non est credibile id fuisse concessum in illâ Constitutione Concilij. *Resp. aliqui.*

Author resp. licere inducere toleratum prædictū vt simul mecū intersit sacro &c. 688. Nihilominùs persistendum est in doctrinâ traditâ *citatâ dub. 34.* & absolutè dicendum licere inducere prædictum excommunicatum toleratum, vt simul mecum intersit sacro, & ministret in gratiam mei, vel celebrantis; item inducere ad Eucharistiam ministrandam mihi, vel alijs; quia totum hoc concessum est in prædictâ Constitutione Concilij Constantiensis, vt explicuimus *citatâ dub.* 34. Omitto alia, quæ ex dictis in hac dubitatione & locis citatis satis explicata sunt.

DVBITATIO XLII.

Quomodo excommunicatio priuet Diuinis Officijs, & alijs rebus Sacris?

689. Asserendum est primò excommunicatus non solum est priuatus & prohibitus ne dicat Missam iuxtà dicta *dub. præcedenti,* quia in celebrando includitur vsus actiuus Sacramenti, & actus ordinis; nec solùm est priuatus, & prohibitus, ne offeratur pro illo sacrificium Missæ, quod pertinet ad priuationem suffragiorum, de quâ re dictum est *dub.* 39. & *de sacrif. Missæ Tract.5. disp.2.dub.3. & 4.* sed etiam priuatur, & prohibetur directè, ne sacro interesse, aut inseruire possit, vt expressè traditur. *c. illud de Clerico excommunicato ministrante & c. ij; qui, & c. vltimo de sentent. excommunic. in 6. & c. Episcoporum de Priuilegijs in 6.* Hæc autem prohibitio primum cadit in ipsum excommunicatum, ne intersit Missæ: Secundò in sacerdotes, ne dicant Missas coram Excommunicatis. 3 In omnes fideles, ne assistant eidem Missæ cum excommunicato; est autem transgressio hæc mortalis, quia materia est grauis, & per se prohibita ab Ecclesiâ per ipsam excommunicationem, vt communiter docent Auctores cum D. Thom. *Quodl. 11. art. 9.* & alij posteà referendi. *Assertio 1. excomm. non solùm prohibetur celebrātio Missæ sed etiam ne intersit &c.* *Prohibitio hæc excomm. se ad celebrantem & ad omnes fideles ne assistant eidem Missæ cum excomm sub mortali. D. Thomas.*

690. Vnde mortaliter peccat excommunicatus ex genere suo audiendo Missam, etiam priuatim, & similiter assistendo Diuinis officijs, vt posteà dicemus. quando publicè, & solemniter celebrantur. Dixi *ex genere suo,* quia, si tantùm assisteret vni Psalmo præsertim breui, esset veniale, vt omnes fatentur. Dixi etiam *publicè, & solemniter,* quia in oratione priuatâ tantùm est veniale, vt Doctores consentiunt.

691. Quod attinet ad tertiam partem assertionis præcedentis de fidelibus assistentibus Missæ cum excommunicato, quamuis non sit in Iure expressa, colligitur tamen ex illo generali principio, quòd cum excommunicato denuntiato communicandum non est præsertim in Diuinis.

692. Durandus verò quamuis cum aliquâ hæsitatione dicit audientes eandem Missam non communicare inter se. Hoc tamen falsum est, & contra omnes alios Auctores, quos viderim, & inter alios expressè asserunt id esse communicare Paludanus *dist. 18.q.6.* Sotus *dist.22.q. 1.art.4.* Caietanus *Excommunic. minor, c. vltimo in fine.* Syluest. *Excommunic. 5.n.2.* Nauarrus *c.27. n.19.* Suarius *disp. 12.sect.1.n.15.* Henriquez *lib. 13.c.7.n.2.* & communiter supponunt Auctores id esse peccatum mortale.

693. Ipse tamen Suarius *sect. 1. in fine* sic ait. Hæc communicatio coaudientium eandem Missam, est minima omnium, quæ esse possunt, respectu talis rei, & ideò non habet aliam pœnam impositam præter excommunicationem minorem, & fortassè potest à mortali culpâ excusari, si fiat sine vllâ inductione & cooperatione, & sine contemptu, & scandalo præsertim, si aliquâ necessitate, vel pietatis specie fiat. Hæc Suarius, nihilominùs absolutè videtur probabilius

lius esse peccatum mortale, nisi ex extrinsecis circumstantijs excusetur, sicut excusari potest à cæteris communicationibus cum excommunicatis.

694. Illud mihi videtur omnino verum scilicet non esse participationem cum excommunicato celebrare, vel audire Missam, quando transit illa excōmunicatus non toleratus, etiamsi, dum transit, genu flectat, & breuiter oret priuatâ oratione. Ita Caietanus *suprà*, Sotus *suprà*. Nauarrus *c.27.n.34.* atque idem est, si percussor manifestus Clerici confugiat ad Ecclesiam, vt ibi commoretur, ne capiatur à Iudice, si manet in loco, quantum fieri possit separato non attendens ad Diuina. Ita Paludanus *suprà art. 1. in fine* Tabiena *Excommunic. 8. n. 3.* Auila *secundâ parte c.6. disp.4. dub.7. conclus. 1.*

Non participant cum excomm. qui audiunt Missam in eadem Ecclesia in quâ ipse est alijs rebus intentus.

695. Item non participant cum excommunicato, qui audiunt Missam in Ecclesiâ, in quâ existit excommunicatus non attendens ad Missam; sed occupatus in aliquâ arte, aut opere, nec communicant, etiamsi excommunicatus eodem tempore audiat Missam aliam in aliâ capellâ, vel altari, vt communiter docent Auctores, maximè Henriquez *suprà*. Sotus, & Suarius.

696. Quod attinet ad primam partem assertionis circa ipsum excommunicatum, certum est non licere illi missam audire, siue sit denuntiatus, siue non; quia Concilium Constantiense noluit excommunicatis fauere, & constat ex *citato c. Illud, de Clerico excommunic. & c. Is, qui citato*; nisi excusetur ob ignorantiam vel ob necessitatem vitandi scandali.

697. Solùm in eo casu erit licitum inseruire Missæ, quando sacerdoti non excommunicato esset necessarium celebrare, & non haberet alium ministrum, quam excommunicatum non vitandū, & ab eo peteret tale ministerium, præsertim cùm hoc ministerium minùs graue sit, quàm administratio Sacramenti; vel celebratio Missæ. Vnde, si illa potest in gratiam fidelium, modo in præcedentibus explicato, etiam poterit hoc. Ita Suarius, Turrianus, Cornejo, quos refert; & sequitur Diana 5. p. Tract. 9. Resol. 91. Culpa autem excommunicati audientis Missam, absque dubio erit mortalis, quia est materia grauis, & primariò prohibita. Poterit autem excusari ignorantiâ, metu, necessitate, vel violentiâ iuxta dicta *dub. 23. & 24.* Ita Suarius *disp. 12. sect. 1. n. 3.* Filliucius *Tract. 12. c. 4. quæsito 3. n. 89.* Henriquez *lib. 3. c. 7. n. 2.* & alij multi.

698. Censetur autem assistere Missæ, quamuis excommunicatus sit surdus, aut cæcus; cæcus enim, & surdus possunt assistere Missæ, vt iam alibi diximus, & censeri præsentes moraliter, & communicare cum sacerdote in Diuinis. Ita Saytus *lib. 2. c. 3. n. 16.* Vgolinus *Tabula 2. c. 8. §. 3.* Suarius, & Henriquez *suprà* alijque cōmuniter.

Nulla pœna imposita est excomm. audienti Missam nisi assit sacerdos

699. Nulla autem est (quod sciam) imposita pœna excommunicato audienti Missam, vt cōmuniter docent auctores, inter quos Diana suprà Resol 95. cum Cornejo quem refert, quod intellige nisi in casu, quo excommunicatus sit sacerdos, & facit Missam coram se celebrare; tunc enim in Irregularitatem incurrit, quia ita se gerit, ac si ipse celebraret iuxta *c. Illud de Clerico excōmunic. ministrante.* imò *in prædicto. c.* nō satis constat an imponat Irregularitatem. Vnde non est amplius extendendum, atque ita limitandi sunt Auctores, qui hoc ampliùs extendunt. Hi sunt Gloss. cum Abbate, & Hostiensi. Nauarrus *c. 27. n. 244.* quos meritò ad Sacerdotes tantùm limitat Suarius *disp. 12. sect. 1. n. 4.* Imò Couarr. satis probabiliter limitat ad solos Episcopus; videtur interpretatio satis conformis Textui, vt legenti constabit, vbi semper sermo fuit cum Episcopis, aliosque Auctores pro suâ expositione refert. Solet etiam afferri *c. tanta de Excessib. Prælator.* ad probandam prædictam doctrinam, & legi potest Vgolinus *Tabul. 2. c. 8. §. 3. n. 3.* Saytus *lib. 1. c. 3. n. 15.* Filliucius *suprà n. 97.* qui sententiam Suarij sequuntur. Ratio autem, quæ mouit talem Textum est; quia, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. vt prædicti Auctores expendunt.

900. Quæret aliquis an excommunicatus tolleratus; siue non tolleratus peccet non audiēdo Missam in die festo, quoties per ipsum stat, ne absoluatur, cum facilè possit absolutionem obtinere? Hâc de re egimus disputantes *de Sacrif. Missæ. Tract. 5. disp. 5. dub. 10.* quam diuisimus in varios. §§. & in §. 2. hac de re latiùs disputauimus. Ibi legatur; vbi etiam de præcepto Cōfessionis, & communionis annuæ. Lege etiam si placet quæ ex Coninc affert Diana suprà Resol. 88. & 4. part. Tract. 4. Resol. 57.

Celebrātes coram excomm. peccāt mortaliter nisi &c.

701. Quod attinet ad 2. partem de ijs, qui celebrant coram excommunicatis certum est; nisi excusentur ignorantiâ, aut coactione peccare mortaliter, quia est participatio in Diuinis, & per se prohibita non solùm generaliter; sed etiam specialiter *c. Is, qui de sententiâ excommunic.* & Clementina 2. *de senteut. Excommunic.* idque docet Suarius suprâ, & omnes Auctores supponunt tanquàm certum. Limitata verò iam est post Concilium Constantiense prædicta excommunicatio tantùm ad celebrantes coram excommunicatis denuntiatis; vel manifestis percussoribus Clerici. Nam coram non denuntiatis non peccat celebrando; quia non tenetur illum vitare. Qui verò celebrat coram excommunicato denuntiato, vel dat illi Sacramenta, aut sepulturam in loco sacro, certum est incurrere excōmunicationem minorem, vt habetur, in dicto *c. Is, qui de sententiâ excommunic. in 6.* imò etiam incurrere Interdictum ab ingressu Ecclesiæ si celebret scienter coram illo, vt constat ex *c. Episcoporum de priuileg. in 6.* vbi interdicuntur, qui excommunicatos vitandos admittunt ad Diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta. Ita Suarius *disp. 12. sect. 1. n. 10.* Saytus *lib. 2. c. 3.* Vgolin. *Tabul. 4. c. 8. §. 4.* Henriquez *lib. 13. c. 7. n. 2.* Coninc. *disp. 14. dub. 7. n. 50.* Couarr. *c. Alma mater 1. p. §. 6.* Sed ex his Auctoribus non pauci, vt sunt Suarius *disp. 34. sect. 4. n. 30. & disp. 37. sect. 1. n. 5.* Henriquez *lib. 13. c. 43. n. 5.* & primus omnium Paludanus *in 4. dist. 18. q. 7. casu 8.* & alij limitant prædictum. *c.* vt comprehendat exemptos à Iurisdictione Episcoporū. Quæ sententia satis probabilis est, & eam sequitur Auila *suprà*, docens solùm habere locū in Clerico exempto à Iurisdictione ordinaria, quia prædictum c. cōditum est in odium Exemptorū, idque probat rectè

Qui celebrat coram non tollerato aut dat ei sepulturam in loco sacro incurrit excommunic. maiorem.

Limitatio.

rectè Suarius ex Nauarro, quem refert *citatâ disp.* 34. *sect.* 4 *in fine*, dicens esse communem Doctorum expositionem & Textui consentaneam maximè illis verbis *Quacumcamque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ Priuilegijs communiti*. atque ex intentione, & occasione illius legis videtur colligi, nam Episcoporum querelæ non erant de sibi subiectis, quos ipsi poterant coërcere; sed de exemptis. Ideò contra illos specialiter illa pœna lata est, quæ iuxta principia Iuris non est extendenda.

702. Requiritur tamen, quòd delictum cõmittatur ex præsumptione, & scientia; vnde quæcumque ignorantia excusat, dummodò non sit affectata. Præterea Paludanus rectè expendit illud verbum *admittere*, qui enim non admittit, non incurrit, ille autem admittit, qui dicit Missam coram eo; non tamen, qui simul cum eo assistunt, neque admittunt, qui cum eo sunt in Choro, aut in Processione; nisi ad eos incumbat officium regendi chorum; censetur tamen admittere ille, cui incumbit dare, aut repellere à sepultura. Paludanus verò cum Glosiâ videtur sentire eum, qui interdictus ab ingressu Ecclesiæ celebrat, vel aliquid solemniter exercet, quod sit actus Ordinis, incurrere Irregularitatem; non verò alium; nam Irrigolaritas non incurritur, nisi sit in Iure expressa. In quo etiam consentiunt Doctores paulò ante citati, & Filliucius *c.* 4. *quæsito* 6. a. 98.

703. Ad hunc etiam locum spectat id, quod diximus *dub.* 37. de ijs, qui celebrant coram Excommunicatis à Papâ, qui inciduot in maiorem excommunicationem: ibi legatur §. primus *casus* n. 497. vbi diximus sufficere ad hoc communicationem in humanis.

Quæres quid si excommunic. non vult exire.

704. Quæret tamen aliquis, quid faciendum, quando celebrans non potest excommunicatum, repellere, & ipse communicatus non vult exire?

Resp. Si Missa non sit inchoata omitti debet.

705. Respondetur secundum omnium sententiam, si Missa non sit inchoata, debere illam omittere; si verò inchoata iam sit, & adueniat excommunicatus vitandus, monendus est, vt exeat; sic enim habetur *Clementina* 2. *de sententiâ excommunicationis*. Quod si monitus remanere præsumpserit, incidit in aliam excommunicationem Pontifici reseruatam, & per vim potest, & debet expelli, dummodò vitetur sanguinis effugio, talis enim expulsio pertinet ad immunitatem Ecclesiasticam. Si verò excommunicatus expelli non possit, tunc, si nondum peruentum est ad Canonem Missæ, etiam est omittenda Missa, vt colligitur ex dictâ Clementinâ, docentque Auctores. Si verò inceptus sit Canon, multi ex Auctoribus docent esse absoluendam Missam per sacerdotem cum vnico Ministro vsque ad specierum sumptionẽ; quia magis obligat præceptum integrandi Sacrificij, quam non celebrandi coram Excommunicato. Ita Syluest. *Excommunic.* 5. a. 3. Nauarrus *c.* 27. *n.* 34. & alij nonnulli. Nec abnuit Diana cum alijs suprà Resol. 92. vbi alios refert de hoc agentes.

Si excomm. expelli non possit & peruentum sit ad Canonẽ multi docẽt esse absoluendã Missam.

Alij volunt relinquendã Missam nisi cœpta sit consecratio.

706. Multi verò dicunt relinquendam esse Missam; nisi cœpta sit consecratio; quia ante Consecrationem non est inchoatum substantiale Sacrificium. Ita Sotus, Armill. & alij apud Suarium *disp.* 12. *sect.* 1. vbi *n.* 12. ca his duabus opinionibus posse sacerdotẽ eligere, quam maluerit; & ille videtur inclinare magis in illam priorẽ quã etiam sequitur Henriq. *lib.* 13. *c.* 10. *n.* 4 Reginald. *n.* 71. & alij Recentiores, & mihi placet; tamẽ post sumptionẽ vtriusque speciei, quæ restant, non sunt dicenda coram excommunicato; sed debet sacerdos recedere, & in Sacristiâ vel alio decenti loco reliqua peragere. Vide alios Authores suprà relatos a Diana, inter quos sunt Layman, Filliucius, Tutrianus Mercœus. De cæteris autem Diuinis officijs docent Authores omnino esse omittenda consequenter ad ea, quæ dicemus in sequenti assertione.

Authori placet prior opinio.

Assertio 2. præter sacrificium Missæ per excomm. prohibentur alia Diuina officia.

707. Asserendum est 2. præter sacrificium Missæ prohiberi per Excommunicationem alia Diuina officia: huiusmodi sunt septem horæ Canonicæ, quæ in Ecclesiâ publicè cantantur, aut recitantur: item publica processio, & omnis publica oratio, ad quam Populus concurrit: similiter omnis benedictio solemnis, & publica, vt aquæ, oliuarum, seu ramorum, aut candelarum; similiter chrisma conficere, aut Olium Sanctum benedicere: item cantare Epistolam, & Euangelium publicè: item consecratio Ecclesiæ, altaris, aut virginum, & benedictio solemnis Episcopi, officia defunctorum, & sepulturarũ. Quã de re legi possunt Nauarrus *suprà n.* 36. §. *ad.* 5. Henriquez *lib.* 13. *c.* 7 *n.* 2. Suarius *disp.* 12. *sect.* 2. omnia enim prædicta, quando publicè fiunt, censentur fieri nomine totius Ecclesiæ: ideò, sicut de Missâ philosophati sumus, philosophari debemus in hac re; omnia enim hæc prohibita sunt sub mortali ipsis excommunicatis, ne ea faciant, &, ne illis assistant. Item prohibitum est sacerdotibus, ne ea faciant coram excommunicatis non tolleratis. Prohibitum etiam est cæteris fidelibus sub eisdem pœnis & culpâ assistere prædictis officijs, vt constat ex *c. Illud.* de *Clerico excommunic. ministr.* & *c. Is, qui.* & *c. Alma mater de sentent. Excommunic. in* 6. & *c. Episcoporum de Priuileg. in* 6. Legatur Filliucius *Tract.* 12. *c.* 4. *quæstio* 2. *n.* 85. & *quæsito* 5. *n.* 94.

Licet concionari coram excommunicatis.

708 De concione, verò non nihil diximus *dub.* 38. explicantes particulam *vtile*. Licere concionatori concionari coram excommunicatis, etiam vitandis, & alijs fidelibus licere assistere eidem concioni cum illis; tùm propter vtilitatem spiritualem eorum; tùm, quia expressè id concessum est in Iure.

Dubium an concionari sit officiũ Diuinũ. Affirmat Nauarrus

709. Restat verò hoc loco disputandum, an hoc sit officium Diuinum, & actus ordini deputatus? Affirmat Nauarrus *c.* 27. *n.* 163 § *octauo infertur*. Vnde colligit fieri Irregularem excommunicatum, concionando solemniter & publicè.

Oppositum meritò docet Suarius &c. Ratio.

710. Oppositum meritò docent Suarius *disp. illâ* 12. *sect.* 2. *n.* 4. Filliucius *Tract.* 12. *c.* 4. *quæsito* 2. *n.* 86. Probat Suarius ex ipso Iure primò; quia *c. Responso de sentent Excommunic.* permittitur concionari excõmunicatis dummodò nullum Diuinum officium coram eis celebretur; non ergo est computandum hoc munus inter officia Diuina. Item *in Concilio Carthaginensi* 4.

sic statuitur *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei siue gentilem, siue Hæreticum siue Iudæum.* Quod autem non sit actus ordinis probat Suarius; quia cum Christus dixit *Pasce oues meas & Prædicate Euangelium* non dedit potestatem ordinis, sed Iurisdictionis; nec Iure Diuino hic actus requirit ordinem, sed auctoritatem Pastoris iuxta Paulum 1. *Corinth.* 10. & Innocentium Tertium *in c. Excommunicatus § quia verò de Hæreticis* & Iure positiuo tantùm statutum est, vt solis sacerdotibus committatur *c. Adijcimus* 16. *q.* 1. Iam verò Diaconis committitur, & in necessitate (ait Suarius) laico etiam committi potest, & siue ex priuilegio siue ex consuetudine solet committi alijs, vt apparet in priuilegijs nostræ Societatis verbo *Prædicatores* etiamsi in sacris ordinibus non sint constituti.

Nec concionari est actus ordinis.

711. Vtrùm autem peccet excommunicatus vitandus mortaliter, aut venialiter non explicat Suarius; Sotus verò innuit *disp.* 22. *q.* 1. *art.* 4. esse mortale, nempe; quia vsurpat sibi actum Iurisdictionis, & materia est grauis. De excommunicato verò non denuntiato putat non peccare mortaliter, si concionetur, neque alios audientes eum concionantem; atque hoc posteriùs de audientibus verissimum est, vt ait Suarius; de ipso verò concionante supposito, quod per excommunicationem prohibeatur concionari philosophandum est, sicuti de cęteris actionibus, à quibus excommunicatus etiam non vitandus, quantum est ex parte suâ arcetur, scilicèt licere in aliorum fauorem tantùm, vel ipsis exigentibus Ius suum, vel morali eorum necessitate id postulante.

712. Auila verò *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 11. *dub.* 3. *conclus.* 3. ait excommunicatum, etiam vitandum non peccare mortaliter, si concionetur secluso scandalo, quia concionari non computatur inter Diuina vt ex Caietano *verb. excommunicatio* circa finem. § *Illicita autem.* & ex Palatios, & alijs probauerat *conclus.* 1. sed peccabit venialiter ex genere suo, quod dicit esse de mente Soti, qui absolutè dixit non posse prædicare. Quæ sententia probabilis videtur.

Iuxta Auilam excom. etiam vitandus non peccat mortaliter concionando secluso scandalo.

Author docet hoc esse probabile

713. Assero 3. excommunicatus potest, imò, si alioquin tenebatur; debet horas Canonicas recitare priuatim; quia excommunicatio nullo modo prohibet, quin excommunicatus possit priuatim orare mente, & voce. Quando ergo alias tenebatur, non excusatur ex vi excommunicationis, est communis Doctorum sententia. Ita Nauarrus *c.* 25. *n.* 102. *& de Horis Canonicis n.* 16. *&* 17. Syluest. verbo *Hora n.* 4. Couarr. 1. *p.* § 3. *n.* 8. Suarius *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 14. Henriq *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 2. Sotus *lib.* 10. *de Iustitia q.* 5. *art.* 3. Antonin. 3. *p. tit.* 24. *c.* 76. Paludanus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. *art.* 1. Auilà 2. *p c.* 6. *dist.* 4. *dub.* 6. Reginald. *lib.* 32. *n.* 20. Coninc *disp.* 14. *dub* 7. *n.* 33. Filliucius *quæsito* 4. *v.* 92. Sayrus *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Accedit quod alioquin commodum reportaret excommunicatus ex suo peccato.

Assertio 3. Excomm nō solum potest sed quandoq; tenetur horas Canonicas legere priuatim. Ratio.

714. Nonnulli sanè teste Couarr. 3. *variar. c.* 13. *n.* 8. *circa fin.* putarunt excommunicatum, qui tantum tenebatur titulo beneficij dicere officium, suppositâ excommunicatione, cuius causâ non facit fructus suos, non teneri recitare. Hoc tamen falsum est, & improbabile, vt docet Couarr. ibi, & Paludanus, Angel. Syluest. Suarius, & Henriquez *suprà*; quia suâ culpâ non facit fructus suos, & hæc est pœna, quam Ecclesia illi imponit.

715. Dixi autem *teneri recitare priuatim*; quia non se debet gerere vt minister Ecclesiæ, nec nomine Ecclesiæ offerre illas orationes; & ideò notant Auctores non posse dicere. *Dominus vobiscum*, sed loco illius, *Domine, exaudi orationem meam.* Addit Maiolus *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 6. & alij apud Dianam suprà *Resol.* 93. fieri Irregularem si excommunicatus dicat *Dominus vobiscum.* Suarius tamen & alij apud Dianam putant facile excusari ex inaduertentiâ cum leui negligentiâ à culpâ mortali, atque adeò ab irregularitate. Item, si fiat ex quadam verecundiâ sine contemptu etiam aduertendo excusabitur à mortali ex leuitate materiæ; quia est actio valde priuata, & nihil ferè offendens Ecclesiam, ac proinde non incurretur irregularitas; quod etiam videtur sentire Nauarrus *in Summâ Hispana c.* 27. *n.* 45. & approbat Auila *c.* 6 *disp.* 4. *dub.* 6. vbi ait quòd, quamuis peccet excommunicatus recitans cum alijs si dicat, *Dominus vobiscum* non tamen mortaliter, quia materia est parua. Quod si dicat recitando solus non peccat. Vide Dianam suprà vbi pro hoc plures refert.

Non tamen docent nomine Ecclesiæ offerre illas orationes.

716. Illud tamen verissimum est, & satis per se clarum, quod addit Couarr. 3. *variar. c.* 13. *illatione* 12. *circa medium*, quòd si excommunicatus solùm tenebatur ratione beneficij, & priuetur beneficio, non ampliùs tenebitur iam recitare, etiamsi suâ culpâ priuatus fuerit.

717. Ex dictis patet per Diuina officia, quæ prohibentur in excommunicatione non intelligi orationes priuatas, nec recitationem Horarum Canonicarum priuatim factam; assumere verò socium pro recitandis horis priuatim, non licet excommunicato, nec alijs fidelibus illi se adiungere; id enim, etiam prohibitum est per generalem prohibitionem non communicandi cum excommunicato. Ideò peccat, & incurrit minorem excommunicationem, qui recitat alternatim Psalmos, etiamsi non ex obligatione; sed ex deuotione fiat cum excomm. Item, qui assistit benedictioni mensæ cum illo respondendo illi, vel è contra, quia communicat, si non in oratione publica, saltem in priuata, quamuis non sit peccatum mortale, vt infra dicemus.

Ex dictis Collige.

718. Idem dicendum est, quando non toleratus comitaretur Eucharistiam, quæ defertur ad infirmos, ita Auila infra cum Palatios. Vnde, quod Nauarrus ait *c.* 27. *n.* 36. *§. Ad quintum*, posse scilicèt non recitare horas cum illis, si intelligat ad inuicem se iuuando, falsum est, vt rectè probat Suarius *sect.* 2. *n.* 17. Auila 2. *p. c.* 6. *disp.* 9 *dub.* 7. *conclus.* 2. & alij apud Dianã 5. *part. Tract.* 9. *Resol.* 89. quorum plures putant solum esse leue peccatum, quia materia videtur leuis. Quod verò ait Nauarrus hoc prodesse ad salutem animæ excommunicati, ex cogitatum est ad ius eludendum; intentio enim sic orantium tantùm est se inuicem iuuare, & vtilitas animæ maior fortasse esset, si seorsum vterque oraret.

719. Orare tamen in eodem loco sine consortio, potest fieri, vt cum datur signum Campanæ ad salutandam Virginem; tunc enim vnus quisq;

quisque pro se, & per se orat. Ita Suar. *sup. n.3.* referens Caietanũ; & Auila citatã *dub.7.conclus.2.*

Excomm. vitandus & nõ excomm. possunt eodẽ loco sed priuatim & seorsum horas Canonicas recitare.

720. Item eodem tempore, & loco, etiamsi sit in Ecclesiã possunt recitare horas Canonicas, vel alias præces fundere excommunicatus, vitandus & alius non Excommunicatus, si priuatim, & seorsim vnus ab altero recitent; neque enim censentur communicare, vt rectè Caietanus, & Sotus suprà. Ingressus autem Ecclesiæ non est prohibitus excommunicato, etiamsi fiat ad orandum priuatim. Vnde neque ille, qui casu ingreditur Ecclesiam cum illo, & accipit aquam benedictam, & genu flectit, vt adoret Eucharistiam, non censetur communicare cum illo. Ita Auila *suprà.*

Quod si simul & alternatim legant illas peccant venialiter.

721. Qui etiam docet eã lem *disp. 8. dub. 4.* excommunicatum, & non excommunicatum peccare quidem; sed non mortaliter, simul, & alternatim recitando horas Canonicas, etiam debitas ex præcepto; quia Ecclesia primò, & directè prohibet tantùm communicationem in Diuinis publicam, & solemnem; nempe in Sacramentis, in Missa, in sepultura, in officio Diuino, cum publicè & solemniter celebratur; nam excommunicato non est prohibitum orare, aut recitare, sicut est prohibitũ audire Missã.

722. Quod autem non recitet cum alio, nec alius cum ipso, solùm est prohibitum in genere, & secundario; sicut in alijs actionibus humanis: est ergo materia leuis iuxta discursum D. Thomæ. *Quodl.11.art.9.* Accedit, quod aliàs, etiam esset mortale recitare alternatim cum illo rosarium, Psalmos Pœnitentiales, aut Litanias ex deuotione: hæc enim assertio etiã est in Diuinis.

Excomm. sacerdos recitans horas Canonicas priuatim cũ alio non incurrit irregularitatem. Ratio.

723. Illud tamen est Certissimum, quòd, licèt peccaret mortaliter sacerdos excommunicatus recitans horas Canonicas priuatim cum alio, non incurreret Irregularitatem; quia ille non est actus ordinis, & quiuis laicus potest id facere Ex quo etiã inferũt aliqui, iam citandi non peccare mortaliter eũ, qui recitat horas Canonicas cum excomm., neque Excommunicatum cum ipso recitantem, qui licèt actio recitandi grauis sit, tamen ea non est prohibita excommunicato; consortium tamen in eã ratione cõmunicationis leuis esse videtur; quod etiam præter Auilam citatum, & præter Couarr. & Suarium *suprà*, videntur sentire Henriquez. *c.7 n.2.* licet Caietanus, Sotus, Nauarrus, Alcocer, & alij dicant esse peccatum mortale.

Nec peccat famulus cũ Domino suo excomm. Priuatim legens Horas.

724. Hinc etiam deducit Suarius cum Vgolino *Tabul.13.§.14.n.1.* posse sine peccato famulum recitare cum Domino suo excommunicato Horas Canonicas priuatim; quod teste Henriquez *lib.13.c.22.n.2. in Gloss. literã L.* affirmarunt aliqui Recentiores. Ipse verò negat, *n.3. litera H.* Suarius verò probat; quia hoc non est ministerium Ecclesiasticum, & ex officio, sed priuatum, & quasi temporale, & alias à famulo seu Capellano debitum, quia debet is illi obedire ex officio in ijs, quæ pertinent ad Diuina. Omitto alia faciliora & legi potest Diana *5. part. Tract.5. Resol 21.* vbi agit de peruitate materiæ in communione cum excommunicato: item eãdem *5. part. Tract.9. Resol. 89. & 93.*

Suspensus irregularis & degradatus tenentur recitare Horas.

725. De suspenso verò, irregulari, & degradato communis sententia est teneri recitare, non tamen posse cum socio. Auila tamen *c. illo 6. disp.4. dub. 6* cum Soto 10. *de Iustitiã q.5. art.3. Columna 6.* putant posse, non solùm cum alijs priuatim, sed etiam in choro, quia suspensis, degradatis, & Irregularibus, si aliàs non sint excõmunicati non est prohibitum communicare cũ alijs; sed ordinum executio, susceptio, & Sacramentorum administratio, aut Ecclesiasticæ Iurisdictionis prohibita est. Ita eodem Auila teste Nauarrus *de Oratione c.21.n.17.* & multi viri doctissimi.

DVBITATIO XLIII.

Quomodo excommunicatus decedens careat Ecclesiastica sepultura?

Assertio 1. non tolleratus ita mortuus non potest sepeliri in loco sacro.

726. ASserendum est primo excommunicatum denuntiatum decedentem in excommunicatione non posse sepeliri in loco sacro, etiamsi mortuus fuerit cum signis contritionis. Ita statuitur *c. Sacris, de sepulturis, adiuncto c. à nobis de sentent excommunic.* sed in hoc casu potest post mortem absolui; & sepeliri. Si tamen fuit absolutus à quocumque sacerdote etiam ob instantem necessitatem absolutus debet Censeri, vt habetur *c. vltimo de sepulturis.* Quod si excommunicati corpus sepultum fuit in loco sacro, talis Ecclesia polluitur, vt habetur *c. Consuluisti de Consecrat Eccles.* Vnde ante reconciliationem talis Ecclesiæ non possunt licitè officia Diuina in eã celebrari, nec aliorum corpora sepeliri.

Per sepulturam excom. polluitur Ecclesia.

727. Si autem corpus illud non possit absolui, quia nõ dedit signa Contritionis, vel ob aliud Impedimentum exhumandum est, & reijciendum ex eo loco sacro, vt dicitur citato *c. sacris*, docentque communiter Doctores: quod si non possit ab alijs discerni, ibi debet manere, & reconciliatã Ecclesiã potest ibi celebrari, vt in eodem *c.* habetur. Ita Suarius *disp.12.sect. 4.* & alij posteã referendi.

Peccat mortaliter sepelliẽs excomm. in loco sacro & incurrit excomm.

728. Illi autem, qui sepeliunt excommunicatum in loco sacro, peccant mortaliter, quia communicant in Diuinis; deinde incurrunt excommunicationem minorem impositam homini communicanti cum excommunicato. Tertiò incurrunt excommunicationem maiorem per *Clementinam 1. de sepulturis*; ad eum tamen incurrendam requiritur præsumptio. Vnde excusat ignorantia etiam crassa, vt docet Auila. *c.6. disp.10. in fine.* Excusat etiam metus (vt ait Suarius, qui etiam addit, si absoluatur sine satisfactione præmissã, absolutionem esse nullam; nam in prædicto Textus de prædictis incurrentibus dicitur nulla tenùs esse absoluendos, nisi satisfecerint arbitrio Episcopi eis, quibus per id fuerit iniuria irrogata.

Excusat tamen ignorãtia & Metu.

Excomm. hanc maiorẽ putant aliqui incurrere solos collocãtes corpus in sepulchro. Caietanus Nauarrus. Auila.

729. Hanc tamen excommunicationem maiorem Caietanus verbo *excommunicatio c.46.* & Nauarrus *c.27. n 137.* Henriquez *lib.13.c.43. n.3.* Auila *c. illo 6. disp.10 in fine* putant solùm incurrere eos, qui collocant corpus in sepulturã, nec concedant omnes prosequentes funus incurrere. Suarius tamen suprà *n.10.* Syluest cum multis, quos refert *verbo excommunic.9.n.70.* eam exten-

Suarius & alij extẽdunt ad mandantes exequentes, &c.

extendunt ad mandantes, & exequentes, & ad omnes suâ auctoritate facientes, vt sepeliatur in loco sacro, quia putant tam strinctam & rigorosam acceptionem, illius verbi nimiam esse, & alienam à mente legis latoris, vt ex verbis Textus expendit Suarius; item; quia aliàs, vt ibi notat Glossa, hæc constitutio ludibrio esset, & ferè nunquàm vllus eam excommunicationem incurreret. Quæ sententia Suarij probabilis satis est; probabilior tamen mihi videtur prior sententia, magisque conformis doctrinæ à nobis traditæ *disp. 1. dub. 19.* vbi latè probauimus Censuram latam contra facientes non comprehendere mandantes, nec consulentes, nec alios participantes, seu coöperantes dummodò non sint exequentes, vel faciant, cõsulant, vel cooperantur in delicto; propter quod iam is, cui cooperantur, incurrerat in excomm.: ibi legatur.

Author Suarij opinionem iudicat probabilem, probabiliorem tamen opinionem primam.

Ratio.

730. Omnino verò non placet quod Reginaldus *lib. 32. n. 19.* post Vgolinum *Tabul. 2. de Censur. c. 9. §. 5.* existimat non solùm affici mandantes verùm etiam eos, qui non impediunt cum impedire possint. Quod nullo argumento probatur.

731. Quod diximus de vtrâque excommunicatione maiori, & minori incurrendâ à sepeliente in loco sacro, nonnulli non admittunt, inter quos Suarius *sect. 2. n. 13.* putat enim minorem conuersam fuisse in maiorem. Hoc tamen mihi non placet, neque enim ex eo quod in illâ Clementinâ imposita sit maior, desinit habere vim generalis illa lex, quæ imponit excommunicationem maiorem homini communicanti cum excommunicato. Ideò præter Auilam consentit nobiscum Nauarrus *suprà n. 36.* Filliucius *Tract. 12. c. 4. quæsito 10. n. 110* & alij Recentiores.

Eandem excomm. incurrunt sepelientes vsurarium manifestum in loco sacro.

732. Eandem excommunicationẽ incurrunt per eundem Textum, qui sepeliunt in loco sacro vsurarium manifestum; priuatur enim vsurarius Ecclesiasticâ sepulturâ. Qua de re diximus in nostro *opere de Iustitia Tract. de Vsuris disp. 3. dub 5.* agentes de pœnis Vsurariorum, vbi etiam diximus imponi pœnam suspensionis ei, qui dederit sepulturam vsurario. Item incurrunt prædictam excommunicationem per eundem Textum, qui sepeliunt aliquem in loco sacro interdicto.

733. Quamuis autem Clerici cantantes in funere non incurrant hanc excommunicationem maiorem, mortaliter tamen peccant; quia communicant in Diuinis: Laici verò prosequentes funus non videntur mortaliter peccare. Ita Suarius *disp. 12. in fine*, & alij Recentiores.

Idem dicendum de sepelientibus Hæreticum in loco sacro.

734. Similem excommunicationem incurrunt, qui sepeliunt Hæreticum in loco sacro *per c. 2. de Hæreticis in 6.* item qui sepeliunt fautores Hæreticorum: quæ excommunicatio eodem modo intelligenda est, quo præcedens; quia eodem tenore fertur, vt notat Suarius.

Excomm. tamen non vitandi sepeliri possunt.

735. Quod attinet ad excommunicationem prædictam tantum intelligitur de excommunicatis vitandis; nam excommunicati non vitandi sepeliri possunt perinde, ac si non essent excommunicati vt expresse contra Caietanum tradunt Nauarrus, & Suarius *suprà n. 5.* Henriquez *lib. 13. c. 7.* Filliucius *suprà quæsito 8.* Reginaldus *lib. 32. n. 16.* & alij apud Bonacinam *disp. 2. q. 2. puncto 3. §. 3.* Ratio est quia in Concilio Constantiensi, vt sæpe diximus probibitum est communicare tantùm cum excommunicatis denuntiatis, & cum manifestis Clerici percussoribus, non verò cum alijs.

Ratio est.

Auila putat prædictos sepelientes peccare.

736. Quod uerò attinet ad peccatum, Auila dissentit à prædictis in fine *disp. 10. assert. 3.* adiunctis ijs, quæ dixerat *disp. 9. dub. 6. ad. 2.* putat enim peccare prædictos sepelientes, quia Cõciliũ nihil voluit concedere, quod directè cadat in honorem, & vtilitatem excommunicatorum; sepeliri autem in loco sacro fauor est, & honor excommunicati.

Author probabilius Putat tales nullo modo peccare.

Ratio.

737. Nihilominùs probabiliùs est per Concilium Constantiense sublatam esse omnem probibitionem communicationis cum excommunicatis prædictis; hæc enim ablatio probibitionis semper est fauor ipsorum fidelium, quamuis enim Ecclesiastica sepultura sit fauor, & honor ipsius, qui sepelitur; tamen simul est fauor & honor cognatorũ, consanguineorũ & Ciuium, cæterorumq́; quorũ interest, vt ille honorificè sepeliatur. Ideò cõcessũ est hoc; non tanquàm fauor excommunicati; sed tanquàm fauor aliorum iuxta doctrinam traditam *dub. 26.* Nec video sufficiens fundamentum, vt vtamur auctoritate Concilij Constantiensis ad excusandam Censuram, & non ad excusandam culpam, nam Concilium Constantiense non solùm voluit constitutione suâ liberare fideles à pœnâ; sed etiam à culpâ, quantum est ex vi legis Ecclesiasticæ; nam illa lex lata fuit ad sedandas conscientias, & tollendos scrupulos: ad hoc autem multò magis seruit libertas à culpâ, quam libertas à pœnâ excommunicationis. Accedit, quod, sicut excommunicatio ponitur ad cogendos fideles seruare legem ita, nisi aliud exprimat, tollendo excommunicationem censetur tollere legem; alioquin possemus vniuersaliter dicere Cõcilium sustulisse quidem pœnam; reliquisse tamen legem, & obligationem vitandi excommunicatos non denuntiatos. Quod si respondeas colligi ablatam esse legem in alijs communicationibus; quia intendit Ecclesia fauere fidelibus non excommunicatis, & scrupulos tollere; id ipsum etiam locum habet in nostro casu, vt probatum est.

Locus sacer hic quis dicendus.

738. Dubitabit tamen aliquis quid intelligatur per locum sacrum?

739. Hac de re rectè disputat Suarius, Reginald. Vgolin. & Filliucius locis citatis. Coninc. *disp. 14. dub. 8.* & alij multi, cum quibus breuiter respondeo intelligi Ecclesiam, cœmeterium, & omnis locus deputatus ab Episcopo ad sepulturam fidelium etiamsi non sit consecratus, & vbicumque consueuit dici Missa, quia per illam, quasi sacratur locus ille, & nihil aliud dicitur locus sacer etiamsi coniunctus sit Ecclesiæ. Vide, si placet, quæ diximus *in tom. 1. de Sacramentis Tract. 5. d. 4. n. 100.* Ex quo infertur excommunicatum posse sepeliri in loco, qui est proximus Ecclesiæ, etiamsi nullus murus illum separet à loco sacro.

Excomm. probabiliter non licet vsus aquæ benedictæ.

740. De vsu aquæ benedictæ docet Bonacina satis probabiliter non licere excommunicato, quia oratione Ecclesiæ benedicta est, vt fide-

fidelibus prosit &c. ideo censetur priuatus hac communicatione. Consentit Suarius,& vtrumque refert Diana 5. *part. Tract.9. Resol.* 90. sed limitat Suarius, vt fiat ex intentione communicandi, secus si vtatur aliâ intentione. Non desunt tamen, qui putent non prohiberi eiusmodi vsum, nec extat aliquod ius id prohibens. Turrianus apud eundem Dianam putat hoc secundum esse quidem pium, sed primum probabilius. Vide Gordonum & Hurtadum quos Diana refert, ego cum Turriano sentio. Ratio Bonacinæ & Suarij mihi placet; facit enim se participem suffragiorum Ecclesiæ, quantum est ex se, in hoc est illi prohibitum lege vniuersali.

Alij licere asserunt.

Author primum iudicat probabilius.

DVBITATIO XLIV.

An collatio beneficij facta excommunicato sit omnino nulla? & quid de suspenso, & interdicto? & quid de pensione.

741. ASserendum est primo nullam esse in conscientiâ collationem, factam excommunicato. Ita statuitur *c. Postulasti de Clerico excomm. ministrante.* estque communis doctrina Theologorum *in 4. dist.*18. vbi Richard. *art.*7. *q.* 4. Paludanus *q.*4. Antonin 3. *p. tit.* 24. *c.*76. Sotus *dist.*22. *q.*1. *art.* 4. Petrus Nauarra *lib.*1.*de restitutione.c.* 3. *dub.*4. Angel. *excomm. vltimo n.* 10. Syluest. *excomm.* 3. *n.*1. § 9. & *Clericus* 4. §.25. Couarr. 3. *variorum c.* 13. & *c. Alma mater p.*1.§.7. Nauarrus *c.*25.*n.*124.& 27.*n.*21. Henriq. *lib.*13.*c.*7.*n.*2. Suarius *disp.* 13. *sect.*1. Sayrus *lib.* 2. *c.* 5. Vgolinus *Tabul.*2.*c.* 13.§.1. Coninc *disp.* 14.*dub.*9. Filliucius *Tract.*12. *c.*15. *quæsito* 1.*n.*113. Reginald.*lib.* 72. *n.*43. Vasquez *Tract. de Excommunicatione dub.*6. vbi plures alios refert cum antiqua decis. Rotæ 363. in quâ id fuit declaratum, tàm de excommunicatione à Iure, quàm de excommunicatione ab homine; quia Iura indefinitè loquuntur.

Assertio 1. collatio beneficij facta excom. nulla est in conscientia.

742. Ex hac assertione colligunt Authores, quod licèt excommunicatus bonâ fide acceperit collationem ignorans suam excommunicationem, vel probabiliter putans ab illâ se fuisse absolutum si posteà sciat se excommunicatum accepisse beneficium, in conscientiâ tenetur illud relinquere,& similiter fructus restituere; in quo etiam consequenter consentiunt Authores, quia licèt ignorantia excuset à peccato, non tamen dat valorem actui aliàs inualido, vt cum communi docet Nauarrus *c.*27.*n.* 271.

Hinc colligunt Authores idem esse de accipiente bonâ fide beneficium ne post suâ excomm. Ignorante.

743. Sed quod attinet ad fructus rectè docet Suarius, Henriquez, Petrus Nauarra, Nauarrus, & alij posse retinere eos, qui correspondent officio, vel ministerio, quod exercuit, si seruiuit Ecclesiæ, quia stipendium illi debetur. Legatur Diana 5. part. Tract. 9. Resol. 99. vbi idem docet cum alijs. Præterea, si præter congruum stipendium plures fructus accipit bonâ fide, & eàdem bonâ fide eos consumpsit, neque inde factus est ditior, etiam non tenetur restituere.

Aliquos tamen fructus potest retinere.

744. Non me latet Nauarrum *c. fratres de Pænit. dist.* 5.*n.*45. referens pro se Glossam, Fœlinum, & Cardinalem existimare collationem beneficij factam excommunicato probabiliter ignoranti suam excommunicationem, validam esse. Quam sententiam Less. *lib.*2.*de Iustitiâ c.* 34. *dub.*22. dicit esse probabilem; probabilius tamen est id, quod diximus, scilicèt non valere, vt docet idem Less. ibi n. 127. Sayrus lib. 2. c. 5. n.8. Filliucius n. 105. Coninc dub. illo 9. n. 70 Suarius, Auila, Henriquez. Vgolinus, & Vasquez *suprà* propter rationem dictam, quia, scilicet, ignorantia non facit validum actum, qui alias erat inualidus.

Alij probabiliter putât collationem ignoranti suam excom. factum esse validam.

Ioan. de Dicastil. de Censur.

Author contrarîi indicat probabilius.

745. Notandum verò est nostram assertionem nô habere locum in collatione vel electione factâ cum clausulâ absolutionis *Quoad effectum præsentium consequendum*, quæ communiter ponitur in literis Pontificijs, vt testantur Nauarrus *c.* 27.*n.* 271. Auila 2. *p. c.*6. *disp.* 5.*dub.*2. 5. *Quinta nota*, qui etiam addit cum Couarr. non habere locum quando interuenit virtualis dispensatio Papæ, non tamen sufficere dispensationem Episcopi, quia hoc impedimentum,& inhabilitas prouenit ex Iure communi, vt latè Nauarrus in *Summâ, Præludio.* 9. *n.* 11.& *c.*25.*n.* 74. in aliquibus verò casibus non sufficit clausula absolutionis, vt infrà dicemus.

Nota

746. Hoc ipsum, quod scilicèt collatio facta excommunicato sit nulla extendunt aliqui Auctores ad officium Ecclesiasticum, vel seculare habens annexam Iurisdictionem, vt Principatus, Prælaturas &c. Ita Vgolinus *Tabul.*2.*c.*13. §. 3. Reginald. *suprà n.*28. & 83. Sayrus *suprà n.*63. Auila 2. *p. c.* 6. *disp.*6. *dub.*7.*ad finem.* Alij verò, admittunt quidem in Officijs Ecclesiasticis hanc doctrinam, non verò in sæcularibus. Ita Suarius *disp.*16.*s.*2.*n.*1. Filliucius *suprà n.*118. & *c.*6. *quæsito* 10, *n.*165.& *c.*7. *quæsito* 3. *n.*173. Coninc *disp.*14. *dub.* 11.*n.* 106. Diana cum Suario contra Gersiam part.9. Tract.8. Resol.34.

Extensio aliquorum quoad collationem factâ excomm.

Alij hanc extensionem limitant

747. Probabilior tamen videtur prior sententia, quam optimè probat Auila vbi proximè Textu, & ratione; Textu quidem *in c. venerabilem de electione.* vbi electio cuiusdam Ducis Hispanicè *Duquo*, Italicè *Duca*, dicitur nulla, quia facta fuit excômunicato,& ita docet ibi Glossa magna, circa medium, & in fine, & verb. *Electus.* Item Panormitanus ibi *n.* 11. Gersias relatus à Diana, probat Auila ratione quia excommunicatio superueniens suspendit Iurisdictionem sæcularem, ita vt omnia facta sint nulla. Quod (inquit Auila) solùm habet locum in non tollerato: ergo à fortiori annullabit electionem, nam plus est aliquem à sua Sede deijcere, quàm non admittere. De quo iterum dicemus *dub.* 47. *assert.* 3.

Author iudicat priorê sententiam probabiliorem.

Ratio.

748. Duplex autem in hac re exceptio assignanda est: prima; quando Pontifex virtualiter censetur dispensare, vt si conferat alicui dignitatem, quem scit esse excomm, secunda quando quis ex testamento, vel ab intestato adquirit aliquod dominium temporale, cui annexa est iurisdictio, & dignitas, tunc enim accessoriû sequitur naturam principalis, & hoc adquisito, adquiritur illud. Iura verò non irritant adquisitionem dominij temporalis, ac proinde, nec Iurisdictionem illi annexam, quamuis pro tempore excommunicationis nequeat exerceri

Hâc in re duplex reception assignanda est.

actus Iurisdictionis. Quod verò attinet ad dignitates,& Prælaturas Ecclesiasticas etiam Religiosorum, & etiamsi nullos habeant fructus temporales, certum omnino est, & consentiunt Auctores citati,& alij plerique.

Circa pensionum collationes factas excommunicato an valida sint non Consentiunt Authores

749. Circa pensiones verò non consentiunt Authores an earum collatio facta excommunicato sit valida? In quâ re notat Auila citata *disp.5.dub.5.* duplicem esse pensionem. Quædā est spiritualis, quæ fundatur in titulo spirituali, & Clericali, vt quæ datur Coadiutori alicuius Episcopi,vel Parochi iam senio confecti, vt illum adiuuet in administratione spiritualium: altera est temporalis quæ fundatur titulo temporali,qualis datur personis secularibus,eo quòd armis,patrocinio &c. defenderint temporaliter Rempublicam. Temporalem etiam censet Auila illam,quæ datur alicui Parocho seni,& beneficium confertur alteri robustiori; quod probabile est; licèt in controuersia positum sit; talis enim pensio non datur ad exercendum aliquod officium spirituale; sed solùm in sustentionem senis, & remunerationem præcedentium laborum. Eâdem distinctione vtitur Suarius *disp.27 sect.1.n.15.*

Duplex. Pensio

Assertio.1. pensio merè temporalis validè confertur excommunic. Ratio.

750. Asserendum est cum eodem Auila pensionem merè temporalem esse validè collatam excommunicato, quia Iura solùm annullant collationem beneficij Ecclesiastici. Itē ratio ob quam ea collatio annullatur, est; quia beneficium datur propter officium, cuius est incapax; & inhabilis excommunicatus. Quæ ratio non habet locum in eâ collatione pensionis temporalis. Atque ita docent plures apud Dianam, quos ipse sequitur *5.part. Tract. 9. Resol.103.* & docuerat *part.4. Tract. 4. Resol.55.*

751. De pensione collata titulo Clericali Conine *disp. 14. dub.9. ad finem.* relatis aliorum sententijs hæret anceps,faseturque difficile iudicari posse,quænam vera sit.

Assertio 2. pensio collata titulo Clericali est inualida.

752. Asserendum nihilominus est cum magis communi sententia eam esse inualidam ita Auila loco nuper citato *§. secunda conclusio* quem falsò pro opposita sententia refert Bonacina *disp. 2. q.2. puncto 4.§.1.n.4.* expressè enim hanc sequitur,licèt oppositam, vt infra dicam,appellet probabilem. Ita Vasquez de *Excomm. dub. 6.* Henriquez *lib.13.c.13.n.3.* litera N. Reginald. *lib.32.n.43.* Suarius *disp. 13. sect. 1.n.9.* Filliucius *suprà c.5.quæstio 4.* Sayrus *suprà n. 15.* Less. *suprà.* Vgolinus *suprà §.2.* Bonacina *loco citato* & Diana *suprà*, cum alijs, quos refert. Probat Auila; quia pensio habet rationem beneficij Ecclesiastici in quantum datur propter officium Ecclesiasticum : sed excommunicatus est inhabilis ad huiusmodi officium : ergo &c. atque ita testatur seruari in praxi Romana; sed hoc fundamentum suam habet quæstionem; neque enim omnino certum est, & clarum pensionem esse beneficium Ecclesiasticum, de quo nunc nec vacat,nec iuuat disputare,dicemus, si Deo placeat, suo loco. Probant Bonacina & alij primò, quia excommunicatus sicut est incapax aliorum priuilegiorum, ita etiam videtur incapax pensionum : hoc tamen fundamentum leue est in Iure positiuo,maximè pœnali, sumptū à paritate. Probant deinde; quia obtinenti pen-

Probat Auila.

Authoris nō placet Ratio Auilæ.

sionem à summo Pontifice concedi solet absolutio Censurarum ad hunc effectum, vt sit capax pensionis : ergo signum est esse incapacem; Verùm nec hoc fundamentum probat, sæpè enim dantur absolutiones à Censuris,vel ad cautelam,vel propter varias, opiniones ad tollendos scrupulos, vel propter alias causas,vt ad impediendas lites, vel quia sic solent facere ijs, qui literas scribunt, & expediunt, qui habent iam quasi solemnia & concepta verba,& quia literæ Apostolicæ non valent collatæ excommunicato.

Nec Bonacinæ ratio placet.

753. Suarius verò *disp. illa 13. sect. 1.n.9.* probat, quia plus est obtinere ius ad fructus pensionis percipiendos, quàm ipsos fructus;sed is, qui iam antea erat pensionarius constitutus nō potest fructus pensionis percipere : ergo multò minùs potest Ius ipsum pensionis. Porrò non posse percipere fructus pensionis, probauerat Suarius ex *c. Exceptione de Exceptionibus*, iuxta quod excommunicatus non potest, quandiù est legatus Censurâ, Iure exigere pensionem, imò repelli posse, si exceptio excommunicationis illi apponatur. Atque hoc modo putat Suarius habere locum in hoc casu regula, quæ sumitur ex *c. si celebrat de Clerico excommunicato ministrante*, quod scilicèt excommunicatus,dum sit inhabilis ad aliquem actum, sit etiam inhabilis ad recipiendum de nouo id, quod est, quasi principium talis actus; nam excommunicatus est inhabilis ad percipiendos fructus pensionis; principium autem veluti morale percipiendi illos est ius illud,quod adquiritur per assignationem seu collationem pensionis : ergo est incapax, vt tale ius de nouo adquirat,qui discursus Suarij mihi satis probabilis videtur.

Probat Suarius cuius discursus satis probabilis videtur. Authori.

754. Accedit quod (vt ipse Suarius notat) etiam Rescriptum seu Bulla ab excommunicato impetrata, nulla est, nisi ad talem effectum absolutionem obtineat argumento. *c. Dilectus de Rescriptis* & c. 1. de *rescript.* in 6. vbi id notant Doctores,& Abbas in c. *veritatis*, de dolo,& cōtumacia vbi ad finem dicitur omnem alienationem de rebus Ecclesiasticis ab excommunicato factam esse irritam : ergo à fortiori assignatio pensionis,vel eius acceptio respectu excommunicati nulla est. Non ignoro post Auilam suprà putantem oppositam sententiam esse probabilem, eandē vt veram sequi Ioan. Præposit. in *3.p. q.2. de Excommunic. dub. 11.n. 64.* Probat quia excommunicatus non ex naturâ rei; sed solo iure positiuo, id habet in quo solùm habetur de beneficio; pensio autem beneficium non est neque est Textus vbi de illâ id expressè statuatur, etiamsi collata fuerit titulo Ecclesiastico, cumque res sit odiosa non debet extendi sed potiùs restringi. Hunc auctorem impugnat Theophilus Raynaudus *de monit p.s.2.2.num.29.* verùm si secludas communem sensum doctorum, non video satis efficaciter inpugnari præpositum. Licèt Suarij discursus mihi maximè placeat, cui tamē posset responderi; sed pergo. Sufficiat, quod notat Diana *part. 7 Tract.22. Resol. 7.* vbi testatur quod secundum stylum Curiæ Romanæ & datariæ, incapax beneficij sit incapax pensionis.

755. Quæret tamen aliquis an, qui innocens patitur

Quæm.

patitur sententiam excommunicationis alioquin iuste secundum allegata, & probata, validè recipiat beneficium.

Resp. qui tamen secundum allegata & probata est nocens validè recipit beneficium. Ratio

756. Respondeo validè recipere, hic enim non est reipsâ excommunicatus, constatque ex doctrinâ traditâ *disp.* 1. *dub.* 24. *à §. Tota ergo difficultas* & §. *Colligitur* 2. vbi notauimus, quamuis in conscientia non amittat fructus, beneficij; si tamen collatio beneficij, aut electio declaretur in foro externo irrita, vtpotè facta excommunicato; re verâ fore irritam propter commune bonum; absolutè tamen, secluso illo casu, excommunicationem esse nullam, & posse retinere fructus, validèque recipere beneficium vt præter Authores ibi citatos docet Suarius de *Censuris* disp. 4. sect. 6. Reginaldus *suprà* n. 47. Bonacina *suprà* n. 1. cum alijs, quos refert.

757. Probat etiam Couarruu. supra §. 7. n. 1. & 2. nomine collationis nullæ intelligi etiam electionem & præsentationem, seu nominationem excommunicati ad beneficium; omnia enim hæc sunt nulla.

Ex dictis infertur.

758. Ex dictis etiam infertur eum, qui obtinuit beneficium tempore excommunicationis non posse illud permutare cum altero; nullum enim ius habet in beneficio, & quamuis superior possit beneficium conferre, nihilominus defacto non confert; nisi causâ permutationis, quæ non est valida; qui enim non habet Ius ad beneficium non potest permutare. Ideo prædictus excommunicatus, etiam postquam fuerit absolutus, non potest vllum beneficium obtinere via illius permutationis; nam primum invalidè recipit ratione excommunicationis, secundum invalidè recipit causâ permutationis, quæ non subsistit; quod aliqui confirmant ex regulâ Cancellariæ 39. Ita Sanchez *in Summâ* c. 28. n. 33. Filliucius suprà n. 122. Couarr. c. *Alma mater* 1. p. §. 7. n. 2. Sayrus *lib.* 2. *c.* 5. Vasquez, Auila, & alij *suprà*.

Casus in quibus collatio a S. Pontifice facta excom. non valet.

759. Quamuis autem dixerimus absolutionem, quæ esse solet à summo Pontifice in Bullâ, sufficere, vt collatio alioquin excommunicato facta valeat, excipiendi tamen sunt aliqui casus.

Primus casus.

760. Primus casus est excommunicationis ob Hæresim contractæ, à quâ non præsumitur Pontifex velle absoluere, etiamsi in priuilegio dicatur *ab omnibus Censuris*; nam in generali concessione non comprehenduntur ea, *quæ superius non esset in specie verisimiliter concessurus, si specialiter peterentur c. in generali, de Regulis Iuris*, non. censetur autem verisimiliter Pontifex concessurus absolutionem excommunicationis ob Hæresim contractæ si specialiter peteretur. Ita Couarr. c. *Alma mater* 1. p. §. 1. n. 15. vbi refert Felinum Innocentium, & Regulam Cancellariæ, & alij Recentiores, inter quos Bonacina citato puncto 4. §. 1. vbi idem putat dicendum de casibus contentis in Bullâ Cœnæ, ad quos putat reduci alios casus relatos à Sayro lib. 2. c. 5. n. 13. vt sunt casus incendij, violationis Ecclesiarum, libertatis Ecclesiasticæ, aut falcificationis literarum Apostolicarum. Legatur Auila c. 6. disp. 5. dub. 2. conclus. 4. Secundus casus ex-

Secundus casus.

communicatio est, in quâ quis forduit per annum: habetur enim suspectus de fide: Filiucius tamen suprà & alij absolutè tradunt absolutionem in literis Apostolicis excusare, nullosque casus excipiunt. Idem docet Auila referens Nauarrum c. 27. n. 22. & Henriquez c. 48. n. 5. in Glossa litera C. imò putat Auila cum Nauarro c. *ita quorundam* de *Iudæis*, notabili 11. Gloss. vltima n. 15. sufficere in quibusdam casibus insorduisse per quatuor menses iuxta Regulam Cancellariæ ibi à Nauarro relatam limitat verò Auila, nisi Papa id sciret, & nihilominus daret clausulam absolutionis. Et hanc extendit Auila expressè ad casus Bullæ Cœnæ referens Nauarrum; excipit tamen cum Couarr. casum Hæresis.

Si præsens a sit excommun. virtute cuius collatio est facta præcessera absolutionē nulla, licet hanc absolutio præcessero.

761. Ex dictis habemus excommunicatum non posse præsentari a Patrono laico, nec Clerico ad beneficium Iuris Patronatus. Ita Auila c. 6. disp. 5. dub. 2. conclus. 3. referens Couarruiam. Ex quo rectè infert, quod si excommunicatus præsentetur ad beneficium, & Episcopus virtute huius præsentationis conferat ei illud beneficium etiamsi collatio fiat post absolutionem ab excommunicatione, collatio erit nulla; quia est collatio facta virtute præsentationis nullæ, sicut & collatio facta ad præsentationem Patroni excommunicati pro quâ sententiâ refert Couarruuiam c. *Alma mater* 1. p. §. 7. n. 9. & Nauarrum const. 7. *de Iure Patronatus*.

762. Docet etiam Auila impetrationem literarum ad beneficia vacatura esse nullam, etiamsi impetrans ignorauerit excommunicationem. Ita Couarr. citato §. 7. n. 3. illatione 11. nisi detur cum clausulâ absolutionis cum circumstantijs suprà requisitis, & explicatis.

763. Nec sufficit absolutio pro omnibus excommunicationibus facta à Prælato inferiore; tunc enim non manebit absolutus; nisi ab illis à quibus ipse potest absoluere, vt docet Auila suprà cum Nauarro in citato *c. Ita quorundam*.

An acceptatio beneficij cuius nominatio & Electio facta fuit ante excomm. valida sit.

764. Vtrum autem acceptatio beneficij facta ab excommunicato quando prouisio, seu nominatio, & electio facta fuit ante excommunicationem incursam, sit valida? Auila, Nauarrus, & Couarr. citati affirmant. Negat verò Suarius; eâ tamen lege, vt non tollat neque in aliquo infirmet electionem, & alia, quæ facta sunt ante excommunicationem incursam. Idem docet Vasquez de beneficijs c. 4. dub. 2. contra se ipsum in Tract. de *Excommunic.* vt infra videbimus, nempe hic Author olim scripsit aliqua iunior non matura prælo, quæ postbuma tanti Authoris discipulorum affectu fortasse nimio edita sunt & Coninc disp. 14. dub. 78. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 2. n. 11.

765. Excommunicatus autem acceptans non peccat, licet nihil efficiat, quod validum sit. Ita idem Suarius contra alios afferentes peccare mortaliter, & cum Suario sentit Less. lib. 2. c. 34. dub. 22. qui addit esse validam acceptationē pro tempore, quo desijt esse excommunicatus; nam tunc acceptatio prior censetur manere cū non sit reuocata, ac proinde statim absolutus ad quirit ius in re fine nouâ acceptatione, cùm tamen antea tantum haberet ius ad rem. Quæ sententia mihi valde probabilis videtur legatur Auila citato c. 6. disp. 5. dub. 6. vbi etiam sententiam suam affirmatiuam satis probabilem

reddit, & mihi magis placet.

Sententia affirmans magis placet Authori.

766. Vt autem melius intelligatur, supponendum est cum illo per acceptationem aliquo modo adquiri ius in beneficio, & nihilominus acceptationem esse validam, non quantum ad ius adquirendum; sed tantum ad declarationem consensus. In quo videtur consentire cum Lessio à nobis citato, ait enim Auila quòd si post talem acceptationem absoluatur ab excommunicatione, non est opus aliâ electione, collatione, nec acceptatione; sed cùm primum absoluatur, adquirit Ius in beneficio, & non antea.

Infert Auila

767. Ex quo infert Auila cum Couarr. quem refert, si post absolutionem moriatur; illud beneficium vocare de nouo. Item si qui nondum erat excommunicatus obtinuit literas ad beneficium vacaturum, licet tempore, quo vacat, sit excommunicatus, posse illud acceptare virtute literarum, collationem tamen fore suspendendam donec absoluatur ab excommunicatione, Testaturque Auila id habere decisionem Rotæ à Couarr. citatam 3. *variarum*, idemque putat dicendum de ipsa acceptatione prædictarum literarum, vt, si quis nondum excommunicatus impetrauit à Papa literas ad beneficia vacatura, illæque expeditæ sint, postea verò, quando eas acceptauit, erat excommunicatus, talis quidem acceptatio est valida, & sufficit ad explicandum consensum. Vnde, si quando vacat beneficium iam est absolutus, validè, & licitè poterit illud obtinere, & collatio erit valida.

768. Similiter inquit Auila antiquior Canonicus, quamuis sit excomm. poterit optare pinguiorem præbendam vacantem; collatio tamen est suspendenda donec absoluatur. Pro quâ doctrinâ refert Couarruuiam; & referri potest Lessius suprà quatenus (vt vidimus) dicit priorem acceptationem postea manere, & virtute illius adquirere Ius in re sine nouâ acceptatione. Hanc eandem sententiam sequitur Vgolin. Tabula 2. c. 13 §. 1. Sayrus lib. 1. c. 5. n. 11. Gomez in Tract. *Exspectatiuarũ* n. 50. Couarr. c. *Alma mater* 1. p. citato §. 7. n. 4. notabili 12. Vasquez de *Excommunicatione* dub. 6. n. 9. Bonacina suprà n. 9. Flaminius Paris *de resignat.* lib. 10. q. 8. n. 39. Decis. Rotæ decis. 195. in nouis *de sentent. Excommunic.* Azor 2. p. lib. 7. c. 23. quæsito 5. sub fin. Filliucius n. 120. & sequentibus aliique nonnulli.

769. Itaque habemus illam acceptationem valere quidem, quantum ad declarationem cõsensus interim dum durat excommunicatio; nõ tamen valere, quantum ad adquisitionem Iuris pro illo tempore. Quatenus verò illa met explicatio consensus censetur manere post absolutionem, tunc dicimus illam habere vim adquirendi ius, cuius iam est capax sic absolutus. Et in hoc sensu intelligi possunt Authores, qui dicunt acceptationem esse nullam, scilicet interim dum excommunicatio durat.

770. Ad illud verò, quod Suarius dicebat sic acceptantem non peccare, adhibenda distinctio est; nam, si acceptat animo exercendi officium, antequàm absoluatur, peccabit mortaliter; non quidem ratione acceptationis præcisè, sed ratione finis mali, quia est suspensus ab officio. Si autem acceptet animo non exercendi officium donec absoluatur, nullo modo peccat, & talis acceptatio non est prohibita in Iure. Legatur Auila *dub.* 6. citata.

Dicta hactenus de excommunicato locum habent etiã in non vitando.

771. Quæ dicta hucusque sunt de excommunicato locum habent in omni excommunicato, etiam non vitando, ita, vt electio, collatio, præsentatio &c. illi facta sit nulla. Ita Suarius disp. 13. sect. 1. n. 30. Auila c. illo 6. disp. 5. dub. 2. Couarr. c. *Alma mater* p. 1. §. 7. n. 1. Nauarrus c. 27. n. 21. & alij multi. Ratio est, quia Concilium Constantiense in nullo voluit fauere ipsis excommunicatis. *Ratio.* Ex quo infertur Electores eligendo, & conferentes conferendo Excommunicato, & ipsum excommunicatum acceptando talem collationem, & electionem peccare mortaliter; excommunicatum quidem, quia illi est prohibitum per ipsam excommunicationem; electores verò, & conferentes non quidem directè contra ius Ecclesiasticum post Concilium Constantiense; sed contra Ius naturale, quo tenentur non eligere indignum, neque inhabilem.

Seclusa tamẽ (iuxta Authorem) cõmuni Doctorum cõsensu, posset contrarium probabiliter asseri.

772. Fateor tamen, secluso communi Doctorum consensu in prædictam doctrinam, posse dici non improbabiliter electionem illam non esse nullam; quia tantum erat nulla per Ius positiuum quod videtur ablatum post Concilium Constantiense, quia fauor est ipsorum electorum, vt eorum actus validi sint. *Ratio.* Vnde si hoc dicatur, etiam licitè poterunt eligere, vt acceptet post obtentam absolutionem excommunicationis: Quod non audet affirmare Suarius, non quia, si rationem consequentiamque spectemus, non videatur probabile (id enim procul dubio vidit Suarius) sed; quia nullus alius id affirmauit, tanta erat viri modestia, vt tantus Magister non auderet id sine alio Authore precedente asserere. Ego tamen, tùm illum, tum Henriquez *lib.* 13. *c.* 13. *n.* 1. sequutus, imò, & Lessium *suprà* valde probabile existimo valere electionem, si limitetur ad excommunicatos non vitandos, eâ lege, vt eorum acceptatio fiat, postquàm sunt absoluti à Censurâ, etiamsi electio, & collatio facta fuerint dum erant in excommunicatione, præsertim, si electores persistant in eadem voluntate, quando iam absolutus acceptat; Quo casu *Lessius* ait esse probabilem sententiam, etiam pro excommunicatis vitandis. Legatur lib. 2. c. 34. dub. 22. sed de hoc posteà dicemus; est enim probabiliùs oppositum, vt probabimus infrà propter defectum tituli.

Pœna eligentium excõmunc.

773. Quod attinet ad pœnam impositã cõtra electores eligentes excommunicatum maximè non vitandum, nullam inuenio ipso facto; debent tamen tales Electores suspendi, vt habetur in dicto c. *Postulasti*, illa autem collatio, seu electio debet iterum fieri, per eosdem qui possunt eligere, & conferre, vel debet dispensatio obtineri ab eo qui potestatem habet super illos, & qui potest conferre. Ita Suarius suprà cum Couarr. Legatur Auila suprà disp. 5. dub. 3. & 4. vbi in primis dat pro remedio ei, qui excommunicatus accepit beneficium, vt primò petat absolutionem ab excommunicatione, deinde resignet beneficium simpliciter in manibus illius, ad quem spectat prouisio talis beneficij, & petat, vt sibi denuò conferatur. Ideò autem

Remedium pro eo qui excomm. accipit beneficium iuxtà Auilam.

autem simpliciter resignandum est, quia non sufficit resignare causâ permutationis; nam, qui non habet Ius in beneficio, non potest illud permutare, vt suprà dicebamus. &, si de facto permutat, non adquirit Ius in alio, etiam in casu, quo posset Episcopus conferre; quia non contulit simpliciter; sed causâ permutationis. Pro quâ sententia refert Auila Syluestrum verbo *permutatio* q. 13. est Regula Cancellariæ 39. deinde docet, quod, si collatio talis beneficij aliàs pertinebat ad Episcopū, potest Episcopus illud de nouo conferre post obtentam absolutionem ab eo, qui potest absoluere, vt docet Couarr. Panormitanus, Cardinalis, Syluester apud eundem Auilam citatâ disp. 5. dub. 4. Probatque, quia, quando à Canone permittitur dispẽsatio, & non denegatur Episcopo, potest Episcopus dispensare; sed in prædicto c. *Postulasti de Clerico Excommunicato*, permittitur dispensatio in hoc casu, & non denegatur Episcopo: ergo potest.

Duplex limitatio doctrinæ Auilę Prima.

774. Limitatur vero hoc dupliciter, primò, quando Episcopus scienter contulit beneficium excommunicato, tunc enim non potest illud de nouo conferre eidem; sed recurrendum est ad Papam, vt ex Panormitano & Syluestro docet Auila ibidem, & Syluest refert Paludanum.

Secunda

775. Secunda limitatio est, si Papa contulit beneficium; tunc enim non poterit Episcopus dispensare cum eo, vt illud obtineat, etiamsi alias collatio beneficij pertineret ad Episcopum. Ita Couarr. citato §. 7. Auila suprà cum panormitano.

Addit vlterius Auila

776. Vlterius docet Auila, si collatio beneficij alias non pertineret ad Episcopum, non potest Episcopus dispensare, vt obtineat. Ita Couarr. suprà §. illo 7, & Nauarrus c. 27. n. 271. §. 8. contra Panormitanum.

777. Item quamuis dispensetur cum tali excommunicato, vt deinceps obtineat beneficiū, conferẽdo illud ipsi de nouo post absolutionẽ, etiamsi dispensatio sit facta à Papa, fructus tamen perceptos medio tempore, vsque ad nouā collationem, vel reualidationem tenebitur restituere, nisi cum eo super hoc specialiter dispẽsetur. Ita Auila suprà cum Syluestro, neque hæc dispensatio competit Episcopo, nec cum eo poterit fieri compositio de talibus fructibus; sed vtrumuis spectat ad Papam. Vnde, si prædictus petit à Papa reualidationem, petat simul remissionem, vel compositionem fructuum: Imò, quando obtinuit de nouo beneficium ab Episcopo compositio nihilominus, vel remissio prædicta à Papa petenda est.

Dubium.

778. Dubitari etiam hoc loco potest an, qui electionem, præsentationem, vel collationem obtinuit tempore Excommunicationis, sed obtentâ excommunicationis absolutione acceptauit, possit beneficium obtinere?

Resp. probabilis.

779. Probabile est (vt suprà dicebam) posse esseque validam electionem, seu præsentationem factam tempore excõmunicationis, acceptatam verò post absolutionem. Et præter Henriquez suprà relatum docent alij nonnulli apud Sanchez lib. 8. disp. 7. n. 12. vbi ille prope finem probabile putat, sicut & Lessius lib. 2. c. 34. dub. 22.

Probabilius

780. Probabiliùs nihilominus est non posse retinere beneficium, nec valere prædictam electionem, præsentationem, vel collationem. Ratio est; quia beneficium retineri non potest; sine titulo; titulus autem electionis, præsentationis, seu collationis in eo casu est inualidus; quia collatus excommunicato, qui per excommunicationem erat inhabilis. Quod autem initio nullum est, & inualidum decursu temporis non conualescit. Accedit quod frustrà imponeretur iste effectus excommunicationis, quilibet enim excommunicatus posset differre acceptationem vsque ad tempus, quo iam sit absolutus.

est eum qui collationem &c. beneficij obtinuit tempore excomm. ab hâc absolutus non posse illud obtinere. Ratio.

Nec talis electio virtualiter manet vsque ad acceptationẽ Ratio.

781. Nec refert, si dicas electionem virtualiter perseuerare vsque ad tempus acceptationis; facilè enim respondetur negando prædictam electionem perseuerare virtualiter; nam quæ facta fuit, fuit electio irrita, & inualida; quod autem irritum, & inualidum est, nullum est: quod autem nullum est non censetur perseuerare. Vnde L. *Ab initio* ff. de *Regulis Iuris* dicitur *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit.*

782. Accedit quod ex opposito sequeretur collationem beneficij factam excommunicato fieri validam post obtentam legitimam absolutionem ab excommunicatione absque nouâ collatione; quod tamen falsum esse docet ipse Henriquez c. 13. n. 1. Sayrus lib. 2. c. 6. n. 7. & alij: ergo etiam falsum est beneficium retineri posse ab eo, qui illud acceptauit post absolutionem excommunicationis, in qua erat tempore electionis aut collationis. In quo est longè dispar ratio de illo casu, quando electio facta fuit ante excommunicationem, & acceptatio tempore excommunicationis; nam (vt rectè notat Vasquez cum alijs citato dub. 6. de *excommunicatione.*) Iura inualidant quidem electionem, præsentationem, aut collationem factam excõmunicato; non tamen inualidant acceptationẽ ab excommunicato factam.

Iura non inualidāt acceptationem ab excomm. factam.

Dicta de collatione electione &c. facta excom. locum habẽt respectu suspensi, interdicti vel irregularis

793. Tandem quæ hucusque dicta sunt de collatione, electione, aut præsentatione facta excommunicato eodem modo locum habent, si fiat suspenso, interdicto, vel irregulari. Ita Auila disp. illa 5. dub. 4. in fine cum Nauarro c. 25. n. 133. & probat ex c. *Cum inter* de *Electione* c. *Postulasti* c. *si celebrat* de *Clerico Excommunicato ministrante*, & ex alijs Iuribus hoc ipsum probat Less. lib. 2. c. 34. dub. 22. De Irregularitate verò aliquid addemus disp. 7. dub. 6. quæsito 5.

Ex dictis pro praxi infertur.

784. Ex traditâ doctrinâ pro praxi licet inferre excommunicatum, qui durante excommunicatione obtinuit beneficium, cuius collatio tunc temporis pertinebat ad Episcopum, non posse dispensationem retinendi beneficium ab Episcopo obtinere, si perseuerauit in excommunicatione vsque ad eum mensem, in quo beneficij collatio pertinet ad Sedem Apostolicam, nam curare debet, vt beneficium sibi conferatur ab eo, ad quem pertinet talis beneficij collatio. Ita Bonacina suprà n. 11. sed in hoc adhuc distinguendum videtur; fieri enim solet, vt Pontifex, & Episcopus habeant in eadem Ecclesiâ alternatiuam, ita, vt beneficium, quod in vno mense spectante ad Episcopum vacat, ab ipso Episcopo conferendum sit, etiamsi prouisio fiat extra talem mensem, Tunc ergo excommunicatus, qui beneficium vacans in mense ab illo accepit

accipit intra ipsum mensem, etiamsi transierit iam mensis ille, potest petere dispẽsationem ab Episcopo; quamuis enim præsens mensis sit iam Pontificis, tamen beneficium non vacat tunc, quando excommunicatus obtentâ absolutione excommunicationis illud simpliciter resignat in manus Episcopi; sed vacauit in mense Episcopi, atque adeò prouisio ad illum spectat: illatio ergo solum intelligenda est, quando iuxta legem, seu consuetudinem Ecclesiæ, in qua vacat beneficium, eo ipso, quod prouisio non facta fuerit ab Episcopo intra suum mensem, deuoluitur ad Pontificem; tunc enim non sufficit petere dispensationem ab Episcopo, sed recurrendum est ad Pontificem.

Limitatio illationis.

785. Notat etiam Suarius suprà sect. 1. a. 11. & cum eo alij, excõmunicatũ occultũ in electione & collatione beneficij teneri manifestare suã excommunicationem, quoties aliter non potest se retrahere ab acceptione beneficij dummodo ea manifestatio fieri possit sine probabili periculo scandali vel infamiæ; quilibet enim tenetur obedire Ecclesiæ, & seruare effectus Censuræ quoties potest absque graui suo detrimento, vel proximi; si tamen immineat infamiæ, vel scandali periculum, non tenetur cum tanto periculo se prodere iuxta doctrinam traditam dub. 24. Tunc ergo acceptato beneficio, debet quam primum occultè petere dispensationem.

Excomm. occultus quandoq; in electione & collatione beneficij tenetur manifestare suam excomm.

786. Docet etiam Suarius eâdem disp. 13. sect. 4. & cum eo alij electorem, qui extra confessionem occultè nouit eligendum ad beneficium adstringi occultâ excommunicatione, si occultè ferantur suffragia ad illius electionem, debere suffragium illi negare eo ipso, quod sciat illum esse beneficij incapacem; si verò suffragia sint publica, vt viuâ voce, vel scripturâ notâ non potest suffragium negare; nisi habeat aliam causam publicam sufficientem ad negandum suffragium. Quæ doctrina absolutè mihi placet quamuis in eo, quod attinet ad suffragium secretum, adhuc distinguendum sit; nam si postea quando suffragia numerantur, aut leguntur ex ipsomet suffragio negato resultet infamia, vel scandalum, idem erit iudicium de suffragio occulto, atq; de suffragio publico, si enim publicum suffragium tunc non licet negare, ne sequatur infamia, vel scandalum, etiam non licebit, negare occultum, si tantumdem inde sequatur damni; maximè cùm suffragium occultum, & publicum sæpe tantum differant in eo, quod Author suffragij in vno non sit notus, & innotescat in altero. Vnde si infamia resultet ex præcisâ negatione suffragij, à quocumque illa proueniat, perinde non licebit occultum negare; atque publicum. Quæ omnia ex circumstantijs loci, temporis, & personarum expendenda sunt.

Notandum quoad dantes suffragia excomm. occulto in ordine ad beneficium obtinendum.

Author adhibet distinctionem quoad suffragia secreta.

DVBITATIO XLV.

An excommunicatus beneficiarius priuetur fructibus beneficij.

787. Nomine fructuum beneficij intelligimus non solum prouentus annuos cõmunes, sed etiam distributiones quotidianas; seu præsentias, ut aliquibus in locis appellant. Quærimus ergo primò; an propter excommunicationem careat communibus fructibus beneficij ante excommunicationem legitimè obtenti? Secundò; an careat distributionibus quando ob iniustam excommunicationem cogitur non adesse horis, & officijs, tertiò; an, si alioquin ritè excommunicatus sit, per illum tamen non stet, ne absoluatur, prædictis distributionibus careat?

Quæ intelliguntur nomine fructuum beneficij. Tria quæruntur.

788. Aduertendum præterea est nomine fructuum beneficij, seu prouentus Ecclesiastici comprehendi etiam pensionem Ecclesiasticam; non verò fructus; qui percipiuntur ex bonis Patrimonij, etiamsi ad titulum illorum quis fuerit ad ordinem Sacrum promotus; ea enim bona omnino temporalia sunt, & adquisito beneficio sufficienti ad congruã sustentationẽ omnino vendi possunt absque vlla Simonia. Legatur Suarius disp. 13. sect. 1. n. 21. Auila 2. p. c. 6. disp. 6. dub. 1. Filliucius Tract. 25. c. 5. n. 131.

Notandum.

Circa 1 quæsitum.

789. Prima sententia docet circa primum quæsitum excommunicatum priuari ipso facto fructibus beneficij ita, vt non faciat illos suos, & teneatur hanc pœnam exequi, etiam, ante sententiam, quamuis excommunicatio fuerit generaliter lata, & ipse excommunicatus occultus, & non denuntiatus. Ita docent Authores multi & graues, estque probabilissima sententia. Suarius disp. 13. sect. 2. n. 4. Henriquez lib. 13. c. 13. n. 4. Saytus lib. 2. c. 5. n. 24. Vgolinus Tabul. 2. c. 12. Alexander Moneta *de distributionibus* p. 2. q. 15. n. 22. Filliucius suprà. Couarr. 3. *Variar.* c. 13. n. 8. Reginaldus lib. 32. n. 36 & sequentibus, & alij apud ipsos; eamque pœnam extendunt etiam ad excommunicatos non denuntiatos.

Prima sententia docet excomm. ipso facto priuari fructibus beneficij.
Suarius
Henriquez
Saytus &c.

790. Probat verò Suarius ex c. Pastoralis §. *Verum de appellationibus.* quem Textum latè expendit, referens in suum fauorem Panormitanum ibi, & alios Doctores & Innocentium in c. 1. de *Iudicijs*. Vbi non solum in beneficijs inferioribus; sed etiam in fructibus Episcopatus docet habere locum. Contendit ergo Suarius in eoc. & §. non esse sermonem de peculiari aliquo modo excommunicandi cum expressâ declaratione priuationis fructuum ipso facto, quæ in sententia fiat; sed de priuatione fructuũ, qui sit effectus ipsius excommunicationis, & supponere Pontificem hunc effectum generalem esse omni excommunicationi.

Probat Suarius.

791. Secunda sententia docet non priuari ipso facto fructibus, vel redditibus, vel distinctionibus beneficij nec teneri eos à se spontè abdicare, dummodo sustineat onera, & exequatur munera beneficij, idque verũ esse, siue beneficiũ sit cum curâ animarum; siue sine cura. Est hæc sententia multorum & grauissimorum. Ita Sanchez

Secunda docet non priuari ipso facto &c.

chez lib. 3. de *Matrimonio* disp. 51. n. 12. Coninc. disp. 14. dub. 9. n. 80. & deinceps. Petrus Nauarra lib. 2. de *restitutione* c. 2. n. 238. Vasq. de Beneficijs c. 4. §. 3. dub. 4. Auala disp. illâ 6. dub. 1. conclus. 2. Syluest. & alij apud Garziam de *Beneficijs* Henriquez sibi non constans lib. 13. de *Excommunicatione*. c. 3. n. 3. & c. 14. n. 3. in fine, & c. 32. n. 3 in *Commentario* litera X. & alij apud Sanchez suprà, qui, sicut & Auila suprà conclus. 1. expressè docent, si excommunicatus non præstet officium, quod beneficium exigit, non facere suos fructus correspondentes tali officio, & hoc ex ipso iure naturali, & lege conuentionali; nam beneficium datur propter officium. In quo etiam consentiunt Couarr. Nauarrus, & iterum etiam fauet Henriquez lib. 7. de *Indulgentijs* c. 36. n. 1.

Author vtramq; sententiam iudicat valde probabile secundam tamen magis ipsi placet. Ratio.

792. Vtraque sententia valde probabilis est; hæc autem posterior mihi magis placet, & eam præter citatos docet Nauarrus c. 25. n. 124. & cons. 27. n. 2. de sentent. excommunicationis, & alij apud Sanchez. Hanc sententiam ideò præferendam puto; quia tàm grauis pœna non est inducenda; nisi ex ipso Iure constet; est enim materia odiosa, & pœnalis, quæ mitiùs interpretanda est; quantum verba legis patiantur; sed c. *Pastoralis* &. §. *verum*, non negant locum secundæ sententiæ: ergo non est cur rigidam primam sententiam sequamur; hoc autem satis constabit, si respondeamus argumentis ex tali Textu petitis maximè a Suario, qui rem videtur ampliùs vrgere.

Contra probat 1. Suarius

793. Probat ergo primò Suarius; quia Pontifex ibi interrogatus, an, quando iam excommunicatus appellat, possit nihilominus eum Iudex denuntiare, & ad tempus spoliare fructibus. Respondet posse; quia cùm excommunicatio secum trahat exequutionem virtute denuntiationis non magis ligatur, & subdit *illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur cui Ecclesiæ communio denegatur*. In quibus verbis contendit Suarius Pontificem significare fructus per ipsam excommunicationem præcisè subtrahi. Hoc tamen probat primò; quia comparat subtractionem fructuum cum negatione communionis; sed hæc pœna ipso facto incurritur; ergo & illa.

Resp. ad argument. Suarij.

694. Ad hoc argumẽtum respondetur vnam, & alteram pœnam non comparari, quatenus necessario inter se connexæ sint, sed quatenus vna sufficit, vt altera possit infligi à Iudice non obstante appellatione.

Probat 2.

795. Probat secundò; quia ideò Pontifex dicit posse post appellationem denuntiari; quia per denuntiationem non amplius ligatur: ergo significat, quod, si per eam amplius ligaretur, nõ posset fieri denuntiatio. Atqui, si non esset ipso facto priuatus fructibus per eorum subtractionẽ amplius ligaretur: ergo hæc subtractio non posset post appellationem fieri, quod falsum est.

Resp.

796. Respondetur negando paritatem; nam denuntiatio non posset amplius ligare excommunicatum præterquàm priuando illum Iure communicandi cum alijs, ac proinde ligaret in eâ ipsâ re, quam reus per interpositam appellationem vult ostendere iniustam esse; ac proinde potestas denuntiandi virtute appellationis suspenderetur, si denuntiatio vltra ipsam excommunicationem ligaret. Positâ verò validitate excommunicationis, non est dubium; quin talis excommunicatus possit priuari fructibus à Iudice. Ideò ab ea præcisè priuatione appellari non potest nec priuatio virtute appellationis retardari; atque hoc est quod in prædictis verbis Pontifex definit, & huius causam reddit, non, quia excommunicatio secum trahit executionem, vt contendebat Suarius, reddi, à Pontifice pro ratione; sed, quia *illi meritò* (ait Pontifex) *prouentus Ecclesiastici subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Vnde satis apparet diuersam esse vtriusque rationem, & causam, & hanc pœnam non includi præcisè in excommunicatione ferente secum exequutionem; alioquin non debuisset distincta ratio esse vnius & alterius.

Probat 3. Suarius.

797. Tertiò probat Suarius, qui illud verbum Textus *subtrahuntur* non dirigitur ad Iudicem; ac proinde denotat sententiam latam; non verò ferendam iuxta ea, quę diximus disp. 2. dub. 5.

Resp.

798. Respondetur in hoc Textu illud verbum dirigi ad Iudicem, qui ibi instruitur, & docetur quid in tali casu facere debeat, maximè cùm verbum *subtrahere* actionem significans rectè possit Iudici accommodari, & ad illum dirigi: ergo saltem indifferens est, vt ad ipsum dirigatur; & hoc sufficeret ad benigniùs interpretandum, quin cogamur â Textu sequi rigidam sententiam.

Probat 4. idem.

799. Quartò argumentatur; quia fructus dantur propter officium; hoc autem exerceri non potest ab excommunicato: ergo consequenter non poterit fructus percipere.

Resp. 1.

800. Respondetur non sufficere impedimẽtum etiam culpabile ab officio præstando, vt eo ipso censeatur priuatus fructibus; sepè enim id in alijs etiam occasionibus contingit, vt videre est in eo, qui propriâ culpâ contraxit impedimentum, morbi v.g. vel longæ absentiæ, quominus possit officium præstare, aut tale delictum commisit; propter quod ab officio suspendatur.

Resp. 2. cum Sanchez.

801. Præterea responderi potest ex Sanchez & ex Auila suprà, quod si suspensus ab officio, aut excommunicatus ministerium illud, aut officium præstet, fieri quidem potest, vt peccet sic administrando; si tamen de facto illud administret, & validè, vt fieri potest, non est cur negemus illum lucrari fructus officij præstiti in vtilitatem Ecclesiæ; etiamsi alioquin coram Deo peccat; quod etiam contingit in Parocho, aliouè ministro Ecclesiæ non excommunicato, quando administrat Sacramentum in peccato mortali, quo non obstante facit fructus suos. Accedit quod quandoque beneficiarius potest, & debet præstare id, ad quod solum obligatur, vt beneficiarius simplex, cui tantum incumbit orare priuatim horas Canonicas. Item, qui etiam debet dicere sacra, & obire munera pastoralia potest curare vt alius id faciat, quod sufficit, vt possit lucrari fructus.

Ex dictis patet in casu Capellani Excomm. tolleratum,

802. Ex his patet Capellanum excommunicatum tolleratum celebrando sacra, quæ debet ratione beneficij, & curatum administrantem Sacramenta, item Canonicum assistentem Di-

uinis

& curatum & facere fructus suos.

ninis officijs facere fructus suos. Ita Vasquez citato c. 3. de *beneficijs* §. 4. Petrus Nauarra, & Henriquez, Coninc, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez supra. Illud mihi verum omnino videtur Capellanum excommunicatum vitandum; etiamsi celebret iuxta præscriptum beneficij, non posse præcipere omnes fructus beneficij, sed ipso facto carere illâ parte fructuũ, quæ respondet prædictis Sacrificijs. Ratio est, quia illa celebratio, & sacrificium non fit nomine Ecclesiæ; nam ille non censetur minister Ecclesiæ, nec celebrare nomine ipsius iuxta dicta varijs in locis tum huius Tractatus, tum in Tract. 5. de sacrif. Missæ disp. 3. dub. 8. §. *Hac tamen sententia*, & sequenti, vbi de excommunicato tollerato, & de non tollerato distinximus quantum ad Sacrificia.

803. Quod verò attinet ad horas Canonicas priuatim dicendas ibidem quoque diximus §. verum enim posse censeri. Horas illas priuatim dici nomine Ecclesiæ etiam ab excommunicato non tollerato; quia dicuntur à ministris ad hoc deputatis ex præcepto, & ordinatione Ecclesiæ: Quod sufficit, vt ibidem probauimus, & notauimus discrimen inter Missam etiam priuatam, & inter Horas Canonicas priuatim dictas; ibi legatur. Eodem modo philosophare possumus de Canonico excommunicato vitando, de quo dicendum est propter eius assistentiam in Choro non posse percipere distributiones; quia talis assistentia, & munus eo ipso, quod ab Ecclesiâ excommunicatus non tolleretur, non fit nomine, & authoritate Ecclesiæ; priuata verò recitatio, cum ab illâ non solum repellatur ab Ecclesiâ; sed ad eam potiùs præstandam cogatur præcepto Ecclesiæ; nomine Ecclesiæ censetur fieri.

Quantum ad iniustè excomm. Assertio. talis potest percipere fructus & distributiones.

804. Quod attinet ad iniustè excõmunicatũ, asserendum est, etiamsi ob talem excommunicationem cogatur abesse à Choro, aut impediatur ab exercendo suo officio, posse percipere fructus, & distributiones. Ita Henriq. lib. 13. c. 13. n. 4. Auila disp. illa 6. dub. 1. conclus. 5. in fine cum Couarruu. & Nauarro, quos refert: itẽ Petrus Nauarra suprà lib. 2. de *Restit.* c. 2. n. 238. Sà verb. *Beneficium* n. 48. Moneta *de distribut* p. 2. q. 15. Filliucius. n. 133. & 140. alijque multi; consonatque hæc sententia cum ijs, quæ diximus disp. 1. dub. 24. disputantes; an excommunicatio iniusta obliget in conscientia? vbi diximus in foro quidem exteriori, si excommunicatio sit iusta secundum allegata, & probata, ratione scandali debere seruari; non verò in foro interiori. Vnde quæ interiori pariter, & exteriori iniusta est in neutro est obligatio, seruandi illam. Vnde, cum priuatio distributionum sit pœna, seu effectus pœnalis excommunicationis, non videtur hæc pœna subeunda ab eo, qui non peccauit iuxta cap. *sicut dignum de Homicidio* neque aliquis tenetur incommodum, & damnum pati absque suâ culpâ, & ob iniustam alterius actionem.

Assertionem extendit Sà ad similem casum.

805. Hoc ipsum, tamquam ad similem casum extendit Sà loco citato ad eum, qui alio impedimento in euitabili detinetur, ne intersit Horis, vt de iniustè detento in carcere, & similibus dici potest. Imò Petrus Nauarra extendit hanc doctrinam ad iniustè excommunicatum, qui ante excommunicationem non consueuerat interesse Diuinis officijs, & ad infirmum, qui ante infirmitatem non solebat assistere Choro; ita, vt uterque durante illâ excommunicatione iniustâ, vel infirmitate possit percipere distributiones, quia nimirum, quamuis alias non soleret assistere, tunc poterat assistere mutatâ voluntate, maximè, cùm animus internus non puniatur ab Ecclesiâ, & quod attinet ad infirmum, in Iure decernitur absolutè infirmum posse distributiones percipere. Quæ sententia Petri Nauarræ probabilis est; oppositum tamen docet Couarr. 3. *Variarum* c. 13. Sà suprà. Moneta suprà, & alij quod probabiliùs videtur, cum vsu receptum sit, vt distributiones ijs solum conferantur, qui intersunt Diuinis officijs solumque excusentur, & pro interessentibus habeantur infirmi, qui propter infirmitatem absunt, vel, qui propter necessitatem corporalem impediti sunt, vel qui in vtilitatem propriæ Ecclesiæ absunt de consensu Capituli iuxta c. *Consuetudinem de Clerico non residente*.

806. Quod verò attinet ad Canonicum infirmum, qui ante infirmitatem non consueuerat interesse, non est huius loci disputare sed ad Tractatũ de Horis Canonicis, & de Beneficijs propriè spectat, & in aliquibus diœcesibus statutum est neminem posse pro tempore infirmitatis distributiones præcipere.

807. Et sanè de quodam distributionum genere, quod in aliquibus Ecclesijs esse solet, ego nullo modo dubito, propter quamcumque causam non adsit distributarius, omnino priuandum esse distributionibus illis. v. g. aliqui fideles contractu inter viuos, vel Testamento reliquerunt annuos redditus impendendos in opera pia, & inter alia, vt certa quantitas pecuniæ distribueretur vnicuique eorum, quibus finem vesperarum, aut Completorij in communitate dixerint responsorium, vt nocturnum pro defunctis, vel aliquid simile; in eo casu propter quamcumque rationabilem causam Canonicus, vel quiuis distributarius non adsit, non debet, nec potest habere distributionem illam. Ratio est, quia ea distributio datur in stipendium operis præstiti, & orationis, quam præsens ille fundit pro animâ, seu intentione fundatoris: hoc autem non præstat, siue sit propter hanc, siue propter illam causam, atque adeò non habet ius recipiendi stipendium, sicut, si quis relinqueret certam summam pecuniæ pro omnibus Clericis, qui in habitu Clericali venirent ad processionem celebrandam, & cohonestandam in festo Corporis Christi, & tamen aliquis propter quamcumque iustissimam causam impeditus non veniret, nullo modo haberet ius percipiendi eam distributionem, quia non præstitit illud officium, ratione cuius, tanquam stipendium danda erat illa portio. Idem est, si esset aliqua summa pecuniæ relicta, vt certa portio daretur cuilibet sacerdoti celebranti in tali loco, & aliquis iustissimè impeditus non posset ibi celebrare: ergo pari ratione dicendum est de prædicto distributionum genere, quod non datur; nisi de facto oranti, & præsenti.

808. Vnde, quantumuis iniustè excommu-

nicatus

nicatus ab eâ communi oratione repellatur, nō poterit habere Ius percipiendi talē distributionem, etiamsi concedamus alias distributiones, quæ solent esse pars fructuum beneficij, & illi annexas posse prædictum iniustè excommunicatum percipere.

Ex dictis Infertur.

809. Ex dictis infertur prædictum iniustè excommunicatum posse, quando postea constiterit de iniustitiâ Censuræ, excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti (est enim eadem ratio de omnibus) repetere distributiones sibi conferendas ab alijs Canonicis assistentibus, quibus fuerunt collatæ; illi enim ad summum tantùm adquisiuêre ius imperfectum, & reuocabile, quando de Iustitia repetentis constiterit; estque communis Doctorum sententia, quos refert Alexand. Moneta suprà n. 44.

810. Sed reclamat Vgolinus *de Censuris* tab. 2. c. 12. n. 4. & Filliucius suprà n. 13e. contendentes iniustè excommunicatum debere illas distributiones repetere ab eo, qui iniustè excommunicauit; quod etiam probabile videtur.

Distinguit Author iuxta varia genera distributionum

811. Verùm ego in hac re distinguerem, atque in primis, si agamus de illo genere distributionum, quas nuper dicebamus nullo modo posse habere; nisi à præsentibus de facto; cùm non perceperint alij præsentes, non est cur ab illis repetantur; nec etiam ab ipso legato pio, seu memoriâ fundata, quæ non tenetur tales distributiones dare; nisi ijs, qui defacto intersunt. Ideò solus ille, qui induxit impedimentum excommunicationis iniustæ debet resarcire damnum; siue sit, qui iniustè excommunicauit secundùm allegata, & probata, siuè sit, qui allegauit, & probauit iniusta iniustè; sufficientia tamē quoad forum externum, vt ille in foro externo excommunicaretur; nam hi sunt, qui dederunt damni causam, & non alius; debebunt autem resarcire quantùm suâ intererat prædicti excommunicati fuisse præsentem iuxta regulas generales Restitutionis, de quibus modo non disputo. Si verò sermo sit de distributionibus alioquin communibus Canonicarum: adhuc distinguendum est, si enim ille absens aliquod particulare munus debebat præstare in eâ communitate, vt cantare Sacrum solemne, Euangelium, vel Epistolam, vel capitulare (vt aiunt) vel præcinere cum Pluuiali, & sceptro, tunc illam partem respondentem tali muneri, & labori, quod accreuit alicui præsenti, non debet repetere à præsenti; sed ab iniustè excommunicante; vel dante causam excommunicationis iniustæ; Illam verò partem distributionum, quæ merè accreuit alijs Canonicis sine nouo labore, poterit ab illis Canonicis repetere. Quod si in eo capitulo legitimum statutum sit, aut consuetudo legitima, quòd quidquid absens etiam iustè habiturus erat distributionum, cæteris præsentibus accrescat; tunc placet sententia Vgolini, & Filliucij, scilicet, repetendas esse distributiones ab iniustè excommunicante, seu dante causam excommunicationis iniustæ; quia Canonici alij virtute legitimi statuti, aut consuetudinis propter meram, & qualemcumque absentiam illius Canonici acquisiuerunt plenum ius, & irreuocabile illius accrementi: ille verò Canonicus iniustè sic priuatus non debet innocens pati damnū; sed hoc ab illo debet resarciri, qui fuit iniusta causa damni, scilicet, ab iniusto excommunicante vel ab iniusto accusante, seu allegante, vel actore.

Doctrina tradita pro distributionibus applicari potest ad fructus ob iniustam excomm. subtractos.

812. Doctrina hæc tradita pro distributionibus, potest etiam applicari defunctus, si alicui ob iniustam excommunicationem subtrahantur; tunc enim, vel repetendi sunt à Capitulo, in cuius fauorem cesserunt, si fortè inter cæteros diuidantur exceptâ eâ parte, quæ respōdet particularibus officijs; quæ per se debuisset præstare ille iniustè excommunicatus; nam fructus illis muneribus correspondentes repetendi sunt ab iniustè excommunicante, vel dante causam iniustæ excommunicationis. Item ab eodem repetendi sunt fructus, si fortè propter legitimum statutum, aut consuetudinem pleno iure, & irreuocabili cedunt in fauorem aliorum Canonicorum, aut etiam fabricæ Ecclesiæ, alteriusue cuiusuis iuxta principia generalia de restitutione ratione damni illati.

Circa tertiū Asserendum est.

813. Circa tertium Asserendum est excommunicatum, qui non assistit Diuinis officijs, non posse recipere distributiones, quæ dantur existentibus in Choro, etiam si per ipsum non steterit; sed diligenter procurarit absolui; Probabile tamen est oppositum.

Pars 1. probatur

814. Prima pars assertionis probatur, quia excommunicatus quamdiu in eo statu est, iustè prohibetur, & arcetur à Choro: ergo consequenter iustè priuatur effectu, qui non sequitur; nisi ex assistentia in Choro; nec debet excommunicatus commodum ex suâ excommunicatione reportare, quale reportaret, si haberet distributiones sine labore, & cura assistendi in Choro.

Probatur 2. pars assertionis.

815. Secunda verò pars assertionis, quod probabile sit oppositum, probatur in primis authoritate sic sentientium, & probabili ratione illorum. Ita sentiunt Petrus Nauarra, & Henriquez suprà. Hugolinus Tabul. 2. c. 12. Sayrus lib. 2. c. 5. n. 29. Sà verb. *Beneficium* n. 50. & alij multi. Ratio verò est, quia cùm per ipsum non stet quo minùs absoluatur, censeri potest legitimè impeditus: Qui autem legitimè impeditus est, potest distributiones, & fructus percipere. Confirmatur à simili; quia qui dedit causam morbo, quo non possit assistere, potest, tanquam legitimè impeditus fructus, & distributiones beneficij respondentes illi tempori percipere: ergo etiam excommunicatus, saltem pro eo tempore, quo per ipsum non stat, quo minùs absoluatur.

Confir.

816. Hoc tamen fundamentum non satis conuincit; responderi enim potest non quemcumque impeditum posse percipere fructus, & distributiones, alioquin excommunicatus, etiam non procurans absolutionem posset fructus, & distributiones percipere; est enim legitimè impeditus per Excommunicationem.

817. Ad illud verò quod offertur de morbo, respondetur, si morbum contraxit, aut illi dedit causam in fraudem legis, & obligationis assistendi, non facere fructus, & distributiones suas quia merè suâ culpâ abest; sicut ille, qui suâ culpâ se constituit in loco adeò distanti, vt non possit tempore conuenienti adesse, si verò suâ culpâ

contraxit morbum, non quidem in fraudem legis; sed, quia gula. v.g. stimulatus nimio potui, & cibo indulsit, aut aliâ simili, causâ. Tunc poterit retinere fructus. Præterea adhuc non est similis casus; quia in morbo, seu ægritudine contractâ est pœna illata à Iudice, vel à Iure illa absentia à Choro; in nostro autem casu excommunicationis pœna est illata à Iudice & à Iure absentia à Choro, & effectus carentiæ distributionum & fructuum inde sequutus. Sicut ergo etiamsi non stet per ipsum, quo minùs absoluatur iustè nihilominus perseuerat excommunicatio ipsa pœnaque delicti: ita similiter iustè perseuerat consequens alia pœna repulsionis à Choro, & consequentis priuationis distributionum, & fructuum, cum tamen in morbo illa absentia, quamuis morbi inducit, non sit pœna primariò, vel secundariò iustè inductâ à Iure, vel a Iudice. Ideò nostram sententiam sequitur Suarius disp. 13. sect. 2. Bonacina de *Horis Canonicis* disp. 2. q. 5. puncto 2. §. 2. n. 1. cum alijs quos refert.

Restitutio fructuum perceptorum à iustè excomm. facienda est fabricæ Ecclesiæ &c.

818. Cui autem facienda sit restitutio fructuum, quos iustè excommunicatus, & per sententiam priuatus percepit? non est huius loci plenè disputare? respondetur breuiter restituendos esse fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus secundum Navarrum c. 25. n. 123. & Henriquez lib. 7 de Indulg. c. 36. n. 3. & Auilam citata disp. 6. dub. 3. excipiunt tamen illa, quæ distribuenda sunt lucri facta per distributiones quotidianas; nam hæ debentur illis qui interfuerunt Choro illis diebus excommunicatus non interfuit. Verùm in hoc seruanda lex est aut consuetudo recepta in singulis Ecclesijs: in aliquibus enim solent, vt audio etiam fructus distribui inter cæteros Capitulares. In alijs verò locis non solum distributiones; sed etiam fructus absentium cedūt fabricæ.

DVBITATIO XLVI.

An? & quomodo contrahat excommunicatus inhabilitatem ad actus Iurisdictionis Ecclesiasticæ, & spiritualis?

Assertio 1.

819. Asserendum est primò, excommunicatum vitandum ita esse prohibitum, & priuatum iurisdictione spirituali, vt irrita sint, quæ facit, si ad illa efficienda necessaria est talis iurisdictio. Ita docent communiter Authores ex c. *Audiuimus* 24. q. 1. & c. *ad probandum de re iudicata* & c. *si is, cui* de *off. delegati in* 6. nam *in* c. *illo Audiuimus* dicitur excommunicatum non posse alterum excommunicare, qui est actus Iurisdictionis. Ratio verò generalis est; quia Ecclesia eo ipso, quo non tolerat excommunicatum, priuat illum vsu iurisdictionis. Gesta verò per eum, qui priuatus est vsu iurisdictionis ad illa gerenda, irrita sunt & inualida.

Ratio assertionis.

Distinguūt hic aliqui inter propriā & impropriā iurisdictionē.

820. Aliqui distingunt inter propriam iurisdictionem, & impropriam; quia, si loquamur de vsu iurisdictionis non propriæ: dicendum putant excommunicatum vitandum validè gerere ea, quæ sic facit. Vnde putant excommunicatū Parochum validè assistere Matrimonio, & validè cōcedere alteri facultatem assistendi de quo ex instituto dixi in Tract de Matrimonio disp. 3. dub. 10. Sicut etiam Matrimonium celebratum ab excommunicato vitando validum est. Probant; quia actus contrahendi Matrimonium est actus factus à contrahente, tanquàm à personâ particulari; actus autem, & gesta ab excommunicato vitando, tanquàm à personâ particulari facta, valida sunt præter testamētum excommunicati propter Hæresim, aut propter percussionem Cardinalium iuxta c. *Felicis in* 6. Quæ doctrina probabilis est, eamque docent Nauarrus *c.* 27. *n.* 36. Auila 2. *p. disp.* 6. *c.* 6. *dub.* 6. & alij multi contra Gloss. & quod attinet ad Matrimonium diximus. Non solùm loco notato de Matrimonio, sed etiam in hac disp. dub. 41. cum Diana & alijs. Probabile esse excommunicatum non toleratum validè assistere; quia assistentia eius non est actus Iurisdictionis vt latè probat Sanch. *lib.* 3. *de Matrimonio* referens *disp.* 21. Henriquez Ledesmam, & Vegam. Vnde Auila, quamuis *disp* 3. *dub.* 1 probabiliùs iudicauerit non valere Matrimonium cui assistit Parochus excommunicatus non toleratus, & in *disp.* 6. *dub.* 6. dixerit posse excommunicatū non tolleratum validè exercere ea, quæ fiunt tanquàm à personâ particulari, non sibi contradicit; nam actus ille Parochi assistendi, tanquàm testis Iure requisitus Matrimonio est actus (vt ille putat) publicus ratione publici officij; quod etiam probabile est. Ideò *disp. illa* 41. vtrumq; diximus probabile, & ita nunc sentimus; sed vtrumque probabiliùs puto generaliter loquēdo actus, qui geruntur à persona publicâ ratione publici officij si non inuoluant iurisdictionem valere; nisi speciatim repellantur in Iure, vt potest fieri. Vnde, quia non inuenitur specialiter repulsus à Iure, & inualidatus actus ille assistendi, tanquam testis Matrimonio, & ex alio capite non est actus Iurisdictionis propriè loquendo, valebit eius assistentia maximè, cum & ipse Auila *disp.* 7. *sequenti dub.* 4. dicat post absolutionem posse admitti ad testificandum testem illum, qui non commisit tale crimen, quod etiam post emendam repellat à testificatione. Cùm ergo Parochus tempore excommunicationis assistens Matrimonio possit absolutus ab excommunicatione testificari, vel, etiam si non absolutè absoluatur; sed tantùm ad illū actū, & effectū, vt potest sicut Pōtifex, & in alijs negotijs facit, quando expedit Bullas in fauorem alicuius quē absoluit ad effectum præsentium dūtaxat; hinc est, vt testis esse possit post excommunicationem eius actionis, quam vidit, quando erat excommunicatus. Cùm autem Ecclesia solùm velit Parochum assistere, tanquàm testem præcipuum, qui possit testificari de inito Matrimonio; ad hoc autem deseruire possit sine vllo vsu Iurisdictionis præsentia Parochi excommunicati non tolerati, probabilius apparet talem assistentiam valere.

Authoris Iudicium.

821. Quod verò attinet ad contractus emptionis, venditionis, & alia huiusmodi, vt testamentum, professionē &c. etiamsi hæc faciat excommunicatus illicitè, validè tamen fient, vt docet Auila *citato dub.* 7 Sayrus *suprà c.* 9. Panormit.

Aliqui actus validè fiunt ab excomm. quamuis illicitè.

mit *c. Cum illorum*, idque probat ex ipso *c. de sententiâ excomm.* Couarr. de *sponsalibus p. 2. c. 6. n. 3.* Nauarrus *c. 9. n. 2.* Alijque plures.

Actus condendi testamentum licitè fit à moribundo excomm. qui non potest obtinere absolutionem.

822. Rectè autem notat Auila actum condendi testamentum licitè fieri à moribundo, qui non potest obtinere absolutionem; nam actus testandi est, quasi factum necessarium saluti morientis, à quo actu non intendit Ecclesia priuare excommunicatum. In hac re Diana 5. part. Tract. 9. Resol. 129. ait *excommuni. non potest licitè testari, & omnes conuenientes ad testamentum peccant; tamē si testetur testamentum est validum secundum omnes.* Allegat textum *cap. veritatis de dolo, & contumaciâ.* Ibi tamen nec verbum habetur de hac re. Addit id etiam probari alijs Iuribus, sed non indicat, quæ sint illa Iura; nec ego scio quæ sint; id vnū scio me olim in meo *opere de Iustitia, & Iure lib. 2. Tract. 19.* qui est *de Testamentis*, dum de hac re agerem, *disp. 1. dub. 12. nu. 168.* cum multis absolutè dixisse tum Iuristis tum Theologis excommunicatos posse testari, etiamsi non sint occulti. quod attinet ad valorem non negat Diana sed, si id fiat in casu Auilæ, quando scilicèt moribundus nequit obtinere absolutionem à Censura; nec ipse, nec conuenientes qui necessarij sunt ad valorem videntur peccare. Non ipse quia præstat opus bonum, & sæpè debitum suæ saluti; non alij; quia si ille non censetur prohibitus, sed permissus id facere consequenter censentur permissa quæ ad valorem facti requiruntur. Aliqui ita excommunicantur, vt simul prohibeantur testari in pœnam alicuius delicti, quod vnde fiat & quâ ratione, dixi loco citato *de Institui. & Iure.* Vide Dianam loco citato, vbi rectè docet posse excommunicatum etiam non tolleratum validè institui hæredem & probat ex Sayno & alijs quia nulla excommunicatio priuat per se loquendo dominio bonorum, aut potestate acquirendi. Addit & rectè ex Filliucio si excommunicatus sit tolleratus non solum validè, sed etiam licitè posse institui hæredem, licet ipse hæres ob sibi prohibitam communicationem non possit licitè adire hæreditatem.

potest excōm. etiam non tolleratus validè institui hæres.

De Matrimonij contractu etiam docet Auila contrahi validè ab excōmunicato non tollerato, refertque Nauarrum, & Couarruuiam, estque verissima, & communissima sententia, pro qua Textus in c. *Significasti de eo, qui duxit in Matrimonium &c.* Imò omnino verum puto esse licitum in aliquibus casibus non solum in ijs, de quibus egimus dub. 40. adiuncta dub. 24. & 38. sed etiam in articulo mortis; quando id necessarium esset ad implendam obligationem, & non possit obtineri absolutio ab excommunicatione; quia Parochus nondum Sacerdos, aut ignorauit aut noluit priùs conferre absolutionem, vel etiam sacerdos malitia, ignorantia; tunc enim Matrimoniū, ab excōm. nō tollerato licitè fiet, quando alioquin ex Iustitiâ tenebatur contrahere in satisfactionem fœminæ; item, si aliter non posset contrahere; nisi per procuratorem euntem ad locum distantem, vbi erant Parochus, testes, & fœmina; tunc enim non expectatâ absolutione ab excommunicatione licet contrahere.

Matrimonium validè contrahitur ab excomm. non tollerato

Imò & licitè in aliquibus casibus iuxta authorē.

824. Ex traditâ assertione inferunt communiter Authores quòd; si excommunicatus vitandus ferat de facto iudicium leges, aut præcepta, vel alia, quæ sunt iurisdictionis exerceat, nihil efficit.

ex dictis Infertur

825. Item si concedat indulgentias, nihil concedit. Ita Iuris periti in citatis Iuribus maximè in c. Cum dilectus de consuetudinibus. Innocentius & Abbas in c. *veritatis* de *dolo, & contumaciâ*, & Thologi in 4. dist. 18. & 20. Summistæ verbo *excommunicatio* & in articulari Caietanus eodem verbo. *6. Quod excommunicato plura sunt. prohibita* Nauarrus c. 27. n. 21. Suarius disp. 14. sect. 1. Henriquez c. 7. n. 6. alijque multi.

Infertur 2.

826. Colligitur vlterius peccare mortaliter excommunicatum exercentem hos actus Iurisdictionis; quia vsurpat sibi, quod non habet, & quia materia huius præcepti grauis est, ac directè, & primariò prohibita, quamuis aliquando, sed verò possit esse tantum veniale, vt si dispenset in re parui momenti.

Infertur 3. peccare mortaliter excomm. exercendo actus iurisdictionis.

827. Pari ratione cooperantes cum excommunicato in ijs actibus peccabunt; si tamen sine inductione, & cooperatione solùm communicent cum excommunicatis in ijs actibus non videntur peccare mortaliter, vt docet Caietanus, verb. *Excommunicatus* circa finem §. *participatio cum excommunicato*, & Armilla *excomm.* n. 48. & 49. Petrus Sotus lectione 3. *de Clauibus* qui dicunt participationem cum excommunicato tantum esse peccatum mortale, quando est in Diuinis, vel in crimine; in omnibus verò alijs esse tantum veniale. Quâ de re ampliùs dicemus dub. sequenti. Vide Dianam 5. part. Tract. 5. Resol. 21 prope finem vbi agnoscit cum alijs in hac communicatione paruitatem materiæ sicut in alijs.

Peccant etiam cooperantes in ijs actibus cum excomm.

828. Suarius verò disp. illâ 14. sect. 1. n. 5. ait quòd, si subditus obediat animo obediendi suo Prælato denuntiato, peccat mortaliter, quia hæc communicatio cum excommunicato est quodammodo in Diuinis, & directè cadens sub primariam prohibitionem excommunicationis; nam est recognoscere illum, vt Prælatum habentem potestatem præcipiendi; quod est directè contra æstimationem & intentionem Cēsuræ. Si tamen non faciat animo obediendi; sed ex vrbanitate, aut verecundia, non erit mortale inquit Suarius. Sed hoc circa Prælatos Religionum quâ ratione verum sit diximus dub. 38. §. *ex quâ doctrinâ.*

Si subditus obediat suo Prælato denuntiato animo obediendi, peccat mortaliter.

829. Infertur etiam idem Author subditum non posse vti licentiâ, aut dispensatione, aut Iurisdictione concessâ à suo Prælato denuntiato. Quòd si vtatur perinde peccabit, ac, si id faceret sine dispensatione licentiâ, aut Iurisdictione. Vnde, si quæ pœnæ sint impositæ facienti aliquid sine dispensatione, licentiâ, vel Iurisdictione, incorret illas.

Non potest subditus vti dispensatione concessa à suo Prælato denuntiato

830. Ex dictis infertur quòd si Iudex delegans v. g. Episcopus excommunicatus denuntiatus, deleget alijs Iurisdictionem, non valet. Si tamen delegauit antequam denuntiaretur, valebit.

Ex dictis infertur.

831. Vtrum autem delegatus possit ea vti toto illo tempore, quo delegans est denuntiatus

An delegatus Possit vti

Iurisdictione tempore quo delegans est denuntiatus varia sententia Authores.

non consentiunt Authores.

832. Sotus dist 18.q.4. a 3. post medium §. *circa concessiones*,& Henriquez lib.13.c.7. n.6. in fine absolutè dicunt posse.

Sotus & Henriquez docent posse. Suarius aut non posse.

833. Suarius verò disp. 14. sect. 3. n. 2. & disp.2.sect.3. n. 15. & sect 4. n.3. ait non posse,quia Iurisdictio delegati pendet à Iurisdictione delegantis,ac proinde ablata, vel impedita in delegante,aufertur vel impeditur in delegato; quia qui per se non potest aliquid, facere; nec potest per alud. Vnde excommunicato Episcopo putat Suarius impediri vsum Iurisdictionis in eius Vicario.

834. Rodriguez etiam verbo *de excommunicat.* c.82. conclus 8 Maranta de ordine Iudiciorum *d.* 5. *n.* 70. consentiunt cum Suario in eo quod excomm.& denũtiato Episcopo,nũ possit eius Vicarius exercere officium. Idem docet Sylvester verbo *Vicarius n.* 4. & Auila loquens de Vicario generali,qui solet appellari officialis,seu Prouisor;hoc putat verissimum 2.*p.c.6. disp.* 6. *dub.* 4. loquens verò de Vicario in particulari designato ab Episcopo aliter putat esse dicendum scilicèt posse exercere officium licitè,& validè,etiam excommunicato,& denuntio Episcopo. Quæ doctrina Auilæ mihi videtur satis probabilis, & eam sequuntur Sanchez lib.3. de *Matrim.*disp 30.n.5. cum multis, quos refert. Vbi semper hãc doctrinã cessationis iurisdictionis applicat solo Vicario generali, & quod dicitur de excõmunicatione Episcopi, extendit ad suspensionem,& Interdictum cum alijs,quos refert n. 8. Idem docent alij multi, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.2 q.2. puncto* 5 §. 2. & idem Sanchez disp. 29. expressè docet *n.* 12. posse appellari à Vicario foraneo ad Episcopum; atque adeò non esse vnum Tribunal,sed absolutè non clarè videtur sequi sententiam Auilæ, sed fauere sententiæ Suarij,quæ tantùm differt,quatenùs ad Iurisdictionem foranei. Videtur autem consentire cum Auila,& Syluestro Bonacin. loco citato quamuis non omnino clarè. Itaque quantum ad Vicarium generalem omnes prædicti consentiunt.

Auila Suarium sequitur quoad Vicarium generalem non quoad particularẽ designatum ab Episcopo

Indicat Author quid hac in re dicendum.

835. Existimo in hoc primò Vicarium generalem ordinarium Episcopi, excommunicato,& denuntiato Episcopo, non posse exercere officium. Ita docent Suarius. & cæteri post ipsum citati;habeturque expressè in c.1. de officio Vicarij in 6. & idem docet ibi Gloss.& Doctores Iuris Canonici, item Vgolinus Tabul. 1. c. 2.§. 22. & 23. habetur etiam c. *Romana de offi. Vicarij* in 6.

836. Existimo 2. & suppono cum Auila. Vicarium particularem Episcopi non esse Iudicem ordinarium;sed delegatum,& expressè docet Maranta de *Ordine Iudiciorum c. de appellat. n.* n. 360. idque patet ex eo,quod ab ipso appellatur ad Episcopum. Quo supposito valde probabile existimo secundum, quod docet Auila,scilicet, vicarium particularem designatum ab Episcopo posse exercere officium licitè,& validè; quod videtur etiam tenere Gloss. citato c. *Romana* verbo *Ipsius* & Syluest.verb. *Absolutio* 2. q. 6. Rationem verò disparitatis inter vtrumq; Vicarium assignat Glossa vbi;quia, vt nuper dicebamus, Vicarius generalis, cum sit ordinarius, censetur ipse Episcopus ita, vt Vicarij, & Episcopi sit Vnum Tribunal,& Consistorium, & ideo à Vicario non appellatur ad Episcopum. Hæc autem omnia non habent locum in Vicario particulari à quo ad Episcopum appellatur. Clement. *Et si principalis* de *Recept.* & Gloss, ibi verq. *foraneo.* Confirmaturque quia Vicarius foraneus nũ repræsẽtat totam iurisdictionem Episcopi,sicut repræsentat generalis; prætérea Auila,& Glossa allegant c. *Is. cui* de *officio Iud. delegati* in 6. vbi per excommunicationem delegantis supponitur non cessasse in subdelegato iurisdictionis vsum. Nec ibi dicitur cœptã fuisse causã per subdelegatum,vt solũ censeatur illud concedi;quia causa erat incepta;nã,quãdo incepta est causa,vt paulò post dicemus etiam Vicarius generalis potest finire.

Indicat 2. valde probabile vicarium particularem designatum ab Episcopo posse exercere officium, licitè & validè.

Ratio disparitatis inter vtrumq; Vicarium.

837. Verum, quamuis omnia prædicta satis probabilia mihi videantur nolo falcem mittere in messem alienam; hæc enim doctrina Iuris Canonici Doctorum propria est, quippe quæ ad forum externum & iudiciale spectat: ideò existimo cum Auila Iuristas esse consulendos, & seruandam consuetudinem; fieri enim potest vt aliquibus in locis recepta sit consuetudo pergendi viterius non obstante excommunicatione Episcopi;in alijs verò secùs.

Existimat tamen Author in hac doctrinã ad forum externum spectante consulendos esse Iuristas.

838. Quod dictum est de delegante excomm. dicendum etiam est, & potiori ratione quando ille moriatur; tunc enim omnino cessat Iurisdictio,etiam in Vicario particulari.

Mortuo delegante cessat Iurisdictio etiam in Vicario particulari.

839. Illud tamen est certum in Iure,& vsu receptum quod attinet ad causas iam inchoatas. & cum inchoatis habentes connexionem posse illas perfici per Vicarium;aut delegatum quemcumque etiamsi cessauerit, aut impedita fuerit Iurisdictio delegantis vt constat ex c. *licet* & c. *Gratum*,& c. *zelatum* & c. vltimo de *offi delegati*, docetque Iuris periti præsertim Feliu. in c. *Pastoralis* 8. *Quorum* de *rescriptis*, & probat Sanchez suprà.

causa tamen inchoata poterant perfici

840. Excipiuntur tamen ab hac regulã Inquisitores,quorum iurisdictio, licet delegata sit, vt constat ex c *Per hoc* de *Hæret.* non tamen cessat per mortem, aut impedimentum delegantis, vt patet ex c. *Ne aliquid* de *Hæreticis* in 6. atque, vt notauit Suarius, hæc singularis exceptio firmat regulam in contrarium nempe, quod alij delegati careant iurisdictione impeditã, aut cessante Iurisdictione delegantis. Vnde probabilis etiam omnino est sententia Suarij suprà relata, vbi generaliter de omni alio delegato dicit impeditâ iurisdictione delegantis, aut illa cessante impediri,aut cessare in delegato.

Excipiuntur Inquisitores.

841. Excipiuntur etiam ex alio capite ab hac regulã ea,quę conceduntur à superiore per modum gratiæ, & fauoris,quæ perpetua manent, & non expirant per mortem, mutationem, vel excommunicationem concedentis, vt habetur c. *Si super gratia* de *officio delegati* in 6. & c. si cui de Præbendis in 6. hæc enim durant, quousq; reuocentur per successorem, vel expleatur tempus, pro quo solum erant concessa; huiusmodi sunt priuilegia Religiosibus, vel personis particularibus concessa; atque ex hoc capite Iurisdictio, & approbatio data à Papa,vel Episcopo sacerdotibus, vt in foro Pœnitentiæ absoluant,

Excipiuntur 2. ea quæ a superiore conceduntur per modum gratiæ.

Talia, sunt priuilegia Religiosibus vel personarum particularibus concessa.

dutat,

durat, etiam mortuo delegante, vel excommunicato, vt ex instituto probauimus, & explicuimus de *Pœnit.* Tract 8. disp. 10. dub. 6. siue; quia est fauor, tàm pœnitentium, quàm Confessariorum, & gratiâ facta; non verò tantum facienda; siue, quia iam vsus ita obtinuit in totâ Ecclesiâ, vt latè & eruditè probant Nauarr. in c. *Placuit* de Pœnit. dist. 6 n. 161. & sequentibus. Suar. to. 4. disp. 26. & lib. 8. de *legionib.* c. 31. Sanchez lib. 8. de *Matrim.* disp. 28. n. 75. & alij multi quos retulimus loco citato de *Pœnit.*

Dubium de Episcopo denuntiato dante dimissorias pro ordinibus &c.

842. Dubitant verò Anthores an si Episcopus denuntiatus det demissorias pro Ordinibus, vel approbet Confessarios, & Prædicatores, vel Parochus denuntiatus det licentiam suis ouibus, vt alteri confiteantur, vel alia Sacramenta recipiant ab alijs, vel det alijs sacerdotibus licentiam administrandi Sacramenta suis subditis prædicta validè faciat?

Multi putant validè facere.

843. Multi putant validè facere: Ita Paludanus in 4. dist. 17. q. 4. n. 26. & 27. & dist. 23. q. 2. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 9. Syluest, verb. *vnctio* n. 4. ad finem Armilla. *Vnctio* n. 5. Henriquez. sup. c. 7. n. 7. eamq; sententiã probabilem iudicauit olim Vasquez, dum præfuit publicis assertionibus in Complutensi Acedemia, in quâ id ipsum asserebatur; Et sanè multi ex prædictis, & alijs; quos refert Sanchez lib. 3. de *Matrim*, disp. 21. n. 7. pro prædicta sententia etiam putant licitè posse dare prædictas licentias, in quo (infallor) satis consequenter loquuntur saltem in aliquibus casibus; quia, si validè conceduntur & adsit necessitas, licitè tunc poterunt concedi. Eandem sententiam sequitur Nauarrus. c. *Placuit.* Quorum fundamentum præcipium esse videtur, quia per has licentias non datur Iurisdictio, quia Sacerdos ex se, & ex Iure Diuino illam habet; sed solùm aufertur prohibitio introducta ab Ecclesiâ. Vnde potius (inquiunt) est permissio, quàm commissio.

Fundamentum præcipuum horũ.

Dictam Paludani opinionem quo ad confessiones improbabilem dicit Auila.

844. Hanc sententiã Paludani quatenus asserit licentiam datam ab excommunicato non tollerato ad audiendas confessiones, esse validam, omnino improbabilem esse affirmat Auila c. illo 6. disp. 6. dub. 3. §. *Tertio sequitur* ad alia verò Sacramenta dicit non esse improbabilem licentiam datam ab Episcopo; discrimen verò in eo consistere, quòd requiritur Iurisdictio adhoc, vt Sacramentum Pænitentiæ validè administretur; at verò ad alia Sacramẽta non requiritur iurisdictio vt validè; sed tantum, vt licitè fiat.

845. Sanchez verò concedit quidem posse non toleratum validè assistere Matrimonio de quo am satis suprà diximus; imo, & posse dare licentiam assistendi; quia; nec assistentia, nec assistendi licentia est actus Iurisdictionis; ad alia verò Sacramenta non posse dare licentiam, quia Iurisdictionis actus est.

Absolute tamen dicendum est huiusmodi nec licitè, nec validè concedi ab excommunic. ita Author cum Soto.

846. Absolutè dicendum est huiusmodi licentias, nec licitè dari posse per excommunicatos, nec validè. Ita Sotus in 4. dist. 18 q. 4. art. 3. Gutierrez c. 1. n. 89. Victoria in *Summa.* Tract. *de Confessione* n. 139. & refertur Syluest *conf.* 2. Suarius de Censuris disp. 14. sect. 1. n. 7. & tomo 4. disp. 27. sect. 1. n. 5.

847. Sanè quod attinet ad illud, quòd dicit Sanchez de licentiâ assistendi Matrimonio non videtur ea facultas concedi sine vsu aliquo iurisdictionis; quamuis enim omnino concedamus ipsam assistentiam Matrimonio non esse actum iurisdictionis: nihilominus collatio facultatis, aut commissio assistendi matrimonio nomine suo potest censeri actus iurisdictionis alicuius, sæpè enim est iurisdictionis actus collatio facultatis, aut habilitatio ad aliquem actum, qui in se non sit actus iurisdictionis. v. g. emptio, aut venditio, seu alienatio facta à minori ante legitimam ætatem sine consensu Tutoris, aut Curatoris sæpè non valet, aut firma non est; nisi accedente facultate & veniâ Principis, quâ positâ valet, & firmus est contractus, si adsint cætera requisita, & tamen ipse actus vendendi, aut alienandi non est actus Iurisdictionis; sed dominij; actus verò conferendi siue dispensationem, siue facultatem, & veniam (vt aiunt) vt actus ille vim habeat, procul dubio est actus iurisdictionis. Sic ergo quamuis assistentia Matrimonij non sit actus iurisdictionis, licentiam, seu facultatem conferre ad id validè præstandum esse potest & est iurisdictionis actus; de quo iterum dicemus Tract. seq. disp. 3. dub. 10.

848. Ex hoc etiam fundamento, & discursu potest colligi ratio sententiæ nostræ pro prædictis omnibus actionibus, quas diximus non licere Episcopis, aut Parochis non tolleratis, nam in pluribus licentijs prædictis datur iurisdictio, & in omnibus fit saltem aliquid, quod promanat à iurisdictione, & supponit illam habere eum, qui talem licentiam concedit, vel saltem dispensat in Ecclesiæ prohibitione, vel aliquid concedit, cuius concessio, & concedendi potestas ipsi ratione sui officij ab Ecclesiâ commissa erat, ac proinde talis dispensatio, aut collatio licentiæ vel actus, & vsus iurisdictionis est; vel illam supponit. Vnde talis facultas non est sola permissio comparatione aliorum. Cum ergo excommunicatus priuatus sit iurisdictione nihil efficit in ijs, quæ ipsam iurisdictionem vel inuoluunt, vel supponunt. Vnde Suarius citato loco disputationis illius 14. improbabilem putat oppositam opinionem, & auctoris illius (inquit) æquiuocatione quâdam decepti videntur, nam licèt ministrare Eucharistiam, vel vnctionẽ formaliter & per se non sit actus iurisdictionis; vel ordinis dare tamen licentiam vngendi actus est iurisdictionis; & licèt ad validè vngendũ nõ sit necessaria iurisdictio; ad vngendum tamen licitè necessaria est vel iurisdictio propria, vel licentia validè manans ab eo, qui ad eam dandam vsum habeat Iurisdictionis, quo caret excommunicatus.

Ratio assertionis.

Excomm. nihil efficit in ijs quæ Iurisdictionẽ vel inuoluãt vel supponãt.

849. Asserendum est 2. gesta, seu facta, ab excõmunicato non vitando valida esse, etiamsi eius excommunicatio publica sit per euidentiam facti, & etiamsi excommunicatus se ingerat ad facienda ea, quæ sunt iurisdictionis, & peccet mortaliter. Ita Richardus dist. 18. art. 7. q. 1. Palud. q. 2. art. 3. & q. 4. Sotus dist. 22. q. 2. art. 1. circa finem. Nauarrus c. 27. n. 21. & c. 9. n. 8. Couarr. c. *Alma mater* p. 1. §. 11. n. 4. Auila p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 3. Suarius disp. illa 14. sect. 1. n. 13. Henriquez. lib. 13 c. 8. Vgolin. Tabula 1. c. 3. Filliucius suprà c. 6. q. 2. n. 144.

Assertio 2. facta tamen a non vitando valida sunt.

Ratio est,

Coninc disp. 14. dub. 10. n. 89. Reginald. lib. 32. n. 29. & alij communiter. Ratio est quia per Concilium Constantiense concessum est fidelibus, vt non teneantur vitare hos excommunicatos, &, vt possint ab eis petere actiones publicas sui officij: ergo concessit, vt actiones illæ sint validæ; alioqui, & frustranea esset illa licentia data fidelibus, & quasi repugnantiam inuolueret, scilicèt, quod liceat petere actionem, quæ valorem non habeat. Hæc omnia patent ex ijs, quæ diximus suprà dub. 34. & 41 alijsque in locis agentes de Sacramentis recipiendis ab his excommunicatis.

Ratio est.

Aduertit rectè Suarius.

850. Rectè autem aduertit Suarius suprà n. 15. non teneri fideles excommunicato publico non denuntiato obedire quandiù est publicus; si tamen velint, posse illi parere; & iam in præcedentibus notauimus, vt colligitur ex doctrinâ traditâ dub. 26. & sequentibus. Vnde, quando talis excommunicatus dispensat, vel absoluit, vel aliam gratiam cōcedit, potest is, cui fit gratia acceptare, tanquam validam, & vtilem atque etiam eam petere ab excommunicato.

851. Neque obstat quòd Concilium Constantiense noluerit fauere in aliquo excommunicatis; nam talis valor actionum, & gestorum ab illis non est, vt sæpè notauimus, directus, & ex intentione fauor ipsorum; sed aliorum fidelium.

Obijcies talis manet suspensus ab officio ergo.

852. Obijci potest difficiliùs contra prædictam assertionem quòd excommunicatus etiam tolleratus semper manet suspensus ab officio, & beneficio per c. *Pastoralis* §. *verum de appellat.* ergo gesta per eum, quæ pertinent ad Iurisdictionem, erunt inualida.

Resp.

853. Respondetur suspensum quidem manere ab officio & iurisdictione; sed post Concilium Constantiense solum manere suspensum, quantum adhoc quòd, si ipse se ingerat, non possit eam licitè exercere; non tamen quantum adhoc quod gesta ab illo sint nulla, & inualida; nam hoc concessisse Concilium prædicto discursu pro assertione facto colligunt Doctores.

Ex tradita doctrina videtur colligi.

854. Ex traditâ assertione, & fundamento illius videtur colligi posse, quod, si Prælatus excommunicatus tolleratus excommunicet, aut condemnet aliquem, talis sentētia sit nulla, quia in nullius fauorem cedit, & in eo casu non fauet excommunicato Concilium Constantiense. Vnde videtur vera opinio Turrecrematæ lib. 4. *summ.* p. 2. c. 20. ad, 1. & Didaci Perez lib. 4. *ordinationem* tit. 4. l. 4. & aliorum apud Sanchez suprà n. 32. qui hoc docent.

Probabilius est sententiā latam a prælato tollerato esse validā.

855. Probabilius tamen est esse validam sententiam propter bonum commune Reipublicæ, & expresè docet Couarr. citatus pro nostrâ assertione, quem refert, & sequitur Auila citata dub. 3. & Sanchez suprà.

856. Ex hac doctrinâ colligit Sanchez valere sententiam, & gesta per quemcumque excōmunicatum tolleratum, quia si invalida est sententia, & alia gesta, teneremur illum vitare, ne actus irritus esset, nec timoratis conscientijs satis consuleretur, qui fuit finis illius decreti, vt notauimus dub. 34.

Obijcies

857. Sed obijcies excommunicatus est extra Ecclesiam: ergo nequit alium ab Ecclesiæ consortio expellere c. *Audiuimus* 24. q. 1. in principio ibi: *Excommunicatus te excommunicare non potuit* propter quod argumentum Gloss. ibi, & alij, quos refert Sanchez n. 34. docet excommunicationem latam ab excommunicato occulto non valere.

excomm. est extra Ecclesiam, ergo nequid aliū ab Ecclesia consortio expellere.

Resp.

858. Contrarium tamen meritò docet Sanchez cum pluribus alijs ibidem; quia occultus excommunicatus non priuatur actu, & vsu iurisdictionis. Accedit, quod in eo casu concurrit titulus, & communis error, quod sufficit ad valorem actus iudicialis etiam fori contentiosi; neque obstat citatum c. Audiuimus; id enim intelligendum est de publica excommunicatione Iudicis. Legatur Sanchez loco citato, vbi alias limitationes nostræ assertionis affert ex alij Authoribus & reijcit.

occultum excomm. nō priuari actu & vsu Iurisdictionis.

Talis tamen peccat se vltro ingerens & exceptio fieri potest contra illū.

859. Quamuis autem excommunicati tollerati actus Iurisdictionis validi sint, non solum peccat, si se vltro ingerat, vt dicebamus, verum etiam admitti potest exceptio contra ipsum ad elidendum iurisdictionis actum ab ipso procedentem, dum Censura detineretur. Vnde si excommunicatus me citet coram Iudice, possum contra ipsum excipere; cum hoc tamen onere, vt intra octo dies legitimè ostendam, & euidenter probem speciem, & excommunicationis Authorem. valida itaque est sententia à Iudice lata excommunicato tollerato donec contra eum excipiatur.

Ex dictis pro praxi infertur.

860. Ex dictis pro praxi infertur Episcopum excummunicatum tolleratum posse validè alteri concedere facultatem administrandi Sacramentum Pænitentiæ; idem dic de facultate ferendi legis, dispensandi in votis, concedendi Indulgentias, iudicium exercendi, conferendi Dimissorias &c.

861. Item electionem, præsentationem, vel collationem beneficij factam ab eodem validam esse, atiamsi suscipiens sciat illum esse excommunicatum.

862. Notat Auila suprà cum Sylvestro Excommunic. 3. n. 1. puncto 11. quòd si plures sint Iudices vnius causæ, quorum vnus sit excommunicatus non tolleratus, etiamsi cæteri sint aut non excommunicati, aut tollerati, non valebit sententia; quod probatur ex c. *Ad probandum* de *sententiâ & re iud.* Vtrum autem hoc locum habet in electionibus, quæ fiunt ab aliquo capitulo. v. g. Canonicorum, quando vnus illorum est excommunicatus vitandus? postea dicemus.

Assertio 3. si contingat non tolleratū communi errore esse tolleratum eius acta sunt valida. Ratio.

863 Asserendum est 3. si contingat aliquem excommunicatum vitandum communi errore vulgi esse tolleratum, vt si alio in loco, vel tempore est denuntiatus, & in hoc loco vel tempore ignoratur, omnia eius acta sunt valida, quia quoties communi errore aliquis Prælatus reputatur legitimus, etiamsi non sit in re, Ecclesia propter bonum commune, & publicum censetur illi dare iurisdictionem, vt communiter docent Canonistæ, Panormitanus, & alij in c. *Ad nostram* 3. *de Iure Iurando.* & in c. *scifcitasti* de *Rescript.* & habetur in celeberrimâ l. *Barbarius* (quam ad res omnes Ecclesiasticas accommodant Canonistæ omnes, & Gratianus

ipse

ipſe in c. *Infames §. verum tamen* 3.q.7. quamuis enim, illa lex ſit Iuris Ciuilis *ff. de off. Prætoris* tamen eandem rationem agnoſcunt pro rebus Eccleſiaſticis, & ad ſpeciem noſtri caſus plerique accommodant, inter quos victoria in *Summa* Tract. de *Excommunic.* q. 10. & Suarius diſp. illâ 14. ſect.1.n.16. Ideò eſt communis & vera ſententia, quod Curatus, qui non habet verum titulum beneficij; ſed communiter reputatur habere, verè abſoluit Sacramentaliter, quia ratione boni communis in his caſibus Eccleſia dat Iuriſdictionem habenti titulum præſumptum, & reputatum verum. Quâ de re latè diximus agentes de *Pœnitentiâ* Tract.8. diſp. 10. dub.8. in primâ, & ſecundâ parte illius, vbi plures Authores retulimus, inter quos Sanchez lib. 3. de *Matrim*, diſp. 22. Leſſ. Coninc; Henriquez etiam lib. 13.c.6. n. 7. vt autem hæc aſſertio ſit vera duo requiruntur primò titulus verus, aut ſaltem præſumptus ab eo, qui poterat conferre: ſecundò cõmunis error populi, aut vulgi, quod quâ ratione intelligendum ſit, ibidem explicuimus? & an loco talis erroris ſufficiat probabilis opinio alicuius, vel aliquorum? defectu primi requiſiti nonnullæ abſolutiones cenſentur nullæ, quia ſcilicet collatæ fuerunt ab eo, qui fictitijs literis, vel aliâ fraude ſine authoritate legitimâ Prælati intromiſit ſe in beneficium Parochiale, vel officium Confeſſarij, quamuis ergo is communi errore putetur talis; nihil efficere putant viri docti & graues. Defectu etiã ſecũdi nihil efficere putant illum, cuius excommunicatio antea occulta diuulgatur; vel certè iam publicè cognoſcitur collationem beneficij fuiſſe irritam propter excommunicationem tunc occultam; vel aliud impedimentum: nam diuulgatâ nullitate; vel excommunicatione, ceſſat communis error populi. Ita communis ſententia præcipuè Sylveſt, Nauarrus, Caietanus, & Sanchez ſuprà Auila c.6. diſp. 6. dub.7. qui addit, quod is, qui tantum habebat titulum beneficij præſumptum, & non verum, non facit fructus ſuos; ideòque tenetur reſtituere ante ſententiam; quia hæc non eſt pœna; ſi autem ſeruiuit beneficio, poteſt accipere quantum meretur tale ſeruitium, id eſt quantum daretur Cappellano ſic ſeruienti. Sed in hac re phelosophandum eſt iuxta dicta in dub.44. & 45.

Vt aſſertio ſit vera duo requiruntur.

Aſſertio 4. ſi excomm. vitandus conferat beneficium nihil facit.

864. Aſſerendum eſt 4. & colligitur ex dictis, ſi excommunicatus vitandus, Epiſcopus, aut eius Vicarius conferat beneficium, nihil facit; ac proinde, ſi ex tali collatione ſequuta fuerint; damna, tenetur ad eorum reſtitutionem; & qui à tali excommunicato recipit beneficium, tenetur illud relinquere. Atque in primis quod excommunicatus invalidè conferat patet ex c. vnico. *Ne Sede vacante* in 6 & fauet c. *Tanta* de *exceſſibus Prælator.* & c. *quia diuerſitatem* de *conceſſ. Præbenda*, & tenent omnes Authores. Quod verò vicarius excommunicati inualidè conferat, conſtat expreſsè c.1. de *officio Vicarij* in 6.

Aliud dicendum de non vitando.

865. Excommunicatus tamen non denuntiatus; nec manifeſtus. Clerici percuſſor validè confert, imò, & licitè ſi ad petitionem aliorum id faciat. Ita Auila c.6. diſp.6. dub. 3. & idem dicit de præſentatione, & electione. Item Suarius diſp. 14. ſect.2.n.4. alijque multi, quos retulimus pro ſecunda aſſertione, conſtatque ex dictis

De electione ad beneficiũ facta ab excomm. idem dicendum eſt quod de collatione.

266. De electione verò ad beneficium factâ ab excommunicato idem dicendum eſt quod de collatione. Quidnam autem dicendum ſit quando electores plures ſunt, & vnus tantum excommunicatus, aut aliqui? latè ibi diſputat Suarius. Item Sayrus lib. 2. c. 6. n. 4 Henriquez lib.13.c.2.n.2. in comment. litera *D.* Vgolinus Tabula 2.c. 11. §. 2. n. 12. Coninc citata diſp. 14.n. 93. Filliucius citato 6. quæſ 4. & 5. n.151. & alij Recentiores, cum quibus omnibus puto excommunicato vno Canonico v.g. & vitando, cui ſimul cum alijs Canonicis competit ius eligendi, inualidam eſſe electionem, in qua ille ſuffragiũ fert quoties ſuffragiũ illius excõm. eſt neceſſarij ad ſufficiẽtẽ & requiſitũ numerũ ſuffragiorũ; ſecus verò dicendũ exiſtimo quando non requiritur certus, & definitus numerus, ſed ſimpliciter præſcribitur conſenſus omnium, tunc enim electio vim habet, quia, vt ſupponimus, omnes habiles conſentiunt. excommunicatus autem, cum ſit inhabilis, non opus eſt. vt conſentiat.

Iudicium Authoris, quo ad denuntiatum cui competit ius eligendi.

867. Hanc doctrinam nonnulli ex relatis extendunt etiam ad electionem officij, ſeu dignitatis laicalis, & ad præſentationem Iuris Patronatus Eccleſiaſtici, ſi fiat ab excommunicato vitando nam præſentatio vim habet electionis. Quæ doctrina mihi placet, & congruit cũ ijs, quę in ſimili diximus in correlatiua acceptatione electionis præſentationis, & collationis factæ excommunicato, de quâ egimus dub.44.

Doctrinam hanc extendunt aliqui ad electionẽ officij laicalis &c.

868. Contrarium tamen putant non pauci, & ſatis probabiliter; quia huiuſmodi præſentatio potiùs eſt aliquid facti, quàm Iuris Ita Coninc ſuprà n.94. Vaſquez de *Excommunic.* dub.5 n. 2. & 3., Couarr. c. *Alma* p.1.§. 7.n.9. Vgolinus Tabula 2.c.13.§. 2. Henriquez proximè citatus Suarius ſuprà, Filliucius ſuprà quæſ. 6. fundamentum eſt; quia præſentatio laicalis (de hac enim loquuntur) facta à laico Iure Patronatus, vel à Clerico etiam Iure alioquin laicali ſui patrimonij non eſt vſus Iuriſdictionis, nec poteſt conferre alicui ius ad ad aliquod beneficium; ſecus verò eſt de præſentatione, quando pertinet ad Clericum titulo Clericali ratione ſui beneficij.

Contrarium non pauci ſatis probabiliter putãt. Ratio.

869. Quamuis autem electio excommunicati tollerati in conſortio aliorum valeat, poſſunt tamen quicumque excommunicati tollerati ab electione reijci, & is, ad quem pertinet electionem confirmare poteſt eorum electionem non acceptare, eamque reputare, ac ſi non facta fuiſſet, tum; quia datur exceptio contra geſta ab excommunicato tollerato, vt ſuprà notabamus; tum, quia licet, non teneamur vitare prædictos non denuntiatos, aut manifeſtos Clerici percuſſores, poſſumus tamen non communicare cum illis, atque adeò non admittere acta, ſeu geſta illorum. Ita Coninc ſuprà n.93. Vaſquez ſuprà n.6. Auila c.6. Auila c.6. diſp.5. dub.1. & alij citati. Legatur Suarius loco citato, qui etiam rectè docet cum alis præſentationem factam à laico excommunicato vitando vel à Clerico iure Patrimonii ita cenſeri validam iuxta dicta, vt Epiſcopus, ſi valet, poſſit illam acceptare, &

Quamuis Electio tolleratiin conſortio aliorũ valeat, poteſt tamen ab electione reijci. Ratio.

eâ acceptatâ collatio valeat, si tamen velit, potest eam reijcere, & tunc non valebit; quod etiam locum habere potest in excommunicato tollerato solumq; differt à non tollerato in hoc, quod præsẽtatio tollerati validè simul, & licitè admitti potest; non tollerati verò admitti potest validè; sed non licitè, quia semper est aliqua communicatio cum illo: ac proinde committitur peccatum veniale, incurriturque excommunicatio minor; nisi adsit alioquin aliqua causa excusans à communicatione, illamque reddens licitam.

Præsentatio tollerati validè & licitè admitti potest, non tollerati verò validè tantum.

Resignatio beneficij simpliciter facta ab excomm. valida est non autem si fiat in fauorem determinatæ personæ.

870. De Resignatione verò beneficij facta ab excommunicato putat Suarius suprà n. 5. validam esse, si simpliciter fiat resignatio, ut Prælatus, cui voluerit conferat, quia nimirum tunc non est actus ille vsus alicuius potestatis, vel Iuris Ecclesiastici; sed propriæ voluntatis, nec sic resignans concurrit vllo modo ad collationem faciendam, sed solum ad se expoliandum quod ipse facere potest, & est actio priuata. Si tamen fiat solum in fauorem determinatæ personæ est nulla, quia aliquo modo concurrit resignans ad collationem.

Vltimum tamen probabiliter putat Bonacina posse fieri.

871. Bonacina verò disp. 2. q. 2. puncto 5. §. 2. putat valere, quia etiamsi resignans id faciat in fauorem determinatæ personæ, non tamen vllo modo confert, neque actum Iurisdictionis exercet; sed propriam voluntatem indicat superiori. Quod probabile est, licet probabilius oppositum, quod sequitur Filliucius suprà n. 163. nam resignans in fauorem tertij, & non aliter, restringit voluntatem superioris, ne possit alteri conferre nisi illi, & apud ipsum resignantem manebit beneficium, nisi illa conditio impleatur. Quod iam est, aliquo modo concurrere ad prædictam electionem.

Notandum.

872. Notandum vlterius est ex dictis cum communi sententia, de quâ testatur Coninc suprà n. 97. excommunicatum esse inhabilem ad acquirendam nouam aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam, vt munus eligendi, conferendi beneficia &c. Meritò tamen Coninc reijcit rationem, quâ id solet communiter probari; quia nimirum, sicut quis illicitè assumitur ad id officium, quod non potest licitè exercere, eiusque assumptio est irritanda ex c. vltimo de *Clerico excommunicato*: ita etiam inualidè assumitur ad id, quod non potest validè exercere. Hoc tamen argumentum nihil probat, ait Coninc; quia pœnæ non debent introduci per argumẽtum à simili, ideò putat hanc sententiam solum tenendam esse; quia est communis sententia Doctorum; quæ sanè ratio, quamuis absolutè videatur extrinseca nimis; in re tamen morali pro intrinsecâ debet haberi; nam cum consuetudo recepta possit inducere obligationem legis, sicut, & leges interpretari; aut concurrentibus requisitis abrogare; in hac verò re nullâ potiori ratione constare nobis possit de consuetudine introductâ, qua prædictus censeatur inhabilis ad adquirendam de nouo iurisdictioné, quàm ex eo, quòd communiter Doctores de hac re tractantes talem excommunicatum inhabilem putent, sufficiens indicium est, quod ita receptum sit in Ecclesiâ Dei, & Pontifici, cæterisque Prælatis notum; ac proinde, quod consuetudo, & communis sensus habendi prædictum pro inhabili, sufficienter illum constituat inhabilem.

Pœnæ non debent introduci per argumẽtum a simili.

DVBITATIO XLVII.

De inhabilitate excommunicati ad actus fori contentiosi etiam secularis.

Nota dicenda hic locum habere in vtroque foro externo.

873. **N**Otandum primò, quæ hic dicemus, locum habere, tam in foro contentioso Ecclesiastico, quàm sæculari, exceptis ijs quæ de Iudice dicemus; nam de Ecclesiasticis Iudicibus, vel electoribus plura diximus *dub. præcedenti*. Itaque in hoc effectu excommunicationis continetur impedimentum excommunicati, ne sit Iudex, Procurator, aut testis, Tabellio &c. & de his præcipuè agemus in hac dubitatione circa Iudicem sæcularem.

Assertio 1. illicitum est excomm. agere personam Iudicis sæcularis.

Ratio.

874. Asserendum est primò prohabitum, & illicitum esse excommunicato agere personam Iudicis sæcularis, quia saltem generaliter in multis Iuribus prohibetur excommunicato omnis communicatio cum alijs, maximè c. *Ad probandam* de *sentent.* & *re iud.* & c. *decernimus* de *sentent excommunic.* in 6. an verò in omnibus iudicialibus actibus huius fori sæcularis peccet mortaliter? non consentiunt Authores. Caietanus verb. *excommunic.* circa finem. Armilla *excommunic.* n. 38. Petrus Sotus lect. 3. de *excommunic.* Sanchez lib. 3. de *Matrimonio* disp. 21. n. 8. Bartholom. de Ledesma de *excommunic.* dub. 9. relatus ab eodem Sanchez simul cum Caietano videntur docere, quod, si iniustitiam concernant tales actus, erunt peccata mortalia, secùs verò, si non concernant illam. Vnde secundum hos Authores excommunicatus denuntiatus peccat iudicium ferendo, quia vsurpat, quod non habet, & iniustitiam facit iuxta assertionem sequentem. At verò excommunicatum non vitandum, quando se ingerit ad faciendos actus iudiciales non peccare mortaliter docent Bartholom. de Ledesma citato dub. 9. Henriquez c. 7. Less. lib. 2. c. 29. dub. 7. n. 61. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 2. n. 13. vbi cum alijs docet valere actus iudiciales ab excommunicato non vitando. Vt dicemus assertione 4. huius dubitationis. Cum ergo sint validi, & non careat iurisdictione non facit iniustitiam; sed tantum peccat contra prohibitionem. In quo etiam consentiunt Sà *Excommunic.* n. 31. Auila c. 6. disp. 8. dub. 3. conclus. 2. quod intelligit, nisi sequatur iniustitia, aut scandalum graue, vel adsit formalis contemptus.

An verò mortaliter peccet dissentiunt Authores.

Opinio Soti & aliorum.

Caietanus fatetur esse mortale si vitandus Iudicat &c.

875. Caietanus planè fatetur esse mortale, si excommunicatus vitandus iudicet, eligat, &c. quia vsurpare iurisdictionem est iniustitia, & materia grauis, id quod expressè docet Auila loco citato, & Sotus art. 4. post 2. conclus. 5. *item.* & Less. lib. 2. c. 29. dub. 7. n. 60. itaque de excommunicato non tollerato maiorem, & potiorem partẽ Authorum video docere quòd sit peccatum mortale; atque ita dicendum puto nisi excuset paruitas materiæ.

Opinio Suarij.

876. Circa excommunicatum verò non vitandum Suarius postea referendus, & Less. suprà

prâ n.59. putant peccare mortaliter, quia materia est grauis, &, quod sit secundariò prohibita, nihil obstat, vt latè probat Suarius disp.16. sect. 1. n.9. itaque de hoc tollerato vtrumque est satis probabile. Quòd si Iudex Iudicet ad instantiam seu petitionem partium, nec ipse per se se intromittat maximè, quando partes scientes illum esse excommunicatum adhuc ad eum recurrunt pro sententiâ, & iudicio, nullo modo erit peccatum, nec veniale quidem secluso scandalo, aut alijs circumstantijs extrinsecis iuxta dicta in præcedentibus, quia, si litigantes non tenentur eum vitare, & licitè possunt ad illum recurrere, ipse quoque poterit in gratiam illorum officium suum exercere, non minus, quàm ministri Sacramentorum, de quibus iam diximus; atque hoc modo intelligendi sunt Authores, qui indistinctè loquuntur post Concilium Cõstantiense non distinguentes inter excommunicatum denuntiatum, & non denuntiatum; quando enim dicunt absolutè excommunicatum exercendo actus Iudiciales non peccare mortaliter, intelligendi sunt de excommunicatis non vitandis.

Quando Authores dicunt excomm. exercendo actus iudiciales non peccare mortaliter intelligendi sunt de non vitandis.

Assertio 2. actus iudicis sæcularis vitandi sunt irriti.

877. Asserendum est 2. actus iudiciales factos à Iudice etiam sæculari excommunicato vitando esse irritos. Quamuis autem multi putent hoc non contineri expresè in aliquo Iure, quia nimirum omnia, quæ ad id probandum afferuntur, putant loqui de solo Iudice Ecclesiastico; nihilominus; quia communis est Doctorum sententia, vt id etiam locum habeat in Iudice sæculari, nullo modo putant recedendum ab eâ sententiâ; sufficit enim in re morali consensus Doctorum, vt ab eo non liceat sine magno fundamento recedere, &, vt sic censeantur intelligendi Textus, quamuis primo aspectu videantur solum de Iudice Ecclesiastico loqui. Accedit, quòd non obscurè videatur colligi ex sacris Canonibus; nam imprimis non est credendum Pontifices aliter de Iudicibus sæcularibus, quàm de Ecclesiasticis statuere: Secundò quia hæc communis Doctorum consensio niti videtur in c. penultimo, & vltimo. 15. q.6. vbi subditi excommunicatis à fidelitate eis debita, & a Iuramento eis præstito soluuntur, & iubentur illis non obedire: ergo necessè est, vt ipsos excommunicatos iurisdictione priuet, seu suspendat, quia hæc correlatiua sunt. nec potest vnum manere altero sublato. Atque ex hoc fundamento assertionem nostram docent Caietanus, Petrus Sotus, & Armilla suprà art. 1. 2. & 4. Henriquez lib.13. c.7. n.6. Suarius disp.16. sect. 1. Nauarrus c. 27. n.4. casû 1. imò addit Henriquez & Nauarrus in summa Hispana n. 44. prædictum excommunicatum denuntiatum teneri restituere damna; si quæ sequantur ex suâ sententiâ, aut iudicio, quod iniustè sibi vsurpat. Quod consequenter videtur dictum iuxta principia generalia in materiâ de *restitutione*. Vnde (ait Henriquez) si compulit debitorum soluere, quod debebat, tenetur huic debitori damnato soluere expensas litis, quas accipit. Quod etiam docet Sotus. dist.22. q.1. art. 4. Sed hoc iuxta principia de *Restit.* decidendum est, possunt enim concurrere circumstantiæ, ratione quarum excusetur. Sicut etiam ad eandem materiam pertinet; an, si ferat sententiam mortis contra reum aliàs dignum tali pœnâ, teneatur ad omnia damna inde sequuta? quod totũ videtur consequenter dicendũ, quia tunc perinde est, ac si vt homo particularis occidisset, cum non esset Iudex; quamuis ex alio capite satis durum videatur, nec possumus dicere, quod omnino se habeat vt persona priuata, cum aliâ viâ possit obtentâ excommunicationis absolutione, eum morti adiudicare, & iniuria tiùs videatur consistere in modo, quàm in re, vt si rem meam, quam per Iudicem possum recuperare, furtim, vel occultè accipiam. Itaque res est dubia quamuis primum videatur magis consequenter dictum, & quidem, si esset aliqua spes euadendi, si non ferretur sententia, aut non esset satis aperta, & indubitata iustitia, tunc pro qualitate, & quantitate dubij tenebitur restituere. Quod omnino videtur manifestum. Sed, quidquid sit de hoc, ad nostrum institutum redeamus.

Fundamentum assertionis.

878. Alij, qui nostram sententiam sequuntur putant satis expresè actus Iudicis sæcularis esse irritatos in Iure. Ita Auila p.2. c.6. disp.6. dub.3. assertque c. *Aduersus* de *Immunit. Eccles.* vbi hoc expresè habetur, vt ille putat. Verum in eo Textu non est doctrina generalis, de quâ nunc agimus circa irritandos actus Iudicũ; sed solũ loquitur Textus aduersus consules, & Rectores vel alios, qui Ecclesias seu Ecclesiasticos viros talibus, collectis, & ex actionibus vexabãt, & de illis pergentibus adhuc ad edẽdas constitutiones, & sentẽtias dicit Pontifex: *Adijcimus, vt Constitutiones, & sententiæ, quæ à talibus, vel de ipsorũ mandato fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ habeantur nullo vnquam tempore valituræ*, quo loco, vel illa irritatio Constitutionem, & sententiarum intelligenda est tantum de concernentibus ad illã primã materiã; vel, si absolutè de omnibus alijs materijs loquatur Pontifex, non cogit Textus eas pœnas extẽdere ad omnes alios excomm. Vnde Textus ille non est expressus prò generali irritatione actuũ Iudicis sæcularis. Allegat etiam *Intelleximus* de *Iudicijs*, & c. *decernimus de sentent. excommunic.* in 6. sed ibi non habetur expresè. Vnde præter communem sensum Doctorum, de quo iam diximus, probanda est essertio ex c. *licet. de sentent excommunic* in 6. & ex c. *Exceptionem de Except.* vbi etiam generaliter dicitur: *Excommunicatus autem publicè, & si huiusmodi exceptio non opponatur, nihilhominus est officio Iudicis repellendus.* *Probatur assertio ex Iure, & cõmuni Doctorum consensu.*

879. Præterea omnes excommunicati sunt priuati vsu iurisdictionis, vt colligitur ex capitibus citatis 15. q.6. vt iam expendimus. Accedit quod c. *Decernimus* 8. *de sentent. excommunic.* in 6. excluditur excommunicatus à munere actoris, patroni, & testis: ergo potiori ratione excludetur Iudex. Ita argumentatur Less. lib. 2. c.29. n.61. eandem doctrinam confirmat c. *Præsidentes de Hæreticis* in 6. Vbi in fine non obscurè indicatur, & supponitur vniuersaliter loquendo excommunicatorum Iudicum acta non habere vim.

880. Notandum præterea cum Auila c. 6. disp.7. in principio, si Iudex excommunicatus denuntiatus appellet à denuntiatione, licet *Notandum cum Auila.*

postea

postea declaretur legitimè excommunicatus, & denuntiatus, gesta tamen per eum in illo medio tempore, valida esse. Ita Panormitan. in c. *Pastoralis* n. 15. & consonat cum dictis à : nobis disp. 2. dub. 23. vbi explicuimus an, & quomodo appellatio impediat vim censuræ!

Ex dictis, infertur.

881. Ex dictis etiam constat, & docet Auila suprà omnino reijciendum esse Victoriam in *Summ.* de *Excommunicatione*, asserentem actus Iurisdictionis gestos à Iudice sæculari excommunicato non tollerato esse validos, si non perseueret per annum in excommunicatione. Pro quâ sententia affert Victoria c. *excommunicamus* 1. de *Hæreticis*, hoc tamen c, si attentè legatur, nihil probat; in eo enim Textu ponuntur plures pœnæ, quarum aliquæ iam erant contractæ, vt pote annexæ ipsi excommunicationi per alios Textus; atque huiusmodi est hæc, de quâ loquimur: aliæ verò ibi de nouo ponuntur, ad quas requiritur vt transierit annus post excommunicationem; annumerantur tamen priores illæ pœnæ, non tanquam positæ ab eo Textu sub eâ conditione perseuerandi in eâ excommunicatione per annum, sed, vt executioni mandentur per Iudices Ecclesiasticos, quam expositionem, etiam admittunt Less. c. illo 29. dub. 7. & Coninc disp. 14. dub. 11.

Assertio 3.

882. Asserendum est 3. excommunicatum vitandum probabile est non posse eligi in Iudicem sæcularem, vel in alias dignitates, quæ iurisdictionem requirant; si tamen eligatur, probabile est electionem non esse ipso Iure, irritam; sed tantùm irritandam. Ita tenet Suarius disp. 16. & Ægidius Coninc suprà, alijque non pauci, Quorum fundamentum est, quia nullus est Textus, qui has electiones irritet.

883. Auila verò satis probabiliter c. 6. disp. 6. in fine ait esse Textum expressum irritantem electionem ad dignitates sæculares; quem Textum putat Theologos non vidisse, vt iam dubit. 44. notauimus scilicet c. *venerabilem de elect.* vbi electio cuiusdam Ducis Hispanicè *Duque* in Regem censetur à Pontifice nulla, quia erat publicè excommunicatus, & ita docent ibi Gloss. & alij, quos ibidem retulimus §. *Hoc ipsum*, & sequenti ibi legatur; vbi hanc sententiam Auilæ probabiliorem tunc iudicauimus, & etiam nunc & docet Bonacina cùm alijs quos refert disp. 2. q. 2. puncto 7.

Assertio 4. Actus iudiciū sæcularium tolleratorū sunt valide, &c.

884. Asserendum est 4. acta per Iudices sæculares excommunicatos non denuntiatos; sed tolleratos valida esse imò, & licitè fieri si ad petionem aliorum fiant; si verò ipsi excommunicati se ingerant, iam diximus peccare. An verò mortaliter, vel non mortaliter? diximus probabile esse vtrumque. Porrò valida esse talia acta docent Authores citati in prima assert. præcipuè Nauarrus c. 27. n. 21. Auila p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 3. Less. c. illo 29. dub. 7. n. 57. Coninc disp. 14. dub. 10. Suarius disp. 14. sect. 2. quibus adde Layman lib. 2. Tract. 5. p. 2. c. 2. n. 13. & Guteirez lib. 1. *Canonicar. qq.* c. 1. n. 28.

Multi affirmant mortale esse petere actus iudiciales ab excomm. vitando.

885. De excommunicato verò vitando; an ab illo petere actus iudiciales peccatum sit mortale? affirmant multi, quia est inducere ad malum; alij distingunt, quando ipse est paratus hæc facere, aut, quando non est paratus, si non sit paratus; semper putant esse mortale; quia est inductio ad malum; si tamen sit paratus, & petatur res iusta licere uti illius malitiâ, & petere ab illo sententiam, sicut licet à Tyranno Principe. Ita Henriquez lib. 13 c. 7. n 6. litera Q. in Gloss. Sotus 1. de *Iustitia* p. 1. art 3. & Medina 1. 2. q. 90. art. 3. Quæ doctrina probabilis est; mihi tamen adhuc videtur ex parte rigida, nam præcisè actus iudicandi, maximè, si hoc fiat ex conuentione partium, & in negatio merè sæculari, de quo agimus, durum videtur, quod præcisè ex vi excommunicationis sit mortale à tali excommunicato petere sententiam nam præcisè communicare cum excommunicato, aut excommunicatum cum illis litigantibus non est mortale regulariter loquendo; nec ex parte illorum incurritur alia excommunicatio, quàm minor, quæ pœna non sufficit ad mortale. Quod autem hæc communicatio sit in hoc quòd excommunicatus dicat quid sentiat in tali, aut tali re, & de iustitia partium litigantium in re merè temporali, & ciuili, adhuc non videtur continere grauem cum ratione dissonantiam. Vnde non video regulariter loquendo sufficiens fundamentum, vt dicamus esse peccatum mortale, quòd illi velint vti operâ illius, & ille respondeat ipsis petentibus maximè, si tam litigantes, quam ipse scientes illum non habere iurisdictionem, nihilominus ex æquo, & bono velint vti iudicio, & sententia ipsius.

Alij distinguunt.

Authoris iudicium.

Dixi regulariter loquendo.

886. Dixi regulariter loquendo; nam aliquando ab extrinseco potest esse peccatum mortale communicare, etiam in humanis & temporalibus cum excommunicato.

Assertio 5. excomm. quicumq; nō potest esse actor in iudicio.

887. Asserendum est 5. Excommunicatum, siue tolleratum, siue non tolleratum non posse esse actorem in iudicio; quia multis Iuribus id est prohibitum, si tamen agat, & non repellatur, valida sunt, quæ egit, vt habetur c. 1. *de Except. in 6.* nec agendo peccat mortaliter; sed tantùm venialiter. Ita Caietan. Armil. Petrus Sotus suprà citati Henriquez c. illo 7, n. 5. Suarius disp. 16. sect. 3. n. 9. & alij; imò nec venialiter peccabit, si pro uitando damno agat, vel vt liberetur ab excommunicatione; hæc enim iuxta principia generalia in præcedentibus tradita, licent. & cum Turriano Hurtad. Cornejo docet Diana 5. *part. Tract.* 9. *Resol.* 110.

Ratio.

888. Addit verò Suarius communicationem actoris fore mortalem, si sit nimis frequens, & velit illam frequentiam; quod tamen mihi non videtur certum, imò potius iudico oppositum neque enim sola frequentia actuum in eâ re sufficit, vt coniungantur materiæ plures leues, & coalescant in vnam grauem quod necessarium erat, vt ea frequentia esset sufficiens materia peccati mortalis, vt iam in simili diximus dub. 36. §. *Suarius tamen* nu. 491. & seq. vbi contra eundem Suarium probauimus oppositum.

Potest tamē talis excōm. esse reus & cogi ad iudicium.

889. Quamuis autem talis excommunicatus non possit esse actor; potest esse reus, & cogi ad iudicium, vt habetur c. *Intelleximus*, de iudicijs, & consequenter poterit omnia præstare in iudicio, quæ necessaria videantur ad sui defensionem, eaque debent admitti, potestque appellare, vt habetur §. *Cum inter*, & c. vltimo *de Except.*

cept. estque recepta sententia. Vnde etiamsi incidenter ad sui defensionem in aliqua re incidente pertinente ad sui defensionem necessarium sit etiam reagere contra suum actorem, aut contra testes deponentes contra illum, etiam hoc admittendum erit; vt si contra actorem seu testes excipiat illos esse criminosos, & tales, qui non sint digni, vt in iudicio audiantur & admittantur; tunc enim quamuis ad probandam exceptionem, actoris personam gerat, admittendus erit; in eo enim potius se defendit, quàm cōtra alios agit. Non me latet aliquos docere talem non per se ipsum, sed per procuratorem debere respondere. Ita Auila Hurtado & non ita clarè Turrianus relati à Diana 5. part. Tract. 9. Resol. 121. quia id significatur in *cap. intelleximus de Iudicijs.* Probabilius tamen est posse per se, vt ibi probat Diana. ex *cap. Cùm inter* & cap. vltimo *de exceptionibus*, vbi absolutè conceditur excommunicato facultas respondendi pro qua sententiâ refert præpositum & Coninc, esset verò minùs durum negare illi, quod ciuis reo non negatur. Sed vt verum fatear possit in pœnam id illi, si ius voluisset negari: nullum tamen ius video, in quo id negetur. Nec video tamen cur non possit iudex, si videat id expedire, illum repellere à per se respōdēdo, si possit per procuratorem. Illud mihi etiam placet quod notat Diana Resol. illa 120. ex Hurtado *disp.* 8. *de Excommunicatione* difficul. 3 n.6. si excommunicatus sit telleratus posse quidem à Iudice reijci, quia potest non communicare cum illo, non tamen teneri illum repellere etiam publicum nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excommunicationē, quia non tenetur illum vitare.

Et in re ad suam defensionem necessaria, reagere.

Aliqui docent talem non per se sed per procuratorem debere respondere.

890. Vtrum autem excommunicatus denuntiatus possit esse Tabellio, & instrumenta ab eo facta in foro exteriori admittantur? suam quoque habet quæstionem.

Probabilius tamen est posse per se.

891. Negant multi, videturque communis sententia Canonistarum, quam colligunt ex c. *Nullus.* 3. q. 4 vbi Stephanus Papa ait. *Nullus anathematizatorum suscipiatur, neq; à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur vel conscribuntur.* Ita etiam Suarius suprà & Diana citandus & addunt, in conscientiâ valida esse illius instrumenta; quia nullo Textu irritantur; item addunt peccare mortaliter regulariter loquendo Tabellionem exercendo suum officium in excommunicatione, quia materia est grauis, cùm sit publici officij. & multa sequantur incommoda ad lites ex huiusmodi abvsu. Si tamen non sit denuntiatus, poterit ad petitionem aliorum cum aliquâ necessitate exercere suum officium. In hoc autem, quod acta per Tabellionem excōmunicatum denuntiatum sint valida etiamsi non sint licita, consentit Rebuff. in *Concord.* tt. *de Excommunicatis vitandis, vers.* 6. cum alijs.

Excomm. denuntiatū posse esse Tabellionem negāt multi.

In conscientia valida esse ipsius instrumenta docent Suarius & Diana.

892. Alij verò absolutè putant esse nulla; ita Syluest. *Excommunic.* 3. n. 2. circa finem. Henriquez c.9.n.3. Auila c.6. disp. 6. dub. 5. qui refert Fridericum, Ripam, Glossas, Francum, Geminianum & Ancarran, & probat ex prædicto c. *Nullus* illis verbis *neque à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur*, quod si credenda non sunt non habēt vim faciendi fidem.

Alij acta ipsius putant absolutè nulla.

893. Contra hunc tamen Textum opponit Suarius, quòd ille non loquatur specialiter de Tabellione; sed de omnibus excommunicatis; Sicut neque *cap. 1. de exceptionibus in 6.* qui Textus ab aliquibus affertur apud Dianam 5. part Tract. 9. Resol. 112. Si ergo non obstante hoc Textu accusatio, & testimonium non sunt nulla ipso facto, vt tenet communis opinio; sicut, nec contractus facti excommunicato pari ratione, nec acta à Tabellione, quamuis ex consuetudine ipsâ infirma sint, & nulla, saltèm in foro exteriori. Accedit pro sententiâ Suarij quod Tabellio non habet propriè iurisdictionem, vt latè probat Panormit. c. *Sicut. Ne Clerici, vel Monachi*: illa autem irrita censentur, quæ fiunt, tanquàm ex officio iurisdictionis propriè ab excommunicato vitando. Legatur Vgolinus e. tt. Reginald. lib. 3t. c 6. n. 31. & sequentibus. Coninc dub. tt. à. n. 11 t. Suarius citatâ *disp.* 16. *sect.* 5. Filliucius Tract 12. *c.* 7. qui rectè explicant. & confirmant prædictam sententiam. Vide Dianam eadem Resol. 112. vbi alios affert etiam in contrarium. Pro sententia verò sua etiam alios refert. Hæc omnia satis probabiliter dicta videntur, pro valore in foro conscientiæ. Non possum tamen non videre esse satis probabile quòd absolutè non valeant scripta, quia Textus ille expresse loquitur de scriptis & fidem illorum eneruat. Certè non malè notat Hurtado *de Censuris disp.* 8. *diff.* 5. in illo Textu omnem fidem adimi. Quòd si contrahentes aliqui scientes id; nihilominùs conveniant, valebit quidem conuentio ipsa secundum se, vt conuentio est, non verò ex vi scripturæ nitentis testimonio & fidei Tabelionis, cum Hurtado consentit Faber apud Dianam suprà.

Opponit Suarius.

Authoris Iudicium de vtraq; opinione.

894. Vlterius excommunicatus denuntiatus non potest esse talis neque in iudicio, neque in contractibus, aut scripturis; Si tamen sit testis, eius acta valida erunt; nisi, quando in iudicio recusatur, & repellitur, vt contrà aliquos rectè defendit Suarius, qui addit etiamsi non sit denuntiatus, posse recusari, si probetur excommunicatio, & debet admitti recusatio, vt cum alijs docet Layman *suprà n* 14. nunquam tamen peccat mortaliter testificando veritatem, etiam si denuntiatus sit; quia hæc actio priuata est, & personalis, non à potestate aliquâ, seu ministerio publico, ita Caietanus, Armilla vterque Sotus, Henriquez & Suarius suprà, & alij multi. legatur Diana suprà Resol. 113. vbi hæc ex alijs confirmat; deberet quidem Iudex repellere sed, si non repellatur, valebit testimonium. De teste etiam excommunicato, an pro valore matrimonij admittendus, dixi & affirmaui in proprio *Tractatu disp.* 3. *dub.* 18. & affirmat Diana ibi cum alijs.

Denuntiatus non potest esse testis.

895. De Aduocato etiam idem dicendum est, tam, quoad peccatū, quàm, quoad valorem eorum, quæ agit, quod dictum est de teste; est enim eadem ratio, atque eodem modo loquuntur Authores, constatque de vtroque ex c. *Decernimus, de sentent. Excommunic.* in 6. & ex c. *intelleximus*, de *Iudicijs.* Vide Dianam suprà Resol. 114.

De Aduocato idem dicendum quod de teste.

896. Illud tamen addunt prædicti Canonistæ, quod suam habet quæstionem, scilicèt interim, dum est denuntiatus, non posse accipere stipen-

stipendium pro labore; hoc tamen, teste Suario, & aliquibus alijs, solùm est verum, quando recusatur in iudicio, & pars, quæ perijt patrocinium ignorabat excommunicationem; tunc enim labor redditur inutilis sine culpâ suæ partis; imò tenebitur etiam aduocatus ad alia damna; si quæ sequantur. Ita Layman, & alij suprà, Auila disp. 7. dub. 3. Bonacin. infra citandus.

De Procuratore doc. sicut de actore. 897. Eodem modo philosophandum est de Procuratore, atque philosophati sumus de Actore; est enim eadem ratio vt latè probat Suarius suprà, & docet etiam Layman, cũ alijs. Vide Dianam proximè citatum.

Irrita esse quæ agit Tutor aut Curator excomm. docet authores. 898. De Tutore, aut Curatore excommunicato communiter docent Authores esse irrita, quæ agit. Suarius tamen optimè probat tantùm esse irrita, quando opponitur exceptio, & recusatio. De peccato autem idem dicendum est, quod de Actore, & procuratore. Legatur pro prædictis omnibus Bonacin. disp. 2. q. 2. puncto 7. & Diana suprà Resol. 115. vbi alios refert pro sententia Suarij. *Non semper tamen esse irrita bene probat Suarius.* Pro prædictis omnibus vniuersim Textibus qui contrà eorũ valorè afferuntur non videntur probare nisi quòd possint repelli, & irritari; non verò quòd, si non irritentur non valeant. Ita Suarius & alij. Legatur etiam idem Diana part. 8. Tract. 5. Res. fol. 2. vbi contrà Sanchez & alios probat contendit non posse excommunicatum in exceptorem testamenti. Potest verò extra iudicialiter, quæ sunt eius officij Tractare, vt docet Sanchez *tom. 2. opusc. lib. 4. c. 1. dub. 40. n. 11.* Lugo & Spinus ibi à Diana relati maximè cum id officij non sit in commodum excommunicati, sed aliorum nempe Testatoris & legatarij. Neque contra hoc aliquid probant instantiæ, Iudicis actoris, aduocati & similium, de quibus diximus. Nam iudex expressè priuatur iurisdictione, & suum officium non est extra iudiciale, vt patet; cæteri verò, si non repellantur, & irritentur, possunt agere, (iuxta dicta) opponendo exceptionem, & recusationem, hàc verò obiectâ, facilè admiserim nihil valere acta ipsius pro tunc, dummodo, exceptio obiecta, & probata fuerit, vt tandem idem Diana ibidem in fine cum Carpio docet. Itaque si eligatur executor, Tutor & similes ante excommunicationem, & posteà exerceant suum officium & non repellantur modo prædicto, & licitè & validè operantur, validè quidem iuxta dicta, licitè verò, quia præstant officium quod tenentur præstare, idque non prohibetur excommunicat one ipsa verò electio potest quidem esse illicita propter generalem prohibitionem sub excommunicatione minori agendi cum excommunicato, & hoc etiam potest excusari ob necessitatem, quando non facilè potest alius inueniri pro tali officio, si verò non sit denuntiatus, licitè potest eligi, quamuis posset repelli. Vide dicta n. 467.

899. Tandem illud aduertendum est, quod est commune satis, & vulgatum, iamque suprà indicauimus, excommunicatum scilicet anno integro in excommunicatione perseuerantem contumaciter, & (vt Iure loquuntur) in sordescentem, suspectum esse de Hæresi, vt contrà ipsum procedi possit, tanquam contrà sic suspectum, vt constat ex Tridentino sess. 25. c. 3. de reform. *Quando perseuerans in excomm. sit de Hæresi suspectus.*

DISPVTATIO TERTIA.

De absolutione ab Excommunicatione, & de varijs excommunicationibus reseruatis à Iure vel ab homine

1. Solent disputare hîc Authores seorsum de excommunicationibus aliquibus insignioribus, vt de excõmunicatione ob violentam manuum iniectionem in Clericos, & ob Hæresim, vel lectionem librorum prohibitorum, & ob duellum; item ob coactionem fœminæ ad vitam Religiosam, vel tetractionem ab illa. De his tamen & similibus alijs agemus in hac disputatione occasione sumptâ quãdo disputemus de Censuris reseruatis. *Diuisio huius disputationis.* Diuidemus autem hanc disputationem, quantum, attinet ad absolutionem Censurarum in quatuor sectiones seruato semper eodem numero dubitationum. In prima agemus de ijs, qui possunt absoluere ab excommunicatione; in secunda de ijs, qui possunt absolui, & demodo illos absoluendi: in tertia de forma, & ritu seruandis in absolutione, & de varijs absolutionibus, quæ dari possunt: in quarta sectione descendemus ad prædictas excommunicationes, & aliquas alias, & ad id, quod in particulari pro illarum absolutione occurrerit obseruandum.

SECTIO PRIMA.

De ijs, qui possunt absoluere ab Excommunicatione.

2. Quamuis multa ex ijs, quæ dicemus in hac & sequentibus sectionibus præcipuè videantur pertinere ad excommunicationem simul tamen ad alias Censuras applicari possunt, & pro illis seruient, vt ex dicendis constabit. *Dicta alijs censuris præter excomm. applicari.*

DVB-

DVBITATIO I.

An non ſacerdos poſsit abſoluere ab excommunicatione?

Aſſertio non ſacerdos non poteſt abſoluere ab excommunic. Author non negat probabilitatem contrariæ opinionis, pro articulo mortis.

3. ASſerendum eſt neminem non ſacerdotem poſſe abſoluere ab excommunicatione, aliâue Cenſurâ. Hanc aſſertionem etiam pro articulo mortis, tanquàm probabiliorem amplector, non negatâ probabilitate alterius opinionis: Noſtram verò ſequuntur grauiſſimi, & ſapientiſſimi Doctores, Paludanus *in 4. diſt. 20. q. 1. art. 2.* Sotus *diſt. 18. q. 4. art. 4.* Nauarrus *c. 26. n. 26. & in c. 1. de Pœnitentia in principio n. 84. diſt. 6.* Couarr. *c. Alma. p. 1. §. 11. n. 9.* Suarius de *Cenſuris diſp. 7. ſect. 6. & 7. n. 6.* Coninc *diſp. 14. dub. 16. n. 236.* Layman *lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 6. n. 2.* Sanchez *lib. 2 moralium c 13. n. 13.* & alij multi inter quos Molin. de Iuſtitia tom 4. diſt. 63. n. 3. Vaſquez de *Excommunic. dub.* 18. Filliucius & Bonacina, quos refert Caſtro Palao, diſp. 4. puncto 3. §. 5. n. 14. villalobos Garcia quos refert Diana & ſequitur part. 3. Tract. 4. Reſol. 133. & poſt illos lugo de Fide diſp. 23. n. 111.

Fundamentum aſſertionis.

Quorum fundamentum eſt quia licet Eccleſia poſſit committere non ſacerdotibus, imò, & laicis eam abſolutionem; id tamen huculque non fecit; neque vllo Iure, aut conſuetudine probari poteſt, & fortaſſe non expediret fieri, vt inde maior æſtimatio ſit Cenſuræ, cuius abſolutio non ab alio, quam à Presbitero poſſit; maximè cum rariſſimè accidat, vt nullus presbyter ſit, qui excommunicatum abſoluat moriturum, qui per contritionem à peccatis liberatus, quod attinet ad Cenſuras, poterit poſt mortem abſolui.

4. Et quidem de merè laico nobiſcum etiam ſentit Auila de Cenſuris, & aliqui docti Recentiores.

Oppoſitam ſententiam ſequuntur varij authores.

5. Oppoſitam nihilominùs ſententiam ſequuntur aliqui Authores non contemnendi, quos refert, & ſequitur Henriquez *lib. 6.* de *Pœnit.* c. 9. n. 3. in Textu & in *cōment.* litera S. T. V. & lib. 13. c. 27. n. 4. Gloſſ. in c. *Paſtoralis. §. præterea de off. ordinarij.* Panormit. ibidē, & in c. *A nobis 2. de ſentent. excōmunic.* Gloſſ. & Felin. ibidem. Syluest. verb. *Abſolutio 1. n. 8.* Angelus *Abſolutio 3. §. 17.* Armil. ibi *n. 39.* Ioann. Valerius, Ioannes Sancius Philip. de la Cruz. Philiberius Marchinus & alij apus Dianam plures tùm loco citato, tùm 5. parte Tract. 3. de caſibus occurrentibus in art. mortis Reſol. 7.

Probant 1.

Probant primo; quia c. *Sanctum* de *Conſecratione*, diſt. 4. quidam in naufragio fuit reconciliatus Eccleſiæ per quendam Laicum recenter Baptizatum. Hoc tamen argumentum nihil probat; nam ille non erat excommunicatus; ſed agebat publicam pœnitantiam, & reconciliationem illam non fuiſſe veram abſolutionem à Cenſura, ſicut neque à peccatis; ſed fuiſſe deprecatoriam orationem latè probant Authores citati; & in eundem ſenſum explicant Auguſtinum, ſeu Authorem de *verâ, & falsâ pœnit.* c. 10. relatum *in c. Quem pœnitet.* de *Pœnit diſt.* 1. vbi ait. *Et ſi ille, cui confitebitur, poteſtatem abſoluendi non habet, fit tamen dignus veniâ ex ſacerdotis deſiderio, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.* Accedit, quod illa hiſtoria non narratur ab Auguſtino (in illo c. *Sanctum.* ex quo ſumpta fuit) tanquàm certa; ſed dubia potiùs.

Probant 2.

6. Probant 2. quia in articulo mortis concedit Eccleſia facultatem abſoluendi à peccatis cuicumque ſacerdoti etiam ſimplici; quia eſt capax huius poteſtatis: ergo etiam concedit facultatem abſoluendi ab excommunicatione cuicunque capaci huius iuriſdictionis; talis autem eſt etiam non ſacerdos inferior Clericus etiam primæ Tonſuræ, aut etiam laicus: ergo cenſetur Eccleſia illis concedere in eodem articulo mortis eam facultatem.

Reſp. Ratio ob quā Eccleſia cōcedit abſoluendi facultatem ſimplici ſacerdoti in articulo mortis à peccatis & non a Cenſuris.

7. Reſpondetur ex dictis propter ſummam, & maiorem neceſſitatem, &, quia ſacerdos eſt miniſter Sacramenti abſolutionis, &, quia illa abſolutio non poteſt dari poſt mortem; meritò Eccleſiam concedere iuriſdictionem requiſitam ad abſoluendum; non verò concedere facultatem abſoluendi à Cenſuris prædictis omnibus perſonis; quia, nec neceſſitas eſt tanta, neque impoſſibilitas remedij, cum poſt mortem poſſit ille excommunicatus abſolui, vt dictum eſt.

Ex dictis à fortiori ſequitur.

8. Ex his patet à fortiori multò minùs concedendam eſſe hanc poteſtatem fœminæ, & omnino laico, etiamſi prædictis authoribus cōcederemus Eccleſiam, vel dediſſe, vel poſſe dare Iuriſdictionem fœminis, aut laicis ad ferendam Cenſuram. Qua de re egimus diſp. 1. dub. 6. §. de *fœmina verò.* & deinceps. imò, ſi eorum fundamentum valeret non fœminis tantum ſed non baptizatis viris & fœminis poſſet dici eam facultatem eſſe conceſſam (quod tamen nemo ſomniauit) nam & ijs poſſet Eccleſia eam facultatem concedere.

Iuxta graues authores quicumq. Clericus de ficiente ſacerdote poteſt abſoluere a Cenſura moriturum.

9. Nihilominus cum Sanchez citato c. 13. n. 13. & alijs, quos refert, quod ad praxim attinet, ſuppoſito, quod graues Authores cenſeant quēcumque Clericum primæ Tonſuræ deficiente, ſeu nolente ſacerdote poſſe abſoluere à Cenſurâ maximè, ſi ſit Vicarius Epiſcopi aut etiam licet moriturus nōn ſit eius ſubditus debere vtique abſoluere conformans ſe cum opinione probabili; qui ea abſolutio (inquit Sanchez) obeſſe nequit, & proderit vt is tutâ conſcientia ſepeliri in Eccleſia valeat, poſſintque pro eo offerri Sacrificia ſequendo opinionem probabilē dicentem abſolutionem ualere.

Reijcitur opinio Henriquez.

10. Meritò autem reijcit Sanchez, quod dixit Henriq. citatō lib. 6. c. 9. n. 3. prodeſſe ſcilicet eam abſolutionem, vt poſt mortem poſſit ille à quouis ſacerdote, cum tamen alias non poſſet; abſolui, ſi excommunicatio eſſet reſeruata; ſed à ſolo ſuperiori; cui abſolutio reſeruata erat à quo ſolo eſt impetranda iuxta citatum c. *A nobis 2. de ſenten. excommunic.* Hanc (inquam) doctrinam meritò reijcit Sanchez, quia ſi valuit abſolutio, nulla amplius eſt neceſſaria; ſi non valuit, ea nullum Ius abſoluendi ſacerdoti præbet quia dictum c. *à nobis*, id non concedit, etiam in eo dubio.

Quoad laicū aliqui docēt illū nō poſſe.

11. Quod verò attinet ad laicum, aliqui ita mordicus tenent & pro comperto habent illum non poſſe abſoluere, vt omnino putant non debere abſoluere in tali caſu.

Aut hor.

12. Mihi tamen cum eodem Sanchez ibidem aſſe-

Ioan. de Dicaſtillo de Cenſur. P

tamen asserit deficiente Clerico debere laicum absoluere a prædicta excommun.

asserendum videtur, etiam hunc deficiente Clerico debere absoluere à prædictâ excommunicatione, quia sic sentiunt multi graues Authores, quos refert Suarius citat. disp. 7. sect. 7. n. 4. & alij, quos refert Sanchez, scilicet Antonin. 3. p. tit. 17. c. 4. casu 7. Ledesma 2. p. 4. q. 26. art. 1. Margarita Confessorum. fol. 139. Bartholom. à Ledesma de Sacram. agens de excommunic. dub. 14. & alij apud Vasquez de Excommunic. dub. 18. n. 8. scilicet Syluest. verb. Absolutio 1. §. 4. colũ n. 4. Angelus verb. absolutio 3. §. & alij Canonistæ, eandemque probabilem putat præter Sanchez Auila disp. 1. dub. 3. Castro Palao, Diana & alij. Et rationem, quâ ducuntur isti Authores, appellat Sanchez optimam rationem congruentem. Cum ergo (inquit ille) ea opinio non sit probabilitate destituta, potest, ac debet amplecti in casu tantæ necessitatis, vt eam sequendo possit ille in loco sacro sepeliri, & pro eo sacrificia offerantur. Difficilem tamen hanc obligationem putat Lugo n. 114. licèt sententiam primam probabilem ob authoritatem putet. Probat hoc latè. Probationis summa est, quod Ecclesia iuxta nostram sententiam potuit negare & negauit, seu non concessit eam facultatem alijs non presbyteris iuxta nostram sententiam sine vllo peccato. Cùm tamen Ecclesia magis quàm priuatus quisque teneatur ex charitate liberare pœnitentem ab illo malo, ergo neque priuatus laicus peccabit non liberando. Probabilis sanè ratio; sed non conuincit. Nam Ecclesia potest in hoc ipso punire peccatorem si velit in pœnam delicti; si tamen non faciat, rationi dissonare videtur, vt priuatus quisque, si potest, probabile remedium adhibere tàm facile, id non faciat, cùm superior non sit ad id negandum in pœnam, & relinquendum proximum in tanto malo. Adde quod iuxta alteram sententiam ille laicus est Iudex ab Ecclesia designatus pro eo articulo; atque adeò debet facere quod Ecclesia per suum Presbyterum deberet facere si is adesset. Nemo autem dicet quòd ille presbyter non teneatur, si videat pœnitentem dispositum, ergo & laicus; si supponamus tunc esse iudicem, tenebitur, ex quo nihil probat exemplum vulgare, quod affert idem Author nu. 115. de eo qui haberet à principe facultatem liberandi à morte damnatum à Iudice quem non tenetur liberare. Si enim ille liberare potens esset Iudex potens ferre sententiam, & damnatus ille dignus esset obtinendi sententiam in sui fauorem, imò & secundum leges deberetur illi absolutio, male faceret Iudex illi negans talem absolutionis sententiam, sub ijs circumstantijs. Hæc autem omnia concurrunt in nostro casu, in quo laicus supponitur Iudex; pænitens verò petens expressè vel virtualiter sententiam absolutionis, & hæc secundum leges debetur illi à legitimo Iudice si habeat requisitam resipiscentiam in eo articulo possibilem. Qui verò non vt Iudex, sed ex mera gratia posset remittere pœnam mortis, nollet impedire cursum Iustitiæ (vt aiunt aliqui Iuristæ) non peccaret non liberando alioquin dignum tali pœna. In nostro autem casu ille iam pænitens & obedire paratus non est amplius dignus qui sic maneat; id enim habet censura vt positis requisitis sit statim absoluendus ille. Omitto alia quæ ibi habet Lugo, de quibus partim egi in Tract. de Pænitentia vel in sequentibus loco magis opportuno dicemus.

Difficilem tamen hanc obligationem putat Lugo.

Probat hoc.

Rationem Lugonis probabilem iudicat author sed non conuincentem.

DVBITATIO II.

Quis possit absoluere ab excommunicatione Iuris nemini reseruata?

13. Asserendum est primò ab excommunicatione lata per ius siue commune, & Pôtificium, siue particulare, v. g. per Constitutionem Synodalem, aut statutum Episcopale absolui vnusquisque potest à proprio Episcopo, vel Episcopalem iurisdictionem habente, imò etiam à proprio Parocho, vel qui Parochi vices gerit, dummodo conditor legis, aut statuti non sibi reseruauerit absolutionem. Vnde ab eâ excommunicatione Iuris non reseruatâ quilibet sacerdos expositus absoluere potest. Hæc assertio ab Authoribus elicitur ex c. Nuper de sent. Excommunic. vbi Pontifex interrogatus an excommunicatus minori excommunicatione propter participationem cum excommunicatis possit absolui à quocumque sacerdote, etiam simplici? respondet posse à suo Episcopo, vel à proprio sacerdote: quamuis autem Pontifex tantum loquatur hic de excommunicatione minori; ratio tamen, quam reddit, etiam locum habet in excommunicatione maiori. Ait ergo Pontifex: *quamuis enim tunc non Iudicis; sed Iuris sententiâ excõmunicato cõmunicans sit ligatus, quia tamen conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* Vnde Angelus. Syluest. & Nauarrus infra citandi putant hunc Textum esse quasi expressum pro nostrâ totâ assertione. *Assertio 1.* *Ratio assertionis.*

14. Vlterius probat rectè Sotus infra citandus, quia, si eo ipso, quo excommunicatio est lata à lege, vel statuto, esset reseruata conditori talis legis, vel statuti; non opus esset, quod Pontifex, vel Episcopus reseruaret sibi aliquas excommunicationes, quia omnes essent reseruatæ.

15. Illud verò primò est notandum circa hanc assertionem, quoad primam illius partem, nempe quod Episcopus possit absoluere subditos suos ab excommunicatione Iuris non reseruatâ, omnes Authores concedunt; & similiter omnes fatentur hoc ipsum posse quoscumque habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem, & potestatem in foro exteriori, quales sunt aliqui Abbates, Priores Archidiaconi, & in religionibus Generales, & Prouinciales, & in aliquibus Guardiani, Priores, & Rectores. Quod verò idem possint Parochi (& consequenter alij sacerdotes communiter expositi) negant Paludanus in 4. dist. 18. q. 5. Durand. q. 4. Tabiena verb. Absolutio 2. n. 1. & 4. Couarr. c. Alma. p. 1. §. 12. n. 4. & 5. Vgolin. tabul. 1. c. 10. §. 5. qui alios citant. Probant verò Durandus, Paludanus, & Tabiena, quia ad absoluendum ab excommunicatione requiritur iurisdictio in foro exteriori, quam tamen non habet Parochus. Couarr. verò, & Vgolinus probant, quia, licet hoc *Nota circa 1. partem assertionis.*

con-

conceſſerit Pontifex in illo c. *Nuper.* tamen hanc conceſſionem abrogatam eſſe putant per contrariam conſuetudinem, quia communi praxi (inquiũt) receptum eſt vt Parochus à nullâ Iuris excommunicatione abſoluat. Imò adducit Couarruuias aliqua Iura quæ inſinuant talẽ conſuetudinẽ, & praxim contrariam illi conceſſioni.

16. Verum, vt rectè expendit Suarius diſp. 7. ſect. 3. num. 26. & 32. ex illis Iuribus nihil certi poteſt elici; nam licèt in Clem. 1. de *Priuilegiis.* In principio, & in Extrauag. 1. eodem titulo in communibus. §. *vt autem.* dicatur nihil plus habere Religioſos, quàm Parochos in Confeſſionibus audiendis, & poſtea. §. *obſeruent,* dicatur quod non debeant admittere excommunicatos à Iure, quia cum non poſſint abſoluere ab excõmunicatione; neque à peccatis poterunt; tamen, vt ibi notat Gloſſa, & ex antecedentibus, & conſequentibus colligitur, Pontifex loquebatur de excommunicatis excommunicatione à Iure reſeruatâ.

17. Quamobrem Suarius putat pro Parochis conſulendam eſſe conſuetudinẽ, nam Religioſi iam habent ampla priuilegia, & vbi non conſtiterit de tali conſuetudine, ſtandum eſſe prædicto Iuri contento in dicto c. *Nuper.*

Authoris Iudicium.

18. Mihi tamen videtur nihil eſſe curandum de tali conſuetudine, quia nulla talis conſuetudo apparet ſaltem pro foro pœnitentiæ, ſeu conſcientiæ, cum tot, & tam graues Auctores antiqui, & moderni abſolutè, & ſine vllâ limitatione affirment, & aſſeuerent poſſe propter dictum c. *Nuper.* Parochos & proprios Sacerdotes abſoluere ſuos ſubditos ab excommunicatione Iuris non reſeruatâ. Ita D. Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 2. quæſtiun. 1. ad. 2. & 3. p. q. 23. art. 1. Syluest. verb. *abſolutio.* 1. art. 4. & 5. Angelus *Abſolutio.* 1. num. 2. Armil. verb. *abſolutio,* num. 35. & verbo *Caſus,* num. 5. Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. concluſ. 3. Ledeſma. 2. p. 4. q. 26. art. 1. Henriq. lib. 13. c. 28. nu. 5. & c. 35. num. 2. Auila. p. 2. c. 7. diſp. 1. dub. 4. Tolet. l. 1. c. 16. Coninc diſp. 14. dub. 16. num. 232. Sa, verb. *Excommunic.* §. *Abſolutio ab excommunicatione.* n. 15. Valentia tom. 4. diſp. 7. q. 17. puncto. 8. Laym. lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 5. & 6. num. 1. imò & Suar. ipſe citata diſp. 7. ſect. 3. num. 23. 26. & 32. & ſect. 4. num. 9. aliiſque multi recentiores communiter Filicius c. 9. quæſito, 15. Reginald. lib. 9. num. 12. qui omnes extendũt hanc doctrinam ad reliquas Cenſuras, niſi fiat peculiaris aliqua exceptio.

Poteſt Sacerdos proprius abſoluere ab Excommunic. Iuris non reſeruata ita D. Thom.

Ad argumentum in contrarium poſitum, n. Reſp.

19. Ad argumentum autem Paludani, & aliorum, reſpondetur ad abſoluendum ab excommunicatione per ordinariam poteſtatem requiri iuriſdictionem in foro exteriori, ſicut etiam ad excommunicandum; vnde concedendum eſt Parochum, ſicut non poteſt excommunicare, ita neque abſoluere; ex conceſſione tamen Papæ benè poſſe habere facultatem ad vtrumque, vel ad alterum tantùm. Itaque de facto habet à Papa poteſtatem ad abſoluendum; non tamen ad excommunicandum; alias eodem argumento probaretur non poſſe Parochum abſoluere ab excommunicatione minori (quod eſt abſurdum) quia etiam ad hanc requiritur exterior iuriſdictio.

20. Ad argumentum verò petitum ex conſuetudine iam diximus de illâ non conſtare, cũ eam tot etiam moderni Scriptores non agnoſcant, ſaltem, quoad forum internum, quamuis eam concedant quoad externum, exiſtimantes non valere pro foro externo abſolutionem à Parocho, vel à gerente vicem Parochi; valere tamen, quæ datur ab Epiſcopo, vt docet Nauarrus, Gutierrez, & alij.

Ad argumentum à conſuetudine petitum.

21. Hoc autem totum quod diximus, intelligendum eſt ſiſtendo præciſè in Iure communi, fieri autem poteſt, vt in aliquibus locis, ſeu diœceſibus ſpeciali Iuri ſtatutũ ſit ne Parochi, vel alij Sacerdotes abſoluant à Cenſuris exceptâ minori excommunicatione. Ita Sayr. Quaranta, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina diſp. 1. *de Cenſur* q. 3. num. 9. & Suarius citatâ ſect. 3. nu. 30. & ſect. 4. num. 20. expreſsè aſſerit cum Couarruu. & Vgolino, quos refert, poſſe conſuetudine introduci, vt non poſſint prædicti Parochi, aut alij Sacerdotes à Cenſuris abſoluere.

Dicta intelligenda ſunt ſiſtendo præciſè in Iure communi.

22. Dubitari verò poteſt primò an poteſtas, quam habet Parochus per dictum c. *Nuper.* abſoluendi ab excommunicatione Iuris non reſeruatâ ſit ordinaria, vel delegata?

Dubium circa poteſtatem abſoluendi ab Excommunicatione quam habet Parochus.

23. Sotus, & aliqui alij videntur aſſerere eſſe ordinariam, idque expreſsè aſſerit Suarius, & latè probat diſp. 7. Sect. 4. num. 15. Ex quo principio deinde num. 19. cum Vgolino, quem refert, docet talem abſolutionem valere pro foro externo, perinde atque valet data ab Epiſcopo. Probant, quia c. *nuper* indiſtinctè, & æqualiter dat facultatem Parocho ſicut Epiſcopo: ergo non eſt potior ratio affirmandi de vno, quàm de altero. Secundò; quia ſi Parochus habet eam tantum delegatam, non poterit alteri delegare; ac proinde, qui de licentia Parochi poſſet abſoluere illius Parochianos, non poſſet illos abſoluere ab excommunicatione, ſed tantum à peccatis.

Sotus aſſerit illam eſſe ordinariam cum Suario.

Probant.

24. Probabilius nihilominus videtur Epiſcopum & quemcumque Prælatum habentem Ordinariam iuriſdictionem in foro externo accipere prædictam poteſtatem directè, & tanquam ordinariam pro foro etiam externo. Vnde ſi ſupponamus probabilem opinionem, quòd non ſacerdos poſſit abſoluere ab excommunicatione, dicendum eſt conſequenter talem Prælatum poſſe, etiamſi non ſit ſacerdos, abſoluere à tali excommunicatione, etiam pro foro externo. Parochum verò ſeu quemlibet proprium Sacerdotem tantùm accipere illam indirectè per delegationem, & tantùm pro foro interno Pœnitentiæ, ſeu Conſcientiæ. Ita expreſsè docent S. Thomas, Syluest. Nauarrus, Henriq. Sà. Auila ſuprà. Ratio verò diſparitatis eſt, quia iuriſdictio, quæ conceditur alicui ſub nomine dignitatis, & officij, quod exercet, eſt ordinaria, vt probat latè Couarruu, lib. 3. *variar.* c. vltimo. num. 6. & colligitur ex c. finali. *de off. ordinarij* vbi etiam id habet Gloſſa; ſed hæc facultas conceditur Prælatis ratione ſui officij, & dignitatis etiam pro foro externo, quod nemo negat, ac proinde conceditur illis directè, & per ſe, & tanquam ordinaria: Parochis verò & Confeſſarijs non conceditur ratione dignitatis, & officij; ſed ſolùm indirectè & in ordine ad abſolutionem à peccatis in foro occulto animæ, in quo (vt ait D. Thomas) ſolùm debet Deo ſatisfieri. Quod ſi publicè conſtet, debet homo ſe ſubijcere foro externo

Authoris Iudicium.

externo iudicio, ut homini etiam satisfiat. Vnde licet forum pœnitentiale (ait D. Thom.) sit dignius, tamen in foro iudiciali maior solemnitas requiritur. Quod autem Parochis seu Confessarius solùm detur hæc facultas in ordine ad absolutionem à peccatis, expressit Papa Benedictus 11. in Extrauag. citata *de priuileg.* §. *obseruent.* vbi ait: *Inconueniens existimamus, vt à peccato absoluat qui excommunicationem quæ infligitur, maxè à Iure, remouere non potest.* &c. Probatur præterea ex illâ regula iuris, *cui committitur aliquid faciendum, consequenter conceditur illud, sine quo id fieri nequit.* c. *Præterea.* de *off. Delegati.* & l. 2. ff. *de iurisdictione omnium iudicum.* Quia ergo ad commune bonum animarum, tam necessaria est, vt patet, absolutio à peccatis, & hæc dari non potest, nisi priùs tollatur Censura, &, quia Censura, ne sit in damnum animarum, tolli debet, cum primùm homo recedit à contumaciâ, & offert satisfactionem, vt patet in c. *Qua fronte de appellat.* Et sæpe alibi: ideò censuit Ecclesia valdè expediens, & necessarium, vt omnes Confessarij haberent hanc facultatem absoluendi ab excommunicationibus à Iure non reseruatis, quæ multæ sunt, & occultæ solent esse. Itaque sicuti absolutio à peccatis solùm est pro foro interno animæ, ita & absolutio ab excōmunicatione, quatenùs ea absolutio est necessaria ad aliam. Vnde patet solutio ad primùm argumentum Suarij. Ad secundùm verò respondetur nomine proprij Sacerdotis in Iure non solùm intelligi Parochum, sed etiam quicumque potest à mortalibus absoluere iuxtà dicta de *Pœnitentiâ.* Et patet ex c. *Omnis vtriusq; sexus de Pœnit. & remiss.* Vbi confessio annua dicitur facienda proprio Sacerdoti: nomine autem proprij intelliguntur omnes illi qui habēt iurisdictionem etiam delegatam, quales sunt Religiosi. Hac ergo ratione eo ipso, quòd aliquis Sacerdos accipit à Parocho facultatem audiendi confessiones suorum Parochianorum, dicitur proprius Sacerdos eorum; atque adeò eo ipso accipit à Pontifice per c. *Nuper* potestatem absoluendi eos ab excommunicationibus à Iure non reseruatis; atque hac ratione posse doctrinam nostram defendi & explicari expressè fatetur Suarius suprà n. 5.

Probatio ex illa regula iuris.

Ex his patet solutio ad 1. argumentū Suarij: Ad 2.

25. Illud autem addiderim standum scilicet esse consuetudini receptæ in diœcesibus particularibus; nam vbi receptum sit, vt absolutio data à Parocho, vel alio Confessario in foro externo non valeat, illi consuetudini stādū erit.

Addit Auctor.

26. Ex dictis aliqua pro praxi notanda colliguntur. Colligitur primò, non esse improbabilē sententiam eorum, qui dicunt quemlibet Sacerdotem, etiam simplicem posse absoluere ab excommunicatione minore, vt diximus disp. 2. dub. 8. in fine, quando saltem incursa fuit propter veniale peccatum, vt frequentiùs accidit; nam respectu peccatorum venialium iste potest, & debet dici proprius Sacerdos. Vnde ex regulâ traditâ, *cui committitur aliquid faciendum, consequenter conceditur,* &c. satis infertur posse prædictum consequenter absoluere ab excommunicatione minori, quæ impedit absolutionem venialium. Ideò hanc sententiam docet D. Thom. suprà quæstiunc. 5. ad primùm. Nauarrus c. 27. num. 28. Armill. sup. num. 37. Toletus, & Valentia suprà. V maldus in fine Tract. *de excom. minori,* & alij, quos retulimus disp. præcedenti dub. 8. citata, quamuis nemo, quem viderim, vtatur prædicto fundamento, sed alijs, quæ ab aduersarijs impugnantur. Legantur quæ ibi diximus. Vbi alios attulimus Auctores in fine dubitationis.

Ex dictis pro praxi. Collige 1.

27. Colligitur 2. ex dictis rationem decidendi contentam in dicto c. *Nuper* non esse formalem, vt aiunt, ac proinde, neque extendendam ad alios actus Iurisdictionis, præterquam ad absolutionem à Censuris, vt latissimè contrà aliquos Canonistas probat Suarius disp. 7. sect. 4. per totam; nam si consequentia esset formalis, & vniuersaliter bona dicere: *ille actus non prohibetur: ergo conceditur facultas ad illum:* sequeretur quod Episcopus posset dispensare in omnibus gradibus prohibitis in Matrimonio, & in temporibus Ordinationum; item quòd Parochus posset dispensare in statutis Episcopi contrà Textus expressos, & contrà rationem; nam vt alios Textus omittam in c. *Dilectus de tempor. Ordin.* supponitur Episcopum in lege Pontificia siue Iuris communis, non posse dispensare; nisi sit illi permissum; ergo non sufficit quòd non sit illi expressè prohibitum.

Collige 2.

28. Ex hac doctrinâ colligunt aliqui falsum esse axioma, quod ab aliquibus Doctoribus admittitur; scilicet quod, quidquid potest Papa in totâ Ecclesiâ, potest & Episcopus in propriâ diœcesi nisi prohibeatur, quia nimirum, etiamsi non prohibeatur, non poterit, vt declaratū est.

Ex hac doctrina colligunt aliqui.

29. Verùm, hoc ego non video quâ ratione inde colligatur, nā si Textus expressi docent, nō posse Episcopū dispensare in lege Pontificia: iā prohibetur Episcopus tali lege; ea enim lex ad omnes leges editas, & edēdas à Pontificibus extenditur, ac proinde quod ad praxim attinet, semper prohibitus est Episcopus dispensare; nisi vbi illi concedatur vel expressè, vel argumento saltem probabili colligatur esse concessum.

Authoris Iudicium.

Non potest Episcopus dispensare in lege pontificia nisi illi hoc concedatur.

30. Accedit quòd illud axioma non sub illis verbis, sed sub alijs aliquando diuersis solet circumferri, scilicet, *Id totum potest Episcopus in propriâ diœcesi, quod potest Papa in vniuersali Ecclesia, si non sit à Papa reseruatum.* Quod axioma si est verū, intelligendū est stando præcisè in Iure generali seclusis specialibus legibus, quas circa res, & casus occurrentes tulerit Pontifex, nimirū ad dispensandum, præcipiendum, mandandum, prohibendum, &c. v. g. sicut Pontifex potest dispensare in votis quibuscumque ex iustâ causâ: ita & Episcopus, si non sint à Pontifice reseruata. Item quomodò Pontifex concedit aliquam facultatem spiritualem ordinatam ad bonum animarum, illam ipsam poterit concedere Episcopus; nisi talis concessio sit à Pontifice reseruata. Vnde si aliquæ etiam leges ita ferri soleant à Pontifice, vt, nisi specialem aliquam prohibitionem, aut reseruationem contineant, censeantur commissæ arbitrio, aut iudicio Ordinariorum: tūc sicut Pontifex potest in tali lege dispensare, præsumitur etiam potestas dispensandi concessa, vel potiùs dicā, non ablata Episcopis pro cuiusque propriâ diœcesi. Itaque generaliter loquendo sic illud axioma intelligitur, vt nisi generalis, aut specialis prohibitio & reseruatio obstet, id totum possit Episcopus cum subditis atque Pontifex pro tota Ecclesia. Sed de hoc non nihil alibi diximus, & dicemus etiam in

Axioma quo dicitur, posse Episcopum in propria diœcesi quod potest Papa in vniuersali quomodo intelligendum.

Collige 3.

Tract.

Tract. de *Matrimonio.* Atque vno verbo eo ipſo quòd Pontifex aliquid vel præcipiat, vel prohibeat, niſi aliundè conſtet Epiſcopo permiſiſſe circa hoc diſpenſationem, non poterit Epiſcopus præcipere oppoſitum; poſſet autem; niſi in ſpecie, aut genere Pontifex hoc præueniſſet lege vel præcepto ſuo.

31. Colligitur 3. id, quod diximus de alijs Cenſuris reſtringendum eſſe, ad propriè dictā Cenſuram ita, vt Epiſcopus, & etiam Parochus poſſint abſoluere à ſuſpenſione Iuris non reſeruata; quando eſt vera Cenſura impoſita propter contumaciam; non verò; ſi impoſita ſit in pœnam, vt ad certum tempus duret aut perpetuò. Ita Gutierrez ſuprà cum multis, quos refert. Item Rodriguez ſuprà, & Suarius diſp. illa 7. ſect. 3. n. 2. quia ratio Textus communis eſt omnibus Cenſuris.

32. Sed, quod attinet ad Interdictum non videtur hæc doctrina poſſe habere locum vt enim rectè notat Suarius n. 30. in fine ſpecialis ratio eſt in Interdicto; tùm propter alia Iura, quæ ſpecialiter de illo diſponunt; tùm quia hîc agimus de Cenſuris latis à Iure. Interdictum verò non ſolet ferri à Iure; ſed ab homine, quāuis aliquando etiam à Iure.

Collige 4. 33. Colligitur 4. poſſe etiam Parochum, vel quemlibet alium proprium ſacerdotem abſoluere pœnitentem ab excommunicatione latâ per conſtitutiones Synodales, vel per Epiſcopum; dummodo non fuerit reſeruata, vt rectè docet Gutierrez ſuprà, Suarius ſect. illâ 3. n. 24. Auila ſuprà, & alij communiter. Imò addunt meritò Couarr. c. *Alma.* p. 1. §. n. 4. & Syluest. *abſolutio* 1. n. 7. etiamſi ſtatutum confirmatum ſit per Papam, quia nimirum ſtatutum confirmatur per Papam non debet eſſe maioris authoritatis, quā lex, aut ſtatutū ipſius Papæ.

Dubium 2. 34. Dubitari poteſt 2. an, ſi ſummus Pontifex concedat in Iubileo, vel extra Iubileum facultatem abſoluendi à Cenſuris, & caſibus reſeruatis, cenſeatur etiam concedere facultatem abſoluendi à caſibus, & Cenſuris reſeruatis ab Epiſcopo?

Reſp. Nauarrus negando. 35. Nauarrus in c. *Quoniam de Iudæis*, notabili 11. n. 71. negare videtur. & in *Manuali* c. 27. n. 261. Graff. lib. 4. *deciſionum* c. 15. n. 28. Farinaceus de *Hæreſi* q. 92. n. 63. & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina ſuprà, & apud Suarium infrà citandum. Ex his tamen Authoribus Nauarrus, & Graff. non clarè loquuntur; ſed tantum videntur facere huic ſententiæ; Nauarrus enim dicit cum Hoſtienſi & alijs, ſi in idem peccatum concurrant ſimul reſeruatio Epiſcopi, & Pontificis, ablatâ reſeruatione Pontificiâ, non cenſeri ablatam Epiſcopalem de rigore Iuris. Verùm, quod ad praxim attinet, hi Authores potius ſeruiunt pro oppoſitâ ſententiâ; nam non obſtante Tridentino ſeſſ. 25. c. 18. de *reform.* ſtatuente, vt Eccleſiæ Canones indiſtinctè ſeruentur, quorum vnus eſt, vt Epiſcopi poſſint ſuos caſus reſeruare, addunt nihilominus, & teſtantur per illam clauſulam hanc etiam poteſtatem conceſſam intelligi, idque eſſe vſu receptum.

Aſſertio. 36. Aſſerendum eſt cum Suario diſp. 7. ſect. 5. n. 14. per illam clauſulam cenſeri conceſſam poteſtatem abſoluendi à caſibus reſeruatis ab Epiſcopo non ſolùm; quia id habet vſus; ſed; quia (vt inquit Suarius) hæc intelligentia iuridica eſt, & veriſſima, atque in primis cum conſuetudo ſit optima legum, & priuilegiorum interpres ſignum eſt Epiſcopos videntes hunc vſum, & non reclamantes, eos ſentire in prædicto ſenſu intelligi poſſe, & intelligendam eſſe Pontificis conceſſionem.

37. Deinde, vt rectè notat Suarius, cum Vgulino, in Iubilæis eſt ſpecialis ratio, quia finis Iubilæi eſt, vt pœnitens poſſit diſponi ad lucrādam Indulgentiam mediâ abſolutione Confeſſarij à ſe electi; ad hunc autem finem neceſſaria eſt ablatio reſeruationis non tantùm Pontificiæ; ſed Epiſcopalis: ergo vt conceſſio ſit adæquata intentioni concedentis, extendenda eſt etiam ad caſus, & Cenſuras Epiſcopo reſeruatas. Ex quâ ratione ſumitur coniectura ſufficiens, vt colligamus Pontificem intellexiſſe illā clauſulam vniuerſalem illis verbis poſitam ſufficere ad explicandam illam ſuam volūtatem, & generalem conceſſionem.

38. Vnde vlterius nos colligere poſſumus (inquit Suarius) quandocumque ſit conceſſio illis verbis, etiamſi non ſit propter illum finem; ſed propter fauorem, & priuilegium alicuius Religionis, vel alium ſimilem finem, ſemper eſſe cum eàdem amplitudine declarandum; quia verba ſemper habent eandem ſignificationem, & præterea materia ſemper eſt fauorabilis, & amplianda.

39. Verùm hęc doctrina explicanda eſt iuxta ea, quæ diximus de Pœnitentiâ diſp. 11. dub. 9. vbi latè explicuimus quomodo tolli poſſit reſeruatio Epiſcopi per ablationem reſeruationis factam à Papa tam in caſibus cum Cenſura; quam ſine illâ; ibi legatur, pro caſu, in quo facultas concederetur à Papa tollendo reſeruationem ſuam quando verò ſolùm conceditur facultas abſoluendi manente alioquin reſeruatione, & lege reſeruātè, doctrina hîc tradita omnino vera eſt.

DVBITATIO III.

Quis poſſit abſoluere ab excommunicatione Iuris reſeruata?

40. ASſero 1. ille, cui eſt reſeruata, vel eius ſuperior, vel ille, cui ipſi commiſerint, & non alij inferiores regulariter loquendo poſſunt abſoluere. Dixi *regulariter loquendo*, propter caſus excipiendos ſequentibus concluſionibus. Probatur primò aſſertio, quia, ſi non ſit aliud impedimentum, eius eſt abſoluere, cuius eſt ligare: ſecundò; quia id eſt, quod operatur reſeruatio, ſcilicet non poſſe ab alio tolli, quàm ab ipſo ferente, vel ab eo, cui ipſe commiſerit: tertiò quia id habetur in ſepè citato c. *Nuper de ſentent. excommunic.* & multis alijs Iuribus. Vnde omnia Iura infrà citanda id omnino ſupponunt. *Aſſero 1.* *Probatur.*

41. Ex hac aſſertione colligitur primò à Cenſurà reſeruatâ Papæ neminem poſſe abſoluere; niſi ipſum vel ſede vacante congregationem Cardinalium, vel, cui Papa, aut congregatio *Ex aſſertione Collige 1. quoad abſolutionem Cenſuræ.*

Papæ reseruata. commiserint, vt rectè docet Henriquez lib. 13. c, 27. n. 3.

Colliges 2. quoad reseruatam Episcopo. 42. Colligitur 2. à Censura reseruatâ Episcopo posse absoluere tùm ipsum; tùm eius Vicarium, & Sede vacante Capitulum, & maximè Papam; non tamen alios; nisi de eorum commissione. Ita Henriquez suprà n. 3. & c. 24. num. 2.

Assertio 2. quilibet sacerdos in articulo mortis potest ab omni Censura absoluere. 43. Assero 2. quilibet sacerdos etiam simplex, deficiente proprio, & , etiamsi sit excommunicatus, seu præcissus, deficiente non præcisso, & etiamsi sit Hæreticus, deficiente Catbolico, in articulo, seu periculo mortis sicut potest absoluere ab omnibus peccatis, ita etiam ab omni excommunicatione etiam Papæ reseruata, & etiam in Bullâ Cœnæ: quæ omnia intelligenda sunt iuxta dicta, tum disp. præcedẽti dub. 32. tum maximè iuxta dicta de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 10. dub. 13. 14 15. vsque ad 18. vbi satis explicuimus quem ordinẽ debeat seruare absoluendus, vel absoluens, & an præsente proprio sacerdote habente ordinariam; aut delegatam Iurisdictionem possit quilibet sacerdos moribundum absoluere, de quo præcipuè dub. illa 14. ibi legatur.

Dubium. 44. Dubitabis tamen; quomodo philosphandum sit de absoluto in articulo mortis, si postea conualeat? an scilicet ea teneatur cõparere corã eo, à quo de Iure aliàs poterat absolui ita vt si non comparuerit reincidat in andem excommunicationem? qua de re breuiter egimus de *Pœnit.* Trac 8. disp. 11 dub. 14. vbi diximus teneri; estque communis sententia, quam sequitur Couarr. c. *Alma mater.* p. 1. §. 11. n. 6. in fine, & dicemus in *seqq.* præsertim dub. 11.

Resp. Si tamen talis conualeat tenetur comparere coram habente potestatem de Iure absoluendi.

Oppositam docet Nauarrus Henriq. 45. Sed oppositum docent Nauarrus c. 26. n. 26. §. *an autem.* Sà verbo *excommunicatio* §. *absolutio ab excommunicatione* n. 6. Henriquez lib. 13. c. 29. probant quia ex Concilio Tridentino loco citato omnis reseruatio cessat in articulo mortis neque vllam facit mentionem de tali obligatione: secundò, quia non videtur (ait Nauarrus) teneri ad parendum Iudici, si cum parte concordauerit, vel aliàs plenè satisfecerit, quia mens prædicti capitis illa videtur esse; magis autem est attendẽda mens ipsa legislatoris, quàm verba præsertim in foro conscientiæ. Hanc etiam doctrinam ampliat Henriquez *suprà* ad absolutum propter impedimentum etiam extra articulum mortis imò quoties plenè satisfacit parti, dicit non teneri comparere.

Illorum doctrinam rectè impugnat Suarius. 46. Hanc doctrinam Nauarri rectè impugnat Suarius *tomo 4. in 3. p. disp. 30. sect. 3. n. 6.* vbi rectè quidem probat *n. 7.* cum multis Authoribus, quod attinet ad peccata non habentia Censuram annexam, non remanere onus iterum comparendi, quando de facto ritè absoluta sunt in articulo mortis. Quod etiam nos verum putauimus locis citatis *de Pœnitentiâ* consonatq; cum doctrinâ ibi tradita disp. 11. dub. 13. 14. & 15. maximè in hac vltimâ, vbi id ex instituto probauimus, & diximus cum eodem Suario de facto saltem pro articulo mortis non fieri facultatem absoluendi à peccatis cum eo onere comparendi.

47. Sed quod attinet ad Censuras mihi non placet sententia Nauarri; sed opposita, quam loco citato sequuti sumus; nec mihi persuadeo Concilium voluisse derogare antiquis Iuribus præsertim cum nullum verbum derogatorium habeat, sed solùm contineat generalem doctrinam veram; Omisit verò alia, quæ, vt nota supponit; neque enim omnia semper repetenda sunt. Vnde si in alijs Iuribus eiusmodi obligatio reperiatur comparandi, adhuc perseuerabit. id autem statutum esse constat in c. *eos*, *qui de sententiâ excommunicationis*: quem Textum dub. illa 14. de *Pœnit.* retulimus, & sæpè alibi in eisdem dubitationibus.

48. Quòd verò tale onus comparendi solùm imponatur, vt integrè parti læsæ satisfiat (quod intendebat Nauarr. falsum omnino puto; tùm; quia sæpè nulla est pars læsa præter Iudicem, vel superiorem, cui non paretur; tùm; quia præter satisfactionem parti læsæ faciendam, & illâ iam factâ præcipitur ijs, qui prædictos absoluunt etiam in articulo mortis, vt ab illis iuramentum accipiant, quo promittant, quod ablatâ infirmitate, aut alio impedimento, se præsentabunt Sedi Apostolicæ, vel legitimo superiori; non quidem , vt absoluantur quia iam sunt absoluti , sed vt pareant mandato talis superioris, hoc est, vt Ecclesiæ satisfaciant pro contumaciâ; quia ita expedit fieri ad seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ, & vt Censura magis timeatur. Quod autem præter satisfactionem partis, vt illâ iam factâ requiratur illa præsentatio coram legitimo superiore, &, quòd sit necessariò talis præsentatio iniungenda ab absoluente, habetur non solùm in citato c. *eos qui*, sed expressiùs adhuc in *c. ea noscitur de sentent. excommunic.* quod autem ea præsentatio sit ad prædictum finem probat Suarius *disp. 22. sect. 1. n. 61.* Hoc ipsum docent Azor *tomo 1. lib. 8. c. 10.* in fine, & Henriquez *lib. 7. c. 13. litera A. in Gloss.* qui docent eum, qui absoluit Hæreticum in articulo mortis, teneri eum monere de obligatione comparendi , etiamsi habeat Bullam , in quâ concedatur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ , & vniuersaliter, tenet Henriquez *lib. 6. c. 10. n. 11.* & Sanchez in *summ. lib. 2. c. 13. n. 29.* vbi inpugnat Nauarrum eodem modo, atque Suarius, quia nimirum huius præsentationis adæquatus effectus, & finis non est prædicta satisfactio partis læsæ, sed est , quasi pars pœnæ ab Ecclesiâ tali delicto imposita, & ordinatur ad specialem satisfactionis modum , & obedientiæ Ecclesiæ exhibendum, maximè cùm in cuiusuis excommunicationis reseruatâ absolutione hoc onus imponendum sit, & non omnes excommunicationes satisfactionem partis annexam habeant , vt dictum est. sed de hoc legantur, quæ dicemus dub. 11.

49. Rectè autem notat Suarius suprà, & Sanchez n. 28. cum alijs Vasquez de *Pœnit.* q. 93. art 1. dub. 6. n. 14. illum, qui non comparet; sic absolutus reincidere in excommunicationem reseruatam non quidem propriè eandem; sed aliam similem propter inobedientiam non comparendi; sed appellati solet eadem; quia fundamentum habet in priori incursâ, & in delicto, propter quod prior incursa fuit; &, quia similiter est reseruata, atque prior, qua de re etiam *Qui non comparet, sic absolutus reincidit in Excomm. reseruatam.*

diximus

diximus disp. illa, 11. *de Pœnit.* dub. 15. num. 232, & in hoc sensu admittenda est doctrina Lugonis de Pœnitentia *disp. 20. num.* 212. *& seqq.* qui fictione Iuris putat esse eamdem censuram, sed (quidquid ille dicat) non est eadem, sed similis & ob nouam causam, vt dixi loco notato, licèt habeat similes proprietates. Tunc enim tantùm censetur eâdem fictione Iuris, quando sine nouâ sententiâ & sine alia noua contumacia, sed propter solam præteritam, in quâ illa excommunicatio fundata fuit redit, vt cum pluribus, inter quos Suarius *de Censuris* disp. 7. sect. 8. num. 22. dicemus *in hac disp. 3. dub.* 17. §. *Respondetur, ergo per.* Agemus autem de hoc suo loco ex instituto. Ideo non puto verum quod aliqui dicunt (vt Bonacina apud Lugonem suprà num. 215.) nempè excommunicatum vitandum si absolutus ad reincidentiam iterum reincidat, adhuc esse vitandum. Quæ doctrina corruit, si semel supponamus esse aliam excommunicationem ob nouam contumaciam, & hanc secundam non esse denuntiatam, & quidem Lugo non potuit negare esse aliam licèt dicat si non physicè saltem moraliter fictione Iuris esse eamdem quod (quidquid sit de dicti veritate) non probat hanc esse omnibus publicè notam, & denuntiatam, quia id non habet talis reincidentia, vt censeatur denuntiata, & vitandus ille, qui reincidit.

Assertio 3. De potestate Episcopi quoad casus Papæ reseruatos.

50. Assero. 3. quando excommunicatio, vel alia Censura prouenit ex delicto occulto, potest E-Episcopus quemcumque sibi subditum ab eâ absoluere, etiamsi reseruata sit Papæ. Habetur ex Tridentino sess. 24. c. 6. & docent communiter Doctores; ibi enim Concilium Tridentinum concedit, vt per se ipsos, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum, vt per Vicarium generalem, aut per Pœnitentiarium, aut per alium, possit à prædictis Censuris absoluere ut docet Sayrus lib. 4. c. 12. num. 19. ex declaratione Cardinalium. Hæc assertio, & facultas extenditur ad Capitulum sede Vacante, & ad alios habentes propriam diœcesim cum Iurisdictione, quasi Episcopali. Ita Sanchez in summa lib. 2. c. 11. num. 4 & 5. sect. 2. Clauis Regia lib. 6. c. 11. nu. 83. Auila. p. 7. disp. 10. dub. 6. Henriquez lib. 6. c. 15. quamuis Suarius de *Pœnit.* disp. 30. sect. 2. nu. 4 & Petrus Ledesima, 2. tomo *summæ.* Tract. 1. cap. 6. post. 20. conclus. difficult. 5. limitent hanc extensionem excipiendo casum Hæresis; hoc tamen rectè impugnat Sanchez ex doctrinâ traditâ à se lib. 8. de *Matrim.* disp. 2. num. 10. vbi latè exponit hanc concessionem Tridentini, & probat generaliter sine vllâ exceptione hanc facultatem transire in Capitulum Sede vacante; quia, quamuis hoc Iure speciali Tridentini competat Episcopis, & Capitulum non succedat in ijs quæ competunt Episcopo Iure speciali, vt habet communis sententia Doctorum; id tamen solum verum est de ijs, quæ competunt Iure speciali delegato seu excommissione Episcopi; secùs, si de Iure Ordinario speciali. Pro quâ sententiâ refert Abbatum. c. *Verum*, num. 9. *de foro competenti*, & Felinũ. c. *eam te*, num. 17. *de rescriptis*, hæc autem potestas competit Episcopis Iure Ordinario speciali; potestas enim competens non personæ; sed dignitati perpetuò, vel officio est Ordinaria, vt cum multis Canonistis, & Theologis docet idem-met Sanchez lib. 2. *de Matrimonio*, disp. 40. num. 14. quod hic contingit, maximè cùm Tridentinum ibi non dicat, vt id competat Episcopis, tamquam delegatis Sedis Apostolicæ. In quo casu licet ea potestas competat officio in perpetuum censetur iuxtà magis communem sententiam delegata. Legatur Sanchez citato lib. 8. disp. illa 2. num. 16. vbi rectè notat casum, in quo potestas delegata transit ad Capitulum scilicet; quando ea potestas alioquin Iure Ordinario competeret Episcopo, si non fuisset à Pontifice reseruata, seu restricta.

Potestas à Censura absoluendi transit ad Capitulum Sede Vacante.

51. Vnde non placent alij, qui absolutè videntur negare hanc potestatem absoluendi trãsire ad Capitulum Sede vacante. Vt idem Suarius de *Censuris* disp. 41. num. 13. Loquens de Irregularitate, imo in eâdem dub. 30. de *Pœnitentia*, loco citato. num. 6. tandem absolutè videtur negare hanc facultatem transire ad Capitulum, Sede vacante, cùm tamen priùs probabilius existimaret, num. 3. & 4. ad Capitulum extendi. Nimirum territus est Suarius quâdam declaratione Cardinalium circa Decretum Tridentini sic declarante: *In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes Iurisdictionem Ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantùm Episcopi priuatiuè quoad omnes alios.* Verùm huic decissioni, seu declarationi Cardinalium duo, vel tria respondet satis probabiliter Sanchez citatâ illâ disp. 2. nu. 10. in fine: primùm de eâ decissione non constare authenticè: Secùndùm non necessariò illi standum esse, quamuis magnam habeat authoritatem: Tertiùm noluisse excludere Capitulum Sede vacante cùm in omnibus ferè vice Episcopi fungatur, & pro hac sententia refertur à Sanchez Cenedo. Collectan. 4. ad Decretales num. 3. Henriques lib. 14. de *Irregularitate* cap. 18. num. 2. & cap. 20. num. 1. & lib. 6. *de Pœnit.* cap. 16. num. 1. Aragon. 2. 2. q. 88 art. 12. conclus. 5. falsò relatum à Bonacina pro contrariâ sententiâ. Item Rodriguez tomo 1. *Regular.* q. 61. art. 9. Adde Bonacinam disp. 1. q. 3. puncto 2.

Non obstat declaratio Cardinalium.

52. Atque hanc potestatem conuenire etiam Episcopis electis plerique citati Auctores fatentur, vt cum eodem Sanchez docent aliqui, quos ipse refert, & nos notauimus *de Pœnit*, loco citato.

53. Hæc omnia, quæ hucusque dicta sunt circa potestatem Episcoporum erga casus Pontifici reseruatos, quantùm ad id quod pertinet ad peccatum hæresis, intelligenda sunt iuxtà dicta à nobis de *Pœnit.* disp. 11. dub. 7. vbi iam notauimus difficultatem, quæ esse potest, supposita Bullâ, & facultate reseruandi, quam habent inquisitores fidei; Quâ de re quid dicendum sit, aut quid dicere oporteat his temporibus interim, dum aliquid Episcopi, & inquisitores singuli pro se in re tam graui, & dubia à Pontifice magis clarum, & certum non habent, iam notauimus eodem loco.

Circa prædictam Episcopi potestatem Notandum.

54. Circa prædictam assertionem, & potestatem Episcopi notandum est primò, quod ea

potestas collata in Tridentino Episcopo est ad absoluendos suos subditos directè, & sine obligatione & onere comparendi; quod supponũt Henriquez c. 27. num 3. & Auila. p.2.c.7.disp. 1.dub.6. quia hoc absolutè affirmant. Quod autem sequitur sub conditione docent ab excommunicatione, seu Censurâ publicâ non posse absoluere, nisi adsit impedimentum recurrendi ad Pontificem, & tunc posse; sed cum onere comparendi cessante impedimento, atque hoc etiam supponit Suarius disp. illâ. 30. de *Pœnit.* sect.2. vbi numero 5. ait hoc decretum Tridentini, non censeri ius nouum exorbitans ab antiquo; sed potiùs reducens jus ad suam antiquitatem, & quasi naturalem statum, quem habebat seclusâ reseruatione, & postea num.13. ait quòd Concilij mens fuit adhibere regulam generalem, & quasi Ordinarium jus circa reseruationes Pontificias, ut, scilicet, intelligantur esse de criminibus publicis; de occultis verò, non nisi prout continetur in eo Decreto Concilij. Ratio ergo nostræ assertionis est, quia in hoc Decreto Concilium propter bonum animarum, & in fauorem earum voluit de nouo concedere Episcopis, quod antiquissimè habebant, & ablatum illis erat per multa Pontificum Decreta, ac proinde illis derogans hoc concedit. Quia ergo fauor est animarum ampliandum est.

Ratio tradita doctrina est.

Potest etiam in casu Episcopus absoluere à publica Excomm. Papa reseruata.

55. Vtrum autem verum sit illud, quod supponebatur à prædictis Auctoribus, scilicet, posse Episcopum absoluere ab excommunicatione, publicâ, etiam alioquin reseruatâ Papæ cum, qui habet legitimum impedimentum? nonnulli negant absque vllo sufficienti fundamento.

Author. assignat causas in quibus id potest Episcopus.

56. Omnino tamen verum puto posse, ut, quando quis diuturnâ detinetur ægritudine etiam non periculosâ, aut senectute, aut paupertate, vel est fœmina aut impubes, aut est via omnino impedita, siue hostibus, siue periculoso aliquo itinere, & nimis longo, ut quando quis est in Indiâ, vnde non potest sine magnis periculis; & laboribus, sumptibus &c. Romam venire; tunc enim subsistente legitimo impedimento prudentis iudicio, poterit absolui cum prædicto onere comparendi. Ratio est quia benignè interpretanda est mens Pontificis qui non vtitur suâ potestate in destructionem, sed in ædificationem; ac proinde non censetur velle absolutionem reseruare cum tanto incommodo. Ita Nauarrus c.27.num.90. Henriquez lib.6. c. 9.n.7. Auila 2.p.c.7. disp. 1.dub.6. Reginaldus l. 3.n.2. & alij multi, & quidẽ de fœmina hoc tradunt Coninc *de Pœnitentia* disp. 8. dub.12. num. 88. & de *Censuris*, disp. 14. dub. 16. num. 240. & sequenti. Vasquez *de Pœnit.* q. 91. art. 3. dub. 8. num.1. & 2. Bonacina disp.1.q.3. puncto.2. & alij multi. Et de his omnibus dicemus, dub. 8. ibi legatur, vbi probabimus ex Iure.

Ratio.

An impeditus teneatur mittere Romam.

Negat Henriquez.

Affirmat Bonaci. si commodè possit.

Vtramq; responsionẽ probabilem putat Author primã tamen probabiliorem.

57. An verò impeditus quidem adire, potens tamen mittere Romam, teneatur Epistolam mittere, vel per Procuratorem pro absolutione? Negat Henriquez; Affirmat Bonacina, si commodè possit; nec putat credibile Papam velle ab Episcopo absolutionem impendi, quando patet recursus ad Pontificem per Procuratorem, vel per Epistolam. Vtrumque mihi videtur probabile; sed probabilius, quod docet Henriquez; nam si loquamur de casibus omnino occultis: iam diximus Episcopum posse absolutè absoluere; si verò de casibus publicis, & notoriis, adhuc videtur durum velle cogere præcisè pro foro conscientiæ; (de hoc enim loquimur, non de contentioso) hominem scripto se ipsum accusare in ordine ad absolutionem; neque enim puto velle Pontificem maiori cum rigore obligare ad petendam absolutionem pro foro Conscientiæ, quod attinet ad Censuram, atque quod attinet ad peccatum; sed quod attinet ad peccatum non tenetur mittere pro facultate obsoluendi petendo illam per Procuratorem, aut per litteras: ergo neque quod attinet ad Censuram. Porrò quod attinet ad peccatum non teneri, multorum Sententia est, quos refert, & sequitur Ferdinandus de Castro parte, 1. sui operis moralis Tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 5. num. 7. inter quos Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 13. num. 14. Vide quæ de hac re diximus in Tractatu de Pænitentia, disp. 11. præsertim num. 265. & seqq. & locis ibi notatis. Quod autem Bonacina affert in contrarium scilicet in impedimentis Matrimonij Pontificem nolle ab Episcopo dispensationem impendi, quando patet aditus ad Pontificem, vel per Procuratorem, vel per litteras, aut nihil probat, aut potiùs confirmat sententiam nostram; nam, si loquamur de impedimentis, quæ nullum continent peccatum, aut scandalum, non est par ratio; neque enim facultas ad absoluendum potest peti à Superiore pro excommunicatione, quin fateatur pœnitens peccatum, cùm tamen in petitione dispensationis in impedimento Matrimonij nullum sit necessarium fateri peccatum, Si verò loquamur de dispensatione Matrimonij, quæ non potest peti; nisi fatendo peccatum, vel illa dispensatio ita necessaria est, vt sine legitimo contractu Matrimonij non possit ille contracturus honestè & piè viuere, & absque scandalo, vel potest: si potest, illa dispensatio non censetur simpliciter moraliter necessaria, ac proinde si non vult scribere aut per Procuratorem mittere, seruet leges, & careat dispensatione. Si autem non potest moraliter sine illâ dispensatione honestè, piè, & secluso scandalo viuere, videndum est; an ea dispensatio, seu facultas dispensandi obtineri possit sine vllâ confessione delicti, vel non? si potest, & potest simul expectare, quousque veniat ea facultas; tenetur id facere; si verò, vel non potest sine reuelatione delicti sui, vel sine aliquo periculo honoris, famæ, vel animæ, quod immineat interim dum mittitur ad Pontificem, & habetur responsum; pro tali casu (ut cum veriori sententiâ dicimus in Tract. *de Matrim.*) poterit Episcopus dispensare; neque tenetur quis mittere ad Pontificem per litteras, aut per Procuratorem. In nostro autem casu aliâ ratione Philosophandum est; nam semper in eâ petitione absolutionis, seu facultatis absoluendi à Censurâ continetur confessio peccati necessariò facienda alicui, non ad confessionem Sacramentalem, neque ex vi Confessionis Sacramentalis præcisè, & formaliter loquendo; nam, vt quis obtineat absolutionem, vel facultatem vt absoluatur à Censurâ dandam à Pontifice, & petitam

Ad Rationẽ Bonacinæ in contrariũ.

tam

Non tenetur quis manifestare peccatum suum extra Confessionem Sacramentalem.

tam per Procuratorem, aut literas, necessariò debet manifestare alicui peccatum suum contra Confessionem Sacramentalem, ad quod non videtur teneri pro solo, & præciso foro consciẽtiæ, quod sic ostendo; vel illæ literæ mittuntur immediatè ad Pontificem subscripto nomine ipsius absoluendi, ita, vt omnis alius ignoret (quod vix vnquàm fit, aut fieri potest,) vel per Procuratorem, cui manifestetur tale delictum, aut per Confessarium, qui agit cum Procuratore, aut Pœnitentiario Pontificis &c. si primo mudo fiat, manifestũ est ipsum reuelare suũ peccatum literis subscriptis nomine suo: Si secundo modo, iam reuelat Procuratori. Quod si fiat per Confessarium, ille comparatione talis peccati affecti Censurâ, non est confessarius; ac proinde reuelatur illi peccatum, vel extrà confessionem, vel saltem cum periculo dicendi suũ peccatum ei qui nunquàm illum absoluet ab illo peccato, vel Censurâ; fieri enim potest. & sæpè fit, vt illa facultas non concedatur tali Confessario, sed alteri, nempe Ordinario, seu Officiali Episcopi; atque adeò iam homo ille reuelauerit suum peccatum ei, qui non absoluit, & cogatur iterum dicere alteri à quo sit absoluendus; quæ onera pro foro conscientiæ non videntur ex mente Pontificis imponenda, atque adeò pro tali foro vix potest casus occurrere; id quo, si persona per se ipsam adire non potest, cogatur adire per Procuratorem. Propter hæc probabilior mihi videtur sententia, quam sequitur Henriquez.

Addit Henriquez & Auila.

58. Addit prætereà idem Henriquez, & Auila suprà, excommunicatum excommunicatione publicâ Papæ reseruatâ posse ab Episcopo absolui, etiamsi possit adire Legatum, vel alium habentem priuilegium absoluendi. Negant verò Coninc disp. 14. dub. 16. n. 242. Nauarrus & Bonacina suprà. Corduba q. 18. & aliqui alij. Vtrumque mihi videtur satis probabile.

59 Probatur quod docent Auila & Henriquez; quia pro illo casu impedimenti adeundi Pontificem non censetur facta reseruatio, vt dictum est. Vnde, si seclusâ reseruatione potest Episcopus, per accidens est, quod superueniat aliquis habens prædictam delegatam iurisdictionem, nisi sit legatus à latere; nam de legato à latere aliter philosophandum est propter c. *Ea noscitur*, & c. *Ad eminentiam*. c. *Quamuis de senten. excommunic.* & notat Glossa in illo c. *Ea noscitur.* & Suarius de *Censur.* disp. 22. sect. 1. n. 60. & 62. cum quo etiam sentit Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 40. n. 8. vbi probat oppositam sententiam, quam etiam diximus esse probabilem, quia nimirum ideò Pontifex facultatem concedit quia vrget necessitas; sed, quando adest alius qui possit absoluere, cessat necessitas: ergo non poterit Episcopus, qui solùm propter vrgentem necessitatem poterat; neque Episcopus absoluit tanquã Iudex ordinarius vt contẽdebat Auila; nam, si Episcopus, tanquam Iudex ordinarius absolueret, non imponeret Pontifex onus comparendi, supponens iam absolutionem datam à Iudice potente, & Ordinario. Vnde, si cessaret absolutè reseruatio, non esset caput, ex quo obligaretur pœnitens comparere, sicut, quando in peccatis occultis absoluitur ab Episcopo iuxtà citatum c. Tridentini. Quod autem legatus possit absoluere patet ex c. *quod translationem de off. delegatis*. Quod verò Episcopus non possit, si est aditus ad legatum, colligitur ex c. *ea noscitur*, vbi dicitur absolutum ab Episcopo teneri comparere coram Pontifice vel eius Legato. Ergo à fortiori tenetur adire legatum, si ab initio potest.

60. Vlteriùs addunt Auila cum Nauarro & alijs, & Reginaldus lib. 1. n. 135. Henriquez de Pœnit. lib. 6. c. 16. n. 2. & c. 9. n. 7. & c. 10. n. 1. & 2. Gutierrez de *Matrimonio* c. 19. n. 8. posse Episcopum in prædictis casibus absoluere, etiãsi in reseruatione dicatur neminem ab ea posse absoluere prætetquàm in articulo mortis, quod etiam mihi placet; nam pro illis casibus præsumitur cessare reseruatio, vt dictum est, quidquid in contrarium sentiat Syluester verb. *Absolutio* 4. n. 7.

Circa personas habentes Priuilegia absoluendi à casibus reseruatis Notandum.

61. Circa personas verò, quæ habent priuilegia à Sede Apostolica absoluendi à Censuris & casibus reseruatis, non concedit Suarius tomo *de Censuris* disp. 23. sect. 5. n. 27. posse citrà mortis articulum virtute Priuilegiorum generalium absoluendi à Censuris, & casibus reseruatis, absoluere à casibus, quos Episcopi reseruarunt, vel à reseruatis in Bullâ Cœnæ, vel ab excommunicatione contracta ob percussionem Clericorum; vel ob violationem clausuræ Monialium ad malum finem, vel ob violationem immunitatis Ecclesiasticæ, & alia similia, quæ notauimus de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 16. §. *Quæres tertio*, ibi legitur. Vbi adduximus inter alia decretũ Clementis VIII. quod refert Quaranta verbo *casus reseruatos*, vbi sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, alijsque grauissimis pœnis prohibet prætextu cuiuscumque priuilegij extrà mortis articulum absoluere à casibus in Bullâ Cænæ cõtentis & alijs, quos ibi retulimus. In eo tamen loco non videtur restricta potestas concessa Episcopis in illâ sess. 24. Tridentini c. 6. quia in eo decreto nulla fit mentio Concilij; quando autem Pontifex vult abrogare, vel restringere legem, aut decretum alicuius grauis Concilij, maximè recentis, quale est Tridentinum, id solet exprimere, vt notauit Viualdus in *Candelabro* c. de *Absolutione* n. 3. Peregrinus in Tract. *de Duelis*. Reginaldus lib. 9. n. 2. & alij multi.

Quod attinet ad Abbates &c.

62. Quod attinet ad Abbates, & alios Prælatos inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, negant plures habere potestatem absoluendi, & dispensandi, quæ in Tridentino Episcopis conceditur. Ita Toletus in *summa* lib. 1. c. 83. n. 5. Suarius de *Pœnit.* disp. 30. sect. 2. n. 6. & de *Censur.* disp. 41 sect. 2. n. 7. Garz. de *Beneficijs* p. 7. c. 11. n. 13. & 17. Bonacina disp. 7. de *Censuris* q. 5. puncto 1 n. 6. Barbosa cum pluribus, quos refert 2. p. *de potest. Episcopi*, allegatione 39. n. 17. & in in Remissionibus Concilij vers. *Episcopis*. Cenedo in *Collect. ad 6.* collect. 4. n. 5. & alij multi, qui putant hoc esse Episcopis concessum Iure speciali ob eorum dignitatem; atque adeò non extendendum ad alios. Probant hoc primò; quia videtur eligi industria personæ, præcipuè in absolutione ab Hæresi: prohibet enim Concilium eam facultatem

tem

tem alteri committere. Secundo; quia ea facultas derogat Iuri communi, atque adeò videtur limitanda, vt nomine Episcopi solùm intelligantur qui propriè Episcopi sunt.

Authoris Iudicium.

63. Nihilominus, quamuis hoc sit probabile, probabilius est id ipsum, quod diximus de Capitulo Sede vacante; scilicet prædictos Prælatos intelligi nomine Episcopi, etiam in absolutione Hæresis. Ita docent plerique Authores citati, maximè Clauis Regia lib. 6. c. 11. n. 83. Auila de *Censuris* p. 7. disp. 10. dub. 6. Henriquez lib. 6. c. 6 §. 1. Flores de Mena lib. 3. variarum q. 24. n. 18. atque in specie de casu Hæresis, docet Sanchez lib. 2. *Summæ* c. 11. n. 5. Rodriguez in *Summâ* c. 10. n. 6. conclus. 6.

Nomine Episcopi in concessione Concilij Trident. quo ad absolutionẽ &c. intelliguntur etiã inferiores Prælati.

Fundamentum.

Fundamentum est oppositum; quia nimirum hæc potestas absoluendi, & dispensandi concessa à Tridentino Episcopis pertinet ad Iurisdictionem tamquam actus proprius iurisdictionis Episcopalis: Hanc autem habent prædicti Abbates & Prælati, solumque differunt ab Episcopis in consecratione, ergo &c. Præterea hæc facultas inserta est in corpore Iuris, & Ius commune constituit, ac proinde latè est interpretanda; vlterius in materiâ absolutionis reducitur res ad pristinum statum, in quo nulla, etiam pro crimine Hæresis erat reseruatio, vt iam notauimus suprà. Item non est concessa personæ, sed dignitati, ac proinde latissimè etiam est interpretatio facienda.

Ad rationẽ contrariam prædicta facultas conuenit Episcopis Iure communi nõ autem ex priuilegio qua ideo latè interpretanda est.

64. Ex his constat ad fundamenta oppositæ sententiæ; dicemus enim eam facultatem conuenire Episcopis Iure communi, & ordinario non gratioso, & priuilegiato; ideo latè interpretanda, vt ex Abbate, & Felino probat Rodriguez tom. 1. Regularium; neque eligitur industria personæ particularis cùm omnibus Episcopis committatur; neque etiam derogat Iuri communi; quin potius illi se conformat, & illud constituit.

Circa Hæresim peculiaris difficultas ex verbis Tridentini.

65. Circa peccatum Hæresis potest esse peculiaris difficultas nam in Concilio Tridentino, loco citato loquente de peccato Hæresis sic dicitur. *Idem in Hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tamen; non eorum vicarijs, sit permissum.* Ex quo hic sumitur argumentum, tum contra capitulum Sede vacante; tum contra cæteros alios, qui Episcopi non sunt. Nam hic solis Episcopis in propriâ personâ conceditur ea facultas: ergo signum est, quod non concedatur, tanquã quid proprium in iurisdictionis; sed, tanquam quid ipsi personæ, dignitati Episcopali permissum. Probo consequentiam; quia, si esset commissum, tamquam actum, & facultas iurisdictionis ordinariæ: posset ad hoc facultas eadem ab Episcopis committi suis Vicarijs; & tamen non potest iuxta Tridentinum; quod amplius declaratur, & confirmatur, nam Capitulum Sede vacante non debet habere maiorem facultatem in hoc, quàm Episcopus, si esset; sed Episcopus non posset committere Vicario: ergo nec Capitulum, si posset absoluere, non posset absoluere per se ipsum, maximè pro foro Conscientiæ; sed per Vicarium aliquem ad id deputatũ; neque enim cõmittas ipsa immediatè per se absoluit: ergo nullo modo potest absoluere, non per se, quia est communitas, non per vicarium, quia nec Episcopus (in cuius solam, & non ampliorem succedit Iurisdictionem) poterat committere Vicario. Hoc argumentum suo modo locum habet in alijs Abbatibus, & superioribus; maximè, si nondum sint sacerdotes; nam hi iuxta veriorem sententiam, quam in præcedentibus statuimus, non possunt absoluere per se ipsos, cùm non sint sacerdotes: si ergo habent potestatem, solùm esse poterit committendi alijs; sed non est credibile, imò omnino absonum Concilium velle prædictos posse committere suis Vicarijs; Episcopus verò non posse. propter prædictum argumentum, saltem respectu Capituli Sede vacante non habere locum prædictam facultatem in crimine Hæresis probabile videtur.

Probabile est Capitulum Sede vacante non habere facultatẽ absoluendi ab hæresi.

Author probabilius putat contrarium.

66. Nihilhominus adhuc probabilius existimo prædictis omnibus concedi eam facultatem circa peccatum Hæresis; atque in primis, qui oppositum sentiunt, concedunt Episcopum nõ consecratum imò non sacerdotem; sed solùm electum, & confirmatum habere hanc facultatem circa peccatum Hæresis; sed ille non potest per se ipsũ absoluere quia (vt nuper argumentabar) non sacerdos non potest absoluere, maximè cum iuxta doctrinam veriorem & magis communem, quam tradidimus *de Pænit.* disp. 11. dub. 3. reseruatio non solum sit Censuræ, sed etiam peccati. Vnde Episcopus nondum sacerdos quantumuis confirmatus, non potest absoluere per se ipsum à crimine Hæresis, sed committere alteri sacerdoti absolutionem.

Ratio.

67. Ideo in hac re saluo meliori iudicio dicendum mihi videtur Capitulum Sede vacante posse, stãdo præcisè in prædicto decreto Tridentini per suum Vicariũ absoluere à prædicta excommunicatione, dando illi facultatem pro casu particulari occurrente; non verò deputando specialiter Vicarium ad id, ad quem pro singulis casibus inconsulto Capitulo possit recurrere ita vt prius Capitulum nouerit casum occurrisse, & an expediat hic, & nunc committi hanc facultatem absoluendi pro tali casu, atque hac ratione habere posse, & habere de facto suum effectum, illa verba Tridentini. *In hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tamen, non eorum vicarijs sit permissum,* Nempe comparatione aliorum criminum, etiam Sedi Apostolicæ reseruatorum, Episcopi iuxta Tridentinum *delinquentes quoscumque, sibi subditos in diæcesi suâ per se, ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere &c.* id est, sufficit deputare aliquem Vicarium, ad quem in foro conscientiæ recurratur; comparatione tamen peccati Hæresis non potest Episcopus talẽ Vicariũ habere sic deputatum, ad quem pro casibus particularibus nõ amplius cõsulto Episcopo recurratur; sed oportere, vt pro singulis casibus recurratur ad Episcopum, vt ipse in singulis casibus possit de salutari pœnitentia, cuius ibi meminit Concilium, decernere, & de remedio prouidere. Sic autem delato crimine ad ipsum, & subiecto illius cognitioni, & iudicio non videtur esse prohibitum Episcopo pro illo casu particulari concedere facultatem alicui sacerdoti alioquin idoneo; vt sequendo instructionem, & imponẽdo pœnitentiam salutarem, quam

Explicatio Textus Trident.

In ordine ad absolutionẽ a peccato Hæresis non potest Episcopus deputare Vicarium ad quem semper recurrẽdum esset.

quam Episcopus iudicauerit imponendam possit absoluere à prædicta Censura, & crimine Hæresis occultæ, neque hoc videtur esse contra mentem Tridentini, maximè cùm iste sit modus, qui generaliter solet seruari in omnibus reseruationibus, vt, scilicet, recurratur ad superiorem deferendo ad illum crimen reseruatum, ut ipse possit iudicare quid sit in eâ re faciendum? quod remedium adhibendum? aut quæ iniungenda pœnitentia, &c. posito tamen tali iudicio, & sententiâ Superioris, quod ille sit, vel alius, qui de factò verba absolutionis proferat, & absolutionem impendat, parum, aut nihil videtur referre. Quod ampliùs declarabitur ex infrà dicendis cum Sanchez, & alijs, vbi iterum de hac re dicemus, agentes de ipso Episcopo.

68. In hunc ergo modum tàm Capitulũ sede vacante, quàm Episcopus nondum consecratus, & Abbates, seu Prælati quasi Episcopalem iurisdictionem habentes possunt quod attinet ad crimen Hæresis de illo cognoscere, & decernere, quid agere oporteat pro casu particulari; postquam autem sic iudicauerint, poterunt facultatem impendendi absolutionem pro casu illo particulari alicui Sacerdoti conferre; neque hoc video esse contra mentem Tridentini; sed satis congruum, rationique conforme.

Maior difficultas, an Prælati Regulares cõprehendantur nomine Episcopi à Tridentini Opinio affir.

69. De Prælatis Regularibus, etiam Conuentualibus Religionum exemptarum difficultas maior esse potest, an in ea facultate Tridentini comprehendantur nomine Episcopi, tam ad absoluendum, quàm ad dispensandum?

70. Affirmat Rodriguez tomo, 1. *Regularium*. q. 61. art. 9. quia hi Iurisdictionem quasi Episcopalem habent; quam iurisdictionem quasi Episcopalem latè, & rectè probat Sanch. lib. 8 de Matrimonio. disp. 3. nu. 9. cum alijs multis quos refert.

Author. probabilius putat contrarium.

71. Nihilominus probabilius puto ex vi illius concessionis non competere prædictis Prælatis hanc facultatem. Ita Sanchez lib. 2. *Summæ* cap. 11. num. 7. Garz. de *Beneficiis*. p. 7 cap. 11. nu. 13. testatus sic à Cardinalium Congregatione decisum esse Barbosa, 2. p. allegatione. 39. nu. 18. Ratio est, quia ea facultas ibi solùm videtur concessa ijs, qui diœcesim habent; ait enim Concilium *in diœcesi sua*; hi verò Prælati non habent diœcesim.

Ex alio tamen capite habere videntur dicti Prælati hanc facultatem.

72. Dixi *ex vi illius concessionis*; nam si ex alio capite loquamur, verum puto Prælatos huiusmodi habere hanc facultatem; nam Pius. V. peculiarem extensionem fecit ad prædictos Prælatos in quodam motu proprio, quem refert Rodriquez citato art. 9. in fine, vbi ait Pontifex: *Quia sacrum œcumenicum Concilium generale Tridentini concessit Episcopis, ut absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in Irregularitatibus, prout sess. 24. cap. 6. habetur, ne Prior Prouincialis, & superiores Prælati dicti Ordinis tam in dictâ prouinciâ quam extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici aut Sæculares existant, eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, ut ipsi perseipsos idem omnino possint in fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumq; facultates eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus; atque etiam declaramus præsentes litteras perpetuò durare, & valere.* Atque ita docent Sanchez citato loco Summæ, & lib. 8. de *Matrim.* disp. 2. num. 13. Suarius de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 7. Barbosa supra, Henriquez lib. 6. c. 16. §. 8. & lib. 7. cap. 25. §. 2. lib. 14. c. 5. vltimo §. ad finem.

73. Imo ex hoc potest sumi argumentum ad probandum in verbis Tridentini non comprehendi prædictos Prælatos quia, vt rectè notant Suarius, & Sanchez, non declarat Pontifex concessionem Tridentini ad hos Prælatos extendi; sed ipse eam extendit, vt constat ex illis verbis; *quia Sacrum Concilium concessit Episcopis*, vsque ad illa *tenore præsentium concedimus*.

Sanchez. hac ipsis facultatem subtrahit in crimine hæresis.

74. Sanchez verò subtrahit ab his Prælatis facultatem in crimine Hæresis, cuius absolutionem propter eius grauitatem docet non censeri concessam; nisi exprimatur; non autem exprimitur in prædicto priuilegio Pontificis; sed solùm dicitur generaliter illis concedi, quæ Episcopis in illo Decreto conceduntur, quæ non videtur expressa concessio pro Prælatis.

Authori nõ placet hac limitatio.

75. Hæc tamen limitatio mihi non placet: nam illa concessio, si rectè expendatur, expressa est etiam pro crimine Hæresis; quamuis enim non nominetur Hæresis crimen proprijs verbis, significatur æquiualentibus; dicitur enim, *vt idem ipsi omnino possint &c. quoad absoluendi & dispensandi, &c.* Quod verum non esset, si carerent maiori, & præstantiori facultate. Præterea finis Pontificis in ea concessione fuit (ut ipse exprimit) *ne superiores in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut sæculares existant.* Essent autem deterioris conditionis subditi horum Prælatorum, quam Clerici, & sæculares Episcopis subiecti, si id non possent.

76. Quæ in hac re dicta sunt solùm intelligi debent stando præcisè in verbis concessionis Pij V. Nihil verò decerno an per aliam Bullã Pontificiam hæ & similes concessiones sint reuocatæ saltem pro aliqua Regione; nam in Hispaniâ multi dicunt certissimum, & indubitatũ esse nullo modo posse Prælatos etiam in foro conscientiæ subditos absoluere; sed Inquisitoribus esse remittendos propter Constitutionem Pauli. V. quam refert Emanuel de Valle de Moura *de Incantationibus, & Ensalmis.* sect. 3. c. 1. n. 1. quam refert etiam Barbosa *de Potest. Episcop.* 2. p. alleg. 40. num. 39. legantur quæ dicemus dub. 10. pro hac re.

Quando Archiepiscopus habeat hanc potestatem respectu subditorum suffraganei.

77. De Archiepiscopo verò respectu subditorum suffraganei dubitari potest an habeat hanc potestatem? In qua re breuiter dicendum est solùm posse, quando sibi subduntur, nempe, quando diœcesim suffraganei concedente Iure visitat, hoc est cum causa adest legitima, & probata in Concilio Prouinciali, & postquam suam diœcesim plenè visitauit iuxta Tridentinum sess. 24. cap. 3. ita Sanchez. lib. 2. Summæ c. illo 11. num. 6 Henriquez lib. 6, de *Pœnit.* cap. 14. num. 9. & in Commentaria littera, z. Ratio est, quia tunc habet iurisdictionem Ordinariam Episcopalẽ Episcopo Superiorem. Ita Sanchez ibidem, & Henriquez lib. 14. c. 18. num. 3. Suarius de *Pœnit.* disp. 30. sect. 2. num. 8. Auila de *Censuris*. 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 10. conclus. 3. Barbosa. 2. p. de potestate Episcopi alleg. 39. nu. 19. Bona-

19. Bonacina de *Censuris*. disp. 1. q. 3. puncto. n. 7. Item subduntur, quando suffraganei per appellationem ad Metropolitanum recurrunt. Præterea, quando malitiosè suffraganeus differat aut neget absolutionem; in his ergo casibus poterit Archiepiscopus.

78. Habemus ex dictis diuerso modo Concilium Episcopo concedere facultatẽ absoluendi à peccato Hæresis, & ab excommunicatione annexâ, quàm ab alijs peccatis; nam ab Hæresi occulta iuxta communem sententiam, & regulariter loquendo, solùm potest Episcopus absoluere per se ipsum, saltẽm quoad Censuram, vt alij volunt, cum tamen in alijs materijs possit habere vicarium deputatum.

An hæc absolutio Hæresis cõmitti possit ab Episcopis alteri. Multi negãt

79. Difficultas verò est; an aliquando hæc absolutio Hæresis committi possit ab Episcopo alicui? Non consentiunt Authores: Negant multi, & graues. Ita Molina Tract. 5. de *Iust.* disp. 18. num. 2. Suarius disp. illâ. 30. sect. 2. nu. 9. & 15. & de fide disp. 21. sect. 4. num. 8. Lorca. 2. 2. disp. 45. num. 11. Nicolaus Garzia de Beneficijs, p. 11. num. 113. & 114. Gutierez lib. 1. Canonicarũ q. q. c. 13. n. 29. & alij Recentiores, quibus adde Petrum de Ledesma, Tract. 1. c. 6. conclus. 20. difficult 6.

Probant. 1.

80. Probari verò potest hæc sententia; quia in eâ absolutione Vicarius ille deputatus est exclusus, qui admissus fuit in absolutione à reliquis casibus reseruatis, ut constat ex Textu illis verbis: *eis tamen, non eorum Vicarijs sit permissum.* Sed pro reliquorum casuum absolutione quilibet Vicarius, siue Generalis, siue particularis deputandus admittitur: ergo pro Hæresi quilibet talis excludendus censetur.

Probant. 2.

81. Probatur. 2 quia dictio negans apposita ante vocem *Vicarijs* dum dicitur *non eorum Vicarijs*, omnem Vicarium excludit; & particula *tantùm* apposita Episcopis ad eorum personas potestatem restringit; non liceret autem tantum Episcopis, si liceret Vicarijs, quantumuis specialissimis. ergo, &c.

Probant 3.

82. Tertiò, quia Episcopis, etiam aduersarijs concedentibus, non permittitur facultas delegandi alicui generalem potestatem absoluendi ab Hæresi; sed non apparet quâ ratione sit necessarium delegare potestatem absoluendi ab aliquo casu Hæresis contingente, quia si prudenter Episcopus procedat, non potest hanc potestatem delegare; nisi priùs habuerit informationem de sufficienti causâ subsistente ad delegandum. Cum autẽ de tali causâ informatus fuerit, pari ratione potest informari vel informatus cẽsetur de causâ sufficienti, aut requisitâ ad tollendam Censuram ac proinde poterit ipse etiam reo absente Censuram tollere; quâ sublatâ manet peccatũ Hæresis non reseruatum, & à quolibet Confessore approbato poterit absolui. Hæc sententia probabilissima est, tum propter prædictas rationes, tum propter auctoritatem Doctorum qui eam sequuntur,

Hanc sententiã probabilissimã iudicat Author.

Probabilis nihilominus est opposita, & mihi probabilior, quæ affirmat saltem pro casibus particularibus posse Episcopum illam delegare, ad eum modum, quo suprà dicebamus fieri posse à Capitulo sede vacante, & ab Episcopo nondum Sacerdote. Ita Sanchez citato lib. 2. Summæ. c. 11. num. 23. Nauarrus lib. 1. *Conciliorum*. tit. de *Constitut*. cons. 1. q. vltim. num. 89. & lib. 5. tit. de Priuileg. cons. 11. q. 2. & 3. Sa, verbo Episcopus, num. 37. Azor. tomo. 1. lib. 8. cap. 10. q. 11. Corduba in *Summa*. p. Henriquez lib. 6. de Pœnit. c. 14. numero 7. Rodriq. in quæstionibus Regularibus tomo. 1. q. 30. art. 11. & in *Summa* tomo. 1. in 2. editione. c. 131. num. 5. & in explicatione Bullæ §. 9. n. 79. in fine, & in *addit ad Bullam*. §. 9. num. 69. Vega tomo. 2. Summæ cap. 125. casu. 12. aliique Recentiores. Idemque dicendum putat Sanchez de Capitulo Sede vacante, & de alijs Prælatis habentibus Iurisdictionem, quasi Episcopalem & de Archiepiscopo respectu diœcesis suffraganeæ in casibus subiectionis suprà explicatis; quia est eadem ratio de prædictis omnibus iuxta doctrinam traditam.

Cui tamen opposita probabilior, videtur saltem pro casibus particularibus.

idem dicendum, putat Sanchez de capitulo sede Vacante, &c.

84. Probaturque in primis supposito principio quòd potestas hæc absoluendi commissa sit Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum; sed quando aliquid sic conceditur non eligitur industria personæ, sed officij & dignitatis, vt optimè probat Sanchez lib. illo 8. de *Matrimonio* disp. 2. num. 10. & lib. 2. disp. 40. num. 14. & 17. iuxta suprà dicta doceique Iason in *L. more maiorum*, num. 65. ff. *de iurisd. omn. iudic.* Menoch. de Arbitrarijs lib. 1. q. 64. num. 17. Gregorius Lopez. l. 47. in fine tit. 18. partita. 3. ex quo infertur eam potestatem ex se esse delegabilem: ergo; nisi obstet prohibitio Tridentini poterit, delegari; sed prohibitio Tridentini non obstat: ergo, &c. Probo non obstare; quia Concilium exclusit, non quomodocumque Vicariũ specialiter deputatum ad casus Hæresis occurrentes quoscumque, non tamen cogunt ea verba, ut id intelligatur de Vicario specialiter deputato ad vnicum casum tunc occurrentem, ut suprà explicabamus, quod dupliciter fieri potest; primò, quando Episcopus plenè informatur de casu, & ipse iudicio suo assignat pœnitentiam, & onus absoluendi imponendum à Confessario. Quod si hoc modo fiat, nullum est inconueniens, quod alius, cui Episcopus committat, conferat absolutionem, & proferat verba. Alio modo fieri potest committendo totum iudiciũ pro casu particulari ipsi Confessario absoluturo, & non solum priori modo sed hoc etiam secundo putat, & quidem probabiliter Sanchez posse prædictam commissionem fieri, quia nimirum solùm putat prohiberi in Tridentino Vicarium specialiter deputatum pro quibuscumque casibus occurrentibus, non verò pro singulis in particulari; & pro hac sententiâ refert. Nauarrum lib. 5. Conciliorum in prima editione tit. *de sententia excom.* cons. 15. q. 3. in secundâ verò tit. de *Priuileg.* cons. 11. q. 3. Rodriquez in *Additionib. ad Bullam Cruciatæ* § 9. num. 69. & primo tomo *summæ* in 2. editione. cap. 131. num. 5. & *Quæstionum Regularium*. tomo. 1. q. 30. art. 11. Neque argumenta aduersariorum probant eam facultatem ablatam Episcopis.

Probatur 1. secunda sententia.

hinc infertur illam potestatem esse per se delegabilem.

Concilium Trident. non excludit Vicarium specialiter deputatum ad hunc casum.

Sanchez docet tantũ prohiberi à à Concilio Vicarium specialiter deputatum pro quibuscumque casibus occurrentibus.

85. Ad primum respondetur concedendo illum Vicarium, qui admissus fuit in absolutione à reliquis casibus, exclusum fuisse pro absolutione ab Hæresi, scilicet, Vicarium specialiter deputatum cum generali facultate ad casus occurrentes; hic autem solus fuit expressè admissus

Ad primum opposita sententia. n. 80. Resp.

sus pro illis cæteris casibus, & de illo tantùm fuit sermo. De Vicario autem specialissimè deputato ad vnum casum nihil dixit Tridentinum; non quidem exclusit; sed non egit de illo pro cæteris alijs casibus extra Hæresim, quia concesso deputando cum facultate generali, à fortiori censetur concessus deputandus ad casum specialem; è contra verò negato deputando cum facultate generali; non ideò censetur exclusus deputandus ad casum particularem, quia pro casu particulari possunt esse rationes diuersæ, ob quas oporteat Vicarium deputare, quæ non sic habent locùm ad deputandum cum facultate generali. cùm ergo de hoc tantùm mentionem fecerit Tridentinum in cæteris casibus, & illum ipsum, quem concessit in ijs, negauerit in Hæresi, non cogit ea negatio prohibitionem extendere ad Vicarium deputandum pro casu particulari; maximè, si fiat cognitâ causâ ab Episcopo, & assignatâ pœnitentiâ, & onere imponendo, vt dictum est.

Ad 2. Resp. 86. Ad secundum respondetur negationem destruere quidem terminum supra quem cadit, & vim distributiuam, & vniuersalem habere; sed, si cadat supra terminum restrictum, solum illum, vt restrictum, destruere; terminus autem *Vicarius* ex contexu, & verbis antecedentibus restrictus erat ad significandum solum Vicariũ deputandum cum facultate generali ad omnes casus occurrentes, sine alio recursu ad Episcopum post factam designationem. Vnde talis terminus *Vicarius* est, qui destruitur per illam negationem quando in Concilio dicitur *non eorum Vicarij sit permissum.* Illud verò quod dicunt aduersarij de particula *tantùm* falsum est, non est in Concilio ea vox *tantùm*, sed *tamen*, scilicet *eis tamen non eorum Vicarijs.* Et quamuis esset particula tantùm, nihil efficeret; sensus enim esset eam facultatem generalem, qualem poterant habere in reliquis casibus Vacarij deputandi ab Episcopis; in casu criminis Hæresis *eis tantùm, non eorum Vicarij esse permissam.* Quod nihil obest doctrinæ nostræ.

Ad 3. Resp. 87. Ad tertium respondetur posse esse plures casus, in quibus non expediat, vel non possit Episcopus absoluere, & tamen possit informari de causâ sufficienti ad committendam talem absolutionem alteri, tum; quia Pœnitens potest esse absens, & non est certum Prælatum Papâ inferiorem posse absoluere absentem à Censurâ; tum, quia fieri potest, vt Episcopus nondum sit ordinatus sacerdos & non est certũ tunc posse per seipsum absoluere; tum, quia sæpè expediet integrum animum, & dispositionem pœnitentis ex confessione agnoscere; tum quia nec certum est solâ ablatâ censurâ peccatum Hæresis non manere reseruatum, quãuis id sit probabilius. Propterquæ omnia, & similia expedire poterit; vt absolutio alteri cõmittatur, etiam positâ informatione de delicto, & de causâ sufficienti ad committandam absolutionem, & illam concedendam.

DVBITATIO IV.

Quâ ratione intelligenda sit potestas Episcopi circa absolutionem casuum reseruatorum concessa in Tridentino.

88. Multa circa hanc potestatem, & personas, quibus sub nomine Episcopi intelligi potest hæc facultas concessa, dicta sunt dub. præcedenti; placet verò modo varias particulas, quæ in Textu Tridentini explicatione indigent, pensiculatius explicare; sed oportet prius verba ipsa præ oculis habere. Ait ergo Cõcilium sess. 24. c. 6 de *Reform. Liceat Episcopis in quibusq́, casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscumq́, sibi subditos in diœcesi suâ per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere imposita pœnitentiâ salutari. Idem in Hæresis crimine in eodem foro conscientiæ: eis tamen non eorum Vicarijs sit permissum.* In quibus verbis iam explicata sunt vox *Episcopis*, & vox *Vicarium specialiter deputandum.* *Verba Trid. exactius explicantur.*

89. De aliquibus verò alijs verbis, quamuis obiter non nihil dixerimus, restant adhuc non pauca explicanda, de quibus nunc sigillatim dicemus sequentibus sectionibus.

SECTIO PRIMA.

Quid intelligitur per illas voces *delinquentes quoscumque sibi subditos?*

90. Constat ex his verbis non omnes promiscuè posse absolui ab Episcopo, sed illi tantum, qui, qui sibi subditi sunt. Quinam verò nomine subditorum comprehendantur, non est omnino facilè decernere. Illi sanè in primis comprehenduntur, qui sunt oues propriæ sui districtus suæ Iurisdictioni subiecti, vt sunt sæculares omnes laici, & clerici, qui alioquin non habeant exemptionis priuilegium. Inter tales verò subditos numerari possunt, & debent quotquot in suâ diœcesi fixerunt domicilium à primo puncto temporis, quo ibi fuerunt cum animo permanendi; an verò, qui ibi maiore parte anni, aut transeunter existunt sine animo figendi domicilium, censeantur, quantum ad hoc subditi Episcopo? omissis alijs opionibus existimo comprehendi; quamuis enim in materiâ dispensationis hæc subiectio ita ampla multis non placeat; in materia tamen absolutionis à Censuris communiter recepta sententia est sufficere, sicut in absolutione à peccatis ex consuetudine generali Ecclesiæ, & benignâ Pontificis interpretatione. Ita Garzia de Beneficijs p. 11. c. 10. n. 139. in 3. declaratione Bonacina disp. 7. de *Censuris* q. 5. puncto 1. n. 4. Suarius de *Pœnit* disp. 30. sect. 2. n. 3. Sanchez de *Matrim.* lib. 3. disp. 23. n. 12. & in *summâ* lib. c. 11. n. 8. 9. & 17. Barbosa 2. p. *de potest Episcopi* alleg. 39. *Ex verbis Concilij constat solos subditos absolui posse ab Episcopo.* *Quinam hoc nomine comprehendantur.*

91. Sed omissis prædictis; quod attinet ad Religiosos exemptos commorantes in eo Episcopatu, maior est difficultas quia non videntur sub- *Difficultas quoad Religiosos ex-*

exemptus commurantes in Episcopatu.

subditi Episcopo. Ideò multi graues Theologi negârunt posse absolui ab Episcopo, seu Archiepiscopo. In quâ re statuendum primò est, absque licentiâ sui Prælati non posse Religiosum ab Episcopo disputationem, aut absolutionem obtinere; exemptio enim Religiosa ab Episcopali Iurisdictione nôn tam est illi concessa in fauorem ipsius, quàm in fauorem totius Religionis, ac proinde non potest pro suo arbitrio sine voluntate Prælati cedere huic priuilegio exemptionis, seque submittere iurisdictioni Episcopali. De licentiâ verò Prælati probabiliùs existimo posse absolui ab Episcopo eius diœcesis in quâ commoratur; tum quia iam in illo foro fit subditus Episcopo; tum quia, quoad aliqua subduntur semper Episcopo; tum quia quoad fauorabilia nomine subditorum illius diœcesis videtur comprehendi etiam Religiosi; imò ob id putat Suarius suprà sequens hanc sententiam fuisse additam in decreto illam particulam *illius diœcesis*. Ita præter Suarium sect. illâ 2. n. 3. Auila p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. Henriquez lib. 7. de *Indulg.* c. 25. n. 2. vbi in Glossa ait litera N. per Paulum 3. statutum esse Religiosum Societatis Iesu non posse ab Episcopo absolui sine licentiâ Prælati; quod apud nos in dubitatum est. Idem docet Sanchez lib. 4 summæ c. 39. n. 7. & 29. & deinceps alijque multi. Sed de hoc postea agemus seorsim disputantes tum de absolutione, tum de dispensatione conferenda Religiosis à suis Prælatis, & Episcopis, per totam dubit. 36. maximè assertione 5. 6. & 7.

multi negârunt posse illos absolui ab Episcopo.

De licentiâ sui Prælati probabilius putat Anthor posse tales absolui ab Episcopo.

92. A fortiori constat ex dictis nomine subditorum intelligi etiam vagabundos; hi enim nullum habent alium Episcopum proprium; n quo, etiam conueniunt Suar. & alij citati.

93. De alijs pertinentibus ad hanc iurisdictionem Episcopi dicemus tum in Tract. de *legibus*, tum in *Tract.* de voto, vbi disputabimus an si superior iniustè neget dispensationem; & absolutionem, vel sit excommunicatus. possit Religiosus recurrere ad Episcopum. Quâ de re disputat Sanchez loco citato, & alij apud ipsû.

SECTIO SECVNDA.

Quâ ratione intelligenda sit illa particula, *in quibuscumq; casibus occultis.*

Quid dicitur occultum.

94. QVantum ad præsens attinet illud dicitur occultum, quod non est notorium ex famâ, licet probari possit aliquibus Testibus; quamdiù enim peccator non laborat publicâ infamiâ, eius peccatum dicitur occultum; publicâ autem infamiâ laborat ille, cuius crimen est omnibus notum in toto opido; aut in maiore parte viciniæ vt docent Henriquez & Suarius suprà cum Nauarro c. 27. n. 254. sed quid requiratur, vt aliquid sit notorium, aut non sit, diximus latè disp. præcedenti dub. 29. Illud nunc aduerto, quod in hac Prouinciâ est occultum, in aliâ posse publicum. Vnde merito dubitari potest; an pecca um, quod in vnâ Prouinciâ est occultum, possit in eadem tanquam occultum absolui, quamuis in aliâ sit publicum?

Notandum aliquid in vna prouintia posse esse occultum quod in alia esset publicû hinc dubitatur.

95. Negat Suarius eadem sect. 2. n. 2. quia, quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum, & non occultum, & moraliter loquendo, quod in vno loco publicum est, ad alia loca facilè defertur.

An absolutiodari potest in illâ quâ peccatû est occultû.

96. Auila verò 2. p. c. 7. disp. 11. affirmat conclus 3. cum Doctoribus Salmanticensibus, quos dicit de hac re consultos ita respondisse; probat; quia tale delictum in eo loco est occultum, in quo iure dicitur occultû. Quæ sententia mihi placet, eamque sequitur Sanchez citato lib. 2. *summæ* c. 11 n. 20. & placet illius limitatio, quod scilicet delictum in adeò distanti loco publicum sit, vt non sit spes fore, vt ad alium deferatur quia vt rectè Durandus in 4. dist. 18. q. 5. Paludanus ibidem q. 6. art. 1. n. 5. non ex hoc quod aliquis sit publicus excommunicatus in vno loco censeri debet publicus in alio; congruitque cum dictis à nobis disp. præcedenti dub. 28. & 29.

Negat Suarius.

Affir. Auila.

Ratio.

Hac sententia placet Authori.

97. Non me latet graues aliquos Authores ita explicare conditionem requisitam à Concilio quod *delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum*, vt affirment occultum dici hoc loco, quod verè in iudicio probari non potest, ac proinde occultum accipiunt, quatenus opponitur probabili. Ita Garz. de *Beneficijs* p. 7. c. 11. n. 46. Gras. tomo 2. Consiliorum sub titulo de Homicidio cons. 2. n. 20. Gutierrez lib. 1. *Canonicarum qq.* c. 13. n. 27. Rodrig. in *Additionibus ad* Bullam §. 9. in fine & alij.

Aliqui occultum hic dici volunt id quod in Iudicium probari non possit.

98. Placet nihilominus communis sententia Doctorum, quam tradidimus, scilicèt, occultum ibi accipi, quatenus distinguitur à notorio, publico, vel famoso iuxta explicata à nobis suprà locis notatis. Ideò, quamuis delictum ab aliquibus sciatur, dummodò ignoretur à maiori parte viciniæ, vel collegij, vt ibidem explicuimus ex Molinâ, censeri debet occultum. Ratio est, quia, si nomine occulti intelligeretur delictum, quod in iudicio probari non posset, inutile esset petere ad forum contentiosum non esse deductum; satis enim erat posse deduci. Ita Sanchez lib. 2. de *Matrimonio* disp. 37. n. 2. & lib. 8. disp. 34. n. 55. & in *summâ* lib. 2. c. illo 11. n. 19. & seqq. Azor 1. p. lib. 8. c. 10. quæsito 9. Bonacina de *Censuris* disp. 1. q. 3. puncto 2. n. 1. Molin. de *Iustit.* Tract. 3. d. 79. n. 6. Barbosa de *Potestate Episcopi* 2. p. alleg. 39 n. 24. cû multis, quos refert.

99. Aduertendum verò est cum Sanchez lib. illo 8. disp. illa 34. n. 56. Sayrus *de Censuris* lib. 7. c. 3. n. 13. Sà verb. *Episcopus* n. 35. Barbosa suprà n. 26 sufficere, quod delictum in ratione delicti sit occultum, & tale debére esse; nam, si fortè aliquis v. g. excommunicatus ministraret publicè Sacramenta; sed non esset publicum, quòd illa ministrasset cum excommunicatione; adhuc censeretur delictum omnino occultum; neque enim diceretur delictum publicum celebrandi sub excommunicatione; sicut è côtra in materiâ dispensationum censetur impedimentum Matrimonij contractum ex delicto occultum, etiam si publicè constaret de copula, vnde ortum est impedimentum; si alioquin publicè ignoraretur, quatenus impedimentum.

Aduertendû in Sanchez.

100. Quid autem significet esse deductum delictum ad forum contentiosum; non eodem modo explicant Doctores. Aliqui putant tunc esse sufficienter deductum, quando denunciatio, vel accusatio facta est coram legitimo

Quid significat esse deductum delictum ad forum contentiosum.

Responsi aliquorum Probabilis. timo Iudice, & reus ratione illius citatur, quia citatio est primus actus Iudicij. §. fin. Institut. *de Pœnâ temerè litigantium*, Gloss. in Rubricâ. c. *de in Ius voc.* Riccius *Praxi fori Ecclesiast.* decissione 522. in 1. editione in 2. verò resolutione 449. Sanchez citato lib. 2. *Summæ* cap. 11. num. 21. Henriquez lib. 14. de *Irregul.* c. 7. num. 5. Auila. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 11. conclus. 3. & p. 7. disp. 10. dub. 6. ad finem. Quæ sententia probabilis est satis, & rectè aduertit Sanchez non referre, siue iustè, siue iniustè res sit in iudicium delata, dummodò reo sit intimata delatio.

Resp. Probabilior ex mente Authoris. 101. Alij verò explicant satis etiam probabiliter, & mihi videtur probabilius, requiri insuper, quòd lis contestata sit, neque sufficere solam prædictam delationem, & intimationē. Ita Barbosa p. 2. de potestate Episcopi alleg. 39. num. 29. *Probatur. 1.* Probatur primò; quia forum contentiosum dici non potest, nisi inter partes contentio sit super delicto commisso negando, vel probando, & confitendo, quo actu litis contestatio etiam in criminalibus inducitur: ergo absque hoc non *Probatur 2.* intelligitur plenè existere. Probatur 2. quia tale forum idem est, ac iudicium, non est autem iudicium, perfectum vsque ad litis contestationem, vt probat Asin. in Praxi Florent. §. 1. c. 1. nū. 14. & sequentibus, Lancelotus de *attentat.* in præfat. num. 7. Peregrin. lib. 2. *var.* sub Rubr. de *Iu-* *Probatur 3.* *dicijs* num. 54. Tertiò probatur, quia forum contentiosum non differt à lite mota, idem enim est in foro contendere, ac in eo litem mouere; sed lis mota censetur, postquam litis cotestatio facta est iuxta c. ex parte. 30. de *Verborum signific.* & docet Maranta de Ordine Iudiciali. p. 5. tit. *& omnia fiunt durante instantia* num. 64. Surdus *de aliment.* tit. 5. q. 8. nu. 4. Cabellusitanus decis. 15. num. 10. p. 2. ergo post litis contestationem, & non ante censetur deductum ad forum contentiosum.

Argumenta tamen hæc non conuincunt licet rem, probabiliorē faciant. 102. Hæc tamen argumenta, quamuis rem mihi probabiliorem faciant non tamen omnino conuincunt; quamuis enim concedamus forum contentiosum nondum plenè consistere vsque ad litis contestationem; tamen per ipsam delationem dicitur delatum ad forum contentiosum ipsa enim delatio facta est ad forum contentiosum, sic dicitur reus delatus ad supplicium; etiamsi nondum sit supplicium ipsum plenè completum; & quidem, si spectemus finem legis requirentis, quòd delictum non sit delatum ad forum contentiosum; videtur sufficere sola delatio; ideò enim noluit Concilium absolui à Censurâ in foro conscientiæ, quando delata est ad forum contentiosum; vt causæ tales deductæ ad iudicem externi Fori, illi relinquantur plenè decidendæ, & iudicandę, & quod ad ipsum delatum est, ipsius iudicio terminetur; sed eo ipso, quòd res delata est Iudicem externi fori, iam illam habet in manu, vt persequens viam talis fori ad finem vsque perueniat, & eadem ferè inconuenientia sequi possunt ex quo res delata est ad talem Iudicem; atque ex quo lis est contestata. Nihilominus, quia in re hac fauorabili, & *in re fauorabili extensio facienda est.* pertinente ad facultatem absoluendi, quā alioquin seclusâ reseruatione Episcopi haberent, extensio facienda est, & forū contentiosū præsè sumptum non censetur plenè perfectum; nisi

in litis contestationeq; probabiliorem iudicio, & in praxi tutam secundam sententiam.

103. Quæret tamen aliquis; an à delicto sic *Quæres* deducto ad forum contentiosum, possit Episcopus absoluere? aut in rę alioquin dispensabili dispensare, saltem alibi, vbi omnino ignoratur?

104. Respondetur breuiter cum Sanch. cita- *Resp.* to n. 21. & Barbosa sup. num. 31. aliisque postea referendis non posse; quia Concilium petit delictum non esse deductum ad forum contentiosum; vbicumque autem deductum sit, dicitur simpliciter, & absolutè deductum.

105. Sed obijciet aliquis paulò ante diximus *Obijcies.* contra Suarium, & cum eodem Sanchez quod est occultum in vno loco, posse ibi absolui, etiāsi alibi sit publicum non obstante, quod Concilium petierit etiam pro conditione esse occultū: ergo pari ratione etiamsi Concilium petierit non esse deductum ad forum contentiosum, poterit vbi non est deductum absolui, quantumuis alibi sit deductum, maximè, si loca sint tam distātia, vt (sicut de publico, & occulto dicebamus) deductio criminis facta in alio loco numquam sit spes fore, vt innotescat.

106. Respondetur disparem esse rationem; *Resp.* nam eo ipso, quòd alicubi negotium sit dedu- *Eo ipso quo res alicui deducta sit ad forum contensiosū, deficit conditio à Concilio requisita.* ctum ad forum, censetur simpliciter deductum, & deficit conditio Concilij requisita, scilicet non esse deductum; negatio enim omnem deductionem destruit, & excludit; esse autem occultum in eo loco, in quo verè est occultum, simpliciter dicitur occultūm, Vnde, si Concilium diceret *dummodò non sit publicum*, sufficeret, quòd in aliquo loco esset publicum, vt tunc absolui non posset. Dixit autem *in quibuscumq; casibus occultis*. Est autem casus occultus moraliter loquendo pro loco illo, in quem publicitas alterius loci non veniet, neque est spes veniendi.

107. Id verò mihi placet *deductum ad forum* *Quid dixerit Authorem intelligendū per deductum ad forum, &c.* *contentiosum* intelligendum esse interim, dum est deductum, & durat iudicium. Quando enim reus iam est absolutus, manet delictum occultū, neque est ad forum contentiosum cum effectu deductū, vtpote ibi non probatū. Ita Sāchez & Barbosa suprà. Molina *de Iustitia*. Tract. 3. disp. 79. num. 8. vers. 2. & 3. Auila. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 11. & p. 7. disp. 10. dub. 6. ad finem. Legatur Sanchez disp. illâ 34. libri. 8. num. 57. & 58. idem docet Suarius de *Censuris* disp. 41. sect. 2. num. 6. Sayrus *de Censuris*. lib. 7. cap. 7. num. 12. Graff. 1. p. decissionum lib. 1. c. 13. num. 43. & alij apud citatos rectè autem notant Sanchez, Suarius, Sayrus, & Barbosa hoc esse verum, etiamsi quis iniustè falsis testibus, & probationibus se defenderit; adhuc enim in eo casu manet occultum, neque ad forum contentiosum cum effectu deductum.

108. Notat etiam Barbosa num. 34. referens Sayrum suprà legantur, quæ dicemus de Matrim. Tract. 11. disp. 2. dub. 11. §. *ex quo etiam sequitur*. c. 7. num. 11. Maior. de *Origin.* lib. 13. cap. 17. sub. num. 9 Campan. in *diuers. Iuris. Canon. Rubr.* 11. cap. 23. num. 144. idem esse iudicandum, quando iudicium non fuit sententiâ finitum; sed cessauit; quia per annum tacuit accusator; ipsa enim taciturnitas accusatoris arguit defectum probationis, & æquiualet absolutioni.

109. Notat vlterius Sanchez in *Summa*, citato illo num.21. cum Nauarro lib.2. Consiliorum tit. *de sent. & re iud.* cons. 2. in 2. editione, si fortè duo sunt consortes eiusdem criminis, & alter tantùm deferatur in iudicium, alterum posse ab Episcopo absolui; eius enim delictum adhuc manet occultum comparatione illius, quatenus ab ipso processit; Quod etiam mihi placet.

Quæres an si delictum in foro externo punitum sit possit Episcopus absoluere.

110. Quæret tamen aliquis, an, si delictum ad forum contentiosum deductum sit, ibique punitũ, possit Episcopus absoluere? vel in impedimento inde proueniente dispensare?

Negant probabiliter multi.

111. Negant multi satis probabiliter ex Mascard. *de probat.* conclus. 1101. nu.13. & conclus. 1296. numero 15. cum multis à se relatis. Tiraquel. de *retract. lignag.* §.36. Gloss. 2. nu. 44. Menoch. *de arbitrar.* casu. 166. num.6. Ex quibus probant; quia in primis illud delictum notorium est, & publicum; nam quæ sunt in iudicio probata notoria sunt iuxta citatos Authores. Secundò illud delictum est cum effectu ad forum contensiosum deductum; ibi enim est probatum, & punitum; sed Concilium excludit delictum deductum ad forum, contentiosum: ergo, &c. Tertiò, quia absolutio concessa à Cõcilio est solùm pro foro conscientiæ: delictum verò sic manifestum, & publicum eget absolutione pro vtroque foro: ergo sub eã concessione non fuit comprehensum. Ita Suarius de *Censuris*. disp.41. sect.2. num. 5. ad finem Gutierrez lib.1. *Canonicar. qq.* cap.3. ad finem. Bonacina de de *Censuris* disp.1. q.3 p. puncto.2. num.2. & disp. 7. q.5. puncto.1. num.5. Barbosa.2.p. alleg.39. nu. 35. & aliqui alij.

Probant. 1. 2. 3.

Affirmant Alij satis etiam probabiliter Ratio.

112. Affirmant alij satis etiam probabiliter. Ita Sanchez citato. num. 21. Henriquez lib. 14. de *Irregularitate.* cap.7. nu.5. Auila 2. p. disp. 2. dub. 7. & p.7. disp.10. dub.7. Reginald. lib.30. Tract. 2. num.29. Probant quia finis Concilij quem habuit in ea reseruatione, cessat; finis enim fuit ne in delictis publicis, & deductis ad forum contentiosum impediretur satisfactio publica pro eiusmodi delictis; exhibenda propter absolutionem Episcopi; sed finiretur processus Iudicialis semel inchoatus: atqui iudicio iam finito, & publica satisfactione exhibitã, cessat hic finis: ergo reseruatio cessat.

Authori placet hæc sententia si rectè intelligatur.

113. Hæc sententia si rectè intelligatur mihi placet. Intelligi ergo debet, quando iam omnia requisita ex parte delinquentis, & ex parte Iudicis ferentis sententiam facta sunt, & absolutio tantùm deficit: tunc ergo existimo præcisè pro foro conscientiæ posse Episcopum absoluere absolutione tantùm suffragatura in eo foro, quando propter aliquod impedimentum nondum data fuit absolutio. Impedimentum autem esse debet absque culpã ipsius delinquentis, qui quantùm est ex se præstat, aut præstitit, quod debebat; sed adhuc extrinsecis impedimentis siue occasionibus occurrentibus nondum est absolutus. In tali ergo casu locum habet hæc secunda sententia pro foro conscientiæ cum onere suscipiendi absolutionem in foro externo conferendam à Iudice. Vel ab alio commissione ipsius: hac enim ratione cessat omnino finis reseruationis factę, vt vult hęc sententia, neque argumenta in contrarium cogunt.

114. Ad primùm respondetur concedendo prædictum delictum in iudicio probatum, & punitum esse notorium, & publicum; sed cessare in eo ad finem legis reseruantis, ac proinde non comprehendi talem casum; etiamsi non sit occultus. *Ad Primũ Resp.*

115. Ad 2. & 3. concedo absolutionem esse pro foro conscientiæ, & delictum indigere etiã absolutione pro foro exteriori; sed illam datam pro foro interiori non impedire dandam pro foro exteriori. Atque adeo non obstat delictum prius fuisse deductum ad forum externum; imò eo ipso, quòd delictum sit iam punitum, & finitum iudicium, vt supponimus, cessauit iam forum externum; sicut enim aduersarij probabiliter dicebant, nondum esse deductum ad forũ externum crimen facto delatione, & citatione ante litis contestationem; quia iudicium, & forum externum contentiosum nondum plenè subsistit: ita etiam post datam, & exequutioni mandatam sententiam, punitumque delictum, iam non subsistit forũ contentiosum; sicut enim animal non existit antequam fiat: ita non existit postquam eius vita finita est. *Ad secundũ & tertiũ Resp.*

SECTIO TERTIA.

Quid intelligatur per illa verba, *In In diœcesi suâ & in foro conscientiæ.*

911. HÆc verba posita sunt à Concilio, quãdo egit de facultate ad absoluendum; nõ verò quando egit de facultate ad dispẽsandũ; Cuius rei rationẽ reddit Barbosa; quia putat allegatione 39 num. 7. facultatem dispensandi exerceri posse in absẽtem; hæc autem absolutio, quæ ibi committitur, debet esse in Sacramento Pœnitentiæ; & ideò præsentiam subditi requirit. Porrò absolutionem debere fieri in Sacramento docet Garzia de *Beneficijs* p.11. cap. 10. num. 139. & asserit ita sæpè declaratum à Congregatione Concilij. Ita etiam Riccius, in Praxi fori Ecclesiastici. Resolutione 445. n. 8.

117. Probabile nihilominus est illa verba *in foro conscientiæ* non esse coarctanda ad Pœnitentiæ Sacramentum; quia forum conscientiæ non est solum forum Sacramentale: sed secretum, conscientiam respiciens. Cum ergo prædictum Priuilegium Concilij sit iuxta dicta latè interpretandum, non videtur limitandum ad forum Sacramentale, vt cum communi sententia docet Nicolaus Garzia *de beneficijs* 7.p. c.11. num.138. Suarius *de Censuris* disp.41. sect.2. num.11. & *de fide* dip.21. sect.4. num.5. Nauarrus lib.5. *Consiliorum*, tit. de Priuileg. cons.11. q.2. in 2. edit. Legantur dicenda dub.18. *Probabile est illa verba in foro conscientiæ non esse restringenda ad Pœnitentiæ Sacramentum. Ratio.*

118. Dubitari autem potest an illa verba *in diœcesi suâ* sint restrictiua potestatis Episcopalis circa eiusmodi facultatem? *Dubium.*

119. Negat Sanchez citato lib.2. *summa* c. illo 11. num. 17. cui videtur consentire Barbosa in *Remissionibus Concilij*, ad nostrum Textum; putat enim, potiùs esse extensiua facultatis, comprehẽdentis subditos, qui verè subditi sũt ratione domicilij; siue existant in diœcesi siue extra, *Negat Sanch. illa verba in diœcesi sua. esse restrictiua.*

&

& etiam subditos, qui solùm ratione transitus in diœcesi commorantur, vt dicebamus propè finem sectionis 1.

120. Putat ergo consequenter Sanchez posse Episcopum virtute huius facultatis absoluere à prædictis casibus existentem subditum in alienâ diœcesi, etiamsi, Episcopus extra suam diœcesim existat. Probat, nam in primis requiri non potest, vt vterque simul scilicet, subditus, & Episcopus sint in diœcesi: esset enim nimis coarctare priuilegium Concilij. Neque requiri potest, vt Episcopus in diœcesi propriâ existat, vt subditum à Censuris absoluat; quia hæc absolutio est exercitium voluntariæ Iurisdictionis, quod vbique gentium fieri potest erga subditos. Vnde si Concilium vellet hanc voluntariam Iurisdictionem limitare, verbis clarioribus vteretur, quod fecit sect. 6. c. 5. de *Reform.* cùm dixit *Nulli Episcopo liceat Pontificalia in alterius diœcesi exercere.* Deinde requiri non potest, quod subditus in diœcesi propria existat; nam illa verba *diœcesi suâ*, non possunt ad subditos referri potiùs enim dixisset *in eorum diœcesi.* Accedit quod Concilium in plerisque Codicibus correctis impressis habet virgulam diuidentem subditos à diœcesi suâ; ait enim, *liceat Episcopis quoscumque sibi subditos, in diœcesi suâ absoluere*, ne diœcesis ad subditos referretur.

Probat.

121. Alij verò putant ea verba *In diœcesi tuâ* limitatiua esse facultatis absoluendi. Ita Suarius Henriquez, Barbosa pòstea referendi, quos sequuntur aliqui Recentiores. Probant aliqui primò ex contextu, quia illa verba ibidem posita. *In foro conscientiæ* limitatoria sunt, ne possit absolutio impendi pro foro externo: ergo, & illa *in diœcesi sua*, ne possint extra diœcesim. Secundo, quia (vt rectè idem Sanchez expendit) nulla clausula in decretis superfluere debet, imò neque vna syllaba, vt probat lib. 3. de *Matrimonio* disp. 46. n. 5. sed superfluerent illa verba, si potestas absoluendi non limitaretur alterutro modo, nempe ad subditos existentes in diœcesi eorum, vel ad Episcopum existentem in sua diœcesi: ergo ad vnum è duobus debet limitari. Minorem Probant, quia semel concessâ facultate absoluendi à Censuris, potest Episcopus absoluere quemcumque subditum quomodocumque sit subditus, siue ratione domicilij, siue ratione habitationis, ita, vt si sit subditus ratione domicilij, possit illum absoluere vbi libet existentem, quia non amittit subiectionem; si verò sit subditus ratione habitationis, poterit illum absoluere, dum actu habitat, quia pro eo tempore est subditus: ergo ea verba *In diœcesi sua*, nihil operantur; sed superflua sunt hoc autem non debet admitti; ergo asserendum est ea verba esse limitaria facultatis absoluendi ad vnum è duobus vel ad subditos existentes in sua diœcesi, vel ad se ipsum in sua diœcesi existentem.

Alij affirmant.

Probat 1.

122. Ideò Suarius de Censuris disp. 41. sect. 2. n. 10. putat limitandam esse eam facultatem ad subditos, ita, vt sensus sit posse absoluere sibi subditos id est in sua diœcesi existentes quia paci, & recto regimini conuenientiùs est, si potestas absoluendi non solùm ad personas; sed etiã ad territoria limitetur.

Suarius putat limitandam esse facultatem Episcopi ad subditos.

123. Alij verò putant ea verba *In diœcesi suâ* referendo esse ad Episcopos absoluentes ita, vt ex illis limitanda sint ne Episcopus extra propriam diœcesim existens possit vti hâc facultate; sed necessariò debeat existere in sua diœcesi, vt illa vtatur. Ita Henriquez lib. 4. de *Irregularitate* c. 20. n. 5. Rodriguez tomo 2. *summæ* c. 69. n. 1. Barbosa allegat. 39. Probatur; quia iuxta dicta illa verba. *In diœcesi sua* non possunt ad subditos commodè referri. Ratio verò congruentiæ efficaciùs procedit in Prælatis, quàm in subditis; magis enim pax & concordia inter Prælatos offendi potest ex eo, quod vtatur, extra propriam diœcesim existens, eâ potestate, quàm ex eo, quod existens in propriâ diœcesi subditum alibi existentem absoluat.

Aliorum opinio quod Episcopus absoluens debeat existere in suâ diœcesi.

Probatur.

124. Addunt aliqui hoc non esse de derogari Iuri communi, & exercitio voluntariæ iurisdictionis, quod vbilibet potest fieri; sicut non est (inquiunt) derogatio Iuris cõmunis, & facultatis absoluendi, quod absolutio solùm pro foro conscientiæ fieri possit; quia, cùm Episcopus in his reseruatis nullam haberet potestatem, potuit Pontifex in concessione illius conditiones apponere absque Iuris communis derogatione; ita vt sub illis conditionibus concedat, sine illis neget.

125. Omnes hæ sententiæ satis per se probabiles sunt; verum prima, quam ex Thoma Sanchez adduximus mihi videtur magis iuri conformis; neque argumenta facta probant, illa verba esse limitiuá, vel respectu subditorum, vel respectu Episcoporum, quin potiùs ampliatiua Iurisdictionis.

Author omnes has opiniones probabiles iudicat, sed prima magis placet.

126. Ad primum enim argumentum concedo illa verba in foro conscientiæ esse limitatiua respectu fori exterioris, quia sub nomine fori conscientiæ nullo modo venit intelligendum forum exterius; nego tamen inde sequi illa verba *In propria diœcesi* debere esse limitatiua, siue ad Episcopos existentes in propriâ diœcesi; siue ad subditos etiam ibi præsentes; illa enim verba *in propria diœcesi* possunt se extendere ad exercitium iurisdictionis voluntariæ exercendæ ab Episcopo circa personam, quæ censeatur esse in propria diœcesi tam ratione Domicilij, quam actualis præsentiæ. Vnde si Episcopus exerceat huiusmodi iurisdictionem in subditum habentem domicilium in sua diœcesi, etiamsi casu cõtingat tunc transeunter in alienâ commorari, dicitur exercitium illud Iurisdictionis pertinentis ad Episcopum ratione propriæ diœcesis, atque adeò esse actum inclusum in propria diœcesi, id est in Iure pertinente ad propriam diœcesim. Item, si absoluat aliquem alterius quidem diœcesis ratione domicilij, pertinentè tamẽ ad suã diœcesim ratione actualis præsentiæ, etiam exercet iurisdictionem in propriâ diœcesi; quia etiam ille, maximè in fauorabilibus, qualis est hoc, tunc temporis continetur inter diœcesis suæ subditos. Cùm ergo alioquin hæc iurisdictio sit voluntaria, & iurisdictio voluntaria Iure cõmuni exerceri possit à superiore erga suum subditum vbique gentium existentem; hinc est vt Episcopi extra suã diœcesim existentes possint erga sibi subditos in propria diœcesi (subditos inquam) vel ratione domicilij, vel ratione actua-

Ad 1. contraria opinionis. Resp.

Iurisdictio voluntaria erga subditũ vbiq. exerceri potest.

lis præsentiæ; exercere prædictam iurisdictionem voluntariam; nisi alioquin superior id restringat; contendimus autem non restrinxisse Concilium, vt ex dictis, & dicendis constabit. Itaque diuersitas in eo est, quòd particula *in foro conscientiæ* non potest se extendere ad significandum forum externum; ideò limitat facultatem ad forum internum; particula verò *in diœcesi suâ* potest se extendere, siue ad actionem Episcopi existentis extra suam diœcesim siue ad passionem seu receptionem subditi, qui subditus sit illius diœcesis ratione domicilij, etiamsi extra diœcesim tunc habeat præsentiam, seu subditi ratione præsentiæ intra diœcesim; etiã si extra diœcesim tunc habeat præsentiam, seu subditi ratione præsentiæ intra diœcesim; etiãsi extra diocésim habeat domicilium. *Ad 2. Resp.*

127. Ad secundum respondetur nullam particulam esse otiosam, vel superfluam supposità nostrâ sententiâ; sed quamcumque particulam aliquid speciale significare, & aliquod dubium tollere; nam illa particula *sibi subditos* & illa particula *in propria diœcesi* se mutuo explicãt, atq; in primis illa particula *in propriâ diœcesi* multò latius pateret, nisi adiungeretur illa *particula sibi subditos*. sæpè enim contingit, & cõtingere potest intra propriam diœcesim existere aliquos non sibi subditos; sed omnino exemptos, quales sunt plerique regulares iuxta dicta sect. 1. ergo non est superflua coniunctio vtriusque particulæ, si particula *sibi subditos* explicat, aut limitat particulã *in propria diœcesi*, rursus particula *in propria diœcesi* limitat, explicatque particulam *sibi subditos*; nam cùm hic sermo sit de absolutione in foro conscientiæ; possit autem aliquis esse subditus Episcopo in foro conscientiæ absque eo, quòd sit subditus illi ratione diœcesis, in quâ habeat, vel domicilium, vel præsentiam talis subditus, vt contingit in Episcopo, qui in alienâ diœcesi, vel facultate sibi competenti alioquin à Iure; vel à proprio Episcopo illius diœcesis, audit cõfessiones, aut exercet etiam officium Vicarij, vel Parochi: Hinc est, vt illa particula *In propriâ diœcesi* non sit otiosa; sed declarat, non quemcumq; subditum Episcopis; sed subditos, qui ad illum pertineant in propriâ diœcesi modo explicato posse absolui ab Episcopo in foro conscientiæ. Ex quo fundamento corruit tota machina aduersariorum, quæ præcipuè nitebatur in otiositate illius particulæ *In propria diœcesi*

Hinc collige. 128. Ex hac ergo particula colligitur pro praxi Episcopum titularem, aut etiam alterius diœcesis Episcopum in alienâ diœcesi habentẽ subditos, titulo officialis Ordinarij, seu Vicarij etiam generalis, aut titulo alicuius beneficij curati non posse illos subditos à prædictis casibus in foro conscientiæ absoluere, quia non sunt subditi sibi in diœcesi suâ, vt dicemus iterum in principio dubitationis 7.

SECTIO QVARTA.

Quomodo intelligenda sit illa particula *per se, vel per suum Vicarium ad id specialiter deputatum &c.?*

129. QVod attinet ad Vicarium deputandum pro casu Hæresis; an possit ab Episcopo alicui specialiter committi diximus latè dub. 3. præcedenti nunc solùm agimus respectu aliorum casuum de facultate, quam habet Episcopus *per se* vel *per Vicarium deputatum*.

130. Aduertendum in primis est in facultate, quam Concilium concedit dispensandi non fieri eam concessionem deputandi Vacarij; sicut in hac facultate absoluendi. Vnde orta est controuersia an liceat Episcopo committere dispensationes Irregularitatis, & aliorum Impedimentorum, sicut potest à casibus reseruatis absolutionem committere? *Notandum.* *An liceat Episcopo committere alteri dispensationes Irregularitatis &c.*

131. Alij affirmant ex principio illo generali quòd sit potestas commissa non personæ; sed dignitati. *Opimo affir.*

132. Alij verò negant; quia putant virtualiter restrictam potestatem ad solum Episcopum ex eo, quòd potestas ipsi, & non Vicario suo generali concedetur. Constitutio autem ambigua in vna parte, ex aliâ debet declarari. Cùm ergo in secundâ parte illius constitutionis apposuerit extensionem ad Vicarium, & in primâ omiserit, tacitè limitauit ne Vicario concederetur. Ratio verò differentiæ esse potest; quia potestas absoluendi magis videtur necessaria ad salutem animarum, quàm potestas dispensandi. Ideò magis extendenda. Propter huiusmodi discursum hæret Barbosa citatâ allegatione 39. n. 14. in fine, nec audet iudicium ferre. *Negans.*

133. Asserendum nihilominùs est committi posse potestatem dispensandi tàm Vicario generali, quàm cuilibet particulari personæ; Est enim potestas Iure communi competens dignitati Episcopali; ideò non est cur nequeat delegari. Leue autem, seu nullius momenti argumentum est petitum ex eo, quod in secundâ parte illius decreti commissa sit potestas absoluendi, vt inde colligamus non posse potestatem dispensandi committi prædictis Vicarijs, seu priuatis personis; nam ad restitutionem aduersantem Iuri communi multò clariora, & firmiora fundamenta necessaria sunt. Solùm ergo inde potest in hunc sensum, vtcumque argumentum desumi, quod potestas absoluendi à casibus reseruatis, cùm animarum salutem immediatius respiciat, non alteri quàm Vicario ad specialiter deputato delegari possit; potestas verò dispẽsãdi in Irregularitatibus & suspẽsionibus Episcopis à Cõcilio concessa delegari possit Vicarijs generalibus, & etiam alijs priuatis: potestas verò absoluendi ab Hæresi non possit hoc modo, siue, Vicario generali, siue alteri specialiter deputando, vt ad illum recurrant in casibus Hæresis, sed vel soli Episcopo, vel, si alicui potest aliquando committi, solum sit pro casu particulari iuxta dicta dub. præcedenti, atque hanc sententiam pro dispensatione docet Sanchez de *Assertio. potest Episcopus committere potestatem dispensandi alteri. Ratio.*

Ma-

Matrimonio lib. 2. disp. 40. numero 17. & lib.2.*Summæ* cap. 11. num. 27. Suarius disp. 41. sect.2.num.8. Nauarrus Conf. 11. tit. de *Priuileg.* num.4.

DVBITATIO V.

An Episcopus possit vti hâc facultate absoluendi ab Hæresi, etiam suppositâ Bullâ in Cœna Domini?

An facultas à Trid. Episcopis concessa sit reuocata in Hispania. Author nõ constat.

134 AN facultas Episcopis concessa in Tridentino sit reuocata saltem pro Hispaniâ in fauorem inquisitorum per Bullam Pontificiam, in quâ id expressè contineatur, mihi satis liquidò non constat, nec de illa iudicium ferre licet; quis enim sanæ mentis interpretabitur Textum, quem non videt; illi ergo Bullæ, si fortè est pro Hispaniâ concessa, omnino standum erit. Accepi quidem à Sapientissimo viro nostro Societatis, se addidisse ab aliquibus inquisitoribus piis, & doctis extare apud sanctum illud tribunal Bullam à Pontificibus concessam, in quâ reuocatur facultas absoluendi ab Hæresi concessa in Tridentino Episcopis; item testabatur se nouisse Episcopos satis doctos, qui noluerunt vti prædictâ facultate, illam existimantes reuocatam. Vasquez etiam de *Excommunicatione* dub. 19. num. 6. & 7. videtur significare eam facultatem non esse in vsu, quamuis hic Auctor ibi satis obscurè loquatur; imò videtur esse in sententia quòd ea potestas à Tridentino non sit concessa; ait enim *videmus quod neque Episcopi audent vti Priuilegio, quod aliqui dicunt (quibus tamen ego non assentior) à Concilio Tridentino ipsis concessum in sess. 24. decreto de Reform. c. 6. vbi videtur soli Episcopo, &c.* Falsum verò est quòd ibi non sit concessa talis facultas, quidquid sit, an eius facultatis exercitium sit vsu receptum. Itaque de Bulla inquisitorum mihi non satis constat.

135. De vsu verò talis facultatis non recepto in rebus pertinentibus ad forum conscientiæ, vix potest certò aliquid sciri, nam cùm in eâ re posset esse aliqua controuersia cum inquisitoribus, etiamsi aliqui, vel absoluentes, vel absoluti vtantur eâ facultate secretissimè rem totam manere volunt, quia scilicet absolutis timendum est; si propaletur delictum, absoluentibus verò incumbit obligatio; seruandi sigillũ, & sua interest non contendere cum quæsitoribus fidei. Ideò videndum est, vt monebam, an habeant Inquisitores prædictam Bullam. Nunc ergo de Bulla cœnæ disputemus; an deroget prædictæ facultati Episcopis concessæ in Tridentino.

An Bulla Cœnæ deroget prædictæ Episcoporũm facultati.

Verba Bullæ.

136. Verba Bullæ Cœnæ, quæ contra prædicta verba Tridentini facere videntur, sic habent: *Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem; nisi in mortis articulo constitutus; neque etiam tunc; nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstitâ absolui potest, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscumq; personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, ac Militarium Regularibus etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisq; ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, neque à laicis etiam Imperiali, Regali, aut alia mundanâ excellentiâ fulgentibus per nos, & dictam sedem, ac cuiusuis Concilij decreta verbo, litteris, aut aliâ quâcumq; Scripturâ in genere, vel in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.* Hactenus Bulla.

Non esse his verbis Bullæ ablatam Episcopis facultatem à Trid. concessam varij Affirmant.

137. Non obstantibus his verbis non desunt Auctores cum primis graues, qui affirment ex vi huius clausulæ non esse ablatam facultatem à Tridentino concessam. Ita Bânez. 2. 2. q.11.art.4.dub.2.post.2.conclus. argum.3. Aragon ad eandem q.art.3. Nauarrus in *summâ latinâ* cap.27.num.260. & lib.5. *Consiliorum* tit. de *Priuileg.* cons.11.q.1.& *de sententia excomm.* cons. 15. Gutierez in *Quæstionibus Canonicis*. in posterioribus lib.1.c.13. ad fin. Henriq. lib. 6. de Pœnit.cap.14.num.7. Lorca. 2.2. disp.45. num. 10. Probabilemque reputat Suarius de *Censuris* disp. 21.sect.3.num.5. eandem sequuntur plures alij relati à Gutierez suprà. Item Sa verbo Episcopus num.37. Viualdus in Candelabro in penultimâ edit.p.1.Tract.de *absolut.* nu. 13. & 2. p. in expositione Bullæ Cœnæ. Rodrig. in Bullâ Cruciata.§ 9.num.70.& in summâ tomo. 1. in 2. edit. c. 131. num. 3. & in *quæstionibus Regularibus* to. 1.q.20.art.10. Petrus de Ledesma.2.tomo *Summæ* Tract.1.cap.6.post 20. conclus. difficult.7. Vego.2.tom. *Summæ*.c. 125. casu.11.& in eandem sententiam magis inclinat Rutilius Benzonius Tract. *de fuga*.lib.1.disp.1.q.6. paulò ante vltimam conclus. Addit tamen rem esse ad Pontificem deferendam, vt suam mentem declaret. Multi etiam alij pro hac sententia referri possunt, qui; quamuis expressè non dicant, & in terminis hanc facultatem non esse reuocatam per Bullam Cœnæ, dicunt nihilominus posse Episcopum absoluere ab Hæresi occultâ virtute prædicti decretati, quod non dicerent; nisi putarent non esse reuocatam facultatem; hi verò in magnâ copiâ referuntur à Thoma Sanchez citando pro sequenti sententia.

Pro intelligentia huius sententiæ supponendũ est.

138. Hæc sententia varijs rationibus probari solet; quarum plures omnino leues sunt, ideo illas non referam; pro intelligentia tamen huius sententiæ, & claritate fundamenti præcipui supponendum est posse Pontificem derogare prædictæ constitutioni Tridentini; tum; quia Pontifex est suprà Concilium, quidquid aliqui, vel in Conuentu Basileensi, vel inter Parisienses blaterauerint quondam, & modo velint effutire nonnulli. Quamuis autem Pontifex omnino possit Concilio generali derogare, non censendus est ita facere; nisi absque vllâ dubitatione constet; neque enim in dubio præsumendum est derogari dispositioni Conciliari per legem posteriorem, vt constat ex cap. *Ex parte* de *Cappellis Monachorum*; nisi talis mentio fiat. Tota ergo controuersia necessariò in nostro casu sita esse debet in explorãdo Textu Bullæ Cœnæ, & diligenter examinando an ibi fiat expressa mentio huius dispositionis Conciliaris, sine quâ mentione non censetur derogatum conciliari dispositioni; vt latè probat Nauarrus. c. 27. n. 265. & alij cum Sanchez, & apud ipsum lib.2. de *Matrimonio* disp. 24. n.6. & amplius ex dicendis

Tota controuersia in nostro casu.

 cendis

cendis declarabitur.

Fundamentum praecipuum huius sententiae. Vnde fundamentum praecipuum huius sententiae est quòd in Bulla Coenae nulla sit particula derogatiua talis facultatis concessae in Concilio; si qua enim esset, maximè illa *Cuiusuis Concilij Decreta verbo literis aut aliâ quâcumque scriptura*; nam caeteras particulas parum mihi videntur contra hanc sententiam probare. His autem verbis non liquidò constat Pontificem voluisse huiusmodi facultatem ab Episcopis remouere: ergo &c. Probant, Auctores huius sententiae minorem ex principio tradito; quia lex posterior generaliter, & indistinctè loquens non censetur derogare priori maximè Conciliari loquenti in casu particulari; sed potius lex generalis posterior limitanda est per antiquiorem specialem quando expressis verbis illi non contradicit, etiamsi in lege posteriori sit illa clausula *non obstante lege contraria*, talis enim lex specialis non censetur contraria legi generali: intelligi enim potest generalis lex limitanda, vt per aliquam distinctionem, vel limitationem non censeatur contraria legi speciali praecedenti; & vitetur Iuris correctio iuxta l. *Praecipimus*. C. de *appellat*. & Iuribus Iura concordemus iuxta c. *cum expediat* de *Election*. vbi Pontifex: *Cum expediat concordare Iura Iuribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) euitari*; sed hoc omninò potest habere locum in nostro casu, vt scilicet lex illa generalis Bullae Coenae non deroget praecedenti legi Concilij, si lex illa generalis potest intelligi cum limitatione iuxta legem specialem antecedentem ita, vt iuxta Bullam intelligatur simpliciter ablata potestas à toto genere, & generaliter loquendo omnibus, etiam Episcopis absoluendi à praedictis casibus praesertim ab Haeresi absoluté, & sine limitatione, non tamen sub eâ limitatione quòd scilicet sit in foro conscientiae tantum, & tantum à delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. Cum hac enim limitatione intellectâ lege speciali Concilij potest limitari lex generalis, & non censeri contraria illi lex Bullae Coenae. Legatur Sanchez libro in 2. de *Matrimonio* disp. 24. n. 6. vbi hoc fundamentum limitandi legem posteriorem, & generalem per specialem anteriorem latè ex multis, & cum multis probat. Vnde Bulla Coenae intelligi potest de peccatis publicis, & non occultis & de absolutione, quae etiam in foro externo prodesse possit in quo nulla est contrarietas vnius legis cum aliâ.

Lex generalis posterior limitanda est per antiquiorem specialem, quando &c.

Bulla intelligi potest de peccatis publicis, & non occultis &c.

140. Praeterea Concilium loquitur de absolutione, quam Episcopi possent impendere Iure communi antiquissimo, vt cum Suario, & alijs notauimus suprà dub. 3. §. *circa praedictam* ac proinde non propriè censeri potest Indultum, aut priuilegium illud, quod Concilium concessit, sed potiùs censetur reductio ad suam antiquitatem, & quasi naturalem statum, quem habebat seclusâ reseruatione. Ex quo fit, vt ea facultas Concilij non sit tam propriè concessio, & Indultum, quàm non reseruatio proillo casu, & non tam sit priuilegium, & facultatem concedere quàm tollere prohibitionem, & reseruationem; quâ positâ carerent Episcopi facultate illâ, quam secundum Ius suum, & munus Episcopale habebant. Bulla verò Coenae tollit potestatem

Facultas à Trident. Episcopis concessa non tam propriè est concessio quàm non reseruatio.

absoluendi *praetextu quarumuis facultatum, & Indultorum, quibuscumque personis &c. etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate praeditis &c.* Vnde intelligi potest lex de ijs, qui facultatem habent virtute Indulti, aut Priuilegij id est speciali Iure, gratiâ, & concessione; Episcopi verò iuxta dicta non speciali Iure, non priuilegio, gratiâ, & concessione eam facultatem habent, sed per se & Iure suo, nisi restringatur. Vnde solâ ablatâ ipsâ restrictione, & relictâ dignitate in suo statu communi, & ordinario, resultat, seu emergit potiùs, quae latebat occulsa, atque suppressa virtus absoluendi innata dignitati Episcopali. Hoc ergo modo intellectâ vtraque lege Bullae, & Concilij satis cohaerent, neque est cur vnum alteri oppositum iudicemus.

Hinc intelligi potest lex de ijs qui per priuilegium habent facultatem absoluendi.

Hoc sensu lex Concilij & Bulla sibi cohaerent.

141. Porrò aliquam esse distinctionem adhibendam, & rationem habendam delicti occulti, videtur colligi ex motu proprio Sixti V. vbi reuocans facultatem absoluendi à casibus ibi contentis, vt iniquae susceptionis Ordinum, quam habent Episcopi per Tridentinum addidit illa verba *etiamsi crimen penitus occultum fuerit*, vtique praesentiscebat Pontifex reuocationem facultatum generalem posse censeri non extensam ad casus occultos. Ideò voluit tali effugio aditum praecludere. Si ergo à fortiori reuocatio Bullae Coenae generalis facultatum concessarum per *cuiusuis Concilij Decreta* non factâ mentione Tridentini nec casuum occultorum, non erit ad illud extenda.

Distinctio facienda est inter delicta occulta, & publicum Ratio.

142. Accedit, quod iam à tempore Sixti V. illis verbis Bullae, *etiamsi casus in genere, vel in specie in praedictis facultatibus concedantur*, addita sunt verba alia *nisi in eis, etiam casus praesentibus literis expressi comprehendantur*. Sed Tridentinum expressè in praedictâ facultate comprehendit casus contentos in Bullâ Coenae eo ipso quod Haeresim exprimat, cuius absolutio maiorem habet difficultatem, quam in alijs. Alioquin (vt notat Sanchez) in id apertum absurdum incideremus vt dicendum esset eam facultatem non reuocasi, quoad Haeresim, & reuocari, quoad alios casus Bullae Coenae. Omitto alias rationes minoris momenti, quae videri possunt apud Sanchez citato lib. 2. *Summa* c. illo 11. n. 27. & apud alios citatos.

Accedit.

143. Solùm ex praedictis colligo pro hac sententia, saltem rationes, quae pro illa sunt, reddere illam speculatiuè probabilem: ergo practicè tutam & certam; neque enim Episcopi se debent Spoliare, aut spoliatos censere facultate sibi concessâ expressè, & tam maturo iudicio, in Tridentino propter verba Bullae, quae non ita clarè loquuntur, quin locus adhuc sit tantae controuersiae; imò Authores oppositae sententiae recurrant ad nescio quam, declarationem Pontificiam, de quâ postea dicemus, nimirum satis videntur aduersarij se prodere quòd non nimis fidant nudo textui Bullae Coenae, quin opportunum iudicauerint, aut necessarium, vt se tuerentur ad vocalem Pontificum declarationem confugere, de quâ authenticè saltem non constat; Imò cùm notum sit Pontificibus, quotannis legi, promulgari facientibus Bullam Coenae, hanc esse inter Doctores grauissimam controuersiam, & facilè possent id declarare, & tamen non faciant;

Haec sententia non tantum est speculatiuè probabilis, sed & practicè tuta.

ciant signum est non esse rem tam certam, ut aliqui oppositæ sententiæ Auctores iactant, quin potius saltem velit vnicuique liberum suum iudicium permittere. Accedit etiam, quòd Sixtus Quintus addiderit illam clausulam, de quâ suprà: *nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur.*

Secunda sententia docet per Bullam esse reuocatam Episcoporū facultatem.

144. Secunda sententia huic opposita docet, per clausulam Bullæ Cœnæ reuocatam esse Episcopis facultatem absoluendi ab Hæresi, reliquisque casibus ibi contentis. Ita Suarius de *Pœnit.* disp. 30. sect. 2. num. 11. & de Censuris disp. 21. sect. 3. Penna in Directorio. 3 p. *commentario.* 141. post. q. 92. vbi testatur iuxta hanc opinionem in supremo generalis inquisitionis Prætorio sæpe iudicatum esse. Cardin. Tuscus. de *Visitat.* lib. 2. cap. 21. num. 5. & cap. 23. num. 4. Marcus Antonius Genuensis in *Praxi Neapolit.* cap. 67. n. 10. in primâ edit. vbi testatur Gregorium. XIII. & Clementem. VIII. sic declarasse. Azor, tomo 11. lib. 8. cap. 19. q. 3. & cap. 10. q. 10. & affirmat se audiuisse à Religioso docto, & fide digno sic declarasse Clementem. VIII. Referri etiam solent pro hac opinione duæ declarationes Cardinalium, quas aliqui appellant Authenticas, & testatur Nicolaus Garzia 11. p. de *Beneficijs*, cap. 10. num. 122. & Suarius suprà. Item Barbosa in *Remissionibus Concilij.* verb. *Et in Hæresis crimine.* citata sess. 24. cap. 6. & 2. p. de *potestate Episcopi*, alleg. 40. num. 25. Farinacius *de Hæresi* q. 192. nu. 61. Bonacin. cum alijs disp. 1. de *Censuris.* q. 3. puncto 2. num. 1. & alij multi, quos refert Sanchez citato lib. 2. *Summæ* cap. 11. num. 26. In quā tandem sententiam ille magis inclinat, & aliam appellat *valde dubiam, & parum tutam*; si tamen hæc verba sunt Auctoris propria, & non supposititia in libro posthumo, quæ non admodum videntur cohærere cum ijs, quæ ferè immediatè ibidem dixerat scribens *vtrimque vrgere rationes, & auctoritatem grauium Doctorum, quæ vtramque partem probabilissimam reddere videntur*; & immediatè antea dixerat *fateor rem esse valde dubiam*, nempe speculatiuè loquendo, & accepto dubio in sensu, quo tale appellatur aliquid, quando pro vtraque parte vrgent rationes valde probabiles, vt ipse fatetur.

Fundamentum huius sententia est Doctorum Autoritas & verba Bulla.

145. Fundamenta huius sententiæ, quamuis varia verbis esse videantur; omnia tamen reducuntur, tum ad sensum, & auctoritatem plurium grauissimorum Doctorum sic sentientium; tum ad verba Bullæ, quæ satis illis videntur excludere eam facultatem concessam Episcopis. Et quidem quod attinet ad auctoritatem Doctorum ita sentientiū fateor esse maximā, & grauē & quę per se spectata quęcumq; posset ad se trahere; sed tantæ auctoritati opposita sententia potest opponere non minorem aliorum qui nec pondere, nec numero illis cedunt, ut excitatis pro illâ constat. Debemus ergo venire ad Textum.

Sed quoad Doctorum Authoritatem non cedit contraria sententia

Probant aliqui ex textu Bulla, hanc sententiam.

146. Probant igitur aliqui ex Textu Bullæ; quia in vltima clausula Bullæ Cœnæ à tempore Pij V. sub nato paulò ante Concilio Tridentino expressè habetur, vt ab illis casibus nulla persona, etiam Episcopali dignitate prædita, absoluere possit prætextu cuiuscumque facultatis, etiam *cuiusuis Concilij in genere, vel in specie.* Satis autē nouit Pontifex non esse aliud Concilium præter Tridentinum, in quo ea facultas concessa sit: ergo; nisi per illa verba *cuiusuis Consilij* vellet excludere Facultatem concessam in Tridentino, superflua omnino essent verba. In eo verò Cōcilio, non concessa est Episcopis facultas absoluendi in foro externo, & à peccatis publicis, deductisque ad forum contentiosum; sed solùm à peccatis occultis, & in foro conscientiæ: ergo hanc facultatem aufert Pontifex per illam particulam. Huic argumento aliqui Recentiores maximè fidunt, & putant rem totam conficere.

Hoc argumentum rem totam conficere putant aliqui.

147. Mihi tamen (illorum pace dixerim) nullius momenti argumentum videtur, & quod facile possimus, vel retorquere in ipsos, vel eius solutionem extorquere ab ipsis; nam illa vox *cuius suis Concilij* distributiua est; ac proinde exclusiua cadens suprà illam particulam, si quid probat argumentum) non vnum tantum Concilium petit excludendum; sed plura. Inquiro ergo ab his Auctoribus vbinam sint alia Concilia quæ concedant facultatem absoluendi à casibus reseruatis in Bullâ Cœnæ, aut omnibus, aut aliquibus? si assignent alia Concilia, corruit ipsorum fundamentum, vt patet; opponebant enim alteri sententiæ quod non esset aliud Concilium prædictam facultatem concedens. Si verò adhuc dicant non esse aliud Concilium præter vnicum Tridentinum, explicent quâ ratione non sit otiosa illa distributio *cuiusuis consilij*: non existente; nisi vnico; hæc enim solutio sufficiet etiā pro oppositā sētētiā sicut enim non existēte multitudine Conciliorum intelligi potest non esse superfluā notā multitudinis: ita non existente concessione absoluendi ab Hæresi simpliciter, & in casibus etiam publicis factâ in aliquo Concilio, potest intelligi non esse superfluam illam mentionem concessionis Concilij. Vel dicant cur, nullâ multitudine existente Conciliorum, non sit superflua exclusio multitudinis Conciliorum concedentium eam facultatem; si non existente aliquo Concilio concedente eam facultatem; sit superflua exclusio Concilij concedentis.

Author nullius momenti esse illud argument. putat.

Ratio.

148. Sed agedum, respondeamus pro ipsis, & pro oppositâ sententiâ notando id, quod frequentissimè, & quotidiano vsu receptum est in Bullis Pontificijs, quando venitur ad derogatorias, vbi solent per generalem stylum, & consuetudinem adhiberi derogatoriæ clausulæ connumerando non solum illas, quæ de facto videntur, esse, vel consuetudines vel leges in contrarium; verum etiam, quæ possunt excogitari, & imaginari, etiamsi de facto non sint; tum ad significandum animum legislatoris volentis omne effugium præcludere euadendi vim legis; tum etiam vt seruetur stylus, & quasi solemnia verba seruari solita in ijs derogationibus. Sic sæpè in vulgaribus Bullis Cruciatæ in Hispaniâ, quando excluduntur, aut etiam annullantur auctoritate Pontificiâ ad id concessâ alia similia priuilegia interim, dum annus publicationis præsentis Bullæ durat, excludi solet inter illa, quæ excluduntur, alia quæuis similis Bulla Cruciata, & tamen constat nullam esse aliam similem Bullā Cruciatam, quæ in totâ Hispaniâ publicetur. Sic etiam

Resp. Author, Pro hâc & opposita sententiā.

etiam in plerisque Bullis Apostolicis, etiam pro re satis communi, & cuius sæpè nulla facta est mentio in Apostolicis vniuersalibus Prouincialibusque Concilijs, solet addi *non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac vniuersalibus, Prouincialibusque Concilijs; editis generalibus; vel specialibus Constitutionibus, vel ordinationibus &c.*

149. Itaque quando sunt solemtiia, & stata verba, etiamti pro casu particulari præsenti non omnia illa sint necessaria; sed aliqua sufficiant, congruum nihilominus (& meritò) censetur, imò, & bono communi moraliter necessarium, vt prædicta omnia prædictis, aut æquiualentibus verbis cuiuis Pontificiæ Constitutioni subdantur; ne forté contingat in aliquo casu prætermitti aliquod tale verbum quando esset pro illo casu maximè necessarium, cui periculo rectè obuiam itur, si semper in omnibus Bullis solemne sit prædictas omnes particulas adhibere, & aliquando in solemnioribus, & grauioribus Bullis, qualis est Bulla Cœnæ, sigillatim, & speciatim singulas particulas, quoad fieri potest, percurrere.

150. Sic ergo contingit in nostro casu, etiamsi concedamus nullum esse Concilium, in quo sciatur de facto illam facultatem generalem, & liberam absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ concessam fuisse Episcopis, aut illis relictam per non reseruationem, vel ablationem reseruationis; quâ ablatâ in dignitate Episcopali resideret talis potestas, vt explicatum est in primâ sententiâ.

Probant illi 2. 151. Aliqui probant hanc secundam sententiam, quia licet à tempore Sixti Quinti addantur Bullæ Cœnæ illa verba *nisi in eis facultatibus, etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*, nihilominus casus Bullæ Cœnę præter Hæresim non expressè continentur in eo decreto concilij; atque adeò non censentur concessi.

Resp. author hoc argumentum maius probare. 152. Hoc tamen argumentum multo minus probat; tum; quia (vt dicebatur pro primâ sententiâ) expresso casu Hæresis, cæteri censentur expressi; alioquin sequeretur ibi concedi facultatem pro Hæresi; & non pro alijs minoribus, quod est absurdum; tum; quia verè comprehenduntur casus Bullæ Cœnæ, neque requiritur, quod casus ibi expressi comprehendantur etiam expressè, id enim non dicunt verba Bullæ; sed solùm requirit, quòd comprehendantur: iam autem comprehenduntur in Concilio illis verbis, *etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.*

Probat vlterius. 153. Probant vlterius; quia Congregatio Cardinalium ita declarauit non semel, & Tribunal Sanctæ Inquisitionis, vt testantur varij Doctores: ergo id sequendum est in praxi præsertim in Hispaniâ, & vbi Tribunal Sanctæ Inquisitionis viget.

Resp. ad declarationes Cardinaliũ. 154. Responderi tamen potest pro primâ sententia, quod attinet ad illas declarationes Cardinalium, vel non satis authenticè de illis constare, vel habere quidem maximam authoritatem sed adhuc posse explicari eo modo, quo explicabuntur declarationes Pontificum, de quibus mox dicemus.

Quoad Inquisitores dicendum. 155. De Inquisitoribus verò admitto eorum quoque authoritatẽ grauissimam esse; & maximam pro toto suo districtu; sed, si præcisè agamus de merâ expositione Bullæ Cœnæ non posse præcludere aditũ interpretationibus Doctorum hominũ, qui visis, & expẽsis verbis Bullæ, & rationibus aduersariorum, adhuc oppositâ ratione interpretantur. Neque mihi persuadeo prudentissimos, & doctissimos viros, quales habet Inquisitionis Tribunal ex eo tantùm quòd ipsi secundum vnam opinionem aut interpretationem iudicauerint, voluisse præiudicare, aut derogare probabilitati alterius, maximè cùm res hæc propriè ad fidem non pertineat; quod enim in hac materiâ de fide esse potest, & ad fidem pertinere scilicet Christi Vicarium posse restringere facultatem Episcoporum, & posse etiam derogare legi Conciliari; quoties expedire iudicauerit; vtriusque sententiæ Authores, vt pote Catholici, fatentur. Verum autem de facto id fecerit Pontifex in eâ Bullâ, idque sonent verba; non est aliquis articulus fidei, neque ad fidem ipsam pertinet, quin possint Doctores in eâ re suam interponere, vel authoritatem, vel sententiam, & explicationem suam.

Nec mirum quod Inquisitores secundæ sententiæ subscribant. Ratio. 156. Nec mirum quòd Inquisitores libentius secundæ sententiæ alioquin probabilissimæ subscribant; sua enim interest, cùm excludat hæc sententia consortium aliorum; & negat alijs potestatem absoluendi, etiam in foro conscientiæ ab Hæresi occultâ. Quod si fortè illorum aliqui tam certam putant suam sententiam, cur nõ pro illâ, vel aliam authenticam Bullam Pontificiam, expediri curant; vel in eadem Bullâ Cœnæ, quæ quotannis legitur, nouam aliquam clausulam induci, quæ omnem prorsus dubitationem tollat, factâ in specie mentione huius rei?

Obijci declarationes pontificias pro hac sententia. 157. Venio iam ad declarationes Pontificias, quas obijciunt aduersarijs in fauorem huius sententiæ: aiunt ergo sic declarasse Pium V. & Gregorium XIII. & Clementem VIII. qui de hac re consulti responderunt iam esse Episcopis virtute Bullæ Cœnæ eam facultatem reuocatam.

Resp. 158. Responderi tamen potest pro prima sententia cum Authoribus illius id quod respõdet Sanchez *suprà illo* 27. & ex parte indicauimus tractantes primam sententiam, de illis interpretationibus, seu declaratione Pontificum authenticè non constare; cùm sit res adeò grauis Concilij generalis Tridentini Decretum reuocare, & scientibus Pontificibus tot tantorumque virorum opinio tipis mandata sit, & adhuc mandetur tot editis libris, & Pontifices non reclament, nec sic interpretandi facultatẽ auferant, quis non videt rem non esse tam certam, & exploratam, vt secundæ opinionis Authores aliqui iactant? & saltem Pontifices probabilem primam sententiam existimare, quam apud tot viros Catholicos probatam vident & non damnant, vel in posterum prohibent. Itaque sola verbalis relatio quorumdam; qui dicunt vnum, aut alterum Pontificem sic declarasse; non sufficit ad tollendum, vel priuilegium, vel facultatem alioquin tam certam, tam celebrem, tam authenticam, qualis est hæc concessa in Tridentino maximè, cùm iuxta veriorem sententiam in Materia reuocationis legum, & priuilegiorum non censeatur lex maximè Conciliaris,

Quando censetur lex prior vel priuilegium reuocari, & quando non.

liaris, & Pontificiâ anctoritate ſuffulta, reuocari; niſi expreſſis verbis, & eius legis mentionem facientibus ſaltem in genere ſufficienter comprehendente legem illam & caſus illius. Contendit autem prædicta ſententia eam facultatem non comprehendi in prædicta Bullâ.

Accedit.

159 Accedit quòd (vt rectè notat Sanchez ibidem etiam ſi conſtaret de eâ Pij. V. & Gregorij XIII. declaratione, adhùc nihil probaretur; quia declarârunt eam eſſe mentem in ſuis Bullis Cœnæ, quæ iam expirârunt, & magis generalibus verbis loquebantur non adhibitâ illâ reſtrictione Sixti V. quæ ab illo Pontifice adhibetur; & declaratio etiam Gregorij XIII. quã obijciunt dicentes illam Tridentini facultatem non extendi ad caſus in poſterum à Pontifice reſeruandos; nihil probat; nam vt rectè explicat ibi Sanchez ex Suario de *Pœnit.* diſp. 30. ſect. 2 num. 13. & 14. intelligi debet, quando noua reſeruatio fieret cum clauſulâ ſufficienter exprimente per eam reuocari prædictam Tridentini facultatem.

Obi. 2. de declarationem Clementis VIII.

160 Sed quid dicemus ad Clementem VIII. qui poſterior fuit Sixto Quinto, & vſus eâdem reſtrictione; nihilominus dicitur ſic declaraſſe?

Reſp.

161. Reſpondetur in primis eam declarationem non eſſe authenticam, & ſufficientem ad tollendam facultatē, in generali Concilio à Pontificibus confirmato; opportebat enim illam eſſe ſufficienter, & clariſſimis verbis intimaram; imo authenticâ fortaſſe Scripturâ (de quo modo non diſputo.) Vnde, qui non audiuimus ab ipſo Pontifice formalia verba à ſe prolata, neque autenticâ Scripturâ promulgata non cogimur illi declarationi ſtare; quæ, ſi quid valuit, & nõ fuit dictum quoddam, tanquam Doctoris particularis; ſed tamquam legiſlatoris explicantis mentem ſuam, ſàt eſt quòd concedamus illum voluiſſe eam fuiſſe ſuam mentem idque habuiſſe locum in Bullis à ſe editis; in edendis verò Bullis aliorum Pontificum, ſtandum eſſe verbis ſcriptis, & acceptis iuxta communem acceptionem.

Obi 3. Bullam Pauli V.

162 Iam verò aliud argumentum poteſt eſſe à tempore Pauli quinti, in eius enim Bullâ non eſt illa clauſula, quam addidit Syxtus quintus: quod videtur eſſe ſignum ibi voluiſſe comprehendi decretum Tridentini. Reſponderi nihilominus poteſt illam clauſulam eſſe ablatam, vt alia particularia priuilegia reijcerentur; non, vt decretū Tridentini: quâ ratione interpretatur Nauarrus Conſil. illo 15. ipſam generalem derogatoriam Bullæ Cœnæ.

Reſp. Aliud Argumentum pro hâc ſententiâ.

63. Aliud argumentum ſolet afferri quod aliqui magni faciunt, mihique leuiſſimum videtur, ſcilicet, non eſſe neceſſarium ad derogandum priuilegijs, & conſtitutionibus Tridentini illius fieri expreſſam mentionem. Probant ex ipſo Tridentino, quod ſeſſ. 25. cap. 21. in fine Concilij excipit authoritatem Pontificis in ſuis decretis, & proteſtatur, ſe velle, vt decreta ſua robur habeant, dum Pontifici placuerit, & non vltra, dum dixit omnia ſtatuta, & decreta *de morum reſeruatione, atq; Eccleſiaſticâ diſciplinâ, tam ſub fœlicis recordationis Paulo IIII. & Iulio IV. quàm ſub Beatiſſimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ea decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper authoritas ſedis Apoſtolicæ ſit, & eſſe intelligatur.* Ergo quando Pontifex ſuam auctoritatem interponit, vt nemo ab Hæreſi, vel alijs caſibus Bullæ Cœnæ abſoluatur; non tam in eo caſu Concilij Tridentini decretum reuocabit, quam ipſummet decretum ceſſabit.

Reſp.

164. Reſpondeo hoc nihil probare etiamſi concedamus, quod aſſumit; ceſſare ſcilicet tale decretum, quando Pontifex oppoſitum volt; ſed ad hoc velit, & cenſeatur velle, ſufficienterque explicet ſe velle in Bullâ Cœnæ? de hoc eſt controuerſia, & hoc erat probandum; contendunt enim oppoſitæ ſententiæ Authores in Bullâ Cœnæ non contineri talem voluntatem Pontificis; ſed verba omnia poſſe ſaluari abſque eo quod ibi Pontifex velit aliquid oppoſitum facultati conceſſæ Tridentino.

Authoris iudicium quoad vtramq; ſententia.

65. Difficile ſanè eſt inter vtramque ſententiam iudicium ferre; nam, vt rectè ait Sanchez, res eſt valde dubia; & in vtramque partem rationes vrgent, & authoritas grauium Doctorum quæ vtramque partem probabiliſſimam reddere videntur: atque adeò vtramque partem iudicio probabilem. Secundam quidem ſententiam tutiorem eſſe nemo negat; ſed non minus probabilem puto (ſi ratione agamus) primam. Vnum aduerto, quod non poteſt negari: primã ſententiam, quæ vult adhuc perſeuerare facultatem conceſſam in Tridentino in eo eſſe melioris conditionis, quàm ſecundam, quod non indigeat argumentis, ut probetur; ſed ſolum reſponſione ad argumenta oppoſitæ ſententiæ; conſtat enim de facultate conceſſâ in Tridentino; adhoc autem, vt quis non cogatur aſſerere illam facultatem ceſſaſſe, imò, vt poſſit tutò aſſerere eam perſeuerare, ſufficit nullum eſſe argumentum quod oppoſitum conuincat, atque vt ingenuè fatear, nullum video argumentum oppoſitæ partis, quod me cogat, ita, vt non poſſit, me quidem iudice, probabiliter ſaltem reſponderi. Hinc eſt, vt meritò Suarius probabilem hanc ſententiam iudicet, & Sanchez vtramque probabiliſſimam videri dicat, quamuis illa verba, quæ vt ſuprà notauimus, ad finem capitis addidit (ſi tamen ſua ſunt) ſignificent illum in alteram partem magis inclinare propter tribunal inquiſitionis, & declarationes Pontificum: de quibus tamen iam diximus ſuprà.

Sententia 2. tutior 1. non minus probabilis ex ratione.

Prima ſententia in eo eſt melioris conditionis quod non indigeat argumentis vt probetur, nec vllum eſt argumentum quod oppoſitum conuincat.

DVBITATIO VI.

An Epiſcopi poßint in foro externo Hæreticos abſoluere, & Eccleſiæ reconciliare?

Aſſertio poſſunt Epiſcopi in foro externo hæreticos abſoluere & Eccleſia reconciare. Probatur.

116 ASſerendum eſt poſſe, & illis, Hæreticis pœnitentiam iniungere, eamque abſolutionem illis prodeſſe, etiam in foro interno. Probatur ex cap. *Vt officium* in principio verſ. *ſi verò de Hereticis*, in 6. illis verbis. *Abſolutionis beneficium impendatis, & iniungatis eiſdem, quod iniungi talibus conſueuit.* Ita Archidiaconus ibi numerò 1. verbo *Impendatis.* Ioannes Andreas, numero 1. Gemin. numero 2. in fine Gloſſ. in c.

Excom-

Excommunicamus 1. §. *credentes*, ad finem de *Hereticis* Hostiensis ibidem n. 24. Felinus n. 3 Anania n. 4. Zabarella n. 6. in fine. Repertorium Inquisitor. verb. *Absolutio* vers. *sed nunc prosequendo*, & vers. *ex prædictis concluditur*. Squallicensis. Tract. *fide de Catholicâ* c. 27. n. 3. Eymer. 3. p. q. 92. quos omnes refert, & sequitur Farinac. de Hæresi q. 191. §. 4. n. 52. vbi aduertit, quòd, quamuis Lælius Zechius in *summa*, 1. p. tit. de *Fide* Rubric. de *Heresi* c. 11. n. 18. vers. 4. dicat in supremo Inquisitionis Senatu pronuntiatum esse, vt solis Inquisitoribus liceat pœnitentes Hæreticos in foro externo absoluere, & non Episcopis: adhuc non est à prædictâ doctrinâ recedendum; quia est à Doctoribus communiter recepta, & Iuri consona. Pro eâdem sententiâ referunt aliqui Recentiores Bonocinam disp. 1. de *Censuris*, q. 3. puncto 2. n. 11. nihil tamen inuenio in toto illo puncto, neque numeri illius puncti se extendunt vsque ad 11. sed tantum vsque ad septimum. Quidquid verò sit de hac opinione, illud est certum pro Hispaniâ totoque districtu Hispanicæ Inquisitionis hanc facultatem esse reuocatam Episcopis seorsim sumptis ab ipsâ Inquisitione. Neque enim Episcopi sine Inquisitore; neque Inquisitor sine Episcopo, saltem requisito absoluere possunt; quod satis notum est ex praxi.

Nec obstat quod dicit Lælius Zechius.

Quoad districtum Hispaniæ facultas hæc reuocata est.

DVBITATIO VII.

An suppositâ facultate Concilij absoluendi à casibus occultis Bullæ Cœnæ, competat Episcopis vbiq; gentium? vbi nondum est admissum Tridentinum?

167. QVòd Episcopi titulares non possint absoluere sibi subditos in alienâ diœcesi; vbi exercent aliquod munus siue Vicarij, siue Parochi &c. iam diximus dub. 4. sect. 3. in fine, quia nimirū carentes propriâ diœcesi non habent subditos in Dioecesi suâ quantumuis in aliâ sint Vicarij &c.

Carentes propriâ diœcesi non habent subditos &c.

168 Illud tantum aduerterim supposito quòd Episcopus habeat designatam quidem terram, seu districtum & diœcesim, occupatam verò ab Infidelibus ita; vt nullo modo ibi possit commorari; adhuc tamen restent aliqui fideles, qui ibi fixerint domicilium, & commorentur; comparatione illorum non censeri prædictū Episcopum merè titularem; quin potiùs habere oues sibi subiectas in diœcesi suâ. Vnde poterit erga tales, etiam existentes extra suam diœcesim prædictam facultatem exercere, si opus fuerit, iuxta dicta citatâ sect. 3. nisi aliud obstet ratione cuius id fieri non possit.

Aduertendum tamen.

169. Dixi *nisi aliud obstet*, fieri enim potest, vt in eâ diœcesi non sit publicatum Concilium Tridentinum. In quo casu difficultas est; an liceat uti eâ facultate? Ideò placuit in hac dubitatione eâ de re generaliter disputare; an scilicet, vbi non est receptum Concilium Tridentinum, etiamsi Episcopus subditos & diœcesim habeat, possit uti eâ facultate?

An liceat Episcopis uti ea facultate absoluendi vbi Trident. non est receptum.

170. Ab hac difficultate plerique breuissimè se expediunt perfunctoriè decidentes non habere locum prædictam facultatem in eis Regionibus, nam mediâ receptione, & acceptatione illis conceditur; neque fas est acceptare gratias, & repellere onera. Ita Recentiores nonnulli sequuti Suarium de Censuris disp. 41. sect. 2. n. 6. Garz. de *Benef.* 7. p. c. 11. n. 23. Sanchez lib. 2. summæ c. 11. n. 3. Barbosa: 2. *de potestate Episcopi* alleg. 39. n. 3. Sed non videtur res adeò facilis, quia suas habeat rationes in vtramque partem.

Plerique putant prædictā facultatem non habere locum in talibus locis.

171. Assero 1. si in potestate Episcopi situm est admittere Tridentinum, ita, vt stet per illum, quòd non admittatur, probabilissimum est, & fortè verum, quod Episcopus non possit vti eâ facultate, eamque admittere, non admissis alijs oneribus, & legibus eiusdem Concilij: nam (vt rectè aduertunt citati Authores) par debet esse fauorum, & onerum ratio. Vnde vbi Tridentinum non recipitur quoad leges, & onera, acceptari nequit quoad fauores, nec præsumi debet mentem Concilij fuisse aliter eos fauores concedere, atque hac ratione intelligendi sunt Authores citati.

Assertio 1.

Vbi Trident. non recipitur quoad leges & onera, acceptari nequit quoad fauores.

172. Assero 2. Episcopum, vbi non stat per ipsum partialiter, neque totaliter quòd Tridentinum admittatur in diœcesi, aut Regione; sed quantum est ex se, paratus est admittere, & seruare leges, & onera, & præsertim, qui quantum moraliter loquendo est in sua potestate, saltem in his, quæ pertinent ad conscientiam, & illius forum, se conformat decretis Concilij Tridentini, probabile mihi videtur, saluo meliori iudicio, posse vti hac facultate in foro conscientiæ concessâ à Tridentino. Moueor ad id asserendum primò; quia non habet locum in hoc casu id, quod Authores citati notant, scilicet, quòd, vbi non recipitur quoad leges, & onera, nequit recipi quoad fauores, nec mentem Concilij esse aliter concedere; Hæc (inquam) omnia non habent locum in hoc casu; talis enim Episcopus, in quantùm potest, acceptat, & seruat, vt supponimus saltem pro foro conscientiæ, & in ijs, quorum exequutio spectat ad ipsum: ergo non præsumi debet voluisse Conciliū tali Episcopo eiusmodi facultatem negare; neque puto cum his circumstantijs hanc assertionem negaturos Authores citatos suprà pro primâ assertione. Hæc assertio amplius declarabitur ex dicendis assert. 5.

Assertio 2. potest in casu vti dictâ facultate Episcopus vbi Trident. non est admissum.

Ratio Assertoris.

173. Assero 3. vbi Concilium Tridentinum à toto genere admissum est, etiamsi propter aliquam rationem non esset admissum circa aliquam specialem legem, & onus, nihil impediet quo minus circa alias leges, & onera receptum, simul circa prædictam facultatem recipi possit. Ita Sanchez loco citato ex illo principio de legibus iuxta communem sententiam, quòd scilicet fieri potest legem quoad partem esse receptam, & quoad partem non; & quoad partem solam receptam obligare, aut valere.

Assertio 3.

174. Assero 4. cum eodem Sanchez non repugnare, quod alicubi primò quidem recipiatur Concilium Tridentinum, quoad leges pariter onera, & fauores; postea verò decursu temporis contrariâ consuetudine abrogetur quoad leges, & onera, perseueret autem, quoad fauores. Ratio est; quia semel fuit adquisitum Ius, quoad

Assertio 4. potest Trident. semel receptū perseuerare quoad fauores, & non quoad onera.

Ratio est

quoad fauores simul cum obligatione, quoad leges, & onera; consuetudo autem non ampliùs abrogat, quàm id, contra quod inducta est. Si ergo consuetudo solùm inducta est contra leges & onera; non verò contra fauores, solùm abrogabit leges, & onera, & remanebunt fauores.

Assertio. 175. Assero. 5. saluo meliori iudicio non mihi videtur improbabile, quòd etiam in Regionibus, vbi non est receptum Tridentinum liceat Episcopis uti eà facultate absoluēdi in foro conscientiæ, & cum cæteris à Concilio requisitis.

Ratio. Moueor ad id non improbabile iudicandum, quòd ea concessio, quamuis fauorem contineat, & gratiam factam Episcopis; ea tamen gratia non videtur præcisè concessa, ut Episcopis ille, tanquam honorarius fauor, & authoritas deferatur; sed quia ita iudicauit Concilium expedire in bonum animarum; ne scilicet, qui occultè peccantes prædictis sunt Censuris, & criminibus Pontifici reseruatis irretiti, diu sordescant, & maneant sine absolutione, quam, cùm secretò solùm procurare debeant, & ad id non cogantur in foro externo, fortè omittent petere, & in delictis contabescent. In quo non est eadem ratio de ijs, quorum delicta manifesta sunt, aut ad forum etiam contentiosum deducta; in his enim casibus propalato iā crimine, & Censurâ, facile coguntur ab Ecclesiâ absolutionis remedium quærere, vel ipsi facilius per se ipsos mouentur ad id quærendum, saltem, vt notam, seu infamiam euadant, maximè publicè denuntiati, cùm tamen occulti peccatores non habeant tot stimulos, vt se liberent.

176. Vt ergo Concilium huic animarum periculo benignè occurreret, voluit eam facultatem Episcopis concedere, aut vicarijs per ipsos deputatis modò explicato, ut infirmi peccatores occulti faciliùs spirituale remedium inuenirent. Cum ergo hoc malum, & damnum non minus timendum sit (sed fortassè aliquando magis) in locis vbi non est receptum concilium Tridentinum, quoad onera, & leges; credendū omnino videtur mentem esse benignè matris Ecclesiæ atque adeo Concilij generalis illam in suis capitibus, & Patribus repræsentantis, vt huic malo, & periculo, quoad fieri potest occurratur, & succurratur. Cùm ergo hoc medium concedendi talem facultatem aptum, & opportunum iudicatum fuerit à Concilio: credendum non est voluisse priuare particulares quasque personas (& quæ fortè non sunt in causâ, ut Concilium quoad reliqua non admittatur) tali remedio congruenti, & opportuno saluti animarum.

177. Itaque siue Concilium sit receptum, quoad reliqua, siue non; non videtur credendum remedium pro foro conscientiæ, & particularium animarum salute fuisse negatum.

178. Accedit, quòd iuxta dicta in præcedentibus dub. 3. 4. & 5. cum Suario, & alijs, illa non tàm est concessio facta Episcopis, quàm reductio dignitatis, & potestatis Episcopalis ad jus commune antiquissimum, quod ex se habebant Episcopi, qui seclusâ reseruatione ab illis omnibus casibus poterant absoluere; atque adeò tantùm est pro illis casibus occultis legem reseruationis abrogare: quâ abrogatâ in ipsismet Episcopis repullulat, aut emergit potestas quæ in ipsis alioquin erat per reseruationem, quasi suppressa & consopita; effectus autem abrogandi, quoad eam partem, legem reseruationis, in ipsâ met lege censetur esse, ita, vt iam lex non censeatur loqui pro eo casû: eo autem ipso, quo lex pro tali casû non loquatur, sed cesset vis legis circa talem casum; vbique gentium manebit libera, & expedita potestas Episcopalis pro illo casu, pro quo à lege reseruante impediebatur.

179 Propter hæc, quæ diximus si aliquem haberem Authorem, cuius possem vestigiis inhærere, asseuerantiùs dicerem etiam pro ijs locis, vbi alioquin non est receptum Concilium Tridentinum, locum habere posse prædictum decretum in qua re doctiorum me iudicio libens submitto; tantùm ingenuè volui significare, atque fateri quid in hac re mihi discurrenti occurreret.

180. Quod verò ad praxim attinet in prædictis Regionibus consulenda erit, & practicanda antiqua consuetudo recurrendi etiam pro his casibus ad sedem Apostolicam. *Quoad Praxim obseruandum.*

DVBITATIO VIII.

Quænam sint impedimenta sufficientia recurrendi ad sedem Apostolicam pro casibus ad illam reseruatis? & quid de impedimento adeundi Episcopum.

181. DIximus dub. 3. posse Episcopos absoluere ab excommunicatione seu Censurâ publicâ Papæ reseruata eos, qui habent impedimentum adeundi Pontificem; cum onere tamen comparendi cessante impedimento, vbi etiam diximus de obligatione scribendi, vel agendi per Procuratorem apud Pontificem & de obligatione adeundi legatum Pontificis habentem potestatem absoluendi. Restat verò exhibiate; quid censendum sit de ipsis impedimentis? quæ scilicet, & qualia censeantur sufficientia impedimenta adeundi Pontificem? In quâ re varij sunt Authores; sed omissis alijs placet præcipua enumerare impedimenta, & frequentiora. *Quæ sint impedimenta Sufficientia adeundi Pontificem.*

182. Primum impedimentum est Infirmitas longa, etiamsi periculosa non sit, sufficit enim, quod non, nisi magnâ ægroti incommoditate possit ille venire Romam. *Primum Impedimentum est infirmitas.*

183. Secundum inimicitia capitalis, ex quâ timeatur periculum vitæ, vel grauis damni in itinere, vt tempore belli, aut tempore, quo solent esse viæ infestatæ prædonibus, seu militibus spoliantibus, aut etiam mactantibus transeuntes. *Secundum.*

184. Tertium tanta paupertas, vt spectatâ conditione personæ careat necessarijs pro itinere. *Tertium.*

185. Quartum excessus, vel defectus ætatis, qualis esse solet; vel in valde senibus vel in impuberibus; si tamen impuberes comprehenduntur semper casibus reseruatis, & excommunicationibus, quâ de re diximus suprà disp. 1. dub. 14. hi *Quartum.*

14. hi ergo præ excessu vel defectu ætatis non videntur obligandi adire Pontificem, quando ille comparatione illorum nimis longè distat, & legi potest c. vltimum. *de sent. excom.* Vbi de pueris sermo est, & iam notauimus loco citato.

Quintum. 186. Quintò fragilitas Sexus. Vnde fœmina cuiuscumque conditionis sit, non est obliganda iuxta c. *Mulieres*, &c. *quamuis de sententia excom.* vbi etiam agitur de prædictis omnibus impedimentis infirmitatis, inimicitiæ, inopiæ puerilis vel senilis ætatis, & fragilitatis Sexus. Quamuis autem ibi agatur de excõmunicatione propter violentam manuum iniectionem in Clericum, est nihilominus eadem ratio de cæteris, vt consentiunt authores.

Sextum. 187 Sextum est adhuc esse sub curâ parentum. Vnde licet filij iam excesserint annos pubertatis; si tamen non sunt emancipati; sed à parentibus aluntur, & gubernantur, non tenentur. Sanè aliquantulum dubitari posset de filijs, qui habent bona Castrensia, aut quasi Castrensia, de quibus possunt disponere liberè. Nihilominus, si adhuc est sub curâ Parentum eorum educatio, neque absolutè censentur sui Iuris; non tenentur, nam in c. *Mulieres*, citato expressè excipiuntur personæ, quæ sui iuris non sunt.

Septimum. 188. Septimum est Obligatio alendi familiam, vxorem, filios, &c. hæc enim obligatio tanta est, vt meritò censeatur Pontifex non velle eum tanto aliorum dispendio sic obligatos comparere.

Octauum. 189 Octauum est cura animarum, quando scilicet ex absentiâ patiuntur detrimentũ propter rationem immediatè dictam; est enim adhuc vrgentior ratio vt in Parochis, &c.

Nonum. 190. Nonum est seruitus, quando sine præiudicio Domini seruus non potest abesse, & Dominus non fuit in causâ vt seruus incurreret, vt habetur expressè, c. *Relatum de sententia excom.*

Decimum. 191. Decimum longa dilatio propter nimiam distantiam loci, in quo est excommunicator absoluturus, docet Nauarrus in *Sum.* cap. 27. num. 46. cum Caietano, & magis expressè tit. *de sent. excom.* consi. 6. & Rodriguez c. 53. conclus. 10. & 11. aliique nonnulli.

Idem quodlibet impedimentum iudicio prudentis legitimum. 192. Tandem, quodlibet impedimentum, quod arbitrio prudentis iudicetur legitimum, vt colligitur ex c. *Quamuis* de *sent. excommunic.* in illis verbis, *aut alio impedimento Canonico, seu alia corporis impotẽtiâ, & c. de cætero* illis verbis, *vel aliàs iustas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter, excusetur.*

193. De his omnibus impedimentis latè, & rectè agunt Nauarrus citato cap. 27. numero 28. Cordub. in *Sum.* q. 18. & optimè, atque latissimè Suarius de Censuris, disp. 22. sect. 1. a. num. 63. & alij Recentiores.

Notandum circa prædicta. 194. Notandum verò est circa prædicta, quod ijs qui laborant impedimento perpetuo, non est imponendum onus comparendi coram Pontifice, vt cum Canonistis docet Syluester, & Suarius suprà num. 63. qui rectè expendit verba, *c. ea noscitur de sent. excom.* vbi Mulieres, senes, valetudinarij, seu membrorum destitutionibus impediti, tantum dicitur vt satisfactâ parte ab Episcopo possint absolui nullo addito onere, aut iuramento quod se postea præsentabunt, cùm tamen Textus addat deinde hæc verba. *Alios autem siue pauperes, siue diuites, &c. necesse esse se repræsentare.* Et quamuis Glossa ibi dicat valetudinarijs esse imponendum onus, si conualuerint, probabilius tamen videtur esse idem iudicandũ; quod de impeditis membris, ut significat particula disiunctiua, *seu* nisi velis per vocem *Valetudinarium*, vt volunt Grammatici, significari malè sanum, qui frequenter ægrotat; quod impedimentum solet esse perpetuum. Deinde hoc clarius habetur c. *Quamuis de sent. excom.* vbi postquàm enumerauit Pontifex impedimenta, propter quæ percussores Clericorum possunt absolui ab alio, quàm à Pontifice, sic ait, *cæterum quibusdam prædictorum videlicet, qui temporali impedimento laborant (exceptis pueri) sub debito iuramenti; quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur, consueuit iniungi, vt impedimento cessante ad Apostolicam sedem accedant.* Vbi (ut Suarius ait numero 85.) additur particula *temporali*, ad excludendum perpetuum, cuius cessatio expectari non potest. Addit etiam Sanchez cap. 13. numero 30. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 3. numero 11. quòd etiamsi si Confessarius laboranti morbo perpetuo iniunxisset onus comparendi sub iuramento, non tenebitur tali onere etiamsi miraculosè, aut præter spem salutem recuperasset, quia Confessarius ad nullum onus nouum voluit eum obligare præter id, ad quod ipsum obligari falsò putauit. Cùm ergo in tali casu Ius non obliget; nec Confessarius consequenter obligare intendit. E contra verò, si dùm pœnitens tenetur tali onere, Confessarius per obliuionem, ignorantiam, vel malitiam id non imposuit, pœnitens nihilominus tenetur sub obligatione incidendi, quia obliuio illa, vel malitia non eximit ab obligatione quæ non ex voluntate Confessoris, sed ex Iure ipso pendet. Legatur Sanchez lib. 2. *Summæ* cap. 13. n. 30.

195. Qui rectè etiam admonet numero 31. non esse imponendum hoc onus, quando aliquis sanus, aut in mortis articulo absoluitur à reseruatis virtute Iubilæi, aut Bullæ, alterius re priuilegij concedentis absolutionem; quia priuilegium in hoc consistit, ut absolutus absque illo teneatur se præsentare; non verò absolutus virtute illius. Pro quâ sententiâ plures alios refert; inter quos Suarius de Pœnit. disp. 30. sect. 1. n. 6. sed de hoc, & alijs constabit ex dicendis in sequentibus.

196 Item pueri propter peccata ante pubertatem commissa absolui possunt ab Episcopo sine vllo onere se præsentandi Pontifici ex Iuris beneficio concesso propter imperfectionem libertatis, vt habetur in dicto c. *Quamuis.* &c. c. vltimo, de *sent. excom.* vbi additur, etiamsi post pubertatem petant absolutionem posse absolui, vt notauit Suarius suprà numero 63. & 69. atque (vt dicebam licet prædicti Textus loquatur de iniectione manuum violentâ in Clericum; eadem ratio decidendi, scilicet imperfectio ætatis, habet locum in alijs criminibus. *Pueri propter peccata ante pubertatem commissa absolui ab Episcopo possunt.*

197. Item possunt absolui ex Iuris beneficio à suo Episcopo sine onere se præsentandi Pontifici Clerici se percutientes, si simul cohabitant in eodem Collegio; nisi percussio fuerit enormis

quamuis

quamuis fuerit medioeris, vt habetur *c. Quoniam de Vitâ* & honestate Clericorum; quia inter eos, qui simul cohabitant, facilè accidere potest huiusmodi excessus, & ob eandem rationem simile priuilegium conceditur Canonicis regularibus, & etiam Monachis, vt absolui possint sine prædicto onere à suo Prælato, quando se percutiunt, dummodò percussio non fuerit enormis, vt constat ex c. *Cum illorum*, & *c. Canonica. De sentent. excommunicationis.* circa quæ Iura multa tradit Suarius disp. 22. sect. 1. Canone 71.

Monachi se se non enormiter percutientes absolui possūt à suo Prælato.

198. Simile etiam priuilegium conceditur Ostiario alicuius Principis, qui non ex odio; sed ratione sui officij arcendo turbam percutit clericum non percussione enormi; sed medioeri *c. Si verò* 1. *de sentent. excomm.*

199. Similiter potest Episcopus absoluere sine prædicto onere; sed absolutè quoscumque percutientes Clericum dummodò percussio non sit enormis, vel medioeris; sed leuis iuxta *c. peruenit de sentent. excommunic.* vt contra alios docent ibi Gloss. & Abbas. Nauarrus etiam subobscurè c. 27. n. 91. Expressius verò n. 112. Syluest. *absolutio* 4. n. 3. §. 16. Sed de his omnibus iterum proprijs in locis incidet disputatio & legi potest pro traditâ doctrinâ Gutierrez tō. 1. *Canonicar.* c. 5. n. 11. & sequentibus Suarius *de Censuris* disp. illa 22. sect. 1. n. 66. in fine.

Item quoscumq; Clericum leuiter percutiētes absoluere potest Episcopus.

200. Quænam verò dicatur percussio enormis, medioeris aut leuis rectè explicant Nauarrus, & Gutierrez & Suarius suprà à n. 88. ex c. *Cùm illorum de sentent. excommunic.* breuiter autem nunc dico, tunc esse enormem ex se, quando ex tali percussione sequitur mors; vel membri mutilatio, vel magna sanguinis effusio ex aliâ parte, quàm ex naribus, vel simili, ex quâ facilè sanguis solet erumpere. Erit etiam enormis ex dignitate personæ, vt, si percussus sit Episcopus vel Abbas. Vnde percussiones, quibus Clerici æqualis conditionis se ipsos mutuo pugnis, aut pedibus impetunt, leues dicendæ sunt. Sicut etiam multi putant leuem percussionem, si Clericus colaphum manu vacuâ impingat alteri Clerico; non tamen si Episcopo, aut suo superiori; quamuis ego colaphum illatum Clerico honesto, etiam æqualis conditionis eum inferente non ausim appellare leuem percussionē; imò nec medioerem; sed grauē maximè in ijs Regionibus in quib. alapa, seu colaphi impactio inter graues iniurias computatur, etiamsi corpus physicè non nimis lędat. Idemque censendum iudicatem de percussione facta virgâ, seu baculo, & maximè arundine, quæ apud aliquas nationes (vt in Hispania) inter graues iniurias computatur. Sed hæc, & similia iudicio prudentum relinquenda sunt habitâ ratione circumstantiarum, personæ scilicet percutientis & percussæ temporum, & locorum.

Percussio enormis medioeris, aut leuis quæ dicatur.

201. Vnde etiam detentiones, incarcerationes, aut aliæ violentiæ, quæ illatæ Clericis à priuatis personis censeri possent leues percussiones, si fiant à ministris Iudicum sæcularium, vel ab ipsis met Iudicibus, meritò graues censeri possunt, vtpote factæ titulo exercendæ Iurisdictionis in Clerum; in quo includitur enormis læsio propter iniuriæ grauitatem; vt cum Panormitano probat Suarius suprà n. 70. ex c. *Si verò de sent. excomm.* Sed de his omnibus iterū agemus disputantes in particulari de Excommunicatione propter violentam manuum iniectionem in Clericos, vel Monachos. Nunc verò hæc dixerim, vt notarem, quando hæc absolutio possit impendi sine onere comparendi; aut cum illo.

202. Iam verò nonnihil dicamus de ijs, qui non solùm sunt impediti ad comparendum personaliter coram Pontifice; sed etiam ad comparendum coram Episcopo extra articulum mortis. In quâ re notant graues Authores propter solam dilationem Pœnitentiæ non posse absolui à Parocho; quia hoc nullibi inuenitur concessum in Iure tali Parocho; sed tantùm Episcopo, & per reseruationem tollitur Iurisdictio; qui autem absoluit sine iurisdictione tam à Censuris quàm à peccatis sine Censurâ, nihil facit. Ita cum alijs, quos refert, docet Nauarrus c. 27. n. 90. §. *ad Septimum*, & n. 112. item Suar. de *Pœnit.* disp. 30. sect. 3. conclus 2. n. 8. & de *Censuris* dist. 22. sect. 1. n. 81. & 82. videturque efficaciter probari ex Tridentino sess. 14. c. 7. vbi habetur, quod extra articulum mortis inferiores Confessarij nihil possint in reseruatis.

An Parochus extra articulum mortis absoluere possit impeditum ad comparandum coram Episcopo.

Negant graues Authores

203. Nihilominus mihi videtur probabilis opinio, quæ asserit posse parochum absoluere vice Episcopi; quando Pœnitens impeditus est adire Episcopum personaliter, potestque, probari ex benignâ interpretatione Iuris, & ex ratione, & causâ quæ mouit Pontificem, ex eiusque præsumptâ voluntate & ex c. *eos, qui de sentent. excommunic.* in 6. docetque Syluest. *absolutio* in fine, referens Innocentium, & *absolutio* 4. n. 5. dicto 1. referens Rayneirum. Idem docet Henriquez cum multis Recentioribus, quos refert, lib. 7. de *Pœnit.* c. 9. n. 7. litera N. & c. 10. n. 1. Sà verb. *excommunic.* c. *de absolut.* n. 8. Sotus, dist. 22. q. 2. art 3. circa finem, & Sanè non facilè mihi persuadere possum maiori cum rigore velle Pontificem in defectum ipsius aditi Episcopum, quàm adiri absolutè ipsum-met Pontificem; sed qui Pontificem adire impeditus est, potest absolui ab Episcopo, & pro tali casu in bonum animarum censetur ablata reseruatio, cum onere quidem comparendi, si impedimentum non sit perpetuum, aut ex alio capite non excusetur iuxta suprà dicta: ergo etiam censebitur ablata, seu non posita reseruatio pro tali casu, quando simile est impedimentum adeundi Episcopum, cum eodem quidem onere comparendi, si impedimentum non sit perpetuum.

Opinio tamē affirmans probabilis videtur Authori.

Ratio.

In casu tamē manent obligatio comparand. sublatō impedimento.

204. Eodem modo philosophandum est de casibus reseruatis ab ipso-met Episcopo, quando quis ob impedimentum non potest illum adire, tunc enim posse absolui à Parocho docet Henriquez lib. 6. c. 10. n. 4. Rodriguez verb. *Confession.* c. 55. conclus. vltima, & alij Recentiores, quæ doctrina mihi placet, fauetque multum caput *eos, qui, de sentent. excommunic.* in 6. & supponunt Caietanus verbo *excommunicatio* c. 69. & Armilla excommunic. 67. sed vrgent aduersarij nullo Iure reperiri concessam talem facultatem seu Iurisdictionem: ergo absque fundamento tribuitur illa Parocho.

Idem dicendum quoad reseruata ipsi Episcopo.

Oppositum aduersarij.

Resp. 205. Respondetur nihilominus non esse quidem directè, & specialiter concessam; sed Parochum ratione sui muneris, & ordinariæ potestatis posse absoluere quæcumque peccata sui subditi, si non sit illorum reseruatio. In hac autem sententia dicendum est non esse reseruationem pro tali casu cum illis circumstantijs, & sic interpretandam esse legem reseruationis, vt non intelligatur, se extendere ad talem casum. Inde fit, vt possit à Parocho absolui.

Nec Tridét. contradicit. 206. Neque verba Concilij Tridentini suprà allata nimis vrgent; concedimus enim extra articulum mortis confessarius nihil posse in reseruatis; negamus tamen cum illâ circumstantia impedimenti adeundi superiorem talem casum censeri reseruatum propriè loquendo, quamuis absolutè & à toto genere casus ille dicatur casus reseruatus. Itaque vtraque opinio probabilis est; & habet peculiarem rationem hæc secunda sententia pro casibus reseruatis ratione Censuræ vel cum Censurâ reseruatâ quàm pro casibus reseruatis sine Censura; tum; quia alia Sacramenta; & fructus sacrificij possunt recipi, etiamsi culpa non sit Sacramentaliter absoluta. Vnde potest quis faciliùs, & frequentius carens copiâ Confessoris, celebrare, communicare, &c. participare q; orationibus, & suffragijs Ecclesiæ interesse Diuinis officijs, aliaque huiusmodi exercere, etiam actiuè ministrando Sacramenta dummodò præmittatur contritio. Quæ omnia rarissimè potest, aut aliqua eorum nunquam, qui est excommunicatus. Ideò maior ratio est non expectãdi per multum tempus absolutionem à Censurâ reseruatâ, quando quis adire non potest Episcopum, quàm non expectandi absolutionem à culpâ; maximè cum non sit improbabile iuxta dicta suis locis, quod quis possit absolui à peccatis non reseruatis directè, & indirectè à reseruatis; quando non adest copia superioris potentis absoluere à reseruatis, & tamen, si Censura simul cum culpâ reseruata sit, impedit Sacramentum Pœnitentiæ etiam, quoad reliqua peccata non reseruata iuxta doctrinam traditam disp. 2. dub. 40.

Nam cum circumstantia impedimenti, talis casus non censetur reseruatus.

Quando nõ adest copia superioris potest quis directè absolui a non reseruatis & indirectè a reseruatis.

DVBITATIO IX.

An per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæa, aut Priuilegia possit quis absolui ab excommunicatione Iuris reseruatâ Papæ, vel Episcopo?

207. Asserendum est primò per Bullam Cruciatæ potest quis absolui ab omnibus casibus, & Censuris Papæ reseruatis bis, scilicet, semel in vitâ, & semel in mortis articulo; sic enim habetur in Bullâ, & intelligitur absolutè sine vllâ obligatione aut onere comparendi; hoc enim est priuilegium, quod conceditur. Ita Suarius de Censuris disp. 19. sect. 9. Medina in *summâ* lib. 2. c. 12. Antonius Gomez ad clausulam 10. Bullæ Cruciatæ n. 16. Henriquez lib. c. 11. n. 4. literâ N. & lib. 9. c. 9. n. 2. in Gloss. litera N. Sanchez in *summâ* lib. 2. c. 13. n. 31. qui addit cum Henriquez, & alijs, quos refert, nullam esse obligationem imponendi onus imò quod potest liberari ab onere comparendi aliàs imposito ille, qui, cùm in articulo mortis vel impedimento adeundi Pontificem absolutus esset imposito tali onere comparendi; postea confitetur eadem peccata, & absoluitur à prædictis tunc enim virtute priuilegij Bullæ, quo vtitur, manet sine vllo onere absolutus.

Assertio 1. per bullam Cruciatæ potest quis bis absolui a casibus Papæ reseruatis.

208. Hic autem aduertendum est omnia, quæ habebat Pœnitens reseruata Pontifici vsq; ad tempus, quo vtitur priuilegio talis Bullæ, posse absolui, & manere libera à reseruatione, etiam post transactum tempus Bullæ, quamuis oblitus fuerit ea confiteri, quando priuilegio Bullæ vtebatur iuxta doctrinam à nobis traditam de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 8. *Notandum.*

209. Hæc autem facultas concessa in Bullâ Cruciata intelligitur etiamsi casus, aut Censuræ sint ex contentis in Bullâ Cœnæ Domini, quia hoc etiam habetur expresšè in Cruciatâ; quæ non reuocatur, quoad hoc priuilegium per publicationem; quæ paulò post singulis annis fit Bullæ Cœnæ; siue; quia in Bullâ Cœnæ in clausulâ derogatoria addi solent hæc verba *nisi etiam hi casus in eis præsentibus literis expressè comprehendantur*; vt notauimus dub. 5. agentes de facultate absoluendi ab Hæresi concessa Episcopis in Tridentino. Ita Rodriguez in Bulla Cruciatæ §. 9. n. 69. Acosta q. 55. in eandem Bullam.

210. Solùm esse potest difficultas quod à Paulo V. cæperint expungi illa verba. Nihilominus, etiamsi non ponantur, non censetur ea facultas reuocata, tum; quia non censetur Pontifex velle decipere sic suscipientes Bullam, neq; velle, quasi illudere in vnâ Bulla concedendo, & in alia reuocando in eodem ipso anno, & tempore, neque talis inconstantia aliena à Principe præsumenda est de summo Pastore. Item; quia illa verba *nisi casus expreßè contineantur*, quamuis prætermittantur, & eorum non fiat mentio, debent censeri posita, & tacitè continétur in omni Bullâ Cœnæ, vt optimè probat Rodriguez tomo 1. *Quæstionum Regular.* q. 20. art 9. quia, sicut per generales concessiones, quibus Pontifices generaliter concedunt omnes casus sibi reseruatos non veniunt intelligendi casus Bullæ Cœnæ; nisi hi expresšè, & in particulari concedantur, etiamsi talis concessio sit beneficium, & fauor, ac propterea videretur amplianda. Ita in reuocatione generali priuilegiorum concedentium casus Papæ reseruatos non reuocantur priuilegia concedentia expresšè, & in particulari casus Bullæ Cœnæ; nisi in eâ reuocatione fiat expressa mentio ipsorum priuilegiorum, præsertim cum reuocatio sit stricti Iuris, & per consequens strictè interpretanda, & hâc ratione defendit Rodriguez ibidem per publicationem Bullæ Cœnæ non reuocari priuilegia Religionum, per quæ superiores earum possunt Religiosos suos absoluere à casibus Cœnæ. sed de hoc suo loco dicemus.

Per generales concessiones Pontificû non intelliguntur casus Bullæ Cœnæ.

211. Semper tamen intelligitur exceptus casus Hæresis, & quod attinet ad Bullam Cruciatæ, in eâ expresšè excipitur; in Iubilæis verò, & priuilegijs alijs nõ necesse est expresšè excipi; semper enim intelligitur excepta nisi expresšè cõcedatur; nã generalis cõcessio non extẽditur ad illa, quę nõ solent in speciali concedi c. *In generali*; de *Regulis Iuris* in 6. quæ est Regula. 81. & legi potest

Semper intelligitur exceptus casus Hæresis.

potest Henriq. lib. 6. c. 16. num. 2. sed de hoc paulò post dicemus iterum. assert. 4.

Hinc infertur. 212. Hinc infertur posse per Bullam Cruciatæ absolui factores, receptores, & defensores Hæreticorum, dummodò non sint Hæretici, quia Bulla solùm excipit Hæresim, & exceptio firmat Regulam in contrarium, Sed Rodriguez. §. 9. numero 71. id videtur negare; concedunt tamen Henriquez citato lib 6. cap. 16. nu. 2. in Glossa littera *L.* & Acosta q. 63. Sanchez citato lib. 2. cap. 12. numero 11. & 12. qui addit retinentes libros Hæreticorum, etiam posse absolui si etiam Hæretici non sint & tradant eos libros inquisitoribus, quibus tenentur tradere; neque Paulus IV. in Motu proprio, quem refert Rodriguez in *Additionibus ad Bullam*, nu. 66. reseruat casum receptandi, fauendi, aut defendendi Hæreticos, vel legendi, tenendi, aut imprimendi eorum libros, æqualiter, atque peccatum Hæresis in Bullâ Cœnæ; sed tantùm prohibet sub excommunicatione Pontifici, vel inquisitori generali reseruatâ ne habentes libros Hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos à Confessoribus absoluantur; nisi priùs eos inquisitoribus tradiderint. Vnde talis motus proprius extra rem solet afferri legantur quæ dicemus dub. 60. & 61.

Assertio 2. 213. Assero 2. si quis in eodem anno sumat secundam Bullam, iterum poterit in eo anno absolui à reseruatis Papæ semel in articulo mortis, & semel extra illum. Dixi *Secundam Bullam*, quia plures non potest sumere; nam Papa per specialem concessionem indulsit; quod duabus duntaxat Bullis possint frui durante anno publicationis, & non pluribus, vt habetur non solùm in Bullâ plumbatâ latinâ, sed etiam in Sũmario Bullæ Hispanicè scripto, vbi id testatur Commissarius generalis & notat Rodriguez. §. 12. numero 12.

Asserendum 3. 214 Assero 3. ab excommunicationibus à Iure, vel per statutum, seu consecutiones Synodales reseruatis Episcopo potest quis absolui per Bullam Cruciatæ toties, quoties indiguerit, in ipsâ enim Bulla habentur hæc verba: *à reliquis verò peccatis, & Censuris non reseruatis Sedi Apostolicæ possit Confessarius absoluere toties, quoties audierit eorum confessiones.* Ita docet Henriquez lib. 13. c. 27. num. 5. littera *R.* Auila de Censuris. p. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 7. & innuit Rodriguez citato. §. 9. num. 91. Imò Henriquez. lib. 6. cap. 16. num. 3. addit hoc esse verum, etiamsi inciderint post acceptam Bullam, aut publicatum Iubilæum, vel ex prauâ confidentiâ Bullæ, vel Iubilæi. Pro quâ sententia plurimos citat & consentit Acosta suprà q. 43.

Infertur 1. 215. Hinc infertur primò posse absolui per Bullam toties; quoties indiguerit pœnitens ab omnibus casibus de quibus egimus dub. præcedenti; à quibus diximus posse absolui ab Episcopo, quia omnes illi casus iam sunt Episcopales, cum sine vllo onere ab eis absoluat.

Infertur 2. 216. Infertur 2. non posse absolui toties, quoties per Bullam, illum, qui ratione impedimenti potest ab Episcopo absolui cum onere comparendi; sicut neque ille, qui habet potestatem commutandi, aut dispensandi in casibus Episcopalibus, potest vllo modo commutare, aut dispensare in casibus, qui non Iure Ordinatio; sed ratione vrgentis impedimenti, aut necessitatis competunt Episcopo, vt rectè Rodriguez super Bullam §. illo 9. num. 118. Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 40. num. 8. & alij.

Infertur 3. 217. Infertur 3. non posse absolui toties, quoties per Bullam (vt aliqui volunt) à casibus reseruatis Papæ occultis; quia, quamuis hi casus competant iam Episcopis per Tridentinum; non tamen competunt absolutè, sed tantùm, quando sunt occulti; atque adeò Papales absolutè sunt. Probat hoc vlterius Henriquez lib. 6. cap. 14. n. 7. in fine illos scilicet casus non censeri Episcopales, quia Episcopis tantùm conceduntur speciali Iure ob personæ industriam.

Ratio pro tertiâ illatione Authori non placet. 218. Hæc tamen ratio mihi non placet. quin potiùs illa facultas non ita est concessa Episcopis vt requiratur industria personæ Episcopalis; sed ipsimet dignitati, & cum facultate deputandi ad id Vicarium, ut explicatum est dub. illâ. 3. & 4. Imò totum hoc corollarium tertium difficultatem habet, & non videtur omnino improbabile oppositum quidquid in præcedentibus doceat Rodriguez citato. §. 9. num. 135. in fine & tomo 1. *Quæstionum Regularium* q. 61. art. 9. referens Henriquez lib. 7. cap. 28. num. 2. littera. *S.* Hoc (inquam) puto difficile, si velimus stare doctrinæ suprà à nobis traditæ, & probatæ dub. 3. & 4. vbi cum Suario & alijs diximus illam facultatem concessam Episcopo in Tridentino, non censeri Ius nouum exorbitans ab antiquo; sed potius reduci Ius ad suam antiquitatem, & naturalem statum, quem habebat seclusâ reseruatione. Itaque Concilium adhibuit regulam generalem, & quasi ordinarium jus circa reseruationes Pontificias, vt scilicet, intelligantur esse de criminibus publicis; de occultis verò non; nisi, prout continentur in eo decreto Concilij. Vnde intulimus cum eodem Suario Concilium propter bonum animarum voluisse concedere Episcopis, quod antiquissimè habebant, & ablatum illis erat per decreta Pontificum, ac proinde derogens illis decretis, hoc concedit. Ex quo infertur, & sæpe intulimus illam facultatem Iure suo ordinario antiquo competere Episcopis. *Reseruationes Pontificiæ intelliguntur, esse ac criminibus publicis De occultis verò non nisi &c.*

219. Hoc supposito sic argumentor pro nostro casu; ea facultas absoluendi in casibus occultis est ordinaria Episcopis, & sibi suæque dignitati & Iurisdictioni competens: ergo iam est casus verè Episcopalis, ita, ut competat Episcopis secundum jus suum ordinarium, quod habent; quamuis enim, nisi auferretur reseruatio, nihil possent eâ tamen ablatâ, vt sæpe notauimus, ipsorum dignitas, & ordinaria potestas ac Iurisdictio se extendit ad illos casus; Ex vi autem Tridentini pro talibus casibus ablata est reseruatio. Et quòd isti casus sint Episcopales docet Corduba in summa, q. 8. & probabilem putat Suarius de Censuris disp. 7. sect. 5. num. 12. & tandem hanc sentiam expressè docet Sanchez in *Sum.* lib. 4. c. 54. num. 27. ex eodem fundamento paulò aliter explicato. Quæ sententia mihi videtur probabilior, quamuis opposita magis communis.

220. Atque etiam secundùm hanc sententiã philosophandum est de Priuilegijs Religionum Mendicantium quæ nihil possunt in casibus Bullæ Cœnæ, quando enim sint occulti, tan-

quam Episcopales absolui poterunt.

221. Quinam verò sint casus ex Iure communi, aut ex consuetudine reseruati Episcopis traduntur à Nauarro, cap. 27. & à Rodriguez § 9. citato, num. 91. quos placet breuiter percurrere.

Casus ex Iure communi & consuetudine reseruati Episcopis primus casus.

222. Primus casus est peccatum Clerici, cui annexa est Irregularitas; sed hoc peccatum non esse reseruatũ Episcopo docet Suarius *de Pœnit.* disp. 29. sect. 3 numero 8. & Rodrig. tomo. 1. *Quæstionum Regularium*, q. 61. referens diuum Thomam, & Armillam. Itaque verum est dispensationem Irregularitatis esse reseruatum vel Pontifici vel Episcopo, si sit occulta; culpa autem per se reseruata non est à quâ potest quis absolui stante Irregularitate (in quo inter alia differt Irregularitas ab excommunicatione) neque enim Irregularitas impedit Sacramentorum susceptionem. Et hanc esse communem sententiam docet Suarius ibidem referens Caietanum, Nauarrum, Angelum, & Syluestrum, Glossam in c. *Si Episcopis de Pœnit. & remiss.* quam sequuntur Hostiensis, & alij, qui enumeratis casibus Episcopalibus, huius mentionem non fecerunt.

Secundus Casus.

223. Secundus casus est peccatum, ob quod olim imponebatur solemnis Pœnitentia, sed iam iste casus non est in vsu.

Tertius Casus.

224. Tertius peccatum incendij domus, frugum, & aliarum rerum, de quo iterum in sequentibus redibit sermo; in quo etiam includuntur, qui ad id dant consilium, auxilium, vel fauorem.

Quartus Casus.

225. Quartus Blasphemia olim quidem ratione solemnis pœnitentiæ; nunc verò solùm reseruatur, si publica sit, & pro foro exteriori. Ex generali autem consuetudine reseruantur Episcopo quatuor casus, qui habentur ex Benedicto 11. Extrauag. *Inter cunctas.* quorum etiam meminimus de Pœnit. Tract. 8. disp. 11. dub 7. §. *Iure Communi.* Primus est homicidium voluntarium; non tamen mutilatio, aut percussio: Secundus crimen falsarij, scilicet faciendi Scripturas falsas, vel falsas faciendi veras; non tamen extendi debet ad testem falsum, neque ad ostendentem Scripturas parti aduersæ: Tertius violatio libertatis Ecclesiasticæ, aut immunitatis Ecclesiæ: Quartus sortilegium, seu diuinatio.

Casus reseruari per constitutiones Synodales.

226. Per constitutiones autem Synodales varij sunt casus, qui reseruantur pro diuersitate locorum, gentium, & temporum, quatenus iudicatur bono regimini, & animarum saluti expedire, communiter verò solent reseruare incestum, & stuprum, & restitutionem debitorum, quæ malâ fide accepta fuerunt.

Asserendum 4.

227. Assero 4. (pro clausulis, & concessionibus generalibus, quæ in Iubilæis, aut priuilegijs mendicantium, seu aliorum concedi solent) in talibus concessionibus generalibus absoluendi ab omnibus peccatis, & Censuris non intelligi concessam facultatem ad peccata reseruata (vt iam alibi notauimus) neque ad reseruatas Censuras. De peccatis habetur. c. *Si Episcopus de Pœnit. & remiss.* vbi ea redditur ratio; *quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Quæ regula generalis etiam habetur, c. vltimo de *Officio Vicarij*, in 6. & Regul. 81. de *Regulis Iuris* in 6. idem autem videtur dicendum de Censuris.

Ex hoc principio colligũt Nauarrus & alij.

228. Ex hoc principio colligunt Nauarrus, cap. 27. numero 261. cum Antonino, & alijs Suarius de Pœnit. disp. 30. sect. 1. num. 3. quod etiamsi Episcopus dicat concedere omnem suã potestatem, non ideo intelligatur cõcedere casus sibi reseruatos; nisi aliunde constaret sic velle concedere; constaret autem, si de reseruatis agebatur, vel rogabatur, aut si prius cõcessisset aliquẽ casum reseruatum, & postea adderet *& omnem meam facultatem concedo.* Vel si post talia verba, aut similia excipiat vnum, vel alium casum; eâ enim exceptione censetur alios reseruatos concedere.

229. Item secundùm Nauarrum suprà, & Henriq. lib. 6. cap. 16. numero 9. quando diceret: *Concedo omnes meos casus*, quia iuxta communem loquendi consuetudinem, quæ attendi debet; per suos casus peccata illi reseruata intelliguntur, & idem putat Henriquez propter eandem rationem, si dicat: *concedimus omnia, quæ per nos possumus*: illa enim particula *per nos* indicat specialem Episcopi facultatem absoluendi per se ipsum.

Colligunt 2.

230. Colligunt 2. prædicti Authores, quod si Episcopus concedat Censuras sibi reseruatas, non ex eo concedit casus, seu culpas, neque è contra, quia sunt distincta respectu Episcoporum (vt notauimus de Pœnit. Tract. 8. disp. 11. dub. 3.) secus verò putant, quando Papa concedit, vt ibidem quoque nos diximus; quia respectu Papæ semper sunt annexa, & nullus est casus Papæ reseruatus sine Censurâ, nisi fortè quis velit talem esse casum in peccato ordinationis simoniacæ, quod non habet annexam excommunicationem, etiamsi Sixtus Quintus negauerit inferioribus absolutionem illius; cùm tamen habeat annexam suspensionem, quæ non impedit absolutionem à culpâ, vt ibidem quoque diximus.

Colligunt 3.

231. Sanè Rodriguez in Bullâ, § illo 9. nu. 143. omnino docet habentem per Bullam, aut Iubilæum facultatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis, non ex eo habere facultatem absoluendi à Censuris illis annexis. Hoc autem postea meritò idem ipse retractauit in *Additionibus ad eundem numerum.* Et rectè impugnat Acosta super eandem Bullam, q. 47. citans Nauarrum in c. *Consideret.* §. *Cautus.* numero 24. & Couarruu. in c. *Alma* §. 6. n. 7.

232. Colligunt 3. prædicti Auctores, quod si idem casus sit reseruatus Papæ simul, & Episcopo, sublatâ reseruatione Papæ, censeatur etiã per eandem Bullam, vel Iubilæum tolli reseruationem Episcopi; quasi ex consequenti iuxta consuetudinem receptam. Ita Nauarrus suprà & Henriq. lib. 6. c. 14. num. 9. Verum de hac re legantur, quæ latè diximus citatâ disp. 11. de Pœnit. dub. 9. vbi diximus non solum ex consuetudine receptâ, sed ex rigore Iuris, si agamus de reseruatione culpæ ablatâ reseruatione superioris auferri reseruationem Inferioris. In casu verò, quo sint Censuræ plures, ablatâ vnâ, non satis est vt simpliciter censeatur ablata reseruatio alterius præcisè spectatis Censuris; per solam enim facultatem supremi Iudicis ad auferendam Cen-

suram

suram incursam, quam ipse tulit non censetur data facultas ad auferendam Censuram latam ab alio, quamuis eam facultatem posset superior Iudex conferre; neque enim Pontifex, dum condit aliquam legem, vel concedit aliquam facultatem, censetur; nisi id exprimat, derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum iuxta c. 1. de *Constitutionib:* in 6. Accedit, quòd (vt aliqui testantur) Clemens VIII. in Bullâ, quæ incipit *Sacra Congregatio.* decreuit; ne vllus prætextu cuiuscumque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo.

Hæc omnia intelligenda sunt de rigore Iuris scripti.

233. Hæc autem omnia intelligenda sunt de rigore Iuris scripti; ex praxi tamen receptâ, eo ipso quod Pontifex in Cruciatâ, vel Iubilæis concedit casus ibi reseruatos, censentur concessi casus Episcopales, vt notat idem Nauarr. c. 27. n. 261. §. *Nono Colligitur.* Ita docet Graff. lib. 4. c. 5. n. 28. Suarius de Censuris sect. 5. n. 14. qui ait hanc intelligentiam fundatam in vsu esse verissimam, & Iuridicam, tum, quia consuetudo est optima legum, & Priuilegiorum interpres; tum quia Papa per illa verba vniuersalia concedit potestatem absoluendi ab omnibus Censuris, à quibus ipse potest: ergo à reseruatis Episcopo: tùm denique quia delegatus Papæ, vt sic non pendet in suâ Iurisdictione ab Episcopo. Atque idem iudicium esse ait de verbis vniuersalibus contentis in priuilegijs Religionum. Ita etiam docet Vasquez de *Pænit.* dicens certissimum esse Pontificem, quando in priuilegijs mendicantium concedit facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis etiam Sedi Apostolicæ, dare etiam facultatem absoluendi à reseruatis Episcopo: id enim denotatur illo verbo *etiam Sedi Apostolicæ.* Quod priuilegium solum (ni fallor) habet Societas Iesu, vt patet ex ijs, quæ habet Rodriguez tomo 1. *Quæstionum Regular.* q. 61. art. 2. vbi probat Mendicantes ex ipso Iure communi per *Clementin. Dudum*, de *Sepulturis*, & alios Textus posse absoluere à casibus, quos Episcopi per sua statuta, aut Constitutiones sibi reseruârunt. Hoc ipsum probat Henriquez lib. 6. c. 6. n. 5. ex Clement. *Religiosi* de *Priuileg.* non verò putat Rodriguez posse absoluere à casibus Iure ipso communi reseruatis Episcopo, & art. 3. licet contendat per aliqua Priuilegia, quæ ibi examinet, etiam ab his casibus posse absoluere quia tamen adhuc manet dubius, ad Priuilegium nostræ Societatis Iesu confugit. Et quamuis eo non obstante Episcopi contenderint non posse; iam Gregorius XIII. declarauit posse, vt habetur in compendio longiori verbo *absolutio* §. 1.

Ex praxi recepta obseruandum est.

Quando Pontifex in priuilegijs mendicantiũ concedit facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ dat etiã facultatem absoluendi a reseruatis Episcopo.

Asserendum Quando Pontifex concedit facultatem absoluẽdi a casibus sibi reseruatis, non intelliguntur casus Bullæ Cœnæ, nisi exprimantur

234. Assero 5. quando Pontifex concedit facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, non intelliguntur casus Bullæ Cœnæ; nisi exprimantur, vt cum Couarr., & Nauarro docet Graff. lib. 4. *deciss.* c. 18. n. 2. & c. 15. n. 76. Suarius de *Censur.* disp. 7. sect. 5. n. 11. & disp. 21. sect. 3. n. 3. Vgolinus tabulâ 1. c. 10. §. 4. n. 8. & alij apud Suarium, & apud Garz. de *Benef.* p. 11. c. 10. n. 109. Ratio est, quia casus Bullæ Cœnæ specialiter reseruantur & consequenter indigent speciali expressione in concessione facultatis absoluendi. Accedit quod ita vsu receptum est. Legatur Sanchez in *summâ* lib. 2. c. 12.

Quæritur.

235. An verò in concessione, quâ concedit Pontifex facultatem absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis, etiam à contentis in Bullâ Cœnæ; intelligatur concessa facultas absoluendi ab Hæresi? Variæ sunt opiniones.

Communis sententia.

236. Cõmunis sẽtẽtia docet nõ intelligi cõcessã propter rationẽ, quã suprà assignauimus assert. 4. quia scilicet habet specialem grauitatem, & difficultatem, & in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Ita Couarr. c. *Alma.* p. 1. §. 11. n. 25. Nauarrus c. 27. n. 275. Graff. lib. 4. c. 15. n. 25. Vgolinus Tabula 1. c. 10. §. 4. & c. 13. §. 4. n. 10. Suarius citatâ disp. 7. sect. 5. n. 12. & *de Fide.* disp. 21. sect. 4. n. 21. Azor. tomo. 1. lib. 8. c. 10. q. 12. Simãcas tit. 3 n. 20. Bartholom. à Medina in *summâ* lib. 1. c. 10. §. 1. & c. 11. §. 7. Aragon. 2. 2. q. 11. art 3 Rodriguez in *Additionibus ad Bullam* §. 9. n. 66. 70. & sequentibus. Acosta *in Bullam* q. 59. Henriquez lib. 6. c. 16. n. 2. & lib. 7. c. 13. Rojas de *Hæreticis* 2. p. assert. 39. n. 321. & de *Priuileg. Inquisit.* n. 416. vbi testatur Motu quodam Pij V, edito anno 1572. sic esse declaratum. Barbosa 2. p. *de potest Episcop.* allegat. 40. n. 31. Nicolaus Garzia suprà n. 109. Bonacin. de *Censur.* disp. 1. q. 3. punct. 1. n. 13. Auila. 2. p. c. 2. disp. 1. dub. 7. conclus. 2. Vasquez de *Excommunic.* dub 19. n. 5. Sanchez lib. 2. *summæ* c. 12. n. 10. & alij apud citatos. Ita hæc est communissima opinio, & fundamentũ habet in stylo, & vsu Curiæ Romanæ, quod in re morali Maximi momenti est, atque vt Azor suprà & c. 19. q. 2. Suarius & Borbosa citati testantur stylus Romanæ Curiæ habet sub illâ generali facultate absoluendi à reseruatis non cõprehendi contenta in Bullâ Cœnæ, nec sub contentis in Bullâ Cœnæ comprehendi Hæresim stylus autem in hac parte habet vim legis, vt Authores concedunt: ergo non licet ad ea prædictam concessionem extendere: Constat autem etiam hic stylus ex eo, quod sæpè in Iubilæis post absolutam concessionem absoluendi à reseruatis in Bullâ Cœnæ etiam exprimi solet, & à crimine Heresis; cuius expressio superflua esset, si superiori clausulâ contineretur.

Oppositam multi sequuntur. cum Soto

237. Oppositam nihilominus sententiam multi sequuntur, inter quos Sotus, 4. dist. 22. q. 2. art. 3. conclus. 5. Corduba in *Summa.* q. 8. citans Syluestrum. Verum si attentè legatur Corduba solùm docet de Hæresi occultâ ex eo scilicet fundamento, quia Hæresis occulta iam est casus Episcopalis, de quo iam suprà diximus. Idem quod Sotus docet Lorca. 2. 2. disp. 45. num. 13. Farinacius, q. 292. num. 63. Peg. 3. p. direct. comm. 25. vers. *quòd si quis dicat*, Et vers. *quòd si quis quærat.* Reginald. lib. 8. numero 53. in fine Frechilla *de excommunic.* art. 1. p. 4. n. 7. dub. 1. Praxis Episcopalis 1 p. verb. absolutio §. 5. & p. 2. eodem verb. §. 4. Ledesma. p. 4. q. 26. art. 1. & alij apud Garz. p. 11. de *Benef.* c. 10. n. 110. probabilemque putat Suarius de *Censuris* disp. illâ 7. sect. 5. n. 12. quamuis illam restringat ad Hæresim occultam eâque ratione intellectam opinionem Soti putat adeò probabilem, vt nullâ ratione calumniari, aut Censurâ notari possit. Azor etiam indicat, quod si rationibus & secundum

maximè cum casus sic reseruati in ea Bulla in numerato,& in promptu sint; quòd si Pontifex vellet aliquem excipere,facilè posset facere, vt re verà facit quando vult excipere casum Hæresis,vt iam notauimus.

Obijcit Azor contra Sotum. 241. Verum obijcit adhuc Azor contra Sotum,& potissimè insistit in stylo,& consuetudine Romanæ Curiæ,cui potiùs adhærendum est quàm authoritatibus, aut rationibus; pro quà consuetudine citat Mandosium testantem omnes absolutiones ab Hæresi extra Curiam committi solùm Inquisitoribus, & quod in Curia nemo se intromittit;nisi Inquisitores. Præterea Nauarrus in *summa* n. 75. ait facultatem absoluendi ab Hæresi summo Pœnitentiario,non; nisi valde limitatam concedi.

Resp. 242. Hæc tamen omnia etiam abs re opponuntur contra Sotum; nam imprimis ille stylus, de quo testatur Mandosius, solùm est stylus,& consuetudo non committendi alijs quàm Inquisitoribus fidei prædictam absolutionem ab Hæresi; quod omnino extra rem est; neque enim nunc agimus de committendâ vel non committendâ tali facultate; sed solùm quærimus;an, quando verba sonant commissionem illius; nisi restringantur, vel nisi adhibeatur exceptio alicuius casus, intelligantur extensa ad casum quemcumque non exceptum; ad hoc autem impertinens omnino est afferre stylum, seu consuetudinem, quâ in Romanâ Curiâ solùm Inquisitoribus solet ea facultas concedi. Sit ita quidem;verùm cùm eam facultatem cōcedi alijs non repugnet,nunc solum disputamus; an censeatur ea facultas concessa verbis,quantum est ex se sufficienter se extendentibus ad ipsam, qualia sunt verba concedentia facultatē absoluendi à casibus contentis in Bullâ Cœnæ? Atque eodem modo patet extra rem afferri testimonium Nauarri,maximè cùm idem ipse Author potiùs videatur stare pro sententiâ Soti; nam lib.5. *Consiliorum* tit.*de sententiâ Excommunic.* consi. 15. vt probet non esse derogandum priuilegio concesso Episcopis in Tridentino inter alias rationes adducit hanc: *tum quia vident Episcopi apparuisse in vrbe conueniens vt Confessarij per Cruciatam electi absoluant ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, quorum vnus est Hæresis,quando in Cruciatâ non excipitur.* Hæc Nauarrus in editione factâ Romæ anno 1590.

Viget Azor contra Sotū. 243. Adhuc etiam viget Azor contra Sotū; quia magnum est (inquit) argumentum, quòd Inquisitoribus est priuilegium concessum,vt ipsi facultatem habeant absoluendi ab Hæresi:ergo per clausulam generalem, non videtur Pontifex huiusmodi facultatem alijs concedere;nam derogaret magna ex parte priuilegium Inquisitorum, & Pontifex non solet per concessiones generales sic derogare.

Resp. 244. Verum neque hoc argumentum mihi videtur magnum, vt ille appellat,sed potiùs leue; respondetur enim concedendo per clausulam generalem, id est valde communem,& vniuersalē nō censeri cōprehēdi casū tā specialē,qualis est Hæresis;sed concessionem, de quâ nunc agimus, esse multò magis specialem; nimirum concessionem casuum Bullæ Cœnæ, in quâ casus Hæresis continetur, maximè, cum si vellet Pontifex hunc casum non comprehendere,facilè posset excipere,vt de facto excipit quando vult;neque,quando non excipit, censetur magnâ ex parte, vt dicebat Azor,derogari priuilegium Inquisitorum, tum, quia rarò eam facultatem concedit Pōtifex, cùm ferè sēper soleat expressè excipere casū Hæresis;tū quia,licet aliquando hoc nō excipiat, atq; adeo censeatur cōcessa ea facultas;nō ideò magnâ ex parte minuitur priuilegiū Inquisitorū;nā inprimis pro foro externo tota sua potestas integra manet illis priuatiuè iudicandi de casibus Hæresis;tum; quia etiamsi alij pro foro conscientiæ habeant potestatem absoluendi ab Hæresi, non minuitur eo potestas Inquisitorum absoluendi ab eadem in eodem foro conscientiæ;neque absolutio in eo foro suffragatur in foro exteriori.

245. Solent etiam afferre contra opinionem Soti ita declaratum esse à Gregorio XIII. anno 1576. & prius à Pio V. anno 1572. verum (vt ait Azor suprà) huiusmodi viuæ vocis oraculo sæpe nobis certò non constant.

246. Tandem Henriquez lib. 6. c. 16. in Glossa narrat duos Prædicatores Cordubæ, & Murtiæ, qui post dictas declarationes Pontificum ausi sunt opinionem Soti, quam ipse Sotus ante declarationes docuerat, publicè prædicare, coactos fuisse per Censores Fidei se retractare.

247. Sed quidquid sit de veritate Historiæ, circumstātias illius omnino ignoramus;& multi Soto posteriores,vt sunt Corduba, Lorca, Farinacius, Pegnæ, & alij,prædictam sententiam sequuntur;& Suarius,alijque nonnulli oppositæ sententiæ eam nihilominus putant probabilem.

248. Difficiliùs primò aspectu contra Sotum obijci potest Motus proprius Gregorij XIII. quem refert Rodriguez in *Additionibus ad Bullā* §. 9. n.66. qui incipit *Officium nostræ partis*, datū Romæ 22. Septembris anno 1576. vbi declarat Hæresim non comprehendi sub facultate generali absoluendi à contentis in Bulla Cœnæ. *Obijcitur contra Sotū Motus proprius Gregorij XIII.*

249. Responderi tamen facilè potest solùm ibi declarasse Hæresim non comprehendi in facultate absoluendi concessam per Bullam Cruciatæ;quod quidem verissimum est,imò expressè in tali Bullâ Cruciatæ crimen hoc excipitur. *Resp.*

250. Habemus ergo ex toto hoc benè longo discursu si præcisè rationibus ex naturâ rerū, & ex principijs Iuris petitis agamus, vtramque opinionem esse satis probabilem, & eam Soti sententiam non adeò contēmnendam, vt aliqui putant. Vbi autem Inquisitionis Tribunal viget, fieri potest, vt consuetudine,vel priuilegio, scripto, aut Bullâ obtinuerint. Quæsitores fidei à Summo Pontifice priuilegium, quo expressè illis concedatur hic casus priuatiuè quoad cæteros omnes. In quo ego nihil scio; si autem hoc habeant, procul dubio talis facultas pro ijs Regionibus non censebitur alijs concessa. Placet nunc seorsim de Priuilegijs Religiosorum maximè Mendicantium disputare.

DVB-

DVBITATIO X.

Quid sentiendum de Priuilegijs Religiosorum in ordine ad absolutionem casuum Bullæ Cœnæ, maximè Hæresis?

Priuilegia quæ religiones habebāt per viua vocis oracula Vrbanus octauus sustulit.

251. ANte omnia præmittendum est non pauca ex ijs priuilegijs, quæ Religiones habent à Sede Apostalica, accepisse per viuæ vocis oracula; hæc autem viuæ vicis oracula Sanctissimus Dominus noster Vrbanus Octauus Motu proprio edito die 20. Decembris anno 1631. omnino sustulit ita, vt nullius valoris iam sint, etiamsi ad instantiā Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut alias quomodolibet collata fuissent. Vnde quidquid Religiones habeant tantùm per viuæ vocis oracula vsque ad illam diem, omnia nullius momenti sunt. Quæ etiam annullatio, & reuacatio ad quascumque alias communitates & personas priuatas extenditur. Fieri autem potest, vt illud ipsum, quod concessum fuit priùs per viuæ vocis oraculum, id est à Pontifice quidem expresse concessum, & ore prolatum, sed non scriptum litteris authenticis Pontificijs (vt explicat Suarius lib.8. de *Legibus*.cap.7.) illud, inquam, ipsum sit etiam concessum antea, vel postea per aliquam Bullam vel Scripturam authenticam Pontificiam, siue id concessum sit expresse in particulari, & in specie, siue generaliter per Bullam aliquam, concedendo vniuersim illa ipsa quæ per viuæ vocis oraculum alioquin erant concessa. Quia ergo fieri potest, vt aliqua Religio, vel communitas, aut priuata persona concessum habeat per Bullam ea ipsa, quæ per viuæ vocis Oraculum fuerant illi concessa, fieri etiam potest, vt quamuis virtute talis motus proprij reuocantis viuæ vocis oracula cessauerint iam illa omnia priuilegia, & gratiæ, quatenus erant viuæ vocis oracula, adhùc nihilominus non cessauerint, quatenus per Bullam, aut aliud scriptum authenticum Pontificium concessa sunt. Cùm ergo id fieri possit, aut certè possibile sit, nec desit spes, vt per Bullam aliaue ratione sufficienti concedantur postea ex benignitate Apostolicâ illa ipsa, quæ prius habebantur per viuæ vocis Oracula; placet omnino generaliter loqui in hac dubitatione de Priuilegijs Religionum circa præsentem materiam; & quomodò Philosophandum sit in illis perinde, ac si talis motus proprius Pontificius non emanasset.

Potestas Præpositi generalis Societatis.

252. Atque in primis præmittendum est Præpositum generalem nostræ Societatis habere facultatem per se vel per alios absoluendi quoscumque ab Hæresi in foro conscientiæ. Ita concessit Iulius III. viuæ vocis oraculo, vt patet in compendio Priuilegiorum nostrorum verbo *Absolutio* §. 3. & habetur in viuæ vocis Oraculis, pagina 9. Deinde id ipsum concessum est per Breue, vt habetur in litteris Apostolicis pag. 66. id verò etiam confirmauit, & de nouo concessit Gregor. XIII. die 18. Martij anno 1584. pro reliquis Orbis partibus, Hispaniâ exceptâ, vt habetur in viuæ vocis oraculis pag. 123. Quæ facultas communicatur Prouincialibus; sed extra Hispaniam, vt habet Priuilegium, cum potestate, vt re maturè consideratâ quando sibi videbitur in Domino expedire, in casibus particularibus possint id alijs communicare. Quod totum constat in citato verb. *Absolutio*, eodem, §. 3.

Eandem potestatem confirmauit & denuo concessit Gregor. XIII.

253. Præterea respectu sibi subditorum in Societate potest idem præpositus generalis, & quibus ipse commiserit eam facultatem, illos absoluere in foro conscientiæ ab Hæresi, & à relapsu in Hæresim, si quis (quod Deus auertat) in eam incideret. Concessit hoc ipsum etiam pro Hispaniâ Greg. XIII die 18. Martij, Anno 1584. vt habetur in viuæ vocis Oraculis, pag 133. & constat in Compendio priuilegiorum Societatis citato verbo *Absolutio*, §. 7. Atque ex eodem verbo §. 8. constat propter facultatem concessam Minoribus de obseruantiâ posse præpositum generalem, aut Prouinciales Societatis Iesu vltra montanos absoluere nostros vltra montanos sibi subditos, & dispensare cum eis, quoties opus fuerit à relapsu in Hæresim, aut Apostasiam, & eorum pœnas à Iure constitutas commutare augendo vel minuendo pensatis qualitate, & quantitate alijsque debitis circumstantijs, dummodò talium relapsorum crimina publica, & notoria apud sæculares non sint, vt ex hoc scandalum oriri possit. Ita concessit Alexander 6. vt habetur in *monum. Minor.* fol. 70. conc. 164. & refertur (quamquam non satis plenè) in compendio eorundem verb. *Absolutio ordinis quoad Fratres*. §. 18. Quæ facultas in nostra Societate reseruata est soli Præposito generali, sicut & illa præcedens concessa. §. illo 7. à Gregorio XIII. quando scilicet res non est dubia. Ne tamē Pœnitens tamdiu cogatur sine absolutione manere communicatur Præpositis Prouincialibus, ita tamen, ut moneatur Pœnitens manere sub pœna peccati mortalis obligatum ad se præsentandum Præposito generali, vel ad rem eidem manifestandam eo modo, quo seruata sigilli integritate Prouinciali videbitur. In Hispaniâ verò propter particularia inquisitionis indulta meritò non datur vsus talis facultatis.

Omnibus Superioribus Societatis concessa est facultas absoluendi ab excommunicatione incursa ratione librorum prohibitorum.

254. Vlterius omnibus Superioribus Societatis, & ijs, quibus ipsi communicauerint, concessa est facultas absoluendi ab excommunicatione iniutiâ propter rationem librorum prohibitorū, non quidem vbique gentium; sed in ijs locis, vbi possunt nostri absoluere ab Hæresi. Concessit hoc Grægorius XIII. die 6. Nouembris Anno 1583. vt constat in viuæ vocis oraculis, p. 132. & in Comp. citato habetur eodem verbo absolutio, §. 4. vbi etiam aduertitur, si libri prohibiti editi sint ad stabilienda dogmata Hæretica, non posse Superiores communicare hanc facultatem; nisi in casibus particularibus perspectis circumstantijs; in ijs verò prouincijs, in quibus ex peculiari concessione amplior esset facultas, liber permittitur vsus.

255. Hæc sunt præcipua priuilegia, quę ad hanc rem facere videntur, quantum ad Hęresim spectat.

De casibus Bullæ Cœnæ

256. Quantum verò attinet ad casus Bullę Cœnę, Gregorius XIII. die 18. Martij anno 1584. concessit quòd nullę Societatis facultates censeantur reuocatę per Bullam cænæ Domini,

vt

vt habetur in viuæ vocis oraculis pag. 133.

Pro prædictis Priuilegijs spectantibus ad absolutionem ab Hæresi aduertendam constitutionem SS. D. N. Vrbani Papæ VIII.

257. Oportet autem pro prædictis Priuilegijs spectantibus ad absolutionem ab Hæresi, omnino aduertere Sanctissimum D. N. Vrbanum Papam VIII. die 5. Nouembris anno 1631 per Constitutionem, quæ incipit. *Cùm sicut accepimus Sancti Benedicti* &c. declarasse Motu proprio, & ex certa scientiâ &c. *quod quæuis generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per se & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos in concernentibus fidem Catholicam, illiusq; propagationem, & Sanctæ inquisitionis officium præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus Sancti officij, & de propagandâ fide coram ipso Papâ tractari solent, hactenus editæ, omnes, & singulos, tam sancti Benedicti, Cistertiensis, Præmonstratensis, Sancti Antonij de Sancto Antonio Viennensi, & Societatis Iesu, quàm quorumcumq; aliorum Ordinum &c. Professores omninò comprehendant perinde, ac si præfati, & alij quantumlibet priuilegiati in eis nominatim expressi fuissent. Edendæ verò in posterum per ipsum; & Romanos Pontifices successores suos, tam in fauorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusq; propagationis & Sancti Officij Inquisitionis, præfati, quàm super quacumq; aliâ re, negotio, seu materiâ Cõstitutiones, depositiones & ordinationes huiusmodi similiter omninò cõprehẽdat præfatos eorundem Ordinũ, Congregationum &c. professores; nisi in edendis Constitutionibus huiusmodi specialiter, & expressè excipiantur &c.* Hactenus Pontifex. Et subiungit sufficientes derogatorias omnium, quæ in contrarium possint obstâre.

258. Iuxta hanc ergo Bullam seu Constitutionem, & Motum proprium limitanda sunt omnia priuilegia in ijs, quæ concernunt fidem Catholicam, illiusque propagationem, & Sanctæ Inquisitionis officium, &c. vt in Bulla continentur. Cùm autem omnia, quæ pertinent ad absolutionem ab Hæresi, & à Censuris propter ipsum latis, & omnia, quæ pertinent ad prohibitionem legendi libros Hæreticorum, & similia concernant fidem Catholicam, & illius propagationem, Sanctæque Inquisitionis officium, in quo de his & similibus tractari solet, nisi aliquid super hoc obtinuerint Religiones, & Congregationes prædictæ, omninò standũ erit omnibus generalibus Constitutionibus, dispositionibus, & ordinationibus Apostolicis concernentibus prædicta, perinde, atque cæteri omnes fideles; & in edendis constitutionibus &c. concernentibus prædicta comprehendentur, nisi obtinuerint Priuilegium, in quo expressè excipiantur. Vnde subsistente prædictâ Constitutione, vix manet aliquod Priuilegium circa eas materias inconcusum pro Religionibus. Vtrum autem ea Constitutio sit adhuc vsu recepta, vel vtrùm aliqua Religio habeat Priuilegium aliquod in contrarium, vel aliquid ratione cuius eius facultas pro absoluendis prædictis casibus non comprehendatur, nec redigatur in ordinem? mihi non constat; aliorum sit Iudicium, res est facti quòd si aliquid habet Iuris ex particularium Priuilegiorum inspectione, & diligenti examine, & accuratâ collatione illorum cum verbis huius Constitutionis per viros in his literis versatos decidendum erit.

Per nulla Priuilegia Mendicantium possunt absolui Symoniaci in ordine collato vel suscepto a quâdã suspensione imposita per Sixtum V.

259. Illud tandem aduerto, quòd per nulla Priuilegia Mendicantium possunt absolui Simoniaci in Ordine collato, vel suscepto à quâdam suspensione impositâ per Sixtum V. & quoad dictos Simoniacos in ordinatione confirmatam per Clementem VIII. quia satis derogauit dicta Priuilegia Mendicãtium, vt tradit Rodriguez tomo 1. *Quæstionum Regularium* q. 20. artic. 13. Cuius Constitutionis meminimus agẽtes de *Pænit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 3.

DVBITATIO XI.

Quæ conditiones seruandæ sint in absolutione ab Hæresi, aliouè crimine reseruato, quando absolutio fit in articulo mortis, vel ratione alterius impedimenti?

260. QVamuis varijs in locis dixiremus aliqua, quæ seruari debent in absolutione à Casibus reseruatis pro articulo mortis, aut ratione impedimenti ad eundi Pontificem, quâ de re præcipuè egimus Tract. 8. de *Pænitentiâ* disp. 10. dub. 13. vsque ad 18. & disp. 11. dub. 14. & postea disp. 2. huius Tractatus dub. 32. ac tandem in hac disp. dub. 8. placet nihilominus hoc loco seorsim ob oculos proponere, & explicare conditiones requisitas, & omninò seruandas in eâ absolutione. Legantur quæ dicemus dub. 34. & 39.

Tres sunt conditiones requisitæ, & seruandæ in absolutione ab hæresi, aliouè crimine reseruato in articulo mortis.

261. Tres igitur videntur esse conditiones requisitæ, & seruandæ. Prima est satisfactio, si qua debetur parti læsæ. Secunda iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ. Tertia obligatio comparendi coram reseruante, de quibus sigillatim dicemus.

Prima satisfactio.

262. Circa primam, scilicet, satisfactionem, in confesso est apud omnes eam esse exhibendam si fieri potest antequam præstetur absolutio. Quod si non possit adhuc alia media tentanda sunt: primum, si debitum sit pecuniarium, præstare debet cautionem pignoratitiam; habetur enim pignus loco solutionis, quod si nec hoc potest; secundum medium est fideiussio. Si verò hæc sit illi difficilis, vel; quia non inuenit fideiussorem; vel; quia prudenter timet eius delictum fore publicandum; tertium medium est cautio iuratoria, quam saltem tenetur procul dubio præstare in delictis Bullæ Cœnæ, & similibus; In alijs verò sufficiet si promittat satisfacere, cùm primum possit. Quando verò debitum non est pecuniarium, sed honoris; vel doctrinæ; tunc non est necessaria cautio, vel pignoratitia, vel fideiussoria; satis enim erit si Iuret se restituturum, cùm primùm possit, honorẽ Læsum, vel reducturum ad sanam doctrinam illos, quos decepit, vt quando Hæreticus decepit alios, quibus tenetur fraudem detegere. Hæc autem cautio necessaria non erit, si iam Hæreticus satisfecit aut si satisfactio est impossibilis; quia nimirum, decepti absunt, & ille ducitur ad extremum suplicium. Item non erit necessaria si aliunde fortè detecta deceptio sit. Ita Suarius de Censuris disp. 21. sect. 3. Sanchez lib. 2. *summæ* c. 13. n. 23. Bonacina de *Censuris* disp. 1. q. 3.

1. q.3. puncto 3.n. 11.& alij Recentioris.

Secunda Iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ.

263. Secunda conditio est iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ nempe de obediendo mandatis ipsius absoluentis, vt rectè explicat Sanchez ibidem n. 20. & 21. cum alijs, quos refert, & notat Glossa c. *Ex tenore de sent. Excommunic.* verb. *debeat* & c. *si qui* verb. *consensu* 7.q.1. nam, cùm absoluens nomine Ecclesiæ absoluat, sanè iurare eius mandatis obedire, idem est atque iurare obedire mandatis Ecclesiæ. Talis autem absoluens, (vt rectè idem Sanchez n. 22.) non potest virtute illius Iuramenti aliquid aliud iniungere præterquàm quòd deinceps abstineat à tali crimine, vt habetur c. de *catero* de *sentent. Excommunic.* & tradunt Gloss. ibi verb. *debeat* & Nauarrus c.1. in princ. n. 54. de *Pœnit.* dist. 6. Syluest. verb *Absolutio* 3.§. 4. Suarius *de Censuris* disp. 19. sect. 2. n. 10.& alij Recentiores.

Hoc Iuramentum in omnibus excommunicationibus exigendum non est sed in gravioribus criminibus.

264. Neque hoc iuramentum in omnibus excommunicationibus exigendum est; sed in gravioribus criminibus, qualia sunt, quæ in Bullâ Cœnæ Domini continentur, vt crimen incendiarij, manifesta Clerici percussio, & similia: constatque ex c. *De cætero* & c. *ex tenore.* citatis docentque Suarius suprà & Sanchez. n. 17. cum Caietano, Antonio, Syluestro, & alijs. Ideò absque vllo fundamento Medina lib. 2. *Summæ.* cap 12. putat in sola percussione manifestâ Cardinalium, Episcoporum, & similium hoc iuramentum esse exigendum.

Aduertendum est cum Sanchez.

265. Aduertendum verò est cum eodem Sanchez ex vi prædicti iuramenti non contrahi novam obligationem servandi quæcumque præcepta Ecclesiæ sed tantùm illud, quod illi imposuerit absolvens, scilicet iam explicatum. Vnde meritò idem Sanchez. n. 21. reijcit Vgolinum *de Censuris.* Tabula. 1. c. 19. §. 5. n. 2. asserentem hoc iuramentum esse de parendo mandatis eius, qui extra mortis articulum, poterat absoluere, cui erat reservata absolutio; neque enim tale præceptum, aut onus parendi mandatis Ecclesiæ petitur in omnibus; sed solùm in magnis criminibus, ut probat idem Sanchez n. 17. cùm tamen onus se præsentandi tali superiori in omni excommunicatione reseruatâ locum habeat, vt iam dicemus. Lege circà hæc quæ dicemus dub. 39. assert. 4.

Tertia conditio est obligatio comparendi coram reseruante.

266. Tertia ergo conditio est obligatio comparendi coram reservante; Hæc enim obligatio imponenda est, de eaque monere debet absoluens ipsum absolutum, quotiescumque ratione vrgentis necessitatis illum absoluit à Censurâ reseruatâ; tenetur enim comparere coram superiore cùm primum possit iuxta c. *Eos qui de Sent. excomm.* in 6.

267. In eo sanè. c. non denotatur obligatio absoluentis exigendi promissionem sub iuramento ab absolvendo, quòd comparebit coram Superiore. Vnde Avila *de Censuris.* 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 4. solùm in gravi percussione Clerici. putat exigendum iuramentum. Nihilominus in omni Censura exigendum est, argumento. c. *Quamuis.* c. *Ea noscitur. de Sent. excom.* ita Sanchez. n. 26. Bonacina suprà. Suar. de *Censuris.* disp. 7. sect. 8. n. 25. Vasq. de *excom.* dub. 18. n. 6. Nauarrus in *Sum.* c. 27. n. 89. Rodriguez *in Bulla Cruciata* §. 9. n. 55. Sayrus lib. 3. c. 25.

Hæc doctrina solùm locum habet in absolutione à Censura reseruata.

268. Hæc doctrina solùm locum habet in absolutione à Censurâ reseruatâ, non in absolutione, quæ solùm est à peccato reservato; de hac enim absolutione nullo Iure constat tale onus esse imponendum. Ita Suarius de *Pœnit.* disp. 30. sect. 3. n. 6. quod notauimus suprà dub. 3. contra Navarrum, & plura etiam diximus de Pœnit. disp. 11. dub. 13. 14.& 15. adiunctis ijs, quæ diximus in hac disp. dub. 8. ubi egimus de Impedimentis sufficientibus recurrendi ad Sedem Apostolicam, & ad Episcopum. Iuxta quam doctrinam hoc iuramentum non est exigendum ab eo, qui sensibus est destitutus; item ab ijs, in quibus concurrunt impedimenta ibi notata, vt defectus ætatis, valetudinis, aut infirmitas sexus, & cætera, quæ eâdem dub. 8. numeravimus; & solùm in absolutione à Censuris esse exigendum docent Sanchez suprà. n. 24. Corduba in *Summa.* q. 18. p. 2. dicto. 2. Tambur. de *casibus in articulo mortis.* c. 4. dub. 4. n. 21 & alii multi.

Circa materiam huius Iuramenti obseruandum est.

269. Circa materiam autem huius iuramenti advertendum est eius obligationem esse comparendi coram superiore cùm primùm commodè possis; quod non physicè, sed moraliter intelligi debet, vt docet Sanchez. n. 25. attendenda nimirum est qualitas personæ, temporis, & loci; neque obligandus est quis ad impossibile; neque quando non est spes possibilitatis exigenda est talis cautio. Vnde qui naturaliter mortem euadere non poterat, etiamsi miraculosè conualeat, aut impedimentum perpetuum auferatur, non est obligatus comparere, quia quando data fuit absolutio impedimentum erat naturaliter perpetuum, & illi non erat imponendum tale onus, vt cum Sanchez diximus dub. 8.

270. Neq; hic actus comparendi est, vt iterum quis absoluatur, neq; vt satisfactio fiat parti læsæ; id enim potest iam quis fecisse, antequàm compareat; vel potest non esse pars, cui satisfiat, neque obligatio satisfaciendi, vt iam notauimus dub. 3. sed finis est, vt superior, cui Censura illa erat reservata videat an sufficientem medicinam habeat talis morbus? & vt pareat mandato talis Superioris, qui sic est absolutus iuxta dicta ibidem.

Quæritur.

271. Dubitari autem potest, an si Confessarius ex ignorantiâ vel malitiâ non petivit Iuramentum, maneat sic absolutus à Censura cum obligatione comparendi?

Resp.

272. Respondeo manere. Ita Sanchez. citato. c. 13. nu. 35. Henriquez lib. 6. de *Pœnit.* c. 10. n. 11. Vasquez de *Excommunic.* dub. 18. n. 4. Bonacina disp. 1. de *Censuris.* q. 3. puncto. 3. n. 14. qui Authores & alij meritò supponunt imò expressè asserunt absolutionem sine illo onere imposito à Confessario validam esse, & onus semper manere. Ratio prioris partis est; quia nullibi in Iure reperitur irrita absolutio ob omissam prædictam conditionem impositionis talis oneris à Confessario, & petitionis Iuramenti: ergo non est cur censeatur irrita maximè in articulo tantæ necessitatis; idemque dicendum putat Sanchez, etiamsi omittat petere cautionem parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi; &

di; & hanc doctrinam habere locum, etiam extra articulum mortis; putatque esse communem sententiam Doctorum. Neque harum expressio in Bullâ Cœnæ, ad absoluendum ab his excomunicationibus, inducit conditionem irritantem, si aliter fiat; solùm enim illud requiritur iuxta formam Iuris communis hoc ipsum petentis. Quando autem hoc sic petitur, & in Iure communi, non exigitur tanquàm conditio irritans actum, si non seruetur non irritat vt latè probat idem Sanchez. lib. 3. de *Matrim.* disp. 33. n. 3. Posteriorem verò partem, & directam responsionem dubitationi propositæ, scilicèt manere obligationem etiamsi non petatur iuramentum comparendi, neque id præcipiatur à Confessario; probat Sanchez. n. 30. quia illa obligatio comparendi non oritur ex voluntate Confessoris; sed ex Iure ipso. Hæc tamen ratio non mihi videtur satis efficax: Neque enim in Iure apparet impositio huius obligationis Iuramenti, nisi quatenus Confessarius medio iuramento exacto, illam imponit; alioquin supervacaneum videtur iuramentum petere, si etiam illo non petito, haberet prædictam obligationem.

Si absolutus à Censura Iuramentum non emittat non manet obligatio Iuramenti.

273. Vnde verum quidem existimo, si non petatur iuramentum; atque adeò absolutus iuramentum non emittat, non manere obligationem iuramenti; hæc enim essentialiter requirit iuramentum; neque ex aliâ causâ potest oriri, atque adeo, neque ex Iure ipso. Existimo tamen manere aliam obligationem præcepti impositi ab ipso Iure, quod satis colligitur ex. c. *Eos qui. de Sent. excomm.* in 6. Vbi nullâ factâ mentione huius iuramenti, expressè præcipitur sub pœnâ reincidendi in excommunicationem reseruatam, vt cessante impedimento compareat absolutus. Atque hoc tantum fortasse voluit Sanchez. Ideò dicendum puto in hac re hoc esse discrimen in casu, quo petitur iuramentum à Confessario, & in casu, quo non petitur; quod in casu, quo petitur, peccabit, si non compareat, duplici peccato, altero contra fidelitatem præstiti iuramenti; altero contra præceptum comparendi à Iure impositum; & quia hoc non implet reincidit, tanquam contumax, in Censuram; hæc enim est pœna imposita in eo c. *Eos, qui.* vbi (ut iam explicuimus suprà dub. 3.) dicitur reincidere in eandem non, quia sit propriè eadem; sed quia fundamentum habet in priori incursâ, & in delicto, propter quod prior incursa fuit, atque est eâdem ratione reservata.

Objiciet.

274. Objiciet tamen aliquis contra hoc; absolutionem Censuræ ad reincidentiam in eo differre ab absolutâ absolutione; quod absoluta absolutio tollit omnino vinculum: quæ verò est ad reincidentiam, non tollit vinculum absolutè; sed sub aliquâ conditione præstandâ: ergo qui conditionem non implet, non iam simili; sed eodem vinculo manebit ligatus; alioquin non erit absolutio ad reincidentiam; sed absoluta.

Resp.

275. Respondetur triplici modo posse aliquem absolui à Censurâ primò omnino absolutè nullo imposito onere satisfaciendi, nec se præsentandi, vel, si tale onus impositum est, non sit sub aliquâ Censurâ simili præteritæ. Hâc sanè ratione absolutio non dicitur ad reincidentiam; quamuis enim quis omittat satisfactionem, aut præsentationem, non reincidit. Secundò, quando absoluitur cum tali onere; quòd si non impleat, reincidat in similem Censuram præteritæ, & hæc est propriè quæ vocatur ad reincidentiam, vt cum datur absolutio à Pontifice, vel eius Legato sub onere, vt absolutus se præsentet Ordinario, aut alteri, à quo pœnitentiam suscipiat, vel sub onere exhibendi satisfactionem debitam parti læsæ, cùm primum possit. Quod si omittat facere, reincidit, constatque ex. c. *Eos qui.* citato, & Latè docet Suarius. de *Censuris.* disp. 7. sect. 8. n. 22. Nauarrus. c. 27. n. 113. Auila. 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 4. conclus. 1. Bonacin. disp. 1. *de Censur.* qu. 3. puncto. 3. num. 17. Hæc autem Censura nunquam incurritur; nisi addit nouâ contumacia, quæ sit mortale peccatum; neque enim noua Censura, esse potest sine nouâ causâ, vt rectè notant Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 2. Coninc *disp.* 1. *de Censuris. dub.* 16. *num.* 216. Nauarrus. *c.* 27. n. 277. Bonacin. *sup. num.* 16. Tertiò absolui quis potest à Censura impropriè, & imperfectè, perseuerante scilicèt Censurâ in cæteris omnibus suis effectibus præter vnum, vt contingit in Bullis Apostolicis, vbi absoluitur quis *ad effectum præsentium dumtaxat consequendum.* Quæ absolutio non tàm est propriè Censuræ absolutio, quàm suspensio, aut impeditio alicuius effectus. v. g. impedire incapacitatem recipiendi beneficium Ecclesiasticum, aut aliquam similem gratiam; quam incapacitatem inducebat prædicta Censura. Hæc autem sus- suspensio, manente Censurâ quoad cætera, non videtur fieri posse ab alio quàm à Romano Pōtifice: nemo enim alius potest facere, quod Censura maneat, & non habeat suos omnes effectus: ac proinde nemo præter ipsum potest hoc imperfectum genus absolutionis concedere. Ex his omnibus patet in nostro casu Censuram, quæ incurritur propter non impletam conditionem comparendi, non esse eandem cum præcedenti, à qua quis absoluitur; sed similem propter nouum peccatum, & contumaciam; non (inquam) esse eandem, ne moraliter quidem.

276. Quæret aliquis an obligationi comparendi satisfaciat ille, qui comparet per Procuratorem? Non consentiunt Authores. *Quæres.*

277. Respondeo probabiliùs esse quòd satisfaciat; verè enim censetur comparere, qui per Procuratorem comparet. & quidem cum actus comparendi sit ad obediendum superiori, & præstandum ea, quæ ipse mandauerit, si talia præstanda sint omnino personalia, potest per Procuratorem excipere mandatum Superioris, & illi parere per semetipsum. Si verò non sint actiones ita personales, quin possint per Procuratorem, aut interpositam personam exerceri; omnino poterit Procurator ipse, & comparere, & præstare; quod enim Procurator tuus tuo nomine facit, id ipsum tu facere censeris. c. *Episcopus.* dist. 18. Ideo hanc sententiam sequuntur Syluest. verbo *Excom.* 8. §. 8. quæst. 7. Armil. *Excom.* 59. (imò addit sufficere per litteras) Henriq. lib. 13. cap. 29. num. 3. & lib. 6. de *Resp.*

Pœnit. cap. 9. Bonacina disp. 1. de Censuris, qu. 3. puncto. 3. num. 5. Sanchez citato lib. 2. cap. 13. num. 33.

Limitanda est hæc doctrina.

278. Limitanda tamen est hæc doctrina, vt non habeat locum, quando propter specialem punitionem delicti, &, vt sic efficacius arceantur homines ab eo patrando, imponitur obligatio comparendi personaliter; quod contingit in excommunicatione ob percussionem Clerici, propter quam; nisi iusta causa excuset, tenetur quis ire personaliter, & se Pontifici præsentare, quando absolutus fuit à non habente aliàs facultatem secluso impedimento. Ita habetur. c. *Quod de his de Sent. Excom.* vbi dicitur. *Cæterum ab his in formâ Sacramenti exigi consueuit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessâ, Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare.* Hoc autem grauamen non debet trahi in exemplum pro alijs excommunicationibus Iuris, quia nullibi id cauetur, nec rigores sunt extendendi, sed temperandi potiùs, ac limitandi.

Quid in praxi seruandum.

279. Sanè, quod ad praxim attinet, mihi videtur in omni casu, etiam in hoc, si mittatur Procurator ad Pontificem, aut per aliquam interpositam personam in Curiâ commorantem agatur, & explicetur casus, id omnino sufficere; si re auditâ Pontifex pergat, vel per se ipsum iudicando vel alteri iudicium committendo; nam eo ipso quòd sic admittit causam sibi per Procuratorem propositam, Censetur esse contentus eo genere comparendi. Vnde neque in casu percussionis Clerici videtur quis obligandus eo ipso quòd re simpliciter propositâ Pontifici, Pontifex non requirit personalem delinquentis præsentiam: censetur enim in eâ re tacitè dispensare, admittendo interpositum.

Circa onus comparendi notandum est.

280. Tandem circa hoc onus comparendi notandum est id, quod iam in præcedentibus obiter diximus; neminem teneri comparere, qui absolutus fuit ab habente potestatem aliàs absoluendi à reseruatis, vt contingit in iis, qui absoluuntur per Bullam, vel per Iubilæa. Quâ de re diximus suprà. dub. 9. siue tunc primò absolvatur, siue antea fuerit absolutus, ob vrgentem necessitatem, & postea velit vti tali priuilegio, quia in tantum tenebatur comparere, in quantum absolutus erat à non habente aliàs facultatem. Legantur, quæ diximus assert. 1. loco citato.

Quæres.

281. Quæri tandem potest, an absolutio data absque satisfactione partis valeat?

Resp.

282. Respondeo hac de re postea dub. 34. agendum esse; interim dico valere, si detur ab eo, qui habet potestatem ordinariam. An verò, si detur ab eo, qui tantum habet delegatam, nisi ab habente potestatem Ordinariam concedatur ea facultas alicui delegato sic faciendi? ibidem quoque dicemus, & iterum dub. 39.

DVBITATIO XII.

An? & quam habeant facultatem Inquisitores fidei absoluendi ab Hæresi?

283. NOn est dubium Inquisitoribus commissam esse facultatem absoluendi Hæreticos Pœnitentes, vt probat Pegna in fine *Directorij Inquisitorum* pluribus Bullis relatis, quarum etiam meminit Farinac. *de Hæresi.* qu. 192. num. 54. constatque ex. c. *vt officium de Hæreticis.* in 6. Hoc verò est pro foro externo.

Inquisitores habent facultatem absoluendi hæreticos pœnitentes in foro externo.

284. Quod verò attinet ad forum conscientiæ suam habet difficultatem propter verba Clementis. VII. in Bullâ editâ anno 1539. relata ab eodem Pegna inter Bullas illius Pontificis, vbi sic habetur. *Vobis etiam, ac Vicarijs præfatis extra iudicialiter Lutheranos occultos, & non inquisitos per Ordinarium siue alios Iudices, aut alios quoscumque Hæreticos fautores, defensores, & receptatores &c. postquam Hæresim, quâ polluti, & infecti erant, abiurauerint, medio iuramento promiserint de cætero ab huiusmodi Hæresi penitus abstinere, absoluendi, illisque pro præmissis pœnitentiam iniungendi salutarem, eosque ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ restituendi, & reducendi authoritate Apostolicâ tenore præsentium litterarum, licentiam & facultatem concedimus.* In quibus verbis datur facultas Inquisitoribus, & eorum commissarijs absolvendi Hæreticos dummodò sint occulti, & à nullo Iudice prius inquisitos: ergo ea facultas datur in foro conscientiæ, & extra iudicialiter, nam iudicialiter, seu pro foro iudiciali, non solùm occultos Hæreticos pœnitentes, & voluntariè misericordiam postulantes possunt prædicti Inquisitores absoluere iuxta citatum. c. *vt officium.* & alios Textus; sed publicos etiam Hæreticos, & ad iudicium venire compulsos. Aliquid ergo speciale, quod alioquin non haberent, videtur concedi Inquisitoribus in eâ Bulla, nec videtur esse posse aliud præter facultatem sic absoluendi pro foro conscientiæ.

285 Nec satisfaciet, qui dicat eam Bullam dirigi specialiter ad Inquisitores in Lombardia ex Ordine Prædicatorum eamque fuisse gratiã specialem factam personis aliquibus, & non dignitati. Hoc (inquam) non satisfacit; quamuis enim id concedamus, vt re verâ videtur esse consonum contextui, & tenori Bullæ; consuetudine tamen receptum est, vt ad omnes Inquisitores extendatur, fauentque illa, quæ tradit Pegna. 3. p. *Directorij.* qu. 109. comment. 158. à vers. *Neque obstat.* vbi latè ostendit priuilegia specialibus Inquisitoribus concessa ad omnes Inquisitores dirigi ex. c, vltimo. §. vltimo. de Hæreticis in 6. & Clementina. 1. §. vltimo *de Hæreticis.* & L. *Arriani.* §. *Cunctis quoque legibus.* C. de *Legibus.* Ex his ergo omnibus videtur Inquisitoribus concessam esse facultatem absoluendi in foro occulto conscientiæ, & extraiudicialiter.

Obijcies.

286. Quòd si quis obijciat reuocationem Bullæ Cœnæ, in quâ omnis facultas absolvendi pro foro conscientiæ reuocatur, videtur posse responderi Bullam solùm reuocare facultates absoluendi, quæ sunt Pœnitentibus concessæ; vel etiam quæ directè sunt concessæ in illorum fauorem; hæc autem facultas ipsis Inquisitoribus in ipsorum met fauorem, & in fauorem officij quod exercent defendendo fidem, ad maioremque illorum authoritatem videtur directè concessa, solumque indirectè in fauorem animarum.

Resp.

287. Accedit, quod; nisi penes Inquisito-

res

res esset facultas absoluendi ab Hæresi occultâ in foro conscientiæ, omnino carerent Hæretici occulti remedio facili, & suavi, ut à peccato liberentur, neque enim tale remedium censetur; sed asperrimum, & difficilimum cogi Hæreticum occultum, ut præsentibus testibus vel coram notario soli Deo notam Hæresim suam occultam Inquisitori manifestent; hoc autem videtur omnino necessarium, si Inquisitor & Episcopi careant facultate absoluendi ab Hæresi: ergo dicendum est talem facultatem perseuerare, vel in Episcopis, vel in Inquisitoribus, vel in vtrisque. Hanc sententiam docent multi Doctores, inter quos apertè illam supponit Nauarrus lib. 5. *consiliorum*. tit. *de Priuilegijs*. cons. 11. Campeg. in *addit*. ad. c. 34. Tancbini de *Hæreticis*. vers. *cum itaque*. eundem referens, & sequens. Tenet etiam Rodrig. *in Bullâ Cruciatæ*. §. 9. num. 70. in fine. Eandem sententiam tenet Cardin. Toletus lib. 4. *Summæ*. c. 4 num. 5. Gutierrez. in Quæstionibus Canonicis lib. 1. cap. 13. num. 7. Paramus. Tract. de *Origine Inquisitionis*. lib. 3. qu. 9. num 190. Bannez. 22. qu. 11. art. 4. dub. 2. post. 3. argum. contra. 2. conclus. Henriq. lib. 6. de *Pœnit*. cap. 7. num. 3. in fine. Graff. 1. p. *decision*. lib. 2. cap. 9. nu. 5. idem quoque supponunt Simancas de *Cathol. instit*. tit. 3. n. 5. cùm quærat an Inquisitores possint delegare Confessori facultatem absoluendi Hæreticum occultum, quasi supponens ipsos habere facultatem. Item idem Simancas n. 3. Gutierrez citato lib. 1. c. 1. n. 59. Azor tom. 1. l. 8. c. 19. q. 5. docent constitutum in mortis articulo posse absolui à quolibet Sacerdote, si non sit accessus ad Episcopum, aut Inquisitores. Vnde videntur supponere penes ipsos esse eam potestatem. Eymericus etiam in *Directorio Inquisitorum* 3. p. n 61. docet Hæreticum omnino occultum esse absoluendum secretò, nec iudicialem confessionem præcipiendam esse; sed non putat Sanchez postea citandus hunc Authorem clarè stare pro hac sententia: videtur enim loqui de Hæretico purè mentali, fortè putans per Hæresim purè mentalem incurri excommunicationem, vt docuerunt multi Iuris periti teste eodem Sanchez. Clarius hanc sententiam sequitur Viualdus in suo *Candelabro* t. p. tit 11. de *Absolutione* n. 15. & probabilem putat Sanchez lib. 2. *summæ* c. 12. n 3. fateturq́ multos esse Doctores eam asserentes.

Inquisitores habent facultatem absoluendi ab hæresi in foro conscientia.

288. Notat verò idem Sanchez n. 2. quosdam ex prædictis Doctoribus sentire, hanc facultatem non concedi cuilibet Inquisitori; sed toti Consistorio; quia Inquisitorum Iurisdictio non est in quolibet Inquisitore, sed in toto consessu, probariq́; potest ex Constitutione Clementis VII. citatâ, vbi non cum singulis seorsim Inquisitoribus loquitur; sed cum omnibus dicens *Vobis &c.* Ita Henriquez suprà in *Comment*. litera T. Viuald. suprà Simanc. in *Enchirid. Iudic*. c. 51. vbi ait, citatus ab alijs, Inquisitorem vnum absque Sociorum consensu non posse absoluere; praxim verò esse in oppositum; Verum falsò refertur Simancas in eo loco; ibi enim nihil de hac re habet.

Notat Sanchez.

289. Ex hac sententia adinocta alia sententiâ probabili, quòd absoluat non sacerdos va-

Ex hac sententia colligunt multi

Ioan. de Dicastillo de Censur.

lidè ab excommunicatione colligunt non pauci Inquisitorem non sacerdotem posse hâc facultate vti; quia non est contractanda potestas ad forum Sacramentale; sed ad forum secretum, vt iam in simili de alijs facultatibus pro foro cõscientiæ diximus in præcedentibus. Item colligunt posse Inquisitorem alteri vices suas delegare, quia potestas est competens ex officio, dummodo in contrarium non sit aliqua prohibitio.

290. Verum etiam perstando in hac sententia facultatis concessæ Inquisitoribus. probabilius, & meritò putat Sanchez prædictam facultatem competere cuilibet Inquisitori, & non restringi ad totum Tribunal, quia prædicta Constitutio Clementis VII. non solis Inquisitoribus; sed eorum quoque Commissarijs eam facultatem concedit: at Commissarij nullum habent Consistorium, sed in quolibet districtu vnus est Commissarius; non ergo soli Consistorio; sed cuilibet Inquisitori voluit Pontifex hanc facultatem concedere; alioquin plus concederet Commissarijs

Facultas absoluendi competit cuilibet Inquisitori & non restringitur ad totū Tribunal. ita Sanchez

291. Opposita sententia scilicet neque singulis, neque Tribunali datam esse eam facultatem absoluendi ab Hæresi & excommunicationibus reseruatis in foro conscientiæ; sed necessariò fiere debere in foro externo iudiciario, est aliorum grauissimorum. Ita Sanchez citato n. 3. Farinacius de *Hæresi* q. 192. n. 54. Suarius de *Fide* disp. 21. sect 4. n 15. qui tomo 5. de *Censuris* disp. 43. sect. 1. n. 5. docet illã concessionem Clementis VII. fuisse personalem, & non perpetuam quantū ex eius tenore colligi potest. Addit etiam Sanc. non omnibus in quisitoribus cõcessam esse; sed solis ex Ordine Prædicatorũ in vniuersâ Italiâ constitutis, & constituendis. Eandem sententiam sequitur Garz. de *Benef*. p. 11. c. 10. n. 121 Barbosa 2. p. *de Potestate Episc.* allegat 4. n. 28. alijq́ue Recentiores, qui neque ex vi muneris; neque ex aliquo priuilegio; neque ex consuetudine id competit Inquisitoribus: ergo absque fundamento asseritur. Quod non ex vi muneris probatur; quia munus Inquisitoris est delicta inquirere, & iudicialiter punire delinquentes; est enim Iudex in foro externo: ergo ex vi muneris non habent hanc facultatem absoluendi pro solo foro conscientiæ. De priuilegio autem iam diximus solum illud afferri, quod iam reiecimus, quia solùm loquitur de Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum in Lombardiâ, & illo tempore præsentibus. Quamuis autem concedamus ad omnes extendi, adhuc non loquitur de absolutione fori conscientiæ; sed externi; tum quia nõ committit facultatem absoluendi; nisi præstito iuramento, & abiuratâ Hæresi; quæ conditiones pro foro Interiori non videtur necessariæ; neq́; verbum *extra iudicialiter* vrget; nam (vt testatur Barbosa suprà n. 27.) sæpè declaratum est in supremo Inquisitionis Romanæ Tribunali verbum illud *extra iudicialiter* non tollere formam iudicij scilicet dispositionem coram notario, & testibus; vel saltem coram Notario tantum; sed tollere solemnitatem iudicij, quæ consistit in eo quòd plures adsint iudicio, pluribusq́ue iudicium innotescat. Tandè ex consuetudine cõ-

Opposita sententia est grauissimorũ authorũ.

trarium omnino constat; numquam enim Inquisitores; nisi coram Secretario pœnitentem Hæreticum audire volunt. Accedit declaratio Cardinalium relata à Barbosa ad sess. 24. Tridentini, cap. 6. *de reform.* numero 7. vbi dicunt *Episcopus, aut Inquisitor absoluere iam non possunt hominem Hæreticum in foro conscientiæ, licèt hæc facultas à Concilio sit ipsis tradita.*

Responsiones ad fundamenta primæ sententiæ.

292 Ex dictis respondent fundamentis oppositæ sententiæ quatenus nitebatur verbis Bullæ Clementis. VII. & consuetudini. Ad illud verò quod dicebatur de rigore nimio, qui videtur esse in eâ obligatione confitendi peccatum suum coram Notario, & testibus aut saltem coram Notario, respondent id non esse nimium grauamen in delicto ita graui, & Christianæ Reip. nociuo; imò totum illum rigorem abundè compensari, & temperari ex eo, quòd sic absolutus secretò; etiamsi postea delictum publicetur; non possit de illo iterum iudicari, & puniri, vt rectè notauit ex Campag. Suarius *de Fide.* disp. 21. sect. illâ 4. num. 18, Accedit etiam, quòd ille rigor conuenientissimus videtur ad arcendos homines à tali delicto videntes difficultatem absolutionis. Præterea hæc facultas, licèt in toto Tribunali resideat, in quolibet etiam inquisitore censetur residere, quia (vt placet Suario ibidem) sibi invicem vices committunt. Alij hoc probant, vt ipsi putant probabilius; quia Bulla Clementis, VII. non cum Tribunali; sed cum inquisitoribus singulis, & eorum Vicarijs, & Comissarijs loquitur concedens illis facultatem. Verùm hi Recentiores non secum constant; prius enim negant Bullam Clementis, VII. locū habere pro Inquisitoribus extra Lombardiam, & extra illud tempus; & postea vtuntur illâ Bullâ ad probandum singulis Inquisitoribus esse concessam facultatem absoluendi..

Vtraque Sententia est probabilis sed tutior secunda.

293 Propter omnia hucusque dicta vtraque sententia videtur probabilis, tutior quidem secunda (quod nemo negabit) benignior prima; neutra verò efficaciter concludens, nam fundamentis primæ satis probabiliter respondet secunda, vt vidimus; fundamenta verò secundæ non tollunt probabilitatē primæ; quamuis enim concedamus precisè ex vi muneris sufficere inquisitoribus habere potestatem in foro externo, congruum nihilominus est, &, quasi consectarium, vt simul cum potestate in foro externo habeant potestatem in interno inquisitores; imò insuetum est in Ecclesiâ Dei esse potestatem pro foro externo spirituali, & non esse pro interno, quantum attinet ad iurisdictionem. E contra quidem potestas in foro interno conscientiæ separata sæpe est à potestate, & iurisdictio in foro externo; non verò iurisdictio in foro externo à jurisdictione pro interno, vt discurrenti per singulos Episcopos, illorum Vicarios, & alios habentes potestatem in foro externo satis patebit. Itaque ex hoc capite probabiliter dici potest consequenter competere, etiam pro foro interno, eo ipso quòd conceditur pro externo.

294 Ad illud verò; quod dicebatur pro secundâ sententiâ contra primam illam Bullam Clementis, VII. tantum loqui de Inquisitoribus Prædicatorum, & in Lombardiâ respondetur id, quod iam suprà dictum est pro primâ sententiâ ex Pegna loco citato; priuilegia Inquisitoribus specialibus concessa omnibus censeri fuisse concessa, & ad omnes dirigi iuxta Textus suprà citatos.

295. Ad illud verò quòd dicitur eam facultatem Bullæ non se extendere ad forum conscientiæ; sed solùm ad iudiciarium, negandum est; quia aliqua facultas specialis censetur ibi concessa Inquisitoribus; pro foro autem merè externo, aut etiam interno in Tribunali iam illi habebant iurisdictionem ideo probabile est; ne priuilegium illud fuerit inane, singulis concedi eam facultatem, atque adeò pro foro etiam interno. Neque argumentum aduersariorum concludit oppositum, dum id colligere intendunt ex eo, quod ea facultas non committatur; nisi præstito iuramēto, & abiurata Hæresi, quas conditiones non putat necessarias pro foro interno. Ad hoc facilè respondetur eas conditiones maximè congruere, etiam pro foro interno; tum; quia hâc ratione magis, vt sic dicam; actuatur, & confirmatur retractatio peccati abiurando illud & propositū non amplius peccādi firmius hærebit animo si iuramento firmetur; ad hoc enim ipsum postulatur tale iuramentum in foro exteriori. Accedit, quòd hic est vsus Ecclesiæ in absolutione Censurarum reseruatarum vbi, etiam, si absolutio sit in foro conscientiæ, exigitur cautio iuratoria, siue de satisfactione præstanda, siue de comparendo coram superiore. Sicut ergo in eis casibus iuramentum exigitur in absolutione pro foro conscientiæ ab alijs absoluentibus, qui non sunt Inquisitores; ita poterunt Inquisitores illud exigere pro absolutione eiusdem fori.

296. Ad illam verò declarationem Cardinalium, quam allegant ex Barbosâ, respondetur; sicut respondit Sāchez in simili casu pro sententiâ, quæ docet non esse reuocatam Episcopis per Bullam Cœnæ eam facultatem, quam concessit Tridentinum, quâ de re latè egimus dub. 5. vbi eodem modo solet afferri declaratio Cardinalium, quæ declarauit eam facultatem iam esse sublatam Episcopo scilicet non satis authenticè constare de illis, & habere quidem magnam authoritatem; sed non omnino cogere; eodem enim tenore loquitur de Episcopis, atque de Inquisitoribus; & de Episcopis iam ibi diximus non cogere eam declarationem, quin probabilis adhuc sit, & multorum sententia, quòd habent facultatem absoluendi concessam in Tridentino.

297. Ex his omnibus pro praxi colligimus non facilè damnandum esse Inquisitorem, qui in foro conscientiæ, vtatur eâ facultate; est enim probabilissima sententia, quod adhùc illam habeat.

298. Illud etiam mihi verissimum apparet ex solâ, & præcisâ obligatione confessionis annuæ, aut alterius instantis obligationis exeundi à Censurâ, & confitendi peccata non teneri pœnitentem, quando non est aliud medium, neque potestas ordinaria absoluendi ab Hæresi, & Censurâ illius, se prodere, & accusare coram Notario, & testibus, aut coram solo Notario in Tribunali Inquisitionis, etiamsi non pateat adi- *Ex dictis pro praxi colliguntur.*

tus

tus ad Pontificem propter longam nimis distātiam, aut alia impedimenta, de quibus egimus dub.8.imò neque ad Episcopum; sed solùm adsint Inquisitores volentes, & potentes in Tribunali absoluere modo prædicto, & non aliter; sed tunc Philosophandum esse sicuti, quando pro casibus reseruatis deest copia cuiuscumque potentis alioquin absoluere, qualiter Philosophati sumus eadem dub.8 *Sian verò*, quando scilicet est impedimentum ad comparendum, non solùm coram Pontifice; sed etiam coram Episcopo; tunc enim probabile est proprium Sacerdotem posse absoluere in vrgenti necessitate, maximè, si tentatum iam sit medium petendi facultatem ab Inquisitoribus, & illi renuant concedere talem facultatem; tunc enim non cogendus est pœnitens præcisè ex vi præcepti Ecclesiastici ita confiteri peccatum suum in Tribunali, sicut enim non tenetur pœnitens confiteri peccatum suum coram alijs, aut per interpretem aut per scriptum, si sit periculum aliquod reuelationis. Qua de re satis diximus agentes de *Pænit.Tract.8.disp.7.dub.14.* ita multò minus ex vi talis præcepti Confessionis, & excundi à Censurâ Ecclesiasticâ tenetur confiteri peccatum suū coram Tribunali, & relictâ scripturâ, vt fit, apud Notarium; quod totum sub est multis periculis; possunt enim varij casus contingere propter quos tandem illa confessio publicetur, quis enim non videt, vel occasione incendij, ruinæ, inundationis, terræ motus, irruptionis hostium, aliisve similibus casibus posse Inquisitionis scripta, quantumuis occulta propalari? vt interim omittam non impossibilem, quamuis non credendā, nequitiam Notariorum, aut testium; imò & Inquisitorum etiam, qui, est, nomquam reuelent huiusmodi crimen; at minime negotij est, & difficultatis subire alia damna, quæ ex tali data notitia possunt oriri, qualia sunt, quod prædicti siue Notarij, siue testes, siue Inquisitores, non solùm pro rebus agendis, & negotijs minùs bonam existimationem habebunt de tali confesso. V.g. si agatur de coniugio ineundo cum ipso vel posteris ipsius, an non timeri potest; quod Inquisitor, Notarius, vel testis auertat cognatum, vel consanguineum suum à tali coniugio? Quod non fecisset; nisi nouisset tale delictum. Item, si prædictus aut posteri ambiant aliquod officium Inquisitionis, etiamsi alioquin dignus esset secundum communem existimationem, & natalium nobilitatem, sanguinisve puritatem, nonne meritò timere potest, quod, vel eâ tantū de causâ repellatur, & careat omni spe talia, aut similia munera obtinendi? Quid, si fortè contingat quod vel ipse aut fortè filij, siue falsò, siue etiam verè de aliquâ culpâ eius generis accusentur? nonne & ipse pro relapso habebitur? & filij multum quoque habebunt præiudicati contra se, quasi sapiant mores, & vitia Patris, à quo illa cum sanguine hibennt?

300. Ex his, & alijs periculis sumitur argumentum à puritate præcepti Confessionis; nam, si quis talia, vel similia, aut etiam non parum minora pericula subire deberet apud Confessarium, & non esset alius Confessarius, præter illū à quo talia prudenter timeret, non teneretur ille talis confiteri apud talem Confessarium, nec conseretur præceptum Ecclesiæ aut diuinum sic obligare (nisi fortè Diuinum naturale in aliquo casu, quem explicuimus citatâ disp.7.de *Pænit.* dub. illa 14. §. *Mihi in hac re*, & sequenti) ergo, neque in hoc negotio, de quo agimus, etiamsi non esset aliud medium, neque alius Confessarius, diceretur esset teneri hoc medio tam aspero, & rigoroso vti. Secus autem dicendum esset si posset recurrere ad vnicum Inquisitorem, vt in foro secreto maximè in Pœnitentiali Confessionis absolueretur à Censura, aut etiā à peccato, vel daretur facultas, vt possit ab alio idoneo absolui à Censura, & à peccato; ad hoc enim onus facilius videtur posse obligari. Vnde quamuis videatur opinio Suarij, Barbosæ, & Sanchez. tutior, pro quolibet particulari casu; nescio an opposita sententia, quæ in vnoquoque Inquisitore pro foro conscientiæ talem potestatem agnoscat, sit saluti animarum non solùm fauorabilior, aut benignior; sed etiam multò magis expediens Communi bono fidei, cui sæpe magis expedit, vt lapsus resipiscat, ad idque facilius remedium inueniat, quàm, vt deterritus tantâ difficultate remedij in crimine sordescat, & persenceret; non sine aliorum periculo.

DVBITATIO XIII.

An absolutio data Hæretico ficte conuerso, ignoratâ fictione ab absoluente, valeat, saltem, vt cesset reseruatio? vel etiam, vt non indigeat absolutione?

300. Varijs modis potest intelligi hæc fictio primò, respectu Sacramenti Pœnitentiæ, in quo fortè absoluitur simul à Censurâ, & à peccato Hæresis, ita, vt talis absoluendus corde credat, & habeat fidem Catholicam; sed nondum habeat contritionem, vel attritionem peccati præteriti infidelitatis, & tunc non est dubium, quin respectu Sacramenti Pœnitentiæ omnino nulla fuerit absolutio, & adhuc indigeat absolutione à peccato Hæresis. Idemque dicendum est à fortiori, si etiam respectu depositionis Hæresis ita, vt adhuc in corde, & mente perseueret Hæresis; etiamsi oretenus fateatur fidem, & tunc etiam à fortiori pro Sacramento Pœnitentiæ, & quod attinet ad peccatum absoluendum, indigebit absolutione Sacramentali: neque enim fuit valida absolutio cum tali fictione. Tota ergo difficultas est an in casu, quo quis re verà, & ex corde conuertatur ad fidem; sed non habeat verā contritionē & retractationē peccati præteriti, valeat nihilominus absolutio Cēsuræ illi collata? vel potius sit nulla? aut certè si absolutio à Cēsurâ non valeat, cesset nihilominus ipsius reseruatio, & etiā reseruatio à peccato? Item in casu, quo veram fidem non habeat in corde; sed tantùm ore fateatur, maneat absolutus à Censurâ, vel certè cesset illius reseruatio; vt absolui possit ab ordinario Confessario non habente alioquin facultatem pro reseruatis? *Varie intelligitur fictio.*

301. Circa primùm mihi videtur manere liberum à reseruatione eo ipso, quòd veram fidem habeat; si loquamur de culpâ in foro Sacramentali *Responsio ad primum.*

cramentali explicatâ, etiamsi absolutio non fuerit valida propter defectum doloris, aut alterius requisiti ad Sacramentum. Hoc constat ex doctrinâ tradita à nobis de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 8. in principio; iam enim superior iudicauit de tali peccato, & illud nouit, & pro illo pœnitētiā imposuit, vt ibi explicuimus.

Responsio ad secundum.

302. Quod verò attinet ad Censuram mihi videtur saluo meliori iudicio non solùm cessasse reseruationem; sed etiam absolutionem à Censurâ fuisse validam, neque illam esse propriè fictionem comparatione Censuræ; nam ad absolutionem Censuræ veritas dispositionis, seu correctio requisita ex parte absoluendi non est comparatione peccati præteriti, vt præteritum est; sed futuri potius iuxta doctrinam generalem de Censuris traditam disp. 1. huius Tractatus. dub. 2. & 3. vbi explicuimus, & probauimus Censuram Ecclesiasticam ordinari in bonum & correctionem censurati, atque adeò recipere futurū. Ideò excommunicatio, quam incurrit Hæreticus, aut quiuis alius semper respicit aliquid futurum scilicet, vel actum præstandum, vel aliquid omittendum; quod, si faciat, iam est cum dispositione sufficienti vt absoluatur. Sic ille, qui excommunicatus fuit, quia non soluebat, vel restituebat, quod restituere tenebatur, aut soluere; eo ipso, quod id faciat, absolui debet, & absoluitur à Censura validè, etiamsi alioquin non habeat dolorem, & attritionem peccati antea commissi. Sic ergo in nostro casu excommunicatio, quam incurrit Hæreticus, non est propter peccatum iam præteritum, merè, vt præteritum; sed quatenus pendet in futurum per contumaciam resipiscendi, ligaturque tali excommunicatione donec resipiscat, fidem suscipiens, & Hæresim deserens; tunc enim debet absolui ab habènte potestatem. Quando ergo veram fidem suscipit, & hæresim deserit, etiamsi non habeat attritionem, aut contritionem peccati præteriti, iam præstat id, in quem finem & vt illud præstaret imposita erat Censura; ac proinde nulla erit fictio, quantum pertinet ad Censuram; Cumque absolutio Censuræ validè possit conferri sine absolutione à peccato, parum refert, quantum ad absolutionem Censura, quod non adsit dispositio alioquin requisita, quantum ad absolutionem peccati. Cumque in peccatis maximè reseruatis à Pontifice ablatâ Censurâ, aut reseruatione Censuræ censeatur ablata reseruatio peccati iuxta dicta de *Pœnit.* disp. 11. dub. 3. prope finem: hinc est, vt eo ipso quo, etiam sine verâ attritione, absoluatur quis à Censurâ, vel tollatur illi reseruatio Censuræ, vt possit absolui à quocumque Confessore ordinario; censeatur etiam ablata reseruatio peccati hæresis.

Censura ordinatur ad bonum Censurati atcoque respicit futurum.

Censuræ absolutio validè potest conferri, sine absolutione à peccato,

Difficultas de casu.

303. Iam verò difficultas restat in casu, quo quis petit absolutionem à Censurâ, & illam accipit, exterius quidem confitendo fidem, & abiurando Hæresim, interius verò perseuerando in peccato Hæresis; an scilicet tunc vel valeat absolutio à Censurâ, vt nulla indigeat absolutione ab illâ si postea verè conuertatur, & velit Sacramentaliter confiteri, vel certè reseruatio censuræ, atque peccati cesset.

304. Respondent aliqui minimè valere absolutionem quoad forum conscientiæ ex defectu intentionis in absoluente; non enim intendit absoluere; nisi fidelium, qui verò in suâ Hæresi pertinax est, infidelis est, & indignus absolutione. Ita Ferdinandus de Castro tomo. 1. operis moralis Tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 3. nu. 5. pro quâ sententiâ refert Sayrum tom. 1. Thesauri. lib. 2. cap. 21 num. 26. & 27. Henriquez lib. 13. de *excom.* cap. 30 num. 3. & 4. Suarium de Censuris disp. 7. sect. 7. num. 12. sed ibi nihil tale dicit; solùm enim docet censuram posse auferri manente contumaciâ in eo, qui absoluitur; idque non semper fieri posse in Censurâ latâ à Iure ab eo, qui non est supremus Iudex vt Pontifex respectu Censuræ latæ à Iure communi, hoc autem nihil ad rem nostram. Magis fauet huic sententiæ idem Suarius de *fide* disp. 21. sect. 4. num. 19. & citata disp. 7. sect. 6. num. 12. vbi id expressè docet, quem referemus pro hac doctrina dub. 32. in fine.

305. Addit verò idem Castro: quia talis absolutio, quoad forum externum valida, & firma reputatur, non indigebit Hæreticus verè iam conuersus absolutione aliquâ iudiciali sed ipse-met Inquisitor solus sine Notario, & testibus illum absoluere poterit exemplo Matrimonii contracti in facie Ecclesiæ invalidè, tamen propter occultum impedimentum, quod secundum multorum sententiam reualidatur sine ulla exteriori solemnitate per iteratum consensum contrahentium.

306. Verum hæc opinio difficilis apparet, & illud, quod addidit Castro, non consequenter dictum. Difficultas opinionis in eo consistit, quòd intentio absoluentis gratis dicitur conditionata sub eâ conditione *si es dispositus, aut, si non habes fictionem*: rarò enim, aut nunquam hanc expressè habet, qui absoluit maximè pro foro externo: de quo idem Castro loquitur eo loco. Sola autem interpretatiua conditionalis non est sufficiens ad restringendam absolutionem simpliciter collatam, nisi aliud obstet. Nihilominus satis probabilis est ea sententia quantum ad hoc quod pro foro Conscientiæ non valeat talis absolutio à Censurâ: neque enim solùm illa intentio conditionalis est interpretatiua: sed actualis, si non omnino expressa saltem virtualis. Dixi *non omnino expressa* quia licet aliquando aut sæpiùs non omnino exprimatur in absolutione excommunicationis, quæ fit in foro externo: solet nihilominus significari aliquibus verbis virtualiter continentibus aliquâ ratione talem conditionem, vt cùm dicitur *visâ tua correctione, visâ obedientiâ, quam præstas Ecclesiæ, &c, quòd humiliter te subijcias mandatis illius &c. absoluo te ab excommunicatione, quam incurristi propter hanc aut illam causam &c.* Quibus aut similibus, seu æquiualentibus verbis satis significatur intentio illa conditionalis, quòd scilicet, ratione obedientiæ prestitæ mandato Ecclesiæ detur talis absolutio. Cùm ergo in tali casu, de quo agimus, re verâ illa obedientia non subsistat: sed perseueret contumacia, quamuis omnino interna, non valebit pro foro conscientiæ talis absolutio, & constabit ex infra adducendis verbis

bis Inquisitorum absoluentium, qui id expressissimè dicunt, vt videbimus.

307. Dixi verò non consequenter loqui prædictum Authorem in eo, quod dicat, ex eo quod in foro externo valida reputetur talis absolutio, possit ipse-met Inquisitor solus sine Notario & testibus prædictum absoluere: hoc enim non videtur cohærere cum sententiâ, quam ille sequitur, quòd scilicet Inquisitores non habeant potestatem absoluendi à Censura propter Hæresim in foro conscientiæ: sed tantùm in foro externo, & in Tribunali: illa enim absolutio, quam modò affirmat, posse dari ab Inquisitori solo, non est absolutio in Tribunali, sed tantum in foro conscientiæ: vel ergo suppositâ illâ absolutione apparente, quæ censetur valida in foro exteriori, cessat reseruatio Censuræ, vel non: si cessat reseruatio, frustrà requirit Inquisitorem priuatè, & extra Tribunal absoluentem; à Censurâ enim Iuris non reseruata quilibet alius Confessarius potest absoluere iuxta dicta dub. 2. si verò reseruata est adhuc illa Censura, iam concedit à Censurâ Hæresis reseruatâ posse Inquisitorem priuatim absoluere.

Resp. Author ad difficultatem propositam, n. 303. 308 Propter hæc ego existimo saluo meliori iudicio dicendum, illam Censuram semel incursam propter peccatum hæresis exterius significatum, quantumuis occultum (aut etiamsi sit manifestum, aut planè probatum in iudicio) iam tamen retractatum, quantum ad externam significationem, iam non esse Censuram reseruatam, & illum hominem iam non censeri sensibiliter excommunicatum, ita, vt neque occultè, neque publicè censeatur permanere sensibiliter Hæresis, & excommunicatio propter illam incursa; nam suppositâ absolutione, ille non censetur iam excommunicatus externus, & suppositâ retractione à se exteriùs factâ (quamuis animo ficto) iam hæresis manet non solùm occulta, sed interna & insensibilis aliquo signo externo; Hæresis autem omnino interna non cadit sub reseruationem; neque Censura etiam, quæ, vt incurreretur habuit causam externam; tamen vt postea transierit illa Censura in merè internam; sicut peccatum Hæresis in merè internam; adsunt causæ sufficiens vtriusque, nam externa retractatio Hæresis, & amplexatio fidei ostendit in exteriori illum iam esse fidelem, & non esse contumacem præcepti Ecclesiæ; & absolutio data ostendit etiam pro exteriori iam non esse illum hominem ligatum Censurâ; sed liberum ab illâ; ergo omnia transeunt in merè externa, & non sensibilia; circa merè autem interna, & non sensibilia nulla est reseruatio iuxta dicta disp. 2. dub. 10. & de *Penit.* disp. 11. dub. 4. & 5. explicatur & confirmatur. Nam actus internus Hæresis qui posteà existit non declaratur per priorem antiquam manifestationem, quæ iam non est, nec refertur sub iis circumstantiis ad significandum actum qui nunc est; huius autem actus manentis & præsentis nulla est alia manifestatio externa sensibilis, vt supponimus, ergo nulla est iam Hæresis externa & sensibilis, ergo nec reseruata.

Ex dictis infertur. 309. Ex quo infertur illum, non iam à solo inquisitore; sed à quocumque alio confessore in foro conscientiæ posse absolui perinde atque à quauis aliâ Censurâ non reseruatâ: neque in hoc deberet esse contrarius prædictus Author, neque Suarius, qui in eo quod Inquisitor solus, sine notario possit absoluere in tali casu etiam consentit *disp. illa* 21. *de fide sect.* 4. *n.* 17. Imò, & exemplum, quo vterque vtitur, Hoc ipsum videtur probare; vtuntur enim exemplo Matrimonij contract in facie Ecclesiæ inualidè ob occultum aliquod impedimentum, quod secundum multorum sententiam reualidatur sine vllâ exteriore solemnitate, dummodò ablato illo impedimento adsit iteratus consensus contrahentium; Ex hoc enim, ipso exemplo sumitur argumentum pro nostrâ sententiâ; sicut enim ibi, quamuis contractus Matrimonij sine requisitâ solemnitate clandestinè factus, sit nullus; quia tamen iam pro foro externo præcessit solemnitas requisita, poterunt postea secretò, & sine solemnitate contrahere; neque ille contractus sic secretò factus censetur lege, & Iure irritus eo ipso, quòd virtute præcedentis solemnitatis haberetur verus, cùm tunc cesset nullitas: sic etiam in nostro casu quamuis absolutio à Censurâ Hæresis in mero foro conscientiæ collata à priuato Confessario, sit nulla generaliter loquendo; tamen suppositâ solemnitate fori externi, in quo talis Hæreticus habetur, & iudicatur absolutus, cessabit etiam nullitas absolutionis collatæ, & erit valida talis absolutio in foro occulto suppositâ solemnitate absolutionis præcedentis, virtute cuius cessat reseruatio. Vnde non debuisset Suarius negare in prædicto casu peccatum Hæresis, aut (quod idem est) Censuram posse absolui à non habente aliòquin potestatem si ex vno capite concedit Inquisitorem extra Tribunal non habere potestatē absoluendi à Cēsurâ illâ reseruatâ, & ex alio capite docet posse in prædicto casu Inquisitorem absoluere à tali Censura; si enim potest, non est reseruata, quia ille, vt persona particularis extra Tribunal non habet potestatem in reseruatam Censuram; si autem non est reseruata, etiam quiuis alius confessarius poterit.

310. Quæres tamen aliquis; quid dicendum sit de eo, qui falsus fuit coram Inquisitoribus, vel habente potestatem, Hæresim, seu Apostasiam v. g. Iudaismum; non tamen declarauit quoties iudaizauerit; sed aliquos externos actus manifestauit, aliquos verò occultauit; an non ille manebit absolutus? *Quæres.*

311. Respondetur cum eodem Castro n. 6 si id factum fuerit ex ignorantiâ manere absolutum, si verò factum sit ex malitiâ Castro distinguendum putat; nam si omissit manifestare actus, qui detecti variarent grauiter indicium ita, vt mouerent Iudicem ad grauiorem iniungendam pœnitentiam, non censent manere absolutum; secus verò, si iudicium eodem modo persisteret. Atque ita explicat verba Inquisitorū absoluentium dum dicunt. *Si ita est, & ex corde conuertitur, non tacens de se, nec de aliquo alietem aliquam contra nostram sanctam Fidem Catholicam eum absoluimus, & non aliter.* Quæ verba requirunt, vt Hæreticus ex corde conuertatur, nihilq; aduersus fidem taceat, quod graue sit & merito iudicem ad variationem iudicij mouere possit, inquit Castro. A quo, si inquiras quomodò *Resp.*

dignoscendum sit an id, quod ex malitiâ omittitur, variaret iudicium Inquisitoris, si manifestaretur? respondet relinquendum esse arbitriu prudentis. Ille autem putat si plures diuersas Hæreses haberet, & aliquam omitteret manifestare, omnino variandum esse iudicium si manifestaretur. Item si diceret tantùm duos, vel tres actus eiusdem Hæresis, cùm tamen essent decem, vel viginti. Præterea, si omisit manifestare aliquam personam; quamuis enim propter eam manifestationem fortè non variaretur iudicium respectu illius delinquentis, quoad pœnitentiam iniungendam; variaretur nihilominus respectu personæ denuntiatæ.

312. Hæc doctrina, quantùm ad casus, quos designat, in quibus, si actus reticerentur, variaretur iudicium, omnino mihi placet; sed adhuc videtur non sufficere.

In hac re Philosophandum est sicut in integritate confessionis sacramentalis quantum ad illos actus externos.

313. Existimo ergo in hac re philosophandum esse, sicut in integritate Confessionis Sacramentalis, quantùm ad illos actus externos, ita, vt, si vel vnum grauem malitiosè reticeat, etiamsi, illo explicato, non variaretur iudicium, adhuc absolutio illa sit nulla. Id colligo ex verbis Inquisitorum citatis, & ex ipsâ naturâ rei suppositâ lege; verba enim Inquesitorum expresse petunt, vt nihil taceat, quod sit contra fidem nostram Catholicam; natura autem rei suppositâ lege, id etiam postulat; nam, cùm quicumque actus talis grauis sit peccatum mortale de se sufficiens causare Censuram, & illam causans, ex ipsâ naturâ rei, suppositâ lege, sequitur illũ casum esse subijciendum absolutioni, quòd si malitiosè non subijciatur, absolutio non cadet suprà Censuram causatam ab ipso actu; imò neque suprà Censuram causatam ab alijs; non suprà causatam ab illo; quia ille non manifestatur; non suprà causatam ab alijs actibus; quia absolutio à talibus censuris incursis propter alios actus, non datur; nisi sub conditione, quòd ille qui absoluitur, non taceat *rem aliquam contra nostram sanctam fidem Catholicam.* Illud autem, quod tacet, est (vt supponimus) res aliqua grauis contra nostram sanctam fidem Catholicam: ergo non subsistit conditio, sine quâ non est absolutio.

Doctrina de varietate iudicij in integritate confessionis Sacramentalis non semper & in omnibus habet locum.

314. Itaque existimo (vt dicebam) philosophandum esse, sicut in integritate confessionis Sacramentalis, in quâ illa doctrina de variatione iudicij non semper, & in omnibus habet locum; imò, si ex malitiâ fiat, numquam habet locum; quando enim quis. v. g. certò scit numerum periuriorum, quæ commisit ita. vt certò possit dicere sunt duodecim, tot, & non plura? Aut non scit omnino certò; sed tantum esse duodecim paulò plus minusve? Si certò scit; non satisfacit confitendo se cõmisisse vndecim paulò plus, minusve; sed omnino tenetur dicere certò, & determinatò duodecim, etiamsi in ordine ad pœnitentiam iniungendam non variaturus esset iudicium Confessarius. Si tamen non certò, & determinatè sciebat esse duodecim; sed paulò plus minusve; tunc non solùm satisfaciet confitendo se peierasse vndecies paulò plus, minus ve; sed etiamsi post Confessionem, & absolutionem certò nouerit illa peccata fuisse duodecim, non tenetur ampliùs fateri, vel declarare certò fuisse duodecim, & in hoc casu habet locum doctrina de non variatione iudicij, quâ de re latè diximus Tract 8. de *Pænit.* disp. 9. Varijs in locis maximè dubit. 2. numero 123. & *seqq.* Sic ergo existimo in præsenti casu, si quando Hæreticus absoluendus est ab Inquisitoribus, certus est, se fecisse duodecim determinatos actus externos hæresis, non sufficiet, vt maneat absolutus, fateri se fecisse decem, aut vndecim, plus, minusue. Si tamen non scit certò, & dicat se fecisse decem, aut vndecim paulò plus minusve, etiamsi posteà meminerit certò se fecisse duodecim tot, & non plura, absolutus iam manet, & non amplius tenetur confiteri illam multitudinẽ determinatam, quia in eo casu tribunal Inquisitionis non variabit iudicium, sicut, neque Confessarius variaret in ordine ad confessionem Sacramentalem. Vide dicta lo. cotato.

315. Itaque habemus ex dictis nunquàm valituram absolutionem Inquisitorum datam sub eâ conditione, quam verba suprà dicta sonant, quando ex malitiâ reticuerit Hæreticus, vel vnicum tantum actum mortalem externum; tum; quia ratione illius non manifestati Inquisitoribus perseuerat adhuc in Censurâ, quam illum committendo incurrit; tum; quia non est intentio Inquisitorum absoluere illum; nisi omnia mortalia externa fateatur, quæ commisit contra nostram sanctam fidem Catholicam, vt verba absoluentium sonant. Idem docet etiam Auila, p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 3. quem referemus infrà dub. 31. vbi iterum de hac re.

Ex dictis habetur.

DVBITATIO XIV.

Quis possit absoluere ab excommunicatione latâ ab homine, siue generaliter, siue nominatim in particulari?

316. Circa excommunicationem ab homine generaliter latam prima opinio est solùm Iudicem, qui eam tulit, posse ab eâ absoluere; etiamsi specialiter sibi eam non reseruauerit; quia putant Authores huius sententiæ eandem esse rationem de hac excommunicatione; atque de latâ ab homine particulariter, seu nominatim, quæ semper intelligitur illi reseruata, vel eius Superiori. Ita Caietanus verb. *Absolutio.* c. vltimo, & Armill. absolutio, num 35. alijque nonnulli.

Prima opinio est solũ iudicem posse absoluere ab excommunicatione ab homine generaliter lata qui eam tulit.

317. Secunda opinio est Parochos, & omnes confessarios qui possunt absoluere à mortalibus, posse etiam absoluere ab excommunicatione generaliter latâ non reseruatâ. Fundamentum est, quia hæc excommunicatio in omnibus assimilatur excommunicationi à Iure, solumque ab eâ differt quòd excommunicatio à Iure durat adhuc mortuo ferente, & excommunicatio ab homine exspirat eo mortuo, vel amoto. Ita videtur sentire Syluest. verb. *Absolutio* 1. ab excom. numero 3. §. *Quartus est*, adiunctis ijs, quæ postea dicit ibidem numero 4. & 5. Couarrub. c. *Alma* p. 1. §. 12. numero 4. & 5. & expressè docet Nauarus in c. *Ita quorundam*, de *Iudeis.* in Gloss. vltimo, notabili, 11. numero 35. & 36. & in *Summa*, cap. 27. numero 44. citans Felinum,

Secunda opinio est, parochos & omnes confessarios qui possunt absoluere à mortalibus posse etiam absoluere ab excommunicatione, generaliter lata non reseruata.

Felinum Imolam, Ioannem Andr. Cardinal. & alios. Henriquez lib. 13. cap. 27. num. 3. in princip. & expressiùs. nu. 6. litterâ. D. Tolet. lib. 1. cap. 10. Rodriguez. c. 85. conclus. 1. Sa. verb. *excommunicationis absolutio.* num. 15. Avila. pag. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 8. & alij, qui omnes id colligunt ex. c. *Frequentibus* de *Institutionibus.* vbi supponitur posse Episcopos suffraganeos absoluere ab excommunicatione generaliter latâ per Archiepiscopum Metropolitanum. Hanc opinionem probabilem putat Suarius de *Censuris.* disp. 7. sect. 2. an. 22. sed cum limitatione, ut, scilicet, solum intelligatur de excommunicatione latâ generaliter ab homine pro futuris culpis; nam hæc continet præceptum, & est, quasi Lex, atque adeò æquiparatur Iuri: nam, si sit pro præterito peccato; nisi satisfaciant vel reuelent, potius est sententia particularis Iudicis punientis delictum; hæc enim in rigore sententia particularis est; quia est in delictum determinatum, & in particulari, & persona potest esse una determinata; quamuis autem sint plures; determinatæ sunt, quòd enim persona determinatè, vel confusè exprimatur, & quòd sit vna, vel plures non variat modum ferendi Censuram per particularem sententiam. Hanc tamen limitationem Suarij cæteri non videntur assignare, neque eam distinctionem facere; imo potiùs significant Parochos, seu Confessarios posse absoluere in vtroque casu ex prædictis, quia tantùm negant posse absoluere ab excommunicatione ab homine nominatim posita. Ita loquuntur Toletus, Rodriguez, & Auila, & expressiùs quàm omnes Henriquez lib. 13. cap. 18. num. 5. circa finem. Vtrumque probabile mihi videtur, & in conscientiâ tutum, quamuis doctrina Suarij videatur rationi magis consona; sed non ita recepta. Præter citatos enim sententiam sine limitatione Suarij docent alij apud Auilam supra, & Sayrus lib. 5. cap. 15. num. 22. Coninc disp. 14. num. 257. Reginald. lib. 9 num 12. Vasquez de *excom.* dub. 20. num. 9. & 12. Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 17. puncto. 8. Suarium verò sequuntur Filiucius. cap. 9. quæsit. 5. & 9. num. 302. Vgolinus Tabul. 1. cap. 4.

Hanc opinionem probabilem putat Suarius sed cum limitatione.

Hanc limitationem non assignant alij authores.

Vtrumque videtur probabile authori & in conscientia tutum.

318. Quamuis autem sequamur limitationem Suarij poterit nihilominus absolui per Bullam Cruciatam, vel per priuilegium, & à fortiori quicumque potest absoluere ab excommunicatione latâ ab homine in particulari, & nominatim.

319. Circa excommunicationem verò latam ab homine in particulari, & nominatim stando in Iure communi asserendum est, tantùm posse ab eâ absoluere, qui eam tulit vel eius superior, vel successor regulariter loquendo; atque etiam delegatus à prædictis, vt constabit ex dicendis sequentibus dubitationibus. Est communis Sententia Doctorum; talis enim excommunicatio semper intelligitur reseruata, vt colligitur ex cap. *Per tuas* & cap. *Sacro.* de *Sent. excomm.* & habetur c. *Pastoralis.* §. Præterea *de Officio Iudicis Ordinarij.* vbi expresse habetur, quòd inferior non potest absoluere ab excommunicatione Superioris, & ex contextu patet manifestè sermonem esse de excommunicatione latâ à Iudice in speciali. Vnde (vt notat Syluest.) si inferior in isto casu absoluat, absolutio est nulla, tanquam à non Iudice. Ita docet ille *absolutio.* 2. numero 1. Paludonus in 4. dist. 18. q. 5 art. 2. Sotus dist. 22. qu. 2. art. 3. conclus. 2. Nauarrus. cap. 27. num. 40. Couarrub. cap. *Alma.* pag. 1. §. 12. num. 2. & alij suprà citati Dixi *regulariter loquendo*, quia sunt aliqui casus, in quibus, neque ipse Iudex, qui excommunicauit, potest absoluere; quos referunt Angelus verb. *Absolutio.* in principio Armil. *absolutio.* num. 42. Primus est si excommunicatio ponatur & denuncietur expressionibus ab Ordinarijs contra incendiarios, ut latè probant Caietanus verb. *excommunicatio.* cap. 12. Sotus suprà. condus. 4. casu 3. Henriquez lib. 13. cap. 28. num. 6. littera. C. quam doctrinam amplectitur Nauarrus, etiam loquendo de incendiarijs Ecclesiarum cum Caietano contra Panormitan. Antonin. & alios, inter quos Bonacina *de censuris tom.* 3. *disp.* 2. *qu.* 3. punct. 43. num. 1. quem meritò reijcit Diana *Part.* 9. *Tract.* 8. *Resol.* 10. referens pro nostra sententia, quam appellat communem plurimos alios: incendiarii quidem nullam ipso facto excommunicationem incurrunt sed ab Episcopis debent excommunicari, quòd si excommunicati denuntientur non possunt absolui ab ipso Episcopo in quo casu poterit quidem ligare sed non soluere. Tenentur verò Episcopi illos excommunicare sub pæna suspensionis per annum à Pontificalibus, estque vsu recepta talis obligatio & pæna, quæ habetur *cap. Pessimam* 23. *qu.* 8. vt contra Thesaurum docet ibi Diana cum Palao, & aliis, qui fatentur pænam ibi positam incendiario seruiendi Hierosolymis, vel in Hispania non esse receptam; non verò asserunt pænam Episcopis prædictam impositam, non esse receptam. Hoc demùm stando in communi doctorum sententia, quæ vel hoc nomine verenda est. Verùm vt nihil dissimulem si communem hunc sensum secludas, verba textus non cogunt. Solùm enim ait *Si quis Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxauerit* scilicet pænitentiam illi dandam quæ erat *vt Hierosolymis aut in Hispania in seruitio Dei per annum integrum permaneat*, & de hoc relaxante ait *Damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat* non ergo loqitur de impositione excommunicationis, sed de relaxatione illius pænæ quæ præcipitur ei dari, & non relaxari sub pæna suspensionis illius. Nihilominus est intelligenda de omnibus; quia sic intelligit communis sensus Doctorum. Erit autem excommunicatio Papæ reseruata, vt constat ex *cap. Tua nos de sententia excommunicationis.*

Ab excommunicatione lata ab homine in particulari & nominatim, tantum potest absoluere qui eam tulit vel eius superior vel successor. &c.

Si Inferior in hoc casu absoluat absolutio est nulla.

In aliquibus Casibus quidem ipse Iudex qui Excommunicauit Potest absoluere.

Primus Casus.

Secundus.

320. Secundus casus est, quando is, qui excommunicauit, incidit postea in Excommunicationem Maiorem, & denuntiatus est seu non est toleratus; tunc enim eius acta sunt nulla, ac proinde absolutio ab eo collata, seu auctoritate ipsius.

Tertius.

321. Tertius casus, quando legatus Papæ excommunicauit & post sententiam eius definitiuam transiuit annus; eo enim transacto non potest ipse absoluere. c. *Querenti.* de *Off. deleg.* Legatur Angelus suprà, & Nauarrus. cap. 27. num. 40.

322. Quartus

322. Quartus casus est, quando Papa mandat alicui vt aliquem excommunicet sine aliquâ commissione causæ; tunc enim est merus exequutor; neque potest absoluere legantur Angelus suprà, & Nauarrus n. 44.

Quintus. 323 Quintus casus est, quando sententia lata est ab inferiori; sed confirmata per Papam ex certâ scientiâ; tunc enim solus Papa absoluit, quod secundum Angelum, Ioannem Andream, & alios, intelligitur de Excommunicatione, quæ est ab homine; imò Auila suprà dub. 9. addit illam debere esse nominatim; quia talis confirmatio facit, vt sit idem, ac si ipse Papa ferret excommunicationem nominatim; atque adeò reseruatam sibi ferenti; nam lata generaliter à Papa non reseruata bene potest tolli per quemcumque potentem à mortalibus absoluere iuxta suprà dicta.

324. Tunc autem confirmari dicitur ex certâ scientia à Papa, quando in ea inferitur totus tenor rei confirmatæ, vel, quando confirmat; quod ipse vidit, vel, quando vtitur illis vocibus *ex certâ scientiâ*, vel similibus. Ita Syluest. *absolutio* 2. n. 4.

325. Sextus casus assignatur ab Angelo, & Armilla quando, qui excommunicauit, non est sacerdos; sed hic casus solùm locum habet supposità sententiâ quòd non sacerdos non possit absoluere. Quâ de re diximus dub. 1. & hi duo Authores putant, quando, qui excommunicauit, non est sacerdos, posse absoluere tantùm quoad forum externum contentiosum; non tamen, quoad internum; hoc tamen falsum est iuxta dicta loco citato, nisi fortè intelligant de ab absolutione ipsius peccati, ob quod incursa fuit excommunicatio. Alios tres casus afferunt Angelus, & Armilla, quos omitto, quia non loquuntur specialiter de absolutione ab excommunicatione.

Ex dictis Colligitur. 1. 326. Ex dictis colligi potest primò pro praxi quis possit absoluere à Censurâ latâ ab homine, quando moritur, vel excommunicatur, vel suspenditur superior, qui Censuram tulit antequam ille excommunicatus fuerit absolutus, dicendum enim est quod, si Censura lata fuit nominatim ab homine, potest absoluere successor in locum mortui, excommunicati, vel suspẽsi, si verò fuit generaliter ab homine, potest etiã absolui à Parochis, & alijs Confessoribus modo suprà explicato. Vnde Capitulum, Sede vacante, poterit absoluere ab excommunicatione lata ab Episcopo, siue generaliter siue particulariter, & eodem modo successores omnium Episcoporum, & Prælatorum. Potiori etiam ratione superior à Censuris latis ab inferiore; quia iurisdictio data inferiori, non datur illi priuatiuè respectu superioris; sed comulatiuè, & ampliatiuè; hoc est non datur illi priuando superiorem iurisdictione; sed, vt vtatur suâ non ablatâ authoritate superioris. Ita Suarius disp. illâ 7. sect. 2. n. 12. Auila 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 11. Angelus verb. *Absolutio* n. 3. Henriquez lib. 13. c. 28. n. 3. Filliucius c. 9. quæsito 5. & 9. Vgolinus tabulâ 1. c. 4. Coninc disp. 14. dub. 16. n. 233. & alij Contra Couarr. c. *Alma mater* 1. p. §. 12. n. 3.

327. Addunt Henriquez ibi c. 27. n. 3. Auila dub. 5. Suarius suprà, mortuo summo Pontifice, posse summum Pœnitentiarium absoluere à casibus Pontificijs iuxta facultatem, quam habebat viuente summo Pontifice, probaturque ex Clemẽtina ne *Romani* de *Election*. Ratio est, quia priuilegium, & gratia facta non censetur extingui morte concedentis. *Mortuo summo pontifice potest summus pœnitentiarius absoluere a casibus pontificijs.*

328. De Collegio verò Cardinaliũ circa tales Censuras reseruatas fatentur citati Doctores magnâ ex causâ absoluere, quos summus Pontifex potuisset absolvere, argumento c. *Vnica* de *Schismaticis*, in 6. vbi Pontifex quosdam à se olim Cardinales exauthoratos, & excommunicatos vult non posse absolui *etiám per Collegium Apostolicæ Sedis eâdem Sede vacante:* Signum ergo est quòd vacante Sede possent.

329. Colligi potest 2. ex dictis eum, qui in vno loco contraxit excommunicationem non reseruatam latam ab Episcopo illius loci per sententiam generalem, si postea domicilium mutet ad aliam diœcesim, posse Iure communi ibi absolui à Cõfessarijs illius diœcesis, ad quam se transfert; sicut enim potest ibi absolui à peccatis mortalibus: ita etiam ab excommunicatione prædictâ, nisi obstet consuetudo. Ita docent Authores in principio citati pro secundâ sententiâ, & alij apud Garziam *de Benef.* p. 11. c. 10. n. 139. contra Vgulinum. Tabul. 1. c. 4. Filliucium c. 9. quæsito. 10. n. 303. *Colligitur. 2.*

DVBITATIO XV.

An excommunicatus nominatim ab homine, vel excommunicatus à Iure, re tamen deductâ ad forum contentiosum, & lite adhuc pendente, posit absolui per Bullam Cruciatam, & priuilegia?

330. DVo sunt hîc notanda: primum, quod in hac dubitatione nõ disputamus an absolutio possit dari sine satisfactione reali, vel saltem possibili; de hoc enim postea dicemus in sequentibus agentes de formâ, & modo seruando in tollendâ excommunicatione, & non nihil in fine huius dubitationis subiungemus. *Duo hîc Notanda.*

331. Secundum ideo in titulo dubitationis posita fuisse illa verba *lite adhuc pendente*, quia, si finita sit iam lis Iudexq; iam absoluit, vel dedit licentiam, vt absolueretur: cessat difficultas. Pari ratione, quando excommunicatio erat à Iure, vt propter percussionem Clerici, & Iudex functus est officio suo, reusque paruit eius sententiæ, tunc liberè potest Confessor per Bullam Cruciatam absoluere reum ab excommunicatione, vt docet Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 10. circa finem. His præmissis.

332. Assero primò si absoluatur per Bullam Cruciatam vel per priuilegium concedens Censuras reseruatas, valida erit absolutio; nisi fiat contra formam præscriptam specialiter à delegante, vt dicemus dub. 34. & 39. Ita Ledesma 2. p. 4. q. 26. art. 1. & alius Ledesma Mexcianus (nam prior est Conimbricensis) diff. 13. de excommunicatione. Auila dub. illâ 10, conclus. 1. & supponunt omnes Authores citandi in hac *Assertio 1.*

&

Ratio assertionis.

& sequenti dubitatione. Ratio est, quia, si aliquid obstaret, maximè reseruatio; sed (vt supponimus in priuilegio, aut Bullà concedit Papa, qui est omnium Supremus, facultatem, etiam ad censuras: ergo nihil obstat, quo minus possit absolui; idque sufficere putat Suarius de *Censuris* disp. 7. sect. 5. num. 20. etiamsi in tali priuilegio non addatur illa particula à Iure vel ab homine. Accedit, quod in Bullà additur illa particula sine vllà restrictione conceditur que facultas absoluendi ab excommunicatione, & Censuris à Iure, vel ab homine: ergo debet verificari, non solùm in excommunicatione ab homine in generali; sed etiam in speciali iuxta c. *Solitæ* de *maiorit. & obedit.* & quamuis in Bullà Hispanicâ aliquando non addatur illa particula, contineri solet in plombatâ latinâ.

Assertio 2.

333. Assero 2. nemo potest licitè absoluere excommunicatum ab homine nominatim, vel etiam à Iure, quando lis pendet in foro exteriori; nisi prius exhibiat satisfactionem saltem sibi possibilem parti læsæ, quando est talis pars; fieret enim tunc iniustitia parti: Deinde; nisi obediat Iudici iustè, ac Iuridice procedenti; debet enim etiam in exteriori foro satis fieri Ecclesiæ; aliàs multa sequerentur scandala, & status Rei-Reipublicæ Ecclesiasticæ maximè perturbaretur, si in illà tot pullularent Iudices, quot essent Confessores electi virtute Bullæ Cruciatæ, aut priuilegiorum, qui impedirent aut turbarent Iurisdictionem Iudicis, coram quo pendet lis; Quod manifestè colligitur ex declarationibus Pontificum, & ex rationibus, quibus utemur dub. sequenti, & sumi potest argumentum ex Tridentino sess. 24. cap. 6. de *Reform.* vbi concedens Episcopis facultatem absoluēdi à Censuris Papæ reseruatis (de quo latè diximus dub. 3. 4. & 5.) non concedit illam, si delictum deductum sit ad forum contentiosum; quæ restrictio ideò facta est, ne perturbetur exterior iurisdictio, & scandala sequantur. Hanc etiam assertionem supponunt Auctores omnes suprà citati, & infra referendi in hac, & sequēti dubitatione.

Ratio assertionis colligitur ex declarationibus pontificum.

Assertio 3.

334. Assero 3. in casu, quo prædicti excommunicati faciunt, quod possunt, & quantum in se est, in foro tamen exteriori siue ex Iudicis iniquitate, siue, quia veritatem probare non possunt, non conceditur illis beneficium absolutionis; licitè possunt absolui in foro conscientiæ per Bullam cruciatam, aut priuilegia; cum hac tamen conditione (ut rectè aduertit Auila dub. illà, 10. post. 4. conclus. quòd admoneatur pœnitens, vt cautè vtatur hàc absolutione, & quod credatur vir timoratus, de quo præsumat Confessarius, quòd non vtentur illâ in publico cum scandalo aliorum, neque cum contemptu, aut perturbatione Iudicis. Ratio autem assertionis est; quia Pontifex generaliter loquendo in priuilegijs prædictis Bullæ, & aliquibus alijs, ad has etiam excommunicationes concedit facultatem & eius vsu cum prædictâ moderatione non oritur scandalum; neque irrogatur iniuria parti, cùm excommunicatus faciat totum, quod potest, & multò minus Iudici, cui manet integrū ius procedendi contra reum perinde, ac si non esset absolutus. Ita sentiunt Martinus, & Bartholomæus à Ledesma, & Auila, citati pro prima assertione. Couarr. c. *Alma* p. 1. §. 11. n. 16. Corduba. q. 20. Rodrig, Nauarr. Henriq. Suarius infrà citandi in hac dubitat. illatione, 4. & dub. sequenti. Legantur quæ dicemus dub. 39. assert. 3.

Ratio assertionis.

335. Ex hac assertione infertur primò secundum aliquod, si nominatim excommunicatus sit in loco distanti, vbi ignoratur, excommunicatio, vel, vbi ignoratur quòd pendeat lis de eâ re; licitè poterit absolui in foro conscientiæ per Bullam, aut priuilegia; prius tamen præmissâ satisfactione partis; quòd si satisfactio sit pecuniaria, aut alicuius rei pecuniâ æstimabilis; debet talis res, aut pecunia deponi si fieri potest apud fidelem virum; si autem absoluendus non potest soluere; debet præstare cautionem pignoratitiam vel fide Iussoriā; quod si nec hanc potest exhibere, exhibeat iuratoriam, & hæc sufficiat, vt possit absolui. Ita Didacus Peres. lib. 8. *Ordinamenti*, tit. 1. l. 1. Polācus in *Decretorio*, cap. 4. *de absolut.* circa finem. Rodrig. in Bullà, §. 9. numero 55. Auila, suprà conclus. 3. Henrig. lib. 7. de Indulg. cap. 13. nu. 2. circa medium: consonatque hoc de satisfactione partis cum ijs, quæ in simili diximus dub. 11. §. *circa primam.* *Ex hac assertione infertur. 1.*

336. Infertur, 2. quando Iudex malitiosè denegat absolutionem, posse excommunicatum absolui pro foro conscientiæ cum modò ratione adhibita in 3. assertione. Pro quâ doctrinâ facit, c. *Venerabilibus.* §. *sanè de sent. Excom.* in 6. & docet Auila suprà assert. 4. *Infertur, 2.*

337. Infertur. 3. idem dicendum esse quando Iudex, licèt non deneget malitiosè absolutionem, denegat tamen rigidè, ut, quando non vult illum absoluere; nisi satisfaciat cum detrimento sui status, aut cum cogitur vili vendere suas possessiones, ut cum multis Magistris doctis, de quibus ille testatur, docet Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 10. conclus. 4. & Cordub. q. 20. in fine; quamuis contrarium teneant Rodriguez in Bullà citato. §. 9. numero 58. in fine, & Henriquez lib. 7. cap. 13. numero 1. litterà. Q, & lib. 13. cap. 28. numero 1. & 2. qui reddit rationem, quia perturbatur ordo iudicialis cum scandalo; hæc tamen perturbatio per moderationem suprà dictam à nobis sufficienter vitatur & alioquin prodest multum absolutio Excommunicato, vt gaudeat suffragijs Ecclesiæ, &c, vt secretò, & occultè possit accipere Sacramenta, & Missam audire. Idemque dicendum est, quoties ipse facit omne id, ad quod tenetur, & tamen in foro exteriori defectu probationis plus ab eo exigitur, quàm debet. Consonatque hæc doctrina cum ijs, quæ diximus disp. 2. dub. 12. §. *Colligitur*, 7. & locis ibi notatis. *Infertur. 3.*

338. Infertur. 4. si crimen occultum sit, ob quod quis incidit in excommunicationem, & necessaria est satisfactio partis, vt, si crimen fuit furtum, vel libellus famosus, posse reum absolui per Bullam, aut priuilegia, si exhibeat eam, quam potest tunc satisfactionem, vt, si non potest realem, det pignoratitiam cautionem, vel fide iussoriam; quod si neque hanc potest, det iuratoriam. Hoc rectè probat Auila suprà dub. 8. tum ex interpretatiuâ voluntate Pontificis; tum ex Bullâ, quæ dicit quòd satisfactio fiat per ipsum; vel; si ipse non potest, per hæredes; tum *Infertur. 4.*

maximè:

maximè; quia in Iure Communi, vt patet in c. *Alma mater*, quando realis satisfactio non potest fieri, sufficit cautio idonea, vt etiam constat ex c. *Solet*. c. *venerabilibus de sent. Excom*. in 6. & cap. *Odoardus. de solution*. & cap. *ex parte de verborum signif*, quæ doctrina est contra Sotum, in 4. dist. dist. 22. q. 2. art. 3. & contra Gutierez suprà c. 5. numero 29. qui putant absolutionem, non solùm in eo casu fore illicitam; sed etiam nullã. Sed contra eos, & pro nobis sunt Nauarrus cons. 23. de *Pœnit. & remiß*. & c. 27. n. 47 & c. 26. n. 7 *Summæ Latinæ*. Corduba. q. 20. Medina in *Summa*. fol. mihi 303. Rodriguez in Bulla. §. 9. numero 52. & *Quæstionum Regular*. tom. 1. q. 61 art. 6. Henriquez lib. 7. cap. 13. numero 2. litterã l. & lib. 13. cap. 28. n. 1. Suarius disp. 7. sect. 5. nu. 40. qui & alij Recentiores addunt cum Nauarro. cap. illo 27. num. 278. quod si sit dubium debitum, aut incertum, sanè esset, si det cautionem satisfaciendi, si constiterit de obligatione, quod de debito dubio docuit Nauarrus. tit. de *Sent. Excom*. cons. 7. & Rodriguez in Summã. cap. 79. conclus. 11. in fine, & habetur citato, c. *solet* & c. *venerabilibus*, §. *Porro, de sent. Excommun*. in 6. & c. *Ex parte de verbor. signif*.

Illicitè absoluitur excommunicatus sine vlla cautione aut satisfactione, & secundũ Suarium & alios inualidè.

339. Quod si excommunicatus poterat quidem realem satisfactionem adhibere, vel saltem cautionem iuratoriam, & tamen confessarius sine vllã satisfactione, & cautione contentus solã promissione excommunicati eum absoluit, in omnium opinione absolutio illicitè data fuit, & secundùm Suarium, Armillam, Caietanum, & aliquos alios, etiam fuit nulla, quod etiam docet Corduba in *Sum*. q. 18. puncto 1. dicto 2. Henriq. lib. 7. cap. 13. numero 2. post litteram S. & Nauarrus cap. 27. num. 37. & expressius tit. *de Sent. Excom*. cons. 6. & tit. de *Regularib*. c. 75. ad. 11. dubium. Quorum fundamentum est; quia per clausulam illam satisfactã parte positam in Bullã, aut priuilegijs restringitur potestas Confessario. & datur illi sub hâc formã requisitã, sine quã Pontifex non concedit absolutionem. Legatur pro tradita & sequenti doctrina dubitatio 54.

probabilior est sententia quæ asserit valere talem absolutionem.

340. Probabilior tamen est sententia quæ asserit valere talem absolutionem. Ita cũ Penna, Sancho, & Nauarro quodam iuniore, & Acosta Salmanticensi, aliquibusque alijs Magistris docet Auila, p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. Rodrig. in summã cap. 83. conclus. 3. Sa verbo *Excommunicationis absolutio*, numero 4. fundamentum est, quoniam secundum Communem doctrinam traditam à Nauarro cap. 27. numero 37. & à Couartub. c. *Alma*, p. 1. §. 9. numero 8. & p. 11. numero 7. & à Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 33. numero 3. (vbi hac de re latè disputat, & Auctoribus, Textibusque confirmat) ea, quæ in Iure Communi insunt; etiamsi ab homine exprimantur, non inducunt formam specialem; quando eo modo, & in eum finem exprimuntur ab homine, quo, & in quem à Iure tradita sunt. Vnde, si Papa committat alicui facultatem absoluendi etiam si expressè iniungat, quod seruet formam Iuris absolutio data, prætermissâ formã Iuris, valida est, sicut, si fieret ab habente potestatem Ordinariam: sed, quando Papa dicit in Bullâ, quod absoluat satisfactâ parte, nihil aliud facit, quam iniungere, vt absoluat seruatã formã Iuris Communis; nam satisfactionem esse præmittendam frequenter habetur in Iure Communi: ergo non imponitur, tanquam conditio, seu forma specialis, quæ irritet, sed solùm ponitur vt moneatur absoluens de eo, quod debet fieri ex Iure ipso communi, imò, & naturali. Legantur dicenda dub. 34.

Obijcit Vasquez.

341. Obijci tamen potest ex Vasquio, qui contrarium videtur docere de *excom*. dub. 20. non esse credendum, quod Iudex Ordinarius concedat per Rescriptum delegato hanc plenam facultatem absoluendi; nisi satisfactâ parte; nisi oppositum exprimeretur in rescripto; hoc enim esset eneruare excommunicationis pœnam & delegatus absolueret eum, qui maneret in peccato. Respondetur nihilominus non quidẽ esse credendum, quòd velit delegatum absoluere sine satisfactione partis, imò ideò præcipit, vt fiat cum partis satisfactione; tamen si expressè non limitet potestatem ad illam conditionem satisfactionis partis eo ipso quòd potestatem illam absolutè concesserit, sine verbis sonantibus restrictionem, ex naturã rei resultat, quod absolutio valida sit, quantumuis illicita. Contendimus autem per illa verba, *satisfactâ parte*, positã in prædictã Bulla aut priuilegio non restringi potestatem ita, vt defectus talis sit conditionis, sine quã non valeat actus.

Resp.

Ex dicta doctrina colligit Auila.

342. Ex dicta doctrina colligit Auila, quod, postquam ille sit absolutus ab Excommunicatione iniustè, & cum peccato mortali absoluentis potest licitè absolui à peccatis ab alio Confessario iuxta doctrinam Nauarri. cap. 27. nu. 38. vbi loquitur in Communi de iniustè absoluto ab excommunicatione validè tamen. Vnde secundùs Confessarius se gerere poterit cum tali pœnitente tanquam cum non excommunicato obseruando, quoad satisfactionem regulas generales comprehendentes debitores non excommunicatos.

Dixi si crimen sit occultum.

343. Dixi in principio huius illationis 4. *Si crimen sit occultum*, nam, si sit publicum, vel deductum ad forum exterius poterit quidem absolui sine reali satisfactione præstitã cautione; sed tantùm in casu tertiæ assertionis nostræ, & cum moderatione ibi traditã. Ita Corduba in *Sum*. q. 20. circa finem, & Auila supr.

Infertur. 5.

344. Infertur 5. si excommunicatus offerat parti sufficientem satisfactionem, quam tamen irrationabiliter non admittat pars ipsa læsa; posse absolui per Bullam vel priuilegia, præstitã sufficienti cautione, si res non est deducta ad forum contentiosum iuxta doctrinam Caietani verbo *absolutio*. c. 4. Medina in Summã. lib. 2. c. 12 fol. 303. Henriq lib. 13 c. 28. numero 4. Auila, p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 10. in fine, Salzedo in *Practicã criminali*, c. 87. 5. *est tamen*, Couarub. c. *Alma* p. 1. § 11. numero 11. & alij multi. Si verò sit res deducta ad forum contentiosum, non est absoluendus à Confessario; sed remittendus ad Iudicem; nisi in casu tertiæ assertionis cum moderatione ibi positã; nam, si à Iudice non potest obtinere absolutionem, vel multũ differtur, poterit à Confessario absolui pro foro conscientiæ.

345. Quo-

345. Quoniam verò hucusque mentionem fecimus de priuilegijs, & inter alia notissima sũt priuilegia mendicantium, notare oportet in nostra Societate non posse Confessarios Societatis per sua priuilegia absoluere excommunicatos nominatim ab homine; quia hoc negat præpositus generalis, sine cuius assensu nullius priuilegij vsus nobis conceditur, vt videre est in compendio priuilegiorum verbo *communicatio gratiarum* §. 5. & in præfatione prædicti compẽdij, & in locis prædicto verbo & §. notatis.

Notandum pro Confessarijs Societatis

Quares.

346. Vltimò quæret aliquis, quæ satisfactio videatur sufficiens pro iniuriâ; seu contumeliâ maximè pro percussione Clerici, &, an iniuriatus censeatur remittere iniuriam per hoc, quod amicè, & iucundè agat seu conuersetur cum iniuriatore.

Resp. pro prima parte.

347. Ad primum respondetur arbitrio boni viri, id esse iudicandum, videtur autem congruum subijcere se læso petendo veniam, vt notat Auila suprà. Atque in hac re iudicandum est iuxta principia generalia de *Restitutione*, de quo egimus in nostro opere de *Iustitiâ* Tract. de *Restitut.* vbi disp. 12. latè egimus de restitutione honoris, & famæ læsæ. Circa secundum respondetur si læsus amicè conuersetur, & agat cum lædente, censeri remittere tale debitum, quoad iniuriam non tamen, quoad restitutionẽ famæ. Ita Syluest. verb. contumelia. q. 4. Nauarrus. c. 18. n. 46. ad. 3. Auila suprà dub. 11. qui etiam rectè addit, si læsus remittat liberaliter iniuriam. non requiri vllam aliam satisfactionem.

Resp. pro. 2.

348. Vtrum autem satisfactio partis læsæ requiratur, vt valeat absolutio data ab habente ordinariam potestatem, etiamsi concedamus delegatum non validè absoluere sine satisfactione partis, dicemus postea dub. 34. & nonnihil prius dub. 11. & postea dub. 39.

DVBITATIO XVI.

An absolutio excommunicationis latæ ab homine in particulari, & nominatim data à Confessario virtute Bullæ, aut Iubilæi, vel alterius Priuilegij valeat pro foro exteriori, & Iudiciario?

Supponendum.

349. SVpponendum est cum Authoribus infra citandis, quando in Iubilæo, vel priuilegio dicitur, quòd absolutio possit dari in foro conscientiæ, eam nõ valere pro foro externo, & iudiciali; Si verò dicat, quòd possit dari pro vtroque, tunc in vtroque valere. Tota ergo difficultas est, quando nullius fori fit mentio; sed simpliciter conceditur facultas ab omnibus Censuris, etiam reseruatis, vel ab omni censura à Iure vel ab homine, vt datur in Bullâ Cruciata, & in priuilegijs mendicantium.

Prima sententia affirmat valere pro vtroq; foro.

350. Prima sententia affirmat valere pro vtroque foro, dummodo constet de illâ, etiam in foro externo, Ita Bartholom. à Medina in summâ c. 12. in fine Rodriguez *suprà Bullam Cruciatæ* § 9. n. 55. & in Summâ c. 83. conclus. 9. &. 10. & tomo. 1. Regularium q. 61. art. 6. Ioan. de Dicastillo de Censur.

Suarius disp. 7. sect. 5. n. 20. probant 1. quia summus Pontifex qui est omnium supremus, absolutam facit facultatem sine vllâ restrictione ad hoc, vel illud forum: ergo pro vtroque valere debet. Quod si pro altero tantum vellet concedere, ipse explicaret, & restringeret, vt solet.

Probant ex summo pontifice.

351. Secundò; quia Principis priuilegium latissimè est interpretandum, vt habetur in Iure, tam Canonica, quàm Ciuili, & fauores sunt ampliandi iuxta Regulas Iuris in 6.

probat. 2.

352. Tertiò probat Suarius quia forum interius, & exterius semper debent confirmari; nisi quando in exteriore non potest de veritate ipsâ constare; sed in nostro casu, vt supponimus, constare potest: ergo &c.

probat. 3. Suarius.

353. Quartò probant ex declaratione Pij V. in quodam Iubilæo concesso Anno Domini 1568. cuius verba refert Gutierrez tomo 1. quæstionum Canonicar. c. 2. n. 18. vbi declarat Pontifex in similibus Indulgentijs tales concessiones, vel eo vsque datas vel in futurum concedendas non suffragari Christi fidelibus; nisi ad earum Indulgentiarum effectum in foro conscientiæ, & Pœnitentiali consequendum dumtaxat; non autem in foro fori, aut contentioso; nisi satisfecerint ijs propter quæ Censuræ in eos latæ fuerint, & eosdem fideles non posse alio modo vti his concessionibus, aut eis se iuuare, quin imò eos in illas postmodum reincidisse, & in futurum reincidere, sicque ab omnibus censeri, & iudicari debere. Ex quibus verbis faciunt hanc illationem. Non potest absolutio in foro fori virtute horum priuilegiorum suffragari alicui; nisi satisfactâ parte: ergo poterit satisfactâ parte; vel (quod idem est) de eius consensu, etiam in consulto Iudice in prædicto foro suffragari.

probat. 4. ex declaratione Pij V.

354. Medina tamẽ, & Rodriguez temperant prædictam sententiam docentes ad hoc, vt talis absolutio suffragetur, & valeat in foro externo, & contẽtioso debere præmitti realẽ satisfactionẽ partis vel de eius consensu fieri. Si tamen non sit possibilis realis satisfactio, etiamsi adhibeatur cautio non valere absolutionem pro foro externo; atque hac ratione intelligunt verbum illud; nisi satisfecerint.

355. Verum Suarius ad satisfactionem etiam possibilem id extendit, dummodo cõstet etiam in foro externo de impotentiâ realiter satisfaciẽdi. Quod si quis quærat, quomodo constare possit de absolutione, & de satisfactione, ita vt fidem faciat probatio in foro externo? respondent Medina, & Rodriguez suprà satis constare, si Confessarius det schedulam suo nomine subscriptam, in quâ testetur se virtute Priuilegij reum illum ab excommunicatione absoluisse satisfactâ parte.

356. Idem verò Rodriguez in additionibus ad §. 9. n. 51. mutat sententiam, & ait non sufficere Confessoris testimonium. Vnde putant cum Nauarro const. 26. tit. de *sent. excommunic.* neque schedulam illam sufficere, neque esse tutum adducere testes, qui videant excommunicatum absolui à Censura in Sacramento Cõfessionis; quia esset veluti detegere sigillum, ait sufficere, quòd Confessarius post datam in secre-

to absolutionem coram duobus testibus, & Notario tradat Pœnitenti schedulam absolutionis, & quod Notarius testetur illam schedulam esse illius Confessoris, & coram eo, & duobus ibi nominatis testibus datam fuisse tali homini à tali Confessiore tali loco, & die. Atque idem dicit esse faciendum, vt constet de satisfactione parti exhibitâ, scilicet, quòd fiat coram notario, & testibus, vel quòd pars ipsa illud coram ipsis testetur; quæ omnia debent fieri de licentiâ ipsius pœnitentis, sine cuius facultate nihil potest agere Confessarius.

357. Verum enim verò (vt rectè vidit Suarius) hæc omnia testimonia Notarij, & testium solùm possunt deseruire, vt iuridicè constet illud esse testimonium talis confessoris, vel talis partis læsæ. Quapropter si ipsemet Confessor, & pars læsa adsint, & coram Iudice id affirment, & tantam fidem, imò maiorem facient. Quod si assertio ipsa Confessarij non sufficiat multò minus illa Scriptura Tabellionis sufficiet.

358. Ipse ergo Suarius putat sufficere dictum Confessarij, vt constet de absolutione, & dictum partis, vt constet de satisfactione.

359 Sed certè, quamuis ad effectum aliquẽ, de quo loquutus est Nauarrus, sufficiat dictum Confessoris, vt postea dicemus; tamen in foro fori, seu contentioso nullo modo sufficit ad probationem legalem omnino requisitam iuxta c. *sicut nobis de sent. excommunicationis*. Item huic probationi potest obijci quod vel ipse Confessarius ex ignorantiâ fecerit, vel ex metu aut ex malitiâ, vel certè, quod eum pœnitens deceperit, dicendo se esse impotentem ad satisfaciendum, vel aliam falsam causam proponendo.

Secunda sententia negat prædictam absolutionem valere pro foro externo sed tantum pro interno.

360. Secunda sententia negat prædictam absolutionem valere pro foro externo; sed tantum pro interno conscientiæ. Ita Couarrub. lib. 2. *variarum*, cap. 10. numero 3. & c. *Alma*, p. 1. §. 11. numero 16. Ledesma, 2. p. 4. q. 25. art. vltimo circa finem, Gutierrez tomo, 1. *Quæstionum Canonicarum*, cap. 2. Acosta super Bullam, q. 50. & alij Recentiores. Probari potest, quia sicut Confessarius illicitè, & contra Ius naturæ faceret absoluendo Pœnitentem, qui iniuriam intulit alicui, nisi exhibeat satisfactionem, saltem possibilem parti læsæ; ita illicitè faciet, & contra Ius naturæ; si absoluat excommunicatum, qui per culpam Theologicam, & veram contumaciæ, vel saltem iuridicam; id est probabiliter putatam in Iudicio, inobediens fuit Iudici, & Ecclesiæ, & eos offendit; nisi priùs eisdem satisfacit Obediendo.

probatur 2.

361. Probari potest, 2. quia si talis absolutio prodesset in foro exteriori & iudiciali, plurimũ detraheretur iurisdictioni Ecclesiasticæ fori externi & occasio daretur, atq; aperiretur via eam iurisdictionem frequenter contemnendi, illudendi si publicè excommunicatus, & denuntiatus; à Confessore verò absolutus per Bullam, aut priuilegia, publicè se ingerat diuinis in contemptum Iudicis, cui non est congruè satisfactum; quamuis parti læsæ iam satisfactum sit. Vnde non est credibile Pontificem talem facultatem, quæ esset contra Ius ipsum naturæ, quippe quæ perturbaret debitum Ecclesiæ ordinem; & scandala pareret; voluisse Concedere Confessario per Bullam, aut priuilegia.

Probatur 3 ex intentione Pontificis.

362. Probari potest. 3. quia satis constat non esse talem intentionem Pontificis, primò propter rationem immediatè factam: secundò, quia eam facultatem Pontifex concedit in omnibus Bullis, Iubilæis, & Privilegijs in ordine ad absolutionem à peccatis, & ad lucrandam Indulgentiam prouidendo etiam animabus, & conscientijs pœnitentium, ne sint in peccato, & extra Dei gratiam: ad hunc autẽ finem sufficit, si in foro interiori à peccatis absoluantur, præmissâ prius requisitâ absolutione ab excommunicatione. Quòd si obtento hoc fine pro interiori foro, aliquis alterius non possit defectu probationis vel aliâ de causâ obtinere absolutionem ab excommunicatione in exteriori foro ideoque reputetur excommunicatus, patienter id ferat. quia (ut dixit D. Thomas de eo, qui iniustè in te est excommunicatus, sed iustè secundum allegata, & probata ui est patientiâ multum meretur. Tertiò: quia, quando vult Pontifex absolutionem valere pro foro exteriori, id solet exprimere: ergo, quando id non exprimit, signum est tamen velle, vt valeat solum in foro interiori.

Probatur 4. ex Stylo antiquissimo Curiæ Romanæ.

363. Quartò probari potest assertio ex Couarrub. & Gutierrez quia iuxta stylum antiquissimum Curiæ Romanæ quoties absolutio aliqua committitur, pro foro etiam exteriori, id semper exprimitur, & fit compositio cum Datario. Quando verò petitur absolutio pro foro conscientiæ, committitur Confessario vt id expediat nullis testibus adhibitis, litteris statim lacerandis & sine compositione vllâ cum Datario.

Probatur 5. ex declarationibus Pontificum.

364. Probari potest. 5. ex declarationibus Pontificum; nam Gutierrez supra refert Gregorium XIII. in quadam Bullâ Regno Portugalliæ concessa declarasse absolutionem à Censuris ab homine latis, vel ferendis, etiam satisfactâ parte, non valere, nec vlli prodesse in foro iudiciali, & Acosta testatur in Bullâ iam expressè Summum Pontificem declarasse absolutionem à Censuris ab homine latis, vel ferendis datam vigore Bullæ cruciatæ nemini in foro iudiciali prodesse: sed eum tandiu excommunicatum vbique & ab omnibus reputari debere: donec à suo Iudice absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Notant Gutierrez. & Acosta.

365. Notant autem Gutierrez, & Acosta Pontificem de Censuris ab homine solum dixisse, non valere pro foro iudiciali. Vnde colligunt, quod absolutio excommunicationis à Iure factâ per Bullam etiam valebit pro foro iudiciali, si probetur datam fuisse præmissâ satisfactione partis læsæ: ad quod valet probatio illa, quam adduximus ex Nauarro in primâ opinione. Atque hâc ratione testatur Acosta, se defendisse duos Presbyteros, qui se mutuò percusserant, & se iam reconciliatos fecerant absolui per Bullam: postea verò accusati fuerant à fiscali in iudicio, quòd celebrassent; atque adeò essent Irregulares. Iudex tamen sententiâ definitiuâ pronuntiauit illos legitimè fuisse absolutos, ac proinde non incurrisse Irregularitatem.

Rectè aduertit Auila.

366. Rectè autem advertit Auila infraci-

tandus

tandus si ante absolutionem per Bullam factam res deducta esset ad forum contensiosum: tunc nullo modo posse licitè dari absolutionem: nisi lis esset iam finita, vel in casibus & cum cautelis positis à nobis dub. præcedenti.

Ex his duabus Sententijs probabilibus posterior magis placet authori.

367. Ex his duabus sententijs omnino probabilibus hæc posterior mihi magis placet dummodo temperetur iuxta doctrinam tradendam infrà assert. 2. & quidem satis mihi videtur clarè constare ex dictis pro secundâ sententiâ mentem Pontificis in Bullâ Cruciatâ, aut priuilegijs non esse, vt absolutio prædicta valeat pro foro contentioso, etiamsi ipse absolutè, & sine expressâ restitutione det facultatem. Ideò satisfactum puto primo, & secundo argumento primæ sententiæ: neque enim priuilegium Principis est latè interpretandum, nec fauor ampliandus, quandò id est contra tam manifestam sententiam Pontificis: Placet autem meâ sententiam sequentibus assertionibus declarare.

Asserendum. 1.

368. Assero primò absolutio data à Confessario ab excommunicatione ab homine nominatim, vel ab excommunicatione à Iure deducta ad forum contentiosum in casibus explicatis dub. præcedenti assertione. 3. & in eius corollarijs inde illatis, quando scilicet in foro contentioso non potest à Iudice absolutio obtineri: non valet pro foro iudiciali, & contentioso, nisi in eo probetur sufficienter caussa rationabilis, & sufficiens, quæ interuenerit. Non probatur autem sufficienter per testimonium, seu dictum Confessarij, neque ipsius excommunicati, vt iam diximus explicantes secundam sententiam. Dixi, *nisi in eo sufficienter probetur*, quia, si sufficienter potest probari, Iudex cogetur omninò ut absoluat eum, vel certè declaret legitimè fuisse absolutum per Confessarium, vt patet ex. c. *Odoardus* de *Solutionibus*. & ex alijs Iuribus.

Responsio ad verba Pij. V.

369. Nec contra hanc assertionem nostram probant aliquid verba Pij. V. quæ pro se allegant Authores primæ sententiæ; responderi enim potest dupliciter: primò cum Gutierrez sensum illorum verborum esse, quod nisi in re satisfecerint parti læsæ quamuis in foro interiori possit absolui, non posse in exteriori. Itaque non poterit admitti ad Sacramenta, neque ad officia Diuina in publico, & coram alijs: si tamen realiter parti satisfecerit, poterit ad effectum lucrandi Iubilæum coram alijs, quo tempore non poterit Iudex eum repellere, etiamsi exteriori contumaciæ erga Ecclesiam nondum satisfecerit, nec subierit pœnam à Iudice imponendam, neque soluerit stipendia Iudicii, Tabellioni, aut alijs officialibus. Noluit enim (inquit Gutierrez) parti læsæ Pontifex suo Indulto præiudicari: sed tantum Iudici excommunicatori: quia, cùm Iudex habeat omnem suam Iurisdictionem emanatam à Sede Apostolicâ, Iure optimo potuit ei in hoc casu præiudicare, neque id facit in perpetuum, sed pro illo paruo tempore, & ad effectum tantum lucrandi Iubilæum, motus, scilicet, suo feruentissimo zelo. Vnde addidit quod postea reincidat, nisi etiam Iudici, & Ecclesiæ satisfecerit.

Responsio Authoris ad verba Pontificis.

370. Si hæc responsio illius Authoris non placeat: respondeo ex meâ sententiâ sensum verborum Pontificis esse, quod absolutio illa data per Iubilæum, vel priuilegia non prosit excommunicato in foro Iudiciali: nisi satisfecerit tam parti læsæ, quàm Iudici: verba enim quæ ex Pontifice referuntur, non sunt illa, *nisi parti satisfecerit*, sed alia ampliora scilicet. *nisi satisfecerint ijs, propter quæ Censuræ in eos latæ fuerunt.* Excõmunicatio autem lata fuit non solùm propter debitum parti: sed maximè, & proximè propter contumaciam, & inobedientiam. Atque hoc modo declaratus hic Motus proprius idem prorsus continet quod Gregorius XIII. declarauit in sua Bulla: nisi quod in Iubilæo addit Pius. V. quòd talis absolutio data vtique pro foro tantum interiori, & pœnitentiali vt dixerat in verbis antecedentibus, adhuc non sit perpetua: sed pro illo tempore: & ad effectum dumtaxat lucrandi Iubilæum postea verò reincidat, quousque plenè, & in re satisfaciat: reincidat autem in foro quidem exteriori, quamuis non sit negligens: in interiori verò, si fuerit negligens, & non aliter: atque cum hoc vltimo addito intelligunt hunc Motum proprium, & hanc reincidentiam Rodriguez in Bullâ Cruciatâ §. 9. num 58. Sed hoc vltimum de reincidentiâ; an, aut quomodo verum sit examinabimus dub. sequenti.

Asserendum. 2.

371. Assero. 2. prædicta absolutio data à Cõfessario ei, qui fecit, quod in se est, neque potuit obtinere absolutionem à Iudice, quamuis nullo modo illi prosit in foro exteriori contentioso, aut iudiciali, vt declarârunt prædicti Pontifices, & ratio naturalis dicat; prodesse nihilominus potest illi pro foro exteriori non iudiciali, de quo nec verbum vllum loquuti sunt. Pontifices, vt patet ex verbis, quæ ex Pio V. refert Gutierrez, & ex Bullâ Cruciatâ; nam ad hoc, vt sine vllo peccato, & sine excommunicatione minori possint cum illo communicare alij fideles & admittere ad Sacramenta, & sacrificium Missæ, sufficiet testimonium Confessarij dicentis se eum absoluisse propter impotentiam, vel aliam rationabilem causam, quando de oppositâ causâ non certò constat, & Parochus, seu alij Sacerdotes, qui certi sint de hoc, poterunt coram illis, qui sciunt admittere illum ad Sacramenta, & communicare cum illo in humanis, & in Diuinis; imò & Episcopus, alijque Iudices fori contentiosi possunt, si velint, etiam quoad forum exterius non iudiciale, communicare eius dictis, factis, & conuersationi publicæ, & tractare ipsum, quasi absolutum, & dissimulare eius excommunicationem; nisi pars læsa imploraret officium Iudicis in iudicio, quia in eo casu tenebitur Iudex iuridicè procedere; in quo iudiciali foro non sufficiet solum testimonium confessarii; proinde pœnitens, nisi maiorem habeat probationem, cautè procedat.

Vt quis sine vllo peccato possit cum Excommunicare sufficit testimonium Confessarij dicentis se ipsum absoluisse propter impotentiam &c.

Hæc sententia est Nauarri.

372. Hæc sententia hoc modo explicata est, me quidem Iudice sententia Nauarri Conf. 23. tit. de *Pœnit. & remiss.* quam etiam sequitur Corduba in *Summâ.* quæst. 20. puncto. 3. & Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 2. littera. *V.* & lib. 13. de *excom.* cap. 27. num. 5. littera. *X.* & Auila. p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 12. §. *ex dictis sequitur.* & in fine dubij. Hanc sententiam multis rationibus probat Nauarrus suprà. Nobis sufficiat primo, quod Pontifices in suis declarationibus

solùm dixerint non prodesse talem absolutionē in foro fori contentioso, seu iudicario; non tamen dixerint absolutè in foro exteriori. Secundo quod (vt notat Acosta in Bullâ) non dixerit Pontifex quod in foro exteriori iudiciali erit excommunicatus; sed, quod debet vbique & ab omnibus reputari excommunicatus; ac, si sacerdos erat, debet abstinere à celebratione. Quare (inquit Acosta) debent maximè Iudices in ferendis sententijs aduersus eos, qui excommunicati ab homine antè Iudicis absolutionem celebrarunt, temperare rigorem, si illis constiterit ante celebrationem virtute Bullæ Cruciatæ fuisse absolutos, si quidem reipsâ non inciderunt in veram, sed solùm in præsumptam Irregularitatem, imò (vt ait Henriquez suprà) in isto casu Iudex deberet esse benignus, & repellere Fiscalis accusationem. Quæ omnia Nauarrus probat, quia boni viri est nemini nocendo alicui prodesse, vel velle prodesse, argumento cap. 2. de *postulat.* atq; hâc de re latè & optimè tractat Mascard. de *Probat.* tom. 1. concl. 12. & legi possunt alij, quos referemus in fine dubitationis. 35.

Addit Acosta.

373. Addit Acosta, quòd in casu, quo Iudex excommunicator longissimè distet, videtur sufficere absolutio data, vt securè, & tutò possit publicè cum alijs agere, & celebrare, aut interesse Diuinis, dummodò publicè intimetur talis absolutio ijs, qui illius excommunicationis habebant notitiam, neque tenentur se præsentare pro contumaciâ tantùm præteritâ, primò, quia iam paret, & nulla sequitur perturbatio, neque scandalum; quæ fuit ratio propter quam voluit Summus Pontifex, vt in foro exteriori proprio Iudici præsentetur. Secundò nam in hoc casu idem est abesse proprium Iudicem, atque non esse. Tertiò quia non est credibile Pontificem fideles suos maximè pauperes tanto onere; & cum tanto rigore velle obligare, maximè, quando non sequitur scandalum.

DVBITATIO. XVII.

An virtute Bullæ, vel alterius Priuilegij absolutus de consensu partis, vel sine illo cum cautione possibili præstitâ sub onere satisfaciendi reincidat in excommunicationem, si, cùm postea potest, non satisfacit?

Prima Sententia affirmat reincidere.

374. PRima sententia affirmat reincidere. Ita Corduba in *Summâ* qu. 20. puncto. 3. & 4. nam in illis videtur sequi primam opinionem quam puncto 2. exposuerat, & videntur tenere Suarius disp. 7. sect. 8. num. 24. referens pro eâ Vgolinum Tabula. 1. c. 10. §. 4. Huic etiam opinioni videtur fauere Couarrub. c. *Alma mater.* p. 1. §. 11. num. 6. in fine, quatenus. cap. *eos qui.* postea citandum extendit ad omnes excommunicatos à Iure, vel ab homine sub onere satisfaciendi. Videtur etiam consentire Rodriguez tom. 1. *Quæstionum Regularium.* qu. 61. art. 6. quatenus asserit Confessarios electos per Bullam, & Mendicantes per sua priuilegia posse absoluere excommunicatos ab homine particulariter propter debitum de consensu partis ad reincidentiam, & pro certo tantum tempore, quo transacto reincidant: Atque hoc modo posse absoluere inconsulto Iudice, & sine eius consensu. Pro quâ sententiâ citat Canonistas, quos tamen non puto loqui in isto casu.

375. Probat primò Corduba, quia cui conceditur maius conceditur minus ex. c. *cui licet.* de *Regulis Iuris.* in. 6. sed per Iubilæa, Bullam Cruciatæ, & priuilegia Mendicantium conceditur facultas absoluēdi in totum satisfactâ parte; ergo & facultas absoluendi ad certum tantum tempus, seu ad reincidentiam, quod minus est. *Probat primo Corduba ex c. cui licet de Regulis Iuris in 6.*

376. Confirmatur, quia cui competit potestas absoluendi, competit etiam potestas ligandi, cum vtrumque à Iurisdictione pendeat, vt probat Gloss. *Celebri.* cap. *cum dilectus.* de *consuetud.* sed prædictis Confessarijs competit per priuilegia dicta potestas absoluendi: ergo & ligandi. *Confirmatur.*

377. Probat. 2. Corduba, & Suarius, & Vasquez de *Excommunicatione* dub. 18. ex. cap. *Eos qui.* §. *Idem statuimus.* de *Sent. Excom.* in 6. vbi de omnibus absolutis, etiam ab ipso Pontifice, vel eius legato cum obligatione se præsentandi suis Ordinarijs, si cum primùm possint, non se præsentent, vel non satisfaciant, statuit Pontifex quòd reincidant: ergo eâdem ratione reincidet absolutus in nostro casu. *Probat. 2. Corduba.*

378. Tertiò probant Vgolinus, & Suarius ex quibusdam declarationibus Pontificum Pij. V. Gregorij XIII. & Sixti. V. in suis Iubilæis. *Probant 3. Vgolinus & Suarius.*

379. Quarto probat Rodriguez; quia, cùm Iudex talem excommunicationem tulerit ad petitionem partis, id, quod pars concedit, & indulget, Censetur Iudex concedere, & indulgere. *Probat. 4. Rodriguez.*

380. Quintò probari potest; quia; nisi absolutus reincideret posteà quando culpabiliter negligens est, redundaret talis absolutio in detrimentum creditorum, quibus incredibile est velle Pōtifices per prędicta indulta pręiudicare. *Probatur 5.*

381. Secunda sententia communis, & longè probabilior est, quod absoluti, siue de consensu partis, siue præstitâ cautione satisfaciendi per Bullam Cruciatæ, vel per priuilegia mendicantium nullo modo reincidant in excommunicationem, etiamsi postea culpabiliter non satisfaciant. Ita Sotus in. 4. dist. 22. q. 2. art. 3. conclus. 2. Nauarrus. cap. 27. numer. 15. & 277. Henriq. li. 6. cap. 10. in fine littera.. K. & lib. 7. cap. 28. littera. R. num. 2. & lib. 13. cap. 20. num. 1. in fine. Sà verb. *excommunicationis absolutio.* num. 9. Antonius Gomez *super Bullam.* ad clausulam 10. num. 27. qui citat Ioan. Gutierez allegat. 9. per totam Rodriguez *super Bullam.* §. 9. n. 57. Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 10. in fine. & dub. 14. Acosta *super Bullam.* q. 51. *Secunda Sententia communis & probabilior.*

382. Probatur hæc sententia, me quidem Iudice, efficaciter; quia per Bullam Cruciatam, & per priuilegia Mēdicantium tantum conceditur potestas absoluta ad absoluendum à Censurâ simpliciter; ergo Confessarius electus per illa non potest ad reincidentiam. Probo consequentiam; quia plus est absoluere ad reincidentiam, quam absolutè absoluere quoniam absoluere ad reincidentiam inuoluit potestatem *Probatur hæc Sententia.*

excom-

excommunicandi in casu reincidentiæ, Confessario verò per Bullam, & per dicta Priuilegia nulla datur potestas excommunicandi, ergo neque absoluendi ad reincidentiam.

Confirmatur. 383. Confirmatur hoc ex cap. *Ad reprimendam* de *Officio Ordin.* vbi requiritur noua sententia, quando absolutus erat cum obligatione satisfaciendi. Confirmatur secundò ex. cap. *ad hæc.* de *Rescriptis*, & adhuc expressiùs ex. cap. *super eo.* de *officio Delegati* Ex quibus patet, quod hæc priuilegia strictè sunt interpretanda, & restringenda ad id, quod expresse conceditur.

Dices. 384. Dicet tamen aliquis talem sic absolutum saltem reincidere per Ius commune Canonicum, vel per sententiam Pontifices declaratam ab ipsis. *Resp.* Respondetur negando etiam ex hoc capite reincidere, vt patebit ex solutione argumentorum, præsertim secundi, & tertij.

Ad primum argumentũ Resp. 385. Ad primum igitur argumentum respondetur concedendo Maiorem, & minorem, negando verò consequentiam; & ad probationem negando esse plus absoluere absolutè, & in perpetuum, quàm absoluere ad reincidentiam, quia (vt diximus) hæc absolutio ad reincidentiam inuoluit etiam potestatem excommunicandi, quæ nullo modo datur per Bullam, delegatus autem nihil habet, nisi, quod ei conceditur.

Ad Confirmationem Resp. 386. Ad confirmationem respondetur quod loquendo de habente potestatem Ordinariam vera est maior, non verò de habente delegatam, qualem habent prædicti Confessarij, quia delegatus non habet; nisi, quod ei datur.

Ad Secundum argumentum. 387. Ad secundum argumentum respondetur in c. *Eos*, *qui* tantum prædictum absolutum à Papa, vel ab eius Legato cum obligatione satisfaciendi iniuriam passis, si cùm possit, non satisfaciat, reincidere. Vnde (vt expresiè notant Caietan. verb. *Excom.* ca. 69. & Nauarrus c. 27. n. 113.) Textus ille in eâ secundâ eius parte, vbi loquitur de absolutis cum obligatione satisfaciendi parti læsæ, tantùm loquitur de absolutis à Papa, vel eius legato, quia hi tantum reincident ex vi huius Textus; non verò reincident, qui sub obligatione, de quâ agimus absoluuntur à delegato Papæ, vel ab Episcopo, vel ab alijs; per legatum autem (vt ait Nauarrus) intelligitur Nuntius Papæ, & qui mittitur generaliter ad omnes causas alicuius Prouinciæ. Vnde Confessarius electus per Bullam, aut priuilegia, non legatus, sed delegatus est ad causas speciales. Cui doctrinæ Caietani, & Nauarri fauet c. *Ad reprimendam de offic. ordin.* eandemq; sententiam sequitur cum alijs; quos citat Henriquez lib. 3. c. 29. litera *V.* in Gloss.

Ad tertium argumentum. Resp. 388. Ad tertium argumentum ductum ex declarationibus Pontificum neminem video respondere: nisi Henriquez in priori loco citatus qui in Glossa respondet ignorantiam harum declarationum excusare, ne sic absoluti reincidant. Item ait solùm videri durasse eorum declarationem pro tempore horum Pontificum, & non ampliùs.

Hæ responsiones non satisfaciunt authori. 389. Mihi tamen hæ responsiones non satisfaciunt; quia ignorantia solùm excusat inuincibiliter nescientes; nō verò scientes, aut vincibiliter, ignorantes; maximè cùm hoc omnes Confessarij teneantur scire, & saltem cum dubitans, diligentiam adhibere. Secundæ verò responsioni obstant verba Pij V. quæ *dub. præcedenti* ex Gutierrez attulimus; ait enim Pontifex, se id declarare pro omnibus similibus concessionibus in præteritum emanatis, & in futurum à Sede Apostalica emanandis, & ob id à compilatore Motuum propriorum ponitur istud Iubilæum inter motus proprios huius Pōtificis, vt fatetur ipse compilator, & refert Gutierez.

390. Respōdetur ergo persimiles concessiones solùm intelligi cōcessiones factas per Iubilæa, in quibus facultas absoluendi Censuris solùm conceditur ad effectum lucrandi Iubilæum, & pro illo tantùm tempore. Vnde illo effectu consequuto, statim reincidunt; quod verum esset ex ipso Iure communi, etiamsi Pontifices non declarassent: quia hæc potestas non operatur vltra intentionem illam concedentis, vt patet ex multis Bullis Pontificum, in quibus esse solet illud genus absolutionis, de quo diximus in præcedentibus, dum conferunt aliquam gratiam. v.g. beneficia, & absoluunt beneficiarium à quacumque Censura ad effectuum tantum collationis. Et patet etiam ex c. *veniens* 2. de *Testibus.* vbi habetur, quod Iudex Ecclesiasticus alicuius causæ particularis potest absoluere aliquem ab Excommunicatione solùm, vt in eâ ferat testimonium, quando aliud sufficiens haberi non potest. Vbi Abbas *n.* 18. & alij Canonistæ docent statim reincidere; quod etiam docet Nauarrus c. *Ita quorumdam de Iudic.* Notab. 11. n. 18. & Vgolinus tabul. 1. c. 4. §. vltimo n. 18. Imò (vt doctè probat Suarus de *Censur.* disp. 7. sect. 8. n. 22.) in eandem excommunicationem reincidit sine nouâ sententia, & sine nouâ contumacia, sed propter solam præteritam, in quâ illa excommunicatio fundata fuit. *Responsio authoris.*

391. Non sunt autem similes concessiones, quæ habentur in Bullâ Cruciatâ, & in Priuilegijs Mendicantium, vbi potestas absoluendi absolutè conceditur & in fauorem animarum & ex fine, qui semper durat, scilicèt, vt possint absolui à peccatis ablato impedimento Censuræ, &, vt cōstitutæ in statu gratiæ non careant suffragijs Ecclesiæ, saltèm, quoad Deum & in foro conscientiæ. Quam doctrinam videtur sequi Auila *p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 4.* & clariùs Gutierrez *dicto c. 2. in fine tomo 1. Quæstionum Canonicar.*

392. Ad quartum argumentum factum à Rodriguez respondeo primò Hostiensem, Ioan. Andr. & alios Canonistas, quos ipse retulit, non loqui in casu nostri dubij, quando videlicet excommunicatus absoluitur à delegato de consensu partis ad reincidentiam; sed in casu, quo debitor nondum incurrerat excommunicationem; impositum verò erat illi præceptum ab ordinario, vt intra mensem satisfaceret sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, & pars sine consensu Iudicis ante incursam excommunicationem prorogat illi terminum concedens illi inducias vnius hebdomadæ sine censensu Iudicis; tunc enim (aiunt Canonistæ) in ea hebdomada non erit excommunicatus; Quâ de re nos etiam diximus *disp.* 2. dub. 25. nu. 364. pro quâ sententia alios retulimus, & sequuti *Responsio ad argumentũ Rodriguez*

sumus. Tractatus verò hebdomada incidet in excommunicationem, & ibidem probauimus.

Docent Canonistæ.

393. Idem docent prædicti Canonistæ vt refert Antonius Gomez super Bullam Cruciatam clausulâ 10. n. 26. quando absolutus erat ille excommunicatus à sua ordinaria per vnum tantum mensem ad reincidentiam, vt eo transacto reincidat, & pars sine consensu Iudicis prorogat illi vnam hebdomadam; est enim eadem ratio, quæ in priori caso.

Contra hãc opinionẽ docent Abbas Felinus & alij Canonistæ.

394. Contra hanc verò opinionem, quod scilicèt nunquam reincidat, docet Abbas Felinus, & alij Canonistæ, quos retulerat Gomez n. 25. cum quibus sentiunt Syluest. Nauarrus, & alij Summistæ, vt diximus *disp. 2. dub. 17. §. Quaret tamen aliquis nu.* 226. & sequentibus, ex contrario scilicèt fundamento; quia non præsumitur voluntas Iudicis, vt post transactum secundum terminum à solâ parte proragatum ipso Iudice inconsulto incurrat. Cuius oppositum nos ibi probauimus. Habemus ergo ex his nullum ex Authoribus quos citat Rodriguez *in 4. argumento*, cui respondemus, loqui in nostro casu; quod ipse etiam procul dubium vidit; sed ipse sumpsit argumentum ab illâ opinione priori; nam, si illa vera est, vel saltem probabilis, etiam verum erit, vel saltem probabile, quod eodem modo in nostro casu absolutus per Bullam, vel Priuilegia Mendicantium de consensu partis pro determinato tempore reincidat illo transacto, & similiter absolutus cum cautione sub obligatione satisfaciendi reincidat, cùm primùm fuerit culpabiliter negligens ex voluntate præsumptâ Iudicis, iuxta illud, quod ex ipso, & alijs retulimus loco notato.

Respondetur secundò.

395. Respondetur tamen secundò, etiamsi vera esset prior illa opinio, non inde sequi idẽ fore dicendum in nostro casu; est enim latum discrimen inter vtrumque, vt optimè docet Suarius *disp. illa 7. sect. 8. n. 22 & 23.* nam longè diuersum est præceptum satisfaciendi de futuro intra certum tempus sub pœnâ Censuræ ipso facto incurrendæ, & Censuram iam esse contractam; in priori enim casu (qui proprius est casus illius opinionis, si pars in cuius gratiam Censura conceditur, consentiat, & differat tempus solutionis, id satis erit, vt non incurratur Censura, etiamsi nullus exerceatur actus Iurisdictionis; nam satis est, quòd materia præcepti, ex cuius transgressione pẽdet Cẽsura ita mutetur, vt præceptum pro eo tempore non obliget, (sicut mutaretur in eodem casu materia iuramenti si iurasset transacto illo tempore soluere debitum) nam hoc ipso cessat contumacia, ideoque illo tempore non censetur esse transgressio: elapso verò tempore à creditore proragato, iam adest transgressio; quia præceptum erat negatiuum non differendi solutionem vltra tempus concessum; atque adeò transacto illo spatio obligat semper, & pro semper. Vnde incurritur Censura annexa tali transgressioni per expressam voluntatem Iudicis. In secundo verò casu Censuræ contractæ, de quo nos loquimur, non sufficit sola partium concordia, vt tollatur Censura, sed omnino est necessarium exercere actum Iurisdictionis, scilicet absolutionis, vt tolleratur, & impositionis Censuræ vt postea reincidat. Cùm autem Confessarius electus tantum habeat potestatem absoluendi non autem ferendi Censuram, non potest absoluere ad reincidentiam, licèt possit absolutè absoluere.

Præsumpta voluntas Iudicis non sufficit neq; ad tollendã neq; ad ferendam Censuram.

396. Præsompta autem voluntas Iudicis nullo modo sufficit neque ad tollendam, neque ad ferendam Censuram, imò neque voluntas ipsa actualis, & expressa, si sit merè interior, & nõ sufficienter exterius manifestata, vt probauimus loco citato. Vnde opiniones illæ non sunt fundandæ præsumptâ voluntate sed in expressâ, & manifestatâ exterius.

Responsio ad quintum argumentũ.

397. Ad quintum argumentum respondetur Pontifices posse, & debere potiùs pijssimè prospicere bono animarum spirituali, quàm temporali corporum; maius tamen bonum commune esse, quod sequitur animabus debitorum ex prædicta absolutione, quàm sit temporale commodum creditorum ex negatione talis absolutionis, maximè cùm absolutio non detur; nisi facientibus, quod in se est, quos non vult pia mater Ecclesia tenere ligatos. Accedit quòd adhuc illis non datur absolutio; nisi cum cautione saltem iuratoriâ. Vndè remanent satis obstricti. Vlterius nulla fit creditoribus iniuria, quia pro damnis temporalibus non vult Ecclesia, vt feratur excommunicatio; nisi rarò, &, quando alia remedia non suppetunt. Sicut ergo à principio potuit Iudex non excommunicare; sed alijs remedijs vti sine vllâ iniuriâ partis, quæ postulabat Censuram ferri; ita postea, sine vllâ iniuriâ potest imò, & debet tollere excommunicationem, quando debitor iam paret, & facit, quod potest. Prudentissimè autem hoc committitur Confessario pro foro conscientiæ, quia in foro contentioso sæpe non potest miser debitor obtinere absolutionem, vel ex defectu probationis, vel ob paupertatem, quando expensæ sunt faciendæ. Ex traditâ iam doctrinâ pro secunda opinione placet nostram sententiam sequentibus assertionibus declarare, quæ, ni fallor pro re morali, & praxi in negotio absolutionis ad reincidentiam notatu dignæ sunt.

Facientes quod in se est non vult Ecclesia tenere ligatos.

Prima assertio.

398. Prima assertio. Quoties quis absoluitur absolutè, siue à suo Iudice, siue à Confessario delegato cum cautione, & obligatione satisfaciendi, etiamsi postea culpabiliter non satisfaciat, nullo modo reincidet; nisi de nouo excommunicetur ab habente potestatem, Ratio est quia (vt supponimus) absolutio non fuit data limitatè ad aliquem effectum, neque ad certum tantum tempus, neque cum expressione reincidentiæ & c. *eos, qui de sent. excom.* in 6. (vt patet ex responsione ad secundum suprà datâ) tantum loquitur de absolutis ab ipso Pontifice, vel ab eius Nuntio cum obligatione satisfaciendi, vel comparendi; de ijs enim verum est, quod reincident, etiamsi absolutè fuerint absoluti sine vllà mentione reincidentiæ, vt explicatum est; tamen, vt incurrant, necessaria est noua culpa, vt patet ex ipso Textu. Quæ sententia est communis Auctorum, vt constat ex Couarrub. c. *Alma*, p. 1. §. 11. numero 6. & apertè colligitur ex c. *Ad reprimendam de officio Ordin.*

Ratio assertio.

399. Secunda assertio. Omnis excommunicatus, qui ob imminens periculum mortis, vel ob aliud

aliud legitimum impedimentum absoluitur ab eo, qui cessante impedimento, non poterat eum absoluere, reincidet postea si cum potest non se præsentat suo superiori, à quo erat absoluendus. Habetur in c. *eos, qui de sent. excom.* in 6. & in alijs Iuribus iuxta dicta suprà dub. 11. §. *Tertia ergo conditio*, & sequentibus & docent omnes Auctores, vt sæpe notauimus iuxta dicta Tract. 8. de *Panit.* disp. 11. dub. 14.

Tertia assertio. 400. Tertia assertio Absolutus per Bullam Cruciatam vel per priuilegia Mendicantium cũ cautione, & obligatione satisfaciendi non reincidet, etiamsi postea culpabiliter omittat satisfactionem; patet ex ijs, quæ diximus pro secunda opinione; quam assertionem verissimam puto, etiamsi de consensu partis expressè fuerit absolutus ad reincidentiam pro tempore aliquo determinato. Ita expresse docent Sotus, Henriquez, Rodriguez, Gomez, Acosta, Auila suprà citati in secunda opinione. Atque inde *Rectè colligit Auila.* rectè colligit Auila, quod Confessarius non debeat sic absoluere ad petitionem partis, nisi prius admoneat partem, quod non reincidet; alioquin deciperet partem; quod maximè puto verum, quando alioquin pars non consentiret in absolutionem, nisi putaret fore, vt reincideret. *Aduertit deinde rectè Auila.* Aduertit etiam Auila rectè, quòd neque Episcopus ipse, seu Vicarius, aut Prouisor eius potest per Bullam Cruciatam absoluere percussorem Clerici cum obligatione satisfaciendi ad reincidentiam in excommunicationem reseruatam Papæ; poterit tamen ad reincidentiam ita, vt reincidat in excommunicationem, quam ex tunc ipse ferat, nempe, quia ad hoc habet potestatem, & Iurisdictionem ex suo munere Episcopi, vel Vicarij; non tamen ad illud, in quo solùm est delegatus electus.

Quarta assertio. 401. Quarta assertio. Per Iubilæa concedentia Confessarijs ad effectum dumtaxat consequendi Iubilæum benè possunt absolui ad reincidentiam, imò non possunt aliter absolui. Patet hæc assertio ex dictis ad tertium argumentum, & ex declaratione Pij. V. in eodem tertio argumento relatâ. *Patet & hæc assertio ex declaratione Pij V.*

Quinta assertio. 402. Quinta assertio, si absolutio detur ad aliquem tantum actum, vel effectum determinatum, vel pro aliquo tempore determinato independenter ab omni conditione, vel actione ipsius absoluti ab ipso præstandâ; tunc transacto illo tempore, & consummato tali actu, & effectu statim sine nouâ culpâ, sed propter priorem contumaciam incurritur excommunicatio eadem, quæ prius fuerat. *Ratio assertionis.* Ratio est; quia ea fuit expressa intentio absoluentis, secùs illa absolutio non esset limitata ad tempus, vel actum, seu effectum determinatum duntaxat; vt bene probat Suar. disp. illa 7. sect. 8. numero 21. atque ita posse fieri absolutionem probauerat. numero 18. & 19. Hæc assertio est contra Authores infrà citandos sequenti assertione.

403. Talis est absolutio, quæ datur in Iubilæis, & quæ habetur in c. *venient*, & 2. de *testibus* & quæ solet dari in Bullis Pontificijs *ad effectum præsentium dumtaxat consequendum* vt contingit in collatione beneficij imò (vt iam alibi notauimus) credo in his non tolli excommunicationem quoad alios effectus, sed tantum, quoad inhabilitatem ad recipiendum Beneficium vel aliquem alium effectum litterarum Apostolicarum, in quibus ad talem effectum dicitur absolui; solùm enim conceditur, vt possit licitè & validè talem effectum obtinere; quoad reliquos verò effectus manet excommunicatio. Si verò absolutio detur, vt simpliciter valeat, & perpetua sit sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid faciendi intra certum tempus, quo transacto, & non impletâ conditione iterum incidatur in Censuram, Philosophandum est iuxta sequentem assertionem.

Sexta assertio. 404. Sexta assertio. Transacto ille tempore, & non impleta conditione ob culpam debitoris incidit talis debitor in excommunicationem; cuius absolutio lata erat sub conditione satisfaciendi ad reincidentiam; si non satisfaceret. Si verò sine culpâ debitoris ob impotentiã, vel aliam causam non impletur conditio, licèt in foro exteriori reincidat, & reputetur excommunicatus, & ipse se debeat, vt talis gerere; in foro tamen conscientiæ, & quoad Deum non reincidet. Ita docent tàm in casu quintæ assertionis, quàm in hoc Sextæ Corduba in *Summâ*, q. 20. puncto, 3. Rodriguez in Bullâ, §. 9. numero 58. Henriquez lib. 13. cap. 29. numero 3. in Glossa littera. *V.* Auila, 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 14. conclus. 1. citans Bannez & alios, qui inde probant; quia excommunicatio se ipsâ, & coram Deo nulla incurritur sine contumaciâ: ergo nec potest homo reincidere in illam; nisi reincidat in contumaciam. *Ratio assertionis.*

Ratio hæc est inefficax. 405 Hæc tamen ratio parum efficax est; facilè enim negari potest consequentia; quia, quamuis numquam excommunicatio de nouo cõtrahi possit sine reali, & verâ cõtumacia sicut reverâ non incurrit excommunicationem, qui non est soluendo, quantumuis præceptum soluendi sub excommunicatione latæ sententiæ sit impositum; tamen post contractam excommunicationem; sicut semper manet in excommunicatione, etiamsi factus sit impotens ad soluendum, & etiamsi habeat contritionem, & à contumaciâ recedat; excommunicatio enim non cessat; nisi tollatur per absolutionem; ita quando tollitur, non absolutè, & pro omni tempore; *Excom. non cessat nisi tollatur per absolutionem.* sed sub conditione soluendi intrà præfixum, & determinatum tempus; posset quis in illam reincidere non soluendo; etiam ob impotentiam, & sine nouâ culpâ, propter culpam præteritam; si enim Iudex velit tantum hoc modo absoluere, procul dubio potest, & tunc sine nouâ culpâ reincidet; quia sicut posset omnino, & absolutè non absoluere præsertim, si impotentia non esset probata in foro Iudiciali; ita posset absoluere pro certo tempore sub illâ conditione ita, vt conditione non sequutâ, etiamsi ne culpâ debitoris, reincidat. Imò, quòd de facto habeat illam intentionem Iudex, & quod sine nouâ culpâ reincidat debitor, etiam in hoc casu sextæ assertionis nostræ docet Suarius citatâ sect. 8. numero 27. & probat primò, quia conditio posita talis est vt sine culpâ omitti possit, & in modo, vel verbis, quibus ponitur, non indicatur vllus respectus ad nouam culpam negligentiæ. Probat secundò quia hic modus absoluendi ad reincidentiã communiter fit ex consensu partis læsæ; quæ tamen non consentit, nisi isto modo detur absolutio, & alio modo non consentiret;

 quia

quia vergeret in eius præiudicium: ergo nec Iudex alio modo intendit absoluere. Tertiò, quia quando superior alio modo absoluere intendit cum respectu ad culpam, id solet explicari in conditione, quæ ponitur non determinando tempus; sed hoc modo; *si cùm primùm possis, non satisfeceris, & cùm parueris, &c. reincidas*, vt patet ex c. *eos qui de sententiâ excom.* in 6. & ex alijs Iuribus, quare in isto casu (ait Suarius) ante lapsum præfixum terminum recurrendum est ad ipsum Iudicem, & petenda absolutio simpliciter, vel saltem dilatio termini, quam ille in conscientiâ tenebitur concedere, si sufficienter probetur impotentia soluendi; si autem non concedat, recurrendum erit ad Superiorem, quia aliàs non poterit euitari Censura, sicut Censura semel contracta non tollitur sine absolutione, etiamsi iniustè negetur.

Differentia quæ est inter casum quintæ & sextæ assertionis. 406. Ego nihilominus eam agnosco differentiã inter casum quintæ, & sextæ assertionis, quod in casu quintæ intentio Iudicis est expressa, quia solùm tollitur excõmunicatio ad aliquem effectum, vel actum, vt statim sine vllâ conditione pendente à voluntate ipsius excommunicati reincidatur; at verò in casu sextæ assertionis non est expressa intensio Iudicis cùm reincidentia ipsa ponatur dependenter ab aliquo faciendo, vel omittendo per ipsum excommunicatum; & quamuis non explicetur an culpabiliter requiratur, vel inculpabiliter illud faciendum, vel omittendum; semper nihilominus de Iudice præsumendum est potiùs velle se accommodare intentioni Ecclesiæ, quàm partis, & potiùs velle, quod Ecclesia vult, quàm quod pars ipsa: omnino autem credendum est piam Matrem Ecclesiam non velle filios suos sine contumaciâ, & culpâ esse ligatos tam graui pœnâ, quanta est excommunicatio, quæ tot, ac tanta detrimenta spiritualia affert in animam, & potius velle prospicere bono animarum quam commodis temporalibus aliorum. Ex quo patet probabilitas sextæ assertionis, non negatâ maximâ probabilitate sententiæ Suarij, qui eodem modo philosophatur, vt vidimus in casu sextæ assertionis; atque in casu quintæ.

DVBITATIO XVIII.

An per Bullam Cruciatam, aut per Priuilegia Mendicantium possit quis absolui ab excommunicatione extra confessionem? & in vniuersum; an absolutio Censuræ valeat extra Confessionem?

407. IDeò præcipuè quærimus per Bullam, aut Priuilegia, quia quando Confessor absoluit tanquam habens iurisdictionem ordinariam potest hoc facere extra confessionem; imò qui ad id habet facultatem delegatam ex commissione Iudicis etiam id potest extra confessionem, dummodo non restringitur ad ipsam Confessionem, facultas enim absolutè, & generaliter data sine restrictione ad forum confessionis non est restringenda ad illud forum; sicut è contra habens facultatem limitatam absoluendi tantùm in Sacramentali confessione, seu confessione diligenter auditâ, ut communiter datũ in Iubilæis, non potest absolutionem conferre extra Confessionem; omnis enim facultas, & iurisdictio commissa exercenda est iuxta voluntatem committentis. Ita Vasquez de *Excommunic.* dub. 20. n 9. Suarius disp. 7. sect. 5. n. 36. Filliucius Tract. 11. c. 9. quæsito 8. n. 294. & alij communiter.

408. Quod si daretur casus, in quo quis habens facultatem absoluendi solùm in sacramentali confessione à Censuris, & collatâ absolutione Censurarum moreretur, vel vocẽ amitteret, aut casu moreretur pœnitens ante impensam absolutionem peccatorum, valida esset absolutio Censuræ. Nam absolutio data fuisset simpliciter, & absolutè à confessario habente intentionem absoluendi etiam à peccatis vt supponitur in casu. Ita Suarius loco citato Henriquez lib. 2. c. 30. n. 6. & alij apud Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 15. n. 25. & disp. 34. n. 30. vbi addit (quamuis in contrarium sentiant Vasquez & Filliucius loco citato, Nauarr. c. 26. n. 31. & alij) probabile esse absolutionem Censurarum valere extra confessionem, quamuis in concessione facultatis dicatur *auditis confessionibus absoluamur à peccatis & Censuris annexis.* Illa enim particula *auditis confessionibus* refertur ad absolutionem à peccatis. Quod etiam probabile censet Coninc disp. 14. dub. 16. n. 253. & probabile mihi videtur.

409. Ex dictis habemus Parochum posse extra Confessionem absoluere ab excommunicatione non reseruatâ, quia eius Iurisdictio est ordinaria. Ita præter citatos docet Rodriguez *in Bullam* §. 9. n. 54. citans Syluestrum, & alios. Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 13. qui addit ab excommunicatione minori quemcumque posse absolui extra Confessionem. *Parochus potest extra confessionem absoluere ab excommunicatione non reseruata.*

410. Sed antequã ad priuilegia particularia descẽdo, generaliter examinare oportet an habens facultatem absoluendi à Censuris in foro conscientiæ possit illarum absolutionem impendere extra Confessionem, etiamsi non absoluat à peccatis? *Dubium.*

411. Aliqui sentiunt non posse, & aliqui id videntur supponere, confundentes forum cõscẽtiç & forũ Sacramentale. Oppositũ tamen est verũ, & communiter receptum. Ita Sanchez in simili de dispositione faciendâ in foro conscientiæ lib. 8. de *Matrim.* disp. 34. n. 29 & Praxis Neapolitana c. 66. n. 18. Auila 2. p. 7. disp. 3. dub. 13. Henriquez dub. 7. c. 13. n. 2. Suar. de *Religione* tomo 2, Tract. 6. lib 6. c. 16. n. 4. Rodriguez tomo 1. Regularium q. 20. art. 7. Coninc. disp. 14. dub. 16. n. 252. & 253. & alij. Qui omnes expressè concedunt, quoties non exprimitur in facultate absoluendi restrictio quod tantum vt in foro Sacramentali, valere absolutionem Censuræ, etiamsi non sit in foro Pœnitentiæ. Ratio est quia forum conscientiæ non necessariò includit forum Sacramentale; sunt enim distincta hæc duo; nam actus fori conscientiæ exerceri potest extra forum Sacramentalis Pœnitentiæ; illud enim censetur fieri in foro conscientiæ, quod fit secretò, & vt non valeat in foro externo; sed tantùm coram Deo, vt fatetur Nauar- *Responsio verior.* *Forum conscientiæ & Sacramentale distinguuntur.*

Nauarrus lib. 5. tit. de *sentent. Excomm.* consl. 15. ad 2. q. & probat manifestè stylus, & vsus Curiæ Romanæ, vbi Pœnitentiarij frequẽter absoluunt sine litteris à Censuris extra Confessionem per facultatem sibi factã à summo Pœnitentiario ad absoluendum tantum in foro conscientiæ, & etiam Episcopi absoluunt extra Sacramẽtum Pœnitentiæ à Censuris occultis Pontifici reseruatis per facultatem factam à Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. de *reformatione*. Legantur Sanchez, & Auila locis citatis, vbi alios plures referunt pro hac sententiã.

Dubitatio 2.

412. Dubitari autem potest an habens facultatem absoluendi in foro Pœnitentiæ possit absoluere Sacramentalem Confessionem, quoties absolutio cadit suprà materiam, ad quam per se non requiritur absolutio Sacramentalis?

Resp. multi probabiliter.

413. Affirmant multi satis probabiliter, cùm non intelligatur restrictio præcissè ex illis verbis concessionis talis facultatis in foro Pœnitentiæ. Ratio verò præcipuã esse potest; quia forum Pœnitentiæ tantum videtur requiri, quatenus materia ipsa, circa quã est ea facultas, inuoluit alioquin materiã necessariam Confessionis; si tamẽ illã non inuoluat credi potest non ita esse eam conditionem requisitam à concedente facultatem (nisi aliter exprimat) vt, *nisi confessio Sacramentalis fiat, absolutio non valeat*. Ita docet Tabiena verb. *Absolutio*, 2. quæsito 4. numero 7. Suarius lib. 8. de *legibus*, cap. 6. numero 16. vbi ait non esse limitandum ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi vbi, vel absolutio Sacramentalis per se fuerit necessaria, vt in priuilegio obtinendi absolutionem à reseruatis, vel vbi verba Indulti id manifestè explicauerint; nec satis erit quòd executio Indulti committatur *Sacerdoti*; imò nec si dicat committatur *Sacerdoti Confessori*, quia id totum est nomen officij, & muneris, non actualis exercitij, ita, ut ex vi illorũ verborum requiratur quidem persona talis, vt eligi possit in Confessorem; non verò, vt actu Confessionem audiat. Legatur idem Suarius à numero 14. vsque ad finem capitis, maximè numero 15. vbi rectè docet inter forum conscientiæ & pœnitentiæ solam hanc differentiam constituendam videri, quòd forum conscientiæ per se non supponat culpam, nec ordinetur ad remittendum, vel vindicandum aliquem defectum, & aliquod vinculum apud Deum; forum autem Pœnitentiæ dicitur in ordine ad tollendum aliquod vinculum, vel malum apud Deum siue illud tollatur per proprium Sacramentum Pœnitentiæ, siue per alios actus ostensiuos, aut inflictiuos Pœnitentiæ. Vnde iuxta Suarium hæc vox *Pœnitentiæ*, quando dicitur *in foro Pœnitentiæ*, non restringenda est ad solũ Sacramentum, cùm iuxta verborum proprietatem etiam Pœnitentiæ appelletur alia, quæ fieri solet extra Sacramentum. Ex quo etiam fit quòd licèt dicatur in facultate, seu Bullâ absoluas, à tali Censurâ *in foro conscientiæ iniunctâ salutari Pœnitentia*, sicut dicitur in loco citato Tridentini, idem sit, ac dicere *absoluas in foro Pœnitentiæ, vel Pœnitentiali*.

In Priuilegijs Bullæ Cruciatæ & Religionũ

414. Iam verò descendendo ad Priuilegia Bullæ Cruciatæ, & Religionum, adhuc in eis non consentiunt Auctores. Prima ergo sententia negat absolutionem conferri posse extra Sacramentum Confessionis. Ita Nauarrus. cap. 26 numero 31. & lib. 5. tit. de *sent. Excom.* consl. 28. ad 4. q. Corduba in *Summa* q. 19. & 187. Rodriguez in Bulla §. 9. numero 54. dicto 5. & sic putat declaratum esse à Pio V. eo quod dixerit *in foro tantum conscientiæ, non verò incontentioso*, & similia verba; refertque Couarrubiam; sed immeritò; docet enim oppositum Suarius disp. 7. de *Censuris* sect. 5. numero 36. etiam negat per Bullam Cruciatam posse absolui extra Sacramentalem Confessionem; imò aliter collatam absolutionem videtur sentire non valere, vbi omnino videtur sibi contrarius; nam loco citato de legibus, numero 5. & 16. expresè dicit per illa verba *in foro Pœnitentiæ* non explicari, an sit tollendum vinculum in ipso Sacramento Pœnitentiæ nec ne? vt videre est numero 16. Dixerat autem numero 15. licèt verba priuilegij loquantur de foro Pœnitentiæ non esse limitanda, ad iudicium Sacramentale Pœnitentiæ; & rursùs numero 16. ait si indultum dicat *in foro conscientiæ iniunctâ Pœnitentiâ*, non esse limitandum ad Sacramentum Pœnitentiæ &c. In loco autem citato de *Religione* persistens in hac ipsa sententiã loquens in materia dispensationis sic ait neque Constabit quod dicatur *in foro conscientiæ tantum*; quia forum conscientiæ latiùs patet quàm forum pœnitentiæ Sacramentalis. Pro quã sententiã refert Nauarrum in ordinè ad absolutionem à Censuris, de qua nunc agimus, qui cons. 11. de *Priuilegijs*. id docuit sibi non constans, cum oppositum dixerit citato c. 26. sicut, Rodriguez sibi contrarius est; contra id enim, quod dicit in Bulla loco citato, docet lib. 1. *Quæstionum Regular.* q. 61. art. 10. Itaq; hæc doctrina Suarij non congruit cum illã, quã dederat olim citato loco de *Censuris*, vbi ait regulariter loqẽndo quãdo hæc cõcessio fit tantum in foro conscientiæ, & in ordine ad internam, & bonam animi dispositionem solùm dari potestatem absoluendi à Censurâ in Sacramento Pœnitentiæ, & hâc ratione putat contingere in Bullâ Cruciatâ, & similibus Priuiligijs. In quo etiã cõsentit Acosta super Bullam. q. 50. in fine.

non consentiunt Auctores.

Prima sententiam.

Suarius negat per Bullam Cruciatam posse absolui extra Sacramentalem confessionem.

Affirmans sententia placet Authori.

415. Secunda sententia, quæ mihi placet, est non solum validè, sed etiam licitè posse dari absolutionem à Censurâ extra Sacramentum Pœnitentiæ; quod per Bullam cruciatam certius omnino est, quam olim putabatur; iam enim ablata est illa particula *auditis eorum confessionibus* ratione cuius particulæ fortassè sequutus est Suarius loco citato *de Censuris* sententiam contrariam, cùm tamen postea in cæteris omnibus paulò aliter sentiat, vt explicatum est.

Positâ clausulâ (auditis eorum confessionibus) adhuc vera est nostra assertio.

416. Verum, etiamsi ponatur hæc clausula, vt re verâ ponitur in Priuilegijs Mendicantium, adhuc veram puto nostram assertionem, quia illa verba referunt absolutionem à peccatis, de quâ in prædictis priuilegijs fuerat etiam facta mentio, & non est cur cogamur illam applicare ad absolutionem à Censuris, tum, quia nulla est necessaria connexio inter Censurarum, & peccatorum absolutionem; ideò referenda, & applicanda sunt singula singulis per quandam, quasi distributionem seu attributionem accommodam; tum; quia sæpe occurrit casus, in quo multum interest, & expedit conscientiæ, & bono spirituali pœnitentis absoluere cum ab ex-

co mmu-

communicatione extra Confessionem, vt, quia est dies festus solemnis; & tamen reus non est sufficienter paratus, vt confiteatur, maximè, si confessio longa sit; neque videtur credendum velle Pontificem, vt in similibus casibus non absoluatur, nec video vnde talis intẽtio colligatur. Quamuis autem intendat Pontifex in hac confessione præcipuè, vt homo in gratiâ per confessionem constituatur, iam sanè hoc modo ad illam se disponit, & præparat. Imò, quamuis etiam ad hanc absolutionem à Censurâ debeat necessariò eligi Confessarius ab ordinario approbatus, nihil refert, quia id meritò exigit Pontifex, ne eligatur aliquis idiota, & ineptus homo ad absoluendum etiam à Censura, qui fortè nesciret vtrum excommunicatus teneretur satisfacere? vel sit petenda ab illo cautio fideiussoria, aut iuratoria &c. quam doctrinam sequitur (vt videmus) Suar. suprà n. illo 16. loco citato de *legibus* & Sanchez citato loco de *Matrimonio*. Rodriguez citato art. 7. & 10. Henriquez & Auila suprà, & alijque apud ipsos, & quotquot suprà citauimus. Vnde non placet Nicolaus Garzia tomo 2. de *Benef.* p. 11. c. 10. n. 139. qui distinguit, & ait, quando priuilegium dat facultatem absoluendi; vel dispensandi *quoad forum Conscientiæ*, posse dari absolutionem extra Sacramentum Pœnitentiæ; quando verò dicit *in foro Conscienitæ*, non posse dari extra Sacramentum; quod ex multis concessionibus cõtendit probare. Hæc autẽ doctrina, si semel admittamus illam particulã *forum Conscientiæ* nõ significare necessariò forũ pœnitẽtiæ Sacramentalis, vt probatum est, frustrà laboratur in hac distinctione, siue dicatur *quoad forum*, siue *in foro conscientiæ*, vt ex se patet. Legantur dicenda in simili de dispensatione in Impedimentis Matrimonij Tract. 11. disp. 8. dubitatione 4.

DVBITATIO XIX.

An qui in confessione irritâ, & invalidâ absoluitur à peccatis, & Censuris reseruatis maneat liber à reseruatione, ita vt postea possit absolui à non habente iurisdictionem in peccata reseruata?

417. HAc de re, quod attinet ad peccata reseruata non explicata in Confessione, diximus in Tract. de *Pœnit* varijs in locis maximè disp. 11. dub. 8. in principio; Atque in præsenti communis sententia docet manere liberum à reseruatione eo ipso, quod peccatum dicatur habenti Iurisdictionem. Ita Antoninus 3. p. tit. 14. c. 14. §. 17. Syluest. *Confess.* 1. q. 19. n. 21. Caietan. verb. *casuum reseruatio.* Armilla ibidem n. 4. Coninc. *de Pœnit.* disp. 8. dub. 12. & alij nonnulli, qui testantur de communi, inter quos Henriquez c. 16. n. 5. & lib. 7. c. 11. n. 4. qui etiam id asserit, licèt fuerit absolutus tẽpore Iubilæi, & virtute Iubilæi, vel Cruciatæ, & omnes prædicti intelligunt hanc doctrinam, quando quis in confessione aperuit casum reseruatum, eamque admittit Vasquez relatus à nobis loco citato de *Pœnit.* qui addit hanc doctrinam

Communis sententia.

esse veram siue Confessio facta fuerit habenti potestatem ordinariam siue delegatam.

418. Hæc tamen doctrina limitanda est ad pœnitentem, qui confitetur suo ordinario, vel ei, cui delegata est Iurisdictio absolutè, & non solum ex eâ intentione, quæ solet esse in Iubilæis, vt scilicet pœnitens lucretur plenariam Indulgentiam; quia tunc, qui non intendit illam lucrari, non absoluitur validè à Censuris reseruatis, sicut neque à peccatis, quia id est contra intentionem delegantis. Vnde, qui in confessione fictâ absoluitur à reseruatis, quæ confessus est, siue absoluatur à suo ordinario siue per priuilegia Mendicantium, vel per Bullam Cruciatæ: tunc, si absolutio fit à reseruatis ordinariò, sine reseruatione manent; quia cùm ij habeant potestatem, vel ordinariam vel certè delegatam absolutè pro bono spirituali, & bonum sit spirituale, vt ille talis maneat liber à reseruatione, reuerâ manet liber; manet tamen obligatus ad implendam pœnitentiam impositam pro reseruatis, de quibus iam superior iudicauit. Si verò absolutus fuit in confessione irritâ virtute Iubilæi, vel per Bullam Cruciatam à reseruatis Pontifici, non manet liber à reseruatione sicut dicemus de eo, qui non habens intentionem præstandi omnia requisita ad lucrandum Iubilæum, absoluitur virtute illius à reseruatis. Ratio est, quia summus Pontifex non concedit facultatem in Iubilæis absoluendi à reseruatis; neque in Bullâ Cruciatâ à reseruatis Pontifici; nisi vt pœnitens consequatur Indulgentiam plenariam, &, (vt ait Pontifex) vt purius possit pœnetens leuare manus ad Deum in oratione pro fine, & intentione Iubilæi, & Indulgentiæ. Quod si scienter malè confitetur, multum aberrat ab hoc fine; neque intendit efficaciter consequi Indulgentiam. Non ergo manet absolutus nec liber à reseruatis, sicut neque ille, qui vellet virtute Iubilæi absolui à reseruatis non intendens præstare omnia, quæ ad finẽ Iubilæi exiguntur. At verò, qui virtute Cruciatæ absoluitur à reseruatis ordinario, etiã in cõfessione irritâ, liber manet à reseruatione, quia cũ Pontifex in Bullâ cõcedat, vt ab his reseruatis ordinariò possit absolui toties, quoties, non concedit hoc solum ad finem lucrandi Indulgentiam, sed absolutè. Cum hâc ergo limitatione à nobis designatâ prædictam sententiam tenent Alcocer in *Summâ* c. 11. aliàs 12. §. *Quinta & sexta doctrina.* Acosta in Bullam q. 45. Rodriguez *in Bullam* §. 8. n. 97. in in *summâ* verb. *Confession.* c. 55. n. 6. Suarius de *Pœnit.*, disp. 31. sect. 4. n. 22. qui bene addit quòd, si Confessio facta fuit bonâ fide, atque adeo valida, licèt fuerit informis, peccata manent sine reseruatione, imò sine obligatione iterum ea confitendi; quia iam non sunt materia necessaria; sed sunt, tanquam venialia, iuxta doctrinam traditam à nobis de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 7. dub. 5. & 6. Legantur quæ diximus citatâ disp 11. de Pœnitentia dubit. 8. in principio præcipuè assertione 1. 2. & 3.

Hæc sententia limitanda est ad pœnitentem qui confitetur suo ordinario vel ei cui delegata est Iurisdictio absolutè.

Confessio fuit facta bona fide, licet fuerit informis peccata manet sine reseruatione.

419. Quæret tamen aliquis an is, qui in Confessione irritâ absolutus fuit virtute cruciatæ à reseruatis Pontifici, possit postea ab illis, & ab alijs, si quæ postea commisit, etiam Pontifici reseruata absolui, si intra annum Bullæ ea confiteatur-

Quæret aliquis.

Resp. fiteatur? Respondeo omnino posse, quia prior illa confessio fuit irrita, ac proinde censetur, quasi facta non fuisset.

DVBITATIO XX.

An is, qui tempore Iubilæi fuit absolutus à reseruatis; postea verò non lucratur Iubilæum, quia omittit aliquid præscriptum, maneat liber à reseruatione.

Resp. 420. Respondeo breuiter si pœnitens, quando fuit absolutus, habuit intentionem præstandi omnia requisita, manere absolutum; secùs verò si non habuit intentionem præstandi omnia. Quâ de re Suarius de Pœnitentiâ disp. 31. sect. 4. & latius tomo 5. de *Censuris* disp. 7. sect. 5. numero 33. & 34. Verum hac de re nos diximus cum eodem, & alijs multis agentes de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 10. ibi legatur; nihil enim nouum occurrit nunc addendum, est enim eadem ratio de peccatis, & Censuris.

DVBITATIO XXI.

An absolutus virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi inculpabiliter omittens reseruatum peccatum, vel Censuram, maneat liber à reseruatione, vt postea à quouis Confessario etiam post tempus Iubilæi, aut Bullæ possit absolui?

In culpabiliter omittens peccatum reseruatū vel Censuram quando absoluitur per Iubilæum vel Bullam manet liber à reseruatione

421. Hac etiam de re dixi disp. illâ 11. de Pœnit. dub. 8. vbi varijs distinctionibus vsi sumus; nunc breuiter dico remittendo me ad alia ibidem dicta, maximè assert. 3. manere liberum, quando absolutus est per Iubilæum, & Bullam, quia tunc vel expresè vel virtualiter tàm Pœnitens, quàm Confessarius habent intentionem exonerandi conscientiam ipsius Pœnitentis, qui vult accipere fructum, vel commodum ex tali Iubilæo, aut Bullâ, inquantum potest, eo ipso quod vult vti ipsius priuilegio. Quæ doctrina congruit cum ijs, quę diximus eâdem dub. 8. assert. 4. adiunctâ etiam primâ

Absolutus ab ordinario in confessione nihil dicens de reseruatis non manet absolutus à reseruatis?

422. Si verò absolutus fuit per suum Ordinarium, & in Confessione nihil dictum fuit de reseruatis (idemque iudicium est de absoluto virtute priuilegiorum Mendicantium) non manet absolutus à reseruatis; quia licèt Ordinarius talis esset, qui haberet facultatem in reseruata, & licèt Mendicantes eam habeant; tamen, si in confessione non actum est de reseruatis, nec fuit vlla mentio de vsu facultatis absoluendi à reseruatis, non constat voluisse tollere vllam reseruationem; neque vti vllo modo suâ potestate circa reseruata. Legatur Henriquez lib. 6. c. 16. numero 6. & lib. 7. cap. 11. numero 4. Suarius de Pœnit. disp. 31. sect. 4. & Sanchez, qui in simili de *commutat. votor.* disputat. lib. 8. de *Matrim.* disp. 15. numero 16 & 17. & de hoc diximus loco notato assert. 5.

423. Quamuis autem Nauarrus. cap 27. n. 13. & alij, quos ipse citat, videantur exigere, vt etiam quando quis absoluit virtute Iubilæi, vel cruciatæ habuerit animum absoluendi generaliter ab omnibus peccatis, & Censuris, si quæ habeat Pœnitens, quæ intentio solet explicari illis verbis *in quantum possum, & indiges*, vt censeatur manere sine reseruatione vllâ; tamen (vt rectè probat Suarius,) satis est; si pœnitens, & Confessarius habeant intentionem vtendi priuilegio concesso pœnitenti; quia ea est intentio Pontificis, & Confessarius, ac pœnitens eam (vt dicebam in principio) virtualiter habent.

424. Ex traditâ doctrinâ colligitur, quòd, quando aliquis pœnitens ligatus excommunicatione, & oblitus illius excommunicationis, absoluitur in confessione ab eo, qui poterat tollere excommunicationem sub illa generali conditione *absoluo te à sententiâ excommunicationis, si quam incurristi.* Quamuis postea recordetur excommunicationis, non teneatur directè absolui. Ita Nauarrus cap. 26. numero 13. licèt cap. 9 oppositum dixerit. Docet etiam Auila, p. 2. c. 7. disp 3. dub. 16. & ait idem sentire aliquos Magistros. Probat verò, quia frustrà esset talis absolutio, cùm iam fuerit ablata excommunicatio per illam generalem absolutionem, vt supponunt communiter Doctores. *Ex traditâ doctrinâ Colligitur,*

425. Obijciet tamen aliquis, qui in Confessione oblitus est alicuius peccati mortalis, licèt maneat absolutus ab eo, si tamen postea recordetur illius, tenetur illud confiteri, vt absoluatur ab illo directè: ergo idem erit de Censurâ. *Obijcies*

426 Respondetur negando paritatem, primò, quia illud peccatum fuit remissum cum obligatione, & ordine ad directam absolutionem, non verò excommunicatio. Secundo, quia materia proxima absolutionis non est peccatum; sed confessio illius, ideo potest esse materia bis, & sæpius repetita confessio; materia verò absolutionis à Censurâ est ipsa Censura, à quâ potest absoluere sine vlla prorsus confessione, qui habet facultatem ad id, imò inuito, & negante delictum ipso pœnitente; semel ergo ablatâ Censurâ per absolutionem illam primâ generalem, non manet materia pro secundâ absolutione; neq; enim fieri potest absolutione à Censura, quæ non est. Legantur cætera circa hanc materiam loco notato de *Pœnitentiâ.* *Resp.* *Differentia inter absolutionem à mortali in Confessione oblito, & à Censura etiã in Confessione oblita.*

427. Quæret tamen aliquis, an virtute huius generalis absolutionis à Censurâ *in quantum possum, & indiges*, maneat absolutus pœnitens, qui, vel voluntariè, reticet in confessione peccatum habens annexam Censuram, vel solùm petit in genere, & conditionaliter absolutionem à Censura, si fortè indigeat cum tamen re verâ indigeat, & ipsi constet se indigere? *Quæres.*

428 Respondet Suarius disp. illâ 7. de *Censuris*, sect. illâ 5. numero 20. & Filiucius Tract. 11. c. 9. numero 290. distinguendo; nam vel Confessarius est Iudex Ordinarius, vel delegatus, si est Iudex Ordinarius, & eo genere Confessionis contentus vult absoluere, validè absoluit, cùm potestatem habeat absoluendi, etiam si non rectè agat absoluendo, antequàm rem examinet, & videat, an pœnitens Ecclesiæ satisfecerit *Respondet Suarius cū distinctione*

to absolutionem coram duobus testibus, & Notario tradat Pœnitenti schedulam absolutionis, & quod Notarius testetur illam schedulam esse illius Confessoris, & coram eo, & duobus ibi nominatis testibus datam fuisse tali homini à tali Confessore tali loco, & die. Atque idem dicit esse faciendum, vt constet de satisfactione parti exhibitâ, scilicet, quòd fiat coram notario, & testibus, vel quòd pars ipsa illud coram ipsis testetur; quæ omnia debent fieri de licentiâ ipsius pœnitentis, sine cuius facultate nihil potest agere Confessarius.

357. Verum enim verò (vt rectè vidit Suarius) hæc omnia testimonia Notarijs, & testium solùm possunt deseruire, vt iuridicè constet illud esse testimonium talis confessoris, vel talis partis læsæ. Quapropter si ipsemet Confessor, & pars læsa adeint, & coram Iudice id affirmêt, & tantam fidem, imò maiorem facient. Quod si assertio ipsa Confessarij non sufficiat multò minùs illa Scriptura Tabellionis sufficiet.

358. Ipse ergo Suarius putat sufficere dictum Confessarij, vt constet de absolutione, & dictum partis, vt constet de satisfactione.

359 Sed certè, quamuis ad effectum aliquê, de quo loquutus est Nauarrus, sufficiat dictum Confessoris, vt postea dicemus; tamen in foro fori, seu contentioso nullo modo sufficit ad probationem legalem omnino requisitam iuxta c. *ficus nobis de sent. excommunicationis.* Item huic probationi potest obijci quod vel ipse Confessarius ex ignorantiâ fecerit, vel ex metu aut ex malitiâ, vel certè, quod eum pœnitens deceperit, dicendo se esse impotentem ad satisfaciendum, vel aliam falsam causam proponendo.

Secunda sententia negat prædictam absolutionem valere pro foro externo sed tantum pro interno.

360. Secunda sententia negat prædictam absolutionem valere pro foro externo; sed tantum pro interno conscientiæ. Ita Couarrub. lib. 2. *variarum*, cap. 10. numero 3. & c. *Alma*, p. 1. §. 11. numero 16. Ledesma, 2. p. 4. q. 25. art. vltimo circa finem, Gutierrez tomo, 1. *Quæstionum Canonicarum*, cap. 2. Acosta super Bullam, q. 50. & alij Recentiores. Probari potest, quia sicut Confessarius illicitè, & contra Ius naturæ faceret absoluendo Pœnitentem, qui iniuriam intulit alicui, nisi exhibeat satisfactionem, saltem possibilem parti læsæ; ita illicitè faciet, & contra Ius naturæ; si absoluat excommunicatum, qui per culpam Theologicam, & veram contumaciæ, vel saltem iuridicam; id est probabiliter putatam in Iudicio, inobediens fuit Iudici, & Ecclesiæ, & eos offendit; nisi priùs eisdem satisfacit Obediendo.

probatur 1.

361. Probari potest, 2. quia si talis absolutio prodesset in foro exteriori & iudiciali, plurimû detraheretur iurisdictioni Ecclesiasticæ fori externi & occasio daretur, atq; aperiretur via eam iurisdictionem frequenter contêmnendi, illudendi si publicè excommunicatus, & denuntiatus; à Confessore verò absolutus per Bullam, aut priuilegia, publicè se ingerat diuinis in contemptum Iudicis, cui non est congruè satisfactum; quamuis parti læsæ iam satisfactum sit. Vnde non est credibile Pontificem talem facultatem, quæ esset contra Ius ipsum naturæ, quippe quæ perturbaret debitum Ecclesiæ ordinem, & scandala pareret; voluisse Concedere Confessario per Bullam, aut priuilegia.

362. Probari potest. 3. quia satis constat non esse talem intentionem Pontificis, primò propter rationem immediatè factam: secundò, quia eam facultatem Pontifex concedit in omnibus Bullis, Iubilæis, & Priuilegijs in ordine ad absolutionem à peccatis, & ad lucrandam Indulgentiam prouidendo etiam animabus, & conscientijs pœnitentium, ne sint in peccato, & extra Dei gratiam: ad hunc autê finem sufficit, si in foro interiori à peccatis absoluantur, præmissâ prius requisitâ absolutione ab excommunicatione. Quòd si obtento hoc fine pro interiori foro, aliquis alterius non possit defectu probationis vel aliâ de causâ obtinere absolutionem ab excommunicatione in exteriori foro ideoque reputetur excommunicatus, patienter id ferat. quia (ut dixit D. Thomas de eo, qui iniustè in re est excommunicatus, sed iustè secundum allegata, & probata in eâ patientiâ multum meretur. Tertiò: quia, quando vult Pontifex absolutionem valere pro foro exteriori, id solet exprimere: ergo, quando id non exprimit, signum est tamen velle, vt valeat solum in foro interiori.

Probatur 3 ex intentione Pontificis.

363. Quartò probari potest assertio ex Couarrub. & Gutierrez quia iuxta stylum antiquissimum Curiæ Romanæ quoties absolutio aliqua committitur, pro foro etiam exteriori, id semper exprimitur, & fit compositio cum Datario. Quando verò petitur absolutio pro foro conscientiæ, committitur Confessario vt id expediat nullis testibus adhibitis, litteris statim lacerandis & sine compositione vllâ cum Datario.

Probatur 4. ex Stylo antiquissimo Curiæ Romanæ.

364. Probari potest. 5. ex declarationibus Pontificum; nam Gutierrez supra refert Gregorium XIII. in quâdam Bullâ Regno Portugalliæ concessa declarasse absolutionem à Censuris ab homine latis, vel ferendis, etiam satisfactâ parte, non valere, nec vlli prodesse in foro iudiciali, & Acosta testatur in Bullâ iam expressè Summum Pontificem declarasse absolutionem à Censuris ab homine latis, vel ferendis datam rigore Bullæ cruciatæ nemini in foro iudiciali prodesse: sed eum tandiu excommunicatum vbique & ab omnibus reputari debere: donec à suo Iudice absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Probatur 5. ex declarationibus Pontificum.

365. Notant autem Gutierrez, & Acosta Pontificem de Censuris ab homine solum dixisse, non valere pro foro iudiciali. Vnde colligunt, quod absolutio excommunicationis à Iure factâ per Bullam etiam valebit pro foro iudiciali, si probetur datam fuisse præmissâ satisfactione partis læsæ: ad quod valet probatio illa, quam adduximus ex Nauarro in primâ opinione. Atque hâc ratione testatur Acosta, se defendisse duos Presbyteros, qui se mutuò percusserant, & se iam reconciliatos fecerant absolui per Bullam: postea verò accusati fuerant à fiscali in iudicio, quòd celebrassent; atque adeò essent Irregulares. Iudex tamen sententiâ definitiuâ pronuntiauit illos legitimè fuisse absolutos, ac proinde non incurrisse Irregularitatem.

Notant Gutierrez. & Acosta.

366. Rectè autem advertit Auila infracitandus

Rectè aduertit Auila.

tandus si ante absolutionem per Bullam factam res deducta esset ad forum contensiosum: tunc nullo modo posse licitè dari absolutionem: nisi lis esset iam finita, vel in casibus & cum cautelis positis à nobis dub. præcedenti.

Ex his duabis Sententijs probabilibus posterior magis placet authori.

367. Ex his duabus sententijs omnino probabilibus hæc posterior mihi magis placet dummodo temperetur iuxtà doctrinam tradendam infrà assert. 2. & quidem satis mihi videtur clarè constare ex dictis pro secundâ sententiâ mentem Pontificis in Bullâ Cruciatâ, aut priuilegijs non esse, vt absolutio prædicta valeat pro foro contentioso, etiamsi ipse absolutè, & sine expressâ restitutione det facultatem. Ideò satisfactum puto primo, & secundo argumento primæ sententiæ: neque enim priuilegium. Principis est latè interpretandum, nec fauor amplandus; quandò id est contra tam manifestam sententiam Pontificis: Placet autem meã sententiam sequentibus assertionibus declarare.

Asserendum. 1.

368. Assero primò absolutio data à Confessario ab excommunicatione ab homine nominatim, vel ab excommunicatione à Iure deducta ad forum contentiosum in casibus explicatis dub. præcedenti assertione. 3. & in eius corollarijs inde illatis, quando scilicet in foro contentioso non potest à Iudice absolutio obtineri: non valet pro foro iudiciali, & contentioso, nisi in eo probetur sufficienter caussa rationabilis, & sufficiens, quæ interuenerit. Non probatur autem sufficienter per testimonium, seu dictum Confessarij, neque ipsius excommunicati, vt iam diximus explicantes secundam sententiam. Dixi, *nisi in eo sufficienter probetur*, quia, si sufficienter potest probari, Iudex cogetur omnino ut absoluat eum, vel certè declaret legitimè fuisse absolutum per Confessarium, vt patet ex. c. *Odoardus* de *Solutionibus*. & ex alijs Iuribus.

Responsio ad verba Pij. V.

369. Nec contra hanc assertionem nostram probant aliquid verba Pij. V. quæ pro se allegant Authores primæ sententiæ; responderi enim potest dupliciter: primò cum Gutierrez sensum illorum verborum esse, quod nisi in re satisfecerint parti læsæ quamuis in foro interiori possit absolui, non posse in exteriori. Itaque non poterit admitti ad Sacramenta, neque ad officia Diuina in publico, & coram alijs: si tamen realiter parti satisfecerit, poterit ad effectum lucrandi Iubilæum coram alijs, quo tempore non poterit Iudex eum repellere, etiamsi exteriori contumaciæ erga Ecclesiam nondum satisfecerit, nec subierit pœnam à Iudice imponendam, neque soluerit stipendia Iudicii, Tabellioni, aut alijs officialibus. Noluit enim (inquit Gutierrez) parti læsæ Pontifex suo Indulto præiudicari: sed tantum Iudici excomunicatori: quia, cùm Iudex habeat omnem suam Iurisdictionem emanatam à Sede Apostolicâ, Iure optimo potuit ei in hoc casu præiudicare, neque id facit in perpetuum, sed pro illo paruo tempore, & ad effectum tantum lucrandi Iubilæum, motus, scilicet, suo feruentissimo zelo. Vnde addidit quod postea reincidat, nisi etiam Iudici, & Ecclesiæ satisfecerit.

Responsio Authoris ad verba Pontificis.

370. Si hæc responsio illius Authoris non placeat: respondeo ex meâ sententiâ sensum verborum Pontificis esse, quod absolutio illa data per Iubilæum, vel priuilegia non prosit excommunicato in foro Iudiciali: nisi satisfecerit tam parti læsæ, quàm Iudici: verba enim quæ ex Pontifice referuntur, non sunt illa, *nisi parti satisfecerit*, sed alia ampliora scilicet. *nisi satisfecerint ijs, propter quæ Censuræ in eos latæ fuerunt.* Excõmunicatio autem lata fuit non solùm propter debitum parti: sed maximè, & proximè propter contumaciam, & inobedientiam. Atque hoc modo declaratus hic Motus proprius idem prorsus continet quod Gregorius XIII. declarauit in sua Bulla: nisi quod in Iubilæo addit Pius. V. quòd talis absolutio data vtique pro foro tantum interiori, & pœnitentiali vt dixerat in verbis antecedentibus, adhuc non sit perpetua: sed pro illo tempore: & ad effectum dumtaxat lucrandi Iubilæum postea verò reincidat, quousque plenè, & in re satisfaciat: reincidat autem in foro quidem exteriori, quamuis non sit negligens: in interiori verò, si fuerit negligens, & non aliter: atque cum hoc vltimo addito intelligunt hunc Motum proprium, & hanc reincidentiam Rodriguez in Bullâ Cruciatâ §. 9. num 58. Sed hoc vltimum de reincidentiâ; an, aut quomodo verum sit examinabimus dub. sequenti.

Asserendum. 2.

371. Assero. 2. prædicta absolutio data à Cõfessario ei, qui fecit, quod in se est, neque potuit obtinere absolutionem à Iudice, quamuis nullo modo illi prosit in foro exteriori contentioso, aut iudiciali, vt declarãrunt prædicti Pontifices, & ratio naturalis dicat; prodesse nihilominus potest illi pro foro exteriori non iudiciali, de quo nec verbum vllum loquuti sunt. Pontifices, vt patet ex verbis, quæ ex Pio V. refert Gutierrez, & ex Bullâ Cruciatâ; nam ad hoc, vt sine vllo peccato, & sine excommunicatione minori possint cum illo communicare alij fideles & admittere ad Sacramenta, & sacrificium Missę, sufficiet testimonium Confessarij dicentis se eum absoluisse propter impotentiam, vel aliam rationabilem causam, quando de oppositâ causâ non certò constat, & Parochus, seu alij Sacerdotes, qui certi sint de hoc, poterunt coram illis, qui sciunt admittere illum ad Sacramenta, & communicare cum illo in humanis, & in Diuinis; imò & Episcopus, alijque Iudices fori contentiosi possunt, si velint, etiam quoad forum exterius non iudiciale, communicare eius dictis, factis, & conuersationi publicæ, & tractare ipsum, quasi absolutum, & dissimulare eius excommunicationem; nisi pars læsa imploraret officium Iudicis in iudicio, quia in eo casu tenebitur Iudex iuridicè procedere; in quo iudiciali foro non sufficiet solum testimonium confessarii; proinde pœnitens, nisi maiorem habeat probationem, cautè procedat.

Vt quis sine vllo peccato possit cum Excommunicare sufficit testimonium Confessarij dicentis si ipsum absoluisse propter impotentiam &c.

Hæc sententia est. Nauarri.

372. Hæc sententia hoc modo explicata est, me quidem Iudice sententia Nauarri Cons. 23. tit. de *Pœnit. & remiss.* quam etiam sequitur Corduba in *Summâ*. quæst. 20. puncto. 3. & Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 2. littera. *V.* & lib. 13. de *excom*. cap. 27. num. 5. littera. *X.* & Auila. p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 12. §. *ex dictis sequitur.* & in fine dubij. Hanc sententiam multis rationibus probat Nauarrus suprà. Nobis sufficiat primo, quod Pontifices in suis declarationibus solum

ſolum dixerint non prodeſſe talem abſolutionē in foro ſoti contentioſo, ſeu iudicario; non tamen dixerint abſolutè in foro exteriori. Secundo quod (vt notat Acoſta in Bullâ) non dixerit Pontifex quod in foro exteriori iudiciali erit excommunicatus; ſed, quod debet vbique & ab omnibus reputari excommunicatus; ac, ſi ſacerdos erat, debet abſtinere à celebratione. Quare (inquit Acoſta) debent maximè Iudices in ferendis ſententijs aduerſus eos, qui excommunicati ab homine ante Iudicis abſolutionem celebrârunt, temperare rigorem, ſi illis conſtiterit ante celebrationem virtute Bullæ Cruciatæ fuiſſe abſolutos, ſi quidem reipsâ non inciderunt in veram, ſed ſolùm in præſumptam Irregularitatem, imò (vt ait Henriquez ſuprà) in iſto caſu Iudex deberet eſſe benignus, & repellere Fiſcalis accuſationem. Quæ omnia Nauartus probat, quia boni viri eſt nemini nocendo alicui prodeſſe, vel velle prodeſſe, argumento cap. 2. de *poſtulat.* atq; hâc de re latè & optimè tractat Maſcard. de *Probat.* tom. 1. concl. 12. & legi poſſunt alij, quos referemus in fine dubitationis 35.

Addit Acoſta.

373. Addit Acoſta, quòd in caſu, quo Iudex excommunicator longiſſimè diſter, videtur ſufficere abſolutio data, vt ſecurè, & tutò poſſit publicè cum alijs agere, & celebrare, aut intereſſe Diuinis, dummodò publicè intimetur talis abſolutio ijs, qui illius excommunicationis habebant notitiam, neque tenentur ſe præſentare pro contumaciâ tantùm præteritâ, primò, quia iam paret, & nulla ſequitur perturbatio, neque ſcandalum; quæ fuit ratio propter quam voluit Summus Pontifex, vt in foro exteriori proprio Iudici præſentetur. Secundò nam in hoc caſu idem eſt abeſſe proprium Iudicem, atque non eſſe. Tertiò quia non eſt credibile Pontificem fideles ſuos maximè pauperes tanto onere; & cum tanto rigore velle obligare, maximè, quando non ſequitur ſcandalum.

DVBITATIO. XVII.

An virtute Bullæ, vel alterius Priuilegij abſolutus de conſenſu partis, vel ſine illo cum cautione poſſibili præſtitâ ſub onere ſatisfaciendi reincidat in excommunicationem, ſi, cùm poſtea poteſt, non ſatisfacit?

Prima Sententia affirmat reincidere.

374. PRima ſententia affirmat reincidere. Ita Corduba in *Summâ* qu. 20. puncto. 3. & 4. nam in illis videtur ſequi primam opinionem quam puncto 2. expoſuerat, & videntur tenere Suarius diſp. 7. ſect. 8. num. 24. referens pro eâ Vgolinum Tabula. 1. c. 10. §. 4. Huic etiam opinioni videtur fauere Couarrub. c. *Alma mater.* p. 1. §. 11. num. 6. in fine, quatenus. cap. *eos qui.* poſtea citandum extendit ad omnes excommunicatos à Iure, vel ab homine ſub onere ſatisfaciendi. Videtur etiam conſentire Rodriguez tom. 1. *Quæſtionum Regularium.* qu. 61. art. 6. quatenus aſſerit Confeſſarios electos per Bullam, & Mendicantes per ſua priuilegia poſſe abſoluere excommunicatos ab homine particulariter propter debitum de conſenſu partis ad reincidentiam, & pro certo tantum tempore, quo tranſacto reincidant: Atque hoc modo poſſe abſoluere inconſulto Iudice, & ſine eius conſenſu. Pro quâ ſententiâ citat Canoniſtas, quos tamen non puto loqui in iſto caſu.

Probat primò Corduba ex c. cui licet de Regulis Iuris in 6.

375. Probat primò Corduba, quia cui conceditur maius conceditur minus ex. c. *cui licet.* de *Regulis Iuris.* in. 6. ſed per Iubilæa, Bullam Cruciatæ, & priuilegia Mendicantium conceditur facultas abſoluēdi in totum ſatisfactâ parte; ergo & facultas abſoluendi ad certum tantum tempus, ſeu ad reincidentiam, quod minus eſt.

Confirmatur.

376. Confirmatur, quia cui competit poteſtas abſoluendi, competit etiam poteſtas ligandi, cum vtrumque à Iuriſdictione pendeat, vt probat Gloſſ. *Celebru.* cap. *cum dilectus.* de *conſuetud.* ſed prædictis Confeſſarijs competit per priuilegia dicta poteſtas abſoluendi: ergo & ligandi.

Probat. 2. Corduba.

377. Probat. 2. Corduba, & Suarius, & Vaſquez de *Excommunicatione* dub. 18. ex. cap. *Eos qui.* §. *Idem ſtatuimus.* de *Sent. Excom.* in 6. vbi de omnibus abſolutis, etiam ab ipſo Pontifice, vel eius legato cum obligatione ſe præſentandi ſuis Ordinarijs, ſi cum primùm poſſint, non ſe præſentent, vel non ſatisfaciant, ſtatuit Pontifex quòd reincidant: ergo eâdem ratione reincidet abſolutus in noſtro caſu.

Probant 3. Vgolinus & Suarius.

378. Tertiò probant Vgolinus, & Suarius ex quibuſdam declarationibus Pontificum Pij. V. Gregorij XIII. & Sixti. V. in ſuis Iubilæis.

Probat. 4. Rodriguez.

379. Quarto probat Rodriguez; quia, cùm Iudex talem excommunicationem tulerit ad petitionem partis, id, quòd pars concedit, & indulget, Cenſetur Iudex concedere, & indulgere.

Probatur 5.

380. Quintò probari poteſt; quia; niſi abſolutus reincideret poſteà quando culpabiliter negligens eſt, redundaret talis abſolutio in detrimentum creditorum, quibus incredibile eſt velle Pontifices per prædicta indulta præiudicare.

Secunda Sententia communis & probabilior.

381. Secunda ſententia communis, & longè probabilior eſt, quod abſoluti, ſiue de conſenſu partis, ſiue præſtitâ cautione ſatisfaciendi per Bullam Cruciatæ, vel per priuilegia mendicantium nullo modo reincidant in excommunicationem, etiamſi poſtea culpabiliter non ſatisfaciant. Ita Sotus in. 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. concluſ. 2. Nauartus. cap. 27. numer. 15. & 277. Henriq. lib. 6. cap. 10. in fine littera. K. & lib. 7. cap. 28. littera. R. num. 2. & lib. 13. cap. 20. num. 1. in fine. Sà verb. *excommunicationis abſolutio.* num. 9. Antonius Gomez *ſuper Bullam.* ad clauſulam 10. num. 27. qui citat Ioan. Gutierez allegat. 9. per totam Rodriguez *ſuper Bullam.* §. 9. n. 57. Auila p. 2. c. 7. diſp. 3. dub. 10. in fine. & dub. 14. Acoſta *ſuper Bullam.* q. 51.

Probatur hæc Sententia.

382. Probatur hæc ſententia, me quidem Iudice, efficaciter; quia per Bullam Cruciatam, & per priuilegia Mendicantium eorum conceditur poteſtas abſoluta ad abſoluendum à Cenſurâ ſimpliciter; ergo Confeſſarius electus per illa non poteſt ad reincidentiam. Probo conſequentiam; quia plus eſt abſoluere ad reincidentiam, quam abſolutè abſoluere quoniam abſoluere ad reincidentiam inuoluit poteſtatem

excom-

excommunicandi in casu reincidentiæ, Confessario verò per Bullam, & per dicta Priuilegia nulla datur potestas excommunicandi; ergo neque absoluendi ad reincidentiam.

Confirmatur. 383. Confirmatur hoc ex cap. *Ad reprimendam* de *Officio Ordin.* vbi requiritur noua sententia, quando absolutus erat cum obligatione satisfaciendi. Confirmatur secundò ex. cap. *ad hæc.* de *Rescriptis*, & adhuc expressiùs ex. cap. *super eo.* de *officio Delegati* Ex quibus patet, quod hæc priuilegia strictè sunt interpretanda, & restringenda ad id, quod expresse conceditur.

Dices. 384. Dicet tamen aliquis talem sic absolutum saltem reincidere per Ius commune Canonicum, vel per sententiam Pontifices declaratam ab ipsis. *Resp.* Respondetur negando etiam ex hoc capite reincidere, vt patebit ex solutione argumentorum, præsertim secundi, & tertij.

Ad primum argumentũ Resp. 385. Ad primum igitur argumentum respondetur concedendo Maiorem, & minorem, negando verò consequentiam; & ad probationem negando esse plus absoluere absolutè, & in perpetuum, quàm absoluere ad reincidentiam, quia (vt diximus) hæc absolutio ad reincidentiam inuoluit etiam potestatem excommunicandi, quæ nullo modo datur per Bullam, delegatus autem nihil habet, nisi, quod ei conceditur.

Ad Confirmationem Resp. 386. Ad confirmationem respondetur quod loquendo de habente potestatem Ordinariam vera est maior, non verò de habente delegatam, qualem habent prædicti Confessarij, quia delegatus non habet; nisi, quod ei datur.

Ad Secundum argumentum. 387. Ad secundum argumentum respondetur in c. *Eos, qui* tantum prædictum absolutum à Papa, vel ab eius Legato cum obligatione satisfaciendi iniuriam passis, si cùm possit, non satisfaciat, reincidere. Vnde (vt expressè notant Caietan. verb. *Excom.* ca. 69. & Nauarrus c. 27. n. 113.) Textus ille in eâ secundâ eius parte, vbi loquitur de absolutis cum obligatione satisfaciendi parti læsæ, tantùm loquitur de absolutis à Papa, vel eius legato, quia hi tantum reincident ex vi huius Textus; non verò reincident, qui sub obligatione, de quâ agimus absoluuntur à delegato Papæ, vel ab Episcopo, vel ab alijs; per legâtum autem (vt ait Nauarrus) intelligitur Nuntius Papæ, & qui mittitur generaliter ad omnes causas alicuius Prouinciæ. Vnde Confessarius electus per Bullam: aut priuilegia, non legatus, sed delegatus est ad causas speciales. Cui doctrinæ Caietani, & Nauarri fauet c. *Ad reprimendam de offic. ordin.* eandemq; sententiam sequitur eum alijs; quos citat Henriquez lib. 3. c. 29. litera *V.* in Gloss.

Ad tertium argumentum. Resp. 388. Ad tertium argumentum ductum ex declarationibus Pontificum neminem video respondere: nisi Henriquez in priori loco citatus qui in Glossa respondet ignorantiam harum declarationum excusare, ne sic absoluti reincidant. Item ait solùm videri durasse eorum declarationem pro tempore horum Pontificum, & non ampliùs.

Hæ responsiones non satisfaciunt authori. 389. Mihi tamen hæ responsiones non satisfaciunt; quia ignorantia solùm excusat inuincibiliter nescientes; nō verò scientes, aut vincibiliter, ignorantes; maximè cùm hoc omnes Confessarij teneantur scire, & saltem cum dubitans, diligentiam adhibere. Secundæ verò responsioni obstant verba Pij V. quæ *dub. præcedenti* ex Gutierrez attulimus; ait enim Pontifex, se id declarare pro omnibus similibus concessionibus in præteritum emanatis, & in futurum à Sede Apostalica emanandis, & ob id à compilatore Motuum propriorum ponitur istud Iubilæum inter motus proprios huius Pōtificis, vt fatetur ipse compilator, & refert Gutierez.

390. Respōdetur ergo persimiles concessiones solùm intelligi cōcessiones factas per Iubilæa, in quibus facultas absoluendi Censuris solùm conceditur ad effectum lucrandi Iubilæum, & pro illo tantùm tempore. Vnde illo effectu consequuto, statim reincidunt; quod verum esset ex ipso Iure communi, etiamsi Pontifices non declarassent: quia hæc potestas non operatur vltra intentionem illam concedentis, vt patet ex multis Bullis Pontificum, in quibus esse solet illud genus absolutionis, de quo diximus in præcedentibus, dum conferunt aliquam gratiam. v.g. beneficia, & absoluunt beneficiarium à quacumque Censura ad effectuum tantum collationis. Et patet etiam ex c. *veniens* 2. de *Testibus.* vbi habetur, quod Iudex Ecclesiasticus alicuius causæ particularis potest absoluere aliquem ab Excommunicatione solùm, vt in eâ ferat testimonium, quando aliud sufficiens haberi non potest. Vbi Abbas *n.* 18. & alij Canonistæ docent statim reincidere; quod etiam docet Nauarrus c. *Ita quorumdam de Iudic.* Notab. 11. n. 18. & Vgolinus tabul. 1. c. 4. §. vltimo n. 18. Imò (vt doctè probat Suarius de *Censur.* disp. 7. sect. 8. n. 22.) in eandem excommunicationem reincidit sine nouâ sententia, & sine nouâ contumacia, sed propter solam præteritam, in quâ illa excommunicatio fundata fuit. *Responsio authoris.*

391. Non sunt autem similes concessiones, quæ habentur in Bullâ Cruciatâ, & in Priuilegijs Mendicantium, vbi potestas absoluendi absolutè conceditur & in fauorem animarum & ex fine, qui semper durat, scilicèt, vt possint absolui à peccatis ablato impedimento Censuræ, &, vt cōstitutæ in statu gratiæ non careant suffragijs Ecclesiæ, saltèm, quoad Deum & in foro conscientiæ. Quam doctrinam videtur sequi Auila *p.* 2. *c.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. & clariùs Gutierrez *dicto c.* 2. *in fine tomo* 1. *Quæstionum Canonicar.*

392. Ad quartum argumentum factum à Rodriguez respondeo primò Hostiensem, Ioan. Andr. & alios Canonistas, quos ipse retulit, non loqui in casu nostri dubij, quando videlicet excommunicatus absoluitur à delegato de consensu partis ad reincidentiam; sed in casu, quo debitor nondum incurrerat excommunicationem, impositum verò erat illi præceptum ab ordinario, vt intra mensem satisfaceret sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, & pars sine consensu Iudicis ante incursam excommunicationem prorogat illi terminum concedens illi inducias vnius hebdomadæ sine consensu Iudicis; tunc enim (aiunt Canonistæ) in ea hebdomada non erit excommunicatus; Quâ de re nos etiam diximus *disp.* 2. dub. 25. nu. 364. pro quâ sententia alios retulimus, & sequuti *Responsio ad argumentũ Rodriguez*

sumus. Tractatu verò hebdomada incidet in excommunicationem, & ibidem probauimus.

Docent Canonistæ.

393. Idem docent prædicti Canonistæ vt refert Antonius Gomez super Bullam Cruciatam clausulâ 10. n. 26. quando absolutus erat ille excommunicatus à sua ordinaria per vnum tantum mensem ad reincidentiam, vt eo transacto reincidat, & pars sine consensu Iudicis prorogat illi vnam hebdomadam; est enim eadem ratio, quæ in priori casu.

Contra hanc opinionē docent Abbas Felinus & alij Canonistæ.

394. Contra hanc verò opinionem, quod scilicèt nunquam reincidat, docet Abbas Felinus, & alij Canonistæ, quos retulerat Gomez n. 25. cum quibus sentiunt Syluest. Nauarrus, & alij Summistæ, vt diximus *disp. 2. dub. 17. §. Quæret tamen aliquis nu.* 226. & sequentibus, ex contrario scilicèt fundamento; quia non præsumitur voluntas Iudicis, vt post transactum secundum terminum à solâ parte prorogatum ipso Iudice inconsulto incurrat. Cuius oppositum nos ibi probauimus. Habemus ergo ex his nullum ex Authoribus quos citat Rodriguez *in 4. argumento*, cui respondemus, loqui in nostro casu; quod ipse etiam procul dubium vidit; sed ipse sumpsit argumentum ab illâ opinione priori; nam, si illa vera est, vel saltem probabilis, etiam verum erit, vel saltem probabile, quod eodem modo in nostro casu absolutus per Bullam, vel Priuilegia Mendicantium de consensu partis pro determinato tempore reincidat illo transacto, & similiter absolutus cum cautione sub obligatione satisfaciendi reincidat, cùm primùm fuerit culpabiliter negligens ex voluntate præsumptâ Iudicis, iuxta illud, quod ex ipso, & alijs retulimus loco notato.

Respondetur secundò.

395. Respondetur tamen secundò, etiamsi vera esset prior illa opinio, non inde sequi idē fore dicendum in nostro casu; est enim latum discrimen inter vtrumque, vt optimè docet Suarius *disp. illa 7. sect. 8. n. 22. & 23.* nam longè diuersum est præceptum satisfaciendi de futuro intra certum tempus sub pœnâ Censuræ ipso facto incurrendæ, & Censuram iam esse contractam; in priori enim casu (qui proprius est casus illius opinionis, si pars in cuius gratiam Censura conceditur, consentiat, & differat tempus solutionis, id satis erit, vt non incurratur Censura, etiamsi nullus exerceatur actus Iurisdictionis; nam satis est, quòd materia præcepti, ex cuius transgressione pēdet Cēsura ita mutetur, vt præceptum pro eo tempore non obliget, (sicut mutaretur in eodem casu materia iuramenti si iurasset transacto illo tempore soluere debitum) nam hoc ipso cessat contumacia, ideoque illo tempore non censetur esse transgressio: elapso verò tempore à creditore prorogato, iam adest transgressio; quia præceptum erat negatiuum non differendi solutionem vltra tempus concessum; atque adeò transacto illo spatio obligat semper, & pro semper. Vnde incurritur Censura annexa tali transgressioni per expressam voluntatem Iudicis. In secundo verò casu Censuræ contractæ, de quo nos loquimur, non sufficit sola partium concordia, vt tollatur Censura, sed omnino est necessarium exercere actum Iurisdictionis, scilicet absolutionis, vt tolleratur, & impositionis Censuræ vt postea reincidat. Cùm autem Confessarius electus tantum habeat potestatem absoluendi non autem ferendi Censuram, non potest absoluere ad reincidentiam, licèt possit absolutè absoluere.

Præsumptā voluntas Iudicis non sufficit neq; ad tollendā neq; ad ferendam Censuram.

396. Præsumpta autem voluntas Iudicis nullo modo sufficit neque ad tollendam, neque ad ferendam Censuram, imò neque voluntas ipsa actualis, & expressa, si sit merè interior, & nō sufficienter exterius manifestata, vt probauimus loco citato. Vnde opiniones illæ non sunt fundandæ præsumptâ voluntate sed in expressâ, & manifestatâ exterius.

Responsio ad quintum argumentū.

397. Ad quintum argumentum respondetur Pontifices posse, & debere potiùs pijssimè prospicere bono animarum spirituali, quàm temporali corporum; maius tamen bonum commune esse, quod sequitur animabus debitorum ex prædicta absolutione, quàm sit temporale commodum creditorum ex negatione talis absolutionis, maximè cùm absolutio non detur; nisi facientibus, quod in se est, quos non vult pia mater Ecclesia tenere ligatos. Accedit quòd adhuc illis non datur absolutio; nisi cum cautione saltem iuratoriâ. Vndè remanent satis obstricti. Vlteriùs nulla fit creditoribus iniuria, quia pro damnis temporalibus non vult Ecclesia, vt feratur excommunicatio; nisi raro, &, quando alia remedia non suppetunt. Sicut ergo à principio potuit Iudex non excommunicare, sed alijs remedijs vti sine vllâ iniuriâ partis, quæ postulabat Censuram ferri; ita postea, sine vllâ iniuriâ potest imò, & debet tollere excommunicationem, quando debitor iam paret, & facit, quod potest. Prudentissimè autem hoc committitur Confessario pro foro conscientiæ, quia in foro contentioso sæpe non potest miser debitor obtinere absolutionem, vel ex defectu probationis, vel ob paupertatem, quando expensæ sunt faciendæ. Ex traditâ iam doctrinâ pro secunda opinione placet nostram sententiam sequentibus assertionibus declarare, quæ, ni fallor pro re morali, & praxi in negotio absolutionis ad reincidentiam notatu dignæ sunt.

Facientes quod in se est non vult Ecclesia tenere ligatos.

Prima assertio.

398. Prima assertio. Quoties quis absoluitur absolutè, siue à suo Iudice, siue à Confessario delegato cum cautione, & obligatione satisfaciendi, etiamsi postea culpabiliter non satisfaciat, nullo modo reincidet; nisi de nouo excommunicetur ab habente potestatem, Ratio est quia (vt supponimus) absolutio non fuit data limitatè ad aliquem effectum, neque ad certum tantum tempus, neque cum expressione reincidentiæ & c. *eos, qui de sent. excom.* in 6. (vt patet ex responsione ad secundum suprà datâ) tantum loquitur de absolutis ab ipso Pontifice, vel ab eius Nuntio cum obligatione satisfaciendi, vel comparendi; de ijs enim verum est, quod re incidenr, etiamsi absolutè fuerint absoluti sine vllà mentione reincidentiæ, vt explicatum est; tamen, vt incurrant, necessaria est noua culpa, vt patet ex ipso Textu. Quæ sententia est communis Auctorum, vt constat ex Couarrub. c. *Alma, p. 1. §. 11.* numero 6. & apertè colligitur ex c. *Ad reprimendam de officio Ordin.*

Ratio assertio.

399. Secunda assertio. Omnis excommunicatus, qui ob imminens periculum mortis, vel ob

aliud

aliud legitimum impedimentum absoluitur ab eo, qui cessante impedimento, non poterat eum absoluere, reincidet postea si cum potest non se præsentat suo superiori, à quo erat absoluendus. Habetur in c. *eos, qui de sent. excom.* in 6. & in alijs Iuribus iuxta dicta suprà dub. 11. §. *Tertia ergo conditio*, & sequentibus & docent omnes Auctores, ut sæpe notauimus iuxta dicta Tract. 8. de *Pœnit.* disp. 11. dub. 14.

Tertia assertio. 400. Tertia assertio Absolutus per Bullam Cruciatam vel per priuilegia Mendicantium cũ cautione, & obligatione satisfaciendi non reincidet, etiamsi postea culpabiliter omittat satisfactionem; patet ex ijs, quæ diximus pro secunda opinione; quam assertionem verissimam puto, etiamsi de consensu partis expresse fuerit absolutus ad reincidentiam pro tempore aliquo determinato. Ita expresse docent Sotus, Henriquez, Rodriguez, Gomez, Acosta, Auila suprà citati in secunda opinione. Atque inde rectè colligit Auila, quod Confessarius non debeat sic absoluere ad petitionem partis, nisi prius admoneat partem, quod non reincidet; alioquin deciperet partem; quod maximè puto verum, quando alioquin pars non consentiret in absolutionem, nisi putaret fore, vt reincideret. Aduertit etiam Auila rectè, quòd neque Episcopus ipse, seu Vicarius, aut Prouisor eius potest per Bullam Cruciatam absoluere percussorem Clerici cum obligatione satisfaciendi ad reincidentiam in excommunicationem reseruatam Papæ; poterit tamen ad reincidentiam ita, vt reincidat in excommunicationem, quam ex tunc ipse ferat, nempe, quia ad hoc habet potestatem, & Iurisdictionem ex suo munere Episcopi, vel Vicarij; non tamen ad illud, in quo solùm est delegatus electus.

Rectè colligit Auila.

Aduertit deinde rectè Auila.

Quarta assertio. 401. Quarta assertio. Per Iubilæa concedentia Confessarijs ad effectum dumtaxat consequendi Iubilæum benè possunt absolui ad reincidentiam, imò non possunt aliter absolui. Patet hæc assertio ex dictis ad tertium argumentum, & ex declaratione Pij. V. in eodem tertio argumento relatâ.

Patet & hæc assertio ex declaratione Pij V.

Quinta assertio. 402. Quinta assertio, si absolutio detur ad aliquem tantum actum, vel effectum determinatum, vel pro aliquo tempore determinato independenter ab omni conditione, vel actione ipsius absoluti ab ipso præstandâ; tunc transacto illo tempore, & consummato tali actu, & effectu statim sine nouâ culpâ, sed propter priorem contumaciam incurritur excommunicatio eadem, quæ prius fuerat. Ratio est; quia ea fuit expressa intentio absoluentis, secùs illa absolutio non esset limitata ad tempus, vel actum, seu effectum determinatum duntaxat; vt bene probat Suar. disp. illa 7. sect. 8. numero 21. atque ita posse fieri absolutionem probauerat, numero 18. & 19. Hæc assertio est contra Authores infrà citandos sequenti assertione.

Ratio assertionis.

403. Talis est absolutio, quæ datur in Iubilæis, & quæ habetur in c. *veniens*, & 2. de *testibus* & quæ solet dari in Bullis Pontificijs *ad effectum præsentium dumtaxat consequendum* vt contingit in collatione beneficij imò (vt iam alibi notauimus) credo in his non tolli excommunicationem quoad alios effectus, sed tantum, quoad inhabilitatem ad recipiendum Beneficium vel aliquem alium effectum litterarum Apostolicarum, in quibus ad talem effectum dicitur absolui; solùm enim conceditur, vt possit licitè & validè talem effectum obtinere; quoad reliquos verò effectus manet excommunicatio. Si verò absolutio detur, vt simpliciter valeat, & perpetua sit sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid faciendi intra certum tempus, quo transacto, & non impletâ conditione iterum incidatur in Censuram, Philosophandum est iuxta sequentem assertionem.

404. Sexta assertio. Transacto ille tempore, & non impleta conditione ob culpam debitoris incidit talis debitor in excommunicationem; cuius absolutio lata erat sub conditione satisfaciendi ad reincidentiam; si non satisfaceret. Si verò sine culpâ debitoris ob impotentiã, vel aliam causam non impletur conditio, licèt in foro exteriori reincidat, & reputetur excommunicatus, & ipse se debeat, vt talis gerere; in foro tamen conscientiæ, & quoad Deum non reincidet. Ita docent tàm in casu quintæ assertionis, quàm in hoc Sextæ Corduba in *Summâ*, q. 20. puncto, 3. Rodriguez in Bullâ, §. 9. numero 58. Henriquez lib. 13. cap. 29. numero 3. in Glossa littera. *V.* Auila, 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 14. conclus. 1. citans Bannez & alios, qui inde probant; quia excommunicatio re ipsâ, & coram Deo nulla incurritur sine contumaciâ: ergo nec potest homo reincidere in illam; nisi reincidat in contumaciam. *Sexta assertio.* *Ratio assertionis.*

405 Hæc tamen ratio parum efficax est; facilè enim negari potest consequentia; quia, quamuis numquam excommunicatio de nouo cõtrahi possit sine reali, & verâ cõtumacia sicut re verâ non incurrit excommunicationem, qui non est soluendo, quantumuis præceptum soluendi sub excommunicatione latæ sententiæ sit impositum; tamen post contractam excommunicationem; sicut semper manet in excommunicatione, etiamsi factus sit impotens ad soluendum, & etiamsi habeat contritionem, & à contumaciâ recedat; excommunicatio enim non cessat; nisi tollatur per absolutionem; ita quando tollitur, non absolutè, & pro omni tempore; sed sub conditione soluendi intrà præfixum, & determinatum tempus; posset quis in illam reincidere non soluendo; etiam ob impotentiam, & sine nouâ culpâ, propter culpam præteritam; si enim Iudex velit tantùm hoc modo absoluere, procul dubio potest, & tunc sine nouâ culpâ reincidet; quia sicut posset omnino, & absolutè non absoluere præsertim, si impotentia non esset probata in foro Iudiciali; ita posset absoluere pro certo tempore sub illâ conditione ita, vt conditione non sequutâ, etiamsi ne culpâ debitoris, reincidat. Imò, quòd de facto habeat illam intentionem Iudex, & quod sine nouâ culpâ reincidat debitor, etiam in hoc casu sextæ assertionis nostræ docet Suarius citatâ sect. 8. numero 27. & probat primò, quia conditio posita talis est vt sine culpâ omitti possit, & in modo, vel verbis, quibus ponitur, non indicatur vllus respectus ad nouam culpam negligentiæ. Probat secundò quia hic modus absoluendi ad reincidentiã communiter fit ex consensu partis læsæ; quæ tamen non consentit, nisi isto modo detur absolutio, & alio modo non consentiret;

Ratio hæc est inefficax.

Excom. non cessat nisi tollatur per absolutionẽ.

quia vergeret in eius præiudicium: ergo nec Iudex alio modo intendit absoluere. Tertiò, quia quando superior alio modo absoluere intendit cum respectu ad culpam, id solet explicari in conditione, quæ ponitur non determinando tempus; sed hoc modo; *si cùm primùm possis, non satisfeceris, & cùm parueris, &c. reincidas*, vt patet ex c. *eos qui de sententiâ excom.* in 6. & exalijs Iuribus, quare in isto casû (ait Suarius) ante lapsum præfixum terminum recurrendum est ad ipsum Iudicem, & petenda absolotio simpliciter, vel saltem dilatio termini, quam ille in conscientiâ tenebitur concedere, si sufficienter probetur impotentia soluendi; si autem non concedat, recurrendum erit ad Superiorem, quia aliàs non poterit curari Censura, sicut Censura semel contracta non tollitur sine absolutione, etiamsi iniustè negetur.

Differentia quæ est inter casum quintæ & sextæ assertionis.

406. Ego nihilominus eam agnosco differétiã inter casum quintæ, & sextæ assertionis, quod in casu quintæ intentio Iudicis est expressa, quia solùm tollitur excõmunicatio ad aliquem effectum, vel actum, vt statim sine vllâ conditione pendente à voluntate ipsius excommunicati reincidatur; at verò in casu sextæ assertionis non est expressa intensio Iudicis cùm reincidentia ipsa ponatur dependenter ab aliquo faciendo, vel omittendo per ipsum excommunicatum; & quamuis non explicetur an culpabiliter requiratur, vel inculpabiliter illud faciendum, vel omittendum; semper nihilominus de Iudice præsumendum est potiùs velle se accommodare intentioni Ecclesiæ, quàm partis, & potiùs velle, quod Ecclesia vult, quàm quod pars ipsa: omnino autem credendum est piam Matrem Ecclesiam non velle filios suos sine contumaciâ, & culpâ esse ligatos tam graui pœnâ, quanta est excommunicatio, quæ tot, ac tanta detrimenta spiritualia affert in animam, & potius velle prospicere bono animarum quam commodis temporalibus aliorum. Ex quo patet probabilitas sextæ assertionis, non negatâ maximâ probabilitate sententiæ Suarij, qui eodem modo philosophatur, vt vidimus in casu sextę assertionis; atque in casu quintæ.

DVBITATIO XVIII.

An per Bullam Cruciatam, aut per Priuilegia Mendicantium possit quis absolui ab excommunicatione extra confessionem? & in vniuersum: an absolutio Censuræ valeat extra Confessionem?

407. IDeò præcipuè quærimus per Bullam, aut Priuilegia, quia quando Confessor absoluit tanquam habens iurisdictionem ordinariam potest hoc facere extra confessionem; imò qui ad id habet facultatem delegatam ex commissione Iudicis etiam id potest extra confessionem, dummodo non restringitur ad ipsam Confessionem, facultas enim absolutè, & generaliter data sine restrictione ad forum confessionis non est restringenda ad illud forum; sicut è contra habens facultatem limitatam absoluendi tantum in Sacramentali confessione, seu confessione diligenter auditâ, ut communiter datũ in Iubilæis, non potest absolutionem conferre extra Confessionem; omnis enim facultas, & iurisdictio commissa exercenda est iuxta voluntatem committentis. Ita Vasquez de *Excommunic.* dub. 20. n. 9. Suarius disp. 7. sect. 5. n. 36. Filliucius Tract. 11. c. 9. quæsito 8. n. 294. & alij communiter.

408. Quod si daretur casus, in quo quis habens facultatem absoluendi solùm in sacramentali confessione à Censuris, & collatâ absolutione Censurarum moreretur, vel vocẽ amitteret, aut casu moreretur pœnitens ante impensam absolutionem peccatorum, valida esset absolutio Censuræ. Nam absolutio data fuisset simpliciter, & absolutè à confessario habente intentionem absoluendi etiam à peccatis vt supponitur in casu. Ita Suarius loco citato Henriquez lib. 2. c. 30. n. 6. & alij apud Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 15. n. 25. & disp. 34. n. 30. vbi addit (quamuis in contrarium sentiant Vasquez & Filliucius loco citato, Nauarr. c. 26. n. 31. & alij) probabile esse absolutionem Censurarum valere extra confessionem, quamuis in concessione facultatis dicatur *auditis confessionibus absoluantur à peccatis & Censuris annexis*. Illa enim particula *auditis confessionibus* refertur ad absolutionem à peccatis. Quod etiam probabile censet Coninc disp. 14. dub. 16. n. 253. & probabile mihi videtur.

Parochus potest extra confessionem absoluere ab excommunicatione non reseruata.

409. Ex dictis habemus Parochum posse extra Confessionem absoluere ab excommunicatione non reseruatâ, quia eius Iurisdictio est ordinaria. Ita præter citatos docet Rodriguez *in Bullam* §. 9. n. 54. citans Syluestrum, & alios. Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 13. qui addit ab excommunicatione minori quemcumque posse absolui extra Confessionem.

Dubium.

410. Sed antequã ad priuilegia particularia descẽdo, generaliter examinare oportet an habens facultatem absoluendi à Censuris in foro conscientiæ possit illarum absolutionem impendere extra Confessionem, etiamsi non absoluat à peccatis?

Responsio vera.

411. Aliqui sentiunt non posse, & aliqui id videntur supponere, confundentes forum cõscẽtię & forũ Sacramentale. Oppositũ tamen est verũ, & communiter receptum. Ita Sanchez in finali de dispositione faciendâ in foro conscientiæ lib. 8. de *Matrim.* disp. 34. n. 29. & Praxis Neapolitana c. 66. n. 18. Auila 2. p. 7. disp. 3. dub. 13. Henriquez dub. 7. c. 13. n. 2. Suar. de *Religione* tomo 2, Tract. 6. lib. 6. c. 16. n. 4. Rodriguez tomo 1. Regulatium q. 20. art. 7. Coninc. disp. 14. dub. 16. n. 252. & 253. & alij. Qui omnes expressè concedunt, quoties non exprimitur in facultate absoluendi restrictio quòd tantum vt in foro Sacramentali, valere absolutionem Censuræ, etiamsi non sit in foro Pœnitentiæ. Ratio est quia forum conscientiæ non necessariò includit forum Sacramentale; sunt enim distincta hæc duo; nam actus fori conscientiæ exerceri potest extra forum Sacramentalis Pænitentiæ; illud enim censetur fieri in foro conscientiæ, quod fit secretò, & vt non valeat in foro externo; sed tantum coram Deo, vt fatetur

Forum conscientiæ & Sacramentale distinguuntur.

Nauar-

Nauarrus lib. 5. tit. de *sentent. Excomm.* cons. 15. ad 2. q. & probat manifestè stylus, & vsus Curiæ Romanæ, vbi Pœnitentiarij frequēter absoluunt sine litteris à Censuris extra Confessionem per facultatem sibi factā à summo Pœnitentiario ad absoluendum tantum in foro conscientiæ, & etiam Episcopi absoluunt extra Sacramētum Pœnitentiæ à Censuris occultis Pontifici reseruatis per facultatem factam à Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. de *reformatione.* Legantur Sanchez. & Aula locis citatis, vbi alios plures referunt pro hac sententiâ.

Dubitatio 2. 412. Dubitari autem potest an habens facultatem absoluendi in foro Pœnitentiæ possit absoluere Sacramentalem Confessionem, quoties absolutio cadit suprà materiam, ad quam per se non requiritur absolutio Sacramentalis?

Resp. multi probabiliter. 413. Affirmant multi satis probabiliter, cùm non intelligatur restrictio præcisse ex illis verbis concessionis talis facultatis in foro Pœnitentiæ. Ratio verò præcipua esse potest; quia forum Pœnitentiæ tantum videtur requiri, quatenus materia ipsa, circa quā est ea facultas, inuoluit alioquin materiā necessariam Confessionis; si tamē illā non inuoluat credi potest non ita esse eam conditionem requisitam à concedente facultatem (nisi aliter exprimat) vt, *nisi confessio Sacramentalis fiat, absolutio non valeat.* Ita docet Tabiena verb. *Absolutio*, 2. quæsito 4. numero 7. Suarius lib. 8. de *legibus*, cap. 6. numero 16. vbi ait non esse limitandum ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi vbi, vel absolutio Sacramentalis per se fuerit necessaria, vt in priuilegio obtinendi absolutionem à reseruatis, vel vbi verba Indulti id manifestè explicauerint; nec satis erit quòd executio Indulti committatur *Sacerdoti*; imò nec, si dicat committatur *Sacerdoti Confessori*, quia id totum est nomen officij, & muneris, non actualis exercitij, ita, ut ex vi illorū verborum requiratur quidem persona talis, vt eligi possit in Confessorem; non verò, vt actu Confessionem audiat. Legatur idem Suarius à numero 14. vsque ad finem capitis, maximè numero 15. vbi rectè docet inter forum conscientiæ & pœnitentiæ solam hanc differentiam constituendam videri, quòd forum conscientiæ per se non supponat culpam, nec ordinetur ad remittendum, vel vindicandum aliquem defectum, & aliquod vinculum apud Deum; forum autem Pœnitentiæ dicitur in ordine ad tollendum aliquod vinculum, vel malum apud Deum siue illud tollatur per proprium Sacramentum Pœnitentiæ, siue per alios actus ostensiuos, aut inflictiuos Pœnitentiæ. Vnde iuxta Suarium hæc vox *Pœnitentiæ*, quando dicitur *in foro Pœnitentiæ*, non restringenda est ad solū Sacramentum, cùm iuxta verborum proprietatem etiam Pœnitentiæ appelletur alia, quæ fieri solet extra Sacramentum. Ex quo etiam fit quòd licèt dicatur in facultate, seu Bullâ absoluas, à tali Censurâ *in foro conscientiæ iniunctâ salutari Pœnitentia*, sicut dicitur in loco citato Tridentini, idem sit, ac dicere *absoluas in foro Pœnitentiæ, vel Pœnitentiali.*

In Priuilegijs Bullæ Cruciatæ & Religionū 414. Iam verò descendendo ad Priuilegia Bullæ Cruciatæ, & Religionum, adhuc in eis non consentiunt Auctores. Prima ergo sententia negat absolutionem conferri posse extra Sacramentum Confessionis. Ita Nauarrus. cap. 26. numero 31. & lib. 5. tit. de *sent. Excom.* cons. 28. ad 4. q. Corduba in *Summa* q. 19. & 187. Rodriguez in Bulla §. 9. numero 54. dicto 5. & sic putas declaratum esse à Pio V. eo quod dixerit *in forò tantum conscientiæ, non verò in contentioso*, & similia verba; referunque Couarrubiam; sed immeritò; docet enim oppositum Suarius disp. 7. de *Censuris* sect. 5. numero 36. etiam negat per Bullam Cruciatam posse absolui extra Sacramentalem Confessionem; imò aliter collatam absolutionem videtur sentire non valere, vbi omnino videtur sibi contrarius; nam loco citato de legibus, numero 5. & 16. expresiè dicit per illa verba *in foro Pœnitentiæ* non explicari, an sit tollendum vinculum in ipso Sacramento Pœnitentiæ nec ne? vt videre est numero 16. Dixerat autem numero 15. licèt verba priuilegij loquantur de foro Pœnitentiæ non esse limitanda, ad iudicium Sacramentale Pœnitentiæ; & rursùs numero 16. ait si indultum dicat *in foro conscientiæ iniunctâ Pœnitentiâ*, non esse limitandum ad Sacramentum Pœnitentiæ &c. In loco autem citato de *Religione* persistens in hac ipsa sententiâ loquens in materia dispensationis sic ait neque Constabit quod dicatur *in foro conscientiæ tantum*; quia forum conscientiæ latiùs patet quàm forum pœnitentiæ Sacramentalis. Pro quâ sententiâ refert Nauarrum in ordinè ad absolutionem à Censuris, de qua tunc agimus, qui cons. 15. de *Priuilegijs.* id docuit sibi non constans, cum oppositum dixerit citato c. 26. sicut, Rodriguez sibi contrarius est; contra id enim, quod dicit in Bulla loco citato, docet lib. 1. *Quæstionum Regular.* q. 61. art. 10. Itaq; hæc doctrina Suarij non congruit cum illâ, quā dederat olim citato loco de *Censuris*, vbi ait regulariter loqēndo quādo hæc cōcessio fit tantum in foro conscientiæ, & in ordine ad internam, & bonam animi dispositionem solùm dari potestatem absoluendi à Censurâ in Sacramento Pœnitentiæ, & hâc ratione putat contingere in Bullâ Cruciatâ, & similibus Priuiligijs. In quo etiā cōsentit Acosta super Bullam. q. 50. in fine.

non consentiunt Auctores.

Prima sententiam.

Suarius negat per Bullam Cruciatam posse absolui extra Sacramentalem confessionem.

Affirmans sententia placet Au- ri. 415. Secunda sententia, quæ mihi placet, est non solum validè, sed etiam licitè posse dari absolutionem à Censurâ extra Sacramentum Pœnitentiæ; quod per Bullam cruciatam certius omnino est, quam olim putabatur; iam enim ablata est illa particula *auditis eorum confessionibus* ratione cuius particulæ fortassè sequutus est Suarius loco citato *de Censuris* sententiam contrariam, cùm tamen postea in cæteris omnibus paulò aliter sentiat, vt explicatum est.

Positâ clausulâ (auditis eorum confessionibus) adhuc vera est nostra assertio. 416. Verum, etiamsi ponatur hæc clausula, vt re verâ ponitur in Priuilegijs Mendicantium, adhuc veram puto nostram assertionem, quia illa verba referunt absolutionem à peccatis, de quâ in prædictis priuilegijs fuerat etiam facta mentio, & non est cur cogamur illam applicare ad absolutionem à Censuris, tum, quia nulla est necessaria connexio inter Censurarum, & peccatorum absolutionem, ideò referenda, & applicanda sunt singula singulis per quandam, quasi distributionem seu attributionem accommodam; tum; quia sæpe occurrit casus, in quo multum interest, & expedit conscientiæ, & bono spirituali pœnitentis absoluere cum ab ex-

co mmu-

Resp. fiteatur? Respondeo omnino posse, quia prior illa confessio fuit irrita, ac proinde censetur, quasi facta non fuisset.

DVBITATIO XX.

An is, qui tempore Iubilæi fuit absolutus à reseruatis; postea verò non lucratur Iubilæum, quia omittit aliquid præscriptum, maneat liber à reseruatione.

Resp. 420. Respondeo breuiter si pœnitens, quãdo fuit absolutus, habuit intentionem præstandi omnia requisita, manere absolutum; secùs verò si non habuit intentionem præstandi omnia. Quà de re Suarius de Pœnitentiâ disp. 31. sect. 4. & latius tomo 5. de *Censuris* disp. 7. sect. 5. numero 33. & 34. Verum hac de re nos diximus cum eodem, & alijs multis agentes de *Pœnit*. Tract. 8. disp. 11. dub. 10. ibi legatur; nihil enim nouum occurrit nunc addendum, est enim eadem ratio de peccatis, & Censuris.

DVBITATIO XXI.

An absolutus virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi inculpabiliter omittens reseruatum peccatum, vel Censuram, maneat liber à reseruatione, vt postea à quouis Confessario etiam post tempus Iubilæi, aut Bullæ posit absolui?

In culpabiliter omittēs peccatum reseruatū vel Censuram quando absoluitur per Iubilæum vel Bullam manet liber à reseruatione

421. HAc etiam de re dixi disp. illâ 11. de Pœnit. dub. 8. vbi varijs distinctionibus vsi sumus; nunc breuiter dico remittendo me ad alia ibidem dicta, maximè assert. 3. manere liberum, quando absolutus est per Iubilæum, & Bullam, quia tunc vel expresè vel virtualiter tàm Pœnitens, quàm Confessarius habent intentionem exonerandi conscientiam ipsius Pœnitentis, qui vult accipere fructum, vel commodum ex tali Iubilæo, aut Bullâ, inquantum potest, eo ipso quod vult vti ipsius priuilegio. Quæ doctrina congruit cum ijs, quę diximus eâdem dub. 8. assert. 4. adiunctâ etiam primâ.

Absolutus ab ordinario in confessione nihil dicens de reseruatis non manet absolutus à reseruatis?

422. Si verò absolutus fuit per suum Ordinarium, & in Confessione nihil dictum fuit de reseruatis (idemque iudicium est de absoluto virtute priuilegiorum Mendicantium) non manet absolutus à reseruatis; quia licèt Ordinarius talis esset, qui haberet facultatem in reseruata, & licèt Mendicantes eam habeant; tamen, si in confessione non actum est de reseruatis, nec fuit vlla mentio de vsu facultatis absoluendi à reseruatis, non constat voluisse tollere vllam reseruationem; neque vti vllo modo suâ potestate circa reseruata. Legatur Henriquez lib. 6. c. 16. numero 6. & lib. 7. cap. 11. numero 4. Suarius de Pœnit. disp. 31. sect. 4. & Sanchez, qui in simili de *commutat. votor.* disputat. lib. 8. de *Matrim.* disp. 15. numero 16 & 17. & de hoc diximus loco notato assert. 5.

423. Quamuis autem Nauarrus. cap 27. n. 13. & alij, quos ipse citat, videantur exigere, vt etiam quando quis absoluit virtute Iubilæi, vel cruciatæ habuerit animum absoluendi generaliter ab omnibus peccatis, & Censuris, si quæ habeat Pœnitens, quæ intentio solet explicari illis verbis *in quantum possum, & indiges*, vt censeatur manere sine reseruatione vllâ; tamen (vt rectè probat Suarius,) satis est; si pœnitens, & Confessarius habeant intentionem vtendi priuilegio concesso pœnitenti; quia ea est intentio Pontificis, & Confessarius, ac pœnitens eam (vt dicebam in principio) virtualiter habent.

424. Ex traditâ doctrinâ colligitur, quòd, quando aliquis pœnitens ligatus excommunicatione, & oblitus illius excommunicationis, absoluitur in confessione ab eo, qui poterat tollere excommunicationem sub illa generali conditione *absoluo te à sententiâ excommunicationis, si quam incurristi*. Quamuis postea recordetur excommunicationis, non teneatur directè absolui. Ita Nauarrus cap. 26. numero 13. licèt cap. 9 oppositum dixerit. Docet etiam Auila, p. 2. c. 7. disp 3. dub. 16. & ait idem sentire aliquos Magistros. Probat verò, quia frustrà esset talis absolutio, cùm iam fuerit ablata excommunicatio per illam generalem absolutionem, vt supponunt communiter Doctores. *Ex tradita doctrina Colligitur,*

425. Obijciet tamen aliquis, qui in Confessione oblitus est alicuius peccati mortalis, licèt maneat absolutus ab eo, si tamen postea recordetur illius, tenetur illud confiteri, vt absoluatur ab illo directè: ergo idem erit de Censurâ. *Obijcies*

426 Respondetur negando paritatem, primò, quia illud peccatum fuit remissum cum obligatione, & ordine ad directam absolutionem, non verò excommunicatio. Secundo, quia materia proxima absolutionis non est peccatum; sed confessio illius, ideo potest esse materia bis, & sæpius repetita confessio; materia verò absolutionis à Censurâ est ipsa Censura, à quâ potest absoluere sine vlla prorsus confessione, qui habet facultatem ad id, imò inuito, & negante delictum ipso pœnitente; semel ergo ablatâ Censurâ per absolutionem illam primâ generalem, non manet materia pro secundâ absolutione; neq; enim fieri potest absolutione à Censura, quæ non est. Legantur cætera circa hanc materiam loco notato de *Pœnitentiâ*. *Resp. Differentia inter absolutionem à mortali in Confessione oblito, & à Censura etiã in Confessione oblita.*

427. Quæret tamen aliquis, an virtute huius generalis absolutionis à Censurâ *in quantum possum, & indiges*, maneat absolutus pœnitens, qui, vel voluntariè, reticet in confessione peccatum habens annexam Censuram, vel solùm petit in genere, & conditionaliter absolutionem à Cęsura, si fortè indigeat cum tamen re verâ indigeat, & ipsi constet se indigere? *Quæres.*

428 Respondet Suarius disp. illâ 7. de *Censuris*, sect. illâ 5. numero 20. & Filiucius Tract. 11. c. 9. numero 290. distinguendo; nam vel Confessarius est Iudex Ordinarius, vel delegatus, si est Iudex Ordinarius, & eo genere Confessionis contentus vult absoluere, validè absoluit, cùm potestatem habeat absoluendi, etiam si non rectè agat absoluendo, antequàm rem examinet, & videat, an pœnitens Ecclesiæ satisfecerit *Respondet Suarius cũ distinctione*

satisfecerit, aut parti læsæ &c. Si verò Confessarius solùm est delegatus, videndum est, an facultas absoluendi illi concessa sit tantùm in ordine ad Sacramentum Confessionis, vel etiam extra Sacramentum. Si solum fuit intra Sacramentum, non valebit absolutio; nam in eo Sacramento per se loquendo, necessaria est cognitio peccati, cui est annexa Censura; quando ergo Censura voluntariè reticetur, reticendo etiam peccatum, cui est annexa, sicut peccati absolutio nulla est; ita etiam absolutio à Censurâ. Si verò facultatem habet Confessarius absoluendi extra confessionem, validè absoluit, quando ita intendit absoluere, perinde, atque Iudex ordinarius.

Obseruandum. 429. Obseruare tamen oportet Confessarium per se loquendo non censeri habere intentionem absoluendi ab excommunicatione, quā pœnitens malitiosè aut culpabiliter reticet; censetur enim Confessarius habere intentionem absoluendi quantum licitè potest; non videtur autem posse licitè absoluere à Censurâ, si pœnitens sponte, ac sine iustâ causâ reticeat. Ita Conine disp. 14. dub. 16. n. 225. & 226. Leguntur dicenda dub. 31. concl. 2. & 3.

430. Oppositum verò dicendum est iuxta dicta, quando Censura reticetur solum ex obliuione; tunc enim valet quidem absolutio generaliter data, si absoluens habeat facultatem absoluendi à tali Censurâ. *Notat Conine.* Rectè autem notat suprà Conine in eiusmodi absolutionibus censeri semper apponi, quas absoluens teneretur conditiones apponere, si scienter ab ijs absolueret, vt est conditio de satisfaciendo parti, & similes, quas suis locis explicuimus.

DVBITATIO XXII.

An qui peccat ex fiduciâ absolutionis à reseruatis dandæ virtute Bullæ, vel priuilegij possit absolui per Bullam, vel priuilegium?

Negant Antoninus & alij. Probant 1. 431. Negant Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. §. 5. Couarruuias lib. 2. *variarum* c. 2. vers. 26. cum Felino Cardinali, & alijs. Corduba in *summa* q. 22. Probant 1. quia per generalem concessionem non intelliguntur, illa concedi, quæ in specie interrogatus non esset quis verisimiliter concessurus iuxta vulgatam Regulam Iuris, & c. *Si quis Episcopus de Pœnit. & remiss.* in 6.

Probant 2. 432. Secundò, quia priuilegium amittere videtur, qui spe priuilegij & immunitatis peccat, vt doctè, & eruditè probat Couarr. suprà. Vnde is, qui delinquit propè Ecclesiam non fruitur immunitate, tanquam ex vicinitate loci arguatur intentio delinquendi sub spe immunitatis.

Asserendum peccantes quomodolibet in spem Bullæ siue iam acceptæ, siue accipiendæ, absolui posse postea virtute eiusdem. 433. Asserendū nihilominus est peccātes quomodolibet in spē Bullæ siue iam acceptæ, siue accipiēdæ siue primariâ intentione, & directâ, siue secūdariâ & indirectâ, hoc est, siue ex fine principali, siue impulsiuo, absolui posse posteà virtute eiusdem Bullæ. Ratio est primò, quia vbi lex seu priuilegium non distinguit, neque nos distinguere debemus. Secundò, quia olim in Bullis ponebatur exceptio, *nisi in spem Bullæ peccauisset*, quia tunc nolebat Pontifex vt à peccatis, & Censuris reseruatis absoluerentur per Bullam. *dem Bulla.* Vnde cùm iam eiusmodi verba expuncta fuerint à Bullâ Cruciatâ, nō leue signum est voluisse Pontificem, quod etiam qui hoc modo peccassent absolui possent.

434. Hinc solutum manet primum argumētum in contrarium, imò in priuilegijs alijs eo ipso, quod Pontifex sciens, & prudens concedit absolutionē à reseruatis sine vllâ tali exceptione, potius censetur, ant præsumitur eam concedere, quàm negare; præsertim cùm constet quòd quando vult, eam apponit, vt in clausulâ sequenti eiusdem Bullæ, in quâ concedit Indulgentiam plenariam decedentibus contritis sine Confessione, dummodò non fuerint negligentes fiduciâ huius concessionis; & in Bullâ, quam appellant compositionis, similem conditionem apponit excipiendo illos, qui fiduciâ talis Bullæ peccauerint. *Ex his solutur primum argumentū in contrarium.*

435. Secundum argumentum in contrarium nihil probat; quamuis enim indignus fit priuilegio, qui eo abvtitur, non statim sequitur, quod ipso Iure priuetur priuilegio, nisi id expressè declaretur, sicut *Indignus est* iuxta Augustinum *peccator pane, quo vescitur & tamen non ipso, quod peccat, priuatur à Domino pane; ea enim est bonitas eius, qui Iudæ proditori se ipsum dedit in panem.* Immunitate autem Ecclesiæ priuatur expressè, qui spe immunitatis delinquit c. finali de *Immunit. Eccles.* & qui propè Ecclesiam delinquit, præsumitur peccasse ex confidentiâ immunitatis. *Secundum nihil probat.*

436. Nostram sententiam tenet Syluest. Nauarrus, Tabiena, Armill. & alij, quos refert, & sequitur Henriquez lib. 7. c. 9. §. 4. litt. *M.* & *N.* Cordub. lib. 5. *Quæstionarij* q. 34. in fine & q. 37. prop. 3. Ledesma 2. q. 4. q. 29. art. 1. Acosta q. 43. Rodriguez in Bullam §. 9. n. 99. qui monet hoc non esse populo insinuandum; & notat etiam super Bullam Compositionis in fine illius Bullæ clausulam illam, quod non prosit eis, qui malè acceperunt ex confidentiâ Bullæ limitandam esse ad eos, qui delinquerunt ex confidentia Bullæ formaliter, & directè; non verò, si solum indirectè, & concomitanter.

DVBITATIO XXIII.

An vna Censura possit auferri remanente alia.

Asserendum est posse. Ratio huius est, quia inter Cēsuras non est necessaria connexio. Vnde sicut vna potest ferri ante aliam & seorsim ab illâ: ita potest auferri seorsim, & indepēdenter ab eadē. Ita S. Thomas in 4. dist. 18. q. 1. 8. art. 5. Vgolinus Tabulâ. 1. cap. 19. Coninc. disp. 14. dub. 16. numero 221. Reginaldus lib. 9. num. 49. Suarius disp. 7. sect. 9. numero 4. Sayrus lib. 2. cap. 21. numero 13. Vasq. de *Excom.* dub. 18. num. 14. Valentia tomo 4. disp. 8. q. 17 puncto 8. Filiucius Tract. 11. cap. 10. 327. & alij multi apud *Asserendum est posse. vnā Censuram auferri remanente alia.*

apud citatos. Ex quo patet posse aliquem, vel simul, vel seorsim ab omnibus Censuris, quibus innodatur, absolui, id est vnicâ, vel pluribus absolutionibus, vt, si quis habet sufficentem potestatem, & ex sufficienti intentione dicit absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, vel ab omnibus excommunicationibus vel ab omnibus Censuris. Liber manet sic absolutus ab omnibus. Si verò dicat absoluo te à Censura quam incurristi propter talem, aut talem rem, solùm ab illâ manet libera perseuerantibus alijs, si quibus fortè ligabatur.

Quæres 1. 438. Quæret tamen aliquis primò, an, vt validè quis absoluat, vel absoluatur, necessaria sit in absoluente, vel in absoluto, vel in vtroque notitia excommunicationis?

Resp. 439. Respondetur non requiri; sat enim est, quod Iudex habens legitimam potestatem, velit absoluere casu, quo absoluendus esset innodatus. Ita Coninc suprà n. 222. idque declarat satis vsus Ecclesiæ cùm eâ ratione sæpè ad cautelam absolutiones impendantur.

Quæres 2. 440. Quæret 2. an, qui petit absolutionem ab vnâ Censurâ & supperior impendit generalem absolutionem, censeatur ab omnibus absolutus?

441. Variæ sunt opiniones in hac re, & doctrina dependet ex regula generali, quę assignari debet, vt dignoscamus, quando, qui pluribus excommunicationibus est ligatus censeatur ab omnibus simul absolutus, de quo dicemus dub. 31.

DVBITATIO. XXIV.

An ille qui vltimâ horâ, quâ exspirat valor Cruciatæ, aut tempus Iubilæi, accedit facturus longam confessionem, possit transacto tempore absolui à Censuris reseruatis?

442. HEnriquez lib. 7. c. 11. n. 3. putat intra terminum durationis Iubilæi, seu Cruciatæ debere Confessionem absoluere pœnitentem à Censuris, & à reseruatione casuum, & postea audire Confessionem, & dare absolutionem quia iam fuit tempore congruo ablata reseruatio.

Asserendum cum Acosta. 443. Mihi tamen iuxta principia generalia exercentis Iurisdictionem delegatam, quæ non exspirat transacto tempore, in causis pendentibus; asserendum videtur cum Acosta *in Bullam* q. 46. si confessio incipiat tempore habili intra terminum scilicet Bullæ, vel Iubilæi posse Confessarium sine vllâ datâ absolutione postea audire totam causam, & ea finitâ dare absolutionem, etiam post aliquos dies. *Ratio.* Ratio est, quia iurisdictio semel habita, & re non integrâ, non exspirat, quousque causa finiatur, vt in simili diximus dub. 46. disp. præcedentis agentes de Iurisdictione delegata ab Episcopo excommunicato, antequàm excommunicaretur; vbi diximus quoad causas pendentes, & inceptas non cessare iurisdictionem; sed vbi primùm Confessarius in nostro casu audiuit aliquam partem Confessionis tempore habili, iam accipit iurisdictionem, & res non est integra, sed inchoata: ergo elapso tempore Iubilæi, vel Bullæ non expirat iurisdictio, quam Confessarius accepit ad absoluendum virtute Iubilæi, vel Bullæ talem pœnitentem. Probatur maior; quia secùs dicendum esset potestatem Iudicis delegati, cùm iam lis esset contestata, elapso anno delegationis exspirare, quod est omninò falsũ & cõtra aperta Iura c. *hâc constitutione*, & c. *Cum pluribus de officio Deleg.* de quo Syluest. verbo *conseruator* q. 6. & Auendanno de *Exequendis mandatis* c. 1. n. 16. Probatur 2. quod attinet ad Bullam Cruciatam manifestis verbis in Bullâ latinâ circa finem, vbi hæc habentur. *Item declaratur quod exspirante anno omnes suprà dictæ gratiæ, facultates, & indulta exspirent, tãtumque poterunt causæ pendentis ad finem perduci.* Cùm ergo causa confessionis in iudicio Confessarij tempore habili cœpta sit, bene poterit transacto tempore prædicto continuari, & ad finem vsque perduci.

DVBITATIO XXV.

An Archiepiscopus Metropolitanus possit absoluere ab excommunicatione latâ ab Episcopo suffraganeo? vel Episcopus ab excommunicatione latâ à Prælato inferiore?

444. CIrca primam partem asserendum est primò, non potest Archiepiscopus absoluere, nisi ad eum fuerit appellatum, & tunc vocatis partibus, & cognito negotio in gradu appellationis, vel dùm visitat, vel, si Episcopus suffraganeus negligenter, aut malitiosè differat absolutionem, vel in alijs casibus, in quibus potest iudicare de subditis suffraganeorum, quos refert Syluest. verb. *Archiepiscopus* n. 1. & legi potest Azor tomo 2. *Moralium* lib. 3. c. 33. quæsito 9. & 10. vbi latè & eruditè de hâc re tractat. Legantur, quæ diximus suprà dub. 3. §. *De Archiepisc. verò*, vbi in simili assignauimus casus, in quibus subdatur Episcopus, aut subditi illius Archiepisc. Ita Sanch. Couarr. Auila, Henriquez, Suar. Filliucius Coninc. quos refert, & sequitur Bonacina de *Censur.* disp. 1. q. 3. puncto 2. in fine. *Asserendum 1. Archiepiscopum non posse absoluere, nisi ad eum fuerit appellatum &c.*

445. Ex quo fit si absoluat in casu sibi non concesso, absolutionem fore nullam, vtpote datam à Iudice non suo. Ita Syluest. verbo *Absolutio* 2. n. 1. & verb. *Archiepiscopus* n. 5. Couarr. c. *Almâ*, p. 1. §. 12. n. 2. Qualiter autem debeat procedere Metropolitanus in absolutione ab excommunicatione, quando à suffraganeis appellatum est ad ipsum tractat Syluest. absolutio 2. n. 7. & Azor c. citato. *Asserendum 2. Archiepiscopum nõ posse absoluere ab excomm. Episcopos suffraganeos nisi in certis casibus.*

446. Assero 2. ex dictis Archiepiscopum non posse absolvere ab excommunicatione Episcopos suffraganeos, nisi in casibus in quibus potest exercere iurisdictionem propriam circa illos; & idem est de Patriarcha comparatione Archiepiscopi. legatur Azor. loco citato. *Asserendum 3.*

447. Assero 3. Archiepiscopus, vel Patriarcha per facultatem concessam in Tridentino sess. 24. c. 6. de quâ egimus dubitatione 3. citatâ

tatâ, non potest absoluere ab excommunicatione occultâ Papæ reseruata subditos Episcoporum suffraganeorum, neque ipsos Episcopos suffraganeos, nisi dum visitat illos, aut in alijs casibus, in quibus tales suffraganei subduntur. Ratio est, quia isti non sunt simpliciter subditi Archiepiscopi, & Concilium tantùm dicit Episcopos posse absoluere sibi subditos. Ita cum viris doctis docet Auila, p.2.cap.7.disp.1.dub.10.

De secunda parte dubitationis.

448. Circa secundùm, quòd quæritur in dubitatione de Episcopis circa excommunicationes latas à Prælatis inferioribus casus sit, v.g. in Hispaniâ Abbas Metinensis excommunicat aliquem ex suis subditis. Dubium est, an Episcopus Salmanticensis, in cuius diœcesi est prædictus Abbas, possit eum absoluere? Idem est, si Archidiaconus, vel Parochus ex consuetudine præscripta, aut alio Iure speciali possit excommunicare, & communicet sibi subditos.

Prima sententia negat Episcopum posse absoluere ita Decius.

449 Prima sententia negat posse Episcopum absoluere. Ita Decius in c. Cæterum de *Iudicijs* numero 5. & alij relati à Couarrub. cap. Alma, p.1.§.12. numero 3. & in eam sententiam magis inclinat ipse Couarrubias.

Secunda sententia affirmat Ita Glossa.

450. Secunda sententia affirmat, Ita Glossa vltima c. *cum ab Ecclesiarum.* de officio Ordinarij, & ibi Abb. Immola, & alij Canonistæ. Henriquez lib.13. cap. 27. numero 3. littera S. & reddit rationem, quia Episcopus est Ordinarius illorum, quod probat littera. T.

Secunda videtur probabilior authori.

451. Hæc sententia mihi videtur probabilior adhibitâ limitatione si non vigeat consuetudo in contrarium, & inferior non præscripserit iurisdictionem contra Episcopum (quamuis præscriptio Iurisdictionis subditi manentis in statu subditi contra suum superiorem difficultatem habeat, vt notauimus in nostro opere de Iustitia, lib.2. Tract.1. de *Iustitia & Iure* in Communi agentes de præscriptione) Ita docent Angelus absolutio, 2. num. 3. Syluest. eodem verb. nu.1. Tabiena. num.14. Auila p.2.c.7. disp.1. dub.11.

Notant hi authores.

452. Notant verò hi Authores primò, quòd licèt Episcopus possit absoluere subditos Abbatis; tamen ille, cui Episcopus cõmittit vices suas non eo ipso poterit absoluere tales subditos, Abbatis & Confessarius approbatus ab Episc. salmanticensi pro suâ diœcesi non eo ipso censetur approbatus pro Abbatia Metinensi; sed requiritur, quod Episcopus in speciali, & expressè id concedat, vel quod approbetur ab ipso Abbate Metinensi, quia in generali concessione non intelligitur concessum, quod est in præiudicium Iurisdictionis Prælati inferioris.

Notant. 2.

453. Notant. 2. Syluest. & Auila suprà, quòd licèt daremus primam opinionem esse veram in Prælatis sæcularibus, secus omnino dicendum esset in Prælatis Regularibus, vt concedunt etiã Authores primæ opinionis à Couarrub. citati, nam Prouincialis Mendicantium benè potest absoluere, quem Prior, aut Rector, seu Guardianus excommunicauit.

Notant 3.

454. Tertiò notant omnes nostræ sententiæ Authores, quòd intelligenda sit ita, vt si Episcopus de facto absoluat subditos sui inferioris Prælati, validè quidem absoluat, sed malè faciat absoluendo non requisito excommunicatore; quia subditis suis Iurisdictionem non seruat.

Ex dictis sequitur.

455. Ex dictis sequitur, quòd Episcopus Salmanticensis per facultatem illam concessam in Tridentino sess.24. de quâ suprà egimus possit absoluere non solùm subditos Abbatis Metinensis vt diximus dub.4. sect.1. sed etiam ipsum Abbatem ab excommunicatione occultâ reseruatâ Papæ. Ita cum viris doctis Auila suprà.

DVBITATIO XXVI.

An Episcopus, vel Parochus in suâ propria diœcesi possit absoluere subditum, qui in alienâ diœcesi incidit excommunicationem.

Potest Episcopus in foro conscientiæ & sine cognitione causæ cum strepitu iudiciali absoluere subditum existentem in alieno territorio.

456. QVod Episcopus possit in foro conscientiæ, & sine cognitione causæ cum strepitu iudiciali absoluere subditum existentem in alieno territorio, constat ex dictis dub. 4. sect.3. vbi explicuimus iurisdictionem voluntariam, qualis est absolutio in foro conscientiæ posse exerceri, & docet expressè Syluest. *Absolutio* 2. num 11. Henriquez lib.13. cap. 27. numero 3. Sanchez lib.3 de *Matrimonio* disp. 19. numero 7. Auila p.2.c.7. disp.1. dub.12. & alij, quos retulimus eâdem sect. 3. Ratio est iam indicata quod omnes actus Iurisdictionis volũtariæ possunt exerceri in alienâ Diœcesi, quamuis non actus Iurisdictionis contentiosæ. Solùm nunc disputamus de absolutione conferenda ab Episcopo, vel Parocho, proprio quidem subdito; sed qui in alienâ diœcesi incidit in excommunicationem. Legantur circa hoc quæ diximus de *Pœnit.* Tract.8. disp.11. dub.16. §. *Quæres secundò*, & sequentibus tribus.

Asserendum

457 Asserendum est primò ab excommunicatione Iuris non reseruatâ potest absolui in suâ diœcesi ille, qui in alienâ eam excommunicationem incurrit. Ita Nauarrus, cap.27. numero 39. in fine referens alios, scilicet Fridericum, & Panormitanum. Item Syluester. verb. *Absolutio.* 1 n. 11. q.1. Angelus. *Absolutio.* 1. in fine Auila suprà, dub.3. Suarius disp.7. sect.3 numero 5. & alij.

458 Asserendum est. 2. si excommunicatio est ab homine in generali non reseruata, potest quis absolui in propriâ diœcesi, etiamsi in alienâ incurrerit, quia hæc excommunicatio æquiparatur excommunicationi Iuris iuxta dicta dub.14. Ita cum aliquibus Magistris docet Auila suprà, & Henriquez lib.13. cap.27.

Asserendum 2.

459 Hæc assertiò supponit opinionem probabilem, quòd homo extraneus non seruando præcepta loci, in quo est, incurrat excommunicationem, siue statuti, siue præcepti generalis; nam, si demus iuxta probabilem & fortè probabiliorem opinionem (de qua suprà, disp. 1. dub.11. assert 4) extraneum, qui nondum fixit domicilium, neque ibi habitare solet maiori parte anni, non teneri legibus, vel præceptis particularibus loci, in quo tunc esse contingit, non indigebit absolutione; quia neque incurret excommunicationẽ, cũ nec teneatur præcepto.

Asserendum 3.

460. Asserendum est 3. si talis excommunicatio incursa in alieno territorio, seu diœcesi sit ab homine nominatim talis homo rediens ad propriam diœcesim nõ potest absolui à proprio

Episcopo

Episcopo, sed remittendus est ad proprium excommunicatorem, vel petenda est ab eo licentia ad absoluendum illum. Ita Syluest. verb. Confessor. 1. q. 6. puncto 5. & q. 13. vbi refert D. Thomam, & alios. Auila suprà dub. 14. (adiunctis ijs, quæ dixerat dub. 12. & 13.) conclus. 3. Suarius disp. illa 7. sect. 2. numero 27. Llamas. 1. p. c. 6. §. Coninc disp. 14. dub. 16. quæsito 15. nu- 258. in fine. Reginald. lib. 9. numero 52. & alij

Ratio assertionis. Ratio est, quia Iurisdictio ratione causæ inchoatæ pertinet ad illum, qui excommunicauit alioquin iurisdictiones confunderentur.

Sequitur à fortiori, 461. Inde sequitur à fortiori multò minus posse absolui à suo proprio Episcopo, si tam Episcopus quàm subditus sint in alieno territorio tunc enim nec ratione delicti, nec ratione loci habet in illum iurisdictionem. Quare sicut eum ibi delinquentem non poterat excommunicare: ita neque absoluere, ob quam rationem videtur aliquibus absolutionem in isto casu datã esse nullam; in primo verò casu, scilicet, quando delinquens absoluitur in propriâ diœcesi, fore validam, quamuis illicitè datam; illud primũ tenet Henriq. lib. 13. cap. 27. numero 6. §. *Tertiò non valet:* & secundum videtur tenere, licèt non omninò clarè.

Nostra assertio tertia intelligenda est stando præcisè in Iure communi. 462. Nostra tertia assertio intelligenda est stãdo præcisè in Iure communi; nam per Iubilæa Bullam Cruciatam vel priuilegia Mendicantium, posset absolui iuxta suprà dicta dub. 15. modo ibi explicato assertione 3. illatione. 1. Item etiam seclusis priuilegiis intelligitur assertio nostra, cessante impedimento adeundi excommunicatorem, quia si impedimentum adsit probabile est posse absolui cum cautione, & onere se præsentandi iuxta dicta in præcedentibus dub. 3. & sequentibus & dub. 8. quamuis enim ibi præcipuè ageremus de impedimento adeundi Pontificem, tamen cum Rodriguez, & alijs diximus eodem modo Philosophandum esse de casibus reseruatis ab ipsomet Episcopo; & quidem cum obligatione comparendi expresè docent Nauarrus lib. 5. tit. de *Sent. Excom.* cons. 6. & Henriq. lib. 13. cap. 27. numero 6. littera. C. Rodrig. in summâ, cap. 53. conclus. 10. & 11. quòd si non compareat postea cùm primùm possit, reincidet in excommunicationem. Quæ omnia probat Nauarrus ex illo sæpe citato c. *eos qui* quia Textus ille in primâ parte capitis nõ loquitur determinatè de solo excõmunicato à Papâ sed vniuersaliter de omni excommunicato qui propter aliquod impedimentum absoluitur ab eo, qui non poterat aliàs absoluere cessante impedimento, & absolutus fuit cum obligatione se præsentandi ei, à quo erat excommunicatus; neque enim Textus ibi dicit absolutum fuisse cum obligatione se præsentandi Papæ *sed se præsentandi ei, à quo, &c.*

DVBITATIO XXVII.

An qui in suâ propriâ diœcesi incidit in excommunicationem, possit absolui ab Episcopo vel Parocho alterius diœcesis, in qua tunc existit.

463. Asserendum est primò, si talis excommunicatus commoretur in aliâ diœcesi permanenter, quia mutauit domicilium, & factus est incola, & vicinus alterius diœcesis distinctæ ab eâ, in quâ incidit in excommunicationem: tunc Philosophandum est in hoc, sicut Philosophati sumus dub. præcedenti de absoluendo in propriâ diœcesi à Censurâ incursâ propter delictum commissum in alienâ. Idemque dicendum est, quando etiamsi omnino non figit domicilium, commoratiò nihilominus in altera diœcesi est diuturna, vt per maiorem partẽ anni. Quod contingit in Scholasticis, & Mercatoribus; hi enim censentur sicut incolæ. Ita Henriquez infrà referendus & Auila. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 13. circa finem Suarius de *Censuris*, disp. 7. sect. 3. numero 7. Quâ de re nos etiam diximus suprà disp. 1. dub. 11. §. *Probabilis tamen*, & idem dicendum est de vagabundis. *Asserendum 1.*

464. Asserendum est, 2. si commoratio non sit diuturna, sed, per aliquod tempus; tunc, si excommunicatio fuit ab homine in speciali, & nominatim, non potest absolui ab Episcopo alieno. Ita docet Sotus infrà citandus. Auila dub. illâ, 13. conclus. 1 & latè probat Suarius eâdem sect. 3. num. 6. ex multis textibus, quod dixerat priùs sect. 2. num. 26. Hoc tamen ego existimo verum seclusis priuilegijs, vel Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi iuxta doctrinam traditam dub. præcedenti assert. 3. Item seclusâ longâ distantiâ ab Episcopo proprio. Nam, si longè distaret, & esset impedimentum illum adeundi, posset absolui, vt ibidem quoque diximus ex Nauarro, & Rodriguez, & ex doctrinâ suprà traditâ locis ibi citatis, & in hoc præsenti casu expresè loquuntur etiam Nauarrus, & Rodriguez ibidem, & Henriq. lib. 13. cap. 27. littera, B. quæ absolutio valebit illi pro foro conscientiæ imò ex parte pro exteriori etiam foro scilicet ad effectum, ne euitetur iuxta dicta dub. 16. assert. 2. *Asserendum 2.*

465. Asserendum est tertiò, si excommunicatio incursa erat à Iure, vel ab homine in generali non reseruatâ: tunc satisfactâ parte poterit absolui ab Episcopo, vel Parocho eius diœcesis, seu Territorij, in quo quis moratur. Ita Sotus dist. 22. q. 2. art. 3. ante 3. conclusionem, & probat quia in hoc nulla irrogatur iniuria proprio Episcopo. Ita Auilá, p. 2. cap 7. disp. 1. dub. 13. conclus. 2. qui limitat, vt hoc possit fieri pro foro conscientiæ; non verò pro contentioso, & probat, nam iuxta doctrinam tradi solitam in materiâ de *Pœnitentiâ* aduenæ, & peregrini possunt confiteri Episcopo, vel Parocho illius diœcesis. in quâ se inueniunt, & ab eo possunt absolui à peccatis mortalibus: ergo & ab istis excommunicationibus per c. *Nuper de sent. excom.* quia ad hoc ille Episcopus, vel Parochus censetur *Asserendum 3.*

proprius, siue ex consuetudine, siue ex concessione Eugenij IV. Suarius verò, & Henriquez suprà contrarium videntur sentire quamuis expressè ibi non asserant id tamen Suarius sect. 2. n. 27. videtur asseruisse. Placet mihi doctrina Aulæ, quæ consonat cum dictis in præcedentibus maximè dub. 2. iuxta quam doctrinam quilibet Confessarius habens ordinariam, vel delegatam iurisdictionem, quâ possit absoluere à mortalibus potest absoluere à prædictâ excommunicatione latâ generaliter à Iure, & iuxta dicta dub. 14. potest absoluere ab excommunicatione latâ generaliter ab homine. Legantur citata loca.

Placet authori doctrina Aulæ.

DVTATIO XXVIII.

An excommunicatus ab vno Iudice, quia parti læsæ non satisfacit, possit de consensu eiusdem partis ab alio Iudice non superiori alterius, vel ab alio Sacerdote absolui?

466. Asserendum est nullo modo posse; nisi priuilegium aliquod ad id iurisdictionem concedat: consensus enim partis in hoc nihil potest operari; nisi superiorem adeant quia ipsa pars non potest iurisdictionem conferre. Id quod videtur per se notum, & colligitur etiam ex c. *De causis* de officio delegati. Ita Suarius disp. 7. sect. 2. in fine, & alij Recentiores.

Asserendum non posse nisi priuilegium aliquod ad id iurisdictionem cōcedat.

467. Huic ego sententiæ practicè quidem assentio, & ita faciendum esse omnino censebo in quauis occasione maximè, vt seruetur debita subordinatio, & vnicuique iudici sua causa remittatur, ibique iuridicè constet de consensu partis.

Hæc sententia in praxi seruanda est.

468. Nihilominus speculatiuè loquendo, & iuxta principia iuridica posset videri alicui non improbabile quòd consentiente parte in cuius gratiam, & ad cuius instantiam lata fuit sententia excommunicationis possit ea excommunicatio absolui ab alio Iudice, vel à sacerdote potente alioquin absoluere à mortali, & à Censuris non reseruatis. Ratio est, quia, vt diximus disp. 2. dub. 25. & in hac disputatione dub. 17. intentio excommunicantis non vlterius se extendit quàm ad voluntatem partis, vt contingit in creditore repetente sibi debitum. Cùm ergo in nostro casu per consensum partis (maximè, si sit condonatio solutionis omnino vel ad tempus) tollatur obligatio debitoris, & materia præcepti satisfaciendi; videtur etiā cessare illud genus reseruationis, siue propriè siue impropriæ, quo in Iure reseruata est Censura nominatim, & particulariter lata ab homine ipsi homini ferenti, ita vt pro tali casu Ius disponens censurā latā particulariter ab homine esse reseruatam ipsi excomm. (quâ de re diximus dub. 14.) solùm intelligatur, quando contumacia perseuerat, & non vult quis præstare id, quod præcipitur ei sub excommunicatione.

469. Adhuc tamen verissimum est quod diximus; ad absolutionem enim requiritur Iurisdictio, quam non censetur habere, neque ex Iure constat, illum, qui neque priuilegio superioris, neque concessione excommunicantis id habet, & eo ipso quod aliqua Censura sit alicui reseruata, in eamque incideret excommunicatus, habet excommunicans Ius vt ad se trahat, & coram ipso se sistat excommunicatus exhibiturus obedientiam, & recogniturus superioris potestatem; Qui actus non fiet coram Iudice excommunicante si alius quiuis potest illum à Censurâ liberare.

SECTIO SECVNDA.

De ijs, qui possunt absolui ab Excommunicatione, & de modo obtinendi absolutionem?

470. Egimus hucusque in hâc disputatione de ijs, qui possunt absoluere ab excommunicatione; ea enim fuit prima sectio illarum quatuor, in quas diuisimus totam hanc tertiam disputationem. Sequitur iam sectio 2. in quâ agendum est de ijs, qui possunt absolui, & de modo illos absoluendi; Multa verò quę ad hanc secundum sectionem pertinent, diximus hucusque in primâ, quia absoluentes, & absoluti sunt correlatiui, & vix possunt in tradendâ doctrinâ separari; aliqua nihilominus restant, quæ specialem in absoluto habent difficultatem, quamuis semper cū respectu ad absoluentem.

DVBITATIO XXIX.

An absens possit absolui ab excommunicatione? & an etiam inuitus, aut ignorans absolutionem? aut perseuerans in contumacia?

471. Assero circa primam partem quemcūque excommunicatum posse validè absolui in absentiâ, siue per procuratorem siue per literas, siue etiam sine illis exprimendo scilicet verbis intentionem absoluendi. Colligitur ex c. *Quanto* 2. q. 5. & de quodam genere absolutionis, vt sæpè diximus, constat in rescriptis, Bullis, aut Priuilegijs Pontificis, in quibus sæpè datur huiusmodi absolutio, præsertim ad certam causam, vel effectum. Ita Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. Angelus *absolutio* 3. n. 5. & 6. Syluest. *absolutio* 3. n. 9. Richardus dist. 18. art. 11. q. 2. Nauarrus c. 26. n. 14. Suarius de *Censuris* disp. 7. sect. 7. n. 4. Henriquez lib. 13. c. 29. n. 1. Rodriguez *in Summâ* c. 83. concl. 13. Aula p. 2. c. 7. disp. 2. dub. 1. Filliucius Tract. 11. c. 10. quæsito 6. n. 324. Reginaldus lib. 9. n. 39. & alij multi. Ratio est; quia cùm excommunicatio sit pœnā, poterit in absentiâ relaxari. Secùs est de culpâ, quidquid Nauarrus, & alij dixerint neq; enim absolutio à culpâ potest dari absenti, de quo diximus de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 5. dub. 4. & locis ibi notatis.

Assertio 1. Excomm. potest validè absolui absens.

Ratio.

472. Hinc est, quod, si Confessor oblitus fuerit absoluere Pœnitētē ab excōm vel, si a bsoluit eū ab excōm. ad quem non habebat facultatē, vt, si erat reseruata, obtentâ postea facultate, possit talis

talis confessor absoluere illum pœnitentem ab excommunicatione, etiam absentem, vt dicunt Nauarrus, Henriquez, & Auila suprà.

Vsus tamen iam habet vt detur absolutio à præsente.

473. Notant tamen benè Sotus suprà, & Nauarr. c. 27. n. 40. quod iam vsus habeat, vt absolutio committatur Sacerdoti qui in præsentiâ absoluat.

474. Quando verò absolutio illa, quæ solet â Pontifice dari in Bullis, aut rescriptis ad effectum præsentium, aut quando absolutio data absenti incipiat valere, & habere effectum an scilicet quando proferetur ab absoluente? an quando ad notitiam alterius peruenit? pendet ex intentione absoluentis, quæ ex verbis, & circumstantijs colligenda est respectu absoluti; nam respectu aliorum tunc incipiet operari, quando ad eorum notitiam peruenit.

Assertio 2, inuitus potest absolui, & ignarus.

475. Circa secundum de eo, qui absoluitur inuitus, asserendū est inuitum atque adeo, etiam ignarum, posse absolui ab habente potestatem ordinariam, & absolutam, & in dependentem á voluntate ipsius excommunicati. Ita D. Thomas in *Additionibus* q. 24. art. 2. Sotus suprà, Syluest. *absolutio* 3. n. 10. Henriquez lib. 13. c. 29. n. 1. Auila p. 2. c. 7. disp. 2. dub. 2. Suarius disp. 7. sect. 7. n. 5. Filliucius c. illo 10. n. 325. Vasquez de *Excomm.* dub 18. n. 14. Reginaldus lib. 9. n. 36. & alij communiter. Rodrig. c. 83. cōcl. 13. Coninc disp. 14. d. 16. n. 224. Quorū plerique dicunt, quòd qui perseuerat in suâ contumaciâ non debet absolui; nisi ex causâ rationali qualis esset, si ita expediret tam bono communitatis quàm priuato ipsius excommunicati, vel saltem bono priuato illius sine detrimento boni communis; nam aliquando contingit, vt prudenter timeatur, quod permanente excommunicatione peior euadet excommunicatus ipse, & in cōmunitate seditio aliqua sequetur; vel debitus Ecclesiæ ordo parturbabitur, seu impedietur, & ex ablatione Censuræ speratur melior exitus, vt quod ipse excommunicatus fiat melior, vel non fiet peior, & scandalum communicantium cum eo tolletur sine detrimento boni communis; in his enim casibus etiā inuitus licitè potest absolui.

Quando perseuerans in contumacia possit absolui.

Assertionem docet D. Thamas.

476. Hanc sententiam docens Sanctus Thomas in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. questiunc. 2. ad. 2. ait etiam manente contumaciâ posse aliquem discretè excommunicationem iustè latam tollere, si videat saluti illius expedire, in cuius medicinam lata est. Idem docet Paludanus ibidem q. 5. art. 3. addens dummodo non sequatur in alijs scandalum, & contemptus Censuratum.

477. Contrarium tamen tenent Canonistæ, & Bonauentura, quos sequitur Vgolinus tabul. 1. c. 19. §. 2. n. 3. quod ex varijs Iuribus nititur probare; sed (vt expendit Suarius disp. illa 7. n. 11.) nihil probari potest ex Textibus; nullus enim est Textus, qui id vniuersaliter prohibeat. In aliquibus casibus particularibus statutum quidem est à Pontifice, vt ab vnâ Censurâ procedatur vlterius ad aliam, & tunc ab inferioribus seruari debet ordo præscriptus à Pontifice, non verò in alijs.

Absolutio sine causâ rationabili validè datur, sed non licitè.

478. Verum quidem est, si absoluatur sine causâ rationabili illicitè fieri, sed absolutio valida erit, vt docent plerique Authores citati contra Richard. quem sequutus est Rodriguez suprà concl. 12. qui de excommunicato ab homine ait validè posse inuitum absolui; non tamen excommunicatum à Iure. Quæ sententia verissima est solùm in vno sensu, vt nullus excommunicatus à Iure possit absolui, non tantum licitè, sed neque validè, nisi ab eo, qui habet plenam potestatem super Ius illud seu Canonem in quo excommunicatio continetur. Quare summus Pontifex validè poterit à quacumque excommunicatione inuitum absoluere, & Archiepiscopus, vel Episcopus ab excommunicatione latâ per Constitutiones Synodales, non verò à latâ per Ius Canonicum, & Parochus, seu Confessarius à nullâ excommunicatione poterit validè absoluere eum: qui permanet in contumacia, propter quam excommunicationem incurrit; quia (vt rectè ait Gabriel in 4. dist. 18. q. vlt. d. vlt.) manens in crimine, manet in excommunicatione annexa tali crimini; quod ego intelligo; nisi, excommunicatio tolleratur ab eo, qui separare potest excommunicationem à crimine, ita, vt pattans tale crimen etiam à principio non incurrat excommunicationem.

479. Ideò in assertione dixi posse absolui *ab habente potestatem Ordinariam, & absolutam*; Item *ab habente potestatem independentem à voluntate excommunicati*; quia per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, vel aliud priuilegium cencessum in fauorem pœnitentis (vt notârunt Henriquez, & Auila suprà) nemo potest validè absolui inuitus; nam vsus priuilegij pendet ex voluntate priuilegiati vtētis illo. Vnde, si ipse non vult vti illo, Cōfessarius nullā habet facultatem; imò tota facultas Confessarij prouenit quidem à Pontifice; sed dependenter ab electione pœnitentis. Quādo autem pœnitens est inuitus quoad absolutionem, manifestè non eligit illum ad absolutionem.

Ratio Cur in assertione dictum est, ab habente potestatem ordinariā.

Vsus priuilegij pendet a voluntate priuilegiati.

480. Addit Auila, si Confessarius sit Religiosus, & absoluat virtute priuilegij concessi ipsi Religioni forè validam absolutionem.

481. Hæc tamen doctrina vniuersaliter loquendo non potest esse vera sed tantum pro aliquo casu; neque enim Pontifex concedit per talia priuilegia, vt Religiosi possint separare pœnam illam à tali crimine, sed tantum, vt possint absoluere a tali pœna eos, qui à crimine destiterunt. quod ex ipsa ratione, quâ Sanctus Thomas, & Syluest. probant nostram assertionem, conuincitur; dicunt enim, ideò inuitum posse validè ab excommunicatione absolui, quia excommunicatio est pœna, de cuius ratione non est, quòd sit voluntaria ipsi punito; sed omnino pendet à voluntate punientis, qui sicut suâ voluntate pœnam infert homini peccanti, aut per statutum annectit alicui facto, seu peccato pœnam: ita etiam potest suâ voluntate remouere, manente tali facto: ergo, qui non potest annectere, nec poterit tollere manente facto illo.

Ideo inuitus iuxta D. Thom. ab excomm. validè absolui potest quia illa est Pœna.

482. Hæc ratio est euidens, quando excommunicatio imposita est peccato, quod consistit in continuatione, vt est furtum, seu iniusta retentio; in alijs verò non est ita efficax, maximè, si per potestatem ordinariam Confessarij absoluant per c. *Nuper* nam habentes. Delegatam per priuilegia pro foro conscientiæ Sacramentali

tali ita, vt; nisi in eo foro non possint absoluere, non poterunt inuitum absoluere; quia ad forum pœnitentiæ nemo potest venire inuitus.

483. Postquam hæc scripseram incidi in doctrinam Suarij, qui disp. illâ 7. sect. 7. n. 7. ait habentem iurisdictionem ordinariam validè absoluere; nisi quando Censura est imposita à Iure per superiorem alicui peccato, quod habeat tractum successiuum, qualis est retentio rei alienæ & etiam hæresis. Vnde ab his solus conditor Canonis potest validè absoluere.

484. Ex quâ doctrina colligo, quòd si quis etiam inuitus iam non persistat in illo peccato externo, ratione cuius incurrit Cēsuram, etiamsi Censura incursa sit à Iure communi Pontificio, poterit absolui ab habente potestatem inferiorem illâ v. g. si quis excommunicatus esset excommunicatione Iuris communis, aut Pontificij particularis tamen pro aliquo loco, vt si excommunicatus esset, quia commisit furtum in aliquâ Ecclesiâ seu Bibliothecâ, in cuius fauorem obtenta est Bulla Pontifica excommunicans ipso facto quemcumque inde aliquid furantem; postea verò antequam iste talis absoluatur ab excommunicatione recuperata sit res illa, & facta restitutio, etiam ipso inuito, iam videtur posse absolui, etiamsi renuat absolui; quia non perseuerat in illo peccato, ratione cuius incurrit excommunicationem; iam enim nullo modo retinet furtum, licèt ab inuito, & fortè per vim ablatum sit id, quod furatus fuerat. Tunc ergo, si absoluatur ab aliquo superiori inferiore Papâ habente alioquin potestatem, etiam inuitus validè absoluetur, nec tunc requiritur potestas separandi excommunicationem à crimine adhuc perseuerante; quia tunc crimen maximè externum non perseuerat; neque enim perseuerat retentio rei alienæ, imò; neque interna voluntas retinendi, cùm sciat, & videat nullam esse retentionem quamuis fortè habeat voluntatem aliquam vel retinendi, vel iterum furandi, si possit

DVBITATIO XXX.

An defunctus possit, & debeat ab excommunicatione absolui?

Assertio defunctus absolui potest & in casu debet

485. SVpponenda hoc loco est doctrina à nobis tradita disp. 1. huius Tractatus dub. 15. quâ suppositâ Asserendum est defunctum absolui posse post mortem, & debere absolui, si dedit signa Pœnitentiæ; & non fuit absolutus dum viueret. Multi sanè Authores aiunt Ecclesiam cùm non habeat iurisdictionem in mortuos non propriè, & in rigore illos absoluere. Ita Nauarrus c. 27. n. 431. Sotus dist. 22. q. 2. art. 2. ad finem, Castro lib. 2. *de iusta Hereticorum punitione*. Abbas in c. *A nobis*. Couarr. c. *Alma*. p. 1. §. 11. n. 8. qui cum Castro addit Ecclesiam soluere mortuos non directè, & quoad ipsos sed indirectè, quoad actus, & effectus à viuis exercendos erga mortuos. Quæ doctrina satis probabilis est, & non abhorret ab iis, quæ diximus dub illa 15. citatâ de *Pænit.* & in modo loquendi differt à sequenti opinione.

486. Nihilominus (vt rectè probat Suarius de *Censuris* disp. 7. sect. 1. n. 4. cum Nauarro c. 26. n. 32. & Rosella *Absolutio* 1. §. 31) simpliciter dici potest mortuum posse. & debere absolui; quia Iura ita simpliciter loquuntur, vt patet ex c. *A nobis* el. 2. & c. *Sacris* de *de sentent. excommunic.* & ex c. *is cui* eodem titulo in 6. &; quia adhuc post mortem durat excommunicatio (si non fuit in vitâ sublata) quoad aliquos effectus; nam corpus est inhabile ad sepulturam Ecclesiasticam & anima ad Ecclesiæ suffragia, ac proinde definiunt prædicta Iura in casu nostræ assertionis egere defunctum absolutione, &, nisi absoluatur, non posse sepeliri in loco sacro, nec suffragia Ecclesiæ, aut sacrificium Missæ pro illo offerri. Præterea eo modo, quo absolutio fertur in mortuum, requiritur, & colligitur esse aliquo modo subditum Ecclesiæ, quia tunc etiã in ea absolutione iurisdictio est necessaria; dicitur autem subiectio durare post mortem, vel secundum corpus, in quod Ecclesia & Prælatus aliquod ius habet vel secundum animam, quatenus actiones viuorum illi prodesse possunt.

Post mortem durat excõmunic. quoad aliquos effectus.

487. Dixi in assertione, *si dedit signa Pœnitentiæ*, nam, si non dedit, non debet absolui, erit autem fructuosa absolutio, si detur, vt supponitur in dictis iuribus, & tradit Suarius n. 7. Dixi præterea, *si in vitâ non fuit absolutus*; quia, si fuit absolutus, etiam per simplicem sacerdotem, non indiget aliâ absolutione; quia pro eo articulo omnes sacerdotes habent Iurisdictionem. Ita docent communiter Authores, & colligitur (vt ait Suarius n. 5.) ex c. *ea noscitur*, & ex c. *non dubium* de *sentent. Excommunic.* & ex Tridentino sess. 14. c. 7. quid autem sentiendum sit de defuncto, qui in vitâ propter defectum sacerdotis absolutus fuit à non sacerdote vel à laico, decidendum est ex dictis dub. 1. huius disputationis.

Pro articulo mortis omnes sacerdotes habent Iurisdictionẽ

488. Itaque, si dedit signa contritionis, & non fuit in vitâ absolutus debet post mortem absolui; non quidem à quocumque sacerdote; sed ab illo tantum, à quo viuens absolui potuisset extra articulum mortis, vt habetur citato c. *A nobis* & notant Castro, Couarr. & Nauarrus, & alij. Legantur, quæ diximus citatâ dub. 1.

489. Quod si, quando obsoluitur, iam erat sepultus, non est necesse illum exhumari; sed sufficit in ceremonia Ecclesiasticâ, quâ verberatur absoluendos, verberare sepulchrum, vt notant Nauarrus c. 26. n. 32. Syluester *Absolutio* 3. n. 15.

Hæredes quoque tenentur procurare absolutionem, & implere satisfactionem, quam defunctus debebat, quantum per vsum externarum facultatum, & bonorum defuncti impleri potuerit; nam ad alias actiones, seu obligationes personales non tenentur, vt cum Couarr. & Nauarro probat Suarius suprà n. 6. idque colligit ex c. vltimo de *Sepulturis*.

Hæredes tenentur pro defuncto procurare absolutionẽ.

491. Addit etiam Suarius cum Nauarro, quod si Censura occulta sit, & defunctus iam sit sepultus in loco Sacro, dissimulari potest, neque est cur procuretur absolutio; nam si non decessit in gratiâ, nihil proderit absolutio; si verò contritus

Si censura occulta est & defunctus in loco sacro sepultus non est quod

procuretur absolutio. Ita Suarius cum Nauarro.

tritus decessit, apud Deum est absolutus & coram Ecclesiâ habetur, vt absolutus; quia non iudicat de occultis. Accedit, quod post Extrauag. *Ad euitandâ*. Ex Concilio Constantiensi sæpe citatâ in præcedentibus talis excommunicatus non est exclusus à communione fidelium ex parte ipsorum; Ideò possunt suffragia pro illo offerre, licèt benè posset occultè procurari absolutio. Hæc doctrina probabilis mihi videtur maximè propter authoritatem tantorum Doctorum Nauarri, & Suarij.

Et Author doctrinam probabilem putat.

492. Verùm si quid valeret in hac re iudicium meum, consilium darem ijs Hæredibus defuncti, aut ijs, ad quos pertinet, quòd omnino procurarent secretò prædictam absolutionem; neque enim certum est pro defuncto excommunicato, aut etiam viuo oblata sacrificia, vel suffragia valere, quin imò videtur effectus excommunicationis non solùm, quòd suffragia pro talibus non offerantur; sed etiam, quod quamuis quis attentet pro illo offerre, illi non prosit, saltem, quæ offeruntur nomine totius Ecclesiæ, & quantum ad satisfactionem quæ respondet fructui, v.g. Sacrificij Missæ, vt oblati nomine totius Ecclesiæ, quamuis enim talis excommunicatus post prædictam extrauagantem toleratus sit, vtpote non denunciatus publicè; nec manifestus Clerici percussor, ac proinde non peccent fideles pro illo sacrificia, & suffragia communia Ecclesiæ offerendo; quod tamen ea suffragia illi prosint, non videtur ita clarè concessum ab Ecclesiâ, neque id est necessarium ad euitanda scandala, & pericula, seu tollendos scrupulos aliorum fidelium; nam eo ipso, quòd liceat illis orare, & sacrificia offerre pro illis & cum illis agere, & ad Ecclesiasticam sepulturam admittere, satis videtur prouisum, vt omnes scrupuli, & scandala tollantur absque eo, quod suffragia, vt impensa nomine Ecclesiæ pro sint ipsis ad satisfactionem pro peccatis maximè ad tollendam pœnam, si qua est relicta ex illo ipso peccato, ex quo prouênit excommunicatio dum viueret; nullum enim est efficax argumentum, quod probet id esse concessum ab Ecclesia, quamuis enim probabile sit id, quod dicit Suarius & Ecclesia voluerit fauere cæteris fidelibus (quamuis nullo modo directè excommunicatis) fauorque aliquis sit fidelium offerentium suffragia, quod ea suffragia non sint irrita sed prosint ijs, in quorùm fauorem diriguntur & offeruntur, & ex eo capite videatur id cæteris fidelibus concessum in ea *Extrauaganti*; tamen non satis certò constat, quod in illâ *Extrauag.* fiant fidelibus omnes indiscriminatim fauores; sufficit enim ad finem intentum illius legis, quod fauores illi censeantur facti; qui necessarij sunt ad euitanda scandala; & tollendos scrupulos iuxta doctrinam traditam disp. 2. dub. 26. & 39. Propter hæc omnia existimo consultiùs esse procurare absolutionem excommunicationis quantumuis occulta fuerit defuncti excommunicatio.

Absolutio tamen occultè procuranda esset ex mente Authoris; Ratio.

493. Notandum vltimo est cum Auila, cap. 7. disp. 3. dub. 2. eodem omnino modo absoluendum esse defunctum, id est eisdem verbis, atque quando absoluitur viuus; hoc tamen excepto quòd non sit flagellandus, vt iam suprà dicebam, quando est sepultus in loco sacro; quòd si in loco profano sepultus est, dicit exhumandum esse, & flagellandum, atque adeò idem diceret, si nondum esset sepultus.

Notandum eodem modo absoluendû esse defunctû quo viuens absoluitur.

494. Ego tamen, cùm illa flagellatio non sit omnino necessaria etiamsi nondum sit sepultus; sed inclusus tantum in sarcophago non, putarem esse necessarium immediatè verberare, sed sufficere verberare sarcophagum.

DVBITATIO. XXXI.

Quando ille, qui pluribus est excommunicationibus ligatus, censeatur ab omnibus absolutus?

495 Supponendum est primò cum D. Thoma, id, quod iam suprà diximus dub. 23 vnam scilicet Censuram posse auferri aliâ remanente; in quo consentiunt plurimi Authores cum eodem D. Thoma ibi relati. Ex quo fit, vt, qui absoluitur ab vnâ & manet cum aliâ, vel alijs, non restituatur Sacramentis, nec suffragijs Ecclesiæ, nec Communioni fidelium, vt rectè notat Paludanus in 4. dist. 18. q. 5. art. 3. conclus. 2.

Supponendû cum D. Tho. vnam Censuram posse auferre aliâ remanente.

496 Supponendum est. 2. quando excommunicationes sunt à diuersis Iudicibus, non posse ab vno excommunicatum absolui ab omnibus excommunicationibus; sed à quolibet absoluendus est à suâ; nisi vni & eidem cæteri tribuant facultatem absoluendi, vel, nisi absoluens sit illis Iudicibus superior potens absoluere ab omnibus, & id intendens.

Suppondû 2.

497. Supponendum est. 3. tanquam certum, quod innodatus pluribus excommunicationibus ab omnibus illis potest absolui vnicâ absolutione, quando absoluens habet facultatem in omnes illas; simul tamen necessarium est, vt absoluens habeat intentionem absoluendi à pluribus & quod ea intentio verbis aliquo modo exprimatur, vt si dicat *absoluo te ab omnibus excommunicationibus*, vel *ab omni excommunicatione*, vel *ab omni vinculo excommunicationis*. Quando autem quis absoluit à vinculo excommunicationis indefinitè; an absoluat ab omnibus, vel ab eâ, vel ab eis tantum, quæ à pœnitente propositæ, & declaratæ fuerunt? controuersia est inter Authores; & quod attinet ad Censuras reseruatas, quando censeantur absolutæ, & quando non, diximus dub. 21. & de *Pœnit.* disp. 11. dub. 8. Pro alijs verò doctrina explicabitur sequentibus assertionibus.

Supponendû 3.

Controuersia inter Authores.

498. Assero. 1. Ligatus pluribus excommunicationibus ab omnibus illis censetur absolutus si omnes fuerunt absoluenti significatæ, & expressæ, etiamsi absoluens potens ab omnibus absoluere, tantum indefinitè absoluerit, dicendo *Absoluo te à vinculo excommunicationum*. Ratio est tum quia indefinita propositio in his rebus (sicut in doctrinalibus) æquiualet vniuersali: tum quia satis præsumitur eam intentionem habuisse qui absoluit; alioquin debuisset monere pœnitentem, aut exprimere excommunicationem, & causam in particulari, à quâ tantum intendebat absoluere. Est omnium Doctorum sententia, quos

Assert. 1.

Ratio assertionis.

quos viderim. Ita Couarr. c. Alma p.1 §.11.n. 13. & alij, quos retulimus citatâ dub.23.

Assertio 2. 499. Assero 2. idem dicendum esse, quoties prudenter præsumitur quòd is, qui absoluit in definitè, habeat intentionem absoluendi ab omnibus, etiamsi illi in narratione, seu petitione non fuerint omnes Censuræ in particulari, & expresse significatæ, vt, si dixit *Absolutè à vinculo excommunicationis ex quacumque causâ*, & à fortiori, si dixit: *absoluo te ab omni vinculo excommunicationis*, vel si addidit illas particulas. *In quantum possum & indiges*; tunc enim satis significat si velle liberare reum ab omnibus, quas ipse potest, dummodo non taceatur, seu occultetur illi aliqua malitiosè iuxta dicenda assert. sequenti; atq; (vt ait Nauarrus c.26. n.8) ita expedit, vt Confessarius semper absoluat, etiamsi ignoret pœnitentem aliquâ excommunicatione teneri, idque multò potiori ratione, quando scit aliqua fuisse legatum. Quod verò tunc non sit necessaria alia absolutio, quando Pœnitens recordatur excommunicationis oblitæ, diximus dub.21. §. *Ex tradita doctrina* cum eodem Nauarro, & alijs.

500. Idem quoque dicendum est, etiamsi solum dixerit *absoluo te à vinculo excommunicationis*, tamen pœnitens expressâ vnâ, vel alterâ excommunicatione petijt, vt etiam ab alijs, si fortè tenetur absoluat iuxta doctrinam traditam eâdem dub. 25. dummodo (vt ibi diximus) malitiosè non occultet. Ita Tabiena *absolutio* 3. n. 9. Auila p.2. c.7. disp. 2. dub. 3. conclus 3. sed omnia regulanda sunt iuxta ibi dicta §. *Quæret tamen*. Idem dicunt prædicti Authores, quando absoluenti vna tantum proponitur, tamen ipse aliâ viâ habet notitiam reliquarum. Et hoc ipsum extendunt Couarr. suprà conclus. 6. & Auila conclus. illâ 3. cum Paludano in 4. dist. 18. q.5. art.3. quoties verisimili coniecturâ præsumitur prædictum indefinitè absoluentem etiam absoluturum ab omnibus tacitis excommunicationibus, si earum notitiam habuisset.

Assertio 3. 501. Assero 3. ligatus pluribus excommunicationibus, si tantum fecit mentionem vnius; non manet absolutus à reliquis, etiamsi ab eo, qui potestatem habebat in omnes, absoluatur in definitè, & absolutè, quando nullâ probabili coniecturâ præsumi potest intentio vniuersalis absoluendi ab alijs. Ratio est; quia talis absolutio indefinita solùm referetur ad excommunicationem in petitione commoratam, quando

Ratio.

aliunde non constat debere extendi ad alias. Ita Syluest. *absolutio* 3. q.8. n. 11. Couarr. *suprà conclus.* 2. Auila *conclus.* 3. Richardus S. Thom. & alij suprà. Suarius, Vasquez, & alij citati in principio dubitationis 23. Multò minus censebitur absolutus ab omnibus per talem absolutionem, qui propositis aliquibus, dolosè aliquem reticet iuxta dicta citatâ dub. 25. tunc enim in illa indefinita imò, & in generali potiùs præsumitur Iudex nolle à tali absoluere; neque enim velle debet, quod fraus patrocinetur alicui; pro quo est optimus Textus c. *super literis* de *Rescriptis*, & expresse habetur c. *Cùm pro causâ* & c. *officij*, vbi decernitur eum, qui excommunicatus erat propter dictas, & absolutus fuit ab excommunicatione factâ solum mentione vnius causæ adhùc manere ligatum excommunicatione ab aliam causam.

502. Verum quidem est illum, de quo loquitur Textus fuisse excommunicatum propter diuersa peccata in specie, scilicet, propter percussionem Clerici, & propter violationem immunitatis Ecclesiæ, quia illum Clericum eduxerat è loco sacro. Idem nihilominus indicium est, si excommunicatio fuerit propter diuersas tantum numero causas, & non specie, vt, si quis percusserit plures Clericos, vel eundem diuersis temporibus iuxta dicta disp. 2. dub. 17. cum multis ibi relatis §. *Si verò peccata*, in talis enim casu plures incurrit excommunicationes, vnam independenter ab aliâ. Idem quod in prædictis Textibus, habetur expresse in c. *Ex parte* de *offic. Ordinary*, qui Textus magis adhuc vniuersaliter loquitur; nec exprimit causam diuersæ, vel eiusdem speciei.

503. Addunt Couarruuias *suprà conclus.* 1. Panormit. Felinus, Gloss. & alij in dicto c. *ex parte*, & in c. *pro causâ* Henriq, illos sequutus *lib.* 13. *c.* 30. n.2. quod, si quis per vnam sententiam vnã tantùm incurrerit excommunicationem propter varias causas diuersæ speciei, non valet absolutio, si causa tacita erat æquè principalis, ac ea, quæ fuit expressa; At verò tacuisse causam minoris momenti, & quâ expressâ non auertisset Prælatum, nihil nocet, & ita censetur absolutus; quia absolutio tunc non censetur coacta; sed voluntaria. *Addunt Couarr. & aly.*

504. Addit etiam idem Henriquez, quod, si reus vnam tantum; sed grauiorem incurrit excommunicationẽ propter causas diuersas eiusdem speciei, vt si multis, & ingentibus ictibus percussit Clericũ, vel, si cõcubina sæpius rem habuit cum Clerico iam denũtiato, propter cõcubinatũ satis videtur expressisse causã in cõmuni dicẽdo se percussisse Clericũ, vel rẽ habuisse cũ denuntiato propter concubinatum. Probat verò Henriquez, quia vna erat excõmunicatio. *Addit Hẽriquez.*

505. Hæc doctrina & exempla, quibus illam probat, non videtur omnino vera; neque enim ibi semper est unica excommunicatio. Sanè, si agamus de percussione Clerici, & omnes illi ictus sint in vno conflictu moraliter per modum vnius, vera est doctrina, & ratio; est enim vna excommunicatio propter causam moraliter vnicam, licèt grauissimam; Si verò sint cum interruptione, vt suprà diximus diuersis temporalibus causæ, & excõm. sunt diuersæ numero. Itẽ in exemplo concubinatus, si agamus de excommunicatione latâ propter excõm. in crimine criminoso cum Clerico denuntiato propter concubinatum adhuc distinguendum est; nam, si ille fuit excommunicatus propter determinatum quendam concubinatum cum aliquâ personâ diuersa ab illâ fœminâ, illa peccans cum tali Clericu non communicat in crimine criminoso, propter quod excommunicatus fuerat Clericus. Vnde non habet in eâ locum hæc doctrina iuxta ea, quæ latè diximus disp.2. *dub.* 37. à §. *secunda conditio*. Si verò excommunicatus esset propter concubinatum cum illâ, vera est doctrina Henriquerij, tunc enim omnes concubitus habiti per illud tempus, quo moraliter censetur perseuerare concubinatus ille, censentur actus eiusdem concubinatus habitualiter perse- *Authori non placet doctrina Hẽriquez nisi cum limitatione.*

Quod per concubinatum intelligatur. perseuerantis; neque enim concubinatus dicitur vnus aut alter congressus, sed moralis, & habitualis perseuerantia cum alijs circumstantijs iudicio prudentis sufficientibus ut illa censeatur illius concubina; neque enim concubinatus censetur casu, & per accidens oblatis occasionibus binis, aut ternis peccasse; ac proinde in eo casu omnes illi actus censentur constituere vnum concubinatum, & erit vna causa excommunicationis, & vnica excommunicatio. Si verò Clericus ille excommunicatus erat, quia erat scortator, & fornicarius non determinatè cum hac, aut illâ, sed indifferenter cum quacumque tunc, quæuis fœmina, & quotiescumque peccet cum illo, erit excommunicata; nisi ignorantia excuset. Ratio est, quia toties communicat cum illo in crimine criminoso. Quamuis (vt notauimus citatâ dub. 37. §. *verum quidem est*,) adhuc ex doctrinâ traditâ possit hæc fœmina excusari etiam in hoc vltimo casu, quia vnus, aut alter congressus non censetur participatio, in consuetudine; cùm autem ille Clericus excommunicatus esset, vt supponimus, propter consuetudinem scortandi; non censebitur illa fœmina communicare in consuetudine, quousque censeatur illa etiam particeps consuetudinis propter frequentiam actuum.

Ex hac doctrina sequitur. 306. Ex tradita doctrinâ sequitur, si Hæreticus ab Inquisitoribus interrogatus confiteatur aliquas Hæreses, alias verò occultet, & post sententiam sit ab Inquisitoribus absolutus, & reconciliatus; adhuc manere excommunicatum. Quâ de re latè diximus dub. 13. & præter Ferdinandum de castro ibi citatum docet Auila. p. 2 c. 7. disp. 2. dub. 3. in fine.

Notandum iuxta aliquos nō valere absolutionem, ab vna excom. non Explicatâ aliâ. 507. Tandem notandum est aliquos existimare absolutionem obtentam ab vnâ excommunicatione, non explicatâ aliâ excommunicatione, seu causâ nihil valere, & nullam esse, etiam, quoad excommunicationem, & causam illam expressam. Quod videtur probari ex dicto c. *officij* ibi; *absolutio subrepta non prodest*.

Author putat probabilius valere quoad explicatam excomm. 508. Probabilius tamen puto valere, quoad illam excommunicationem, & causam, quæ expressa fuit. Ita Nauarrus cons. 16. *de Clerico excommunicato*, numero 1. & Nicolaus Garzia de *Benef.* p. 8. c. 3. numero 14. qui illa verba capitis *officij*, cum Gloss. & Doctoribus ita explicat, ut illa absolutio non prosit, quoad effectum, & ad missionem ad communionem Ecclesiæ, quia manet impeditus per alias excommunicationes.

509 Sed non puto huiusmodi c. pertinere ad nostrum casum; hic enim agimus de duplici excommunicatione: fieri autem potest, vt absolutio ab vnâ excommunicatione non censeatur subreptitiè obtenta, quamtumuis reticeatur alia excommunicatio, & eius causâ. Itaque concedo verba Textus sed nego iam absolutionem esse subreptam comparatione illius Censuræ, cuius causâ explicatur.

DVBITATIO XXXII.

An absolutio obtenta ex falsâ causâ sit nulla?

510. Alio modo solet præfigi huiusmodi titulus, an scilicet absolutio data per dolum, aut errorem valeat? Prima sententia vniuersim negat valere. Ita Glossa. c. *ex parte de officio ordinarij* Antonin. 3. p. tit. 24. c. 77. & alij Probant ex dicto. c. *ex parte*. *Varia hac in re sententia. Prima sententia.*

511. Secunda sententia asserit absolutionem obtentam ex falsâ causâ non iuridicè probatâ verâ esse nullam, absolutionem verò, quæ procedit ex falsâ quidem causâ re ipsâ; sed iuridicè probata verâ validam esse. Ita Couarrub. c. *Alma*. p. 1. §. 11 numero 14. Probat quia excommunicatio ex falsâ causa iuridicè probata vera, valida est: ergo & absolutio; nam, sicut in absolutione, si absoluens sciret, non absolueret: ita in excommunicatione, si excommunicans sciret, nō excommunicaret & tamē hoc non obstante excommunicatio tenet: ergo, & absolutio. *Secunda.*

512. Tertia sententia docet absolutionem obtentam ex falsâ causâ ipsius excommunicationis (hoc est, quando excommunicatus obaliquam causam, eâ non expressâ, sed aliâ, obtinet absolutionem) esse nullam omnino; ita enim habetur expressè. c. *ex parte* de officio Ordinarij; sicut etiam ligatus pluribus excōmunicationibus obtinens absolutionem expressâ vnâ tantum excommunicatione, seu causâ non manet absolutus, quoad alias, vt habetur c. *Cum pro causâ* &c. Officij de *Sent. excomm.* iuxta dicta dub. præcedenti, assert. 3. Absolutionem verò excommunicationis obtentam ex falsâ causâ ipsius absolutionis, vt quia falsò probauit coram Iudice, vel affirmauit Confessario se satisfecisse, vel esse impotentem ad satisfaciendum, validam esse si data sit ab Ordinario vel ab alio inferiore; solùm verò esse nullam, quando est à Papa, vel eius delegato. Ita Nicolaus Garzia de *Beneficijs*. p. 8. c. 3. numero 10. refert verò pro suâ sententiâ Nauarrum, & Ludouicum Lopez, sed hi hoc non docent; refert etiam decissionem quandam Rotæ, & Francum in c. *venerabilibus*, §. *sanè de sent. excom.* in 6. & Caputaq quos tamē nec vidi nec præ manibus habeo; possum tamen dubitare, an falsò referantur, sicut, & præcedentes. Fundamentum huius Auctoris est, quod putet omnes gratias, dispensationes, Licentias, absolutiones obtentas ab Ordinario per nullam subreptionem fieri irritas, sed esse validas quantumuis obtinens decipiendo peccet; & solùm putat esse irritas illas, quæ per subreptionem obtinentur à Papa vel eius Legato. Quod probat ex Clementin. 2. de *officio Ordinarij*. Consentit etiam Sà verb. gratia numero 22. *Tertia.*

Quando admittendum Discrimen inter impetrationes obtentas à Papa, & ab ordinarijs. 513. Hoc tamen discrimen inter impetrationes obtentas à Papa, & ab Ordinario, non est vniuersim verum; sed solùm in Materiâ beneficiorum, in quâ loquitur illa Clementina, idque propter specialem rationem, vt optimè probat Sanchez lib. 8. de *Matrimonio* disp. 21. n.

4. à

4. à quo efficaciter impugnatur prædicta vniversalis doctrina. Quia enim, quæso ratione tales disputationes aut gratiæ erunt validæ; nisi sint voluntariæ? Quomodo autem voluntariæ si Prælati decipiuntur.

Quarta est vera sententia. 514 Quarta, & vera sententia est, si absoluens intendat absoluere, non obstante falsâ causâ, quam ipse nouit esse falsam vel ex alijs circumstantijs probabiliter constet quòd, licèt nouisset falsitatem causæ propositæ, adhuc nihilominus absoluisset, valida erit absolutio, quantumuis illicitè, & iniustè data fuerit. Quod aliquando contingere, & absolutionem esse validam habetur in c. *Vniuersalibus §. sane* in fine, de *sentent. excommunic.* in 6. Quando autem absoluens causam falsam sibi propositam putat veram, quam si sciret falsam non absolueret (quam ignorantiam aliqui appellant ignorantiam circa causam finalem) absolutio est nulla, vt habetur. c. *Ex parte* de *officio ordinarij* c. *Cùm pro causa* & c. *officij* de *sentent. excommunic.* Ratio prioris partis huius sententiæ est, quia solo Iure humano prouenit, quòd ille sit excommunicatus: ergo ex voluntate Prælati potentis excommunicationem tollere, pendet, quòd de facto tollatur, quantumuis iniustè, & sine causâ fiat; neque ex Iure probatur quòd habens hanc potestatem Ordinariam non habeat illam absoluté, sed tantùm, si iustè, & ex verâ causâ absoluat. Ratio autem secundæ partis est, quia absolutio pendet à voluntate absoluentis: quando autem ignorans, & deceptus absoluit non absoluturus, si non ignoraret, & deciperetur, deficit voluntas absoluentis, quia ignorantia illa, quæ ex deceptione in re substantiali procedit, inuoluntarium causat. Ideo hanc sententiam docent Authores cum primis graues Theologi pariter & Iuristæ, quos refert Couarr. suprà, & Scholastici in 4. dist. 18. vbi D. Thom. q 2. art. 5. Syluest. *absolutio* 1. n. 13. Angelus *absolutio* 3. n. 12. Tabiena n. 10. Nauarrus c. 27. n. 38. Henriquez lib. 13. c. 30. n. 3. & 4. Saytus in Thesauro tomo 1. lib. 2. c. 21. n. 26. & 27. Suarius de *Censuris* disp. 7. sect. 6. n. 12. Auila p. 2. c. 7. disp. 2. dub. 4. Filliucius c. 10. quæsito 5. n. 321. & quæsito 6. ad finem. Reginaldus lib. 9. n. 47. Sanchez in *summâ* lib. 2. c. 12. n. 8.

Absolutio potest esse valida, licèt illicita &

Ratio.

Ad fundamentum primæ sententiæ. Resp. 515. Ad fundamentum verò primæ sententiæ respondetur, quòd Textus ille loquitur de deceptione & falsitate, quæ reddit absolutionem inuoluntariam; Ideo non destruit primam partem nostræ sententiæ; sed confirmat secundam, vt patet ex citato c. *venerabilibus*.

Ad fundamentum secundæ. Resp. 516. Ad fundamentum Couarr. pro secundâ sententiâ respondetur tam absolutionem, quàm excommunicationem procedentem ex falsâ causâ esse nullam, vt de Excommunicatione probauimus disp. 1. dub. 24.

Opponit Couarr. 517. Sed arguit Couarr. si est eadem ratio de excommunicatione, & de absolutione, inde videtur colligi, quòd, sicut excommunitio ex falsâ causâ probatâ verâ est nulla, non obstante quòd excommunicans, si sciret, vellet excommunicare; similiter absolutio ex falsâ causâ erit nulla non obstante quòd cognitâ falsitate vult, vel vellet absoluere; quod est contra primam partem nostræ sententiæ.

Resp. inter excom. & absolutionem discrimen esse. 518. Respondetur cum Nauarro suprà esse magnum discrimen inter excommunicationé, & absolutionem; nam excommunicatio non pendet ex solâ voluntate excommunicantis sed requirit causam. Quamuis enim quis velit excommunicare innocentem, non excommunicat: absolutio verò pendet ex sola voluntate superioris, qui potest tollere excommunicationem; quamuis alter maneat in suâ contumaciâ, vt dixit Pontifex c. *venerabilibus* citato.

Notat Auila 519. Notat autem Auila, neque dissentit Suarius, & consentit Sà verb. *absolutio ab excommunicatione* n. 14. si reus expressit causam substantialem, & solum fingit causas aliquas accidentales, vt magis alliciat animum Iudicis, valida erit absolutio. Quod etiam docet Bonacin. de *Censuris* disp. 1. q. 3. puncto 8.

Ex dictis infert Suarius. 520. Ex dictis infert Suarius (id, quod notauimus dub. 13. ex alijs multis, & eodem Suario citato n. 12.) quòd, si reus dicat se habere propositum parendi Ecclesiæ, cùm tamen reverâ non habeat, vel; si Apostata exteriùs tantùm, & non interius profiteatur fidem, absolutio data, etiam per inquisitores est nulla, ità, vt licèt postea resipiscat interius; nihilominus peccatum Hæresis vel Apostasiæ æquè reseruatum maneat, atque erat ante absolutionem; sed hoc, quod attinet ad permanentiam reseruationis iam impugnauimus citatâ dub. 13. vbi ad hominem contra Suarium ex eius doctrinâ colligimus non perseuerare reseruationem; sed eo ipso, quo in foro exteriori censetur valida prædicta absolutio, cessare reseruationem modo ibi explicato.

DVBITATIO XXXIII.

An absolutio extorta per vim, vel metum sit nulla? & quando extorquens incidat in excommunicationem?

Absolutio per vim aut metum extorta Iure naturali est valida Iure verò positiuo nulla. 521. SI de Iure ipso naturali loquamur, valida esset absolutio quia voluntaria quantumuis mixtè; at verò ex Iure positiuo nulla est, & irrita ex c. vnico *de ijs, quæ vi* in 6. vbi dicitur *omnino viribus vacuamus*. Quæ doctrina extéditur ad absolutionem cuiuscumque Censuræ etiam minoris excommunicationis. Ita Suarius disp. 1. sect. 5. & disp. 23. sect 4. Nauarrus c. 27. n. 125. Hugolinus Tabul. 1. c. 20. §. 4. n. 2. Henriquez lib. 13. c. 30. n. 1. Coninc disp. 13. dub. 5. & disp. 14. dub. 16. n. 225. Lessius lib. 2. *de Iustitia* c. 17. dub. 6. Filliucius Tract. 11. c. 10. quæsito 5. n 321. Reginald. lib. 9. n. 48. Sayrus lib. 2. c. 21. n. 30. & alij multi.

Diuersa ratio Censuræ ferendæ & absoluendæ. 522. In quo apparet diuersam esse rationem Censuræ ferendæ, & absoluendæ Censuræ; nam Censura vi extorta, quando est iusta causa alioquin ad illam ferendam, valida est, vt cum multis diximus disp. 1. dub. 8. atq; hanc sententiam inter alios docent Paludanus in 4. dist. 18. q. 4. n. 6. Angelus *Excommunic.* 7. casu 18. Syluest. *Excommunic.* 9. casu 17. n. 43. Caietanus verb. *Excommunic.* n. 41. Tabiena *Excommunic.* 5. casu 32. Nauarrus c. 27. n. 125. Henriquez, & Coninc suprà. Less. suprà Auila p. 2. c. 7. disp. 2. dub. 5. Suarius disp. 23 sect. 4. n. 11. Ratio disparitatis *Ratio disparitatis.*

est

est quis excommunicatio nullibi repetitur annullata, cum tamen (vt vidimus) absolutio per vim, & metum extorta Iure positiuo nulla sit.

Extorquens vi vel metu absolutionẽ à Censuris incurrit excomm. ipso Iure.

523 Addendum præterea est eum, qui vi, & metu extorquet absolutionem, seu reuocationem à Censuris tam excommunicationis, quàm suspensionis, & Interdicti incurrere excommunicationem ipso Iure, vt habetur in dicto c.vnicu *de us qua vi* in 6. Quam excommunicationem explicant Paludanus, Angelus, Syluest. Caietanus, Tabiena, Nauarrus, Henriquez, Auila, Suarius nuper citati & alij.

Circa quam excomm. Notandũ 1.

524. Circa quam excommunicationem notandum est primò eam excommunicationem impositam extorquenti per vim, aut metum, non incurri; nisi quando sequutus est effectus absolutionis coactæ post obtentam iam absolutionẽ, vt docent ibi Glossa. verb. *extorserint*. Et Syluest. Caietan. Nauarrus, Auila, & Suarius suprà. Ratio est; quia non excommunicat Textus ille inferentes metum ad hunc finem, sed extorquentes quod verbum intelligitur cum effectu.

Notandũ 2.

525. Notandum, 2. hanc excommunicationem incurri à quocumque extorquente viro vel fœminâ, siue extorqueat illam pro se, siue pro alio excommunicato. Ita Syluest. Nauarrus, & Suarius suprà, numero 12. & Antoninus 3.p.tit.24.c.27 Auila suprà, qui litteram Glossæ: & Caietani probat esse mendosam.

526. Addit Syluester etiam incurrere eum, qui mandat; eum tamen refutat Auila suprà; & meritò reijciendus est; nam iuxta doctrinam traditam disp.1. dub.19. Censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, nec consulentes, &c. dummodò non sint exequentes, vel participent in crimine criminoso fauentes consulentes, & cooperantes in delicto, propter quod iam is, cui cooperatur incurrerat excommunicationem.

Notandũ 3.

527. Notandum 3. hanc excommunicationem incurri, siue illa alia excommunicatio, cuius absolutio extorquetur lata fuisset ab homine, siue à Iure iusta, vel iniusta. Ita Gloss. Nauarrus, Syluest. Caietanus, Henriquez, Auila, & Suarius suprà, qui vltimus addit limitationem dummodò excommunicatio, cuius absolutio extorquetur, fuerit valida; nam, si fuisset inualida, & nulla tam in re, quàm in foro exteriori, non incurreretur noua cẽsura per talem extorsionem; quia tunc non extorqueretur absolutio excommunicationis in rigore, & propriè loquendo; sed ad summum declaratio nullitatis.

Notandũ 4. metum hũc debere esse grauem.

528. Notandum 4. quòd metus, qui infertur, debet esse grauis cadens in constantem virum, nec sufficit leuis. Ita Glossa, Angelus, Syluest. Tabiena. Henriq. Auila. Paludan. Antoninus, & Suarius suprà, numero 11. qui probat tam pro foro interno quàm externo. Caietanus verò suprà sufficere putat metum leuem; cum quo, quantum ad forum conscientiæ consentit Nauarrus. Cum ergo res sit dubia consultius erit tunc absolui ad cautelam.

Notandũ 5. hanc exc. nemini reseruari.

529. Notandum, 5 hanc excommunicationem nemini reseruari, vt patet ex Textu. Vnde potest absolui ab eo, qui potest à mortalibus iuxta dicta dub. 2. & 3.

Notandũ 6.

530. Notandum 6. hanc excommunicationem non incurri quando metus non est illatus; sed innatus, vt si Iudex absoluit, quia timet quòd aliàs occidetur nemine ei mortem minitante. Ita Caietanus, & Auila suprà. Vnde etiam à fortiori valebit absolutio, quando metus incutitur à Deo, vel à causâ naturali, vt dicemus suis locis in similibus casibus agentes de contractu Matrimonij, & de voto.

Notandũ 7. Probabilius videri extorquentem absolutionẽ à minori excomm. non incurrere hanc excomm.

531. Notandum 7. quamuis Geminianus putet incurri hanc excommunicationem ab extorquenti absolutionem à minori excommunicatione; probabilius tamen videri oppositum vt cum Syluestro, & Tabiena docet Auila suprà: tum, quia nomine excommunicationis semper intelligitur maior: tum; quia prædictus Textus constitutionis citatæ pœnalis est atque adeo restringendus.

Nota 8.

532. Notandum 8. non incurri ab extorquente relaxationem cessationis diuinorum, vt cum Geminiano docet Auila: quia Textus non loquitur de illa.

Quæres.

533. Quæret tamen aliquis; an subiaceat Censuræ contra se latæ sub conditione, vel intra talem terminum, qui ante conditionis euentum, vel terminum elapsum per vim; vel metum curauit reuocari sententiam, seu mandatum, in quo Censura continebatur ab ipso incurrenda?

Resp.

534. Respondeo affirmatiuè impletâ conditione, & elapso termino præfixo. Ita Suarius suprà sect. illa. 5. nu. 13. Filiucius suprà, n. 231. Sa suprà, numero 13. Sayrus suprà n. 31. cum alijs multis, quos refert.

DVBITATIO XXXIV.

An quis possit validè absolui, antequam satisfecerit parti læsæ.

Dian. 2 p. T. 11. R. 19. versus notandum esto tamẽ.

535. PEr occasionem multa circa hanc rem diximus maximè dub. 11 agentes de absolutione excommunicationis Hæresis, vel alterius reseruati criminis. Placet autem in specie de hac re disputare; dicemusque plura dub. 39.

Quis nomine partis læsæ hic intelligatur.

536. Nomine autem partis læsæ hoc loco non intelligimus Prælatum conditorem Censuræ; sed personam aliam, quæ vel læsa fuit, &, vt illi satisfieret, imposita fuit Censura, vel antequàm læderetur, Censurâ prohibitum fuit illam lædere nomine autem satisfactionis intelligitur restitutio honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum, vt rectè notat Suarius de *Censuris*. disp.7. sect 5. numero 47. Atque modo prædicto explicant intelligendam esse partem læsam præter Suarium, Sotus dist. 22. q.5. art.3. Henriquez lib.13. cap.28. numero 2. Auila 2. p. c.7. disp.3. dub. 7. & alij multi. Quibus præmissis iuxta doctrinam traditam dub. illa. 11. & dub. 55. assert. 3. & deinceps.

Assertio 1. habens potestatem ordinariam validè absoluit eum qui nondũ satisfecit parti læsæ.

537. Assero primò, qui habet potestatem ordinariam absoluendi, validè potest absoluere eum, qui nondum satisfecit parti læsæ, etiamsi priùs potuisset satisfacere, aut cautionem satisfaciendi exhibere. Ita Nauarrus, cap. 27. num. 37. Syluest. verb. *ab solutio* 3. num. 3. Caietanus eodem

eodem verb. c. 4. Auila suprà dub. 9. Filliucius c. 9. quæstio 8. n. 295. & alij multi citati dub. 5. contra alios ibidem citatos; nam omnes, quotquot hoc ipsum concedunt habenti potestatem delegatam potiori ratione concedent habenti Ordinariam. Probatur hæc assertio tum ex c. *venerabilem* §. *Sanè* de *Sentent. Excommunic.* in 6. tum, quia cùm ordinarius non habeat iurisdictionem limitatam, validè vtitur iurisdictione, quoties eâ vti vult, etiamsi concedamus grauiter peccare absoluendo pœnitentem ante realem satisfactionem, quam potuisset præstare; Quod, peccatum esse non solum contra Charitatem, sed etiam contra Iustitiam, quia ex officio tenebatur Iudex procurare bonum partis, docent Auila suprà disp. 3. dub. 5. conclus. 2. Coninc disp. 14. dub. 16. n. 205. Henriquez lib. 13. c. 28. n. 2. Hoc tamen decidendum est iuxta principia generalia de Restitutione; quâ de re ex Instituto egimus in nostro opere de Iustitiâ Tract. 2. de *Restitut.* disp. 4. maximè dub. 8.

Probatur.

Assertio. 2.

538. Assero 2. etiam habens facultatem delegatam absque limitatione satisfactæ partis illi concessam, validè absoluit pœnitentem, qui nondum satisfecit. Colligitur hoc ex dictis dub. illâ 15. §. *Probabilior tamen*, & quidem à fortiori; nam si, vt ibi probauimus, valet absolutio non satisfactâ parte, etiamsi in priuilegio, seu facultate absoluendi addatur illa particula *satisfactâ parte* potiori ratione valebit, si non addatur. Præterea, sicut habens Ordinariam potestatem validè absoluit: ita habens delegatam absque limitatione; nam gerit vices Ordinarij. Accedit, quod priuilegium accipiendum est, prout verba sonant, & significant: verba autem significant authoritatem absoluendi non limitatam ad satisfactionem partis: ergo absque tali limitatione valebit absolutio. Ita docent Nauarrus suprà. Suarius disp. 7. sect. 5. n. 42. Auila suprà dub. 9. conclus. 2. Filliucius suprà, Sà verb. *Absolutio ab excommunic.* n. 4. & alij contra Graff lib. 4 *decisionum* c. 16. n. 6. & alios, qui putant in priuilegijs subintelligi hanc conditionem *satisfactâ parte* etiamsi de hac expressè non fiat mentio. Quæ doctrina falsa est, imò etiamsi concedamus illam conditionem *satisfactâ parte* esse intelligendam etiam vbi non exprimitur, adhuc nihil probaret; nam (vt diximus dub. 15. cum multis) non sufficit quòd ea particula exprimatur, vt defectus illius sit defectus conditionis irritans actum, quia nimirum ea, quæ in Iure communi insunt, etiamsi ab homine exprimantur, non inducunt formam specialem, quando eodem modo, & in eum finem exprimuntur ab homine, quo, & in quem à Iure tradita sunt. Legantur ibi dicta §. *Probabilior tamē*. Hæc tamen doctrina non tollit, quin possit concedens facultatem absoluendi sic restringere potestatem, vt nulla sit absolutio sine præmissâ partis satisfactione; negamus tamen sic intelligi restrictam ex eo præcisè, quod petat superior talem conditionem satisfactæ partis.

Priuilegium accipiendum prout verba sonant.

539. Tunc autem censebitur requiri, tanquā conditionem, sine qua non, quando priuilegium concedatur sub hâc formâ *non valeat: non possit absoluere validè: absolutio aliter data nulla sit: aut nullius sit roboris, & momenti.* Quæ omnia sati significant restrictionem potestatis. Solus verò ablatiuus absolutus *satisfactâ parte*, nō sufficit, nā quāuis ablatiuus absolutus importet conditionē. L. *Testatore* ff. de *Condict. & demonstrat.* & conditio importet formam, L. *Qui heredi* & L. *Mennius* ff. eodem titulo tamen (vt rectè docet Sanchez lib. 3. de *Matrimonio* disp. 5. n. 2. & 3. ablatiuus absolutus indifferenter importat conditionem, vel, ad licitum, vel ad validum, id est efficiendi actum licitè, aut validè; in nostro autem casu solùm importare conditionem efficiendi licitè, ita, vt si non fiat satisfactio partis, illicitè detur absolutio; non verò invalidè.

540. Colligitur primo ex dictis, quando pœnitens non potest satisfacere; neque absolutio expectando satisfactionem differri commodè potest, quin per multum temporis cogatur expectare pœnitens; licitè posse absolui cum alijs conditionibus, de quibus diximus dub. 11. *Ex dictis Colligē 1.*

541. Colligitur 2. etiamsi Confessarius habeat limitatam facultatem, vt præmissâ satisfactione possit absoluere pœnitentem, posse absoluere illum, qui, vel totam satisfactionem vel aliquam partem non potest soluere moraliter loquendo sine graui damno famæ, vel status, vel bonorum; nisi fortè creditor sentiat æquale damnum iuxta doctrinas generales de restitutione. Quâ de re laté egimus in nostro opere de *Iustitia* Tract. 2. de *Restitutione* disp. 10. maximè dub. 2 & 3. Ratio est, quia benignè explicanda sunt verba priuilegij, maximè cùm illa solutio sit moraliter impossibilis, ad impossibile verò nemo tenetur. L. *Impossibilium* ff. de *Regulis Iuris.* Accedit, quod, si cessat obligatio tunc restituendi, cessat contumacia non restituendi, ac proinde saltem pro illo tempore satisfactum est parti. Ideò hanc sententiam sequuntur Nauarrus suprà n. 45. Auila suprà disp. 3. dub. 5. Vasquez de *Excommunicatione* dub. 20. Rodriguez 1. p. *summa* c. 83. n. 3. Henriquez lib. 13. c. 28. Suarius disp. 7. sect. 5. n. 41. Filliucius c. 9. n. 295. Coninc. disp. 14. n. 206. Reginaldus lib. 9. n. 65. & alij multi apud Sanchez lib. 2. c. 20. n. 19. contra Sotum in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. Cordub. Tract. de *Indulgentijs* q. 43. Imò Sanchez sentit hoc habere locum, etiamsi in priuilegio solus mortis articulus excipiatur. De hoc tamen iam diximus agentes de potestate Episcoporum in ordine ad casus Bullæ Cœnæ, quando est impedimentum adeundi Pontificem dub. 3. & 8. ibi legatur; tenebitur tamen præstare fideiussionem, aut cautionem pignoratitiam, vel iuratoriam iuxta dicta eâdem dub. 11.

Collige 2. quoad absolutionem ipsius qui vel totam vel partem satisfactionis non potest soluere.

Ratio.

542. Colligitur tertiò posse Confessarium habentem potestatem absoluendi *satisfactâ parte* statim absoluere pœnitentem excommunicatum, qui dedit pecuniam, vel ipsi Confessario, vel alteri viro probo, vt commodiùs fiat restitutio parti læsæ; tunc enim videtur moraliter satisfecisse. Ita Auila suprà dub. 5. & Henriq. sup. n. 4. & Sanch. suprà n. 12. Pari ratione absente parte læsâ, potest excommunicatus deponere pecuniam in loco tuto, vt parti læsæ restituatur; quo præstito, videtur statim posse absolui etiamsi pecunia nondum peruenerit ad partem læsam. Idemque Iudicium est de eo, qui *Collige 3.*

qui per fidelem Campſorem transmittit pecuniam ad creditorem, etiamſi nondum ad eius manus pecunia peruenerit.

Colligo 4.

543. Colligitur 4. poſſe pœnitentem abſolui nondùm reipsâ ſatisfactâ parte quoties non-ſtat per ipſum quo minùs parti ſatisfiat, ſed potiùs per ipſam partem, quæ non vult ſatisfactionem alioquin Dignam acceptare. Ita Auila ſuprà dub. 10. Henriq. lib. 13. cap. 38. numero 4. Caietan. verb. *Abſolutio* c. 4. & alij multi.

An dubitās de obligatione ſatisfactionis poſſit abſolui ante præmiſſam ſatisfactionem.

544. Vtrum autem pœnitens dubitans de obligatione ſatisfactionis poſſit abſolui ante præmiſſam ſatisfactionem? diſputatur ab aliquibus; neque omnino conſentiunt.

Reſp. Nauarrus. Auila Suarius &c. eſſe in foro Externo Ratio.

Reſpondent Nauarrus, cap. 26. numero 7. Auila c. illo 7. diſp. 3. dub. 5. Filiucius ſuprà, Reginaldus numero 67. & 92. Suar. diſp. illa 7. Sect. 5. numero 45. in foro externo poſſe abſolui; quia, quando ſummus Pontifex dicit *ſatisfactâ parte*, intelligendus eſt de ſatisfactione debiti certi; quando autem in foro externo dubiũ eſt, etiam Iudex in foro externo poterit abſoluere, vt colligitur ex cap. 1. de *verb. ſignif.* probatque Nauarrus & Suarius ex ipſo argumento c. *Solet* de *ſent. excomm.* in 6. ibi: *niſi eum excommunicatum pro manifeſtâ dicat offenſâ.* Sed clarius in citato, cap. *ex parte*. 1. de *verb. ſignif.*

Aliter dicendum quoad forũ internum.

546. Quod verò attinet ad forum internum aliter Philoſophandum eſt, quidquid videatur tergiuerſari Nauarrus; nam, ſi pœnitens certus, eſt, ſe damnum intuliſſe; dubitat tamen an ſatisfecerit: tunc etiamſi dubitet, non poteſt abſolui; niſi ſatisfaciat, quia debito certo non ſatisfit per incertam ſolutionem. Si verò dubium ſit circa illationem damni; an ſcilicet intulerit vel non intulerit damnum; tunc non habet locũ quæſtio, quia, neque adeſt obligatio reſtituendi, quia in dubijs maximè in materiâ Iuſtitiæ, melior eſt conditio poſſidentis, neque excommunicatio incurſa fuit ab initio; neque enim excommunicatio fertur; niſi contra verum, & indubitatum debitum, vt reſtituatur.

547 Itaque ex traditâ doctrinâ habemus, quando dubium eſt in foro externo, poſſe pro foro externo abſolui pœnitentem: at pro foro interno ex confeſſione pœnitentis videndum eſt an dubium ſit de contracto debito, ita, vt nunquam fuerit certitudo debiti contracti, & in hoc caſu nulla indiget abſolutione; tenetur tamen adhibere diligentiam ad pellendum dubium. Si verò aliquando contractum ſit debitum, & ſolùm dubitatur de ſolutione ipſius, non poterit abſolui, quouſque ſatisfaciat.

Aduertendum licet Parti ſatisfactum ſit manet Cenſura donec abſoluatur. Ratio eſt.

548. Tandem aduertendum eſt, id quòd ſæpè ex dictis conſtat, etiamſi iam ſatisfactum ſit parti, manere Cenſuram donec abſoluatur; ex quâ doctrinâ reſoluitur id, quod aliqui diſputant; an, ſcilicet, quando aliquis fuit excommunicatus ob aliquod delictum, v. g. furtum, his aut ſimilibus verbis, *ſis excommunicatus, donec ſatisfacias* ceſſet excommunicatio poſitâ ſatisfactione Reſpondeo non ceſſare; ſed neceſſariã eſſe abſolutionem. Ita Suarius diſp. 19. ſect. 1. numero 3. Sa verb. *Abſolutio ab excomm.* nu. 12. Filiucius cap. 9. quæſito, 2. & cap. 10. quæſito, 1. Coninc. diſp. 14. dub. 15. numero 201. & 220. quamuis in contrarium ſenſerit Couarrub. c. *Alma.* p. 1. §. 11. Vaſquez. cap. 18. de *Excom.* num. 2. & alij quos referemus dub. 37. iterum de hac re ex inſtituto diſputantes, vbi eorum opinionem oſtendemus ſatis probabilem. Ratio eſt, quia iuxta doctrinam traditam diſp. 1. dub. 2. & 3. Cenſura non poteſt tolli; niſi per abſolutionem; per ſolam autem ſatisfactionem partis non cenſetur data abſolutio, & negandum, quod aſſumit. Vaſquez citato numero 2. & 3. iam à Iudice, vel à Iure factam eſſe abſolutionem, & ab initio cenſeri illum hominem abſolutum vltra illud tẽpus, vel factum, ſub cuius conditione excomm. indicitur; nã iuxta vſum communẽ non cenſetur data abſolutio à culpâ, vel à pœnâ, antequã culpa, vel pœna incurratur: ergo abſque fundamẽto dicitur in eâ cenſurâ, quæ fertur vſque ad certum diem vel vſq; ad certam conditionem implendam, per ſolam conditionis impletionem, ex vi verborum, quibus talis Cenſura fertur à Iure, vel ab homine, manere abſolutum delinquentem. Alioquin ſequeretur legem continere abſolutionem Cenſuræ, quaſi anticipatam, quouſque Cenſura incurratur, & tunc ſine nouâ lege, aut abſolutione aliquâ, imò nec reſipiſcentiâ ex parte Cenſurati, & ipſo etiã in ſuo, manere abſolutum; quod non videtur concedendum. Probo id ſequi, nam, ſi quis excommunicetur vſque ad certum diem, ſiue Cenſura contenta in Iure ſiue lata ab homine ſine vlla reſipiſcentiâ cenſurati, ſine vllo actu ex parte Iuris, aut hominis ferentis Cenſuram ipſa Cenſura ceſſabit, imò adhuc perſiſtente homine in contumacia; tunc autem, inquiro, vel illa Cenſura ceſſat per abſolutionem, vel, quia eius natura talis fuit ab initio, ut tantum produceretur pro tempore determinato, ſi dicas primùm; nullum eſt verbum, quòd ſonet abſolutionem; ſi dicas ſecundùm; iam illa Cenſura deficit à ratione Cenſuræ conſuetæ in Eccleſiâ ferri: quæ iuxta definitionem traditam citatâ dub 2. eſt *pœna Eccleſiaſtica medicinalis, quæ per abſolutionem tolli debet*, imò ideò illud genus ſuſpenſionis quod aliquando imponitur vſque ad certum diem, vt per ſolũ elapſum tẽpus ceſſet ſine vlla alia abſolutione, non eſſe propriè Cenſuram ibidem explicuimus. Nihilominus hîc diſcurſus non tollit probabilitatem opinionis Couarrub. & Vaſquij, vt videbimus eadem diſp. 37.

549. Probabiliùs eſt quod in hac re ait Syluest. verb. *Abſolutio* dub. 3. hoc ſcilicet poſſe fieri à Papâ, in quo nullam video repugnantiam; nam ſummus Pontifex benè poteſt inducere, ſi vult, tale genus pœnæ, quod duret vſque ad certum tempus. Vnde poteſt priuare pro aliquo certo tempore, & non vltra hominem in pœnam delicti ijs omnibus, quibus excommunicatio priuat ita, vt elapſo tempore talis priuatio ſeu excommunicatio ceſſet; alij verò Prælati inferiores Papâ non videntur poſſe inducere tam diuerſum genus pœnæ, & vſum non receptum in Eccleſia, nimirum Cenſuram ſeu excommunicationem, quæ ex ſe ceſſet ſine abſolutione. Vel cuius abſolutio dependenter à reſipiſcentia ſit antecedente data, habitura effecti poſt reſipiſcentiam ſine nouâ aliâ abſolutione. Vnde in noſtro caſu, etiamſi quis ſatisfeciſſet, non haberetur apud Eccleſiam pro abſoluto. *Probabilius eſt quòd hac in re docet Sylueſt.*

Ioan. de Dicaſtil. De cenſur. X

soluto. Accedit quòd in c. *Quod in dubijs c. sicut nobis* & cap. *Cum desideres. de sent. excomm.* dicitur eiusmodi excommunicatum absoluendum esse: ergo non aufertur excommunicatio ante absolutionem.

550. Sensus igitur talis excommunicationis, in qua dicitur *sis excõmunicatus, donec satisfacias* videtur esse *sis excommunicatus, & non possis absolui donec satisfacias* nullo autem modo talia verba continent absolutionem. Sed ad hoc iterum dicemus dub. 37.

DVBITATIO. XXXV.

Quid significent illa verba in foro interiori, vel conscientiæ, *quando pro tali foro datur vel absolutio, vel facultas, vt absoluatur?*

551. MVlta, quæ ad hanc rem facere possunt diximus in hac disp. varijs in locis præcipuè dub. 4. sect. 2. & 3. & dub. 16. & 18. hîc tamen breuiter, quasi in vnum colligam quæ circa hoc præcipuè explicanda videntur; id autem præstabimus breuibus quæstiunculis.

Quæres. 1. 552. Quæritur ergo primò; quis dicatur absolui in foro interiori conscientiæ?

Resp. 553. Respondetur illum dici absolui solùm in foro interiori; seu conscientiæ; qui absoluitur saluo Iure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & pro eo pœnam, & satisfactionem imponendi ita Suarius disp. 7. de Censuris, sect. 5. numero 30. Rodrig. in *Sum.* 1. p. c. 83. numero 9. Auila. 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 12. Sanchez in *Sum.* lib. 2. cap. 11. numero 13. & lib. 8. de *Matrimonio* disp. 34. quibus in locis id latè, & optimè explicat. Henriquez lib. 13. cap. 27. numero 5. Filiucius Tract. 11. cap. 9. quæsito 7. numero 292. Coninc disp. 14. dub. 16. numero 227. Reginald. lib. 9. numero 5. Bartholom. à Medina in *Instruct.* lib. 2. cap. 12. ad finem Manuale Prælatorum, tomo. 1. q. 46. art. 7. & alij multi contra Nicolaum Garz. de *Beneficijs*, p. 11. cap 10. n. 139. Quòd autem illa particula *in foro conscientiæ* non sit restrictiua ad solùm forum confessionis, constat ex dictis locis notatis.

Quæres 2. 554. Quæritur, 2. vnde dignoscendum sit facultatem absoluendi esse datam ad absoluendum in foro tantum conscientiæ, vel in vtroque?

Resp. 555. Respondetur dignoscendum esse ex verbis concessionis; quando enim facultas conceditur sine vllâ restrictione probabile est concessam esse in vtroque foro, vt ex multis diximus dub. 16. dummodo priùs parti satisfiat; probabilius tamen ibi diximus videri tantum esse intelligendam facultatem in foro conscientiæ cum limitatione tamen ibi assignatâ assert. 2. ibi legatur.

Quæres 3. 556. Quæritur, 3. an qui absolutus fuit in foro conscientiæ ab aliquâ Censurâ contractâ ob aliquod delictum, sit de nouo absoluendus quando defertur res ad Iudicem, vt possit licitè cum alijs communicare?

Resp. 557 Respondeò præcisè loquendo ad communicandum cum alijs, & actus per Censuram prohibitos exercendos, non indigere, quia iam est re ipsâ absolutus, quamuis ratione scandali consultiùs sit absolutionem petere. Constat hoc ex dictis eâdem dub. 16. assertione. 2. Ita Suarius, & alij ibi citati. Alia legantur ibidem, & alijs in locis.

558. Ex quâ doctrinâ colligitur, quòd sic absolutus in foro conscientiæ ab excommunicatione alioquin publicâ potest communicare occultè cum ijs, qui nôrunt ipsum fuisse absolutum; tum enim cessat scandalum. Ita Suarius, Henriquez Nauarrus, Filiucius citati in hac dub. & in illâ 16. post assertionem. 2.

DVBITATIO XXXVI.

An Religiosi absolui ab excommunicatione, & casibus reseruatis, tum per suos Prælatos immediatos, tum per Episcopum diœcesis, in quâ resident? & an ab eisdem possint dispensari in votis, aut legibus, seu præceptis,

559 NOn nihil breuiter diximus circa hãc materiam suprà, dub. 4. sect. 1. & in hunc locum reiecimus de hac re latiùs disputare quamuis aliqua etiam hic dicenda, vt constabit, coincidant cum doctrinâ traditâ dub. 3. Placet tamen tum de absolut. tũ de dispensat. rem totam sequentibus assertionibus declarare.

560. Primâ assertio, si aliqui Religiosi sint non exempti per summum Pontificem ab Episcoporum iurisdictione, non poterunt à suis Prælatis absolui, sicut neque dispensari, sed id munus Episcopi erit; quia hic est proprius, & proximus eorum Prælatus in eâ diœcesi, in quâ degunt; neque enim Religiosi sunt ex vi sui status exempti à iurisdictione Episcoporum; sed per priuilegia, vt rectè probat Suarius de Censuris disp. 7. sect. 3. numero 8. & alijs in locis maximè tomo 3. & 4. *de Religione*. Ideò tanquàm certam nostram assertionem docent idem Suarius tomo 2. de *Religione* Tract. de voto lib. 6. cap. 10. numero 14. Less. lib. 2. de *Iustitia* cap. 40. dub. 13 numero 107. Sanchez lib. *Summæ* cap. 39. numero 9. Nauarrus cap. 12. nu. 87. Ludouicus Lopez, 1. p. cap. 49. vers. *de aliis votis*. Sayrus in suâ *claui Regiâ* lib. 6. cap. 11. nu. 88. notat verò Sanchez numero 14. idem esse dicendum de Religioso professo in Religione quidem exẽptâ, quando à tali Religione fuit in perpetuum eiectus, quia iste (inquit) subiectus manet Episcopo diœcesis, in quâ habitat; sicut cæteri subditi eius diœcesis. *Assertio 1. Religiosi non exempti non poterunt à suis Prælatis absolui. Ratio.*

561. Secundò assertio. Religiosus exemptus non potest absolui à suo confessario Ordinario à Censuris, aut casibus reseruatis superioribus talis Religionis, quia hic est effectus illius reseruationis, poterit tamen absolui per potestatem delegatam quando prædictus Confessarius ordinarius habet priuilegium absoluendi à casibus reseruatis Papæ; tunc (inquam) potest absolui per tale priuilegium à casibus reseruatis Papæ; non verò à casibus reseruatis in ipsâ Religione. Quòd autem possit absolui à, reseruatis *Assertio 2.*

Papæ

Papæ ex eo videtur efficaciter probari, quòd talis Relegiosus est subditus, & pœnitens illius Confessarij: ergo, si hic habet facultatem absoluendi à talibus casibus pœnitentes vndecũq; ad ipsum accedens, poterit etiam hunc absoluere; neque enim debet esse peioris conditionis. Vnde v.g. poterit absoluere Religiosum, qui scienter admisit ad officium Diuinum excommunicatum à Papa, aut, qui scienter sine licentiâ Parochi administrauit ægrotis laicis Eucharistiam, aut extremam vnctionem, aut benedixit nuptias, & sic de alijs casibus Papalibus, qui in Religione non sunt reseruati. Ita sentiunt aliqui viri docti, cum quibus non semel hanc assertionem contuli, & approbarunt eiusmodi discursum.

Assertio 3. quoad Prælatos in Religione exempta.

562. Tertia assertio, Prælati Regulares in Religione exempta possunt suos subditos Religiosos à Censuris, & peccatis, & à casibus etiam reseruatis in Religione absoluere, & in Regulis, & præceptis Religionis, in votisque suorũ Religiosorũ dispẽsare; imo & ea irritare & cõmuniter facere, ea, quæ Episc. circa suos subditos faciunt, & possunt; nisi fortè talibus Prælatis à suis superioribus potestas restricta sit; nam in Religione exemptâ prædicti Prælati habent iurisdictionem quasi Episcopalem, eamque Ordinariam, vt pote quæ non personæ, sed officio, & dignitati est perpetuò annexa. Vnde possunt eam potestatem delegare vt rectè Sayrus suprà n.105. & Sanchez citato c,29 n,4. & alij.

In Religione exempta potestas competit Prælatis cum quadam dependentia.

563. Dixi *communiter, &, nisi potestas restricta sit*; quia in Religionibus exemptis potestas competit Prælatis cum quâdam dependentiâ & subordinatione; nam Generalis pendet à Capitulo, seu Cõgregatione generali, & Prouinciales à Generali totius ordinis, & Prælatis conuentuales, vt Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, à suo Prouinciali. Vnde Prælati superiores possunt restringere potestatem inferioribus, & reseruare sibi aliquorum casuum absolutionem & aliquorum votorum dispensationem aut irritationem. Ex quo fit non posse generali aliquâ regulâ definiri, quid quisque prædictorum Prælatorum possit? Ideò in vnâ quaque Religione consulenda sunt primò Cõstitutiones, & Decreta Congregationum, seu Capitulorum generalium deinde ordinationes Generalis superioris totius Ordinis, ac tandem Prouincialis, quibus adde consuetudines alioquin receptas, & approbatas cum requisitis adhoc, vt vim habeant statuendi aut abrogandi legem, & inde dignoscendum est quid possit, vel non possit quicumque Prælatus? non verò iudicandum erit per solum Ius commune.

Hinc infertur 1.

564. Hinc infertur primò non rectè dixisse Rodriguez super Bullam Cruciatam §. 9. dub. 8. n. 12. Prolatos conuentuales, quales sunt Priores, Guardiani, seu Rectores, æquiparandos esse in potestate erga suos Religiosos subditos cum Parochis erga suos Parochianos; quia, quamuis, quoad aliqua verum sit (non enim possunt prædicti Prælati Regulares reseruare sibi casus, neque licentiare suos, quoad Ordines recipiendos; neque instituere Cathedraticos, Prædicatores, aut Confessarios, neque alienare res temporales Conuentus, aut quoscumque contractus celebrare, aliqua grauiora suplicia infligere, & decernere; imò neque communiter excõmunic. in Religionibus aliquibus, iuxta suprà dicta disp. 1. n. 6. assert. 1. quæ tamen facere possunt Prouinciales, de quo disputare non est huius loci) tamen quoad alia multò plus possunt quam Parochi, quia Parochis nullo modo cõpetit iurisdictio in foro externo, atque adeò nullo modo possunt ex officio, & munere suo absoluere à peccatis & Censuris reseruatis. neq; dispensare in votis, neque ea commutare: non enim sunt Prælati. Solum possunt alicubi ex consuetudine dispensare in festis, & in ieiunijs, vbi non est additus ad Episcopum; non tamen in votis, vt contra paucos docent cum multis, quos referunt, Lessius citato lib. 2. c. 40. dub. 13. n. 109. Suarius citato lib. 6. *de Voto* c. 10. n. 10. & 11. Sanch. ctiato lib. 4. c. 38. n. 24. prædicti tamen Priores, Guardiani, Rectores &c. ex vi sui officij sunt Prælati, & habent iurisdictionem in foro etiam exteriori; Vnde possunt subditos punire, eos absoluere à reseruatis, & cum eis dispensare in votis, ea commutare, & irritare. Ideò in prædictis habent iurisdictionem quasi Episcopalem quamuis non in omnibus alijs quibuscumque. Ideò re meliùs consideratâ, sententiam retractauit idem Rodriguez tomo 1. *Regularium* q. 17. ab articulo 3. vsque ad 8. & in *summâ* p. 2. verbo *Relegiosos* c. 30. à conclus. 1. At, quamuis illic in art. 4. & hic in conclusione dicat quòd hi Prælati conuentuales ex vi Priuilegiorum Ordinis Sancti Francisci & Sancti Dominici habeant tantam, & tam amplam potestatem in suos subditos, atque Prouinciales in totam Prouinciam, & Generalis in totam Religionem: postea in sequentibus addit esse illis restrictam, & limitatam per Capitula generalia, & per superiores Prælatos, proinde in vnâ quaq; Religione consulenda esse Decreta, Ordinationes, & consuetudines, & inde probandum quam quisque potestatem habeat.

Prælati Cõuentuales quoad aliqua plus possunt quã Pastores. Parochis enim nullo modo competit iurisdictio in foro externo.

At Priori, Guardiano &c. cõpetit.

565. Quod autẽ prædicti Prælati in Religionibus Mendicantium, atque in particulari in nostrâ Societate Iesu. Rectores, & Præpositi per potestatem delegatam possint absoluere suos subditos ab omnibus peccatis, & Censuris Papæ reseruatis. Constat ex priuilegijs vel *Absolutio* §. 6. & 10. Vtrum autem intelligantur excepti casus Bullæ Cœnæ, quia in eâ derogantur omnia priuilegia; non est ita certum, maximè in peccato Hæresis occulto, sicut neque an valeat priuilegium Tridentini, aut aliud simile priuilegium concessum à Pio V. vt idem possint tales superiores erga suos subditos, quod Episcopi erga suos, pendet ex dictis supra dub. 3. & 4. & 5. & 10. Sanè Molina Tract. 5. disp. 18. contendit, vt vidimus dub. 5. decretum Tridentini esse derogatum, de quo tamen satis disputauimus ibidem; sed quod attinet ad regulares Rodriguez tomo 1. Regularium q. 20. art. 9. contendit non esse derogata priuilegia Mendicantium Ordinum Prælatis concessa respectu suorum subditorum in ordine ad Hæresim; sed ibidem art. 13. concedit esse derogatâ, quoad Simoniacos in ordinatione, vt notauimus in fine dubitationis 10.

Et possent prædicti absoluere à Cẽ. Iuris Papæ reseruatis.

566. Quamuis autem derogatũ non sit priuilegium

gium concessum à Pio V. vt aliqui volunt (cuius Priuilegij mentionem fecimus, & verba retulimus dub. 3.) nihilominus virtute illius non posse prædictos Prælatos absoluere suos ab Hæresi docet idem Rodriguez q. 20. art. 10. & Sanchez cum multis lib. 2. c. 11. n. 7. quia in ea concessione Pij V. nulla fit mentio Hæresis. Verum, & ibi fieri mentionem sufficientem Hæresis, & ex verbis ipsis Pontificis esse inclusam etiam Hæresim, eâdem dub. 3. latè explicuimus, & impugnauimus prædictos Authores. Legatur dub. 3. §. *dixi ex vi* & dub. 10. citat. vbi diximus qui iam possint, vel non possint superiores in nostrâ Societate, & in alijs Regionibus tam in Hispaniâ quàm extra.

Quod præpositus & rectores Societatis patet ex libro ordinationum. 567. Quod autem omnes Præpositi, & Rectores Societatis possint suos subditos absoluere à casibus reseruatis in Religione, patet ex libro ordinationum, vbi habetur instructio pro ipsis superioribus, & pro Confessarijs nostrorũ. Ratio autem, ob quam habeant hanc potestatem est; quia in quinta Congregatione, in quâ facta fuit casuum reseruatio, omnis reseruatio fit superioribus, & nullum peccatum reseruatur soli Prouinciali; quamuis in alijs Religionibus aliqua reseruentur soli Prouinciali, vt supponit Rodriguez tomo 1. Quæstionum Regularium q. 17. art. 5.

Aduertendum. 568. Aduertendum præterea est in nostrâ Societate idē posse vice-Rectores, quod Rectores, aut Præpositi, quando Rector, vel Præpositus tam longè abest vt pro rei exigentia consuli non satis commodè possit; id, quod declarauit noster Generalis Claudius Aquauiua in præfatione priuilegiorum, vbi id dicitur etiam pro dispensationibus, & alijs.

Dubium 569. Dubitari autem potest quanta distantia, & absentia sufficiat, vt possit vice-Rector, aut vice Præpositus nostros absoluere, non expectato aduentu Rectoris? In hac re in primis distinguendum videtur inter Patres, qui quotidie celebrant, & nisi celebrarent, notam incurrerent, & inter fratres, quando nondum instat dies præscriptus ad communionem; *Resp.* Et quidem multis videtur pro Patribus sufficere absentiam trium, aut quatuor dierum; pro fratribus verò non videtur sufficere ea absentia; sed putant requiri absentiam septem, aut octo dierum. Ita iudicârunt aliqui viri graues de hac re consulti. Mihi tamen absolutè videtur id pro occurrenti occasione, & circumstantijs arbitrio prudentis relinquendum esse; nam si sacerdos non potest sine notâ omittere sacrum, etiam vnius diei, aut medij absentia videtur sufficere; idem iudicium est de non sacerdote, & quando non potest sine notâ omittere communionem iam instantem. Quod sic probo, quia ideò potest vice-Rector absoluere, quando absentia est trium, vel quatuor dierum, sacerdotem, quia ex vno capite notam subiret, si non celebraret; ex alio verò capite non videtur velle Religio, vt talis sacerdos se gerat tanquam qui non habet copiam Confessarij; nam si hoc vellet, etiam plurium dierum absentiam posset expectare toties celebrando, quoties periculum notæ, aliaue necessitas celebrandi vrgeret, & toties abstinendo, quoties talis necessitas non vrgeret; quod non videtur velle Religio; sed potius pro maiori bono conscientiæ absoluendi, vult, vt ille absoluatur, vel ab illo, qui vices gerit superioris, vel de licentiâ ipsius, vtique confidens quòd si loco Rectoris, aut Præpositi cõstituitur ad cætera, quæ pro tempore absentiæ instent, etiam in hoc negotio prudenter se geret, & mauult etiam Religio, quod talis imbecillitatem suam interim Sacramentorum beneficio suffulciat quàm quòd latebras quærat notæ vitandæ causâ, si non celebret, aut communicet, aut careat interim adiutorio auxiliorum, quæ communicantur per Sacramenta Confirmatur, quia etiam pro iter agentibus, quando possent ordinariè excusare notam celebrandi, & differre Confessionem, quousque veniant ad superiorem, conceditur facultas, vt possint confiteri apud Ordinarium loci, vel alium habentem facultatē audiendi confessiones cum onere tamen comparendo coram suo superiore; qua de re diximus de *Pænit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 13. vtique ne talis differat celebrare, aut communicare secundum regulam, maneatque sine beneficio Sacramentorum; ergo pari, imò potiori ratione credendum est hoc ipsum de confessione faciendâ Vice-rectori designato ab eodem Rectore, seu præposito. *Confirmatur.*

570. Præterea qui dicunt, quando absentia est aliquorum dierum trium v. g. aut quatuor, posse absolui sacerdotem non expectato Rectore, ideò dicunt, quia tunc vrget necessitas celebrandi; quia non potest omitti sine notâ & pro tali casu censetur velle Religio, & superior illius, quòd sacerdos absoluatur potius à superiore, qui nunc est, vel de licentiâ illius, quàm quòd expectetur Rector, aut præpositus; sed hæc ipsa ratio potest habere locum in vno die, aut etiam aliquando solùm medio absentiæ: ergo prudentis arbitrio videndum est an hic, & nunc illa breuis absentia sufficiat.

571. Vlterius, etiamsi sequamur opinionem prædictorũ, poterit aliquando nullâ expectatâ morâ absentiæ absolui tàm sacerdos, quàm non sacerdos: quando enim probabiliter per tres illos, aut quatuor dies non rediturus Rector putatur, statim poterit absolui, & valebit absolutio etiamsi casu paulò post redeat superior. Idemq; iudicium est de non sacerdote, quando creditur quòd superior non redibit tempore opportuno cõmunionis; tunc enim poterit statim absolui, & expediet fieri, si alioquin sit dispositus, neque est cur expectet per tot dies, aut vir alioquin Religiosus careat toto illo tempore beneficio absolutionis, & certiori medio ad se constituendum in gratiâ quâ, si sola vtatur contritione. Accedit, quod etiam hic locum habet illa regula de fauoribus ampliandis, & odijs restringendis. Cum ergo Rector, aut Præpositus alium relinquat suo loco non video hanc esse potestatem illi restrictam nisi aliunde constet.

572. De superioribus verò Residentiarum, & missionum dicendum est nihil habere potestatis circa reseruatos casus Religionis; nisi, quod illis concesserit superior à quo mittuntur, vel sub cuius cura sunt, vt ibi declarat etiam noster Ge- *Quid dicendum de superioribus missionum quoad reseruatos.*

Generalis. Quomodo autem se genere debeant nostri quando absentes sunt, aut in itinere, vt à reseruatis absoluantur, habetur in citatâ ordinatione, & instructione, vbi etiam agitur de onere comparendi; & legi possunt circa hoc onus quę diximus citatâ disp.11. de *Pœnit.* dub 13. 14. & 15. vbi tàm pro Censuris, quàm pro peccatis reseruatis doctrinam dedimus generalem; tum pro Religiosis, tùm pro alijs.

573. Quòd verò Superiores aliquarum Religionum non possint absoluere suos Religiosos, nec dare licentiam, vt confiteantur cum aliquo, nec possint sibi eligere Confessarium; nisi Sede vacante. Hoc est mortuo, vel amoto Priore. probant Sotus in 4. dist. 18 q.4.art. 2. Syluest. verbo *Confess*r..1.q.8. dicto 3.& verb. *Prælatus*, q.2. quia nisi mortuo, vel amoto Prælato illi Prælati non sunt.

574. Verùm etiam absente Prælato esse verè Prælatos quia tota conuentus gubernatio ad ipsos spectat, tanquàm Prælatorum vices gerentes affirmant Sanchez in *Sum*.lib.4.c.33. nu. 16. (& in hoc censu intelligit etiam Sotum, & Syluestrum) Llamas etiam.1.p.cap.5.§.14.quod dicit esse Ius commune pro omni Religione Ideò putat Suppriorem, vel Vicarium in absentia Prioris, seu Abbatis posse sibi eligere Confessorem, & dare licentiam, vt absoluatur quis à reseruatis. A quodam etiam viro graui Hieronymianæ familiæ in Hispaniâ audiui Vicarium Domus, sicut præsente Priore nihil potest, nisi ex præscripto ipsius, ita illo absente omnia posse. Cum prædictis citatis consentit Rodrig. citatâ q.20. *Regularium*, & in *Summa*. verb. *Religiosos*, cap. 30. conclus. 4. citans Nauarrum, & alios, imò id contendit probare Iure commune; neque posse Guardianum, seu Priorem limitare suo Pręlato hanc potestatē in suâ Religione, & addit ex statuto suæ Religionis Vicarium gaudere hac potestate, quando præsentia Guardiani non potest haberi intra viginti quatuor horarum spatium.

575. Addit etiam conc.5.mortuo Guardiano, vel Priore exspirare potestatē Vicarij, vel supprioris, idq; conatur probare ex Iure communi,

576. Hoc tamen habere locum in suâ Religione Franciscanâ possumus illi credere tanquā oculato testi, sed pro Dominicâ familiâ tanquam illius filij oppositum affirmant Sotus, & Syluest. & pro Ordine Cisterciensi Llamas eiusdem Religionis alumnus. Vnde (vt iam notabam) omnia decidenda sunt, non per Ius commune; sed iuxta particulares Constitutiones. Ordinationes, & Decreta cuiusque Religionis, vt omnino fatetur tandem ipse Rodriguez citatâ, q.20. Regularium art.3.

577. Quod autem omnes prædicti Prælati scilicet non generalis tantum, aut Confessarius generalis, Visitator, aut Prouincialis; sed etiam Priores, Guardini, Præpositi, Rectores &c. possint irritare vota suorum subditorum, quia nimirum habent potestatem dominatiuam super illos, latè probant Rodriguez tomo.1. *Regularium*. q.25.art 5. Suarius to 2. de *Religione* lib.6. de *Voto*. cap.10.numero 15.Sanchez lib.4. *Summæ*.cap.33. numero 15. atque hoc dicunt posse

Omnes Religionum Prælati possunt irritare vota suorũ subditorum.

etiamsi non sint exempti, quia hoc non putant habere per potestatem Prælatiuam, quæ descendit à Papâ; sed per dominatiuam dimanantem ab obedientiæ voto; licèt illi non exempti non possint dispensare. In hoc tamen fundamento nonnulla inuoluuntur difficilia in proprio Tractatu de *Voto* disputanda: interim non puto votum, vt votũ dare vllam potestatē dominatiuā, neq; vllāaliam; votum enim vt votum dirigitur ad Deum, & totam potestatem, quā habent Superiores, siue propriè dicantur Prælati; siue non, existimo manare à Sede Apostolica constituente Superiorem nam votum, vt votum non dat iurisdictionem alteri homini neque vllam potestatem; nullum enim est caput, Vnde colligatur talis potestas manans à voto. Vnde, quis faciat votũ obediendi suo Confessario, aut alteri cuicumque viro, vel fœminæ prudenti, & potenti dare bonâ consilia, nullam per votum confert potestatem tali personæ, cui vouit præstare obedientiam; sed solùm ex parte suâ obligauit Deo & illa talis persona non poterit irritare alia vota eius, qui sic vouit illi obedire, quia nullum acquisiuit Ius in vouentem. Vnde, si superior Religionis potest irritare vota saltem in materiâ propriè sibi subiectâ; ; id habet propter Ius, & Superioritatem ad illum mediatè, vel immediatè à sede Apostolicâ manantem; quia ergo superior ille Religiosi subditi habet sub potestate suâ subditi voluntatem (maximè circa materiam subiectam superiori secundum regulā, vt suo loco explicabitur in Tract. de voto) hinc est, vt subditus non possit vouere circa talem materiam; nisi dependenter ab approbatione Superioris habentis Ius dirigendi, & disponendi, laxandi, & cohibendi voluntatem subditi circa talem materiam; imò & circa actum ipsum vouendi vt etiam ibidem explicabitur, ac proinde poterit irritare talem actum vouendi, quò minus inducat obligationem; vel, quò minus semel inducta conseruetur.

Votum vt votum non dat alteri Centiae Iurisdictionem aut potestatē

Sed solùm vouens se obligat Deo

578 De Supprioribus autem, & Vicarijs quia non sunt Prælati, sed ministri Prælatorum, non possunt (ait Sanchez irritare vota subditorum; possunt tamen occupare subditum tempore, quo votum impleturus erat; quia ad hoc satis est potestas œconomica, & eâ ratione pro tunc suspendetur obligatio voti. Si verò absentes sint Priores, Guardiani, seu Rectores, poterunt ministri irritare vota, quiâ tunc plenâ Prælatorum vice funguntur: Ita Suar. & Sanchez citati.

579 De Abbatisis verò, seu Priorisis Monialium multi dicunt non posse irritare vota suarum Monialium; probabilius tamen est posse, vt cum multis docet idem Sanchez suprà num. 19. & iterum dicemus suo loco.

Probabilius est Abbatisas Priorisas posse irritare suarũ Monialium, vota.

580. Quando autem dicimus Prælatos posse irritare vota Religiosorum intelligendum est (vt aliqui volunt) excepto voto transeundi ad strictiorem Religionem, & exceptis tribus votis substantialibus Religioni, & prætereà exceptis votis, quæ in aliquibus Religionibus emittuntur iuxta suas constitutiones à sede Apostolicâ approbatas, vt in Religione Minimorum votum vitæ Quadragesimalis, & in Religione Sanctissimæ Trinitatis votum redemptionis Captiuorum,

Dicta quoad Prælatos Religionum in irritatione votorum exceptionem patiuntur.

rum, & in Societate Iesu quartum votum solemne in professione quatuor votorum emisso circa missiones ad prædicandum Euangelium obeundas etiam non petito viatico ex præscripto Romani Pontificis etiam inter Infideles; & alia quinque vota, quæ statim post solemnem professionem emittuntur simplicia; quia omnia hæc sunt extra superioris dominium, vt notat Sanchez citato lib. 4. cap. 33. numero 5. qui addit numero 13. neque à Pontifice posse irritari huiusmodi vota licèt Pontifex possit in eis dispensare, & licèt possit irritare omnia, quæ irritare possunt Prælati Religionum; quia ipse est supremus Religionum Prælatus.

Hæc doctrina quamuis generaliter loquendo vera sit in aliquibus habet difficultatem.

581. Hæc doctrina generaliter loquendo verissima est: in aliquibus tamen habet aliquam difficultatem: nam in illo voto transeundi ad strictiorem Religionem in primis (quod non negabit ipse Sanchez) si Religio (vt multæ habent) habeat priuilegiũ, quòd subditi sine superiorum facultate petitâ, & obtentâ non possint ad prædictam Religionem transire: difficilè apparet quòd non possint huiusmodi votum irritare; nam si superior Religionis, in qua est professus potest illi negare facultatem transeundi ad aliam Religionem strictiorem, ideò est, quia habet absolutè potestatem retinendi illum apud se, & cogendi ad talem vitam, & regulam, quam semel professus est. Cùm hac autem permanentiâ in tali habitu, & professione repugnat transitus ad aliam Religionem: ergo pugnat materia talis voti cum materia subiecta superiori illius Religionis, in qua est; quando autem votum est circa materiam subiectam absolutè superiori, poterit superior irritare tale votum.

Ad difficultatem responderi posset.

582. Responderi tamen posset votum illud nunquam dare locum irritationi: nam, vel votũ factum est transeundi ad Religionem strictiorem absque voluntate talis superioris, quem habet in Religione minus strictâ, aut cum voluntate & facultate ipsius: si primùm dicatur, non est locus irritationi; quia tale votum est de re illicitâ, atque adeò inualidum; irritatio autem cadere debet suprà votum validum; si verò dicatur secundum, nihil est, quod irritetur; nam votum faciendi opus tantæ perfectionis cum voluntate Superioris non est votũ de materiâ, vt sic subiectâ superiori; nam si aliquâ ratione esset subiecta materia superiori, solùm esset vel ratione voti obedientiæ, & traditionis factæ à tali professo illi Religioni, in quâ professus est, & Superioribus illius vt eorum subsit voluntati; item ratione Iurisdictionis seu Iuris, & potestatis, quam habet superior emanatam à sede Apostolicâ; sed hæc traditio, potestas, subiectio, iurisdictio solùm habent pro materia, quòd nihil fiat præter, aut contrà voluntatem talis Religionis, aut superiorum illius, votum autem, de quo nunc loquimur, non est votum transeundi ad strictiorem Religionem præter aut contra voluntatem illius Religionis aut superiorum: ergo non est votum irritabile à tali superiore, quia nullo modo opponitur subiectioni, quam alioquin habere debet erga illum.

Responsio data non satisfacit. Ratio.

583. Nihilominus hæc responsio non satisfacit; nam, vt dicemus in Tract. de *voto* & suprà indicabamus, censeri potest materia subiecta superiori non solùm materia ipsa voti, id est obiectum, seu res promissa, sed etiam ipse actus vouendi, & quòd subditus habeat vinculum, & obligationem voti; habent enim Ius superiores Religionis, vt subditi, qui se, suamque voluntatem subiecerunt superiori, & illius gubernationi etiam in ijs, quæ pertinent ad virtutem, & obsequium Dei, sequantur superioris ductum, maximè in rebus grauioris momenti, qualis est super inductio obligationis ex voto. Idque maximè verum videtur in nostrâ Societate, vbi ex præscripto Regulæ omnia etiam actus virtutis, & Religionis debent fieri ex consilio, & ductu superioris, qui omnibus pensatis meritò potest velle vt sibi subditus Religiosus non obstringatur vinculis votorum; neque habeat similes occasiones, & pericula peccandi.

In Societate omnia, etiã actus virtutis debẽt fieri ex concilio Superioris.

Ex his Collige quæ vota sunt irritabilia à superiore.

584. Ex hoc toto discursu videtur colligi illa omnia vota esse irritabilia à superiore, quæ aliquo modo concernunt materiam superiori subiectam, siue, quia materia, seu actus promissus est subiectus voluntati Superioris, siue quia actus ipse promittendi, & inducendi super se obligationem, superioris voluntati subijcitur, & fieri non debet; nisi ex illius consilio, & voluntate. Hoc autem totum locum habet in omnibus votis emissis à Religioso post vota substantialia Religionis, & alia ipsi professioni Religiosæ annexa; talia autem sunt vota tria substantialia Religionis scilicèt paupertatis, castitatis, & obedientiæ; insuper illa vota, quæ his tribus annectuntur iuxta Constitutiones, & institutum cuiusq; Religionis, nempe in Religione Minimorum votum vitæ Quadragesimalis, in nostra Societate votum illud quartum solemne quod diximus, & alia quinque simplicia, quæ immediatè post professionem fiunt, aut votum redemptionis captiuorum in Religionibus ad id institutis; hæc enim vota non tam fiunt à subditis superiori talis Religionis quam per ipsamet vota cõstituuntur Religiosi talis Religionis; atque adeò actus ille vouendi, & materia promissa non sunt actus prouenientes à subdito, & Religioso iam constituto, sed sunt ipsa forma substantialis constituens Religiosum talis ordinis, vel sunt, quasi proprietates annexæ, & consequentes ipsam essentialem constitutionem Religiosi. Hoc dixerim propter illa alia vota, quæ tribus votis substantialibus annectuntur. Hæc ergo vota non possunt à superiore irritari, quia nullo modo sunt materia ipsi subiecta ad hoc quin potius quòd ipsa vota obseruentur, & ratas sint ac valida, est essentialiter requisitũ ad hoc, vt talis Religiosus, & cæteræ eius actiones cõsentur superiori subiectæ; id autem nõ habet votum transeundi ad Religionem strictiorem ex voluntate superioris.

Vota substantialia Religionis & his annexa non sunt à superiore irritabilia.

Ratio est

585. Quando autem votum transeundi ad Religionem strictiorem fit in Religione non habente tale priuilegium, vt nemo possit sine facultate petitâ, & obtentâ transire ad aliam Religionem, etiam strictiorem, tunc ideò votum illud non subijcitur superioribus eius Religionis, in quâ adhuc est, quia talis transitus Religioso permittitur Iure cõmmuni Canonico, vt colligitur. c. *statuimus*, & c. *Mandamus* 19. q. 3. & c. *licèt* c. *significatum* c. *non est vobis*. c. *sane. de Regularibus*

Transitus ad strictiorem Religionem Iure Communi Religioso permittitur.

dummodo

dommodo studio tutioris vitæ melioris; & sanctioris fiat ille transitus, vt apertè definiuur in citato c. *licet*. Alia, quæ ad hoc negotium pertinent in Tract. *de Voto* explicanda sunt.

Prælati non possunt Nouitiorum vota irritare.

586. Quod attinet ad Nouitios, latè probat Sanchez suprà n. 28. non posse Prælatos illorum vota irritare, licèt possint ea vota suspendere pro tempore nouitiatus, quæ impediunt executionem exercitiorum nouitiatus. Solemni, verò professione iam emissâ omnia vota vsque ad illud tempus prius facta in sæculo finiuntur, & cessant, vt multi voluot, quia in ipsum Religionis votum perpetuum, vel Iure ipso naturæ, vel Iure positiuo commutantur; probatque ex c. *Scriptura de Voto* & docet D. Thomas 2.2. q. 88. art. 12. ad. 5. Syluest. votum 4. q. 7. Nauarrus c. 12. n. 65. Azor lib. 11. c. 17. in fine, & eius rationem tradit c. 18. q. 5. Idem docet Suarius lib. 6. de voto c. 51. n. 8. asserens omnia extingui in professione. Rodriguez in *summa* p. 2. verb. *Nouitius* c. 8. 0. 12. & c. 89. n. Vltimo, qui alios citat.

Sententia multorum de iis quæ nõ sunt per Regulam aut Superiorem prohabita.

587. Non me latet multorum sententiam esse vota, quę Relegiosi iam professi faciunt circa alias res, seu actus, qui non sint prohibiti per regulam, nec per superiorem nec Relegiosos à debito obsequio impediunt, licitè fieri & obligatoria esse, quam sententiam sequitur Sanchez citato lib. 4. c. 25. n. 6. Ex quo aliqui etiam inferunt talia vota non posse irritari à superiore, quia non sunt de materiâ subiectâ illis.

Authoris sententia.

588. Verum (vt rectè probat Suarius citato lib. 6. c. 7. n. 3.) irritari possunt à Prælatis, etiam si nullum præiudicium Prælatis essent allatura. Quod si Religiosus ipse velit, vt votum à se factum irritetur, illud debet manifestare superiori, & tunc, si Prælatus irritet pro suâ voluntate, vt potest, nunquam ampliùs talis voti obligatio reuinisset, vt probat idem Suarius n. 13. nec peccat Religiosus petens irritationem voti, licèt nullam habeat causam, quæ ad iustam dispensationem sufficeret, vt cum communi sententia probat idem Suarius n. 16. imò non pauci Authores dicunt subditum peccare quoties implet votum quod superior irritauit; hoc tamen verũ non est ex vi præcisæ irritationis; nisi simul interdixerit materiam illius voti, vt latè ostendit Sanchez lib. 4. c. 25. n. 20. atque hæc nunc dixisse sufficiat de irritatione; iam non nihil de dispensatione & commutatione subijciam.

Quoad dispensationem & commutationem votorum.

Possunt Prælati religiosi dispensare in votis subditorum.

589. Quod prædicti Prælati Regulares non solum Generalis, seu Prouinciales, sed etiam Priores, Guardiani, Rectores, & cæteri possint dispensare in votis subditorum, docent cum communi sententia Suarius citato lib. 6. c. 10. à n. 14. & Sanchez lib. 4. c. 39. à n. 3. quam potestatem probant Authores nõ habere ex priuilegio speciali; sed ex vi sui, officij, & numeris, in quo instituuntur, vt plenam subditorum curam habeant; atque adeò cum sufficienti iurisdictione ad hoc munus, quæ necessariò debet esse quasi Episcopalis erga illos, cum sint illis loco Episcoporum eo ipso, quod ab Episcopis priuilegio Pontificio eximuntur, idque vsus ipse cõprobanit. Vnde etiam constat hanc potestatem esse in illis ordinariam quam possunt delegare.

Sub priores verò seu ministri non habent eam potestatem nisi in absentia Superiorum.

590 Superiores verò, seu Ministri non habent eam potestatem; nisi in morte vel in absentia superiorum prædictorum, vt tradunt Sayrus cap. 12. numero 89. Azor. lib. 7. c. 29. q. 6. & lib. 11. c. 18. q. 4. Sanchez suprà, numero 6. qui etiam docet & probat hanc potestatem non habere Abbatisas, seu Priorisas, quia cum sit potestas spiritualis, sunt eius incapaces; nisi ex speciali commissione Pontificis, quæ hactenus concessa non fuit. In hoc tamen de Iurisdictione Philosophandum est ferè eodem modo atque Philosophati sumus disp. 1. dub. 6. à §. *de fæmina vero*, agentes de potestate ferendi Censuras vbi etiam diximus nonnihil de iurisdictione ad dispensandum, ibi legatur.

In omnibus votis possunt Prædicti Prælati cum suis dispensare in quibus potest Episcopus cum suis.

591. Quæ autem sint vota Religiosorum in quibus possint dispensare hi Prælati, ex ratione allatâ colligitur esse omnia, & sola illa, in quibus Episcopi possunt dispensare cum suis, de quibus in specie legatur Sanchez lib. 4. *moralium*, cap. 42. & dicemus in proprio Tract. de *voto*.

Idem possunt circa leges, & Præcepta Ecclesiæ. Item in lege ieiunij &c.

592. Idem videtur dicendum de potestate dispensandi circa leges, & præcepta Ecclesiæ, posse scilicet circa ea, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis. Vnde cùm adest causa possunt hi Prælati dispensare cum suis subditis in Præcepto de Recitandis Horis Canonicis. Ita Graff. lib. 2. cap. 53. numero 2. Azor. lib. 10. cap. 53. in principio. Suarius lib. 4. de *Horis Canonicis*, cap. 27. numero 20.

Dicendum quoad Prælatos Societatis Iesu.

593. Possunt etiam dispensare cum suis Religiosis in lege ieiunij, & esu carnium, lacticiniorum, ouorum, & similibus. Ita Azor. lib. 6. cap. 29. q. 6. & ait hanc potestatem habere etiam secluso priuilegio ex vi sui muneris, & officij, quia habent iurisdictionem, quasi Episcopalem.

Assertio 4. possunt Prædicti Religionum Prælati absoluere nouitios à Censuris, & peccatis.

594 Certum deinde est Prælatos Societatis Iesu gaudere hâc dispensandi facultate, non solùm in professos; sed etiam in eos, qui solis biennij votis ligati sunt, qui per ea, & ipsi sunt veri Religiosi exempti à Iurisdictione Episcoporum, & plenè subditi curæ, & potestati suorum Prælatorum, & ipsi Prælati habent in eos plenam iurisdictionem in vtroque foro; non minus quàm in professos, vt habetur in extrauaganti *Ascendente Domino*, & probat Sanchez suprà, c. illo 39. n 8.

Excipiuntur quatuor.

595. Quarta assertio. Possunt prædicti Prelati Religionum absoluere nouitios à Censuris, & peccatis, sicut possunt professos, & similiter possunt dispensare in præceptis, & votis Nouitiorum, sicut, & professorum. Quòd possint eos absoluere, patet ex priuilegiis Societatis nostræ verbo *absolutio*, §. 6. & 50. vbi ex concessione Pontificum habetur, quod tàm professi, quàm Nouitij possunt à suis superioribus absolui ab omnibus peccatis, & Censuris etiam Papæ reseruatis exceptis, his quatuor nempe à relapsu in Hæresim, ab Schismate, à litterarum Apostolicarum falsificatione, à delatione prohibitorum ad Infideles; hos enim casus exceperunt Pontifices præsertim Sixtus, IV. sed an non solum hi; sed alij casus contenti in Bullâ Cœnæ, sint reseruati? philosophandum est, interim dùm manent Nouitij, perinde atque de professis, nisi, quod Nouitij, si absoluantur per dicta priuilegia, rein-

Si tamen Nouitij à Nouitiatu recedant, reincidunt in Censuras.

ciderit in Censuras, si posteà non ingrediantur Religionem sed à Nouitiatu retrocedant. Ideò in casibus, in quibus alioquin concessum est Societati Iesu per Paulum tertium absoluere à reseruatis quoscumque pœnitentes ad se vndecumque accedentes (exceptis scilicet casibus Bullæ Cœnæ) melius est tali priuilegio vti pro Nouitijs; nam (vt rectè aduertit Rodriguez tomo 1. *Regular.* q. illa 20. art. 21.) absolui possunt Nouitij, sine vllo onere reincidendi.

An etiam à quouis Confessario eiusdem Religionis possint Nouitij absolui.

Aliquorum opinio.

596. Vtrum autem non solum à superiore Religionis; sed à quouis Confessario eiusdem Religionis possint nouitij absolui? pendet ex aliâ quæstione an scilicet Nouitius ita teneatur confiteri superiori Relegionis, aut confessori ab illo designato, vt non possit validè confiteri apud alium, nam, qui dicunt Nouitium, licet gaudeat priuilegijs Religionis non teneri onerosis nec legibus Religionis, quia nondum se obligauit; ac proinde posse absolui ab alijs Confessarijs, etiam à reseruatis in Religione, si extra religionem non sunt reseruata, perinde, ac si esset laicus, quod dicunt colligi ex c. *Religioso* §. *quamuis de sentent. excommunic.* in 6. vt multis citatis Authoribus docet Henriquez lib. 6. qui est 3. de *Pænit.* c. 16. n. 3. circa finem, & Rodriguez tomo 1. *Regularium* q. illa 21. art. 11. alijsque multi, de quo modò non disputo. Si hoc (inquam) dicatur consequenter dicendum est posse absolui à prædicto Confessario sicut quicumque alius sæcularis. Simul tamen dicendum est, non posse per prædictum priuilegium Societatis absolui nouitios, neque alios quoscumque pœnitentes siue de societate, siue extra ab excommunicatione ab homine particulariter latâ; hoc enim denegat noster Generalis etiam superioribus in ipsa communicatione talis priuilegijs. Benè tamen poterunt Nouitij absolui ab excommunicatione, etiam ab homine particulariter latâ in foro dumtaxat conscientiæ à superioribus Societatis per priuilegium Sexti IV. concessum Minoribus, & per illud concessum Benedictinis, quia hęc priuilegia, sine illâ restrictione cõmunicat noster Generalis omnibus superioribus, vt patet ex compendio maiori verb. *Absolutio* §. 6. & 50. per hæc priuilegia posse absolui à superioribus Mendicantium subditos Religiosos ab excommunicatione ab homine particulariter, docet Rodriguez eodem tomo 1. Regularium q. 20. art. 6.

Dicendum iuxta alios.

597. Qui verò dixerit Nouitios teneri legibus Religionis, & non posse absolui à casibus reseruatis in Religione; nisi à superiore Religionis, consequenter dicere debet, non posse Nouitium à quocumque Confessario Societatis per citatum illud priuilegium Pauli III. absolui; quia ille non est pœnitens iuxta hanc opinionem talis Confessarij, nec subditur illi adhuc pro foro Sacramentalis pœnitentiæ, ac proinde neque poterit illum absoluere ab excommunicatione particulariter ab homine latâ, etiam pro foro conscientiæ, cùm tamen posset iuxta præcedentem sententiam.

Obijcit Suarium.

598. Contra quam obijcit Suarius de *Censuris* disp. 7. sect. 2. numero 29. quod tunc Nouitius ratione delicti manet subiectus Iudici sæculari ferenti talem excommunicationem particularem ab homine. Item quod prædicta priuilegia Sexti IV. & illud concessum Benedictinis non possunt extendi ad excommunicationes ab homine particulariter; id enim est contra intentionem Pontificis.

Resp.

599 Ad hoc tamen responderi potest iuxta doctrinam traditã dub. 15. 16. & locis ibi notatis nempè quòd cùm Pontifices absolutè loquantur, eorum priuilegia in fauorem animarum potius extenda sunt, quàm restringenda, sic tamen vt hoc solùm seruiat pro foro conscientiæ, & quando excommunicati faciunt quidquid possunt, & tamen in foro exteriori non possunt obtinere absolutionem. Atque ex ibi dictis constat per Bullam Cruciatam posse fieri huiusmodi absolutiones à quocumque confessario electo per illam; posse autem Nouitios frui omnibus priuilegijs Bullæ Cruciatæ latè defendit Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 3. vbi multos Auctores citat; & lib. 7. cap. 22. num. 7. littera *V.*

Dicta hucusque de dispensatione intelligenda sunt eodem modo de commutatione.

600. Quæ dicta sunt hucusque de dispensatione intelligenda sunt eodem modo imò potiori ratione de commutatione; qui enim potest dispensare, potiori ratione poterit commutare non solùm in omnino, & euidenter æquale; sed etiam in minus, vt explicabitur in proprio Tract. *de Voto.*

possunt etiã dicti Prælati absoluere suos sese, vel alios etiam enormit. & percutientes Ratio.

601 Ex dictis priuilegiis constat posse prædictos superiores Regulares absoluere suos subditos, si se inuicem, vel alios siue Religiosos, siue sæculares percutiant, etiam enormiter, quia licèt casus reseruatus Papæ; tamen non est ex quatuor illis exceptis; neque ex alijs casibus Bullæ Cœnæ; & quamuis hæc videantur contra Textus aliquos Iuris Canonici, quos rectè expendit Suarius de *Censuris*, disp. 22. sect. 1. an. 71. Molina tomo 4. de *Iustitia.* disp. 60. tamen (vt ibi ait Suarius num. 79.) illud statutum in eis Iuribus fuit; antequàm Religiones haberent priuilegia, quæ modò habent. Ideò sententiam nostram nobiscum docent expressè Molina ibidem numero 6. Rodriguez q. illa 20. art. 12. vbi etiam asserit quòd ipse Prælatus si percusserit alium Clericum, vel Religiosum, poterit secundum priuilegia sua absolui ab alio subdito suo electo ab ipso in confessarium, vt ampliùs patebit ex dicendit assert. 5. & sequenti.

Addit Author.

602. Imò addendum puto iuxta dicta assertione 2. quod, nisi esset casus reseruatus in Religione, quilibet Religiosus posset absolui à suo Ordinario Confessore per priuilegium Societatis, & de facto poterit absolui satisfactâ parte à percussione, quæ non sit enormis, quia hæc non est reseruata in Religione vt patet ex Catalogo reseruandorum facto pro Religiosis à Clemente VIII. in quodam decreto à se facto anno 1594. 26. Maij.

possunt Idem Prælati dispensare in votis suorũ Nouitiorum

603. Posse autem prædictos Prælatos Regulares (vt aliquid de dispensatione Nouitiorum dicamus) dispensare in votis, & alijs, eaque commutare, quod attinet ad Nouitios sibi subditos probabilissimum est, vt cum Henriquez lib. 7. c. 22. num. 7. & Rodriq. tom. 1. *Regularium*, q. 25. art. 8. docet Sanchez, lib. 4 cap. 39. numero 17. quamuis oppositum doceant Sayrus & Ludouicus Lopez apud illum, & Azor. 1. p. *Moral.* lib. 11. cap. 19. q. 21. Suarius lib. 6. *de voto.* cap. 11. num. 9.

n.9. Placet verò mihi multò magis, quod docet Sanchez, quia, quamuis Prælatus careat (vt Sanchez loquitur) potestate dominatiuâ in Nouitios, habet tamen iurisdictionem Ecclesiasticam in illos interim dùm manent in Nouitiatu vt rectè Nauarrus c. 12. n. 65. & ideo exemptus est nouitius à iurisdictione Episcopi, dùm ibi perseuerat, neque potest Episcopus de delictis Nouitij, aut alijs causis cognoscere, nisi Nouitius se illi subdat. Vnde, si ipse velit se Episcopo subijcere, poterit Episcopus eius vota commutare, & dispensare, vt concedunt Henriquez & Sanchez & Authores etiam secundæ opinionis.

604. Objices ergo etiam poterit Prælatus concedere Nouitio literas Dimissorias ad ordines suscipiendos, sicut potest professis. Respondetur, negando, vt negant omnes Authores etiam Henriquez, & Sanchez suprà 21. quia plus requiritur ad potestatem concedendi literas ad ordines, quàm ad dispensandum, cùm expediat tempore Nouitiatus neminem initiari Ordinibus, imò & sit præceptum iuxta communem sententiam, cum incertum sit an in eo statu sit permansurus. Vnde eas literas dare pertinet ad proprium Episcopum.

Difficultas, si quis sit Nouitij Episcopus pro suscipiendis ordinibus.

605. Sed difficultas est, quando, Nouitius est in Nouitiatu in aliâ diœcesi, an Episcopus huius diœcesis? vel; an potius Episcopus propriæ, seu pristinæ habitationis censeatur proprius, vt cum illo dispenset, vel eum ad ordines promoueat?

Opinio Suarij.

606. Suarius lib 6. de *Voto* c. 11. n.9. opinatur Episcopum pristinæ habitationis esse proprium; quia in loco vbi est, non habet animum perpetuæ habitationis; sed tantum experiendæ regulæ, eâque expertâ statuendi, an permansurus sit, nec ne? pro quo faciunt multi Canonistæ.

Opinio Sanchez.

607. Sanchez verò citato c. illo 39. n.10. & lib. 6. eiusdem summæ n.20.21. & 22. putat Episcopum eius diœcesis, in quâ est Nouitius, esse proprium quia animum habet perpetuò ibi manendi saltem si possit ferre austeritatem Religionis; hoc enim animo omnes Nouitij ingrediuntur, quare non potest dici dubius circa perseuerantiam; dubius enim est, qui in neutram partem inclinans est animo pendulus; sicut non diceretur dubius; sed re verâ domicilium acquireret migrans aliò ibi quantum est ex parte suâ permansurus; nisi Cœli temperies illi incommoda sit, vel aliquid infelicius illi contingat. Legatur Sanchez vtroque loco citato, pro quâ sententiâ plures vtrobique refert.

Author opinionem vtramque probabilem iudicat probabiliorē tamē secundam.

608. Mihi sanè vtraque opinio valdè probabilis apparet, sed probabilior opinio Sanchez.

Duo hac in re certa sunt.

609. Sed quidquid sit de his opinionibus meritò notat Sanch. c. illo 39. n.22. duo esse certa in nostro negotio: primũ, quod Prælatus Religionis potest vti potestate delegatâ dispẽsandi & cõmunicãdi in votis Nouitiorũ, quâ gaudet ex priuilegio Religionis erga vota, etiã sæcularium: secundum quod in Societate possunt superiores cõmunicare Nouitijs omnia Religionis priuilegia, vt constat ex cõpendio priuilegiorũ nostrorum verbo *communicatio* §. 5. quàm potestatem Generalis communicat omnibus superioribus.

Assertio 5. Episcopi & dicti Prælati possunt eligere sibi Confessariũ a quo à Censuris &c. absoluantur.

610. Quinta assertio. Iam Episcopi quàm omnes prædicti prælati Regulares possunt eligere sibi Confessarium, qui poterit eos absoluere ab omnibus peccatis, & Censuris à quibus ipsi Prælati possunt absoluere suos subditos (nisi ab aliquo eorum Prælatorum, aut Episcoporum superiore potestas fuerit restricta) item Confessarius ab ipsis electus poterit cum ijs dispensare in omnibus præceptis, votis, & irregularitatibus, alijsque in quibus ipsi Prælati possunt cum subditis dispensare. Quod enim possint eligere sibi Confessarium habetur c. finali de *Pœnit. & remiss.* vbi indulgetur non solum Episcopis sed etiam omnibus Prælatis exemptis minoribus. Quòd autem Confessarius electus possit cum eis dispensare, eosque absoluere ab omnibus, à quibus ipsi subditos, probatur, quia mens Pontificis fuit his Prælatis prospicere per illum Cõfessarium in omnibus, quæ possunt ipsi in subditos exercere; neque enim debent esse peioris conditionis, quàm subditi, atque ita praxis declarauit, & docent communiter Theologi, & Summistæ.

611. Atque in primis de Episcopis docent Paludanus, Antoninus, Gabriel, Angelus *confessiò* 3. n. 7. Syluest. *Confessor.* 1. q.9. Tibiena *absolutio* 1. n.37. Moiolus lib.2. *De Irregularite* c.2. n.2. & lib. 5. c.51. n.7. Henriquez lib. 6. c.4. n.3. litera *I.* in Glossa, & c. 7. n. 5. litera *B.* in Glossa & lib.7. c. 38. n. 1. in Glossa littera *H.* Sà verb. *Confessor.* n. 16. & verbo *Religio* n. 47. Sanchez citans alios lib.8. de *Matrimonio* disp.3. n.3.

Addunt Sanchez idem dicendum de casibus occultis concessis Episcopo in Trid.

612. Addunt Sanchez ibi; & Sayris in *Thesauro* lib, 7. c. 14. n. 5. Suarius *de Pœnit.* disp.30. sect. 2. 15. idem dicendum esse de casibus occultis concessis Episcopo in Tridentino sect.24. c.6. de *Reformatione*, de quâ sæpe diximus maximè dub.3.4. & 5. quod dicunt declaratum fuisse per Congregationem Cardinalium, & etiam cum multis, diximus agentes de *Pœnitentiâ.* Tract.8. disp.11. dub. 16. §. *imò Addo* & de dispensatione in Irregularitatibus idem docet Suarius disp. 41. de Censuris sect. 2. n. 9. vbi hoc docet tùm propter declarationem Cardinalium, tùm quia per Concilium tollitur reseruatio Papalis ab his casibus occultis & manent Episcopales, vt diximus suprà dub.9. §. *hoc supposito.*

Per Tridentin. tollitur reseruatio ab his casibus occultis & manet Episcopalis.

Authores non omnino conueniunt circa hanc quintam assertionem.

613. Sed circa hanc quintam assertionem non omnino in omnibus consentiunt Doctores; nam quod attinet ad commutationem, & dispensationem, non omnibus placet; quamuis enim aliqui doceant Confessarium ab Episcopo electum posse commutare, & dispensare cum ipso in ijs omnibus, in quibus ipse potest cum subditis; & similiter Confessarios electos à Prælatis Regularibus posse cum illis dispensare in ijs omnibus, in quibus ipsi possunt cum subditis, vt probat Sanchez citato lib.8. de *Matrim.* disp.3. n.1.2. & 3. imò & ipsos met Episcopos, seu Prælatos posse per se ipsos secum dispensare sicut potest Papa, & ibidem latissimè probat Sanchez à n. 6. vsque ad 10. nihilominus cum multis Authoribus vtrumque negat Suarius lib. 6. de voto c.11. n. 5. Sed de hoc in proprio Tract ex instituto disputandum est.

Confessarius ab Episcopo electus potest ipsum absoluere à reseruatis Episcopo.

614. Deinde certum est, posse Confessarium ab Episcopo electum illum absoluere ab omnibus reseruatis Episcopo; hoc tamen mirum

non

non est, siue quia illa reseruatio non comprehendit reseruantem, siue, quia Episcopus; non absoluitur iurisdictione suâ, sed manante à Superiore, scilicet à Papâ, siue; quia licèt absolueretur iurisdictione à se manante, ipse posset committere iurisdictionem suprà casum à se reseruatum, quia potest tollere reseruationem, quam ipsemet ponit. Quod verò Confessarij electi à Prælatis Religionem possint ipsos Prælatos absoluere à reseruatis, à quibus dicti Prælati possunt absoluere subditos suos non videtur ita facilè; quia citati Authores solùm loquuntur de Confessarijs Episcoporum, de quibus non mirum est propter rationes dictas; at verò de Confessarijs Superiorum Regularium solùm id asserunt ex Authoribus iam citatis Sanchez, & Sa, qui id probant ex c. illo finali, de *Pœnit. & remiss.* & ex ratione decidendi Pontificis, scilicet, ne ex dilatione periculum immineat animarum; &, quia non debent esse peioris conditionis, quàm subditi; sed certè (vt benè Suarius suprà, & Rodriguez infrà citandus) ex Textu illo nihil firmum potest colligi, quia ex eo, quòd alicui detur libera facultas eligendi Confessarium, nihil conceditur, quoad reseruata, vt definit Bonif. VIII. c. *si Episcopus. de Pœnit. & remiss.* accedit, quod similem Indulgentiam habent Parochi ex consuetudine visâ, & approbatâ eligendi sibi Confessarium, qui possit illos absoluere; non tamen à reseruatis Episcopo ut probat Henriq. suprà, secundo illo loco Neque etiam colligi potest ex ratione decidendi citati Textus, quia ea non obstante videmus, non posse Confessarium Episcopi eum absoluere à reseruatis Papæ; neque Confessarium Parochi à reseruatis Episcopo; nisi in articulo mortis, in quo ex ipso Iure communi, vel impedimento diuturno, quando locus est benignæ interpretationi Iuris, & ex paritate rationis, scilicet, ne periculum immineat animarum, possunt eos absoluere, & tunc cum obligatione comparendi cessante impedimento, saltem, si habebant Censuram annexam; at cessante tali necessitate non est; nec censetur periculum animarum; sed potiùs esset in destructionem, & detrimentum earundem, & in dispendium disciplinæ Religiosæ, & contra Iura Canonica si rigor reseruationis relaxetur, & non potiùs restringatur. Præterea si in eo capite Pontifex id concessisset his Prælatis minoribus exemptis, non possent eorum superiores vllo modo id ab eis tollere, sicut non possunt ab eis tollere ne eligant sibi Confessorem, vt defendit Rodriguez, q. 20. art. 28. quia non est priuilegium; sed constitutio Pontificia Iuris communis contra quam nihil possunt Prouinciales, nec Generales.

Prælati non debent esse peioris conditionis quàm subditi.

615. Præterea id, quod dicitur pro oppositâ sententiâ non debere esse peioris conditionis, potius retorqueri potest in contrarium quia neque Superior debet esse in hoc adeò melioris conditionis vt ipse à quocumque possit absolui, à reseruatis, vel potiùs dixerim ipse sit liber à lege reseruationis, & nullum habeat Superiorem ad quem teneatur recurrere, cùm tamen subditi, eâ lege & onere teneantur.

Quod dicitur pro contraria sententia non videtur efficax.

616 Sanè Rodriguez tomo 1. *Regularium*, q. 21. art. 8. quamuis sentiat idem, quod Sanchez & Sa, non tamen propter eorum fundamentum, quod reijcit, sed id probat ex regula illa Caietani 1. 2. q. 96. art. 5. scilicet, quod ille, qui habet potestatem dispensandi cum suis subditis, habet eandem potestatem ad dispensandum secum.

Regula Caietani

617. Verùm multò minus inde potest colligi potestas ad hoc vt absoluatur à reseruatis, quia in hoc sunt diuersæ rationes vt tradit Suarius, & colliguntur ex Sanchez suprà, num. 2. & sequentibus. Accedit quòd praxis, & vsus seu consuetudo maximè in hac re attendenda est, quæ dat, vel tollit iurisdictionem; & quamuis vsus sit pro dispensatione, non videtur esse pro absolutione à reseruatis; hanc enim (vt dixi) nullus Authorum antiquorum asseruit, imò neque Henriquez qui non solùm in opinionibus laxior esse solet; sed diligentissimus in eis inquirendis Authoribus, & in praxi perscrutandâ neque ij Recentiores, qui eam opinionem asseruerunt aliquid de praxi dicunt.

Consuetudo maximè in hac re attendenda est.

618. Quidquid autem sit de rationibus, & opinionibus, sanè in Religione, vbi ex constitutione, aut consuetudine, aut ex ordinatione Generalis declaratum est, vt superiores locales pro reseruatis debeant recurrere ad Prouinciales, & hi ad Generalem, certissimum est ita faciendum esse, quia omnium Prælatorum potestas pendet à Superioribus, & ita in nostrâ Societate est expressè declaratum Decreto quintæ Congregationis, & instructione Generalis pro reseruatis; ideò consultò addidi in hac quintâ assertione, *nisi ab aliquo eorum superiore potestas fuerit restricta*; nam licèt propter authoritatem tàm sapientium Recentiorum, vt sunt Sanchez, Rodrig. & Sà, in ipsâ assertione posuerim simul cum Episcopis alios Prælatos etiam locales, idque probabilissimum videatur, & in conscientiâ tutum, vbi non est Constitutio, consuetudo, aut superiorum declaratio in contrarium, tamen in eâ Religione (qualis est nostra) vbi aliquid tale fuerit, non habet locum talis sententia, nec satis videtur tutum ea vti maximè cum ista & similia, etiam si quis putaret aliquo modo restringere facultatem, quam Ius commune concedit talibus Prælatis, iam approbatione, & concessione Pontificiâ obtinuerint pleræque Religiones posse aliqua specialia pro bono suæ communitatis statuere, &, quæ latiora sunt in Iure, quandoque restringere, quod in hoc casu præcipuè habebit locum, quia, vt suprà notabam, in Iure communi non de his Prælatis; sed de Episcopis tantum mentio fit.

Obseruanda sunt Religionum constitutiones quoad absolutionem à reseruatis. Ratio.

619 Illud autem hoc loco notandum est, quod omnis Confessarius Religiosus, qui præsumit absoluere excommunicatos à Canone, vel vel præsumit absoluere à sententijs per statuta prouincialia aut Synodalia promulgatis, nisi in casibus à Iure expressis vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis ipso facto incurrerunt in excommunicationem Pontifici reseruatam. habetur expressè in Clementinâ *Religiosi Priuilegijs*, vbi Glossa ait, quod absoluens excommunicatione ab homine non incurrit, quia de hac nihil habetur. De hac etiam Clementinâ legi potest Suarius de *Censuris*, disp. 3. sect. 3. numero 18. & disp. 22. sect. 4. à principio, vbi numero 13. cum communi opinione, quam sequitur Nauarrus,

Notandum quoad confessarios religiosos.

rus, cap. 27. numero 12. ait Religiosos non incurrere hanc excommunicationem propter solam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, dummodò non absoluant ab excommonicatione.

Dubium an absoluēs sine potestate a reseruatis in Religione incidat in excomm. Papæ reseruatam.

620. Dubitari autem posset an absoluent sine potestate à reseruatis in Religione, incidat in hanc excommunicationem? nam ex vno capite videtur non incurrere; tum, quia tales casus non solent habere Censuras annexas, quæ tantum denotantur in ea Clementina nomine *Sententiæ*: hæc enim vox non significat peccatum; tum quia Constitutiones Religionum, per quæ reseruantur, non videntur esse statuta Prouincialia, nec Synodalia, de quibus ibi fit mentio. Ex alio verò capite videntur incidere, quia Alexander VI. teste Rodriguez tomo 1. Regularium q. 21. art. 2. edidit priuilegium ab eodem Authore adductum; in quo statuit, vt Prælati Religionum possint sibi casus reseruare, & quòd absoluentes à talibus post huiusmodi reseruationem nullam faciant absolutionem, & incidant in pœnam absoluentium à casibus non concessis; & art. 3. sequenti ait Rodriguez pœnam huiusmodi esse excommunicationem Papalē impositam in citatâ Clementina.

Partis negatiua Ratio.

Pro affirmatiua Ratio.

Authoris iudicium.

621. Ille tamen Textus non videtur satis clarus pro hoc maximè cùm (vt dicebam) ibi solùm sermo sit de Censuris, & ad summum solùm possit habere locum in casibus, in quibus est Censura, item dato quod talis absoluens incidisset in Excommunicationem Papalem, posset ab hac excommunicatione à suo Confessore ordinario absolui, si habet priuilegium absoluendi à reseruatis Papæ iuxta dicta assert. 2.

Quæres.

622. Sed quid si talis Confessarius ignoraret suum priuilegium, & absolueret putans se male facere & sine potestate absoluere?

Resp.

623. Respondeo etiam in eo casu re verâ absoluere de facto vt ex Vera cruz doctè notauit Rodriguez tomo 1. *Regularium* q. 20. art. 25. & consequenter, licèt peccaret, non incideret in excommunicationem; censetur enim habere saltem virtualiter intentionem faciendi quantū potest, & alioquin potest. Vnde in tali casu non absoluit à casibus non concessis: imò quamuis dixerimus validè non absoluere; quia intentione sufficienti ad absoluendum caruit, & putans se non habere talem facultatem, non habuit eā intentionem; sed solùm voluntatem decipiendi; adhùc non puto incursurum excommunicationem illius Clementinæ; de hoc enim non est verum dicere quod absoluat à casibus non concessis; quia ille casus, à quo sic sine intentione absoluit, non est casus non concessus; sed existimatus non concessus.

Assertio 6. Solus Summus pontifex potest omnium Religiosorū vota post professionem emissa irritare.

624. Sexta assertiò, ex Prælatis sæcularibus solus summus Pontifex potest omnium Religiosorum vota post professionem emissa irritare & idem summus Pontifex, eiusque Legatus à latere tantum possunt in præceptis, & votis Religiosorum dispensare, & absoluere Religiosos ab omnibus casibus, & Censuris reseruatis; Episcopi verò nihil horum possunt facere cum Religiosis exemptis ab eorum iurisdictione. Hæc assertio per partes explicanda est, & probanda.

Ratio.

625. Atque in primis, quòd summus Pontifex possit irritare vota Religiosorum optimè ex communi sententiâ probat Sanchez in summâ lib. 4 cap. 24. numero 20. non ex eò solùm quod si supremus Ecclesiæ prælatus, quia hoc modo etiam est supremus prælatus omnium secularium, & tamen non potest eorum vota irritare: sed, quia etiam est supremus omnium Religionum Generalis, cui primo loco emittitur obedientiæ in professione factum; atque adeo habet dominatiuam eamque supremam in in omnes Religiosos potestatem.

Summus pontifex habet supremam dominatiuam potestatem in omnes Religiosos.

626. Quòd autem non possit irritare hæc vota legatus à latere probat idem Sanchez. cap. 33. numero 14. quia nullo Iure reperitur pontificem communicasse hanc dominatiuam potestatem suo Legato, nec votum obedientiæ in professione fit Legato.

627. Quod autem Legatus à latere & solis ille habeat iurisdictionem, & potestatem prælationis in omnes Religiosos exemptos, probat idem Sanchez ex c. *si Abbatem de elect.* in 6. & ex c. 1. de *verbor. signif.* in 6. & ita tenent Canonistæ. Ex quo etiam probatum manet, quod tantum summus pontifex, & eius Legatus à latere; non verò alij Legati; neque Episcopi possint dispensare in præceptis & votis Religiosorum exemptorum, quia non habent iurisdictionem in illos. Nomine verò Legati intelliguntur etiam Nuntius non Cardinalis qui mitti solet cum potestate Legati de latere.

Solus summus pontifex eiusq. legatus a latere possūt dispensare in votis &c. Religiosorū exemptorū.

628. Atque hinc probatum etiam manet, quòd neque cæteri Legati, neque Episcopi possint illos absoluere, non solū à reseruatis, sed neq; à nō reseruatis si sint peccata mortalia, quia nullā habent iurisdictionem in tales Religiosos.

629. Hoc, quod pertinet ad dispensationem, & absolutionem probat Sanchez ex communi sententiâ Doctorum, cap. 39. à numero 24. & addit. numero 27. quod etiam si Religiosus se subdat Episcopo, si id faciat sine licentiâ sui superioris, non poterit absolui, nec, si absoluatur, factum tenebit omnium sententiâ; quod dicit esse manifestum; & nemo (inquit) Sanæ mentis potest id in controuersiam vocare. Idem docet Suarius loquendo de Censuris tomo 5. disp. 7. sect. 3. numero 8. in fine, vbi ait Religiosi exēpti non possunt absolui ab Episcopo, cùm in eos non habeat iurisdictionem, neque ipsi possunt quoad hoc se illi subijcere, quia hoc esset in detrimentum Religionis, & ipsi non possunt conferre Episcopo iurisdictionem, quam non habeot. Idem docet Henriquez lib. 6. c. 16. nu. 8. littera, T. in Glossa.

Religiosi exempti non possunt absolui ab Episcopo.

630. Probat etiam hoc Sanchez; quia Religiosi exempti nequeunt eligere sibi Confessariū nisi de licentia Papæ, vel sui prælati, quia sine illa nullus habet iurisdictionem ad absoluendum illos.

Nec sibi Eligere confessarium nisi ex licētiâ.

631. An verò de licentiâ sui Prælati se subijciēs Episcopo possit Religiosus ab illo licitè, & validè absolui? controuersum est inter Doctores; In quo quatuor sunt opiniones.

632. Atque in primis certum sit de superioris licentiâ posse absolui, & dispensari non solum ab Episcopo, sed etiam à quocumque sacerdote, etiam non approbato ab Episcopo ab omnibus etiam reseruatis, à quibus superior potest absoluere

Pro regularibus non exigit Tridentinum approbationem ordinarij. uere, si superior ipse dederit facultatem ad reseruata, & ad dispensandum, quia pro Regularibus non exigit Tridentinum approbationem ab ordinario, vt notant Suar. Henriq. Rodrig. & omnes Recentiores, & nos diximus explicantes verba Tridentini, agentes de *Poenitentia* Tract. 8. disp. 10. n. 9.

633. Præcipua autem difficultas in eo sita est, quam breuiter, & ferè obiter decidimus suprà dub 4. sect. 1. §. *sed omissa* & in hunc locum iterum tractandum reiecimus, an scilicet, quando superior talis Religiosi non habet potestatem absoluendi, v.g. ab Hæresi exteriori occultâ (& idem est de dispensatione) supposito quod Decretum Tridentini sess. 24. c. 6. *de Reformatione*, adhuc vim habeat, vt multi volunt. (de quo latè diximus dub 5.) tunc talis Religiosus possit de licentiâ sui Prælati cedens priuilegio exemptionis subijci Episcopo & ab eo absolui, sicut possunt absolui subditi tali Episcopo? atq; in hoc sunt, vt dicebã, quatuor opiniones, quas latè tractat & examinat Sanchez citato lib. 4. c. 39 a. n. 29.

634. Ijs tamen omissis nostram sententiam sequenti assertione declaramus.

Assertio 7. ex superioris licentia potest religiosus cedere priuilegio & subijci Episcopo ab eoq; absolui. Ratio. 635. Septima assertio sit posse ex superioris licentia cedere priuilegio, & subijci Religiosum Episcopo, & ab eo absolui & dispensari. Fundamentum est, quia exemptio Religiosorum est potissimum inducta in fauorem Religionis, vt eius Religiosi quietiùs Deo famulentur, & ne passim vagentur, aut perturbentur ab ordinarijs. Vnde in ijs, quæ quietem, & fauorem Religionis concernunt, non debent esse peioris conditionis, quàm alij de eàdem diœcesi non exempti; nec rationi consonat, vt exemptionis priuilegium in hoc casu contra eius finem operetur impediens hanc subiectionem, & quamuis non quilibet particularis Prælatus possit cedere priuilegio totius Religionis, sicut neque ipse subditus Religiosus; at in his fauorabilibus censetur

Confir. Epijkiam tota Religio consentire.

636. Confirmatur ex. c. *Calumniosis* 18. q. 2. vbi habetur, Episcopum de consensu Abbatis posse exercere iurisdictionem in monasterio exempto; atq; ita docet multi ex antiquis, quos referunt, & sequuntur Sanchez nuper citatus n. 32. & Rodriguez in *summâ* p. 2. c. 131. n. 2. Medina loquens de absolutionibus tomo 4. de *Instit.* disp. 61. n. 4. Suar. de *Poenit.* disp. 30. sect. 2. n. 3. & de Censuris disp. 41. sect. 2. n. 12. Henriquez de eisdem loquens lib. 6, c. 16. n. 8. & lib. 7. c. 25. n. 2. &. lib. 10. c. 20. n. 2. letera *H.* & lib. 14. c. vlt. n. vlt. Auila de *Censuris* p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. Legantur in particulari, quæ diximus dub. 4 sect. illâ 1. circa Pauli III. concessionem Societati Iesu.

Extendenda est hæc septima assertio. 637. Hæc septima assertio extendenda etiam est, vt idem liceat aliquando ipsi particulari religioso ex tacita Religionis licentiâ, vt, si prælatus sit impeditus; quia excõm. denuntiatus, aut obijt, aut longè abest, nec est alius eius vices gerens. Ita Henriquez lib. 6. c. 16. n. 8. litera *P.* in Glossa Sanchez suprà n. 35. & tenent expressè Antonin. 3. p. tit. 24. c. vltimo §. 1. Syluest. verbo *Apostasia* q 8. n. 11. ad finem; tenet etiam

Addunt. Rodriguez tomo 1. *Regular.* q. 20. art. 29.

638. Addunt Molina disp. illâ 61 n. 5. & Sanchez n. 36. in casu huius septimæ assertionis, quando in prælato Religiosi absente non est facultas ad absoluendum ab aliquo casu, vel ad dispensandum in aliqua Irregularitate, & in Episcopo est talis facultas, atque in hoc euentu Prælatus Religiosi irrationabiliter, & iniustè denegaret licentiam adeundi Episcopum, posse nihilominus adire Episcopum, & ab illo absolui, quia per Epijkiam ea censetur, & præsumitur esse voluntas Pontificis, & Religionis, ne cogatur Religiosus vagari accedendo ad Sedem Apostolicam. *Molina & Suarius.*

639. Secùs tamen dicunt esse, si Prælatus rationabiliter, & iustè denegat licentiam, quia rationabiliter iudicat expedire, vt subditus adeat Pontificem. Pari ratione, quando est dubium; an iniustè licentia denegetur; nam in dubio standum est pro Prælato legitimo.

640. Addit Sanchez n. 37. si ipse Prælatus eâ Episcopi absolutione, aut dispensatione indigeat, semet ipsum posse subijcere Episcopo illius diœcesis, & ab eo absolui, sicut potest subijcere suos dubditos, pro quâ doctrinâ refert Suarium, Auilam, & Henriquez suprà. *Potest etiam Prælatus se subijcere Episcopo ab eoq; absolui.*

641. Addunt etiam Molina n. 3. & Sanchez n. 38. omnia prædicta in hac septimâ assertione limitanda esse; nisi ea facultas absoluendi. aut dispensandi, quæ non est in immediato & locali Prælato Religionis, esset in Prouinciali, aut in alio superiori eiusdem Religionis; tunc enim Episcopus absoluere non posset de consensu solius immediati superioris; nisi accederet Consensus Prouincialis, aut illius alterius superioris prædicti, quia cum in hoc casu pateat remedium intra Religionem, non censetur illa consentire, vt extra remedium quæratur; alioquin reseruatio in Religione tam necessaria defraudaretur; si enim Prælatus, aut priuatus Religiosus in casum Prouinciali reseruatum incideret, facilè posset reseruationem eludere adeundo Episcopum, aut propriâ authoritate, si est Prælatus, aut huius authoritate, si est subditus. *Prædicta in septima assertione limitanda sunt iuxta Molinam & Sanch.*

642. Fatentur tamen prædicti Authores in aliquo necessitatis casu sufficere consensum præsumptum illius mediati superioris, vt possit immediatus illum Religiosum subijcere Episcopo.

643. Nihilominus saluo meliori iudicio, si loquamur (vt re verâ loquimur) de facultate illâ concessâ Episcopo per Tridentinum, aliter in hac re philosophandum puto; nam, si ex vno capite Supponamus prædictum casum non esse reseruatum reseruatione particulari illius Religionis; sed reseruatione generali Pontificiâ, & à tali casu possit Episcopus absoluere intra propriam diœcesim subditum saltem ratione existentiæ intra suum districtum, & ex alio capite Prælatus, etiam mediatus, carens quidem facultate absoluendi à tali casu Papali; potens tamen concedere subdito facultatem confitendi apud alium, eam concedat confitendi apud Episcopum eius diœcesis, in qua est Religiosus; videtur posse Episcopum illum absoluere, & vti facultate suâ concessâ in Tridentino, quam exercere potest erga talem iuxta id, quod diximus dub. 4. sect. 1. tum, quia in illo foro fit subditus Episcopo, tum quia quoad aliqua subduntur *Authoris iudicio indistinctè hæc in re philosophandum. Ratio. Reseruatio duplex scilicet particularis illius Religionis & generalis, quæ dicitur, Pontificia. A Pontificia potest Episcopus absoluere.*

Quoad fauorabilia nomine subditorum comprehenduntur Religiosi.

tur semper Episcopo Religiosi; tum, quia quoad fauorabilia nomine subditorum illius diœcesis videntur comprehendi Religiosi, & ob id putat Suarius in eâ facultate Tridentini additam fuisse illam particulam *illius diœcesis*, vt ibi quoque notauimus. Itaque vt Religiosus fiat subditus Episcopo in illo foro pœnitentiæ, seu conscientiæ, indiget facultate superioris; simul autem factus subditus in eo foro, poterit uti Episcopus suâ facultate erga illum, tanquam suum subditum in diœcesi suâ, neque ad hoc, vt possit à tali casu absoluere, refert, quod prælatus habeat, vel non habeat facultatem absoluendi à tali casu; sufficit enim quod Episcopus illam babeat ex se, vt possit illa vti erga talem Religiosum factum sibi subditum pro illo foro in diœcesi suâ. Vnde siue prouincialis illam habeat, siue non, siue localis superior illam habeat siue non, eo ipso, quod localis superior vel prouincialis, aut Generalis talem Religiosum pro illo foro pœnitentiæ constituat subditum Episcopo in diœcesi suâ, poterit ab eodem Episcopo absolui à tali casu; neque enim prælatus Religionis dat Episcopo eam facultatē absoluendi; sed Episcopus ipse per se illam habet à Tridentino, solumque prælatus facit, aut concedit, quod in re fauorabili, & pro foro conscientiæ, & bono animæ se possit Religiosus subdere Episc. semel autē subditus, potest pleno Iure ab Episc. absolui à reseruatis reseruatione illâ generali Pontificiâ.

Quoad reseruatorum particulari Religionis resolutio Authoris.

644. Si verò casus sit reseruatus reseruatione particulari Religionis; tunc solum ex eo, quod superior det facultatem, vt aliquis possit Episcopo confiteri, non censetur dedisse facultatem, vt possit ab eo absolui à tali reseruato, neque ex eo quod Prælatus inferior det facultatem, vt talis Religiosus eligat Episcopum in Confessarium, poterit Episcopus absoluere à Casu reseruato Prouinciali; & in hoc sensu admitto, quod dicit Molina, & Sanchez; absolutè tamen pro casibus merè Papalibus, & reseruatis non reseruatione propriâ Religionis, poterunt absolui ab Episcopo, sicut, & suprà diximus Confessarios ordinarios Religiosorum, si habeant alioquin facultatem absoluendi à reseruatis Pontifici, posse absoluere ab illis eosdem Religiosos.

Tenetur superior concedere facultatem subdito petenti vt a reseruatis absoluatur per confessarium

645 Illud autem existimo verum; quando in Prælato Religionis adest facultas ad dispensandum, vel absoluendum à reseruato casu, in quem subditus incidit, & per Confessarium ordinarium petat quis licentiam, vt subditus tacito eius nomine absoluatur à reseruatis, teneri superiorem (& aliquando sub peccato mortali) concedere talem licentiam, vt probat Rodriguez in *Quæstionibus Regularibus* q. 21. art. 4. aliquando verò prudenter & iustè posse eam negare, vt si frequens esset reincidentia, vt ex D. Thoma, & alijs tradiderat idem Rodriguez, q. 20. art. 30.

Quod si superior iniustè negasset facultatem iuxta Henriquez, poterit absolui ab ordinario Confessario.

646. Sed posito, quòd iniustè eam superior negasset, & quòd subditus non teneatur tali superiori; etiam in Confessione aperire illi suum peccatum; quia prudenter timet reuelationem sigilli, aut graue malum sibi, vel alteri, vel quòd ipse Prælatus ex notitia confessionis impediet tali subdito maxima bona spiritualia; vel etiam temporalia, negando illi suffragium ad ipsorum consequutionem; tunc Henriquez lib. 6. c. 13. n. 6. & c. 15. n. 5. putat posse absolui ab ordinario Confessario ex tacitâ concessione, & præsumptâ voluntate maioris Prælati, seu Papæ.

647. Aliqui verò id negant; quia, si aliquid posset in eo casu confessarius ordinarius, ad summum esset absoluere illum indirectè dumtaxat, vt cum obligatione comparendi coram alio superiore maiori in casu, quo, nisi ille Pœnitens celebret, aut communicet, sequatur scandalū aliorum, vel infamia propria. Probant hoc primò; quia alia absolutio directa non videtur posse rationabiliter præsumi: Secundò, quia alioquin sterneretur via ad eneruandam reseruationem tam necessariam in Ecclesiâ Dei ad coercendos homines à peccatis: Tertiò; quia Tridentinum absolutè dicit nihil posse inferiorem Confessorem in reseruata. Propter quas rationes multi putant in eo casu nullo modo esse absoluendum; sed, si vrget infamia, aut scandalum, præmissâ Contritione posse celebrare, & communicare, tanquàm, qui non habet copiam Confessoris, nam Tridentinum, cùm definit eum, qui habet conscientiam peccati mortalis, debere præmittere confessionem ante sumptionem Eucharistiæ loquitur in casu, quo adest copia Confessoris: in hoc autem casu non adest. Ita Rodrig q. 20. art. 30. & q. 21. art. 4. quę doctrina satis probabilis est.

Aliqui hoc negant.

Probat 1.

Secundò.

Tertiò.

Hæc tamen non eneruat probabilitatem præcedentis sententiæ.

648. Nullo autem modo eneruat probabilitatem præcedentis sententiæ, quæ facilè respōdere potest argumentis propositis pro contrariâ.

Ad 1. Resp.

649. Ad primum negari potest non posse præsumi aliam absolutionem directam maximè, si in tali Religione non sit vsus, quod particulares subditi recurrant, aut teneantur recurrere cum suis casibus reseruatis ad superiores maiores mediatos, & absentes, sed ad immediatos, qui cum irrationabiliter neget facultatem, vt supponimus, meritò præsumi potest superior maior velle supplere, quod minor debuisset facere.

Ad 2.

650. Ad secundum negatur inde sterni viam ad eneruandam reseruationē tam necessariam in Ecclesiâ Dei; quando enim cum talibus circunstantijs fit, vt superior, qui negat teneatur dare, & alius superior maior longè absit neque breui putetur adfuturus, non eneruatur potestas reseruandi, nec reseruatio ipsa, sed reijcitur abusus reseruationis.

Ad 3. Resp. Trident. non esse contrarium huic doctrinæ.

651. Ad tertium respondetur Tridentinum non esse contrarium huic doctrinæ; quando enim dicit Confessarium inferiorem nihil posse circa reseruata, intelligi debet perseuerante omnino reseruatione, & non factâ concessione à Superiore. Quando autem in prædicto casu præsumitur voluntas Superioris maioris concedentis facultatem pro illo casu, consequenter cessat reseruatio; maximè cum (vt suprà dicebam post 3. assertionem à §. *Dubitari autem potest*, & deinceps) non præsumatur velle Religio, aut superior illius, quod ille talis per multum tempus careat beneficio absolutionis; & maiori certitudine iustificationis habitæ per Sacramentum pœnitentiæ; propter quam causam, etiam iter agentibus, saltem cum onere

comparendi, datur facultas, vt possint absolui.

SECTIO TERTIA.

De formâ, & modo seruando in tollenda excommunicatione.

652. NOnnolla restat difficultas circa modum, formamque absoluendi, & circa ritus, & ceremonias seruandas in absolutione, & circa ea, quæ præmitti debent ante absolutionem, de quibus in hac sectione sigillatim dicemus.

DVBITATIO XXXVII.

An aliqua excommunicatio tollatur sine absolutione?

Resolutio in quam conueniunt Authores.

653. COnueniunt Authores in eo, quòd Excommunicatio valida semel contracta si secundum Ius ordinarium lata erat, tolli non possit; nisi per absolutionem, & patet ex c. *cum in dubijs.* c. *Cùm consideres.* c. *sicut nobis de sentent. excommunic.* & *à nobis* el secundo eodem titulo, vbi habetur, quòd si quis excommunicatus moriatur ante absolutionem, quamtumuis egerit pœnitentiam, & fecerit satisfactionem, adhuc est legatus excommunicatione quousque absoluatur ab eo, qui ad id habuerit potestatem de quo diximus dub. 30.

Explicatur Assertio.

654 Dixi *Excommunicatio valida*, quia, quæ nulla est, non indiget absolutione, sed declaratione nullitatis.

655 Dixi etiam *semel contracta*; nam si aliquis Iudex tulit sententiam excommunicationis; nempe ab homine, & ille moriatur, vel ab officio amoueatur, antequàm incurreretur, tunc non incurretur; atque adeò nullâ opus erit absolutione, quia excommunicatio ab homine expirat illo mortuo vel amoto.

656. Item, si excommunicatio lata erat sub hac formâ *sis excommunicatus, nisi intra decem dies satisfeceris, aut restitueris*: *tunc* si ante decimum diem satisfecisti, nullâ indiges absolutione, quia non incurristi excommunicationem.

Modus excommunicandi de quo duæ sunt opiniones. Primò.

657 Dixi etiam *si secundum Ius ordinarium lata erat*, quia si quis ita tulit excommunicationem *sis excommunicatus, quousque satisfacias, vel restituas*, tunc sunt duæ opiniones, prima asserit, quod licèt homo hic incurrerit excommunicationem, tamen cùm primùm satisfacit, vel restituit, tollitur, & extinguitur excommunicatio nullo prorsus absolutione subsequutâ. Ita contra cōmunē sententiā tenēt Couarr. c. *Alma.* 1. p. §. 11. à n. 5. vsque ad 7. Auila p. 2. c. 7. disp. 2. dub. 6. Henriquez lib. 13. c. 29. n. 2. quamuis hic vltimus solùm loquatur de excommunicatione sub eâ formâ latâ à Papâ sicut, & Syluest. verb. *Absolutio* dub. 3. qui non admittunt id in excommunicatione ab alijs Prælatis, vt de Syluestro notaui disp. 34. prope finem, vbi eius sententiam sequuti sumus saltem de possibili.

Probant 1. Couarr. & alij.

658. Probant primò Couarr. & alij; quia in suspensione, & interdicto illo modo latis scilicet *donec satisfeceris*, non est necessaria absolutio, vt fatentur illi ijdem Authores, qui id negant de excommunicatione; ergo in Excommunicatione etiam erit verum; quia nihil est, neque in Iure, neque quod ex alio capite colligi possit, ratione cuius id specialiter repugnet excommunicationi.

659. Respondebis fortasse discrimen esse in eo, quod suspensio, & Interdictum aliquando ponuntur per modum solius pœnæ, & non Cēsura (vt notauimus citatâ disp. 34. ex dictis disp. 1. dub. 2. & 3.) excommunicatio verò nunquam.

660. Hæc tamen solutio nulla videtur esse; quia tunc tantum ponuntur, per modum solius pœnæ suspensio illa & interdictum, quando feruntur pro peccato omnino præterito, aut pro determinato, & certo tempore, ita, vt non pendeant à contumaciâ; sed illâ ablatâ, maneant istæ pœnæ; at verò quoties imponuntur illo modo, scilicet, *donec satisfeceris*: illa pœna medicinalis est, & ad comprimendam contumaciam directè inflicta; ergo imponitur sub propriâ ratione Censuræ; quid enim aliud desiderari potest ad rationem Censuræ?

661. Secundò probat Couarr. n. 6. quia benè potest dari absolutio sub conditione de futuro; scilicet *Absoluo te, si satisfeceris*, vel *cùm primùm satisfeceris, sis absolutus*; sed, qui illo modo excommunicat implicitè absolui, si satisfactio fiat: ergo non indiget postea nouâ absolutione. *Probat 2. Couarr.*

662. Multi negant Antecedens; sed contra eos argumentatur Couarr. quia excommunicatio potest ferri de præsenti sub conditione de futuro hoc modo *Excommunico*, vel *sis excommunicatus, si intra decem dies non restitueris*, & tunc positâ conditione incurritur excommunicatio, & manet excommunicatus sine aliâ nouâ sententiâ; ergo idem erit in absolutione. Quod autem excommunicatio possit ferri sub conditione de futuro, patet ex c. *Præterea* el. 2. de *Appellat.* & ex multis alijs Iuribus.

663. Confirmatur, quia (vt colligitur ex c. *veniens* el. 2. de *Testibus* & c. *Apostolica* de *Exception.* & c. *Per tuas* de *sentent. excommunicationis*, & ex multis alijs Iuribus, docetque communis Authorum sententia, quos refert Couarr. n. 6. §. *secundo eandem*, estque in praxi receptissimum) absolutio ab excommunicatione potest dari ad reincidentiam; vel pro certo tantum tempore, vel ad certum actum; in quâ absolutione explicatâ simul fertur excommunicatio implicata, quæ positâ postea conditione, vel transacto tempore, aut actu, statim incurritur sine nouâ sententiâ: ergo similiter poterit dari simul cum excommunicatione explicatâ absolutio implicita. *Confir.* *Absolutio ab excomm. potest dari certo tantū tempore.*

664. Tertiò probat Couarr. n. 7. §. *imò, & aduersus*, quia ex communi omnium Doctorum sententiâ tàm Excommunicatio, quàm absolutio ab excommunicatione non habent verba determinata pro formâ essentiali; sed solum verba quę indicent, & declarent sufficienter intentionem Iudicis ferentis, & eius voluntatem, à quâ pendent; sed sicut hæc verba *absoluo te ab excommunicatione pro certo tempore tantùm vel ad* *Probat. 3. quia excōm. & absolutio non habent verba determinata pro essentiali forma &c.*

hunc

hanc actum tantùm, simul continent absolutionē pro illo tempore, vel actu, & excommunicationem iterum de facto incurrendam ipso facto (saltem sub illâ conditione si duret contumacia) ita hæc verba *excommunicate vsque dum satisfacias*, simul continent expressam excommunicationem, & implicitam absolutionem ipso facto præstitam cùm primùm exhibita est satisfactio. Hæ rationes probabilissimam reddunt hanc sententiam; eamque sequitur Vasquez de *excommunic.* c. 18. numero 2. vt retulimus citatâ dub. 34.

Dictæ rationes probabilissimam reddunt hanc sententiam iuxta Authorem.

665 Alia est communis sententia, quæ docet excommunicationem nunquam tolli, nisi per absolutionem: atque in illâ excommunicatione impositâ *donec satisfacias* esse necessariam absolutionem post exhibitam satisfactionem; aliàs (inquiunt) manebit homo ille excommunicatus. Ita sentiunt antiquiores Canonistæ ferè omnes, quos refert Couarub. suprà numero 5. cum quibus sentit Nauarrus in *Summâ*, cap. 27. numero 165 circa finem, & Suarius de Censuris disp. 19. sect. 1. Sà verb. *Absolutio ab excommunicatione*, numero 12. Filiucius cap. 9. quæsito. 2. & cap. 10. quæsito. 1. Conincdisp. 14. dub. 16. n. 201. & 220. aliique Recentiores.

Communis tamen sententia docet excommunicationem nunquam tolli nisi per absolutionē.

Probatur 1.

666 Communiter probari solet, quia in Iure est forma determinata ad absoluendum, qualis non reperitur in illis verbis. Constat autem esse formam determinatam in c. *A nobis* el. 2. §. *absolutionis autem forma de sent. excommunic.*

Resp. Couarru.

667 Sed respondet Couarrub. 1. illam formā non esse de essentiâ, vnde aliter data absolutio valet. Secundò illam formam poni pro excommunicatione simpliciter, & purè latâ, quasi aliud dicendum sit in absolutione, quæ tacitè deducitur ab excommunicatione sub conditione, vel ad tempus inflicta, vel in absolutione conditionali, vel in absolutione ad cautelam.

Probant 2. Ft acumen Suarius.

668 Suar. verò n. 5. inde probat, & sane accutiùs, quia conditio virtute inclusâ idē operatur, quòd expressè addita; sed cōditio illa *donec satisfacias, vel restituas* seu *obedias*, semper est virtute inclusa in omni censura, & maximè in excommunicatione, quæ ex suâ institutione habet, vt sit medicinalis; atque adeò tantum vtendum est illâ, sicut medicinâ, quousque ægritudo contumaciæ sanetur, & statim, atque cessat contumacia, non est quidem ablata, vt euidenter patet ex Iuribus in principio huius dubitationis citatis; est tamen statim auferenda per absolutionem, vt statutum est, c. *Qua fronte de appellationibus*, & c. *ex litteris de Constit.* ergo etiam quando expressè dicitur *excommunica te*, vel *sis excommunicatus, donec satisfacias*, idem omnino est sensus, atque adeò exhibitâ satisfactione necessariæ est absolutio.

Authoris iudicium.

669. Hæc ratio mihi persuadet, quod illa verba, nisi aliquid aliud addatur, non satis significant absolutionem ex nunc esse datam, seu latæ sententiæ; sed dandam seu ferendam, atque adeò in eo casu opus esse absolutione, præsertim quod omnes Prælati Papâ inferiores tenentur se conformare Iuri Canonico, & ideo de illis præsumendum est non abere aliam intentionem, quàm, quæ habet Ius Canonicum in similibus locutionibus, cumque verba illa possint verificari etiam de absolutione ferendâ tantùm, & nondum latâ, certè sic debere intelligi videntur, imò (vt notabam dub. 34.) alij Prælati inferiores Papa non videntur posse inducere tā diuersum genus pœnæ, & vsu non receptum in Ecclesiâ, nimirum censuram, seu excommunicationem, quæ cesset sine absolutione, vel cujus absolutio dependenter à resipiscentiâ, sit antecedenter data habitura effectum post resipiscentiam sine noua aliâ absolutione. Quia ergo Papa est suprà Ius Canonicum, ideò Syluest. & Henriquez citati aliter Philosophantur de Pontifice, quàm de alijs, imò, si non constet de intentione Pontificis volentis inducere talem nouum modum tollendi Censuram, etiam de Pontifice credendendum puto non velle introducere nouum talem modum.

Prælati Papâ inferiores tenentur se conformare Iuri Canonico.

Aliter Philosophantur de Pontifice.

670. Quod si constet intentionem Pontificis fuisse dare absolutionem ipso facto, quod ponatur conditio, nulla prorsus opus est absolutione, ut tandem fatetur Suarius eâdem disp 19 sect. 1. numero 9. imò & 10. quamuis dicat cæteros Prælatos non posse id facere licitè, putat posse validè; quod satis probabile est, nec repugno, quia vt ipse notat, non potest assignari aliud speciale Ius, per quod irritum fiat, nam alia Iura, quæ dicunt excommunicatum manere excommunicatum donec absoluatur, quantumuis resipiscat, non sunt contraria, quia in prædictis casibus aliqua absolutio, quamuis extraordinario modo conceditur, quæ per nullum Ius irritatur: consonatque hæc doctrina cum aliâ ab eodem traditâ disp. 7. sect. 1. numero 13. vbi ait tunc ferri absolutionem ipso facto obtinendam positâ satisfactione, quando Pontifex dicit *ex quo satisfeceris, vel es ipse, quod satisfeceris, sis absolutus.*

Summus Pontifex potest dare absolutionem ipso facto posita conditione.

671 Rectè autem aduertit Suarius eadem disp. 7. sect. 1. numero 13. quidquid sit de hac controuersiâ opinionem, semper manere veram doctrinam generalem, de quâ præcipuè agimus in hâc dubitatione, scilicet quod nulla Censura tollatur sine absolutione; quia etiam in primâ opinione antiqua illa absolutio conditionalis implicitè data in ipsâ excommunicatione postea operatur expletâ conditione.

Aduertit rectè Suarius iuxta doctrinam generalem nullam Censuram tolli sine absolutione.

DVBITATIO XXXVIII.

An absolutio conditionalis ad cautelam. & ad reincidentiam possit dari? & quando?

672. ABsolutio pura, seu absoluta est quæ neque in verbis neque in intentione absoluentis vllam claudit conditionem Conditionata verò est, quæ sub aliqua conditione datur, quæ, si detur sub conditione de præsenti, vel de præterito nullam habet difficultatem; nam, si conditio existit, est valida; si vero non existit, est nulla, & aliquando non solùm est licitum, sed necessarium, vel vtile sub conditione absoluere; sic enim prudenter, & cum fructu Confessores ante absolut. absoluere Sacramentalem præmittunt absolutionem ab excommunicatione sub conditione, *si quam incurristi*

Quæ dicatur absolutio absoluta & quæ conditionata.

Quandoque est necessarium, vel vtile sub conditione.

risti, vel *si indiges*, vel *quantum indiges* vt rectè Nauarrus. cap. 26. numero 13. & quando excommunicatio est dubia, meritò additur conditio, vt decleretur rem esse dubiam, & ne videatur temerè res intentari.

Aliquando ait Suarius prudenter additur conditio.

673 Aliquando etiam (ait Suarius disp. 7. sect. 8. numero 4.) prudenter additur conditio hæc *si satisfecisti*, vel *si rectè, & ex corde, à contumaciá recessisti*, nam hæc conditio implicitè includitur in ipsâ absolutione, & ob causam rationabilem ad incutiendum metum, vel tollendam ignorantiam benè potest aliquando verbis declarari.

674 Si verò conditio de præsenti, vel præterito impertinenter addatur, non fiet sine peccato, graui quidem (ait Suarius) ex suo genere quia est contra reuerentiam rerum sacrarum, & abusus Ecclesiasticæ potestatis; sed ex paruitate materiæ poterit esse leue. Si verò absolutio datur sub conditione de futuro, pro tunc nihil operatur; an verò postea, positâ conditione, valida sit, & operetur, controuersia est inter Authores; nam Antoninus. 3. p. tit. 24. cap. 77. §. 1. Syluest. *Absolutio*, 3. in princ. *Excommunicatio*. 1. numero 19. Angelus *Excommunicatio* 2. nu. 5. & *Absolutio* 3. aliique nonnulli existimant esse nullam, nec dari posse.

Si absolutio detur sub conditione de futuro an valida sit positâ conditione controuertitur.

Negant Syluest. Angelus, &c.

Probant 1.

675 Probant primò à paritate absolutionis Sacramentalis, quæ nulla est data sub conditione de futuro; quâ de re diximus de *Pœn.* Tract. 8. disp. 5. dub. 3. & priùs Tract. 1. disp. 3. dub. 7.

probant 2.

676 Probant. 2. quia actus legitimus conditionem non recipit. L. *Actus legitimi* ff. de *Regulis Iuris*. & Regula 50. de *Regul. Iuris*. in 6.

Assertio talis absolutio valet.

677 Asserendum nihilominus est eam absolutionem sub conditione de futuro valere. Ita Couarrub. p. 1. §. 11. numero 6. Nauarrus de *Pœnit.* dist. 6. cap. 1. numero 64. & in *summâ* cap. 26. numero 12. Vgolinus Tabula 1. cap. 22. §. 1. nu. 2. Sayrus lib. 2. cap. 16. numero 7. Henriquez. l. 13. cap. 29. num. 4. Auila p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 15 Coninc *de Sacramentis*, disp. 3. dub. 2. numero 17. & disp. 14. dub. 16. numero 213. Filiucius, cap. 10. quæsito 2. Suarius disp. 7. sect. 8. numero 7. & disp. 3. sect. 7. numero 3. Ratio principalis est quia nullibi irritatur, & quod attinet ad absolutionem Sacramentalem est longè diuersa ratio, quia (vt notauimus locis citatis) pēdet ex institutione Christi, ac proinde eius effectus suspendi non potest ex intentione ministri absolutio verò à Censurâ pendet à voluntate absoluentis sicut censura ipsa, quæ est humana sententia pendet à voluntate ferentis. Secundum verò argumentum aduersariorum nihil probat; in illis enim Iuribus, seu regulis Iuris non statuitur pro Regulâ generali quòd nullus actus legitimus possit fieri sub conditione: alioquin nec Censura, nec dispensatio, nec præceptum posset sub conditione ferri quia isti sunt actus legitimi. Regula igitur, quæ ibi ponitur, solùm est, quod actus legitimi, qui non respiciunt diem vel conditionem, vitiantur per temporis adiectionem; inter quos actus non est absolutio à Censurâ.

Ratio.

Huius, & absolutionis Sacramentalis diuersa ratio ex quo absolutio primo argumenti.

Ad 2. Resp.

An etiam licitè detur absolutio a Censura sub conditione de futuro.

678 Quæret tamen aliquis an non tantum validè, sed etiam licitè feratur absolutio à Censurâ sub conditione de futuro Nauarrus & Henriquez, & Auila negant posse licitè ferri. Couarrub. verò, & Vgolinus affirmant; & probari potest, quia iuxta dicta dub. præcedenti excommunicatio potest ferri sub conditione de futuro, sicque frequenter fertur: ergo etiam absolutio. Præterea in nullo Textu reperitur prohibitum, & licèt c. *Biduum* 2. q. 6. dicatur sententiam non esse sub conditione ferendam; tamen, sicut id non habet locum in excommunicatione; ita neque in absolutione ab illâ.

Negat Nauarrus aliique: affirmant alij.

979. Ideo Suarius citata disp. 7. sect. 8. n. 11. ait licitè prudenterque posse dari ex rationabili causâ, vt si occurrat necessitas, vel vtilitas. v. g. si excommunicatus eo se conferat, vbi nullus erit intra multum tempus à quo possit absolui, vel, si Iudex timet excommunicatum simpliciter absolutum non satis facturum, & ex alio capite cogeret necessitas eum absoluere: Hæc autem, aut similis necessitas, vel vtilitas frequenter potest occurrere in locis, vbi non est vsus Bullarum Cruciatæ; tunc enim expediet absoluere, ne post exhibitam satisfactionem cogantur excommunicati adire Iudices longè distantes. Sine causâ verò (inquit Suarius) peccatum erit ita absoluere propter non vsum Ecclesiæ; nam in Iure Canonico non dantur tales absolutiones; nec Prælati eis vtuntur. Accedit, quod conuenientissimum est, vt contumaces post exhibitam satisfactionem parti læsæ etiam satisfaciant Ecclesiæ humiliter se præsentando, & subijciendo suis Prælatis, quos contempserunt.

Conuenit vt contumaces post exhibitam satisfactionem parti læsæ, etiã satisfaciant Ecclesiæ.

Quæres.

680. Quod si quæras; an Parochus, vel alius Confessor, qui simpliciter, & absolutè potest absoluere, possit etiam absoluere sub conditione de futuro? Aliqui negant; quia nemo potest suspendere Censuram; nisi, qui illam ferre potest. Parochus autem, vel Confessarius non potest Censuram ferre.

681. Probabiliùs nihilominus existimo posse; quia in eo casu non suspendetur Censura, vt postea redeat, sed non datur absolutio nunc pro nunc, quæ dari poterat; sed datur pro tempore, quo impleta fuerit conditio, hoc autem non habet locum in Sacramento Pœnitentiæ, quia absolutio Sacramentalis ex voluntate, & institutione Christi solùm potest dari pro eo tempore, quo profertur iuxta dicta citato loco de *Pœnit.* &. Tract. 1. disp. 1. à dub. 8. vsque ad 11. vbi latè explicuimus, an & quomodo liceat aliquid addere, vel detrahere in formis Sacramentorum.

Resp. probabilius etiam Parochus posse absoluere sub conditione de futuro.

682. Ex dictis habemus tàm de præsenti, & præterito, quàm de futuro in absolutione à Censura, si impertinens sit, conditio apposita, non licère illam ponere; sed si apponatur, eâ purificatâ, non tolli valorem absolutionis. Vnde, si feratur absolutio, *Absoluo Petrum si habeat dētes*, vel *si fuit in Indiâ*, vel, *si habeat pecuniā*. aut ea, *si Pater consenserit*, aut *si post tres dies pluat*: statim valebit, vel non valebit absolutio sub conditione de præsenti, aut præterito sub cōditionibus verò de futuro, tunc solum quando conditio purificetur; semper tamen erit illicitum tales conditiones apponere, quamuis, quod attinet ad conditionem de futuro contingenti, aliqui negent valere absolutionem; actus enim spiritualis potestatis non debet ita pendere à casuali conditione quæ ad actum nihil pertineat. Ita Suarius disp. 3. sect. 3.

Ex dictis Collige.

Aliqui negant valere absolutionē datam sub conditione de futuro contingenti.

sect.3. n. 3. Vgolinus c. 20. §. vltimo. Filliucius c. 3. q 7. n 65.

Author docet illam esse validam quamuis illicitam. Ratio.

683. Placet nihilominus, quod nuper dicebam validam esse talem absolutionem, quantumuis illicitam; nihil enim obstat, quoad substantiam, quominus valida sit; neque enim censura pendet ab illâ conditione, tanquam à causâ efficiente; sed ab ipso superiore, qui potestatem habet ad id, quantumuis illicitè factat, & aliquo modo potestate abutatur, sicut etiam abutitur, & valet his non obstantibus quando superior absoluit sub conditione impertinenti de præterito, aut futuro; quod Suarius, & Vgolinus non negant. Ideò nostram sententiam sequitur Comne locis citatis.

Objicies

684. Objiciet tamen aliquis; talis absolutio videtur continere errorem intolerabilem, cùm sit abusus potestatis Ecclesiasticæ; Censura autem continens intollerabilem errorem inualida est. c. *Per tuas* de *sent. excommunic.* & c. *solet* eodem titulo in 6. ergo & absolutio.

Resp.

685. Respondetur negando etiam Censuram sub conditione impertinenti latam continere errorem intollerabilem, dummodo alioquin pro vero delicto, & illâ digno feratur ab eo, qui potestatem habet illam ferendi, vt supponimus, neque quilibet abusus Ecclesiasticæ potestatis errorem intolerabilē continet irritātē actum; alioquin, etiam Censura lata sub conditione de præsenti, aut præterito irrita esset, quod aduersarij non concedunt.

Absolutio ad cautelam, quando & quomodo danda pro foro externo.

686. Quod attinet ad absolutionem Censuræ ad cautelam, quando, & quomodo sit danda in foro exteriori, legi potest Couarr. c. *Alma*. p. 1. §. 12. n. 7. Vgolinus c. 22. §. 1. Quod verò attinet ad forum conscientiæ in triplici casu solet dari. Primo, nulla præcedenti cognitione Censuræ; sed ad superabundantiam; sine vllâ autem occasione, aut causâ illam dare esset superfluum, & actus otiosus; aliàs frequentissimè posset dari, & singulis momentis; prudenter tamen datur ante actum, cuius valor per censuram impediri potest. Sic datur semper ante Sacramentum Pœnitentiæ & ante Sacramentum Ordinis ab Episcopo, & ante collationem Beneficij, vel concessionem Priuilegij propter vitandum periculum nullitatis, humanam suspicionem, & omnem calumniam. Ita Henriquez lib. 13. c. 29. n. 5 Suarius disp. 7. n. 13. qui addit in articulo, præsertim mortis, quando danda est extrema vnctio ei, qui propter repentinum euentum non potuit confiteri, esse præmittendam hanc absolutionem. Idem docent Sayrus lib. 2. c. 17. Filliucius c. 10. quæsito 2. & 3. Conine disp. 14. dub. 16. n. 200. Vgolinus Tabulâ 1. c. 10. & vniuersim in similibus euentibus est optimum consilium eam absolutionem præmittere In prædicto autem casu Extremæ. Vnctionis nihil est exigendum à Pœnitente præter propositum, quod habet satisfaciendi, si cognouerit se aliquid debere.

Pro foro conscientia in triplici casu dari solet. Primo.

Optimum est Consilii præmittere absolutionē à Censura in varijs casibus.

687. Pari ratione est optimum consilium, quando quis absoluitur per Iubilæum, aut Bullam Cruciatam, vel Priuilegium, absoluere illum ab omnibus reseruatis, si quæ habet, quia saltem illud operatur, vt postea non sint reseruata; sed à quolibet Ordinario possint absolui, vt ex com-

Item quando absoluitur quis per Iubilæum &c.

muni sententia docet Suarius disp. 7. sect. 5. n. 19. & consonat cum doctrinâ à nobis traditâ dub. 21. Vtrum autem sic generaliter absolutus egeat nouâ absolutione, vel tantum maneat liber à reseruatione? & quando? constat ex dictis; tum eâdem dub. 21. tum disp. 11. de *Pænit.* dub. 8.

Secundo quando est dubium Iuris vel facti.

688. Secundo modo potest dari absolutio ad cautelam, quando est dubium Iuris nempe; an à Iure lata sit excomm. contra aliquod opus quod scit aliquis se fecisse; vel est dubium facti. videlicet, si quis dubitet; an percusserit Clericum, vel, an admiserit Hæresim externus, & in vtroque casu ex prædictis ante factam sufficientem diligentiam potest absoluere ab illâ Censurâ, si verè fuisset incursa, & solus ille potest; primum probat Suarius, quia qui potest tollere dubiam, etiam potest tollere certam. Ita docet sect. illâ 8. c. 14. Secundum probat quod scilicet alius non possit, quia hæc absolutio datur ad tollendam omnem dubitationem Censuræ: ergo necesse est, vt, qui sic absoluit, potestatē habeat tollendi illam, si fortasse incursa sit; alioquin semper maneret idem dubium.

689. Dixi *ante factam sufficientem diligentiam*; quia, si post sufficientem diligentiam adhuc dubium perseuerat, probabilissimum est nullâ egere absolutione in foro conscientiæ; sed posse præsumere se non esse excommunicatum, vt explicatur à nobis in Tract. *de Conscientia*, & optimè probat Sanchez in moralibus lib. 1. c. 10. n. 56. & 67. vbi infert cum D. Thoma *Quodlib.* 4. art. 14. idem dicendum esse quoties dubitatur an Iudex sententiam excommunicationis in aliquem protulerit? videlicet non teneri hunc, quando præmissâ diligentiâ adhuc manet dubius; se gerere tanquàm excommunicatum.

Tertio dari potest absolutio ad cautelam.

690. Tertio modo potest peti, & dari absolutio ad cautelam, quando scitur quidem excommunicationem latam, & opus factum esse, sed dubitatur, an fuerit valida, an nulla ex defectu causæ, vel modi, aut circumstantiæ requisitæ ad valorem? vel; an Iudex, seu pars, ad cuius instantiam fertur, voluerit comprehendere hanc personam? vel an habuerit intentionem ligandi, vel solùm ad terrorem? item, si dubitatur; an interposita fuerit appellatio tempore congruo, videlicet ante incursam excommunicationem? vel, si dubitatur; an quis absolutus fuerit ab excommunicatione, seu Censurâ, quàm scit incurrisse? In his omnibus casibus; quia vel certum est se debere gerere pro excommunicato, vt vult Sanchez suprà; quia possessio stat pro excommunicatione in foro conscientiæ, vel saltem est probabilissimum, aut magis probabile, oportet petere, & accipere absolutionem, quam solus ille potest conferre, qui absoluere posset, si alias certò sciretur fuisse incursam, id enim probat ratio Suarij paulò ante facta in casu præcedenti.

Secus dicendum si verba quibus Excommunicatio lata fuit sint Dubia.

691. Secus autem iudicandum erit, quando verba, quibus Iudex, aut Ius ipsum excommunicationem tulit, sunt in Iure dubia an vero ferendam contineant? Item, quando dubium oritur ex eo, quod excommunicatio fuit conditionalis, & dubitatur de impletione conditionis, quia in his post factam

Ratio.

factam sufficientem diligentiam nulla est opus absolutione, vt rectè docet Sanchez suprà, qui n.60. addit, quod quando dubium oritur, & ex eo, quod dubitatur de potestate Prælati excommunicantis: tunc, si ille Prælatus est in possessione excommunicandi præsumitur pro eo, & opus est absolutione: secus vero si in eâ non sit. Quæ doctrina satis probabilis, & recepta est, quamuis non omnino certa, quia non est improbabile (vt alibi diximus) quando non est purum, aut merum dubium; sed probabilitas opinionum, siue circa potestatem Prælati, an habeat illam nec ne? siue circa potestatem erga talem materiam, quam præcipit sub Censurâ, siue; quia probabile est talem actum præceptum non licere: in his (inquam) casibus non est improbabile, quod, quamuis superior præceperit sub Censura, adhuc Censura non obliget. Sed de hoc alibi.

Duo notanda circa absolutionem ad cautelam Primum.

692. Duo tamen hoc loco notanda sunt circa absolutionem ad cautelam, primum, quod Couarr. §. illo 12. n. 8. & Nauarrus c. 27. n. 277. doceant Iudicem delegatum non posse absoluere ad cautelam; quia hæc absolutio extraordinaria est, & gratia quædam Sedis Apostolicæ inducta c. *per tuas* de *sententiâ excommunicationis*, ac proinde non est permittenda cuiq; Iudici delegato; nisi specialiter fuerit illi commissa.

Limitatio.

693 Hæc tamen doctrina solum intelligenda est de absolutione ad cautelam danda in foro exteriori, vt patet ex ratione, quam statim subiungit Couarr. quia quoties excommunicatus (inquit) allegat excõmunicationẽ nullam esse Iure ordinario absolutio danda non est; sed prius debet probare nullitatem, nisi ex gratiâ à superiori permittatur. Ecce quomodo tantum locum habet in foro exteriori. Vnde quicumq; ex priuilegio habet potestatem delegatam ad absoluendum pro foro conscientiæ ab excommunicatione certâ, multò melius poterit à dubiâ; quis enim dicat maiorem iurisdictionem requiri ad absoluendum à Censurâ dubiâ, quam à certa? At cur, qui à Pontifice iudicatur idoneus, vt ei committatur absolutio à Censurâ certâ, non iudicabitur idoneus pro dubia, & incerta? Vnde doctrinam traditam ex Suario verissimã puto pro foro conscientiæ, quam etiam docuit Henriquez citandus.

Secundum in casu dubiæ excommunicationis.

694. Secundum notandum est, quod in casu dubiæ excommunicationis, quando pœnitens dubitat; an læserit partem, potest in foro conscientiæ absolui sine satisfactione præmissâ, imò, & sine cautione præstitâ cum solo proposito satisfaciendi, si aliquando constiterit læsionem factam fuisse. Ita Nauarrus c.27. n. 277. §. *Sexto quod* in fine. Henriquez lib. 13. c.29. in fine. Rodriguez in *Summâ* c. 76. conclus. 11. qui id probat ex c. *venerabilibus* §. *Porro de sentent. excommunic.* in 6. & Suarius disp 7. sect. 5. n.44. sed de hoc dicemus dub. sequenti.

Absolutio ad reincidentiam quæ dicatur.

995. Circa absolutionem ad reincidentiam, illa propriè dicitur talis, qua quis ex scientiâ Censuræ absoluitur ab illâ non in perpetuum, sed ad certum tempus, vel ad certum effectum, vel nisi impleatur conditio, reditura sit Censura, vt *Absoluo te per octo dies tãtum*, aut *ad effectum tantum præsentium* vel *ad effectum testificandi*; vel *lucrandi Iubilæum*, vel *pro tempore, quo tantum sis impotens ad restituendum, ita vt, si non restituas, cum possis, reincidas.* Qua de re legi possunt, quæ diximus suprà dub. 17.

696. Dixi *ex scientiâ* quia qui absoluitur ad aliquem actum ignorans se ligatum Censura potuis ad cautelam absoluitur, licet cum reincidentiâ, si forte erat ligatus.

697. Ex dictis infertur, quod nemo potest absoluere ad reincidentiam; nisi, qui potest excommunicare, vel de eius expressâ commissione, ita, vt nullus ex ijs, quibus delegatur potestas ad absoluendum, simpliciter possit absoluere ad reincidentiam etiam de Consensu partium, vt latè probauimus eâdem dub. 17. §. *secunda sententia*, & deinceps. An vero ad sic reincidendum semper requiratur noua culpa, vel sufficiat præterita? & an absoluti per Bullam, Iubilæa, vel priuilegia cum cautione tantum, eo quod non possint satisfacere, etiam reincidant? eâdem quoque dub. diximus à primâ assertione vsque ad finem dubitationis. *Ex dictis Infertur.*

DVBITATIO XXXIX.

Quænam præmitti debeant ante absolutionem ab excommunicatione?

668. LEgantur quæ diximus supra tùm dub. 15 assert. 15. assert. 1. & deinceps, tum dub. 34. & locis ibi notatis.

699. Assero primo, qui incurrerat excommunicationem ob aliquam læsionem, aut iniustitiam contra proximum, non debet absolui; nisi priùs exhibeat satisfactionem, quam potest, parti læsæ; &, qui eum absoluit sine tali satisfactione præmissâ, mortaliter peccat; quia abutitur suo officio, & facit contra multa Iura expressa; atque ita supponunt Authores. Quod autem talis culpa sit mortalis probatur ex eo, quod res illa secundum se grauis est, imò hoc peccatum esse contra Iustitiam partis læsæ, ac proinde sub obligatione restitutionis in casu, quo absolutus nõ restituat, alioquin restituturus docet Medina in summâ lib.2.c.12. Henriquez lib, 13.c. 28.n.2. litera N. in Gloss. vbi ait tenebitur Ordinarius, qui sic absoluit, soluere expensas parti læsæ, sicut, qui vinctum pro debitis soluit illicitè ex carcere. Idem docet Auila p. 2. c.7. disp. 3. dub. 5. conclus. 2. neque tantum loquũtur Medina, & Auila de Delegato, de quo clarum est, sed etiam de Iudice ordinario; neq; solùm dicunt obligatum ad expensas, sed ad omnia damna inde parti sequuta. Probat Auila, quia ex officio tenebatur consulere bono partis, & sic censetur causa talis damni. Quæ videtur esse decissio Pontificis c. *venerabilibus* §. *sanè* in fine *de sentent excommunic.* in 6. vbi ait absolutionem Excommunicationis datam ab Ordinario validam esse, vt notauimus dub. 34. reddit vero Pontifex rationem, *quoniam, etsi contra Ius ligatoris, non tamen contra Ius constitutionis absoluit.* *Assertio 1. exhibenda satisfactio parti læsæ. Sine illa si quis tenebitur soluere Expensas partis læsæ.*

700. Sed dicet aliquis Ordinarius poterat non excommunicare à principio pro damnis tem- *Dices.*

temporalibus sine iniuria partis: ergo etiam absoluere.

Resp.

701. Respondetur negando consequentiam; nisi in casu, quo, & bono spirituali excommunicati,& bono communi, vel saltem sine detrimento boni communis iudicaret expedire, vt Censura relaxaretur, ita, vt bonum illud praeponderet detrimento temporali parti sequuto. Nam in tali casu nullo modo peccaret quia excommunicatio primariò respicit bonum spirituale ipsius excommunicati. Aliter ergo, supposito quod excommunicauit, non potest absoluere sine iniuriâ partis.

Dictum est nisi prius exhibeat satisfactionem propter multa Primo

702. Dixi in assertione, *nisi prius ex hibeat satisfactionem, quam potest*; propter multa, quae in praecedentibus locis suprà citatis notauimus. Primum, quia satisfactio realis tantum est re ipsa exhibenda, quando debitum est certum; si enim dubium sit, sufficiet ad summum cautio praestandi quod constiterit debere c. *ex parte* de *verborum significatione* c. *sedes* & c. *venerabilibus* §. *porro* de *sentent. excommunic.* in 6. licet haec iura de foro tantum exteriori loquantur, vt notauit Nauarrus c. 26. n. 7. nam in foro conscientiae standum est dicto poenitentis. Sed, quia etiam in foro conscientiae potest esse dubia offensa, tunc videtur sufficere propositum satisfaciendi, vt cum Nauarro, & alijs diximus dub. praecedenti; sed (vt ait Suanus disp. 7. sect. 5. n. 44.) ex principijs de conscientiâ, & de Restitutione deducendum est, vel esse obligationem satisfaciendi, vel non esse, attendendo, pro quo sit vel maior certitudo, vel etiam possessio.

2. Quia quando potest exhiberi satisfactio realis non sufficit praestare cautionem.

703. Secundum quod quando potest exhiberi satisfactio realis non sufficit praestare cautionem, vt saepè diximus locis citatis supponuntque Authores, & notauit Nauarrus c. 27. n. 277. Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 5. & probant apertè ex c. solet citato in illis verbis *nisi prius sufficiens praestetur emenda*.

3. Quando non potest sufficit.

704. Tertium quod, si non potest exhiberi realis satisfactio, neque quoad totum, neque quoad partem, quae sit alicuius momenti; tunc satis est, si praestet cautionem, vt expressè habetur c. *Odoardus* de *solut.* (vbi etiam habetur quod, si possit partem dare, ad id tenetur) & c. ex parte de *verbor. significatione* & c. *Alma mater.* de *sentent. excommunic.* in 6. & saepè alibi. Quod verissimum est, etiamsi absolutio danda sit in foro conscientiae à delegato per Bullam, aut priuilegium, in quo dicatur, quod fiat satisfactâ parte, vt contra Sotum probauimus citata dub. 15. & 34. vbi etiam diximus probabile esse valere quantumuis detur sine satisfactione, aut cautione.

Quaenam sit sufficiens cautio.

705. Sed quaeret aliquis, quaenam sit sufficiens cautio? Caietan. verbo *excommunicatio* c. 77. & alij dicunt non sufficere dare fideiussorem, si potest dare pignora; & in omnium sententia verum est non sufficere iuratoriam, si potest dare pignoratitiam, vel fideiussoriam: sufficiet tamen dare fideiussoriam, etiamsi possit dare pignoratitiam; quia de his duobus disiunctiuè loquuntur ferè omnes Authores, & expressè docent Henriquez lib. 13. c. 18, n. 1. litera G. & Auila suprà. Legantur quae diximus dub. 11. & locis ibi notatis in principio.

706. Quartum notandum est, quod non solum, qui nullo modo potest, sed etiam qui commodè non potest, & sine graui incommodo, vel detrimento famae, vel status, vel suorum bonorum; potest licitè absolui sine reali satisfactione; praestitâ tamen cautione sufficienti; quia non magis obligat praeceptum Praelati, etiam sub excommunicatione; quam Ius ipsum naturale, & diuinum iuxta dicta in praecedentibus maximè dub. 34. Ita Nauarrus c. 27. n. 48. Corduba in *summa* q. 18. Auila c. 7. disp. 3. dub. 5. Polanco in directorio c. 4. Henriquez l. 13. c. 28. n. 1. qui ait hoc esse verum in vtroque foro; sed in exteriori debere id probare, & habetur c. *Odoardus* de *solut.* *4. Asserendum est.*

707. Hinc sequitur, quod, quando debitum est occultum & realis satisfactio pro tunc non est possibilis, vt absoluatur in foro Conscientiae sufficit cautio iuratoria, vt contra quosdā Recentiores docet Henriq. c. 28. n. 1. litera *H.* licet nō admodū firmus sit in eâ. Item Auila suprà, quia nimirum non potest dati cautio pignoratitia vel fideiussoria sine aliquâ infamiae notâ. *Hinc sequitur quando, sufficere cautionem iuratoriam.*

708. Quod si dicas; saltem det schedulam proprio nomine subscriptam, in quâ promittat, se tali tempore restituturum, quae maneat apud Confessarium: contra hoc est id nullo modo expedire; quia nec Confessarius potest illâ vti sine aliquâ notâ poenitentis, & sine aliquâ, saltem apparenti, causâ suspectionis non satis seruati sigilli; vnde redderetur onerosa Confessio, & vix posset, adhuc virtute illius, sollicitare poenitentem & incutere illi metum.

709. Imò addit Auila etiamsi debitum sit publicum, & in foro conscientiae pro illo foro cautum sit absoluendus poenitens sine licentiâ Iudicis propter impotentiam, quam non potest probare iuxta dicta locis notatis; adhuc non esse cogendum poenitentē, qui non habet pignora, nec fideiussorem, vt praestet obligationem in scriptis coram Tabellione, & testibus creditori; quia hoc nullo Iure cauetur; nisi in casu publici vsuranj, tunc enim debet fieri, etiamsi non sit excommunicatus, vt patet ex c. *Quamquam* de *Cassibus* de quo Nauarrus c. 17. n. 180. & nos diximus in proprio Tract. de *Vsura* agentes de cautione idoneâ vsuranj manifesti in nostro opere de *Iustitiâ*.

710. De eo, qui potest quidem satisfacere, tamen non adest pars laesa, cui debet satisfieri, sufficit (vt notauimus locis citatis) si deponat pecuniam in loco tuto, vel si mittat ad partem per fidelem nuntium, vt hoc praemisso possit absolui. Ita Henriquez, & Auila. Item, qui in vno loco vult absolui & in alio longè distanti habet, vnde satisfiat, satis est, si praestet cautionem sufficientem. Ita idem Henriquez & alij. *Quid faciendum si pars laesa absit*

711. Quintum notandum, quod iam saepè diximus, nomine partis laesae in Iure, vel in Iubulaeis, aut Bulla, cui debetur satisfactio ante absolutionem, intelligi personam offensam in honore, aut famâ, aut alio bonorum genere, quod ex se postulat restitutionem; non verò Iudicem, Fiscum, aut Tabellionem. Ita Sotus distinct. 22. q. 2. art. 3. post tertiam conclus. Gutierrez lib. 1. *quaestion. Canonicar.* Henriquez lib. 7. c. 13. n. 2. & lib. 13. c. 28. n. 1. in fine. Sua- *5. Notandū qui nomine partis laesa intelligatur.*

rius disp. 7. sect. 5. numero 45. Auila p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 7.

712. Hinc colligitur eos, qui incurrerunt excommunicationem latam contra non euntes ad processionem aliquam, vel concionem, seu celebritatem, si pœnitet eos facti, posse absolui inconsulto Prælato, quando peccatum erat occultum; imò etiam si sit publicum non tamen deductum ad forum externum; imò adhuc quamuis sit deductum; si ob rationabilem causam sit in foro conscientiæ absoluendus, poterit in eo foro absolui cum solo proposito vero parendi Iudici, & soluendi atque præstandi ea omnia, ad quæ cogitur in foro exteriori, vt sunt stipendia ministrorum Iustitiæ, & pœnam à Iudice imponendam; illi enim, vt diximus non intelliguntur nomine partis læsæ, cui debeatur satisfactio vel saltem cautio iuratoria. Ita Suarius suprà, & Auila cum aliquibus Magistris, qui etiam addit ob eandem rationem posse absolui cum solo proposito denuntiandi eos, qui incurrerant excommunicationem latam contra non manifestantes: similiter posse absolui Simoniacum cum proposito restituendi pretium, aut resignandi beneficium; quia hæc excommunicatio non fuit lata (inquit Auila) propter iniuriam illatam parti.

Assertio 2. 713 Assero, 2. quando quis in articulo mortis, vel ratione alterius impedimenti absoluitur ab excommunicatione per eum, qui de Iure poterat absoluere, præter satisfactionē partis (quę si debetur, tunc etiam, quantum per tempus licet, exigenda est) iniungendum est illi à Confessario, vt cùm primùm possit, se præsentet ei, à quo de Iure absoluendus erat. Quod si non faciat, reincidet. De quibus omnibus diximus dub. 11. & locis sibi notatis in principio; habeturque in c. *eos qui* de *sententia excom.* in 6. vbi vniuersaliter dicitur debere ab eis exigi iuramentum super hoc, sicut & c. *ea noscitur.* Quod verissimum puto propter citatum Textum & docet Corduba, nisi quis velit satis probabiliter (vt citatis locis notauimus cum Auila c. 7. disp. 3. dub. 4.) hoc iuramentum esse tantùm exigendum in casu percussionis Clerici, quia de eo habetur expressè in c. *de cætero*, & cap. *ea noscitur*, de *sent. excomm.* vt eâdem dub. 11. notauimus vbi probabiliùs diximus vniuersaliter esse exigendum.

Assertio 3. 714. Assero 3. quoties per Bullam, aut priuilegium absoluendus est pro foro tantum conscientiæ; quia reverà facit, quod potest tàm in foro exteriori, ad quod est deducta eius excōmunicatio & non potest obtinere absolutionē, tunc exigendum est ab eo firmum propositum, quod non abutetur huiusmodi absolutione cum scandalo aliorum, aut perturbatione fori exterioris; in quo debet parere, & se gerere excommunicatus, quamdiu non probat suam innocentiam, vt benè Auila cap. 7. disp. 3. dub. 10. post 4. concl. Quâ de re satis nos diximus suprà dub. 15. maximè assert. 3.

Assertio 4. 715. Assero 4. Præter omnia prædicta in criminibus horrendis, & grauissimis, vt in falsarijs, incendiarijs, in percussione Cardinalis, vel Episcopi, & secundum aliquos, teste Auila, in omnibus casibus Bullæ Cœnæ exigendum est iuramentum, quod ampliùs non committet tale peccatum; quod enim aliqui dicunt iuramentū esse debere de parendo præceptis Ecclesiæ, esset onus grauissimum, & non habetur in Iure, vt rectè expendit Suarius disp. 19. sect. 2. num. 10. & Sà verb. *Absolutio ab excom.* numero 19. & latius probauimus citatâ dub. 11. §. *Secunda conditio*, & deinceps, constatque ex c. *ex tenore*, & c. *de cætero. de sent. excom.* & ex. c. *Pessimam.* 23. q. 8. & c. *Grauem.* de *sent. excomm.* vbi significatur quod aliquando poterit maior cautio postulari, vt similia de cætero non committantur. Sed, si esset nimis graue quod iniungitur in foro exteriori, posset appellari, vt ait Henriq. cap. 28. numero 4. littera, *M.* *Ab absoluendo à criminibus enormibus, exigendum est iuramētum quod nō committet amplius tale peccatum.*

716 Quod autem hoc iuramentum sit exigendum tantum in grauioribus criminibus docet Caietanus verb. *Absolutio* cap. 4. Syluest. *Absolutio.* 3. Angelus *Absolutio*, 3. numero 1. Auila suprà dub. 2. Suarius, Henriquez, & Medina suprà, & aduertit Auila non esse exigendum à quocumque percussore Clerici; quod verum credo, quando percussio non est enormis; quia enormis tantum est Episcopo reseruata; si tamen enormis sit, exigi debet propter Iura citata. Quod autem hoc iuramentum non sit de substantiâ, seu requisitum ad valorem absolutionis, probauimus eâdem dub. 11. *Et in grauioribus tātum criminibus exigēdum est.*

DVBITATIO XL.

De formâ & ceremonijs absolutionis.

717. Consentiunt Doctores nulla esse verba determinata pro formâ; sed sufficere quæcumque significent effectum, qui est ablatio Censuræ; causam autem explicare, propter quam incursa erat excommunicatio, bonum est, sed non necessarium, vt probat Suarius disp. 19. sect. 2 numero 8. cum Syluestro, & Nauarro cap. 26. *Nulla sunt verba determinata pro formâ absolutionis.*

Ceremoniæ obseruandæ in absolutione.

718. Ceremoniæ verò præscriptæ seruari debent in absolutione quæ impenditur in foro externo, vbi fuerint vsu receptæ; eæ autem continentur in c. *A nobis* de *sent. excom.* In primis absoluens debet dicere Psalmum *Miserere*, vel aliud ex Pœnitentialibus, & interim flagellare excommunicatum in humeris virga, vel corrigia; Postea dicere *Kyrie eleyson Pater noster*, deinde aliquos versiculos in ceremoniali assignatos, & orationē *Deus cui proprium est misereri. &c.* ac tandem pro absolutione dicat *Auctoritate Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum Petri & Pauli, mihi concessa absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter hanc, vel illam causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium in nomine Patris &c.* Huius formæ fit mentio in citato cap. *A nobis* & 2. *de Sent.* Excom. *Pro Absolutione dicenda.*

Nota. 719. Aduertendum vero est, quamuis præscribatur nudatis humeris esse flagellandum, id nullo modo seruandum esse pro fœminis; hoc enim non decet, vt notant Authores; imò neque in viris est iam in vsu, etiam quando absolutio fit publicè & solemniter ab ipsis Iudicibus: imò Nauarrus suprà nullum ait esse Textum, qui id præcipiat;

præcipiat; atque ad tollendum scrupulum Leonem X. indulsisse fratribus Minoribus vt, quando absoluunt ab excommunicatione in foro conscientiæ, non teneantur flagellare. Vlterius hæc ceremonia, & aliæ, si Confessarius absoluat in confessione non obligat sub peccato; sed sufficit exigere iuramentum in grauioribus, & horrendis criminibus vt dictum est. Ita Auila suprà dub. 3. referens nostrum Polanco in suo Directorio, & alios viros doctos, etiamsi absoluat extra Confessionem, in foro tamen conscieti̅æ; & quando Confessarius absoluit ab excõmunicatione in confessione, sufficit (ait Auila) vt vtendo formâ consuetâ dicat, *In primis te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter furtum mihi dictum, vel aliam causam*, & prosequatur dicens *& ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & Interdicti in quantum possum, & indiges &c.*

Quando fratres minores absoluunt ab excommunic. in foro interno non tenentur flagellare.

720. Quando autem absolutio fit ad cautelam, & excommunicatio non est certa, Authores conueniunt teste Auilâ suprà non esse necessarium seruare illa ceremonialia; sed sufficere absolutionem conditionalem, quæ solet præmitti ante Confessionem.

SECTIO QVARTA.

De quibusdam excommunicationibus in particulari, & modo illas tollendi?

721. Aliquæ sunt excommunicationes in particulari, quæ & celebriores sunt, & satis frequentes, de quibus solent Authores speciatim disputare, & nos hîc sigillatim faciemus discurrendo per singulas, atque in primis agemus de Excommunicatione quæ incurritur propter omissam denuntiationem, quæ fieri pręcipitur virtute Edictorum generalium.

DVBITATIO XLI.

An Edicta generalia extendantur ad reuelanda etiam peccata secreta?

722. Legantur, quæ diximus de Iustitiâ Tract. 2. disp. 8. dub. 5. & seqq. Huiusmodi Edicta solent promulgari, & publicè affigi à Prælatis in suis Religionibus, & ab Episcopis in suis Diœcesibus & ab Inquisitoribus in suis districtis. In qua re Sotus Relectione de *Tegendo secreto* membro 2. q. 6. paulò ante 3. conclusionem, vniuersim docet Prælatum, & quemcumque superiorem virtute horum Edictorum generalium non posse compellere subditos ad denuntiandum crimina in illis casibus, & eo ordine, in quibus, & quo ipsi subditi extra visitationem non tenentur; putat enim Sotus Edicta non inducere nouam obligationem circa rem ipsam; sed solùm circa tempus; quia subditi possent aliquando tempus denuntiandi differre; sed virtute Edictorum teneri statim denuntiare.

Edicta generalia promulganda & publicè affigenda.

723. Verum Nauarrus c. *Inter verba* hanc Soti regulam non admittit, & meritò, quã de relatè Petrus Nauarra lib. 2. de *Restitutione* c. 4 puncto 2. dub. 10. Henriquez lib. 13. c. 18. Suarius disp. 20. de *Censuris* sect. 3. Imò idem Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. oppositum docet. Atq; hoc probat efficaciter Suarius distinguendo inter ipsa Edicta; nam, quando feruntur per verba, quæ culpam supponunt, tunc tantum intendunt obligare aliàs obligatos, vt cùm fertur excommunicatio contra eos, qui alienas scripturas retinent, vel qui contra conscientiam, & Dei timorem veritatem occultant. Quando verò Excommunicatio fertur contra eos, qui non venerint ad testificandum de veritate, vel qui nõ protulerint scripturas vt veritas cognosci possit; tunc sub speciali præcepto obligare intendunt ad id, ad quod alioquin non obligabantur subditi & sanè possunt obligare; cura enim boni communis & Iustitiæ seruandæ maior est in Prælato, quàm in subditis; ac proinde multi sunt casus, in quibus subditi non obligantur secluso præcepto superioris; illo verò posito, virtute illius tenentur. Hæc tamen præcepta, vt obligent, debent esse iusta. Ideò sæpè intelliguntur cum subintellectis limitationibus; videlicet, dummodo præcesserit infamia, nisi peccatum sit in perniciem Reipublicæ &c de quibus dicemus sequentibus dubitationibus. Hoc posito.

Edictorum differentia iuxta Suarium.

Circa boni communis maior est in Prælato quam in subditis.

724 Asserendum est huiusmodi edicta generalia non extenduntur ad peccata secreta sed procedendum est saluo ordine correctionis fraternæ. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 6. §. 4. Nauarrus c. 25. n. 46. & latè c. *Inter verba* coroll. 65. aliique multi hic, & in sequentibus dubitationibus referendi. Vnde etiamsi superior id præcipiat sub excommunicatione, non est illi parendum; nec manifestanda peccata occulta, vt etiam docet D. Thomas Quodlibeto 1. art. 16. & latè probat Sotus in Relectione de *Tegendo secreto*, menbro 2. q. 1. conclus. 3. & 4. quia superior id præcipere non potest. Item Adrian. in 4. de *Sacramento Confess.* in materiã de *Correct. fraternâ* dub. 4. quidquid in contrarium docuerit Syluest. verb. *Correctio* §. 9.

Assertio huiusmodi Edicta generalia nõ extenduntur ad peccata secreta. ita D. Thom.

725. Hæc assertio intelligenda est de excommunicationibus, quæ feruntur ad reuelanda delicta, quando non vergunt in damnum tertij; nam de vergentibus in damnum tertij maximè in damnum communitatis longè aliud est iudicium. Itaque, quando delicta secreta sunt, & non vergunt in damnum tertij, reuelari non debent, solùmque poterunt reuelari quando delinquens sit diffamatus per maiorem partem viciniæ; nam (vt rectè probat Auila de *Censuris* p. 2. c. 5. disp. 4. dub. 2.) Iudex via Inquisitionis licitè potest inquirere de singulari, & determinato delinquente si præcessit infamia; secùs verò si non præcessit: ergo & subditus præcedente infamiâ, & instante mandato Iudicis, tenetur denuntiare; at non præcedente infamia non potest; esset enim infamare proximum.

Assertio quomodo intelligenda.

Delicta secreta quãdo possunt reuelari.

726. Dixi *per maiorem partem viciniæ*, nam (vt idem Author probat) infamia est rumor quidã ortus de alicuius crimine non à maleuolis, & maledicis; sed à probis, & honestis hominibus sparsus per maiorem partem viciniæ, vel collegij,

Infamia quid sit.

gij, vbi habitat. Quæ definitio colligitur ex c. *Inquisitionis* & c. *Qualiter & quando* el. 2. de *accusationibus*. Quando autem præcessit infamia, non est opus quòd præcedat correctio fraterna, etiam ad denuntiandum Iudici, vt Iudici. Ita Auila suprà. Corduba in *summa* q. 64. puncto 2. casu primo. Nauarrus citato c. *Inter verba* conclus. 6. n. 281. §. 3. Rodrig. de *ordine iudic.* c. 4. conclus 4. Hæc doctrina ampliùs declarabitur ex sequentibus dubitationibus.

Si illa Præcessit non est opus correctione fraterna.

DVBITATIO XLII.

An teneatur quis virtute Edictorum manifestare ea crimina, quæ tantum nouit per consultationem?

Assertio.

727. ASserendum est neminem teneri virtute Edictorum denuntiare crimina, quæ tantum nouit per consultationem, vt contingit in Confessarijs, Medicis, Advocatis, Theologis &c. imò in eo casu existimo peccare posse mortaliter iuxta grauitatem materiæ, & teneri ad restitutionem, etiamsi reuelet id, de quo præcesserat aliqua infamia, vel semi plena probatio, dummodo solum reuelet ex vi notitiæ, quam habuit ex consultatione; neq; enim is, cui commissum est eo modo secretum, potest loqui de rebus sub secreto concreditis, & communicatis; nisi quatenus ea aliâ viâ nouerit. Ita Nauarrus c. 18. n. 12. & c. 25. n. 46. & c. *Inter verba* coroll. 65. n. 765. Petrus Nauarra de *Restit.* c. 4. §. 2. n. 222. Henriquez. n. 3. Suar. disp. illâ 20. de *Censuris*, sect. 3. numero 11. Salon. 2. 2. q. 71. art 3. conclus. vltima. Aragon ibidem. Filiucius. Tract. 14. cap. 2. quæsito 8. numero 39. & alij apud Auilam citatâ disp. 5. dub 2. conclus. 3. & apud clauem Reg. lib. 12. cap. 14. numero 20. & apud Azor. tom. 3. lib. 13. cap. 28. & apud Lazarium in Tract. Canonicarum q. q. sect. 2. q. 16. numero 1. & q. 17. numero 17. idem docet Cordub. lib. 1. *Quæstionarij.* q. 43. & in *summâ* q. 64. Ratio est, quia Superior præcipere nō potest contra Ius Diuinum, & Naturale, vt rectè argumentatur Valentia tom. 3. disp. 5. q. 14. puncto 1. Ius autem naturale dictat, vt seruetur Secretum, nisi iusta, & rationabilis causa oppositum postulet.

Cui commissum est secretum non potest de rebus illis loqui, nisi &c.

Ratio est.

728. Intelligenda verò est doctrina huius dubitationis, sicut doctrina præcedentis, quando scilicèt delicta denuntianda non pertinent ad correctionem, & salutem temporalem vel spiritualem multitudinis, vel etiam ad vitandum graue damnum alicuius personæ; nam in his casibus tenetur quis denuntiare, & testificari, vt satisfactio fiat; Quod etiam concedit Nauarrus, cap. illo 18. num. 4. tunc verò tantum erit denuntiandum, quando aliàs damnificator non vult satisfacere, & denuntiatio præcipitur fieri ad satisfactionem tantùm; non verò, quando præcipitur ad punitionē, & peccatum alioquin est secretum. Ita Syluest. *excomm.* 2. numero 18. Hoc itaque est vniuersaliter verum pro casu huius, & præcedentis dubitationis, & legi potest Nauarrus, cap. 25. numero 29. 42. & 46. & cap. 18. numero 40. & locum habet, etiamsi si infamia præcedat, ut dicebam; nisi ad euitandum maius damnum reuelare oporteat, & tunc tantum quantum opus est ad hunc effectum, & non vltrà, vt notarunt Corduba q. 64. Summæ. Guttierrez in *quæstionibus Canonicis*, cap 11. num. 47. vbi plures refert, & exactè de hac re disputat. Item Henriquez lib. 13. cap. 18. numero 3. qui plurimos etiam citat.

Intelligenda doctrina huius dubitationis, sicut præcedentis.

Quando fieri debet denuntiatio.

729 Vnde à fortiori doctrina vtriusque dubitationis locum habet, si agatur de delictis denuntiandis, quæ vergunt in maximum præiudicium boni communis Reipublicę, aut Religio. Catholicæ.

Delicta vergentia in maximum praiudicium boni communis &c. denuntianda sunt.

730 Ex quo fit delictum Hæresis statim esse denuntiandum (loquor de Hæresi cum pertinaciâ iuxta dicenda dub. 44.) etiam non præmissâ correctione fraternâ iuxta dicenda dub. 45. dummodo quis talem nouerit extra Sacramentum Confessionis, quamuis sub grauissimo, & strictissimo secreto reuelatum sit; sed de hoc magis constabit ex dicendis in sequentibus. Probaturque hæc doctrina argumento Textus in c. *Intimauit.* de *Testibus* & in c. *non est obligatoriū.* de *Regulis Iur.* in 6. nemo enim tenetur secretū seruare in detrimentum fidei, boniquè communis, vt dictum est, quantumuis iurauerit; est enim illicitum, & id iurare, & iuratum implere. Ita Lazarius de *Monitorijs* & alij apud Bonacinā disp. 2. de *Cens.* q. 6. pūcto 1. n. 2. quibus adde Pegnam in *Directorio* 2. *cōmēt.* 18. ad c. *Qualiter & quando de Accusationib.* Rojas. de *singularib.* singul. 3. numero 23. & sequentib. Suarus de *Fide* disp. 20. sect. 4. numero 16. & 17. Barbosa 3. p. *Allegationum.* Allegat. 96. num. 63.

Hinc Hæresis cum Pertinatia iuncta statim denuntianda est.

Probatur, hæc doctrina.

Nec Iuramentum de talibus secretis obligat.

731. Eâdem ratione solet assignari casus statim denuntiandus crimen læsæ Maiestatis; quod intellige, quando est in fieri, id enim etiam vergit in damnum commune Reipublicæ. Idem ego putarem etiam si non esset in fieri; sed iam factum, dummodo prudenter quis posset timere, quod delictum tandem aliâ viâ propalabitur, & inde grauissimum damnum illi emerget, quod non reuelauerit, habebiturque consentiens, aut fautor; in his etiam duobus casibus iuxta multorum sententiam filius potest, & debet denuntiare, & testari contra Patrem; sed de hoc infrà dub. 49. dicemus, imò aliqui volunt casum etiam blasphemiæ denuntiandum esse contra Patrem; quia honor, & gloria Dei præ ferri debet reuerentiæ parentum. Ita Comitolus, lib. 4. *Responsionum* q. 8. Zechius, & alij apud Lazarium de *blasphem.* q. 12. numero 57. sed neque hoc est ita certum maximè quando non instat periculū, vt parentes iterum blasphement, & blasphemia non est Hæreticalis.

Crimen læsæ Maiestatis statim denuntiandū.

732. Si verò delicta vergant in damnum particulare alicuius tertiæ personæ, iamque dānum sit omnino finitum nullo modo pendens in futurum, vt homicidium, & adulterium, etiam non sunt denuntianda, si occulta sint. Ita Sotus 5. de Iustitiâ q. 5. art. 1. Nauarrus cap. 25. nu. 46. Auila, 2. p. c. 5. disp. 4. dub. 3. conclus. 2. Si verò debeatur satisfactio, aut restitutio in futurum, denuntianda sunt, si probari possunt, quando præmissâ correctione fraternâ reus nō vult satisfacere, & tunc incurretur excommunicatio

Quid dicendum si delicta vergant in damnum alicuius particularis.

nicatio contra non denuntiantes; hæc enim ratione cum minori damno famæ delinquentis consulitur damno spirituali illius, & damno temporali proximi damnificati.

733. Dixi *si possint probari*; nam si probari non possint, neque debent neque possunt denuntiari. ut postea dicemus dub. 44.

DVBITATIO XLIII.

An quando peccata sunt omnino emendata, nec habent aliquam dependentiam in futurum, teneamur sub excommunicatione virtute edictorum denuntiare?

Assertio.

734. ASserendum est peccata emendata non habentia dependentiam in futurum, non esse virtute edictorum denuntianda, generaliter loquẽdo, cùm in tali casu cesset finis denũtiationis. Ita Sotus de iust. q. 5 art. 1. circa finẽ Nauarr. cap. 25. numero 46. Hoc tamen intelligendum est, ut multi volunt, quando huiusmodi crimina secreta sunt; nam si quis de illis esset infamatus debet denuntiari ab ijs, qui sciunt, quantumcumque sit iam emendatus. Ita Corduba lib. 1. *Quæstionum*, q. 43. & in *Summâ* q. 64. casu 1. & 2. Henriquez lib. 13. cap. 18. num. 3. Petrus Nauarra, lib. 2. cap. 4. dub. 9. Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 4. numero 26. Ratio est

Ratio.

quia cùm peccatum non sit occultum, Iudex iuridicè procedit, & legitimè ex officio, neque solùm intenditur tunc emendatio delinquentis; sed etiam aliorum, correctio per illius punitionem. ergo propter hunc saltem finem, qui scit, tenetur denuntiare, atque hoc maximè locum habet; quando Iudex præcipit, ut id reuelent, non tàm, vt denuntiatores, quàm, vt testes, vt communiter fit, quando præcessit infamia criminis. Quomodo autem possimus discernere, quando Iudex præcipiat, ut qui scit, declaret vt denuntiator, aut quando, vt testis? rectè explicat Nauarrus c. *Inter verba* Coroll. 65. num. 286. & in hoc casu declarationis, tanquàm testis, non habet locum doctrina Soti, vt rectè probat Nauarrus coroll. 64. in fine.

735. Mihi Sanè; quamuis in peccatis alioquin secretis vera sit doctrina Soti, tamen in peccatis publicis maximè placet doctrina Auilæ, p. 2 c. 5. disp. 5. dub. 4. conclus. 3. qui cum alijs viris doctis asserit, quando peccata publica sunt emendata solùm, quantum ad Deum; non verò, quantum ad homines; quia id non constat, imò durat adhuc infamia, & scandalum in Republicâ, omnino esse obligationem ea denuntiandi; quia etiam tunc Prælatus vult, & tenetur prospicere bono communi, & satisfacere Reipublicæ læsæ. Quando verò peccata ita sunt emendata, vt publicè constet de emenda, scandalúq; cessauerit, non esse obligationem denuntiandi, quia iam finis in eis cessauit; si tamen interrogentur homines à Iudice, ut testes, tunc tenentur, veritatem dicere.

Cur in assertione dictum est

736. Dixi in assertione *generaliter loquẽdo* quia, quamuis peccata secreta, & emendata (si non sint ex ijs, quæ vergunt in damnum communitatis) non sint denuntianda, etiamsi alioquin probari possint, quando non pendent in futurum, imò etiam publica, si iam constat publicè de illorum emendâ; tamen, si peccata sint de genere illorum, quæ vergunt in damnum Reipublicæ, & Religionis Catholicæ, qualis est Hæresis iuxta dicta duabus dubitationibus præcedentibus, non consentiunt Auctores etiamsi delictum sit occultum, & videatur omnino emendatum quâ de re dicemus dub. 46. priùs tamen disputabimus de delicto, quod non potest in iudicio probari, & de delicto, cuius est spes corrigendi per correctionem fraternam, vel denuntiationem.

generaliter loquendo.

DVBITATIO XLIV.

An teneatur quis sub excommunicatione contentâ in edictis denuntiare crimina, quæ non potest in iudicio probare?

737. ASserendum est generaliter loquendo, neque debere, neque posse. Probatur non debere; nemo enim tenetur ad id, quod est inutile; Esset autem inutile denuntiare Iudici, tamquàm Iudici, quod non potest coram illo probari; & sanè crimen, quod probari non potest, ita se habet, ac si nesciretur. Accedit, quòd denuntians, & non probans haberetur pro calumniatore. Probatur deinde non posse, nec licere denuntiare: quia sine causâ, & fructu infameretur proximus. Vnde vt denuntientur talia crimina requiritur quòd possint probari per testes, vel Scripturas, vel indicia sufficientia, &c. Ita Suarius, cap. 17. numero 134. & cap. 18. n. 61. & c. *inter verba*, conclus. 6. n. 283. Rodrig. *de Ordine Iudic.* cap. 2. cõclus. 3. & c. 4. cõclus. 11. Ludouicus Lopez, p. 2. cap. 10. columna. 1. Corduba, lib. 1. *Quæstionum*, q. 43. & in *Summâ*, q. 64. & alij multi statim referendi. Consonatque hæc doctrina cum c. *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6. & c. *Qualiter & quando de accusationibus.* Ex quâ doctrina inferunt multi eum, qui furtum commissum audiuit committi ab ipso fure nemine alio præsente non teneri illum denuntiare; secùs, si habeat vnum testem omni exceptione maiorẽ. Quæ doctrina supponit denuntiantem in hac materiâ posse valere pro teste. Ita Nauarrus, c. 25. numero 46. Auila p. 2. cap 5. disp 4. dub. 2. conclus. 11. Lazarius *de Blasphemiâ* qu. 12, num. 55. Praxis Neapolitana cap. 18, numero 3. Nauarrus cap. 17. numero 134. Suarius de *Censuris* disp. 20. sect. 3. numero 11. Petrus Nauarra citatus dub. præcedenti. & alij apud Clauem Regiam lib. 12. cap. 14. numero 32 Vasquez de *restitut.* cap. 9. § 3 numero 4. Henriq. lib. 13. cap. 18. numero 3. Gutierrez de *Matrimonio*, cap. 59. numero 2. vbi plures alios refert. Filiucius Tract. 14. cap. 2. numero 39. & alij multi.

Assertio generaliter loquendo nemo debet denuntiare crimina quæ non potest iudicio probare. Probatur.

738. Probatur etiam nostra assertio ex c. *Plerumque boni viri*. Et ex cap. *Placuit* 6. q. 2. & cap. *si tantum*. ibidem; eamque adeò veram putat Angelus verb. *excom.* 3. §. 20. vt quamuis superior præcipiat sub excommunicatione, vt denuntiemus quantumuis non possimus probare; nullo

Probatur assertio ex Iure.

lo modo teneamur, quia tale præceptum continet intolerabilem errorem.

739. Imò doctrina assertionis intelligenda est, vt vult Sotus de *Legendo secreto* membro 2. q 4. conclus. 3. etiamsi delictum sit in fieri, quod etiam approbat Auila suprà dub 3. concl. 4. Pedraza præcepto 7. numero 5. & alij.

740. Addit tam ibi Sotus ex Adriano, quãuis crimen, quod probari non potest, neque de eo est infamia, aut indicia sufficientia, non liceat denuntiare Iudici, tanquam Iudici, licere nihilominus denuntiare extra iudicialiter, si propendeat in præiudicium tertij, licitum enim est sic denuntiare Iudici, tanquam potenti prodesse & non obesse, vel certè (vt ait Nauarrus, c. *Inter verba*, conclus. 6. numero 90.) admonere personam illam, cui parantur insidiæ.

741. Notandum tamen ex eodem Nauarro ibidem numero 289. cum, quid dicitur prodesse & non obesse cùm non sit Iudex, in quantum Iudex, sæpè esse posse alium priuatum, qui hîc, & nunc possit meliùs, & magis prodesse.

Quæres 1. 742. Quæret tamen aliquis an excusatus à denuntiando iudicialiter, quia non potest probare teneatur sub eâdem Censura manifestare Prælato, vt Patri, si Prælatus talis sit, qui possit prodesse, & non obesse.

Opinio aliquorum. 743. Aliqui videntur affirmare, vt Nauarrus Corduba & Angelus suprà Syluest. verb. *Correctio.* n. 7. & *Excomm.* 2. n. 18. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 74. in principio.

Authoris iudicium. 744. Existimo nihilhominus cum Auila suprà (quidquid sit alioquin de obligatione Iuris naturalis) non teneri. Legatur Auila conclus. 5. *Ratio.* Ratio est; quia Censuræ non excedunt suos, casus, sed hæ Censuræ solùm feruntur ad denuntiandum iudicialiter: ergo non sunt extendendæ ad denuntiandum paternaliter. Sola ergo (si qua est obligatio) erit ex Iure noturæ, quæ esset etiamsi alioquin edictum non fuisset promulgatum.

Addit Auila cum Nauarro. 745. Addit etiam Auila conclus. 8 suprà cum Nauarro c. 17. n. 134. eum qui, cum teneretur denuntiare, non denuntiat furem, non tantum incurrere excommunicationem; sed insuper teneri restituere damnificato; hoc autẽ decidẽdum est iuxta regulas à nobis traditas in nostro opere de *Iustitiâ* Tract. de *Restit.* disp. 4. dub. 8. dum ageremus de obligatione restituendi, quam habet non manifestans; est enim eadem ratio in hoc casu; atque ibi diximus de Testibus in iudicio interrogatis, & non manifestantibus.

Quæres 2. 746. Quæres 2. quid faciendum si Iudex non per viam denuntiationis; sed post semiplenam probationem coram ipso factam ad effectum faciendi probationem plenam, præcipiat, vt, qui illud scit, veniat ad testificandum sub pœnâ excommunicationis: ego verò scio quidem; sed non possum probare: teneorne deponere, quod scio?

Responsio aliquorum. 747. Aliqui affirmant etiam si non præcedat secrata monitio, nec possit probare. Ita Nauarrus c. 17. n. 135. & c. *Inter verba* n. 282. & 266. Ludouicus Lopes suprà. Auila suprà conclus. 10. & alij Recentiores; hoc autem decidendum *Authoris iudicium.* est iuxta Regulas datas à nobis citato opere de *Iustitiâ* lib. 2. Tract. 1. disp. 8. dub. 5. & 6. Vbi egimus de obligatione testium, & explicuimus, quid debeat præcedere, vt iuridicè interroget, & obliget ad sibi detegendam veritatem.

748. Quæres 3. quid dicendum de casu *Quæres 3.* quodam sæpè occurrente? Petrus v. g. adstrictus est ære alieno; ne tamen pro debitis creditores faciant exequutionem in bonis illius, vendit illa Ioanni in confidentiâ; postea verò ad instantiam creditorum fertur excommunicatio, vt, qui possidet bona Petri, vel scit quis possideat, id manifestet; Quæritur; an, si Ioannes non possit probare illa bona esse Petri, possit, vel teneatur illa manifestare?

749. Respondeo, si Ioannes monet Petrum; *Resp.* vt alterum è duobus faciat, nempe, vel restituat, vel sua bona recipiat, & Petrus neutrum vult, Ioannes tenetur denuntiare. Ita Auila suprà conclus. 7. & colligit ex Syluestro *Restitutio* 3. n. 10. §. 4. Probat; quia, si probatio esset necessaria, vel requireretur; ne Ioannes haberetur calumniator, vel, ne infamaret inutiliter Petrum de suo delicto occulto; primum non habet locum, hæc enim præsumptio contra Ioannem omnino cessat, incredibile enim est, quòd denuntiator vellet tradere ea bona, si essent, sua. Secundum verò de infamiâ Petri, vim quidem haberet in casu, quo Ioannes tantum esset conscius delicti, & non simul particeps tacendo; in nostro autem casu, si taceat non solùm conscius est, sed particeps; nam tacendo esset causa quod Petrus non solueret ac proinde esset particeps huius delicti ad eum modum quo ille, qui occultat bona sibi in custodiam tradita à latrone.

750. Postea tamen idem Auila disp. 5. dub. 2. conclus. 2. rectè limitat hanc sententiam, vt solùm sit vera; nisi Ioannes non posset manifestare sine detrimento notabili suæ famæ; quia tunc excusabitur ab excommunicatione.

751. Dixi in principio assertionis generaliter *Assertio Extenditur quoad varios Casus* loquẽdo quia sunt aliqui casus, in quibus etiamsi denuntians probare non possit, teneatur nihilominus denuntiare.

752. Primus casus est similis ei, quem diximus dub. præced. quando scilicet non tàm præcipitur denuntiatio, quã testificatio; tunc enim *Primus casus.* tenetur testari, & deponere tanquàm testis, si iuridicè interrogetur, etiamsi delinquens sit emendatus; nam Iudici iuridicè interroganti ad mentem ipsius respondendum est. Ita Nauarrus c. illo 17. numero 35. Auila citata disp. 4. dub. 2. conclus. 10. Clauis Regia lib. 12. cap. 14. num. 33. Lazarius in Tract. *Monit* sect. 1. q. 20. numero 10.

753 Secundus casus est, quando delictum *Secundus.* vergit in graue damnum alicuius communitatis; tunc enim non solùm non tenetur seruare secretum; sed debet omnino monere eos, quibus incumbit, vt malum præcaueatur.

754. Tertius casus est impedimentum Ma- *Tertius.* trimonij, quòd sub excommunicatione edicti tenetur manifestare etiamsi probare nõ possit; nam vnus testis sufficit ad impediendum Matrimonium. c. *Præterea de Sponsalibus.* vt dicemus suo loco; in illo autem casu ille denuntians admittitur tanquàm testis.

755. Quartus casus est, quando mandatum *Quartus.* est

est de denuntiando delicto respiciente fidem Christianam, & Religionem Catholicam, qualis est hæresis, & blasphemia hæreticalis; in tali enim casu creditur vni testi. c. *in omni de Testib.* & c. *Nouit.* de *Iudicijs.* Ita Praxis Neapolitana c. 18. dub. 3. n. 5. Repertor. Inquisitorum, tit. de *denuntiation.* Bañez 2. 2. q. 68. art. 1. Salon, & Aragon. ibidem. Lazarius de Blasphemia q. 12. n. 55. Filliucius suprà n. 31. & 39. Azor, tom. 1. lib. 8. c. 19. q. 9. Sanchez in *summa* c. 32. in fine. Simancas tit. 19. Rojas singulari 13. n. 19. & 20. Bonacina de *Censuris* disp. 2. q. 6. puncto 1. n. 9. Sigismundus Scaccia de *Iudicijs* c. 56. Farinac. de *Hæres.* q. 197. §. 2. n. 36. Augustinus Barbosa 3. p. allegatione 96. n. 51. circa medium Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 4.

In casu creditur vni testi.

Oppositum docuerunt multi.

756. Oppositum docuerunt multi negantes esse obligationem denuntiandi in hoc casu; imò plerique citati in principio pro nostrâ assertione vehementem causam suspicionis præbent, vt iudicemus ita sentire, cùm vniuersaliter loquantur, & casum non excipiant; atque videntur sentire expressè Angelus vel verb. *denuntiatio* circa finem. Tabiena verb. *Inquisitio* §. 7. Antonin. 3. p. tit. 24. columna 1. & latissimè Ioannis Neuicanus in *Syluâ nuptiali* lib. 3. n. 445. & specialiter in casu Hæresis contra nostram assertionem docet Villa-diego Tract. de *Hæret.* q. 10. prope finem Palacios Rubios in Repertorio c. *Inter vestras* §. 26. n. 9. Repertor. Inquisitorum verb. *Denuntiatio* vers. *Generale tamen est* & verbo *Occulta* vers. 2. Gundisaluus Tract. de *Hæreticis* q. 10. n. 7. & 8. Ioannes Andreas c. *Nouit.* de *Iudic.* vniuersaliter loquens de omni peccato occulto, quem sequitur Panormit. Refert etiã Palacios Rubios loco citato Angelum in Tract. *Maleficiorum*, Felinum, & alios. Idem indicat Ioannes Rojas singulari 3. n. 3. docet etiam Decianus in Tract. *Crimin.* lib. 5. c. 30. n. 4. Paramus de *Origine Sancta Inquis.* lib. 3. q. 9. n. 45. & videtur facere pro hac sententiâ Clementina 2. de *Hæretic.* vbi socijs Inquisitorum præcipitur *quòd si taliter excesserint* (scilicet peccata Inquisitorum extorquentium pecuniam) *vt ea probare valeant &c. ad quos id pertinebit, nuntiare solicitè debeant.* Ex quo Glossa colligit *quod, si non possunt probare, non denuntient.* Ex quibus videtur colligi, si scias occultum Hæreticum, quem non possis probare, non esse denuntiandum, sed debere prius moneri quòd si non desistat, esse denuntiandum Prælato, vt Patri iuxta ordinem Euangelicum.

Probant à paritate.

757. Probant etiam à paritate criminis læsæ Maiestatis, quod putant non esse denuntiandum; nisi probari possit, vt docet Antonius Gomez tomo 3. *variar.* c. 1. n. 9. limitatione 3. vers. *Aduerte*, pro quo citat Ioannem Plateam. Idemque tenet Perezius lib. 8. *ordin.* tit. 7. l. 5.

Probant 2. Ratione quia ad opus inutile & nocivum nemo obligari potest.

758. Probant etiam ratione; quia ad opus inutile, & nociuum nemo obligari potest; talis autem denuntiatio inutilis est & nociua. Iudex enim ex tali denuntiatione non potest procedere ad punitionem delicti, & eius correctionem; nam correctio, & punitio supponũt probationẽ integrã, quę haberi nõ potest in eo casu, & simul denuntiatio nocet delinquenti, qui per illam infamatur absque vllo fructu: ergo non obligat Edictum ad sic denuntiandum.

Vera nihilominus est doctrina data.

759. Nihilominus nostra sententia verissima est, & probatur ex contrario fundamento; est enim ea denuntiatio maximè vtilis, imò necessaria, tum Reipublicę; tum ipsi delinquenti; nam per denuntiationem impeditur Hæresis, ne alios inficiat, quia secundum Apostolum *Hæreticorum sermo serpit, vt Cancer*, & ex eâ denuntiatione potest Iudex procedere ad inquirendum de tali crimine, vt notauit Farinacius de *Hæresi* q. 185. n. 64. & potest (vt dicebamus suprà) denuntiator ipse in testem admitti; neque eius testimonium suspectum est, cùm delictum non sit cõmissum iniuriam denuntiantis, sed creatoris Dei; neque punitio cedat potiùs in denuntiantis commodum, quàm aliorum, vt notârunt idẽ Farinacius cum alijs n. 32. Simancas tit. 19. n. 17. Suar. suprà n. 9. Accedit; quod Hæreticus videns se esse denuntiatum vel fore denuntiandum; quantumuis occultissimè suam Hæresim manifestet: vel non audebit illam vlterius manifestare, vel multò magis temporabit ab iniquo suo feruore propagandi errorem timens suplicium Inquisitorum, vel Ecclesiæ. Ex quo etiam apparet ipsi delinquenti denuntiationem esse vtilem, sine; quia non peccabit vlterius, aut certè minus, sine, quia eâ viâ poterit à peccato reuocari. Itaque denuntiandus est omnino, etiamsi probari non possit, & quidem statim, si periculum est in mora, vt ferè semper est; atque idem puto dicendum de crimine læsæ Maiestatis, de quo esse denuntiandum, etiamsi probari non possit docent Plaza de *delictis* c. 22. n. 17. & Anton. Gomez tomo 3. *variar.* c. 2. n. 4. est enim hoc peccatum in perniciem maximam Reip. & boni communis. Quod denuntiari debet iuxta suprà dicta in secundo casu.

Probatur ex contrario fundamento.

Delinquenti hæretico talis denuntiatio est vtilis.

Idem in crimine læsæ Maiestatis denuntiandum esse licèt probari non possit. indicat Author.

760. Vnde cùm iam in plerisque Cardinales Regibus æquiparentur, & percussio Cardinalis censeatur crimen læsæ Maiestatis, vt constat ex c. *Fælicis* de *Pænit.* in 6. Pius V. Motu proprio dato Romæ anno 1569. Calendis Ianuarij. decreuit, vt quisque teneatur proditionem in Cardinalem exortam, quantumcumque occultam reuelare, etiamsi per indicia tantùm qualemcumque habeat cognitionem sub pœnâ excommunicationis ipso facto.

761. Confirmatur; quia aliàs sequeretur, quod mulier solicitata in confessione à Confessario nunquàm teneretur denuntiare, quia non potest probare.

Confi.

762. Quòd si dicas saltem esse periculum, quòd denuntiator deferens delictum improbabile reputetur calumniator maximè cùm de Iure denuntiationem probare debeat denuntiator, & ei assistere, quia loco accusatoris habetur L. *Ab accusatore.* §. *Nuntiatores* ff. *Ad Turpellianum* & tradit Responsorium verbo *denuntiatio* vers. an eo ipso: Vmbertus locat in *Iudic. Inquisit.* eodem verb. *denuntiatio* n. 1. facilè ad hoc respondetur de Iure quidem teneri denuntiatorem probare denuntiationem: tamen ex consuetudine contrarium seruari, imò habet fundamentum in Iure. facit enim ad hoc c. *super his* de *Accusat.* quia denuntians potest dicere se tantum declarare delictum ex affectu, & Zelo boni communis: idque maximè locum habere po-

Si dicas.

Resp.

risti, vel *si indiges*, vel *quantum indiges* vt rectè Nauarrus. cap. 26. numero 13. & quando excommunicatio est dubia, meritò additur conditio, vt decleretur rem esse dubiam, & ne videatur temerè res intentari.

Aliquando ait Suarius prudenter additur conditio.

673 Aliquando etiam (ait Suarius disp. 7. sect. 8 numero 4.) prudenter additur conditio hæc *si satisfecisti, vel si rectè, & ex corde, à contumaciá recessisti*, nam hæc conditio implicitè includitur in ipsâ absolutione, & ob causam rationabilem ad incutiendum metum, vel tollendam ignorantiam benè potest aliquando verbis declarari.

Si absolutio detur sub conditione de futuro an valida sit positá conditione controuertitur. Negant Syluest. Angelus &c.

674 Si verò conditio de præsenti, vel præterito impertinenter addatur, non fiet sine peccato, graui quidem (ait Suarius) ex suo genere quia est contra reuerentiam rerum sacrarum, & abvsus Ecclesiasticæ potestatis; sed ex paruitate materiæ poterit esse leue. Si verò absolutio datur sub conditione de futuro, pro tunc nihil operatur; an verò postea, positâ conditione, valida sit, & operetur, controuersia est inter Authores; nam Antoninus. 3. p. tit. 24. cap. 77. §. 1. Syluest. *Absolutio*, 3. in princ. *Excommunicatio*. 1. numero 19. Angelus *Excommunicatio* 2 nu. 5. & *Absolutio* 3. aliique nonnulli existimant esse nullam, nec dari posse.

Probant 1.

675 Probant primò à paritate absolutionis Sacramentalis, quæ nulla est data sub conditione de futuro; quâ de re diximus de *Pæn.* Tract. 8. disp. 5 dub. 3. & priùs Tract. 1. disp. 3. dub. 7.

probant 2.

676 Probant. 2. quia actus legitimus conditionem non recipit. L. *Actus legitimi* ff. de *Regulis Iuris*. & Regula 50. de *Regul. Iuris*. in 6.

Assertio talis absolutio valet.

677 Asserendum nihilominus est eam absolutionem sub conditione de futuro valere. Ita Couarrub. p. 1. §. 11. numero 6. Nauarrus de *Pænit.* dist. 6. cap. 1. numero 64. & in *summá* cap. 26. numero 12. Vgolinus Tabula 1. cap. 22. §. 1. nu. 2. Sayrus lib. 2. cap. 16. numero 7. Henriquez. l. 13. cap. 29. num. 4. Auila p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 15 Coninc *de Sacramentis*, disp. 3. dub. 2. numero 17. & disp. 14. dub. 16. numero 213. Filiucius, cap. 10. quæsito 2. Suarius disp. 7. sect. 8. numero 7. & disp. 3. sect. 7. numero 3.

Ratio.

Ratio principalis est quia nullibi irritatur, & quod attinet ad absolutionem Sacramentalem est longè diuersa ratio, quia (vt notauimus locis citatis) pēdet ex institutione Christi, ac proinde eius effectus suspendi non potest ex intentione ministri absolutio verò à Censurâ pendet à voluntate absoluentis sicut censura ipsa, quæ est humana sententia pendet à voluntate ferentis.

Huius, & absolutionis Sacramentalis diuersa ratio ex quo absolutio primo argumentum.

Ad 2. Resp.

Secundum verò argumentum aduersariorum nihil probat; in illis enim Iuribus, seu regulis Iuris non statuitur pro Regulâ generali quòd nullus actus legitimus possit fieri sub conditione: alioquin nec Censura, nec dispensatio, nec præceptum posset sub conditione ferri quia isti sunt actus legitimi. Regula igitur, quæ ibi ponitur, solùm est, quod actus legitimi, qui non respiciunt diem vel conditionem, vitiantur per temporis adiectionem; inter quos actus non est absolutio à Censurâ.

An etiam licitè detur absolutio a Censura sub conditione de futuro.

678 Quæret tamen aliquis an non tantum validè; sed etiam licitè feratur absolutio à Censurâ sub conditione de futuro Nauarrus & Henriquez, & Auila negant posse licitè ferri. Couarrub. verò, & Vgolinus affirmant; & probari potest, quia iuxta dicta dub. præcedenti excommunicatio potest ferri sub conditione de futuro, sicque frequenter fertur: ergo etiam absolutio. Præterea in nullo Textu reperitur prohibitum, & licèt c. *Biduum* 2. q. 6. dicatur sententiam non esse sub conditione ferendam; tamen, sicut id non habet locum in excommunicatione; ita neque in absolutione ab illâ.

Negat Nauarrus aliique: affirmant alij.

979. Ideo Suarius citata disp. 7. sect. 8. n. 12. ait licitè prudenterque posse dari ex rationabili causâ, vt si occurrat necessitas, vel vtilitas. v. g. si excommunicatus eo se conferat, vbi nullus erit intra multum tempus à quo possit absolui, vel, si Iudex timet excommunicatum simpliciter absolutum non satis facturum, & ex alio capite cogeret necessitas eum absoluere: Hæc autem, aut similis necessitas, vel vtilitas frequenter potest occurrere in locis, vbi non est vsus Bullarum Cruciatæ; tunc enim expediet absoluere, ne post exhibitam satisfactionem cogantur excommunicati adire Iudices longè distantes. Sine causâ verò (inquit Suarius) peccatum erit ita absoluere propter non vsum Ecclesiæ; nam in Iure Canonico non dantur tales absolutiones; nec Prælati eis vtuntur. Accedit, quod conuenientissimum est, vt contumaces post exhibitam satisfactionem parti læsæ etiam satisfaciant Ecclesiæ humiliter se præsentando, & subijciendo suis Prælatis, quos contempserunt.

Conuenit vt contumaces post exhibitam satisfactionem parti læsæ, etiā satisfaciant Ecclesiæ.

Quæres.

680. Quod si quæras; an Parochus, vel alius Confessor, qui simpliciter, & absolutè potest absoluere, possit etiam absoluere sub conditione de futuro? Aliqui negant; quia nemo potest suspendere Censuram; nisi, qui illam ferre potest. Parochus autem, vel Confessarius non potest Censuram ferre.

Resp. probabilius etiam Parochus posse absoluere sub conditione de futuro.

681. Probabiliùs nihilominus existimo posse; quia in eo casu non suspendetur Censura, vt postea redeat, sed non datur absolutio nunc pro nunc, quæ dari poterat; sed datur pro tempore, quo impleta fuerit conditio, hoc autem non habet locum in Sacramento Pœnitentiæ, quia absolutio Sacramentalis ex voluntate, & institutione Christi solùm potest dari pro eo tempore, quo profertur iuxta dicta citato loco de *Pænit.* &. Tract. 1. disp. 1. à dub 8. vsque ad 11. vbi latè explicuimus, an & quomodo liceat aliquid addere, vel detrahere in formis Sacramentorum.

Ex dictis Collige.

682. Ex dictis habemus tàm de præsenti, & præterito, quàm de futuro in absolutione à Censura, si impertinens sit, conditio apposita, non licère illam ponere; sed si apponatur, eâ purificatâ, non tolli valorem absolutionis. Vnde, si feratur absolutio; *Absoluo Petrum si habeat dites, vel si fuit in Indiâ, vel, si habeat pecuniã* aut ea, *si Pater consenserit*, aut *si post tres dies pluat*: statim valebit, vel non valebit absolutio sub conditione de præsenti, aut præterito sub cōditionibus verò de futuro, tunc solum quando conditio purificetur; semper tamen erit illicitum tales conditiones apponere, quamuis, quod attinet ad conditionem de futuro contingentem, aliqui negent valere absolutionem; actus enim spiritualis potestatis non debet ita pendere à casuali conditione quæ ad actum nihil pertineat. Ita Suarius disp. 3. sect. 3.

Aliqui negant valere absolutionē datam sub conditione de futuro contingenti.

sect. 3. n. 3. Vgolinus c. 20. §. vltimo. Filliucius c. 3. q. 7. n. 65.

Author docet illam esse validam quamuis illicitam. Ratio.

683. Placet nihilominus, quod nuper dicebam validam esse talem absolutionem, quantumuis illicitam; nihil enim obstat, quoad substantiam, quominus valida sit: neque enim censura pendet ab illâ conditione, tanquam à causâ efficienti; sed ab ipso superiore, qui potestatem habet ad id, quantumuis illicitè faciat, & aliquo modo potestate abutatur, sicut etiam abutitur, & valet his non obstantibus quando superior absoluit sub conditione impertinenti de præterito, aut futuro; quod Suarius, & Vgolinus non negant. Ideò nostram sententiam sequitur Conine locis citatis.

Objicies

684. Obijciet tamen aliquis; talis absolutio videtur continere errorem intolerabilem, cùm sit abusus potestatis Ecclesiasticæ; Censura autem continens intollerabilem errorem inualida est. c. *Per tuas de sentent. excommunic.* & c. *solet* eodem titulo in 6. ergo & absolutio.

Resp.

685. Respondetur negando etiam Censuram sub conditione impertinenti latam continere errorem intollerabilem, dummodo alioquin pro vero delicto, & illâ digno feratur ab eo, qui potestatem haber illam ferendi, vt supponimus, neque quilibet abusus Ecclesiasticæ potestatis errorem intolerabilē continet irritātē actum; alioquin, etiam Censura lata sub conditione de præsenti, aut præterito irrita esset, quod aduersarij non concedunt.

Absolutio ad cautelam. quando & quomodo danda pro foro externo.

686. Quod attinet ad absolutionem Censuræ ad cautelam, quando, & quomodo sit danda in foro exteriori, legi potest Couarr. c. *Alma*. p. 1. §. 12. n. 7. Vgolinus c. 22. §. 1. Quod verò attinet ad forum conscientiæ in triplici casu solet dari. Primo, nulla præcedenti cognitione Censuræ; sed ad superabundantiam; sine vllâ autem occasione, aut causâ illam dare esset superfluum, & actus otiosus; aliàs frequentissimè posset dari, & singulis momentis; prudenter tamen datur ante actum, cuius valor per censuram impediri potest. Sic datur semper ante Sacramentum Pœnitentiæ & ante Sacramentum Ordinis ab Episcopo, & ante collationem Beneficij, vel concessionem Priuilegij propter vitandum periculum nullitatis, humanam suspicionem, & omnem calumniam. Ita Henriquez lib. 13. c. 29. n. 5 Suarius disp. 7. n. 13. qui addit In articulo, præsertim mortis, quando danda est extrema vnctio ei, qui propter repentinum euentum non potuit confiteri, esse præmittendam hanc absolutionem. Idem docent Saytus lib. 2. c. 17. Filliucius c. 10. quæsito 2. & 3. Conine disp. 14. dub. 16. n. 200. Vgolinus Tabulâ 1. c. 10. & vniuersim in similibus euentibus est optimum consilium eam absolutionem præmittere In prædicto autem casu Extremæ. Vnctionis nihil est exigendum à Pœnitente præter propositum, quod habet satisfaciendi, si cognouerit se aliquid debere.

Pro foro conscientia in triplici casu dari solet. Primo.

Optimum est Consiliū præmittere absolutionē à Censura, in varijs casibus.

Item quando absoluitur quis per Iubilæum &c.

687. Pari ratione est optimum consilium, quando quis absoluitur per Iubilæum, aut Bullam Cruciatam, vel Priuilegium, absoluere illum ab omnibus reseruatis, si quæ habet, quia saltem illud operatur, vt postea non sint reseruata; sed à quolibet Ordinario possint absolui, vt ex communi sententia docet Suarius disp. 7. sect. 5. n. 19. & consonat cum doctrinâ à nobis traditâ dub. 21. Vtrum autem sic generaliter absolutus egeat nouâ absolutione, vel tantum maneat liber à reseruatione? & quando? constat ex dictis; tum eâdem dub. 21. tum disp. 11. de *Pœnit.* dub. 8.

Secundo quando est dubium Iuris vel facti.

688. Secundo modo potest dari absolutio ad cautelam, quando est dubium Iuris nempe; an à Iure lata sit excomm. contra aliquod opus quod scit aliquis se fecisse; vel est dubium facti. videlicet, si quis dubitet; an percusserit Clericum, vel, an admiserit Hæresim exteriùs, & in vtroque casu ex prædictis ante factam sufficientem diligentiam potest absoluere ab illâ Censurâ, si verè fuisset incursa, & solus ille potest; primum probat Suarius, quia qui potest tollere dubiam, etiam potest tollere certam. Ita docet sect. illâ 8. c. 14. Secundum probat quod scilicet alius non possit, quia hæc absolutio datur ad tollendam omnem dubitationem Censuræ: ergo necesse est, vt, qui sic absoluit, potestatē habeat tollendi illam, si fortasse incursa sit; alioquin semper maneret idem dubium.

689. Dixi *ante factam sufficientem diligentiam*; quia, si post sufficientem diligentiam adhuc dubium perseuerat, probabilissimum est nullâ egere absolutione in foro conscientiæ; sed posse præsumere se non esse excommunicatum, vt explicatur à nobis in Tract. *de Conscientiâ*, & optimè probat Sanchez in moralibus lib. 1. c. 10. n. 56. & 67. vbi infert cum D. Thoma *Quodlib.* 4. art. 14. idem dicendum esse quoties dubitatur an Iudex sententiam excommunicationis in aliquem protulerit? videlicet non teneri hunc, quando præmissâ diligentiâ adhuc manet dubius; se gerere tanquàm excommunicatum.

Tertio dari potest absolutio ad cautelam.

690. Tertio modo potest peti, & dari absolutio ad cautelam, quando scitur quidem excommunicationem latam, & opus factum esse, sed dubitatur, an fuerit valida, an nulla ex defectu causæ, vel modi, aut circumstantiæ requisitæ ad valorem? vel; an Iudex, seu pars, ad cuius instantiam fertur, voluerit comprehendere hanc personam? vel an habuerit intentionem ligandi, vel solùm ad terrorem? item, si dubitatur; an interposita fuerit appellatio tempore congruo, videlicet ante incursam excommunicationem? vel, si dubitatur; an quis absolutus fuerit ab excommunicatione, seu Censurâ, quàm scit incurrisse? In his omnibus casibus; quia vel certum est se debere gerere pro excommunicato, vt vult Sanchez suprà; quia possessio stat pro excommunicatione in foro conscientiæ, vel saltem est probabilissimum, aut magis probabile, oportet petere, & accipere absolutionem, quam solus ille potest conferre, qui absoluere posset, si alias certò sciretur fuisse incursam, id enim probat ratio Suarij paulò ante facta in casu præcedenti.

Secus dicendum si verba quibus Excomm. lata sit sint Dubia.

691. Secus autem iudicandum erit, quando verba, quibus Iudex, aut Ius ipsum excommunicationem tulit, sunt in Iure dubia an excommunicationem latam; an vero ferendam contineant? Item, quando dubium oritur ex eo, quod excommunicatio fuit conditionalis, & dubitatur de impletione conditionis, quia in his post *Ratio.*

factam sufficientem diligentiam nulla est opus absolutione, vt rectè docet Sanchez suprà, qui n. 60. addit, quod quando dubium oritur, & ex eo, quod dubitatur de potestate Prælati excommunicantis: tunc, si ille Prælatus est in possessione excommunicandi præsumitur pro eo, & opus est absolutione: secus vero si in eâ non sit. Quæ doctrina satis probabilis, & recepta est, quamuis non omnino certa, quia non est improbabile (vt alibi diximus) quando non est purum, aut merum dubium; sed probabilitas opinionum, siue circa potestatem Prælati, an habeat illam nec ne? siue circa potestatem erga talem materiam, quam præcipit sub Censurâ, siue; quia probabile est talem actum præceptum non licere: in his (inquam) casibus non est improbabile, quod, quamuis superior præceperit sub Censura, adhuc Censura non obliget. Sed de hoc alibi.

Duo notanda circa absolutionem ad cautelam Primum. 692. Duo tamen hoc loco notanda sunt circa absolutionem ad cautelam, primum, quod Couarr. §. illo 12. n. 8. & Nauarrus c. 27. n. 277. doceant Iudicem delegatum non posse absoluere ad cautelam; quia hæc absolutio extraordinaria est, & gratia quædam Sedis Apostolicæ inducta c. *per tuas de sententiâ excommunicationis*, ac proinde non est permittenda cuiq; Iudici delegato; nisi specialiter fuerit illi commissa.

Limitatio. 693. Hæc tamen doctrina solum intelligenda est de absolutione ad cantelam danda in foro exteriori, vt patet ex ratione, quam statim subiungit Couarr. quia quoties excommunicatus (inquit) allegat excõmunicationẽ nullam esse Iure ordinario absolutio danda non est; sed prius debet probare nullitatem, nisi ex gratiâ à superiori permittatur. Ecce quomodo tantum locum habet in foro exteriori. Vnde quicumq; ex priuilegio habet potestatem delegatam ad absoluendum pro foro conscientiæ ab excommunicatione certâ, multò melius poterit à dubiâ; quis enim dicat maiorem iurisdictionem requiri ad absoluendum à Censurâ dubiâ, quam à certa? At cut, qui à Pontifice iudicatur idoneus, vt ei committatur absolutio à Censurâ certâ, non iudicabitur idoneus pro dubia, & incerta? Vnde doctrinam traditam ex Suario verissimã puto pro foro conscientiæ, quam etiam docuit Henriquez citandus.

Secundum in casu dubiæ excommunicationis. 694. Secundum notandum est, quod in casu dubiæ excommunicationis, quando pœnitens dubitat; an læserit partem, potest in foro conscientiæ absolui sine satisfactione præmissâ, imò, & sine cautione præstitâ cum solo proposito satisfaciendi, si aliquando constiterit læsionem factam fuisse. Ita Nauarrus c. 27. n. 277. §. *Sexto quod* in fine. Henriquez lib. 13. c. 29. in fine. Rodriguez in *Summâ* c. 76. conclus. 11. qui id probat ex c. *venerabilibus* §. *Porro de sent. excommunic.* in 6. & Suarius disp 7. sect. 5. n. 44. sed de hoc dicemus dub. sequenti.

Absolutio ad reincidentiam quæ dicitur. 695. Circa absolutionem ad reincidentiam, illa propriè dicitur talis, qua quis ex scientiâ Censuræ absoluitur ab illâ non in perpetuum, sed ad certum tempus, vel ad certum effectum, vel nisi impleatur conditio, reditura sit Censura, vt *Absoluo te per octo dies tãtum*, aut *ad effectum tantum præsentium vel ad effectum testificandi; vel lucrandi Iubilæum*, vel *pro tempore, quo tantam sis impotens ad restituendum, ita vt si non restitutas, cum possis, reincidas*. Qua de re legi possunt, quæ diximus suprà dub. 17.

696. Dixi *ex scientiâ* quia qui absoluitur ad aliquem actum ignorans se ligatum Censura potuisad cautelam absoluitur, licet cum reincidentiâ, si forte erat ligatus.

697. Ex dictis infertur, quod nemo potest absoluere ad reincidentiam; nisi, qui potest excommunicare, vel de eius expressâ commissione, ita, vt nullus ex ijs, quibus delegatur potestas ad absoluendum, simpliciter possit absoluere ad reincidentiam etiam de Consensu partium, vt latè probauimus eâdem dub. 17. §. *secunda sententia*, & deinceps. An vero ad sic reincidendum semper requiratur noua culpa, vel sufficiat præterita? & an absoluti per Bullam, Iubilæa, vel priuilegia cum cautione tantum, eo quod non possint satisfacere, etiam reincidant? eâdem quoque dub. diximus à primâ assertione vsque ad finem dubitationis. *Ex dictis Infertur.*

DVBITATIO XXXIX.

Quænam præmitti debeant ante absolutionem ab excommunicatione?

698. Legantur quæ diximus supra tùm dub. 15 assert. 1 5. assert. 1. & deinceps, tum dub. 34. & locis ibi notatis.

699. Assero primo, qui incurrerat excommunicationem ob aliquam læsionem, ant iniustitiam contra proximum, non debet absolui; nisi prius exhibeat satisfactionem, quam potest, parti læsæ; &, qui eum absoluit sine tali satisfactione præmissâ, mortaliter peccat; quia abutitur suo officio, & facit contra multa Iura expressa; atque ita supponunt Authores. Quod autem talis culpa sit mortalis probatur ex eo, quod res illa secundum se grauis est, imò hoc peccatum esse contra Iustitiam partis læsæ, ac proinde sub obligatione restitutionis in casu, quo absolutus nõ restituat, alioquin restituturus docet Medina in summâ lib. 2. c. 12. Henriquez lib. 13. c. 28. n. 2. litera N. in Gloss. vbi ait tenebitur Ordinarius, qui sic absoluit, soluere expensas parti læsæ, sicut; qui vinctum pro debitis soluit illicitè ex carcere. Idem docet Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 5. conclus. 2. neque tantum loquutur Medina, & Auila de Delegato, de quo clarum est, sed etiam de Iudice ordinario; neq; solùm dicunt obligatum ad expensas, sed ad omnia damna inde parti sequuta. Probat Auila, quia ex officio tenebatur consulere bono partis, & sic censetur causa talis damni. Quæ videtur esse decissio Pontificis c. *venerabilibus* §. *sanè* in fine *de senten. excommunic.* in 6. vbi ait absolutionem Excommunicationis datam ab Ordinario validam esse, vt notauimus dub. 34. reddit vero Pontifex rationem, *quoniam, etsi contra Ius ligatoris, non tamen contra Ius constitutionis absoluit.* *Assertio 1. exhibenda satisfactio parti læsæ.* *Sine illa si quis tenebitur soluere Expensas partis læsæ.*

700. Sed dicet aliquis Ordinarius poterat non excommunicare à principio pro damnis tem- *Dices.*

temporalibus sine iniuriâ partis: ergo etiam absoluere.

Resp. 701. Respondetur negando consequentiam; nisi in casu, quo, & bono spirituali excommunicati, & bono communi, vel saltem sine detrimento boni communis iudicaret expedire, vt Censura relaxaretur, ita, vt bonum illud præponderet detrimento temporali parti sequuto. Nam in tali casu nullo modo peccaret quia excommunicatio primariò respicit bonum spirituale ipsius excommunicati. Aliter ergo, supposito quod excommunicauit, non potest absoluere sine iniuriâ partis.

Dictum est nisi prius exhibeat satisfactionem propter multa. Primo

702. Dixi in assertione, *nisi priùs exhibeat satisfactionem, quam potest*; propter multa, quæ in præcedentibus locis suprà citatis notauimus. Primum, quia satisfactio realis tantum est re ipsa exhibenda, quando debitum est certum; si enim dubium sit, sufficiet ad summum cautio præstandi quod constiterit debere c. *ex parte* de *verborum significatione* c. *solet* & c. *venerabilibus* §. *porro* de *sentent. excommunic.* in 6. licet hæc iura de foro tantum exteriori loquantur, vt notauit Nauarrus c. 26. n. 7. nam in foro conscientiæ standum est dicto pœnitentis. Sed, quia etiam in foro conscientiæ potest esse dubia offensa, tunc videtur sufficere propositum satisfaciendi, vt cum Nauarro, & alijs diximus dub. præcedenti; sed (vt ait Suarius disp. 7. sect. 5. n. 44.) ex principijs de conscientiâ, & de Restitutione deducendum est, vel esse obligationem satisfaciendi, vel non esse, attendendo, pro quo sit vel maior certitudo, vel etiam possessio.

2. Quia quando potest exhiberi satisfactio realis non sufficit præstare cautionem.

703. Secundum quod quando potest exhiberi satisfactio realis non sufficit præstare cautionem, vt sæpè diximus locis citatis supponuntque Authores, & notauit Nauarrus c. 27. n. 277. Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 5. & probant apertè ex c. solet citato in illis verbis *nisi priùs sufficiens præstetur emenda.*

3. Quando non potest sufficit.

704. Tertium quod, si non potest exhiberi realis satisfactio, neque quoad totum, neque quoad partem, quæ sit alicuius momenti; tunc satis est, si præstet cautionem, vt expressè habetur c. *Odoardus* de *solut.* (vbi etiam habetur quod, si possit partem dare, ad id tenetur) & c. ex parte de *verbor. significatione* & c. *Alma mater.* de *sentent. excommunic.* in 6. & sæpè alibi. Quod verissimum est, etiamsi absolutio danda sit in foro conscientiæ à delegato per Bullam, aut priuilegium, in quo dicatur, quod fiat satisfactâ parte, vt contra Sotum probauimus citata dub. 15. & 34. vbi etiam diximus probabile esse valere quantumuis detur sine satisfactione, aut cautione.

Quænam sit sufficiens cautio.

705. Sed quæret aliquis, quænam sit sufficiens cautio? Caietan. verbo *excommunicatio* c. 77. & alij dicunt non sufficere dare fideiussorem, si potest dare pignora; & in omnium sententia verum est non sufficere iuratoriam, si potest dare pignoratitiam, vel fideiussoriam: sufficiet tamen dare fideiussoriam, etiamsi possit dare pignoratitiam; quia de his duobus disiunctiuè loquuntur ferè omnes Authores, & expressè docent Henriquez lib. 13. c. 18, n. 1. litera G. & Auila suprà. Legantur quæ diximus dub. 11. & locis ibi notatis in principio.

706. Quartum notandum est, quod non solum, qui nullo modo potest, sed etiam qui commodè non potest, & sine graui incommodo, vel detrimento famæ, vel status, vel suorum bonorum; potest licitè absolui sine reali satisfactione; præstitâ tamen cautione sufficienti; quia non magis obligat præceptum Prælati, etiam sub excommunicatione; quam Ius ipsum naturale, & diuinum iuxta dicta in præcedentibus maximè dub. 34. Ita Nauarrus c. 27. n. 48. Corduba in *summa* q. 18. Auila c. 7. disp. 3. dub. 5. Polanco in directorio c. 4. Henriquez lib. 13. c. 28. n. 1. qui ait hoc esse verum in vtroque foro; sed in exteriori debere id probare, & habetur c. *Odoardus* de *solut.* *4. Asserendum est.*

707. Hinc sequitur, quod, quando debitum est occultum & realis satisfactio pro tunc non est possibilis, vt absoluatur in foro Conscientiæ sufficit cautio iuratoria, vt contra quosdā Recentiores docēt Henriq. c. 28. n. 1. litera *H.* licet nō admodū firmus sit in eâ. Item Auila suprà, quia nimirum non potest dari cautio pignoratitia vel fideiussoria sine aliquâ infamiæ notâ. *Hinc sequitur quādoq; sufficere cautionem iuratoriam.*

708. Quod si dicas; saltem det schedulam proprio nomine subscriptam, in quâ promittat, se tali tempore restituturum, quæ maneat apud Confessarium: contra hoc est id nullo modo expedire; quia nec Confessarius potest illâ vti sine aliquâ notâ pœnitentis, & sine aliquâ, saltem apparenti, causâ suspectionis non satis seruati sigilli; vnde redderetur onerosa Confessio, & vix posset, adhuc virtute illius, solicitare pœnitentem & incutere illi metum.

709. Imò addit Auila etiamsi debitum sit publicum, & in foro conscientiæ pro illo foro cautum sit absoluendus pœnitens sine licentiâ Iudicis propter impotentiam, quam non potest probare iuxta dicta locis notatis; adhuc non esse cogendum pœnitentē, qui non habet pignora, nec fideiussorem, vt præstet obligationem in scriptis coram Tabellione, & testibus creditori; quia hoc nullo Iure cauetur; nisi in casu publici vsurarij, tunc enim debet fieri, etiamsi non sit excommunicatus, vt patet ex c. *Quamquam* de *Casibus* de quo Nauarrus c. 17. n. 180. & nos diximus in proprio Tract. de *Vsuris* agentes de cautione idoneâ vsurarij manifesti in nostro opere de *Iustitiâ.*

710. De eo, qui potest quidem satisfacere, tamen non adest pars læsa, cui debet satisfieri, sufficit (vt notauimus locis citatis) si deponat pecuniam in loco tuto, vel si mittat ad partem per fidelem nuntium, vt hoc præmisso possit absolui. Ita Henriquez, & Auila. Item, qui in vno loco vult absolui & in alio longè distanti habet, vnde satisfiat, satis est, si præstet cautionem sufficientem. Ita idem Henriquez & alij. *Quid faciendum si pars læsa absit*

711. Quintum notandum, quod iam sæpè diximus, nomine partis læsæ in Iure, vel in Iubilæis, aut Bulla, cui debetur satisfactio ante absolutionem, intelligi personam offensam in honore, aut famâ, aut alio bonorum genere, quod ex se postulat restitutionem; non verò Iudicem, Fiscum, aut Tabellionem. Ita Sotus distinct. 22. q. 2. art. 3. post tertiam conclus. Gutierrez lib. 1. *quæstion. Canonicar.* Henriquez lib. 7. c. 13. n. 2. & lib. 13. c. 28. n. 1. in fine. Suarius *5. Notandū qui nomine partis læsæ intelligatur.*

rius disp. 7. sect. 5. numero 45. Auila p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 7.

712. Hinc colligitur eos, qui incurrerunt excommunicationem latam contra non euntes ad processionem aliquam, vel concionem, seu celebritatem, si pœnitet eos facti, posse absolui inconsulto Prælato, quando peccatum erat occultum; imò etiam si sit publicum non tamen deductum ad forum externum; imò adhuc quamuis sit deductum; si ob rationabilem causam sit in foro conscientiæ absoluendus, poterit in eo foro absolui cum solo proposito vero parendi Iudici, & soluendi atque præstandi ea omnia, ad quæ cogitur in foro exteriori, vt sunt stipendia ministrorum Iustitiæ, & pœnam à Iudice imponendam; illi enim, vt diximus non intelliguntur nomine partis læsæ, cui debeatur satisfactio vel saltem cautio iuratoria. Ita Suarius suprà, & Auila cum aliquibus Magistris, qui etiam addit ob eandem rationem posse absolui cum solo proposito denuntiandi eos, qui incurrerant excommunicationem latam contra non manifestantes: similiter posse absolui Simoniacum cum proposito restituendi pretium, aut resignandi beneficium; quia hæc excommunicatio non fuit lata (inquit Auila) propter iniuriam illatam parti.

Assertio 2. 713 Assero, 2. quando quis in articulo mortis, vel ratione alterius impedimenti absoluitur ab excommunicatione per eum, qui de Iure poterat absoluere, præter satisfactioné partis (quę si debetur, tunc etiam, quantum per tempus licet, exigenda est) iniungendum est illi à Confessario, vt cùm primùm possit, se præsentet ei, à quo de Iure absoluendus erat. Quod si non faciat, reincidet. De quibus omnibus diximus dub. 11. & locis ibi notatis in principio; habetur que in c. *eos qui* de *sententia excom.* in 6. vbi vniuersaliter dicitur debere ab eis exigi iuramentum super hoc, sicut & c. *ea noscitur.* Quod verissimum puto propter citatum Textum & docet Corduba, nisi quis velit satis probabiliter (vt citatis locis notauimus cum Auila c. 7. disp. 3. dub. 4.) hoc iuramentum esse tantùm exigendum in casu percussionis Clerici, quia de eo habetur expresè in c. *de catero*, & cap. *ea noscitur*, de *sent. excomm.* vt eâdem dub. 11. notauimus vbi probabiliùs diximus vniuersaliter esse exigendum.

Assertio 3. 714. Assero 3. quoties per Bullam, aut priuilegium absoluendus est pro foro tantum conscientiæ; quia reverá facit, quod potest tàm in foro exteriori, ad quod est deducta eius excõmunicatio & non potest obtinere absolutioné, tunc exigendum est ab eo firmum propositum, quod non abutetur huiusmodi absolutione cum scandalo aliorum, aut perturbatione fori exterioris; in quo debet parere, & se gerere excommunicatus, quamdiu non probat suam innocentiam, vt bene Auila cap. 7. disp. 3. dub. 10. post 4. concl. Quâ de re satis nos diximus suprà dub. 15. maximè assert. 3.

Assertio 4. 715. Assero 4. Præter omnia prædicta in criminibus horrendis, & grauissimis, vt in falsarijs, incendiarijs, in percussione Cardinalis, vel Episcopi, & secundum aliquos, teste Auila, in omnibus casibus Bullæ Cœnæ exigendum est iuramentum, quod ampliùs non committet tale peccatum; quod enim aliqui dicunt iuramentũ esse debere de parendo præceptis Ecclesiæ, esset onus grauissimum, & non habetur in Iure, vt rectè expendit Suarius disp. 19. sect. 2. num. 10. & Sà verb. *Absolutio ab excom.* numero 19. & latius probauimus citatâ dub. 11. §. *Secunda conditio*, & deinceps, constatque ex c. *ex tenore*, & c. *de catero. de sent. excom.* & ex. c. *Pessimam.* 23. q. 8. & c. *Grauem.* de *sent. excomm.* vbi significatur quod aliquando poterit maior cautio postulari, vt similia de cætero non committantur. Sed, si esset nimis graue quod iniungitur in foro exteriori, posset appellari, vt ait Henriq. cap. 28. numero 4. littera, *M.* *Ab absoluendo à criminibus enormibus, exigendum est iuramẽtum quod nõ committet amplius tale peccatum.*

716 Quod autem hoc iuramentum sit exigendum tantum in grauioribus criminibus docet Caietanus verb. *Absolutio* cap. 4. Syluest. *Absolutio.* 3. Angelus *Absolutio,* 3. numero 1. Auila suprà dub. 2. Suarius, Henriquez, & Medina suprà, & aduertit Auila non esse exigendum à quocumque percussore Clerici; quod verum credo, quando percussio non est enormis; quia enormis tantum est Episcopo reseruata; si tamen enormis sit, exigi debet propter Iura citata. Quod autem hoc iuramentum non sit de substantiâ, seu requisitum ad valorem absolutionis, probauimus eâdem dub. 11. *Et in grauioribus tãtum criminibus exigẽdum est.*

DVBITATIO XL.

De formâ & ceremonijs absolutionis.

717. Consentiunt Doctores nulla esse verba determinata pro formâ; sed sufficere quæcumque significent effectum, qui est ablatio Censuræ; causam autem explicare, propter quam incursa erat excommunicatio, bonum est, sed non necessarium, vt probat Suarius disp. 19. sect. 2 numero 8. cum Syluestro, & Nauarro cap. 26. *Nulla sunt verba determinata pro formâ absolutionis.*

718. Ceremoniæ verò præscriptæ seruari debent in absolutione quæ impenditur in foro externo, vbi fuerint vsu receptæ; eæ autem continentur in c. *A nobis* de *sent. excom.* In primis absoluens debet dicere Psalmum *Miserere*, vel aliud ex Pœnitentialibus, & interim flagellare excommunicatum in humeris virga, vel corrigia; Postea dicere *Kyrie eleyson Pater noster*, deinde aliquos versiculos in ceremoniali assignatos, & orationẽ *Deus cui proprium est misereri. &c.* ac tandem pro absolutione dicat *Auctoritate Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum Petri & Pauli, mihi concessa absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter hanc, vel illam causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium in nomine Patris &c.* Huius formæ fit mentio in citato cap. *A nobis* & 2. *de Sent.* Excom. *Caremonia obseruanda in absolutione.* *Pro Absolutione dicenda.*

719. Aduertendum vero est, quamuis præscribatur nudatis humeris esse flagellandum, id nullo modo seruandum esse pro fœminis; hoc enim non decet, vt notant Authores; imò neque in viris est iam in vsu, etiam quando absolutio fit publicè & solemniter ab ipsis Iudicibus: imò Nauarrus suprà nullum ait esse Textum, qui id præcipiat; *Nota.*

Quando fratres minores absoluunt ab excommunic. in foro interno non tenentur flagellare.

præcipiat; atque ad tollendum ſcrupulum Leonem X. indulſiſſe fratribus Minoribus vt, quando abſoluunt ab excommunicatione in foro conſcientiæ, non teneantur flagellare. Vlterius hæc ceremonia, & aliæ, ſi Confeſſarius abſoluat in confeſſione non obligat ſub peccato; ſed ſufficit exigere iuramentum in grauioribus, & horrendis criminibus vt dictum eſt. Ita Auila ſuprà dub. 3. referens noſtrum Polanco in ſuo Directorio, & alios viros doctos, etiamſi abſoluat extra Confeſſionem, in foro tamen conſciẽtiæ; & quando Confeſſarius abſoluit ab excõmunicatione in confeſſione, ſufficit (ait Auila) vt vtendo formâ conſuetâ dicat, *In primis te abſoluo à vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter furtum mihi dictum, vel aliam cauſam*, & proſequatur dicens *& ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti in quantum poſſum, & indiges &c.*

720. Quando autem abſolutio fit ad cautelam, & excommunicatio non eſt certa, Authores conueniunt teſte Auilâ ſuprà non eſſe neceſſarium ſeruare illa ceremonialia; ſed ſufficere abſolutionem conditionalem, quæ ſolet præmitti ante Confeſſionem.

SECTIO QVARTA.

De quibuſdam excommunicationibus in particulari, & modò illas tollendi?

721. ALiquæ ſunt excommunicationes in particulari, quæ & celebriores ſunt, & ſatis frequentes, de quibus ſolent Authores ſpeciatim diſputare, & nos hîc ſigillatim faciemus diſcurrendo per ſingulas, atque in primis agemus de Excommunicatione quæ incurritur propter omiſſam denuntiationem, quæ fieri præcipitur virtute Edictorum generalium.

DVBITATIO XLI.

An Edicta generalia extendantur ad reuelanda etiam peccata ſecreta?

Edicta generalia promulganda & publicè affigenda.

722. LEgantur, quæ diximus de Iuſtitiâ Tract. 2. diſp. 8. dub. 5. & ſeqq. Huiuſmodi Edicta ſolent promulgari, & publicè affigi à Prælatis in ſuis Religionibus, & ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus & ab Inquiſitoribus in ſuis diſtrictis. In qua re Sotus Relectione de *Tegendo ſecreto* membro 2. q. 6. paulò ante 3. concluſionem, vniuerſim docet Prælatum, & quemcumque ſuperiorem virtute horum Edictorum generalium non poſſe compellere ſubditos ad denuntiandum crimina in illis caſibus, & eo ordine, in quibus, & quo ipſi ſubditi extra viſitationem non tenentur; putat enim Sotus Edicta non inducere nouam obligationem circa rem ipſam; ſed ſolùm circa tempus; quia ſubditi poſſent aliquando tempus denuntiandi differre; ſed virtute Edictorum teneri ſtatim denuntiare.

723. Verum Nauarrus c. *Inter verba* hanc Soti regulam non admittit, & meritò, quâ de re latè Petrus Nauarra lib. 2. de *Reſtitutione* c. 4 puncto 2. dub. 10. Henriquez lib. 13. c. 18. Suarius diſp. 20. de *Cenſuris* ſect. 3. Imò idem Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. oppoſitum docet. Atq; hoc probat efficaciter Suarius diſtinguendo inter ipſa Edicta; nam, quando feruntur per verba, quæ culpam ſupponunt, tunc tantum intendunt obligare aliàs obligatos, vt cùm fertur excommunicatio contra eos, qui alienas ſcripturas retinent, vel qui contra conſcientiam, & Dei timorem veritatem occultant. Quando verò Excommunicatio fertur contra eos, qui non venerint ad teſtificandum de veritate, vel qui nõ protulerint ſcripturas vt veritas cognoſci poſſit; tunc ſub ſpeciali præcepto obligare intendunt ad id; ad quod alioquin non obligabantur ſubditi & ſanè poſſunt obligare; cura enim boni communis & Iuſtitiæ ſeruandæ maior eſt in Prælato, quàm in ſubditis; ac proinde multi ſunt caſus, in quibus ſubditi non obligantur ſecluſo præcepto ſuperioris; illo verò poſito, virtute illius tenentur. Hæc tamen præcepta, vt obligent, debent eſſe iuſta. Ideò ſæpè intelliguntur cum ſubintellictis limitationibus; videlicet, dummodo præceſſerit infamia, niſi peccatum ſit in perniciem Reipublicæ &c de quibus dicemus ſequentibus dubitationibus. Hoc poſito.

Edictorum differentia iuxta Suarium.

Circa boni communis maior eſt in Prælato quàm in ſubditis.

724. Aſſerendum eſt huiuſmodi edicta generalia non extenduntur ad peccata ſecreta ſed procedendum eſt ſaluo ordine correctionis fraternæ. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 6. §. 4. Nauarrus c. 25. n. 46. & latè c. *Inter verba* coroll. 65. aliique multi hîc, & in ſequentibus dubitationibus referendi. Vnde etiamſi ſuperior id præcipiat ſub excommunicatione, non eſt illi parendum; nec manifeſtanda peccata occulta, vt etiam docet D. Thomas Quodlibeto 1. art. 16. & latè probat Sotus in Relectione de *Tegendo ſecreto*, menbro 2. q. 1. concluſ. 3. & 4. quia ſuperior id præcipere non poteſt. Item Adrian. in 4. de *Sacramento Confeſſ.* in materiâ de *Correct. fraternâ* dub. 4. quidquid in contrarium docuerit Syluest. verb. *Correctio* §. 9.

Aſſertio huiuſmodi Edicta generalia nõ extenduntur ad peccata ſecreta. ita D. Thom.

725. Hæc aſſertio intelligenda eſt de excommunicationibus, quæ feruntur ad reuelanda delicta, quando non vergunt in damnum tertij; nam de vergentibus in damnum tertij maximè in damnum communitatis longè aliud eſt iudicium. Itaque, quando delicta ſecreta ſunt, & non vergunt in damnum tertij, reuelari non debent, ſolùmque poterunt reuelari quando delinquens ſit diffamatus per maiorem partem viciniæ; nam (vt rectè probat Auila de *Cenſuris* p. 2. c. 5. diſp. 4. dub. 2.) Iudex via Inquiſitionis licitè poteſt inquirere de ſingulari, & determinato delinquente ſi præceſſit infamia; ſecùs verò ſi non præceſſit: ergo & ſubditus præcedente infamiâ, & inſtante mandato Iudicis, tenetur denuntiare; at non præcedente infamia non poteſt; eſſet enim infamare proximum.

Aſſertio quomodo intelligenda.

Delicta ſecreta quãdo poſſunt reuelari.

726. Dixi *per maiorem partem viciniæ*, nam (vt idem Author probat) infamia eſt rumor quidã ortus de alicuius crimine non à maleuolis, & maledicis; ſed à probis, & honeſtis hominibus ſparſus per maiorem partem viciniæ, vel collegij,

Infamia quid ſit.

gij, vbi habitat. Quæ definitio colligitur ex c. *Inquisitionis* & c. *Qualiter & quando* el. 2. de *accusationibus*. Quando autem præcessit infamia, non est opus quòd præcedat correctio fraterna, etiam ad denuntiandum Iudici, vt Iudici. Ita Auila suprà. Corduba in *summá* q. 64. puncto 2. casu primo. Nauarrus citato c. *Inter verba* conclus. 6. n. 281. §. 3. Rodrig. de *ordine iudic.* c. 4. conclus 4. Hæc doctrina ampliùs declarabitur ex sequentibus dubitationibus.

Si illa Præcessit non est opus correctione fraterná.

DVBITATIO XLII.

An teneatur quis virtute Edictorum manifestare ea crimina, quæ tantum nouit per consultationem?

Assertio.

727. Asserendum est neminem teneri virtute Edictorum denuntiare crimina, quæ tantum nouit per consultationem, vt contingit in Confessarijs, Medicis, Advocatis, Theologis &c. imò in eo casu existimo peccare posse mortaliter iuxta grauitatem materiæ, & teneri ad restitutionem, etiamsi reuelet id, de quo præcesserat aliqua infamia, vel semi plena probatio, dummodo solum reuelet ex vi notitiæ, quam habuit ex consultatione; neq; enim is, cui commissum est eo modo secretum, potest loqui de rebus sub secreto concreditis, & communicatis; nisi quatenus ea aliâ viâ nouerit. Ita Nauarrus c. 18. n. 12. & c. 25. n. 46. & c. *Inter verba* coroll. 65. n. 765. Petrus Nauarra de *Restit.* c. 4. §. 2. n. 222. Henriquez. n. 3. Suar. disp. illâ 20. de *Censuris*, sect. 3. numero 11. Salon. 2. 2. q. 71. art 3. conclus. vltima. Aragon ibidem. Filiucius. Tract. 14. cap. 2. quæsito 8. numero 39. & alij apud Auilam citatâ disp. 5. dub 2. conclus. 3. & apud clauem Reg. lib. 12. cap. 14. numero 20. & apud Azor. tom. 3. lib. 13. cap. 28. & apud Lazarium in Tract. Canonicarum q. q. sect. 2. q. 16. numero 1. & q. 17. numero 17. idem docet Cordub. lib. 1. *Quæstionarij.* q. 43. & in *summâ* q. 64. Ratio est, quia Superior præcipere nõ potest contra Ius Diuinum, & Naturale, vt rectè argumentatur Valentia tom. 3. disp. 5. q. 14. puncto 1. Ius autem naturale dictat, vt seruetur Secretum, nisi iusta, & rationabilis causa oppositum postulet.

Cui commissum est secretum non potest de rebus illis loqui, nisi &c.

Ratio est.

Intelligenda doctrina huius dubitationis, sicut præcedentis.

728. Intelligenda verò est doctrina huius dubitationis, sicut doctrina præcedentis, quando scilicèt delicta denuntianda non pertinent ad correctionem, & salutem temporalem vel spiritualem multitudinis, vel etiam ad vitandum graue damnum alicuius personæ; nam in his casibus tenetur quis denuntiare, & testificari, vt satisfactio fiat; Quod etiam concedit Nauarrus, cap. illo 18. num. 4. tunc verò tantum erit denuntiandum, quando aliàs damnificator non vult satisfacere, & denuntiatio præcipitur fieri ad satisfactionem tantùm; non verò, quando præcipitur ad punitioné, & peccatum alioquin est secretum. Ita Syluest. *excomm.* 2. numero 18. Hoc itaque est vniuersaliter verum pro casu huius, & præcedentis dubitationis, & legi potest Nauarrus, cap. 25. numero 29. 42. & 46. & cap. 18. numero 40. & locum habet, etiamsi si infamia præcedat, ut dicebam; nisi ad euitandum maius damnum reuelare oporteat, & tunc tantum quantum opus est ad hunc effectum, & non vltrà, vt notarunt Corduba q. 64. Summæ. Guttierrez in *quæstionibus Canonicis*, cap 11. num. 47. vbi plures refert, & exactè de hac re disputat. Item Henriquez lib. 13. cap. 18. numero 3. qui plurimos etiam citat.

Quando fieri debet denuntiatio.

Delicta vergentia in maximum præiudicium boni communis &c. denuntianda sunt.

729 Vnde à fortiori doctrina vtriusque dubitationis locum habet, si agatur de delictis denuntiandis, quæ vergunt in maximum præiudicium boni communis Reipublicę, aut Religio. Catholicæ.

730 Ex quo fit delictum Hæresis statim esse denuntiandum (loquor de Hæresi cum pertinaciâ iuxta dicenda dub. 44.) etiam non præmissâ correctione fraternâ iuxta dicenda dub. 45. dummodo quis talem nouerit extra Sacramentum Confessionis, quamuis sub grauissimo, & strictissimo secreto reuelatum sit; sed de hoc magis constabit ex dicendis in sequentibus. Probaturque hæc doctrina argumento Textus in c. *Intimauit.* de *Testibus* & in c. *non est obligatorium*, de *Regulis Iur.* in 6. nemo enim tenetur secretũ seruare in detrimentum fidei, boni que communis, vt dictum est, quantumuis iurauerit; est enim illicitum, & id iurare, & iuratum implere. Ita Lazarius de *Monitorijs* & alij apud Bonacinã disp. 2. de *Cens.* q. 6. pũcto 1. n. 2. quibus adde Pegnam in *Directorio* 2. *cõmẽt.* 18. ad c. *Qualiter & quando de Accusationib.* Rojas. de *singularib.* singul. 3. numero 23. & sequentib. Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 4. numero 16. & 17. Barbosa 3. p. *Allegationum.* Allegat. 96. num. 63.

Hinc Hæresis cum Pertinatia immediatè statim denuntianda est.

Probatur, hæc doctrina.

Nec Iuramentum de talibus secretis obligat.

Crimen læsæ Maiestatis statim denuntiandũ.

731. Eâdem ratione solet assignari casus statim denuntiandus crimen læsæ Maiestatis; quod intellige, quando est in fieri, id enim etiam vergit in damnum commune Reipublicæ. Idem ego putarem etiam si non esset in fieri; sed iam factum, dummodo prudenter quis posset timere, quod delictum tandem aliâ viâ propalabitur, & inde grauissimum damnum illi emerget, quod non reuelauerit, habebiturque consentiens, aut fautor; in his etiam duobus casibus iuxta multorum sententiam filius potest, & debet denuntiare, & testari contra Patrem; sed de hoc infrà dub. 49. dicemus, imò aliqui volunt casum etiam blasphemiæ denuntiandum esse contra Patrem; quia honor, & gloria Dei præ ferri debet reuerentiæ parentum. Ita Comitolus, lib. 4. *Responsionum* q. 8. Zechius, & alij apud Lazarium de *blasphem.* q. 12. numero 57. sed neque hoc est ita certum maximè quando non instat periculũ, vt parentes iterum blasphement, & blasphemia non est Hæreticalis.

Quid dicendum si delicta vergant in damnum alicuius particularis.

732. Si verò delicta vergant in damnum particulare alicuius tertiæ personæ, iamque dãnum sit omnino finitum nullo modo pendens in futurum, vt homicidium, & adulterium, etiam non sunt denuntianda, si occulta sint. Ita Sotus 5. de Iustitiâ q. 5. art. 1. Nauarrus cap. 25. nu. 46. Auila, 2. p. c. 5. disp. 4. dub. 3. conclus. 2. Si verò debeatur satisfactio, aut restitutio in futurum, denuntianda sunt, si probari possunt, quando præmissâ correctione fraternâ reus nõ vult satisfacere, & tunc incurretur excommu-

nicatio

nicatio contra non denuntiantes; hac enim ratione cum minori damno famæ delinquentis consulitur damno spirituali illius, & damno temporali proximi damnificati.

733. Dixi *si possint probari*; nam si probari non possint, neque debent neque possunt denuntiari, ut postea dicemus dub. 44.

DVBITATIO XLIII.

An quando peccata sunt omnino emendata, nec habent aliquam dependentiam in futurum, teneamur sub excommunicatione virtute edictorum denuntiare?

Assertio. 734. Asserendum est peccata emendata non habentia dependentiam in futurum, non esse virtute edictorum denuntianda, generaliter loquẽdo, cùm in tali casu cesset finis denũtiationis. Ita Sotus de iust. q. 5. art. 1. circa finẽ Nauarr. cap. 25. numero 46. Hoc tamen intelligendum est, ut multi volunt, quando huiusmodi crimina secreta sunt; nam si quis de illis esset infamatus debet denuntiari ab ijs, qui sciunt, quantumcumque sit iam emendatus. Ita Corduba lib. 1. *Quæstionum*, q. 43. & in *Summâ* q. 64. casu 1. & 2. Henriquez lib. 13. cap. 18. num. 3. Petrus Nauarra, lib. 2. cap. 4. dub. 9. Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 4. numero 26. Ratio est Ratio. quia cùm peccatum non sit occultum, Iudex iuridicè procedit, & legitimè ex officio, neque solùm intenditur tunc emendatio delinquentis, sed etiam aliorum, correctio per illius punitionem. ergo propter hunc saltem finem, qui scit, tenetur denuntiare, atque hoc maximè locum habet; quando Iudex præcipit, ut id reuelent, non tàm, ut denuntiatores, quàm, ut testes, ut communiter fit, quando præcessit infamia criminis. Quomodo autem possimus discernere, quando Iudex præcipiat, ut quis sit, declaret ut denuntiator, aut quando, ut testis? rectè explicat Nauarrus c. *Inter verba* Coroll. 65. num. 286. & in hoc casu declarationis, tanquàm testis, non habet locum doctrina Soti, ut rectè probat Nauarrus coroll. 64. in fine.

735. Mihi Sanè, quamuis in peccatis alioquin secretis vera sit doctrina Soti, tamen in peccatis publicis maximè placet doctrina Auilæ, p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 4. conclus. 3. qui cum alijs viris doctis asserit, quando peccata publica sunt emendata solùm, quantùm ad Deum; non verò, quantum ad homines; quia id non constat, imò durat adhuc infamia, & scandalum in Republicâ, omnino esse obligationem ea denuntiandi; quia etiam tunc Prælatus vult, & tenetur prospicere bono communi, & satisfacere Reipublicæ læsæ. Quando verò peccata ita sunt emendata, ut publicè constet de emenda, scandalúq; cessauerit, non esse obligationem denuntiandi, quia iam finis in eis cessauit; si tamen interrogentur homines à Iudice, ut testes, tunc tenentur, veritatem dicere.

Cur in assertione dictum est 736. Dixi in assertione *generaliter loquẽdo* quia, quamuis peccata secreta, & emendata (si non sintea ijs, quæ vergunt in damnum communitatis) non sint denuntianda, etiamsi alioquin probari possint, quando non pendent in futurum, imò etiam publica, si iam constat publicè de illorum emendâ; tamen, si peccata sint de genere illorum, quæ vergunt in damnum Reipublicæ, & Religionis Catholicæ, qualis est Hæresis iuxta dicta duabus dubitationibus præcedentibus, non consentiunt Auctores etiamsi delictum sit occultum, & videatur omnino emendatum quà de te diecmus dub. 46. priùs tamen disputabimus de delicto, quod non potest in iudicio probari, & de delicto, cuius est spes corrigendi per correctionem fraternam, vel denuntiationem. generaliter loquendo.

DVBITATIO XLIV.

An teneatur quis sub excommunicatione contentâ in edictis denuntiare crimina, quæ non potest in iudicio probare?

737. Asserendum est generaliter loquendo, neque debere, neque posse. Probatur non debere; nemo enim tenetur ad id, quod est inutile; Esset autem inutile denuntiare iudici, tamquàm Iudici, quod non potest curam illo probari; & sanè crimen, quod probari non potest, ita se habet, ac si nesciretur. Accedit, quòd denuntians, & non probans habeetur pro calumniatore. Probatur deinde non posse, nec licere denuntiare; quia sine causâ, & fructu infametetur proximus. Vnde ut denuntientur talia crimina requiritur quòd possint probari per testes, vel Scripturas, vel indicia sufficientia, &c. Ita Suarius, cap. 17. numero 134. & cap. 18. n. 61. & c. *inter verba*, conclus. 6. n. 283. Rodrig. *de Ordine Iudic.* cap. 2. cõclus. 3. & c 4. cõclus. 12. Ludouicus Lopez, p. 2. cap. 10. columna. 1. Corduba, lib. 1. *Quæstionum*, q. 43. & in *Summâ*, q. 64. & alij mulu statim referendi. Consonatque hæc doctrina cum c. *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6. & c. *Qualiter & quando de accusationibus*. Ex quà doctrina inferunt multi cum, qui furtum commissum audiuit committi ab ipso fure nemine alio præsente non teneri illum denuntiare; secùs, si habeat vnum testem omni exceptione maiorẽ. Quæ doctrina supponit denuntiantem in hac materiâ posse valere pro teste. Ita Nauarrus, c. 25. numero 46. Auila p. 2. cap. 5. disp 4. dub. 2. conclus. 11. Lazarus *de Blasphemiâ* qu. 12. num. 55. Praxis Neapolitana cap. 18, numero 3. Nauarrus cap. 17. numero 134. Suarius de *Censuris* disp. 20. sect. 3. numero 11. Petrus Nauarra citatus dub. præcedenti, & alij apud Clauem Regiam lib. 12. cap. 14. numero 32. Vasquez de *restitut.* cap. 9. § 3 numero 4. Henriq. lib. 13. cap. 18. numero 3. Gutierrez de *Matrimonio*, cap. 59. numero 2. vbi plures alios refert. Filiucius Tract. 14. cap. 2. numero 39. & alij multi. Assertio generaliter loquendo nemo debet denuntiare crimina quæ non potest iudicio probare. Probatur.

738. Probatur etiam nostra assertio ex c. *Plerumque boni viri*. & ex cap. *Placuit* 6. q. 2. & cap. *Si tantum*. ibidem; eamque adeò veram putat Angelus verb. *excom.* 3. §. 20. ut quamuis superior præcipiat sub excommunicatione, ut denuntiemus quantumuis non possimus probare; nullo Probatur assertio ex Iure.

lo modo teneamur, quia tale præceptum continet intolerabilem errorem.

739. Imò doctrina assertionis intelligenda est, vt vult Sotus de *Legendo secreto* membro 2. q 4. conclus. 3. etiamsi delictum sit in fieri, quod etiam approbat Auila suprà dub 3. concl. 4. Pedraza præcepto 7. numero 5. & alij.

740. Addit tam ibi Sotus ex Adriano, quãuis crimen, quod probari non potest, neque de eo est infamia, aut indicia sufficientia, non liceat denuntiare Iudici, tanquam Iudici, licere nihilominus denuntiare extra iudicialiter, si propendeat in præiudicium tertij, licitum enim est sic denuntiare Iudici, tanquam potenti prodesse & non obesse, vel certè (vt ait Nauarrus, c. *Inter verba*, conclus. 6. numero 90.) admonere personam illam, cui parantur insidiæ.

741. Notandum tamen ex eodem Nauarro ibidem numero 289. cum, quid dicitur prodesse & non obesse cùm non sit Iudex, in quantum Iudex, sæpè esse posse alium priuatum, qui hîc, & nunc possit meliùs, & magis prodesse.

Quæres 1. 742. Quæret tamen aliquis an excusatus à denuntiando iudicialiter, quia non potest probare teneatur sub eâdem Censura manifestare Prælato, vt Patri, si Prælatus talis sit, qui possit prodesse, & non obesse.

Opinio aliquorum. 743. Aliqui videntur affirmare, vt Nauarrus Corduba & Angelus suprà Syluest. verb. *Correctio*. n.7. & *Excomm*. 2. n.18. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 74. in principio.

Authoris iudicium. 744. Existimo nihilhominus cum Auila suprà (quidquid sit alioquin de obligatione Iuris naturalis) non teneri. Legatur Auila conclus. 5. Ratio. Ratio est; quia Censuræ non excedunt suos, casus, sed hæ Censuræ solùm feruntur ad denuntiandum iudicialiter: ergo non sunt extendendæ ad denuntiandum paternaliter. Sola ergo (si quia est obligatio) erit ex Iure naturæ, quæ esset etiamsi alioquin edictum non fuisset promulgatum.

Addit Auila cum Nauarro. 745. Addit etiam Auila conclus. 8. suprà cum Nauarro c. 17. n. 134. eum qui, cum teneretur denuntiare, non denuntiat furem, non tantum incurrere excommunicationem; sed insuper teneri restituere damnificato; hoc autẽ decidẽdum est iuxta regulas à nobis traditas in nostro opere de *Iustitiâ* Tract. de *Restit*. disp. 4. dub. 8. dum ageremus de obligatione restituendi, quam habet non manifestans; est enim eadem ratio in hoc casu; atque ibi diximus de Testibus in iudicio interrogatis, & non manifestantibus.

Quæres 2. 746. Quæres 2. quid faciendum si Iudex non per viam denuntiationis; sed post semiplenam probationem coram ipso factam ad effectum faciendi probationem plenam, præcipiat, vt, qui illud scit, veniat ad testificandum sub pœnâ excommunicationis: ego verò scio quidem; sed non possum probare: teneborne deponere, quod scio?

Responsio aliquorum. 747. Aliqui affirmant etiam si non præcedat secreta monitio, nec possit probare. Ita Nauarrus c. 17. n. 135. & c. *Inter verba* n. 282. & 266. Ludouicus Lopes suprà. Auila suprà conclus. 10. & alij Recentiores; hoc autem decidendum

Authoris iudicium. est iuxta Regulas datas à nobis citato opere de *Iustitiâ* lib. 2. Tract. 1. disp. 8. dub. 5. & 6. Vbi egimus de obligatione testium, & explicuimus, quid debeat præcedere, vt iuridicè interroget, & obliget ad sibi detegendam veritatem.

748. Quæres 3. quid dicendum de casu quodam sæpè occurrente? Petrus v. g. adstrictus est ære alieno; ne tamen pro debitis creditores faciant exequutionem in bonis illius, vendit illa Ioanni in confidentiâ; postea verò ad instantiam creditorum fertur excommunicatio, vt, qui possidet bona Petri, vel scit quis possideat, id manifestet; Quæritur, an, si Ioannes non possit probare illa bona esse Petri, possit, vel teneatur illa manifestare? Quæres 3.

749. Respondeo, si Ioannes monet Petrum; vt alterum è duobus faciat, nempe, vel restituat, vel sua bona recipiat, & Petrus neutrum vult, Ioannes tenetur denuntiare. Ita Auila suprà conclus. 7. & colligit ex Syluestro *Restitutio 3*. n. 10. §. 4. Probat; quia, si probatio esset necessaria; vel requireretur; ne Ioannes haberetur calumniator, vel, ne infamaret inutiliter Petrum de suo delicto occulto; primum non habet locum, hæc enim præsumptio contra Ioannem omnino cessat, incredibile enim est, quòd denuntiator vellet tradere ea bona, si essent, sua. Secundum verò de infamiâ Petri, vim quidem haberet in casu, quo Ioannes tantum esset conscius delicti, & non simul particeps tacendo; in nostro autem casu, si taceat non solùm conscius est, sed particeps; nam tacendo esset causa quod Petrus non solueret ac proinde esset particeps huius delicti ad eum modum quo ille, qui occultat bona sibi in custodiam tradita à latrone. Resp.

750. Postea tamen idem Auila disp. 5. dub. 2. conclus. 2. rectè limitat hanc sententiam, vt solùm sit vera; nisi Ioannes non posset manifestare sine detrimento notabili suæ famæ; quia tunc excusabitur ab excommunicatione.

751. Dixi in principio assertionis generaliter loquẽdo quia sunt aliqui casus, in quibus etiamsi denuntians probare non possit, teneatur nihilominus denuntiare. Assertio limitatur quoad varios Casus

752. Primus casus est similis ei, quem diximus dub. præced. quando scilicet non tàm præcipitur denuntiatio, quã testificatio; tunc enim tenetur testari, & deponere tanquàm testis, si iuridicè interrogetur, etiamsi delinquens sit emendatus; nam Iudici iuridicè interroganti ad mentem ipsius respondendum est. Ita Nauarrus c. illo 17. numero 35. Auila citata disp. 4. dub. 2. conclus. 10. Clauis Regia lib. 12. cap. 14. num. 33. Lazarius in Tract. *Monit* sect. 1. q. 20. numero 10. Primus casus.

753 Secundus casus est, quando delictum vergit in graue damnum alicuius communitatis; tunc enim non solùm non tenetur seruare secretum; sed debet omnino monere eos, quibus incumbit, vt malum præcaueatur. Secundus.

754. Tertius casus est, impedimentum Matrimonij, quòd sub excommunicatione edicti tenetur manifestare etiamsi probare nõ possit; nam vnus testis sufficit ad impediendum Matrimonium. c. *Præterea de Sponsalibus*. vt dicemus suo loco; in illo autem casu ille denuntians admittitur tanquàm testis. Tertius

755. Quartus casus est, quando mandatum Quartus.

est

est de denuntiando delicto respiciente fidem Christianam, & Religionem Catholicam, qualis est hæresis, & blasphemia hæreticalis; in tali enim casu creditur vni testi. c. *in omni* de *Testib.* & c. *Nouit.* de *Iudicijs.* Ita Praxis Neapolitana c. 18. dub. 3. n. 5. Repertor. Inquisitorum, tit. de *denuntiation.* Bañez 2.2. q. 68. art. 1. Salon, & Aragon ibidem. Lazarius de Blasphemia q. 12. n. 55. Filliucius suprà n. 31. & 39. Azor, tom. 1. lib. 8. c. 19. q. 9. Sanchez in *summa* c. 32. in fine. Simancas tit. 19. Rojas singulari 13. n. 19. & 20. Bonacina de *Censuris* disp. 2. q. 6. puncto 1. n. 9. Sigismundus Scaccia de *Iudicijs* c. 56. Farinac. de *Hæres.* q. 197. §. 2. n. 36. Augustinus Barbosa 3. p. allegatione 96. n. 51. circa medium Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 4.

in casu creditur vni testi.

Oppositum docuerunt multi.

756. Oppositum docuerunt multi negantes esse obligationem denuntiandi in hoc casu; imò plerique citati in principio pro nostrâ assertione vehementem causam suspicionis præbent, vt iudicemus ita sentire, cùm vniuersaliter loquantur, & casum non excipiant; atque videntur sentire expressè Angelus vel verb. *denuntiatio* circa finem. Tabiena verb. *Inquisitio* §. 7. Antonin. 3. p. tit. 24. columna 1. & latissimè Ioannis Nenicanus in *Syluâ nuptiali* lib. 3. n. 445. & specialiter in casu Hæresis contra nostram assertionem docet Villa-diego Tract. de *Heret.* q. 10. prope finem Palacios Rubios in Repertorio c. *Inter vestras* §. 26. n. 9. Repertor. Inquisitorum verb. *Denuntiatio* vers. *Generale tamen est* & verbo *Occulta* vers. 2. Gundisaluus Tract. de *Hæreticis* q. 10. n. 7. & 8. Ioannes Andreas c. *Nouit.* de *Iudic.* vniuersaliter loquens de omni peccato occulto, quem sequitur Panormit. Refert etiã Palacios Rubios loco citato Angelum in Tract. *Maleficiorum*, Felinum, & alios. Idem indicat Ioannes Rojas singulari 3. n. 3. docet etiam Decianus in Tract. *Crimin.* lib. 5. c. 30. n. 4. Paramus de *Origine Sanctæ Inquis.* lib. 3. q. 9. n. 45. & videtur facere pro hac sententiâ Clementina 2. de *Hæreticis*. vbi socijs Inquisitorum præcipitur *quòd si taliter ea sciuerint* (scilicet peccata Inquisitorum extorquentium pecuniam) *vt ea probare valeant &c. ad quos id pertinebit, nuntiare solicitè debeant.* Ex quo Glossa colligit *quod, si non possunt probare, non denuntient.* Ex quibus videtur colligi, si scias occultum Hæreticum, quem non possis probare, non esse denuntiandum, sed debere prius moneri quòd si non desistat, esse denuntiandum Prælato, vt Patri iuxta ordinem Euangelicum.

Probant à paritate.

757. Probant etiam à paritate criminis læsæ Maiestatis, quod putant non esse denuntiandum; nisi probari possit, vt docet Antonius Gomez tomo 3. *variar.* c. 1. n. 9. limitatione 3. vers. *Aduerte*, pro quo citat Ioannem Plateam. Idemque tenet Perezius lib. 8. *ordin.* tit. 7. l. 1.

Probant 2. Ratione quia ad opus inutile & nociuum nemo obligari potest.

758. Probant etiam ratione; quia ad opus inutile, & nociuum nemo obligari potest; talis autem denuntiatio inutilis est & nociua. Iudex enim ex tali denuntiatione non potest procedere ad punitionem delicti, & eius correctionem; nam correctio, & punitio supponũt probationẽ integrã, quę haberi nõ potest in eo casu, & simul denuntiatio nocet delinquenti, qui per illam infamatur absque vllo fructu: ergo non obligat Edictum ad sic denuntiandum.

759. Nihilominus nostra sententia verissima est, & probatur ex contrario fundamento; est enim ea denuntiatio maximè vtilis, imò necessaria, tum Reipublicę; tum ipsi delinquenti; nam per denuntiationem impeditur Hæresis, ne alios inficiat, quia secundum Apostolum *Hæreticorum sermo serpit, vt Cancer*, & ex eâ denuntiatione potest Iudex procedere ad inquirendum de tali crimine, vt notauit Farinacius de *Heresi* q. 185. n. 64. & potest (vt dicebamus suprà) denuntiator ipse in testem admitti; neque eius testimonium suspectum est, cùm delictum non sit cõmissum in iniuriam denuntiantis, sed creatoris Dei; neque punitio cedat potiùs in denuntiantis commodum, quàm aliorum, vt notârunt idẽ Farinacius cum alijs n. 32. Simancas tit. 19. n. 17. Suar. suprà n. 9. Accedit; quod Hæreticus videns se esse denuntiatum vel fore denuntiandum; quantumuis occultissimè suam Hæresim manifestet: vel non audebit illam vlterius manifestare, vel multò magis temperabit ab iniquo suo feruore propagandi errorem timens supplicium Inquisitorum, vel Ecclesiæ. Ex quo etiam apparet ipsi delinquenti denuntiationem esse vtilem, siue; quia non peccabit vlterius, aut certè minus, siue, quia eâ viâ poterit à peccato reuocari. Itaque denuntiandus est omnino, etiamsi probari non possit, & quidem statim, si periculum est in mora, vt ferè semper est; atque idem puto dicendum de crimine læsæ Maiestatis, de quo esse denuntiandum, etiamsi probari non possit docent Plaza de *delictis* c. 22. n. 17. & Anton. Gomez tomo 3. *variar.* c. 2. n. 4. est enim hoc peccatum in perniciem maximam Reip. & boni communis. Quod denuntiari debet iuxta suprà dicta in secundo casu.

Vera nihilominus est doctrina data.

Probatur eâ contrario fundamento.

Delinquenti hæretico talis denuntiatio est vtilis.

Idem crimine læsæ Maiestatis denuntiandum esse licèt probari non possit, indicat Kither.

760. Vnde cùm iam in plerisque Cardinales Regibus æquiparentur, & percussio Cardinalis censeatur crimen læsæ Maiestatis, vt constat ex c. *Fælicis* de *Pœnis.* in 6. Pius V. Motu proprio dato Romæ anno 1569. Calendis Ianuarij, decreuit, vt quisque teneatur proditionem in Cardinalem exortam, quantumcumque occultam reuelare, etiamsi per indicia tantum qualemcumque habeat cognitionem sub pœnâ excommunicationis ipso facto.

761. Confirmatur; quia aliàs sequeretur, quod mulier solicitata in confessione à Confessario nunquàm teneretur denuntiare, quia non potest probare.

Confir.

762. Quòd si dicas saltem esse periculum, quòd denuntiator deferens delictum improbabile reputetur calumniator maximè cùm de Iure denuntiationem probare debeat denuntiator, & ei assistere, quia loco accusatoris habetur L. *Ab accusatore.* §. *Nuntiatores* ff. *Ad Turpellianum* & tradit Responsorium verb. *denuntiatio* vers. an eo ipso. Vmbertus locat in *Indic. Inquisit.* eodem verb. *denuntiatio* n. 1. facilè ad hoc respondetur de Iure quidem teneri denuntiatorem probare denuntiationem: tamen ex consuetudine contrarium seruari, imò habet fundamentum in Iure. facit enim ad hoc c. *super his* de *Accusat.* quia denuntians potest dicere se tãtum declarare delictum ex affectu, & Zelo boni communis: idque maximè locum habere potest

Si dicas.

Resp.

test in delicto Hæresis propter ipsius grauitatem, & serpendi periculum. Ita Eymer. *Director.* 3. p. de *secundo modo procedendi in causa Fidei* n.68. in principio, & ibi Pegna. Comment. 15. Scaccia in Tract. de *Iudic.* c. 72. n.4. Paramus de *Orig. Sancta Inquisit.* lib. 3. q. 8. n.21. & 22. Suarius de *Fide.* disp. illa 20. sect. 4. n. 3.

Nomine hæretici denuntiandi intelligitur propriè dictus. 763. Nomine autem Hæretici denuntiandi intelligitur Hæreticus propriè dictus, qualis est pertinax; non verò ille, qui per ignorantiam vel metum incidit in Hæresim fortassè tantùm externam; de quo præsumi certò potest statim monitum esse corrigendum. vt notârunt Toletus lib. 4. *summæ* c. 5. n. 1. Farinacius de *Hæresi* q. 187. §. 2 Bonacina de *Censuris* disp. 2. q. 6. puncto 1. n. 20.

Ex hac doctrina infertur. 764. Qui etiam ex hac doctrinâ infert non esse denuntiandum Contionatorem, alias Religiosum, & pium, qui ex incuria aut inconsideratione aliqua inter contionandum aliquid minus benè, aut consonè protulit; neque enim præsumitur velle se opponere Ecclesiæ iudicio; nisi forte ex circumstantijs constet; aut prudenter timeri possit oppositum; sed hoc amplius ex dicendis dub. sequenti declarabitur.

DVBITATIO XLV.

An quoties quis scit, se posse per correctionem fraternam, vel denuntionem Euangelicam obuiare peccato occulto sine denuntiatione iudiaciali, teneatur prius præmittere correctionem non obstante excommunicatione Edicti?

Opinio multorum affir. 765. IN hac re Doctores diuisi sunt, & multi affirmant, etiam in peccatis Hæresis, læsæ Maiestatis, proditionum, latrociniorum, Homicidiorũ &c. occultè grassantium debere prius præmitti correctionem, & non licere in eo casu denuntiationem iudicialem facere. Ita videtur tenere D. Thom. 2.2. q. 33. art. 7. Panormit c. *Nouit.* de *Iudicijs* n. 44. & omnes Canonistæ ibi & c. *Si peccauerit* 2. q. 1. Gundisaluus tit. de *Hæreticis* q. 10. n. 6. Repertorium Inquisitor verb. *denuntiator.* verf. *aliquando proceditur.* Decianus in Tractat. *Crimin.* lib. 5. c. 30. n. 3. Martinus del Rio lib. 5. *Disquisitionum Magicarum* sect. 4. probant, quia denuntiatio in tali delicto fieri non potest ad punitionẽ delinquentis; sed ad illius correctionem, & præseruationem damni inde imminentis; sed hic finis obtineri speratur per correctionem; ergo non est adhibenda iudicialis denuntiatio.

Ita D. Thomas. *Probant.*

Assertio. 766. Asserendum nihilominus est, quamuis in alijs casibus minoris momenti probabile satis sit, imò verum, quando speratur correctionem fraternam, & Euangelicam denuntiationem posse prodesse, & per illam fore emendandum delinquentem, non esse obligationem denuntiandi, imò, si id moraliter certò constet; non posse denuntiari, si delictum est occultum (de hoc enim agimus) in rebus tamen pertinentibus ad bonum commune; quia non quæcumque credulitas emendationis, sed pro re tam graui certa, & in dubitata necessaria est, & hæc rarò aut nunquam haberi potest; ideò in his casibus omninò denuntiandum est statim, nec credendum est per aliam viam posse obuiari periculo boni communis.

In rebus pertinentibus ad bonum commune statim adhibenda est denuntiatio.

767. Vnde in ijs præcipuè, quæ pertinent ad fidem, & bonum Religionis Catholicæ crimina contraria, quantumuis occulta statim sine vllâ fraterna correctione præmissâ denuntianda sunt Inquisitoribus, vel, vbi tale tribunal non est, ijs quibus incumbit. Ita Simancas de *Catholic. Instit.* Rubricâ de *Denuntiat* n. 10, & sequentib. & in Enchirid. tit. 23. Rubric. de *Denuntiat.* n.5. & sequentib. Scaccia de *Iudicijs* c. 26. n.3. Rojas Tract. de *Hæretic.* 2. p. sect. 3. & in singularibus. Fidei singuluri 3. n. 11. & singul. 5. n. 21. Pegna *Directorio Inquisit.* in 2, p. commento 2. ad. c. *Qui alios de Hæret.* verf. *quod si sequatur.* & comment. 18. ad c. *qualiter, & quando*, de accusationib. circa finem. Toletus in summa lib. 4 c. 5. n. 1. vbi tantum excipit peccantem ex ignorantiâ, vel metu; non verò ex malitiâ. Azor tomo 1. lib. 8. c. 19. n. 9. Bañez 2.2. q. 11. art. 4. Suarius disp. 20. de *Fide* sect. 4. n. 11. Farinac. de Hæresi q. 197. n. 39. Bonacina disp. 2. de *Censuris* q. 6. puncto 1. n. 20. In quo etiam consentiunt Sotus de tegendo secreto, mẽbro 2. q. 4. Canus 12. de locis. c. 9. versus finẽ. Castro lib. 2. de *Iustitia Hæret. punit.* c. 25. Arebalus lib. de correctione fraternà q. 2. Gutierrez in *Quæstionib. Canonicis* c. 11. n. 53. qui omnes consentiunt, etiamsi emenda speretur, non esse fidendum tali Hæretico, nam, qui se opponit authoritati Ecclesiæ, neque illâ corrigitur, quomodo priuatâ authoritate credendum est fore, vt corrigatur? In quod etiam videtur consentire Nauarrus c. 18. n. 56, & c. 24. n. 14. Vnde ob periculum boni communis rectè potuit Ecclesia præcipere, vt denuntiatio fiat immediatè, etiam non præmissâ tali correctione; quo præcepto supposito tenebitur quis quantumuis secretò nouerit denuntiare, tale autem præceptum ponitur ab Inquisitoribus Fidei, vt testantur plerique Authores citati maximè Pegna, & Simancas, & ferè hoc ipsum constat ex Ordinario Edicto generali Inquisitorum.

v. g. ad fidem &c.

Etiamsi emenda speretur non est fidendum tali hæretico

Ratio est.

Addit Author. 768. Imò ego putarem adhuc nullo posito Edicto, aut præcepto esse obligationem Iuris naturalis ordinariè loquendo denuntiandi talẽ delinquentem Iudici competenti, quamuis non sit obligatio sub Censurâ nisi supposito præcepto positiuo illam ferente.

769. Qua propter Sanctus Leo Magnus Sermone 5. de *Ieiunio decimi mensis*, & serm. 4. de *Collectis* in finẽ expressè docet prædictos statim esse denuntiandos

Ex dictis patet ad fundamentum aduersariorum n. 765. positum. 770. Ex dictis patet ad fundamentum aduersariorum concedimus enim denuntiationem illam ordinari ad correctionem delinquentis; sed; quia rarò, vel nunquam hæc correctio sperari potest per fraternam illam monitionem; ideò Ecclesiæ Iudices in bonum fidei præcipiunt, etiam eâ non præmissâ, tale delictum manifestare; neque aduersus hoc præceptum continet aliquid doctrina illa Christi de correctione fraternâ præmittendâ; nam illud præceptum loquitur de peccatis, quæ non vergunt in damnum commune vt satis indicatur illis verbis Si

Ratio cur Ecclesia Iudices præcipians tale delictũ manifestare nõ præmissa correctione fraternâ.

Nec hoc repugnat Christi doctrina

Si peccauerit in te &c. Præterea intelligenda eſt ea doctrina de rebus ordinariè ſecundum ſe ſpectatis; non verò, ſi ob commune bonum lata ſit aliqua lex, quæ caſus communiter contingentes reſpiciat, tunc enim bonum commune præferendum eſt particulari, & potius habenda ratio eſt vitandi periculum imminens Religioni Catholicæ, & Eccleſiæ, quàm vitandi damni alicuius delinquentis in particulari. Quamuis autem doctrina tradita omninò vera ſit loquendo de Hæreticis propriè ſumptis, & pertinacibus; ſicut diximus in Doctrinâ præcedentis dubitationis, & in hoc ſenſu videatur communiter recepta, quando ſcilicet Hæreticus eſt cùm pertinaciâ aſſerens aliquid ſciens eſſe contra Eccleſiæ doctrinam; non tamen id ſemper locum habet, quando quis affirmat hæreſim, quouſque enim conſtet illum eſſe pertinacem, non conſtat eſſe propriè Hæreticum. Vnde Petrus Nauarra lib. 2. de Reſt. cap. 4. p. 2. dub. 8. Rodriguez in ſummâ cap. 130. concluſ. 2. Perezius lib. 8. Ordin. tit. 9. lib. 1. Caſtro lib. 2 de juſtâ *Hæreti punitione*, loco citato (idemque videntur ſentire Toletus Farinacius Bonacina citati dub præcedenti; eſt enim eadem ratio de hoc, & illo caſu) putant, ſi aliquis ruſticus dicat ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale, & ex circumſtantijs credatur illud non dici animo pertinaci; cum non eſſe ſtatim denuntiandum; ſed prius corrigendum. Quod ſi paratus ſit Eccleſiæ doctrinam ſequi, cùm ſibi conſtiterit de eâ, non eſt denuntiandus; quod rectè proſequitur & probat Repert. Inquiſit verb. *Denuntiatio* quando enim dixit etiam in crimine Hæreſis, quando non eſt publicum(in quo caſu nos loquimur) debere præcedere monitionem; niſi inſtet periculum in dilatione peruertendi alios; ſatis ſignificat, quando non eſſet tale periculum vt contingit in Hæretico materiali parato Eccleſiæ parere, non eſſe faciendam denuntiationem. In quo procul dubio, & à fortiori conſentient Authores citati pro primâ ſententiâ, qui abſolutè dicunt, vt vidimus, eſſe præmittendam correctionem, quando ſperatur emenda, non diſtinguentes de Hæretico formali pertinaci, & de materiali tantùm non pertinaci; nam ſi de aliquo Hæretico ſperari poteſt emenda, de hoc omninò ſperanda erit, non de illo.

Quouſque conſtet aliquem eſſe pertinacem, non conſtat eſſe propriè hæreticum.

Quoad hæreticum materialem paratum Eccleſiæ parere non eſt facienda denuntiatio.

Probatur 1. hæc doctrina

771. Imò probari poteſt hæc doctrina primò; quia licèt Hæreticus denuntiandus ſit ſtatim, iſte homo non eſt Hæreticus, quamdiu habet ignorantiam doctrinæ Eccleſiæ; & quamuis ignorantia ſit craſſa, & peccet mortaliter, adhuc non eſſe propriè, & formaliter Hæreticum ex multis probat Rodriguez ſuprà, & in proprio Tractatu agentes de Fide nos, ſi Deo placet, latè probabimus: ergo talis non erit denuntiandus.

Probant. 2.

772. Secundò probant; quia, quando creditur hic non aſſerere illam propoſitionem cum pertinaciâ, non poſſumus credere illum non eſſe corrigendum monitione priuati hominis maximè grauis, & qui apud illum doctrinæ & vitæ auctoritate & integritate valeat; quia non ſe opponit homo ille auctoritati Eccleſiæ; nam Auctores, cum quibus diximus Hæreticum non ex pectato euentu monitionis eſſe ſtatim denuntiandum, quia non eſt habenda certa ſpes correctionis, loquuntur omninò de Hæretico pertinaci, & ex eâ pertinacitate colligunt non eſſe ſpem emendæ. Quod non habet locũ in prædicto. Vnde Nauarrus; quamuis ſæpe varijs in locis dixerit rarò poſſe contingere, vt Hæreticus per monitionẽ corrigatur poſteà tamen *putamus* (inquit) *nunc frequenter id accidere in illis, qui per ignorantiam vel ſimplicem reuerentiam, aut imitationem parentum, vel amicorum labuntur, quales anno Iubilæi ſcimus multos veniſſe.* Legatur Simancas tit. 28. numero 12. vbi benè probat Ruſticos ſæpè aſſerendo aliqua, non eſſe ſuſpectos de Hæreſi, ne leuiter quidem & tamen periti in eiſdem habentur Suſpecti. Legatur etiam Corduba in *Summa*, q. 61. qui etiam facit pro hac doctrinâ. Confirmarique poteſt; quia ſecundum communem Doctorum ſententiam, & rationem curandum eſt, vt in denuntiationibus procedatur cum minori, quo fieri poteſt, detrimentum. Sed hoc modo ex vnâ parte ſufficienter prouidetur bono communi, & ex aliâ conſulitur famæ huius hominis: ergo, &c.

Confir.

773. Tertiò probatur ex illo Pauli *ad Titum 3. Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correctionem debita*: Quem locum intelligunt ibi D. Thomas, q. 2. Auguſtinus relatus, cap. *Dixit Apoſtolus* 24. q. 3. & S. Chryſoſtomus exponens eadem verba Apoſtoli de Hæretico, qui ſine pertinacia ſententiam peruerſam profert aut defendit, & iubetur admoneri vt conſtet an ſit pertinax: *qui enim per errorem putans eſſe verum id profert admonendus eſt, vbi verò* (inquit Chryſoſtomus) *manifeſtus eſt atque conſpicuus omnibus aduerſarius veritatis, cur, obſecro, pugnas in caſſu? Cur aërem cædis?* quaſi dicat de hoc non eſt ſperanda correctio. In quibus verbis Chryſoſtomus vtramque doctrinam noſtram de pertinaci, & non pertinaci Hæretico diſertiſſimè confirmat.

Probatur 3. ex Apoſtolo ad Titum 3.

774 Sed adhuc Arebalus ſuprà citatus contendit, quando dubitatur, an errorem quis dixerit ex ignorantiâ, vel pertinaciâ, tunc ſtatim debere denuntiari, poteſtque probari, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda.

Quid ſi dubium ſit an ex ignorantia, vel Pertinacia errorem quis dixerit.

775 Nihilominus adhùc in iſto caſu probabile videtur alijs permittendam eſſe correctionem, vel aliquam diligentiam adhibendam, vt cognoſcatur: an ſit pertinacia, quia, ſi dubito de pertinacia, non debeo deſperare de correctione: accedit quòd ſemper aliquis debet præſumi bonus interim dum non certò conſtat oppoſitum iuxta, cap. 2. de *Regulis Iuris*, & L. *Merito ff. pro ſocio*, & credere aliquod malum abſque ſufficienti probatione peccatum eſt: ac proinde etiam erit peccatum credere aliquem magis malum, quàm probent argumenta, quæ ad id ſuppetunt: nam iuxta vulgaria axiomata Philoſophorum *quæ ratio eſt de toto ad totum, eſt de parte ad partem: & ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis, ad magis* L. *Quæ de totâ ff. de rei vindicatione*, & c. *Paſtoralis* § *autem cum totum, de officio Iudicis delegati.* At qui ex, quod quis proferat exterius errorem, non certò colligitur eius incorrigibilitas: ergo curanda eſt, & præmittenda monitio iuxta citatam doctrinam Apoſtoli, qui in illis verbis agebat cum Tito, qui erat Epiſcopus, ad quem ratione muneris pertinebat re-

Reſp.

media contra Hæreticos adhibere, & tamen ab illo duas exigit monitiones. Ex quo infertur non esse censendum pertinacem, ex eo quod semel ab aliquo admonitus dicat se in eadem permanere sententiâ, nam in hoc maximi momenti est auctoritas admonentis. Vnde in prædicto casu de Plebeio asserente fornicationem non esse peccatum coram alijs eiusdem status, & conditionis, non statim debet reputari pertinax, quamuis ab illis tunc admonitus non desistat: quia prouenire id potest ex eo, quod eorum auctoritas parum, aut nihil apud ipsum valeat, & putat eos ignorare quid dicant. Ideò ad grauem aliquem virum referendus est, qui illum corripiat, & veritatem doceat. Quod si nolit errorem deponere, denuntiandus statim est, nam (vt ait Simancas suprà cap. 47. numero 12.) etiamsi quis peccat per ignorantiam probabilem; si legitimè admonitus non deponat errorem, pertinax iudicatur; in foro enim exteriori satis Hæreticus reputabitur.

776 Hæc dixerim iuxta sententiam prædictorum Auctorum, & aliorum Recentiorum: ego verò semper putarem prædictum esse denuntiandum statim; nam, vt experimento constat, quando opus est, inquisitores non solùm se gerunt, vt Iudices, sed etiam, vt Patres, & attentissimè examinant rem totam, nec procedunt iudicialiter contra eum, quem deprehenderint ignoranter, & non ex pertinaciâ errorem protulisse.

DVBITATIO XLVI.

An quando constat delinquentem esse iam emendatum, teneatnr quis sub excommunicatione edictorum manifestare dilictum Hæresis?

777. Diximus dub 43. generaliter loquendo peccata emendata non habentia dependentiam in futurum non esse virtute Edictorum denuntianda; tamen (vt in fine eiusdem dubitationis notauimus) in peccatis, quæ verguntin damnum Reipublicæ, & Religionis Catholicæ peculiaris est difficultas ibidem à nobis in hunc locum reiecta in quâ ie Auctores non consentiunt.

In Peccatis quæ vergunt in damnum Religionis &c. peculiaris est difficultas.

778. Affirmat Suarius de Fide disp. 20. sect. illâ 4. n. 11. quia præceptū non solū respicit particularem illā delinquentis correctionem, sed etiam publicam securitatem fidelium, & communem correctionem publicam, qui finis non videtur obtineri; nisi mediâ correctione & punitione Inquisitorum habentium Ius ad hoc. Idem sentit Ioannes de Rojas Inquisitor Valentinus lib. de *Hæreticis*, 2, p. q. 3. qui probat, quia Hæretici naturâ suâ sunt callidi & fingunt se correctos, & vt fideles decipiant; Item quia quantumuis sint correcti, denuntiari debent, vt magistros suorum errorum detegant. Legatur idem Author lib. de *specialibus in Fidei fauorem* verbo *Accusare*.

Affirmat Suarius in Casu delictum esse manifestandum. Ratio.

779 Alij verò putant, si delictum (vt supponimus) occultum fuit, & delaturo constat delinquentem esse emendatum, & damnum reparatum, non solùm non teneri, verùm, neque posse denuntiare iudicialiter, quia in tali delictò non potest punitio à Iudicibus intendi ex c. *Inquisitionis* §. 3. de *Accusat.* & probant ex eo, quòd punitio intendatur in satisfactionem iniuriæ factæ Reipublicæ per crimen delinquentis; Quando autem occultum est crimen, cessat iniuriæ Reipublicæ, atque adeò satisfactionis Ius; solùm ergo tunc restat emendatio delinquentis, & damni illati reparatio. Quod totum si præsupponatur factum, aut si iam non est locus, vt fiat, quia fortè delinquens est vitâ functus, tota ratio denuntiationis cessat, cessante fine illius. Et ad fundamentum Suarij respondent negando finem denuntiationis in delictis secretis esse correctionem publicam; Cum enim damnum publicè non sit factum, non est cur publicè corrigatur; securitas autem cæterorum fideliū satis obtinetur eo ipso, quòd delinquens sufficienter sit emendatus. Ita Ferdinandus de Castro. p. 1. operis moralis Tract. 4. disp. 2. puncto 4 num. 7. vbi refert emanuelem Sa verbo *Denuntiatio.* in vtraque editione; ibi tamen non inuenio. Refert etiam Toletum, Sotum, & Nauarrum sed loca non indicat; Sotus quidem generaliter de omnibus loquitur. 5. de *Iustitiâ.* q. 5. art. 1 ad finem, & Menchaca controuers. 16. numero 4. & Nauarrus. cap. 25. numero 46. etiam vniuersaliter loquitur, quod attinet ad delicta occulta. Item Auila Petrus Nauarra, Corduba, & Henriquez, quos omnes retulimus dub. 43. limitant verò aliqui Recentiores hanc doctrinam limitatione, quæ satis per se constat ex dictis in simili dub. præcedenti scilicet dummodò certò sciatur illum esse emendatum; nam, si dubitetur, denuntiari debet; quod docet Sotus de *tegendo secreto.* membro. 3. conclus. 2. & 3. Item limitant dummodò non sit de Hæresi diffamatus; nam, si sit diffamatus, probabilius putant fore denuntiandum, quia edicta non solùm intendunt correctionem; sed etiam punitionem propter bonum publicum: Sed hæc limitatio extra rem est; agimus enim de Hæresi occultâ.

Aliorum opinio. Ratio. Ad fundamentum Suarius. Respondens. limitant verò aliqui hanc doctrinam.

780. Ego sanè absolutè probo sententiam Suarij, & Ioannis de Rojas primò; quia vix vnquàm esse potest casus, in quo moraliliter certò, & euidenter constet de emendatione delinquentis, & quod nullum immineat periculum. Quis enim nouit corda hominum; nisi solus Deus? aut quis scire potest an ille iterum posteà in aliâ occasione rediturus sit ad vomitum & quæ semel placuerunt, iterum quantumuis eiecta voraturus sit? Aut quis prudens meritò non timeat, quòd qui semel tàm impunè peccauit non denuntiatus, iterum eâdem spe euadendi faciet, solùm adhibitâ maiori curâ & diligentiâ ne deprehendatur? Secundo; quia in re tanti momenti nulla videtur diligentia superflua, & rationi consonum est impedire, ne tale malum iterum repullulet; quin potiùs ita præcludenda est via adhibitis medijs, & cautionibus, vt tanto periculo non pateat ampliùs aditus; quæ omnia nemo meliùs, & efficaciùs præstabit, quàm tribunal ipsum Inquisitionis; ideò ad illud deferendum est delictum, & cum satis constet.

Author absolutè probat sententiam Suarij Ratio est 1. Secundo quia &c.

constet de illius Tribunalis Iustitiâ & secretò, si ea delatio ex se non sufficiat ad vlterius progrediendum, sperandum omnino, atque credendum est fore, vt quæ supprimere oportet supprimantur, ne vltra, quàm par est delatus vexetur.

DVBITATIO XLVII.

An sit obligatio virtute Edictorum denuntiandi ea, de quibus denuntiaturus dubitat, vel non est certus an denuntiandus commiserit?

Assertio generaliter loquendo nemo tenetur denuntiare ea de quibus non est certus.

781. Asserendum est generaliter loquendo neminem teneri denuntiare ea de quibus dubitat, vel non est certus, an alius commiserit? Ita Corduba in *Quæstionario* q. 33. referens Caietanum, Sotum, Nauarrum & alios. Vnde iuxta hanc doctrinam non tenemur denuntiare, quæ audiuimus à leuibus personis, & non fide dignis; vel delicta, de quibus tantùm habemus suspicionem, seu signum, in tali enim casû non dicimur illa scire. Ratio verò est, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Vnde iniuriam irrogaret ei, qui suam famam possidet. Accedit quòd obligatio Edictorum non est extendenda vltra id, quod in ipsis exprimitur; Edicta verò solum agunt de scientibus; hi autē sunt in re morali qui veritatem visu, vel alio corporis sensu receptē mente retinent; & aliter rem deferre esset exponere nos periculo leuitatis, & mendicacij in re maximè graui. Ita Henriquez lib. 13. c. 18. n. 3. litera X. & litera D. Nauarrus conclus. de *Hæreticis* & c *Inter verba* 11. q. 3. Reginaldus lib. 24. n. 63. Clauis Regia lib. 12. c. 14. n. 33. Rodriguez in *summa* c. 79. n. 7. referens Cordubam Lazarius in *Monit.* sect. 2. q. 12. n. 2. vbi plures alios refert. Item Sanchez de *Matrimonio.* lib. 3. disp. 13. & alij multi, imò neq; tenemur denuntiare ea, quæ audiuimus à fide digno; sed non meminimus à quo audierimus; sicut neque quæ audiuimus à personis ignotis, vel nihil certum scientibus. Ita Sanchez suprà n. 7. Rodriguez tomo 1. *summæ* c. 217. n. 9. Auila 2. p. c. 5. disp. 5. dub. 2. Nauarrus c. *Inter verba* n. 291. & alij apud Clauem Regiam lib. 12. c. 14. n. 33.

Ratio est.

Notitia requisita delicti vt denuntietur.

782. Hi ergo omnes docent, quod attinet ad notitiam delicti denuntiandi ea omnia esse denuntianda, quæ sciuimus per confessionem ipsius delinquentis extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel quæ audiuimus à viro fide digno, vel aliâ ratione certò sciuimus.

Aduertit Bonacina.

783. Aduertit autem Bonacina de *Censuris* disp. 2. q. 6. puncto 1. n. 13. quod quamuis testes ex auditu generaliter non probent; nisi à pluribus audierint eandem omnino rem, nihilominus eorum dictum præbet causam, & adminiculum in iudicio interrogandi eos, à quibus ipsi audierunt.

Collige.

784. Ex quâ doctrinâ verissimâ colligo in rebus Fidei (idemque iudicium est de crimine læsæ Maiestitis) si quis ab aliquibus audiuit talia delicta, quæ alioquin ad Edicta pertinerent, si certò scirentur, adhuc esse denuntianda Inquisitoribus, quamuis illi, à quibus audierit, non sint omninò fide digni; sed vel in se leuioris notæ homines, vel hostes iurati illius, quem infamant; nam virtute deferentis solùm possunt in eo casu Inquisitores interrogare prædictos, à quibus denuntiator audiuit; an dixerint ea? & vnde nouerint? & cur non ipsi per se retulerint? qui si examinati non dederint sufficiens fundamentum eorum, quæ dicunt, compescendi sunt, & grauiter tractandi vt res postulat. Si verò aliqua indicia, vel argumenta prætulerint alicuius momenti, pergendum erit ulterius, & hac ratione obuiatur malo possibili; si vera sunt quæ dicuntur; si verò sine fundamento, consulitur etiam famæ, & indemnitati eius, qui defertur.

Dubium.

785. Dubitabit tamen aliquis; an, qui audiuit delictum à viro quidem fide digno, sed qui iam denuntiauit teneatur adhuc denuntiare?

Resp.

786. Respondeo non teneri; esset enim inutilis denuntiatio ad vtile verò nemo obligatur. Ita Auila p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 2. conclus. 6. Sayrus lib. 1. de *Censuris* c. 9. n. 34. Rodriguez 1. p. c. 79. n. 7. Graff. 1. p. *decisionum* lib. 4. c. 8. n. 3. Lazarius in *Monit.* sect. 2. q. 12. n. 9. Nauarrus c. *Inter verba* n. 292. & alij Recentiores.

Colligit Auila.

787. Colligit etiam Auila citato dub. 3. referens Syluestrum, & alios non esse obligationem denuntiandi, quando certò scitur, vel probabiliter creditur nullum remedium esse adhibendum à Prælato factâ denuntiatione; quia (vt nuper dicebam) nemo obligatur ad inutile; tenebitur tamen denuntiare, si dubium sit, an remedium sit adhibendum; nam in dubio parendum est superiori. Ita etiam Henriq. c. 18. n. 1. citans alios.

Obijcies in dubijs obediendum est superiori præcipienti ergo.

788. Ex hac autem resolutione obijciet aliquis contra id, quod, suprà dicebamus de eo, qui non certò nouit delictum; nimirum non teneri denuntiare, nam in dubijs obediendum est superiori aliquid præcipienti: ergo obediendum est Edicto superiorum, etiamsi delictum sit dubium, reuelando illud.

789. Respondeo hoc argumentum peccare in dialecticâ: hîc enim non agimus de re dubiâ secundum se; an liceat, vel non liceat, quæ tamen certò præcipiatur à superiore; tunc enim satis probabile est, & fortè verum, quando est dubium an aliqua res secundum se liceat, & adhibitâ diligentiâ tale dubium pelli non potest, si accedat præceptum superioris, esse parendum; hîc ergo tantum quærimus; an præceptum superioris intelligatur esse de reuelandis delictis incertis & dubijs. Præterea, quamuis id totum, quod assumitur in obiectione quocumque sensû admitteremus, id solum intelligendum esset, quando id, quod præcipitur, non cedit in damnum proprium, vel Alterius; quando enim ex vna parte res est dubia, & ex aliâ parte damnum infamationis ex delatione, quod sequitur, est certum; non est obligatio inferendi damnum certum pro causâ incertâ imò, neque exponendi se, vel alium periculo pro causâ incertâ & dubiâ; quæ videtur esse doctrina Soti *de tegendo secreto* membro 2. q. 7. paulò post tertiam conclus. & Nauarri c. *Inter verba* coroll. 64. adiunctis ijs, quæ dixerat Coroll. 63. n. 709.

quâ ratione multi docuerunt, quòd si testis vel reus dubitet an iuridicè interrogetur, non tenetur veritatem manifestare; quia se certo periculo exponeret, quando non constaret illi de causâ se exponendi.

DVBITATIO XLVIII.

An sit obligatio denuntiandi sub excommunicatione edicti, quando denuntiaturus ex denuntiatione patitur detrimentum?

Assertio regulariter nõ tenetur quis ad denuntiandum quando inde magnum pateretur detrimentũ.

790. ASserendum est regulariter loquendo non teneri ad denuntiandum, quando denuntiatori magnum inde sequeretur detrimentum in famâ, vel rebus proprijs. est multorum, & grauissimorum sententia. Ita Rodriguez in summâ q. 79. conclus. 12. Cordub. lib. 1. *Quæstionum* q. 43. casu 5. & in summâ q. 64. casu 5. Nauarrus c. 25. n. 50. Auila 2. q. c. 5. disp. 5. dub 2. Henriquez lib. 13. c. 18. Petrus Nauarra lib. 2. de Restit. p. 2. n. 228. Graff. 1. p. *decißionum* lib. 4. c. 8. n. 3. Lazarius in Tract. *Canonicarum quæst.* sect. 2. q. 14. n. 1. Suarius de *Censuris* disp. 20. sect. 3. Regul. 3. n. 9. vers. secundum exemplum. Filliucius Tract. 14. c. 2. quæst. 5. & 6. Ratio est; quia regulariter loquendo præcepta positiua non obligant cum tanto rigore; & quidem non videtur credendum quod Iudex velit nos obligare suis præceptis strictiùs, quàm Ecclesia suis; Sed præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto detrimento; ergo nec præcepta Iudicis. Et sanè de testibus, quòd non teneantur testificari cum sui detrimento, docent Sotus *de Tegendo secreto* mẽbro 2. q. 7. dub. 5. post tertiam conclus. & Nauarrus c. 17. n. 57. & c. 24. n. 12. & c. 25. n. 50. propter rationem dictam.

Ratio est.

Ex assertione infertur 1

791. Ex hac assertione infertur primò, quod si quis prudenter timeat graue periculum in vitâ, vel in bonis &c. quia nimirũ deferendus illum occidet, aut alio modo grauiter vexabit, non tenetur illum denuntiare; quia non censentur Leges Humanæ cum tanto periculo obligare regulariter loquendo. Ita Authores citati, & alij plerique.

Infertur 2.

792. Infertur 2. socium delicti non teneri virtute Edictorum præcissè manifestare delictum proprium, nisi alioquin iuridicè interrogetur; quando autem interrogetur iuridicè, latè disputauimus in nostro opere de *Iustitiâ* lib. 2. Tract. 2. disp. 6. dub. 1. & 2. sic Nauarrus c. *Inter verba* conclus. 6. Auila dub. 3. conclus. 9. & alij apud Lazarium suprà q. 16. n. 13. & sect. 3. q. 12.

Infertur 3. neminem teneri seipsũ manifestare virtute Edictorum.

693. Infertur 3. à fortiori neminem teneri se ipsum manifestare virtute Edictorum, & etiam interrogatus non teneri se reuelare, quando nulla præcessit infamia; esset enim grauissimum onus; in quo omninò consentire debent Authores citati. Ita Simancas tit. 42. n. 13. referens Caietanum 2. 2. q. 70. art. 1. Sotus de *Tegendo secreto* menbro 2. q. 7. Ac proinde ille, qui in confessione mulierem solicitauit, non est cogendus, vt se prodat; neque ipsa mulier, si ipsa incitauit alium, aut cõmisit similem culpam cum illo, & eandem, vel similem causam dedit. Ita Henriq.. lib. 3. de *Pœnit.* c. 17.

694. Quamuis autem fur ratione Edicti non teneatur se, nec socium criminis reuelare, tenebitur nihilhominus rem furto ablatam restituere sub eâdem excommunicatione, quoties (vt sæpè fit) excommunicatio lata est simul contra retinentes, aut non restituentes, aut non denuntiantes.

Cur dixerim Regulariter loquẽdo.

795. Dixi *regulariter loquendo* non teneri denuntiare, quando denuntiatori magnum sequeretur damnum; nam quod attinet ad crimina grauissima vergentia in damnum communitatis, & regionis Catholicæ (vt dicemus dub. sequenti) sunt aliqui casus, qui etiam cum graui detrimento obligare putantur ad denuntiandum; cùm tamen ordinariè non obligent.

Infertur 4. vxorem non teneri maritum denuntiare.

796. Vnde, quod attinet ad nostram quæstionem pro casibus ordinarijs infertur 4. vxorem non teneri maritum denuntiare, quia cẽsetur vnum, & idem cum suo Marito. Ita Pegna in Direct. Inquisit. p. 2. Comment 78. Lazarius de Blasphemia q. 12. n. 97. & de *Monit.* sect. 3. q. 11. Suarius de *Censuris* disp. 20. sect. 3. n. 10. Filliucius Tract. illo 14. c. 2. quæst. 7. & alij citati; idque à fortiori admittunt, quotquot putant etiam in crimine Hæresis, & læsæ Maiestatis non esse talem obligationem. quos referemus dub. sequenti.

Infertur 5. filium non teneri ex vi monitorij ad denuntiandum Patrẽ, neq; è cõtra.

767. Infertur 5. filium non teneri ex vi Monitorij ad denuntiandum Patrem, neque è contra Patrem suum filium, aut virum suam vxorẽ, quia regulariter sequitur detrimentum ex tali denuntiatione.

Hoc extendit Angelus ad consanguineos.

798. Hoc etiam extendit Angelus verb. *Denuntiatio* n. 13. ad omnes consanguineos, qui de Iure sunt priuilegiati, ne possint cogi ad testificandum. Imò Auila disp. 5. dub. 2. & alij apud Lazarium citato n. 12. & in Tract. de *Monit* sect. 3. q. 11. hanc doctrinam extendunt ad generos, soceros, fratres, & alios intra quartũ gradum tam affines quàm consanguineos; imò adhuc praxis Neapolitana c. 6. n. 6. cum Angelo, & Syluestro verb. *familia* extendit ad familiam; quia commune bonum Reipublicæ, & familię exigit, vt euitentur dissentiones, & discordiæ inter familiares. Ex denuntiatione autem prædictarum personarum orientur dissentiones, & discordiæ inter familiares; sicque tolleretur quies, & pax Domus.

Doctrinam præcedentis extensionis probabilem indicat Author., eam tamen limitat.

799. Hæc omnia licèt probabilia sint; quod tamen attinet ad alios consanguineos infra primum gradum, sicut, & ad affines infra eundam gradum, & quod attinet ad familiares, solùm videntur habere locum, quando denuntiantes aliquid considerabile paterẽtur ex tali denuntiatione, siue in bonis siue in famâ, & honore, & in coniugijs ineundis, alijsve similibus rebus; inter quos numerari potest pax; si enim propter talẽ denuntiationẽ, sequerentur graues dissensiones, & discordiæ inter familiares contra illum denuntiantem, non tenetur in ordinarijs criminibus reuelare; alioquin tenebuntur. Neque idquod dixit Angelus nempe quòd non possint cogi ad testificandum, aliquid probat; est enim longè alia ratio detestificatione, quæ de se præsuppo-

Alia est ratio de testificatione.

atq; de denuntiatione. supponit, & includit publicationem testium suo tempore, aut aliquam aliam publicitatem; atque de denuntiatione, quæ potest secretò fieri, vnde sæpè tenebuntur ad denuntiandum, vt notant Corduba sæpè citatâ q. 54. casu 7. & in Ciuilibus, aut alijs, quando non proceditur ad punitionem, tenentur denuntiare, si alij non sint, qui denuntient, aut, si sint, nolint denuntiare; quod etiam concedit Angelus. Accedit, quòd etiam tales possunt compelli, vt ait Nauarrus c. 25. n. 4. & tenentur testificari; quando non sunt alij testes.

Regula generalis in his obseruanda. 800. Itaque regula generalis est in his, quoties illis non sequitur graue damnum, teneri; secùs verò, quando damnum probabiliter imminet; atque, vt ait Angelus verb. *Familia* n. 6. nemo tenetur alteri benefacere in temporalibus cum suo detrimento. Consentit etiam Rodrig. c. 79. conclus. 4. & Gutierres in Quæstionibus Canonicis c. 11. n. 54. Legatur Henriquez lib. 13. c. 18. n. 3. quamuis enim ibi etiam excuset eos, qui habent priuilegia, ne testificare cogantur, nisi in casu Hæresis; addit tamen non excusari, quando per alios probari non possit.

801. Sed iam veniamus ad casus grauiores, de quibus agemus dub. sequenti.

DVBITATIO XLIX.

An si filius sciat patrem esse Hæreticum, vxor virum, & è contra; cæteriq; consanguinei, & affines, teneantur reuelare virtute Edictorum? & an ratione damni, quod timet sibi, excusetur?

Filium non teneri denuntiare patrem quâ nonnulli hæreticum regulariter loquendo docent graues Authores. 802. QVòd filius, etiamsi agnoscat Patrem esse Hæreticum pertinacem, & id possit probare, non teneatur illum denuntiare regulariter loquendo, docent aliqui Authores & quidem graues. Ita Simancas *de Instit. Cathol.* tt. 26. n. 3. refertque pro ea sententia Abulensem ad c. 13. Deuteronomij. q. 3. & ad c. 7. Iosuè q. 69. & ad c. 6. Matthæi q. 65. ad 4. & q. 65. & 79. Idem docet Didacus Perez lib. 8. Ordin. tit 9. & Silua nuptialis lib. 3 r. n. 46. qui omnes in his criminibus philosophantur, sicut philosophati sumus dub. præcedenti de minoribus criminibus, scilicet, præcepta non obligare cum tanto rigore.

Pro explicatione sententiæ Simancæ notandum illam in duobus præcipuè consistere. primum 803. Sed, vt explicemus sententiam Simancæ, aduertendum est in duobus præcipuè consistere: primum (in quo etiam aduersarij consentiunt) quod filius interrogatus iustè ab Inquisitoribus, vel Iudicibus, tenetur iundicè respondere, & veritatem manifestare contra Patrem cum etiam teneantur contra se; imò & testes, qui alioquin erant inhabiles, aut priuilegiati, ne cogerentur testificari: in hoc crimine tenentur testimonium ferre, vt patet ex c. *In Fidei fauorem* de *Heret.* in 6. Sylvester verb. *testis* q. 1. dicto 8. Sotus in *relectione* de tegendo secreto membro 2. quæst. 7. ad primum principale; & colligitur ex Panormit. c. *Litteras.* de *Præsumptionib.* num. 13. & docent à fortiori Authores infra citandi. Secundum, quod

secundum. docet Simancas, est non teneri filium ex vi prædictorum Edictorum Patrem Hæreticum occultum denuntiare regulariter loquendo Probat; quia nemo tenetur seipsum prodere, & nocere in rebus præsertim tanti momenti, sed, qui Patrē prodit, se ipsū prodit, & nocet in famâ, & honore, quia filij & descendentes manent infames & inhabiles ad multa quæ maximè æstimantur ad Ordines, dignitates, beneficia multa, Collegia, &c. vbi statuta vigent, vt in Hispaniâ, in quâ cauetur, ne aliquis ita notatus admittatur ad prædicta vnde neque ad connubia volunt illos admittere; Nocet etiam sibi in bonis; nam Pater Hæreticus admittit bona, quæ confiscantur cum primùm probatur delictum, quibus bonis consequēter priuatur filius; & quamuis Palatios Rubios in Receptione, c. *Inter vestras*, §. 17. & Repertorium Inquisitorum contendant filium in eo casu non priuari bonis, quando ipse Patrem prodit; tamen hoc non est ita certum, & satis graue nocumentum est famæ; & quamuis de iure talis filius non habeatur in famis; neque incapax prædictarum dignitatum, & bonorum, idque maximè, si quando delictum Pater primò commisit, iam ille erat (vt aiunt) extra lumbos Parentis; tamen de facto reliqui homines, & ciues in Republica illum multò minoris æstimabunt, & alioquin pares in generis nobilitate; imò etiam inferiores illum contemnent; nec volent cum ipso, aut eius posteris affinitatem contrahere. Quæ omnia sunt magni momenti. Præterea obligatio filij ad Patrem est maxima: vnde, licèt Pater teneretur denuntiare filium; & frater fratrem, non sequitur, quòd filius teneatur denuntiare patrem, licèt in tali casu possit.

Hanc Simancha sententiam sequuntur aliqui recentiores adhibita limitatione. 804 Hanc sententiam Simancæ sequuntur aliqui Recentiores, quamuis temperent excipiendo casum, in quo sit periculum Reipublicæ, quod inficiatur Hæresi ipsius Parentis. Cum quâ limitatione probabilior est sententia, quam sine illâ, imò hinc colligimus sæpe esse denuntiandum vix enim esse potest casus, in quo non sit tale periculum.

Assertio & filius Patrē & è contra vxr vxorem & è contra & sic hæreticos pertinaces esse eos Constiterit statim denuntiare debet. 805. Asserendum ergo est, & filium, Patrem, & è contra virum, vxorem, & è contra, cæterosque consanguineos, & affines, quos Hæreticos pertinaces esse constiterit, statim fore denuntiandos. Et magis communis Doctorum sententia. Ita Castro *De Iusta Hæreticor. punit.* lib. 2. c. finali. Mascard. de *Probat.* lib. 2. conclus. 857. numero 18. & sequentibus Paramus *de Orig. sancta Inquis.* lib. 3. q 8 numero 83, Lelius Zechius in *sūmâ*, 1. p. tit. de *Fide* Rubric. de Hæresi. c. 51. numero 52. vers. *secundo ampliatur.* Farinac. de *Heresi.* q. 197. numero 40. & 42. in fine & q. 54. numero 174. Pegna lib. 2. *Director.* comment. 55. ad c. *Litteras*, Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 4. numero 25. Tolet. lib. 5. c. 1. numero 10. Bonacina de *Censuris* disp. 2. q. 6. puncto 5. numero 5. Barbosa de Potestate Episcopi 3. p. alleg. 96. numero 56. & alij multi apud citatos, quibus adde eos, quos retulimus dub. 42. §. *eadem ratione*, qui cùm dicant etiam de blasphemiâ denuntiandum esse Patrem, potiori ratione fatebuntur de Hæresi. Ratio assertionis est: quia damnum commune speciali

Ratio assertionis est, quia damnū Commune speciale est præferendum.

ciali est præferendum, & sæpè non solùm bonis patris; sed etiam proprijs, vt optimè Cicero 3. offic. vbi probat; & asserit debere Patrem manifestari, & accusari à filio. Accedit, quod non est contra reuerentiam debitam Patri eius utilitatem spiritualem querere, & peccata impedire. Imò poteus Deo obediendum est, quā Parentibus c. *relatum*, de *sent. excom.* & c. *Quisque metu* 11. q. 3, Vnde, si licèt Patriam impugnantem impunè interficere, multò magis licebit eundem aduersantem Fidei Catholicæ denuntiare.

806. Videò sanè, si fieri posset, vt aliâ viâ adhiberetur remedium malo communi quod ex tali Hæretico timetur, posse excusari à denuntiando prædictum filium; sed non video talem casum in Hæretico pertinaci posse ita contingere, vt certò constet de adhibito sufficienti remedio, aut, vt certò speretur adhibendum. Vnde, licèt opposita sententia cum eâ limitatione, quam diximus, scilicèt sub conditione, quòd inde non immineat periculum boni communis &, quod aliâ viâ possit remedium adhiberi, vera sit, & non opposita huic nostræ sententiæ; quia sub eâ conditione, si subsisteret, non repugnamus; tamen nunquàm credo posse subsistere, quin prudenter semper possimus timere malum Reip. & fidei Catholicę, & quod remedium à priuatis personis adhibendum non proderit. Vnde in re tanti momenti non oportet fidere iuxta doctrinam traditam dub. 45. vbi cum multis diximus non esse fidendum talibus remedijs; sed statim denuntiandum eum, quem scimus esse Hæreticum sine vllâ præmissâ correctione fraternâ & dub. 46. etiam statuimus fore denuntiandum quantumuis videatur emendatus.

Nec damna in fauorem contrariæ sententiæ producta obstant huic denuntiationi

807 Neque damna illa, quæ diximus pro contrariâ sententiâ, obstant huic denuntiationi; nam (vt rectè notat Pegna suprà) filius deferens Patrem Hæreticum, liberatur in premium delationis à pœnis in Hæreticorum filios argumento, L. *Quisquis* §. vlt. C. *Ad legem Iul. Maiest* ne scilicèt huiusmodi scelus ex defectu delationis maneat impunitum, idque postea Fredericus Imperator confirmauit in L. *Commissi nobis cælitus*, quam legē Innocent. IV. postea probauit in Bullâ editâ anno 1252. quæ incipit *Cùm aduersus* prout refert Pegna in vltima. p. *directorij* & consentit Castro sup lib. 2. cap. 26. Suarius disp. 20. sect. 4. numero 22 Accedit, quod (vt Rojas singul. 12. numero 6. Farinac. q. illâ. 197. num. 45. notârunt) Pater sic à filio delatus mitiùs est puniendus; ne scilicet ipse filius in Patre puniatur. Quod dictum est de filio erga Patrem, à fortiori locum habet in cæteris consanguineis

aliqui putāt vxorem non teneri denuntiare maritum. Ratio.

808. Quod ad vxorem attinet, aliqui putant non teneri; quia reputantur ipsa, & maritus vna caro, & vna persona. Vnde sicut nemo tenetur se ipsum prodere, ipsa, neque Maritus vxorem, neque vxor maritum. Sic Pegna in Director. 2. p. q. 53. Comment. 78. vers. *At non videtur*. Farinac. de *Hæresi*, q. 198. numero 49. in fine & 53. Bonacina de *Censuris*, disp. 2. q. 6. n. 4. Lazar de *Blasphemia* q. 12. n. 67. & *de Monitor*, sect. 3. q. 11. refert Suarium Bonacina disp. 20. de *Censur.* sect. illa 3, citatâ n. 10. ibi tamen Suarius potius docet, vt videre est fine illius numeri in causâ fidei, aut læsæ Maiestatis, & similibus casibus non esse eandem rationem; atque de alijs minoribus delictis. Refert etiam Filiucium, quæsito 7. & alios, qui tamen generaliter lòquentur. Eandem sententiam expressius tenet Cantera in *Quæst. crimen* Rubric. de *Hæresi* c. 1. n. 22. vers. *Ex quâ quidem Glossâ* Barbosa 3. p. allegat. 96. n. 59.

Author eādem rationē iudicat in vxore atq; in filio respectu Patris

809. Mihi tamen eadem ratio apparet; atq; in filio respectu Patris, & ita videtur sentire Suarius loco citato. Idem docet Ferdinandus de Castro p. 1. c. 4. disp. 2. puncto 4. n. 16. in fine, vbi solum excipit in vxore casum, quo ex tali reuelatione timeret sibi mortem à Marito parari, aut aliud graue damnum euenturum: secùs, si hæc præcaueri possint. Sanè mihi causa fidei, & Religionis tam grauis semper apparet, vt neque ea tanta coniunctio excuset ab obligatione præcauendi periculum, quod semper timeri potest, si dissimuletur cum Hæretico.

810. Quod attinet ad alia damna emergentia ipsi denuntiaturo ex denuntiatione, non desunt aliqui Auctores graues, qui putant, sicut in alijs criminibus, ita in crimine Hæresis, & læsæ Maiestatis humanæ excusari ab obligatione denuntiandi; quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore; & confirmant; quia qui cum alijs crimen hæresis commisit, etiamsi desistat à tali crimine, non tenetur socios criminis denuntiare; esset enim obligare ad denuntiandum se ipsum: ergo quoties damnum aliquod timet non, tenebitur.

Considerandum damnū denuntiaturo euenturū denunciet si denuntiet nō Reip. & fidei Catholicæ.

811. Nihilominus expendere oportet damnum quod particulari denuntiaturo inde prudenter timetur euenturum; & quod, nisi denuntietur, redundare potest in Remp. & Fidem Catholicam. Quòd si hoc grauius sit, denuntiandum est, & præferendum bonum commune bono particulari, vt rectè notauit Rojas singulari 3. n. 3. Quando autem commune damnum impediri potest, vel non est ita graue, vt longè maius sit priuatum damnum denuntiaturi, non tenebitur denuntiare. Ita Pegna 2. p. *Directorij* q, 53. Comment. 78. vers. *At non videtur*. Scaccia de *Iudicijs* c. 56. n. 4. Farinac de *Hæresi* q. 197. §. 2. n. 53. Augustinus Barbosa 3. p. Allegatione 96. n. 70. vbi cum Antonio Genuensi, & Posseuino, quos refert ait neminem teneri denuntiare & testificari, quando probabiliter timet sibi aliquod graue damnum spirituale, vel temporale, siue inimicitiā capitalem ex reuelatione, neque enim credendum est præcepta cum tanto rigore obligare. Sed adhuc persisto in eo, quod dixi, expēdendum, scilicèt, esse damnum, quod quis patitur, vel timet, & comparandum cum damno, quod ex non reuelando sequatur Reipublicæ, cuius bonum commune semper præferendum est.

Bonum autem commune priuato semper preferendum est cæteris paribus.

DVBI-

DVBITATIO L.

An quis ob priuilegium excuſetur à denuntatiatione facienda?

Aſſertio 1.

812. Aſſerendum eſt primò, qui non eſt ſubditus ſuperiori conditori Edicti, aut Monitorij, non ligatur excommunicatione ibi poſita. Ratio eſt efficax, & clara ex doctrinâ generali; neque enim poteſt excommunicatio ferri, niſi in ſubditos contumaces, & inobedientes præcepto; ſed hic non eſt ſubditus, ſiue ob priuilegium, ſiue ob aliam aliquam cauſam; ergo &c.

813. Vtrum autem nondum elapſo termino poſito in Edicto, ſi quis ſe transferat ad alium locum, ſeu diœceſim intentione ibi manendi maiore anni parte, vel perpetuò habitandi, incurrat excommunicationem latam contra non reuelantes, pendet ex doctrinâ traditâ de Cenſuris in communi diſp. 1. dub. 11. & 12. & 13. & legi poteſt Suarius de *Cenſur.* diſp. 5. ſect. 5. Sayrus lib. 1. c. 7. n. 19. vbi plures alios refert legatur etiam Lazarius de *Monitorijs* ſect. 4. q. 17. n. 2. qui aſſerunt incurrere; & quamuis Praxis Neapolitana c. 1. n. 18. &. c. 2 n. 7. neget incurrere, poſtea tamen in annotationibus ſentit ligari, quia talis manet ſubditus ratione delicti, & per edicti citationem cœpit comprehendi, ac proinde perpetuatur iuriſdictio c. *Propoſuiſti de foro competenti.*

Aſſertio 2. à denuntiatione de hæreſi facienda nemo excuſatur maximè quando alia via impediri non poteſt.

814. Sed ſi veniamus ad denuntiationem faciendam de Hæreſi aſſerendum generaliter eſt neminem excuſari (quidquid ſit de Excommunicatione à Iudicibus inferioribus) à faciendâ denuntiatione maximè, quando aliâ viâ commodè impediri non poteſt; hæc enim denuntiatio facienda eſt tribunali Inquiſitorum, ſi perſona, denuntiata illi ſubditur: ſin minus, coram ſuperiore Eccleſiaſtico eiſdem perſonæ, vt coram Epiſcopo, vel eius vicario; ad huiuſmodi enim Iudicem de Iure communi ſpectat, vel certè coram Romano Pontifice; talis autem obligatio de Iure naturali eſt in eo caſu ſed quod attinet ad Edictum Inquiſitorum, difficultas eſt particularis in aliquibus perſonis; an quis eximatur à faciendâ denuntiatione earum perſonarum illis Iudicibus, à quibus tales perſonæ eximuntur. Sed, vt hoc meliùs intelligatur, noſſe priùs oportet quæ perſonæ eximantur? quaslibet nunc ſigillatim percurrere.

Quoad Edictum Inquiſitorum. difficultas eſt particularis quandò perſona à facienda denuntiatione eximantur.

Eximuntur 1. Cardinales &c.

815. Primum à Iuriſdictione Inquiſitorum eximuntur Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi &c. de his enim omnibus, nec iudicare poſſunt, neque inquirere, vt habetur expreſſè c. *Inquiſitores*, de Hæret. in 6. & tradit Receptor. Inquiſitor verb. *Epiſcopus* ad 2. Villadiego de *Hæreſi* q. 7. Simancas de *Catholic, Inſtitut.* c. 15. eſtque communis omnium ſententia, Nomine autem Epiſcopi intelliguntur etiam titulares; ſunt enim verè Epiſcopi, vt conſentiunt Doctores citati, & Suarius de *Fide* diſp. 20. ſect. 4. n. 25. & alij Recentiores; imò etiamſi non ſint conſecrati, dummodò eorum electio confirmata ſit à Papa: iam enim habent Epiſcopalem iuriſdictionem; Secùs verò ſi electi tantum ſint. Ita Molina tomo 5. de *Iuſtitiâ*, Tract. 5. diſp. 27. n. 19. Simancas tit 25. n. 11. & 12.

Eximuntur 2. Officiales. Pontificis.

816. Eximuntur 2. officiales Pontificis interim, dum officio Nuntij, & officialis funguntur; eos enim non poſſunt Inquiſitores ordinarij iudicare; neque aduerſus illos procedere; niſi de expreſſâ Pontificis licentiâ; poſſunt tamen aduerſus eos inquirere, vt ſummum Pontificem certiorem faciant, vt habetur in Extrauag. Ioannis 22. quæ incipit *Cum Mattheus* de Hæret. Nomine autem officialium, ſeu Nuntiorum illi tantum intelliguntur qui in fauorem Sedis Apoſtolicæ, & pro cauſis ad illam Sedē pertinentibus deputati ſunt; nam, cùm talis exceptio ſit in honorem, & reuerentiam Apoſtolicæ Sedis, rationi conſonum eſt vt illi tantum gaudeant priuilegio prædicto, qui in negotijs illius occupantur. Vnde ſi quis à Sede Apoſtolica ſit delegatus pro aliquâ decidendâ controuerſiâ inter partes, cuius deciſio non ſit aliquid ſpecialiter pertinens ad ſedem Apoſtolicam, ſed ſolum reſpiciens priuatorum vtilitatem; non comprehenditur nomine officialis gaudentis hoc priuilegio. Ita Molina citato Tract. 5. de *Iuſtitiâ* diſp. 28. n. 20. Pegna 3. p. *Directorij* q. 26. Comment 75. qui refert Lapum, & Decium.

Qui nomine illorum Officialium intelliguntur.

Ipſi inquiſitores comprehenduntur ſub hoc priuilegio.

817. Sub hoc priuilegio etiam comprehenduntur ipſimet Inquiſitores, cùm delegati à Pontifice pro cauſâ, quæ maximè refert Sedem Apoſtolicam, quæ eſt fides. Ita Molina ſuprà n. 21. Suarius ſuprà n. 26. Pegna ſuprà Comment 79. Quod ego quidem verum puto, rebus, vt nunc, abſolutè loquendo, hęc enim negotia fidei maximè ſpectant ad Sedem Apoſtolicam. Nam licèt iudicare de negotijs Fidei, etiam Iure Ordinario ſpectet ad Epiſcopos. nec videatur res illa ita eſſe propria Sedis Apoſtolicæ, quin etiam alijs Iure communi, & Ordinario competat: nihilominus, quia negotia Fidei vltimatè decidere, & iudicare maximè ſpectat ad Sedē Apoſtolicā meritò prędicti Inquiſitores cōprehenduntur ſub nomine officialium, Pōtificis dummodò Inquiſitor ſit delegatus à Papa: nam ſi ſolum ſit Inquiſitor ſubdelegatus, quales ſunt Inquiſitores Ordinarij in Hiſpaniâ, ſubordinati Inquiſitori Generali, & ab illo ſubdelegati, potetit iudicari à ſuo Inquiſitore generali vel ab alijs ab illo commiſſionem habentibus; neque eſt neceſſarium recurrere ad id, quod alij docent, ſcilicet eſſe remouendum ab officio (ſunt enim Inquiſitores ſpeciales ad nutum amobiles) & poſtea poſſe iudicari, id inquam, non eſt neceſſarium, cùm non ſit propriè delegatus ſedis Apoſtolicæ; vt notauit Simancas tit. 25.

Religioſi in rebus fidei à ſuo Prælato iudicari non poſſunt.

818. Olim quidē ab inquiſitorū iudicio aliqui erant exempti, ſed iam vſus obtinuit neminem eximi, neque à ſuo Prælato neminem iudicari poſſe in rebus Fidei, ſed remittendum eſſe Inquiſitoribus, vt notauit Suarius citatâ ſect. 4. n. 22. Pegna 3. p. Directorij q. 28. Comment. 77.

Difficultas an ſit obligatio denūtiandi Religioſos Exemptos

Pro Parte negatiua Ratio.

819. Iam verò difficultas eſt, an ſit obligatio denuntiandi prædictos exemptos, maximè, quādo non eſt locus illos deferendi apud Pontificē? Ratio dubitandi eſt pro parte negatiua, quia denuntiatio ordinatur ad Inquiſitionem, & iudicium

cium: ergo cum non possint inquirere, & iudicare exemptos, neque habebunt ius, vt denuntientur apud illos. Pro parte affirmatiuâ videtur facere, quòd illa denuntiatio est efficax remedium impediendi damnum, quod ex Hæresi potest prouenire; quia remissâ denuntiatione ad sedem Apostolicam, videbit Pontifex, an talis sit denuntiatio & depositio, vt meritò sit demandandum alicui munus inquirendi, & procedendi aduersus illum exemptum. Propter hanc rationem, affirmatiuam partem sequitur Ferdinandus de Castro, p. 1. *Moralium*. Tract. 4. disp. 2. pūcto 4. n. 20. quā illi videtur indicasse Suarius disp. illâ 20. de Fide sect. illa 4. n. 23.

Ratio Pro parte affirm.

820. Hæc tamen ratio nihil mihi probare videtur. nam ad illum actum inquirendi requiritur aliqua Iurisdictio, vt possit fieri, non quidem solum iurisdictio in personam examinandi tanquàm testem, vel edictis, aut præcepto cogendam, vt denuntiet, quod sit, sed in delictū ipsum commissum à tali personâ, quæ defertur atque adeò in personam ipsam quæ defertur; alioquin sine vllâ iurisdictione inquireret de tali crimine & contra talem personam; sed Inquisitores non habent, vt supponimus, iurisdictionem circa illud crimen & personam: ergo non potest de illis inquirere, atque adeo etiamsi cōcedamus prædicto argumento facto pro parte affirmatiua quòd illa denuntiatio sit efficax remedium impediendi damnum; nihilominùs tale remedium non adhibetur à Iudice, tanquàm à Iudice; atque adeò Censura ab illo lata non obligabit. Confirmatur, & declaratur, quia ea denuntiatio, vt sit iuridica, potiùs requirit, quòd fiat coram Iudice personæ, & delicti denuntiandi, quàm personæ denuntiantis, vt apparet in casu, quo vnus, duo, vel tres Episcopi dedenuntiarent, vel testificarentur coram aliquo inquisitore de Hæresi alterius personæ subiectæ Inquisitori, tunc enim ex eo præcisè, quod iurisdictionem habeat Inquisitor in personam denuntiatam, habet sufficientem iurisdictionem ad admittendam talem denuntiationem; quia iudicium & sententia non debet ferri circa, aut contra personas denuntiantes, sed circa delictū, & personam denuntiatam. è contra verò quantumuis denuntians sit subiectus Iudici, apud quem denuntiat, si persona denuntiata, & crimen de quo denuntiat, non sint sub iurisdictione talis Iudicis; denuntiatio non est iuridica, vt videre est in denuntiatione quæ fieret à Laico sæculari de crimine Clerici, vel Religiosi coram sæculari Magistratu Ciuitatis, nam eo ipso, quòd careat Magistratus iurisdictione in Clericum, non fit coram legitimo Iudice; atque hoc est lipis, & tonsoribus notum; nihil enim magis vulgatum, quàm, quòd instituendum sit iudicium, & causa deferenda ad Tribunal Rei, non est Tribunal Actoris; sed in nostro casu tribunal personæ denuntiandæ exemptæ non est Inquisitor, vt supponimus: ergo neque ille inquirendi Ius habet, neque denuntians, ius, aut obligationem illum deferendi; aut denuntiandi coram Inquisitore, neque Inquisitor ipse ius cogendi, alioquin suum subditum, vt deferat ad se delictum, & delinquentem, non sibi subditum.

Authori nō placet prædicta.
Ratio.
Confir.

821 Probat 2. Ferdinandus de Castro, quia Censores fidei iurisdictionem, & potestatem habent ad recipiendam depositionem, testium, si qui sint, qui velint deponere: quod (inquit) non leuiter colligitur ex c. *Inquisitores. de Hæreticis.* in 6. ibi: *si sciuerint, vel nouerint.* Quæ verba explicat addens de suo testium depositionem; ibi tamen nihil tale habetur; sed cùm dixisset Pontifex non habere Inquisitores potestatem *de huiusmodi crimine inquirere contra Episcopos* &c. *subiungit paulò post, si tamē inquisitores ipsi Episcopos vel alios Superiores Prælatos, sciuerint, vel inuenerint circa crimen Hæreseos commisisse aut eos, de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur sedi Apostolicæ nuntiare.* In quo Textu non solùm de denuntiatione, aut depositione testium nulla mentio fit; verum ex ipso Textu aliquid oppositum possumus colligere; nam cùm dixisset *Inquirere contra Episcopos nequeunt, aut eius prætextu procedere contra eos.* posteà subiungit aduersatiuam, *si tamen Inquisitores ipsi &c. sciuerint, vel inuenerint*; Ergo illud scire, & inuenire est per aliquam diuersam, seu aduersam viam ab illâ, quæ significatur per illa duo verba *inquirere, & procedere.* Qui autem pergit examinando testes, aut illorum depositionem recipiendo, verè dicitur procedere: imò bona pars processus in lite sita est in examine, & depositione testium; velle autem examinare vitam, aut mores Episcoporū in re tam graui, quis non videt inuoluere, aut supponere iurisdictionem, & esse actum illius, quam tamen nullam habent in Episcopos, nisi (vt ait Textus) *in litteris commissionis Apostolicæ, quòd hoc possint, contineatur expressè.* Sed, quidquid sit de hoc, quod attinet ad nostrum institutū efficaciter puto probari non posse cogi subditum virtute edictorum ad denuntiandum. Quod sic probo. Inquisitores promulgando edictum exercent actum inquirendi contra Hæreticos; sed non possunt hunc actum exercere contra Episcopos; ergo edictum ab illis promulgatum, neque comprehendit, neque comprehendere potest Episcopos. Quod promulgatio edicti sit actus inquirendi nemo ignorat; tali enim edicto inquiritur generaliter de delicto Hæresis; sed Textus, vt vidimus, ait *de huiusmodi crimine inquirere contra Episcopos nequeunt*: ergo neque edictum promulgare contra Episcopos: ergo neque Censura ibi posita comprehendit non denuntiantes Episcopos.

Probat 2. Ferdinand. do Castro.
Authoris iudicium.

822. Solum ergo in illo Textu Bonifacius VIII. decernit quòd, si id sciuerint, vel inuenerint Inquisitores, teneantur sedi Apostolicæ nuntiare; sciri autem, & inueniri res potest sine actu iuridico inquirendi, aut recipiēdi depositiones testiū; contingere enim potest, quòd simul cū exemptis aliqui non exempti delinquant, & inquirendo de non exemptis, incidant etiam in notitiam exemptorum. Vnde ibi Glossa verbo *Apostolicæ* optimè dixit. *Isti inquisitores non poterunt inquirere, etiam vt instructam remittant causam, quia non solùm definitio; sed processus; & inquisitio est ipsis interdicta per hoc caput.*

823 Sed dices quid fiet, si interim dum Inquisitores Sedi Apostolicæ denuntiant tale delictum, timeatur fuga, vel euasio delinquentis.

Dices.

824. Resp.

Reſp. *Si timeatur fuga talis hæretici poſſe quemquam ipſum detinere.* *Ratio.*

824. Reſpondeo tunc, qui habeat vires, & poſſit, illum poſſe detinere, & cuſtodire, tum quia hoc modo impeditur dānū ſi immineat periculum Hæreſis propagandæ: tū; quia præſumi poteſt voluntas Pōtificis, in quo nō eſt illius iuriſdictionem vſurpare; ſed illi potiùs aſſiſtere, illamque iuuare, & communi bono conſulere illâ viâ, quando aliâ non ſuppetit. Hac ratione ſæpè licet Magiſtratui ſæculari Clericum in flagranti delicto capere, & detinere, maximè quādo timetur eius fuga, vt iudici competenti Eccleſiaſtico tradatur, & cauſa illi remittatur. Ita Molina, Pegna, Simancas; & alij ſuprà. In tali autem caſu, quando eſſet tale periculum licitum erit deferre ad Inquiſitores; ſi alioquin illi poſſunt authoritate ſuâ, & miniſtrorum ſuorum illum detinere, ne fugiat. Quod etiam potuiſſet facere ſæcularis Magiſtratus, aut alia perſōna tantæ authoritatis, vt penſatis circumſtantijs, meritò credatur Pontifici placere, vt id faciat. Verū hoc ordinariè facilius præſumi poteſt de Inquiſitoribus quibus cura extinguendæ Hæreſis demādata eſt. Quod ſi quis etiā tunc nō denūtiet nō incurret Cenſurā contentā in Edictis; nā illa obligatio recurrēdi ad Inquiſitores in eo caſu ſola eſt, quæ oritur ex Iure naturali Diuino euitandi damnum Reipublicæ, & Religionis Catholicæ, non quæ oritur ex iuriſdictione, quam ex ſe habent Inquiſitores imperandi ſub cenſurâ, vt tale crimen Hæreſis hominis exempti ad ſe deferatur, & denuntiatio fiat.

Aduertendum.

825. Illud tandem hoc loco aduerteſim generaliter, & regulariter loquendo neminem poſſe abſoluere ab excommunicatione contractâ propter inobedientiam contra Edicta, & monitoria, de quibus agimus; niſi facultatem abſoluendi obtineat ab ijs, qui talia Edicta tulerunt; quia ordinariè eſt reſeruata; ſed de hoc ampliùs conſtabit dub. 52. & nonnihil dicemus dubitatione, ſequenti.

DVBITATIO. LI.

An Epiſcopus virtute Tridentini abſoluere poſſit ab excommunicatione incursâ propter inobedientiam Edictorum etiā Inquiſitionis? Et quæ ſint pœnæ inobedientium?

Facultas abſoluendi à reſeruatis Epiſcopis per Trident. concesſa.

826. Circa primam difficultatem facit caput 6. Tridentini ſeſſ. 24. de *Reform.* vbi conceditur facultas abſoluendi in foro conſciētiæ tantùm Epiſcopis erga ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis; cumque nonnulli dicant eam facultatem non vigere; quia obſtat in contrarium Bulla Cœnæ Domini, quâ de re latè diximus dub. 5. hinc eſt, vt neque hanc Cenſuram putent aliqui ab Epiſcopis tolli poſſe; ſicut neque aliàs reſeruatas poſt Tridentinum. Ita Capeauilla de *caſibus reſeruatis* c. 14. q. 3. difficult. 2. Zechios de *Pœnit.* c. 19. Lazarius de *Monit.* ſect. 4. q. 14. n. 19.

Probabilius eſt hanc cenſuram ab Epiſcopo tolli.

827. Probabiliùs tamen, eſt poſſe abſoluere iuxta dicta citatâ dub. 5. quia Tridentinum abſolutè concedit hanc facultatem, & non diſtinguit à Cenſuris ante, vel poſt ipſum; ideò neque poſſe nos diſtinguere debemus; niſi extet aliqua reuocatio; talis autem nulla extat; nam vt ibidem oſtendimus ſatis probabile eſt Bullam in Cœnâ Domini ad id non ſe extendere, nec cenſeri reuocare Conciliare illud decretum Tridentini. Ita Rodrig. in ſummâ 1. p. c. 81. n. 14. ad finem Toletus lib. 1. c. 42. 13. Suar. de *Pœnit.* diſp. 30. ſect. 2. vbi citat Nauarrum in Manuali c. 27. n. 260. & alij, quos retulimus citatâ dub. 5.

Pœna omittenti denuntiationē

828. Circa ſecundum de pœnis omittentium denuntiationem, quod attinet ad Edicta aliorum ſuperiorum, præter Inquæſitionem, non poſſumus ſemper regulam generalem aſſignare; ſtandum enim eſt verbis Edicti, quæ ſolent, & poſſunt variari pro diuerſitate ſuperiorum, & ipſorum voluntate. Quod verò attinet ad Edictum Inquiſitionis, cuius vſus frequentiſſimus eſt in Hiſpaniâ; quamuis variari poſſint pœnæ, tamen ordinariè non variantur, ſed eadem quotannis in Edictis adhibentur.

Pœnæ Edictorum Inquiſitionis.

Prima pœna eſt excomm.

829 Prima pœna eſt excommunicatio, non quidem ſecundum Ius commune ipſo facto lata: ſed ferenda; ex voluntate tamen eorum Inquiſitorum, qui Edictum promulgare mandant, lata eſt ipſo facto. Sanè in Iure communi Gregorius IX. in Extrauaganti, quam refert Pegna 2. p. Comment. 2. ad c. *Qui alios* verſ. *diximus* ſolùm ait aſſignans pœnam non denuntiātis *alioquin Excommunicationis ſententiā percellatur.* Quæ verba indicant ſententiam ferendam, non latam; in Edictis verò Inquiſitionis ſatis conſtat ex ipſo tenere verbum, qui non denuntiat incidere in excommnnicationem ipſo facto, eamque reſeruatam, à quâ non poſſunt alij abſoluere. Secunda pœna eſt quòd ſciens, & non denuntians habeatur ſuſpectus de Hæreſi. Ita *Repertor, Inquiſitor* verb. *fautores* verſ. *Item in iudicatione* quod intelligendum eſt quando nulla fuit cauſa probabilis ſufficienter excuſans, & quando in iudicio interrogatus veritatem non reuelar.

Secunda eſt quod ſcient non denuntiant habeatur ſuſpectus de hæreſi.

830. Qualis autem ſit illa ſuſpicio quam incurrit, non conſentiunt Authores; nam Alphonſus Caſtro de *Iuſta Hæreticorum punitione* lib. 2. c. 25. in principio dixit violentam contrahere ſuſpicionem; hoc autem nimis rigoroſum videtur Ioanni Rojas ſingulari 5. n. 17. & 18. vbi aſſētiuntur Pegna 2. p. *Directorij* q. 56. Commento 81. verſ. *Illis ex Ioanne.* Farinac. de *Hæreſi* q. 197. n. 38. Deciam. *Tract. Crimin.* lib. 5. c. 30. n. 7. qui omnes putant eſſe vehementer ſuſpectum de Hæreſi, quando ſine ſufficienti causâ excuſante non denuntiauit, vel, quādo in iudicio interrogatus ſcienter negauit.

Quādo talis ſit vehementer ſuſpectus

821. Tertia pœna eſt haberi pro fauore Hæreticorum, &, vt talem, eſſe damnandum, & puniendum; ſic Pegna cum multis, quos refert 2. q. directorij q. 53. Comment. 70. verſu *Poſtremo* nempe, quando nullâ causâ probabili excuſatur. Alij verò, quibus ego aſſentio, tunc tantum volunt eſſe habendum pro fautore Hæreticorum, quod attinet ad omittentem denuntiationem, quando quis ex officio, vel iuramento præſtito obligatus eſt denuntiare. Ita Decianus in Tract. crimin. lib. 5. c. 51. n. 35. Toletus in *ſummâ* lib. 1. c. 16. n. 6. Vgolin. *de Cenſuris* Pon-

Tertia eſt haberi pro fautore hæreticorum.

Quando quis habendus ſit talis iuxta Authoris iudicium.

Pontifici reseruatis, 2. p. in Glossa verb. *fauctores* in principio numero 9. Farinac. de *Haeresi*, qu. 197. numero 47. & 48. fauetque huic sententiae, quod tradit Pegna referens Eymer. citato Comment. 78. vers. *priuati*, vbi concludit priuatos homines fautores Haereticorum habendos: si cum eis incumbat ex officio eos indicare vel comprehendere, haec omittant: Tales sunt cruce signati, quos vocamus in Hispania familiares. Qua de re legi potest Sanchez in summa lib. 2. cap. 10. numero 15. qui haec omnia pluribus alijs relatis explicat. Quinam verò propriè dicantur fautores Haereticorum, &, quae conditiones requirantur ad id, non est huius loci disputare. Legat, qui volet, Sanchez, citato cap. 10. & Ferdinandum de Castro suprà puncto. 5. n. 6. qui hac de re latè tractant.

DVBITATIO LII.

An qui non reuelauit, quod sciebat Monitus per edicta, ideoq; incidit in excommunicationem, teneatur toto anno à publicatione edictorum id facere?

832 HEnriquez lib. 13. cap. 18. numero 4. littero *M.* docet edicta Inquisitorum non durare per annum integrum: quem sequuntur aliqui Recentiores.

Henriquez docet edicta inquisitorũ non durare per integrũ annum. Aliorum opinio.

833 Alij verò existimant eum, qui aliquid sciebat, & non reuelauit, iussus, & monitus per eiusmodi edicta, & ob id incidit in excommunicationem teneri toto anno à die publicationis edictorum, quâ incipiunt obligare, denuntiare, neque esse absoluendum; nisi denuntiet. Ita Nauarrus, c. 25. numero 46. in fine, & Corduba in *Summâ*. q. 64. Si quis tamen post duos menses ab edictis promulgatis sciuit de concubinario, non tenetur ex vi illius edicti illum manifestare; quia haec edicta ponuntur per modum visitationis vnde transactâ visitatione ad arbitrium boni viri non censentur obligare; In quo vltimo etiam consentit Henriq. q. 21. Additionum hoc autem intelligunt aliqui pro casibus in quibus non tenebatur Iure naturae denuntiare.

834. Auila verò p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 5. docet semper esse obligationem denuntiandi Haereticos: an verò sub excommunicatione? non explicat. Ego verò meam sententiam in hac re, si quid assequor, sequentibus assertionibus declarabo.

Auila docet semper esse obligationẽ denuntiandi haereticos.

835. Assero. 1. huiusmodi edicta non sunt leges, vel statuta perpetua; sed sunt sententiae ab homine, vt colligitur ex Nauarro, cap. 27. numero 2. & docet Auila loco nuper citato. Vbi probat primò, quia aliàs non iterarentur singulis annis. 2. quia mortuo, vel amoto ab officio Iudice ferente, exspirant; non verò exspirarent, si essent leges, vel statuta.

Assertio 1. huiusmodi edicta non sunt leges vel statuta perpetua. Ratio.

836 Assero. 2. si huiusmodi excommunicationes, & praecepta ferantur, vt restitutio, aut satisfactio fiat alicui parti laesae, semper tunc durat obligatio, quamdiu durat Iudex, qui tale edictum tulit in suo officio. Vnde, si tunc debitor sit impotens ad soluendum, & ideò durante impotentiâ non incurrat Censuram; postea verò factus potens non soluat, perseuerante adhuc Iudice in suo officio, incurret, vt cum communi sententiâ docet Suarius de Censuri disp. 20. sect. 2. numero 14. & probat ex c. Os *do.ard. de Solut.* Ratio est, quia ille terminus, qui solet praefigi in edictis, & Monitorijs, V. g. *nisi intra sex dies soluerit*: non est ad finiendam obligationem; sed ad differendam exequutionem permissiuè vsque ad illum terminum; & non vltra. Vnde ex vi istius praecepti elapso eo tempore incipit obligatio sub Censurâ, & durat pro semper, ne differatur solutio, quasi praeceptum negatiuum. Ita etiam Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. vers. 2. Nauarrus cap. 25. numero 46. & cap. 27. numero 2. Cordub. q. 64. Ludouicus Lopez p. 2. cap. 12. q. 2. Auila p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 1. §. *Petis si iste.* quod intelligit, vt dicebamus; nisi Iudex sit iam mortuus, vel amotus; Sed hi duo Authores, me quidem iudice, non secum constant; dum volunt sentire cum Armilla infrà citando. Eandem sententiam videtur tenere Syluest. verb. excom. 2. n. 1. in Casu 15. Angel. verb. *Excomm.* 3. §. 18.

Assertio 2.

Ratio Assertionis.

837 Henriquez verò lib. 13. cap. 18. numero 4. in fine putat, istum non incurrere, quando posteà factus potens non soluit, quia Iudicis intentio tantùm erat, vt reus exiret à peccato pro tunc; neque eius sententia durat plus, quàm edictum visitationis, refertque pro suâ sententiâ Recentiores.

838 Probabilius tamen puto, quod dixi, & gratis assumit Henriquez Iudicis intentionem tantùm esse, vt pro tunc reus exiret à peccato; quin potius intentio illius est, vt satisfactio fiat, & reus non sit in illo malo statu retinendi alienum, aut non satisfaciendi, atque vt dicebam, solùm praefigitur terminus ad non vltrà differendam solutionem.

839. Assero 3. edicta, quae sub excommunicatione promulgantur, dupliciter ferri solent; primò pro determinato tempore, vt, quòd durante visitatione denuntientur talia, vel talia delicta, atque hac ratione praecipiunt Praelati Religionũ, dũ visitant conuentũ, & tunc tantũ durant pro tempore, quo durat visitatio, & non vltra. Ita Auila p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 5. Secundò modo solent promulgari praedicta delicta sine vllo tempore determinato, vt edicta Episcoporum, & Inquisitorum. Ex ijs edictis, quae sunt Episcoporum, ferri solent per modum visitationis; ideò durant per duos, vel tres menses. V. g. legi solent in principio Quadragesimae, & durant vsque ad Dominicam *In abis*, Vel ad summum vsque ad Pentecostem. Vnde qui post hoc tempus transactum nouit aliquem esse publicè concubinarium non tenetur denuntiare ex vi edicti. Ita Henriquez lib. 13. cap. 18. numero 4. littera, M. in Glossâ citans Pegnam, & Recentiores. Docet etiam Auila suprà, & idem videtur docere Suarius disp. illâ. 20. sect. 3. numero 14. ait enim *si edictum in visitatione proferatur, solum censetur durare tempore visitationis, quanquàm in hoc intentio praecipientis, & vsus maximè attendendus est.* De edictis verò Inquisitorum omnes concedunt longiori tempore durare; sed, quantum durent, non est facilè determinare. Henriq. suprà refert Pegnam, & Recentiores asserentes

Assertio 3. edicta sub excomm. dupliciter ferri solent. Primo.

Secundò.

Episcoporum edicta per duos vel tres menses durant.

Edicta Inquisitorum diutius durant.

asserentes non durare per annnum integrum, quibus ipse assentitur, dicens nouo præcepto edicti non intendere Inquisitores obligare per totum annum. Auila verò putat adurare per totum annum, donec iterum publicentur; idque probat ex opposito fundamento, scilicet, quòd hæc sit intentio Inquisitorum. Probat deinde, quia hæc delicta sunt contra commune bonum ac tandem quia ita habet praxis, vt quocumque tempore denuntientur huiusmodi delicta.

Authoris Iudicium obligatio denuntiandi iuxta Ius naturale est perpetua.

840. Ego sanè, quod attinet ad obligationem Iuris naturalis, quæ est denuntiandi talia delicta ijs, quibus incumbit, aut possunt remedium adhibere, non dubito esse perpetuam. Quod verò attinet ad obligationem sub Censurâ ex vi edicti, si semel supponamus, quod diximus in optimâ assertione, aliquid potest difficultatis habere; nam, si illa Edicta non sunt Statuta, & leges perpetuæ, aliquo tempore debent cessare; assignandum ergo est tempus, pro quo cessent, hoc autem non videtur assignabile in toto anno vsque ad nouam publicationem alterius delicti; ergo non cessabunt toto illo anno; atque hoc mihi videtur magis rationi consonum, & magis ad mentem Inquisitorum, vt edicta sua durent, & vigeant semper, donec iterum de nouo aliud edictum feratur, & promulgetur. Vnde mihi videtur, quòd, licèt aliquo anno non promulgaretur, adhuc vigeret edictum alterius anni præcedentis, quia edictum non determinat tempus.

Edictorum obligatio durat integro anno.

Dices.

841. Verùm dicet aliquis in quo ergo differt huiusmodi edictum à statuto, & lege, si durat, & perseuerat sine vllà limitatione temporis? Respondeo in multis differre; neque nos dicimus esse perpetuum; nam in primis edictum potest cessare mortuo, vel amoto Inquisitore. Deinde edictum vnius anni censetur cessare per promulgationem alterius; id enim saltem videtur habere vsus. Præterea potest intelligi adhuc legem, seu Statutum, & edictum habere effectus diuersos, tanquàm diuersas; nam si quis V.g incidat in Excommunicationem prioris edicti, & quando promulgatum est posterius, iam erat extra territorium, seu districtum Inquisitorum (quod intelligi cum animo mutandi domiciliũ) neutro iam edicto obligabitur, non primo; quia iam primum est finitum; non secundo quia secundum quando promulgatum fuit, non comprehendit illum vtpote existentem extra districtum; Cumque edictum sit præceptum, tantùm loquitur cum ijs, quos superior habet intra suũ districtum, quando præceptum fert, vel, si cum aliquibus extra districtum existentibus, solùm cum illis, qui adhuc sunt subditi, eo quòd nondum mutauerint domicilium, quia hos etiam potest comprehendere præceptum, & subditos ligare Censurâ, vt in simili de præcepto Episcopi sub Censurâ latâ comprehendente subditum existentem extra proprium territorium, cum multis diximus disp. 1. huius Tractatus dub. 12. assert. 2. cùm tamen lex, seu statutum non obliget subditum existentem in territorio alieno, neque incurratur censura legis seu statuti propter delictum in alieno territorio commissum, vt ibidem explicuimus assertione primâ. Ex quo patet diuersa efficacitas edicti, & Statuti, seu legis, nam edictum, tanquàm præceptum, si frangatur à subdito, quantumuis tempore, quo frangit illud præceptum, sit extra territorium, incurrit censuram. Lex verò, seu Statutum, cùm sit eius obligatio annexa loco, & territorio iuxta ibidem dicta, & non sequatur personam (sicut præceptum eam sequitur) eo ipso, quòd subditus sit extra territorium, non obligatur præcepto.

Resp. 1. tale edictum in multis differre à statuto & lege.

Diuersa efficacia edicti & legis.

842 Ex traditâ doctrinâ infertur, quòd is, qui intra terminum præfixum in edictis V. g. intra sex dies non denuntiat propter ignorantiam; quia nesciuit esse tale delictum; si intra terminum, quod durat edictum, seu visitatio habeat notitiam illius, tenetur absque dubio comparere, & denuntiare; quia adhùc durat eius obligatio, vt constat ex dictis. Ita Suarius disp. illa 20. sect. 3. numero 14. vnde non video, quo fundamento oppositum doceat Sà verbo *excommunicatio*, numero 22. non solùm in casu præsenti, in quo agimus de reuolandis delictis, sed etiam in casu secundæ assertionis de restitutione, seu satisfactione faciendâ. Item Armilla verb. *excomm.* numero 34. Ludouicus Lopez, & Auila suprà, qui omnes asserunt eum, qui non est contumax illo tempore sex dierum; quia excusatur ob ignorantiam, postea non incurrere, quia tunc sententia habet vim, & ligat, & non ampliùs. Quod omninò falsum est, &, quod ad praxim attinet, Ludouicum Lopez, & Auilam pro nobis habemus; nam vterque limitat suam sententiam, vt habeat locum, nisi aliud intendat Iudex. Et sanè, quod intendant Iudices in talibus edictis obligare etiam transactis sex diebus; & quòd ille terminus non sit ad finiandam obligationem; sed ad non differendum actum præceptum, vltra illud tempus: satis constat ex ipsis edictis, & ex formâ, & verbis eorum, & docet Bonacin. cum alijs disp. 2. q. 6. num. 36.

Ex dictis infertur

843 Probabiliùs est, quod dixit Henriquez suprà citatus in secundâ assertione, eum, qui non erat soluendo tempore illo, & post multum tempus sit potens, non incurrere, quia non videtur Iudex intendisse ad id per totam suam vitam obligare.

844 Illud sanè est probabilissimum, quod, scilicet terminus ille sex dierum numerari possit ab illâ die, quâ quis habuit notitiam edicti. Ita Sà, Henriq. & Suarius suprà; in eo tamen differunt, quòd Suarius numero 13. ait esse numerandos ab eâdem horâ, & puncto, quo edictum profertur, aut, quo habetur de eo notitiâ; Sed Henriquez numero 6. ait ex praxi constare, quòd totus ille dies publicationis non numeratur inter eos sex dies: vnde, si publicatur die Dominicâ, horâ decimâ; sequenti die Dominicâ, eâdem horâ completur terminus sex dierum datus in edicto. Et quidem ego etiam ipse sum occultatus testis huius praxis; nam cùm soleant Inquisitores vnâ die Dominicâ, puta Aduentus seu Quadragesimæ, facere vt corã ipsis, & omni populo in templo legatur, & publicetur edictũ cum termino sex dierum sub excommunicatione, & anathemate, quòd anathema expleto tempore etiam publicè, & solemniter ferendum sit, non fertur vsque ad sequentem Do-

minieam eâdem horâ quasi tunc putetur terminus datus expletus, & consentit Bonacina suprà n. 35. cum alijs, quod argumentum ob receptam consuetudinem non videtur contemnendum. Alioquin dicendum esset computum esse faciẽdum à puncto in punctum, vt cum Molina & alijs probauimus in simili nostro *Opere de iustitia, cæterisque virtutibus* lib. 2. Tract. 20. disp. 2. numero 33.

DVBITATIO LIII.

An excommunicatus per edicta generalia, quia non denuntiauit, possit absolui absque eo quòd denuntiet? & quomodò sit facienda denuntiatio?

Opinio asserentium edictum non durare per totum annũ.

845 QVi dicunt edictum, aut statim transacto termino non obligare, aut certè eius obligationem non durare per totum annum, consequenter videntur debere dicere transacto illo tempore obligationis, vt transacto tempore visitationis non esse cogendum hominem denuntiare, si nolit; Nihilominus non video vllum ex Auctoribus citatis dub. præced. agentibus de duratione edictorum, qui asseruerit prædictum posse absolui absque eo, quòd denuntiet; neque in terminis meminerit huius casus; quin potiùs generaliter loquendo Nauarrus cap. 25. num. 46. in fine; & Corduba q. 64. puncto 2. ante secundum casum docent talem excommunicatum non esse absoluendum antequàm denuntiet; sed non loquuntur de casu, in quo iam transierit obligatio edicti.

Opinio Auilæ.

846 Auila; quidem p. 2. cap. disp. 3. dub. 7. cum aliquibus Magistris non distinguens de casu, quo iam transierit obligatio edicti; sed absolutè, & generaliter loquens de eo, qui incidit in excommunicationem; quia non denuntiauit ad edicta generalia, absolutè docet prædictum posse absolui cum firmo proposito denuntiandi, si absoluens habeat potestatem alioquin absoluendi à tali Censurâ. Probat quia illa denuntiatio non est satisfactio partis, de quâ sæpe diximus esse præmittendam, si possit, ante absolutionem.

Auctor hâc in re distinguendum putat.

847 Verum in hâc re distinguendum puto, tum de absolutione ab excommunicatione; tum de absolutione Sacramentali; nam si loquamur de absolutione Sacramentali transacto iam tempore edicti, in eo, qui propter ignorantiam non incurrerat excommunicationem (adest tamen obligatio Iuris naturalis) potest quidem absolui Sacramentaliter cum solo firmo, proposito denuntiandi, vt ex principijs generalibus patet. Si tamen commodè præmitti potest denuntiatio, ego prius curarem, vt eam præmitteret, præsertim homo communis, & ordinarius; nam id genus hominum qui non solent frequenter redire ad Sacramentum confessionis facilè prætermittit obligationem alioquin grauem implere; idque necessariò faciendum est, quando moraliter prudenter creditur ipsum non denuntiaturum, quantumuis de præsenti habeat propositum, vt contingit in illo, qui sæpius redijt ad confessionem cum tali proposito, & antecedenter absolutus nunquàm impleuit; huic enim fidendum non est, sicut non fidendum docent Auctores ei, qui sæpe venit cum proposito restituendi, aut expellendi domo concubinam & tamen, quantumuis potuisset facere, non fecit.

848. Si verò loquamur de absolutione ab excommunicatione eius, qui illam incurrit (qui est proprius casus nostræ dubitationis) si daremus, quòd esset iam transacta obligatio edicti, non video, cur non possit absolui ab alioquin habente potestatem? Si verò adhùc vigeat obligatio sub excommunicatione, in primis non videtur expedire illum absoluere cum solo firmo proposito, quando commodè potest ipsam denuntiationem præmittere; sed iubendus est priùs denuntiare. Deinde, quod attinet ad tribunal Inquisitionis, talis sic obligatus denuntiare, non potest absolui, vt notat etiam Auila, donec priùs denuntiet; sic enim præcipitur in edicto Inquisitorum, & sanè etiam antequàm incurrerent excommunicationem, homines communes, & ordinarios expediret priùs remittere ad denuntiandum, quàm absoluantur, propter rationem dictam pro absolutione Sacramentali, ne fortè postea, postquam iam impleuerunt præceptum Confessionis, & communionis, facilè contemnant obligationem sub Censurâ, & illam incurrant.

Quod attinet ad tribunal Inquisitionis dicendum.

849. Quod attinet ad modum faciendi denuntiationem Legi potest Pegna, 3. p. *Directorij* coment. 15. Iul. Clarus in *In Pract. crimin.* §. fin. q. 7. vers. vlterius quæro ad finem. Suarius de fide disp. 20. sect. 4. numero 3. Farinac. de *Heresi* q. 197. §. 2. numero 67. qui dicunt posse fieri vel verbo, vel scripto ad arbitrium denuntiantis: nec necessarium est, vt depositio, aut denuntiatio fiat coram testibus; satis est, quòd Inquisitor, aut Iudex, ad quem spectat talis denuntiatio, per Secretarium illam excipiat. Loquuntur autem hi Auctores de denuntiatione faciendâ apud Tribunal Inquisitionis; nam de alijs denuntiationibus existimo seruandum esse stylum pro foro exteriori, vel seruandum Ius positiuum, si quid disponat circa hanc rem; alioquin Iure naturali id ipsum sufficit, quod dictum est pro denuntiatione Inquisitionis.

Modus faciendi denuntiationem apud tribunal Inquisitionis.

Modus eam faciendi apud alia tribunalia.

850. Circa quam aduertunt etiam Farinatius, q. 185. numero 68. Simancas in *Enchirid. violatæ Religionis*. tit. 22. Rubric. de *Inquisit. Ordin.* numero 8. Zecchius in *Sum.* 1. p. tit. *de Fide*. Rubric. de *Heresi*, cap. 11. numero 12. Paramus lib. 3. de *origine Sanctæ inquisitionis*, q. 6. numero 91. & sequentibus, si denuntiatio aliqua per Epistolam fiat, non debere, nec posse Inquisitores procedere ad examinandos testes, etiamsi in ea chartâ fuissent aliqui nominati, aut designati; nullius enim momenti, & effectus censetur illâ denuntiatio, & reputanda est, ac si facta non fuisset; alioquin multis improbis daretur occasio infamandi probos, & fideles viros; sola enim testium examinatio, aut inquisitio, circa particularem personam, censetur quædã illius infamatio.

851. Sanè generaliter loquendo reuelatio virtute edictorum facienda, ita videtur fieri debere, vt pars, cuius inter est, possit illâ vti, & vt Ecclesia possit per eam retrahere peccatorem à peccato;

Modus faciendi reuelationem virtute edictorum.

à peccato; sæpè antem pars non potest vti reuelatione, si solùm fiat ore, & non scripto. Vnde multi putant talem denuntiationem omninò accipiendam esse à notario approbato, etiamsi fortè fiat coram Episcopo, aut Vicario. Ita Praxis Neapolitana c. 1. n. 19. Nauarrus cons. 5. de *Furtis* Lazarus, quem refert, & sequitur Bonacina disp. 2. q. 6. puncto 1. n. 34. sed non video cur non possit Iudex; si sufficienter illi constet de denuntiatione procedere ad inquirendum particulariter, etiamsi denuntiatio facta fuerit tantū verbo; sed in hoc, vt dicebam, seruandus est stylus, & lex, *si qua fuerit*. Vnde eadem Praxis Neapolitana c. 18. n. 2. referens Bannem, Arag. Salon, & alios, docet reuelationem debere fieri expresso nomine, & cognomine deferentis iuxta c. *Dilectus* de *accusationib.* vt refert Bonacina ibidem. Verum in Iure Canonico eo titulo non est tale caput est quidē c. *Cum dilectus*, sed ibi vt legenti constabit, non agitur de hoc negotio, nec de alio simili; solum enim in eo Textu deciditur repellendum esse à denuntiatione publicum concubinarium excommunicatum, aut conspiratorem, aut eum, qui non præmonuit; Itaque nihil ad rem. Vnde tantùm requiri videtur, quòd persona sufficienter denotetur, ita, vt sciatur, quisnam fuerit delator; determinari autem potest persona & sufficienter discerni alijs modis, vt notauimus disp. 2. dub. 19. assert. 2. potest enim aliquâ ratione describi aut designari.

DVBITATIO LIV.

Quoties incurratur eiusdem Edicti excommunicatio non denuntiando? & quanta culpa sufficiat, vt incurratur?

Circa primum nonnullorum opinio.

852. CIrca primum nonnulli putant eum, qui non denuntiauit intra terminum præfixum totiès incurrere excommunicationem non denuntiando, quoties quis potest commodè denuntiare, & non denuntiat. Probant quia toties peccant contra præceptum superioris latum sub excommunicatione; excommunicatio autem toties incurritur, & multiplicatur, quoties violatur præceptum superioris sub excommunicatione. Quæ doctrina consonat cum ijs, quæ diximus disp. 1. dub. 17.

Probant.

Aliorum opinio.

853. Alij verò putant non incurrere nouam excommunicationem; sed tantùm in eàdem permanere. Quam sententiam Bonacina disp. 2. q. d. puncto 1. n. 37. dicit esse ferè communem, quamuis ipse oppositam sequatur, citatq; pro eà Nauarrum, & Lazarium.

Author distinguendum putat.

854. Ego tamen in hac re distinguendum putarem; nam cum huiusmodi censura incurri debeat per omissionem externam culpabilem fieri potest, vt quantum ad peccatum & malitiam attinet, sint interius multa peccata numero distincta; exterius verò sit tantum vna omissio continuata exempli causa, quis semel vidit hîc & nunc posse, & debere denuntiari; postea tamen alia superueniente cogitatione internâ interrumpit actum internum aduertentiæ suæ obligationis, & potestatis ad implendi illam: De inde iterum redit ad eandem obligationem cogitandam & aduertit iterum se debere, & posse, non tamen facit; sanè in hoc casu iuxta veriorem sententiam actus peccati multiplicantur iuxta dicta à Nobis *de Pænit.* Tract. 8. disp. 9. dub. 2. 3. & 4. tamen, quia illa multiplicitas, seu interruptio non apparet exterius, non est causa sufficiens multiplicationis Censuræ; quamuis enim verum sit multiplicatis actibus moraliter, multiplicari Censuras, sub quibus probibentur, hoc intelligi debet, multiplicatis exterius; in tali autem casu, etiamsi interius sint diuersi actus, tamen externa non denuntiatio semper est vna continuata, nec apparet, vt supponimus exterius quòd in prima parte temporis fuerit vnum peccatum, & postea in sequenti parte cessauerit peccatum non denuntiandi propter defectum internæ aduertentiæ, & tandem tertiò iterum cœperit esse peccatum illa nō denuntiatio; quia iterum cœpit esse sufficiens aduertentia obligationis, & potestatis denūtiandi. In hoc ergo casu nō puto incurri plures Censuras propter huiusmodi pluralitates actuum; nam pluralitas illa merè interna est, & sola est vna omissio externa.

Quando dicitur multiplicari censuras quando multiplicantur actus intelligi debet de multiplicitate, externa.

855 Quando autem ex aliquibus externis signis constaret multiplicitas omissionis in genere moris, tunc iuxta doctrinam traditam eadem dub. 17. existimo toties incurri excommunicationem, quoties multiplicatur moralis actus externus omittendi. Vnde, si quis in vnâ occasione exteriùs notâ potuit denuntiare, & denuntiauit, postea verò illa occasio externa transiuit post aliquod verò tempus iterum liberè omittat, & quod vtraque omissio sit libera, & moralis satis exterius constet; tunc duplicem communicationem incurret propter duplicem actum probibitum sub excommunicatione.

856. Ex traditâ doctrinâ infertur, quòd, si libertas, & moralitas externa omissionis hominis existentis semel in occasione denuntiandi, & non denuntiantis semel ostendatur exterius; aut semel incurret excommunicationem, aut nunquam v.g. qui semel audito Edicto, & agens exterius cum alijs de delicto denuntiando, vt consulens Confessarium & habens ab illo declarationem quòd debeat denuntiare statim; idque non faciat: tunc quidem incurret excōmunicationem semel: tamen transactâ illâ occasione, quantumuis interius sæpissimè cogitet de suâ obligatione, & aduertat; nullo dato signo exteriori suæ aduertentiæ; non amplius reiterabit incursionem Censuræ quia non amplius constat exterius illas esse omissiones externas moraliter peccata. Ex quo etiam fiet, quòd, si quis tempore, quo audiuit Edictum aut quo cæpit Edictum obligare, excusabatur à faciendâ statim denuntiatione, vel naturaliter oblitus sit illā facere atque adéo propter omissionem denuntiationis, non incurrerit Censuram nec peccauerit, etiamsi postea meminerit suæ obligationis, eamque non impleat; dummodo talis memoriæ, & aduertentiæ nullum appareat signum exterius, illam non incurret; nam iuxta doctrinam traditam disp. 2. dub. 10. non incurritur Censura propter actum peccati, qui ita internus sit, vt nullo modo exterius sensibiliter

Ex dictis Infertur.

non incurritur censura propter peccatum internum.

liter appareat esse peccatum contra legem, seu præceptum prohibens, aut præcipiens sub excommunicatione. Itaque quia Ecclesia iuxta ibidem dicta assert 4 adiuncta prima) non potest cognoscere, & iudicare de actibus merè internis, qui necessarij sunt, vt actus externus positiuus, vel negatiuus sit peccatum, non potest illos punire Censurâ, neque actum, etiam externum, de quo non constat, an sit peccatum propter defectum interni. Cum ergo actus externus negatiuus non denuntiandi peccatum non sit; nisi concurrente aduertentiâ obligationis denuntiandi, & voluntate, saltem indirectâ, non denuntiandi; hæc autem aduertentia atque adeò voluntas non innotescat exterius, vt supponimus, manebit peccatum omissionis in ratione peccati merè internum, atque adeò illa non denuntiatio externa erit incognoscibilis ab Ecclesiâ in ratione peccati, atque incapax Cêsuræ.

Neq; Ecclesia potest punire actum externum de quo non constat an sit peccatum ob defectum interni.

857. Circa secundum de culpâ requisitâ asserendum est iuxta Regulas generales, & doctrinam traditam disp. 12. quoties quis excusatur à culpâ mortali non reuelando: excusari etiam à tali censurâ. Ita Suarius de *Censuris* disp. 20. circa princ. n. 17. & sect. 3. n. 8. Lazarius apud Bonacinam suprà n. 38. & alij, quos retulimus citatâ dub. 12.

Circa secundum de culpa requisita asserendum.

Ex qua doctrina colligi potest id, quod iam suprà indicauimus non incurri excommunicationem, quoties quis certò, aut satis probabiliter nouit nullum remedium adhibendum esse à Prælato factâ denuntiatione; tunc etiam non est mortale non denuntiare, deficit, enim finis & vtilitas denuntiationis, nemo autem obligatur ad inutile, vt dicebamus dub. 44. in principio.

Colliges.

DVBITATIO LV.

An Edictum obliget vltra intentionem iustam ferentis illud?

858. Asserendum est non obligare, nisi quos Iudex intendit obligare ratio est; quia excommunicatio vim habet ab excommunicantis voluntate.

Assertio Edictum non obligat vltra intentionem ferentis illud

859. Ex quâ doctrinâ infertur, quando edictum, seu monitorium datur ad instantiam partis non obligare; nisi quos pars intendit in tali monitorio comprehendi; nam intentio Iudicis ferentis Monitorium in gratiam petentis, non extenditur vltra intentionem petentis iuxta doctrinam generalem, secundum quam philosophati sumus disp. 2. dub. 25.

Hinc colliges

860. Hinc est, quod, quando fertur excommunicatio in eos, qui aliquid iniustè subtraxerunt de bonis Petri, aut in conscios & non manifestantes, non comprehendantur in tali excommunicatione filij ipsius Petri, qui impetrauit Monitorium, nisi addit aliqua specialis clausula, quâ omnes, etiam sanguine coniuncti; exprimantur, vt, si dicatur *nullo excepto*. Ratio est, quia (vt dicebamus) superior concedens excommunicationem, solùm intendit ligare iuxta intentionem petentis. & hic non censetur petere contra filios suos; nisi alioquin id exprimat. Accedit, quod odia sint restringenda. Ita Sotus lib. 5. de *Iustitiâ* q. 3. art 1. Petrus Nauarra lib. 3. c. 2. q. 2. dub. 5. Vasquez de *Restitut.* c. 5. §. 1. dub. 7. n. 37 Salon 2. 2. q. 66. art. 3. Clauis Regia lib. 12. c. 14 n. 69. Molina Tract. 2. de *Iustitia* disp. 686. n. 2. Rebell. 1. p. lib. 2. q. 15. sect. 7. n. 15. Lazarius de Monit. sect. 3. q. 8. Filliucius Tract. 14. q. 7. n. 38. Praxis Neapolitana c. 2. n. 8. vbi alios refert.

Superior concedens excommunicationem solum intendit ligare iuxta intentionem petentis.

861. Quæ doctrina, quamuis ordinariè loquendo verissima sit; tamen, si Pater haberet filium iam emancipatum, & extra suam familiam instar alterius ciuis degentem, acceptis iam bonis, seu hæreditate, quæ ad ipsum pertinent, & res ablata esset magni momenti, & quæ non solùm Patris; sed in aliorum filiorum damnum vergeret, minuendo notabiliter eorum hæreditatem; aut certè si furtum fuisset factum postquam filius acceptâ suâ portione legitimè cessisset bonis alijs, quæ à Patre posset sperare, idque in fauorem aliorum filiorum Patris, non video cur non possit meritò credi intentionem esse Patris, vt talis filius etiam per Censuram cogatur restituere; quamuis nullum verbum præter generalia addatur in Monitorio, ac proinde, quod intentio ferentis excommunicationem, etiam ad talem filium extendatur; sed hoc arbitrio prudentis discernendum erit.

Doctrinam datam limitat Author.

862. Alioqui etiam putant non ligari alios domesticos specialiter dilectos ab obtinente excomm. vt sunt vxor, Pater, aut mater; nisi aliud coniiciatur de mente impetrantis Monitorium spectatis circumstantijs, in dubio autem putant petendam esse absolutionem. Ita Clauis Regia Lazarius & aliqui alij suprà citati. Sed, quid est hoc, quòd dicunt, petendam esse absolutionem? dixissent potius faciendam esse restitutionem, & eâ factâ petatur quidem absolutio; alioquin ad quid absolutio illa; quasi ad cautelam deseruit; nam si obligatio est restituendi, non est locus absolutioni ad cautelam; nisi restituat, qui peccet, & debet, nisi fortè quis loquatur in casu, quo potest ille furens capiendo, aut retinendo illa bona, quæ tamen tunc non potest restituere; potuit tamen antea; & non restituit etiamsi audierit Monitorium, & dubitetur an incurrerit? sed in hoc casu etiam absolutio ad cautelam nihil prodest, nisi adsit etiam propositum restituendi, cum possit, imò, & fortè cautio detur; nã vel censura, de quâ dubitatur, verè obligauit, vel non si non obligauit non est necessaria absolutio Censuræ: si obligauit tolli non potest; nisi factâ restitutione, si sit possibilis, vel, nisi cum proposito restituendi, imò, & cum cautione alioquin necessariâ, sine qoibus non est conferenda absolutio. Itaque in casu dubij facienda est restitutio; nisi tollatur dubium; alioquin semper manebit in dubio excõmunicationis, supposito, quòd re verâ Iure naturæ debeatur restitutio, & solum dubium sit ex parte ferentis Censuram, aut petentis illam, an scilicet, habuerint intentionem comprehendendi talem personam.

863. Ex eâdem assertione nostrâ colligitur non esse obligationem manifestandi iniustum compensatorem, quia excommunicario, & intentio ferentis illam solum intelligi debet de iniusto detentore, qualis non est compensator etiamsi

Ex assertione colligit non esse obligationem manifestandi iniustum compensatorem.

etiamsi, quando rem accepit, peccauerit fortassè accipiendo, quia potuit debitum aliâ viâ recuperare aut sine periculo scandali, iam tamen nõ peccat retinendo debitum (vt supponimus iuxta regulas compensationis) liquidum, nec plus retinet, quàm sibi debetur.

Quamuis in Censura exprimatur iusta compensatio. 864. Imò quamuis in ipso Monitorio, seu Censura exprimatur etiam iusta compensatio, non ligabitur compensans; continet enim ea sententia errorem intolerabilem, & excommunicatio non incurritur; nisi ob peccatum mortale iuxta dicta disp. 2. dub. 12. compensans verò in eo casu non peccat retinendo. Ita Molina disp. 691 Vasquez de *Restitutione* c. 5. §. 1. dub. 9. n. 51. Less. lib. 2. c. 12. dub. 10. n. 6. Clauis Regia, & Petrus Nauarra suprà. Lazarius de *Monit.* sect. 2. q. 8. & 9. Suarius disp. 20. de *Censuris* sect. 3. n. 12. vbi Couarr. & alios refert & ex parte consentit Reginald lib. 24. n. 64.

Dubium. 865. Dubitabit tamen aliquis an, qui, antequàm ferretur excommunicatio, accipiens rem in compensationem, aliquid suprà sibi debitum accepit; sed proposuit restituere quàm primum illum excessum, ligetur excommunicatione Monitorij?

Resp. 866. Respondeo minimè, nam excommunicatio, quæ post talem actum fertur, non fertur propter ipsum actum prætеritum; sed propter contumaciam iniustæ detentionis. Quæ contumacia cessat, cùm primùm proponit restituere simul, ac possit, & oblatâ opportunitate restituit. Ita Petrus Nauarra suprà, Clauis Regia suprà n. 17. Vgolinus, Salon, & alij apud Lazarium de *Monit.* sect. 1. quæsito 13. Suar. disp. illa 20. sect. 1.

867. Imò fieri potest, vt nec accipiendo, nec postea non restituendo illum excessum per aliquod tempus, talis compensans peccet; nam, si quis, vt per occultam compensationem licitam debitum recuperet, non habeat ad manum aliam rem; nisi vnam, quæ in aliquâ parte considerabili excedat debitum compensandum, adhuc poterit in illâ facere compensationem acceptâ totâ illa re, quæ (vt suppono) sit moraliter impartibilis sine eiusdem rei detrimento. v. g. debitum compensandum valet centum, compensatio fit in vase aureo, vel in gemma valente centum quinquaginta, licitè accipitur res illa tota cum onere, & proposito restituendi excessum; quamuis autem monitorium sub Censurâ feratur, non incurret compensans retinendo totum interim dum quærit commoditatem vendendi rem illam etiamsi per aliquod tempus distrahere non possit; neque tenetur idem ipse, si nolit illam emere sibi, soluendo illam partem pretij, quâ res excedit debitum compensandum; neque enim video cur cogendus sit compensator illam rem emere maximè, si non sit apta illius vsui, cur enim obligabitur articularius, aut rusticus emere adamãtem? Itaque tantum tenebitur, si rem illam nolit habere omninò pro suâ, illam diuendere eùm possit; & interim quantumuis in ipsa excessum retineat; nec peccabit, nec Censuram incurrit; nulla enim est iniuria eius, à quo occultè abstulit quòd ipsam retineat; vt possit inde habere securam solutionem, imò, si quas expēsas alioquin necessarias fecit in re vel seruanda, vel distrahenda, & vendenda, inde etiam poterit accipere, nec tenetur facere extraordinarias diligentias, vt maiori pretio res vendatur; sed sufficit ordinarius modus, quantumuis intra latitudinem iusti pretij non summo; sed fortè infimo res vendatur. Sed hæc ad tractatum de restitutione pertinent, de quâ latè egimus in nostro opere de *Iustitia*.

868. Dubitabis secundò an qui non denuntiat iustum compensatorem ligetur excommunicatione, quando compensans non ligatur?. *Dubium 2.*

869. Respondeo non ligari, quantumuis Monitorium sit contra scientes, & non manifestantes; nemo enim tenetur innocentem prodere, nec ligatur minus principalis, quando magis principalis non ligatur. Ita Aragon. 2. 2. q. 62. art. 2. Salon 2. 2. q. 66. art. 5. controuers. 2. Molina disp. 691. Petrus Nauarra lib. 3. c. 1. p. 2. n. 407. Azor 3. p. lib. 1. c. 15. Less. suprà, Vasquez suprà n. 55. & plures alij apud Clauem Regiam lib. 9. c. 14. n. 12. c. 14. n. 30. & apud Lazarium sect. illâ 2. q. 8. & 9. & apud Suarium sect. illa 3. n. 12. & apud Filliucium quæstio 6. n. 4. *Resp.*

870. Dubitabis 3. an, qui non denuntiat creditorem, quem constat non posse restituere, siue; quia non habet; siue, quia creditor abusurus est re, sibi tradendâ, siue ob aliam iustam causam non restituendi, incurrat Censuram Monitorij? *Dubium 3.*

871. Respondeo non incurrere propter rationem iam insinuatam; quia, si ille ipse, qui retinet rem alienam, in tali casu excusatur, potiori ratione excusandi sunt, qui norunt illum retinere. Præterea, vt suprà insinuauimus, nemo obligatur ad opus inutile, tale autem est denuntiare eum, qui non tenetur. Ita Suarius disp. illâ 20. de *Censuris* sect. 2. n. 7. & sect. 3. n. 12. ad finem. Rodriguez in *summa* tomo 1. c. 79. n. 10. Clauis Regia n. 12. c. 14. n. 31 Lazarius q. 13. & 15. Filliucius quæstio 9. n. 40. *Resp.*

872. Hoc autem intelligendum est, quando quis omninò est impotens. Secùs, si saltem partem considerabilem possit restituere; vel possit pro futuro tempore; sicut enim ipse delinquens, seu retinens rem alienam, non simpliciter excusatur à restitutione; sed tantum, quatenus & quando est impotens: ita neque à denuntiatione excusatur, qui nouit illum retinere; nisi quatenus, & quando nouit illum esse impotentem, aut fortè, si sciat paratum esse ad restituendum sublatâ illâ vel impotentiâ, vel causâ iustâ excusante à restituendo. *Hoc intelligendum est quando &c.*

873. Dubitabis 4. an, qui satis nouit iustam compensationem aut aliam legitimam causam, ratione cuius non tenetur denuntiare possit iurare se nihil scire intelligendo intra se illam restitutionem, seu modificationem propositionis, vt scilicet teneatur manifestare. *Dubium 4.*

874. Respondeo posse: est enim iusta causa æquiuocandi. Ita Vasquez suprà n. 55. Less. suprà n. 62. Clauis Regia suprà, Bañes 2. 2. q. 69. art. 2. Aragon. ibidem, Salon ibidem controuers. 11. Petrus Nauarra suprà Molin. disp. 692 ad fin. Valentia tomo 3. disp. 5. q. 13. puncto 2. Nauarrus c. 13. n. 166. *Resp. in casu dubij esse iustam causam æquiuocandi.*

Dubium 5. 875. Dubitabis 5. An excuset ab obligatione denuntiandi dubium de iustitiâ compensationis, vel de impotentiâ restituendi?

Opinio multorum. 876. Multi putant non excusari; sed ligari; nisi rationabiliter quis deponat dubium. Ita Lazarius q. 16. Petrus Nauarra suprà Henriquez n. 4. Rodriguez suprà n. 11. Azor & alij locis citatis. Probant; quia; sicut detinens cum tali dubio, iniustè detinet: ita non denuntians iniustè non denuntiat. Præterea in dubio standum est pro superiore præcipiente denuntiationem, constat enim de præcepto, & dubitatur de illius excusatione. Quod verum etiam putant, quamuis ille, qui rem accepit, asserat se illam in compensationem accepisse; nisi fortè tantæ fidei homo sit, vt meritò illi credi possit Ita Graff. p. 1. lib. 4. c. 8 n. 12. Lazarius suprà, Nauarrus, Corduba, & alij apud Rodrig. suprà.

Ratio.

Hac in re maiori explicatione opus esse ait Author. 877. Verum in hac re maiori explicatione opus est; nam si dubium superueniat, postquàm rem illam retinens & possidens bonâ fide cœpit possidere, ille possidens iuste possidet, & retinet, atque adeò, qui scit illum sic possidere factâ diligentiâ pellendi tale dubium, etiamsi dubium adhuc maneat, non tenetur reuelare, quia eo ipso, quòd in dubijs maximè in materia Iustitiæ melior sit conditio possidentis, & possidens ipse iustè possideat non tenetur sciens talê iustè possidentem denuntiare.

878. Item, si talis sciens priùs prudenter iudicabat retinentem illum iustè retinere, etiamsi fortè postea incipiat dubitare, an ille iustè retineat, & non possit factâ diligentiâ pellere dubium, adhuc non videtur ligari excommunicatione, si non denuntiet; quia etiam in tali casu locum habet illud axioma quod in dubijs melior sit conditio possidentis, possidebat autem homo ille suam libertatem non denuntiandi, & manifestandi, quantumuis promulgatum esset edictum eo ipso, quòd putabat illum detentorem iustè retinere: ac proinde per purum, & merum superueniens dubium non debet eâ libertate spoliari.

Difficultas remanens 879. Tota iam difficultas manet, quando nunquàm præcessit bonâ fides de possessione, aut retentione alterius, quem nouit rem alienam detinere apud se, an tunc virtute Edictorum, si non possit pellere dubium, teneatur sub excommunicatione reuelare? atque in hoc casu probabilis valde est sententia prædictorum Authorum propter rationem, & fundamentum ex eisdem allatum.

Authoris Iudicium. 880. Nihilominus valde mihi difficile apparet, quòd etiam in hoc casu teneatur; quia ex ipso tenore Edictorum ordinariè constat illos tantum obligari ad denuntiandum, qui conscij sunt talis detentionis rei alienæ; Qui autem dubitat, an alius iniustè retineat rem illam non est conscius retentionis iniustæ ergo non comprehenditur Edicto solum obligante conscios.

Confir. 881. Confirmatur ex dictis suprà dub. 47. vbi ex instituto probauimus non esse obligationem denuntiandi ea, de quibus denuntiaturus dubitat, an denuntiandus commiserit; sed in hoc casu eo ipso, quòd dubitet de iniustitiâ retinendi rem illam, dubitat an ille alius commiserit, aut committat delictum illam retinendo, &, vt ibi dicebamus, iniuria irrogeretur ei, qui suam formam possidet, si denuntiaretur, tanquàm detentor rei alienæ, extendereturque Edictum vltra id, quod in ipso exprimitur, quod fieri non debet ibi autem solùm exprimuntur scientes; non verò dubitantes, vt ibi quoque notabamus.

882. Nec refert quantum adhoc, quod dubium sit facti, aut Iuris; nam, sicut ibi in dubio facti, id est retentionis ideò diximus cum multis non teneri quia eo ipso quòd quis dubius est, an alius fecerit, non scit, quod re verâ fecerit, & in dubijs melior est conditio possidentis suam famam, vt non spolietur illâ & Edictum solùm loquitur de scientibus, non de dubitantibus: ita similiter in dubio Iuris, de quo nunc agimus, id est supposito, quòd retineat, dubitetur tamen de iusta, vel iniusta retentione, dicendum etiam est eo ipso quòd dubitetur, an iustè vel iniustè retineat, non teneri quia eo ipso quòd quis dubius est an iniustè alius retineat, non scit quòd iniustè retineat; in dubijs autem melior est cōditio possidentis suam famam, vt non spolietur illâ aut fama in quæstionem vocetur, & edictū solùm loquitur de scientibus iniustos raptores, aut detentores rei alienæ; non verò de dubitantibus. ergo eo ipso quòd dubitat de iniustâ retentione alterius, non ligatur quis censurâ Edicti latâ contra scientes iniustam detentorem. Atque hoc puto consequenter dicturos omnes illos, quos pro nostra sententia retulimus dub. 47.

DVBITATIO LVI.

An qui occultant bona, ne à Fisco, vel creditoribus capiantur, vel in eorum fraudem contractus ineunt, & qui retinent scripturas aliquas, quæ iubentur vi Monitorij exhiberi, comprehendantur excommunicatione contra ipsos lata?

883. Circa primùm asserendum est occultantes bona siue propter æs alienum, quo sunt adstricti; siue propter delictum commissum, ratione cuius eorum bona sunt obnoxia Fisco, vt eâ ratione euadant exequutionem in bonis, vel confiscationem, ligari Censurâ contenta in monitario, si bona, quæ ibi iubentur manifestare, non manifestent. Ratio est; quia huiusmodi bona non possunt in fraudem Fisci, vel creditorum retinere sequutâ sententiâ, quâ Fisco, aut creditoribus applicentur iuxta principia generalia de *restitutione*, de quibus egimus in nostro opere *de Iustitia*. Tract. de *Restitutione*. Ita Graff. 1. p. lib. 4. c. 18. n. 55. Salon 2. 2. q. 62. art 3. & 16. Aragon. ibidem. Lazarius de *Monit.* sect. 3. q. 10. Azor tomo 1. lib. 5, c. 8. & alij multi. *Circa primum assertio.* *Ratio.*

884. Idem indicium est de ijs, qui contrahunt in fraudem creditorum, vel Fisci, vt in eodem Tract. de *Restitutione* diximus, est eadem ratio iniustitiæ factæ creditoribus, vel Fisco.

885. Circa secundum de retentione scripturarum *Circa secundum assertio.*

ratum afferendum est non exhibentes, aut reuelantes tales scripturas regulariter loquendo sub Censurâ ligari, quando in Monitorio præcipiuntur exhibere, aut reuelare; tunc enim superior iustè præcipit, & subditus superiori iustè præcipienti obedire tenetur. Ita Suarius de *Censuris*. disp. 20. sect. 3. Regula 1. numero 2. & 3. vbi latè de hac re disputat. Item Henriquez lib. 13. cap. 18. numero 2. Filiucius Tract. 14. quæsito 9. numero 31. vsque ad 37. Auila 2.p. c. 5. disp. 4. dub. 1. Azor. suprà praxis Neapolitana cap. 2. num. 1. ad finem Riccius verb. *Praxis Monit*. decis. 273. Lasarius sect. illa 3. q. 1. Clauis Regia lib. 12. c. 20. Sed vt hoc penitius explicetur, distinctione opus est, & in quinque casibus potest dubitari de hac obligatione, quos placet sigillatim explicare.

In quinque Casibus dubitari potest de hac obligatione.

886 Primus casus est quando Scriptura manifestanda est propriè illius, qui obtinuit Monitorium sub excommunicatione, non verò possidentis, & occultantis illam; tunc enim tenetur ex Iustitia etiam seclusis litteris illam reddere domino suo; atque adeò positâ excommunicatione, potiori ratione tenetur, & incurret excommunicationem, vtpote iustè positam. Vnde etiam damna inde sequuta tenebitur restituere, vt rectè ex Syluestro probat Auila loco citato, qui limitat, dummodò Scriptura non sit eò usque possessa bonâ fide, & ex manifestatione patiatur possidens graue detrimentum; tunc enim non tenetur manifestare, licèt feratur excommunicatio. Pro quâ sententiâ refert Vegam. lib. 3. casu 365. & aliquos Magistros; quod ampliùs constabit ex dicendis in tertio casu, & probari etiam potest à simili nam, qui statum iustè acquisitum conseruat cum bonis partim iniustè adquisitis, non tenetur; (inquit Auila) restituere bona quæ iniustè adquisiuit cum graui detrimento bonorum, quæ iustè adquisiuit: ergo ille, qui iustè possidet scripturam, non tenetur eam manifestare cum graui detrimento. Quæ ratio etiam locum habet iuxta eundem Auilam, & prædictos Magistros quando per fraudem obtinuit Scripturam.

Primus casus.

Limitat Auila.

Probatur limitatio.

887 Notat verò Auila, quòd, si ex occultatione talis Scripturæ tantum damni patiatur eius dominus atque possidens illam, erit obligatio illam manifestandi, sicut debitor, quamuis patiatur damnum in pecunijs, tenebitur soluere, si creditor ex dilatione patiatur æquale detrimentum; quia in hoc casu melior est conditio creditoris; sed in hoc ego puto philosophandum cum limitationibus, & circumstantijs assignatis à nobis in nostro opere de *Iustitia*, Tract. de *restitutione*, disp. 10. dub. 3. vbi de hac doctrina latè diximus, ibi legatur.

Nota.

888. Illud sanè mihi placet, quod addit Auila, saltem quando per fraudem obtinuit quis Scripturam, & non manifestat, vt euitet detrimentum in pecunijs, quando cessauerit hoc impedimentū teneri restituere Domino Scripturæ valorem illius spei, quam habebat vincendi in illâ lite, si manifestata illi fuisset talis scriptura, & valor ille iudicandus est arbitrio boni viri. Probat à simili, nam, quando debitor differt solutionem debiti, ne patiatur detrimentum in pecunijs proprijs, tenetur posteà resarcire creditori interesse, & damnum, quod sequitur ex tali delatione, vt docet Caietanus, 2.2.q. 62. art. 8 quod saltem est verum, quando debitum fuit iniustè contractum: ergo pari ratione in nostro casu. Hac de re latè diximus citata disp. 10. de restit. dub illa 3. prope finem numero 75.

Iudicium Authoris de additione Auilæ.

889 Secundus casus est, quando scriptura est propria possidentis, quia propria pecunia illam fecit, vel hæreditario Iure accepit, aut alio iusto titulo. In quo casu licèt ibi contineatur Ius alterius partis litigantis, non tenetur possidens ex iustitia eam manifestare ante præceptum Iudicis. Probatur à simili; quia in ciuilibus non tenetur quis ex Iustitiâ spontè se offerre ad ferendum testimonium ante mandatum Iudicis: ergo neque ad exhibendam scripturam, quę est instar cuiusdam testimonij. Ita Auila suprà cum Soto 5. de *Iustitia*, q. 7. art. 1. qui docent ex Charitate, saltem aliquando, teneri se offerre ad testificandum, vt quando proximus sine tali testimonio, aut scripturâ patietur graue detrimentum in bonis suis; semper tamen habenda ratio est odij, quod incurrit testis, aut qui exhibet scripturam ex eo, quòd non vocatus, aut inuisus se offert ad testificandum. Excusari etiam potest in nostro casu, quia talis scriptura ante mandatum Iudicis non est aliqua ratione appropriata parti litiganti.

Secundus Casus quando Scriptura est propria possidentis. Probatur.

890 Tertius casus est, quando superuenit mandatum Prælati circa talem scripturam propriam possidentis continentem tamen Ius aduersarij. In quo casu si Prælatus sub excommunicatione præcipiat illam manifestare, tenetur possidens ex iustitiâ id facere; alioquin incurret excommunicationem. Ita Auila suprà Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. casu 3. Cordub. in *Summâ*, q. 63. Ludouicus Lopez 2.p. *Instructorij*, cap. 9. circa medium & testatur Auila esse communem sententiam recentiorum. Ratio verò est, quia pars litigans iustè prosequitur Ius suum, & Prælatus iustè præcipit: ergo possidens tenetur ex iustitiâ manifestare.

Tertius casus.

Ratio.

891. Verùm objiciet aliquis cap. 1. de *Probat* vbi Gregorius XI. determinat neminem esse compellendum, vt in medium proferat instrumentum contra se ipsum. Confirmatur, quia nemo tenetur ministrare arma contra se; Ille autem exhibendo scripturam patietur detrimentum in illâ re de quâ litigatur: ergo non tenetur exhibere.

Objicies.

Cofir.

892 Respondet Auila cum Glossâ in idem caput definitionem Pontificis intelligendam esse, quando reus pateretur graue detrimentū, vel secundò, quando scriptura est ita propria possidentis, vt nec sit alterius partis, neque communis; quia non continet Ius aduersarij, secùs, si esset communis vtpote continens etiam Ius aduersarij.

Resp. Auila.

893 Ad confirmationem verò respondet, licèt ante præceptum Superioris non teneatur exhibere Scripturas contra se, accedente tamen mandato superioris teneri, quoniam talis Scriptura per mandatum Iudicis applicatur parti, sicut applicatur testimonium viuum. Legatur Auila disp. illa. 4. dub. 1. §. *Ad Argumentum.*

Ad Confir.

894. Rectè

Limitat recte Auila doctrinam huius tertij casus.

894 Rectè autem limitat idem Auila hanc doctrinam huius tertij casus, solùm locum habeat, quando ex manifestatione talis scripturæ non timeatur graue detrimentum in vitâ vel famâ, quod non possit euitari, vel etiam in bonis, quæ iustè possidet; nam si hæc timeat quis, non tenetur manifestare; testis enim quantumuis iu-dicè interrogatus non tenetur respondere, si ex testificatione timeat sibi aliquod graue damnum; nec enim Ecclesiasticus Iudex potest obligare ad manifestandam Scripturam sub excommunicatione, nisi in casu, quo possidens, si esset manifestus, posset à Iudice sæculari compelli. Cumque in isto casu non teneatur in conscientiâ obedire præcepto Iudicis sæcularis; nec tenebitur præcepto Iudicis Ecclesiastici. Neque obstat tunc dari bellum iustum vtrâque parte neimpe Iudicem iustè interrogare, & sic interrogatum iustè negare; id enim prouenit vel ex ignorantiâ, vel ex præsumptione Iuris re ipsâ falsa. Porro quod in hoc casu non teneatur, quis respondere Iudici sæculari interroganti rectè probat Auila, primò; quia lex humana, & præceptum, quod debet esse alioquin accommodatum humanæ fragilitati, non obligat cum tanto detrimento; nisi fortè in casu, quo id exposceret bonum commune, vel diuinum. Secundo; quia debitor non tenetur restiture cum graui suo detrimento in bonis superioris Ordinis imò nec inferioris, vt, si ad restituendum vel soluendum debeat vendere rem suam multo viliori pretio. Qua de re latè diximus in nostro opere de *Iustitia*. Tract. de *Restitutione*. disp. 10. maximè numero 34 & 38.

Quando potest Iudex Ecclesiasticus, obligare ad manifestandam scripturam sub excomm.

Ex præcedenti doctrina rectè infert Auila.

895 Ex hac doctrina rectè infert primò Auila, quòd, si quis bonâ fide possideat scripturam non acceptam per vim, aut fraudem, & probabiliter credat illâ manifestatâ vsurum aduersarium non solùm ad tuendum Ius suum circa rem, de quâ litigatur sed ad iniustè vexandum eundem possidentem circa alia bona, quæ legitimè possidet, potest non manifestare. Pro quâ sententiâ refert Cordubam, & alios viros doctos. Vnde non tenetur exhibere, quando prudenter timet, quod ex tali scriptura pergit aduersarius vlterius petendo titulum, quo possidet alia bona, ille, qui talem babebat scripturam: quem titulum exhibere non potest; quia fortè amissa est scriptura, in quâ titulus continebatur.

Infert. 2.

896 Infert. 2. temperandam esse doctrinam Soti asserentis talem possessorem scripturæ teneri eam manifestare quamuis timeat vexationem, Quæ doctrina solùm vera est, quando vexatio; quæ timetur, est iusta. Pro quâ doctrinâ refert etiam Cordubam, & Ludouicum Lopez, testaturque esse communem recentiorum.

Quartus Casus.

897 Quartus casus est, quando scriptura petitur ad puniendum Tabellionem, eo quod malè facta sit; tunc enim, nec Tabellio possidens neque alius tenetur scripturam manifestare; nisi in casibus, in quibus reus, aut testis legitimè interrogati tenentur in causâ criminali respondere ad mentem Iudicis; de quo latè disputauimus in citato opere de *Iustitia* agentes de Iudice, & reo.

898 Quintus casus est circa personas, non quidem retinentes; sed non manifestantes eos, qui possident tales scripturas: quando enim monitorium sub Censurâ præcipit, vt scientes reuelent, tenetur sciens manifestare; hoc tamen intelligendum est, si probare possit iuxta doctrinam in præcedentibus traditam maximè dub. 44. aut, nisi excusetur ratione consanguinitatis, vel secreti commissi, aut ex alijs causis, de quibus diximus in hac quarta sectione maximè à dub. 41. vsque ad 50. *Quintus Casus.*

899 Quoniam verò in præcedentibus casibus aliter Philosophandum diximus de Scripturâ, quæ propria est ipsius possidentis; aliter verò de ea, quæ propria est alterius partis litigantis, seu petentis illam, aut certè communis vtriusque partis; notare oportet talia instrumenta multipliciter posse dici communia; primò; quia sunt communia vtriusque quoad proprietatem ipsorum instrumentorum, vt quia sunt cohæredes, & instrumenta sunt communia hæredibus; vel sunt pariter donata, vel communi pecuniâ confecta; in quo casu procul dubio possunt peti à qualibet parte, vt manifestentur; tunc enim petit pars illa, quod suum est. Secundò possunt dici communia instrumenta propter materiam in eis contentam ipsa tamen charta non est communis, & in hoc casu, si instrumenta sint ipsa originalia, tenetur possidens ea manifestare. Quando verò sit transcriptum pecuniâ partis: tunc, si illam chartam putat reus ab ipso actore, vt se iustè defendat, manifestanda erit. Si verò illam petat actor, & reus sit vsurus illâ, tenetur manifestare; Quod si illâ non sit vsurus, & actor petat ad intentionem fundatam coadiuuandam, tenetur eam reddere. Si tamen actor petat ad intentionem probandam, regulariter non tenetur reus manifestare; quia actor debet venire paratus, & non quærere instrumenta de domo aduersarij. Secùs est (inquit Auila suprà) in confessione faciendâ à reo; nam potest eam petere ab eo, faciendo positiones, quia respectu confessionis partis non poruit venire paratus, cùm non sit in suâ potestate; secùs est de scripturâ; potuit enim à principio sibi præcauere. Pro quâ doctrina refert Auila Panormitanum, cap. 1. de *Probat*. *Nota.*

900. Obseruandum tandem est, eum, qui habet transumptum, non teneri illud prodere ex vi Monitorij, quo præcipitur manifestatio scripturæ; nam illud præceptum intelligitur de Scripturâ, quæ fidem faciat; simplex autem transsumtum non authenticum fidem non facit. Ita Suarus disp. 20. sect. 3. numero 13. Filiucius quæsito 9. numero 40. & alij recentiores. *Obseruandum.*

DVBITA-

DVBITATIO LVII.

An? & quando Iudices Sæculares incurrant excommunicationem, quando compellunt Iudices Ecclesiasticos, vt censuras tollant, vel quando impediunt exequutionem Bullarum Apostolicarum?

Extorquēs per vim absolutionem ab excomm. incurrit ipso Iure excomm.

901 DIximus dub. 33. eum qui extorquet per vim absolutionem ab excommunicatione, seu reuocationem à Censuris, excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti, incurrere excommunicationem ipso Iure, vt ibi probauimus. Præterea in Bullâ Cœnæ continetur excommunicatio 14 in ordine, quæ prædictum nostrum casum concernit. Quærimus ergo in præsenti; an prædicti Iudices incurrant eam Censuram, quando cogunt Iudices Ecclesiasticos illas Censuras tollere; vel ab illis absoluere, & quando impediunt exequutionem Bullarum Apostolicarum?

In præsenti Quæritur. &c.

Negant viri graues.

902 Negant excommunicationes prædictas incurrere viri satis graues, & quorum auctoritas possit à culpâ, vel à Censurâ excusare prædictos Iudices sæculares. Ita Henriquez lib. 3. cap. 30. numero 1. in fine Auila p.2.cap.7.disp. 2. dub. 5. post 3. conclusionem & alij recentiores, maximè Iudices non solùm laici quantum ad Iurisdictionem merè Laicam; sed etiam quantum ad personas; hi enim liberiùs loquuntur, vt Regiam Laicam potestatem pro virili extendant, & minuant Ecclesiasticam. Alij verò quantumuis Sacerdos, Laicalem potestatem nimirum videntur extollere, nec satis piè loqui, quos hîc honoris causa supprimo qui plurimos videre volet, inueniet, apud Dianam 1. parte Suarum moralium resolutionum resol. 13. & 3. part. resol. 53. vbi non iuristas tantùm sed Theologos refert in copia vide etiam resol. 64. Rationem verò reddunt prædicti Auctores, quia Iudices in priori chartâ directâ ad Iudices Ecclesiasticos vtuntur precibus & monitione; & quando vlterius pergunt, non faciunt contra libertatem Ecclesiasticam, nec eam offendunt; sed potiùs defendunt ab iniquo Iudice, vel à falsâ narratione factâ Pontifici., ac proinde Iure ipso naturæ vim vi repellunt propter commune bonum: Eandem sententian sequuntur Couarrub. Didacus Perez, Montalbus, Gregor. Lopez, Auendanno lib.1.*de exeq.mand.* cap.1.numero 7. & 32. & lib.2.cap.6. & alij, quos refert, & sequitur Viualdus, numero 102. Victoria *de potestate Eccles.* numero 14. Cordub. in *Sum.* q. q. 24. & lib. 4. de *Potest.Papæ*.q. 7. Rodrig.in *Addit. ad* §.9. *Bullæ Cruciatæ*, numero 89. Sa verb. *excommunicatio Bullæ in Cœna* numero 15. Vide Dianam locis citatis, & Suarium citandum.

Rationem reddunt.

Authori nō placet prædictorum doctrina.

903. Sanè horum Auctorum assertio sub ea generalitate accepta nemini debet, aut potest placere; quamuis enim daremus in aliquibus casibus esse veram, in alijs vera esse non potest, vt in sequentibus patebit,

Nauarrus *negat laicā potestatem posse supprimere bullas Apostolicas earumue executionē impedire.*

904 Nauarrus in *Summâ* numero 76. & Suarius quod attinet ad Bullam Cœnæ nolunt, aut non audent sententiam dicere; sed remittunt se iudicio, & definitioni Papæ: sed idem Nauarrus *lib. 1. cons.* 1.*q.*21.*numero* 55. *tit. de Constit.* negat posse laicam potestatem supprimere Bullas Apostolicas, aut earum exequutionem impedire, & ait se negasse absolutionem cuidam pœnitenti ob eam causam, & consilium dedisse alijs, ne similes pœnitentes absoluerent. Et in Apologia de *redditibus Ecclesiasticis*. q.1. docet Reges Catholicos, & eorum Auditores non posse personas Ecclesiasticas ad sua vocare tribunalia. Quibus in locis videtur mutasse sententiam, quā sequutus est *in c. Cum contingat. de Rescriptis.* & alijs locis Suarius etiam scribens defensionem fidei contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. numero 30. vsque ad 43. latè impugnat varias vias defendendi hunc vsum Iudicum Laicorum ostendens neque ex illo principio, quòd *vim vi repellere licet* neque ex aliquo textu Iuris probari hanc potestatem & tandem concludit, solùm excessione Papæ id fieri posse, vtrum autem talis concessio facta fuerit, & non reuocata, nō audet definire, *ideo* (inquit *neq; approbare possū nec reprob.*

Difficultas hæc non satis pro dignitate a Theologus discussa pro meliori explicatione illius in varia capita distribuitur.

905. Ex his constat Auctores inter se non consentire imò, & sibi metipsis quandoque aduersari, resque tota est difficilis, & pro re morali maximè grauis, nec a Theologis (maximè ab ijs, qui typis mandarunt suam sententiam) satis pro dignitate discussa; ideò placuit illam altiùs disputare, & explicare Qua de re præ manibus olim habui Apologiam nostri Gabrielis Vasq. vbi multa ad nostrum institutum accommodata dixit, quamuis non omnia mihi probanda videantur. Rem totam in varia capita distribuam, vt meliùs explicetur.

CAP. I.

Iniustitiam, & vim ab Ecclesiasticis Iudicibus illatam, quæ absq; vllâ libelli ex processus examinatione per se, & evidenter patet; licitum esse, etiam per vim Magistratibus sæcularibus contra Ecclesiasticos, & è contra repellere.

Personæ etiā particulari Iure naturali licet vim vi repellere.

906. CVm Ius ipsum naturale priuatæ cuicumque personæ concedat, aut etiam sæpè iubeat vim, & iniustitiam manifestam sibi, aut alteri à quouis illatam vi quoque repellere: non minus Magistratibus sæcularibus contra Ecclesiasticos, & è contra Ecclesiasticis contra sæculares idem concessum aut etiam præceptum esse ingenuè fateri debemus. Nec enim curandum est à quo inferatur ea iniuria, & vis dommodò de eâ manifestè constet, vt Iure naturali eam repellere possit quicumque Magistratus, aut quæcumque persona, quæ vires habeat ad eam repellendam; nam in tali repulsâ nullus Iurisdictionis actus ab vno in alterum exercetur, ac proinde ad id nulla opus est Iurisdictione repellentis contra inuasorem. Vnde in hac manifestâ violentiâ repellendâ simplici modo defendendi vti possunt Magistratus; sicut, & priuata quæcumque persona in aliam sibi æqualem ad repellendam manifestam vim, &

Nec ad hoc opus est Iurisdictione.

iniu-

iniustitiam. Qua propter vis illata (vt indicabam) talis esse debet, vt absque vllo libelli, & processus examine per se ipsam euidenter constet, & manifesta sit; nam ad eam repellendam, quæ ex actis in iudicio colligenda est, nullum est Ius defensionis; nisi in ipso etiam iudicio, & apud superiorem Iudicem, qui ad id habeat iurisdictionem suprà inferentem vim, quod per se patet, si loquamur de priuatis personis. Quod autem id locum etiam habeat in Magistratibus infra probabimus. Porro hanc manifestam vim posse repellere Magistratus sæculares contra Ecclesiasticos, vel Ecclesiasticos contra sæculares in tribus casibus contingit. Primò, quando nullo prætextu publici officij, seu potestatis; sed tanquàm priuata persona, & extra Iudicium vim infert. Secundò, quando prætextu publici officij Iudex aliquis aliù spoliaret re suâ, antequâm vllo modo audiat ius, quod contra ipsum habetur, vel, quod ipse habet. Tertiò, quando Iudex Ecclesiasticus in suo tribunali de personâ laicâ, & sæculari, neque ad suum Tribunal pertinente cognoscit; in his enim casibus Iudex sæcularis iniuriam illatam vi etiam propulsare rectè potest; atque, si potest, sæpè ad id tenebitur. Idemque potest, aut debet Ecclesiasticus Iudex contra sæcularem Magistratum, si ab illo personâ aliqua Ecclesiastica, aut etiam laica (in causâ tamen merè Ecclesiasticâ) iniuriam pateretur, cum hoc conueniat iuri naturali, quod omnibus æquale esse debet. Vnde frequenter videmus in tertio casu Iudices Ecclesiasticos contra sæculares procedere, etiam Censuris, & alijs pœnis Ecclesiasticis ipsos cogendo, vt de personâ, aut de causâ ad ipsos minimè pertinente non cognoscant. In quo casu non infertur vis in ipso iudicio, & causæ cognitione, & prolatione, aut denegatione sententiæ (quæ vis solùm à Iudice superiori per appellationem repellenda est) sed in re ipsâ manifestâ. Ita sentiebat Vasquez in citatâ illâ Appollogiâ manuscriptâ, & à fortiori sentire tenentur omnes Authores citati & infrà citandi, qui dicunt magistratus sæculares posse vim etiam in iudicio illatam ab Ecclesiasticis, repellere. Ideò Diana part. 3. Tract. t. Resol. 53. meritò pronunnauit loquens de Regibus *licitum esse vim vi repellere quando vis est clara & manifesta*

Vterque Magistratus contra inuicem potest vim vi repellere in tribus casibus.

Primò. Secundò. Tertiò.

Quod si vsurpatio Iurisdictionis non esset manifestè iniusta; quia nimirum ex vtrâque parte essent opiniones, aut rationes probabiles, tunc contentio, seu lis de vsurpatâ Iurisdictione inter iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem, tantùm potest, & debet per Iudices arbitros conuentione partium assignatos dirimi; est enim eadem ratio, quæ lite vtrinque probabili orta inter supremos principes, de quo doctè tractat Vasquez 1.2. disp. 64. c. 3. Cum enim nec Iudex Ecclesiasticus sæculari, nec sæcularis Ecclesiastico subditus sit; etiamsi vnus in alterum sententiam proferat, alter ad obediendum ei nullo prorsus Iure tenetur; ac proinde, nec vi aliquâ, aut pœnâ ad parendũ sententiæ, tanquàm inobediens adigi, aut puniri poterit. Quod autem ratione contrariarum opinionum, hoc bellum non possit esse iustum ex vtrâque parte, nec vi, aut armis dirimi possit; sed alterius iudicio sit omninò standum, latè & doctè docet, & probat Vasquez *disp. illâ 64. citato c. 3.* Quidquid sit alioquin de probabilitate sententiæ quòd propter opiniones probabiles possit esse bellum iustum, certè in hac materiâ maxima turbatio esset in Republica si possent in tali casu pugnare inter se Ecclesiastici & sæculares Iudices.

Quando verò essent rationes vtrinq; probabiles Arbitris sit dirimi deberet.

CAP. II.

Quonam modo, & quo Iure Magistratus Regij, & tribunalia sæcularia litteras Apostolicas examinare, & earum Exequutionem impedire licitè possint?

908. Asserendum est primò, posse Magistratum, & Tribunalia sæcularia in locis longè à Pontifice distantibus has literas Apostolicas examinare antequam exequutioni mandentur, vt clariùs constabit ex dicendis in tertiâ assertione. Ratio est, quia, vt rectè Vasquez tradit in Apologiâ citatâ, quamuis tribunalia sæcularia nihil, vel minimum, iurisdictionis habeant in Pontificem; tamen, cùm literæ Apostolicæ iniquâ narratione, aut, veritate suppressâ, interueniente falsitate, aut dolo, aut ignorantiâ impetrari potuerint, opus est vt, antequàm ad exequutionem veniatur, examinentur; an aliquid subreptionis contineant? Quod nisi fieret, non parua, nec pauca incommoda, contra cõmune bonum sequeretur, quando Papa, aut Princeps alius (est enim idẽ iudicium de literis aliorum Principum) longè distat. Nec satis est, si huiusmodi literæ Apostolicæ ab Ecclesiasticis Iudicibus examinentur; nam cùm Reges iustè timere possint literas illas iniquâ relatione contra priuilegia sibi à Sede Apostolicâ concessa, & contra Ius Patronatus ipsorum, aut aliorum sæcularium in damnum eorumdem patronorum impetratas fuisse: ratio ipsa postulare videtur, vt principes ipsi, si velint, aut eorum tribunalia prædictas literas legere, & examinare queant, priùs, quàm exequutioni mandentur, neque hic vsus est contra debitum ordinem tribunalium, & Iurisdictionum, quandoquidem mandatum superioris, quòd in remotas partes scriptum defertur, legi insinuari, & explicari debet contrariæ parti, priùs, quàm exequutioni mandetur, vt si quid contra ipsum habet, respõdeat. Ergo Reges, & potestates sæculares, tanquàm partes, quibus, vel suis subditis nocere illæ literæ possunt, eadem poterunt, videre, & examinare.

Assertio 1.

Ratio.

A Magistratus sæculari examinari possunt literæ Apostolicæ.

909. Asserendum est 2. si tales literæ concessæ sint pro exequutione rei, seu causæ, de quâ in tribunali Pontificis seruato Ordine Iuris, & auditis partibus, ac re discussâ & plenè examinatâ, pronuntiata fuit sententia, si de hoc constiterit, & quod tales literæ verè à Pontifice manârint, nec manu alicuius falsarij sint confictæ; tunc non solùm in perpetuum supprimi non poterunt; verum neque ad tempus detineri; sed statim permittendum est, vt virtute illarum ad exequutionem procedatur. Ratio autem est; quia de iustitiâ, vel iniustitiâ talis sententiæ

Assertio 2. quod si literæ concessæ sint auditis partibus &c. statim permittendũ est exequutionem mandari.

Ratio est.

sententiæ à Pontifice latæ constare nullo modo potest, nisi examinando processum, seu libellum, & acta illius, ad quod opus est iurisdictione, quam Reges & eorum tribunalia sæcularia non habent suprà Pontificem, neque suprà tribunalia Ecclæsiastica.

Exposito principio clarè Infertur. 910. Ex hoc principio clarè infertur, vt postea dicemus, nullo modo potestatem sæcularem posse vi repellere vim illatam ab Ecclesiasticis; nisi manifestè sine cognitione, & examinatione iudiciali de tali vi constaret. Alioquin, si tribunali sæculari liceret examinare causas agitatas in tribunalibus Ecclesiasticis prætextu repellendi vim, & iniustitiam illatam à Iudicibus Ecclesiasticis; etiam esset licitum Ecclesiasticis Iudicibus, & summo Pontifici examinare causas agitatas in tribunalibus Regijs, & sæcularibus prætextu repellendi vim, & iniustitiam factam à Iudicibus sæcularibus. Quod esset perturbare totum ordinem, & pacem Reipublicæ. Vnde ratio naturalis dictat, quòd, si post appellationem à tribunali inferiori ad superius adhuc in suppremo tribunali aliqua fieret violentia, & iniustitia alicui, illa diuino iudicio potiùs reseruetur, quàm, quòd Iurisdictionum ordo inter sæcularem, & Ecclesiasticam potestatem perturbetur; nam intolerabilis *Error intolerabilis.* esset error asserere, quòd possint Principes sæculares cogere Pontificem, vt libellum, & acta ex quibus sententiam protulit ad se mittat, vt examinatâ causâ ipsi expendant, & videant, an, sententia pronuntiata à tribunali Pontificio fuerit iusta, vel iniusta? sicut neque etiam Pontifex cogit Imperatorem, aut Regem, vt ad se causas examinandas mittat; sed iudicio Diuino relinquat. atque hoc, quod dicemus de Rege respectu Pontificis, & è contra, eodem modo dicendum est ob eandem rationem de quocumque tribunali sæculari respectu Ecclesiastici, & è contra. Ita Vasquez loco citato; nec contra hoc vidisse contigit aliquem Auctorem ex ijs, qui sua scripta typis mandârint.

Assertio 3. si literæ concessæ fuerint petitioni vnius partis non auditâ alterâ impediri potest a tribunali sæculari earum Exsequutio quousque &c. 911. Asserendum est tertiò, si literæ Apostolicæ alicui concessæ fuerint contra alium non examinatâ causâ, neque ex actis processus, seu libelli pronuntiatâ sententiâ, sed absque citatione contrariæ partis solâ relatione, & petitione alterius, vt pro obtinendo beneficio, quod alius possidet; vel, ad quod alius habet ius obijciendo illi crimen depositione dignũ, vel aliud quidpiã huiusmodi literæ non solùm ad sæcularia tribunalia prius deferendæ sunt, si Magistratus sæculares ita velint; sed etiam à Iudicibus sæcularibus examinatæ detineri possunt, non quidem in perpetuum suppressæ, appellatione verbotenus solùm inter positâ, neque vllâ causâ, aut ratione in contrarium Pontifici propositâ; absit sed quousque Pontifici insinuetur; an aliquid contra iustitiam literæ illæ contineant, eo quòd falsâ aliquâ relatione impetratæ videantur; id quod manifestè colligitur ex c. *si quando* de *Rescriptis.* vbi sic dicitur *Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætentas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prauâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* Neq;

Colligitur ex c. si quando de Rescriptis.

Non obstat.

obstat quòd hoc loco Pontifex non loquatur cum Magistratu sæculari, sed Ecclesiastico; nam eadem erit omninò ratio de sæculari hoc ipso, quòd ei licitum sit mandatum Pontificis in suo Regno legere, & examinare, priùs quàm ad exequutionem procedatur. Ita docet Corduba in *summa* q. 35. Driedo lib. 2. *de libertate Christiana* c. 2. Acosta q. 69, & Vasquez suprà, item Couarr. in *Pract.* c. 35. n. 4. qui hoc ipsum colligit, & doctè probat n. 6. ex multis Decretis Pontificum, & legibus Ciuilibus Iuris Cæsarei, atque hoc facere posse Reges probat hic Author, nequid fiat, & obtineatur falsis præcibus, & importunis suggestionibus contra Regni Regumque priuilegia, & Apostolicas concessiones; Item, ne literæ summi Ecclesiæ Præsulis contra publicam spiritualis Ecclesiastici, & temporalis Regni vtilitatem præter ipsius concedentis voluntatem, & consensum exequutioni mandentur. Driedo verò probat id *Driedo probat id Reges posse.* Reges posse propter abusus tollendos, ne præficiantur extranei, aut non idonei, aut qui propter nimiam importunationem falsasque suggestiones literas Apostolicas impetrârunt, vel impetratis contra fas vti volunt ad oppressionem, quos longis litibus grauibusque sumptibus interdum vexant; non quidem id licet, eo quòd potestas sæcularis velit sibi, aut iudicium rerum Ecclesiasticarum vsurpare, aut viros idoneos authoritate Apostolicâ institutos impedire; sed, quòd velit ad ædificationem Reipublicæ statum Ecclesiasticum promouere.

912. Hoc ipsum videtur esse permissum in *Videtur etiam permissum in Bulla Cœnæ Domini.* Bulla Cœnæ Domini nam Capite, seu numero 14. Excommunicantur sæculares Iudices, qui causas beneficiales, ac alias spirituales ad se auocant, & prætextu violentiæ prohibendæ literas Apostolicas impediunt donec ipsi (vt dicunt) ad Sedem Apostolicam informandam supplicauerint. Statim verò additur, *nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur*, quasi dicatur, si supplicationes huiusmodi re verâ prosequantur, licitum esse eiusmodi leteras interim detinere, aut supprimere. Quòd autem sine huiusmodi prosequutione non possint in perpetuum supprimi, manifestũ est; tum ex verbis Bullæ citatis, tum etiam ratione; quia adhoc appellatio interponitur, vt ille, ad quem appellatur, certior fiat de aliquâ re, quam in concessione mandati non videtur cõsiderasse. Supprimere autem illas in perpetuum nullâ interpositâ appellatione eo quòd *Licèt tales literæ essent iniustæ non possunt in perpetuum supprimi nulla interpositâ appellatione.* iniustè videantur, absurdum omninò est, nam quantumuis videantur iniustæ, opus est Authori earum rationem iniustitiæ proponere, & hoc dignitati illius deferre; fieri enim poterit, vt rationi, ob quam iniustæ videntur, ab illo planè satisfiat. Quo circa iustitia ipsa postulat, vt responsum illius expectetur. Quòd si accepto responso à Pontifice, in literis illis iniustitia euidenter non appareat: nullâ ratione exequutio illarum impediri posset. Si verò propositâ ratione Pontifici ille adhuc insisteret, vt literæ exequutioni mandentur, iniustitia tamen in illis euidenter appareret, possent in perpetuum impediri. quam sententiam rectè colligit Vasquez ex doctrinâ traditâ à Ludouico Messia in

Quod si proposita ratione euidentis Iniustitiæ pontifex adhuc persistat possint, in perpetuum impediri.

in l. Toleti, cap. 2. fundam. 11. numero 49. vbi agit quo pacto litteris Regiis obediendum sit, ait enim neque primo mandato Regis, neque secundo, neque tertio, quod manifestam iniustitiam continet. parendum esse; id quod apertè statutum est in l. 3. Regni Castellæ tit. 14. lib. 4. compil. vbi dicitur. *Mandamos que si entre partes y priuadas personas ouiere contienda, o debate, y en per Iuizio de qual quiera dellas se diere alguna nuestra carta, o prouision, y sobre ella se dé segunda Iussion, y otras quales quier nuestras cartas, y sobre cartas conquales quier penas, y clausulas derogatorias, y firmezas, abrogationes, y derogationes, y dispensaciones, generales, ó especiales, aunque se digan proceder de nostro proprio motu, y cierta ciencia, y poderio Real, absoluto; que sin en bargo de todo a questo, todavia es nuestra merced y voluntad que la dicha Iustitia florezca, y sea dado, y guardado enteramente a cada vno su derecho, y no reciba agrauio, y perjuizio en su iustitia &c.* Atque ita interpretatur idem Ludouicus legem quandam Partitarum Regni Castellæ, quæ oppositum asserere videtur, vt scilicet intelligatur solùm, quando mandatum Principis non continet manifestam iniustitiam. Cùm ergo nostri Reges Castellæ in citatâ l. 3. nihil profectò ex propriâ voluntate merè liberè, & absque vllâ obligatione procedentes, sed ipsum potius Ius naturale, quo tenentur explicantes, velint, vt neque primo neque secundo, neque tertio, neque cuicumque alteri mandato ipsorum obediatur, quando manifestam contra aliquem iniustitiam continent. Cur quæso, non id ipsum existimabimus de summis Pontificibus Iustitiæ, & sanctitatis magistris? semper scilicet velle, semperque voluisse, vt in simili casu suis mandatis non obediatur, ut optimè doctè, pariter & piè notauit Vasquez.

Non sufficit vt Magistratus sæcularis etiã probabiliori ratione iudicet litteras iniustitiam continere Ratio.

913 Illud tamen cum eodem est valde probabile; non censeri manifestam iniustitiam, ob quam solam Pontificia litteras perpetuò impedire liceat, id quod Magistratibus Sæcularibus probabile solùm, vel etiam probabiliori ratione contra Iustitiam esse videatur. Nam, ut Pontifex nulli faciat iniustitiam, aut vim inferat, quã sæculares Magistratus, etiam vi repellere possint, satis est, si opinione probabili ductus illud decernat; ac proinde Iudices sæculares grauiter errarent, & debitum modum excederent, si probabili, aut probabiliori solùm opinione iudicantes id, quod litteræ postolicæ continent, contra iustitiam esse, eas impedirent, & perpetuò supprimere auderent; sicut etiam grauiter errarent, si ita se gererent in reuocandis sententijs latis à Iudicibus Ecclesiasticis.

Huic vltimæ doctrinæ satis probabiliter opponi potest.

914. Huic vltimæ doctrinæ opponi potest satis probabiliter id, quod alibi non semel diximus, & nonnulli graues Auctores opinantur nempe subditum non teneri ad obediendum, saltem cum magno suo detrimento, quando tã superior, quàm subditus vterque nititur opinione probabili, de quo etiam agendum est in materia de conscientiâ. Cur enim non poterunt detineri litteræ, ne cum periculo cadendi suâ causâ possessione priuetur interim dum suas rationes probabiles proponit Summo Pontifici; nam illis auditis forsan Pontifex nolet, vt spolietur re possessâ, maximè cùm eo ipso, quod probabile sit id, quod à superiore præcipitur, esse iniustum, probabile etiam sit in eâ re non esse Superiorem; nemo enim est superior ad præcipiendum iniustè, & quia probabiliter præcipit iniustè; probabiliter subditus est deobligatus obedire. Quam doctrinam latè cum multis tradidimus disp. 1. huius Tractatus, dub. 24. *Atque vt hoc obiter, num.* 353. vbi ostendimus non solùm ex merâ ignorantia, sed etiam ex diuersitate opinionum posse dari bellum iustum ex vtrâque parte.

Nemo est superior ad Præcipiendum iniustè

Alij satis probabiliter docent.

915. Ex alio etiam capite docent alij satis probabiliter posse Reges, seu eorum suprema tribunalia detinere litteras Apostolicas, & impedire earum exequutionem; quando, scilicet, committuntur alijs Iudicibus; quàm Ordinarijs contra Decretum Tridentini sess. 24. cap. 20. & sess. vltimâ cap. 10. cui non vult Papa derogari; nisi specialiter. & expressè id dicat; quia Reges, ac Principes omnes monet Tridentinum sess. 25. cap. 20. vt obseruent & obseruare faciant decreta ipsius Concilij.

CAPVT III

Quid censerint Auctores Canonistæ circa potestatem sæcularem Principum contra, seu supra potestatem Iudicum Ecclesiasticorum, quando vim inferunt?

Theologi hac de re valde pauca ediderunt.

916. Circa hanc rem Theologorum Schola ante nostram ætatem præsentis sæculi parum, aut ferè nihil pronuntiauerat, aut in lucem ediderat, imò adhuc valde parum. Ex Iuris peritis verò Nauarrus in c. *Cum contingat, de Rescriptis.* remedio, 1. Couarrub in pract. qq. c. 35. Azeuedo in l. 2. Regni Castellæ tit. 6. lib. 1. compil. docent posse Magistratus sæculares vim vi repellere contra Ecclesiasticos Iudices) quoties litigatori denegatur appellatio interposita debito tempore, & ordine à Iudicibus Ecclesiasticis, vt eâ appellatione non obstante ipsi Iudices procedant, vel procedere possint ad sententiæ exequutionem. Idem docet Menoch. de *retinendâ possess.* remed. 3. numero 354. & sequentib. Rebuff. tomo 3. Tract. de *Appellat.* n. 14. Hos auctores sequitur, & plures alios refert Bobadilla in suâ Politicâ lib. 2. cap. 16. numero 90. & cap. 18. numero 139 item Acosta suprà Bullam Cruciatam. q. 52. & 69. circa finem.

Opinio aliquorum Iuris peritorũ.

Ex theologis sese prædictis Canonistis adiungit Bannez.

917. Ex Theologis verò prædictis Canonistis sese adiungit Bannez. 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 6. conclus. 6. quem (vt audio) sequuntur alij non pauci ex suâ Dominicanâ familiâ; neminem tamen alium legisse mihi contigit præter ipsum Bannez. Addit etiam Diana par. 3. Tract. 1. resol. 64. Cardinalem quoque Bellarminum testari de hoc priuilegio in Tract. de Summo Pontifice contra Barclaicum, item Suarium in defensione fidei quem retulimus suprà in hac dub. num. 904. sed Suarius falsò refertur potius enim dicit sibi non constare de hoc priuilegio, vt vidimus loco citato. Bellarminus etiam ibi in illo versu *addebat* quem refert Diana nihil clarè dicit sed generaliter loquitur referens se ad alios auctores; præsertim ad Iulium Clarum

&

& alios in similibus alijs casibus, vt eundem Bellarminum referens notauit Suarius loco citato num. per errorem 29. qui debuisset esse 31. versiculo *Quapropter mihi.*

Nauarri opinio. 918. Sanè Nauarrus, quem alij sequuntur, eò etiam progreditur, vt doceat Principes, seu Magistratus sæculares habere hanc potestatem ex Iure antiquo Ecclesiastico, ac proinde ex voluntate Pontificum. Quod putat probari ex c. *Filijs*, *vel nepotibus* 16. q. 7. quod est Concilij Tolet. 9. c. 1. Item ex c. vltimo 96. distinc. Tertiò ex c. *Administratores* 23. q. 5. Quartò probat ex c. *Principes* ibidem: quod tamen. c. est Isidori. Quintò probat ex c. *Regum*, eâdem; quod est Hieronymi. Sextò ex c. *Christianis* 11. q. 1.

919 Azeuedus verò præter citata Iura affert etiam c. *Petimus* 11 q. 1. quod est Concilij Carthaginensis, & c. *Quidem Monachi.* 16. q. 1. quod est Concilij Calcedonensis, & c. *Romana*, § *sanè de Censibus*, *& c. Romana de Pœnis* in 6.

Recentiorū aliquorum opinio. 920. Menochius verò, Rebuff. & Bannez, alijque recentiores dicunt id esse concessum Regibus, & Magistratibus priuilegio Pontificio.

921. Alij tandem Iuris periti qui sua scripta non typis mandârunt, hanc vulgarem, & plausibilem opinionem sequuntur addentes hanc potestatem in Ecclesiasticos, Regibus conuenire, etiam Iure præscriptionis, & consuetudinis longeuæ, atque ita stabilitum, esse, & confirmatum legibus nostri Regni Castellæ, vt patet ex l. 36. tit. 5. lib. 2. Compil. vbi dicitur hanc potestatem ex Iure, & ex antiquâ consuetudine, & præscriptione habere Reges in Iudices Ecclesiasticos.

Nullâ consuetudine aut præscriptione à sæcularibus obtineri potuisse hanc potestatem asserit Nauarrus. 922 Verùm de hac consuetudine, & præscriptione plerique alij nihil dixerunt, & Nauarrus loco citato remedio. 1. §. *ex quibus infertur*, expresse asserit nullâ consuetudine, aut præscriptione à sæcularibus obtineri potuisse hanc potestatem in Ecclesiasticos, cùm omnis (inquit ille) sæcularis talis Iurisdictionis incapax sit: Et quamuis Couarr. & cæteri doctores allegati non solū dicant id habere ex Iure Canonico; sed etiam probent id licere Regijs, & sæcularibus tribunalibus ratione maximæ vtilitatis boni communis; &, quia alioquin Respublica magna pateretur incommoda à Iudicibus Ecclesiasticis, eò quòd hi longè a Sede Apostolicâ positi aliquando suâ potestate ordinaria cùm maximo aliorum detrimento abutantur; nunquam tamen asserunt Iure ipso naturali Iudicibus sæcularibus prædictam potestatem conuenire; quamuis (vt verum fatear) eorum ratio id videatur probare.

923 Præterea quamuis prædicti Auctores nihil distinguant inter appellationem interpositam à definitiuâ sententiâ, & à sententiâ interloquutoriâ; tamen cùm per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. de *Reform.* appellari legitimè possit non solùm à definitiuâ sententiâ, sed etiā ab interloquutoriâ, quæ vim habeat definitiuæ, & cuius detrimentū, seu grauamen reparari nequeat per appellationem à definitiuâ; sanè eorum opinio intelligenda videtur vniuersaliter, siue negetur appellatio à definitiua, siue ab interloquutoriâ tali.

Huic sententiæ sic explicatæ consentiunt recentiores Iuris periti non pauci. 924 Huic sententiæ sic explicatæ libenter consentiunt Recentiores non pauci Iuris periti maximè ex ijs, qui in Curia Matritensi, vel in Cancellariâ Vallisoletanâ, & Granatensi versantur, & qui ad similia munera se parant, & aspirant in Salmanticensi, Complutensi, & Vallisoletanâ Academijs.

Notant verò hæc duo maximè inter se differre nempe Magistratus sæculares cognoscere, &c. 925. Notant verò maximè inter se differre hæc duo nempe Magistratus sæculares cognoscere, aut iudicare de Iustitiâ, vel iniustitia sententiæ pronuntiatæ per Iudicem Ecclesiasticum declarando contra ipsum eam iniustam fuisse, ac proinde illam iubendo, aut faciendo reuocare; & iudicare solùm de iniustitiâ, quæ fit ab Ecclesiasticis denegando appellationem opportunè, & secundum Iura legitimè interpositam. Atque illud priùs inquiunt non licere; quia nimirum est actus Iurisdictionis ex allegatis, & probatis: qui actus sæcularibus in Ecclesiasticos conuenire non potest; posterius autem licitum & maximè in Republicâ nostrâ necessarium est, tùm quia nulla in eo exercetur Iurisdictio, sed extraiudicialiter declaratur iniustitia negandi appellationem; quod maximè licere illis videtur; quia nisi remedium hoc litigatoribus contra Ecclesiasticos superesset, multa absurda, & incommoda Resp. Christiana pateretur.

926 Hoc etiam videntur sentire Nauarrus, & Couarrub. sup. Nauarrus, enim docet vim illam illatam à Iudicibus Ecclesiasticis, tantùm extraiudicialiter auferri à laicis, seu sæcularibus Magistratibus. Couarrub. verò ait per Magistratus sæculares non cognosci de iustitiâ appellationis deferendæ ad summum Pontificem, vt ab ipsis sententia reuocetur, aut confirmetur; sed tantùm ad hoc, vt tollatur illa vis, & iniuria, quæ aduersus Sacros Canones, & auctoritatem Sedis, Apostolicæ fit appellanti ad eandem. Atque ad hunc finem solùm præcipitur Iudici, quòd appellationem concedat, & absoluat eum, quem excommunicauerat, propterea quòd appellasset; atque omnia acta post appellationem retractet, ac reducat in eum statum, quo erant tempore appellationis, & sententiæ. Hæc eisdem ferè verbis Couarrubias.

927. Verum si hæc doctrina vera sit, in ipso tantùm Iure naturali fundanda videtur contra Nauarrum. Confirmari verò potest, quia in hoc sæculares Magistratus nihil faciunt contra sacros Canones neque contra auctoritatem, & potestatem Pontificis, sed eam tuentur, & adiuuant contra violentiam, & iniustitiam Iudicum particularium; qui eam lædunt, maximè, cùm illi post legitimam appellationem interpositam iam non sint Iudices; sed tyranni, & tanquàm personæ particulares, vim inferant non solum ei, qui appellat; sed etiam ipsis Canonibus Ecclesiasticis, contra quorum præscriptum renuunt appellationi deferre; imò, & ipsi potestati Ecclesiasticæ, & spirituali iniuriam faciunt quæ non in destructionem; sed in ædificationem data fuit à Christo Domino.

Quando iudex sæcularis contra Ecclesiasticū 928 Hanc doctrinam in Iure Naturali fundatam tradidisse videtur Decius in l. *vt vim. ff. de Iustitiâ, & Iure.* numero 25. vbi ait tunc posse Iudicem sæcularem contra Ecclesiasticum de-

defendere possit litigatorem, iuxta Decium. fendere litigatorem; quando ab Ecclesiastico patitur damnum, quod reparari nequit. Explicat autem id contingere; quando ad executionem proceditur non obstante appellatione. Idem quoque docet Platea in l. *Prohibitum* C. de Iuri Fisci. lib. 10. qui non loquuntur de vi illatâ solùm à Iudice Ecclesiastico; sed à quocumque Iudice, nec de personâ tantùm publicâ repellente; sed de quacumque, ita, vt quisque possit eâ vim repellere, siue fuerit is, qui damnatus fuerat per sententiam, siue quicumque alius potens. Quoties autem ipse damnatus potest se ipsum etiam contra Iudicem, quantumuis Ecclesiasticum tueri: potiori ratione poterit Princeps, aut Magistratus sæcularis, qui ad hoc potestatem videtur habere; quippe cui ex officio incumbat subditum suum defendere ab iniquâ vi.

Difficultas. 929. Solum restat difficultas, cùm vis & iniustitia de quâ loquimur circa negandam appellationem, non possit cognosci nisi ex actis in iudicio, examinatoque libello, & processu causæ; an? & quâ ratione possit Magistratus sæcularis cogere Iudices Ecclesiasticos ad exhibendum libellum, & processum, cum talis coactio fieri non possit iustè (nisi ab habente iurisdictionem in Ecclesiasticos, de quo in sequentibus dicemus, maximè c. 5. vbi nostram sententiam explicabimus.

CAP. IV.

Quid sentiant alij Auctores præsertim Theologi circa propulsandam vim illatam in denegandâ appellatione à Iudicibus Ecclesiasticis per sæculares Magistratus?

Sententia Azorij & Vasquez. 930. Qvod non possint Magistratus sæculares cogere Iudices Ecclesiasticos, vt abstineant ab exequendâ sententiâ, quam tulerunt, etiamsi legitimè ab eâ fuerit appellatum, sentiunt Azor. tom. 1. lib. 5. c. 12. q. 1. §. *sed dubitare posset*, & Vasquez in Apolog. de hac re sæpe citatâ. Plures autem Canonistas refert Azor. ibi §. *ex dictis infertur*, & Vasquez pro hac sententia citat Matthæum de Afflictis in Praxi Neapolitana, vbi decis 24. n. 4. ait posse quidem Regem auctoritate propriâ defendere Clericum, qui ab alio Clerico iniustè expoliatos est, non tamen per modum cognitionis iudicariæ. Et n. 6. inquit *neq; obstant in contrarium allegata, quia illa procedunt quando Rex per modum ordinariæ iurisdictionis, & cum causa cognitione &c. Sed quando Rex procedit ad præstandam defensionem notoriè spoliato, & oppresso per alium Clericum per facti notorietatem, & euidentiam rei, non procedit tanquam Iudex, sed tantum extra iudicialiter.* Citat etiam Vasquez Didacum Castellum in l. 49. Tauri, qui eodem modo, & eisdem ferè verbis loquitur. Refert etiam Decium in citata *l. vt vim.* ff. de *Iustitiâ & Iure* conclus. 1. & 2. vbi definit quid sit notoria Iniustitia? his verbis. *Quæ colligitur ex actu.* idque probat ex Innocentio. Addit tamen in materiâ strictâ propriè non dici notorium, quod ex actu colligitur; idque probat ex Abbate in c. *Dudum* 1. colomna 2. de *Elect.* materia autem, de quâ agimus, est stricta, vt manifestum est, cùm sit odiosa, ac proinde notoria, quam solùm Iudices sæculares contra Ecclesiasticos defendere, & propulsare possunt, non est ex actis præcessus colligenda; sed ipsâ rei euidentiâ sine examine libelli, & processus. Cùm ergo prædicti Auctores solùm concedant posse Reges, & eorum tribunalia propulsare vim notoriam tantùm, & extraiudicialiter; putat Vasquez illos meritò pro hac sententiâ allegari.

931. Fundamentum verò eiusdem sententiæ est; quia hanc potestatem non habent Iudices sæculares contra Ecclesiasticos ex aliquo Iure, vt per singula discurrenti patebit; nam neque ex Iure positiuo Canonico, neque ex consuetudine aliquâ, aut præscriptione, neque ex Iure ipso naturali: ergo nullo Iure, aut modo possunt licitè talem vim, & iniustitiam auferre, & propulsare. Atque in primis, quod non habeant ex Iure Canonico patet; quia nullo textu ex ijs, quæ allegantur à Nauarro, Couarr. & Azeuedo, habetur expressè, imò, neque ex illis potest colligi specie aliquâ probabilitatis; neque ex vllo alio Textu; nam Decreta Pontificum, scilicet, Marcelli, Ioannis VIII. & Gelasij, quæ secundo, tertio, & sexto loco allegant, tantùm dicunt Magistratus sæculares debere honore prosequi, & tueri Ecclesiasticos, & brachium sæculare teneri ad impendendum suum auxilium, quando imploratur ab Ecclesiasticis. Ex quibus quomodò possit colligi quòd Magistratus sæculares possint procedere contra Ecclesiasticos Iudices, nullâ specie probabilitatis apparet, cùm in eo modo procedendi potiùs illos dedecore, & ignominiâ afficiant, quàm honore prosequantur. Certè in illis Decretis nullum vestigium est concessæ iurisdictionis sæcularibus contra Ecclesiasticos, cùm potiùs hortentur Pontifices, vt sæculares Magistratus obediant (vt tenentur) Ecclesiasticis, quando ab eis ipsi Ecclesiastici Iudices aliquod auxilium implorant: reliqui verò Textus desumpti sunt ex Sanctis Patribus, aut ex Concilijs Prouincialibus, quæ non possent leges vniuersales pro totâ Ecclesiâ condere, etiamsi tale quid haberent, quod tamen nullo modo habent. Nam, quod dicunt Isidorus, & Hieronymus proprium esse Regum facere iudicium & iustitiam, liberare de manu calumniantium vi oppressos verissimum est; nam qui ex ipso facto, & rei euidentiâ conspicitur vi opprimi, à quocumque, & multò magis à Rege debet liberari, & defendi. Si tamen de vi, & iniustitiâ non euidenter constet, & indicio debeat examinari: cùm ad rationem iudicij iurisdictio sit necessaria; Regis quidem est iudicium facere; sed inter eos duntaxat, qui ad illius iurisdictionê spectant. Quare quisque Rex circa subditos & qui eius curæ sunt commissi, tenetur ea præstare; non verò circa Ecclesiasticos, sicut nec circa subditos aliorum Regum; sic enim intelligitur illa propositio vniuersalis *proprium est Regum iudicium, & iustitiam facere &c.* Atque eodem modo expediuntur Textus, quos adducit Azeuedo, qui potius loquuntur de auxilio præstando Ecclesiasticis

Fundamentum eiusdem sententiæ.

Ad rationem Iudicij iurisdictio est necessaria.

siasticis ab ipsis sæcularibus, quam de repugnãdo illis.

932. Canon quidem ille, qui primo loco adducitur ex Concilio Toletano, videtur magis fauere Nauarro, & alijs; sed in primis illud Concilium tantùm fuit Prouinciale: secundo ibi dicitur, vt ab vno tribunali Ecclesiastico recurratur ad aliud; in quo Textu (vt notat Vasquez) quis non videat non solùm non confirmari prædictam opinionẽ; sed potius praxim, quam Regia tribunalia seruant, confutari. Nunc enim vsu receptum videmus, vt statim ab Episcopali Tribunali, non consulto Archiepiscopo, seu Metropolitano, neque appellatione vllâ ad tribunal illius factâ, ad sæcularia tribunalia appelletur. Tertio in eodem textu verum est dici, quòd si Metropolitanus eandem vim inferat, nolendo cogere sacerdotem, qui bona Ecclesiæ vsurpauit, vt ea Ecclesiæ restituat; patronus talis Ecclesiæ possit, & debeat ad Regem confugere, eiusque auxilium implorare. Sed in eo Textu (vt notat etiam Vasquez) non agitur de repellenda vi, & iniustitiâ, quæ litigatoribus in iudicio Ecclesiastico fiat, ad cuius cognitionem requiratur examen libelli, & processus; sed solùm agitur de defensione Ecclesiæ contra sacerdotem, qui eius bona vsurpauit; Quod longè diuersum est. Pro illius autem defensione contra sacerdotem præcipitur, vt res prius ad Episcopum, deinde ad Metropolitanum deferatur. Quod si ipsi nullum adhibuerint remedium; sed vim etiam intulerint: tunc Ecclesiæ patroni ad Regem confugiant, non quidem pro puniendo sacerdote; sed pro seruandis, & defendendis bonis Ecclesiæ. Quod sanè patronis non solùm Iure illo positiuo; sed etiam naturali (quod Patres Toletani in illo Canone explicârunt) licitum est, vt notat idem Vasquez.

Solutio, Prædicta Authori non placet.

933. Hæc tamen solutio mihi non placet, quia moraliter loquendo nunquam accidet, quod sacerdos aliquis ita euidenter iniustè rapiat Ecclesiæ bona, & quòd simul eum non puneant reprimant, & restituere compellant; sed potiùs defendant sui superiores videlicet Episcopus, & Metropolitanus; nisi, quando saltem aliquod ius, aut titulum, vtcumque coloratum prætendat, & aliquas habeat, & opponat rationes apparentes in iudicio examinandas. Deinde, quòd ait Vasquez, recursum ad Regem non esse vt eum sacerdotem Rex puniat: sed, vt defendat res Ecclesiæ, intelligi non potest quomodò possit eas defendere; nisi vim vi repellendo. An verò id concedat Ius naturale; quando de vi illatâ euidenter ex ipsâ rei euidentiâ non constat, adhuc restat examinandum, in casu autem posito non videtur posse moraliter loquendo euidenter constare.

Probabilius Resp. Azor.

934. Probabilius ergo respondet Azor. quòd si Episcopus, & Metropolitanus malè suâ potestate abutantur, mandat Concilium hoc Reges auribus intimari, non vt per Regẽ sacerdos, Episcopus, aut Archiepiscopus corrigantur contrà c. *Qualiter & quando* & c. *Clerici* de *Iudic.* sed, vt Rex admoneat ipsos Iudices Ecclesiasticos, vel instet coram eorum superiore, scilicet summo Pontifice, vt eos corrigat, vt docent Archidiaconus, & Egydius c. *Filij* & Butrius citato c. *Qualiter* ad finem, & ibidem Panormitanus n. 7. ad finem, & Immola n. 4. ad finem.

935. Glossa quidem in dicto c. *Filijs* cum Couarr. suprà putat posse Regem corrigere Ecclesiasticos, quando Iudex (inquit) Ecclesiasticus deest, vel deses est, vt colligitur ex c. *ex tenore* & c. *ex transmissâ. de foro* vbi habetur quòd in causâ merè sæculari; si Iudex sæcularis malitiosè se gerat contra iustitiam, tunc Iudex Ecclesiasticus in eâ causâ procedat. Ex quo Textu melius confirmatur sententia Couarr. quam ex c. *Petimus* 11. q. 1. & c. *Quidam Monachi.* 16. q. 1. c. *nec licuit* 17. dist. & similibus Textibus, quos Azeuedo, & alij congerunt, in quibus ab ipsis Iudicibus Ecclesiasticis, vel de eorum commissione, & licentiâ petitur auxilia brachij sæcularis contra personas Ecclesiasticas incorrigibiles; quòd licitum est, & longè diuersum à nostro casu, in quo personæ priuatæ implorant auxilium à sæcularibus Magistratibus contra Iudices Ecclesiasticos, contra quos auxilium ferre personis priuatis illicitum est; nisi violentia, & iniustitia per se ex facto ipso euidenter constet, vt sentit Vasquez in citatâ Apologiâ & cap. sequenti videbimus.

Gratis asseritur Reges habere priuilegia, ad repellendam iniustitiam per Iudices Ecclesiasticos factam.

936. Quod autem Bannez & Menochius & alij apud Dianam suprà dicunt Regez habere priuilegia ad repellendam vim, & iniustitiam factam per Iudices Ecclesiasticos inde negandâ appellation gratis dicitur; quia, si tale priuilegium haberent, id asseruissent Iuris periti, quibus ipsa Regia tribunalia demandata fuerunt à Rege, cùm tamen nullus eorum id affirmauerit. Item, si tale priuilegium haberent Reges, quid opus esset, vt Couarr. cum Matthæo de Afflictis, quem citat §. *Sexta non negamus*, & Nauarrus suprà dicerent in hac vi propulsandâ potiùs agi de defensione extra iudiciali, quàm de Iudiciali ordinariâ cognitione, aut examinandâ sententiâ ipsâ, an sit iusta vel iniusta? sed tantùm, an iniustè denegetur appellatio? quia nimirum vident tribunalia sæcularia nullam habere iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, nisi in casibus Iure expressis; atque in Iudices Ecclesiasticos in nullo casu; Item, quia (vt ait Azor §. *vnum est* circa finem) si tale priuilegium datum fuisset Regibus, in tot, tantisque causis, & controuersijs, quæ frequenter ortæ, tractatæ, agitatæque sunt, aliquando exhibitum & productum, aut saltem allegatum fuisset; at nunquam tale priuilegium in iudicio citatum apparet. Vnde Ceuallos apud Dianam suprà resolut. 64. negat tale priuilegium habere Regem Hispaniarum. Vide Bonacinam in Bullam Cœnæ tom. 3. q. 15. puncto 4. §. 1. nu. 17.

Tribunalia sæcularia in nullo Casu habent Iurisdictionem in Iudices Ecclesiasticos

Probatur.

937. Deinde quòd Magistratus sæculares, nullam habeant potestatem ad id acceptum per Ius Canonicum, nec per priuilegia, inde efficaciter, probatur quòd, si quòd concessissent omnia Iura Canonica allegata, vel alia quæuis, iam ea reuocata essent per recentiora Iura, vt sentiunt Panormitanus, & alij suprà citati, scilicet non solùm per c. *Qualiter & quando* & per c. *Clerici* de *Indicijs* & per alia Iura, que allegat Azor, sed etiam per Concilium Trid. sess. 25.

Dubium 5.

875. Dubitabis 5. An excuset ab obligatione denuntiandi dubium de iustitiâ compensationis, vel de impotentiâ restituendi?

Opinio multorum.

876. Multi putant non excusari; sed ligari; nisi rationabiliter quis deponat dubium. Ita Lazarius q. 10. Petrus Nauarra suprà Henriquez n. 4. Rodriguez suprà n. 11. Azor & alij locis citatis. Probant; quia; sicut detinens cum tali dubio, iniustè detinet: ita non denuntians iniustè non denuntiat, Præterea in dubio stãdum est pro superiore præcipiente denuntiationem, constat enim de præcepto, & dubitatur de illius excusatione. Quod verum etiam putant, quamuis ille, qui rem accepit, asserat se illam in compensationem accepisse; nisi fortè tantæ fidei homo sit, vt meritò illi credi possit Ita Graff. p. 1. lib. 4. c. 8 n. 12. Lazarius suprà, Nauarrus, Corduba, & alij apud Rodrig. suprà.

Ratio.

Hac in re maiori explicatione opus esse ait Author.

877. Verum in hac re maiori explicatione opus est; nam si dubium superueniat, postquàm rem illam retinens & possidens bonâ fide cœpit possidere, ille possidens iuste possidet, & retinet, atque adeò, qui scit illum sic possidere factâ diligentiâ pellendi tale dubium, etiamsi dubium adhuc maneat, non tenetur reuelare, quia eo ipso, quòd in dubijs maximè in materia Iustitiæ melior sit conditio possidentis, & possidens ipse iustè possideat non tenetur sciens talẽ iustè possidentem denuntiare.

878. Item, si talis sciens priùs prudenter indicabat retinentem illum iustè retinere, etiamsi fortè postea incipiat dubitare, an ille iustè retineat, & non possit factâ diligentiâ pellere dubium, adhuc non videtur ligari excommunicatione, si non denuntiet; quia etiam in tali casu locum habet illud axioma quod in dubijs melior sit conditio possidentis, possidebat autem homo ille suam libertatem non denuntiandi, & manifestandi, quantumuis promulgatum esset edictum eo ipso, quòd putabat illum detentorem iustè retinere: ac proinde per purum, & merum superueniens dubium non debet eâ libertate spoliari.

Difficultas remanens

879. Tota iam difficultas manet, quando nunquàm præcessit bonâ fides de possessione, aut retentione alterius, quem nouit rem alienam detinere apud se; an tunc virtute Edictorum, si non possit pellere dubium, teneatur sub excommunicatione reuelare? atque in hoc casu probabilis valde est sententia prædictorum Authorum propter rationem, & fundamentum ex eisdem allatum.

Authoris Iudicium.

880. Nihilominus valde mihi difficile apparet, quòd etiam in hoc casu teneatur; quia ex ipso tenore Edictorum ordinariè constat illos tantum obligati ad denuntiandum, qui conscij sunt talis detentionis rei alienæ; Qui autem dubitat, an alius iniustè retineat rem illam non est conscius retentionis iniustæ ergo non comprehenditur Edicto solum obligante conscios.

Confir.

881. Confirmatur ex dictis suprà dub. 47. vbi ex instituto probauimus non esse obligationem denuntiandi ea, de quibus denuntiaturus dubitat, an denuntiandus commiserit; sed in hoc casu eo ipso, quòd dubitet de iniustitiâ retinendi rem illam; dubitat an ille alius commiserit, aut committat delictum illam retinendo, &, vt ibi dicebamus, iniuria irrogeretur ei, qui suam formam possidet, si denuntiaretur, tanquàm detentor rei alienæ, extendereturque Edictum vltra id, quod in ipso exprimitur, quod fieri non debet ibi autem solùm exprimuntur scientes; non verò dubitantes, vt ibi quoque notabamus.

882. Nec refert quantum adhoc, quod dubium sit facti, aut Iuris; nam, sicut ibi in dubio facti, id est retentionis ideò diximus cum multis non teneri quia eo ipso quòd quis dubius est, an alius fecerit, non scit, quod re verâ fecerit, & in dubijs melior est conditio possidentis suam famam, vt non spolietur illâ & Edictum solùm loquitur de scientibus, non de dubitantibus: ita similiter in dubio Iuris, de quo nunc agimus, id est supposito, quòd retineat, dubitetur tamen de iusta, vel iniusta retentione, dicendum etiam est eo ipso quòd dubitetur, an iustè vel iniustè retineat, non teneri quia eo ipso quòd quis dubius est an iniustè alius retineat, non scit quòd iniustè retineat; in dubijs autem melior est cõditio possidentis suam famam, vt non spolietur illâ aut fama in quæstionem vocetur, & edictũ solùm loquitur de scientibus iniustos raptores, aut detentores rei alienæ; non verò de dubitantibus: ergo eo ipso quòd dubitat de iniustâ retentione alterius, non ligatur quis censurâ Edicti latâ contra scientes iniustam detentorem. Atque hoc puto consequenter dicturos omnes illos, quos pro nostra sententia retulimus dub. 47.

DVBITATIO LVI.

An qui occultant bona, ne à Fisco, vel creditoribus capiantur, vel in eorum fraudem contractus ineunt, & qui retinent scripturas aliquas, quæ iubentur vi Monitorij exhiberi, comprehendantur excommunicatione contra ipsos latæ?

Circa primum assertio.

883. Circa primùm asserendum est occultantes bona siue propter æs alienum, quo sunt adstricti; siue propter delictum commissum, ratione cuius eorum bona sunt obnoxia Fisco, vt eâ ratione euadant exequutionem in bonis, vel confiscationem, ligari Censurâ contenta in monitario, si bona, quæ ibi iubentur manifestare, non manifestent. Ratio est; quia huiusmodi bona non possunt in fraudem Fisci, vel creditorum retinere sequutâ sententiâ, quâ Fisco, aut creditoribus applicentur iuxta principia generalia de *restitutione*, de quibus egimus in nostro opere *de Iustitia*. Tract. de *Restitutione*. Ita Graff. 1. p. lib. 4. c. 28. n. 15. Salon 2. 2. q. 62. art 3. & 16. Aragon. ibidem. Lazarius de *Monit.* sect. 3. q. 10. Azor tomo 1. lib. 5, c. 8. & alij multi.

Ratio.

884. Idem iudicium est de ijs, qui contrahunt in fraudem creditorum, vel Fisci, vt in eodem Tract. de *Restitutione* diximus, est eadem ratio iniustitiæ factæ creditoribus, vel Fisco.

Circa secundum assertio.

885. Circa secundum de retentione scripturarum

scripturarum

rarum asserendum est non exhibentes, aut reuelantes tales scripturas regulariter loquendo sub Censurâ ligari, quando in Monitorio præcipiuntur exhibere, aut reuelare; tunc enim superior iustè præcipit, & subditus superiori iustè præcipienti obedire tenetur. Ita Suarius de *Censuris*. disp. 20. sect. 3. Regula 1. numero 2. & 3. vbi latè de hac re disputat. Item Henriquez lib. 13. cap. 18. numero 2. Filiucius Tract. 14. quæsito 9. numero 31. vsque ad 37. Auila 2.p. c. 5. disp. 4. dub. 1. Azor. suprà praxis Neapolitana cap. 2. num. 1. ad finem Riccius verb. *Praxis Monit*. decis. 273. Lasarius sect. illa 3. q. 1. Clauis Regia lib. 12. c. 20. Sed vt hoc penitius explicetur, distinctione opus est, & in quinque casibus potest dubitari de hac obligatione, quos placet sigillatim explicare.

In quinque Casibus dubitari potest de hac obligatione.

886 Primus casus est quando Scriptura manifestanda est propriè illius, qui obtinuit Monitorium sub excommunicatione, non verò possidentis, & occultantis illam; tunc enim tenetur ex Iustitia etiam seclusis litteris illam reddere domino suo; atque adeò positâ excommunicatione, potiori ratione tenetur, & incurret excommunicationem, vtpote iustè positam. Vnde etiam damna inde sequuta tenebitur restituere, vt rectè ex Syluestro probat Auila loco citato, qui limitat, dummodò Scriptura non sit eò vsque possessa bonâ fide, & ex manifestatione patiatur possidens graue detrimentum; tunc enim non tenetur manifestare, licèt feratur excommunicatio. Pro quâ sententiâ refert Vegam. lib. 3. casu 365. & aliquos Magistros; quod ampliùs constabit ex dicendis in tertio casu, & probari etiam potest à simili nam, qui statum iustè acquisitum conseruat cum bonis partim iniustè adquisitis, non tenetur; (inquit Auila) restituere bona quæ iniustè adquisiuit cum graui detrimento bonorum, quæ iustè adquisiuit: ergo ille, qui iustè possidet scripturam, non tenetur eam manifestare cum graui detrimento. Quæ ratio etiam locum habet iuxta eundem Auilam, & prædictos Magistros quando per fraudem obtinuit Scripturam.

Primus casus. *Limitat Auila.* *Probatur limitatio.*

887 Notat verò Auila, quòd, si ex occultatione talis Scripturæ tantum damni patiatur eius dominus, atque possidens illam, erit obligatio illam manifestandi, sicut debitor, quamuis patiatur damnum in pecunijs, tenebitur soluere, si creditor ex dilatione patiatur æquale detrimentum; quia in hoc casu melior est conditio creditoris; sed in hoc ego puto philosophandum cum limitationibus, & circumstantijs assignatis à nobis in nostro opere de *Iustitia*, Tract. de *restitutione*, disp. 10. dub. 3. vbi de hac doctrina latè diximus, ibi legatur.

Nota.

888. Illud sanè mihi placet, quod addit Auila, saltem quando per fraudem obtinuit quis Scripturam, & non manifestat, vt euitet detrimentum in pecunijs, quando cessauerit hoc impedimentũ teneri restituere Domino Scripturæ valorem illius spei, quam habebat vincendi in illâ lite, si manifestata illi fuisset talis scriptura, & valor ille iudicandus est arbitrio boni viri. Probat à simili, nam, quando debitor differt solutionem debiti, ne patiatur detrimentum in pecunijs proprijs, tenetur posteà resarcire creditori interesse, & damnum, quod sequitur ex tali delatione, vt docet Caietanus, 2.2. q. 62. art. 8 quod saltem est verum, quando debitum fuit iniustè contractum: ergo pari ratione in nostro casu. Hac de re latè diximus citata disp. 10. de restit. dub illa 3. prope finem numero 75.

Iudicium Authoris de additione Auila.

889 Secundus casus est, quando scriptura est propria possidentis, quia propria pecunia illam fecit, vel hæreditario Iure accepit, aut alio iusto titulo. In quo casu licèt ibi contineatur Ius alterius partis litigantis, non tenetur possidens ex iustitia eam manifestare ante præceptum Iudicis. Probatur à simili; quia in ciuilibus non tenetur quis ex Iustitiâ spóntè se offerre ad ferendum testimonium ante mandatum Iudicis: ergo neque ad exhibendam scripturam, quæ est instar cuiusdam testimonij. Ita Auila suprà cum Soto 5. de *Iustitia*, q. 7. art. 1. qui docent ex Charitate, saltem aliquando, teneri se offerre ad testificandum; vt quando proximus sine tali testimonio, aut scripturâ patietur graue detrimentum in bonis suis; semper tamen habenda ratio est odij, quod incurrit testis, aut qui exhibet scripturam ex eo, quòd non vocatus, aut inuisus se offert ad testificandum. Excusari etiam potest in nostro casu, quia talis scriptura ante mandatum Iudicis non est aliqua ratione appropriata parti litiganti.

Secundus Casus quâ do Scriptura est propria possidentis. *Probatur.*

890 Tertius casus est, quando superuenit mandatum Prælati circa talem scripturam propriam possidentis continentem tamen Ius aduersarij. In quo casu si Prælatus sub excommunicatione præcipiat illam manifestare, tenetur possidens ex iustitiâ id facere; alioquin incurret excommunicationem. Ita Auila suprà Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. casu 3. Cordub. in *Summâ*, q. 63. Ludouicus Lopez 2. p. *Instructorij*, cap. 9. circa medium & testatur Auila esse communem sententiam recentiorum. Ratio verò est, quia pars litigans iustè prosequitur Ius suum, & Prælatus iustè præcipit: ergo possidens tenetur ex iustitiâ manifestare.

Tertius casus. *Ratio.*

891. Verùm objiciet aliquis cap. 1. de *Probat* vbi Gregorius XI. determinat neminem esse compellendum, vt in medium proferat instrumentum contra se ipsum. Confirmatur, quia nemo tenetur ministrare arma contra se; Ille autem exhibendo scripturam patietur detrimentum in illâ re de quâ litigatur: ergo non tenetur exhibere.

Objicies. *Confir.*

892 Respondet Auila cum Glossâ in idem caput definitionem Pontificis intelligendam esse, quando reus pateretur graue detrimentũ, vel secundò, quando scriptura est ita propria possidentis, vt nec sit alterius partis, neque communis; quia non continet Ius aduersarij, secùs, si esset communis vtpote continens etiam Ius aduersarij.

Resp. Auila.

893 Ad confirmationem verò respondet, licèt ante præceptum Superioris non teneatur exhibere Scripturas contra se, accedente tamen mandato superioris teneri, quoniam talis Scriptura per mandatum Iudicis applicatur parti, sicut applicatur testimonium viuum. Legatur Auila disp. illa. 4. dub. 1. §. *Ad Argumentum*.

Ad Confir.

DVBITATIO LVII.

An? & quando Iudices Sæculares incurrant excommunicationem, quando compellunt Iudices Ecclesiasticos, vt censuras tollant, vel quando impediunt exequutionem Bullarum Apostolicarum?

Extorquẽs per vim absolutionem ab excomm. incurrit ipso Iure excomm.

901 DIximus dub. 33. eum qui extorquet per vim absolutionem ab excommunicatione, seu reuocationem à Censuris, excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti, incurrere excommunicationem ipso Iure, vt ibi probauimus. Præterea in Bullâ Cœnæ continetur excommunicatio 14 in ordine, quæ prædictum nostrum casum concernit. Quærimus ergo in præsenti; an prædicti Iudices incurrant eam Censuram, quando cogunt Iudices Ecclesiasticos illas Censuras tollere; vel ab illis absoluere, & quando impediunt exequutionem Bullarum Apostolicarum?

In præsenti Quæritur. &c.

Negant viri graues.

902 Negant excommunicationes prædictas incurrere viri satis graues, & quorum auctoritas possit à culpâ, vel à Censurâ excusare prædictos Iudices sæculares. Ita Henriquez lib. 3. cap. 30. numero 1. in fine Auila p.2.cap.7.disp. 2. dub. 5. post 3. conclusionem & alij recentiores, maximè Iudices non solùm laici quantum ad Iurisdictionem merè Laicam; sed etiam quantum ad personas; hi enim liberiùs loquuntur, vt Regiam Laicam potestatem pro virili extendant, & minuant Ecclesiasticam. Alij verò quantumuis Sacerdos, Laicalem potestatem nimirum videntur extollere, nec satis piè loqui, quos hic honoris causa supprimo qui plurimos videre volet, inueniet, apud Dianam 1. parte Suarum moralium resolutionum resol. 13. & 3. part. resol. 53. vbi non iuristas tantùm sed Theologos refert in copia vide etiam resol. 64. Rationem verò reddunt prædicti Auctores, quia Iudices in priori chartâ directâ ad Iudices Ecclesiasticos vtuntur precibus & monitione; & quando vlterius pergunt, non faciunt contra libertatem Ecclesiasticam, nec eam offendunt; sed potiùs defendunt ab iniquo Iudice, vel à falsâ narratione factâ Pontifici., ac proinde Iure ipso naturæ vim vi repellunt propter commune bonum: Eandem sententian sequuntur Couarrub. Didacus Perez, Montalbus, Gregor. Lopez, Auendanno lib. 1. *de exeq. mand.* cap. 1. numero 7. & 32. & lib. 2. cap. 6. & alij, quos refert, & sequitur Viualdus, numero 102. Victoria *de potestate Eccles.* numero 14. Cordub. in *Sum.* q. q. 24. & lib. 4. de *Potest. Papæ*. q. 7. Rodrig. in *Addit. ad* §. 9. *Bullæ Cruciatæ*, numero 89. Sa verb. *excommunicatio Bullæ in Cœna* numero 15. Vide Dianam locis citatis, & Suarium citandum.

Rationem reddunt.

Authori nõ placet prædictorum doctrina.

903. Sanè horum Auctorum assertio sub ea generalitate accepta nemini debet, aut potest placere; quamuis enim daremus in aliquibus casibus esse veram, in alijs vera esse non potest, vt in sequentibus patebit,

Nauarrus negat laicã potestatem posse supprimere bullas Apostolicas earumue executionẽ impedire.

904 Nauarrus in *Summâ* numero 76. & Suarius quod attinet ad Bullam Cœnæ nolunt, aut non audent sententiam dicere; sed remittunt se iudicio, & definitioni Papæ: sed idem Nauarrus *lib. 1. cons. 1. q. 21. numero 55. tit. de Constit.* negat posse laicam potestatem supprimere Bullas Apostolicas, aut earum exequutionem impedire, & ait se negasse absolutionem cuidam pœnitenti ob eam causam, & consilium dedisse alijs, ne similes pœnitentes absoluerent. Et in Apologia de *redditibus Ecclesiasticis* q. 1. docet Reges Catholicos, & eorum Auditores non posse personas Ecclesiasticas ad sua vocare tribunalia. Quibus in locis videtur mutasse sententiam, quã sequutus est *in c. Cum contingat. de Rescriptis.* & alijs locis Suarius etiam scribens defensionem fidei contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. numero 30. vsque ad 43. latè impugnat varias vias defendendi hunc vsum Iudicum Laicorum ostendens neque ex illo principio, quòd *vim vi repellere licet* neque ex aliquo textu Iuris probari hanc potestatem & tandem concludit, solùm excessione Papæ id fieri posse, vtrum autem talis concessio facta fuerit, & non reuocata, nõ audet definire, *ideo* (inquit *neq; approbare possũ nec reprob.*

Difficultas hæc non satis pro dignitate a Theologis discussa pro meliori explicatione illius in varia capita distribuitur.

905. Ex his constat Auctores inter se non consentire imò, & sibi metipsis quandoque aduersari, resque tota est difficilis, & pro re morali maximè grauis, nec a Theologis (maximè ab ijs, qui typis mandarunt suam sententiam) satis pro dignitate discussa; ideò placuit illam altiùs disputare, & explicare Qua de re præ manibus olim habui Apologiam nostri Gabrielis Vasq. vbi multa ad nostrum institutum accommodata dixit, quamuis non omnia mihi probanda videantur. Rem totam in varia capita distribuam, vt meliùs explicetur.

CAP. I.

Iniustitiam, & vim ab Ecclesiasticis Iudicibus illatam, quæ absq; vllâ libelli ex processus examinatione per se, & evidenter patet; licitum esse, etiam per vim Magistratibus sæcularibus contra Ecclesiasticos, & è contra repellere.

Personæ etiã particulari Iure naturali licet vim vi repellere.

906. CVm Ius ipsum naturale priuatæ cuicumque personæ concedat, aut etiam sæpè iubeat vim, & iniustitiam manifestam sibi, aut alteri à quouis illatam vi quoque repellere: non minus Magistratibus sæcularibus contra Ecclesiasticos, & è contra Ecclesiasticis contra sæculares idem concessum aut etiam præceptum esse ingenuè fateri debemus. Nec enim curandum est à quo inferatur ea iniuria, & vis dommodò de eâ manifestè constet, vt Iure naturali eam repellere possit quicumque Magistratus, aut quæcumque persona, quæ vires habeat ad eam repellendam; nam in tali repulsâ nullus Iurisdictionis actus ab vno in alterum exercetur, ac proinde ad id nulla opus est Iurisdictione repellentis contra inuasorem. Vnde in hac manifestâ violentiâ repellendâ simplici modo defendendi vti possunt Magistratus; sicut, & priuata quæcumque persona in aliam sibi æqualem ad repellendam manifestam vim, & iniu-

Nec ad hoc opus est Iurisdictione.

iniustitiam. Qua propter vis illata (vt indicabam) talis esse debet, vt absque vllo libelli, & processus examine per se ipsam euidenter constet, & manifesta sit; nam ad eam repellendam, quæ ex actis in iudicio colligenda est, nullum est Ius defensionis; nisi in ipso etiam iudicio, & apud superiorem Iudicem, qui ad id habeat iurisdictionem suprà inferentem vim, quod per se patet, si loquamur de priuatis personis. Quod autem id locum etiam habeat in Magistratibus infra probabimus. Porro hanc manifestam vim posse repellere Magistratus sæculares contra Ecclesiasticos, vel Ecclesiasticos contra sæculares in tribus casibus contingit. Primo, quando nullo pretextu publici officij, seu potestatis; sed tanquàm priuata persona, & extra Iudicium vim infert. Secundò, quando prætextu publici officij Iudex aliquis aliū spoliaret re suâ, antequàm vllo modo audiat ius, quod contra ipsum habetur, vel, quod ipse habet. Tertiò, quando Iudex Ecclesiasticus in suo tribunali de personâ laicâ, & sæculari, neque ad suum Tribunal pertinente cognoscit; in his enim casibus Iudex sæcularis iniuriam illatam vi etiam propulsare rectè potest; atque, si potest, sæpè ad id tenebitur. Idemque potest, aut debet Ecclesiasticus Iudex contra sæcularem Magistratum, si ab illo persona aliqua Ecclesiastica, aut etiam laica (in causâ tamen merè Ecclesiasticâ) iniuriam pateretur, cum hoc conueniat iuri naturali, quod omnibus æquale esse debet. Vnde frequenter videmus in tertio casu Iudices Ecclesiasticos contra sæculares procedere, etiam Censuris, & alijs pœnis Ecclesiasticis ipsos cogendo, vt de personâ, aut de causâ ad ipsos minimè pertinente non cognoscant. In quo casu non infertur vis in ipso iudicio, & causæ cognitione, & prolatione, aut denegatione sententiæ (quæ vis solùm à Iudice superiori per appellationem repellenda est) sed in se ipsâ manifestâ. Ita sentiebat Vasquez in citatâ illâ Appollogiâ manuscriptâ, & à fortiori sentire tenentur omnes Authores citati & infrà citandi, qui dicunt magistratus sæculares posse vim etiam in iudicio illatam ab Ecclesiasticis, repellere. Ideò Diana part. 3. Tract. 1. Resol. 53. meritò pronuntiauit loquens de Regibus *licitum esse vim vi repellere quando vis est clara & manifesta.*

Vterque Magistratus contra iniuriam potest vim vi repellere in tribus casibus.

Primò. Secundò. Tertiò.

Quod si vsurpatio Iurisdictionis non esset manifestè iniusta; quia nimirum ex vtràque parte essent opiniones, aut rationes probabiles, tunc contentio, seu lis de vsurpatâ Iurisdictione inter iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem, tantùm potest, & debet per Iudices arbitros conuentione partium assignatos dirimi; est enim eadem ratio, quæ lite vtrinque probabili orta inter supremos principes, de quo doctè tractat Vasquez 1. 2. disp. 64. c. 3. Cum enim nec Iudex Ecclesiasticus sæculari, nec sæcularis Ecclesiastico subditus sit; etiamsi vous in alterum sententiam proferat, alter ad obediendum ei nullo prorsus Iure teneatur; ac proinde, nec vi aliquâ, aut pœnâ ad parendū sententiæ, tanquàm inobediens adigi, aut puniri poterit. Quod autem ratione contrariarum opinionum, hoc bellum non possit esse iustum ex vtràque parte, nec vi, aut armis dirimi possit; sed alterius iudicio sit omninò standum, latè & doctè docet, & probat Vasquez *disp. illâ 64. citato* c. 3. Quidquid sit alioquin de probabilitate sententiæ quòd propter opiniones probabiles possit esse bellum iustum, certè in hac materiâ maxima turbatio esset in Republica si possent in tali casu pugnare inter se Ecclesiastici & sæculares Iudices.

Quando verò essent rationes vtrinque probabiles Arbitris lis dirimi deberet.

CAP. II.

Quonam modo, & quo Iure Magistratus Regij, & tribunalia sæcularia litteras Apostolicas examinare, & earum Exequutionem impedire licitè possint?

908. Asserendum est primò, posse Magistratum, & Tribunalia sæcularia in locis longè à Pontifice distantibus has literas Apostolicas examinare antequam exequutioni mandentur, vt clariùs constabit ex dicendis in tertiâ assertione. Ratio est, quia, vt rectè Vasquez tradit in Apologiâ citatâ quamuis tribunalia sæcularia nihil, vel minimum, iurisdictionis habeant in Pontificem; tamen, cùm literæ Apostolicæ iniquâ narratione, aut, veritate suppressâ, interueniente falsitate, aut dolo, aut ignorantiâ impetrari potuerint, opus est vt, antequàm ad exequutionem veniatur, examinentur; an aliquid subreptionis contineant? Quod nisi fieret, non parua, nec pauca incommoda, contra cōmune bonum sequeretur, quando Papa, aut Princeps alius (est enim idē iudicium de literis aliorum Principum) longè distat. Nec satis est, si huiusmodi literæ Apostolicæ ab Ecclesiasticis Iudicibus examinentur; nam cùm Reges iustè timere possint literas illas iniquâ relatione contra priuilegia sibi à Sede Apostolicâ concessa, & contra Ius Patronatus ipsorum, aut aliorum sæcularium in damnum eorumdem patronorum impetratas fuisse: ratio ipsa postulare videtur, vt principes ipsi, si velint, aut eorum tribunalia prædictas literas legere, & examinare queant, priùs, quàm exequutioni mandentur, neque hic vsus est contra debitum ordinem tribunalium, & Iurisdictionum, quandoquidem mandatum superioris, quòd in remotas partes scriptum defertur, legi insinuari, & explicari debet contrariæ parti, priùs, quàm exequutioni mandetur, vt si quid contra ipsum habet, respōdeat. Ergo Reges, & potestates sæculares, tanquàm partes, quibus, vel suis subditis nocere illæ literæ possunt, eadem poterunt, videre, & examinare.

Assertio 1.

Ratio.

A Magistratu sæculari examinari possunt literæ Apostolicæ.

909. Asserendum est 2. si tales literæ concessæ sint pro exequutione rei, seu causæ, de quâ in tribunali Pontificis seruato Ordine Iuris, & auditis partibus, ac re discussâ & plenè examinatâ, pronuntiata fuit sententia, si de hoc constiterit, & quod tales literæ verè à Pontifice manârint, nec manu alicuius falsarij sint confictæ; tunc non solùm in perpetuum supprimi non poterunt; verum neque ad tempus detineri; sed statim permittendum est, vt virtute illarum ad exequutionem procedatur. Ratio autem est, quia de iustitiâ, vel iniustitiâ talis sententiæ

Assertio 2. quod si literæ concessæ sint auditis partibus &c. statim permittendū vt exequutioni mandentur.

Ratio est.

sentiæ à Pontifice latæ constare nullo modo potest, nisi examinando processum, seu libellum, & acta illius, ad quod opus est iurisdictione, quam Reges & eorum tribunalia sæcularia non habent suprà Pontificem, neque suprà tribunalia Ecclæsiastica.

Exposito principio clarè infertur. 910. Ex hoc principio clarè infertur, vt postea dicemus, nullo modo potestatem sæcularem posse vi repellere vim illatam ab Ecclesiasticis; nisi manifestè sine cognitione, & examinatione iudiciali de tali vi constaret. Alioquin, si tribunali sæculari liceret examinare causas agitatas in tribunalibus Ecclesiasticis prætextu repellendi vim, & iniustitiam illatam à Iudicibus Ecclesiasticis; etiam esset licitum Ecclesiasticis Iudicibus, & summo Pontifici examinare causas agitatas in tribunalibus Regijs, & sæcularibus prætextu repellendi vim, & iniustitiam factam à Iudicibus sæcularibus. Quod esset perturbare totum ordinem, & pacem Reipublicæ. Vnde ratio naturalis dictat, quòd, si post appellationem à tribunali inferiori ad superius adhuc in suppremo tribunali aliqua fieret violentia, & iniustitia alicui, illa diuino iudicio potiùs reseruetur, quàm, quòd Iurisdictionum ordo inter sæcularem, & Ecclesiasticam potestatem perturbetur; nam intolerabilis esset error asserere, quòd possint Principes sæculares cogere Pontificem, vt libellum, & acta ex quibus sententiam protulit ad se mittat, vt examinatâ causâ ipsi expendant, & videant, an, sententia pronuntiata â tribunali Pontificio fuerit iusta, vel iniusta? sicut neque etiam Pontifex cogit Imperatorem, aut Regem, vt ad se causas examinandas mittat; sed iudicio Diuino relinquat. atque hoc, quod dicemus de Rege respectu Pontificis, & è contra, eodem modo dicendum est ob eandem rationem de quocumque tribunali sæculari respectu Ecclesiastici, & è contra. Ita Vasquez loco citato; nec contra hoc vidisse contigit aliquem Auctorem ex ijs, qui sua scripta typis mandârint.

Error intolerabilis.

Assertio 3. si litera concessa fuerint petitioni vnius partis non auditâ alterâ impediri potest a tribunali sæculari earum Exsequutio quousque &c. 911. Asserendum est tertiò, si literæ Apostolicæ alicui concessæ fuerint contra alium non examinatâ causâ, neque ex actis processus, seu libelli pronuntiatâ sententiâ, sed absque citatione contrariæ partis solâ relatione, & petitione alterius, vt pro obtinendo beneficio, quod alius possidet; vel, ad quod alius habet ius obijciendo illi crimen depositione dignũ, vel aliud quidpiã huiusmodi literæ non solùm ad sæcularia tribunalia prius deferendæ sunt, si Magistratus sæculares ita velint; sed etiam à Iudicibus secularibus examinatæ detineri possunt, non quidem in perpetuum suppressæ, appellatione verbotenus solùm interpositâ, neque vllâ causâ, aut ratione in contrarium Pontifici propositâ; absit sed quousque Pontifici insinuetur; an aliquid contra iustitiam literæ illæ contineant, eo quòd falsâ aliquâ relatione impetratæ videantur; id quod manifestè colligitur ex c. *si quando de Rescriptis.* vbi sic dicitur *Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prauâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* Neq;

Colligitur ex c. si quando de Rescriptis.

Non obstat.

obstat quòd hoc loco Pontifex non loquatur cum Magistratu sæculari, sed Ecclesiastico; nam eadem erit omninò ratio de sæculari hoc ipso, quòd ei licitum sit mandatum Pontificis in suo Regno legere, & examinare, priùs quàm ad exequutionem procedatur. Ita docet Corduba in *summa* q. 35. Driedo lib. 2. *de libertate Christiana* c. 2. Acosta q. 69, & Vasquez suprà, item Couarr. in *Pract.* c. 35. n. 4. qui hoc ipsum colligit, & doctè probat n. 6. ex multis Decretis Pontificum, & legibus Ciuilibus Iuris Cæsarei, atque hoc facere posse Reges probat hic Author, nequid fiat, & obtineatur falsis præcibus, & importunis suggestionibus contra Regni Regumque priuilegia, & Apostolicas concessiones; Item, ne literæ summi Ecclesiæ Præsulis contra publicam spiritualis Ecclesiastici, & temporalis Regni vtilitatem præter ipsius concedentis voluntatem, & consensum exequutioni mandentur. Driedo verò probat id Reges posse propter abusus tollendos, ne præficiantur extranei, aut non idonei, aut qui propter nimiam importunationem falsasque suggestiones literas Apostolicas impetrârunt, vel impetratis contra fas vti volunt ad oppressionem, quos longis litibus grauibusque sumptibus interdum vexant; non quidem id licet, eo quòd potestas sæcularis velit sibi, aut iudicium rerum Ecclesiasticarum vsurpare, aut viros idoneos authoritate Apostolicâ institutos impedire; sed, quòd velit ad ædificationem Reipublicæ statum Ecclesiasticum promouere. *Driedo probat id Reges posse.*

912. Hoc ipsum videtur esse permissum in Bulla Cœnæ Domini nam Capite, seu numero 14. Excommunicantur sæculares Iudices, qui causas beneficiales, ac alias spirituales ad se auocant, & prætextu violentiæ prohibendæ literas Apostolicas impediunt donec ipsi (vt dicunt) ad Sedem Apostolicam informandam supplicauerint. Statim verò additur, *nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur*, quasi dicatur, si supplicationes huiusmodi re verâ prosequantur, licitum esse eiusmodi leteras interim detinere, aut supprimere. Quòd autem sine huiusmodi prosequutione non possint in perpetuum supprimi, manifestũ est; tum ex verbis Bullæ citatis, tum etiam ratione; quia adhoc appellatio interponitur, vt ille, ad quem appellatur, certior fiat de aliquâ re, quam in concessione mandati non videtur cõsiderasse. Supprimere autem illas in perpetuum nullâ interpositâ appellatione eo quòd iniustè videantur, absurdum omninò est, nam quantumuis videantur iniustæ, opus est Authori earum rationem iniustitiæ proponere, & hoc dignitati illius deferre; fieri enim poterit, vt rationi, ob quam iniustæ videntur, ab illo planè satisfiat. Quo circa iustitia ipsa postulat, vt responsum illius expectetur. Quòd si accepto responso à Pontifice, in literis illis iniustitia euidenter non appareat: nullâ ratione exequutio illarum impediri posset. Si verò propositâ ratione Pontifici ille adhuc insisteret, vt literæ exequutioni mandentur, iniustitia tamen in illis euidenter appareret, possent in perpetuum impediri. quam sententiam rectè colligit Vasquez ex doctrinâ traditâ à Ludouico Messia in

Videtur etiam permissum in Bulla Cœnæ Domini.

Licet tales literæ essent iniusta non possunt in perpetuum supprimi nulla interpositâ à appellatione.

Quod si propositâ ratione euidentis Iniustitia pontifex adhuc persistat possint, in perpetuum impediri.

in l. Toleti, cap. 2. fundam. 11. numero 49. vbi agit quo pacto litteris Regiis obediendum sit, ait enim neque primo mandato Regis, neque secundo, neque tertio, quod manifestam iniustitiam continet. parendum esse; id quod apertè statutum est in l. 3. Regni Castellæ tit. 14. lib. 4. compil. vbi dicitur. *Mandamos que si entre partes y priuadas personas ouiere contienda, o debate, y en per Iuizio de qual quiera dellas se diere alguna nuestra carta, o prouision, y sobre ella se dé segunda Iussion, y otras quales quier nuestras cartas, y sobre cartas conquales quier penas, y clausulas derogatorias, y firmezas, abrogationes, y derogationes, y dispensaciones, generales, ó especiales, aunque se digan proceder de nostro proprio motu y cierta ciencia, y poderio Real, absoluto; que sin en bargo de todo a questo, todavia es nuestra merced y voluntad que la dicha Iusticia florezca, y sea dado, y guardado enteramente a cada vno su derecho, y no reciba agrauio, y perjuizio en su iusticia &c.* Atque ita interpretatur idem Ludouicus legem quandam Partitarum Regni Castellæ, quæ oppositum asserere videtur, vt scilicet intelligatur solùm, quando mandatum Principis non continet manifestam iniustitiam. Cùm ergo nostri Reges Castellæ in citatâ l. 3. nihil profectò ex propriâ voluntate merè liberè, & absque vllâ obligatione procedentes, sed ipsum potius Ius naturale, quo tenentur explicantes, velint, vt neque primo neque secundo, neque tertio, neque cuicumque alteri mandato ipsorum obediatur, quando manifestam contra aliquem iniustitiam continent. Cur quæso, non id ipsum existimabimus de summis Pontificibus Iustitiæ, & sanctitatis magistris? semper scilicet velle, semperque voluisse, vt in simili casu suis mandatis non obediatur, ut optimè doctè, pariter & piè notauit Vasquez.

Non sufficit vt Magistratus sæcularis etiã probabiliori ratione, iudicet litteras iniustitiam continere Ratio.

913 Illud tamen cum eodem est valde probabile; non censeri manifestam in iustitiam, ob quam solam Pontificia litteas perpetuò impedire liceat, id quod Magistratibus Sæcularibus probabile solùm, vel etiam probabiliori ratione contra Iustitiam esse videatur. Nam, ut Pontifex nulli faciat iniustitiam, aut vim inferat, quã sæculares Magistratus, etiam vi repellere possint, satis est, si opinione probabili ductus illud decernat; ac proinde Iudices sæculares grauiter errarent, & debitum modum excederent, si probabili, aut probabiliori solùm opinione iudicantes id, quod litteræ postolicæ continent, contra iustitiam esse, eas impedirent, & perpetuò supprimere auderent; sicut etiam grauiter errarent, si ita se gererent in reuocandis sententijs latis à Iudicibus Ecclesiasticis.

Huic vltimæ doctrinæ satis probabiliter oppo-ni potest.

914. Huic vltimæ doctrinæ opponi potest satis probabiliter id, quod alibi non semel diximus, & nonnulli graues Auctores opinantur nempe subditum non teneri ad obediendum, saltem cum magno suo detrimento, quando tã superior, quàm subditus vterque nititur opinione probabili, de quo etiam agendum est in materia de conscientiâ. Cur enim non poterunt detineri litteræ, ne cum periculo cadendi suâ causâ possessione priuetur interim dum suas rationes probabiles proponit Summo Pontifici; nam illis auditis forsan Pontifex nolet, vt spolietur re possesiâ, maximè cùm eo ipso, quod probabile sit id, quod à superiore præcipitur, esse iniustum, probabile etiam sit in eâ re non esse Superiorem; nemo enim est superior ad præcipiendum iniustè, & quia probabiliter præcipit iniustè; probabiliter subditus est deobligatus obedire. Quam doctrinam latè cum multis tradidimus disp. 1. huius Tractatus, dub. 24. *Atque vt hoc obiter, num.* 353. vbi ostendimus non solùm ex merâ ignorantia, sed etiam ex diuersitate opinionum posse dari bellum iustum ex vtrâque parte.

Nemo est superior ad Præcipiendum iniustè

Alij satis probabiliter docent.

915. Ex alio etiam capite docent alij satis probabiliter posse Reges, seu eorum suprema tribunalia detinere litteras Apostolicas, & impedire earum exequutionem; quando, scilicet, committuntur alijs Iudicibus; quàm Ordinarijs contra Decretum Tridentini sess. 24. cap. 20. & sess. vltimâ cap. 10. cui non vult Papa derogari; nisi specialiter. & expresè id dicat; quia Reges, ac Principes omnes monet Tridentinum sess. 25. cap. 20. vt obseruent & obseruare faciant decreta ipsius Concilij.

CAPVT III

Quid censerint Auctores Canonistæ circa potestatem sæcularem Principum contra, seu supra potestatem Iudicum Ecclesiasticorum, quando vim inferunt?

Theologi hac de re valde pauca ediderunt.

916. Circa hanc rem Theologorum Schola ante nostram ætatem præsentis sæculi parum, aut ferè nihil pronuntiauerat, aut in lucem ediderat, imò adhuc valde parum. Ex Iuris peritis verò Nauarrus in c. *Cum contingat, de Rescriptis.* remedio, 1. Couarrub in pract. qq. c. 35. Azeuedo in l. 2. Regni Castellæ tit. 6. lib. 1. compil. docent posse Magistratus sæculares vim vi repellere contra Ecclesiasticos Iudices) quoties litigatori denegatur appellatio interposita debito tempore, & ordine à Iudicibus Ecclesiasticis, vt eâ appellatione non obstante ipsi Iudices procedant, vel procedere possint ad sententiæ exequutionem. Idem docet Menoch. de *retinendâ possess.* remed. 3. numero 354. & sequentib. Rebuff. tomo 3. Tract. de *Appellat.* n. 14. Hos auctores sequitur, & plures alios refert Bobadilla in suâ Politicâ lib. 2. cap. 16. numero 90. & cap. 18. numero 139 item Acosta suprà Bullam Cruciatam. q. 52. & 69. circa finem.

Opinio aliquorum Iurisperitorũ.

Ex theologis sese prædictis Canonistis adiungit Bannez.

917. Ex Theologis verò prædictis Canonistis sese adiungit Bannez. 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 6. conclus. 6. quem (vt audio) sequuntur alij non pauci ex suâ Dominicanâ familiâ; neminem tamen alium legisse mihi contigit præter ipsum Bannez. Addit etiam Diana par. 3. Tract. 1. resol. 64. Cardinalem quoque Bellarminum testari de hoc priuilegio in Tract. de Summo Pontifice contra Barclaicum, item Suarium in defensione fidei quem retulimus suprà in hac dub. num. 904. sed Suarius falsò refertur potius enim dicit sibi non constare de hoc priuilegio, vt vidimus loco citato. Bellarminus etiam ibi in illo versu *addebat* quem refert Diana nihil clarè dicit sed generaliter loquitur referens se ad alios auctores; præsertim ad Iulium Clarum

&

& alios in similibus alijs casibus, vt eundem Bellarminum referens notauit Suarius loco citato num. per errorem 29. qui debuisset esse 31. versiculo *Quapropter mihi.*

Nauarri opinio.

918. Sanè Nauarrus, quem alij sequuntur, eò etiam progreditur, vt doceat Principes, seu Magistratus sæculares habere hanc potestatem ex Iure antiquo Ecclesiastico, ac proinde ex voluntate Pontificum. Quod putat probari ex c. *Filijs, vel nepotibus* 16. q. 7. quod est Concilij Tolet. 9. c. 1. Item ex c. vltimo 96. distinc. Tertiò ex c. *Administratores* 23. q. 5. Quartò probat ex c. *Principes* ibidem: quod tamen. c. est Isidori. Quintò probat ex c. *Regum*, eâdem; quod est Hieronymi. Sextò ex c. *Christianis* 11. q. 1.

919 Azeuedus verò præter citata Iura affert etiam c. *Petimus* 11 q. 1. quod est Concilij Carthaginensis, & c. *Quidem Monachi*. 16. q. 1. quod est Concilij Calcedonensis, & c. *Romana*, §. *sanè de Censibus*, & c. *Romana de Pœnis*. in 6.

Recentiorũ aliquorum opinio.

920. Menochius verò, Rebuff. & Bannez, alijque recentiores dicunt id esse concessum Regibus, & Magistratibus priuilegio Pontificio.

921. Alij tandem Iuris periti qui sua scripta non typis mandârunt, hanc vulgarem, & plausibilem opinionem sequuntur addentes hanc potestatem in Ecclesiasticos, Regibus conuenire, etiam Iure præscriptionis, & consuetudinis longæuæ, atque ita stabilitum, esse, & confirmatum legibus nostri Regni Castellæ, vt patet ex l. 36. tit. 5. lib. 2. Compil. vbi dicitur hanc potestatem ex Iure, & ex antiquâ consuetudine, & præscriptione habere Reges in Iudices Ecclesiasticos.

Nullâ consuetudine aut præscriptione à sæcularibus obtineri potuisse hanc potestatem asserit Nauarrus.

922 Verum de hac consuetudine, & præscriptione plerique alij nihil dixerunt, & Nauarrus loco citato remedio. 1. §. *ex quibus infertur*, expressè asserit nullâ consuetudine, aut præscriptione à sæcularibus obtineri potuisse hanc potestatem in Ecclesiasticos, cùm omnis (inquit ille) sæcularis talis Iurisdictionis incapax sit. Et quamuis Couarr. & cæteri doctores allegati non solũ dicant id habere ex Iure Canonico; sed etiam probent id licere Regijs, & sæcularibus tribunalibus ratione maximæ vtilitatis boni communis; &, quia alioquin Respublica magna pateretur incommoda à Iudicibus Ecclesiasticis, eò quòd hi longè à Sede Apostolicâ positi aliquando suâ potestate ordinaria cùm maximo aliorum detrimento abutantur; nunquam tamen asserunt Iure ipso naturali Iudicibus sæcularibus prædictam potestatem conuenire; quamuis (vt verum fatear) eorum ratio id videatur probare.

923 Prætereà quamuis prædicti Auctores nihil distinguant inter appellationem interpositam à definitiuâ sententiâ, & à sententiâ interloquutoriâ; tamen cùm per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. de *Reform.* appellari legitimè possit non solùm à definitiuâ sententiâ, sed etiã ab interloquutoriâ, quæ vim habeat definitiuæ, & cuius detrimentũ, seu grauamen reparari nequeat per appellationem à definitiuâ; sanè eorum opinio intelligenda videtur vniuersaliter, siue negetur appellatio à definitiua, siue

Ioan. de Dicastillo: de Censur.

ab interloquutoriâ tali.

Huic sententia sic explicata consentiunt recentiores Iuris periti non pauci.

924 Huic sententiæ sic explicatæ libenter consentiunt Recentiores non pauci Iuris periti maximè ex ijs, qui in Curia Matritensi, vel in Cancellariâ Vallisoletanâ, & Granatensi versantur, & qui ad similia munera se parant, & aspirant in Salmanticensi, Complutensi, & Vallisoletanâ Academijs.

Notant verò hæc duo maximè inter se differre nempe Magistratus sæculares cognoscere, &c.

925. Notant verò maximè inter se differre hæc duo nempe Magistratus sæculares cognoscere, aut iudicare de Iustitiâ, vel iniustitia sententiæ pronuntiatæ per Iudicem Ecclesiasticum declarando contra ipsum eam iniustam fuisse, ac proinde illam iubendo, aut faciendo reuocare; & iudicare solùm de iniustitiâ, quæ fit ab Ecclesiasticis denegando appellationem opportunè, & secundum Iura legitimè interpositam. Atque illud prius inquiunt non licere; quia nimium est actus Iurisdictionis ex allegatis, & probatis: qui actus sæcularibus in Ecclesiasticos conuenire non potest; posterius autem licitum & maximè in Republicâ nostrâ necessarium est, tùm quia nulla in eo exercetur Iurisdictio, sed extraiudicialiter declaratur iniustitia negandi appellationem; quod maximè licere illis videtur; quia nisi remedium hoc litigantibus contra Ecclesiasticos superesset, multa absurda; & incommoda Resp. Christiana pateretur.

926 Hoc etiam videntur sentire Nauarrus, & Couarrub. sup. Nauarrus, enim docet vim illam illatam à Iudicibus Ecclesiasticis, tantùm extraiudicialiter auferri à laicis, seu sæcularibus Magistratibus. Couarrub. verò ait per Magistratus sæculares non cognosci de iustitiâ appellationis deferendæ ad summum Pontificem, vt ab ipsis sententia reuocetur, aut confirmetur; sed tantùm ad hoc, vt tollatur illa vis, & iniuria, quæ aduersus Sacros Canones, & auctoritatem Sedis, Apostolicæ fit appellanti ad eandem. Atque ad hunc finem solùm præcipitur Iudici, quòd appellationem concedat, & absoluat eum, quem excommunicauerat, propterea quòd appellasset; atque omnia acta post appellationem retractet, ac reducat in eum statum, quo erant tempore appellationis, & sententiæ. Hæc eisdem ferè verbis Couarrubias.

927. Verum si hæc doctrina vera sit, in ipso tantùm Iure naturali fundanda videtur contra Nauarrum. Confirmari verò potest, quia in hoc sæculares Magistratus nihil faciunt contra sacros Canones neque contra auctoritatem, & potestatem Pontificis, sed eam tuentur, & adiuuant contra violentiam, & iniustitiam Iudicum particularium; qui eam lædunt, maximè, cùm illi post legitimam appellationem interpositam iam non sint Iudices; sed tyranni, & tanquàm personæ particulares, vim inferant non solum ei, qui appellat; sed etiam ipsis Canonibus Ecclesiasticis, contra quorum præscriptum renuunt appellationi deferre; imò, & ipsi potestati Ecclesiasticæ, & spirituali iniuriam faciunt quæ non in destructionem, sed in ædificationem data fuit à Christo Domino.

Quando iudex sæcularis contra Ecclesiasticũ

928 Hanc doctrinam in Iure Naturali fundatam tradidisse videtur Decius in l. *vt vim. ff. de Iustitiâ, & Iure.* numero 25. vbi ait tunc posse Iudicem sæcularem contra Ecclesiasticum de-

fendere

defendere possit litigatorem, iuxta Decium.

fendere litigatorem; quando ab Ecclesiastico patitur damnum, quod reparari nequit. Explicat autem id contingere, quando ad executionem proceditur non obstante appellatione. Idem quoque docet Platea in l. *Prohibitum C. de Iuri Fisci.* lib. 10. qui non loquuntur de vi illatâ solùm à Iudice Ecclesiastico; sed à quocumque Iudice, nec de personâ tantùm publicâ repellente; sed de quacumque, ita, ut quisque possit eâ vim repellere, siue fuerit is, qui damnatus fuerat per sententiam, siue quicumque alius potens. Quoties autem ipse damnatus potest se ipsum etiam contra Iudicem, quantumuis Ecclesiasticum tueri: potiori ratione poterit Princeps, aut Magistratus sæcularis, qui ad hoc potestatem videtur habere; quippe cui ex officio incumbat subditum suum defendere ab iniquâ vi.

Difficultas.

929. Solum restat difficultas, cùm vis & iniustitia de quâ loquimur circa negandam appellationem non possit cognosci nisi ex actis in iudicio, examinareque libello, & processu causæ; an? & quâ ratione possit Magistratus sæcularis cogere Iudices Ecclesiasticos ad exhibendum libellum, & processum, cum talis coactio fieri non possit iustè (nisi ab habente iurisdictionem in Ecclesiasticos, de quo in sequentibus dicemus, maximè c. 5. vbi nostram sententiam explicabimus.

CAP. IV.

Quid sentiant alij Auctores præsertim Theologi circa propulsandam vim illatam in deneganda appellatione a Iudicibus Ecclesiasticis per sæculares Magistratus?

Sententia Azoris & Vasquez.

930. QVod non non possint Magistratus sæculares cogere Iudices Ecclesiasticos, vt abstineant ab exequendâ sententiâ, quam tulerunt, etiamsi legitimè ab eâ fuerit appellatum, sentiunt Azor. tom. 2. lib. 5. c. 12. q. 1. §. *sed dubitare posset*, & Vasquez in Apolog. de hac re sæpe citatâ. Plures autem Canonistas refert Azor. ibi §. *ex dictis infertur*, & Vasquez pro hac sententia citat Matthæum de Afflictis in Praxi Neapolitana, vbi decis 24. n. 4. ait posse quidem Regem auctoritate propriâ defendere Clericum, qui ab alio Clerico iniustè expoliatus est, non tamen per modum cognitionis iudicariæ. Et n. 6. inquit *neq; obstant in contrarium allegata, quia illa procedunt quando Rex per modum ordinariæ iurisdictionis, & cum causa cognitione &c. Sed quando Rex procedit ad præstandam defensionem notoriè spoliato, & oppresso per alium Clericum per facti notorietatem, & euidentiam rei, non procedit tanquàm Iudex, sed tantum extra iudicialiter.* Citat etiam Vasquez Didacum Castellum in l. 49. Tauri, qui eodem modo, & eisdem ferè verbis loquitur. Refert etiam Decium in citata l. *vt vt vim. ff. de Iustitiâ & Iure* conclus. 1. & 2. vbi definit quid sit notoria Iniustitia? his verbis. *Quæ Colligitur ex actis.* idque probat ex Innocentio. Addit tamen in materiâ strictâ propriè non dici notorium, quod ex actis colligitur; idque probat ex Abbate in c. *Dudum* 1. columna 2. de *Elect.* materia autem, de quâ agimus, est stricta, vt manifestum est, cùm sit odiosa, ac proinde notoria, quam solùm Iudices sæculares contra Ecclesiasticos defendere, & propulsare possunt, non est ex actis præcessus colligenda; sed ipsâ rei euidentiâ sine examine libelli, & processus. Cùm ergo prædicti Auctores solùm concedant posse Reges, & eorum tribunalia propulsare vim notoriam tantùm, & extraiudicialiter; putat Vasquez illos mentô pro hac sententiâ allegari.

Fundamentum eiusdem sententiæ.

931. Fundamentum verò eiusdem sententiæ est, quia hanc potestatem non habent Iudices sæculares contra Ecclesiasticos ex aliquo Iure, vt per singula discurrenti patebit; nam neque ex Iure positiuo Canonico, neque ex consuetudine aliquâ, aut præscriptione, neque ex Iure ipso naturali: ergo nullo Iure, aut modo possunt licitè talem vim, & iniustitiam auferre, & propulsare. Atque in primis, quod non habeant ex Iure Canonico patet; quia nullo textu ex ijs, quæ allegantur à Nauarro, Couarr. & Azeuedo, habetur expressè, imò, neque ex illis potest colligi specie aliquâ probabilitatis; neque ex vllo alio Textu; nam Decreta Pontificum, scilicet, Marcelli, Ioannis VIII. & Gelasij, quæ secundo, tertio, & sexto loco allegant, tantùm dicunt Magistratus sæculares debere honore prosequi, & tueri Ecclesiasticos, & brachium sæculare teneri ad impendendum suum auxilium, quando implorauit ab Ecclesiasticis. Ex quibus quomodò possit colligi quòd Magistratus sæculares possint procedere contra Ecclesiasticos Iudices, nullâ specie probabilitatis apparet, cùm in eo modo procedendi potiùs illos dedecore, & ignominiâ afficiant, quàm honore prosequantur. Certè in illis Decretis nullum vestigium est concessæ iurisdictionis sæcularibus contra Ecclesiasticos, cùm potiùs hortentur Pontifices, vt sæculares Magistratus obediant (vt tenetur) Ecclesiasticis, quando ab eis ipsi Ecclesiastici Iudices aliquod auxilium implorant: reliqui verò Textus desumpti sunt ex Sanctis Patribus, aut ex Concilijs Prouincialibus, quæ non possent leges vniuersales pro totâ Ecclesiâ condere, etiamsi tale quid haberent, quod tamen nullo modo habent. Nam, quod dicunt Isidorus, & Hieronymus proprium esse Regum facere iudicium & iustitiam, liberare de manu calumniantium vi oppressos verissimum est; nam qui ex ipso facto, & rei euidentiâ conspicitur vi opprimi, à quocumque, & multò magis à Rege debet liberari, & defendi. Si tamen de vi, & iniustitiâ non euidenter constet, & indicio debeat examinari; cùm ad rationem iudicij iurisdictio sit necessaria; Regis quidem est iudicium facere; sed inter eos duntaxat, qui ad illius iurisdictionē spectant. Quare quisque Rex circa subditos & qui eius curæ sunt commissi, tenetur ea præstare; non verò circa Ecclesiasticos, sicut nec circa subditos aliorum Regum; sic enim intelligitur illa propositio vniuersalis *proprium est Regum iudicium, & iustitiam facere &c.* Atque eodem modo expediuntur Textus, quos adducit Azeuedo, qui potius loquuntur de auxilio præstando Ecclesiasticis

Ad rationem Iudicij Iurisdictio est necessaria.

ſiaſticis ab ipſis ſæcularibus, quam de repugnādo illis.

932. Canon quidem ille, qui primo loco adducitur ex Concilio Toletano, videtur magis fauere Nauarro, & alijs; ſed in primis illud Concilium tantùm fuit Prouinciale: ſecundo ibi dicitur, vt ab vno tribunali Eccleſiaſtico recurratur ad aliud; in quo Textu (vt notat Vaſquez) quis non videat non ſolùm non confirmari prædictam opinionē; ſed potius praxim, quam Regia tribunalia ſeruant, confutari. Nunc enim vſu receptum videmus, vt ſtatim ab Epiſcopali Tribunali, non conſulto Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano, neque appellatione vllâ ad tribunal illius factâ, ad ſæcularia tribunalia appelletur. Tertio in eodem textu verum eſt dici, quòd ſi Metropolitanus eandem vim inferat, nolendo cogere ſacerdotem, qui bona Eccleſiæ vſurpauit, vt ea Eccleſiæ reſtituat; patronus talis Eccleſiæ poſſit, & debeat ad Regem confugere, eiuſque auxilium implorare. Sed in eo Textu (vt notat etiam Vaſquez) non agitur de repellenda vi, & iniuſtitiâ, quæ litigatoribus in iudicio Eccleſiaſtico fiat, ad cuius cognitionem requiratur examen libelli, & proceſſus; ſed ſolùm agitur de defenſione Eccleſiæ contra ſacerdotem, qui eius bona vſurpauit; Quod longè diuerſum eſt. Pro illius autem defenſione contra ſacerdotem præcipitur, vt res prius ad Epiſcopum, deinde ad Metropolitanum deferatur. Quod ſi ipſi nullum adhibuerint remedium; ſed vim etiam intulerint: tunc Eccleſiæ patroni ad Regem confugiant, non quidem pro puniendo ſacerdote; ſed pro ſeruandis, & defendendis bonis Eccleſiæ. Quod ſanè patronis non ſolùm Iure illo poſitiuo; ſed etiam naturali (quod Patres Toletani in illo Canone explicârunt) licitum eſt, vt notat idem Vaſquez.

Solutio Prædicta Authori non placet.

933. Hæc tamen ſolutio mihi non placet, quia moraliter loquendo nunquam accidet, quod ſacerdos aliquis ita euidenter iniuſtè rapiat Eccleſiæ bona, & quòd ſimul eum non puniant reprimant, & reſtituere compellant; ſed potiùs defendant ſui ſuperiores videlicet Epiſcopus, & Metropolitanus; niſi, quando ſaltem aliquod ius, aut titulum, vtcumque coloratum prætendat, & aliquas habeat, & opponat rationes apparentes in iudicio examinandas. Deinde, quòd ait Vaſquez, recurſum ad Regem non eſſe vt eum ſacerdotem Rex puniat: ſed, vt defendat res Eccleſiæ, intelligi non poteſt quomodò poſſit eas defendere; niſi vim vi repellendo. An verò id concedat Ius naturale; quando de vi illatâ euidenter ex ipſâ rei euidentiâ non conſtat, adhuc reſtat examinandum, in caſu autem poſito non videtur poſſe moraliter loquendo euidenter conſtare.

Probabilius Reſp. Azor.

934. Probabilius ergo reſpondet Azor. quòd ſi Epiſcopus, & Metropolitanus malè ſuâ poteſtate abutantur, mandat Concilium hoc Reges auribus intimari, non vt per Regē ſacerdos, Epiſcopus, aut Archiepiſcopus corrigantur contrà c. *Qualiter & quando* & c. *Clerici* de *Iudic.* ſed, vt Rex admoneat ipſos Iudices Eccleſiaſticos, vel inſtet coram eorum ſuperiore, ſcilicet ſummo Pontifice, vt eos corrigat, vt docent Archidiaconus, & Egydius c. *Filij* & Butrius citato c. *Qualiter* ad finem, & ibidem Panormitanus n. 7. ad finem, & Immola n. 4. ad finem.

935. Gloſſa quidem in dicto c *Filijs* cum Couarr. ſuprà putat poſſe Regem corrigere Eccleſiaſticos, quando Iudex (inquit) Eccleſiaſticus deeſt, vel deſes eſt, vt colligitur ex c. *ex tenore* & c. *ex tranſmiſſâ. de foro* vbi habetur quòd in causâ merè ſæculari; ſi Iudex ſæcularis malitiosè ſe gerat contra iuſtitiam, tunc Iudex Eccleſiaſticus in eâ causâ procedat. Ex quo Textu melius confirmatur ſententia Couarr. quam ex c. *Petimus* 11. q. 1. & c. *Quidam Monachi.* 16. q. 1. c. *nec licuit* 17. diſt. & ſimilibus Textibus, quos Azeuedo, & alij congerunt, in quibus ab ipſis Iudicibus Eccleſiaſticis, vel de eorum commiſſione, & licentiâ petitur auxilia brachij ſæcularis contra perſonas Eccleſiaſticas incorrigibiles; quòd licitum eſt, & longè diuerſum à noſtro caſu, in quo perſonæ priuatæ implorant auxilium à ſæcularibus Magiſtratibus contra Iudices Eccleſiaſticos, contra quos auxilium ferre perſonis priuatis illicitum eſt; niſi violentià, & iniuſtitia per ſe ex facto ipſo euidenter conſtet, vt ſentit Vaſquez in citatâ Apologiâ & cap. ſequenti videbimus.

936. Quod autem Bannez & Menochius & alij apud Dianam ſuprà dicunt Regez habere priuilegia ad repellendam vim, & iniuſtitiam factam per Iudices Eccleſiaſticos inde negandâ appellation gratis dicitur; quia, ſi tale priuilegium haberent, id aſſeruiſſent Iuris periti, quibus ipſa Regia tribunalia demandata fuerunt à Rege, cùm tamen nullus eorum id affirmauerit. Item, ſi tale priuilegium haberent Reges, quid opus eſſet, vt Couarr. cum Matthæo de Afflictis, quem citat §. *Sexta non negamus*, & Nauarrus ſuprà dicerent in hac vi propulſandâ potiùs agi de defenſione extra iudiciali, quàm de Iudiciali ordinariâ cognitione, aut examinandâ ſententiâ ipſâ, an ſit iuſta vel iniuſta? ſed tantùm, an iniuſtè denegetur appellatio? quia nimirum vident tribunalia ſæcularia nullam habere iuriſdictionem in perſonas Eccleſiaſticas, niſi in caſibus Iure expreſſis; atque in Iudices Eccleſiaſticos in nullo caſu; Item, quia (vt ait Azor §. *vnum eſt* circa finem) ſi tale priuilegium datum fuiſſet Regibus, in tot, tantiſque cauſis, & controuerſijs, quæ frequenter ortæ, tractatæ, agitatæque ſunt, aliquando exhibitum & productum, aut ſaltem allegatum fuiſſet; at nunquam tale priuilegium in iudicio citatum apparet. Vnde Ceuallos apud Dianam ſuprà reſolut. 64. negat tale priuilegium habere Regem Hiſpaniarum. Vide Bonacinam in Bullam Cœnæ tom. 3. q. 15. puncto 4. §. 1. nu. 17.

Gratis aſſeritur Reges habere priuilegia, ad repellendam iniuſtitiam per Iudices Eccleſiaſticos factam.

Tribunalia ſæcularia in nullo Caſu habent Iuriſdictionem in Iudices Eccleſiaſticos

937. Deinde quòd Magiſtratus ſæculares, nullam habeant poteſtatem ad id acceptum per Ius Canonicum, nec per priuilegia, inde efficaciter, probatur quòd, ſi quòd conceſſiſſent omnia Iura Canonica allegata, vel alia quæuis, iam ea reuocata eſſent per recentiora Iura, vt ſentiunt Panormitanus, & alij ſuprà citati, ſcilicet non ſolùm per c. *Qualiter & quando* & per c. *Clerici* de *Iudicijs* & per alia Iura, que allegat Azor, ſed etiam per Concilium Trid. ſeſſ.

Probatur.

25. cap. 3. *de Reformat.* & cap. 20. imò per Bullam in Cœna Domini quotannis publicatam, & per voluntatem ipsorum Summorum Pontificum sæpissimè contra Principes Seculares apertè insinuatam, declaratam, & explicatam.

Quòd nullo modo possint sæculares per consuetudinem &c. acquirere talem potestatem Probat Azor.

938 Vlterius, quòd nullo modo possint Reges, aut Magistratus sæculares adquirere per consuetudinem, aut præscriptionem etiam longissimi temporis potestatem, seu Iurisdictionem vllam contra Iudices Ecclesiasticos, probat Azor cum communi scholâ Canonistarum, quos citat; quia in spiritualibus, quæ non cadunt in Laicum, nihil potest consuetudo operari; quia hæc non potest (inquiunt) eum, qui incapax est spiritualium, reddere habilem, & capacem.

Ratio Azorij inefficax

939 Verum huius rationis vim ego non assequor; imò nullam esse puto. Nam si per legem, aut priuilegium posset Pontifex concedere hanc potestatem, & iurisdictionem laicis, & eo ipso illos facere capaces; cur id non posset facere per consuetudinem visam, & toleratam ab ipso? Quod enim aliquis facere potest per voluntatem expressam, facere etiam potest per tacitam maximè supremus Princeps Papa.

Magis placet Authoris ratio qua id probat Vasquez.

940 Vnde magis placet ratio, quâ id probat Vasq. suprà; quia, nimirum, eiusdem potestatis est legem statuere, & eam omnino abrogare, priuilegiumque concedere, & illud reuocare; neque enim hæc ita possunt esse suprà potestatē concedentis, vt ab eo etiā reuocari nequeant, cum semper ab illius voluntate, sicut vita hominis ab animâ, pendeant; vita enim legis, aut priuilegij voluntas principis est. Cùm ergo hęc potestas, & iurisdictio sæcularium suprà Ecclesiasticos (si qua data est) à Pōtifice dimanauerit, ab eo etiam omnino pendet; nam Iure Diuino nullam talem habent potestatem sæculares Principes suprà Ecclesiasticos; sed potiùs è contra, vt latissimè tractat Bobadilla in suâ Politicâ lib. 2. cap. 17. & habetur ex Papa Leone. IV. in cap. *Nos si incompetenter.* 2. q. 7. §. *His ita respondetur.* Et est per se notum. Ex quo fit, vt, si quid potestatis habeant, à summo Pontifice acceperint: ergo, si semel summus Pontifex legem, seu priuilegium prædictum abroget, quibus ipse vel sui antecessores eam facultatem concesserint, vel consuetudini, si qua erat introducta, repugnet, nihil iam ex eo tempore habebunt potestatis; Nam sicut consuetudo, vt habeat vim priuilegij, aut legis, vel vim derogandi legi, indiget consensu Principis saltem tacito per scientiam, & tolerantiam; ita etiam, vt in eâdem vi priuilegij, vel legis perseueret, eodem consensu Principis ita conseruari debet, vt simul atque ipse repugnauerit omnino euanescat, & nullam vim habeat, vt efficaciter probat idem Vasq. 1. 2. disp. 177. cap. 2. Cum igitur plerique Pontifices hac ætate frequenter reclamauerint, & reclament, conquerantur, prohibeant, pœnas constituant, & sententias ferant in eos, qui ad tribunalia sæcularia recurrunt, vt manifestè constat ex actis iudicialibus Cameræ Apostolicæ, & ex decisionibus Auditorum Rotæ, & ex sententijs Auditorum Sacri Palatij, in quibus omnino damnantur tales recursus, & ij, qui recurrunt, declarantur excommunicati: quod semper seruatur apud Sedem Apostolicam, quando de hac re notitia habetur. Constat etiam ex Bullâ in Cœnâ, & ex viuæ vocis oraculis Summorum Pontificum, & pręsertim Clementis, VIII. aliorumque posteriorum, si quid priuilegij, aut legis ex consuetudine Magistratus sæculares contra Ecclesiasticos Iudices obtinuissent, iam diu id totum reuocatum fuisse.

Iure diuino talem potestatem non habent Sæculares, supra Ecclesiasticos sed potiùs è contra.

Si quid ergo Potestatis habeant, à S. Pontifice acceperint, & iam diu reuocata est

941 Quod si quis dicat ratione quidem consuetudinis, quæ habeat vim legis, vel derogandi legi, vel quæ habeat vim priuilegij; nihil iam potestatis habere Laicos suprà Ecclesiasticos; posse tamen habere ratione consuetudinis, quæ inducat præscriptionem, & habeat vim præscriptionis: contra hoc est id multò magis repugnare. Quod vt ostendamus

942 Notandum est ex eodem Vasq. citatâ disp. 177. cap. 1. id quod habetur. l. 4. nostri Regni Castellæ. tit. 2. partita. 1. triplex esse genus consuetudinis: Primum circa rem aliquam determinatam. V.g. circa locum aliquem, vel circa personam determinatam: Secundum circa vtrumque simul, scilicet circa rem, seu locum, & circa personam: Tertium circa facta hominum. Ex his tribus duo priora inducunt præscriptionem, & habent vim præscriptionis; tertium verò tantum habet vim priuilegij, vel legis, aut derogandi legi.

Nota 1. Triplex esse genus consuetudinis.

943 Notandum, 2. duplex discrimen esse inter duo priora genera ex vnâ parte, & tertium genus consuetudinis ex alia. Alterum est quod duo priora genera introduci debent solū per actus, & vsum licitum; nemo enim contra alterum ius aliquod in locum, seu rem, vel in personam, vel in omnia simul præscribere potest; nisi bonâ fide possidere, & vti inceperit, & per tempus definitum à lege possederit; nam in hoc solo casu Ius humanum concessit possidenti Ius præscriptionis vsu longi, aut breuioris temporis, aut certè concedere potuit, vt omnes fatentur. At verò tertium genus consuetudinis introduci potest & solet per vsum, initio quidem illicitum, qando per consuetudinem derogandum est alicui legi, & tandem consentiente Principe actibus licitis confirmatur, & stabilitur. Alterum discrimen est quod duo illa priora genera consuetudinis, quæ scilicet sunt Ius præscriptionis contra personam, & circa locum, aut rem illius, non necessariò introducuntur vllo consensu eius, contra quem adquiruntur, sed ipso etiam ignorante. At verò tertium genus consuetudinis, quod habet vim priuilegij, vel legis, seu derogandi legi non nisi sciente Principe, & auctore Legis, & ipso aliquo modo consentiente introduci potest, tàm, vt consuetudo illa deroget legi, quàm, vt habeat vim legis; quia solo populi vsu, & auctoritate neutrum conuenire potest huic tertio generi consuetudinis; nisi Principis consensus, & auctoritas accedat, vt probat Vasquez disp. illa 177. cap. 6.

Nota 2. Discrimen duplex.

His præmissis. Probatur 1. potestatem illam nullo modo conuenire sæcularibus.

944. His præmissis perspicuè probatur potestatem illam in Iudices Ecclesiasticos nullo modo conuenire Principibus, aut magistratibus sæcularibus aliquo ex illis duobus primis generibus consuetudinis; quia illa genera consuetudinis,

dinis, quæ habent vim præſcriptionis, non legis, introduci debent vſu, & actibus ab initio licitis hoc eſt bonâ fide, & tutâ conſcientiâ, & non alio modo. Quocirca, vt aliquis conſuetudinem præſcriptionis introducat, probabiliter ſaltem exiſtimare debet rem illam, quâ incipit vti, ſuam eſſe, ſeu ad ſe pertinere, etiam ſine conſenſu illius, contra quem Ius præſcriptionis introducit; atqui Principes ſeu Magiſtratus ſæculares probabiliter exiſtimare non potuerunt aliquam ſibi poteſtatem in Eccleſiaſticos Iudices, ſine eorum conſenſu conuenire præter illam, quæ Iure naturali ipſis conceſſa eſt: ergo præter iſtam naturalem nullam aliam præſcribere potuerunt. Porrò Principes, & Magiſtratus ſæculares id probabiliter non potuiſſe initio exiſtimare quis non videat? Nam quo Iure, quâ ue ratione in eam ſententiam adduci poſſent? Hæc ratio, vt notat Vaſq. id, quod contendimus, euidenter oſtendit, niſi quis meridianæ luci tenebras oſtendere velit, ita ille.

Probatur 2.

945 Probatur etiam ſecundò efficaciter, quia nemini dubium eſt poteſtatē ſummi Pontificis, & aliorum Epiſcoporum ad eximendas Eccleſiaſticas perſonas à Iudicibus Sæcularibus quod attinet ad ſpiritualia negotia, quales ſunt cauſæ beneficiales & aliæ, & ad eximenda negotia ipſa ſpiritualia etiam inter perſonas ſæculares, qualia ſunt cauſæ matrimoniales; & ad ſubijciendas eas ſuo tribunali, Iure Diuino eſſe conceſſam. Sanè propter eam cauſam communiter Canoniſtæ citati ab Azor, dicunt conſuetudinem nihil poſſe introducere contra Ius diuinum, quòd, ſi loquamur de titulo præſcriptionis, euidentiſſimum eſt: ergo nullâ ratione vſu licito, & bonæ fidei potuit à Principibus, & Magiſtratibus ſæcularibus conſuetudine aliquâ contra Eccleſiaſticos præſcribi, eo quòd omne genus conſuetudinis, quo Ius præſcriptionis acquiritur, virtute ſolùm humani Iuris, non naturalis, aut diuini introducitur, vt omnibus in confeſſo eſt; Ius enim humanum nihil contra Ius Diuinum facere poteſt.

Conſuetudo nihil poteſt introducere contra Ius diuinum.

Et omnis conſuetudo quâ Ius præſcriptionis acquiritur virtute ſolùm Iuris humani, introducitur

Obijcies

946 Obijciet tamen aliquis, ſi Clerici, & cauſæ ſpirituales Iure ipſo diuino exemptæ ſunt à Sæcularium Principum poteſtate: quomodò poteſt ſummus Pontifex tales perſonas, & cauſas laicis committere, aut priuilegium concedere alicui Principi, vt aliquas tales cauſas, vel perſonas cognoſcat, & iudicet, cùm nec ſummus Pontifex habeat auctoritatem contra Ius Diuinum?

Reſp. Azor.

947 Reſpondet Azor in fine citatæ quæſtionis Iuris quidem diuini eſſe, ne laici, etiamſi ſint Imperatores propriâ auctoritate ciuili, quam habent, perſonas, aut cauſas Eccleſiaſticas iudicent, aut cognoſcant: At Romanum Pontificem, cùm illis aliquas ex his cauſis demandat, non dare Ius, vt id propriâ auctoritate faciant; ſed tantùm; vt miniſtri, & Legati Pontificij hoc eſt de mandatâ, & commiſsâ ſibi poteſtate, ſeu nomine & auctoritate ipſius Pontificis exequantur; ac proinde Pontifex in his Ius Diuinum nullâ ratione ſoluit, aut violat.

Hinc infertur, conſuetudinem vitiatam &

948 Atque ex hoc infertur, id, quod paulò ante dixi, contra prædictum Azor & Canoniſtas, quòd ſcilicet conſuetudo, ſi eſſet va, &

tolerata à Pontifice, benè poſſet aliquid operari circa poteſtate conferendam Principibus per modum delegationis, & priuilegij dependentis ſemper à voluntate ipſius Pontificis; non tamen per modum præſcriptionis independentis à Pontificis voluntate. Quo caſu veriſſima eſt doctrina Canoniſtarum; quia humanum Ius nihil poteſt præſcribere contra diuinum.

tolleratam à S. Pontifice poſſe aliquid efficere circa cōceſſionem talis poteſtatis.

Addit Vaſquez

949 Addit autem Vaſquez, etiamſi vera eſſet ſententia eorum qui dicunt ad præſcriptionem Iuris ſpiritualis; quale eſt iuriſdictionis in Eccleſiaſticos, requiri ſcientiam, & patientiam eius; contra quem præſcribitur; nihil etiam probare poſſet; nam qualem, obſecro ſcientiam & patientiam Iudicum Eccleſiaſticorum, contra quos hæc iuriſdictio præſcribenda erat, ſuſpicari poſſemus, cùm ipſi ſemper timore pœnæ temporalis conſenſerint, & conſentiant, vt cauſæ ſpirituales ſuorum tribunalium, ad ſæculares Magiſtratus deferantur? Quod ſi nulla ſcientia, & patientia reperitur; ſequitur etiam Magiſtratus ſæculares nullo tempore huiuſmodi, iuriſdictionem præſcribere potuiſſe. Nam quis, obſecro, contra alium ſpolians eum re ſuâ, timore ei incuſſo, eam præſcribere vnquam potuit?

Quod neque Iure naturali competat ſæcularibus talis poteſtas tribus rationibus.

950. Deinde, quod neque Iure naturali poſſint Sæculares Magiſtratus repellere iniuſtitiam, & vim illatam à Iudicibus Eccleſiaſticis in denegandâ appellatione, tribus rationibus probat Vaſquez. Prima eſt Magiſtratus, & tribunalia ſæcularia, dùm vim illatam litigatori à Iudicibus Eccleſiaſticis in denegandâ appellatione repellere volunt, actum Iuriſdictionis in Iudicem Eccleſiaſticum neceſſariò exercent; at qui ipſis non licet actum aliquem iuriſdictionis in eum exercere: ergo, nec licet illis iniuſtitiam, & vim illatam in denegandâ ab eo appellatione repellere. Minor propoſitio neceſſariò infertur ex ijs, quæ diximus, ſiquidem nihil poteſtatis, ſeu iuriſdictionis conuenit ſæcularibus in Eccleſiaſticos, cum Iure ipſo diuino, & naturali exempti ſint per expreſſa verba ipſius Chriſti, & per poteſtatem ab ipſo Chriſto Petro, & eius ſucceſſoribus datam ſuprà omnes fideles, etiam Principes, & Magiſtratus; & quamuis conceſſione Pontificum eam poſſent habere; tamen iam oſtenſum eſt nihil talis poteſtatis habere de facto, aut conceſſione Pontificum in Iure communi, aut priuilegio aliquo aut tacito conſenſu conſuetudine confirmato, aut Iure præſcriptionis. Ideò minorem illam propoſitionem, etiam auctores oppoſitæ ſententiæ concedunt, dicentes ſæculares in repellendâ tali vi extraiudicialiter ſolùm procedere poſſe, idque Iudices ſæculares praxi ſuâ, quoad fieri poteſt, confirmare volentes, nunquàm pronuntiant ſe reuocare acta per Eccleſiaſticos Iudices; nec ſe concedere appellationem, vbi putant iniuſtè denegatam; ſed pronuntiant, vt ſub pœnâ temporali Iudices ipſi Eccleſiaſtici acta reuocent, & appellationem in ſuo tribunali concedant, vt hac ratione nihil Iuriſdictionis in Eccleſiaſticos exercere; ſed ſolùm (vt ipſi dicunt) vim illatam repellere extra iudicium videantur. Maior autem propoſitio, in quâ tota difficultas poſita videtur, probatur primò; quia Magiſtratus ſæculares ad ſe deferre faciunt libellos

Probat Vaſquez Prima.

Iure diuino & naturali Eccleſiaſtici exempti ſunt à Iuriſdictione Sæcularium.

Maior in quâ tota difficultas

posita videtur Probatur 1. bellos, & processus, cuiuscumque causæ Ecclesiasticæ, quoties aliquis ex litigationibus in ipsorum tribunali conqueritur, quòd à Iudice Ecclesiastico passus fuerit vim & contrariam partem citari faciunt. 2. Secundò; quia postquàm libellus ad tribunal sæculare perlatus est, examinatur ab eo, qui minus habet recitandi, & coram Iudicibus recitatur, sicut quicumque alius libellus causæ sæcularis. 3. Tertio recitato libello Iudices sæculares ex ipsis actis, & meritis (vt aiunt) pronuntiant Iudicem Ecclesiasticum vim & iniustitiam intulisse, ac proinde sub pœnis impositis iubent, at acta reuocet, est appellationem concedat. Quis autem non videat omnia hæc esse verè actus Iurisdictionis? nam iurisdictio nihil aliud est, quàm potestas ius dicendi, vt ipsi Iuris periti communiter definiunt. Quo circa ea omnia, quæ ad ius, & sententiam dicendam necessariò præmittuntur, actus iurisdictionis censentur; huiusmodi sunt, extrahere libellos, & processus de manu propriâ Iudicis, & cogere, vt ad se deferantur, citare partem, examinare libellos, & facere, ut in publico tribunali recitentur, expendere, & examinate acta, & merita eorum, deinde aliquid faciendum pronuntiare. Quod autem Magistratus sæculares abstineant à verbo reuocandi sententiam aut acta, & à verbo concedendi appellationem; sed tantùm pronuntient debere Iudicem Ecclesiasticum reuocare sententiam, vel acta, & concedere appellationem, ad quod sub grauibus pœnis compellunt; friuolum sanè est, vt proinde extra iudicialiter procedere, & nihil iurisdictionis in Ecclesiasticos Iudices exercere videantur; cum cetera omnia, quæ diximus, liberè efficiant, quin potius videntur culicem excolare, camelum autem deglutire, cum nihil magis Ecclesiasticæ libertati, & iurisdictioni noceret, si ipsi sæculares reuocarent sententiam, aut acta, & appellationem concederent, quam cùm ad hæc facienda Ecclesiasticos Iudices grauibus pœnis compellunt. Certè vocum, non rerum rationem habere videntur. Quo circa conuictus hâc ratione Auendanno §. *Hæc autem cognitio*, fatetur ingenuè exercere actum iurisdictionis in eo, quod faciunt idque concessum esse illis in lege Regni Castellæ citatâ verbo illo *Pueden conocer, y proueer*, nam verbum illud *Proueer*, latinè *statuere* seu *dicernere*, Iudicis officium indicare putat. Ex his omnibus concludit Vasquez non solùm Iudices sæculares in eo, quod faciunt Iure defensionis planè abuti; sed etiam legem nostri Regni, quæ eam licentiam concessit, debitum modum excessisse cùm talem potestatem, & iurisdictionem nullo titulo magistratibus sæcularibus concedere potuerit.

Vt illa sunt actus iurisdictionis cum hæc nihil aliud sit quàm potestas ius dicendi.

Ex his concludit Vasq.

951. Secunda ratio eiusdem Vasquez est, quia Ius naturale nec præcipit, nec permittit ad defendendum innocentem examinare ea, quæ seruato ordine Iuris, aut non seruato, in tribunalibus fiunt, vt innotescat, quisnam in iudicio iniustè opprimatur, vt hoc iure defensionis indigeat. Hoc enim tantum permittit Ius naturale superioribus ipsorum Iudicum. Quod si supremus Iudex faciat talem vim, & iniustitiam soli Deo relinquendum est, vt ipse eum iudicet; alijs verò omnibus, qui non sunt superiores talium Iudicum, solùm ex Iure licèt defendere eum innocentem, quem ipsâ rei euidentiâ absque alio examine iudicij, & libelli constat à Iudicibus iniustè opprimi. Alioquin sequeretur non solùm supremis tribunalibus, verum etiam inferioribus, Iudicibus sæcularibus, & cuiuscumque priuatæ personæ (si commodè posset) licere, imò præceptum esse, tùm audiunt aliquem ex litigatoribus dicentem se à Iudice Ecclesiastico iniustè iudicatum, vel sibi iniustè denegari appellationem, examinare libellum, & acta illius, cogereque Ecclesiasticum Iudicem, vt sententiam reuocet, aut appellationem concedat. Quod quidem asserere est valde absurdum; id autem sequi, manifestum putat Vasquez; quia defensio innocentis, quæ Iure naturali concessa est, & præcipitur omnibus, etiam priuatis personis eo modo, quo supremis Magistratibus conuenit. Porro tale illatum esse valdè absurdum probat Vasquez. quia nemo est, qui id dubitare queat; nam communi ratione ostendi potest tale genus defensionis examinato libello, & processu, & eo modo, quo fit à Regijs tribunalibus nulli, etiam ipsi Principi, & supremis Magistratibus licere; quia multò maioris momenti in Republicâ est, nullo modo perturbare ordinem Iudicandi, & iurisdictionem in eâ constitutum, ac soli Deo reseruare iudicanda ea, quæ in Tribunalibus non subiectis iniustè fiunt, & de actis illorum non iudicare, quàm hoc ordine perturbato innocentem, aut eum, qui iniustè patitur, defendere; ergo credendum non est tale genus defensionis, quale tribunalia sæcularia sibi vsurpant, Iure naturali ipsis permissum esse; nullo autem alio Iure id ipsis competere iam satis probatum putat Vasquez. Atque hâc ratione in Concilio Tridentino sess. 25. c. 3. de Reformat, postquàm traditur ordo, quo Ecclesiastici Iudices excommunicationis pœnâ vti debent, rectè definitum est, vt nefas sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet sub prætextu, quòd contenta in eo decreto non sint obseruata cùm tamen manifestum sit in eo casu iudicem iniustè sententiam ferre, siquidem ordinem ibi præscriptum non seruat. Rationem autem ob quam Concilium non permittit Magistratui sæculari, expressit his verbis. *Cum non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Cùm enim ex actis ipsius libelli, & processus cognosci debeat; an Iudex Ecclesiasticus iniustè aliquem excommunicauerit? & virtute huius cognitionis cogere Ecclesiasticum Iudicem, sit exercere actum iurisdictionis in ipsum, quod sæculari in Ecclesiasticum minimè conuenit, maiorisque momenti sit ordinem iurisdictionum (vt diximus) non perturbare, quàm iniustè oppressum defendere: rectè statuit Concilium (inquit Vasquez) ideò nefas esse sæculari Magistratui ea facere, quæ diximus; quia illius rei cognitio ad sæcularem ipsum Magistratum non pertinet.

Probat. 2. eandem maiorem Vasq. — *Quod si supremus index Ecclesiasticus in-* — *iniustitiam factam soli Deo relinquendum est* — *Absurda quæ ex contraria opinione inferuntur.* — *Multo maioris momenti in Republica est nullo modo perturbare ordinem iudicandi, quàm defendere &c.* — *Hinc in Tridentino rectè definitum est vt nefas sit sæculari &c.* — *Ratio huius definitionis.*

952. Tertia ratio eiusdem Vasquez est; quia tribunalia Ecclesiastica, & sæcularia ita inter se comparantur, vt vnum alteri circa res, & causas ad ipsum pertinentes directè non subijciatur; sed vnum

Probat 3. Maiorem n. 940. posita idem Vasq.

vnum quodque in suo ordine supremum sit,& Deo suo modo proximè subiectum, neque ab vno in aliud appellari possit præsertim ab Ecclesiastico ad sæculare. Dixi autem *directè* nam indirectè, quatenus res temporales,& sæculares, quæ suapte naturâ sæcularibus Magistratibus subditæ sunt, conducere aliquando possunt spirituali gubernationi Ecclesiasticæ etiam potestati,& iurisdictioni subduntur: ergo,si pro defensione illius,qui vim, & iniustitiam ab Ecclesiastico Iudice patitur, libellos, & processus causæ Ecclesiasticæ,& acta illius examinare, & expendere, & illis visis examinatisque aliquid, pronuntiare tribunali sæculari concessum est; idem quoque Ecclesiastico tribunali in sæculares eodem Iure concessum erit; æquale enim vtriusque rationem manifestum est, cùm vnum alteri in proprijs causis per se,& directè subiectum non sit. Cùm igitur Iure ipso naturali, potestas vim vi repellendi Iudicibus Ecclesiasticis in sæculares æquè,atque ipsis sæcularibus concessa sit, si ea ita concessa intelligeretur, vt sæcularis Magistratus, & Iudex ad vim illatam repellendam pœnis temporalibus cogere Ecclesiasticum, vt ad se libellum mittat,ipsumque examinare,atque acta illius expendere,& iuxta allegata,& probata ad vim repellendam pronuntiare posset, vt diximus; idem eodem modo Ecclesiastici Iudices in sæculares possent efficere,videlicet,cùm primùm quis à sententiâ latâ à sæcularibus præter tuitandæ volentiæ ad ipsos appellaret, seu recurreret, pœnis spiritualibus,& Censuris sæculares Magistratus cogere, vt libellum.& processum de eâ causâ ad se mitterent, ipsosque libellos examinare, & acta eorum expendere; & iuxta illa pronuntiare posse,sicut nunc sæculares contra Ecclesiasticos pronuntiant. Porro autem fore, vt litigator à sæculari Iudice iniustè oppressus rectè posset pro vi sibi illatâ repellendâ ad Iudicem Ecclesiasticum appellare, seu recurrere, manifestum est;siquidem vtrique tribunali hoc Ius defensionis in alterum eodem modo conueniret, vt diximus; id autem fore in magnum Reipublicæ gubernationis detrimentum,quis ambigat?esset enim (inquit Vasquez) magna iurisdictionum perturbatio. Cum igitur id concedi nequeat,sequitur, nec Magistratus sæculares ad repellendam vim, & iniustitiam,quam litigatores illatam sibi esse à Iudicibus Ecclesiasticis per appellationem, seu recursum ad ipsos sæculares conquerentur, efficere posse,vt ad se libelli deferantur,& examinentur,& contra illorum acta pronuntiare; multoque maioris momenti censendum esse, iudicium cuiuscumque tribunalis illæsum relinquere, quàm iniustitiam;quæ in eo quandoque fit, propulsare. Hæctenus eisdem ferè verbis Vasquez.

Indirectè res temporales & sæculares Ecclesiasticæ potestati subduntur.

Tribunal sæculare in proprijs causis per se & directè Ecclesiastico subiectum non est nec contra.

CAP. V.

Probabilem esse opinionem Couarruuiæ, & Nauarri si moderatè & in casu, quo ipsi loquuntur tantùm intelligatur.

953. Mihi sane(vt ingenuè dicam quod sentio) probabilis omninò apparet opinio Couarruuiæ,& Nauarri,si cum ea moderatione, & ad casum, in quo ipsi loquuntur restringatur, & coarctetur; non quòd existimem aliquid iurisdictionis habere Principes, seu Magistratus sæculares suprà Ecclesiasticos; Quòd enim nullam talem habeant iurisdictionem, neque ex Iure naturali, seu Diuino, nec ex concessione Pontificum; satis constat ex suprà dictis maximè c. præcedenti; tùm ex scripturâ Diuinâ quod attinet ad Ius naturale Diuinum; tum quod attinet ad concessionem Pontificum,quia vel nulla talis concessio facta fuit,vel si qua facta olim fuisse dicatur,satis reuocata est per iura noua posteriora maximè per Bullam in Cœnâ Domini, & per viuæ vocis oracula. Nec tandem ex consuetudine, aut præscriptione id possunt habere, vt satis efficaciter probant argumenta Vasquij ad id probandum relata c. præcedenti. Probabilem ergo prædictam sententiam Nauarri, & Couarr. ideò assero, quia existimo Iure defensionis(quod vtrique naturale ius est) absque eo quòd exerceant actum aliquem iurisdictionis, sed omninò extraiudicialiter, posse Principes,seu Magistratus supremos sæculares cogere Iudices Ecclesiasticos, vt concedant appellationem, quam iniustè denegant. Et quidem,si de tali iniustitiâ denegandi appellationem constaret manifestè sine examinatione vllâ libelli, & processus, non negat Vasquez posse tunc resistere, & violentiam propulsare: putat verò nunquàm de illâ manifestè constare sine libelli examinatione & hoc ipsum concedit Suarius locis citatis.

Authori probabilis videtur opinio Nauarri & Couarr. cum moderatione intellecta.

Ratio huius probabilitatis.

Si de iniustitia manifestè constat sine examinatione libelli potest Iudex sæcularis violentiam propulsare.

954. Verùm enim verò aliquando constare posse mihi omninò verum est;nam, vt alicui reo iustè denegetur appellatio,& eâ non obstante iustè sententia executioni mandetur, necessarium omninò est, quòd talis reus conuictus simul fuerit, & confessus iudicio, & insuper quòd id,ad quod per sententiam damnatur, sit taxatum per legem;nam, si pœna est arbitraria, iniustè illi denegatur appellatio;quia fortè superior ad quem appellatur, aliter arbitrabitur; rectè autem, & satis constare potest aliquando Iuris peritis pœnam, ad quam reus condemnatur,non esse Iure taxatam.

955. Vlterius, etiamsi de iniustitiâ denegandi appellationem constare non possit sine examinatione libelli,& processus; nihilominus ad effectum cognoscendi an talis Iudex Ecclesiasticus in exequendâ sententiâ iniustè procedat sine vllo iurisdictionis exercitio; sed solo naturali Iure defensionis videtur posse examinare libellum, & processum causæ. Quod videtur his præcipuè rationibus probari.

956. Primò ad hominem & à simili ex con-

 cessis

cessis à Vasq. cùm alijs authoribus circa examinationẽ literarũ Apostolicarum: quâ de re diximus in hac dubitatione c.2. assert 1.&3. nam, si absq; vllo iurisdictionis exercitio, sed Iure solùm defensionis possunt Principes sæculares examinare literas Apostolicas cõcessas vel Nuntio, vel alijs pro beneficijs obtinẽdis, & eas per aliquod tempus retinere, vt interim informetur summus Pontifex de præiudicio, quod sibi, vel suis subditis sequitur; cur non etiam poterunt ijdem Principes, aut eorum Ministri ob simile præiudicium, quod frequenter experientiâ ipsâ constat solere euenire suis subditis ex denegandâ appellatiõne ab Ecclesiasticis Iudicibus examinare eorum rescripta, & processus; non quidem ad aliquid prouidendum, seu innouandum, vel faciendum circa illam causam, nec circa sententiam latam ab Ecclesiastico Iudice; sed solùm ad hoc, vt suis subditis liber pateat recursus ad summum Pontificem, vel alios superiores Ecclesiasticos antequàm sententia exequutioni mandetur, prout decernunt ipsa Iura Ecclesiastica? Quamuis enim in quocumque particulari casu ante examinationem libelli, & processus non possit constare Principi sæculari, vel eius ministri; an ab hoc Iudice vis, & iniustitia committatur in denegandâ appellatione, & in exequendâ sententiâ ab eo latâ; tamen, vt habeat Ius ad examinandum libellum, & processum, & ad cogendum Iudicem, vt illum exhibeat solùm ad prædictum finem: satis est, quòd sciat sæpè fieri talem vim & iniustitiam, ex quâ multa damna, eaque irreparabilia suis subditis, & toti Regno sequantur, eo quòd Sedis Apostolica, & suprema illius tribunalia longè distent ad quæ subditi spoliati suis beneficijs, & eorum redditibus, vel exequutione ipsâ sententiæ factâ non possunt recurrere, & iniustitiâ manent oppressi. Ob simile namque periculum diximus suprà cum Vasquez, & alijs habere Principem sæcularem Ius examinandi Bullas Apostolicas, ne sibi, vel subditis præiudicium fiat. nam etiã subditorum malis occurrere, & mederi ad ipsum, tanquàm ad caput, Iure ipso naturali pertinet. Quod autem hæc mala, nisi illis hoc modo occurratur, immineant, & prudenter timeri possint. fatentur Auctores citati pro hac sententiâ, multique viri prudentes; atque experientiâ ipsâ constat. Vnde Couarr. loco §. *Quinto Iustitiâ*, sic ait,. *Quòd si quis contendat à Principibus sæcularibus hanc tollere potestatem, non multo ex peccato tempore, sed statim comperiet manifestissimo experimento, quantum calamitatis Reipublica inuexerit.*

Princeps sæcularis Ius habet examinandi Bullas Apostolicas ne sibi vel subditis præiudicium fiat.

957. Probatur secundò examinationem libelli, & processus ad solum prædictum finem propulsandæ violentiæ, & iniustitiæ non esse actum Iurisdictionis; quia ratio mediorum à fine desumenda est; finis autem in nostro casu intentus non est exercere vllum actum Iurisdictionis in illum; sed solùm se ipsum, aut subditos ad se pertinentes defendere ab iniustitiâ, & violentiâ; itemque sacros Canones, & authoritatem summi Pontificis, contra quæ omnia delinquit, qui iniustè denegat appellationem, si legitimè fuit interposita; nam ex qua Iudex inferior protulit sententiam definitiuam, iam functus est officio suo; nisi fortè non habeat locum appellatio; quod solùm contingit, quando reus coniunctus erat, & confessus, simulque pœna, ad quam condemnatur taxata per legem, vt dictum est. In alijs verò casibus semper habet locum appellatio, quâ semel interpositâ, iam ille non est Iudex; Quod si vlterius procedat: tyrannicè aget, & vt priuata persona, ac proinde licitè poterit illi resisti, & impediri exequutio, quàm ipse intentat; quidquid enim post sententiam latam agit, irritum omninò est, cùm iam ipse non sit Iudex, obquam rationem Clericus excommunicatus post legitimã appellationem non tenetur à Diuinis abstinere; neque si celebret incurret Irregularitatem iuxta dicta in hoc Tract. disp. 1. dub.23. & docent Decius, Immola, & alij Canonistæ in c. *Ad præsentiam de appellat.* vbi Textus habet hæc verba *prædictum Presbyterum pro eo, quòd post excommunicationem contra appellationem factam diuina cantauit, nullatenus inquietes; sed ad eum statum reducas omnia, in quo erant tempore appellationis emissæ.* Sunt etiam ad hoc propositum notatu digna verba Innocentij Tertij in c. *Dilectis*, ad fin de *Appellationibus*, vbi sic ait *Senonensis tamen Canonicos, qui saniori ducti consilio eidem* (scilicet suo decano post appellationem denuntiato pro excommunicato) *communicauerunt, vt appellationi ad nos interpositæ magis, quàm denuntiationi ab Archipiscopo factæ deferrent, inculpabiles iudicamus.* Ex quibus verbis colligitur magis sanum Consilium esse communicare cum excommunicato post legitimam appellationem, quàm illum vitare. Colligitur etiam talem communicationem cum denuntiato post legitimam appellationem fieri in obsequium Sedis Apostolicæ, vel Iudicis, ad quem appellatur; nam (vt rectè Octauianus lib. 8. de *stylo Curiæ* c. 4. n.8.) offenditur maiestas Iudicis ad quem appellatum est, quando quis post appellationem interpositam aliquid innouat: ergo is, qui post legitimam interpositam appellationem sentit se iniustè vexari licitè potest, vt se, ac Sedem Apostolicam defendat, confugere ad patrocinium sui Regis, quando nullum aliud superest remedium, eo quòd Sedes Apostolica longè distet, & eâdem ratione Reges Catholici rectè, & licitè, poterunt defendere suos clientes, sicut caput sua membra, & Sedem ipsam Apostolicam, tanquàm fideles ministri illius contra has Iudicum particularium oppressiones. Considerantes igitur Reges Catholici, quòd tanquàm patriæ defensores habent Ius ad prædictum finem non temerè; sed prudenter existimant habere etiam Ius ad medium vnicum, quo talis finis obtineri posse censetur, & experimento didicerunt eiusmodi medeum esse examinare libellos, & processus, quoties sui subditi conquiruntur, quod eis iniustè denegetur appellatio à Iudicibus Ecclesiasticis, atque hoc remedium adhibent per Auditores sui supremi Tribunalis, qui plures sunt. & Iuris periti, & sapientis, & qui in varijs muneribus ita se probârunt, vt meritò ab eis sperari possit, non facilè à vero iudicio, & iustitiâ defluxuros; quibus etiam Reges præcipiunt, vt si examinato libello comperernt Iudicem Ecclesiasticum iustè denegare appellationem & eâ non obstante iustè procedere ad exequutionem sententiæ,

Probatur 2.

Quando non habet locum appellatio.

Interpositâ appellatione nihil potest Iudex a quo appellatur.

hinc Clericus excommunicatus post legitimam appellationẽ non tenetur a diuinis abstinere.

verba Innocentij Tertij hac de re notat digna

Ex quibus verbis colligemagis. sanum Consilium esse Communicare cum excomm. post legitimam appellationem quam illum vitare

sententiæ, liberum eum relinquant; & omnia remittant; si autem secùs; cogant eum, vt appellationi deferat, neque vllo modo procedat ad exequutionem, vt hoc modo, & Sedi Apostolicæ obsequium debitum ab omnibus exhibeatur, & tot malis, iniustisque vexationibus passim occurrentibus adhibeatur remedium; quod aliter non posse adhiberi existimant in Regionibus longè distantibus à Sede Apostolicâ, & ab eius supremo tribunali, ad quam Sedem propter distantiam difficillimus est recursus, maximè pauperibus, egentibus, & oppressis; imò etiam diuitibus, qui multa grauia patiuntur interim, dùm ad Sedem Apostolicam recurritur. Accedit, quòd etiam in prædictis Regionibus in vnoquoque tribunali Ecclesiastico, etiam in Metropolitano, vnicus tantùm Iudex, singularisque persona præesse solet, & experimento constat quemque esse procliuem ad suam sententiam exequendam: inde prouenit, vt sæpè accidat subditos Regis pati hoc malum iniustè denegatæ appellationis. Quod non tàm frequenter contingeret, si esset commune aliquorum consilium, & non vnius tantùm Iudicis arbitrium. Vnde Philippus. II. Hispaniarum Rex Catholicus non semel asseruisse dicitur se non permissurum, vt Auditores sui supremi Senatus de ijs iniustitijs, aut violentijs ab Ecclesiasticis Iudicibus illatis cognoscerent, dummodò Summus Pontifex in Curiâ Regiâ Hispaniæ constitueret tribunal multorum Iudicum simile tribunali Romano, quod appellant Rotam, in quo de his rebus cognosceretur, & vbi lites Hispaniæ terminarentur. Testantur etiam alij viri grauissimi hac de re tractatum aliquando fuisse cum Gregorio XIII. ipsum significasse non sibi displicere, quod Ecclesiastici Iudices, quando legitimè fuerit interposita appellatio, cogantur per Magistratus, vt appellationi deferant, cùm hoc sit in obsequium Sedis Apostolicæ, dummodò in alijs non se intromitterent.

Doctrina tradita maximè locum habet in Regionibus longe à Sede Apostolica distantibus.

Accedit alia ratio.

Quando legitime interposita est appellatio potest. Iudex Ecclesiasticus cogi per seculares vt Appellationi deferat.

958 Ex toto præcedenti discursu, & ex hactenus dictis colligi videtur finem, animum, & intentionem Catholicorum Regum laudabilem esse, & omnino probandum, & inde nullam posse refundi malitiam in ipsum medium, quo vtuntur ad prædictum finem, inspiciendo scilicet, & examinando libellos, qui actus non videtur actus iurisdictionis; sed propriæ, & naturalis defensionis; nã (vt dictum est) nullo modo ordinatur, neque est quid præuium ad ius dicendum inter partes, neque ad sententiam vllam ferendam; sed ad propriam sui, vel subditorum defensionem, & auctoritatis etiam Sedis Apostolicæ, & Sacrorum Canonum. Infertur etiam hoc medium ex Iure ipso naturæ esse permissum, & licitum, quia est vnicum, & efficax ad obuiandum, & occurrendum multis, & grauibus malis, eisque communibus toti Reipublicæ, quæ omnia in se plura sunt, & maioris momenti, quàm illa incommoda; si quæ sunt, quæ ex tali remedio timeri possunt.

Ex hactenus dictis Collige 1.

Examinatio libelli in casu non est actus Iurisdictionis sed defensionis naturalis. Ratio.

Collige 2. Hoc mediũ Iure naturæ esse licitum.

959 Hoc etiam ius naturale paucis, sed verissimis, & notatu dignissimis verbis explicuit D. Thomas. 2. 2. q. 69. art. 4. in fine corporis sic scribens: *Sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere malis principibus, seu Iudicibus in casu, quo aliquem iniustè condemnant; nisi fortè propter scandalum vitandum, cum ex hoc grauis aliqua turbatio timeretur.* Hæc. S. Thomas; ex cuius doctrina non solùm sequitur licere supremo Tribunali Regio cogere Iudices Ecclesiasticos, vt exhibeant libellos, seu processus ad examinandum, an iniustè negent appellationem (quam constat sæpè iniustè denegare) propter vitanda scandala; sed etiam ex eâdem doctrinâ colligitur hoc remedium examinandi libellos non licere inferioribus tribunalibus sæcularibus, & multò minus alijs priuatis personis; quia hinc sequerentur multo plura, & grauiora mala, & scandala, & perturbatio omnium tribunalium, & redundaret hoc in Reipublicæ perniciem, minusque malum esset soli Deo id iudicandum relinquere quàm eo modo Rempublicam turbare, & omnem ordinem iudicialem.

Hoc ius naturale verbis, notatu dignis explicuit D. Thom 2. 2. q 69. art. 4.

Ex his sequitur licere Regibus cogere Iudices Ecclesiasticos vt exhibeant libellos, &c.

960 Ex eo verò, quòd supremum tribunal, & nemo alius eo vtatur remedio, non sequuntur huiusmodi incommoda; sed obuiatur malis prædictis violentiæ, & iniustitiæ illatæ; est enim in eo tribunali maxima potestas, & auctoritas ad compescendum eos, qui iniustè procedunt, & quò plures, ac peritiores Iudices, magisque Principi, & Reipublicæ probati in eo Senatu reperiuntur, eo minora incommoda sequi possunt, aut timeri, vt experientia ipsa comprobat, testanturque Couarrub. & alij. Ex quâ doctrinâ facilè est respondere argumentis Vasquij in contrarium allatis, ad quæ reuocantur alia (si tamen alia sunt) quæ tandem Diana vltimò affert 5. Parte Tract. 1. de immunitate resolut. 13. Nam alia quæ ibi latè affert contra aliquos recentiores ex dictis & dicendis soluta manent; &, si quid adendum videbitur; infrà addemus.

Ex hac doctrina facilè respondetur argumentis Vasquez in contrarium.

961 Ad primum respondetur negando maiorem, quòd scilicèt Magistratus sæculares cogendo Ecclesiasticum Iudicem, vt libellum, seu processum exhibeat, & illum inspiciendo, exerceat actum Iurisdictionis; solùm enim exercet actum defensionis ob rationes dictas, sicut non esset actus Iurisdictionis, si reus ipse vi aut astu, vel eius etiam consanguinei extraherent libellum illumque inspicerent, & examinarent, aut etiam metu cogerent Iudicem sic iniustè volentem procedere, vt à tali iniusto modo procedendi abstineat. Quis enim eum actum appellet Iurisdictionis, qui solius defensionis actus est, siuè iustè fiat, siue iniustè inuadatur Iudex. Vnde si reus sciens sibi à Iudice vim inferri, occultè subriperet libellum, vel alio medio occulto vteretur, vt eâ ratione impediret Iudicem ab iniustâ exequutione sententiæ; non diceremus eum exercere actum iurisdictionis, imò secundum doctrinam traditam ex D. Thoma non peccaret; sed iustè se defenderet, quia sine scandalo aliorum id faceret. Pari ergo ratione in nostro casu supremi Iudices excusandi erunt, qui re verâ intendunt maiora mala impedire cum minori, aut nullo, quoad fieri potest, incommodo. Qui si examinato libello comperiunt Iudicem rectè procedere, nullo modo volunt illum impedire, neque possunt; (alias incurrent in Censuras Iuris, & Bullæ Cœnæ)

Ad 1. Resp. Magistratus seculares, ita agendo, non Iurisdictionis, sed iustæ defensionis actum exercere

ad

ad hanc autem libelli examinationem Ius naturale habent; sæpè enim contingit Iudices iniustè procedere. Cùm autem non sit recursus ad Papam, vel ad eius supremum tribunal propter magnam distantiam; multa & irreparabilia mala sequerentur, si id non fieret, quibus omnibus hâc viâ occurri potest, vt experientia docet. Quando autem ex actis in libello vident Iudicem iniustè procedere ad exequutionem, ipsi non pronuntiant actum aliquem Iurisdictionis; sicut neque priuatus Iuris peritus, si examinato libello diceret iniustitiam committere talem Iudicem; sed re verâ cognitâ iniustitiâ vi pœnarum cogunt, & compellunt Iudicem, ne vltrà procedat. Quod Iure defensionis licitè facere possunt. Quo supposito rectè docet Vasquez parum referre quòd ipse Iudex reuocet acta omnia post appellationem, & concedat appellationem, vel non reuocet, nec concedat, cum inuitus reuocet, & concedat; fortè autem ad id compellunt Iudicem Ecclesiasticum vt omne scandalum aliorum tollatur, cùm viderint ipsum Iudicem mutare sententiam, & desistere. Malè autem concedit Auendanno exercere actum iurisdictionis; Lex autem nostri Regni, quæ est 36. tit. 5. libri. 2. *noua recopil.* tantùm dicit *Hagan traer el processo, y traido, lo vean, Y si por el les constare, que la appellacion està legitima mente interpuesta alzando la fuerza, provean, quod el tal Iuez la otorgue.* Quæ omnia non necessariò sonant actum iurisdictionis, *videant* scilicet per examinationem, sicut Iuris periti, & aduocati, *& provideant* scilicet de remedio, compellendo, & vim vi repellendo. Cùm autem hæc lex in principio, & aliæ similes dicunt ex Iure ipso, & ex consuetudine immemoriali pertinere ad Reges tollere violentiam Iudicum Ecclesiasticorum, quas committere solent in denegandis appellationibus legitimis: non sunt ita intelligenda verba, vt ipsæ leges, aut consuetudines aliquid potestatis, & iurisdictionis concesserint, aut concedere potuerint sæcularibus Magistratibus in Ecclesiasticos; hoc enim esset manifestus error; sed, quòd declarent id, quod inspecto Iure naturali iustum, & æquum, ac proinde vsu, & consuetudine populorum receptum est.

Ad 2. Resp. id non posse Magistratus sæculares in terris vicinis Sedi Apostolicæ, posset tamen in remotis.

962. Asserendum respondetur concedendo non posse Magistratus sæculares repellere vim illatam ab Ecclesiasticis Iudicibus in terris, vbi propè est Sedes Apostolica, ad quam, & ad eius supremum tribunal confugere possint, qui sic opprimuntur ante exequutionem sententiæ, vt per Sedem Apostolicam impediatur exequutio sententiæ, interim, dùm eadem S. Sedes, vel eius tribunal supremum de causâ cognoscit. At in terris longè positis, negandum est non posse: alias sequerētur mala multa irreparabilia, qualia essent reos torquere, aut etiam publicè flagellare, qui tamen legitimè appellassent, item spoliare alios possessione suarum rerum aut beneficiorum, qui paupertate oppressi subinde non possent prosequi appellationem, & litis sumptus sustinere. Quibus, & similibus malis remedium aliquod apponi ius ipsum naturale postulare videtur. Negamus tamen eiusmodi remedium adhiberi posse ab inferioribus iudicibus sæcularibus, multoque minùs ab alijs quibuscumque priuatis personis; nam inde sequerentur innumera scandala, & infinitæ lites, simultates, seditiones, & bella, quæ totum ordinem iudicialem, totamque Rempublicam perturbarent, & destruerent. Quæ mala non sequuntur ex eo, quòd ipse Princeps sæcularis, vel supremum eius tribunal, vim illatam ab Ecclesiasticis Iudicibus repellat. Quod planè sequitur ex doctrinâ D. Thomæ citati, ex quâ constat sequelam à Vasquio illatam esse negendam.

Ratio.

Hæc intelligendo, non de inferioribus Iudicibus sæcularibus.

Sed de ipso principi vel supremo ipsius tribunali.

Ad locum Trident. Resp.

963. Ad locum verò ex Tridentinò adductum respondetur, etiamsi in casibus ibi propositis Iudices Ecclesiastici contra id, quod ibi præcipitur, facerent, nihil tunc agerent contra ius partium, ac proinde cognitio illorū defectuum nullo modo pertinet ad Iudices sæculares, vt dixit Concilium, sed ad superiores Ecclesiasticos vt de suis subditis iudicent delinquentibus contra Ius illud Concilij.

Ad 3. Resp.

964. Ad tertium respondetur concedendo sequelam, quòd scilicèt, etiam possent ex Iure ipso naturæ Iudices Ecclesiastici compellere sæculares Iudices, vt deferant appellationi iniustè denegatę; si alicubi circumstantiæ concurrerent, quæ in nostro casu concurrunt; & quòd vtrumque possit aliquando fieri non solùm colligitur ex legibus ciuilibus Hispaniæ, Franciæ, & Regnorum aliorum; sed etiam ex ipso Iure Canonico. Quòd enim possint sæculares procedere contra Ecclesiasticos in nostro casu, significant decreta Pontificum allegata per Nauarrum, & Couarr. quia in eo (vt diximus) auxiliantur, & obsequuntur Sedi Apostolicæ, contra quam delinquunt tales Ecclesiastici, denegando appellationem. Significant etiam hoc ipsum verba Sanctorum Isidori, Hieronymi, & aliorum, dùm generaliter dicunt ad Regiam potestatem pertinere liberare omnes oppressos, & iniustè vexatos. Et significat specialiter Canon ille *Filijs* 16. q. 7. ex Toletano Concilio, cui non plenè satisfaciunt Vasquez & Azor, vt notauimus suprà c. 4. num. 931. *& sequentibus.* Quòd verò è contrà Iudices Ecclesiastici possint procedere contra brachium sæculare, seu contra Principes pro defensione viduarum pupillorum, pauperum, & oppressorum, habetur multis Iuribus, præsertim c. 1. & 2. 84. distinctione, & c. 1. 87. dist. & c. *si quis de potentibus* 24. q. 3. & quidem c. illo 1. 87. dist. Gelasius Papa docet hoc ad Episcopos pertinere ex Iure ipso Diuino; Atque specialiter posse Episcopos corrigere Iudices sæculares; si ex negligentiâ vel malitiâ malè procedant, habetur c. *Ex transmissa* & c. *Ex tenore, de foro comp.* & c. *Significantibus, de officio delegati,* & c. *super quibusdam,* in fine de *verb. signif.* docetque communis opinio Canonistarum, quos allegat Bobadilla in sua Politica lib. 2. c. 17. a n. 106. qui tamen n. 108. dicit hanc opinionem Canonistarum non esse receptam in praxi, & ferè nunquàm posse habere locum ex defectu probationis, & propter scandala, & perturbationes, quæ sequerentur. Addit tamen cum Abbate in c. *licèt ex suscepto.* num. 9. *de foro comp.* & cum Maranta, Gregorio Lopez, Humada, Didaco Perez, & Matienzo, quos citat, tunc verificari, & habere maximè locum prædictam opinio-

Contra possunt Iudices Ecclesiastici procedere contra principes pro defensione viduarum &c.

opinionem Canonistarum, quando in partibus valde remotis à suo Rege, vel ab eius supremo tribunali, in quo terminantur lites, aliqui opprimerentur à Iudicibus sæcularibus volentibus exequi suam sententiam, non obstante legitimâ appellatione; tunc enim Iure ipso naturali possent oppressi ne carerent opportuno remedio, confugere ad Iudices Ecclesiasticos, qui possent Censuris, & alijs pœnis cogere sæculares Iudices ne suam exequantur sententiam, qui est casus similis nostro, atque alia plura, quæ aliàs forent illicita posse licitè fieri, docet ibi Bobadilla plurimos alios referens.

Possunt etiā Censuris cogere Iudices sæculares ne suam exequantur sententiam.

965. Iuxta hanc ego doctrinam maiorem, vel minorem distantiam pensandam esse existimo respectu exequutionis sententiæ, aut damni quod timetur ex iniustè denegatâ appellatione: nā licèt nō nimis distet Princeps supremùs, aut supremum illius tribunal absolutè loquendo si comparatione sententiæ exequendæ, & temporis necessarij ad impediendam illius exequutionem, & auocandam causam, tanta sit distantia, vt sit morale periculum quod priùs exequatur Iudex sæcularis sententiam & damnum (maximè irreparabile) quâm possit per recursum ad principem, vel eius tribunal impediri, locus omninò erit prædictæ opinioni Canonistarum, & poterit Iudex Ecclesiasticus, Episcopus scilicet, aut eius vicarius Censuris, aut alijs pœnis interim, dùm ad Principem, vel eius tribunal recurritur, inferiorem Iudicem sæcularem compescere, vt ab exequutione sententiæ super sedeat; illa enim censetur magna distantia loci, quæ tanta est, vt antequàm supremus Iudex Auocet ad se causam, tempus concedat inferiori Iudici exequendi suam sententiam v.g. decapitandi hominem aut publicè flagelandi, dirè torquendi &c. quæ sunt damna irreparabilia; idque videtur concessum ipso Iure naturæ.

Quæ censetur magna distantia supremi Iudicis.

Valde Notandum circa potestatē Iudicis sæcularis supremi.

966. Illud autem est valde notandum circa predictam potestatem Iudicis sæcularis supremi ad cohibendum Iudicem Ecclesiasticum iniustè procedentem, aut è contra cum circumstantijs traditis; quòd, sicut Iudici sæculari. v. g. licitum est contra Iudicem Ecclesiasticum procedere modo prædicto; ita pariter licitum est ei, qui in conscientiâ sentit se iniustè grauari, & lædi, confugere ad prædictum tribunal sæculare. Si tamen sciat suam appellationem esse iniustam, friuolam, & conscientiæ repugnantem, quamuis per falsa documenta, vel per imperitiam, aut malitiam auditorum, seu Iudicium, iudicetur ligitima; grauissimè peccabit, & Censuras incurret. & quantumuis exteriùs absoluatur, in cōscientiā manebet ligatus, vt rectè docet Nauarrus c. *cum contingat.* de *rescriptis* remedio 2. n. 7. Acosta in Bullâ q. 52. estque communis Doctorum sententia.

CAP. VI.

Quibus in casibus soleant, vel possint Magistratus sæculares abuti prædicta potestate.

967. Qvamuis iuxta opinionem, quàm probabilem ostendimus c. præcedēti, Magistratus sæculares in locis longè distantibus à Apostolicâ rectè possint cognoscere, & iudicare an iustè, an iniustè ab Ecclesiasticis appellatio à sententiâ definitiuâ, vel ab habente vim definitiuæ (quia continet damnum irreparabile, vt condemnatio ad torturam) denegetur, ac si iniusta sit denegatio, possint Ecclesiasticos illos Iudices cogere, vt eam concedant, & impedire, ne ad exequutionem procedant; & omninò nihil innouent, cùm iam non sint Iudices, supposito quòd legitimè sit interposita appellatio; nulla tamen via, aut ratione possumus excusare à peccato & à Censuris Bullæ in Cœnæ Domini eosdem Magistratus sæculares cognoscentes, & iudicantes de vi, & iniustitiâ sententiæ interloquutoriæ, & admittentes eos, qui confugiunt ad ipsos prætextu vitandæ violentiæ illatæ à sententiâ interloquutoriâ pronuntiatâ à Iudice Ecclesiastico; quia id fieri posse nullus ex ijs, qui scripta sua prælo mandârunt, quem viderim hactenus, probauit, nec asseruit; sed contrarium potius habet lex nostri Regni Castellæ, est 37. titulo 5. lib. 2. recopil. vbi expressè illis prohibetur, & præcipitur, ne ad se trahant libellos, seu processus; nec eos examinent, seu cognoscant prætextu vitandæ violentiæ, à sententijs interloquutorijs à Iudicis Ecclesiasticis prolatis; sed tantum ratione vitandæ violentiæ à sententijs definitiuis, vel quæ vim habent defi-finitiuæ, & quarum grauamen per definitiuam reparari nequeat, Iuxta quam legem, quæ est Imperatoris Caroli V. & Castellæ Regis in Concilio Tridentino sess. 24, c. 20. de *reformatione*, definitum fuit, vt solùm à sententiâ definitiuâ vel habente vim definitiuæ, & cuius grauamen per appellationem à definitiuâ reparari nequeat, ad tribunal Ecclesiasticum appellari possit; & nullo modo à sententijs interloquutorijs. Cùm igitur neque Iure Ciuili Regni Castellæ, neque Iure Ecclesiastico, seu Canonico possit appellari à sententijs interloquutorijs, neque ea appellatio legitima sit; quis non videat, si Regia tribunalia ad se has causas trahant, & examinent, delinquere contra prædictas leges, & contra instructionem, quam refert Couarr. missam à Rege nostro ad tribunal Granatense; nec solùm contra prędictas leges, sed contra Iurisdictionem simul Ecclesiasticam quam vsurpât, iudicántes non iam de Iustitiâ aut iniustitiâ denegādi, aut cōcedendi, appellationē à tali sentēt. (cum ab ea de iure) appellari non possit; sed de Iustitia, aut iniustiâ ipsiusmet sentētiæ interloquutorię; ac proinde in eo casu nō tàm cēsētur cogere Iudices Ecclesiasticos, vt appellationē admittant, quàm vt sententiam reuocent; quod perinde est, ac si ipse reuocatent & iudicarent de sentén-

Magistratus sæculares cognoscentes & iudicantes de iniustitia sententiæ interloquutoria incurrunt Censuras.

A qua sententia appellari possit ad tribunal Ecclesiasticum.

Iudex sæcularis non potest reuocare sententiam Iudicis Ecclesiastici aut de ea Iudicare.

sententiâ eorum, qui Iudices sunt, ac si essent eorum Iudicum Superiores, quod ex supra dictis constat illis non competere, nec licere. Quis etiam non videat ex hac eorum praxi sequi incommoda illa, quæ Carolus. V. Rex noster in lege illa citatâ notauit? vix enim litem aliquam Ecclesiasticam videas alicuius momenti, quæ non bis, aut ter, & aliquando sæpiùs ad Regia tribunalia deferatur; quod in magnum litigantium detrimentum cedit; & magno etiam impedimento esse solet, quò minùs alia negotia sæcularia, & eorundem tribunalium propria citò expediantur. Vnde hanc praxim reprobant, & docent prædictos Auditores Censuras incurrere Aufrerius. quē refert & sequitur Rebuff. Tract. *de appellat.* art. 1. Gloss. 1. numero 20. Vasquez & Azor. suprà citati, & alij.

968 Vlterius in prædictis, vt ait Vasquez, tolerabile esset, quòd Magistratus sæculares excederent, & errarent, quando in dictis casibus aliqua committeretur iniustitia à Iudicibus Ecclesiasticis, vt supponimus (quamuis, nec tunc sint à peccato omninò immunes) verùm illud absurdius, & multò magis intolerabile, & inexcusabile est, quod frequentius accidit videlicet cogere Iudicem Ecclesiasticum, vt sententiam secundum probabilem opinionem à se latam reuocet, aut appellationem, quam ipse etiam probabili opinione, & arbitrio ductus denegauit concedat; tum etiam contra eum proferre, & pronuntiare talem sententiam, aut denegationem appellationis manifestam iniustitiam, & vim continere, quæ vi etiam repelli possit. Quis enim non dicat talem Iudicem litigatori, contra quem pronuntiat, iniuriam irrogare? Quis etiam dicat ex eo, quòd sæculares Iudices oppositum existiment esse probabilius; iudicium Iudicis Ecclesiastici iniustum censeri debere, præsertim cùm omnis Iudex satisfaciat suo muneri, si in iudicando sequatur quancumque opinionem probabilem vel ad summum illam, quæ sibi probabilior apparet; sæpeque contingat, vt, quæ vni videtur probabilior, alteri videatur minus probabilis, imò in eodem etiam Tribunali frequenter videamus interpositâ appellatione, seu supplicatione modo hanc, deinde omninò contrariam sententiam pronuntiari.

Nec vt sententiam à se latam secundum probabilem opinionem reuocet, &c.

Omnis enim Iudex suo muneri satisfacit sequendo opinionem probabilem.

969 Illud etiam negari non potest Magistratus sæculares nimis incautè, aut oscitanter se gerere in eâ re, si non tantùm eos, qui prætextu alicuius probabilioris opinionis; sed etiam eos, qui, nullo fundamento adhuc primo aspectu probabili; sed omninò futili, & inani titulo solùm vt 80. dierum spatio Ecclesiasticum Iudicem suspendant, ad ipsos confugiunt; impunè excipiunt & audiunt; & quamuis posteà contra ipsos pronuntient, nullâ tamen pœnâ etiam pecuniariâ eos afficiunt, cùm tamen, si eos punirent, multò pauciores ad sæcularia Tribunalia sine fundamento pro hoc remedio confugerent.

DVBITATIO LVIII.

Quomodò intelligenda sit excommunicatio Canonis contra percussores Clerici?

970 Celebris est Canon, qui habetur 17. q. 4. vbi dicitur. *si quis suadente diabolo manus in Clericum, vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere; nisi mortis vrgente periculo donec Apostolico conspectui præsentetur.* *Canon.*

971 Circa huiusmodi Canonem & excommunicationem ibi latam nonnulla possunt dubitari, quorum solutio in praxi maximè necessaria est, sed ea possumus reducere ad quatuor capita: Primum de personâ percutiente, & percussâ: Secundū de modo percutiēdi, & quātitate, aut qualitate percussionis: Tertium de causis excusantibus ab incurrendâ Censurâ in eo Canone latâ: Quartum de absolutione prædictæ Censuræ; de quibus sigillatim dicemus.

Solutio huius dubij pro praxi maximè necessaria est.

CAPVT I.

De persona percutiente & percussa.

Nomine personæ percutientis comprehenditur quicumque vir, vel fœmina cuiuscumque status, & conditionis, dummodò sit rationis, & iudicij particeps, quantum sufficit ad peccandum mortaliter. Ita Auila. 2. p. c. 5. disp. 3. dub. 10. cum Nauarro cap. 27. numero 76. idque habetur ex cap. *Mulieres*, & cap. *Pueris de sent. Excom.* Vnde etiam comprehenduntur pueri sic potentes peccare, vt constat ex dictis à nobis suprà disp. 1. dub. 14. vbi cum multis docuimus, etiam ante pubertatem pueros incurrere prædictam excommunicationem. Et legi potest Panormit. c. 1. de *sent. excom.* estque manifestus Textus c. finali eodem titulo. Ratio verò est; quia ætas non excusat à totâ pœnâ, sed à parte pœnæ, scilicet, quòd non teneantur se præsentare Sedi Apostolicæ. Legantur, quæ diximus loco citato vbi latè de hac re.

Nomine personæ percutientis quis intelligatur.

Ratio.

973 Vtrum autem nomine percutientis intelligatur etiam mandans & consulens? disputatum à nobis est disp. 1. dub. 19. Vsque ad 22. ibi legatur. Solùm addo dubitari posse de mandante non expressè sed tacitè, vt si offensus à Clerico dicat coram alijs suis famulis, cognatis vel amicis se cupere vindictam de tali iniuriâ; & inde prævideat fieri posse, vt alij moueantur ad percutiendum? Multi putant satis probabiliter incurrere censuram. Ita Suarius *disp. 22. sect. 1. numero 55.* & alij apud Dianam quos ipse sequitur argumento textus *in cap. pernult. de homicidio in 6.* quia meritò censetur causa moralis percussionis quod etiam admittit Diana etiāsi mandatarius excedat limites mandati; sicut in casu quo quis iussus verberare Clericum, illū vulnerauit; iubens tenetur de occiso iuxta *cap. finale de homicidio in 6.* Cùm vulnera, & percussiones non dentur ad mensuram. Si verò iussus

An intelligatur mandans & consulens.

verbis iniuriā inferre; percutiat facto negat Diana ego distinguerē si prævidit iubens tale periculum, incurrere; saltem in foro externo habebitur pro percussionē mandante, quando prudenter id potuit præuideri & timeri, & nihilominus mandauit.

Non obstās cùm possit incurrat ex comm.

974 Dubitari etiam potest an, qui non obstat percussioni Clerici, cùm tamen possit, incurrat excommunicationem prædictam? aliqui absolutè affirmant, dummodò ad id teneatur, ex Iustitiâ, & ex charitate. Ita Caietanus in *Summâ* verb. *Excommunicatio*, cap, 10. Syluest. verb. *restitutio*. 3. §. 6. p. 3. in fine Medina. C. de *Restit*. q. 7. & aliqui Thomistæ.

Aliqui absolutè affirmodò teneatur.

Alij distinguunt Nauarrus Auila &c.

975 Alij verò distinguunt, & putant eum, qui ex officio & Iustitiâ tenetur obstare, incurrere, non tamen eum, qui ex solâ charitate: Ita Nauarru, cap. 27. numero 78. & super cap. *Non inferenda*, 23. q. 3. numero 31. & 38. ad quem locum se refert in *Summâ* cap. 24. numero 20. & 22. idem docet loquens de *Irregularitate* cap. 27. numero 231. & Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 2. Gloss. in c. *Quanta de sent. excom.* Couarrub. clementina *si furiosus*. p. 2. §. 2. num. 7. Henriq. lib. 14. de Irregularit. cap. 12. numero 7. littera H. Auila 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 8. assert. 1. referens Toletum. Quæ doctrina probabilis est, & ad particularia descendendo existimat Nauarrus cap. 24. numero 18. quem sequitur, idem Auila, ex officio, & ex Iustitia teneri defendere, & obstare illos, quorum officium institutum est ad bonum alterius procurandum, etiam temporale, vt sunt Rex Iudex. & Ministri Iustitiæ, Patres, Tutores, heri pedagogi, Parochi; custodes, & è contra etiam quasi correlatiuè vicem rependentes ipsi etiam subditi filij, pupilli, famuli, parochiani, & custoditi. Legatur Bonacina disp. 2. q. 4 pu. 3. num. 5.

Doctrina hæc Probabilis est.

976 Atque id locum habere, quamuis, is qui solùm ex Charitate tenebatur defendere, omittat defensionem ex odio, & maleuolentiâ existimat Bonacina cum alijs, Antoninus suprà, & Nauarrus. cap. 27. numero 231. Reclamat verò Couarrub. suprà, referens Innocentium & Panormitanum, cum quibus etiam sentit. Syluest. verb. *Homicidium*, 2. q. 5. & Angel. verb. *Homicidium*. 1. §. 17.

In opinionē affirmatiuā videtur inclinare Suarius.

977 Suarius verò disp. 22. sect. 1. numero 56. videtur inclinare in sententiam Caietani, & aliorum, qui absolutè docent incurrere Censuram, etiamsi solùm ex Charitate obligetur.

Authoris Iudicium.

978 In hac re certum existimo cum omnibus Auctoribus citatis, & alijs eum, qui ex Iustitiâ tenetur obstare; incurrere si non obstet. Eum verò, qui ex charitate tenebatur, & non ex iustitiâ, si commodè potuit subuenire sine considerabili suo damno, censeri, saltem in foro exteriori, excommunicatum docet etiam Nauarrus citato cap. 24. numero 20. & loco, ad quem ibi se refert, quem etiam refert & sequitur Auila suprà conclus. 4. quamuis reipsâ negârint incurrere.

979. Sanè, vt notant Suarius, & Caietanus, citatum. cap. *Quanta de sent. excom.* videtur significare prædictos non obstantes, cùm possint, incurrère excommunicationem, dum ait, *eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifestè facinoribus desinunt obuiare.* Pro quâ sententiâ refert Suarius Innocentium Abbatem, & alios. Quamuis autem ij Authores addant necessarium esse dolum, vt quis incurrat hanc Censuram ex eo solùm, quòd non impediat, cùm possit, ac proinde dicant non incurrere, si solùm ex negligentiâ, vel aliquo timore humano id omittat; hoc tamen intelligit Suarius solùm habere locum, quando talis titulus sufficit ad excusandum à culpâ mortali.

Probabilissima tamen est sententia Nauarr. & Auilæ.

980. Nihilominus probabilissima est sententia Nauarri, & Auilæ, quia prædictum caput *Quanta*, in quo maximè funduntur Caietanus, & Suarius, non ita clarè loquitur quin possit explicari solùm de præsumptione in foro exteriori; illa enim verba. *eos delinquentibus fauere interpretamur*, &c. significant solum præsumptionem talis fauoris vnde si reuera talis fauor non sit; sed solùm ex negligentia, aut ex affectu alterius occupationis omittat obuiare, illa interpretatio Iuris erit quædam falsa præsumptio fauoris, qui non est; atque adeò solùm in foro exteriori potest dici illum censeri excommunicatum.

Dubium.

981 Dubitari etiam potest cum Suario, supposito quod incurrat, qui non obstat, cùm possit, an ipsemet Clericus ab alio percussus; si consentiat huiusmodi percussioni, cùm eam facilè vitare possit incurrat excommunicationem?

Resp. Clericorum consentientē in sui percussionem non incurrere Excom. Ratio.

982. Respondetur cum eodem, Clericum consentientem non incurrere. Probat Suarius ex c. *Contingit. de sent. Excom.* Vbi loquens Pontifex de Clericis, qui more patriæ, & laicorum subijciebant spontè corpora sua percussionibus fustium, vt satisfacerent ei, quem offenderant; & declarans eiusmodi percussionem, si non violentam, saltem iniuriosâ esse; & Canonem prohibentem percussionem factum fuisse in fauorem potiùs ordinis Clericalis quam particularis Clerici ordinati; ideoque de cætero talem spontaneam suppositionem corporis Clerici non licere; subiungit, *si quis autem Clericus post prohibitionem huiusmodi spontè se subiecerit, excommunicetur:* ergo non manet ipso facto excommunicatus. Ita Nauarrus. cap. 27. numero 77. Filiucius Tract. 15. cap. 1. quæsito. 7. nu 33. Reginald. lib. 1. numero 222. vbi probat id locum habere etiamsi consentiat se pluribus actibus successiuè percutienti, neque enim tunc incurrit excommunicationem latam contra participantes in crimine criminoso de qua egimus disp. 2. dub. 37. §. *Secundus casus* quia illi omnes actus successiuè facti reputantur vna percussio; in quo etiam consentiunt Sayrus, Auila, & alij suprà.

De Clerico seipsum percutiente rectè Suarius

983 De Clerico autem seipsum percutiente rectè distinguit ibi Suarius, & docet, si percussio non sit iniuriosa non incurrere, cùm in eâ percussione nec sibi, nec ordini clericali iniuriam faciat; atque adeò cesset ratio capitis *Contingit.* citati; & consequenter dispositio illius capitis. Talis autem percussio non censetur iniuriosa quando vel iocosa est, vel Religiosa, id est ordinara v. g. ad castigationem, & vindictā peccatorum coram Deo, & non vltionem, seu vindictam humanam. Si verò actio sit iniuriosa statui Clericali, communis sententia, teste Suario, est incurrere excommunicationem; quia

Quæ percussio non censetur iniuriosa.

licèt non sit violenta seu coacta percussio, censetur iniuriosa statui Clericali, in cuius fauorem est latus Canon ille, cui cedere non potest priuata persona. Ita Panormit. in dicto c. *Contingit.* & sumitur eoam ex c. *si diligenti de foro competenti* putatque Suarius colligi ex verbis c. *contingit.* & esse consonum Textui Canonis, *si quis suadente.*

Ex his infertur clericum irato animo se ipsum percutientem incurrere Excommun.

984. Ex hac doctrina inferunt Doctores, Teste Suario, Clericum sese irato animo percutientem incurrere excommunicationem. Ita Nauarrus c. 27. n. 78. Sayrus lib. 3. c. 26. n. 18. Auila suprà dub. 12 Coninc. disp. 14. dub. 15. n. 170. Reginaldus lib. 1. n. 222. Bonacin. disp. 2. q. 4. punct. 2. n. 4. & alij; quàuis teste Bonacinâ non desint oppositum sentientes; percussio autem ad censurâ incurrendam debet esse talis, & tanta vt sufficiat ad culpam mortalem.

Debet percussio esse mortalis.

Ex quo infertur.

985. Ex quo infertur incurrere excommunicationem, qui præ desperatione, vel tœdio vitæ Clerici cùm sint, se ipsos percutiunt aut decidunt; non verò ij, qui ob mortem parentum vel animarum sese alapis percutiunt, barbam, vel capillos vellicant; talis enim actio non censetur statui Clericali iniuriosa. Legatur Molina Tract. 3. de *Iustitia* disp. 51. n. 4. vbi plures alios refert. Item Auila suprà.

Obijcies volenti non fit Iniuria.

986. Obijcies contra doctrinam traditam scienti, & volenti non fit iniuria: ergo percussio Clerici ab alio, ipso consentiente, vel à se ipso ex propriâ voluntate facta non est iniuriosa, atque adeò neq; contra Canonem.

Resp. Clericum in casu nō posse consentire.

987. Respondetur non quamcumque scientiam, & consensum sufficere, vt non sit actio illa iniuriosa patienti; sed solùm scientiam, & consensum in ijs, in quibus potest talis patiens consentire; Clericus autem non potest in tali casu consentire, nam, vt docet Pontifex in c. *contingit.* citato, priuilegium de non percutiendo Clerico sub pœna excommunicationis, concessum est *non tam in fauorem Clerici* ordinato, quàm in fauorem ordinis Clericalis, cui persona priuata, qualis est vnus Clericus non potest cedere. Ita Authores citati, & alij.

Hinc Collige

988. Inde etiam colligitur Iudicem in custodia detinentem Clericum consentientem, aut illum verberantem incurrere excommunicationem propter rationem dictam.

Quæres.

989. Quæret tamen aliquis à quo percuti debeat, aut possit Clericus, quando meretur percussionem?

Resp. Clericum à Prelato percuti debet quando meretur.

990. Respondetur de Iure quidem communi ab ipsis met Prælatis inferioribus Episcopo percutiendum esse iuxta c. *Vniuersitatis de sent. excommunic.* si possint commodè per se ipsos: non tamen incurrent, si licitè poterunt, si urgente necessitate per alium Clericum faciant, vel etiam per laicum deficiente Clerico, Episcopi verò non possunt per se ipsos extra necessitatem; quod si faciant: incurrent excommunicationem c. *non licet* 86. distinct. Verùm, si attendamus consuetudinem permissum videtur superioribus Clericos capere, aut etiam percutere per alios Clericos aut laicos; potuit enim hæc consuetudo sufficienter introduci multis de causis præcipuè: quia consentaneum videtur honestari de Clerici, vel Monachi per se ipsos obeant eiusmodi munus. Quâ de re legi potest Molina suprà n. 5. Nauarrus lib. 5. de *sentent. Excommunicationis* consil. 42. Petrus Nauarra lib. 2. de *Restit.* c. 3. d. 474. Filliuc. suprà c. 1. quæst. 1. n. 6. Coninc. disp. 14. dub. 15. n. 190. Suarius suprà n. 42. & 43. vsque ad 50. vbi multa distinguit, & de varijs casibus in particulari disputat. Legatur etiâ lib. 1. Tract. 5. p. c. 5 n. 9. § *Porrò.*

Vel vrgente necessitate per alium hoc faciat.

Episcopi verò extra necessitatem per se hoc facere nequeunt.

Dubium. An qui solù ratum habuit clerici percussionem incurrat excomm.

991. Dubitabit adhuc aliquis; an, qui nec mandauit, nec consuluit, neque aliquo alio modo concurrit ad Clerici percussionem, sed postquam vidit illam factam, ratam habuit, incurrat excommunicationem Canonis?

Resp. negatiuè si verba Canonis præcisè considerentur.

992. Sanè vt rectè vidit Suarius suprà n. 55. si verba Canonis præcisè considerentur, nec mandantes, aut consulentes, nec ratum habentes censerentur comprehensi; sed solùm illi qui per se ipsos Clericum percutiunt; hi enim tantùm sunt qui propriè manus violentas injiciunt; lex autem odiosa ad rigorem verborum restringenda est, Quia tamen alia Iura, vel sic prædictum Canonem interpretantur, vt prædictos hominea comprehendat; vel certe illius Canonis extensionem addiderunt omissis nunc mandantibus, & consulentibus (de quibus egimus disp. 1. dub. 19. vsque ad 22.) quod attinet ad ratum habentes aduertendum est illum propriè dici ratam habere Clerici percussionem, qui approbat illam factam suo nomine, & ingratiam sui, quamuis nullum dederit mandatum; hoc prœmisso.

Alia tamen Iura sic interpretantur, vt etiā ratum habentes comprehendat.

Quis propriè dicitur ratum habere clerici percussionem.

Resp. 2. ratum habentem hoc modo incurrere excōm. maiorem.

993. Respondetur ratam hoc modo habentem percussionem Clerici incurrere maiorem excommunicationem. Ita Suarius ibi Molina disp. 52. n. 4. & tomo 4. Tract. 3. disp. 33. Nauarrus suprà n. 78. Reginald. lib. 4. n. 218. & alij multi. Probatur ex c. *Cum quis de sent. Excommunicationis* in 6. iuxta quod caput, si Petrus nomine Ioannis percussit Clericum sine Ioannis consilio, aut mandato; deinde verò Ioannes percussionem illam ratam habuit, & probauit, in hanc Censuram incidit; quia talis ratihabitio retrotrahitur, & moraliter æquiualet mandato quod intelligendum est ab eo puncto quo, ratam habuit.

Casus.

Notandum tres conditiones requiri vt per ratihabitionem incurratur excōmunicatio.

994. Ad pleniorem autem huius doctrinæ intelligentiam notandum est tres conditiones requiri, vt per ratihabitionem incurratur talis excommunicatio: Prima, vt percussio facta fuerit nomine ipsius, sciatque illam suo nomine factam; nam si solùm gaudeat de illa aut illi placeat, nesciens factam esse suo nomine, non propriè censetur ratum habere; nam secundum Iuris proprietatem illud tantùm dicitur ratū habere, quod approbat, tamquàm suo nomine factum. Ita Nauarrus, & Suarius suprà, Auila suprà dub. 9. Sayrus suprà, n. 25. Molin. suprà, n. 5. Filliucius suprà, n. 29. & alij multi.

Prima.

Secundum Iuris proprietatem quid dicitur quis ratum habere.

Secunda conditio.

995. Secunda conditio est, vt ratihabitio significetur signo aliquo externo sufficienti, vt talis ratihabitio exteriusinnotescat; nam merus actus internus approbationis non sufficit, cùm non subijceat potestati, & iudicio Ecclesiæ iuxta *disp. 2. dub.* 10.

Tertia.

996. Tertia conditio est, vt, qui ratam habet percussionem, potuerit illam mandare eo tempore, quo sequuta est. Vnde qui approbat percu-

percutionem factam, quando ipse erat, vel infans vel amens; non incurrit excommunicationem; incurret tamen, si tantùm erat dormiens, tunc enim facilè poterat excitari, & interrogari; an vellet percussionem fieri suo nomine?

Circa personam percussam dubia expedienda.

997. Circa personam scilicet *Clericum vel Monachum* varia dubitari possunt, quæ breuibus quæstiunculis expedienda sunt.

Quæres.

998. Quæres primò quis intelligatur nomine Clerici? vide in nostro opere de Iustitia Tract. 1. disp. 4. num. 300. vbi de sacro in ordine ad priuilegium fori & per varios numeros agitur de ijs, quæ pertinent ad præsens negotium.

Resp. nomine clerici intelligi Initiatum Prima tonsura &c.

999. Respondeo initiatum primâ tonsurâ, aut aliquo ordine minori, etiamsi conjugatus sit dummodò gestet habitum Clericalem, & tonsuram, nec sit bigamus; nam bigamus priuilegio Clericali priuatur c. *Clerico* dist. 22. & c. *Cum contingat.* de *ætate & qualit.* & c. vnico de *Clerico coniugat.* in 6. nec priuatur tali priuilegio Clericus coniugatus cum virgine, quamuis deseruerit habitum, & tonsuram si tamen illum postea reassumat; tunc enim illi pœnitētia prodest. Ita Suarius disp. 29. sect. 1. n. 6. & 7. Sayrus lib. 3. c. 27. Nauarrus c. 27. n. 79. Filliucius Tract. 15. c. 1. quæsito 4. n. 8. Coninc disp. 14. dub. 15. n. 157. & alij multi.

Ex hac doctrinâ pro praxi Infertur 1.

1000. Ex hac doctrina licèt aliqua pro praxi infertur primò incurrere illum, qui percutit Clericum semel coniugatum cum virgine semper gestantem tonsuram, & habitum, vel semel dimissum iterum assumentem; si enim non priuatur priuilegio, non est, seclusâ ignorantiâ, vnde excusetur illum percutiens.

Infertur 2.

1001. Infertur 2. incurrere, qui percutit Clericum tantùm verbaliter degradatum; hic enim adhuc gaudet priuilegio Canonis, secùs verò si percutiat degradatum realiter, vt habetur c. *degradatio de pœnis* in 6.

Infertur 3.

1002. Infertur 3. incurrere, qui percutit Clericum Irregularem aut excōmunicatum, etiam vitandum, aut grauis aliâ censurâ affectum; adhuc enim perseuerat in eo priuilegium Canonis nec per censuram, aut Irregularitatem amisit nomen & statum Clerici. Ita molina tomo 4. disp. 56. n. 12. Nauarrus c. 27. n. 79 Filliucius Tract 15. c. 1. quæsito 4. n. 9. Coninc suprà, Reginald. lib. 1. n. 112. & 238. & alij multi.

In Clerico Excomm. perseuerat priuilegium Canonis.

1003. Non autem incurrit, qui percusserit inualidè tonsuratum, aut ordinatum. v.g. eum, qui ante Baptismum fuit exteriùs initiatus, aut, qui per vim absolutam promotus est ad ordines absque intentione illos suscipiendi. Ita Molina suprà disp. 50. n. 3. & 4 Nauarrus c. 27. n. 79. Vgolinus tabula 1. c. 13. §. 15. Sayrus lib. 3. c. 26. & 27. Philiarcus lib. 3. de *officio Sacerdotis* c. 33. & alij.

Infertur 4.

1004. Infertur 4. incurrere, qui percutit Clericum, qui post susceptionem Sacrorū ordinum Matrimonium contraxit; verè enim Clericum percutit nullo Iure priuatum priuilegio Canonis, quod non amittit initiatus ordine sacro per contractum Matrimonij, quantumuis alias pœnas incurrat, fiatque bigamus fictâ quadam à Iure bigamiâ, non verò reali, aut interpretatiua. Ita Sayrus c. 37. n. 31. Coninc suprà, & multi.

1005. Obijciet tamen aliquis percutiens Clericum bigamum non incurrit, sed is per matrimonium post susceptionem Ordinum sacrorum fit bigamus: ergo qui eum percutit, non incurrit. *Obijcies.*

1006. Respondetur bigamiam, quæ excusat ab incurrendâ Censurâ percutientem esse veram aut interpretatiuam, non verò fictam; nam c. vnicum de bigamis in 6. vbi Clerico bigamo tollitur hoc priuilegium, non loquitur de fictâ, atque ideò per fictam non amittitur priuilegium. Ita Gloss. in idem c. & aliqui Recentiores. Legatur Coninc n. 157. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 2. c. 5. n. 3.

Resp. verâ bigamia Clerici. excusat ab incurrenda Censura, nō autem ficta.

1007. Nauarrus c. 27. n. 79. excludit à priuilegio Clerici Clericum incorrigibilem ex c. *cùm non ab homine de Iudicijs.* Sed (vt rectè notat Suarius suprà n. 8. & 9) res est valdè controuersa inter Iuris interpretes, qualis debeat esse illa incorrigibilitas? & an eâ stante absque vllâ declaratione ipso facto, & absque sententiâ condemnatoriâ amittat ille hoc priuilegium, vel potius necessaria sit sententia declaratoria ipsius incorrigibilitatis? Et meritò Suarius putat probabilius seruandam esse formam in illo c. *præscriptam*, iuxta quem textum priùs est criminosus Clericus per Iudicem Ecclesiasticum de ponendus, ac proinde crimina esse debent depositione dignâ, qualia non sunt; nisi enormia, de quibus posita. Quod si iam depositus adhuc sit incorrigibilis, excommunicari debet; si autem adhuc sit contumax, anathemate feriendus est differt autem anathema ab excommunicatione in eâ solemnitate, & accidentibus ex instituto diximus disp. 2. dub. 2. solemnibus ergo ceremonijs separandus est ab Ecclesiâ. Quod si post hæc omnia sit adhuc incorrigibilis, probabile putat Suarius quod docet. Abbas Panormit. statim absque alia sententia priuari ipso facto Clericali priuilegio.

Controuertitur inter Iuristas qualis incorrigibilitas requiratur in Clerico vt Excludatur à priuilegio.

1008. Probabilius tamen putat Suarius ipse referens Cardinalem, necessariam esse sententiam declaratoriam Iudicis declarantis illum incorrigibilem, seque non habere aliud, quod facere possit, vt eum corrigat & emendet, nisi tradere illum sæculari potestati. Probanque potest primò; quia illa priuatio est noua pæna, quæ non incurritur ipso Iure; nisi expressè, & sufficientibus verbis contineatur in lege pœnali; id autem non reperitur in citato c. *Cum non ab homine* solum non dicitur, *cum Ecclesia non habeat vltra quid faciat, per sæcularem comprimendus est potestatem.* Quibus non significarur expressè statim Iudicem sæcularem posse auhoritate suâ se intromittere; sed, quod Ecclesiasticus Iudex possit, & debeat tunc id facere per Iudicem sæcularem. Nec videtur expedire aliter fieri ad conseruationem immunitatis Ecclesiasticæ, & ad tollenda dissidia inter vtrumque iudicem. Confirmatque Suarius ex c. *vt famæ de sent. excom.* vbi de his Clericis incorrigibilibus dicitur posse, & debere per Ecclesiasticum Iudicem sub arctâ custodiâ detineri; deinde additur laicum non posse illum comprehendere; nisi de mandato Prælati Ecclesiastici, & tunc non suâ; sed committentis auctoritate.

Probabilius iuxta Suarium requiritur sententia Iudicis declarantis Clericum incorrigibile vt priuetur clericali priuilegio Ratio.

1009 Imò doctè satis more suo notat Suarius *Notat Suarius.*

Suarius; adhuc ex prædictâ interpretatione sequi post talem declarationem nondum esse omninò priuatum priuilegio Clericali, ita, vt hanc censuram euadat quicumque manus violentas in eum iniecerit; id enim nullo Iure constat; nam in citato Textu cum limitatione dicitur *per sæcularem corrigendus est potestatem*; non ergo respectu aliorum immunitas Clericatus aufertur; neque totalis hæc priuatio immunitatis necessaria est ad finem correctionis. Legatur Suarius, nu. 10. vbi rectè concludit hanc exceptionem de Clerico incorrigibili non habere locum, quoad omnes alios præter Iudicem sæcularem in casus sibi concesso per Ecclesiasticum, Quantum ad ipsum verò Iudicem non esse propriè exceptionem; quamuis enim possit punire Clericum, id non facit propriâ, sed Ecclesiæ potestate, vt habetur in dicto c. *vt famæ*. Nec potest excedere delicti mensuram, vt insinuatur in dicto c. *Cùm non ab homine*, ibi *Legitima pæna*. Quod si excedat, incurrat excommunicationem Canonis. Neque etiam potest illum pœna mortis afficere donec realiter degradetur, quia nondum est priuatus priuilegio Clericali, neque autea censetur Ecclesia in eum pœnam consecutè iuxta, cap. 2. de *Pœnis* in 6.

Totalis ablatio immunitatis non est necessaria ad finem correctionis.

Iudex sæcularis potest punire Clericum, non propriâ, sed Ecclesiæ auctoritate.

Non tamen pœnâ mortis donec realiter degradetur.

1010. Excipit tamen Suarius numero 11. casus aliquos speciales capitis *Contingit* el. 2. c. *In audientia de sent. excom.* Vbi quidam Clerici incorrigibiles si post trinam monitionem sui Prælati adhuc in incorrigibilitate perseuerent, tanquàm non Clerici habendi censentur quantum ad immunitatem, & fauorem huius Canonis, dum ait Pontifex *illius efficiantur immunitatis extortes, quæ pro Clericorū tutelâ, & laicorum violentiâ coercēdâ dignoscitur instituta*. Legatur Suarius loco citato, vbi latè prædictos casus enumerat & expendit. Legatur etiam dicenda disp. 6. dub. 1.

Excipit casus aliquos Suarius

Causæ & delicta ratione quorum Clerici non gaudent priuilegio Canonis.

1011 Itaque ex prædictis casibus, & alijs textibus possumus enumerare causas, & delicta, quorum ratione Clericus non gaudeat priuilegio Canonis. Nam præter bigamiam dictam primò illi Clerici in maioribus constituti, qui dimisso habitu, & tonsurâ, negotijs sæcularibus sese immiscent, & tertiò admoniti à suo Episcopo emendare se contemnunt, amittunt priuilegium Canonis iuxta duo capita proximè citata.

Primò admittunt priuilegium hoc

1012 Secundò ex c. *Cùm non ab homine*, & c. *perpendimus de sententiâ excommunicationis* (etiam ante Episcopi monitionem) Canonis priuilegio priuantur, qui dimisso habitu Clericali tyrannidi, & enormitati se immiscent.

Secundò.

1013 An verò talis Clericus etiam fori priuilegium amittat, vt à Iudice sæculari capi, & puniri possit; ex nuper dictis cum Suario circa verba. c. *Cùm non ab homine de iudicijs*, videtur omninò negandum. Ita Abbas. cap. 1. *de Apostatis* in 6. & c. *perpendimus* numero 5. Nanarrus lib. 5. cons. vltimo. de *Priuil.* edit. 2. Couarrub. in Practicis cap. 31. Martha Tract. de *Iurisdictione* p. 4. cap. 135. Coninc. citato dub. 5. numero 160. Vnde Abbas citato cap. 1. nu. 5. docet Clericum occultum, qui sine habitu, & tonsurâ in enormi crimine à sæculari Iudice deprehensus est, allegando se Clericum, posse petere, vt remittatur ad Ecclesiasticum Iudicem, & esse audiendum. Et quidem hæc doctrina colligitur ex citato, cap. *cùm non ab homine de iudicijs*, vbi Celestinus, III. ait *Quod Clericus in quocumque ordine constitutus in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitimè, atque conuictus, ab Ecclesiastico Iudice deponendus est, qui, si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumaciâ crescente anathematis mucrone feriri, postmodum verò, si in profundum malorum veniens contempserit, cùm Ecclesia non habeat vltra quid faciat, ne possit esse perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem: ita quòd ei deputetur exilium vel alia legitima pœna inferatur*: Probatur hoc ipsum ex citato. c. *vt famæ, de sent. excom.* vbi expressè dicitur quod laici Clericos incorrigibiles capere, & ad iudicia trahere possint; sed mandato, & auctoritate Prælatorum, quorum Iurisdictioni Clerici illi subiecti sint.

Modus procedendi cū Clerico incorrigibili

1014. Circa Clericum verò in sacris ter monitum ab Episcopo & nolentem arma iniqua deponere, & habitum Clericalem assumere, an ipso Iure Priuilegio etiam fori priuatus sit, vt à sæculari Iudice puniri possit? videtur negatiuè respondendum iuxta ea, quæ nuper diximus cum Suario sect. illâ 1. qui eandem doctrinam breuiter repetit, & eo se refert lib. 4. *defens. contra Regem Angliæ*. cap. 27. numero 24. Quod etiam docet Ioannes Lupus Tract. *de libert. Eccles.* p. 2. q. 5. numero 5. & 9. & q. 8. n. 7. oico, qui generalem regulam tradunt Clericū in sacris non amittere priuilegium fori; nisi per sententiam de gradationis realem aut fictam, (quæ in absentem à Iudice ferri solet) excepto vnico casu cap. 1. *de Homicidio*, in 6. quem explicat Couarr. 2. *variarum* c. 20. n. 10. & Clarus §. Finali q. 36. numero 30. Syluest. verb. *Assessi*, q. 3. & 4. atque ita mihi videtur dicendum; si rectè expendamus verba. c. *Cùm non ab homine* regulariter loquendo (vt dixit Suar. citato numero 8. & 11.) exceptis casibus specialibus c. *Contingit*. el. 2. & c. *In audientia* suprà citati.

Dubium de Clerico ter monito.

Resp. talem ipso Iure non priuari priuilegio fori.

Regula generalis.

1015. Nihilominus affirmantem sententiam alij plerique sequuntur. Ita Couatrub. in Practicis cap. 31. numero 2. §. *Secundo est annotandum* Clarus suprà numero 23. Gloss. cap. 1. de *Apostatis* verb. *liberari*. Martha de *Iurisdict.* casu 135. quorum Fundamentum est, quia trina illa monitio facta Clerico Apostatæ in sacris; ob quam ille incorrigibilis appareat, instar sententiæ, & degradationis esse soleat per Iuris adminiculum iuxta c. *in audientiâ de sent excom* Quā doctrinam Layman. suprà, numero 3. probabilem putat propter Doctorum auctoritatem: meritò tamen indicat sententiam Suarij esse, & tutiorem, & citati Iuribus magis conformem.

Affirmantē tamen sententiam plerique sequuntur.

Ratio.

Hanc doctrinam probabilem putat Layman.

1016 Tertiò priuantur priuilegio Canonis Clerici exercentes publicè officium Lanionis, aut Cauponis, si coniugati sint vel habitum Clericalem dimiserint, atque ter moniti à suo Episcopo non destiterint, vel postquàm destiterint, reassumpserint idem officium. Non coniugati verò, & habitum Clericalem retinentes amittunt priuilegium, quoad res tantum ita, vt instar Laicorum tributa, & vectigalia soluere cogantur, non item quoad personas; ideo gaudent

Tertiò priuantur priuilegio Clericus

gaudent priuilègio fori, & Canonis vt constat in *Clementina. 1. de vitâ & honest. Clericorum.*

Quartò priuatur illo priuilegio Clericus.

1017 Quartò priuatur eo priuilegio Clericus, qui per annum exercet artem Ludionis, mimi aut Parasiti, nec solùm hoc priuilegium; sed omnia Clericalia priuilegia, imò etiam ante annum, si post trinam Episcopi monitionem non resipiscat, vt habetur, *c. vnico de vita, & honest. Clericor. in 6.* Verùm (vt notat etiam Layman) aliqui solùm hoc admittunt in Clericis minorum Ordinum; hi enim possunt Clericatui renuntiare, non verò de Clericis in sacris, qui iuxta doctrinam Suarij, & Lupi locis citatis, & Ioannis Monachi *in Addit. Glossæ, ad c. vnicum, de vitâ & honestate clericorum.* in 6. non admittunt fori priuilegium ante Iudicis Ecclesiastici sententiam, seu degradationem. Alij tamen indistinctè de omnibus dicta Iura intelligunt Legatur Molina *suprà disp.* 49. & 54. & Suarius *locis citatis.*

Nomine Monachi in Canone qui sint intelligendi?

1018 Nomine verò Monachi intelligendi veniunt Religiosi professi, aut conuersi, aut etiã Nouitij, Moniales etiam professę vel conuersæ etiamsi nouitij nondùm sint verè Religiosi sed tantùm in viâ ad Religionis susceptionem, & etiamsi in quibusdam Religionibus conuersi, & conuersæ propriè dictam professionem non emittant, dummodò prædictæ Moniales, aut conuersæ non degant domi propriæ more laicorum Prædicta colliguntur ex varijs capitibus Iuris maximè c. *non dubium* iuncta Gloss. verb. *Conuersos*, & c. *Ex tenore c. de Monialibus c. Cum illorum*, c. *Monachi de sent. excom.* & c. *Religiosi*, §. *Quamuis*, eodem tit. in 6. Qui omnes in fauorabilibus nomine Religiosorum comprehenduntur eorumque gratijs, & priuilegijs participant, etiam priuilegio fori, ut delicta quantumuis enormia non à sæculari; sed ab Ecclesiastico Iudice iudicari debeant, & puniri & legi potest Nauarrus *lib. 1. Cons. c. de foro comp. edit.* 2. De quibusdam verò in particulari potest dubitari, de quibus sigillarim dicemus.

De quibusdam, in particulari dubitari potest? de quibus

Quæres 1.

1019 Quæri potest primò an Religiosus bigamus gaudeat hoc priuilegio.

Resp.

1020. Respondeò gaudere; nullo enim Iure excluditur, sicut excluditur bigamus Clericus. Ita Suarius *disp.* 22. *sect.* 1. Reginald. *lib.* 1. 284. *& sequentibus* Sayrus *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 32. Molina. *Tract. 3. de Iustitia, disp.* 54. Syluest. *verb. bigamus* q. 8. & alij multi.

Quæres 2.

1021. Quæres 2. an gaudeant hoc priuilegio Commendatarij, seu militares equites laici Ordinum militarium, vt milites Sancti Ioannis, Sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, ordinis Christi, & similium, quorum multi etiam sunt coniugati?

Resp. in hac re distinguendum esse.

1022 In hac re distinctione opus est; alioqui enim sunt equites, vt sancti Ioannis, qui in communi viuunt, & votum solemne castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittunt; atque hos gaudere priuilegio Canonis multi sentiunt, sicut & cæteris priuilegiis Religiosorum. Ita Molina *tom.* 4. *Tract.* 3. *disp.* 50. *numero* 5. Nauarrus *lib.* 3. *Consiliorum.* de *Regularib. cons.* 13 & alij, quos refert Sanchez. *lib.* 4. *Summa cap.* 16, *numero* 11. Alij verò, qui non viuunt in congregatione, ne prædicta vota emittunt, non videntur computandi inter tales Religiosos. Sanè multi Auctores etiam milites Sancti Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, & similes putant esse verè Religiosos, vt cum multis docet Sanchez loco citato, quamuis enim non voueant perfectam castitatem; sed coniugalem; neque absolutam obedientiam, & paupertatem sed magis limitatam, adhuc sunt verè Religiosi sub Religione approbatâ à Sede Apostolicâ, atque adeò censeri debent habere priuilegium Canonis, sicut & fori; nisi fortè alicubi contrariâ consuetudine fuerit abrogatum. Et quamuis Garzia de Beneficijs, 1. *p. c.* 4. *numero* 15. *& sequentibus* latè contendat probare equites Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ non esse propriè, & strictè Religiosos; absolutè tamen docet esse personas Ecclesiasticas, & suo modo seruantes tria vota, & consequenter gaudere priuilegio Canonis, idemque iudicium erit de equitibus Ordinis Christi in Hispaniâ maximè in Lusitaniâ, & Sancti Stephani Florentiæ, Sancti Lacari in Sabaudiâ. Ita Nauarrus *cons.* 10. de Regularibus, Filiucius *suprà numero* 14. *ad finem*, & alij apud Sanchez, & Garziam *locis citatis.*

Quæres 3. An nomine Monachi intelligantur tertiarij.

1023 Quæres, 3. an nomine Monachi intelligantur Tertiarij sancti Franciscisci, vel sancti Dominici, qui tertiam Regulam, & habitum eius Ordinis susceperunt?

Negat Caiet.

1024 Nonnulli negant, inter quos Caietanus *verbo excommunicatio, cap* 10. *notabili.* 7. Alij affirmant maximè Nauarrus cap. 27. n. 29.

Author distinguendum putat.

1025. In hac re distinguendum puto, & quidem si sermo sermo sit de ijs Tertiarijs, qui, præmissis tribus votis essentialibus, verè Religiosi sunt sub regulâ, & iurisdictione Ordinis Mendicantium degentes ex concessione Sixti. IV. quam refert Rodriguez *tomo* 3. *Regular. q.* 72. *art.* 1. *conclus.* 3. & Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum, tomo*, 1. *q.* 36. certum videtur gaudere priuilegio; sicut & qui assumpto habitu Monachali, sese mancipãtunt obsequijs alicuius approbatæ Religionis sub obedientiâ superioris illius Religionis; nam pro illo tempore censentur Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ, sicut censentur Nouitij: nam Religiosi nomen maximè in fauorabilibus, ut dicebam, non solùm accipitur pro professis verum etiam pro ijs, qui illius status sunt participes, inter quos computari debent ij tertiarij in communitate viuentes, & prædicti mancipati. Ita Rota ex Nauarro. cap. 27. numero 79. versu *Octaua Sacra Cardinalium congregatio*, & ex Filiucio *supra quæsito* 4. *numera* 14. & alij communiter. Legatur Suarius *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 20. & Coninc *disp.* 14. *dub.* 15. *n.* 164.

1026 Si verò loquamur de alijs Tertiarijs, qui Religiosi non sunt; sed ex peculiari affectu Religionis ei bona sua offerunt, vel etiam habitum, & regulam suscipiunt. Sanè, si antiquiora Iura spectaremus, possemus dicere illos Canonis priuilegio gaudere argumento. *c. Duo sunt.* 12. *q.* 1. *& c. Quisquis.* 17. *q.* 4. idque docet Gloss. *in citata c. Non dubium, de sent. excom.* & Ioannes Capistranus Tract. de *excomm.* qui habetur *tomo* 14. *Tractatuum diuersorum Iuris.* Molina *Tract.* 3. *disp.* 50. *num.* 4. Syluest. *verb. Ecclesia* 1. *q.* 5. Auila, *p.* 2. *c.* 5. *disp.* 2. *dub.* 11. Suarius

sect. illa 1. numero 20. sed (vt rectè notat Rodriguez. *tomo* 2. *Regularium*, *q.* 65. *art.* 5. *&* ex eo Layman *supra num.*4.) Leo X. quem refert Rodriguez, omnem sustulit dubitationem statuens, & declarans fratres, & sorores, qui dicuntur Tertij Ordinis, si in proprijs domibus habitent, sæcularibus omnino personis annumerari debere; sin autem collegialiter viuant, sub habitu, & voto aliquo expresso; gaudere priuilegijs, quibus potiuntur, & gaudent, fratres Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitũ gestãt.

1027 Miranda etiam prædictis consentiens *in Manuali tom.1. citato q.* 29. distinguit inter fratres laicos, qui communem cum alijs Religiosis regulam profitentur, qui verè, & propriè, non minus, quàm cæteri, Religiosi sunt, & inter fratres conuersos, qui exuentes sæcularem habitum, & assumentes Regularem (quamuis vtcumque distinctum ab habitu cæterorum Religiosorum) alicui Ecclesiæ, vel Religioni se deuouerunt emisso Voto simplici, saltem continentiæ, aut etiam interdum obedientiæ, & paupertatis, atque hos omnes absque dubio appellat personas Ecclesiasticas Ecclesiasticâ immunitate gaudentes, quamuis non sint propriè Religiosi; quia non profitentur regulam Ordinis, nec talia vota emittunt, vt per ea constituantur sub regulâ Religionis à summo Pontifice approbatæ, vt probat Nauarrus *lib.* 3. *cons.* 7. 12. *&* 81. *de Regularibus in primâ editione*. Ideò tales conuersi validè matrimonium contrahunt; quamuis non licitè propter votum simplex continentiæ. Tandem alios ait Miranda esse Oblatos, seu Donatos, qui absque mutatione habitus, & absque voto emisso domi suæ manent; sed sua bona Religioni dicarunt; atque hos ait non esse propriè personas Ecclesiasticas; neque Ecclesiasticâ immunitate gaudere.

Quæres 4. 1028 Quæres 4. an Eremitæ, quos appellant, gaudeant hoc priuilegio?

Opinio aliquorum. 1029 Negat Panormit. *in cap.* 2. *de Foro compet. num.*10, Angelus verb. *Eremita num.*3. affirmat Glossa *in c. Qui verè* 16. *q.* 1. Nauarrus cap. 27. & alij multi.

Authoris iudicium. 1030. In hac re certum in primis puto aliquos eremitas omnino gaudere hoc priuilegio; sunt enim aliqui verè, & propriè Religiosi. Qua de re latè tractat. Rodrig. tomo 3. *Regularium* q. 49. art. 4. Quod attinet ad alios, qui Religiosi non sunt, distinguendum videtur; sunt enim aliqui, qui votum paupertatis emittentes, aut aliam suscipientes obligationem apud Prælatum Ecclesiasticum, alicui vel Ordini, vel Ecclesiæ speciatim se addicunt. Sunt vero alij, qui nullam talem obligationem profitentur. Illi sanè priores inter Ecclesiasticos computari, & eorum priuilegijs gaudere debent; secùs vero posteriores. Ita Rodriguez tomo 2. *Regular.* q. 63. art.4. Coninc. disp. 14. dub. 15. numero 164. Nauarrus, c.27. n. 70. Syluest. supra verb. excomm.6. n-3. Molina. Tract.3. *de Iustitia* disp. 50. n.4. Suarius disp.22. sect.n. 22. Glossa in c. Non dubium citatum. Reginald. lib.1 n.214. & lib.9. n.353. Filiucius supra numero 14. & alij apud Molinam. Item Auila supra 2. p. c. 5. disp. 3. dub. 12.

CAP. II.

De modo percutiendi, quantitate, & qualitate percussionis requisita ad censuram incurrendam.

1031 Hanc percussionem appellat Canon citatus *manus violentas*; Quid autem significetur per manus violentas non eodem modo explicant Authores. Communis sententia est significari quamcumque actionem iniuriosam, seu contumeliosam externam, & corporalem circa personam, vel res illi adhærentes. v. g. Clericum vel Regularem occidere, vulnerare, percutere manu, ense, fuste, &c. conculcare, aut aliquo alio modo simili offendere, vt eum violenter detinere in publica, aut priuata custodiâ; eripere etiam aliquid per vim & iniuriam de manu, vel corpore illius, vt librum, pileum, vestem, &c. Non tamen incurret hanc excommunicationem, qui solùm verbis contumeliosis afficit illum; neque qui attentat percutere; neque etiam qui clàm, & per fraudem marsupium sine vlla vi à Clerico furatur, aut vestes in lecto iacentis sine intentione illum in loco concludendi; sed solùm furandi, accipiat. Ita Suarius suprà sect.1. Caietan. Laym. suprà numero 5. & alij Reginald. lib.3. n. 202. alijq; postea citandi. *Quid per manus violentas. iuxta Communem sententiam intelligatur.*

1032. Requiritur tamen vt illa actio prudenti æstimatione grauis sit, & ad mortale peccatum sufficiens, alioquin non incurretur censura iuxta regulas generales traditas disp.1. dub. 23. & disp. 2. dub. 12. & 13. Quod verum est, etiã si ex internâ intentione mortaliter peccauerit, dummodò externa actio non sit in se peccatum mortale; sufficit autem, quod actio, etiamsi in ratione percussionis non sit grauis, grauitatem habeat in ratione iniuriæ, vt si quis expuat in Clericum, aut virga, vel arundine illum percutiat, maximè in his Regionibus, in quibus talis pulsatio, vel leuis maximè iniuriosa est. Vnde etiam propter eandem rationem chirothecam in illum proijcere, maximè vbi communi æstimatione talis actio pro alapæ inflictione putatur: Et si quod est aliud iniuriæ genus, etiamsi percussio ipsâ physicè leuis sit. Pari ratione claudere in aliquo loco, vnde non possit exire sine dedecore, & pudore grauis censetur iniuria; item conspergere aquâ, puluere, lapillis, illumve persequi, ita, vt in fluuium, aut fossam incidat, aut æquo decidat, &c. manus etiam violentas in equum, cui insidet, inijcere illum feriendo, aut frangendo frenum. *Requiritur vt illa actio sit sufficiens ad mortale externum. Et sufficit vt sit grauis, in ratione Iniuriæ. Etiamsi percussio ipsa physicè leuis sit.*

1033 Non videtur autem sufficere, si Clericus fortè inter fugiendum cadat præter intentionem, & præuisionem insequentis, vt notauit Syluest. *Excom.*6, num.5. In prædictis conueniunt Suarius citatâ disp. 22. sect. 1. numero 26. aliàs 32. Molina supra disp. 50. & 51. Coninc dub. 15. numero 165. & 166. Reginaldus lib.1. num.206. Layman supra. Bonacina disp. 2. q.4. puncto 1. num.11. Filiucius sup. num. 17. estque communis sententia. Ratio est; quia licet *Ratio est.*

cet multæ ex prædictis violentijs graues non sine comparatione corporis, & sanitatis Clerici; censentur graues & mortales comparatione honoris, vt notauit Innocentius III. in c. *Nuper de sent. Excommunic.* & consentit Lex. *Item apud Labeonem ff. de Iniurijs*, vbi dicitur. *Si quis pulsatus quidem non est, verum manus aduersus eum leuata, & sæpè territus quasi vapulaturus, non tamen percussit, vtili iniuriarum actione tenetur.* Legatur Auila p. 2. c. 5 disp. 3. dub. 11. Syluest. verb. *Excomm.* 6. n. 5. Nauarrus c. 15. n. 11. & c. 27. n. 77.

Qui Clericum veneno occidit non incurrit hanc excõm. iuxta Auilã

1034. Vtrum autem qui occidit Clericum per cibum, vel potum veneno infectum incurrat hanc Censuram? Aliqui dubitant, & negat Auila citato dub. 12. §. *Secunda conclusio* in fine, quia talis non infert vim personæ; sed naturæ; nisi fortè per vim cogat sumere venenum. Pro quâ sententia refert Manuelem Rodriguez c. 80. verbo *Excommunicatio* conclus. 13. in fine, & ait ita respondisse præcipuos doctores & Magistros Salmanticæ.

Oppositum videtur Authori probabilius. Ratio.

1035. Oppositum videtur probabilius, quia huiusmodi actio est valde violenta, & potens dissoluere compositum per illam applicationem actiuæ causæ. Ita Beja 1. p. casu 14. Molina supra. Suar. de *Censur.* disp. 5. n. 15. adiuncto n. 13. Filliucius Tract. 11. c. 5. quæsito 3, n. 126. in fine, & Tract. 15. c. 1. quæsito 5. n. 20. & alij communiter. Quæ sententia mihi placet; neque video cur applicatio globi displosi per bombardam, vel sagittę emissio sint sufficientes actiones ad incurrendam Censuram; cùm tamen ibi solùm sit applicatio causæ cuiusdam quæ per impulsum, quem habet, tanquam per qualitatem ad id potentem in tali materia dissoluit continuum, & eâ ratione tollit vitam, aut sanitatem Clerici; & non eadem ratione applicatio veneni censeatur iniuriosa, cùm venenum, seu res illa, quæ habet qualitatem venenosam, per talem qualitatem non minus, quam globus per impulsum Clericum lædat. Illud tamen verum puto cum Suario, Filiucio, & alij hanc censuram non incurri, antèquàm venenum operari incipiat; actio enim violenta non incipit esse quousque venenum operetur, supposito quod sine vllâ vi datum fuerit; quamuis enim datum sit dolo, aut fraude, hoc non sufficit, sicut, etiam si fraude accipiatur marsupium, sola fraus non est sufficiens, vt actio dicatur violenta.

Non tamen incurritur hæc censura antequam venenum operari incipiat. Ratio.

Quoad Monialem grauidam sumentem venenum Authoris Iudicium.

1036. De moniali vero grauida, quæ haurit potionem mortiferam non sibi, sed fœtui, probabilius existimo non incurrere hanc excommunicationem; ea enim actio non censetur violenta sibi; sed fœtui, nec videtur iniuriosa statui Ecclesiastico. Ita Mólina disp. illâ 51. n. 4. Auila suprà, Sayrus lib. 3. c. 23.

Ex dictis Infertur 1.

1037. Ex dictis infertur primò non incurrere excommunicationem, qui lacerat vestes Clerici, illi tamen non adherentes, sicut qui alias res ipsius destruit; tunc enim non infert violentiam Clerico. Ita Molina, & Suarius suprà, Filliucius n. 18. Bonacina suprà n. 15. & alij multi.

Infertur 2.

1038. Infertur 2. incurrere Iudicem sæcularem, qui detinet, aut detineri curat Clericum in custodiâ, vel in domo, aut adhibet custodes, qui Clericum capiant, ita, vt ille non possit liberè exire; id enim totum est violentiam inferre per se vel per alium. Ita Nauarrus c. 27. n. 77. Filiucius apud Bonacinam suprà n. 16. Sayrus lib. 3. c. 26. n. 13. Suarius disp. 22. sect. 1. 29. Filliucius Tract. 15. c. 1. quæsito 5. n. 17. & 32. Coninc supra n. 165. & alij.

Infertur 3.

1039. Infertur 3. non incurrere, qui per metum nullâ vi illatâ vel tactu violento Clericum abigit ex fundo, vel loco aliquo; neque enim censetur manus violentas in Clericum inijcere, qui solùm verbis minacibus vtitur.

Infertur 4.

1040. Infertur 4. non censeri manus violentas in Clericum inijcere, qui obsidet Castrum, aut domum, non vt Clerico ibi existenti iniuriam inferat; sed vt iustè obtineat castrum illud, aut domum. Ita Suarius sect. illâ 1. n. 30. & 31. Molina suprà disp. 51. n. 1. Sayrus suprà n. 13. & alij citati.

Infertur 5.

1041. Infertur 5. incurrere qui bombardam explodit in Clericum, quem licet globo non tangat, metu tamẽ periculi incusso occidit. Vel etiamsi tactus globi ex se non sit grauis; tamen comparatione dispositionis illius Clerici, meritò grauis putatur; hæc enim censetur actio violenta, & iniuriosa in Clericum. Ita Filliucius suprà n. 17. & alij multi, quos referemus in simili agentes de Irregularitate.

1042. Pro complemento, & maiori explicatione traditæ doctrinæ meritò desiderabit aliquis habere regulam generalem dignoscendi quandonam percussio Clerici, seu actio iniuriosa in illum sufficiat ad incurrendam maiorem excommunicationem?

Regula generalis iuxta Caietanum &c. ad dignoscẽdum quando actio iniuriosa in clericũ sufficiat ad incurrendã maiorem excomm.

1043. Caietanus de Excommunicatione c. 10. Auila suprà dub. 3. casu 13. Bonacina suprà n. 19. & alij assignant pro regulâ; quoties actio est tam parui, aut leuis momenti, vt illatâ laico non censeatur peccatum mortale; etiam comparatione Clerici, non sufficere ad incurrendam Censuram Canonis. Hac ratione à quibusdam Autoribus excusantur regulariter à Censurâ pueri initiati prima Tonsura, qui se pugno, aut alapis petunt, & sanguinem è naribus eliciunt in paruâ quantitate. Hanc tamen doctrinam meritò Suarius sectione illa 1. n. 27. putat non esse simpliciter veram; fieri enim potest, vt quæ actio comparatione laici leuis est, meritò comparatione Clerici censeatur grauis, & valde iniuriosa. Ideò id totum iudicio prudentis remittendum docet. Merito ergo Molina disp. illâ 51. n. 8. Coninc disp. illâ 14. dub. 15, n. 168. alijsque Recentiores docent, quoties actio, & iniectio manus violentæ seclusâ excõmunicatione sufficiet comparatione Clerici percussi ad peccatum mortale iudicio prudentis, eandem quoque sufficere ad incurrendam Censuram positam, ob violẽtam manuum iniectionem; hæc enim Censura sicut & quæuis alia maior, necessariò supponit peccatum mortale.

Regulam illam non esse simpliciter veram meritò putat Suarius Ideoq; totum Iudicio prudentis remittendum docet.

Atq; hæc est causa ob quam clerici Impuberes sese percutientes non incurrant Censuram.

1044. Atque hæc est causa, ob quam prædicti impuberes non incurrant Censuram, quoties attenta qualitate personarum, & quantitate nocumenti, non censetur mutua vel alterna illorum percussio tam grauis, vt sufficiat ad pecca-

tum mortale. Ita Molina citato n.8. Filliucius suprà n. 20. Auila suprà, Coninc suprà n.190. & alij communiter, & nos notauimus disp. 1. dub. 14.

CAP. III.

De causis excusantibus ab incurrendâ Censurâ propter Clerici percussionem.

Excusatio ab incurrendo Censura.

Excusat ignorantia.

1045 Aliqui sunt casus, qui, vt excusant à culpa saltem graui; ita & ab incurrendâ censurâ; de quibus placet sigillatim dicere. Et vt certa à minus certis separemus, ignorantiam excusare ab incurrendâ Censurâ communis sententia est. Vnde qui percutit Clericum putans esse laicum, etiamsi percussio sit alioquin grauis dummodò talis ignorantia, vel error probabilis sit, non incurrit eam Censuram. Ideò, si quis incurrat noctu, vel loco tenebroso in Clericum, ibique cum percutiat grauiter, non censetur excommunicatus; in foro autem externo, vt rectè notat Layman. lib. 1. Tract. 5. p. 2. cap. 5. num. 8. cum alijs, si quis alleget ignorantiam, eaque ignorantiâ dubia sit illam iuramento confirmare cogitur. cap. *Si verò*, el. 2, *de sent. excomm.*

1046 Vtrum autem qui nouit quidem personam, quam percutit, esse Clericum, putabat tamen esse Titium, & re vera erat Caius, quem nullo modo volebat percutere; incurrat nihilominus in excommunicationem percussionis Clerici? latè in vtramque partem disputauimus suprà disp. 2. dub. 23. §. *An verò qui.* In quâ etiam dubitatione latè ex instituto ostendimus vniuersim ignorantiam inuincibilem aut probabilem excusare à qualibet incurrendâ Censurâ. Ibi etiam obiter statuimus si quis volens percutere hunc Clericum, ab eo aberret, & casu præter intentionem percutiat alterum Clericum non incurrere excommunicationem. Et præter Sanchez ibi citatum expressè docent Suarius disp. 22. sect.1.n.54. Layman suprà, Coninc citatâ dub.5.num.197.

Secundo excusat imperfectio actus qui non attingit culpam mortalem.

1047. Secundò excusat imperfectio actus, qui non attingit culpam mortalem iuxta dicta, c. præcedenti, & iuxta principia generalia. Vnde qui percutit Clericum ioco iuxta ibidem indicata, non censetur suadente diabolo manus violentas injicere, estque communis sententia. Imò quantumuis aliqua fortasse ira interuenerit si alioquin spectatis circunstantijs, & qualitate percussiunis adhuc non pertingit ad culpam mortalem. Secùs verò dicendum existimo, si actio, vt sæpe fit, per iocum quidem incepit; sed postea ex verâ, & graui irâ procedat, sitque sacrilegium mortale cum sufficienti aduertentiâ. Si verò sufficiens aduertentia desit vt contingit, quando quis ex subitò motu propter conuitiũ, seu probrum sibi ioco obiectum irascitur grauiter, & percutit, seu impellit, non aduertendo vel malitiam percussionis grauis; vel deformitatem Sacrilegij, non incurret; maximè cùm talis impulsio, aut percussio, quæ fit subitò manu, vel pede, sine armis ad id ex electione arreptis; sæpe contingat inter familiares, & amicos; nec soleat ad mortale imputari. Ita Molina Tract. illo 3. disp. 51. n. 7. & 8. Auila suprà dub. 13. Suarius suprà n. 50. cum alijs, quos refert. Item Filiucius Tract. 15. cap. 1. q. 6. numero 26. Coninc. sup. n. 190. alijsque multi Recentiores. Quibus casibus alij multi similes possunt, & solent occurre.

Tertiò qui defensione Clericum inuasorem percutit.

1048 Tertiò excusatur, qui in defensionem sui, vel alieni corporis, famæ, vel aliorum bonorum, item pudicitiæ Clericum aggressorem percutit, aut detinet, vt constat ex c. *Ex tenore de sententiâ excom.* dummodò defensio fiat cum moderamine (vt aiunt) inculpatæ tutelæ absque notabili excessu, & incontinenti sequatur aggressiunem, vt habetur in c. *Si verò*, & c. *Ex tenore, de sent. excom.*

1049 Ex quâ doctrinâ sequitur licere quidẽ fœminæ absque Censurâ, & culpâ Clericum pudicitiam suâ ipso facto tentantem percutere, Secus verò, si iam solis verbis aggrediatur; tunc enim procacem Clericum sufficit verbis etiam repellere, nisi fortè illi fœminæ valde molestus sit adeò, ut mulier ab eo se liberare non possit; nisi Iustè, aut verbere; estque communis sententia, quam docent Auila p. 2. c. 5. disp. 3. dub 13. casu 18. Suar. suprà n. 33. Coninc sup. n. 594.

Hinc sequitur.

5050. Quando verò Clericus rem à se iniustè ablatam ad locum destinatum detulit, & in illius pacifica possesione est, non amplius licere vim illi propriâ auctoritate inferre, si per viam iudicij res possit ablata recuperari, docent communiter Doctores maximè Molina, & Layman suprà. Quòd si periculum sit, quod Clericus fugiat, poterit illum detinere, vt proprio, superiori, aut iudici præsentet. Quorum omnium ratio est; quia huiusmodi percussio non censetur vis, aut vltio, sed iusta defensio. Ita Nauarrus cap. 27. numero 81. & 85. Auila sup. casu 11. Clarus lib. 5 sententiarum. §. finali q. 28. nu. 6. Suarius suprà. num. 37. Molina disp. 56. Filiucius suprà q. 6. numero 22. Angel. verb, *Excom* num 13. Sà de *Excommunicationib. Papæ reseruatis* num. 2. plerique etiam conueniunt id ipsum licere (vt dicebam) non solùm ad sui defensio-defensionem; sed etiam ad defensionem aliorum, vt parentis, filij, vxoris amici &c. Imò etiam extraneorum. Quod etiam congruit cum doctrina generali de Restitutione, & de Iure defensionis.

Quartò Excusat, quando percussio fit in correctionem ab habente legitimam potestatem.

1051. Quartus casus est, quando percussio Clerici fit in correctionem, & disciplinam ab habente alioqui legitimam facultatem. Vnde multi excusant Prælatum Præceptorum, parentem, qui in hunc finem Clericum percutiunt dummodò non excidat percutiendo debitum modum in correctione seruandum vt suprà indicabam. Et quidem de Prælato Ecclesiastico & de Magistro, seu Præceptore habetur expressè in cap. 1. & c. *Ex tenore de sent. excom.* & in posteriori Textu expressè agitur de subdiacone. Vnde rectè docet Nauarrus, num. illo 81. Suarius suprà num. 48. alijque multi, posse magistrum, & præceptorum; & non tantum Prælatum Ecclesiasticum (de quo nulla est dubitatio) castigare Clericos etiam in maioribus dummodò moderatio, culpæque pro-

Possunt ergo Præceptores castigare clericum

portio

portio seruetur; habita etiam ratione personæ percutientis, & percussæ: nam ex parte alterutrius potest crescere, aut descrescere grauitas percussionis, vt cõtingit in clericis impuberibus de quo iam suprà diximus. Quod si percussio valde indecens sit aut excessus notabilis, non euadetur Censura, vt notant idem Suarius, & Nauarrus; Colligiturque ex c. *Cum voluntate* de *sentent. excommunic.* iuxta Glossa verb. *Prælatoris* & verb. *Magisterij* Leuis autem excessus in tali correctione non sufficiet ad incurrendam Censuram; nam, licèt tota illa correctio sit grauis quędam percussio absolutè considerata; tamen, quod illud totum in quo non erat excessus, non fuit iniusta violentia; sed solùm in illâ parte in qua est excussus.

vitandus excessus.

1052. Præterea aliqui dicunt illam percussionem excusare, dummodò non fiat ex odio, vel irâ graui; sed ex mero affectu correctionis. Hæc tamen limitatio absolutè mihi non placet; quamuis enim fiat ex quocumque graui odio vel irâ si talis affectus animi extenus non manifestetur, sed percussio illa & correctio fiat intra limites iustitiæ aut non nimis excedat: non sufficit animus internus odij, vt Censura incurratur, nisi talis animus opere externo manifestetur, iuxta doctrinam generalem à nobis traditam disp. 2. dub. 10. Ac proinde, etiamsi exterius manifestetur aliquo modo ira interna animi dummodò non manifestetur ira grauis; sed adhuc possit exterius apparere illam percussionem principaliter fuisse causa correctionis, non incurretur Censura. In quo vltimo consentiunt Molina disp. illâ 56. n. 10. Angel. verbo *Excommunic.* n. 8. Auila dub. illo 13. casu primo Nauarrus suprà q. 6. vers. *secunda exceptio*, Reginald. lib. 1. n. 230. & alij.

Limitatio aliquorum quoad hanc percussionem Authori no placet.

Non sufficit internum odium vt Censura incurratur.

1053. Maior quidem difficultas est de patre, quem multi etiam absolutè putant non incurrere, quando filium Clericum verberat causâ disciplinæ. Et quidem, si loquamur de Clerico minorum Ordinum omninò verum puto; imò de propinquo idem iudico, atque de parente quando ad talem propinquum pertinet cura corrigendi talem Clericum. Tota difficultas est in Clerico constituto in Sacris. Et negat Gloss. in c. *Cùm voluntate* citato verbo *Inferiorum graduum. Quia sacer Ordo* (inquit) *liberat à patria potestate.* Quod intelligi debet ad effectum castigationis; nam ab alijs effectibus patriæ potestatis sola Episcopalis, & Cardinalitia dignitas liberat, vt docet Panormitanus in idem caput. Angelus verb. *Excommunic.* 5. §. 10. Cum citatâ Glossâ, & Panormitano consentit (Molina Tract. 2. de *Iustitia* disp. 228. in 6. effectu, & Tract. 3. disp. illa 56. cum alijs, quos refert.

Difficultas maior de patre verberante filium Clericum.

Aliquorum opinio.

1054. Oppositum tamen sentiunt plures, & graues Antonin. 3. q. tit 24. c. 1. §. 2. casu 12. Syluest. verb. *Excommunicatio* 6. n. 6. casu 8. Nauarrus c. 27. n. 82. Auila p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 13. casu 1. Suarius sect. illâ 1. n. 49. adiucto 48. Tabiena verb. *Excommunic.* n. 8. Filliucius c. 1. q. 1. n. 6. citato Tract. 15. & q. 6. n. 25. Coninc suprà n. 192. Reginald. lib. 1. n. sed maiorem 231. & alij. Ratio est; quia Pater non minorem potius in filium potestatem habet, quâm Magister in discipulum; atqui c. 1. & c. ex tenore titatis absolutè, & sine restrictione significatur Magistrum ab excommunicatione immunem esse, si discipulum correctionis causâ percutiat: ergo idem sentiendum est de Patre.

Alij contrariam tenent opinionem.

Ratio est.

1055. Vtraque sanè sententia probabilis est, & in praxi tuta; prior tamen videtur Iuri scripto magis consona; & (vt testatur Molina disp. illâ 228.) magis communis, sanè pro illâ facit quod cùm Canon, siue ius commune prohibens Clerici percussionem fauorabile sit ordini Ecclesiastico, restringi non debet; nisi expressè exceptio, & restrictio reperiatur in Iure. Quam tamen nullibi reperimus; Solùm enim in Iure est, quod Patri familias concessum sit Clericos adolescentes in inferioribus, ordinibus qui de familiâ eius, vel propinqui sunt disciplinæ causâ corrigere vt habetur in c. *Cum voluntate* citato.

Vtraq; opinio probabilis est & in praxi tuta ait Author.

1056. Pro aliâ tamen sententiâ facit, quòd cùm Pater possit Iure Paterno, correctionis causâ punire filium; non censetur carere eâ potestate; nisi expressè contineatur in Iure illius restrictio: non censetur autem expressè contineri ex illâ solùm generali regulâ non adhibendi manus violentas in Clericum. Quod cùm intelligi debeat de iniustâ manuum iniectione; hæc autem iniusta non sit; sed iustissima, & Iuri naturæ conformis non censetur exclusa, seu prohibita; imò, quando Magister excipitur Iuribus citatis, non tam videtur illorum Textuum exceptio in eis facta, quàm declaratio exceptionis subintelligendæ in alijs Iuribus generalibus, in quibus prohibetur comparatione Clerici manuum iniectio. Cùm ergo declaretur Magister non comprehendi: pari ratione intelligi potest, nec Patrem esse comprehensum. Ex his patet vtriusque sententiæ probabilitas.

Quando prohibetur violentia in Clericum intelligitur, de iniusta violentia

1057. Ex hac doctrinâ colligunt Syluest. Auila Filliucius, Suarius, & alij multi Hypodidascalum, seu sub magistrum percutientem Clericum discipulum causâ correctionis non incurrere excommunicationem, etiamsi à Magistro sit illi vetitum quenquam percutere. Ratio est, quia prohibitio Magistri non aufert concessionem Iuris communis, in quo conceditur, vt possit superior corrigere discipulum, & causa correctionis punire.

Ex dictis Colligi.

1058. Quintus casus sit, quando Clerici seniores; imò etiam laici aliqui ratione sui officij eijciunt Clericum minorum Ordinum turbantem Diuina officia, non incurrit excommunicationem. Ita Molina disp. illa 56. n. 8. Filliucius suprà n. 7. Suarius suprà n. 48. Coninc n. 192. Reginald. suprà, & alij communiter ad c. *veniens de sentent. excommunic.*

Quintus casus in quo excusatur, percutiens Clericum

1059 Sextus casus satis probabilis est, quando hætus percutit famulum Clericũ minorum Ordinum.

Sextus

1060. Septimus casus est, quando quis inuenit Clericum turpiter agentem cum vxore, Matre, Sorore, filiâ, & illum incontinenti percurit, & non ex intervallo, tunc enim, licèt peccet, Canonis excommunicationem non incurrit c. *Si verò* el primero de *sentent. Excommunic.* Quamuis enim grauiter peccet, iustum talem dolorem compescere difficillimum est, vt notat ibi Glossa. Vide Ecclesia in tali occasione non censetur velle tàm acriter punire eum, qui, non

Septimus.

tàm

tàm suadente Diabolo, quàm ex vehementi passione, & dolore Clericum percussit.

1061. Quando autem censeatur talis Clericus turpiter inuentus, vt percussio non inducat Cẽsuram? communiter dici solet sufficere, si inueniatur actum quemcumque impudicum cum eiusmodi personâ exercens, imò sufficere, quòd solus cum solâ inueniatur in loco suspecto accidentibus etiam alijs circumstantijs prudenter suspicionem mouentibus. Ita Syluest. verb. *Excommunic* 6. n. 5. casu 10. Nauarrus suprà n. 84. Suarius suprà n. 37. Coninc suprà n. 196.

Maritus Clericum adulterum non statim sed ex interuallo temporis percutione non excusatur.

1062. Nullo autem modo excusari à Censurâ, si maritus adulterum non mox; sed ex interuallo temporis, quo iuxtus dolor sedari potuerit Clericum occidat, vel percutiat. Item, si datâ operâ in loco occulto se abscondat percutiens, vt deprehensum possit occidere. Ita Nauarrus lib. 5. cons. 25. de *sent. Excomm.* Edit. 2. Prædictum casum docent præter citatos Molina tomo 4. *de Iust.* Tract. 3 disp. 7. n. 3 & disp. 55. n. 6. Auila suprà casu 16. Sà *de Excommunicationibus Præ reseruatis* n. 2. Filliucius Tract. 15. c. 1. q. 6. n. 22. & alij communiter; imò locum habere putat Molina, & meritò, contra Syluestrum, & Nauarrus, etiamsi occidat, vel percutiat cum pleno iudicio, & deliberatione, vt colligitur ex citato c. *Si verò.*

Non habere locum hanc excusationẽ in alijs consanguineis extra primũ gradum docent multi.

1063. Non tamen habere locum hanc excusationem in alijs consanguineis, qui percutientem in primo consanguinitatis gradu non contingãt, multi docent, & videtur magis tuta sententia, vt, si inueniatur cum auiâ, vel nepte; videturque illis hoc significari in dicto c. *Si verò* el primero §. *Cæterum* iuncta Gloss. verbo *Matre* & docet Molina *Tract.* 3. *disp.* 59. *n.* 5. Layman suprà n. 8. Bonacina disp. 2. q. 4. puncto 4.

Authoris iudicio hoc extendendũ ad alios etiã cõsanguineos

Ratio quoad lineam rectã

1064. Nihilominus, quamuis id verum videatur in consanguineis vltra secundum gradum in lineâ transuersali, seu collaterali; tamen in lineâ rectâ assendente vel descendente in omnibus gradibus, & in collaterali etiam in secundo præsertim, si accedat honestas, & nobilitas, familiæ, non video, cur non idem censeri possit? Et quidem de lineâ rectâ non videtur posse negari tale dedecus infamiam &c. redundare in talem personam; imò multò magis indecorum est habere auiam, vel neptem ex filio, meretricem, aut prædicto modo impudicè tractatam ab alio quam, si haberet talem sororem. Præterea, si quis honestus vir domi, tanquàm filiam retineat neptem ex fratre, quâ cum Clericum turpiter agentem inueniat, non video cur non possit præsumi de illo tunc in fragranti, vel incontinenti percutiente, quod non potuerit facilè temperare iustum dolorem, & quod illa percussio, non tàm suadente diabolo, quàm vi doloris vrgente facta fuerit. Et quidem communi æstimatione maioris momenti iniuria videtur, quod vir nobilis, & magnæ authoritatis passus fuerit talem iniuriam in consanguineâ secundo gradu, quàm homo multo inferioris notæ in sorore.

Imò & ad affines nobiliores in ijsdẽ gradibus.

Ratio.

1065. Vlterius, quod dicetur de consanguineâ facile ego præsertim in nobilioribus personis, transferrem ad affines in eisdem gradibus, sicut enim communi æstimatione est turpissimum viro honesto, & nihili habere consanguineam sit deturpatam, etiam est satis indecorum habere talem affinem v.g. Quod vir nobilis, & honestus habeat fratrem, cuius vxor sit adultera, & forte Nepotes filios adulteræ.

1066. Imò è contra etiam in consanguineis primi, aut secundi gradus videtur distinctione opus esse inter qualitates personarum; si quis enim habeat talem consanguineam, quæ iam amiserit famam seruatæ pudicitiæ, & prudenti æstimatione parùm, aut nihil accrescat infamiæ aut dedecoris ex eo, quod semel, aut iterum Clericus ille cum eâ turpiter agat; non video, cur tantus censeri debeat dolor ille respectu consanguineæ primi gradus atque dolor alterius honesti viri comparatione consanguineæ secundi, aut Tertij, quæ omnium opinione habetur pudica? *Nota.*

Ex hoc toto discursu patet prudentis arbitrio iudicandũ &c.

1067. Ex hoc toto discursu patet arbitrio prudentis iudicandum esse pensatis circumstantijs; an tantus fuerit dolor hominis Clericum cum consanguineâ deprehendentis, vt facilè præsumatur præ vi doloris difficillimè potuisse sibi temporare, quin illum in flagranti, siue in continenti percuteret.

Iura non intendunt dolis aut fraudibus. Patrocinari.

1068. Illud verò, quod dicebatur de marito se abscondente de industriâ, vt capiat Clericum cum vxore; solùm puto habere locum, quando id dolosè facit: conuentione factâ cum vxore, quæ clericum dolo vocet ad adulterium, nec enim iura intendunt dolis & fraudibus patrocinari; alioquin maritus excusabitur ab excommunicatione, etiamsi de industria se abscondat, atque hæc videtur propriè, & verè sententia Nauarri *lib.* 5. *cons.* 41. & *in summâ c.* 27. *n.* 84. Molinæ *disp. illa* 55. *n.* 6. ad finem, Auilæ *suprà*, Coninc *n.* 196. cum alijs.

1069. Quæret tamen aliquis quid nomine vxoris, matris, & filiæ intelligatur? *Quares.*

Resp.

Nomine vxoris hic intelligi spõsam de præsenti non de futuro.

1070. Respondeo nomine vxoris intelligi sponsam de præsenti, cum quâ iam est Matrimonium ratum, etiamsi nondum sit consummatum; aut etiam, quamuis sit inualidum defectu alicuius impedimenti à marito inculpabiliter ignorati; nam cùm ille verè putet esse suam vxorem, hoc sufficit vt iusto dolore afficiatur, quem omninò temperare æque difficile sit; atque si verè esset vxor ipsius; non verò intelligitur sponsa de futuro, hæc enim non est vera vxor; neque iniuria tanta cùm possit à cõtractu sponsalitio recedere; quamuis probabile satis sit, etiam hanc nomine vxoris comprehendi. Qua de re iterum agimus in Tract de de *Matrimonio* & legi potest Sanch. *lib.* 1. *disp.* 1. Coninc de *Matrimonio disp.* 21. *dub.* 1. *n.* 5. cum Gutierres de *Matrimonio c.* 1. *n.* 6. 13. & 15. Nomine verò sororis, Matris, & filiæ intelliguntur vera, & propria mater, soror, & filia, etiamsi sint illegitimæ, id est non ex legitimo Matrimonio; non tamen videntur comprehendi adoptiuæ: nam cum verba Textus restringant priuilegium Clericorum: non videntur hæ voces extendendæ ad tales cognationes legales, & metaphoricas; sed propriè accipiendæ. Ita molina *Citatâ disp.* 55. *à l finem* Filliucius *suprà n.* 22, Coninc *n.* 196. & alij multi. Quamuis (vt verum fatear) saltèm interim, dùm durat cogna-

cognatio ita legalis, videri posset prædictis vocibus comprehendi; tùm, quia tales voces impositæ sunt in Iure ad significandum prædictas cognationes, tùm quia etiam prudenti æstimatione magni momenti esse videtur, quod quis habeat filiam, vel matrem, vel sororem adoptiuam, cuius fama pudicitiæ sic periclitetur, & in illius dedecus censetur redundare; nec video, cur probabile sit sponsam de futuro intelligi nomine vxoris, vt tantus censeatur dolor, qui non facilè potuerit temperari quin Clericum in fraganti percuteret, & non idem censeri possit de istis cognationibus Legalibus, maximè, si tale quid contingat inter personas graues, & nobiles. Ius autem propter difficultatem temperandi iustum dolorem non punit Censurâ priores illos casus: ergo probabiliter credi potest propter similem difficultatem, etiam hos posteriores casus non velle punire. Solùm pro hac opione vellem habere Authorem, quem (fateor) non legisse contigit. Ideò in praxi oppositam sententiam sequendam puto, & hanc non affirmo.

Quæres.

1071 Quæres vlterius an sufficiat quicumq; actus turpis, aut sola etiam colloquutio, vt possit saltem Maritus percutere Clericum?

Resp.

1072 Respondeo iuxta suprà dicta non requiri, vt inueniatur in actu carnalis copulæ; sed sufficere, vel oscula vel amplexus, alios vè similes impudicos, aut tactus, vt docent Auctores citati; imò addit Syluest, quem sequitur Coninc suprà numero 196. & alij nonnulli sufficere, si maritus inueniat Clericum loquentem cum sua vxore, quem ipse priùs ter admonuerat ne cum vxore suâ loqueretur. Quod videtur intelligendum, quando pensatis circumstantijs, rationabilis & prudens interueniat suspicio alicuius momenti.

Casus Octauus.

1073 Octauus casus est, quando quis percutit Clericum in illis casibus, in quibus priuatur priuilegio Clericali; tunc enim si priuatus sit ipso facto, priuilegio Canonis, eo ipso, quod commisit delictum ad eam priuationem sufficiens, non incurrret percutiens excommunicationem. Si verò necessaria sit declaratio, vel sententia Iudicis incurret, qui percutiat ante talem sententiam. Quinam autem sint casus, in quibus priuetur priuilegio Clericali? magnâ ex parte diximus suprà, 1. cum Suario, & alijs quo tibi retulimus. Et legi potest Suarius ibi citatus item Bonacinâ disp. 2. q. 4. puncto 4.

CAPVT IV.

De absolutione à Censurâ propter Clerici percussionem?

Quæres 1.

Resp.

Solus Papa vniuersaliter loquendo absoluit ab hac excom.

1074 REm hanc breuibus quæstiunculis absoluemus. Quæri potest primò, quinam possint absoluere ab hac excommunicatione? Respondeo vniuersaliter, & regulariter loquendo solùm Papam, cui est reseruata sæpe citato Canone, *si quis suadente diabolo.*

1075 Dixi *Regulariter* nam ex priuilegio particulari aliqui possunt (vt ex dicendis constabit) imò, si quis specialiter gerat personam Pontificis, vt sunt legati à latere, poterit etiam absoluere auctoritate Pontificiâ, quâ gaudet. c. *Ad eminentiam de sent. excom.* Imò etiam, legati missi possunt absoluere in prouincia ad quam mittuntur, iuxta c. per vltimum *de officio delegati.* Imò possunt conferre alteri facultatem, saltem in quolibet casu occurrenti, quia tales Legati, vtpote legati à Sede Apostolicâ, censentur Iudices Ordinarij, & possunt subdelegare.

Ad potest etiam gerens personam Pontificis.

Et aliquando Episcopus.

1076 Præterea Episcopus aliquando potest per se, vel per alium absoluere; quando scilicet percussio est leuis, c. *peruenit de sent. excom.* Per se quidem possunt, vt habetur in eo capite; per alium verò; quia ea facultas ei competit Iure ordinario ratione dignitatis; atque adeò potest illam delegare; estq; communis Doctorum sententia iuxta doctrinam traditam in hac disputatione dub. 3. & 4. sect. 4. eiusdem dubitationis.

Alij Prælati non gaudent hac facultate.

1077 Quod verò attinet ad alios Prælatos, non puto gaudere hac facultate; nisi speciali priuilegio id obtinuerint à Summo Pontifice, legantur, quæ diximus citatâ dub. 3. huius disputationis, & locis ibi notatis.

Quinam nomine Episcopi hic iuxta Authorem intelligendi veniunt.

1078 Vtrum autem nomine Episcopi veniant intelligendi Prælati habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem? respondendum puto iuxta doctrinam eâdem dub. 3. traditam agentes generaliter de omnibus casibus Bullæ Cœnæ; sicut enim ibi, & proximè sequenti dubitatione diximus etiam extendi ad talis Prælatos; ita, & in hoc, quidquid reclament plures alij Auctores quos ibi retulimus.

Obijcies.

1079 Obijciet tamen aliquis, quòd in dicto c. peruenit dicitur *Tua fraternitatis arbitrio duximus committendum*: nullus autem Prælatus, qui Episcopus non sit, appellatur à Pontifice frater sed filius: ergo facultas ibi concessa non extenditur ad alios Prælatos, etiam habentes Episcopalem, aut quasi Episcopalem iurisdictionem.

Resp.

1080. Hoc argumentum (quo vtitur Bonacina disp. 2. q. 4. puncto. 5.) nullius momenti est; nam, quòd Pontifex illâ voce fraternitatis vtatur, solùm est; quia persona illa singularis, ad quam dirigebatur rescriptum, non solùm iurisdictione; sed etiam dignitate, & Ordine Episcopali fulgebat; Concessio autem ipsa solum respiciebat potestatem; & iurisdictionem Episcopalem, ratione cuius illa facultas concedebatur; nec est argumentum, quod oppositum cogat. Quidquid autem sit de hoc, certum videtur etiam aduersarijs concedentibus eam facultatem (nisi ab episcopo restringatur), concedi etiam Vicario, seu officiali ipsius; quod etiam oppositæ sententiæ Auctores concedunt; est enim idem tribunal ipsius Episcopi. Ita Molina tract. 3. de *Iustitiâ*, disp. 59. numero 2. Lazarius Tract. *Monit.* sect. 1. q. 6. Reginald. lib. 1. nu. 238. Sanch. lib. 3. de *Matrimonio.* disp. 7. numero 10. & disp. 19. numero 16. & sæpe alibi vbi ait nomine Ordinarij intelligi Vicarium generalem Episcopi, quando non excluditur, & quando res competit illi ex officio, qualis videtur hæc facultas absoluendi. Accedit, quòd, quando Pontifex concedit Episcopis aliquam facultatem, quam non intendit concedere Vica-

Nomine Ordinarij intelligitur Vicarius generalis Episcopi.

rio

rio generali, id solet exprimere, vt fecit Tridentinum sect. 24. c. 6. ad finem.

Superiores Monasteriorum solent habere facultatem absoluendi suos quando est leuis percussio.

1081. Vtrum superiores Monasteriorum, vt Abbates, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores &c. solent habere facultatem absoluendi suos subditos ab excommunicatione ob leuem percussionem contractâ. Quæ facultas extenditur etiam ad absoluendos nouitios, qui in fauorabilibus comprehenduntur cum cæteris subditis Religiosis, etiamsi contraxerint excommunicationem ante nouitiatum. Legantur quæ diximus dub. 8. huius disputationis. Vbi etiam explicuimus, quænam censeatur percussio leuis in quâ possit Episcopus, & cæteri Prælati absoluere. Vbi etiam diximus si percussio fuerit mediocris, seu non sit enormis, posse Episcopum ab illâ absoluere: atque adeò cæteros prædictos Prælatos in aliquibus casibus.

Idem dicendum de Capitulo Sede vacante.

1082. Eodem modo philosophandum est de capitulo Sede vacante, quidquid Molina disp. illâ 59. reclamet pro quo etiam legantur, quæ diximus citatâ dub. 3. & locis ibi citatis. Quòd autem superiores prædicti non solùm per se ipsos, sed per alios possint absoluere ab hac Censurâ probatur eâdem ratione, quâ vsi sumus in legatis & Episcopis; quia, scilicet, ea facultas, illis iam competit Iure ordinario, & ratione dignitatis; Vnde, tanquàm ordinaria delegari potest l. vltimo *de officio Iud. ordinar.* Ita Molina disp. 59. & 60. Syluest. verb. absolutio 4. n. 3. Reginald. lib. 1. n. 258. Bonacina suprà, & alij.

Non potens se pontifici præsentare potest ab alio absolui

1083. Tandem generaliter loquendo quotiescumque est impedimentum legitimum se præsentandi Pontifici pro absolutione, potest ab alijs absolui. In quo philosophandum est iuxta doctrinam traditam dub. 3. & 8. vbi etiam diximus an censeatur impedimentum ad id sufficiens, si quando quis non potest adire Pontificem, potest nihilominùs adire legatum, vel alium habentem facultatem, vel agere per Procuratorem apud Pontificem. Legantur etiam quæ diximus dub. 2. & locis ibi notatis in principio.

Quæres.

1084. Quæret tamen aliquis an Episcopus possit absoluere sibi subditos ab hac excommunicatione prouenientе ex enormi percussione, quando delictum est occultum?

Resp.

1085. Respondeo posse iuxta dicta dub. 3. 4. & 5 vsque ad 8. desumiturque ratio ex priuilegio Tridentini suprà citato; vbi conceditur Episcopis facultas absoluendi à quibuscumque censuris occultis, & non deductis ad forum contentiosum. Legatur præcipuè dub. 4. sect. 2. vbi eam facultatem declarauimus, & dub. 5. vbi à fortiori ostendimus in casu Hæresis non esse reuocatam eam facultatem, & (quidquid sit de Hæresi) certè pro alijs casibus res est probabilior, & tunc non tenebitur absolutus comparere coram Pontifice, vt etiam laicis citatis explicuimus.

Quæres 3.

1086. Quæri potest 3. an habens priuilegium absoluendi satisfactâ parte possit absoluere solùm præmissâ satisfactione ipsi Clerico percussio, vel debeat aliam satisfactionem exigere?

Duæ sunt hac de re probabiles.

1087. Diximus dub. 11. alijsque in locis inter alias conditiones, subquibus absolutio impendenda est propter Censuram reseruatam concurrente impedimento recurrendi ad Pontificem, esse satisfactionem partis: quærimus ergo an aliqua alia satisfactio requiratur? In quâ re sunt duæ opiniones satis probabiles: prima est non requiri aliam satisfactionem; sed illâ præmissâ posse absoluere, quia præstitâ satisfactione talis personæ, aut obtentâ remissione ab illâ, censetur sufficienter satisfactum parti læsæ. Ita Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 11. referens Nauarrum in Summa c. 18. n. 46. & c. *inter verba.* Nec putat obstare, quòd percussio Clerici redundet in iniuriam status Ecclesiastici; quando enim nocumentum principaliter tangit personam læsam; minùs verò principaliter bonum publicum, sufficit satisfactio, vel remissio principalis c. *Quamuis partem* iunctâ Gloss. de *pactis* in 6.

opiniones Prima. Solum requiri satisfactionem Parti. Ratio.

Opinio a opposita Primæ.

1088. Secunda opinio est opposita, impugnatque præcedentem ex eo, quòd videatur supponere percussionem Clerici solùm secundariò tangere bonum commune, & priuilegium Canonis non esse saltem æquè primò priuilegium commune. Quòd omninò falsum est, vi notat Suarius lib. 1 10. de *legibus* c. 6. n. 2. & patet in Clerico, qui non potest cedere illi priuilegio; imò se ipsum percutiens incurrit maiorem excommunicationem, perinde atque sæcularis Iudex, si Clericum, quantumuis consentientem trahat ad suum tribunal. Ita Bonacina suprà n. 5. Ideò existimat præter satisfactionem, aut condonationem Clerici percussi necessariam esse satisfactionem Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico factam; quam tamen putat exhiberi, si absoluenti ipsum se humiliter subijciat se exhibendo paratum ad acceptandam pœnitentiam, quæ sibi imponatur cum iuramento obediendi Ecclesiæ; nec amplius in futurum percutiendi Clericum iuxta dicta à nobis locis citatis, quandò egimus de cautione præstanda ab eo, qui absoluitur. Quæ doctrina absolutè mihi placet, quamuis opposita sententia satis etiam probabilis videatur; semel enim positâ satisfactione iniuriæ iam translatæ factâ Clerico percusso, censetur etiam satisfecisse ipsi statui Clericali; sicut enim non aliquo modo læsit statum Clericalem, quàm lædendo vnum particularem Clericum, ita, satisfactio pro vtroque si fiat eidem Clerico, cùm prudenti æstimatione talis satisfactio censeatur æquiualens iniuriæ factæ. Non est autem eadem ratio de iniuriâ faciendâ. Quia non potest Clericus antecedenter cedere iuri suo ita, vt sine obligatione restitutionis, aut incurrendæ Censuræ possit percutiens illum lædere, vel ipsemet Clericus lædere se ipsum. Quamuis id autè non possit non tollit hoc, quin satisfactio æquiualens exhibita, postquàm damnum est iam factum, sit, & censeatur talis, quando eidem, in quo irrogata est iniuria statui Clericali, æquiualens exhibetur. Ideò probabile apparet, quòd sicut iniuria facta Clerico, vel redundat, vel æquè primò, & principaliter fit statui Clericali; ita similiter satisfactio eidem Clerico exhibita redundet in statum Clericalem, vel æquè primò ac principaliter ei facta censeatur.

Clericus se ipsum percutiens incurrit excommunicationem.

Hæc doctrina Authori placet opposita tamen probabilem iudicat.

dispar ratio de iniuriâ factâ Clerico & faciendâ.

Maior difficultas an

1089 Maiorem habet difficultatem condonatio

Condonatio Clerici percussi sufficiat

natio Clerici percussi an sufficiat? neque enim ita probabile primò aspectu apparet quod sufficiat vt eo ipso censeatur satisfactum non solùm ipsi sed etiam statui Clericali; si enim ipse in initio non potuit cedere Iuri suo antequàm damnum fieret: neque postquàm factam est, poterit. Nam, si primò non potuit, ideò est, quia non babebat ius, & dominium cedendi iniuriæ non sibi soli particulari sed statui Clericali factę. Tale autem Ius neque post factam iniuriam adquirit, ergo nec tunc potest.

Obijcies

1090. Qod si obiicias nec maritus potest cedere iniuriæ, quæ illi fit per adulterium, antequàm adulterium committatur; postquàm tamen iniuria facta est, cedere omninò potest & condonare illam, etiam ipso inuito factam. Hæc sanè obiectio nihil probat; nam iniuria, quam condonat maritus post factum adulterium ipso inuito, solùm respicit ipsum non aliquam communitatem, seu statum communem, qui simul in ipso lædatur. Vnde obligatio satisfactionis (si qua est in tali casu, quam nullam esse puto ex adulterio præcisso) solùm est comparatione ipsius mariti; cùm tamen satisfactio ob Clericum læsum, sicut & damnum ipsum non Clericum tantùm; sed statum Clericalem recipiat, cuius satisfactionis condonatio non potest à priuato Clerico fieri. Atque hoc puto verum.

Resp. obiectionem nihil probare.
Ratio est.

Difficultas.

1091 Solùm restat difficultas, quando Clericus seipsum percussit, vel ipse consensit in sui percussionem, cuinam sit præstanda satisfactio; nam sibi ipsi non videtur satisfaciendum, cùm sibi non fecerit iniuriam; nam scienti, & volenti non fit iniuria, omnisq; iniuria & iniustitia respicit personā distinctâm ab iniuriante; alteri verò non videtur posse satisfactio, fieri, cùm non constet cuinam teneatur illam exhibere.

Resp Bonacinæ.

1092 Respondet Bonacina suprà exhibendam esse eam satisfactionem, quàm Iudex iudicauerit exhibendam, illi enim ex officio incumbit cura conseruandi boni communis, & honoris Ecclesiastici. Si verò res ad iudicē non fuerit delata, debere satisfactionem exhibere, quam Confessarius, vel alius superior absoluens iudicauerit exhibendam per salutares pœnitentias cum iuramento obediendi Ecclesiæ in futurum, & non amplius reindendi in simile peccatum. Quæ doctrina vera quidem est; sed non videtur directè respondere difficultati neque enim difficultas est de satisfactione exhibenda, sed de persona, cui exhibenda est.

Resp Author.

1093 Respondeo igitur exhibendam esse satisfactionem Iudici, si ad ipsum causa delata sit in foro externo., vel confessario, seu superiori absoluenti, & in illo toti Ecclesiæ, seu capiti illius, à quo absoluens baber potestatem. Talis autem satisfactio fit parendo mandatis illius, illique se bumiliando, & demittendo, suscipiendo, atque exequendo pœnitentias impositas, & præstando cautionem iuratoriam, de quâ dictum est. Ritus autem, aut modus pręstandi absolutionem ab bac Censura, qui seruari solet in Sacrâ Pœnitentiariâ, videri potest apud Filiucium Tract. 5.c.1.quæsito.10.

DVBITATIO. LIX.

De excommunicatione, quæ incurritur ob hæresim.

1094 Ex infra dicendis constabit pro Hęreticis esse latam Censuram, de quâ nunc aggredimur disputare. Quoniam verò delictum, ratione cuius hæc Censura lata est in Iure, dicitur Hæresis oporter priùs explicare, quid sit Hæresis, & an omnis hæresis, & Apostasia Censeatur subiecta prædictis Censuris. Sanè ex instituto explicare quid sit hæresis, & apostasia ad tractatum de Fide maximè spectat, vbi, si Deo placet latiùs eâ de re tractabitur; interim sufficiat scire Hæresim iuxta receptum modum loquendi Doctorum significare quandam electionem sonat enim græce vox *Hæresis* idem, quod latinè *electio*; sumitur autem prò electione Doctrinæ non bonâ sed malâ; quia Hæreticus malè elegit relinquens veram probatamque doctrinam, & sequens aliam falsam singularem, proprioque iudicio inuentam. Definiri autem solet Hæresis communiter *Error voluntarius, & pertinax contra doctrinam, & veritatem fidei Christianæ*, sic Cano. lib. 12. de locis cap. 8. Coninc. disp. 18. dub. 7. *de Fide* Suarius *de Fide* disp. 19. sect. 1, num. 5. & sect. 3. numero 8. Bonacina de *Censuris*. disp. 2. q. 5 numero 1. Farinacius de *Hæresi* q. 178. §.1. in principio Laym. lib.2. Tract. 1.cap. 13. & alij multi, tum apud ipsos, tum Recentiores. Dicitur *error voluntarius*, quia sine voluntate non est peccatum: dicitur *pertinax*, quia Hæreticus adhæret opinioni propriæ videns aduersari doctrinæ Ecclesiæ, nec paratus est corrigi. Ex quo patet ad Hæresim propriè dictam requiri pertinaciam. In quo ferè omnes consentiunt cum Augustino cuius verba babentur in cap. *Qui in Ecclesiâ.* 24. q.3. item cum Concilio Viennensi relato in Clement. 1. de *Summâ Trinit.* §. Quid autem requiratur ad pertinaciam, non eodem modo explicant Doctores; atque hoc ex instituto declarare ad citatum Tractatum *de Fide* pertinet: interim sufficiat probabilem sententiam referre, quæ pertinacem errorem illum appellat, qui est cum cognitione oppositionis cum Fide; nam quousque bomo cognoscat assensum suum doctrinæ receptæ ab Ecclesiâ Romanâ esse contrarium, non videtur pertinax: posita verò illâ cognitione, si adhuc propriæ opinioni adhæreat censebitur pertinax, cùm Ecclesiæ resistat, & per illam non corrigatur. Ita Sanch. in *Sum.* lib.2. c. 7. à n. 2. Valentia 2. 2. disp.1. q. 11. puncto. 1. difficult. 4. ad 2. Coninc. citato dub. 7. numero 78. & à numero 93. & sequentibus Bonacina suprà. numero 1. Vasquez 1.2. disp. 126. numero 6. & alij multi.

Explicandū quid sit hæresis, &c.
Hæresis significat quādā electionē.
Definitio hæresis.
Ratio cur dicatur Error voluntarius.
Cur Pertinax.
Pertinax error quis dicatur

1095. Non sufficit autem habere huiusmodi peccatum Hæresis in animo, vt eo ipso aliquis incurrat Censuram; sed necessarium est, vt exterius sufficienter manifestetur; neque enim incurritur Censura pro actu interno, vt sæpe diximus, maximè disp. 2. dub. 10. Quanta verò, & qualis externa manifestatio requiratur, con-

stat

quòd ab omnibus receptum est; per accidens tamen ad hæresim pertinere; quia tali peccato se exponit homo ille proximo periculo labendi in hæresim.

Iudicium Authoris. 1105. Mihi sanè hoc secundum maximè placet; nam contra præceptum non solùm peccatur faciendo, vel omittendo actum præceptum, vel probibitum, sed etiam exponendo morali periculo frangendi tale præceptum. Primùm verò illud de virtute studiositatis non adeo placet, nec est necessarium ad eam speciem recurrere vitij oppositi, scilicèt, curiositatis; nec proprie curiosus dicitur ille, qui se negat eam propositionem; sufficit ergo, si dicamus esse quandam speciem peccati innominatam quidem, quę secundariò, & per accidens censetur esse contra fidem, & peccatum Hæresis secundum modò explicatum, quatenus per illud se exponit proximo Hæresis periculo. sic sunt multæ virtutis, multaque vitia, quæ per se, & secundum suam rationem formalem sunt species essentialiter diuersæ ab illis speciebus propriè sumptis ad quas dicuntur reduci, vel secundariò, & per accidens pertinere, & non habent proprium, & speciale nomen, ideò dici solent species innominatæ.

1106 Quod autem negans propositionem Theologicam regulariter loquendo præsumatur Hæreticus, probari videtur ex eo, quòd nemo præsumatur eam propositionem negare, quia principio euidenti, & illationi euidenti non assentitur, sed potiùs, quia non assentitur principio supernaturali fidei. Ideò Sanchez citato, cap. 8. numero 12. & alij, qui illum sequuntur, putat, si illâ negatione perstiterit, tanquàm Hæreticum negantem principium reuelatum esse puniendum. Quæ doctrina mihi placet, si temperetur.

Resp. 1107. Dixi ergo *regulariter loquendo*, fieri enim potest in aliquo casu, vt homo sit tam hebes ingenio, vt facilè de illo præsumi possit, quod, vel euidentiam propositionis lumine naturali notam non attingat, vel euidentiam consequentiæ, & deductionis. In tali autem casu non video cur præsumi debeat talis homo Hæreticus maximè, quando propositionis, quamuis ex se euidentes, aliquam habeant difficultatem in apprehensione terminorum, maximè pro hominibus rusticis, & incultis omni litterarum genere, & adhuc faciliùs prouenire potest ex difficultate percipiendi connexionem præmissarum cum conclusione, in quâ percipiendâ etiam aliqui studiosi hebetes ingenio laborant.

Quæritur vlterius. 1108 Quæri vlterius potest an incurrat Censuram latam contra Hæreticos, qui ex ignorantia crassâ errat circa res fidei?

Ignorantia crassa & supina non excusat ab incurrenda Censurâ. 1109 Huic difficultati respondendum est iuxta doctrinam datam disp. 2. dub 23. §. *Quaret. tamen aliquis*, & deinceps, vbi cum multis diximus generaliter ignorantiam crassam & supinam non excusare ab incurrendis Censuris iuxta doctrinam c. *vt animarum*, de constit. in 6. cùm tamen ignorantia, quæ nec crassa, neque supina est, excuset, etiamsi alioquin culpabilis sit, vt eodem loco notauimus, & probauimus.

1110 Si quis autem ex ignorantia quidem crassâ erraret circa res fidei, tamen ita esset affectus, & dispositus, vt paratus esset cognito errore, seu rei veritate corrigi, & obedire Ecclesiæ, non videtur incurrere Censuram; quia ad hæresim requiritur pertinacia contra veritatem fidei, vt ex suprà traditâ definitione Hæresis constat. Qui autem ita affectus est, non est pertinax, quantumuis ex ignorantiâ crassâ erraueri, & peccet peccato, quod aliquo modo reducatur ad peccatum Hæresis. Ita Bonacina *de Censur.* disp. 2. q. 5. puncto 1. numero 6. qui etiam addit numero 7. eum, qui ex ignorantiâ crassâ errorem aliquem protulit contra fidem ita affectus, vt illum adhuc proferret, etiamsi sciret esse contra definitionem Ecclesiæ, & esse verè Hæreticum & Censuram incurrere. Quod omninò verum est; quia dissentit propositioni fidei cum pertinaciâ, idque à fortiori meritò verum putat de eo, qui sic errat ex ignorantiâ affectatâ, vt cùm quis eligit nescire res fidei, vt liberiùs erret in fide, tunc enim est error voluntarius, & cum pertinaciâ & talis ignorantia non minuit, sed auget potius grauitatem delicti. vt etiam nos notauimus dub. illâ 23. citatâ. Si quis autem affectet, seu eligat nescire res fidei, non quidem, vt liberiùs erret, sed solùm ex tœdio, & negligentiâ addiscendi, vel ob aliam causam, non est verus Hæreticus; non enim dicitur errare cum pertinacia cùm sit paratus corrigi ab Ecclesiâ nihilque velit sentire contra illius definitionem, etiamsi hoc peccatum vt nuper dicebam de simili, reductiuè pertineat ad hæresim, ad cuius tamen grauitatem non attingit, nec illius pœnis subijcitur, vt ibi docet idem Bonacina & Aragon. 22. q. 11. art. 2. Sayrus lib. 2. c. 9 num. 20. & alij.

1111. Quod diximus de Hæretico æquè intelligendum est de Apostata; est enim verus Hæreticus, & desertor veræ fidei. Ita Filiucius. Tract. 16. cap. 2. num. 28. Bonacina suprà numero 8. & alij apud ipsos. *Dicta de hæretico intelligenda sunt de Apostata.*

1112 Iam ergo de excommunicatione, quâ incurrit Hæreticus, nonnihil dicamus. Multis quidem pœnis afficitur Hæreticus; sed omissis alijs, quæ non sunt huius loci, sufficiat scire (id, quod satis notum est, & sæpè dictum) affici pœnâ excommunicationis ipso facto, & Papæ reseruatâ, dummodò exteriùs sufficienter, quantumuis occultè suam hæresim manifestet. Quòd incurrat excommunicationem clarum est in Iure. c. *Ad abolendam.* c. *Excommunicatus. de Heret.* c. *quicumque de Hæreticis*, in 6. & in Bullâ Cœnæ.

1113 Vnde non sufficit (vt suprà notauimus, & sæpe alibi diximus) quod sit hæresis purè interna; sed necessarium est, vt exterius manifestetur eo modo, quo diximus suprà disp. illâ 11. de *Pœnit.* dub. 4. & 5. suppositis autem requisitis ad illam incurrendam, quod attinet ad absolutionem illius, philosophandum est iuxta dicta in hac disp. dub. 3 4. & sequentibus vsq; ad 13. vbi latè de potentibus & non potentibus absoluere dictum est, & locis de *Pœnit.* ibidem notatis. Ideò à pluribus alijs, quæ hic disputari solent supersedendum duxi; quia, vel non huc spectant, vel iam notata sunt loca, in quibus de

illis disputauimus.

DVBITATIO LX.

De excommunicatione latâ contra credentes, aut fauentes Hæreticis, illosvè receptantes.

1114 Non solùm ipsis Hæreticis imposita pœnâ est excommunicationis; sed etiam credentibus, auctoribus, receptatoribus, & defensoribus illorum, vt constat ex Bullâ Cœnæ *excom.* 1. & c. *excommunicatus.* el primero, §. *Creditores, de Hæreticis*, Et, ut sigillatim dicamus de his omnibus.

Dubitatur 1 1115 Dubitari potest primò; quinam dicantur credentes Hæreticis?

Resp. Nomine credentium Hæreticis intelliguntur, &c. 1116 Omissis alijs explicationibus nomine credentium intelliguntur quotquot Hæreticorum erroribus, siuè in communi, siue in particulari, siuè expressè siue cōfusè assentiuntur ostēdēdo sufficienter signis externis talē assensū. Ita Nauarrus, c. 27. numero 55. Vgolinus de *Censuris reseruatis Papæ.* 2. p. c. 1. verbo *credentes* num. 1. & 2. Layman lib. 2. Tract. 1. cap. 14. num. 5. Toletus lib. 1. cap. 19. §. *secundum genus.* Sà verbo *Hæresis* numero 11. Simancas *de Cathol. instit.* cap. 15. numero 2. Paludanus in 4. dist. 13. q. 3. art. 1. Sanchez in summâ, lib. 2. cap. 10. numero 2. Pegna 2. p. *Directorij*, q. 50. Comment. 75. Farinac. de *Hæresi* q. 181. numero 104. Bonacina disp. 2. de *Censur.* q. 5. puncto 3. & alij Recentiores. Neque obstat, quod si credentes verè sint Hæretici; atque adeò comprehendantur nomine Hæreticorum in priori clausulâ Bullæ Cœnæ, quâ Hæretici excommunicantur; nam isti credentes maioris explicationis gratiâ expressi sunt in Bullâ, ne quis de horum excommunicatione potest dubitare, vt notârunt Nauarrus, Vgolinus, Sanchez Layman, & Sà suprà, & Suarius de *Censuris* disp. 21 sect. 2. numero 6. & de Fide disp. 24. sect. 1. numero 1. & 3.

1117 Dixi *siue in communi, siue confusè.* nam tunc etiam Hæretico, vt tali fides adhibetur; quod euenire solet, quando quis sciens aliquem esse Hæreticum, credit illum rectam fidem habere, licèt in particulari, qui sic credit, nesciat talis Hæretici errores, vt cum quis dicit vera esse dogmata, quæ Lutherus aut Caluinus contra Romanam Ecclesiam docuit, aut se esse paratum mori pro illis. Legatur Farinacius suprà & 124. & 125. Item si quis animo assentiendi talibus dogmatibus prædicationem, aut lectionem illius Hæretici audiat; imò (vt vult Suarius disp. illâ 24. de *Fide* sect. 1. num. 3.) sufficit, quòd quis animo assentiendi sub conditione, si sibi placuerit rationes, & motiua Hæretici, illius concionem aut lectionem audiat maximè cum ratione illius animi dubij fidem amittat. Hoc tamen non videtur esse ita certum; quamuis enim verè fidem amittat, non dicitur credens Hæretico, sicut, qui venit, vt audiat quencumque alium magistrum, sequuturus illius sententiam si placuerit fundamentum doctoris, non dicitur adhuc credens; sed crediturus sub conditione, & Iudex, qui audit Aduocatum allegantem leges, & rationes in fauorem alicuius partis litigantis animo illi in sententiâ ferendâ assentiendi, nondùm dicitur illi assentiens: ergo neque audiens Hæreticum animo credendi illius doctrinæ, si placuerint fundamenta, nondum censetur Hæretico credere. Ita existimo illum talem sic audientem posse comprehendi nomine Hæreticorum, si pensatis circumstantijs illo actu externo audiendi sufficienter ostendat se amisisse, aut deseruisse fidem; Item posse comprehendi nomine fauentium Hæreticis, si pensatis etiam circumstantijs illo actu audiendi illius lectionem, aut concionem præstet Hæretico fauorem, aut defensionem, nomine autem credentis non video quomodò comprehendatur qui nondum credit, sicut neque è contra Hæreticus aliquis, aut infidelis, qui paratus est credere Doctori, aut Prædicatori Catholico, si rationes, aut fundamenta illius placuerint, & cum hoc affectu audiat: nondum dicitur credens tali Doctori.

1118 Ideò autem dixi necessarium esse, vt ostendatur signis externis talis assensus, quia (vt sæpe inculcauimus, non incurritur Censura pro actu merè interno exterius non sufficienter manifestato, quamuis de hoc sit controuersia inter Doctores, & multi absolutè doceant sufficere hæresim purè mentalem, vt incurrantur pœnæ Iuris Ecclesiastici. Quâ de re legi potest Sanchez lib. 2. *Summæ* cap. 8 à principio, vbi latè refert Auctores pro vtrâque parte, & eorum fundamenta; item Suarius de fide disp. 21. sect. 2. numero 2. Farinac. de *Hæresi* q. 192. §. 1. Barbosa 2. p. *de potestate Episcopi* allegat. 40. à n. 6. qui, sicut & alij plures, nostram sententiam sequuntur.

1119 Quibus autem verbis, aut factis hic animus credendi Hæreticis manifestetur, non potest certâ quadam regulâ explicari, sed magnâ ex parte arbitrio prudentis relinquendum est. Et cum necessarium sit ostendere exterius hæresim animi, & videre, an sit sufficiens signum talis hæresis? ad hoc dignoscendum iuuabit doctrina illa tradita de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 11. dub. 4. & 5. vbi latè de signis externis disputabimus; pro præsenti tamen negotio breuiter dicimus, illa esse, ex quibus grauis suspicio, aut manifestatio hæresis nascitur. Quæ tamen hæc sint expendit optimè Farinacius *de Hæresi* q. 181. nu. 110. Eymer. 2. p. *Directorij* q. 50. & ibi Pegna.

1120. Dubitari autem potest an censendus sit credens hæretico, qui semel, aut iterum illius concionem audit. *Dubium.*

Resp. multi. 1121 Multi docent prædictam suspicionem grauem oriri ex gemino actu, & tunc, tanquàm credentem hæretico condemnandum esse.

1122 Nihilominus non videtur sufficere geminus ille actus generaliter loquendo. Ita docet Pegna plures referens 2. p. Directorij q. 50. comment. 75. Decianus lib. 5. in *Tract. crimin.* cap. 18. vers. 16. Graff. l. 4. *decisionum* cap. 18. numero 29. & 30. Farinacius numero 115. & 116. Suarius de *Fide*, disp. 24 sect. 1. numero 3. in fine, Dixi *generaliter loquendo*; quia, quamuis Catholicus interris Hæreticorum existens *Resp. Author.*

non

non censeatur credere Hæreticis, si semel, aut bis ad contiones Hæreticorum vadat; tamen, si internis Catholicorum, occulta ab Hæreticis conuenticula celebranda intelligat & eò accedat etiamsi semel tantùm vadat, & Inquisitori, vel Episcopo non denunciet, magnam hæresis suspicionem præbebit, & tunc censebitur approbare, quod potuit auertere, rem totam indicando Iudicibus Ecclesiasticis; nisi fortè considerata personæ qualitate, ignorantia excusaret atq; ita videtur sentire Azor tomo 1. lib. 8. c. 15. q. 182. n. 120. Pegna suprà vers. *Sed plurimum.*

Fautores Hæreticorũ qui dicuntur. 1123. Fautores verò Hæreticorum illi dicuntur, qui scienter Hæretico fauent in causâ Hæresis; multis autem modis potest huiusmodi fauor præstari, nempe excipiendo hospitio hæreticum, & tunc ijdem sunt fauores; atque receptores, item defendendo illum in iudicio, vel extra ne puniatur, & tunc coincidunt fautores esse, & defensores. Quacumque ergo ratione ex ijs fauor præstetur, fautor dicitur. Sed; quia communiter Doctores distinguunt inter receptatorem, defensorem, & fautorem: oportet explicare horum trium destinctionem.

1124. Receptator ergo dicitur, qui Hæreticum ob causam hæresis fugientem, & se abscõdentem domo, vel hospitio, vel in agro, vel in Ciuitate, aut quouis alio loco recipit. Ita Pegna suprà q. 51. Comment. 76. vers. *Hinc sequitur* Sanchez lib. citato c. 10. n. 10. Vgolinus verb. *Receptores* in principio n. 1. &. §. 1. n. 3. Suarius de *Fide* disp. illâ 24. sect. 1. n. 4. & alij. Ad hunc autem effectum incurrendæ Censuræ sufficit vna tantum receptio; quamuis enim verbum receptare frequentatiuum sit, actuumque frequentiã denotet, si præcisè grammaticam speces; at secundum Ecclesiæ morem simpliciori significatione in præsenti accipitur pro vno tantùm actu, vt notârunt Pegna Vgolinus, Sanchez, Suarius suprà, & alij multi, quos refert & sequitur Farinacius de *Hæresi* q. 181. n. 152.

1125. Item necessarium non est occultam esse receptationem, imò si publica sit, & ad fauorem Hæresis cedit, grauius est delictum vt notauit farinacius q. 182. §. 7. n. 99. Pegna. q. illâ 51. Comment 76. Calderin. Tract. de *Hæresi* Rubric. de *Hæreticis volentibus*. n. 14. in fine. Itaque ex communi Doctorum sententiâ quando dicunt receptatorum Hæretici esse illum, qui hæreticum recipiens occultat, & cellat ne in manus Iudicis deueniet; non ita intelligẽdũ est; vt sola occulta receptatio dãnetur, cùm publica peior sit; sed ideò illius mentionem fecerunt; quia hæc solet esse frequentior, & hac dãnatâ, à fortiori intelligitur damnata publica.

1126. Item non requiritur vt Hæreticus sit denuntiatus: sat enim est, si tibi constet esse Hæreticum, cui iam faues, vt tali. Ita Sanchez c. illo 10. n. 6. Suarius de *Censuris* disp. 21. sect. 2. n. 9. & alij apud Bonacinam disp. 2. q. 5. puncto 3. in fine. Necesse autem est quòd tibi constet illum esse Hæreticum: alioquin, quamuis illum recipias, non censeberis receptator. In foro autem externo non solet quis præsumi habere notitiam talis hæresis, nisi in casu, quo hæreticus in loco, vbi residet receptator sit iam publicè denuntiatus, & notorius, vt rectè Carrerius de *Hæreticis* n. 170. Pegna 2. p. *Directorij* q. 51. Comento 76. vers. *An autem.* Farinac. de Hæresi q. 181. n. 164. Vnde, quando non est denuntiatus, aut notorius iuramento recipientis creditur, quòd ignorauerit illum esse Hæreticum, imò, etiam si denuntiatus sit, tempore autem denuntiationis receptator ille non erat præsens in eo loco, aut erat ægrotus decombens proprij suc negotijs occupatus, non præsumetur notitia. Ita Vgolin. de *Censuris Papæ r. seruat. 26.* in Gloss. *Receptatores* §. 2. n. 4. Farinac. sup. n. 164. Azor citato lib. 8. c. 15. q. 8. & alij.

1127. Defensor autem Hæretici dupliciter potest intelligi iuxta Eymer 2. q. *Directorij* q. 52. primò, si quis hæretici errores defendat; secundò, si defendat personam, aut causam hæresis. Ille autem defendit errorem, qui argumenta in eius fauorem facit; & qui argumenta contraria dissoluit, vt eius doctrinam stabiliat; item qui verbis, aut scriptis doctrinam laudat. Qui modus defendendi perniciosissimus est, siuè defensor interius, assentiatur erroribus, siue non; atque in foro externo vehementissimè præsumitur errori assentiri; & tanquàm hæreticus omni hæretico deterior damnari debet, vt rectè Eymer. suprà quem refert, & sequitur Pegna suprà Comment. 77. in principio & Farinac. cũ multis, quos refert q. illa 182. n. 62 habeturque expressè c. *Qui aliorum* 24. q. 3. *Defensor Heretici. dupliciter potest intelligi.*

1128. Tunc autem censetur quis defendere personam ob causam Hæresis, quando impedit, ne capiatur à Iudice, vel ab eo captum liberat, aut impedit, quod fieri potest, vel muneribus, vel vi, vel dolo, & potentiâ; seu authoritate, vt docet Farinac. toto §. 7. Præterea, si quis vellet aliquem actum Hæreticalem facere, putà communicare in mensâ: seu Cœnâ Lutheranâ, & ab alijs, impediatur; tu verò remoueas impedientes, vt ille prauam voluntatem exequatur, censenduseris defensor erroris, & condemnandus. Ita Decianus *Tract. Crimin.* lib. 5. c. 51. n. 9. vers. *Ego verò* Farinac. q. illa 81. de *Hæresi* n. 65.

1129. Dixi *Si defendatur persona ob causam Hæresis*, quia, si ex aliâ causâ fiat. v.g. ne à Latrone, vel ab aliâ priuatâ personâ iniustè lædatur, non censetur quis defensor Hæretici, cum illa defensio mala non sit. Ita Toletus lib. 1. *summæ* c. 19. n. 6. Farinacius suprà n. 68. Suarius disp. illâ 24 sect 1. n. 5. & alij multi.

Imò ego, saluo meliori iudicio, etiamsi defensio mala sit, & alioquin iniusta, si non fiat ob causam Hæresis; sed ex alio titulo, & non contra volentes illum iustè capere, & punire, tanquàm Hæreticum; sed ex alio titulo, non iudicarem sic defendentem esse defensorem Hæretici. v.g. si ille Hæreticus fuisset alioquin homicida vel latro, & tanquàm talis à magistratu seculari capiendus, aliquis defenderet illum, ne caperetur, siue propter amicitiam, siue quia est consanguineus, aut ex alio titulo; non puto censeri defensorem Hæretici; quia non defendit illum vt Hæreticum, & in causâ Hæresis, vel ob causam Hæresis. *Defensor. heretici non dicitur illi defendens non ob causam heresis ait Author.*

1130. Quin etiam addo, si in tali casu, & cum talibus circumstantijs externis illum sic iniustè defenderet ex affectu interno exterius non manifestato liberandi illum à Iudicibus Ecclesiasti-

 cis,

cis, ne ex hac occasione, quod esset sub custodiâ Magistratus sæcularis, fortè caperetur etiam ob Hæresim, & puniretur; tunc, quamuis coram Deo esset verè fautor Hæreticorum; in foro nihilominus externo, &, quoad pœnas fori exterioris, non videtur censendus fautor Hæreticorum, quia affectus ille internus, vt supponimus non manifestatur exteriùs, & illius defensionis alio causæ, seu motiua concurrunt saltem in exteriori apparentia: Ergo non est vnde in foro exteriori præsumatur defensor Hæretici, & ob causam Hæresis. Quæ doctrina ex dicendis post explicationem fautoris ampliùs declarabitur quæsito 2. & 4.

Fautor Haretici quando censetur quis duplici ter hoc fieri potest.

1131. Fautor verò Hæretici censetur quis, quoties ob causam Hæresis Hæretico fauorem præstat; quod dupliciter fieri potest omissione scilicet, aut commissione. Omissione fauet, qui Hereticum, quem tenetur capere aut Iudicibus indicare, non capit, aut non indicat, vel iam captum, & suæ curæ commissum non custodit; vel, quem debet punire, non punit. Commissione verò fauet verbis, & factis; verbis quidem quando laudat Hæreticum, vt talis est, vt si affirmet esse virum probum, aut iniustè damnari, vel si consilium præbeat vt possit, vel errores celare, vel pœnas, & damnationem euadere; factis verò fauet, qui eum celat, & occultat domi, vel auxilium præbet, vt effugiat, alimenta subministrat, libellum, seu processum falsificat, vel abscondit, aliud ve huiusmodi facit; ex quo Inquisitionis officium impediatur. Ita Authores omnes citati, & legi potest Farinac. de *Hæresi* q. 182. §. 1.

1132. Aduertunt tamen aliqui Authores etiam hæc omnia officia fieri posse circa Hæreticum mortuum, aut circa emendatum. Quæ si adhuc in fauorem Hæresis cedant, censendus erit ille fautor Hæreticorum. Ideò, si quis hæreticum mortuum in loco Sacro sepeliat, aut, si quis interrogatus à iudice competenti, & inquirenti de tali delicto ad punitionem illius, veritatẽ occultet, cùm deberet manifestare, vel Inquisitionem de tali delicto impediat, censebitur Hæretici fautor. Ita Sanchez citato c. 10. n. 17. Suarius disp. illâ 24. de Fide sect. 1. n. 6.

Dubia circa prædicta.

1133. Circa prædicta occurrunt aliqua dubia sigillatim expedienda, quæ doctrinæ traditæ maiorem lucem afferent.

Quæres 1. An priuata persona censeatur ex omissione fauere Hæretico.

1134. Quæres primò an priuatæ personæ censeantur ex omissione fauere Hæretico, si omittant illum capere, vel Iudicibus indicare cùm facilè possint, vel, si iam captum, & ipsis commissum non custodiunt, quando non tenetur ex officio custodire?

Resp. plurib. Authores.

1135 Plerique autbores docent hunc non esse fautorem Hæreticorum, & vniuersaliter neminem sic facientem; nisi contra iustitiam, & obligatioo em officij peccet. Ita Sanchez citato c. 10. n. 15. Suarius vbi proximè Farinac. cum plurimis, quos refert q. illâ 182. n. 27. quorum

Ratio.

ratio est; quia cessante obligatione Iustitiæ non imputatur prædicto omittenti, quod Hæreticus non corrigatur, cùm suâ non intersit illum corrigere. Quâ ratione generaliter mulri Doctores docent, omittentem per omissionem non esse causam moralem effectus inde sequuti; nisi adsit alioquin obligatio non omittendi, seu præstandi officium. Quod si ex Iustitiâ quis obligatus sit Hæreticum capere; vel denuntiare (quam obligationem putant oriri, vel ex officio, vel ex speciali Inquisitoris mandato) tunc putant illum esse fautorem Hæreticorum, si diligentiam debitam præstare omittat. Ita Authores citati.

Hinc Infertur.

1136. Ex qua doctrina infertur Inquisitores, & Episcopos omittentes in fauorem Hæresis delinquentem capere, torquere punire, incarcerare, & fideliter custodire fautores esse Hæreticorum. Idem iudicium est de Cruce signatis in Inquisitione Hispanicâ, quos appellant familiares aliisque Ministris Inquisitionis, vt Commissarij, Consultores, qualificatores, Notarij; &c. hi enim omnes ex officio obligantur, vt notant Sanchez, Suarius, & Farinacius suprà. Ex speciali verò mandato omnes alij tenentur præstare auxilium contra Hæreticum, quoties ad id requisiti fuerint, dummodò mandanti, aut requirenti subditi sint; Imò aliqui dicunt, peccare contra Iustitiam, si id omittant. Quod si loquantur de Iustitiâ specialiter, & propriè dictâ, non mihi videtur verùm; neque video cur nõ etiam (vt consequenter erat dicendum) sic omittens teneatur ex Iustitiâ resarcire damna, quæ ex tali omissione sequuta fuerint superiori præcipienti & etiã id nemo quem viderim, docet. Sed quidquid sit de hoc (de quo non est huius loci disputare) sufficit, quod sit contra mandatum superioris potentis ad id obligare, vt sic omittens censeatur fautor Hæreticorum. Vnde, si interrogatus à Iudice legitimè celes veritatem, vel iussus capere Hæreticum, id omittas, aut iussus denuntiare, non denunties, censeris fautor; quia omittis id, quod ex speciali præcepto superioris facere debebas. Ita Sanchez, & Pegna suprà.

1137. Non tamen desunt Doctores, qui prędictum ab eo delicto fautores excusent quãdo solum ex speciali pręcepto & nõ ratione officij tenentur fauorem præstate, quia non videntur contra iustitiam propriè dictam peccare; alioquin duplex peccatum committeret sic omittens, alterum contra specialem illam virtutem, in quâ est præceptum, alterum verò contra illud Ius superioris, quod volunt prædicti alij esse Ius Iustitiæ, ac proinde putant non esse fautores hæreticorum singulares personas priuatas, quibus ex officio non incumbit fidei fauere, & hæresim extirpare. Ita Eymer. 2. p. q. 53 n. 3. Farinacius q. illâ 182. §. 2. n. 36.

Authoris Iudicium.

1138. Verùm hæc ratio horum Authorum solùm probat, eam non esse obligationem Iustitiæ propriè dictam, sed obligationem præcepti impositi in materiâ alterius virtutis, quod solùm confirmat id, quod nuper dicebamus; non tamen probat, quod subsistente prædictâ obligatione, non sit totum requisitum, vt ea omissio censeatur fauor Hæretici, Itaque existimo siue obligatio non omittendi sit ex Iustitiâ, siue ex alio capite, eo ipso, quòd obligatio sit, sufficere vt sit omittens sic causa moralis effectus ex eâ omissione sequuti, & consequẽter illa omissio censetur fauor Hæretici.

Hæc in re maximè notandum.

1139. Illud autem in hac re est maximè aduertendum ex principijs generalibus de requisitis

ad

ad incurrendam Censuram quòd fauor ille pręstitus, Hæretico, vt sufficiat ad Censuram incurrendam, debet intelligi effectus sequutus; quia si effectus non sequatur, nullus fuit fauor. Vnde qui Hæreticum occultauit, ne caperetur & ut posset Hæresim disseminare, non incurret Censuram, si non obstante eâ occultatione captus ille fuit, & non potuit disseminare hæresim sicut qui mandauit Clericum percutere, non incurrit, si Clericus non sit percussus, quando enim aliquis effectus prohibetur sub excommunicatione, & minùs principaliter prohibetur mandatum, vel Consilium, seu fauor, Excommunicatio non incurritur ab eo, qui mandauit, vel consuluit &c. nisi effectu sequuto, iuxta id, quòd diximus disp. 1. dub. 19. 20. 21. & 22. præcipuè dub. 20. In præsenti autem casu principaliter prohibetur Hæresis, & accessoriè fauor, & consilium, quod satis declaratur in Bullâ ipsâ Cœnæ, vbi primùm fit mentio de Hæresi; deinde in illius detestationem enumerantur fauctores, receptatores, &c. Ita Suarius disp. illâ 21. de Censuris sect. 2. numero 8. Filiucius. Tract. 16. cap. 2. numero 30. Sanchez lib. 2. Summæ cap. 10 numero 9. Layman suprà numero 5. Quidquid in contrarium sentiat Sayrus lib. 3. cap. 5. numero 4. Duardus lib. 2. in Canon. 1. q. 31. num. 2. & videatur docere Suarius de *Fide* disp. 24. q. 1. qui putat fauorem prohiberi ne Hæresis firmitatem habeat; qui effectus saltem pro illo tempore obtitur sed hoc iam est habere effectum pro tunc, at loquimur de casu, quo nunquã illum habet.

Quæres 2.

1140 Quæres 2. an fauor, defensio, & receptatio Heretici debeat prouenire ex animo fauendi eius Hæresi, vel satis sit in Hæresis fauorem cedat?

Responsio plurimorum est necessariò requiri animum fauendi Hæresi.

1141. Negant plerique sufficere, quod cedat in fauorem; sed necessariò requiri animum fauendi Hæresi. Ita Sanchez lib. 2. cap. 10. nu. 5. Bonacina disp. 2. de Censuris. q. 5. puncto 3. & alij multi. Ratio est; quia ferè omnes Doctores sentiunt ad huiusmodi siue fauentiam, siue fautoriam requiri, quòd ille fauor fiat Hæretico, vt Hæreticus est; qui autem fauet Hæretico, quia est eius amicus, vel consanguineus, non censetur fauerere illi, quatenus Hæreticus est, ac proinde non est fautor Hæretici.

Ratio.

Aliqui oppositum contrarium tenent.

1142 Aliqui verò Recentiores putant censendum esse fautorem Hæreticorum, etiamsi non procedat ex animo fauendi Hæresi; sed satisfaciendi alteri humanæ obligationi. Probant primò ratione, quàm dicunt à priori; quia, si auxilium impendis Hæretico cedens necessario in Hæresis fauorem absolutè vis in exequutione Hæresi illius fauere, quia fauor hæresis omninò consistit in illo auxilio præstito, neque impeditur ex aliâ vniuersaliori intentione si fortè habeas: ergo verè dicendus es fauere Hæretico vt Hęreticus est, quoties faues illius Hæresi.

Probant. 1.

Dicta ratio parum probat iudicio Authoris.

1143 Hæc tamen ratio parum, aut nihil probat; assumit enim fauorem, vt fauorem, consistere in eo, quòd in vtilitatem, & commodum ejus, cuius dicitur fauor, cedat; quod tamen omninò falsum est, si propriè loquamur; fauor enim, vt fauor, inuoluit rationem beneficij; beneficium autem, vt beneficium, connotat affectum, & rationem gratiæ, & amoris comparatione eius, cui fit; in nostro autem casu, vt supponimus, non est, affectus fauendi Hęretico, vt Hęreticus est, & in causâ Hęresis, ac proinde quantumuis ille actus cedat in fauorem Hęretici, latè sumpto fauore pro commodo, seu vtilitate, non censetur fauor propriè dictus adeoque non censetur sufficiens ad incurrendam Censuram; nam in lege pœnali verba strictè accipienda sunt iuxta principia generalia de legibus.

Probant. 2. ex Iure.

1144. Probatur 2. ex variis Textibus in titulo de *Hæreticis*. in 6. vbi solus fauor Hæretico factus cedens in fauorem Hæreticæ prauitatis, attenditur, ut censeatur fautoria Hæresis, nec alia intentio formalis requiritur; idque constare putant ex c. *Accusatus* 5 *Sacerdotes de Hæret.* in 6. vbi Sacerdotes, & alij Clerici impedientes Inquisitionis officium compescendi iudicantur, tanquàm fautores Hæreticum: *cùm non sit dubium* (inquit Textus) *eos ipsa facere in fauorem Hæreticæ prauitatis.* Item ex c. *Commissi* vbi conferens beneficiũ Hæretico, cognito etiamsi consanguineus sit priuatur beneficijs, & alias pœnas incurrit. Et idem est (inquiunt) de recipienente ab Hæretico ex c. *Quicumque* quia in ijs fauor Hæresi præstatur etiamsi non animo vltimatè, & formaliter illi fauendi fiant. Pro quâ sententiâ referunt Suarium de *Fide disp.* 24. sect. 1. numero 9.

Authori videntur sitati Textus nihil probare.

Ratio.

1145 Verum hi Textus nihil mihi probare videntur; nã in primis in foro exteriori ducuntur Iura præsumptione; præsumit autem legis lator in illis casibus esse fauorem Hæretici, & quidem meritò; nam, si Sacerdotes alijque Ecclesiastici, quos decebat potiùs iuuare, quàm impedire Inquisitionis officium, illud impediebant, etiam directè; quid mirum, quòd præsumatur illos hæc fecisse in fauorem Hæretici, quem defendebant? imò simul poterant haberi suspecti de Hæresi; nam, si directè se opponebant in negotio fidei, meritò se suspectos reddebant quod defecissent à fide, qui tàm fortiter resistebant tali medio fidei propagandæ, & tuendæ. Eandem suspicionem incurrit, qui beneficium Ecclesiasticum confert Hæretico, quãtumuis consanguineo; nisi enim parui penderet esse Hæreticum, & nisi ita contemneret Ecclesiæ Censuras, & leges, quibus Hæreticus fit incapax Ecclesiastici beneficij, & putaret, nihil impedientibus ijs legibus, & Censuris posse Hæretico beneficium conferre (quæ omnia vehementem Hæresis, & affectum erga hæresim suspicionem generant) non auderet ille beneficium conferre Hæretico; imò nec exponere tanto periculo Ecclesiam Dei, quanto exponitur constituendo in eâ in officio, & beneficio ministrum Hæreticum. Eodem modo suspectus ille est, qui accipit beneficium ab Hæretico; nam cum Hæreticus actoritate conferendi beneficium careat propter leges, & Censuras Ecclesiasticas, quibus priuatur potestate, & auctoritate ad id præstandum; si his non obstantibus, adhuc ille attentet accipere beneficium ab Hæretico, sufficientem caussàm suspicionis præbet, quòd ipse etiam in Hæresim inclinet, & putet

prædictas leges, & Censuras Ecclesiasticas nullam vim habere. Accedit quòd de Hæretico conferente beneficium prudenter timeri, aut credi potest se non velle illud conferre; nisi amico, sibique faventi maximè in causâ Religionis; habuit ergò Ius Ecclesiasticum in illis Textibus prudens, & sufficiens fundamentum ad præsumendum in illis casibus intervenire fauorem Hæretici, quatenus Hæreticus est. Itaque illi Textus nihil probant. Vnde obiter Suarius de *censur.* disp. 21. sect. 2. numero 8. aliàs coniecturas docet concurrisse in prædicto c. *Recusatus.* ad talem præsumptionem.

1146 Minus etiam placet fundamentum, quo prædicti Recentiores contendunt non esse pro nostrâ sententiâ, doctores, quos pro illâ allegat Sanchez loco citato ex eo scilicet; quia solùm dicant necessarium esse ad fautoriam; vt Hæretico faueas, vt Hæreticus est, quod (inquiunt) abunde præstas, quoties vis auxilium illi præstare cedens in fauorem Hæresis; vis enim tunc illi fauere vt Hæreticus est, etiam si non faueas illi; quia est Hæreticus, sed, quia est consanguineus: hoc (inquam) fundamentum multò minùs placet; assumit enim falsum, quod simul atque videtur tale auxilium cedere in fauorem Hæresis censeatur quis fauere illi, vt Hæretico; quia inde sequeretur (contra id, quod suprà statuimus cum eisdem Recentioribus) eû, qui defendit Hæreticum etiam cognatum, & amicum ab alio volente illum priuatâ auctoritate, & iniustè occidere, si præuidiat Hæreticum sic defensum perrecturum vlterius in suâ Hæresi nocendo aliis, censeri fautorem, & defensorem Hæretici, vt Hæretici, quod falsum est iuxta dicta. Probo sequelam, quia non minùs præuidet, supponimus in vno casu, quàm in alio quòd, si Hæreticus seruetur, cedat in fauorem Hæresis illa seruatio & tamen in vno casu non censetur fauere Hæretico, & velle illi fauorem vt Hæretico, quantumuis præuideatur redundare in Hæresis augmentum: ergo velle illi auxilium aliàs cedens in fauorem Hæresis, non est directè, & formaliter Hæresis fauorem velle, & fauere Hæretico, vt Hæreticus est.

Defendens Hæreticum cognatum contra iniustum invasorem nō est censendus fautor Hæresis.

147 Quæres, 3. an sufficiat fauere Hæretico præsumpto tali à Iure, V. g. excommunicato per annum in sordescenti in excommunicatione vt censeatur fautor Hæreticorum? *Quæres 3.*

1148. Respondet Suarius disp. illâ 24. de fide sect. 1. in foro quidem externo reputandū esse Hæreticorum fauctorem, secùs verò in foro conscientiæ, quod non præsumptione ducitur, sed rei virtute. Sanè quod attinet ad forum conscientiæ, verissima est sententia Suarij; Quoad forum verò externum limitanda videtur, vt solùm habeat locum in excommunicato ex causâ fidei per annum insordescente in excommunicatione; ille enim est, qui reputatur Hæreticus, & tanquàm Hæreticus damnari debet, c. *excommunicamus* el §. 1. *credentes de Hæret.* & c. *Vt Inquisitionis.* §. *Prohibemus. de Hæreticis.* in 6. Secùs verò dicendum de excommunicato, non ex causâ Fidei; tunc enim solùm redditur de Fide suspectus iuxta Tridentinum Sess. 25. cap. 3. de *Reform.* § *In causis quoque.* Vbi statuit inquiri posse in quencumque persistentem per annum in Excommunicatione, tanquàm in suspectum de Hæresi; idque constat ex c. *Grauem de Pœnis* c. *Cum bonæ. de ætate, & qualit.* doceique Eymer. 2. p. Directorij. q. 47. imò teste Pegna 2. p. Directorij. Commento 72. vers. *Quidam* ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ, & generalis Inquisitionis non solent Inquisitores procedere contra prædictos Excommunicatos; quando excommunicatio non est ob causam Hæresis. Ex quo fit eum, qui fauet huic excommunicato non ob causam Hæresis, non posse dici fautorem Hæretici; sed fautorem suspecti de Hæresi, ac proinde non comprehendi in eâ Censurâ latâ contrà fautores Hæreticorum.

Resp. Suarius.

Authoris Iudicium.

Persistens per annum in excomm habetur tanquàm suspectus de Hæresi iuxta Tridens.

1149 Quæres 4. an esse consanguineus, vel affinem, vel amicum eum, cui faues, te excuset, ne habearis fautor Hæretici? *Quæres 4.*

Respondeò iuxta nostram sententiam, quâ cum Sanchez Bonacinâ, & aliis multis affirmauimus ad hoc crimen necessariò requiri expressam voluntatem fauendi Hæresi excusari in foro exteriori. In interiori verò standum erit veritati, quantum ad culpam coram Deo; quantum verò ad Censuram, & alias pœnas incurrendas, si nullum dedisti signum externum eas pœnas non incurres iuxta dicta suprà defensore est enim eadem ratio, & ita expressè docet Sāchez lib. illo 2. cap. 10. numero 8. *Resp. Author.*

1150 Iuxta sententiam verò eorum, qui putant non requiri illam expressam voluntatem, & simul docent esse obligationem denuntiandi talem Hæreticum regulariter loquendo, dicendum esset prædictum etiam in foro externo censeri fautorem Hæreticorum & quidem in omnibus casibus, in quibus consanguineus, affinis, vel amicus teneretur prædictum Hæreticum denuntiare Iudicibus propter bonum commune præferendum bono particulari; ita, vt nisi caperetur, & puniretur ab Inquisitoribus, seu Iudicibus Ecclesiasticis, non satisfieret obligationi prospiciendi bono cōmuni: in his (inquā) casibus ego non dubito prædictum, siue receptatorē siue defensorem siue fautorē habendū esse etiam in foro externo receptatorem, defensorem, fautorem Hæreticorum; quia si tenetur non obstante consanguinitate affinitate, & amicitiâ illum denuntiare, vt eâ denuntiatione capiatur, & compescatur etiam pœnis, non excusabit illa consanguinitas, affinitas & quominùs in foro externo præsumatur fautor Hæretici, vt talisque puniatur; nec enim præsumetur in foro exteriori illum fauere titulo coniunctionis prædictæ; quando non obstante tali coniunctione debebat illum denuntiare, & cooperari, vt caperetur. Porrò esse hanc obligationem denuntiandi in negotijs Fidei latè diximus dub. 49. *Iuxta aliorum sententiam dicendum.*

1151 Quæri potest 5. an grauis metus excuset ab incurrendâ Censurâ propter prædictam fautoriam latâ? *Quæres 5.*

1152. In hac re Philosophandum est iuxta principia generalia data à nobis disp. 2. dub. 24. vbi latè egimus generaliter loquendo an grauis metus excuset à Censura, vel saltem à culpâ?

1153 In præsenti autem casu quidam putant eos, qui graui metu fauorem præstant, etiamsi à peccato non excusentur, excusari à Censurâ, & pœnis quia Ecclesia non videtur *Resp. aliquorum.*

cum

cum tanto rigore obligare. Ita Pegna 2. p. *Directorij* Commento 17. verſ. *verumtamen* Simancas de *Cathol. Inſtitut*.tit.15. Rubric.de *credentib*. n. 17. Vgolin. 2.p. de *Cenſur. reſeru*. verb. *receptatores* §. 2. n. 3. Farinac. q. 82. n. 162. & alij. Et ſane loquendo pro foro externo Iura ſanguinis, & amicitiæ ſtrictiſſima ſunt, & ratione illorum ſolet cenſeri quis coactus recipere, defendere, & fauere ſibi coniunctis. Ideò graues Doctores ab hoc etiam peccato fautoriæ excuſant conſanguineos in primo gradu, parentes reſpectu filiorum, & è contra, vxorem reſpectu mariti, & è contra, fratrem reſpectu fratris &c. Et præter Auctores id generaliter docentes, quos retulimus dub. illâ 49. id in noſtro caſu docet Simancas de *Catholic. Inſtitut*. tit.15. Rubric. *de credentibus* n. 25. Pegna 3. p. Directorij q. 11. Comment. 160 verſ. *Nunc autem* Decianus in Tract. crimen lib. 5, c. 51. n. 79. fauereque videtur Sanchez lib. 2. cap. 17. numero 24.

Iuxta probabiliorem ſententiam, titulus conſanguinitatis &c. nō excuſant hic a Cenſura.

1154. Nihilominus magis communis ſententia eſt, & probabilior, titulum conſanguinitatis affinitatis, & amicitiæ quantumcumque ſtrictæ non excuſare in hoc crimine à cenſura excommunicationis, idemque iudicium de alijs pænis, quamuis ſi eæ latitudinem recipiant temperari debeant pro maiori, vel minori coniunctione affinitatis, & conſanguinitatis. Quod attinet ad Cenſuram eodem modo philiſophandum eſt, vt dixi, atque philoſophati ſumus in Cenſurâ, quæ incurritur propter omiſſam denuntiationem Hæretici, de quâ egimus dub.49. huius diſputationis, &, ſi ex non fauendo, aut defendendo Hæreticum timeatur graue damnum, non tamen tantum, vt omninò cenſeatur excuſari defendens, aut fauens, philiſophandum ėſt iuxta dicta diſp. 2. dub illâ 24. Itaque in caſu præſentis quæſiti, quod Cenſura non excuſetur propter prædictam communionem, & quod reliquæ pœnæ latitudinem recipientes ſint tẽperandæ, docent communiter Doctores, & inter alios Menochius de arbitrarijs lib. 2. Centuria 6. caſu 548. n. 8. Graff. lib. 4. deciſſionum c. 18. n. 35. Pegna 2. p. directorij Comment. 81. verſ. *rurſus* Simancas de *Cathol. Inſtit*. tit. 15. Rubricâ de *Credentibus* n. 21. Decianus Tract. Crimin. lib. 5. c. 51. n. 68. Farinacius cum alijs, quos refert de *Hæreſi* q. 182. §. 9. n. 144. & 149. & quidem, quod attinet ad mitigandam pœnam videtur expreſſa deciſſio l. 2. ff. de Receptatoribus, vbi receptans conſanguineum latronem minori pœnâ puniendus decernitur. Rectè autem notat Graff. & Simancas ſuprà, & Farinacius ſuprâ n. 143. & 151. & in caſu dubij an fauens Hæretico conſanguineo fauorem præſtiterit ob ſanguinis coniunctionem, vel ob crimen Hæreſis præſumendum eſſe, quod præſtiterit ob ſanguinis coniunctionem; quod mihi omninò placet. Et idem eſt de receptatore, & defenſore. Ratio inter alias eſt; quia, ſicut in caſu dubij abſolutè quis excuſatur à culpâ, ita excuſatur etiam à maiori culpâ, & ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis. Vnde; quando dubium eſt; an receptauerit, vel fauerit ob ſanguinis coniunctionem? vel ob hæreſim? tribuendum potius eſt ſanguinis coniunctioni; in quâ re minor eſt culpa, quàm ob Hæreſim, vbi culpa eſt longè maior. De alijs pœnis præter Cenſuram in Tract. de Fide agendum eſt.

In dubio an fauor præſtitus ſit tali vt conſanguineo, an vt hæretico primum præſumendum eſt Ratio.

DVBITATIO LXI.

De excommunicatione latâ contra eos, qui legunt libros Hæreticorum.

1155 HAc de re quoniam occaſio legendi hos libros, vel retinendi apud ſe frequens eſſe poteſt, aut ſolet, aliqui oblatâ occaſione, varijs in locis latè tractant, & nos in varia capita diuidemus huius rei doctrinam.

CAP. I.

An? & quâ Cenſura Hæriticorum libri prohibiti ſint ab Eccleſiâ?

1156. COnſtat in Bullâ Cœnæ in primâ illius clauſulâ prohiberi ſub pœnâ excommunicationis Pontifici reſeruatæ lectionem librorum Hæreticorum continentium Hæreſim, vel de Religione tractantes; niſi id faciant authoritate Apoſtolicæ Sedis. Comprehenduntur autem omnes, qui ſcienter legunt, aut retinent, aut imprimunt, ſeu quomodolibet defendunt ex quauis cauſâ publicè, vel occultè quouis in genio; vel colore. Quæ prohibitio extenſa eſt ab aliquibus Pontificibus. Nam Sixtus V. in quadam Bulla, quæ eſt. 21. in ordine in eius Bullario ſub excommunicatione ſibi reſeruatâ prohibuit libros Aſtrologiæ, ſeu de diuinatione tractantes, quibus futura contingentia intenduntur cognoſci. Clemens etiam Octauus in Indice librorum prohibitorum ſub excommunicatione; non tamen ſibi reſeruatâ, prohibuit Hæreſiarcharum libros, etiamſi de religione non tractent, niſi prius expurgentur. Item libros Authorum, qui ſunt de Hæreſi ſuſpecti, atque etiam Catholicorum, quibus aliquæ ſunt hæreſes admixtæ, quique indigent expurgatione; vt latius explicatur in Regulis illius indicis quas adducit Azor tomo 1. lib. 8. c. 16. q. 14.

Bullâ Cœnæ prohibetur. ſub pœna Excomm. lectio librorum hæreticorum hæreſim continentium.

1157. Pro Regnis etiam Hiſpaniæ conſtitutio quædam eſt Pauli V. quæ incipit *Cùm ſicut accepimus*, in quâ prohibentur omnes libri, qui expurgatione indigent, ſub cenſurâ Pontifici, reſeruatâ. Quinam verò ſint ij libri ſatis explicatur. 13. regulis, quæ appoſitæ ſunt in expurgatorio edito ab Inquiſitione generali Hiſpaniæ iuſſu Inquiſitoris generalis Bernardi de Rojas, & ſandoual Cardinalis, & Archiepiſcopi Toletani.

CAP.

CAP. II.

Quinam libri comprehendantur sub prohibitione Bullæ Cœnæ, & alijs

Bullâ Cœnæ solùm prohibentur libri Hæreticorū propriè dictorum.

1158. IN Bullâ Cœnæ solùm prohibentur libri Hæreticorum, qui propriè sunt Hæretici; Tales censentur, qui post fidem, & Baptismum à fide defecerunt. Vnde libri non baptizatorum non continentur sub hac prohitione. Ita Suarius disp, 20. de *Fide* sect. 2. n. 11. Sanchez lib. 2. *Summæ* c. 10. n. 22. Farinac. de Hæresi q. 180. n. 10. neque est necessarium, quòd tales Hæretici sint declarati, aut denuntiati, dummodò tales esse sciantur. Ita Sanchez ibidem n. 24. Suarius suprà n. 11.

An Græcorū & Armenorū libri comprehendantur. Non consentiunt Authores.

1159. Vtrum autem sub nomine talium Hæreticorum comprehendantur libri Græcorum, & Armenorum de suis ritibus tractantes? non consentiunt Doctores. Sanchez suprà n. 27. Farinacius suprà, Azor tomo 1. lib. 8. c. 16. q. 8. non putant comprehendi, quia hi ritus non sunt ab Ecclesiâ habiti, tanquàm Hæretici. Suarius verò suprà n. 12. docet, si Authores illorùm librorum sint verè Hæretici (vt communiter solent esse Græci, & Armeni, qui à Romanæ Ecclesiæ fide, & eius obedientiâ separantur) sub prædictâ prohibitione in Bullâ Cœnæ comprehendi; sunt enim libri Hæreticorum de Religione Tractantes. Vtraque sententia probabilis est; secunda tamen videtur probabilior.

Libri Catholicorum Authorum errores continentium non censentur tales.

1160. Libri autem Authorum Catholicorum, etiamsi errores aliquos per ignorantiam authoris, vel per malitiam alicuius Hæretici contineant, non videntur comprehensi prædictâ prohibitione, quia absolutè liber ille est Catholici non Hæretici. Vnde liber Catholici Authoris continens notas scholia, & alias marginales additiones non censetur comprehensus. Ita ex communi sententia Nauarrus c. 27. n. 56 Graff p. 1. *decisionum* lib. 4. c. 18. n. 43. Sanchez suprà c. illo 10. n. 25. Suarius de *Censuris* disp. 21. sect. n. 11. Coninc. disp. 18. de *Fide* dub. 11. n. 177. Layman lib. 2. Tract. 1. c. 15. n. 2. Bonacina disp. 2. de *Censuris* q. 5. puncto 4. n. 6. Farinacius de *Hæresi* q. illâ 180. n. 50.

1161. Limitant verò Suarius, Coninc, & aliqui Recentiores (probabileque putat Layman) nisi tales, & tam copiosi essent commentarij super inducti ab Hæreticis, vt potius liber censeretur ex illis constare, quàm ex textu. Quę doctrina valde rationi consona apparet: imò etiam ego iudicarem, quando textus verbis quidem, & mole foliorum excederet notationes, & commentarios Hæretici; tamen communi æstimatione liber ille non tam haberetur Authoris textus, quàm apponentis notationes, scholia, & commentarios, illum librum censeri prohibitum eâ Bullâ. Sic Erasmus, sic etiam Hæretici multi nostri temporis scholia, breuesque notationes addidere aliquibus libris Sacris, quę, si multitudinem verborum spectes, non exequant verba Sacri Textus, nihilominus paruis voluminibus inuenies in his maximè Regionibus septentrionalibus, vbi hæc nunc scribo, circumferri simul cum Sacro Textu, qui libelli non emuntur, nec manibus multorum teruntur propter Sacrum Textum, aut, quia sunt libri Sacri Textus; sed propter scholia, & notationes affixas Hæreticorum; Ideò tales libros potiori ratione iuxta mentem Pontificis prohibitos censeo, quàm alios fortè copiosiores. Itaque id iudicio prudentis discernendum iudico. Non me latet contra Suarium sentire Sanchez, & Bonacinam suprà, & iudicare Farinacium citato n. 50. propter quorum authoritatem probabilem Censio eam opinionem.

1162. Præterea, quamuis in libro Catholici scriptoris, vel qui Catholicus esse existimatur, contineantur manifestæ Hæreses, non incurret eam excommunicationem Bullæ Cœnæ, etiam qui illùm imprimit, nedum legit. Ita Vgolinus quem refert, & sequitur Layman suprà. Graff. & Sanchez locis citatis.

Dubium an Oratio concio Epistola &c. contineantur sub dictâ prohibitione. Opinio affir. Ratio 1.

1163. Dubitari autem potest an sub prohibitione prædictæ Bullæ Cœnæ contineatur breuis aliqua scriptura, Oratio, concio quæstio, Epistola? Affirmat Vgolinus *de casibus Papæ reseruatis* p. 2. verb. *Ac eorundem libros* in principio n. 2. Suarius disp. 20 sect. 2. n. 10. Farinac. de *Hæresi* q. 180. n. 30. & 31. & alij Recentiores: Tum; quia id circo Bulla mentionem facere libri videtur, quia Hæreses freqnentiùs libris comprehendi ac propagari solent. Cùm autem Legislator vnius ex pluribus mentionem facit propter frequentiorem eius vsum, non ideo alia exclusisse putandus est; sed speciem præcipuam pro genere posuisse; tum quia hæc prohibitio librorum non est lex odiosa, sed fauorabilis, cùm sit in fauorem Fidei & defensionem Catholicorum; ergo debet extendi non limitari; tum, quia in his est eadem ratio & periculum peruersionis; tum denique; quia congregatio Concilij declarans decretum de Editione librorum latum sess. 4. dixit comprehendere sub illo Decreto annotationes, lectiones disputationes, conciones, & alia similia, nec non Tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum: stimulationes fratrum, & cætera huiusmodi, quę sibi inuicem communicant fratres modò communicent ad effectum imprimendi. Ita Patres Capuccini in Compendio priuilegiorum Mendicantium verbo *Imprimere*. Rodrig. in Quęstionib. Regularibus tomo 2. q. 104. art. 1. in fine. Galles in *Margarita casuum conscientiæ* verbo *Legere*, Barbosa de *Potestate Episc.* 3. p. alleg. 20. in fine, & alij. Quam opinionem adhuc possumus confirmare, primò; quia hęc omnia possunt esse pars libri saltem aptitudine; ergo hoc sufficit, vt sub prohibitione libri comprehendatur. *Confir. 1.* Probo consequentiam, quia quęlibet pars libri Hęretici, (vt à Doctoribus oppositę sententiæ plerisque conceditur) etiamsi minima sit, & diuisa ab alijs sub prohibitionem cadit, ac proinde proemium etiam libri, & præfatio, seu Epistola; hæc autem non alia ratione prohibita censentur; nisi, quia prohibito libro, omnes partes, quæ fuerunt illius libri, quantumcumque diuidantur, manent prohibitæ: ergo etiam debent manere prohibitæ illę, quę possunt esse partes libri. Secundò; quia non est certa quędam determinata magnitudo re- *Confir. 2.*

quisita

quisita ad constituendum librum; ergo annotatio, concio disputatio &c. Si saltem decem folia habeat, aut fortè minus, liber dici poterit. Ideò hanc sententiam valdè verisimilem putat Layman, & in eam videtur inclinare Toletus lib. 1. *Summæ* in explicatione Bullę. *excom.* 1. numero 24. quatenus docet ad incurrendam dictam excommunicationem non excusare paruitatem materiæ, De quo dicemus cap. 3.

Author Iudicat dictam sententiam probabilissimam. 1164 Ego verò, quamuis hęc sententia probabilissima videatur, & in praxi omninò seruanda, probabilem etiam puto has breues annotationes, lectiones, disputationes, conciones non comprehendi. Ita Sanchez lib. 2. *Summæ* cap. 10. numero 29. Duard. lib. 2. in Canone 1. q. 44. numero 6. Bonacina disp. 2. de *Censur.* q. 5. puncto 4. numero 18 prope finem. Fundamentum præcipuum est quia prædicta non intelliguntur nomine libri, nec libri reputantur. Nec argumenta in contrarium conuincunt. *Et contrariam probabilem. Ratio pro contraria sententia.*

Ad 1. primæ sententiæ. Resp. 1165 Ad primum respondetur negando propter solam maiorem frequentiam fecisse mentionem libri; sed; quia liber latiùs se diffundit, ac diutiùs conseruari solet, Vnde in libro maius periculum inuenitur, & facilius in eo texuntur & teguntur Hæreses, & difficilius cognoscuntur, quàm in vnâ breui scriptura, quâ statim, ac legitur, omnia, quæ ibi continentur, manent simul ob oculos proposita cuiuis legenti.

Ad 2. Resp. Legem illam reputandam esse pœnalem. 1166 Ad secundùm respondetur eam legem reputandam esse pœnalem & odiosam, quamuis enim, si finem spectes, in fauorem fidei, & defensionem fidelium ordinata sit; quia tamen immediata materia grauamen potiùs, quàm fauorem continet, nempe priuare fidelem etiam firmum, & constantem in fide lectione librorum Hæreticorum, & sub graui pœnâ, odiosa, & pœnalis est reputandæ non fauorabilis; aliàs si finem spectes, nulla esset lex pœnalis fauorabilis maximè, quâ latrones, & homicidæ puniuntur, omnes enim ad reip. bonum, & defensionem innocentium ordinantur. Præterea quantumuis lex fauorabilis esset, non esset extendenda vltra proprietatem verborum; sub nomine autē libri hæ annotationes disputationes, Epistolæ, non continentur.

Ad 3. 1167 Ad tertium constat ex dictis ad primum non esse eandem rationem de ijs, atque de libro maximè cùm liber, & diutiùs maneat, & magis euulgetur.

Ad 4. 1168 Ad quartum concedo sub decreto Tridentini comprehendi omnia prædicta; illud enim decretum est explicatio, & renouatio alterius decreti Concilij lateranensis sub Greg. X. vbi expressè dicitur. *Nullus librum aliquem, seu aliquam quancumque Scripturam, tam in vrbe nostrâ, quàm alijs quibuscumque Ciuitatibus, seu diœcesibus imprimere seu imprimi facere præsumat; nisi prius in Vrbe per Vicarium nostrum &c.* Ex quo satis constat comprehendi annotationes cum Lateranense dixerit *quancumque Scripturam.* Imò inde non leue sumitur argumentum ad probandum sub prohibitione Bullæ Cœnæ non comprehendi has scripturas paruas, & sic videtur communiter intelligi; nam, si sub nomine libri hæ paruæ Scripturæ comprehenderentur, non liceret eas publicare sine nomine Auctoris inscripti; id enim Concilium postulauit. Teste autem Azor tomo 1. lib. 8. cap. 17. q. 4. in fine vsus obtinuit vt hæ sine nomine Auctoris communicentur. Quod autem hæ sine approbatione imprimi, & communicari non possint, non est, quia sub nomine libri contineantur; sed; quia continentur sub nomine cuiuscumque scripturæ, quæ imprimi, & publicari non post absque approbatione iuxta Concilium Lateranense citatum, vt notat Azor suprà. q. 2.

1169 Ad confirmationem primam respondetur illa omnia, & singula posse esse partem libri; quia tamen de facto, vt supponimus, nec sunt, nec fuerunt, ideò non censentur prohibita in clausulâ Bullæ Cœnæ. Præfatio autem libri, & Epistola ipsius nuncupatoria de facto cùm alijs partibus componit librum prohibitum. Vnde prohibito libro simul etiam prohibetur. *Ad cõfirm. 1.*

1170 Ad secundam confirmationem facilè admiserim Disputationem, lectionem, aut concionem, & similia si contineant decem folia, posse censeri librum. Et sanè quanta sufficiat quantitas, vt liber censeatur, iudicio prudentis discernendum est. *Ad 2.*

1172. Vlterius ego quidem existimarem, si varia, quantumuis leuia opuscula, etiam diuersorum Authorum, siue Epistolæ sint, siue conciones, siue quæstiones, & sub vno volumine conflato ex prædictis miscellaneis ab aliquo imprimeretur & ederetur, facilè etiam concederem quamcumque illarum scripturarum, quantumuis alioquin breuem, neque à suo Authore, tanquam librum compositam, iam censeri partem libri editi à collatore; sunt enim non pauci libri tales, & tunc quantum ad præsens negotium omnes simul sic collectæ, & quæuis per se tanquàm liber sub prædictâ Bullâ Cœnæ comprehenderentur. *Vlterius hac in re iudicat Author.*

1173 Quæ hucusque dicta sunt locum habent spectatâ solùm prohibibitione Bullæ Cœnæ: nam ex vi prohibitionis Clementis, VIII. & Pauli V. quilibet liber siue infidelis auctoris siue Catholici, & ei aliquis est error insertus, legi, retinerique non potest, donec expurgatus, & emendatus sit ab ijs, quibus in expurgatorio expurgandi negotium committitur, aut permittitur. *Hactenus dicta locum solum habẽt spectatâ prohibitione Bullæ Cœnæ. Ex alio enim capite quilibet errorem continens prohibetur.*

1174 Quando autem in Bullâ Cœnæ prohibentur libri in prohibitione continetur, vt liber, vel hæresim in se contineat, vel de Religione tractet. V. g. Sacram Scripturam interpretando, Theologicas quæstiones decidendo, de cultu Dei, & sanctorum, aut de statu Clericorum, vel Monachorum disputando, & similia duo videntur certa primum non prohiberi in Bulla libros Hæreticorum, Philosophicos, Medicos, Iuridicos, Historicos, Poëticos, si nullam Hæresim contineant. Secundum prohiberi libros Hæreticorum, qui ex professo de Religione tractant, etiamsi certum sit nullum errorem contra fidem Orthodoxam ibi reperiri. *Prohibentur libri Hæreticorum ex professo de Religione tractantium*

1175 Illud autem non ita certum videtur, quod attinet ad libros Hæreticorum, qui ex instituto non de Religione tractant, Obiter tamē aliqua ibi Hæresis incerta est, an scilicet hac Bullæ

Bullæ Censura comprehendatur? Negant aliqui; Sayrus suprà. cap. 5. numero 12. Graff. sup.numero 40.& 42.

1176 Probabilius tamen contrarium docet Suarius de *Censuris*. disp. 21.sect.2.numero 10. Sanchez cap. illo 10. dumero 34. Layman.lib. 2. Tract.1. cap. 15. numero 4.qui ait hanc sententiam esse magis conformem verbis Bullæ; vtitur enim Bullâ disiunctiuâ, & distinguit, si aut liber Hæresim contineat, aut de Religione tractet: in alternatiuis autem sufficit alterutrum verificari. Ita etiam Bonacina suprà, numero 19.

Notat Layman in Regionibus Septentrionalibus &c. 1177 Notat verò ipse Layman in Regionibus Septentrionalibus Bullarem hanc Constitutionem receptam non esse secundum talem rigorem,multi enim frequenter prodeunt Hæreticorum libri Iuridici, Medici, Historici &c. quibus plerumque reperias vnam vel plures Hæreses obiter admixtas, & tamen passim in Catholicorũ Bibliothecis asseruãtur. Leguntur dummodò hinc excipias eorum Hæreticorum Historias v.g. Ioannis Auentini, Ioannis Sleidani Sebastiani Monsteri, quibus satis apparet præcipuum institutum fuisse Romanam Ecclesiam, Clericorum,& Monachorum statum conuellere, ac denigrare; quorum proinde nomina in indice librorum prohibitorũ directè posita sunt. Refert etiam Martinum Becanum 2.2. c. 15. q. 8. n.5. qui ait: vbi Bullâ Cœnæ Domini, vel index librorum prohibitorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros Hæreticos.

1178. Comprehenditur etiam liber manuscriptus; adest enim eadem ratio,& verè liber dicitur,alioquin facillimo negotio hæc prohibitio eludi, & enaruari posset. Ita ex communi sententiâ docet Suar. disp. illâ 20. sect. 2. n.10. Sanchez citato c. 10. n. 28, & alij Doctores suprà allegati maximè Farinacius, & Vgolinus.

1179. Sanè, si prohibitionem expurgatorij Romani ex decretu Tridentini editi, & expurgatorij Hispanici attendamus, omnia prædicta,si ab Hæreticis sint composita, quamuis errorem non contineant, sunt prohibita sub pœnâ excommunicationis ipso facto, quousque examinata approbataque sint.

1180. Cum autẽ in Bullâ Cœnæ comprehendantur ij libri,qui vel Hæresim continent, vel de Religione tractant, & sufficiat solum vna Hæresis, etiamsi totum librum de re profana sit,non sufficiet,si tu ab illo libro Hæresim expurgas;quia particularis expunctio non tollit communem libri prohibitionem, vt notat Sanchez lib. 2. c. 10. Bonacina suprà n. 19.& quamuis in Bullâ (vt notabam, & notat Sanchez suprà n. 21. Suarius de *Censuris* disp. 21.sect 2.n. 10. & de *Fide* disp. 20. sect. 2.n. 16. Farinac. de *Hæresi* q. 180. n. 32. Coninc disp. 18. de Fide dub. 11. n. 177.) requiratur, vt ex professo & instituto de Religione tractet, & non obiter, tamen iuxta prohibitionem Clementis VIII. & Bullam Pauli V. pro Regnis Hispaniæ & iuxta mandatum Inquisitoris generalis prohibitus est quicumque liber Hæreticorum, etiamsi de religione non tractet, vt iam iterum notabamus,nisi

Particularis expunctio nõ tollit communem libri prohibitionem.

priùs approbetur, & examinetur per ibidem designatos, prohibet enim Ecclesia filios suos ex tam turbido fonte bibere, & authoritatem aliquam tribuere ijs,qui à suo gremio decesserunt. Ita Farinacius suprà n,22.cum alijs,quos refert, Sanchez suprà n. 26. Coninc disp. illa 18.dub. 11.n.79. Azor tom. 1. lib. 8. c. 16. q.15. Bonacina suprà n. 19. qui hoc rectè confirmant.

CAPVT III.

Quænam actiones prohibitæ sint in Bullâ Cœna, alijsq; decretis circa prædictos libros.

1181. Actiones,quæ prohibentur,sunt lectio, detentio, impressio defensio, venditio emptio,& asportatio.

1182. Circa quæ omnia illud est maximè aduertendum non incurri Censuram; nisi aliquid eorum sciente fiat, sic enim cauetur in prædictis decretis. Ideò excusabit ignorantia siue prohibitionis, siue Censuræ iuxta principia generalia tradita disp.2. dub.23. & in nostro casu expressè docent Sanchez c. illo 10.n.38.& 39. Suarius disp.20. sect.2. n. 17. Farinac. de *Hæresi* q.180.n. 44.& 45. & alij apud ipsum.De ignorantiâ verò crassâ, & affectatâ philosophandum est iuxta dicta eâdem dub. 23. & absolutè aliqui volunt etiam affectatam excusare; modò non sit ingens temeritas, quia laborans illâ non potest dici scire.Quod videtur docere Sanchez lib. 2. *summæ* c. 10. n. 32. Duardus lib. 2.*in Canonem* q.36. n. 3. Bonacina suprà n. 8. Sed in his omnibus philosophandum est iuxta dicta loco notato;nunc sigillatim de prædictis actionibus aliquid dicamus. *Notandum.*

1183. Prima actio est *lectio*, quæ intelligi debet formalis,id est, quæ sensum verborum percipiat, quidquid in contrarium sentiat Bonacina disp. illa 2.q.5. puncto 4. n. 14. contra communem sententiam. Vtrum autem necessarium sit,vt verbis proferas rem lectam, vel sufficiat,si visu,& mente scripta percurrat? communis sententia est sufficere visu, & mente. Ita Sanchez cum Vgolino,Graff.& alijs, quos refert lib. illo 2. c. 10. n.41 & 51.Suarius disp. illâ 20. de *Fide* sect. 2. n.18. Bonacina suprà n. 12. & alij multi; propter communem sententiam Doctorum id omninò in praxi sequendum puto, tamen si quis rem ad rem ad regulas, & principia generalia reuocet, difficilis poterit illi videre ea sententia, nam, si lectio debet esse formalis,id est cum internâ animi perceptione, & sufficiat,si alio capite talis, quæ externo aliquo signo sufficienter manifestetur; vix,imò ne vix quidem potest solâ apertione oculorum,& directione pupillarum ad librum, in quo scripta sunt verba Hæretici sufficienter exteriùs sensibiliter apparere,& cognosci,quod sic aspiciens legat, & attendat, atque adeò præcipiat, quę legit, Ecclesiæ autem non indicat, nec punit; nisi id,de quo potest tanquàm de sensibili obiecto iudicium ferre: ergo Censura aut alia pœna Ecclesiastica non incurretur, cùm non constet an formaliter legat,& præcipiat mente verba, & sensum scriptorum, *Actio prima est lectio mente formalis.* *In praxi omninò sequendum est Author.*

quæ

quæ habet in conspectu. Tenenda nihilominus data doctrina.

Dubitatur. 1184. Dubitari potest primò an excuset censuram, si quis alium legentem audiat librum Hæreticum?

Resp. Suarij Ratio 1. 1185. Suarius disp. illâ 20. sect. 2. n. 29. putat non excusare etiamsi non induxerit legentem ad legendum, Probat primò; quia idem est periculum in eo modo legendi libros; atque in lectione factâ per propriam personam. *2.* Secundò; quia ratio prohibendi lectionem medio visu est, ne percipiatur doctrina praua, & Hæretica: sed per auditum efficacius percipitur: ergo eodem modo Censetur prohibitum audire. *3.* Tertiò quia lectio duplicem actionem includit, prolationem scilicet verborum, & illorum intelligentiam; hæc autem secunda præcipua est; ergo ratione illius potest dici legere.

Alij distinguunt. 1186. Alij verò distinguunt, & putant, si audiens causa non sit lectionis suo consilio, aut mandato, tunc non comprehendi, secùs verò, si ad legendum inducat, priorem partem probât; quia in eo casu nullo modo potest dici legere, etiam per alium propriè loquendo, cùm alius nomine suo non legat. Qui verò consulit, mandat, vel inducit, verè dici potest legens medio alio, quod videtur sufficere, vt sub nomine legentis comprehendatur, præcipuè in prohibitione respiciente bonum commune, fideique defensionem. Ita Azor tom. 1. lib. 8. c. 16. q. 4. Sayrus in Thesauro casuum tomo 1. lib. 3. c. 5. numero 14. Graff. 1. p. Decisionum cap. 18. numero 45.

Author putat in neutro casu præcedenti. Resp. si quis audiens non ligari Censura. 1187. Absolutè tamen dicendum puto in neutro casu audientem ligari censurâ, & prohibitione. Ita Sanchez citato c. 10. numero 48. referens Vgolinum. Item Coninc disp. 18. de Fide dub 11. numero 178. vbi ait non esse omninò improbabile inducentem ad legendum excusari à Censurâ contra legentes latâ. Putat tamen, quando audiens non est causa lectionis. Nobiscum etiam sentit Farinac. de *Hæresi* q. 180. in *Summario* n. penultimo. Reginald. lib. 9. n. 251. Duard. q. 48. Filliucius Tract. 16. c. 2. quæsito 8. n. 45. cum alijs, quos refert. Item *Fundamētū.* Bonacina suprà n. 11. Fundamentum est illud generale, quòd verba legis pœnalis non sint extendenda vltra propriam significationem; sub verbo autem legentis non comprehenditur audiens legere, quantumuis ad legendum induxerit; neque enim inductio ad legendum est lectio, nec etiam auditus est lectio; legere enim propriè est visu, & mente scripta percurrere. Ex quibus facile est ad argumenta Suarij respondere.

Ad 1. Suarij argumentū Resp. 1188. Ad primum nega esse idem periculum in auditu, & in lectione; auditus enim esse non potest sine aliâ personâ legente, secùs verò lectio; neque ita facilè committit peccatum, qui ad illud committendum indiget aliâ personâ; atque, qui potest se solo efficere. Quamuis autem concederemus esse idem periculum, id non sufficeret, vt comprehenderetur, si auditus non comprehenditur sub verbo legendi, quod est præcipuum fundamentum nostræ sententiæ.

Ad 2. 1189. Ad secundum dic rationem prohibitionis esse, ne perciperetur doctrina Hæretica medio ita facili, & secreto, quale est lectio; non verò tam facile, & secretum est auditus ab alio legente. Adde quòd non sufficit illum esse finem, si verba legis prohibentis non extenduntur ad vtrumque medium; verba autem solù extenduntur ad non legendum, non verò ad non audiendum legentem.

1190. Ad tertium concede perceptionem sensuum, & verborum esse principuam partem lectionis; nega tamen sine perceptione per visum proprium esse posse lectionem. *Ad 3.*

1191. Argumenta verò illius sententiæ mediæ facilè soluuntur si dicatur impropriè, & methaphoricè auditum lectionis dici lectionem per alium, quando quis audit legentem. In legibus verò pœnalibus non debet fieri extensio ad sensus metaphoricos. *Solutio argumentorū mediæ sententiæ.*

1192. Famulus autem, qui de mandato Domini legit, si sensum verborum percipiat, incurret excommunicationem; quia verè legit nisi fortè grauis damni periculo excusetur, vt consentiunt Doctores omnes citati.

1193. Dubitari potest 2. an Excuset à peccato mortali, & consequenter à Censurâ paruitas materiæ, putà, si quis paucos versus in libro Hæretico legat? *Dubitatur 2. an excuset peruitas materia.*

1194. Negant plures Vgolinus Tract. de *Censuris* 2. p. in Glossâ *Ac eorumdem libros* n. 1. vers. 8. Toletus lib. 1. *Summæ* c. 19. n. 9. maximè in casu, quo quis voluit plura folia libri Hæretici legere, & pœnitentiâ ductus post paucas lineas cessauit. Fundamentum est; quia fieri potest, vt aliquis legendo vnam solam lineam, vel duas imbibat errorem; ergo illa actio erit peccatum mortale sufficiensque ad incurrendam Censuram. *Negant aliqui.*

1195. Probabilius nihilominùs est esse in hac re paruitatem materiæ. Ideò, qui paucas lineas legeret non incurreret Censuram. Ita Azor tomo 1. c. 16. q. 3. Sayrus suprà c. 5. n. 12. Sanchez lib. illo 2. c. 10. n. 31. Suarius disp. 20. de Fide sect. 2. n. 20. Bonacina disp. 2. de *Censura* q. 5. punct. 4. n. 13. Reginaldus lib 9. n. 254. Graff. 1. p. *Decisionum* lib. 4. cap. 17. num. 45. Layman suprà n. 5. Duardus q. 45. n. 4. Imò Sanchez suprà post Viualdum in explicatione Bullæ Cœnæ casu 1. n. 11. Rodrig. in *Additionib. ad Bullam Cruciatæ* §. 6. n. 68. Sa in antiqua editione (propriâ illius Authoris, non mutilâ nec cum additionibus alienis) verb. *Excommunic. Bulla* n. 2. ausi sunt affirmare vnam paginam; tam etsi liber sit ex maioribus voluminibus non esse sufficientem materiam contrahendæ excommunicationis, quam nimis magnam Bullaris excommunicationis limitationem putat Layman; addit nihilominùs eam sententiam posse seruire Confessario, vt secundum eam interdum præsumere possit legentem bono aliquo fine; vel etiam ex curiositate vnam solam paginam, non peccasse mortaliter, ideoque Bullæ excōmunicationem non incurrisse, sicuti Sayrus lib. 3. c. 5. loco citato notauit. Addit etiam Layman casum accidere posse, quo aliquis vir prudens, ac doctus in Germaniâ nihil peccabit si locum aliquem contradictionis in Hæretico Authore quærat, certò sperans eo exhibito alterum ad fidem Catholicam se perductum esse; *Sententia affirmans Probabilior.* *Lectio vnius paginæ materia est parua iuxta prædictos Authores.*

In aliquibus locis lectio librorum Hæreticorū non tantâ seueritate prohibita censetur.

tunc enim lex naturalis charitatis erga proximum vincere debet legem Ecclesiasticam. Quã causam (inquit ille) esse arbitror cur in aliquibus Prouincijs lectio librorum Hæreticorum non tantâ seueritate prohibita censeatur; quia nimirum ad confines Hæreticos conuincendos necessarium putatur eorum libros legisse. Porro Bullam Cœnæ non vbique in Germania receptam esse iam idem Layman suprà dixerat ex Becano. 2. 2. cap. 15. q. 8. numero 5. quem nos etiam in cap. præcedenti retulimus.

Author non improbat hanc sententiam.

1196 Sed (quidquid sit de hoc) non facilè improbauerim sententiam Sanchez & aliorum, qui putant vnam paginam, etiam magni libri non esse materiam grauem. Et quidem, si alioquin liber non esset frequentissimè refertus Hæresibus; sed aliquas haberet dispersas, facilius videtur non censeri materiam grauem vnã paginam. Nihilominùs probabilius existimo, & in praxi seruandum vnam paginam esse materiam grauem consonatque cum doctrinâ traditâ; cap. præcedenti, vbi diximus Epistolam præfationem, & similia, quamuis breuia, comprehendi nomine libri; quando sunt partes alicuius libri. Alioquin pleræque Epistolæ dedicatoriæ, & præfationes Hæreticorum in quibus non parum veneni impij nebulones euomunt, legi possent sine peccato graui, & Censurâ; plerique enim libri Hæreticorum, qui breuitati student, & libellos paruos edunt in vulgus, & plebeculam dispergendos, præfationes habent, quæ non exæquant, vel non excedunt verba, quæ in vna pagina maioris libri iuxta magnitudinis possent scribi. Itaque placet Layman, dum dicit illam esse nimis magnam limitationem Bullaris excommunicationis. Quanta verò sit materia parua, iudicio prudentis discernendum est; sicut, & materia parua in furto in soluto ieiunio, & similibus. Vnde (sicut suo loco diximus in nostro opere *de Iustitia*, & agentes etiam de Temperantia) paruitas, seu magnitudo materiæ pro diuersitate locorum, Regionum, temporum, personarum definienda est, & pecunia, quæ in vno loco, vbi rara est, sufficiens ad emenda plura ex necessarijs ad vitam humanam; atque adeò censetur grauis materia; in alio loco, vbi maior est pecuniæ abundantia, & eâdem pecuniâ parum ex necessarijs ad vitam humanam, emi potest, non censebitur materia grauis: Sic etiam pro qualitate librorum videtur expendenda grauitas materiæ. Ideò in libro, vbi Hæreses sunt frequentissimæ, & periculosiores, maximè spectatâ facilitate personæ legentis, minor linearum numerus sufficiet, quàm in alio libro; vbi raræ sunt Hæreses; & comparatione personæ legentis minus periculum. Quod totum arbitrio prudentis expendendum, & discernendum est, & præ oculis habendum id, quod Suarius, Layman & Bonacina (quibus illa extensio Viuald. & Sanch. non placet) aduertunt non esse nimis laxandas habenas in hac materia, cùm sit res satis periculosa.

Probabilius tamen putà vnam paginam esse materiam grauem.

Quæ sit hic materia parua iudicio Prudentis iudicandum.

Actio 2. quæ prohibetur est Retentio.

1197 Secunda actio, quæ prohibetur, est retentio, cuius prohibitionis finis est, ne ij libri conseruentur, & extent. Vnde, siue liber Hæreticus alienus sit, siue tuus illum retinens, præceptum frangis, & Censuram incurris; item, si apud alios haberes depositum; id enim est verè retinere. Est communis sententia, quam sequitur Suarius disp. illâ 20. de *Fide* sect. 2. num. 21. Sanch. cap. illo 10. numero 52. Bonacina suprà. numero 15. Graff. 1. p. *Decisionum* lib. 4. cap. 18. Duardus lib. 2. in Can. 1. q. 51. n. 17.

Circa hoc Quæres 1.

1198 Quæri autem potest primò circa hoc an excusetur, qui sine periculo peruersionis librum retinet ad confutandos errores Hæretici?

Aliquorum opinio affir.

1199 Videntur aliqui affirmare, quatenus docent, sic retinentem libros Hæreticos non reddi suspectum de Hæresi: Ita Felinus in c. *Si quis Episcopus* vers. *Pro quo infertur de Hæret.* Albert Tract. *de cognoscenda* assert. 14. q. 28. numero 4. & 5. qui addunt limitationē nisi reperiantur penes aliquem confutandi gratiâ. Item Decianus in Tract. Crimin. lib. 5. cap. 35. numero 21. vers. *limita primò nisi confutandi gratiâ.* & c. 46. numero 26. & 27. Mascard. de *Probat.* lib. 2. cond. 862. numero 14. Quorum fundamentum potest esse, quia ea retentio potius est in destructionem, quàm in fauorem Hæresis: ergo non censetur prohibita.

Ratio.

Author retentionem hanc ex nullo fine esse licitam putat.

1200. Verissimum nihilominus puto: tàm ex hoc, quàm ex quouis alio fine tam retentionem non licere; nisi accedat facultas eius, qui illam dare possit; imò sic retinentem incurrere non solùm Censuram, sed etiam Hæresis suspicionē, vt ex dicendis constabit. Ita Pegna *in Additionibus ad Eymer.* Direct. Inquisit. 2. p. Comm. 3. ad cap. *Fraternitatis* de *Hæret.* vers. *Tametsi verò.* Vgolinus de *Censuris* in Gloss. *aut pertinentes* vers. *Quartò excommunicatio.* Toletus lib. 1. *Summæ* c. illo 19. num. 9. Sanchez citato cap. 10. num. 53. Farinac. de *Hæresi* q. 180. num 39. & 42. Ratio est efficax; quia lex absolutè prohibet retentionem sine vllâ restrictione ad intentionem. Imò illa retentio, & refutatio ex proprio iudicio, & voluntate accepta potest offerre periculum perversionis, & qui firmus esse præsumitur, sæpe cadit. Accedit, quod licèt in sic retinente nullum esset periculum, sufficit, quod in alijs, in quorum fortè manus liber posset venire, periculum esse possit, & quod venenum in eo libro conseruetur, quod omninò perire Ecclesia maximè intendit.

Ratio efficax.

Quæres 2. An Censurā euadat retinens talem librum ad breue tempus.

1201 Quæri potest 2. an peccatum, & censuram euadat, qui talem librum per breue tempus putà per vnam, aut alteram diem apud se retinet, etiamsi Inquisitori illum tradere possit? nam, si non potest clarum videtur illam retentionem, quovsque possit, non esse malam, vt docet Sanchez suprà num. 55.

Resp. Suarius cum distinctionē.

1202 Suarius disp. illâ 20. de *Fide* sect. 1. n. 22. putat, si quis retineat librum animo retinendi absolutè, etiamsi post horam pœniteat, & Inquisitori tradat, incurrere. Secùs verò, si animo tradendi librum ex negligentiâ per breue tempus non tradat. Probat illud prius; quia peccatum, quod ex obiecto, & circumstantijs mortale est, potest in momento committi; quia in consensu voluntatis consistit, non in morâ; talis autem voluntas absoluta retinendi est peccatum mortale, & ex illa procedit retentio exterior, etiam per breue tempus: ergo sufficit ad incurrendam Censuram.

1203 Pro-

Probabilius est non sufficere tam breuem retentionem ad mortale.

1203 Probabilius nihilominus est, non sufficere tam breuem retentionem. Ita Sanchez vbi proximè Sayrus tomo 1. *Thesauri* lib 3.c.5. n.16. Duardus. lib. 2. in Canone 1.q.51.num.33. Reginaldus lib.9.numero 256. Bonacina suprà numero 55. & alij Recentiores, videturque consentire Farinac. de *Hæresi* q. 180.numero 42. Ratio à priori est; quia grauitas talis retentionis non solum pensanda est ex parte libri, qui retinetur; sed ex parte etiam moræ retentionis; nam si quis haberet voluntatem retinendi vna horâ librum, & statim illum tradendi nimis certè durum videretur illum damnare peccati mortalis necessè est ergo ad retentionem grauem aliqua magis diuturna temporis mora: Ergo ex hac etiam sumenda est grauitas. Quo supposito, etiamsi quis voluntatem haberet longo tempore retinendi, atque adeò interiùs tunc peccaret mortaliter; si tamen exterius illa retentio leuis esset, hoc est breuis, non sufficeret ad incurrendam Censuram, quæ non incurritur ex merâ voluntate internâ; nisi accedat etiam externa exquutio grauis iuxta principia generalia sæpè tradita maximè disp. 2. dub.11.& 12.

Ratio.

Hinc corruit fundamentum Suarij.

1204 Ex quâ doctrinâ corruit fundamentum Suarij; quamuis enim concedamus interius peccasse mortaliter, qui habuit animũ diutius retinendi, negandũ tamen est sufficire ad incurrẽdã Censurã leuis, ac breuis externa retẽtio.

Resolutio quoad retinentem partẽ libri.

1205 Vtrum autem hanc excommunicationem incurrat, qui partem libri retinet, sicut, qui partem libri hæretici legit, vt diximus.cap. precedenti? affirmant Bonacina suprà numero 15. cum Vgolino, & Filiucio citatis, quorum sententia probabilis est. Sanchez verò suprà. c. 50.numero 52. excusat retinentem vnum tantum folium, quia non videtur tàm grauis materia in retentione quàm in lectione, non enim tam grauiter lædit retentio, quàm lectio. Quæ sententia etiam probabilis, est sed prior in praxi sequenda.

Quæres 3.

1206 Quæri potest 3. an excusetur à Censurâ Bullæ Cœnæ, qui cùm primùm nouit librum esse Hæretici comburit?

Resp.

1207 Respondeo, quòd attinet ad Censuram Bullæ Cænæ excusari; per illam enim combustionem cessat retentio, quam Bulla prohibet. Ita Sanchez citato cap. num. 56. Suarius de *Fide* disp. illâ. 20. sect. 2.numero 23. Farinac. de *Hæresi*. q.180,n.40.in fine,

Libri Hæretici Inquisitoribus tradendi.

1208 Dixi quod attinet ad Censuram Bullæ Cœnæ; nam, si alia Iura spectes, secùs dicendũ est; quia Bulla Iulij III. quæ incipit, *Cùm meditatio*, quam refert Pegna in vltimâ parte Directorij inter alia sic habet. *omnes, & singulos libros Lutheranos, aut alios Hæreticos, seu Lutheranam, aut falsam sectam in se continentes, vel à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos penes se eos ex quauis causâ, etiam mercaturæ, & nostra, ac eiusdem Sedis permissione, ac licentiâ etiam speciali, vt præfertur, penes eos existentes Inquisitoribus Hæreticæ prauitatis in Ciuitatibus, in quibus libri huiusmodi existunt, consignari debeant realiter, & cum effectu.* Postea contra inobedientes apponit excommunicationem, & alias pœnas aduersus Hæreticos latas. Ne verò quis putaret eam Bullam loqui tantùm de personis illo tempore existentibus, Pius. IV. in aliâ Bullâ editâ anno 1564. quæ incipit locum pro munere eandem prohibitionem & Censuram extendit ad eos, qui postea habuerint. Quod etiam habetur in Regula 2. Indicis librorum prohibitorum editi auctoritate Concilij Tridentini ab eodem Pio. IV. confirmati & à Clemente VIII. renouati. Item in Bullâ Pauli V. pro Hispaniæ Regnis, quæ habetur in principio Expurgatorij Inquisitionis generalis Hispanicæ supra relati. Finis autem huius mandati est, vt Auctor Hæreticus meliùs cognoscatur, & errores libri melius emendentur, vel, si fortè talis liber nondum notatus sit, notetur in posterum, & prohibeatur, vt corrigatur. Ideo Inquisitores, quando ad eos talis liber defertur, interrogare debent deferentem vnde habuerit, & à quo accepit. Prædictam doctrinam tradunt Pegna in *Addit* ad Eymer. 2.p. Comment. 3. in c. *Fraternitatis de Hæret*. vers. *Propterea* Azor tom.1.*moral*.l.8 c.16.q.11. Sãchez.l.illo 2.c. 51.n.56. Mart. del Rio. *Disquisit, Magic*.l.5. sect.17.vers. *sunt autẽ tales*. Farinac. de *Hæresi*. q. 180.numero 40. Augustinus Barbosa 3.p. de *Potestate Episcopi*. allegat.90. numero 5. Suar. disp. illâ 20.sect.2. numero 23. Bonacina disp. 2. *de Censuris*.q.5.puncto 4.in fine. Duardus q. 52. quamuis teste Bonacinâ non desint, qui excusent comburentes propriâ auctoritate, aut tradentes ijs, qui eos legere possunt. Filiucius suprà num.45. & alij.

1209 Tertia actio, quæ prohibetur in Bulla Cœnæ, est Impressio, Sub qua comprehenduntur, omnes illi, qui propriè illius impræssionis causa sunt Primò componentes litteras, præparantes, & humectantes chartam, & atramentum pro illâ impressione, prementes typum seu torcular, de quibus nemo videtur dubitare, sunt enim immediatæ causæ impressionis. Deinde patronus officinæ, etiamsi proprijs manibus non laboret; talis enim in communi modo sentiendi, & loquendi imprimere dicitur, & impressor appellatur. Tertiò auctor libri, seu is, in cuius nomine liber imprimitur; hic enim etiam communi modo loquendi est, qui imprimit. Ita Sanchez lib.2. c. illo 50.numero 57. Suarius suprà numero 24. Vgolinus de Censuris Papæ reseruatis 2. p.c. 1. verbo *timentes*, Filiucius suprà 46.& alij quos refert & sequitur Bonac. suprà num.16.

Actio 3. Prohibita est Impressio sub quâ varij comprehenduntur.

1210 Renuunt tamen concedere comprehendi etiam illum, qui expensas pro impressione faciunt; videtur enim valde remotè ad impressionem concurrere; nec dicitur imprimere, aut impressor. Idemque iudicium est de eo, qui litteras æneas, atramentum, papirum, & reliqua ad impressionem necessaria vendit, aut donat; nimis enim remotè actiones videntur. Idem putant de Correctore; quia hic non tam imprimit, quàm impressum inspicit. Quamuis (vt rectè Sanchez suprà) omnes hi, qui remotè ad impressionem concurrunt, possunt esse fautores Hæreticorum, & ex eo capite comprehendi, si eas actiones præstent vt Hæresi faueant. Et quidem de Correctore verissimum puto, saltem comprehendi propter lectionem: legit enim librum Hæreticum, vt corrigat. De illis verò, qui litteras, papirum, expen-

Distinguendum quoad

Aliquos ad impressionẽ concurrentes ait Author. sas, & cætera conferunt, ego quidem distinguerem; nam, si talia parant & faciunt generaliter, & nõ determinatè hîc & nunc ad hunc librum imprimendum, philosophandum est, sicut de his qui vendunt enses, bombardas, & alia, quibus homines abutuntur, & sicut de ijs, qui vendunt pecora sacrificaturis illa idolis, aut vendunt carnes ijs, qui illas comedunt in diẽ prohibito; hæc enim omnia cùm ex se sint indifferentia & possint illa accipiens ipsis benè, & malè vti, non censentur illa tradentes, aut vendentes cooperari ad malum. Sic Conflatores characterum æneorum, aut plumbeorum, & qui vendunt chartas, & attramentum; imò & qui generaliter dant pecuniam ipsis typographis pro sumptibus typographiæ, etiamsi typographus, & cæteri ministri prædictis omnibus abutantur imprimentes libros Hæreticos, non censentur cum illis concurrere, & imprimere tales libros. *Maior difficultas.* Maior verò difficultas est, quando in particulari pro libro determinatè Hæretico imprimendo, & pecuniæ dantur, & characteres conflantur, venditur charta, &c. tunc enim iam magis proximè, qui hæc faciunt censentur concurrere: maximè, quando hîc & nunc liber non imprimeretur. Nihilominus, quamuis ex alio capite tanquàm fautores Hæreticorum, vt dictum est, possint comprehendi; non videntur censeri imprimentes; neque enim omnis causa moralis, aut etiam physica sic remota in communi modo loquendi significatur nomine propriè illius agentis, qui rem ipsam exequitur. Sic quando lege prohiberetur cantare ad fides, seu alia instrumenta musica, non censeretur cantare, qui instrumentum musicum, fidesve ipsas, aut cordas subministraret.

Actio 4. est defensio. 1211. Quarta actio in Bullâ Cœnæ prohibita est defensio siue publica, siue occulta librorum Hæreticorum, quouis ingenio, & colore facta, quæ defensio fieri potest, aut verbis, aut factis; factis quidem, vt si librum occultes, aliâue ratione impedias, ne comburatur, aut tradatur Iudicibus competentibus. Sic Sanchez cum alijs, quos refert c. illâ 10. n. 58. Suarius disp. illa 20. sect. 2. n. 25. Bonacina suprà n. 17. Toletus lib. c. 19. n. 9. Sayrus suprà n. 17. Vgolinus suprà verb. *Quomodolibet defendentes*. Layman lib. 2. Tract. 1. c. 15. in fine, verbis autem fit, si rationes quæras, vt persuadeas librum Hæretici non esse comburendum; item, si argumenta dissoluas, quibus impugnatur, vel in sui fauorem rationes inuestiges. Ita Authores citati, Imò Sanchez, & Suarius addunt, etiamsi hæc omnia solus facias, & occultè, & occasione inquirendæ veritatis.

Dubitatur. 1212. Dubitari autem potest; an sit fauor, aut defensio libri dicere. Hic liber optimus est seclusâ Hæresi, vel non dignus, qui prohibetur, aut comburatur?

Opinio Suarii. 1213. Suarius putat esse defensionem, cui alij Recentiores assentiunt, dummodò illa verba dicantur coram alijs. Secùs verò, si nemo audiat; tunc enim nulla videtur esse defensio libri illius.

Authoris iudicium. 1214. Verum, si semper laudetur liber additâ illâ particulâ *Seclusâ Hæresi* non video, quomodò laudetur liber, quatenus Hæreticus; tunc enim solùm videtur laudari, vel stylus, vel ingenium, vel alia doctrina, quæ ibi etiam est Catholica & similia. Ideò Bonacina citato n. 17. non putat comprehendi, qui laudat stylum, & ingeniũ Authoris; non enim dicitur defendere librum Hæreticum, sicut, neque qui laudat (inquit ille) bonam doctrinam quæ in eo continetur. Vnde à fortiori, si liber Hæretici de Religione tractet, neque vllam Hæresim contineat, non censendus est quis defensor illius ex eo solùm, quòd eius doctrinam laudet; laudat enim, quod bonum est, & idem est, si laudet stylum, & ingenium, & modum procedẽdi, quamuis id cautè fieri debeat, ne quis videatur, vel Hæretico fauere, vel significare minùs benè esse ab Ecclesiâ prohibitum. Ita docent plerique Authores citati, & Farinac. de *Hæresi* q. 180. n. 12. Itaque laus debet esse, quatenus Hæretici liber est, vt censura incurratur, & placet mihi, quod debeat esse coram alijs, quando laus consistit in verbis ore prolatis; nam quæ constitit scripturâ, cùm hæc sit quid permanens, laus potest censeri secundum sententiã Vgolini suprà 2. p. c. 2. verb. *ac eorum quomodolibet defendentes* n. 2. vers. 3. & consentit Sanchez n. 58. Ego verò etiam in hac re distinguerem; nam si verba occultè coram nemine dicta non sensentur laus, non est ex eo præcisè, quod verba transeant, & non maneant: illa enim verba, quæ coram alijs dicuntur, etiam transeunt; sed ideò in occulto non censentur laus, quia, quæ ad nullius notitiam peruenit, propriè non est laus: Ego pari ratione, si scriptura fiat in occulto, & nomine alio vidente, & antequàm ad aliorum notitiam veniat comburatur, & destruatur, non censetur laus; imò, etiamsi nondùm sit deleta, aut destructa scriptura, interim dùm ad nullius notitiam venit, nondum censetur laus, neque habere effectum, seu statum Laudis, atque adeo non incurretur Censura imposita defendenti per laudem. Solum ergo scriptura illa in occulto facta erit laus, quando ad aliorum notitiam veniat.

1215. Imò, si licet aliquid dictis addere, sicut verba dicta contra famam, & existimationem alterius non semper habent rationem detractionis; nisi; quando hîc, & nunc vim habent detrahendi de famâ, & verè detrahunt. Vnde homo nullius fidei, & authoritatis coram audientibus fieri potest, vt aliquando blaterauerit contra famam alterius, & tamen nihil detraxerit; ita similiter fieri potest, vt homo nullius authoritatis, & momenti coràm alijs Hæreticum laudauerit, & tamen illa laus nulla sit, aut saltem propter paruitatem materiæ non sit actus sufficiens ad incurrendam Censuram; nihilominùs hæc methaphysica potiùs sunt, quàm moralia, ideò maximè in praxi laudator libri Hæretici censendus ille est, & censuram incurrisse.

1216. Dubitari etiam potest an Censeatur defensor libri Hæretici, si solùm quis dicat se velle defendere talem librum? *Dubium.*

1117. Sanchez, & Farinacius, & Vgolinus suprà negant; tunc enim solùm significat animum defendendi, non defendit; secùs verò, si iam esset in procinctu, & procuraret ad certamen; quia prouocatio illa, & præparatio ad certa- *Aliquorum opinio negãt*

Alterum opinio assir. certamen defensio quædam est.

1218. Alij verò in vtroque casu putant esse defensorem regulariter, loquendo, quia illa voluntas sic significata retrahit impugnatores, & quasi illos difficiliores reddit ad librum subvertendum, videntes habere patronum. Ideò licèt hæc significatio non sit defensio per certamen; sed significatio voluntatis, & animi preparati ad defendendum, ipsa etiam significatio est quædam defensio. Quæ doctrina mihi placet.

1219. Dixi *Regulariter loquendo*; quia in aliquibus casibus fieri potest, quòd illa voluntas defendendi, imò, & ipsa defensio libri, & Hæresum illius, non sit absoluta defensio sed respectiua comparatione tantùm alicuius, vel aliquorum impugnatorum leuibus & non benè concludentibus argumentis impugnantium librum Hæreticum. Sic sæpe inter Theologos Scholasticos, & controuersistas vsuuenit, vt vnus contra alium disputans aliter illorum suscipiat defensionem doctrinæ Hæreticæ, non quidem absolutè, sed comparatione argumentorum; quibus alter vtitur ad impugnandum Hæreticum, contendens, scilicet, talis defensor aduersarium suis argumentis non rectè concludere contra Hæreticum. Hac ergo ratione, si quis dicat se velle defendere librum Hæreticum à talibus impugnationibus in efficacibus, non incurret Censuram hoc enim, non propriè est defendere librum; sed impugnare argumenta malè impugnantis. Eodem modo, qui ostentationis gratiâ, & non animo defendendi talem doctrinam, & librum sese offerat ad illud defendendum, vel etiam defendat à præsentibus impugnatoribus, sufficienter interim significans se illâ doctrinam non approbare sed reprobare potiùs nō incurret Censuram, nec peccabit cōtra legē.

Dubitatur vlterius. 1220. Tandem dubitare possumus; an sint, saltem virtualiter, prohibitæ aliæ actiones circa libros Hæreticorum nimirū transcriptio, asportatio, & emptio?

Resp. 1221. Respondeo in Bullâ Cœnæ non contineri expressè, virtute tamen comprehendi sub lectione, retentione, vel defensione; transcriptio enim inseparabilis est à lectione, & retentione Itē asportatio, emptio & vēditio absq; retētione fieri non possunt. In relatis autem decretis Iulij III. Pij III. Clemētis VIII. & Pauli V. excōmunicatio, & aliæ pœnæ latæ sunt contra vendentes, & asportantes hoc libros, vt constat ex suprà dictis, & ex Pegna 2. p. *Directorij* comment. 3. ad c. *Fraternitatis*, & comment. 17. ad c. *Nouerit*. de *sentent. excommunic.* Item ex Farinacio q. illâ 180. n. 15. & sequentibus.

CAP. IV.

Quas personas comprehendat prohibitio legendi & retinendi libros Hæreticos.

Bulla nullā personam except. 1222. Bulla Cœnæ nullam excipit personam, quacumque dignitate, siue Ecclesiasticâ, siue sæculari fulgeat. Vnde Rex Imperator, Episcopus, Archiepiscopus, Primas, seu *Nisi qui habent specialiter privilegium.* Patriarcha, & Cardinalis quicumque comprehenditur; nisi, qui sint specialiter habentes priuilegium, de quibus nunc breuiter dicam. Primò ergo statutum sit generaliter loquendo neminem habere priuilegium speciale præter Inquisitores Hæreticæ prauitatis. Idemque constat ex Bulla Iulij III. suprà relatâ, & ex Bullâ Pauli IV. & Pij, quas omnes adducit Pegna in fine *Directorij* inter literas Apostolicas, vbi reuocantur omnes facultates Episcopis, & alijs quibuscumque personis concessæ. Exceptis tantum Inquisitoribus, & commissarijs.

1223. Ex hac exceptione Inferunt multi Inquisitores, & Commissarios habere facultatem legendi, & retinendi Hæreticorum libros; quāuis enim in prædictis Bullis ea facultas illis non concedatur, sed solùm excipiantur à reseruatione generali, illa sanè exceptio tacita quædam concessio reputatur. Ita Pegna 2. p. *Directorij* Comment 3. ad c. *Fraternitatis*. de *Hæret.* vers. *Iam hac prohibitio*. Vgolinus Tract. de *Censuris* 2. p. in Gloss. *aut retinentes* §. 1. vers. *Tertio* in *Excommunicatione*. Azor tom. 1. lib. 8. c. 16. q. 13. Graff. lib. 4. *Decision*. c. 18. n. 45 Martinus del Rio *Disquisit. Magis* c. lib. 5. sect. 17. vers. *Solis Pontificibus*, Farinac. de *Hæresi* q. 180. numero 43.

1224. Contrarium tamen sentiunt Sanchez lib. illo a, c. 10. n. 46. Barbosa de potestate Episcopi allegatione 90. n. 8. Suarius de *Fide* disp. 20. sect. 2. n. 28. qui putat eam exceptionem non esse concessionem tacitam; sed probabilis est prima sententia, si spectemus præcisè prædictas Bullas.

1225. Quam facultatem extendunt Graff. Pegna, & Farinacius ad Commissarios, non solùm immediatè constitutos à Sede Apostolicâ; sed etiam ad constitutos ab ipsis Inquisitoribus, qui etiam possunt dici constituti à Sede Apostolicâ.

1226 Hæc facultas legendi libros Hæreticorum pro Regnis Hispaniæ limitari debet ad solum Inquisitorem generalem, & cui ipse commiserit, vt constat ex Bulla Pauli V. appositâ in principio expurgatorij.

1227. Ex dictis habemus neminem præter Pontificem, aut cui ipse expressè concesserit, posse dare alteri facultatem legendi libros Hæreticos; id enim Pontifex expressè sibi reseruauit in Bullâ Cœnæ, siue libri contineant Hæresim, siue de Religione tractent. Vnde neque Inquisitores, neque Episcopi id possunt. Ita Pegna suprà vers. *Nunquid autem*. Sanchez n. 43. Farinac. n. 37. Azor lib. 8. q. 7. & 12. Bonacina cum alijs disp. 2. q. 5. puncto 4. n. 10. Barbosa numero 7. *Ex dictis Colligo.*

1228. De Concilio autem Cardinalium Sede vacante negant aliqui hanc facultatem concedere posse nisi tàm graue, tàmque euidens periculum immineret, vt omnibus, & singulis Cardinalibus videretur celeriter esse occurrendum, nam in ijs, quæ ad potestatem, & Iurisdictionem Pontificis pertinent, non possunt se aliâ viâ intromittere iuxta Clementinam. *Ne Romani*, de *Elect.* Ita Sanchez suprà n. 44. Suarius suprà. numero 28.

1229. Item mihi placet sufficere licentiam Episcopi *In casu ma-*

on. de Dicastillo. de Censur.

qua necessitatis potest Episcopus dare facultatem legendi libros hæreticos. Ratio est. Episcopi in casu magnæ necessitatis, in quo non non possit summus Pontifex adiri. Ita Bonacina suprà cùm alijs, qui probat; quia tunc Papa præsumitur concedere Episcopo facultatem. Quæ ratio mihi placet, & addo aliam aliquanto diuersam, quia Episcopus in suâ diœcesi potest quidquid potest Pontifex, si non sit à Pontifice reseruatum; non censetur autem reseruatum pro tali casu. Quam doctrinam latiùs expendemus in Tract. de *Matrim.* agentes de dispensationibus in impedimentis reseruatis.

1230. Quamuis autem non possint Episcopi aut Inquisitores concedere facultatem legendi libros Hæreticorum, vel Hæresim continentes, vel de Religione tractantes: possunt, si libri de Religione non tractent, neque Hæresim contineant, aut ab Hæreticis conscripti fuerint, dùm essent Catholici, aut postquàm iam fuerant Ecclesiæ reconciliati, Inquisitores concedere facultatem libros tales legendi. Ita Azor c. illo 16. q. 12. Pegna suprà vers. *Quorumdam* Farinac. de *Hæresi* q. 180. n. n. 37. estque expressum in 2. Regulâ expurgatorij Romani.

CAPVT. V.

Quæ pœnæ sint impositæ transgressoribus prædictarum legum.

Pœna legentium &c. libros hæreticos. 1231. Qui scienter legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt Hæreticorum libros de Religione tractantes, vel Hæresim continentes, sunt excommunicati Excommunicatione reseruatâ in Bullâ Cœnæ clausulâ primâ. Præterea ibidem constat de hæresi esse suspectos sic legentes, retinentes &c. Item reputari fautores Hæreticorum.

Pœna Componentis librum hæresim continentem. 1132. Atque in primis de componente librum, in quo hæreses continentur, certum est, si ex proposito Hæreses scripserit, & defenderit, puniendum esse, tanquàm Hæreticum; est enim verè talis; quippe qui scienter contra Ecclesiæ sensum doceat maiori cum deliberatione, magisque ex instituto, & præmeditato, quàm si verbis id faceret, idque verum est, etiamsi in principio libri protestatus fuerit, se nolle contra Ecclesiam Catholicam sentire, contrario enim facto potestatem suam abrogauit. Secùs verò dicendum est, si non ex proposito, sed, quasi per transennâ Hæresim scripserit; tunc enim præsumitur non ex maliniâ, sed ex ignorantiâ scripsisse; maximè, si res obscura erat, & difficilis, & præcesserit priùs prædicta protestatio, vel aliàs Catholicus, & probus communi hominum opinione haberetur. Ita Pegna 2. p. *Directorij* Comment. illo 3. ad c. *Fraternitatis* vers. *Horum tamen sententia.* Mascard de *probation.* conclus. 862. n. 3. & 5. Farinac. de *Hæres.* q. 180. n. 16. & 17. Azor tomo. 1. lib. 8. c. 16. q. 10. in medio.

1233. Eodem modo suspecti sunt falsantes, seu corrumpentes Catholicorum libros, praua dogmata illis miscendo. Ita Pegna suprà Comment 17. ad c. *Nouit.* de *sentent. Excommunic.* vers. Denique. Farinacius n. 14. Menoch de *Arbitrar.* Centuria 6. casu 549. n. 5. Qui Doctores latè, & rectè explicant modos quibus hæc falsitas contingit.

1234. Transcribens hos Hæreticorum libros etiam habetur suspectus de Hæresi in foro exteriori, si scienter faciat, & tanquàm fautor Hæretici damnandus erit. Ita Azor suprà c. 17. q. 5. Pegna Commento illo 17. vers. *Sed hæc sententia,* & sequentibus. Farinac. n. 18.

1235. Sæpè tamen ab hac suspitione excusati poterit, primò si statim post scripturas libros combuserit, aut lacerauerit 2. Si id fecerit iussu Domini, & metu incusso non ausus fuerit denuntiare 3. si transcripsit, tanquam discipulus, putans ibi non adesse malitiam, & venenum, Ideò prudentis arbitrio hæc omnia expendi debent, vt qualitas culpæ dignoscatur, vt iuxta illam grauis, leuisve suspicio habeatur, aut nulla. Ita Azor, Pegna, Farinac, & alij suprà.

1236. De imprimentibus libros Hæreticorum consentiunt Doctores vltra excommunicationem, tanquàm fautores Hæreticorum puniendos esse pœnâ arbitrariâ, atque ita decreuit Pius V. ad Indicem librorum prohibitorum regulâ 10. docetque Farinacius n. 19. Menoch. Centuriâ 6. casu 549. Vgolinus de *Censur.* 2. p. in Gloss. *Imprimentes.* Pegna Comment illo 17. columnâ 1. in fine. *Imprimentium pœna.*

1237. Notandum præterea Leonis X. Constitutione, quæ incipit *Inter sollicitudines* editâ in Concilio Lateranensi anno 1515. prohibitum esse omnibus typographis (vt iam suprà obiter notabamus) ne libros, aliasve quascumque scripturas, etiamsi Hæresim non contineant, nec de Religione tractent in vrbe imprimant absque examine, & approbatione in scriptis obtentâ sui Vicarij, & Magistri Sacri Palatij. In alijs verò diœcesibus absque approbatione Episcopi, & Inquisitoris Hæreticæ prauitatis; qui autem secùs præsumpserit vltra librorum impressorum amissionem, & librorum publicam combustionem, Centumque Ducatos fabricæ Sancti Petri, per annum etiam ab exercitio imprimendi suspenditur, & excommunicationem ipso facto incurrit reseruatam solùm Episcopo ex vi talis Decreti; Crescente vero illorum contumaciâ pœnæ augendæ sunt in Vrbe quidem à Vicario, in alijs verò locis ab Episcopis. *Notanda hic est prohibitio Leonis X. quoad typographos.*

1238. Tridentinum quoque sess. 4. Decreto *de editione librorum* sub eisdem pœnis cauet, vt nemo imprimat, vel imprimi faciat quoslibet libros de rebus sacris sine nomine, Authoris; neque illos in futurum vendat, aut etiam apud se retineat, nisi præuio examine, & approbatione ab ordinario in scriptis obtenta. Quòd si volentes imprimere Regulares fuerint, debeant etiam habere licentiam, & approbationē suorum superiorum. In Regno autem Castellæ lege vsu receptâ sufficit licentia supremi Senatus, de cuius mandato examinatur priùs liber ab aliquo viro docto, sed à multis annis vsu receptum video vt qui Regulares non sunt, seu non subditi Regularibus, etiam ab ordinario approbationem habeant; imò hæc præcedat antequàm supremo Concilio liber reuidendus, & approbandus præsentetur. Romæ verò Vicarius (vt audio) librum videndum remittit Magistro Sacri Palatij, cuius licentiâ habitâ Typographus imprimit, præfixâ in principio clausulâ *Accedit Tridentini cautio quoad impressionem librorum.*

clausulâ *de licentiâ Superioris*, aut aliâ simili. In Lusitania autem video seruari Decretum Concilij Lateranensis; libri enim ibi impressi præfixam habent obtentam licentiam ab Ordinario, & ab Inquisitionis Tribunali.

1239 Subdit postea Concilium, *qui autem Scripto eos communicant, & euulgant, nisi ante examinati, probatiq; fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus Impressores.* Iam verò suprà diximus congregationem Cardinalium declarasse sub ijs verbis comprehendi conciones, annotationes, quæstiones, & alia similia, quæ communicantur ad effectum, vt typis mandentur; secùs verò extra hunc finem. Ita Rodriguez tomo 2. *Regularium* q. 104 art. 1. in fine, & alij, quos refert, & sequitur Barbosa. 3.p. de *potest. Epist.* allegation. 90.

Quæres

1240 Quæret tamen aliquis an, qui imprimit librū suppositio nomine Auctoris peccet contra prædictam legem Concilij.

Resp. Auctor. peccare contra legem Concilij imprimentem librum supposito nomine Auctoris.

1241 Ego sanè spectatis verbis, & Lege Conciliari omninò peccare censerem, & ita iudico; tunc enim liber ille prodit absque nomine auctoris, cùm non sit ille, qui præfigitur. Præterea non pauca ex inconuenientibus, quę vitare voluisse videtur Concilium videntur sequi, etiamsi falsus Auctor præfigatur; nec enim talis Auctor, conueniri potest, vt rationem reddat de suâ doctrinâ, & sæpe contingere poterit, vt, qui librum composuit, sit Auctor damnatus, & suppositius Auctor sit Catholicus, & probus, sub cuius nomine falsa doctrina, & venenum amplius diffundatur. Ideo Pegna in *directorio*, 2.p. comment. illo 17. ad e. Nouerit. vers. *Denique qualis sit* & sequentibus. Farinacius de *Heresi* q. 180. numero 14. alijque Recentiores inter modos perniciosos falsificandi libros etiam computant hunc, & certè dignus est, qui expressè prohibeatur. Video tamen aliquos alioquin viros doctos, & probos absque vllo scrupulo libros à se cōpositos alterius amici vel consanguinei nomine vulgandos, & imprimendos tradere, atque hoc frequentius peccatum esse solet in Apologijs, alijsve libellis, quibus alius in alium inuehitur; tunc enim; vel nullum Auctoris nomen præfigunt, vel falsum affigunt aut etiam aliquem, qui non sit in rerum naturâ non sine incommodo, pacis, & Reipublicæ; sæpè enim, multi audent alieno nomine effutire, quæ propriò non auderent; sed huic malo prouidete, ne serpat, alij, quibus incumbit, curabunt.

Pœna retinentium asportantiū, &c.

1242 De retinentibus verò, defendentibus, asportantibus, vendentibus, & ementibus, eodem modo dicendum est, si libros Hęreticorum, in quibus Hæreses disseminatæ sunt, scienter retineant, defendāt, asportēt, &c. & proculdubio suspectos fore de Heresi, vt multi docent, quos refert, & sequitur Pegna suprà comment. 3. ad c. *Fraternitatis* vers. *sed alter casus* Martinus del Rio lib. 5. *Magic.* sect. 17. vers. *sunt etiam.* Menoch de *Præsumpt.* lib. 5. præsumptione 6. num. 18. Farinac. de *Heresi* q. 180. num. 8. Azor lib. 8 cap. illo 16. q. 10. Imò addit etiam Decian. Tract. crimin. lib. 5. cap. 37. numero 55. Farinac. suprà numero 20. id locum habere, etiam nunquàm sic retinentes legerint tales libros.

1243 vtrum autem hæc suspicio leuis sit, aut vehemens seu violenta? non consentiunt Doctores. Quâ de re legi potest Farinacius num. 9. & Pegna nuper citatus. vers. *An autem ex suspicio.* Sed omissis varijs sententijs, mihi placet id arbitrio Iudicis remittendum esse, vt pensatis circumstantijs aliquando de leui, aliquando de vehementi, aliquando de violentâ suspicione reum condemnent. Ita Simancas de *Catholic. instit.* tit. 38. numero 24. Zanch. Tract. de *Hæreticis.* cap. 7. num. 7 Albertinus Tract. de *Agnoscenda assert. Cathol.* q. 28. numero 26. & 30. Menoch lib. 5. præsumpt. 6. num. 18. Mascard. tomo 2. conclus. 862. num. 7. & sequentibus. Paramus de *Origine Inquisit.* lib. 3. q. 9. numero 147. Pegna, & Farinac. suprà alijque Recentiores. Quid autem sit leuis seu modicâ? Quid magna seu vehemens? Quid denique maxima, seu violenta suspicio? non est huius loci disputare; obiter tantùm dico modicam, seu leuem esse, quæ ex leuibus indicijs, & coniecturis oritur, quæ non multum mouent ad sic suspicandum; magna siue vehemens suspicio Hæresis est illa, quæ ex verbis, vel factis efficaciter frequenterque Hæresim concludentibus desumitur; quæ longum esset recensere. Legatus Vmbert. Locat in Iudiciali Inquisit. verbo *suspicio* numero 10. & 19. Eymer 2. p. Directorij q. 56. & ibi Pegna comment. 81. Lœlius Zechius in *summa* 2.p. tit. de *Fide* Rubricâ de *Heresi* cap. 11. num. 5. Maxima verò seu violenta est, quæ oritur ex verbis aut factis arctantibus Iudicem ad credendum sic facientem, aut dicentem esse Hæreticorum, vt si Hæreticos adorauerit, vel more suo reuerentiam exhibuerit consolationem, & communionem ab eis receperit c. *Accusatus* & c. *Quicumque* de *Hereticis* in 6. vel si in causâ Fidei excommunicatus per annum insorduerit c. *Cum contumacia, de Haret.* in 6. item si deficiat in purgatione Canonicâ quam in causâ fidei sibi indictam præstare non potuit, cap. *Inter sollicitudines de Purgatione Canonica.* Tandem si post abiuratam Hæresim, de quâ conuictus fuerat, vel postea conuincitur, communicat cum Hæreticis, receptat, & deducit, comitatur, dona, vel munera eis donat, vel mittit. c. *Accusatus* § *ille quoque* de *Haret.* in 6. Legatus Vmbert. locat. suprà num. 1. 2. 3. & 4. Simancas de *Catholic. instit.* tit. 50. num. 22. 23. 25. & 26. & in *Enchirid.* tit. 41. num. 2. & sequentibus Eymer. 2. p. q. 55. & ibi Pegna *Comment.* 80. & 3. p. Comment. 14. numero 100. Farinac. de *Heresi.* q. 187. §. 2. 3. & 4.

1244 Aduertendum tamen est aliquando ex retentione, vel asportatione librorum nullam Hæresis suspicionem oriri in retinente, aut asportante; solet enim probari per indicia ferè manifesta omninò ignorasse qualitatem illorum librorum. Ita Lœlius Zech. in summâ, 1. tit. de *Fide* cap. 11. numero 5. versu *Tertia præsumptio.* Pegna Comment. illo 3. vers. *Caterum in scriptore.* & comm. 17 vers. *Caterum in scriptore.* Farinacius q. 180. numero 9. Quapropter vt, qui retinet vel asportat libros Hæreticorū suspectus fit de Hæresi, & vt talis, possit torqueri, & ad purgationem condemnari, debet esse malæ famę, malæ vitæ, & conditionis, aut aliàs de Hæresi diffamatis; *Notandum.*

matis;

matus; secùs verò si sit bonæ vitæ,& famæ,neque vnquam de Hæresi suspectus. Ita Albertinus suprà n.25.& 26. Pegna Comment. 26. *an autem hæc suspicio.* Farinacius suprà n.48. Mascard. n.10. Decianus *Tract.crimin.* lib.5.c.46.n.26. in fine,& alij.

1245. Hæ omnes pœnæ solùm intelliguntur pro fidelibus baptizatis qui propriè subduntur Ecclesiæ. Iudæis verò non Baptizatis,qui temporali Christianorum dominio subduntur,prohibiti sunt libri Hæretici, & impugnantes nostram Religionem, vel eorum falsam perfidiam defendentes iuxta Constitutionem Iulij III. anno 1554. quæ incipit *Cùm sicut* & Gregorij XIII. anno 1581. quæ incipit *Antiqua Iudeorum* Pœnæ verò pro qualitate criminis arbitrio Inquisitoris imponendæ sunt. Ita Pegna 2. p. Comment, illo 3. vers. *Postremo* Bursar. lib.1. conclus. 90. n.1.& 2. Simancas de *Catholic. Instit.* tit 35. Rubric. *De Iudæis* n.11. Farinac. de Hæresi q.180. n.10.

DVBITATIO LXII.

De Excommunicatione, quæ contrahitur ob Duellum.

1246. Egimus de duello latè in nostro opere de Iustitiâ, cæterisque virtutibus cardinalibus lib.2. Tract.1.disp.10.dub.15.& 16. §.12. agentes de rixâ; & etiam egimus Tract.2. qui est de *Restitutione* disp.7. dub.8. agentes de obligatione restituendi, quæ oritur ex Homicidio, vbi aliqua obiter diximus, quæ ad duellum possunt accommodari. Ad præsens autem institutum solùm pertinet Censura maximè excommunicatio,quę ob duellum incurritur;agimus autem de duello propriè accepto,cuius naturam , & propriam acceptationem explicuimus loco notato agentes de Homocidio,& vt compendeo dicam, duellum solet appellari rixa,seu pugna duorum,vel forte etiam plurium in pari numero,ex condicto,publicis quibusdam conditionibus interpositis, pacto scilicet inuicem inito statuto tempore & loco cum periculo vulneris, aut mutilationis aut mortis,vnde si assignetur locus,& non tempus, non est propriè duellum , sicut neque propriè Duellum est,quando assignatur tempus, & non locus. *Duellum quid sit.*

1247. Solet autem duellum appellari minùs propriè quodcumque certamen armorum inter duos,etiam iustum,& non prohibitum; soletque significari nomine monomachia, id est singularis pugna c. *Monomachiam* 2.q.5.

1248. Quantum verò ad nostrum attinet institutum possumus definire duellum quòd sit *pugna singularis deliberata ab vtraq; parte sponte,& ex condicto suscepta cum periculo occisionis,vel mutilationis,aut uulneris,*intelligendo per illam vocem *Ex condicto* etiam tempus, & locum , vt dictum est.

1249. Suppono etiam in præsenti nos non agere de duello alioquin licito cum causis requisitis, & sufficientibus,vt licitè suscipiatur,de quibus etiam eodem loco diximus. Solùm ergo agimus de duello illicito, quod sit mortale peccatum ; hoc enim requiritur vt censura incurratur. *Non agitur hic de duello licito,sed de mortiliter peccaminoso.*

1250. Contra hoc duellum plures,& graues pœnæ impositæ sunt à summis Pontificibus Iulio II. Leone X. Clemente VII. Iulio III. Pij IV. Gregorio XIII. Clemente VIII. & à Concilio Tridentino sess. 25. c.19. Qui Clemens VIII. prædecessorem pœnas, & excommunicationem confirmauit,eamque extendit ad Reges , Imperatores,& alios quoscumque,qui publicè , vel etiam priuatim; etiam sine chartulis, litteris,vel prouocatorij , vel Patrinis duellum permiserint, vel, si conuenerint , vt non singuli cum singulis,sed etiam bini,terni aut plures hinc inde pugnent. *Contra hoc duellum graues pœnæ,impositæ sunt.*

1251. Quibus pœnis etiam subijciuntur alij inferiores Domini,Magistratus. Duces militum, qui non prohibent ; nisi fortè habeant iustam causam permittendi. Item suadentes , & consulentes quolibet modo, etiam ad defensionem proprij honoris , siue prouocatio sit contra certam , siue contra incertam personam,siue generaliter contra quemcumque etiamsi postea duellum ab alio non acceptetur, vt sigillatim de his omnibus ex dicendis constabit. *Quibus pœnis subijciuntur suadentes &c.*

1252. Itaque primò aduersus quoscumque dominos temporales, siue Reges,siue Imparatores, qui monomachium in terris suis inter Christianos concesserint, excommunicatio fertur , & Iurisdictione, & dominio Ciuitatis,Castri,aut loci ab Ecclesia obtenti , in quo , vel apud quem tale duellum permititur, priuantur. Quod si fœudalia sint,directis dominis statim adquiruntur. *Pœna Dominorum temporalium consentientiũ in duellũ.*

1253. Secundo aduersus pugnam committentes , eorumque Patrinos fertur excommunicatio , & pœna confiscationis bonorum,ac infamiæ perpetuæ , & , vt homicidæ,mandantur puniri ; si verò decesserint in ipso conflictu,careat Ecclesiasticâ sepulturâ. *Pœna ipsorũ pugnantium & patrinorum.*

1254. Tertio in eos, qui Consilium in causâ duelli dederint,aut alio quacumque ratione ad id quemque suaserint , fertur excommunicatio. Hæc omnia habentur in Concilio Tridentino loco citato.

1125. Gergorius verò XIII. in suâ Constitutione quæ est 82 in ordine, & incipit *Ad tollendum detestabilem duellorum vsum,* extendit prædictas pœnas ad duella priuata, hoc est in loco priuato, & non tuto cõmissa,& absque Patrinis, socijsuè od id vocatis , ac sine prouocatorijs literis, & chartellis;& etiamsi duellantes duellum , seu pugnam non perfecerint si per ipsos non steterit, quo minùs dictum duellum perfectum non fuerit. *Gregorius XIII extendit prædictas pœnas ,ad duella priuata.*

1256. Præterea Clemens VIII. anno 1592. prædictam Constitutionem Gregorij pluribus alijs modis extendit,excommunicationisque absolutionem sibi reseruat. Quã de re legi possunt Cenedo ad Decreta.collect.117. Zeblalos Tract, de *omni genere Homicidij* à n.76. Reginald.lib.1. c.7. n. 73. Sanchez lib.2. c.39. à n. 19. Barbosa in *Remissionibus Concilij*,& de *potest. Episc.* 3. p. allegatione 50. n. 120. & alij apud ipsos. *Clemens VIII. excommunic. absolutionẽ sibi reseruat.*

1257. Illud autem est maximè hoc loco aduertendum *Valde nota*

uertendum, non comprehendi sub prædictis Censuris quamlibet pugnam, sed pugnam ex condicto, loco, & tempore determinato Ideo, si quis calore iracundiæ ex acceptà iniuriâ prouocet offendentem statim ad pugnam non censetur commisisse duellum, de quo agimus, quia non fuit pugna ex condicto. Ita Sanchez suprà numero 28. Farinac. ex verbis Bullæ lib. 1. conf. 9. numero 35. comprehenderetur autem Censurâ si acceptâ iniuriâ diceret offendenti: exeamus hinc, vbi sunt multi, qui nos possunt impedire, & eamus in agrum, ibique pugnabimus; tunc enim iam illa pugna est ex condicto, & pacto locis, & temporis. Idem est, si vnus armatus alteri inermi diceret: vade, sume arma, hic te expecto; tunc enim (vt notat Sanchez suprà) tam & locus & tempus condicitur.

Comprehendi prædictis Censuris quamlibet pugnam

1258 aduertendum, 2. Excommunicationem, quam duellantes, eorumque Socij, & Patroni, Principesve concedentes locum, seu non impedientes cùm possint, & quicumque ad id auxilium, vel Consilium præstantes incurrunt reseruatam esse Pontificiin Bulla Clementis VIII. potest tamen Episcopus ab eâ absoluere virtute concessionis Concilij Tridentini, si duellum occultum sit; neque intelligitur ea facultas abrogata virtute Bullæ Cœnæ, vt à fortiori colligitur ex dictis suprà à dub. 3. vsque ad septimam maximè dub 4. & 5. & de hoc casu docet Sanchez. lib 2. Summæ cap. 31. numero 27. Bonacinâ de Censuris disp. 2. q. 6. puncto 2. numero 15. Barbosa, 3. p. allegat. 50. numero 120 in fine, & vbi promulgatur Bulla Cruciata poterit Confessarius electus virtute illius ab hac excommunicatione semel in vita, & semel in mortis articulo absoluere, quia exclusâ Hæresi omnes aliæ Censuræ conceduntur. Neque est verisimile, vt notat Sanchez, & alij velle Pontificem supradictum priuilegium limitare.

Notandû 2.

Potest Episcopus absoluere ab ex comm. duelli occulti.

1259 Aduertendum 3. non incurrere prædictam excommunicationem Tridentini, & Pontificum Principem, qui locum infidelibus concedit ad duellum; tum, quia Tridentinum expresè dixit *inter Christianos* vt cum Martino del Rio, quem refert docet Sanchez suprà num 19. Barbosa in Remissionibus Concilij ad citatum locum Bonacina suprà numero 10. tum; quia quando principales delinquentes non incurrunt Censuram, neque accessorij incurrunt. Cû ergo Infideles nô baptizati duellantes illam non incurrant, neque alij concurrentes, in quos accessoriè, & secundariò Censura fertur, incurrent. Incurreret autem Princeps iuxta prædictos Auctores, si Christiano pugnaturo cum Infideli in suo Regno locum concederet.

Notandum 3 Principé duelli locum Infidelibus concedentê non excommunicari. Ratio est.

Quando Principales delinquentes non incurrunt Censuram neque accessorij incurrût.

1260. Hoc tamen difficultate non caret; nam cum lex illa pœnalis sit, strictissimè explicanda est, & non extendenda saltè vltra propietatem verborum, Lex autem Tridentini expresè dicit. *Inter Christianos*, duellum autem inter baptizatum, & non baptizatum non est inter Christianos, sed inter non Christianum, & Christianum: ergo absque sufficienti fundamento extenditur ad tale duellum. Ideò mihi videtur probabile excusari; nec sanè ita horret Christiana gens, si videat hominem Christianum contra ethnicum, seu Machometanum pugnantem, atque contra alium Christianum. Ideò non mirum quod seueriùs puniatur hoc, quàm illud.

Duellum baptizati cum non baptizato non Comprehenditur lege Tridentini.

1261. Excusatur etiam Princeps à prædicta excommunicatione, & pœnis, quando est iusta causa permittendi; si enim permissio licita est, non potest pœnâ puniri. Quòd autem aliquando possit esse causa iusta permittendi, non videtur posse dubitari; sæpè enim contingit posse permitti aliqua mala, vt euitentur maiora.

1262. Excusantur 3. à pœnis prædictis casu spectantes duellum, qui non ex proposito illud spectandi illac transeunt; nam Gregorius XIII. postulat in suâ Bulla, vt ex proposito spectent; neque tali modo spectandi videntur duellantes ad pugnam incitari, vt notat Sanchez n. 31.

Excusantur à pœnis casu spectantes duellum.

1263. Quartò iuxta eundem ibidem excusantur, qui comitantur animo impediendi pugnam; hi enim dici non possunt socij illorum, sed potiùs aduersarij, neque auxilium præbent, sed potius impedimentum, imò talis comitatus laudabilis est, & quandoque ex obligatione suscipiendus. Addiderim etiam quandoque illos hortari ad duellum, & disponere illis locum & genere ad speciem munus patrini esse laudabile, atque adeò liberum ab omni Censurâ, nimirum, quando timetur aliquos inter se dire & seriò pugnaturos, si relinquantur, & pensatis circumstantijs satiùs, & tutiùs, quod alijs spectantibus, & non permissuris, vt res ad extrum perueniat, & conflictus fiat, nisi leuiter, & absque periculo, eàque ratione putatur vtriusque animum esse pacandum. Vnde qui dicat eiâ, venite, pugnate, & tanquàm viri honesti, & fortes suam quisque causam, rationem, & intentionem tueatur; nos hîc spectatores erimus eâ lege, vt, quando iudicauerimus, satis quemque pro suâ parte præstitisse, cessetis; in eo sanè casu potiùs videtur impedire maius malum, & cooperari ad duellum fictitium ne postea verò duello inter se digladientur, vel turbent Remp. aut familias.

Item comitantes vt pugnam impediant. Ratio.

Addit Author quandoque hortari ad duellum esse laudabile.

Ratio.

1264. Aduertendum 4. reliquas pœnas, quæ non sunt Censuræ latas in suprà dicto decreto Tridentini Bullisque Pontificum indigere sententiâ Iudicis declaratoriâ saltem criminis vt Incurrantur; quod de infamiâ, proscriptione bonorum, amissioneque loci, in quo duellum committitur, videtur certum; priuant enim Iure adquisito. Idemque iudicium videtur ob eandem rationem de inhabilitate ad beneficia iam obtenta; de inhabilitate verò ad officia, & beneficia obtinenda probabile putat Molina Tract. 2. de *Iustitiâ* disp. 17. Nauarrus c. 11. quos etiam retulimus loco citato de *Iustitia* etiam indigere sententiâ Iudicis, quia non est vsu receptum, vt ante illam hæ pœnæ incurrantur.

Notandû 4. reliquas Pœnas non nominatas in Tridentino &c. indigere sententiâ Iudicis declaratoriâ.

1265. Iam verò, quod attinet ad absolutionê certum est, vt diximus, prædictam Censuram esse reseruatam Pontifici; atque adeò solus ipse potest ab illâ absoluere, vel Episcopus, quando delictum occultum est, vt suprà etiam diximus, & præter Sanchez ibi citatum docet Rodriguez tomo. 1. *Regularium* q. 8. ar. 10. & alij, quos refert, & sequitur. Idem Sanchez lib. 3. de *Matrimonio* disp. 26. n. 7. & lib. 8. disp. 35. n. 17.

Absoluere à prædictâ Censura quis potest.

Hen..

Henriquez lib. 7. c. 26. n. 3. Suarius de *Pænit.* disp. 30. sect. 2. n. 14. Bonacina suprà n. 15. qui etiam alios refert. Item potest Episcopus, quando pœnitens detinetur iusto impedimento adeundi Pontificem, vel alium, qui ad id potestatem habeat, siue per Bullam, siue per speciale aliquod priuilegium. In quo philosophandum est iuxta suprà dicta dub. 8. vsque ad 51. vbi etiam diximus de Religionis & alijs habentibus priuilegium, & de absolutione in articulo mortis vel propter aliud impedimentum, aut sine illo.

Quæres. 1266. Quæret tamen aliquis an incurrat excommunicationem Gregorij XIII. qui præmissa cum alio prouocatione ad duellum sese contulit tempore præfixo ad locum constitutum, sed aduersario non comparente intra constitutum terminum discessit?

Resp. ad censuram incurrendā requiritur effectus pugnæ. 1267. Respondeo non incidisse; quia ad illam incurrendam videtur requiri effectus pugnæ, ut patet ex illis verbis Bullæ *Monomachiam commiserint.* Præterea in eadem Bulla dicitur nisi per ipsos steterit, quò minùs pugna committatur, tunc autem stat per ipsos per eum scilicet, qui non comparauit, imò & per ipsum etiam, qui nec voluit expectare; nec quærere, nec mittere aliquem, qui accerseret aduersarium. Accedit *Materia odiosa non extendenda sed restringenda* principium generale quòd materia est odiosa, & non extendenda, sed restringenda potiùs, quantum verba patiantur, verba autem non patiuntur illam extensionem, sed potiùs postulant restrictionem prædictam dū ait Pontifex. *Qui ex condicto statuto tempore, & in loco convento* Monomachiam commiserint.

Obijcies 1. 1268. Obijcies verba eiusdem Bullæ, in quibus dicitur *Etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint impediti pugnam non commiserint.* Ergo non est necessarium quod pugna committent.

Resp. Excommunicationem esse contra actu committentes duellum tantum. 1269. Respondeo ea verba non esse referenda ad eos, qui se tantum diffiderunt; excommunicatio enim contra eos fertur, qui Monomachiam commiserint ut constat ex verbis citatis; qui autem accedens non pugnauit non dicitur Monomachiam commisisse, sed voluit se illam committere, & non est verum in nostro casu, quod vterque accesserint pugnaturi; & non pugnauerint impediti; solus enim vnus accessit, & nemo illos impediuit. Ita docent Authores citati, & citandi.

Obijcies 2. 1270. Obijcies 2. socij incurrunt excommunicationem, etiamsi, prouocantes se ad duellum non pugnauerint: ergo etiam ipsi prouocantes, aut se diffidentes.

Resp. in pœnis nō argumentari à simili. 1271. Respondeo non esse legitimam consequentiam; nam in pœnis non licet argumentari à simili, imò neque à maiori ad minus; sed standum est verbis legis, & excommunicatio non incurritur; nisi in Iure expressā, vt omnes fatentur; non est autem expressa contra prouocantes se ad duellum, si effectus non sequatur quantum est ex parte ipsorum; est autem expressa contra Socios, etiam antequàm sequatur effectus.

1272. Nec contra dictam doctrinā vim habet argumentum deductum ex Bulla Clementis VIII. nam Clemens VIII. extendit, excommunicationem ad plures alios casus, ad quos nec Bulla Gregorij nec Decretum Tridentini extenduntur. Ita Sanchez lib. 2. 39. n. 28. Comitolus lib. 6. q. 18. n. 7. & 8. & præsertim q. 13. n. 5. Filiucius Tract. 55. c. 5. n. 106. Bonacica suprà n. 16. quamuis alij, quos refert, oppositum sentiant.

1273. Ex quo infert idem Bonacina hunc casum non esse reseruatum Religiosis per Bullam Clementis VIII. quæ incipit *sacra congregatio*, & consequenter Religiosos habentes facultatem absoluendi ab excommunicatione exceptā causā duelli iuxta Decretum Tridentini, & Gregorij XIII. posse absoluere à prædicto casu nostro; quia hic casus ibi non continetur, quiquid sit an contineatur in Bulla Clementis Octaui. Legatur Layman lib. 3. Tract. 3. p. 3. 15. in fine. *Infert Bonacina.*

DVBITATIO. LXIII.

De Excommunicatione, quæ contrahitur ab ijs, qui cogunt fœminas ad Religionem, vel ab illa retrahunt.

1274. Non agitur in præsenti de coactione, quā viri coguntur ad ingrediendam Religionem; locus enim Tridentini, cuius occasione hac de re agimus solùm de fœminis legem, & Censuram habet. *Nota 1.*

1275. Item notandum est coactionem, de quā nunc disputamus; esse per metum grauem, sola enim hæc est propriè coactio, & cùm lex Tridentini citanda agat de coactione. Lexque pœnalis sit, strictè intelligi debet de illo scilicet metu, de quo habetur ratio in Iure; hic autem non est metus leuis; sed grauis, & (vt dici solet) cadens in constantem virum.) *Nec timorem ff. de eo quod metus causā.* Accedit quod pœna constituta in Iure contra eos, qui metum inferunt, incurritur tantum propter incussum metum sufficientem ad reuocanda illa, quæ per metum fiunt, hic autem solus est grauis metus, vt dicemus in Tractatu de *Matrimonio* & notat Gloss. ad citatum c. & Sanchez lib. 4. *summa* c. 4. n. 4. *Nota 2. agit hic de coactione per metum grauem.*

1276. His præmissis sciendum est in Tridentino sess. 25. cap. 18. de *Regularibus* prohiberi sub pœnis cogere aliquam fœminam ad ingrediendum Monasterium, vel ad aliquam Religionem suscipiendam vel ad faciendam professionem; extenditurque excommunicatio ibidem ad dantes auxilium, consilium, vel fauorem cogentibus, hoc est ad eos, qui scientes fœminam non spontè ingredi Monasterium, habitumve suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem adfuerit vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatē interposuerit. Quæ vltima extensio (vt notat Suarius postea referendus) valde singularis, & rara est, ideoque monet singula eius verba esse expendenda. *In Tridentino prohibetur sub pœnā excommunicationis cogere fœminā ad ingrediendum monasterium &c.*

1277 Notandum verò est in hac re non incurri excommunicationem, quando metus incutitur ad alium finem, quàm ad professionem extorquendam. Vnde non incurret, qui per metum in Monasterio constituit fœminam, *Nota.*

vt

vt ibi educetur donec sit apta nuptui. Ita Rodriguez in *Summâ*. 2. p. c. 8. conclus. 5. num. 10. Bonacina de Censuris dist. 2. q. 6. puncto 2. cui videtur Suarius oppositum sentire. disp. 23. *de Censuris* sect. 7. numero 9. *Filiucius* Tract. 14. cap. 6. quæsito. 5. numero 89. Sanchez citato lib. 4. cap. 4. numero 3. Sed non videtur mens Consilij Tridentini esse, ferre Censuram; nisi coactio illa ad ingrediendum monasterium sit in ordine ad Religionem. Quamuis enim (vt rectè declarat Suarius eodem numero 9) Concilium prohibuerit, tanquàm diuersas coactiones coactionem ad ingrediendum monasterium ad suscipiendum habitum, & ad professionem emittendam; tamen ille ingressus Monasterij intelligi videtur à Concilio in ordine ad Religionem capessendam, vnde orietur aliqua coactio ad ipsam professionem; id enim intendebat ibi Concilium, scilicet prohibere omnem coactionem in ordine ad statum Religiosum, cuius electionem, & susceptionem voluit esse omninò liberam.

Mens Concilij prohibentis coactionem.

1278 Illud autem est certum, si sit iusta causa cogendi ad ingressum Monasterij nullam incurri Censuram. Ideò Concilium addit illam particulam; nisi in casibus Iure expressis; nam in pœnam, vel cautionem cogi possunt interdū fœminæ ad ingrediendum Monasterium, idque Iura permittunt, vt notat Suarius; ad habitum verò, & professionem aut raro aut nunquam.

1279 Vlterius (vt aliqui volunt) excommunicatio non incurritur, quando adsunt preces importunæ, sine minis quia nimitum putant huiusmodi preces non inferre vim; qua de re agemus in Tract. de *Matrimonio* vbi disputabimus, an preces importunæ habeant rationem coactionis?

1280 Illud saltem mihi placet non habere rationem coactionis, quando quis suadet alteri ingredi Religionem iniecto metu priuationis alicuius boni, ad quod sic suasus non habet Ius. Vnde, si aliquis consanguineus, vel amicus dicat fœminæ; nisi ingrediaris Religionem, & in ea profitearis, non dabo tibi hæc, aut illa bona, quibus fruaris per totam vitam; quòd si ingrediaris, dabo. Tunc, etiamsi metu carendi talibus bonis Religionem suscipiat fœmina, non censetur homo ille coëgisse ad Religionem.

1281 Vtrum autem censeatur coactio, quando fœmina metu mortis iniustè incutiendæ adigitur ad Religionem capescendam? non videtur ita clarum, v. g. deprehensa fuerat mulier in adulterio, quam iustè conuictam, & damnatam habet Maritus in suâ potestate, illamque (vt potest) paratus est occidere; nisi fortè illa velit Religionem ingredi, in eaque profiteri; An tunc censeatur Maritus cogere, si dicat, si vis esse Religiosa, parcam tibi, sin minùs te occidam? Mihi videtur saluo meliori iudicio prædictum hominem non incurrere Censuram latam in Tridentino, ibi enim tantam fertur contra coactionem, & metum iniustè incussum qualis non est hic, sicut non censetur coactio iniusta illa quā mouetur homo c. *Damnatus* ad ducendam fœminam, quàm alioquin nullo modo duceret, quando illi parcitur, & vita condonatur sub conditione, quod illam ducat, vt suo loco dicemus in Tract. de *Matrim.* An verò tunc valeat illa professio ex tali metu emissa? non est huius loci disputare. Hac de re agemus in Tract. de voto.

Censura in Tridentini fertur contra metum iniustè incussum.

1282 Illud etiam verissimum est, etiamsi metus sit iniustè incussus, non tamen ad extorquendam habitus susceptionem vel ingressum Monasterij, aut professionem: fœmina tamen ipsa propter huiusmodi metum moueatur ad Religiosum statum suscipiendum, vt euadat periculum, quod timet: in tali casu eum, qui sic metum incutit, non incurrere prædictam Censuram Tridentini; ille enim non dicitur cogere ad Religionem; sed absolutè velle incutere metum, vel exequi minas ipsas, quas intendit. Hac ratione in simili de voto docent esse votum validum, & non coactum illud, quod mittitur pro euadendo periculo grauis damni, quod timet etiam à causâ libera iniustè illati, aut inferendi non ad eum finem extorquendi votum, vt, si quis incidens in Latrones voueat Deo se fore Religiosum, cum ab illo periculo euadat; tunc enim latrones non censentur illum cogere ad faciendum votum, neque illud votum censetur per coactionem emissum, vt suo loco latiùs explicabitur. Legatur Sanchez citato lib. 4. numero 6. & 7. vbi agit de suasione ad Religionem iniecto metu priuationis boni, ad quod suasum non habemus.

1283. Vlterius non incurrent excommunicationem quicumque metum incutiunt, quantumuis iniustum si talis metus effectū nō sortiatur. Ideò, si non ingrediatur Religionem, aut non suscipiat habitum, aut non emittat professionem, non incurretur Censura ob coactionem ad aliquam illarum actionum; hæc enim est differentia inter cogere, & conari, vt faciat, quod cogere connotat effectum, & actionem, ad quam quis cogitur; conorari verò solùm connotat actionem ex parte conantis in ordine ad effectum, & coactionem.

Censuram, non incurrit quis quando metus minus effectum non sortitur.

1284 Eodem modo præstantes auxilium, vel auctoritatem, vel fauorem, &c. non sunt excommunicati: nisi sequatur effectus, ad quem talem fauorem præstant, nempe; nisi fœmina habitum suscipiat, Monasterium ingrediatur; aut professionem emittat; quando enim excommunicatio accessoriè fertur in dantes auxilium, ea non incurritur, nisi sequuto effectu, ob quem principaliter fertur. Vnde hæc non incurretur nisi sequuta coactione iuxta dicta disp. 1. dub. 19. & 20. & in præsenti docet Rodriguez c. illo 8. conclus 9. numero 10. Nauarrus lib. 1. *Concilior.* cons. 3. *de sententia excom.* Filiucius suprà num. 19. & 20. & alij, quos locis notatis retulimus.

1285. Extenditur etiam eadem excommunicatio in Tridentino eodem c. ad omnes, qui quamcumque fœminam volentem velum accipere, aut votum emittere, absque iusta causa impediunt. In qua re optimè notat Suarius. n. 16. pro eodem reputari velū accipere, & votum emittere, quod Religionem profiteri; quia tamen nemo potest profiteri; nisi priùs habitu suscepto, qui eam susceptionem impediret, à fortiori impediret professionem, eamque Censuram incurreret. In quo etiam consentiunt Filiucius

Incurrunt hanc Censuram impedientes fœminam ab emissione voti sine iusta Causâ.

liucius Bonacina, & alij.

1286 Rectè etiam notat Suarius, quamuis illa particula *votum emittere* vniuersalior sit, & ad quoduis votum extendi possit ita, vt qui impediret. V. g. ne aliqua emitteret votum castitatis, ea Censurà comprehenderetur, nihilominùs spectato fine Concilij, non videtur loquutum de priuatis votis; ideo autem vsum fuisse duplici illo modo loquendi accipiendi velum & emittendi votum, vt comprehenderet omnes modos professionis Monialium; neque enim omnes per veli susceptionem professionem emittunt.

1287 Consequenter etiam ad suprà dicta videtur dicendum non incurrere hanc excommunicationem, qui solis precibus retrahit fœminam à Religione, quia non censetur impedire voluntatem, cùm fœmina sponte nolit. Incurret autem qui per dolum retrahat, si sequatur effectus iuxta dicta; dolus enim voluntarium tollit. Ita Bonacina, & alij suprà, Omitto alia circa hanc rem, quæ sunt leuioris momenti, & videri possunt in eodem Bonacina suprà.

1288 Plures sunt excommunicationes in particulari contentæ in iure, siue in corpore Iuris communis siue in alijs Constitutionibus, quas tamen longum esset recensere; & quomodò in illis Philosphandum sit? ex dictis potest facilè colligi. Plures recenset Suarius (nam omnes quis possit) legat illum, qui volet à disp. 21. vsque ad 23 inclusiuè. Nobis hæc dicta de excommunicatione sufficiant. Plures etiam videre licèt apud Bonacinam tom. 3.

DISPVTATIO IV.

De Suspensione.

1 Multa ex ijs, quæ diximus de Censuris in communi & de excommunicatione locum habent in sequentibus alijs Censuris, & quasi Censuris maximè in hac suspensione, & in sequenti Interdicto. De suspensione disputamus immediatè post excommunicationem sequuti morem aliorum, & ipsius etiam Iuris, in quo secundo loco numeratur.

DVBITATIO I.

Quid nomine suspensionis significetur? & quæ sit propria ratio huius Censuræ? & quotuplex sit suspensio?

2. Nolo immorari in explicandis varijs acceptionibus suspensionis, statim pergo ad definitionem suspensionis, quatenus est Censura Ecclesiastica; hac enim explicatâ, facile erit suspensionem, quæ est Censura, ab alijs distinguere, & separare.

Definitio suspensionis

3. Varijs solet definitionibus, seu descriptionibus hæc Censura definiri, quæ tamen ad vnam hanc possunt reduci. suspensio est *Ecclesiastica Censura, quâ persona Ecclesiastica ob culpam suã prohibetur vti potestate illi congruenti ratione Clericalis officij, aut beneficij.* In hanc definitionem paulò alijs verbis consentiunt communiter Theologi, Canonistæ, & Summistæ, vt videre est inter alios apud Sotum in 4. dist. 22. q. 13 art. 1. §. *differunt autem.* Nauarrum cap. 27. numero 151. Suarium disp. 25. sect. 1. numero 2. Auilam de *Censur.* 3. p. disp. 1. dub. 1. Angelum Syluestrum, & alios summistas verbo suspensio in principio. Sayrum. lib. 4. *Thesauri* cap. 1. Henriq. in *Summâ* lib. 13. cap. 31 Coninc. disp. 15. dub. 1. Laym. lib. 1. Tract. 5. p. 3. c. 1. Bonacina de Censur. disp. 3. puncto 1. Filiucius Tract. 17. c. 1. q. 2.

Explicatur definitio.

4. Dicitur autem *Ecclesiastica Censura*, quia hoc est genus, in quo conuenit cum cæteris. Quod genus latè explicuimus disp. 1. dub. 2. & deinde ostendimus dub. 3. suspensioni huic conuenire tale genus. Per illam autem particulam *Ecclesiastica* distingui potest à prohibitionibus ciuilibus, & significatur causa efficiens talis suspensionis, quæ non potest prouenire; nisi à persona Ecclesiasticâ; Neque hoc sanè sufficit; sed necessarium etiam est, quod habeat Iuridictionem in foro externo iuxta doctrinam traditam eâdem disp. 1. dub. 6. Vnde, si Parochus, vel Confessarius pro pœnitentia peccatorum iniungat, vt abstineat à functione sui muneris, alicui Clerico, non dicitur propriè suspendere, ac proinde quamuis alioquin violans Censuram fiat Irregularis, non fiet talis violando huiusmodi præceptum, vt consentiunt citati Auctores locis citatis.

5. Dicitur autem *ob culpam suam*; quia cùm omnis Censura sit pœna, & hæc supponat culpam, suspensio tanquàm Censura illam supponit.

Suspensio solum cadit in personam Ecclesiasticã

6. Dicitur *persona Ecclesiastica*, vt significetur subiectum proprium huius censuræ; neque enim suspensio, de qua agimus, cadit in Laycos, sed in Ecclesiasticos, quos priuat aliquo exercitio spirituali.

7. Dicitur autem *Prohibetur vti potestate*, quia non tollitur radicalis potestas, sed vsus illius, qui congrueret tali personæ nisi prohibetur.

8. Dicitur etiam *Ratione Clericalis officij aut beneficij*, vt comprehendat omnes actus proprios Ecclesiasticæ personæ, qui illi competunt quatenus Clericus est, & ordinatus, & quatenus beneficium Ecclesiasticum; ad aliquid enim horum se extendit hæc Censura, vt ex dicendis constabit.

Diuisio Suspensio alia est to:

9 Ex dicta definitione infertur suspensionem aliam esse totalem, aliam partialem: Totalis

tatis alia partialis

talis dicitur, quæ omnem vsum tali personæ ratione prædictorum competentem tollit & prohibet; partialis verò, quæ solùm partem vsus.

Totalis duobus modis, ferri potest.

10. Totalis suspensio, quę simul est ab officio & beneficio, duobus modis ferri potest. Primo exprimendo esse suspensionem tam ab officio, quàm à beneficio, vt in c. *Tuarum de Privileg.* & Clementina 1. de *Decimis* 2. imponendo suspensionem sine vlla limitatione ita, vt neque ex adiunctis colligi possit aliqua limitatio, tunc enim censetur simpliciter & totalis, vt dicemus dub. sequenti assert. 2. propositio enim indefinita in doctrinalibus & in legibus æquiualet vniuersali; atque adeò in hoc casu id admittunt Henriquez suprà n. 1. c. 32. Coninc suprà dub. 1. n. 4. Layman suprà n. 2. & alij. Sic in Extrauag. *Diuina de Privileg* excommunicationis, suspensionis, & Interdicti sententia infligitur ipso Iure ijs, qui conferunt, vel recipiunt beneficia pro suis negotijs ad Curiam Romanam proficiscentium aut aliquod in illa officium exercentium, atque hoc genus suspensionis expressè, & absolutè datæ dicitur suspensio simpliciter totalis.

Totalis secundum quid,

11. Aliud genus est suspensionis totalis non simpliciter; sed in aliquo genere, & dicitur totalis secundum quid nempe suspensio ab officio, & suspensio à beneficio.

Alia est ab officio tantùm alia à beneficio tantum.

12. Itaque alia est suspensio ab officio tantum siue officium Ordinis sit, siue Iurisdictionis; alia est à beneficio tantum, siue beneficium sit simplex, siue Curatum, siue Canonicatus, siue dignitas, siue Episcopatus & alia est ab officio, & beneficio, simul. Rursus suspensio ab officio aliquando est à toto officio, quà quis priuatur omni vsu sui officij; alia est à parte officij, quà quis priuatur non omnibus, sed aliquibus actionibus sui officij, qualis est illa, quà quis suspenditur ab audiendis Confessionibus, non verò ab administratione aliorum Sacramentorum aut alijs, quę concernunt proprium. Ita plerique Authores citati. Nauarrus suprà n. 154. Layman suprà n. 2. Bonacina suprà n, 2. Rodriguez in summâ c. 79. Syluest. suprà, quæsito 1. Auila suprà disp. 1. Filiucius suprà, q. 2. Reginald lib. 2. Tract. 3. n. 6. & sequentibus,

Alia dicitur temporalis, alia perpetua.

13. Vlterius alia dici solet suspensio temporalis, alia perpetua: temporalis dicitur illa, quæ fertur cum limitatione termini, seu temporis, perpetua verò, quæ simpliciter fertur absque vllâ temporis limitatione. Item aliâ dicitur suspensio pœnalis; alia medicinalis. Pœnalis est, quæ merè fertur in pœnam, & vindictam delicti, vt cum quis suspenditur ob peccatum præteritum. Medicinalis verò quæ intenditur emendatio & bonum delinquentis.

14. Verum suspensionem merè pœnalem, & duraturam in perpetuum (& quæ post certum tempus per se ipsam cessatura absque vllâ absolutione ferri quandoque solet) non esse verè, & propriè Censuram Ecclesiasticam, quæ est pœna medicinalis, & correctionem Censurati respicit, diximus latè cum Suario disp. 1. dub. 2. & consonat doctrinæ traditæ disp. 2. dub. 21. in responsione ad 3. circa finem dubitationis. Quæ doctrina amplius explicatur eâdem disp. 1. dub. 3.

Diuisio ex parte illam ferentis.

15. Quòd autem suspensio diuidi etiam possit ex parte ferentis illam, scilicet, quod alia sit à Iure, alia sit ab homine, commune est cum alijs Censuris.

16. Alias diuisiones suspensionis afferunt aliqui qualis est illa, quòd alia sit suspensio maior, alia minor; hæc tamen diuisio non admittitur à plerisque nisi quis velit cum Filiucio n. 6. & Suano, illam esse maiorem suspensionem, quæ suspendit ab omnibus nempe ab officio & beneficio simul minorem verò, quæ suspendit solùm ab aliquâ parte.

Suspensio differt à cæteris censuris.

17. Ex traditâ doctrinâ constat suspensionę differre à cæteris Cęsuris, & pœnis, atque in primis ab excommunicatione minori, quia hæc solùm priuat passiuâ susceptione Sacramentorum suspensio verò priuat actiuâ, aliosque plures habet effectus, vt patebit ex dicendis.

A Minori excomm.

A Maiori differt.

18. A maiori verò excommunicatione differt, quia maior excommunicatio ad plura se extendit; includit enim effectus suspensionis, aliorumque bonorum priuationem inducit. Præterea priuat actionibus, quatenus esunt quædam communicatio cum alijs fidelibus, suspensio verò, ijsdem priuat, quatenus sunt quædam functio officij. Accedit quòd Episcopus, seu Iudex alius ferens excommunicationem non potest illam limitare ad aliquem solùm determinatum illius effectum v. g. excommunicare, solùm priuando communibus Ecclesiæ suffragijs concessâ interim communicatione cum fidelibus; quia nimirum excommunicatio affectus habet à Iure determinatos, quos Episcopus limitare, aut coarctare nō potest, cùm nec possit in Iure communi dispensare. Qui verò suspensionem fert, potest ad vnum tantum effectum particularem limitare ex Iuris permissione. Ideò vt vis cuiusque suspensionis dignoscatur, attendenda verba sunt, quibus suspensio fertur. Nam; si absoluté feratur sine vllâ restrictione, ad omnes effectus se extendit vt suprà, dicebamus; Secùs verò, si tantum aliquem effectum significent.

Excommunicationis effectus habet a Iure determinatos quos Episcopus limitare nequit. Non ita suspensio.

19. Quod autem aliqui Doctores dicunt in eo etiam differre excommunicationem, & suspensionem, quod inferior Papâ non possit suspendere effectus excommunicationis; quia non potest concedere, vt excommunicatus celebret absque peccato, & Irregularitate, potest verò suspendere effectus suspensionis, & interdicti tam localis, quàm personalis, probabilem quidem imò, & veram doctrinam continet, si rem ipsam spectes secundum se, eamque docet Henriquez lib. 13. c. 47. n. 1. Couarr. c. *Alma mater.* p. 2. §. 2. Nauarrus c. 27. n. 165. Sayrus lib. 4. c. 10. & alij multi contra Vgolinum, & alios, eamque videtur approbare Bonacina suprà n. 3. in fine; tamen quæstio videtur de nomine potiùs quàm de re, an pro illo casu censeatur censura permanere? nam si Pontifex tollit aliquem effectum ab excommunicatione, iam non relinquit excommunicationem in eo statu, in quo ipsa instituta est, sed videtur aliud genus Censuræ magis restrictum pro tunc instituere similiter, si pro aliquo casu Pontifex, vel Episcopus concedat aliquem actum, seu vsum, quem tollebat suspensio mutari à magis ampla in

in minus amplam; nam eo ipso quod concedit talem actum, aut vsum, cessat quoad illam partem suspensio. Vnde dicere, quod maneat eadem excommunicatio eademque suspensio in prædictis casibus, vel dicere, quod excommunicatio illa non sit eadem; sed aliud genus excommunicationis pro tunc absolutâ potestate introductum à Pontifice, & aliud genus suspensionis minùs amplum inductum à Iudice, qui potuit suspensionem restringere, nominis quæstio potiùs est, quàm rei.

Authoris iudicium. 20. Ideò non multum contendendum pro alterutrâ parte dummodò concedamus posse Summum Pontificem pro absolutâ potestate suâ tollere aliquem effectum excommunicationis, ex iis, quos nunc habet relictis alijs, siue dicatur eadem ipsa excommunicatio, siue alia noua minùs ampla; item posse Iudicem Ecclesiasticum tollere prohibitionem alicuius actus, qui prohibebatur priùs suspensione relinquendo interim prohibitionem aliorum actuum, siue dicatur eadem suspensio, siue alia noua minùs ampla.

Ex dictis patet posse ferentem suspensionem illam suspendere ad tempus. 21. Ex dictis patet posse Iudicem, vel Episcopum, qui tulit Censuram suspensionis, & Interdicti illam suspendere ad tempus concedendo, vt possit quis v. g. celebrare tunc temporis absque eo, quòd incurrat Irregularitatem. Ratio est tùm principium illud generale, quòd Censura non obliget vltra intentionem ferentis illam c. *veniens* el. 2. de *Testibus* tum, quia id videtur Iure concessum c. *Dilectus* de *appellationibus*, tum, quia id etiam habet praxis, vsusque receptus. *Ratio quia Censura nõ obligat vltra intentionem illam ferentis.*

Obijcies. 22. Quod si obijcias inferiorem non posse suspendere effectus Censuræ qui sunt à Iure communi, cùm non possit Iure dispensare, atque adeò non posse restringere vim suspensionis: *Resp. aliqui.* respondent aliqui posse inferiorem Iudicem in eo casu dispensare in Iure communi ipso Iure id permittente; meliùs tamen *Melius alij.* respondetur cum alijs, tunc Iudicem non dispensare; sed iuxta paulò ante dicta mutare suspensionis Censuram à se latam in aliam magis restrictam, & quæ non prohibeat talem actum qui tunc petmittitur; sicut enim à principio potuit eum eà restrictione suspensionis Censuram ferre, poterit postea limitare, aut in sic restrictam suspensionem ampliorem primam mutare; vel certè dic tunc Iudicem pro certo tempore suspensionem illam tollere ad reincidentiam, vt vult Sayrus suprà, & Tabiena verb. *Interdictum* 1. alijque communiter.

Suspensio differt ab Irregularitate. 23. Vlterius suspensio ab Irregularitate differt, non solùm quia hæc non est propriè Censura, sicut illa, iuxta dicta disp. 1. dub. 3. sed etiam; quia Irregularitas priuat suspensione ordinis, vt ordo est; suspensio verò ordinis exercitio priuat, vel beneficij, aut officij, seu potestatis Ecclesiasticæ; quatenus est quædã functio.

Item a degradatione & depositione. 24. Tandem à degradatione, & depositione differt, quod iuxta dicta locis notatis eæ priuant vniuersaliter beneficio, & officio sine spe reconciliationis adiunctâ etiam solemni quadã ceremonia, quod non habet suspensio vt notant communiter Authores.

DVBITATIO II.

Quinam sint effectus Suspensionis?

25. Constat ex dictis, vt indicauimus dub. præcedenti in eo differre suspensionem ab excommunicatione, quòd hæc habet effectus certos, & determinatos in Iure, qui statim illam consequuntur. Neque est in potestate Episcopi hos, vel illos effectus ab excommunicatione separare, etiamsi ipse sit qui imponit excommunicationem, cùm tamen iuxta dicta præcedenti dubitatione sit in potestate suspendentis priuare ab vnâ actione, & non ab aliâ. Quo supposito,

26. Assero primò, quoties suspensio fertur, *Assertio 1.* exprimendo in verbis suspensionis particularem aliquem effectum, tunc Clericus censetur suspensus ab illo effectu, & alijs illi annexis, non verò ab alijs non annexis est communis sententia. Ita Nauarrus c. 27 n. 160. Sayrus c. 6. n. 27. Henriquez lib. 13. c. 32. n. 1. Vgolinus Tabula 4. c. 6. §. 4. Conine disp. 15. n. 8. & *Ratio est.* alij plures citati; item Caietanus verbo *suspensio* in fine. Syluest. verb. *suspensio* q. 5. Censura enim efficit, quod significat, neque vltra operatur, quàm significant verba quibus fertur, Si ergo verba significent tantùm determinatum, ad illum solum se extendent.

27. Assero 2. si quis suspẽditur absolutè nõ exprimendo ab ordine, neque ab officio, neq; à be- *Assertio 2,* neficio & neq; ex verbis neq, ex intẽtione Iudicis limitatio colligitur; ea cẽsetur suspensio ab omnibus, ab officio scilicet, & beneficio, tù; quia, vt diximus dub. præcedenti, indefinita propositiu æquiualet vniuersali: tum quia, vt nuper *Ratio quia indefinita propositio æquiualet vniuersali.* dicebamus, verba sunt accipienda, prout sonant, ac proinde generalia verba generaliter sunt accipienda. Ita Syluest. suprà quæsito 5. Toletus lib. 1. c. 43. regula 6. Auila 3. p. disp. 2. dub. 1. conclus. 2. Sayrus lib. 4. c. 4. n. 3. Coninc suprà n. 8. Vgolinus c. 14. Filliucius Tract. 17. q. 5. Bonacina disp. 3. puncto 2. n. 1. & alij apud ipsos.

28. Assero 3. suspensum ab Ordine non censeri eo ipso suspensum à Iurisdictione, neque è contra. *Assertio 3. suspensus ab ordine non censetur eo ipso suspensus a Iurisdictione nec contra.* Vnde suspensus ab ordine potest actus Iurisdictionis exercere, & è contra; Ratio est; quia vnum est quid distinctum ab altero, & actus vnius ab actibus alterius; neque vnus actus est necessario annexus alteri. Ita Layman suprà n. 5. Nauarrus suprà n. 160. Auila suprà conclus. 4. Suarius disp. 26. sect. 4. Filliucius *Ratio est.* Tract. 17. c. 2. quæsito 4 n. 24. Caietan. Vgolin: & Sayrus suprà, quidquid reclament Toletus, Abbas, Syluest. & alij; probarique potest ex c. *Aqua de consecrat. Eccles.* vbi dicitur Episcopum posse committere quæ sunt Iurisdictionis; non tamen posse Clericis simplicibus committere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Et in c. *Transmissa* de *Electionib.* dicitur Episcopum electum, & confirmatum non consecratum posse decernere, quod voluerit circa ea, quæ sunt Iurisdictionis, non verò circa ea, quæ sunt ordinis, & requirunt consecrationem, ergo hæc non

sunt

sunt inter se connexa.

Hinc Colli- gis. 29 Ex quibus constat Episcopum suspensum tantum à Pontificalibus, vel ab Ordine Pontificali non intelligi suspensum ab ijs, quæ pertinent ad Iurisdictionem, neque à celebratione Missæ, & cæteris inferioribus. Vnde potest conferre beneficia excommunicare, missam celebrare, vt habetur citatu.c. *Transmissam.* Ita communiter Doctores. Ego tamen censerem non posse Missam (vt aiunt) de Pontificali celebrare; sed priuatè more aliorum Sacerdotum; quamuis neque oppositum videatur carere probabilitate; hoc enim, quod est Missas celebrare, etiam in infulis, alijs etiam non consecratis Episcopis videmus concessum nihilominus cùm ipsi Episcopo non conueniat (vt supponimus) ex alio titulo, & in illo talis solemnitas celebrationis sit annexa Ordini, & dignitati Episcopali, consequenter eo ipso, quòd suspensus sit Pontificalibus, videtur suspensus etiam ab hoc. Quod si fortè contingat simul esse Abbatem infulatum, & solùm suspendatur à Pontificalibus, videtur posse celebrare infulatum non quatenus Episcopus; sed quatenus Abbas. Vnde, quamuis citati Doctores nomine Pontificalium intelligant non solum Ordines conferre, aut confirmare, sed vsum etiam Mitræ, baculi, &c. talis vsus non solùm est annexus Episcopis; sed Abbatibus; poterit ergo illis vti, quatenus Abbas. Legantur quæ dicemus disp. 7. dub. 19. §. requiritur 3. vbi cum Syluestro, & alijs probabile dicemus, non incurrere Irregularitatem Episcopum suspensum à Pontificalibus ex eo, quòd Missam celebret cum apparatu Pontificali.

Collige 1. 30. Infertur præterea ex dictis probabile esse suspensum ab ordine non videri suspensum à beneficio, vel eius fructibus, quia beneficium non fundatur in Ordine; sed in primâ tonsurâ. Ita Sayrus suprà cap. 3. numero 21. Bonacina suprà, qui tamen addit esse indirectè suspensum à fructibus quatenus per suspensionem impeditur, ne munus suum præstet; nam qui munus suum per se, vel saltem per alium, non præstat, non potest fructus beneficij percipere.

Quoad perceptionem fructuum beneficij distinguendum est iuxta Authorem. 31 Ego tamen distinguendum puto; sunt enim aliqua beneficia, quæ nullum speciale seruitium, seu officium postulant præter recitationem officij Diuini, quam potest exhibere beneficiarius, etiamsi sit suspensus ob Ordine: ergo ex eo capite non est cur priuetur fructibus beneficij. Item, etiamsi quis sit priuatus exercitio, & vsu Ordinum; si tamen tale sic beneficium vt munera illius per alium possint exerceri, non video cur priuandus sit fructibus beneficij, vt videtur consentire Layman cum multis suprà n. 3.

Assertio 4. 32. Assero 4. suspensus à beneficio solùm intelligitur suspensus à temporalibus, id est à fructibus; non tamen ab officio etiam illo, quod competit ratione beneficij. Poterit ergo fungi officio suo, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus. Ita Glossa. c. *vintoniensis*, *de Electionib.* verb. *Admiseram* quam approbat, & laudat Panormitanus ibidem, & ait *suspensus à beneficio tenetur interim officiare in eo beneficio.* Eandem sententiam sequitur Syluest, suprà numero 5. Henriquez suprà numero 3. Layman suprà nu. 3. qui etiam addit cum alijs multis, quos refert suspensum à beneficio, si egeat posse fructus percipere, quatenus necessarij sunt ad se, & suos alendos modo per ipsum non stet, quò minùs suspensione liberetur. Imò subiungit etiam ex sententiâ Auilæ. p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 1. conclus. 1. & 2. & p. 3. disp. 2. dub. 2. conclus. 6. & Petri Nauarræ lib. 2. de *Restit.* cap. 2. n. 237. quod excommunicatus vel suspensus à beneficio, si præstet officium lucretur omnes fructus. Quâ de re quod attinet ad excommunicationem iam latè nos diximus disp. 2. dub. 45. & obiter diximus de suspensione, maximè, si de facto per se vel per alium præstet officium. Legantur ibi dicta à §. *Quarto argumentatur.* Testatur autem Layman de communi sententia, quantum ad hoc, quòd suspensus à beneficio, non ideo etiam ab officio censeatur suspensus, sed posse; imò debere officio suo satisfacere, & Iurisdictionem, vel administrationem ratione officij competentem exercere, solumque intelligi priuatum à perceptione fructuum, & à temporali administratione, & subiungit illi œconomum esse constituendum. Si autem (inquit) se ingerat beneficij interdictæ sibi administrationi, ipso Iure eo priuatur c. *Cupientes.* §. *ceterum de Electiom.* in 6. & excommuni docet Sayrus. suprà cap. 6. numero. 4.

Suspensus à beneficio si egeat, potest necessaria percipere, modo &c.

Ex dictis Collige quoad Episcopum suspensum ab ordine. 33 Ex dictis etiam habemus posse Episcopũ suspensum ab Ordine gubernare suam diœcesim & licèt ipse non possit confessiones audire, posse alteri potestatem absoluendi delegare & idẽ est de Parocho; quia hæc potestas delegandi non aufertur per talem suspensionem cum multisque notauit Layman suprà citato numero 5. qui etiam colligit suspensum à Iurisdictione non solùm posse sacrificare, sed etiam in Choro officiatorem agere, officium custodis, vel administratoris Ecclesiastici exercere. Pro quâ sententiâ plures refert. Addit tamen absolutionem à peccatis, nec validè exercere posse; neque eos actus ordinis, aut sacra officia quæ sine Iurisdictione licitè non fiunt. Quare peccat Parochus) vt ait Suarius disp. illa 26. sect. 4. nu. 16.) si Saramenta ministret ouibus suis, vt Pastor ordinarius, & Episcopus, si subditis suis Ordines conferat, quemadmodum etiam peccat, si alteri ordinandi licentiam tribuat. Quã doctrinam rectè limitat Layman ibidem nisi excircumstantijs constet mentem ferentis suspensionem non fuisse huiusmodi etiam sacra mysteria interdicere.

Doctrinam rectè limitat Layman.

Author quoad parochum & Episcopum aliter limitandum putat. 34 Ego verò, quoad Parochum & Episcopum adhuc aliter distinguendum seu limitandũ puto; nam, si Parochus, quatenus priuatus alioquin Sacerdos habebat delegatam Iurisdictionem audiendi Confessiones in aliquâ diœcesi, & postea factus fuit Parochus, adquisiuitque ordinariam iurisdictionem, tunc licèt suspendatur, à Iuredictione Parochi, quatenus Parochi, non ideò censetur impeditus, vti Iurisdictione delegatâ, quam prius habebat, vel fortè durante prædictâ suspensione Parochi adquisiuit pro tota diœcesi, vel pro toto orbe terrarum, vt, si factus fuit Confessarius Apostolicus per totum mundum.

qua necessitatis potest Episcopus dare facultatem legendi libros hareticos. Ratio est.

Episcopi in casu magnæ necessitatis, in quo non non possit summus Pontifex adiri. Ita Bonacina suprà cùm alijs, qui probat; quia tunc Papa præsumitur concedere Episcopo facultatem, Quæ ratio mihi placet, & addo aliam aliquanto diuersam, quia Episcopus in suâ dioceli potest quidquid potest Pontifex, si non sit à Pontifice reseruatum; non censetur autem reseruatum pro tali casu. Quam doctrinam latiùs expendemus in Tract. de *Matrim.* agentes de dispensationibus in impedimentis reseruatis.

1230. Quamuis autem non possint Episcopi aut Inquisitores concedere facultatem legendi libros Hæreticorum, vel Hæresim continentes, vel de Religione tractantes: possunt, si libri de Religione non tractent, neque Hæresim contineant, aut ab Hæreticis conscripti fuerint, dùm essent Catholici, aut postquàm iam fuerant Ecclesiæ reconciliati, Inquisitores concedere facultatem libros tales legendi. Ita Azor c. illo 16. q. 12. Pegna suprà vers. *Quorumdam* Farinac. de *Haresi* q. 180. n. n. 37. estque expressum in 2, Regulâ expurgatorij Romani.

CAPVT. V.

Qua pœna sint imposita transgressoribus prædictarum legum.

Pœna legentium &c. libros hareticos.

1231. QVi scienter legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt Hæreticorum libros de Religione tractantes, vel Hæresim continentes, sunt excommunicati Excommunicatione reseruatâ in Bullâ Cœnæ clausulâ primâ. Præterea ibidem constat de hæresi esse suspectos sic legentes, retinentes &c. Item reputari fautores Hæreticorum.

Pœna Componentis librum haresim continentem.

1132. Atque in primis de componente librum, in quo hæreses continentur, certum est, si ex proposito Hæreses scripserit, & defenderit, puniendum esse, tanquàm Hæreticum; est enim verè talis; quippe qui scienter contra Ecclesiæ sensum doceat maiori cum deliberatione, magisque ex instituto, & præmeditato, quàm si verbis id faceret, idque verum est, etiamsi in principio libri protestatus fuerit, se nolle contra Ecclesiam Catholicam sentire, contrario enim facto potestatem suam abrogauit. Secùs verò dicendum est, si non ex proposito; sed, quasi per transennã Hæresim scripserit; tunc enim præsumitur non ex malitiâ, sed ex ignorantiâ scripsisse; maximè, si res obscura erat, & difficilis, & præcesserit priùs prædicta protestatio, vel aliàs Catholicus, & probus communi hominum opinione haberetur, Ita Pegna 2.p. *Directorij* Comment. illo 3. ad c. *Fraternitatis* vers. *Horum tamen sententia.* Mascard de *probation.* conclus. 862. n. 3. & 5. Farinac. de *Hæres.* q. 180. n. 16. & 17. Azor tomo, 1. lib. 8. c. 16. q. 10. in medio.

1233. Eodem modo suspecti sunt falsantes, seu corrumpentes Catholicorum libros, praua dogmata illis miscendo. Ita Pegna suprà Comment 17. ad c. *Nouit.* de *sentent. Excommunic.* vers. Denique. Farinacius n. 14. Menoch de *Arbitrar.* Centuria 6. casu 549. n. 5. Qui Doctores latè, & rectè explicant modos quibus hæc falsitas contingit.

1234. Transcribens hos Hæreticorum libros etiam habetur suspectus de Hæresi in foro exteriori, si scienter faciat, & tanquàm fautor Hæretici damnandus erit. Ita Azor suprà c. 17. q. 5. Pegna Commento illo 17. vers. *Sed hæc sententia*, & sequentibus. Farinac. n. 18,

1235. Sæpè tamen ab hac suspitione excusati poterit, primò si statim post scripturas libros combuserit, aut lacerauerit 2. Si id fecerit iussu Domini, & metu incusso non ausus fuerit denuntiare 3. si transcripsit, tanquam discipulus, putans ibi non adesse malitiam, & venenum, Ideò prudentis arbitrio hæc omnia expendi debent, vt qualitas culpæ dignoscatur, vt iuxta illam grauis, leuisve, suspicio habeatur, aut nulla. Ita Azor, Pegna, Farinac, & alij suprà.

Imprimentium pœna.

1236. De imprimentibus libros Hæreticorum consentiunt Doctores vltra excommunicationem, tanquàm fautores Hæreticorum puniendos esse pœnâ arbitrariâ, atque ita decreuit Pius V. ad Indicem librorum prohibitorum regulâ 10. docetque Farinacius n. 19. Menich. Centuriâ 6. casu 549. Vgolinus de *Censur.* 2. p. in Gloss. *Imprimentes.* Pegna Comment illo 17. columnâ 1. in fine.

Notanda hic est prohibitio Leonis X. quoad typographos.

1237. Notandum præterea Leonis X. Constitutione, quæ incipit *Inter solicitudines* edictâ in Concilio Lateranensi anno 1515. probibitum esse omnibus typographis (vt iam suprà obiter notabamus) ne libros, aliasve quascumque scripturas, etiamsi Hæresim non contineant, nec de Religione tractent in vrbe imprimant absque examine, & approbatione in scriptis obtentâ sui Vicarij, & Magistri Sacri Palatij. In alijs verò diœcesibus absque approbatione Episcopi, & Inquisitoris Hæreticæ prauitatis; qui autem secùs præsumpserit vltra librorum impressorum amissionem, & librorum publicam combustionem, Centumque Ducatos fabricæ Sancti Petri, per annum etiam ab exercitio imprimendi suspenditur, & excommunicationem ipso facto incurrit reseruatam solùm Episcopo ex vi talis Decreti; Cressente vero illorum contumaciâ pœnæ augendæ sunt in Vrbe quidem à Vicario, in alijs uerò locis ab Episcopis.

Accedit Tridentini cautio quoad impressionem librorum.

1238. Tridentinum quoque sect. 4. Decreto *de edictione librorum* sub eisdem pœnis cauet, vt nemo imprimat, vel imprimi faciat quoslibet libros de rebus sacris sine nomine, Authoris; neque illos in futurum vendat, aut etiam apud se retineat; nisi præuio examine, & approbatione ab ordinario in scriptis obtenta. Quòd si volentes imprimere Regulares fuerint, debeant etiam habere licentiam, & approbationẽ suorum superiorum. In Regno autem Castellæ lege vsu receptâ sufficit licentia supremi Senatus, de cuius mandato examinatur priùs liber ab aliquo viro docto, sed â multis annis vsu receptum video vt qui Regulares non sunt, seu non subditi Regularibus, etiam ab ordinario approbationem habeant; imò hæc præcedat antequàm supremo Concilio liber reuidendus, & approbandus præsentetur. Rommæ verò Vicarius (vt audio) librum videndum remittit Magistro Sacri Palatij, cuius licentiâ habitâ Typographus imprimit, præfixâ in principio clausulâ

clausulâ *de licentiâ Superioris*, aut aliâ simili. In Lusitania autem video seruari Decretum Concilij Lateranensis; libri enim ibi impressi præfixam habent obtentam licentiam ab Ordinario, & ab Inquisitionis Tribunali.

1239 Subdit postea Concilium, *qui autem Scripto eos communicant, & euulgant, nisi ante examinati, probatiq; fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus Impressores.* Iam verò suprà diximus congregationem Cardinalium declarasse sub ijs verbis comprehendi conciones, annotationes, quæstiones, & alia similia, quæ communicantur ad effectum, vt typis mandentur; secùs verò extra hunc finem. Ita Rodriguez tomo 2. *Regularium* q. 104. art. 1. in fine, & alij, quos refert, & sequitur Barbosa. 3.p. de *potest. Episc.* allegation. 90.

Quæres

1240 Quæret tamen aliquis an, qui imprimit librũ suppositítio nomine Auctoris peccet contra prædictam legem Concilij.

Resp. Author. peccare contra legem Concilij imprimentem librum suppositio nomine Authoris.

1241 Ego sanè spectatis verbis, & Lege Conciliari omninò peccare censerem, & ita iudico; tunc enim liber ille prodit absque nomine auctoris, cùm non sit ille, qui præfigitur. Præterea non pauca ex inconuenientibus, quę vitare voluisse videtur Concilium videntur sequi, etiamsi falsus Auctor præfigatur; nec enim talis Auctor. conueniri potest, vt rationem reddat de suâ doctrinâ, & sæpe contingere poterit, vt, qui librum composuit, sit Auctor damnatus, & suppositius Auctor sit Catholicus, & probus, sub cuius nomine falsa doctrina, & venenum amplius diffundatur. Ideo Pegna in *directorio*, 2.p. comment. illo 17. ad c. Nouerit. vers. *Denique qualis sit* & sequentibus. Farnacius de *Hæresi* q. 180. numero 14. alijque Recentiores inter modos perniciosos falsificandi libros etiam computant hunc, & certè dignus est, qui expresse prohibeatur. Video tamen aliquos alioquin viros doctos, & probos absque vllo scrupulo libros à se cõpositos alterius amici vel consanguinei nomine vulgandos, & imprimendos tradere, atque hoc frequentiùs peccatum esse solet in Apologijs, alijsve libellis, quibus alius in alium inuehitur; tunc enim; vel nullum Auctoris nomen præfigunt, vel falsum affigunt aut etiam aliquem, qui non sit in rerum naturâ non sine incommodo, pacis, & Reipublicæ; sæpè enim multi audent alieno nomine effutire, quæ propriò non auderent; sed huic malo prouidere, ne serpat, alij, quibus incumbit, curabunt.

Pœna retinentium asportantiũ, &c.

1442 De retinentibus verò, defendentibus, asportantibus, vendentibus, & ementibus, eodem modo dicendum est, si libros Hęreticorum, in quibus Hæreses disseminatæ sunt, scienter retineant, defendãt, asportẽt, &c. & proculdubio suspectos fore de Hęresi, vt multi docent, quos refert, & sequitur Pegna suprà comment. 3. ad c. *Fraternitatis* vers. *sed alter casus* Martinus del Rio lib. 5. *Magic.* sect. 17. vers. *sunt etiam.* Menoch de *Præsumpt.* lib. 5. præsumptione 6. num. 18. Farinac. de *Hæresi* q. 180. num. 8. Azor lib. 8 cap. illo 16. q. 10. Imò addit etiam Decian. Tract. crimin. lib. 5. cap. 37. numero 55. Farinac. suprà numero 20. id locum habere, etiam nunquàm sic retinentes legerint tales libros.

1243 vtrum autem hæc suspicio leuis sit, aut vehemens seu violenta? non consentiunt Doctores. Quâ de re legi potest Farinacius num. 9. & Pegna nuper citatus. vers. *An autem ex suspicio.* Sed omissis varijs sententijs, mihi placet id arbitrio Iudicis remittendum esse, vt pensatis circumstantijs aliquando de leui, aliquando de vehementi, aliquando de violentâ suspicione reum condemnent. Ita Simancas de *Catholic. instit.* tit. 38. numero 24. Zanch. Tract. de *Hæreticis* cap. 7. num. 7 Albertinus Tract. de *Agnoscenda assert. Cathol.* q. 28. numero 26. & 30. Menoch lib. 5. præsumpt. 6. num. 18. Mascard. tomo 2. conclus. 862. num. 7. & sequentibus. Paramus de *Origine Inquisit.* lib. 3. q. 9. numero 147. Pegna, & Farinac. suprà alijque Recentiores. Quid autem sit leuis seu modicâ? Quid magna seu vehemens? Quid denique maxima, seu violenta suspicio? non est huius loci disputare; obiter tantùm dico modicam, seu leuem esse, quæ ex leuibus indicijs, & coniecturis oritur, quæ non multum mouent ad sic suspicandum; magna siue vehemens suspicio Hæresis est illa, quæ ex verbis, vel factis efficaciter frequenterque Hæresim concludentibus desinitur; quæ longum esset recensere. Legatur Vmbert. Locat in Iudiciali Inquisit. verbo *suspicio* numero 10. & 19. Eymer 2. p. Directorij q. 56. & ibi Pegna comment. 81. Lælius Zechius in *summa* 2. p. tit. de *Fide* Rubricâ de *Hæresi* cap. 11. num. 5. Maxima verò seu violenlenta est, quæ oritur ex verbis aut factis arctantibus Iudicem ad credendum sic facientem, aut dicentem esse Hæreticorum, vt si Hæreticos adorauerit, vel more suo reuerentiam exhibuerit consolationem, & communionem ab eis receperit c. *Accusatus* & c. *Quicumque* de *Hæreticis* in 6. vel si in causâ Fidei excommmunicatus per annum insorduerit c. *Cum contumacia*, de *Hæret.* in 6. item si deficiat in purgatione Canonicâ quam in causâ fidei sibi indictam præstare non potuit, cap. *Inter solicitudines de Purgatione Canonica.* Tandem si post abiuratam Hæresim, de quâ conuictus fuerat, vel postea conuincitur; communicat cum Hæreticis, receptat, & deducit, comitatur, dona, vel munera eis donat, vel mittit. c. *Accusatus. §. ille quoque* de *Hæret.* in 6. Legatur Vmbert. locat. suprà num. 1. 2. 3. & 4. Simancas de *Catholic. instit* tit. 50. num. 22. 23. 25. & 26. & in *Enchirid.* tit. 41. num. 2. & sequentibus Eymer. 2. p. q. 55. & ibi Pegna *Comment.* 80. & 3. p. Comment. 14. numero 100. Farinac. de *Hæresi.* q. 187. §. 2. 3. & 4.

1244. Aduertendum tamen est aliquando ex retentione, vel asportatione librorum nullam Hæresis suspicionem oriri in retinente, aut asportante; solet enim probari per indicia ferè manifesta omninò ignorasse qualitatem illorum librorum. Ita Lælius Zech. in summâ, 1. tit. de *Fide* cap. 11. numero 5. versu *Tertia præsumptio.* Pegna Comment. illo 3. vers. *an hæc suspicio.* & comm. 17 vers. *Cæterum in scriptore.* Farinacius q. 180. numero 9. Quapropter vt, qui retinet vel asportat libros Hæreticorũ suspectus sit de Hæresi, &, vt talis, possit torqueri, & ad purgationem condemnari, debet esse malæ famę, malæ vitæ, & conditionis, aut aliàs de Hæresi diffa- *Notandum.*

Comprahendi prædictis Censuris quamlibet pugnam

nertendum, non comprehendi sub prædictis Censuris qoamlibet pugnam, sed pugnam ex condicto, loco, & tempore determinaro Ideo, si quis calore iracundiæ ex acceptâ iniuriâ pronocetoffendentem statim ad pugnam non censetur commisisse duellum, de quo agimos, quia non fuit pugna ex condicto. Ita Sanchez suprà numero 28. Fannac. ex verbis Bullæ lib. t. eons. 9. numero 35. comprehenderetur autem Censuiâ si acceptâ iniunâ diceret offendenti: exeamus hinc, vbi sunt multi, qui nos possunt impedire, & eamus in agrum, ibíque pugnabimus; tunc enim iam illa pugna est ex condicto, & pacto locis, & temporis. Idem est, si vnus armatus alteri inermi diceret: vade, sume arma, hic te expecto; tunc enim (vt notat Sanchez suprà) iam & locus & tempus condicitur.

Notandū 2.

1258 aduertendum, 2. Excommonicationem, quam duellantes, eorumqúm Socij, & Patroni, Principesve concedentes locum, seu noo impedientes cùm possint, & quicumque ad id aoxilium, vel Consilium præstantes incurrunt reseruatam esse Punófici in Bulla Clementis VIII. potest tamen Episcopus ab eâ absoluere virtute concessionis Concilij Tridentini, si duellum oceultum sit; neqne intelligitur ea facultas abrngata virtute Bullæ Cœnæ, vt à fortiori colligitur ex dictis suprà à dub. 3. vsqoe ad septimam maximè dub 4. & 5. & de hoc casu docet Sanchez. lib 2. Summæ cap. 30. numero 27. Bonacinâ de Censuris disp. 2. q. 6. puncto 2. numero 15. Barbosa, 3. p. allegat. 50. numero 120 in fine, & vbi promulgatur Bulla Cruciata poterit Confessarius electus virtute illins ab hac excommunicatione semel in vita, & semel in mortis articulo absoluere, quia exclusâ Hæresi omnes aliæ Censuræ conceduntur. Neque est verisimile, vt notat Sanchez, & alij velle Pontificem supradictum priuilegium limitare.

Potest Episcopus absoluere ab excomm duelli occulti.

Notandum 3 Principē duelli locum Infidelibus concedentē non excommunicari. Ratio est.

1259 Aduertendum 3. non incurrere prædictam excommunicationem Tridentini, & Pontificum Principem, qui locum infidelibus concedit ad duellum; tum, quia Tridentinum expresse dixit *inter Christianos* vt cum Martino del Rio, quem refert docet Sanchez suprà num 59. Barbosa in Remissionibus Concilij ad citatum locum Bonacina suprà numero 10. tum; quia quando principales delinquentes non incurrunt Censuram, neque accessorij incurrunt. Cū ergo Infideles nō baptizati duellantes illam non incurrant, neque alij concurrentes, in quos accessoriè, & secundariò Censura fertur, incurrent. Incurreret autem Princeps iuxta prædictos Auctores, si Christiano pugnaturo cum Infideli in suo Regno locum concederet.

Quando Principales delinquentes non incurrunt Censuram neque accessorij incurrūt.

1260. Huc tamen difficultate non caret; nam cum lex illa pœnalis sit, strictissimè explicanda est, & non extendenda saltē vltra proprietatem verborum, Lex autem Tridentini expresse dicit. *Inter Christianos*, duellum autem inter baptizatum, & non baptizatum non est inter Christianos, sed inter non Christianum, & Christianum: ergo absque sufficienti fundamento extenditur ad tale duellum. Ideò mihi videtur probabile excusari; nec sanè ita horret Christiana gens, si videat hominem Christianum contra ethnicum, seu Machometanum pugnantem, atque contra alium Christianum. Ideò non mirum quod seueriùs puniatur hoc, quàm illud.

Duellum baptizati cum non baptizato non Comprahenditur lege Tridentini

1261. Excusatur etiam Princeps à prædicta excommunicatione, & pœnis, quando est iusta causa permittendi; si enim permissio licita est, non potest pœnâ puniri. Quòd autem aliquando possit esse causa iusta permittendi, non videtur posse dubitari; sæpè enim contingit posse permitti aliqua mala, vt euitentur maiora.

1262. Excusantur 3. à pœnis prædictis casu spectantes duellum, qui non ex proposito illud spectandi illac transeunt; nam Gregorius XIII. postulat in suâ Bulla, vt ex proposito spectent; neque tali modo spectandi videntur duellantes ad pugnam incitari, vt notat Sanchez n. 31.

Excusantur à pœnis casu spectantes duellum.

1263. Quartò iuxta eundem ibidem excusantur, qui commitantur animo impediendi pugnam; hi enim dici non possunt socij illorum, sed potiùs aduersarij, neque auxilium præbent, sed potius impedimentum, imò talis comitatus laudabilis est, & quandoque ex obligatione suscipiendus. Addiderim etiam quandoque illos hortari ad duellum, & disponere illis locum & genere ad speciem munus patrini esse laudabile, atque adeò liberum ab omni Censurâ, nimirum, qoando timetur aliquos inter se dirè & seriò pugnaturus, si relinquantur, & pensatis circunstantijs satiùs, & tutiùs, qood alijs spectanobus, & non permissuris, vt res ad exitum perueniat, & conflictus fiat, nisi leuiter, & absque periculo, eâque ratione putatur vtriusque animum esse pacandum. Vnde qui dicat eià, venite, pugnate. & tanquàm viri honesti, & fortes suam quisque causam, rationem, & intentionem tueatur; nos hic spectatores erimus eâ lege, vt, quando iudicauerimus, satis quemque pro suâ parte præstitisse, cessetis; in eo sanè caso potiùs videtur impedire maius malum, & cooperari ad duellum fictitium ne postea verò duellu inter se digladientur, vel turbeot Remp. aut familias.

Item concomitantes vt pugnam impediant. Ratio.

Addit Author quandoque hortari ad duellum esse laudabile.

Ratio.

1264. Adoertendum 4. reliquas pœnas, quæ non sunt Censuræ latas in suprà dicto decreto Tridentini Bullisque Pontificum indigere sententiâ Iudicis declaratoriâ saltem criminis vt Incurrantur; quod de infamiâ, proscriptione bonorum, amissioneque loci, in quo duellum committitur, videtur certum; priuant enim Iure adquisito. Idemque iudicium videtur ob eandem rationem de inhabilitate ad beneficia iam obtenta; de inhabilitare verò ad officia, & beneficia obtinenda probabile putat Molina Tract. 2. de *Iustitiâ* disp. 17. Nauarrus c. 11. quos etiam retulimus loco citato de *Iustitia* etiam indigere sententiâ Iudicis, quia non est vsu receptum, vt ante illam hæ poenæ incurrantur.

Notandū 4. reliquas Pœnas non nominatas in Tridentini &c. indigere sententiâ Iudicis declaratoriâ

1265. Iam verò, quod attinet ad absolutionē certum est, vt diximus, prædictam Censuram esse reseruatam Pontifici; atque adeò solus ipse potest ab illâ absoluere, vel Episcopus, quando delictum occultum est, vt suprà etiam diximus, & præter Sanchez ibi citatum docet Rodriguez tomo. 1. *Regularium* q. 8. art. 10. & alij, quos refert, & sequitur. Idem Sanchez lib. 3. de *Matrimonio* disp. 26. n. 7. & lib. 8. disp. 35. n. 57

Absoluere à prædictâ Censura quis potest.

Hen..

Henriquez lib. 7. c. 26. n. 3. Suarius de *Pœnit.* disp. 30. sect. 2. n. 14. Bonacina suprà n. 15. qui etiam alios refert. Item potest Episcopus, quando pœnitens detinetur iusto impedimento adeundi Pontificem, vel alium, qui ad id potestatem habeat, siue per Bullam, siue per speciale aliquod priuilegium. In quo philosophandum est iuxta suprà dicta dub. 8. vsque ad 11. vbi etiam diximus de Religionis & alijs habentibus priuilegium, & de absolutione in articulo mortis vel propter aliud impedimentum, aut sine illo.

Quæres.

1266. Quæret tamen aliquis an incurrat excommunicationem Gregorij XIII. qui præmissâ cum alio prouocatione ad duellum sese contulit tempore præfixo ad locum constitutum, sed aduersario non comparente intra constitutum terminum discessit?

Resp. ad censuram incurrendã requiritur effectus pugnæ.

1267. Respondeo non incidisse; quia ad illam incurrendam videtur requiri effectus pugnæ, ut patet ex illis verbis Bullæ *Monomachiam commiserint.* Præterea in eâdem Bullâ dicitur nisi per ipsos steterit, quò minùs pugna committatur, tunc autem stat per ipsus per eum scilicet, qui non comparauit, imò & per ipsum etiam, qui nec voluit expectare; nec quærere, nec mittere aliquem, qui accerseret aduersarium. Accedit principium generale quòd materia est odiosa, & non extendenda, sed restringenda potiùs, quantum verba patiantur, verba autem non patiuntur illam extensionem, sed potiùs postulant restrictionem prædictam dũ ait Pontifex. *Qui ex condicto statuto tempore, & in loco convento* Monomachium commiserint.

Materia odiosa non extendenda sed restringenda.

Obijcies 1.

1268. Obijcies verba eiusdem Bullæ, in quibus dicitur *Etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint impediti pugnam non commiserint.* Ergo non est necessarium quod pugna committent.

Resp. Excommun. latam esse contra actu committentes duellum tantum.

1269. Respondeo ea verba non esse referenda ad eos, qui se tantum diffiderunt; excommunicatio enim contra eos fertur, qui Monomachiam commiserint ut constat ex verbis citatis; qui autem accedens non pugnauit non dicitur Monomachiam commisisse, sed voluisse illam committere, & non est verum in nostro casu, quod vterque accesserint pugnaturi; & non pugnauerint impediti; solus enim vnus accessit, & nemo illos impediuit. Ita docent Authores citati, & citandi.

Obijcies. 2.

1270. Obijcies 2. socij incurrunt excommunicationem, etiamsi, prouocantes se ad duellum non pugnauerint: ergo etiam ipsi prouocantes, aut se diffidentes.

Resp. in pœnis nõ argumentari a simili.

1271 Respondeo non esse legitimam consequentiam; nam in pœnis non licet argumentari à simili, imò neque à maiori ad minus; sed standum est verbis legis, & excommunicatio non incurritur; nisi in Iure expressà, vt omnes fatentur; non est autem expressa contra prouocantes se ad duellum, si effectus non sequatur quantum est ex parte ipsorum; est autem expressa contra Socios, etiam antequàm sequatur effectus.

1272. Nec contra dictam doctrinã vim habet argumentum deductum ex Bullâ Clementis VIII. nam Clemens VIII. extendit, excommunicationem ad plures alios casus, ad quos nec Bulla Gregorij nec Decretum Tridentini extenduntur. Ita Sanchez lib. 2. 39. n. 28. Comitolus lib. 6. q. 18. n. 7. & 8. & præsertim q. 13. n. 5. Filiucius Tract. 15. c. 5. n. 106. Bonacica suprà n. 16. quamuis alij, quos refert, oppositum sentiant.

1273. Ex quo infert idem Bonacina hunc casum non esse reseruatum Religiosis per Bullam Clementis VIII. quæ incipit *sacra congregatio*, & consequenter Religiosos habentes facultatem absoluendi ab excommunicatione exceptâ causâ duelli iuxta Decretum Tridentini, & Gregorij XIII. posse absoluere à prædicto casu nostro; quia hic casus ibi non continetur, quiquid sit an contineatur in Bullâ Clementis Octaui. Legatur Layman lib. 3. Tract. 3. p. 3. 15. in fine. *Infert Bonacina.*

DVBITATIO. LXIII.

De Excommunicatione, quæ contrahitur ab ijs, qui cogunt fœminas ad Religionem, vel ab illâ retrahunt.

1274. NOn agitur in præsenti de coactione, quâ viri coguntur ad ingrediendam *Nota 1.* Religionem; locus enim Tridentini, cuius occasione hac de re agimus solùm de fœminis legem, & Censuram habet.

1275. Item notandum est coactionem, de quâ nunc disputamus; esse per metum grauem, sola enim hæc est propriè coactio, & cùm lex Tridentini citanda agat de coactione. Lexq; pœnalis sit, strictè intelligi debet de illo scilicet metu, de quo habetur ratio in Iure; hic autem non est metus leuis; sed grauis, & (vt dici solet) cadens in constantem virum.) *Nec timorem ff. de eo quod metus causâ.* Accedit quod pœna constituta in Iure contra eos, qui metum inferunt, incurritur tantum propter incussum metum sufficicientem ad reuocanda illa, quæ per metum fiunt, hic autem solus est grauis metus, vt dicemus in Tractatu de *Matrimonio* & notat Gloss. ad citatum c. & Sanchez lib. 4. *summa* c. 4. n. 4. *Nota 2. agi hic de coactione per metum grauem.*

1276. His præmissis sciendum est in Tridentino sess. 25. cap. 28. de *Regularibus* prohiberi sub pœnis cogere aliquam fœminam ad ingrediendum Monasterium, vel ad aliquam Religionem suscipiendam vel ad faciendam professionem; extenditurque excommunicatio ibidem ad dantes auxilium, consilium, vel fauorem cogentibus, hoc est ad eos, qui scientes fœminam non spontè ingredi Monasterium, habitumve suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem adfuerit vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatẽ interposuerit. Quæ vltima extensio (vt notat Suarius postea referendus) valde singularis, & rara est, ideoque monet singula eius verba esse expendenda. *In Trident. prohibetur sub pœnâ excomm. cogere fœminã ad ingrediendum monasterium &c.*

1277 Notandum verò est in hac re non incurri excommunicationem, quando metus incutitur ad alium finem, quàm ad professionem extorquendam. Vnde non incurret, qui per metum in Monasterio constituit fœminam, *Nota.*

vt

vt ibi educetur donec sit apta nuptui. Ita Rodriguez in *Summâ*. 2. p. c. 8. conclus. 5. num. 10. Bonacina de Censuris dist. 2. q. 6. puncto 2. cui videtur Suarius oppositum sentire. disp. 23. *de Censuris* sect. 7. numero 9. *Filiucius* Tract. 14. cap. 6. quæsito. 5. numero 89. Sanchez citato lib. 4. cap. 4. numero 3. Sed non videtur mens Consilij Tridentini esse, ferre Censuram; nisi coactio illa ad ingrediendum monasterium sit in ordine ad Religionem. Quamuis enim (vt rectè declarat Suarius eodem numero 9) Concilium prohibuerit, tanquàm diuersas coactiones coactionem ad ingrediendum monasterium ad suscipiendum habitum, & ad professionem emittendam; tamen ille ingressus Monasterij intelligi videtur à Concilio in ordine ad Religionem capessendam, vnde oritur aliqua coactio ad ipsam professionem; id enim intendebat ibi Concilium, scilicet prohibere omnem coactionem in ordine ad statum Religiosum, cuius electionem, & susceptionem voluit esse omninò liberam.

Mens Concilij prohibentis coactionem.

1278 Illud autem est certum, si sit iusta causa cogendi ad ingressum Monasterij nullam incurri Censuram. Ideò Concilium addit illam particulam; nisi in casibus Iure expressis; nam in pœnam, vel cautionem cogi possunt interdũ fœminæ ad ingrediendum Monasterium, idque Iura permittunt, vt notat Suarius; ad habitum verò, & professionem aut raro aut nunquam.

1279 Vlterius (vt aliqui volunt) excommunicatio non incurritur, quando adsunt preces importunæ, sine minis quia nimirum putant huiusmodi preces non inferre vim; qua de re agemus in Tract. de *Matrimonio* vbi disputabimus, an preces importunæ habeant rationem coactionis?

1280 Illud saltem mihi placet non habere rationem coactionis, quando quis suadet alteri ingredi Religionem iniecto metu priuationis alicuius boni, ad quod sic suasus non habet Ius. Vnde, si aliquis consanguineus, vel amicus dicat fœminæ; nisi ingrediaris Religionem, & in ea profitearis, non dabo tibi hæc, aut illa bona, quibus fruaris per totam vitam; quòd si ingrediaris, dabo. Tunc, etiamsi metu carendi talibus bonis Religionem suscipiat fœmina, non censetur homo ille coëgisse ad Religionem.

1281 Vtrum autem censeatur coactio, quando fœmina metu mortis iniustè incutiendæ adigitur ad Religionem capescendam? non videtur ita clarum, v.g. deprehensa fuerat mulier in adulterio, quam iustè conuictam, & damnatam habet Maritus in suâ potestate, illamque (vt potest) paratus est occidere; nisi fortè illa velit Religionem ingredi, in eaque profiteri; An tunc censeatur Maritus cogere, si dicat, si vis esse Religiosa, parcam tibi, sin minùs te occidam? Mihi videtur saluo meliori iudicio prædictum hominem non incurrere Censuram latam in Tridentino, ibi enim tantam fertur contra coactionem, & metum iniustè incussum qualis non est hic, sicut non censetur coactio iniusta illa quã mouetur homo c. *Damnatus* ad ducendam fœminam, quàm alioquin nullo modo duceret, quando illi parcitur, & vita condonatur sub conditione, quod illam ducat, vt suo loco dicemus in Tract. de *Matrim*. An verò tunc valeat illa professio ex tali metu emissa? non est huius loci disputare. Hac de re agemus in Tract. de voto.

Censura in Tridentino fertur contra metum iniustè incussum.

1282 Illud etiam verissimum est, etiamsi metus sit iniustè incussus, non tamen ad extorquendam habitus susceptionem vel ingressum Monasterij, aut professionem: fœmina tamen ipsa propter huiusmodi metum moueatur ad Religiosum statum suscipiendum, vt euadat periculum, quod timet: in tali casu eum, qui sic metum incutit, non incurrere prædictam Censuram Tridentini; ille enim non dicitur cogere ad Religionem; sed absolutè velle incutere metum, vel exequi minas ipsas, quas intendit. Hac ratione in simili de voto docent esse votum validum, & non coactum illud, quod mittitur pro euadendo periculo grauis damni, quod timet etiam à causâ libera iniustè illati, aut inferendi non ad eum finem extorquendi votum, vt, si quis incidens in Latrones voueat Deo se fore Religiosum, cum ab illo periculo euadat; tunc enim latrones non censentur illum cogere ad faciendum votum, neque illud votum censetur per coactionem emissum, vt suo loco latiùs explicabitur. Legatur Sanchez citato lib. 4. numero 6. & 7. vbi agit de suatione ad Religionem iniecto metu priuationis boni, ad quod suasum non habemus.

1283. Vlterius non incurrent excommunicationem quicumque metum incutiunt, quantumuis iniustum si talis metus effectũ nõ sortiatur. Ideò, si non ingrediatur Religionem, aut non suscipiat habitum, aut non emittat professionem, non incurretur Censura ob coactionem ad aliquam illarum actionum; hæc enim est differentia inter cogere, & conari, vt faciat, quod cogere connotat effectum, & actionem, ad quam quis cogitur; conorari verò solùm connotat actionem ex parte conantis in ordine ad effectum, & coactionem.

Censuram non incurrit quis quando metus iniustus effectum non sortitur.

1284 Eodem modò præstantes auxilium, vel auctoritatem, vel fauorem, &c. non sunt excommunicati: nisi sequatur effectus, ad quem talem fauorem præstant, nempe; nisi fœmina habitum suscipiat, Monasterium ingrediatur; aut professionem emittat; quando enim excommunicatio accessoriè fertur in dantes auxilium, ea non incurritur, nisi sequuto effectu, ob quem principaliter fertur. Vnde hæc non incurretur nisi sequuta coactione iuxta dicta disp. 1. dub. 19. & 20. & in præsenti docet Rodriguez c. illo 8. conclus. 9. numero 10. Nauarrus lib. 1. *Concilior*. cons. 3. *de sententia excom*. Filiucius suprà num. 19. & 20. & alij, quos locis notatis retulimus.

1285. Extenditur etiam eadem excommunicatio in Tridentino eodem c. ad omnes, qui quamcumque fœminam volentem velum accipere, aut votum emittere, absque iusta causa impediunt. In qua re optimè notat Suarius n. 10. pro eodem reputari velũ accipere, & votum emittere, quod Religionem profiteri; quia tamen nemo potest profiteri; nisi prius habitu suscepto, qui eam susceptionem impediret, à fortiori impediret professionem, eamque Censuram incurreret. In quo etiam consentiunt Filiucius

Incurrunt hanc Censuram impedientes fœminam ab emissione voti sine iusta Causâ.

liucius Bonacina, & alij.

1286 Rectè etiam notat Suarius, quamuis illa particula *votum emittere* vniuersalior sit, & ad quoduis votum extendi possit ita, vt qui impediret. V. g. ne aliqua emitteret votum castitatis, ea Censurâ comprehenderetur, nihilominùs spectato fine Concilij, non videtur loquutum de priuatis votis; ideo autem vsum fuisse duplici illo modo loquendi accipiendi velum & emittendi votum, vt comprehenderet omnes modos professionis Monialium; neque enim omnes per veli susceptionem professionem emittunt.

1287 Consequenter etiam ad suprà dicta videtur dicendum non incurrere hanc excommunicationem, qui solis precibus retrahit fœminam à Religione, quia non censetur impedire voluntatem, cùm fœmina spontè nolit. Incurret autem qui per dolum retrahat, si sequatur effectus iuxta dicta; dolus enim voluntarium tollit. Ita Bonacina, & alij suprà. Omitto alia circa hanc rem, quæ sunt leuioris momenti, & videri possunt in eodem Bonacina suprà.

1288 Plures sunt excommunicationes in particulari contentæ in iure, siue in corpore Iuris communis siue in alijs Constitutionibus, quas tamen longum esset recensere; & quomodò in illis Philosphandum sit? ex dictis potest facilè colligi. Plures recenset Suarius (nam omnes quis possit) legat illum, qui volet à disp. 21. vsque ad 23 inclusiuè. Nobis hæc dicta de excommunicatione sufficiant. Plures etiam videre licèt apud Bonacinam tom. 3.

DISPVTATIO IV.

De Suspensione.

1 Multa ex ijs, quæ diximus de Censuris in communi & de excommunicatione locum habent in sequentibus alijs Censuris, & quasi Censuris maximè in hac suspensione, & in sequenti Interdicto. De suspensione disputamus immediatè post excommunicationem sequuti morem aliorum, & ipsius etiam Iuris, in quo secundo loco numeratur.

DVBITATIO I.

Quid nomine suspensionis significetur? & quæ sit propria ratio huius Censuræ? & quotuplex sit suspensio?

2. Nolo immorati in explicandis varijs acceptionibus suspensionis, statim pergo ad definitionem suspensionis, quatenus est Censura Ecclesiastica; hac enim explicatâ, facile erit suspensionem, quæ est Censura, ab alijs distinguere, & separare.

Definitio suspensionis 3. Varijs solet definitionibus, seu descriptionibus hæc Censura definiri, quæ tamen ad vnam hanc possunt reduci. suspensio est *Ecclesiastica Censura, quâ persona Ecclesiastica ob culpam suâ prohibetur vti potestate illi congruenti ratione Clericalis officij, aut beneficij.* In hanc definitionem paulò alijs verbis consentiunt communiter Theologi, Canonistæ, & Summistæ, vt videre est inter alios apud Sotum in 4. dist. 22. q. 3 art. 5. §. *differunt autem.* Nauarrum cap. 27. numero 155. Suarium disp. 25. sect. 1. numero 2. Auilam de *Censur.* 3. p. disp. 1. dub. 5. Angelum Syluestrum, & alios summistas verbo suspensio in principio. Sayrum. lib. 4. *Thesauri* caps. 5. Henriq. in *Summâ* lib. 13. cap. 31 Coninc. disp. 15. dub. 1. Laym. lib. 1. Tract. 5. p. 3. c. 1. Bonacina de Censur. disp. 3. puncto 5. Filiucius Tract. 17. c. 1. q. 2.

4. Dicitur autem *Ecclesiastica Censura*, quia hoc est genus, in quo conuenit cum cæteris. *Explicatur definitio.* Quod genus latè explicuimus disp. 5. dub. 2. & deinde ostendimus dub. 3. suspensioni huic conuenire tale genus. Per illam autem particulam *Ecclesiastica* distingui potest à prohibitionibus ciuilibus, & significatur causa efficiens talis suspensionis, quæ non potest prouenire; nisi à personâ Ecclesiasticâ; Neque hoc sanè sufficit; sed necessarium etiam est, quod habeat Iuridictionem in foro externo iuxta doctrinam traditam eâdem disp. 5. dub. 6. Vnde, si Parochus, vel Confessarius pro pœnitentia peccatorum iniungat, vt abstineat à functione sui muneris, alicui Clerico, non dicitur propriè suspendere, ac proinde quamuis alioquin violans Censuram fiat Irregularis, non fiet talis violando huiusmodi præceptum, vt consentiunt citati Auctores locis citatis.

5. Dicitur autem *ob culpam suam*; quia cùm omnis Censura sit pœna, & hæc supponat culpam, suspensio tanquàm Censura illam supponit.

6. Dicitur *persona Ecclesiastica*, vt significetur subiectum proprium huius censuræ; neque enim suspensio, de qua agimus, cadit in Laycos, sed in Ecclesiasticos, quos priuat aliquo exercitio spirituali. *Suspensio solum cadit in personam Ecclesiasticā*

7. Dicitur autem *Prohibetur vti potestate*, quia non tollitur radicalis potestas, sed vsus illius, qui congruerèt tali personæ nisi prohibetur.

8. Dicitur etiam *Ratione Clericalis officij aut beneficij*, vt comprehendat omnes actus proprios Ecclesiasticæ personæ, qui illi competunt quatenus Clericus est, & ordinatus, & quatenus beneficium Ecclesiasticum; ad aliquid enim horum se extendit hæc Censura, vt ex dicendis constabit.

9 Ex dicta definitione infertur suspensionem aliam esse totalem, aliam partialem: Totalis *Diuisio Suspensio alia est totalis*

tatis alia partialis.

talis dicitur, quæ omnem vsum tali personæ ratione prædictorum competentem tollit & prohibet; partialis verò, quæ solùm partem vsus.

Totalis duobus modis, fieri potest.

10. Totalis suspensio, quę simul est ab officio & beneficio, duobus modis ferri potest. Primo exprimendo esse suspensionem tam ab officio, quàm à beneficio, vt in c. *Tuarum de Privileg.* & Clementina 1. de *Decimis* 2. imponendo suspensionem sine vlla limitatione ita, vt neque ex adiunctis colligi possit aliqua limitatio, tunc enim censetur simpliciter & totalis, vt dicemus dub. sequenti assert. 2. propositio enim indefinita in doctrinalibus & in legibus æquiualet vniuersali; atque adeò in hoc casu id admittunt Henriquez suprà n. 1, c. 32. Coninc suprà dub. 1. n. 4. Layman suprà n. 2. & alij. Sic in Extrauag. *Diuina* de *Privileg.* excommunicationis, suspensionis, & Interdicti sententia infligitur ipso Iure ijs, qui conferunt, vel recipiunt beneficia pro suis negotijs ad Curiam Romanam proficiscentium aut aliquod in illa officium exercentium, atque hoc genus suspensionis expressè, & absolutè datæ dicitur suspensio simpliciter totalis.

Totalis secundum quid.

11. Aliud genus est suspensionis totalis non simpliciter; sed in aliquo genere, & dicitur totalis secundum quid nempe suspensio ab officio, & suspensio à beneficio.

Alia est ab officio tantũ alia à beneficio tantum.

12. Itaque alia est suspensio ab officio tantum siue officium Ordinis sit, siue Iurisdictionis; alia est à beneficio tantum, siue beneficium sit simplex, siue Curatum, siue Canonicatus, siue dignitas, siue Episcopatus & alia est ab officio, & beneficio, simul. Rursus suspensio ab officio aliquando est à toto officio, quà quis priuatur omni vsu sui officij; alia est à parte officij, quà quis priuatur non omnibus, sed aliquibus actionibus sui officij, qualis est illa, quà quis suspenditur ab audiendis Confessionibus, non verò ab administratione aliorum Sacramentorum aut alijs, quo concernunt proprium. Ita plerique Authores citati. Nauarrus suprà n. 154. Layman suprà n. 2. Bonacina suprà n. 2. Rodriguez in summâ c. 79. Syluest. suprà, quæstio 1. Auila suprà disp. 1. Filiucius suprà, q. 2. Regivald lib. 2. Tract. 3. n. 6. & sequentibus,

Alia dicitur temporalis, alia perpetua.

13. Vlterius alia dici solet suspensio temporalis, alia perpetua: temporalis dicitur illa, quæ fertur cum limitatione termini, seu temporis, perpetua verò, quæ simpliciter fertur absque vllâ temporis limitatione. Item aliâ dicitur suspensio pœnalis; alia medicinalis. Pœnalis est, quæ merè fertur in pœnam, & vindictam delicti, vt cum quis suspenditur ob peccatum præteritum. Medicinalis verò qua intenditur emendatio & bonum delinquentis.

14. Verum suspensionem merè pœnalem, & duraturam in perpetuum (& quæ post certum tempus per se ipsam cessatura absque vllâ absolutione ferri quandoque solet) non esse verè, & propriè Censuram Ecclesiasticam, quæ est pœna medicinalis, & correctionem Censurati respicit, diximus latè cum Suario disp. 1. dub. 2. & consonat doctrinæ traditæ disp. 2. dub. 21. in, responsione ad 3. circa finem dubitationis. Quæ doctrina amplius explicatur eâdem disp. 1. dub. 3.

Ioan. de Dicastillo de Censur.

Diuisio ex parte illam ferentis.

15. Quòd autem suspensio diuidi etiam possit ex parte ferentis illam, scilicet, quod alia sit à Iure, alia sit ab homine, commune est cum alijs Censuris.

16. Alias diuisiones suspensionis afferunt aliqui qualis est illa, quòd alia sit suspensio maior, alia minor; hæc tamen diuisio non admittitur à plerisque nisi quis velit eum Filiucio n. 6. & Suano, illam esse maiorem suspensionem, quæ suspendit ab omnibus nempe ab officio & beneficio simul minorem verò, quæ suspendit solùm ab aliquâ parte.

Suspensio differt à cæteris censuris.

17. Ex traditâ doctrinâ constat suspensionē differre à cæteris Cēsuris, & pœnis, atque in primis ab excommunicatione minori, quia hæc solùm priuat passiuâ susceptione Sacramentorum suspensio verò priuat actiuâ, aliosque plures habet effectus, vt patebit ex dicendis.

A Minori excomm.

A Maiori differt.

18. A maiori verò excommunicatione differt, quia maior excommunicatio ad plura se extendit; includit enim effectus suspensionis, aliorumque bonorum priuationem inducit. Præterea priuat actionibus, quatenus eæ sunt quædam communicatio cum alijs fidelibus, suspensio verò, ijsdem priuat, quatenus sunt quædam functio officij. Accedit quòd Episcopus, seu Iudex alius ferens excommunicationem non potest illam limitare ad aliquem solùm determinatum illius effectum v. g. excommunicare, solùm priuando communibus Ecclesiæ suffragijs concessâ interim communicatione cum fidelibus; quia nimirum excommunicatio affectus habet à Iure determinatos, quos Episcopus limitare, aut coarctare nō potest, cùm nec possit in Iure communi dispensare. Qui verò suspensionem fert, potest ad vnum tantum effectum particularem limitare ex Iuris permissione. Ideò vt vis cuiusque suspensionis dignoscatur, attendenda verba sunt, quibus suspensio fertur. Nam; si absolutè feratur sine vllâ restrictione, ad omnes effectus se extendit vt suprà, dicebamus; Secùs verò, si tantum aliquem effectum significent.

Excommu. effectus habet a Iure determinatos quos Episcopus limitare nequit

Non ita suspensio.

19. Quod autem aliqui Doctores dicunt in eo etiam differre excommunicationem, & suspensionem, quod inferior Papâ non possit suspendere effectus excommunicationis; quia nun potest concedere, vt excommunicatus celebret absque peccato, & Irregularitate, potest verò suspendere effectus suspensionis, & interdicti tam localis, quàm personalis, probabilem quidem imò, & veram doctrinam continet, si rem ipsam spectes secundum se, eamqne docet Henriquez lib. 13. c. 47. n. 1. Conarr. c. *Alma mater.* p. 2. §. 2. Nauarrus c. 27. n. 165. Sayrus lib. 4. c. 10. & alij multi contra Vgolinum, & alios, eamque videtur approbare Bonacina suprà n. 3. in fine; tamen quæstio videtur denomine potiùs quàm de re, an pro illo casu censeatur censura permanere? nam si Pontifex tollit aliquem effectum ab excommunicatione, iam non relinquit excommunicationem in eo statu, in quo ipsa instituta est, sed videtur aliud genus Censuræ magis restrictum pro tunc instituere similiter, si pro aliquo casu Pontifex, vel Episcopus concedat aliquem actum, seu vsum, quem tollebat suspensio mortari à magis ampla in

in minus amplam; nam eo ipso quod concedit talem actum, aut vsum, cessat, quoad illam partem suspensio. Vnde dicere, quod maneat eadem excommunicatio eademque suspensio in prædictis casibus, vel dicere, quod excommunicatio illa non sit eadem; sed aliud genus excommunicationis pro tunc absolutâ potestate introductum à Pontifice, & aliud genus suspensionis minùs amplum inductum à Iudice, qui potuit suspensionem restringere, nominis quæstio potiùs est, quàm rei.

Authoris iudicium. 20. Ideò non multum contenderim pro alterutrâ parte dommodò concedamus posse summum Pontificem pro absolutâ potestate suâ tollere aliquem effectum excommunicationis, ex ijs, quos nunc habet relictis alijs, siue dicatur eadem ipsa excommunicatio, siue alia noua minùs ampla; item posse Iudicem Ecclesiasticum tollere prohibitionem alicuius actus, qui prohibebatur priùs suspensione relinquendo interim prohibitionem aliorum actuum, siue dicatur eadem suspensio, siue alia noua minùs ampla.

Ex dictis patet posse ferentem suspensionem illum suspēdere ad tempus. 21. Ex dictis patet posse Iudicem, vel Episcopum, qui tulit Censuram suspensionis, & Interdicti illam suspendere ad tempus concedendo, vt possit quis v. g. celebrare tunc temporis absque eo, quòd incurrat Irregularitatem. Ratio est tùm principium illud generale, quòd Censura non obliget vltra intentionem ferentis illam c. *veniens* el. 2. de *Testibus* tum, quia id videtur Iure concessum c. *Dilectus* de *appellationibus*, tum, quia id etiam habet praxis, vsusque receptus. *Ratio quia Censura nō obligat vltra intentionem illam ferentis.*

Obijcies. 22. Quod si obijcias inferiorem non posse suspendere effectus Censuræ qui sunt à Iure communi, cùm non possit Iure communi dispensare, atque adeò non posse restringere vim suspensionis: respondent aliqui posse inferiorem Iudicem in eo casu dispensare in Iure communi ipso Iure id permittente; meliùs tamen respondetur cum alijs, tunc Iudicem non dispensare; sed iuxta paulò ante dicta mutare suspensionis Censuram à se latam in aliam magis restrictam, &, quæ non prohibeat talem actum qui tunc permittitur; sicut enim à principio potuit cum eâ restrictione suspensionis Censuram ferre, poterit postea limitare, aut in sic restrictam suspensionem ampliorem primam mutare; vel certè dic tunc Iudicem pro certo tempore suspensionem illam tollere ad reincidentiam, vt vult Sayrus suprà, & Tabiena verb. *Interdictum* 1. alijque communiter. *Resp. aliqui.* *Melius alij.*

Suspensio differt ab Irregularitate. 23. Vlterius suspensio ab Irregularitate differt, non solùm quia hæc non est propriè Censura, sicut illa, iuxta dicta disp. 1. dub. 3. sed etiam; quia Irregularitas priuat suspensione ordinis, vt ordo est; suspensio verò ordinis exercitio priuat, vel beneficij, aut afficij, seu potestatis Ecclesiasticæ; quatenus est quædā functio.

Item a degradatione & dispositione. 24. Tandem à degradatione, & depositione differt, quod iuxta dicta locis notatis eæ priuant vniuersaliter beneficio, & officio sine spe reconciliationis adiunctâ etiam solemni quâdā ceremonia, quod non habet suspensio vt notant communiter Authores.

DVBITATIO II.

Quinam sint effectus Suspensionis?

25. Constat ex dictis, vt indicauimus dub. præcedenti in eo differre suspensionem ab excommunicatione, quòd hæc habet effectus certos, & determinatos in Iure, qui statim illam consequuntur. Neque est in potestate Episcopi hos, vel illos effectus ab excommunicatione separare, etiamsi ipse sit qui imponit excommunicationem, cùm tamen iuxta dicta præcedenti dubitatione sit in potestate suspendentis priuare ab vnâ actione, & non ab aliâ. Quo supposito.

26. Assero primò, quoties suspensio fertur, exprimendo in verbis suspensionis particularem aliquem effectum, tunc Clericus censetur suspensus ab illo effectu, & alijs illi annexis, non verò ab alijs non annexis est communis sententia. Ita Nauarrus c. 27. n. 160. Sayrus c. 6. n. 27. Henriquez lib. 13. c. 32. n. 1. Vgolinus Tabula 4. c. 6. §. 4. Coninc disp. 15. n. 8. & alij plures citati; item Caietanus verbo *suspensio* in fine. Syluest. verb. *suspensio* q. 5. Censura enim efficit, quod significat, neque vltra operatur, quàm significant verba quibus fertur. Si ergo verba significent tantum determinatum, ad illum solum se extendent. *Assertio 1.* *Ratio est.*

27. Assero 2. si quis suspēditur absolutè nō exprimendo ab ordine, neque ab officio, neq; à beneficio & neq; ex verbis neq; ex intētione Iudicis limitatio colligitur; ea cēsetur suspensio ab omnibus, ab officio scilicet, & beneficio, tù; quia, vt diximus dub. præcedenti, indefinita propositio æquiualet vniuersali: tum quia, vt nuper dicebamus, verba sunt accipienda, prout sonant, ac proinde generalia verba generaliter sunt accipienda. Ita Syluest. suprà quæsito 5. Toletus lib. 1. c. 43. regula 6. Auila 3. p. disp. 2. dub. 1. conclus. 2. Sayrus lib. 4. c. 4. n. 3. Coninc suprà n. 8. Vgolinus c. 14. Filliucius Tract. 17. q. 5. Bonacina disp. 3. puncto 2. n. 1. & alij apud ipsos. *Assertio 2.* *Ratio quia indefinita propositio æquiualet vniuersali.*

28. Assero 3. suspensum ab Ordine non censeri eo ipso suspensum à Iurisdictione, neque è contra. Vnde suspensus ab ordine potest actus Iurisdictionis exercere, & è contra; Ratio est; quia vnum est quid distinctum ab altero, & actus vnius ab actibus alterius; neque vnus actus est necessario annexus alteri. Ita Layman suprà n. 5. Nauarrus suprà n. 160. Auila suprà conclus. 3. Suarius disp. 26. sect. 4. Filliucius Tract. 17. c. 2. quæsito 4 n. 24. Caietan. Vgolin. & Sayrus suprà, quidquid reclament Toletus, Abbas, Syluest. & alij; probarique potest ex c. *Aqua* de *consecrat.* *Eccles.* vbi dicitur Episcopum posse committere quæ sunt Iurisdictionis; non tamen posse Clericis simplicibus committere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Et in c. *Transmissa* de *Electionib*, dicitur Episcopum electum, & confirmatum non consecratum posse decernere, quod voluerit circa ea, quæ sunt Iurisdictionis, non verò circa ea, quæ sunt ordinis, & requirunt consecrationem, ergo hæc non *Assertio 3. suspensus ab ordine non censetur eo ipso suspensus a Iurisdictionis nec contra.* *Ratio est.*

sunt

ſunt inter ſe connexa.

Hinc Colliges 1.

29 Ex quibus conſtat Epiſcopum ſuſpenſum tantum à Pontificalibus, vel ab Ordine Pontificali non intelligi ſuſpenſum ab ijs, quæ pertinent ad Iuriſdictionem, neque à celebratione Miſſæ, & cæteris inferioribus. Vnde poteſt conferre beneficia excommunicare, miſſam celebrare, vt habetur citato c. *Tranſmiſſam*. Ita communiter Doctores. Ego tamen cenſerem non poſſe Miſſam (vt aiunt) de Pontificali celebrare; ſed priuatè more aliorum Sacerdotum; quamuis neque oppoſitum videatur carere probabilitate; hoc enim, quod eſt Miſſas celebrare, etiam in infulis, alijs etiam non conſecratis Epiſcopis videmus conceſſum nihilominus cùm ipſi Epiſcopo non conueniat (vt ſupponimus) ex alio titulo, & in illo talis ſolemnitas celebrationis ſit annexa Ordini, & dignitati Epiſcopali, conſequenter eo ipſo, quòd ſuſpenſus ſit Pontificalibus, videtur ſuſpenſus etiam ab hoc. Quod ſi fortè contingat ſimul eſſe Abbatem infulatum, & ſolùm ſuſpendatur à Pontificalibus, videtur poſſe celebrare infulatum non quatenus Epiſcopus; ſed quatenus Abbas. Vnde, quamuis citati Doctores nomine Pontificalium intelligant non ſolum Ordines conferre, aut confirmare, ſed vſum etiam Mitræ, baculi, &c. talis vſus non ſolùm eſt annexus Epiſcopis; ſed Abbatibus; poterit ergo illis vti, quatenus Abbas. Legantur quæ dicemus diſp. 7. dub. 19. §. requiritur 3. vbi cum Syluestro, & alijs probabile dicemus, non incurrere Irregularitatem Epiſcopum ſuſpenſum à Pontificalibus ex eo, quòd Miſſam celebret cum apparatu Pontificali.

Colliges 2.

30. Infertur præterea ex dictis probabile eſſe ſuſpenſum ab ordine non videri ſuſpenſum à beneficio, vel eius fructibus, quia beneficium non fundatur in Ordine; ſed in primâ tonſurâ. Ita Sayrus ſuprà cap. 3. numero 21. Bonacina ſuprà, qui tamen addit eſſe indirectè ſuſpenſum à fructibus quatenus per ſuſpenſionem impeditur, ne munus ſuum præſtet; nam qui munus ſuum per ſe, vel ſaltem per alium, non præſtat, non poteſt fructus beneficij percipere.

Quoad perceptionem fructuum beneficij diſtinguendum eſt iuxta Authorem.

31 Ego tamen diſtinguendum puto; ſunt enim aliqua beneficia, quæ nullum ſpeciale ſeruitium, ſeu officium poſtulant præter recitationem officij Diuini, quam poteſt exhibere beneficiarius, etiamſi ſit ſuſpenſus ob Ordine: ergo ex eo capite non eſt cur priuetur fructibus beneficij. Item, etiamſi quis ſit priuatus exercitio, & vſu Ordinum; ſi tamen tale ſit beneficium vt muneta illius per alium poſſint exerceri, non video cur priuandus ſit fructibus beneficij, vt videtur conſentire Layman cum multis ſuprà n. 3.

Aſſertio 4.

32. Aſſero 4. ſuſpenſus à beneficio ſolùm intelligitur ſuſpenſus à temporalibus, id eſt à fructibus; non tamen ab officio etiam illo, quod competit ratione beneficij. Poterit ergo fungi officio ſuo, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus. Ita Gloſſa. c. *vintonienſis*, *de Electionib.* verb. *Admiſeram* quam approbat, & laudat Panormitanus ibidem, & ait *ſuſpenſus à beneficio tenetur interim officiare in eo beneficio*. Eandem ſententiam ſequitur Syluestr, ſuprà numero 5. Henriquez ſuprà numero 3. Layman ſuprà nu. 3. qui etiam addit cum alijs multis, quos refert ſuſpenſum à beneficio, ſi egeat poſſe fructus percipere, quatenus neceſſarij ſunt ad ſe, & ſuos alendos modo per ipſum non ſtet, quò minùs ſuſpenſione liberetur. Imò ſubiungit etiam ex ſententiâ Auilæ. p. 2. c. 6. diſp. 6. dub. 1. concluſ. 1. & 2. & p. 3. diſp. 2. dub. 2. concluſ. 6. & Petri Nauarræ lib. 2. de *Reſtit.* cap. 2. n. 237. quod excommunicatus vel ſuſpenſus à beneficio, ſi præſtet officium lucretur omnes fructus. Quâ de re quod attinet ad excommunicationem iam latè nos diximus diſp. 2. dub. 45. & obiter diximus de ſuſpenſione, maximè, ſi de facto per ſe vel per alium præſtet officium. Legantur ibi dicta à §. *Quarto argumentatur*. Teſtatur autem Layman de communi ſententia, quantum ad hoc, quòd ſuſpenſus à beneficio, non ideo etiam ab officio cenſeatur ſuſpenſus, ſed poſſe; imò debere officio ſuo ſatisfacere, & Iuriſdictionem, vel adminiſtrationem ratione officij competentem exercere, ſolumque intelligi priuatum à perceptione fructuum, & à temporali adminiſtratione, & ſubiungit illi œconomum eſſe conſtituendum. Si autem (inquit) ſe ingerat beneficij interdictæ ſibi adminiſtrationi, ipſo Iure eo priuatur c. *Cupientes*. §. *cæterum de Election.* in 6. & ex communi docet Sayrus ſuprà cap. 6. numero 4.

Suſpenſus à beneficio ſi egeat, poteſt neceſſaria pro alimento ex fructibus percipere, modo &c.

Ex dictis Colliges quoad Epiſcopum ſuſpenſum ab ordine.

33 Ex dictis etiam habemus poſſe Epiſcopũ ſuſpenſum ab Ordine gubernare ſuam diœceſim & licèt ipſe non poſſit confeſſiones audire, poſſe alteri poteſtatem abſoluendi delegare & idẽ eſt de Parocho; quia hæc poteſtas delegandi non aufertur per talem ſuſpenſionem cum multiſque notauit Layman ſuprà citato numero 5. qui etiam colligit ſuſpenſum à Iuriſdictione non ſolùm poſſe ſacrificare, ſed etiam in Choro officiatorem agere, officium cuſtodis, vel adminiſtratoris Eccleſiaſtici exercere. Pro quâ ſententiâ plures refert. Addit tamen abſolutionem à peccatis, nec validè exercere poſſe; neque eos actus ordinis, aut ſacra officia quæ ſine Iuriſdictione licitè non fiunt. Quare peccat Parochus) vt ait Suarius diſp. illa 26. ſect. 4. nu. 16.) ſi Saramenta miniſtret ouibus ſuis, vt Paſtor ordinarius, & Epiſcopus, ſi ſubditis ſuis Ordines conferat, quemadmodum etiam peccat, ſi alteri ordinandi licentiam tribuat. Quã doctrinam rectè limitat Layman ibidem niſi ex circumſtantijs conſtet mentem ferentis ſuſpenſionem non fuiſſe huiuſmodi etiam ſacra myſteria interdicere.

Doctrinam rectè limitat Layman

Author quoad parochum & Epiſcopum aliter limitandum putat.

34 Ego verò, quoad Parochum & Epiſcopum adhuc aliter diſtinguendum ſeu limitandũ puto; nam, ſi Parochus, quatenus priuatus alioquin Sacerdos habebat delegatam Iuriſdictionem audiendi Confeſſiones in aliquâ diœceſi, & poſtea factus fuit Parochus, adquiſiuitque ordinariam iuriſdictionem, tunc licèt ſuſpendatur, à Iuredictione Parochi, quatenus Parochi, non ideò cenſetur impeditus, vti Iuriſdictione delegatâ, quam prius habebat, vel fortè durante prædictâ ſuſpenſione Parochi adquiſiuit pro tota diœceſi, vel pro toto orbe terrarum, vt, ſi factus fuit Confeſſarius Apoſtolicus per totum mundum.

Parochus suspensus à Iurisdictione per Bullam Cruciatæ poterit in Confessariū eligi.
Ratio.

35. Item probabile mihi videtur Parochum suspensum à Iurisdictione Parochi posse eligi per Bullam Cruciatæ in confessarium; quia eo ipso, quòd parochus est, saltem in eâ diœcesi vel comparatione suæ Parochiæ approbatus est (est autem approbatio quid distinctum à Iurisdictione iuxta Doctrinam latè traditam de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 10. per plures dubitatores) pœnitens autem, qui accedit ad talem Parochū tanquàm ad approbatum, potest illum eligere, & sic electus à Pontifice concedente Bullam habet iurisdictionem delegatam, atque adeò potest illa vti non obstante suspensione à Iurisdictione ordinaria; atque idem, quantum ad hoc locum habet in Episcopo.

Episcopus suspensus à Iurisdictione potest in alio Episcopatu Ordines Conferre.
Ratio.

36 De collatione verò Ordinum Episcopi, etiam ego dicerem quando Episcopus suspenditur à Iurisdictione, posse in alio Episcopatum Ordines conferre de licentiâ proprij, & ibi etiam conferre Ordines illis subditis proprijs, quibus ipse ante suspensionem à Iurisdictione contulerat litteras remissorias seu facultatem, vt in alijs diœcesibu possint Ordinari; tunc enim nullum nouo actum Iurisdictionis, tanquàm proprijs de Episcopus exercet; nam actus illius facultatis concessæ in litteris remissorijs exercitus fuit ante suspensionem; actus verò ordinandi hic, & nunc talem subditum suum non est actus iurisdictionis tanquàm proprij Episcopi illius subditi, qui ordinatur; sed; tanquàm locum tenentis alterius Episcopi, ex cuius commissione in illius diœcesi Pontificalia exercet. Hanc doctrinam significasse mihi videtur Sayrus loco citato, quando de Parocho loquens dixit peccare, si Sacramenta ministret ouibus suis, *vt Pastor ordinarius* quasi diceret, non vt Ordinarius, potest ministrare.

Addit Author.

37. Imò quod attinet ad Episcopus adhuc ego adderem posse esse casum, quo intra suam diocœsim posset ordinare subditum suum, nam si contingat. v.g. Episcopum per longum tempus esse suspensum à Iurisdictione, & sit alius constitutus à Papa, vel ab alio, cui competit, qui iurisdictionem Episcopalem exerceat, illeque possit litteras dimissorias dare pro ordinandis, vel dare facultatem ordines conferendi intra talem diœcesim; poterit tunc Episcopus ille suspensus à Iurisdictione in eâdem suâ diœcesi Ordines conferre; nullum enim actum iurisdictionis exercet, tanquàm proprius Episcopus; nam, qui sic ordinatur, & qui eum ordinat, ex facultate, & commissione tunc gubernantis superioris id facit, vt ex se patet.

An suspensus ab ordine inferiore, censeatur suspensus à superiore.

38 Iam verò disputandum restet; an suspensus ab ordine inferiore, censeatur suspensus à superiore? v.g. Episcopus ab officio Sacerdotis suspensus possit exercere actus ordinis superioris?

Affirmant multi nisi suspensio restringatur.
Ratio.

39 Negant multi, nisi suspensio expressis verbis restringatur ad inferiorem tantùm ordinem; Probant; quia, si non licet, quod minus est, nec licere debet quod est maius. Confirmant argumento legis *Relegatorum.* §. vltimo ff. *de Interdictis* ibi. *Est enim perquàm ridiculum, cum, qui minoribus honoribus pœnæ causa prohibitus est, ad maiores aspirare; maioribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.* Idem probant argumento capitis *Cùm illorum de sent. excomm.* Ita docent multi apud Suarium, & videtur tenere Toletus lib 1. cap. 43. Reginald. lib. 32. num. 15. Sayrus suprà cap. 2. numero 12. Vgolinus Tabula 4. c. 6. §. 6. Henriquez lib. 13. cap. 32. numero 12. Syluest. & alij apud Sayrum cap. 3. n. 3. & 12.

Hoc restringunt alij.

40. Sed hoc restringunt alij solū ad actus inter se connexos ita, vt exercitio ordinis superioris, conniceatur exercitium ordinis inferioris à quo aliquis suspensus est; qua ratione Presbyter suspensus ab officio Diaconi consequenter etiam censetur suspensus à sacrificando; cùm sacrificium non fiat sine Euangelio: idque iuxta Regulam 84. Iuris in 6. *cùm quid vna viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.* Alia verò Sacerdotis, officia, vt confessiones audire, solemniter baptizare, benedicere sic suspensus Presbyter præstare posse; quamuis enim non deceret ea facere, non incurreret Irregularitatē. Idem iudicium esse putant, si suspensus ab exercitio actus inferioris suscipiat Ordinem superiorem; peccat enim propter indecentiam; sed irregularis non videtur fieri cùm propriè non exerceat actum Ordinis, à quo suspensus est. Ita Suarez disp. 26. sect. 4. num. 14. Coninc suprà dub. 2. numero 10. Filiucius suprà num. 25. & 29. Sa verb. *suspensio* numero 8. Bonacina probabile putat suprà num. 7. quamuis absolutè oppositum sequatur; Layman etiam suprà num. 6. & mihi placet hæc doctrina absolutè loquendo, quamuis in exemplo Presbyteri suspensi ab officio Diaconi, quem ideò negant posse celebrare, quia Missa non fit sine Euangelio; ego vix, imò ne vix possim, assentire; quod enim in Missâ dicatur Euangelium, non ideò sequitur, quod tunc exerceatur officium Diaconi à Presbytero propriè loquendo; nec enim legere aut cantare Euangelium eo modo, quo legit, aut cantat Presbyter celebrans, est officium Diaconi, sed cantare illud, tanquàm ministrum Presbyteri celebrantis; quando enim Presbyter in Missâ cantat, aut dicit Euangelium, non dicit, tanquàm Diaconus; sed tanquàm Presbyter celebrans, cui ex munere suo incumbit in Missa Euangelium dicere; etiamsi Diaconus eidem Missæ inseruiens Euangelium cantet. & idem iudicium est de Epistolâ, quæ dicitur à subdiacono; vtrumque enim in Missa solemni cum Ministris dicitur à Presbytero celebrant, vt habet vsus Ecclesiæ Romanæ. Vnde propter Euangelium, vel Epistolam, quæ in Missâ continetur, non censendus est Presbyter exercere in Missâ, quam celebrat, officium subdiaconi, & Diaconi.

Authori placet hæc doctrina.

Officium Diaconi in missa.

Adhuc probabilius iudicat Author cum Suario.

41 Illud verò adhuc probabiliùs existimo cum Suario, Coninc, & Layman suprà contra Henriquez, suprà, Syluestrum, q. illa Auilam. 3. p. disp. 2. dub. 2. conclus. 11. Sayrum lib. illo 4. cap. 4. numero 19. Vgolinum suprà. §. illo 6. numero 3. Episcopum suspensum à collatione Ordinum minorum posse conferre Ordines maiores, quorum collatio necessariò connexa non est cum collatione minorum, aut primæ Tonsuræ, cùm possint maiores Ordines confessarijs; qui iam antea initiati sunt minoribus. Illud etiam docet Layman, & alij, & constat

Episcopum suspensum à collatione ordinum Minorum posse Conferre maiores.

constat ex dictis, in arbitrio Superioris positum esse prohibere alicui quod minus est, non pro-
Limitatio. hibito, quod est maius, præsertim, si peccatum est in vsu minoris, & non maioris; hoc autem videtur necessariò limitandum; nisi in vsu minoris Ordinis prohibitum sit aliquid sine quo maioris vsus exerceri non potest. v.g. Si Episcopus suspensus esset ab Ordine Presbyteratus, vel à celebratione Missæ, consequenter manet prohibitus à collatione Ordinis Sacri, maximè Sacerdotalis supposito quòd iuxta vsum Ecclesiæ non possit Ordinem Sacerdotalem conferre nisi celebrando; tunc enim eo ipso quòd prohibitus est celebrare, non est in potestate prohibentis, & suspendentis relinquere illi potestatem conferendi Ordines. Eâdem ratione, quo prohibitus est conferre primam tonsuram, potest conferre Ordines omnes, collatio enim tonsuræ non est collatio Ordinis.

Notant aliqui. 42. Notant vlteriùs aliqui suspensum ab officio, ordine, aut Iurisdictione huiusmodi actus Ecclesiasticos in omni loco esse illi prohibitos. Ita Glossa. Abbas, & alij in c. *Pastoralis* §. *verum* de appellationibus. Sayrus lib. 4, c. 5. n. 7. Vgolinus tabula 4. c. 6. §. 2. n. 4. Layman suprà n. 7. & alij Recentiores. Fundamentum est; quia Censura immediatè afficit personam, ideò comitatur eam etiam extra territorium ferentis ita, vt suspensus aut excommunicatus in vno loco vbique talis sit donec absoluatur; nulla enim Censura tollitur, nisi per absolutionem iuxta dicta disp. 1. dub. 2. & 3. vbi exclusimus à ratione Censuræ illud genus suspensionis, quod finito certo tempore cessat sine vllâ absolutione, quod fuit pœna delicti præteriti, & non medicinalis respiciens correctionem, vt præcedenti etiam dubitatione notauimus; estque communis sententia quòd talis Censura immediatè personam afficiens duret, etiam extra territorium, vt docet Panormitanus in c. *ad reprimendam* [illegible] *de offic. Ordin.* Idemque dicendum est de alijs Censuris. Legantur, quæ dicemus dub. 4. initio.

43. An verò fideles teneantur vitare suspensos & interdictos nominatim denuntiatos, diximus disp. 2. dub. 27.

An suspensus sub disiunctione ab officio, vel beneficio, sit de facto suspensus. 44. Vtrum autem suspensus sub disiunctione ab officio, vel beneficio maneat suspensus de facto, vel non? non consentiunt Doctores; multi enim dicunt talem non manere suspensum; quia non ab vtroque, cùm verba suspendentis disiunctiua sint, & non copulatiua; non ab alterutro, cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius.
Multi negãt. Ratio. Alij verò putant manere suspensum ab vno vel ab altero, darique electionem suspenso, vt eligat;
Alij putant. an velit manere suspensus ab officio, an à beneficio; ita docent nonnulli apud Burgasium Tract. de *Irregularitate* q. 6. tit. de *suspens.* n. 29. Verum hac dare iam satis diximus disp. 2. dub. 19. ibi legatur, vbi priorem sententiam tanquàm
Authoris iudicium. probabiliorem latè defendimus: probabilem tamen secundam iudicauimus, quam sequuntur etiam Suarius & Filiucius ibi citati.

45. Sunt etiam, qui hoc loco doceant suspensum ab ingressu Ecclesiæ prohiberi quidem celebrare Diuina officia inter Ecclesiam & ea audire; non verò extra; hoc tamen quamuis verum sit, non adhunc locum spectat; sed ad Interdictum; suspensio enim propriè & strictè non priuat auditione Diuinorum; sed celebratione, Interdictum verò ab vtroque.

46. Quæret aliquis an sit effectus suspensionis quòd Collatio beneficij facta suspenso sit inualida? *Quæret aliquis.*

47. Hac de re ex instituto diximus disp. 2. dub. 44. vbi simul cum excommunicatione de suspenso & interdicto disputauimus ibi legatur. *Resp.*

48. Quæres vlteriùs an, qui suspenditur à beneficio, atque adeò à fructibus beneficij censeatur simul priuatus à fructibus illius Patrimonij, in cuius titulum sibi assignatum ordinatus fuit? *Quæres 2.*

49. Respondeo non esse suspensum ab illo; quia verba strictè sunt accipienda, & illa bona patrimonialia non sunt beneficium Ecclesiasticum, quamuis succedant in locum beneficij, nec possint ad arbitrium alienari. Ita Sayrus suprà c. 6. n. 5. Vgolinus tabulâ 4. c. 8. §. 7. Bonacina suprà n. 14. *Resp. suspensum a beneficio, non suspendi à fructibus patrimonij in ordinatione assignati.*

50. Idem iudicium est de distributionibus, quæ dantur ijs, qui intersunt Diuinis officijs, si re ipsâ intersit, nec distrubutiones dentur intuitu beneficij. Ita Sayrus ibidem n. 11. Coninc suprà n. 30. Filliucius n. 44. Bonacina suprà n. 14. hæ namque distributiones non sunt beneficium. An verò idem sentiendum sit de Pensione? disputat Suarius disp. 27. n. 15. putatque; priuare fructibus pensionis datæ titulo spirituali; non verò de pensione sine tali titulo, tum; quia pœna non est extendenda vltra proprietatem vocis, vox autem beneficium non se potest extendere ad pensionem non datam titulo Clericali. Alij verò putant, sed ad pensionem titulo spirituali datam se extendere; quia talis pensio nihil aliud est quamuis percipiendi functus ex bonis beneficij. Quæ opinio probabilis etiam est, & in Tract. de benefi[illegible] [illegible]inanda. *Idem dicendum de distributionibus.*

51. De rece[illegible] [illegible]ndulgentiarum, & de sepulturâ in loco Sacro, [illegible] quid aliqui dicant) dicendum omninò est iuxta doctrinam traditam non tolli per suspensionẽ; quia per hanc nullus ex his actibus & spiritualibus operibus prohibetur, quod alicuius Ecclesiastici ministerij officium non sit; tale autem non est Indulgentiarum receptio, & Ecclesiasticâ sepulturâ sicut nec per se loquendo Sacramentorum susceptio, nec enim hæc est actus Iurisdictionis, aut alicuius officij specialis; sed est mera passio. *Receptio Ind. & sepultura in loco sacro per suspensionem non impediuntur.*

52. Dixi *per se loquendo*, nam Sacramentum Ordinis habet aliam rationem, ob quam suspensus ab officio non possit Ordines recipere, hi enim recipiuntur, vt recipiuntur; vt functiones exerceantur; Quibus autem vetitum est functiones Ordinum exercere videtur etiam vetitum recipere ordines; nam prohibito vsu alicuius, censetur etiam prohibitum id per quod ad illud peruenitur. Ita sentiunt Sayrus suprà n. 23. Vgolinus c. 5. §. 3. Filliucius suprà n. 21. & 22. & alij. *Limitatio quoad Sacramentum Ordinis.*

53. Verum hæc ratio, quod attinet ad Ordines, non videtur omninò efficax, materia enim pœnalis est materia odiosa atque adeò restringenda, *Authoris iudicium.*

genda. Cum ergo suspensio propriè solùm cadat suprà actum, & vsum officij; nomine autem actus, & vsus officij non comprehendatur susceptio Ordinum; suspensus ab officio non peccat, nec censetur propriè prohibitus, quò minùs possit Ordines suscipere; peccabit autem, si ita suscipiat, vt simul habeat animum exercendi illos tempore, quo durat suspensio.

Hac tenus dicta intelligenda sunt de suspenso iustè.

54. Quæ hucusque dicta sunt de impedimentis suspensi intelligi debent de suspenso iustè. Nam; si quis iniustè suspendatur, aliter iudicandum erit, & philosophandum, sicut in simili philosophati sumus disp. 1. dub. 24. vbi explicuimus; an excommunicatio iniusta liget in conscientia? ac proinde potest recipere distributiones, & fructus eo modo, & cum ijs circumstantijs, quibus rem latè explicuimus disp. 2. dub. 45. à §. *Quod attinet ad iniustè excommunicatum*, est enim eadem ratio de iniustâ excommunicatione, & de iniustâ suspensione, aut etiam Interdicto, ibi Legatur. Ideò iuxta doctrinam vtriusque loci citati Sacerdos ita Suspensus inualidè in foro conscientiæ, etiamsi de facto celebret, non fiet irregularis, quia censura illa non obligat in conscientiâ, vt supponimus.

Suspensus ab administratione Ecclesiæ non eo ipso suspenditur ab vsu ordinum.

55. De suspenso autem ab administratione Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus aliqui putant eo ipso manere suspensum ab vsu Ordinum, veriùs nihilominùs puto oppositum. Vnde Sacerdos ita suspensus non fiet irregularis celebrando Missam: nam Irregularitas incurritur, quando violatur suspensio ab ordine per exercitium Ordinis; in tali autem casu non est suspensio ab Ordine, & ille actus celebrandi non est actus administrandi Ecclesiam in spiritualibus, vel temporalibus, imò, etiamsi sic suspensus peccet administrando Ecclesiam, non fiet irregularis sic celebrando Missam; quia Irregularitas incurritur propter exercitium Ordinis quando suspensio est ab Ordine, & [illegible] suspensio ab ad[illegible]tur; non verò quando iurisdictione. Ita Syluest. verbo *Suspensio*, quæsito 5. Sayrus suprà c. 7. n. 6. Henriquez lib. 13. c. 32. n. 4. Filliucius suprà n. 22. & alij. Peccabit tamen præfatus Sacerdos conferendo beneficia, & administrando Sacramenta, vtraque enim actio pertinet ad administrationem, vel ad Iurisdictionem spiritualem.

Violans suspensionem ab ordine fit irregularis.

56. Eodem modo peccabit agendo in iudicio super rebus ad Ecclesiam pertinentibus, aut aliâ ratione de illis disponendo, etiam extra iudiciũ; id enim totum est administrare.

Suspensus a perceptione Sacramentorum grauiter peccat ea recipienda.

57. Tandem de eo, qui suspensus est à perceptione Sacramentorum existimo cum Nauarro suprà n. 163. Sayro lib. illo 4. c. 7. n. 8. & alijs non posse Sacramenta recipere absque graui peccato, cum faciat contra prohibitionem in re graui. Quamuis autem de facto illa recipiat, non fieri Irregularem; quia Irregularitas (vt dicebam) solùm incurritur per aliquod exercitium Ordinis prohibitum sub Censurâ.

DVBITATIO. III.

Quis? & in quos possit Censuram suspensionis ferre.

Potens excommunicare potest etiam suspendere & vice versâ.

58. Circa primum breuiter dicendum est, quemcumque potentem excommunicare, posse etiam suspendere. & vice versâ. Est communis; & recepta sententia; congruitque cum ijs, quæ diximus disp. 1 dub. 6. vbi generatim disputauimus de eo, qui potest Censuras ferre: legi potest Suarius disp. 28. sect. 1. & alij apud ipsum.

Circa secundum. Assertio 1.

59. Circa secundum de personis, in quas potest suspensio ferri. Asserendum est primò omnes, & solos Clericos præter Papam posse incurrere censuram Suspensionis. Ita Caietanus verb. *Suspensio* Suarius ibidem sect. 2. verum quidem est non esse improbabile, quod docet Henriquez lib. 13. c. 31. n. 2. & cum eo probabile putat Layman lib. 1. Tract. 5. p. 3. c. 1. & 2. Abbatissam posse Censuram Suspensionis ab officio incurrere; quia licèt non sit Clericus est tamen Regularis, & quasi Ecclesiastica persona capax spiritualis officij, & cuiusdam iurisdictionis saltem ex commissione, vt docet Syluest. verb. *Abbatissa* & sequitur. idem Layman lib. 1. p. 1. c. 3. n. 4. cuius iurisdictionis vsu potest priuari, atque adeò suspendi.

Probabilius est fœminis nunquàm concessam Iurisdictionem ad actus propriè spirituales.

60. Sanè iuxta doctrinam, quam cum Suario tradidimus citatâ dub. 6. vbi diximus probabilius esse fœminis, quamuis alioquin capacibus iurisdictionis; nunquàm de facto eam esse concessam ad actus propriè spirituales; sed ad summum concedi facere posse actum aliquem, qui sit veluti condi[illegible] cuius præsentiam id, quod [illegible] est, fit ab Ecclesiastico Prælato, ad cuius potestatem spectat. Iuxta hanc (inquam) doctrinam ibi latiùs explicatam dici potest non versari propriè suspensionem circa Abbatissam, aliamue Prælatam; quia, si in suo officio propriè non est iurisdictio, & administratio spiritualis, neque erit propriè Suspensio ab illâ. Quia tamen ibidem diximus non repugnare, quòd Pontifex de plenitudine potestatis eam iurisdictionem concedat fœminæ, neque fœminam esse Iure naturali, aut Diuino talis iurisdictionis incapacem; consequenter etiam dicendum est, posse esse suspensionem comparatione illius, si illi alioquin iurisdictio conferatur, imò; quia de facto habet suam iurisdictionem & administrationem non propriè spiritualem. Sed temporalem, & corporalem (vt ibidem quoque notauimus) quatenus habet aliquam similitudinem cum spirituali iurisdictione, poterit etiam in eâ locum habere similis aliqua suspensio, & in hoc sensu admitto dodoctrinam, Syluestri, Henriquez, & Layman.

Potest tamẽ Pontifex eam concedere.

Episcopi generaliter nisi interdicti aut suspensionis non censentur nisi &c.

61. Qui etiam loco notato aduertit speciali priuilegio concessum esse Episcopis c. *Quia periculorum de sent. excommunic.* in 6. vt generali statuto, vel sententiâ Interdicti, aut suspensionis non comprehẽdatur nisi eorum expressa mentio fiat; idemque *propter exequntionem Pontificalis*

tificalis officij, quod frequenter incumbit. Hanc tamen causam appellat Layman impulsiuam non principalem & adæquatam, quam potius putat Episcopalem dignitatem, sicuti colligitur ex c. *Si compromissarius §. Huiusmodi* de *Elect.* in 6. Vbi Bonifacius ex eodem illo Canone concludit Episcopos non incurrere Censuram suspensionis beneficij; nisi eorum expressa mentio habetur.

Multum refert ex quo Capite hoc priuilegium Episcopis competat.

62. Multū autem refert; an competat propter exequutionem Pontificalis officij tantum; an etiam, & principaliter propter dignitatem Episcopalem; nam si propter exequutionem Pontificalis officij tantùm conueniret hoc priuilegium, illud non competeret Episcopo nondum consecrato; si tamen propter dignitatem; etiam non consecrato conueniet, vt conuenire docet Suarius suprà sect. illâ 2. n. 6. dummodò sit electus, & confirmatus, iam enim Episcopali dignitate præditus est, & hoc priuilegium illi competet sicut & alia similia, quale est illud de eligendo confessore c. vltimo de *Pænit. & remiss.* & de vsu altaris portatulis c. vltimo *de priuileg.* in 6. quæ etiam Episcopis electis nedum confirmatis competunt. Quorum omnium ratio est, quia priuilegia à Principe concessa, si nemini præiudicent, amplè debent interpretari, quatenus verborum proprietas permittit; atque prædictum Priuilegium de quo nunc agimus, etiam ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere, putat Henriquez lib. 13. c. 34. n. 2. litera *X.* quod Layman, & alij probabile putant attentâ praxi Ecclesiæ, per quam priuilegia Episcopis ob statûs dignitatem concessa ad Cardinales fermè extendi solent ob maiorem eorum dignitatem. Qui etiam Henriquez litera *I.* putat pertinere ad Imperatorem, & Reges quatenus ipsi Suspensionem incurrere possunt secundum, quod ex Apostolicæ Sedis liberali concessione participant aliqua Iura Ecclesiastica, v. g. quòd possint Ecclesiarum Rectores nominare, & præsentare; Sed de hoc alibi disputandum est, & examinendum an illa propriè sint munia, & officia Ecclesiasticæ iurisdictionis? & qua ratione? habet enim longam quæstionem, quæ non est huius loci.

Priuilegia si nemini præiudicent amplè interpretari debent.

Assertio 2. non solum persona singularis sed etiam tota Communitas Clericorum capax est suspensionis.

63. Asserendum est. 2. cum eodem Laymano suprà, & Suario infrà referendo non solùm persona singularis; sed etiam tota communitas Clericorum v. g. Capitulum capax est suspensionis, sicut etiam Interdicti. c. *Quia sæpe. de Elect.* in 6. Ex quo infertur generalibus Statuti siue sententiæ verbis. v. g. quicumque id fecerit, etiam Capitulum, tanquàm personam fictam posse comprehendi.

Duobus modis in communitatem potest ferri Censura.

64. Duobus autem modis potest in communitatem censura ferri; primò per modum vnius, & collectiuè, ita, vt corpus Capituli quod habet Ius alicuius beneficij, vel Iurisdictionis, vel administrationis, ab eò suspendatur. Secundo per modum plurium, & distributiuè, ita, vt singuli è Capitulo, dummodò delinquerint, eandem pœnam incurrant. Vterque autem modus potest aliquando concurrere, vt patet ex citato c. *Quia sæpe.* Vbi & corpus Capituli, & singuli è corpore bona Prælati defuncti occupantes, vel diripientes ab officijs, & beneficijs suspenduntur donec restituant.

65. Suspensio tamen lata in Capitulum, nisi aliud exprimatur, aut colligatur ex adiunctis, extendi non debet ad personas particulares, quia vox Capituli collectionem significat, non personas singulas sicut notauit Suarius disp. 28. sect. 3. n. 5. Quod ego tunc maximè verum puto, quando suspensio fertur ob causam, quæ solùm pendet à Capitulo, quod solùm deliquit per modum communitatis, & emenda ab ipsâmet communitate præstanda est Suffragijs maioris partis illius; tunc enim; nisi aliud exprimat Superior, vel aliunde satis colligatur communitatem per modum vnius respicit pœna, cut & ipsa est, quæ debet emendam præstare, & superiori obedire, quamuis, quia communitas nihil facit, nec potest; nisi virtute voluntatum singulorum, qui consentiunt; possunt etiam singuli propter priuatum cuiusque consensum iniustè præstitum aut negatum per se puniri, & suspendi.

DVBITATIO IV.

Quibus de causis possit ferri suspensio?

66. IVxta ea, quæ diximus disp. 2. à dubitatione 10. vsque ad 15. inclusiuè, agentes in simili de *Excommunic.* & iuxta principia generalia de *Censuris* in communi disp. 1. dub. 2. satis constat neminem posse Suspensionis censurâ ligari, nisi qui peccauerit; neque enim Censura hæc, sicut neque aliæ, incurritur; nisi ob culpam propriam. Ita Caietanus verb. *Suspensio.* Suarius disp. 28. sect. 4. Nauarrus c. 27. n. 151. & 165. Coninc disp. 15. dub. 3. conclus. 1. Auila 3. disp. 3. dub. 2. conclus. 2. & alij multi, quos retulimus in simili de *Excommunic.* citatâ disp. 2. dub. 12. in principio: est enim quæuis Censura pœna, & hæc supponit culpam, eamq; contumaciæ, vt ibidem explicuimus. Hoc supposito,

Non potest suspendi nisi qui peccauit

67. Asserendum est suspensionem necessariò præsupponere culpam mortalem, vt incurratur, nec valere, si feratur propter solam venialem, siue Suspensio sit decreta à Iure, siue ab homine. Hanc assertionē ex doctrinâ tradita pro excommunicatione intulimus, & cum multis probauimus eâdem dub. 12. eamque expressè docet Layman lib. 1. Tract. 5. p. 3. c. 3. n. 2. Auila 3. p. disp. 3. conclus. 2. & Henriquez c. 34. n. 4. Coninc citato dub. 3, conclus. 2. Hæc tamen doctrina intelligenda est, vt ibidem quoque explicuimus de Suspensionibus, quæ de facto in Ecclesia sunt vsu receptæ nam, si loquamur de aliquâ leui suspensione ad breue tempus, iam ibi diximus posse ferri pro veniali, modo ibi explicato. Suspensiones autem, quæ de facto sunt in vsu in Ecclesiâ, vt ab officio beneficio, ab ordine, Iure eligendi, & conferendi beneficia, sunt pœnæ graues, ac proinde non debent incurri sine culpâ graui.

Assertio vt incurratur suspensio necessario præsupponitur culpa mortalis.

Ratio.

68. Aduertendū etiam est, id quod non semel aduertimus, Suspensionem aliquam interdum ferri ob culpam merè præteritam, & tunc illam non habere rationem Censuræ iuxta dicta disp.

Nota suspensionem aliquando ferri pro culpa

præterita varijs modis. Primò. disp. 1. dub 2. & 3. Potest autem hæc Suspensio varijs modis ferri primò in perpetuum, & sine spe relaxationis; tunc autem, si Suspensio totalis sit ab officio, beneficio, vel Ordine, habet vim depositionis, Irregularitatis, aut priuationis beneficij, si spectemus effectum. *Secundò.* Secundo potest ferri ad certum tempus, quo transacto, Suspensio exspiret per se ipsam. *Tertiò.* Tertiò quod duret, donec Reus satisfecerit, aut restituerit, quâ satisfactione exhibitâ, Suspensio ipso Iure absque aliâ sententiâ tollatur iuxta c. *Qui sæpe* iuncta Gloss. verb. *Donec de elect.* in 6. *Quartò.* Quartò, vt duret ad beneplacitum Superioris, cuius proinde declaratâ voluntate remittendi, seu reuocandi Suspensionem, sine aliâ absolutione exspiret; imò tunc exspirabit mortuo, vel deposito Superiore, nisi sit posita ad beneplacitum Sedis, quæ non moritur.

Discrimen Suspensionis, quæ est censura ab eâ quæ non est. 69 In quo apparet sæpe notatum discrimen Suspensionis, quæ est Censura, ab eâ, quæ non est Censura, nam ea, quæ est Censura, nec fertur pro peccato merè præterito, quin respiciat contumaciam; nec tollitur; nisi depositâ contumaciâ, vt eâdem dub. 1. & 2. disputationis primæ notauimus.

DVBITATIO V.

Quandiu duret Suspensio? & an alicubi Suspensus vbiq; suspensus maneat?

Notandum quoad vltimam partē tituli. 79. VT ab hoc vltimo nos expediamus, de quo iam diximus suprà dub. 2. solùm notandum superest eam doctrinam, quod in vno loco Suspensus vbique censeatur Suspensus intelligendam esse, quando Suspensio lata est absque loci determinatione, nam, si determinetur ad certum locum, extra illum, non erit Suspensus.

Quoad suspensionem a beneficio diuersa opiniones. Prima. 71. Præterea hæc doctrina magis certa est in Suspensione ab ordine, & officio non dependente à loco. Vtrū autem idem habeat locum in Suspensione a beneficio? non cōsentiunt Authores. Affirmat Vgolinus tabula 4. c. 4. §. 5. Suarius disp. 27. sect. 1. n. 17. Filiucius c. 3. q. 6. dummodò sit Suspensio simpliciter à beneficio. Vnde si quis ab Episcopo suspendatur à beneficio absque loci determinatione, censetur etiam Suspensus à beneficijs, quæ alibi habet; cùm enim ille sit subditus tali Episcopo, potest eo modo ab eo suspendi; talis enim Suspensio non fertur in beneficium alibi existens; Sed in hanc personam existentem in hoc territorio huius Episcopi.

Secunda. 72. Contrarium tamen censent aliqui, quos refert Sayrus citato lib. 4. *Thesauri* c. 6. n. 21. imò ipse Suarius suprà n. 22. testatur esse vsu receptum secundum aliquos, quod huiusmodi suspensio non extendatur ad beneficia alibi existentia; nisi expressè in sententiâ sint verba significantia suspensionem à beneficio alibi existente. Quam sententiam probabilem putat Filliucius Tract. 17. c. 2. n. 47.

Suspensionis duratio. 73. Quod attinet ad durationem Suspensionis iam de illâ, quæ non est propriè Censura, sed pœnæ ob peccatum præteritum, diximus posse ferri pro tempore determinato, quo elapso cessat; illo tamen tempore durante non potest exercere actum, à quo quis Suspensus est, vt ex se patet. Solùm est difficultas à quo die incipiendum sit, an scilicet à die, quo lata est Suspensio? quod dubium etiam habet locum in Suspensione, quæ propriè est Censura. *Authoris iudicium.* Existimò ergo incipiendum esse à die, quo lata est Suspensio, & legitimè innotescit ei, qui Suspensus est; nam Suspensio est Censura, aut pœna Ecclesiastica, quæ secum trahit exequutionem, & afficit in continenti c. *Pastoralis §. Verum* de *appellationib.* Ita Vgolinus Tabulâ 4. c. 15. §. 3. Sayrus c. 8. n. 2. & alij. Lege Suarium disp. 29. sect. 1.

Obijcies. 74. Quod si objicias diem termini non computari interminum argumento c. *de restit. Spoliator.*

Resp. 75. Respondetur illum Textum intelligi de ijs quæ non trahunt statim exequutionem; Cēsura verò trahit secum exequutionem & statim operatur atque existit, vt dictum est.

Latus sine temporis determinatione durat donec auferatur. Ratio. 76. Quando autem fertur Suspensio sine temporis determinatio durat, donec auferatur per Superiorem; quia cùm absoluiè feratur, non est cur nos illam restringamus ad aliquod particulare tempus, debet ergo tunc cessare, vel per absolutionem à potente absoluere; si suspensio sit propriè Censura, vel per voluntatem Superioris volentis, vt cesset, si sit merè pœna ob peccatum præteritum.

Ex dictis collige tribus modis posse tolli suspensionem. Primò. 77. Ex dictis habemus tribus modis posse tolli Suspensionem in totâ suâ latitudine, primò si ob delictum præteritum sit imposita ad certū tempus, vt ad triennium, vel donec restituat, impletâ conditione, vel transacto tempore per seipsam cessat sine aliâ Superioris declaratione. Ita Glossa recepta in Clementinâ 1. vers *Donec* de *Decimis.* Couarr. in 4 *decretalium* p. 2. c. 6. in principio n. 18. & 19. Nauarrus c. 27. n. 161. Auila 2. p. disp. 6. dub. 1. conclus. 1. Henriq. lib. 12. c. 25. n. 2. Suarius disp. 29. sect. 1. n. 1. *Secundò.* Secundò tollitur per absolutionem illa suspensio, quæ propriè dicta Censura est, propter contumaciam, inflicta cum expressâ, vel tacitâ lege, vt tunc, & non ante, absolutio conferatur, quàm à contumaciâ, seu inobedientia recedatur; vt explicat idem Suarius ibi sect. 2. n. 1. Atque de hac suspensione philosophandum est tanquàm de propositę Censura. *Tertiò.* Tertiò tollitur Suspensio per relaxationem, seu dispensationem, videlicet, si lata fuit propter peccatum commissum seu præteritum, tanquàm pura pœna. Quod dupliciter fieri potest primò ad certum tempus. v. g. Si Suspensio fuit hoc modo, *qui id fecerit, per triennium ab officio, vel beneficio Suspensus maneat.* Si hæc pœna relaxanda sit per dispensationem, id fieri debet ab authore Canonis, aut eius successore, aut delegato &c. nullo verò modo ab inferiore; quia sicut inferior non potest Superioris legem tollere, ita neq; illi legi pœnā annexā iuxta Gloss. receptā c. *Cupientes §. Ceterum vers. Suspensos.* de *Elect.* in 6. Sanctus Antonin. 3. p. tit. 28. c. 4. Couarr. suprà numero 18. Sanchez lib. 3. de *Matrim.* disp. 52. Idemque dicendum notat Suar. disp. illâ 29. sect. 1. numero 20. si lex Canoni-

ca

ca præcipiat propter tale delictum imponi ſuſpenſionem v.g, triennalem, ſcilicet, non poſſe eam ſuſpenſionem ab inferiore Prælato, quamuis ſit Epiſcopus (cum ſit Iuris Canonici) Iure proprio, & ordinario, vel coarctari vel in eâ diſpenſari; nam (vt rectè Papinianus. lib. t. ff. ad S.C.Turpill) *facti quæſtio eſt in arbitrio iudicantis; pœnæ verò proſequutio non eius voluntati mandatur; ſed legis auctoritati reſeruatur.* Secundò modo ſuſpenſio ob delictum commiſſum, ſeu præteritum, vt pura pœna, ferri poteſt in perpetuum ſine ſpe relaxationis Ordinariæ, & tunc certum eſt inferiorem non poſſe diſpenſare in tali Canonis ſuſpenſione; niſi in caſibus ſpecialiter conceſſis, ſicuti docet Sanctus Antonin. 3. p. tit. 27. cap. 4. Panormitanus. cap. 2. de *Solut.* n. 5. Syluest. verbo *ſuſpenſio* q. 8. Nauarrus cap. 27. numero 162. Ratio eſt; quia Canonis Auctor dùm talem ſuſpenſionem perpetuam, & irremiſſibilem imponit eo ipſo ſibi reſeruare cenſetur.

Suſpenſio duratura ad beneplacitum ſuperioris ceſſat eo mortuo vel depoſito. Ratio.

78 De ſuſpenſione duraturâ ad beneplacitum ſuperioris iam diximus dub. præcedenti non ſolùm ceſſare per voluntatem Superioris remittentis, & reuocantis illam; ſed etiam eo mortuo, vel depoſito, quia ceſſat voluntas illius ſuperioris, vt ſuperior eſt. Si tamen impoſita fuit ad voluntatem ſedis, non ceſſat; quia Sedes mortuo, vel amoto vno Superiore adhuc manere cenſetur.

Quæres.

79 Quæri poteſt adhùc; quot diebus debeat durare ſuſpenſio vnius menſis, quando delictum inchoatum eſt poſt aliquot dies incepto iam menſe? vel quomodò intelligenda ſit, quoad principium, & finem ſuſpenſio lata per menſem.

Communis ſententia.

80 Communis ſententia eſt incipiendum eſſe ab eo die, in quo lata eſt, vel contracta ſuſpenſio, vſque ad eundem diem ſequentis menſis, vt ſi ſuſpenſionem contraxit quis die tertio menſis vigeat ſuſpenſio vſque ad diem tertium ſequentis menſis, ſiue menſis conſtet ex 28. ſiue ex 31. diebus. Vnde quotâ die menſis cœpit totâ die ſequentis finitur. Ita docent multi, quos refert, & ſequitur Vgolinus Tabulâ 4. cap. 15. §. 3, ad finem & addit §. 5. poſtremum diem debere eſſe completum; tempus enim debet eſſe completum vt patet ex c. *Cupientes* §. *cæterum de elect. in 6.*

Reſp. aliàs probabilis.

81 Probabile nibilominùs eſt extrema non computari ſaltem integra iuxta ea, quæ diximus diſp. 3. dub. 52. prope finem, vbi terminus dierum aſſignatus in edicto computatur non numeratis extremis, quamuis non ſit omninò eadem ratio.

Suſpenſio lata ad annum probabilius durat 365. diebus.

82 Ex dictis patet, quâ ratione computandus ſit annus, quando lata eſt ſuſpenſio duratura. v.g. per annum; nam iuxta communem, & probabiliorem ſententiam (vt diximus) ſeruanda eſt ſuſpenſio diebus: 365. integris; talis enim eſt annus vſualis, & computari debent extrema.

Dubium Quid ſi ſit annus Biſſextilis.

83 Dubitari autem poteſt; an ſuſpenſus per annum, in quem incidit Biſextus, teneatur ſeruare ſuſpenſionem 366. diebus, quibus conſtat annus Biſextilis?

84 Hac de re latè diſputant ſummiſtæ verbo *ſuſpenſio* & in verbo *Ætas* & Iuriſtæ in c. *Quæſiuit de verbor ſignific.* & in L. *Cùm heres* §. *Stichus* ff. de *ſtatu liber.* Quorum omnium communis, magiſque recepta ſententia eſt diem illum biſextilem non computari, neque in anno neque in menſe. Vnde, ſi quis annalem Suſpenſionem per 365. dies ſeruauit, in alterâ die poterit celebrare, etiamſi illa dies adhuc non ſequentis; ſed eiuſdem anni computetur. Sic in dicto §. ſtichus, ſi ſeruo libertas concedatur ſub conditione, ſi per annum ſeruierit, illud non erit intelligendum de anno Biſextili; ſed de anno trecentorum ſexaginta quinque dierum: ergo idem erit in noſtro caſu, Ita Syluest. verbo. *ſuſpenſio.* num. 5. in fine cum Panormit. & alijs, quos refert, & cum Gloſſa in c. 2. diſt. 55. Suarius diſp. 29. ſect. 1. numero 6. qui confirmat; quia, quando ſuſpenſio vnius anni in pœnam imponitur, intelligitur de anno communi, & ordinario; non de extraordinario; tùm, quia hîc eſt frequentior modus loquendi de anno; tùm quia in pœnis benigniori interpretatione vtimur; annus verò Biſextilis extraordinarius eſt, & alius communis, & ordinarius.

Communis & magis recepta ſententia.

85 Conſequenter putat Suarius Philoſophanilum eſſe, ſi ponatur pœna ſuſpenſionis per menſem in menſe februario, & contingat menſem illum in anno Biſextili euenire; tunc enim expletis 28. diebus, poteſt liberari à ſuſpenſione, & die 29 exercere eas actiones, à quibus ſuſpenſus erat, & pari ratione (inquit) ſi ſuſpenſi erat trium, aut plurium menſium in vltimo die vltimi menſis, iam non erit quis ſuſpenſus, quia eadem eſt proportio plurium menſium ad vltimum diem, quæ totius anni ad vltimum diem anni. Rationem verò pro vtroque aſſignat quia dies ille 29. qui interpoſitus fuit, vicem vltimi ſuppleuit.

86 Obijciet tamen aliquis citatum c. *Quæſiuit de verborum ſignific.* vbi dicitur duos illos dies anni Biſextilis, quaſi pro vno reputari. *Obijcies.*

87 Reſpondet Suarius, omiſsis alijs interpretationibus, reputari pro vno disiunctiuè, & non coniunctiuè id eſt, quod in altero eorum poſſit feſtum Sancti Mathiæ celebrari (de hoc enim ibi agebatur) & ad hunc effectum reputari vnum, non copulatiuè, ut in vno, & altero debeat feſtum illud celebrari, ac ſi eſſet vnus tantum. Hac ratione, ſi alicui eſſet impoſitum onus ieiunandi vltimo die Februarij poſſet tunc in vno; vel altero illorum dierum ieiunare, & implere obligationem; quia vterque reputatur vltimus, ſcilicet 29. quia illo anno de facto eſt vltimus menſis, & 28. quia ſecundùm modum ordinarium ille eſt vltimus. *Reſp. Suarius.*

88 Sed quid dicemus; ſi computandi eſſent plures alij pro aliquâ obligatione? v.g. debet quis duodecim annis eſſe ſuſpenſus propter aliquod delictum ab officio, vt contigit Superiori ſæculo cum quodam Archiepiſcopo, qui ſententiâ Pontificiâ (vt audio) ſuſpenſus fuit per decem, aut duodecim annos ab officio, & beneficio. Et quamuis paulò poſt mortuus fuerit; tamen, ſi ſupervixiſſet dubitari potuiſſet; an propter tres annos Biſextiles in eo annorum numero comprehenſos liceret duobus aut tribus diebus ſub finem vltimi anni anticipare exercitium eorum omnium à quibus erat ſuſpenſus, *Proponitur caſus.*

sus, & consequenter fructus percipere Archiepiscopatus, qui illis tribus diebus responderent; materia sanè considerabilis; singulis enim diebus respondebant septingenti, aut octingenti ducati, aut fortè plures, tunc (inquiro) illi dies Bisextiles cōputandi sunt, nec ne? si enim cōputādi sunt & cōprehēdēdi in eo numero annorū etiam in vno anno aut in vno, aut tribus mēsibus? Si verò excludēdi sūt ita vt anni finiātur tribus diebus antea propter illos tres intercalares dies Bisextiles videtur res insueta; eādem enim ratione intelligenda esset lex ætatis, aut temporis requisiti in alijs rebus, vt scilicet Sacerdotio tot diebus ante ingressū 25. anni, quot sunt dies Bisextiles in toto illo spatio annorum. Item vbi recepta est lex aut consuetudo non dandi Sacrum velum virgini monali ante quadragesimum annum suæ professionis, vel non eligendi illam in Abbatissam vel Priorissam ante Quadragesimum ætatis annum, posse tunc ab eo numero detrahi decem dies Bisextiles, qui inciderunt in eo spatio temporis. Quæ omnia non videntur facilè concedenda.

Authoris iudicium.

89, In hac re Vtrumque videtur mihi probabile; nihilominùs probabiliùs puto, quando sunt multi anni ita, vt æquent, vel excedant quaternarium numerum, tunc vnus vel plures dies Bisextiles esse computandos in eo numero annorum, neque esse eandem rationem de vno aut altero anno vel mense atque de pluribus annis prædictis. Ratio disparitatis est prima & principalis in re morali; quia, quando de vno aut altero anno, aut etiam tribus agitur, annus vsualis, & communis tantum est 365. Quando verò iam de pluribus annis agitur in quorum numero aliquis, vel aliqui Bisextiles anni includuntur, etiam est ordinarius, & communis modus computandi comprehendere diem vel dies Bisextiles incidentes. Ideo in eo casu computari debent; quia, sicut annus vsitato modo loquendi tantùm includit 365. dies, ita plures illi anni vsitato, & ordinario modo loquendi includunt etiam dies Bisextiles. Legantur quæ diximus Tract. 6. agentes de Ordine disp vnicâ dub. 22. §. *Quarta qualitas.*

Ratio Disparitatis

90. Nec valet, si dicas, etiam esse ordinarium, & consuetum, vt quartus quisque annus sit Bisextilis, & ei addatur illa dies; contra hoc enim est, quod præterquàm, quòd is iam non est ordinarius modus computandi annum; cum non, nisi quarto quoque anno sic computetur, adhuc non est verum, quod propriè loquendo illa dies sit dies illius anni; nam, vt Matematici, & Kalendaristæ nōrunt solùm sex horæ ferè illi anno competunt; reliquæ verò Octodecim horæ ad tres præcedentes annos spectant, nempe sex horæ singulis annis. Hinc est, vt si singulos annos etiā ipsum Bisextilē per se spectes, non inuenias illo plures dies quàm 365. & in super ferè sex horas. Si tamen quatuor simul annos accipias, in illo Quaternario præter 365. dies vnicuique anno respondentes, inuenies etiam vnam diem conflatam ex illis, quater sex horis, quæ respondent singulis annis illius quaternarij, quæ dies nulli anno per se sumpto tota integra respondet aut in eo includitur; toti tamen Quaternario annorum omninò dies illa respondet, & in illo includitur: ergo non mirum est; sed rationi consonum, vt quamuis singuli anni per se non constent diebus integris, nisi 365. vnus nihilominùs Quaternarius annorum constet integris vsualiter diebus 365. pro quolibet anno, & in super vnâ die, cuius quarta pars vnicuique anno respondeat. Ex quo habemus intentum nostrum, scilicet in computatione dierum vnius anni, etiam Bisextilis non esse necessariò computandam diem superadditam, vtpotè non pertinentem integrè ad illum annum, sicut neque ad duos annos, neque ad tres; computandam verò esse, quando iam peruenitur ad Quaternarum annorum, ad quem iam integrè pertinet, vt in eo contineatur. Vnde vsus habet quod in multorum annorum numero non excludantur dies Bisextiles, qui non necessariò comprehenduntur, in vno, aut in altero anno.

Vsus habet vt in multorum annorū numero non excludantur dies Bisextiles.

91 Quòd verò attinet ad non computandum diem Bisextilem, etiam, quando quis per mensem februarium est suspensus sed post 28. dies liberum esse à suspēsione exire præter Suarium, & alios citatos docent Henriq. lib. 10. cap. 19. & lib. 13. cap. 35. numero 2. Fornarius de *Sacramento Ordinis* cap. 3. numero 4. Sayrus c. 8. numero 12. Vasquez de Beneficijs cap. 3. §. 2. ad finem numero 26. & plures alij, quos refert, & sequitur Vgolinus Tabula 4. cap. 15. §. 1. ad finem. Itaque illi duo dies modo explicato pro vno computantur.

92. Obijcies, si illi duo dies disiunctim pro eodem computantur, sequitur eum, qui per mensem Februarium suspensus est, posse in anno Bisextili non seruare suspensionem die 28. & illam seruare die 29.

Obijcies.

93 Respondeo negando sequelam; quia ad hoc obstat quod tempus suspensionis intelligi debet continuum; hæc enim est communis Iuris intelligentia, vt rectè notat Suarius suprà n. 8. ex Iasone in L. *contra maiores* C. *de inofficioso testamento.* numero 6. atque idem iudicium est de suspensione per annum Bisextilem, in quo non licebit illâ die vel 28. vel 29. Februarij suspensionem interrumpere; sed debet continuari per 365. dies.

Resp. tempus suspensionis intelligi debet constitutum.

94 Quæret iam aliquis, quamuis hucusque dicta vera sint, an saltem, si suspensio sit ab homine, & ille determinatè imponat suspensionem pro futuro mense Februarij, vel pro sequenti anno qui annus contigit, vt esset Bisextilis; tunc habeat locum prædicta interpretatio, vt illa dies non sit computanda.

Quæres.

95 Respondeo, si constet de mente præcipientis, quod aduerterit illum annum, aut mensem esse Bisextilem, & voluent pro toto illo anno, aut mense suspendere, proculdubio comprehendere diem illum: Si verò non constet de illius mente verba erunt interpredanda, sicut interpretanda diximus verba legis, & annus, aut mensis erit ordinarius iuxta benigniorem interpretationem suprà dictam. Ita Suarius suprà numero 9. & alij.

Resp.

96. Quæres vlterius, an qui non seruauit integrè Suspensionem, mensis, aut anni, sed per aliquot dies interrupit, teneatur transacto anno illos dies compensare? vel ad quid aliud teneatur.

Quæres vlterius.

Resp. Aliqui. 97 Diuisi sunt Auctores: aliqui dicunt debere iterum inchoare annum, & seruare suspensionem toto tempore præscripto, quia nimirum, tempus debet esse continuum ad eum modum, quo de anno probationis ad professionem requisito ex communi sententiâ & praxi testatur Nauarrus cons. 29. de Regularibus

Resp. 2. 98 Aliter responderi potest illud tempus, in quo non seruatur suspensio non computari, nec deseruire, vt expleatur tempus suspensionis impositæ; si tamen post illud seruetur suspensio, debere tantum temporis Suspensionis seruare, quantum sufficiet ad explendum integrum annum cùm tempore illo antecedenti, in quo seruauit etiam Suspensionem; & eâ ratione satisfactum; quia licet temporis continuitas sit per se loquendo necessaria, vt debito modo impleatur suspensio, non est tamen ita necessaria simpliciter, vt si aliquo casu, vel culpâ interrupta sit, eam de nouo inchoare oporteat; esset enim grauissimum onus, & augmentum pœnæ, quod nullo Iure potest probari.

Resp. 3. probabilius. 99 Tertiò responderi potest, & probabiliùs tempus illud continuè fluere ex quo inchoatum est, neque interrumpi propterea quod sic suspensus casu, vel malitiâ non seruauerit suspensionem atque adeò præscripto tempore finiri suspensionem, & obligationem illius. Ita Suarius suprà numero 11. probarique potest, & *Ratio.* declarari, quia proximus, & immediatus effectus suspensionis est obligatio abstinendi ab illis actionibus, aut etiam inhabilitas, & incapacitas earum, quantum ab Ecclesiâ fieri potest vel intenditur. hæc autem obligatio, seu inhabilitas per totum illum annum seu tempus continuum perseuerat in homine suspenso, etiamsi ipse violet Suspensionem, quod patet ex eo quòd qui non seruat illo tempore suspensionem grauiter peccat, aut etiam Irregularis fit; quando actio, quam exercet, talis est vt à suspenso exercita Irregularitatem inducat. Quod si actio sit pendens à Iurisdictione & suspensio sit ab officio; illa actio nulla est. Signum ergo est, quòd suspensio continuè duret, quantumuis suspensus contra illam agat, ac proinde transacto præscripto tempore finietur independenter ab obseruatione suspensi, quia non plus durat, nec plus operatur quàm fuerit imponentis voluntas, qui absolutè illud tempus determinauit, neque addidit conditionem, vt, si suspensionem violauerit, vlterius protrahatur suspensio. *Suspensio transacto præscripto tempore etiã interrupto finitur. Ratio.*

Ex quo Patet. 100 Ex quo patet finito illo tempore non teneri tot diebus, aut vicibus à suspensionis actibus abstinere, quot suspensionem non seruauit, perinde, atque in alijs præceptis. v. g. ieiunij qui per aliquot dies Quadragesimæ non ieiunauit, non tenetur tondem post Quadragesimam ieiunare.

DVBITATIO VI.

An suspensus grauiter peccet violando suspensionem? & quando excusetur ab eâ seruandâ? quasque pœnas incurrat, violando illam? & an eius acta valida sint?

101 ASserendum est primò, peccare mortaliter violando suspensionem; nisi materiæ paruitas excuset. Est communis sententia Doctorum. Ita Nauarrus numero 163 Henriquez lib. illo 13. cap. 33. numero 1. Sayr. cap. 11. numero 8. Auila disp. 2 dub. 2. Ledesma 2. p. 4. q. 26. art. 2. Tract. de suspensione in principio Filiucius Tract. 17. cap. 10. Reginaldus lib. 32. Tract 2. numero 31. Coninc disp. 15. dub. 2. numero 17. Suarius disp. 27. sect. 2. & alij multi. Ratio est; quia est præceptum Ecclesiasticum de re graui ex genere suo. *Assertio I. Peccat quis mortaliter violando suspensionẽ. Ratio.*

102. Dixi, nisi paruitas materiæ excuset; fieri enim potest, vt actio sit tam parua, vt non sufficiat ad mortale; si enim quis suspendatur ab ingressu Ecclesiæ, & breuissimo tempore commoretur in Ecclesiâ dùm recitantur diuina officia, non videtur peccare mortaliter. *Excusat hìc à mortali materiæ Paruitas.*

103 An verò suspensus aliquandò possit administrare Sacramenta? decidendum est iuxta principia tradita de *Excommunicatione* disp. 2. dub. 31. & 32. & locis ibi notis; nam in casibus in quibus potest excommunicatus, potest etiam suspensus.

104 An verò cooperans & communicans cum suspenso nondum denuntiato in ijs actibus iurisdictionis, & officij, à quibus est suspensus, peccet mortaliter, aut etiam cum denuntiato communicando, cooperando, & inducendo ad actus, à quibus est suspensus? diximus disp. 2. dub. 27. ibi legatur. *Dicendum de Communicante cum suspenso.*

105 An verò suspensus peccet, aut fiat Irregularis exercendo functiones Ordinum, à quibus est suspensus? vel possit ad petitionem aliorum fidelium, non se spontè ingerendo id facere? diximus ibidem §. *Post Concilium tamen*, adiunctis ijs, quæ in simili etiam diximus dub. 34. eiusdem disputationis, & propè finem dubitationis. 41. loquendo de Excommunicatione, vbi etiam ostendimus, licere inducere excommunicatum (& idem est de suspenso & interdicto) ad Eucharistiam administrandam, & similia, quando non est denuntiatus. *Pœna suspensi exercentis actus ordinum à quibus est suspensus.*

106 Asserendum est. 2. suspensus ex delicto fit Irregularis violando suspensionem per exercitium solemne maioris Ordinis, à quo est suspensus. Ita Suarius disp. illâ 27. numero 3. Nauarrus cap. 27 numero 103. Toletus lib. 1. cap. 45. Valentia tomo 4. disp 7. q. 18. puncto 1. Filiucius Tract. 17. cap. 11. q. 4. Reginald. lib. Tract. 2. num. 36. & sequentibus 12. Coninc. disp. 15. dub. 2. numero 17. & alij apud Sayrum lib. 4. cap. 16. numero Probatur ex c. 1. *de sent. & re iudicatâ* in 6. & ex c. 1. de *sent. excom.* eodem titulo & ex c. *si quis Episcopus damnatus* 1. q. 3. *Assertio 2. Cuius quo suspensus ex delicto fit irregularis.*

107 Ideò autem dixi *per exercitium solemne*; quia

quia (vt multi volunt) exercens actum ordinis non solemniter ; neque ex officio , non incurrit Irregularitatem. Ideò iuxta hanc sententiam satis communem Subdiaconus non incurrit Irregularitatem cantando Epistolam sine manipulo;quia tunc non censetur cantari solemniter ex officio.

Non incurri Irregularitatem exercendo actus minorum ordinum putant multi.

108. Ideò etiam dixi *Maioris Ordinis*, quia exercendo actus Minorũ Ordinum, etiam solemniter,non pauci existimant, non incurrere Irregularitatem. Ita videtur sentire Sayrus suprà c. 11. n. 9. cum Tabiena , & Sancto Antonino & alijs,quos sequitur.

Oppositum tamen tutius est & in praxi sequendum.
Ratio.

109. Oppositum tamen videtur tutiùs , & in praxi sequendum , scilicet si solemniter exerceat huiusmodi actus contrahere, Irregularitatem , vt docet Suarius, & Nauarrus,& Filiucius suprà; lex enim generaliter posita est , pœnaque sine eâ distinctione præscripta. Ad incurrendam autem hanc pœnam,non est necessarium suspensum esse nominatim denuntiatum ; quia quod attinet ad ipsum , prohibitio integrè perseuerat,etiam post Concilium Constantiense iuxta dicta disp. 2. dub. 26. prope finem , & dub. 27. Excusabitur autem ab Irregularitate, quoties excusatus fuerit à culpâ ministrando, siue ad exigentiam aliorum;quando non est denuntiatus, vt dictum est,siue,vt vitet grauem infamiam , vel scandalum , &c. iuxta dicta eadem disputatione dub. 31. & 32.

Quæres.

110. Quæret tamen aliquis;an hæc doctrina Irregularitatis locũ habeat non solùm,quando per exercitium Ordinis violatur suspensio illa, quæ est propriè Censura; sed etiam illa,quæ est purè pœna.

Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est;quia(vt constat ex c. *Is cui* de *de sentent. excommunic.* in 6) hæc regula generalis constituitur, vt, scilicet, incurrat Irregularitatem, qui celebrat Diuina, quando est Censura ligatus. Cùm autem illa suspensio non sit Censura,non videtur propter illam incurri Irregularitatem virtute prædictorum Iurium,& generalis regulæ.

Authoris Iudicium.

111, Nihilominus asserendum est etiam tunc Irregularitatem incurri,quia quamuis, suspensio illa lata eo modo , vt merè infligatur propter peccatum præteritum , & cesset , vel cessare possit sine absolutione; tamen de illâ etiam expresse loquuntur Iura,vt patet ex c. 1. *de Re iudicata*, & de *sentent. Excommunic.* in 6. talis enim suspensio tam efficaciter priuat Sacro ministerio interim dum durat atque alia. Legatur Suarius disp. illâ 27, sect. 2. n.4. & 5. vbi improbabilem putat sententiam quorundam Canonis,totum oppositum asserentium. Eandem doctrinam , habet Filiucius Tract. 17. c. 10. q. 9. n. 193. & alij Recentiores.

Cur in assertione dictum est incurri Irregularitatem exercẽdo actus ordinis.
Ratio.

112. Dixi etiam in assertione incurri Irregularitatem exercendo actus Ordinis,quia, si solũ exerceat actus Iurisdictionis, qui non sint coniuncti cum actibus Ordinis , non incurrit ipso facto illam vel aliam pœnam,quæ generaliter sit imposita in Iure. Ita suprà n. 3. & 6. vbi reprobat opinionem Maioli , & aliorum apud ipsum lib. 3. de *Irregularitate* c. 19. extensione 2. & 14. qui dicunt suspensum ab Ordine,vel officio , conferendo beneficium alicui, incurrere Irregularitatem; nam (vt rectè ibi notat Suarius) id nullo Iure probatur, nec Glossa ex c. *Tanta* de *Excessib. Prælator.* nec Gloss. Magna ex c. *Cum dilectus* de *consuetud.* id habent , quod vult Maiolus, vt legenti constabit.

113. Vnde cum Iura talem pœnam solùm imponant violanti suspensionem per exercitium Ordinis, non est cur extendatur ad alios. Ideo hanc sententiam præter Suarium sequuntur Syluest. verb. *Suspensio* quæsito 5. Henriquez lib. 13. c. 32. n. 5. Sayrus n. 20. Toletus lib. 1. c. 45. Rodrig. tom. 2, c. 68. n. 8. Filiucius suprà n. 184. Reginald. suprà n. 16. Vnde iuxta prædictos Authores supensus ab officio Diaconatus , vel ab officio prædicandi non fit Irregularis (quidquid in contrarium censeat Nauarrus n. 163. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 18. puncto 1.) Ratio est;quia actus prædicandi non est ita proprius,& annexus Ordini Diaconatus , quin ab Inferioribus Clericis,imò à laicis de licentia Episcopi ferri possit, etiam cum superpelliceo & benedictione.

Assertio 3. actus suspensi, qui validi sunt.

114. Assero 3. acta per suspensum, si sint actus ordinis. valida sunt;nisi actus Ordinis pendeat etiam à Iurisdictione, Ita Henriquez c. 33. n. 2. Auila 3.p. disp. 2. dub. 3. Hęc assertio constat ex dictis in simili de *Excommunicatione* disp. 2. dub. 4. maximè assertione 2. est enim eadem ratio. Ita etiam Suarius & alij in fine referendi.

Limitatio quoad Sacramentũ pœnitentiæ.

115. Dixi *nisi actus Ordinis pendeat à Iurisdictione* propter Sacramentum pœnitentiæ , ad cuius valorem necessaria est Iurisdictio ex parte absoluentis, quâ caret suspensus interim dùm Suspensio durat. De cæteris verò Sacramentis philosophandum est , sicut ibidem diximus de Excommunicato;atque etiam de Sacramẽto Pœnitentiæ dicendum est in eisdem casibus valere, in quibus valet absolutio collata ab Excommunicato, vt ibidem diximus.

Assertio 4. actus suspensi non nominatim denũtiati validi sunt.
Ratio.

116. Assero 4. acta per suspensum, qui non est nominatim denuntiatus, valida sunt , etiam illa , quæ necessariò requirunt iurisdictionem. Ratio est ; quia talis suspensus est toleratus ab Ecclesiâ ; tolerato autem non admittitur iurisdictio,iuxta dicta disp. illâ 2. locis notatis , & maximè dub. 46. & 47. adiunctis dub. 26. & 27.

Assertio 5.

117. Assero 5. acta iurisdictionis propriæ à tali suspenso iam nominatim denuntiato non sunt valida ; nisi fortè adsit titulus coloratus, & error communis iuxta dicta locis notatis in simili de *Excommunicatione*, & iuxta dicta de *Pœnitentiâ* locis ibidem notatis , & maximè Tract. 8. disp. 10. dub. 8.

118. Hinc est invalidam esse absolutionem impensam à suspenso ab officio,& denuntiato, caret enim ille tunc iurisdictione.

119. Quamuis autem aliqui actus Ordinis, vt licitè fiant, aliqualem iurisdictionem requirant, vt sunt confirmare,ordinare consecrare &c. tamen,quia ad eorum valorem iurisdictio non est necessaria, quantumuis à suspenso fiant valida erunt. Ita præter citatos docet Suarius disp. 27. sect. 2. n.2. Filliucius Tract. 17. c.10. q.3. Sayrus c,11. n. 15.

DVB-

DVBITATIO VII.

Quænam sint Suspensiones, quæ ipso Iure contrahuntur.

120. INnumeræ sunt Suspensiones, quæ in iure assignatæ sunt personis Ecclesiasticis, quæ vix imò ne vix possunt in ordinem redigi. Ideò plures Authores ab ijs enumerandis supersedent, & reijciunt in propria loca. Placet tamen in gratiam lectorum præcipuas recensere, easque reducere ad quatuor capita, primum Suspensionem Iuris contra Episcopo. Secundum contra Conuentus, & Capitula. Tertium contra Religiosos. Quartum generaliter contra Clericos.

Suspensiones præcipuæ ad 4. capita reducenda.

CAPVT I.

De Suspensionibus Iuris contra Episcopos, & alios Prælatos,

Suspenduntur primo Episcopi &c.

121. PRimò Tam Episcopi, quàm Abbates, & Prælati Religionum suspenduntur ab administratione fructuum suarum Ecclesiarum, si promoti à Sede Apostolicâ earum administrationẽ accipiant sint litteris authenticis eiusdem Sedis. Extrauag. 1. de *Elect.* inter communes. Ita Suarius disp. 31. sect. 5. n. 23. Sayrus lib. 4. c. 12. n. 25.

Secundò.

122. Secundò, Episcopus, aut alius eo Superior, qui consecratur ab excommunicatis, Suspensis vel interdictis manet Suspensus *à Pontificalibus* c. 1. & 2. *de Schismaticis*, & c. *Gratia* 1. q. 1.

123. Quod etiam locum habet, etiamsi ignorauerit ipsos esse Suspensos excommunicatos, vel interdictos; est enim pœna in odium consecrantis. Ita Suarius suprà n. 63. Maiolus lib. 5. c. 22. Sayrus, Auila, Filliucius, & alij apud Bonacinam disp. 3. puncto 5. §. 2. qui rectè aduertit, quando prædicti consecrantes sunt vitandi, & non tolerati, hanc doctrinam habere locum, quia post concilium Coustantiense in Extrauag. *Ad euitanda*. Iam est alia ratio, vt sæpè dictum est.

Tertiò.

124. Tertiò suspenditur à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ Episcopus, qui non seruat Extrauagantem 2. Iannis XXII. de *Elect.* quod attinet ad perceptionem fructuum primi, & secundi anni sui Episcopatus, donec restitutio fiat: illâ tamen factâ, absque vlla absolutione cessat Suspensio. Ita Suarius suprà n. 22. Filliucius suprà numero 156. Bonacina suprà & alij communiter.

Quartò. suspenditur Episcopus conferens ordines sine licentiâ, sibi non subdito.

125. Quartò suspenditur à Pontificalibus Episcopus conferens Ordines, aut primam tonsuram sibi non subdito absque licentiâ sui Episcopi. Constat ex Tridentino sess. 6. c. 5. *de reformatione* & sess. 23. c. 8. Ita præter citatos Toletus lib. 1. c. 48. Nauarrus & alij apud Bonacinam n. 4.

Quintò.

126. Quintò Episcopus conferens Ordines in alienâ diœcesi absque licentiâ Ordinarij loci, aut ordinans de licentiâ Episcopi personas non subditas, suspenditur à Pontificalibus in Tridentino sess. 14. c. 4. &. sess. 23. c. 8.

Sextò.

127. Sextò ordinans coniugatum suspenditur ibidem exceptis casibus Iure concessis. Ita Toletus, Nauarrus, Sayrus, Suarius Filiucius, Bonacina, & alij suprà.

Septimò.

128. Septimò suspensus est per annum à collatione ordinum, quos contulit, Episcopus, qui ordinauit Religiosum non professum, aut, qui fecit votum solùm temporale. Ita Pius V. in bullâ, quam refert Nauarrus c. 22. n. 158. Sorbus verbo *Ordines*: Sayrus suprà numero 20. non tamen comprehenduntur, qui ordinant Religiosos Societatis, qui iam emiserunt vota simplicia post Biennium; id enim satis declaratum est, & definitum à Gregorio XIII.

Exceptio quoad Religiosos Societatis.

Octauò.

129. incurrit Suspensionem à communione aliorum Episcoporum c. finali dist. 58. Episcopus ordinans Monachum sine licentiâ Abbatis, hæc tamen non est propriè suspensio, sed quædam prohibitio, quæ aliquam habet similitudinem cum minori excommunicatione. Legatur Henriquez lib. 13. c. 38. Sayrus suprà n. 24. Filliucius suprà n. 139. Suarius, & alij citati.

Nonò.

130. Nonò suspensus est Episcopus à celebratione per annum, si Ordinat bigamum, aut eum, qui facit pœnitentiam publicam c. Nullus dist. 55. Ita communiter Doctores.

Decimò.

121. Decimò suspensus est per annum à celebratione Missæ c. 1. & 2. dist. 74. si iniustè ordinet inuitum. Ita Henriquez citato c. 28. n. 3. Sayrus lib. 4. c. 6. n. 23. vbi refert Angelum, Syluestrum, & alios, Bonacina, & alij suprà.

Vndecimò.

132. Vndecimò suspensus est à collatione ordinis Sacerdotalis, qui ordinat Sacerdotem indignum c. *si quis Episcop.* 1. q. 1. Ita Suarius disp 31. sect. 5. n. 2. Sayrus suprà c. 12. n. 17. Hanc verò suspensionem non esse ipso Iure latam; sed ferendam probabilis sententia est, quam sequuntur aliqui Doctores, quos refert, & sequitur Suarius eodem tomo de *Censur.* disp. 40. sect. 8. n. 5. vers *Tertia est.* Quia in eo Textu dicitur ordinationis ius vlterius non habebunt, quod verbum futurum indicat tempus.

Duodecimò conferens tonsuram illiterato suspenditur.

133. Duodecimò Episcopus conferens tonsuram illiterato suspensus est per annum a collatione tonsuræ c. Finali de *temporalibus ordinat.* Ita Sayrus suprà n. 18. Henriquez c. illo 38. n. 2. Toletus suprà. Probabile autem videtur id, de quo testatur Sa verb. *Suspensio* n. 13, & sequitur Bonacina suprà, hanc suspensionem non esse in vsu. Ille autem censetur illiteratus in hoc negotio, qui nescit legere, & scribere; hoc enim requiritur iuxta Tridentinum sess. 23. c. 4. ad receptionem primæ Tonsuræ.

Illiteratus hic dicitur qui nescit legere, & scribere.

Decimotertiò.

134. Decimotertiò suspenditur conferens Tonsuram ei qui non solùm compleuit septennium, vt patet ex eodem loco Tridentini. Ita Suarius disp. illâ 31. sess. 5. Sayrus lib. 4. c. 12. Filliucius c. 8. q. 2. n. 140. & alij citati.

Decimoquartò.

135. Decimoquartò suspenditur ab eodem Tridentino ibidem qui confert duos Ordines Sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis; suspensio autem est à collatione vtriusque Ordinis, vt constat, ex c. *literis de tempor. ordinat.*

reuocantur autem à Tridentino ibi omnia priuilegia cõferendi duos sacros Ordines eodẽ die.

136. Decimoquintò incurrit Episcopus Suspensionem à collatione Ordinis Sacerdotalis c. *Si quis Episcop.* 1. q. 1. si conferat indigno scienter Sacerdotalem ordinem, aut illi, qui à susceptione ordinis Sacerdotalis est suspensus. Ita Filliucius c. 8. q. 2. n. 139. Sayrus lib. 4. c. 12. numero 17. & alij. *Decimoquintò.*

137. Decimosexto suspenditur Episcopus à collatione ordinum per triennium, qui confert ordines cum pacto, vt ordinatus ab eo non petat alimenta in defectum beneficij, vel patrimonij, vt habetur c. penultimo de *Simonia*. *Decimosextò.*

138. Decimoseptimò suspenditur Episcopus, qui confert ordines, vel primam tonsuram Symoniacè, non solùm à collatione Ordinum, & primæ Tonsuræ per triennium iuxta c. penultim. de *Simonia*, verum etiam à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ iuxta Bullam Sixti V. neque Clemẽs VIII. eâ Bullâ reuocauit, quantum ad hoc. Ita Suarius, disp. 31. sect. 4. à n. 23. & sequentibus. Sayrus lib. 4. c. 12. n. 32. Filiucius Tract. 1. 7. c. 7. n. 128. & alij Recentiores. *Decimoseptimò.*

139. Decemooctauò incurrit suspensionem à Confirmatione, & consecratione Episcoporum per annum Episcopus, qui iam electum Episcopum in Episcopatu confirmat, & consecrat postquàm appellatum fuit ad Sedem Apostolicam; etiam si partes ab appellatione resilierint; nisi fortè post debitam deligentiam deprehendat nullam fraudem in eâ se interuenisse, nullàve prauitatem, vt constat ex c. *Prouida* de *Electione* in 6. vbi sub eâ pœnâ præcipitur seruari Cõstitutionem Concilij Logdunensis, quæ habetur in c. *Quamuis*, eodem titulo. Legatur Suarius eâdem disp. 31. sect. 5. n. 8. Filiucius Tract. 17. c 8. q. 4. n, 146. *Decimooctauò.*

140. Decimononò Suspenditur Episcopus, qui non adhibet debitam diligentiam circa processum electionis, & personam electi ad curam animarum; suspenditur autem solùm à facultate confirmandi primum illius successorem, & à beneficio. Constat ex c. *Nihil* de *Elect*. Ita Henriquez lib. 13. c. 39. n. 2. Viualdus de *Suspens.* n. 37. Sayrus lib. 4. c. 12. n. 35. *Decimononò.*

141. Vigesimo suspenditur Episcopus, aut quiuis alius beneficiorum collator à collatione, præsentatione, Electione, confirmatione, vel institutione, donec à summo Pontifice absoluatur si beneficij resignationem admittat contra præscriptum Bullæ Pij V. quæ est 58. in ordine edictâ anno 1568. Ita Sayrus suprà n. 55. Filiucius n. 151. Incipit autem Bulla. *Quanta Ecclesiæ* cuius tenor habetur in Bullario vltimo, & apud Sayrum ibidem, vbi multa præcipiuntur sub eâ pœnâ, quæ nunc non vocat referre, & ibi satis expressè continetur. Quod si sic suspensi adhuc pergant exercendo actum à quo suspenduntur ipso facto excommunicantur reseruatâ absolutione summo Pontifici. *Vigesimo.*

142. Vigesimoprimò suspenditur ab ingressu Ecclesiæ donec duplum restituat, non obstante quâuis remissione, Episcopus, qui accipit in visitatione aliquid aliud vltra id, quod sibi debetur, siue in pecuniâ, siue in victualibus, vt habetur c. *exigit* de *Censibus* in 6. & docent communiter doctores. *Vigesimoprimò.*

143. Alia suspensio comprehendit (vt ex eodem c.) etiam alios visitatores Ecclesiarum, aut eorum familiares, si munera, etiam spontè oblata recipiant, etiam in victualibus, ab ijs, quibus officium visitationis impendunt; nisi intra mensem duplum restituant; suspenduntur enim ab officio, & beneficio, donec restituant.

144. Verum quidem est iuxta multorum sententiam hanc suspensionem non extendi, nisi tantùm ad eos, qui iure ordinario visitant, non ad visitantes ex delegatione c. *Romana* de Censibus in 6. Quâ de re legi potest Suarius disp. 31. sect. 3. n. 15. Toletus suprà. Sà verbo *Suspensio* n. 15. Reginald. lib. 32. c. 24. Henriq. lib. 13. c. 39. n. 4. Sayrus lib. 4. c. 15. n. 26. & alij Recentiores. Notat verò Sà, quod, si absoluatur à potente absoluere, non tenetur ad duplum. In hoc autem ego distinguerem; nam si facultas absoluendi est delegata, qualis erit communiter loquendo, eaque facultas data fuerit ad absoluendum præmissâ satisfactione, non poterit absolui donec duplum restituat, sicut in eo textu præscribibitur; si verò facultas fuit absolutè absoluendi probabile videtur posse absoluere sine eo onere; sed probabiliùs mihi apparet, si aliud non exprimatur facultatem intelligendam esse seruatis alioquin requisitis à Iure. Si autẽ absoluens esset & ipse Pontifex, tunc verò similiùs adhuc apparet valere absolutionẽ ante resolutionem dupli; nisi aliâ fuisse mentem Pontificis ex circumstantijs appareret.

145. Non desunt, qui hanc eandem Suspensionem extendant ad Religiosos, vt videre est apud citatos Authores præcessis ipsorum constitutionibus, & legitimis consuetudinibus.

146. Vigesimosecundò suspenditur Episcopus ab ingressu Ecclesiæ & perceptione fructuum, quæ suspensio extenditur ad alium quemcumque superiorem, etiam Cardinalem, si iudicem casuum gratiarum, & indulgentiarum soluto certo pretio proponat. Legatur Sayrus c. illo 12. vbi refert hac de re Bullam Pij V. quæ incipit *Quam plenum*. *Vigesimosecundò.*

147. Vigesimotertio Episcopus, siue commissarius siue delegatus sit in causâ alienationis rerũ Ecclesiasticarũ, si per gratiam timorem, aut alias sordes vtatur potestate sibi commissâ, in detrimentum Ecclesiæ, suspenditur ab exequutione officij per annum ita, vt, si damnabiliter se ingerat Diuinis suspensione durante; Irregularitatem incurrat, quam solus Papa potest auferre, vt habetur in Extrauag. 2. Pauli 2 quam refert Suarius disp. illâ 31. sect. 5, n. 12, *Vigesimotertiò.*

148. Vigesimoquarto suspenduntur Episcopi ab officio per triennium, si abutantur officio Inquisitorum in causis Fidei Clementinâ 1. §. *verum* de *Hæreticis*. Illi autem censentur abuti, qui contra iustitiam, & conscientiam prætextu odij gratię, amori, vel cõmodi temporalis omittunt procedere in causâ Hæresis, vt procedendum erat; vel eodem obtentu, & prætextu prauitatem ipsam, vel impedimentum officij sui alicui imponunt eumque super hoc præsumunt quoquo modo vexare, & ob id Iure optimo per triennium ab officio suspenduntur. Reliqui verò Inquisitores; vel ab Inquisitoribus substituti, *Vigesimoquartò.*

vel

vel ab Episcopis, subijciuntur vinculo excommunicationis summo Pontifici reseruatæ. Legatur Suarius eâdem sect. 5. numero 16. Sayrus c. illo 12. numero 50. Filiucius Tract. 17. cap. 8. numero 153. quæsito 7. Henriquez lib. 13. cap. 38 numero 3. Nauarrus cap. 27. n. 10.

Vigesimo quintò. 149 Vigesimo quinto suspenduntur per triennium à fructibus suarum Ecclesiarum Episcopi, alijque Prælati tàm sæculares, quàm Regulares procurantes, vt Clerici capiantur à Dominis temporalibus, vt beneficia renuntient, vel, vt citati ad Sedem Apostolicam ab homine, vel à Iure ire ad ipsam non possint, iuxta Clementinam secundam de *Pœnis*, quamuis autem in eo textu tantùm generaliter fiat mentio Prælatorum, ideò videri posset ex vi illius vocis non comprehendi Episcopos iuxta c. *Quia periculosum*, de *sent. excom.* in 6. Nihilominus (vt rectè notat Suarius sect. illâ 5. nú. 17. cum Gloss. & Abbate, quamuis ij non clarè id dicant) verosimiliùs est, Episcopos etiam ibi comprehendi; nam ipsa vox *Prælatorum* præcipuè solet Episcopos significare, & materia illius constitutionis maximè potest ad ipsos pertinere. Accedit, quod inferioribus Clericis alia grauior pœna ibidem ponitur, scilicet, priuatio omnium beneficiorum: ergo suspensionis pœna imponitur pro superioribus Prælatis, ac proinde pro Episcopis consentit etiam Filiucius loco citato.

150 Quamuis autem prædictam pœnam suspensionis à fructibus suarum Ecclesiarum incurrant Episcopi, & alij Episcopalem iurisdictionem habentes, si in prædictis peccent contra dictam Clementinam, 2. tamen non videtur incurrere hanc pœnam; nisi effectus sequatur; hoc est; nisi captus beneficium ob talem vim renuntiauerit, aut ob eam causam Sedem Apostolicam adire nequierit, præscripto sibi tempore; nam iuxta principia generalia tradita à nobis disp. 2. dub. 11. & alijs in locis, Censura non incurritur, nisi completo actu sub Censurâ prohibito; ibi autem non prohibetur actio ipsa independenter ab effectu, ut patet ex illis verbis *Ecclesiasticos capere, captosq́; donec sua resignent beneficia, aut ne citati ad Sedem Apostolicam venire valeant, ausu sacrilegio detinere non verentur.* Legatur Suarius a. n. illo 17. vsque ad 22. Filiucius numero 155. Bernardus Diaz. in *Pract. crimin.* c. 104. vbi Suarius & alij eandem pœnam extendunt ad Episcopum, qui simul est Dominus temporalis, & Episcopus, atque ipsemet ad prædictum effectum Clericum capit, aut detinet; tunc enim verum est quod Episcopus procuret, vt Clericus capiatur, neque opus est, vt id procuret, tanquàm Episcopus, quin sufficiat quod procurans sit Episcopus, aut Prælatus

Censura nō incurritur nisi completo actu sub Censurâ prohibito.

Vigesimò Sexto. 151 Vigesimo Sextò suspenditur Episcopus ab officio Episcopali per annum si relaxet pœnam contentam in c. *Pessimam* 23. q. 8. Ita Sayrus c. illo 12. numero 44. Filiucius num. 259. & alij Recent.

Vigesimo Septimò. 152 Vigesimo septimo suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, imò, si elapsis sex mensibus non resipuerit, suspenditur ab administratione temporali, & spirituali suæ Ecclesiæ, Episcopus qui alienat bona Ecclesiarum, Monasteriorum, vel locorum piorum absque licentiâ Summi Pontificis; quæ suspensio extenditur etiam ad Abbates. Alij verò inferiores ligantur excommunicatione. Sic habetur Extrauag. *Ambitiosè* Ita Sayrus sup. n. 54. Toletus suprà, & alij multi. Quâ de re etiam diximus, agentes de *contractibus*.

153 Vigesimo Octauo suspenduntur simpliciter ab officio, & ab administratione rerum temporalium Ecclesiæ grauatæ Episcopi, aut alij Prælati, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum Laicis subijciunt sine Capituli consensu, & speciali Sedis Apostolicæ facultate, exceptis casibus in Iure permissis. Sic habetur c. *hoc consultissimo de rebus Ecclesiæ non alienandis* in 6. Quâ de re videri potest Suarius sect. 5. numero 9. Filiucius Tract. 17. cap. 8. quæsito 6. *Vigesimo Octauo.*

154. Vigesimo nono incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ Episcopus primâ vice ingrediens monasteria Monialium sine necessitate; Secundâ verò vice suspenditur à diuinis. Tandem, si iterum ingrediatur, ligatur excommunicatione iuxta Constitutionem quandam Gregor. XIV. *Vigesimo nono.*

155. Trigesimo incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum & administratione temporalium, & spiritualium Episcopus, qui limina Apostolorum non visitat singulis tribus annis per se vel saltem per alium dùm ipse detinetur impedimento. *Trigesimo suspenditur Episcopus non visitans limina Apostolorum singulis tribus annis*

156. Italis autem Episcopis ad visitanda limina Apostolorum sicut, & alijs Episcopis illis vicinis solùm prædictum spatium triennale conceditur. Germanis verò, Gallis, Hispanis, & alijs Europæ Episcopis conceduntur induciæ quatuor annorum; alijs verò longiùs distantibus longius etiam tempus, conceditur à Sixto, V. in Bullâ *de visitandis liminib. Apostolor.* quam refert Sayrus suprà n. 33. *Episcopis remotioribus longiùs tempus conceditur.*

157 Trigesimo primò suspenditur Episcopus, qui post Concilium Prouinciale infra sex menses Clerum non conuocat, vt illi referat gesta in Concilio Prouinciali, vt habetur c. finali dist. 8. Verum Suarius suprà numero 7. testatur hoc non esse in vsu, etiam in Hispaniâ, vnde ex Concilio Toletano desumptus est ille Canon. *Trigesimo primò.*

158 Trigesimo secundo suspenditur Episcopus, ab officio per duos menses c. *Quiquid* 1. q. 1. Si contra Symoniacos procere negligat. *Trigesimo secundò.*

159 Trigesimo tertiò suspendatur ab officio si permittat vsurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terminis ad exercendum fœnus, vt habetur c. *Vsuras de vsuris* in 6. Ita Suarius suprà numero 13. Filiucius numero 152. Sayrus num. 48. & alij. *Trigesimo tertiò.*

CAPVT. II.

De Suſpenſionibus contra Capitula, conuentus, & Religioſos.

Primò ſuſpenduntur Capitula &c. 161 PRimò ſuſpenduntur Capitula Eccleſiæ, vel Monaſterij à beneficijs, ſi Prælatum Religioſum, aut Epiſcopum à Sede Apoſtolicâ prouiſum recipiant ſine eiuſdem Sedis litteris; durat autem ſuſpenſio donec à ſummo Pontifice gratiam obtineant. Ita habetur extrauag. 1. de *electionib.* inter communes, & docet Sayrus lib. 4. cap. 12. numero 25. Suarius diſp. 31. Sect. 5. numero 23. vbi aſſerit, non conſtare; an ſinguli de Capitulo Suſpenſionem à ſuis beneficijs incurrant? vel totum Capitulum à beneficijs communibus?

Secundò. 162. Secundò ſuſpendamus ab officio, & beneficio, donec plenam reſtitutionem ſecerint Capitula, & Collegia, quæ Sede Cathedrali; Collegiatâ, vel Regulari vacante occupant, vel dilapidant bona ad Prælatum defunctum, vel ad ipſam Eccleſiam, vel ad Succeſſorem pertinentia. Et habetur, c. *Quia de elect.* quam etiam Cenſuram incurrunt ſingulares perſonæ, ſi hoc ipſum crimen committant, vt dicemus, c. ſequenti cum Auctoribus ibi relatis. ſuſpenſ. 22.

Tertiò. 163 Tertiò ſuſpenduntur totali ſuſpenſione Papæ ſeruatâ Capitula & conuentus, qui aliquid directè accipiunt vel petunt pro receptione alicuius in Religionem, aut poſt receptionem ſiue id, quod accipiunt, ſint pecuniæ, Cibaria, prandia, Cœnæ, iocalia, aut alia, etiam ad ipſum vſum pertinentia. Sic habetur Clementinâ ſanè de *Simoniâ*, & docet Nauarrus c. 27. & cum eo Sayrus lib. 4. c. 13. numero 27. Filiucius ſuprà numero 161. Viuald. in *Candelabro. tit. de ſuſpenſione.* num. 45. & alij

164 Non ideò tamen prohibentur Moniales facere conuentionem de dote ante receptionem nouæ Monialis, neque vlli pœnæ ſubiacent exigendo paſtus, & prandia fieri conſueta; quia hæc ad dotem quodammodò reduci poſſunt, cum id videatur fieri ob ipſarum victum, & neceſſitatem, & vſus iam receptus ſeu ſtatuta probata id habeant.

Quartò. 165 Quartò incurrunt ſuſpenſionem à collatione, præſentatione, & inſtitutione, tàm Capitula, quàm ſingulæ perſonæ, ſi admittant reſignationem beneficiorum extra caſus, & formam Bullæ Pij V. quæ incipit *Quanta Eccleſiæ.* & Capitulum faciens contra iſtam ſuſpenſionem ſuſpenditur à Diuinis, & abſolutio reſeruatur Papæ iuxta dicta c. præcedenti, *de ſuſpenſionibus contra Epiſcopos.* Suſpenſione 20. & docent Auctores ibi citati.

Quintò. 166 Quintò ſuſpenditur Prælatus Prædicatorum, Minorum, & Mendicantium à facultate recipiendi ad profeſſionem, ſi aliquem admittat ad profeſſionem, nondùm expleto probationis anno, c. non ſolùm de *Regularibus* in 6. nec Profeſſio tunc valida eſt. Ita Suarius diſp. 31. Sect. 6. numero 6. Sayrus ſuprà cap. 13. n. 13. Henriquez lib. 13. cap. 47. num. 2. Nauarrus c. 27. num. 153. Filiucius ſuprà nu. 166.

Sextò. 167 Sextò ſuſpenduntur Religioſi ab Ordinum ſuſceptione, ſi ad Ordines Sacros nondum factâ profeſſione promoueantur iuxta Bullam Pij V. quæ eſt 74. inter illius Bullas.

Septimò. 168 Septimò ſuſpenſus eſt ab Ordine tunc ſuſcepto, & ab alijs ſuſcipiendis, donec per Papam diſpenſetur Religioſus Apoſtata, qui Sacrum Ordinem ſuſcepit, dùm in Apoſtaſiâ manet, vt habetur c. finali de *Apoſtatis*

169 Idque locum habet tanquàm in verò Apoſtata in eo qui ad aliam Religionem inualidè tranſit, & in ea Sacros Ordines accipit; ſecùs verò, ſi accipiat poſtquàm ad ſuam Religionem redijt, & abſolutionem à vinculo excommunicationis obtinuit; tunc enim iam non eſt in Apoſtaſiâ & legi poteſt Suarius citatâ Sect. 6. numero 1. & ſequentibus Filiucius Tract. 17. c. 9. q. 1. & 2. numero 163. & ſequentibus Sayrus lib. 4. cap. 13 numero 17. Henriquez. lib. 13. c. 40. num. 1. Quamuis hic vltimus potiùs putet prædictum Apoſtatam eſſe Regularem non ſuſpenſum.

Dubium 1. 170 Dubitari autem poteſt an hæc ſuſpenſio incurratur ſuſcipiendo tantum Minores Ordines?

Communis opinio affirmat. 171 Communis opinio affirmat, quam ſequitur Panormit. ad citatum c. final. *Apoſtatis*, & alij apud Suarium.

Aſſertio. 172 Aſſerendum tamen eſt cum eodem Suario non incurri, quia neque ex vi illius, c. vltimi neque ex vi alterius Textus, qui non apparet. In eo ſanè capite ſolùm fit mentio de Sacro Ordine & lex pœnalis non debet extendi maximè vbi non eſt ſimilitudo rationis. In alijs verò Textibus nihil eſt, quod ad rem faciat; ſolùm enim afferri ſolet. c. *Placuit* 50. diſtinct. & c. vltim. eâdem diſt. in primò autem Textu ſermo ſolùm eſt de illis, qui publicam pœnitentiam egerunt, qui dicuntur non admitti ad Clerum in caſu tamen neceſſitatis poſſe admitti ad minores Ordines, in poſteriori verò agitur quidem de Apoſtatis, de quibus ibi dicitur *iubemus ad Clericatus officium non admitti.* Atque, vt omittam illud Decretum eſſe Concilij Prouincialis Arelatenſis ſecundi, c. 25. atque adeò nõ obligantis vniuerſaliter, nec fortaſſè potentis propriam Irregularitatem inducere; adhuc ibi ſolùm iubentur ij non ordinari; non autem dicitur manere ſuſpenſos ſi ordinentur, & ad ſummum verba non continent ſententiam alatam ipſo facto.

Dubium. 2. 173 Dubitari ſecundò poteſt quid impediat prædicta ſuſpenſio?

Reſp. 174 Reſpondetur cum Suario ibidem n. 3. & alijs (eſt enim communis ſententia eodem Suario teſte) impedire vſum Ordinis ſic ſuſceptæ vt expreſſe habetur Textu; non verò vſum alterius Ordinis priùs ritè ſuſceptæ, quia in Textu additur determinatio ad tunc ſuſceptum. Item impedire aſcenſum ad Superiorem Ordinem, quamuis aliqui Canoniſtæ ſentiant in contrarium.

Octauo 175. Octauo ſuſpenduntur omnes Religioſi vtriusque Sexus, & etiam Religioſi militares, ſi, dùm præſident Monaſterijs. Prioratibus Eccleſiis, & adminiſtrationibus, quibuscumque Iura,

ta redditus, vel possessiones eorum Monasteriorũ, Prioratuum Ecclesiarum, & administrationem quouis modo concesserint alicui ad vitam ipsius recipientis, vel concedentis, siue ad certum tempus pecuniâ etiam inde receptâ: suspensio autem est ab officio, & inualida concessio. Valebit autem, & non erit suspensio, si postulet necessitas, aut vtilitas Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, aut administrationum, & fiat de consensu conuentus, si conuentum habeat, aut de consensu Prælati superioris, si non habeat conuentum Sic habetur in Clementina de rebus Ecclesiæ non alienandis.

176. Non tamen ibi comprehenduntur venditiones fructuum, aut locationes ad breue tempus, quale censetur spatium trium annorum vt in simili patet ex Extrauag. *Ambitiosè* Pauli 2. de *Rebus Ecclesiæ non alienandis*. Legatur Suarius sect. illâ 6. n. 8. Filiucius n. 168. & sequentibus. Nauarrus c. 27. n. 157. Sayrus lib. 4. c. 13. n. 12. Viualdus de *suspens*. n. 73. Henriquez suprà n. 1.

Nonò. 177. Nonò suspẽsi sunt ab officijs, administrationibus & beneficijs suis donec destiterint, & satisfecerint Religiosi aggrauãtes, seu defraudantes Ecclesias circa Decimas eis debitas, easq; sine rationabili causâ, aut priuilegio sibi vsurpare præsumentes, si requisiti ab illis, quorum interest, non desistunt intra mensem, vel de vsurpatis, vel retentis intra duos menses non satisfaciant, vt habetur Clementinâ 1. de *Decimis* Quod si tales Religiosi, neque officia, neque administrationes habeant, nec beneficia, incurrunt excommunicationem, à quâ nequeunt absolui, donec satisfaciant, vt habetur eodem Textu.

178. Extenditur etiam ibidem ad eos, qui decimas animalium à familiaribus, & Pastoribus suis solui non permittunt dummodò requisiti non destiterint, nec satisfecerint. Item ad quoscumque Religiosos vtriusque Sexus, & etiam Militares equites, qui verè sint Religiosi vt interpretatur, & probat Suar. suprà numero 9.

179. Ex dictis patet prædictos non incurrere si requisiti nõ fuerint ab ipsis Rectoribus Ecclesiarum, quia Censura non incurritur; nisi adimpletâ conditione, sub quâ fertur. Ibi autem fertur Censura sub eâ conditione si requisiti non destiterint. Legatur Sayrus lib. 4. c. 13. n. 10. Suarius sect. illâ 6. n. 9. Viuald. de *Suspensione* n. 120. Henriquez lib. 13. c. 49. n. 3. Suarius disp. 31. sect. 6. n. 9.

180. Non incurret etiam hanc Censuram Religiosus ad Ecclesiam sæcularem translatus, quia verba legis, quæ de Religiosis agunt, formaliter accipienda sunt, vt notat Suarius ibidẽ. Nauarrus c. 27. n. 38. & alij contra Rosselam verb. *Excommunic.* casu 39.

181. Rectè etiam expendit Suarius verbum quoddam illius Textus scilicet *præsumpserint*, nam, si eiusmodi actio fiat ex aliquâ ignorantiâ, quia Religiosi putant se habere priuilegium, vel excusari antiquâ consuetudine; tunc cessat præsumptio; etiamsi ignorantiâ admodum probabilis non sit. In quo etiam consentit Filiucius. 169, & alij Recentiores.

Ioan. de Dicastil. de Censur.

182. Vlterius rectè expendit Suarius verba Textus *appropriare, vsurpare, retinere, prohibere*, &c. nam propter horum verborum proprietatem non erit satis ad incurrendam censuram quomodocumque modo non soluere, nisi, vel prohibitio, vel appropriatio interueniat ita, vt dicant non esse debita & sub ea ratione retineant, vel etiamsi sunt debita, ea nihilominus solui prohibeant.

183. Decimò suspenduntur à Pontificalibus fratres Ordinis Prædicatorum, si postquàm promoti sunt ad Episcopatum, aut alias Prælaturas, consecrationem suscipiant, antequàm, reddant Ordini libros, & alia, quæ tempore promotionis habebant. Quæ absolutio est Papæ reseruata. Ita S. Antonin. 3. p. tit. 27. de Suspensione c. 4. probatque ex quodam priuilegio Clementis Quarti. *Decimò.*

184. Vndecimo simpliciter, & absolutè suspenduntur vsque ad debitam satisfactionem Prælati Religionum, ad quos aliquid quoquomodo peruenerit occasione quorundam excessuum suorum Religiosorum. Qui excessus ibi prohibentur; durabitque Suspensio, quousq; satisfecerint, si intra mensem, postquàm requisiti fuerint, omiserint satisfacere. *Vndecimò.*

185. Hæc suspensio cùm sit absolutè, & simpliciter, ab omni officio, & administratione suspendit; ad illam autem incurrendam plures conditiones requiruntur ex parte causæ incurrendi illam. Prima, quod Prælati aliquid acceperint, siue pro Monasterio Religionis, siue pro personis priuatis; textus enim generatim prohibet aliquid accepere. Secunda vt id, quod accipitur, detur occasione excessuum ibi prohibitorum suis Religiosis, quales sunt, ne quando intersunt condendis testamentis, retrahunt testatores à restitutionibus faciendis, aut à relinquendis legatis matricibus Ecclesijs: ne legata, aut debita, vel malè ablata incerta procurent sibi, aut alijs singularibus sui Ordinis fratribus, vel consentibus in aliorum præiudicium fieri, aut erogari &c. & alia, quæ ibi numerantur. Tertia, vt Prælati, ad quos hæc bona sic vsurpata peruenerunt, super ea requirantur ab ijs personis, in quorum præiudicium vsurpata sunt. Quarta, vt post hanc requisitionem per integrum mensem sint in morâ satisfaciendi, quo elapso, suspensionem incurrunt quousque satisfaciant. Ita Suarius sect. illâ 6. n. 11. Sayrus lib. 4. c. 13. n. 11. Nauarrus c. 26. n. 36. Henriquez suprà n. 4. Filiucius suprà n. 171. Viuald. de *Suspensione* n. 75. *Ad hanc suspensionem incurrendã varia requiruntur conditiones Prima conditio. Secunda. Tertia.*

186. Non tamen prohibentur illi Religiosi certiores facere moribundos de suâ necessitate, ipsosque hortari vt aliquid suo Monasterio sponte legent; nullum enim verbum in prædictâ Clementina 1. de *Priuileg.* §. *Quibus* vbi prædicta continentur, reperitur, quod id prohibeat. *Duodecimò.*

187. Duodecimò in eâdem Clementinâ suspenduntur Prælati Religiosorum, qui non satisfaciunt damno illato à suis subditis in concione prædicando in discretas Indulgentias, retrahendo laicos, ne ad Parochiam accedant, vel absoluendo sine priuilegio à reseruatis Episcopo, aut Papæ, Legatur Clementina *Religiosi*, §. *Quibus de Priuilegijs*. Vbi plura Religiosis prohiben- *Decimotertiò.*

hibentur.

188. Decimotertio Confessarij Religiosi, si scienter omittant conscientiam facere pœnitentibus, qui sibi confitentur de soluendis decimis, incurrunt suspensionem ab officio prædicandi, postquàm à Rectoribus Ecclesiarum de hoc requisiti fuerint Durabitque Suspensio, donec ijs pœnitentibus conscientiam circa eam rem fecerint, si commodè potuerint. Sic habetur Clementinâ *Cupientes* de *pœnis*. In quâ tres conditiones continentur; primâ, quòd sint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum. Secunda, quòd sciëtet omittant eam diligentiam, ideò non sufficiet si fiat ex aliquâ inaduertentia: Tertia, quod [illegible] sibi confitentes sit ea omissio; atque vt exponit Suarius suprà n. 12. intelligi debet de confitente formaliter, quatenus in ipsâ cōfessione pœnitens huius rei meminerit, non sufficit autem, quòd extra Confessionem; vt Confessarius tunc peccet contra eam legem, & incurrat. — *Decimotertiò.*

189. Quod si prædicti Confessarij eo modo suspensi prædicare audiant, ligantur excommunicatione, vt ibidem habetur. Ita præter Suarium docent suprà citati Sayrus n. 18. Viuald. n. 76. Henriquez Filliucius n. 172. & alij; ipsi verò Religiosi concionatores, qui de hac re requisiti, scienter omittunt hoc populo suadere non incurrunt vllam suspensionem; sunt tamen puniendi à suis Prælatis, vt habetur eâdem Clementinâ.

190. Decimoquartò suspenduntur Abbates, & alij quicumque quantumuis exempti, ab officio, & beneficio per annum, si literas Dimissorias concedant alijs quàm suis subditis Regularibus vt habetur in Concilio Trident. sess. 23. c. 10. ad finem. — *Decimoquartò.*

191. Non placet autem, quod Sayrus c. illo 13. n. 5. docet, eam, scilicet, suspensionem extendi ad Abbates conferentes tonsuram, vel minores Ordines alijs quàm suis subditis regularibus; Tridentinum enim solùm agit de concedentibus dimissorias, & illam pœnam extendit etiam ad capitula, seu Collegia Cathedralium Ecclesiarum; nisi, quando Sedes Episcopalis per annum vacauit.

192. Ex quo fit prædictos Abbates, aliosue exemptos suspendi modo prædicto, si literas Dimissorias concedant Clerico sæculari, etiamsi illi, qui aliàs ad suam iurisdictionem pertineat; non verò, si concedat Relegioso.

193. Dubitabit aliquis, an incurratur suspensio concedendo dimissorias, aut conferendo ordines nouitio nondùm expleto probationis, anno. — *Dubium.*

174. Non consentiunt Authores. Henriquez lib. 13. c. 38. n. 2. ad finem in *Comment*, litera *A.* referens Lapum, Ioannem And. & Geminianum, & Sayrus suprà n. 5. putant Abbatem peccare, conferendo Tonsuram; non verò esse suspensum. Nouitium autem recedentem à monasterio, non gaudere priuilegio Tonsuræ. Maiol, verò lib. 4. c. 2. n. 11. videtur sentire incurrere suspensionem, conferendo primam tonsuram, vel minores ordines. — *Authores nō consentiunt.*

195. Assero 1. non incurrere conferendo Ordines prædictos quia Tridentinum non loquitur in tali casu, vt constat ex dictis. — *Assertio 1.*

196. Assero 2. cum Henriquez, & alijs citatis peccare; quia confert Ordines sibi in eâ re nondùm subdito. An verò prædictus Abbas incurrat Suspensionem latam à Pio V. non est ita certum. Qua de re legi potest Nouarrus c. 27. numero 58. — *Assertio 2.*

197. Assero 3. cuncedendo Nouitio Dimissorias ad suscipiendos Ordines, si Nouitius fuerit antea initiatus tonsurâ incurrere suspensionem, quia quantum ad ordines, talis Clericus, nondùm est Religiosus; sed reputatur Clericus sæcularis, &, quantum ad id, non habetur pro subdito talis Abbatis. Si verò concedat Dimissorias ad primam Tonsuram, non videtur incurrere suspensionem, Concilium enim agit de concedentibus Dimissorias Clericis sæcularibus; Nouitius autem ille nondum initiatus Tonsurâ, nondum est Clericus sæcularis. — *Assertio 3.*

198. Objciet tamen aliquis. Sequitur ex hoc non incurrere Censuram, si conferat dimissorias simul ad primam Tonsuram, & Minores ordines, quia illa collatio, etiam fit nondum Clerico? — *Objicies.*

199 Respondeo non quidem incurrere tunc quando concedit, neque quando Nouitius Dimissorijs vtitur ad primam tonsuram, nam eo vsque non censetur Dimissoriæ collatæ Clerico; incurret tamen, quando iam virtute earundem nondùm reuocatarum initietur aliquo ordine, tunc enim censetur moraliter perseuerare collatio Demissoriarum, & ex tunc incipit esse collatio facta Clerico, quamuis antea Clerico non fuisset facta, — *Resp.*

200. Decimoquintò Monachus niger Benedictinus non utens habitu, & vestituto ad formam præscriptam in Clementina 1. §. *Si quis autem* de *statu Monachorum* si fuerit Abbas, aut Prior Abbatem non habens, suspenditur à collatione Ordinum per annum; si sit inferior habens aliquam administrationem, eâdem priuatur per annum. Si verò nullam habeat, inhabilis fit ad illam, vel ad Beneficium intra annum recipiendum. Ita Suarius citatâ disp. 31. sect. 6. n. 10. Filiucius suprà n. 170. Henriguez suprà Viuald. suprà n. 94. & 95. Sayrus citato c. 13. n. 6. & seqq. Rainer. de suspens. c. 3. & alij Recentiores. — *Decimoquintò.*

201. Quoniam verò in textu continetur illa particula *portare* præsumpserint; non solùm requiritur ad eam Censuram incurrendam quòd portet alium habitum, peccando mortaliter sed quòd id fiat cum præsumptione. Ideò excusatur, qui cum inaduertentiâ prohibitionis vetitum habitum defert, & qui vetito scienter quidem vtitur; sed ad breue tempus. Imò Suarius putat requiri simul cum aduertentiâ, vt per modum ordinarij habitus illo vtatur.

202. Decimosextò similis suspensio fertur ibidem contra prædictum Religiosum, qui venationi, vel aucupationi clamorosæ, vel aliàs cum canibus, aut auibus ex proposito interfuerit. Vbi notanda est illa particula *Ex proposito*, ratione cuius excusabitur, si quis inaduertenter, aut bonâ fide, aut aliquantulo temporis interfuerit tali venationi; tunc enim non dicitur interesse ex proposito; vt docent idem Suarius, Filiucius, Henriquez, & alij nuper citati, & antiquiores — *Decimosextò suspenditur Religiosus, qui venationi clamorosa ex proposito interfuit.*

quiores etiam Canonistæ communiter consentiunt; & addunt potestatem conferendi beneficia suspenso Abbate devolui ad Priorem Claustralem cum concilio, & consensu maioris partis Capituli, seu conuentus.

Decimo septimò. 203. Decimoseptimò incurrunt suspensionem ipso facto fratres Prædicatores, qui perturbare præsúpserint officiũ Inquisitoris exercitum à fratribus minoribus, & è contra fratres Minores, qui perturbare præsumpserint officiũ Inquisitoris à Prædicatoribus administratum, quousque absoluantur, vel à Sede Apostolicâ; vel ab illo, cuius officium perturbárunt, vt habetur in priuilegio Clementis IV cuius initium est *Paupertatis altissimæ.* cuius priuilegij meminit. S. Antoninus 3. p. tit. 28. de *suspensione* cap. 4. Viuald. de *suspensione* numero 100. Sayrus lib. 4. cap. 13. numero 13. & alij Recentiores.

Decimo octauò. 204. Decimo octauò supenduntur Religiosi coniungentes in Matrimonium, vel benedicentes sponsos alienæ Parochiæ absque facultate proprij Parochi, vel ordinarij; hi enim suspenduntur ab officio, donec ab ordinario Parochi obtineat absolutionem, vt dicemus c. sequenti agentes de *Suspensionibus Clericorum*; nam in Tridentino sess. 24. c. 1. de *Reform.* ea suspensio extenditur ad Regularem simul, & sæcularem Sacerdotem.

Decimonono 205. Decimononò suspensi sunt a Diuinis, priuatique beneficijs, & ad illa inhabiles Religiosi præsumentes introducere mulieres in monasteria. Ita Sayrus c. 13. n. 20.

206. Aliæ plures Suspensiones pro Religiosis referri possent, quarum aliquæ c. præcedenti & c. sequenti continentur. Alia verò sunt particulares suspensiones pro aliquâ Prouincia aut particulari Religione, quæ in proprijs constitutionibus cuiusque videri, & examinari debent, essetque penè impossibile velle omnes in catalogum, seu compendium referre.

Quæres 207. Quæret tamen aliquis an Religiosi incurrant Censuras, quæ simpliciter latæ sunt in Clericos?

Resp. Religiosos non incurrere Censuras simpliciter latas in clericos. Ratio. 208 Respondeo non incurrere iuxta magis communem sententiam, quia Religiosi præsertim in pœnalibus non censentur comprehendi nomine Clerici, cùm pœnæ sint restringendæ c. *Odia* & c. *in pœnis.* de *regulis Iuris* Accedit quòd sicut Clerici non incurrunt Censuras latas contra Religiosos, neque Religiosi latas contra Clericos. Ita Vgolinus Tabula 4. c. 11. §. 2. Sayrus cap. 13. numero 21. & alij multi.

CAP. III.

De Suspensionibus in Iure latis contra Clericos

Suspensiones clericorum. 209. MVltæ sunt Suspensiones Clericorũ in Iure contentæ, quas etiam placet, quantum assequi potero, sigillatum recensere.

Prima. 210. Prima suspensio est contra Clericum, etiam Religiosum, suscipientem Sacros Ordines ficto Patrimonio, vel beneficio. Vtrum autem validè renuntiet, aut recipiens fictè patrimonium datâ antapocha, aut fide, id reddendi, cùm promotus fuerit, teneatur restituere? non consentiunt Authores, vt videre est apud Sanchez lib. 6. de *Matrim.* disp. 32. n. 7. & 8. vbi ipse affirmat teneri. Suspenditur autem ab ordine ita Suscepto in Bulla Pij V. quæ incipit Romanus Pontifex. Ita Suarius disp. 31. sect. 1. numero 33. vbi ex alijs etiam Textibus eam colligit, ibi legatur. Idem docet Quaranta verb. *Ordo.* Filiucius numero 89. & alij multi.

211. Non me latet Toletum lib. 1. c. 14. numero 16. Sayrum lib. 4. c. 14. numero 16. & alios putare Clericos sæculares non incurrere suspensionem. Probabiliùs tamen est quod diximus. Reseruatur autem hæc suspensio Episcopo.

Secunda 212. Secunda suspensio est contra Clericos facientes pactum cum Episcopo ordinante ante ordinationem, vel cum patrono præsentante non petendi victum alimenta, aut prouisionem. Ita Nauarrus numero 118. Auila 3. p. disp. 5. numero 4. Henriquez lib. 13. c. 37. numero 1. Sayrus c. 15. numero 22. Suarius suprà, & alij multi. Patetque ex c. penultimo de Symoniâ, in quo habetur Episcopum, & patronum præsentantem suspensos esse per triennium, ipsum verò Clericum suspensum esse donec absoluatur.

Tertia. 213. Tertia suspensio est beneficiarij præsentantis aliquem Clericum ad titulum sui beneficij, vt illi conferantur ordines cùm pacto non petendi fructus ad sui sustentationem. Quæ suspensio est similis præcedenti, & habetur c. punult. de *Symonia.* Ita Auila suprà dub. 5. conclus. 1. *ad 1. argum.*

Notandum pro prædictis casibus. 214. Aduertendum verò est prædictis casibus, si nullum pactum interueniat, vel nulla deceptio, seu falsitas, nullam incurri suspensionem; Iura enim solum loquuntur, quando intercedit pactum, seu fallacia, & patet ex Tridentino sess. 21. c. 2. de *Reformatione*, & notauit Sà verbo *Suspensio* numero 10. ex congregatione Cardinalium. Legantur Suarius suprà, Filiucius suprà numero 87. Quaranta & alij citati.

Quarta. 215. Quarta suspensio est contra recipientem Maiores Ordines extra tempora constituta ab Ecclesiâ, de quibus diximus agentes de Ordine Tract. 6. disp. vnicâ dub. 33. vel ante legitimam ætatem, de quâ ibidem diximus dub. 21. vel absque literis Dimissorijs, si ordinetur ab alio quàm à suo proprio Episcopo.

216. Quæ omnia habentur in Extrauag.

 Pij

Pij Secundi, quæ incipit *Cum ex Sacrorum*, & in aliâ Extrauag. Sixti V. cuius initium est, *Sanctum & salutare*. Ita Suarius citatâ sect.1. Filiucius cap.5. quæsito 3. & cap.7. quæsito 5. Nauarrus cap.27. numero 141. Quaranta verbo *Ordo* c. 13. numero 15. & alij paulò post referendi.

217 Vtrum autem ad hanc suspensionem incurrendam requiratur præsumptio, atque adeò scientia? vel sufficiat ignorantia, quæ non excuset à mortali, ac proinde à fortiori sufficiat ignorantia affectata? non omnes consentiunt; aliqui enim affirmant non requiri præsumptionem, & sufficere ignorantiam, quæ sufficit ad mortale; idque putant colligi ex Extrauag. Pij Secundi; sed non video vnde possit id colligi, nullum enim verbum ibi inuenio vnde id colligatur.

Ad hanc Suspensionē incurrendā probabilius requiritur. Præsumptio.

218 Ideò probabiliùs puto ad hanc suspensionem incurrendam requiri præsumptionem, & non sufficere ignorantiam etiam culpabilem; saltem, si non sit affectata iuxta principia generalia tradita præsertim disp. 2. dub. 23. Ita Auila suprà dub. 7. §. *Pro intelligentia* vbi rectè ex verbo *Præsumpserint* quod continetur in prædicto Textu colligit esse necessariam præsumptionem, & dolum, atque adeo scientiam. Idem docet Nauarrus. cap. 27. numero 254. Toletus lib.1. cap.48. Henriquez c. illo 38. numero 1. Sayrus cap. 14. Sa verbo *suspensio* numero 2. Coninc. disp. 15. num.36. & alij multi.

219 Aduertendum etiam est iuxta Extrauag. Sixti V. per istam Suspensionem priuari suspensum vsu omnium Ordinum susceptorum, & repelli ab alijs suscipiendis.

Aduertendū

220 Ex quo principio colligunt aliqui delinquentem, non solùm videri suspensum; sed etiam irregularem; irregularitas enim arcet à susceptione Ordinum, suspensio verò prohibet illorum exercitium. Ita videntur sentire Nauarrus, & Sa. Oppositum verò docet Auila, & mihi placet; illa enim prohibitio susceptionis vlterioris Ordinis potest intelligi indirectè; quia cùm susceptio ad vsum ordinetur, prohibito vsu indirectè censetur prohibita susceptio.

Nonnulla pro praxi notanda.

221. Restant adhuc circa prædictam Suspensionem nonnulla pro praxi maximè notanda.

Notandum 1.

222 Notandum primò neminem posse in prædicta Suspensione dispensare præter Papam si spectes citatā Bullā Sixti V. sed per Bullam posteriorem Clementis. VIII. quæ incipit *Romanum Pontificem docet*. redacta fuit ad dispositionem Decretorum Tridentini, ac proinde Episcopi nunc poterunt dispensare in huiusmodi, suspensione, vel Irregularitate, si delictum sit occultum, iuxta decretum Tridentini sess. 24. c. 6. de *Reformatione* de quo latè egimus disp. 3. dub. 3. 4. 5. & sequentibus. & legi potest Sayrus lib. 4. ad finem, & lib. 7. cap. 10. numero 36.

Notandū 2.

223 Notandum. 2. sic suspensum incurrere Irregularitatem celebrando, vel exercendo Ordines dummodò adsit præsumptio; nam in citatâ Extrauag. Pij Secundi habentur illa verba. *Si huiusmodi suspensione durante in ijsdem Ordinibus celebrare præsūpserit, eo ipso Irregularitatem incurrat.*

224 Ex quo rectè inferunt Auctores requiri scientiam, ac proinde non sufficere ignorantiam vincibilem, & culpabilem, nisi sit affectata coniuncta cum ingenti temeritate. Quā de re legi potest Suarius de Censur. disp. 51. sect. 2. nu. 4. Filiucius Tract, 19. num.175.

Notandū 3.

225 Notandum 3. non incurri Suspensionem; aut Irregularitatem ex eo quòd quis recipiat Minores Ordines ante legitimam ętatem. Ita Couarrub. & alij, quos refert, & sequitur Suarius disp. 31. numero 22. & 23. numero verò 29. idem docet Suarius de Episcopis, tum quia iuxta principium generale suspensio generatim lata non comprehendit Episcopos; nisi eorum fiat specialis mentio iuxta c. *quia periculosum, de sent. excom.* in 6. tum; quia ex multis circumstantijs constat illam extrauagantem non loqui de Episcopo: tum etiam; quia licèt Episcopatus sit Ordo, eius tamen collatio propter excellentiam consecratio dicitur potiùs quàm ordinatio: tum denique; quia illæ particulæ *Litteræ Dimissoriæ extra tempora*, & similes non accommodantur Episcopatui. Hæc Suarius.

Obijcies.

226 Quod si obijcias Bullam Sixti. V. quæ incipit *Sanctum & salutare*, in quâ videntur comprehendi omnes ordines etiam Minores: facilè respondetur, quoad hanc partem reuocatam esse à Clemente Octauo, vt suprà indicauimus. *Resp.*

A Tridente. Pro Minoribus Ordinibus non requiritur certa ætas.

227 Peccabit verò recipiens Ordines minores ante legitimam ætatem; (Si tamen propriè loquendo est determinata ætas pro talibus ordinibus;) Solum enim in Tridentino sess. 23. c. 12. *de reformat.* pro maioribus Ordinibus certa ætas assignatur; non verò pro minoribus, quamuis requirat certam scientiam pro primâ tonsura, quæ non reperitur, nisi post septennium, aut etiam nouennium; nisi rarò. Pro minoribus verò Ordinibus, etiam ea qualitas requiritur, quæ raròesse solet ante duodecimum annum, vt patet ex cap. 11. eiusdem Sessionis & notauimus agentes de Ordine Tract.6. disp. vnicâ dub. 21. Legatur Suarius citato numero 22. Sayrus lib. 6. cap. 11. à n. 9. qui docet & cum eo alij Recentiores mortaliter peccare recipientem Ordines ante legitimam ætatem; sed non significant, quænam sit Legitima ætas? Suarius verò expressè dicit ad inferiores Ordines non esse certum tempus ætatis lege præscriptum, præter hoc, quod pueri tempore infantiæ, id est septimo ætatis anno, & non antea, possunt ad Clericatus officium per primam tonsuram mancipari, & ab eo tempore possunt reliquos minores Ordines arbitrio Episcopi recipere. Postea dicit in Tridentino cap.6. apertè supponi ante decimum quartum annum posse aliquem succipere omnes minores Ordines. In c. verò 5. quamuis dicatur inquirendum esse de eorum ætate, qui Minores Ordines suscipere volunt; non tamen (inquit Suarius) certa ætas præfigitur; sed id fieri videtur, vt Episcopus possit prudenter arbitrari. Vnde quoad hoc putat idem Suarius posse quempiam aliquo modo peccare, si per deceptionem, vel dolumque se faciat ordinari in minori ætate, quàm Episcopus vellet; tamen propter hoc nulla est (inquit) specialis pœna imposita; quia res

est

est minoris momenti, & talis ætas non est certâ lege præscripta.

Quæres.

228. Quæret aliquis an præcissè ex eo quòd quis non seruatis interstitijs ordinetur, Suspensionem incurrat, atque adeò peccet?

Resp. ordinatum non seruatis interstitijs peccare mortaliter, nullam tamen pœnam incurrere.

229. Respondeo in primis peccare mortaliter facit enim in re graui contra Tridentini præceptum sess. 24. c. 11. nullam tamen pœnam incurrit; nam, vt incurreretur, deberet esse Iure expressa; nullum autem est Ius; quod sciam in quo ea pœna exprimatur, Ita sentit Suarius citatâ disp. 31. numero 43. Filiucius numero 86. & alij multi. Quod intelligitur, etiamsi absque vllâ dispensatione, & contra voluntatem Episcopi illum decipiendo; tunc enim (vt ait Suarius) ait malè promotus, quoad culpam, non quoad Censuram.

Quinta suspensio.

230. Quinta Suspensio est contra eum, qui suscipit duos ordinea Sacros eodem die; talis enim est suspēsus ab exequutione posterioris c. *literas de temporibus ordinat.* estque communis Doctorum sententia.

231. Imò multi putant suscipientem eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu, manere Suspensum à Subdiaconatu c. *literas de Temporibus ordinat.* & c. 2. *de eo, qui furtiuè ordines suscepit.* Nauarrus c. 27. n. 71. Sà verb. *Suspensio* n. 19. Saytus c. 41. c. 24. & 25. referri etiam solet Suarius disp. 31. sect. 1. n. 41. Filliucius suprà n. 86. & alij, quos retulimus, agentes de ordine Tract. 6. dub. 23. Sed multi horum non id docent, vt legenti constabit. Imò satis probabiliter Suarius loco citato ostendit prædictam Censuram contra suscipientem docet sacros ordenes eodem die, non esse ipso Iure latam, sed ferendam, & quod attinet ad Subdiaconatum simul cum minoribus ordinibus, affert congregationem Cardinalium, quæ hoc habet pro Regularibus *qui ex consuetudine illius Religionis quatuor minores Ordines & Subdiaconatum eodem die susceperunt non sunt suspensi*, & quamuis in Bullâ Sixti V. fuerit lata suspensio pro suscipiente duoa Sacros ordines eodem die, tamen ea Bulla reuocata est Teste Suario.

232. Qui tamen addit esse grauiter prohibitum suscipere eodem die minores ordines, & Subdiaconatum non solùm ex eodem Concilio Tridentino sess. 23. c. 11. Sed etiam ex c. 2. *de eo, qui furtiuè ordines suscipit.* Vbi suspensio etiam fertur, quam Nauarrus etiam putat esse ipso Iure, sed re verâ non est (inquit Suarius) quia Pontifex solùm ait *Mandamus, vt eum ministrare non permittas.*

233. Sed quidquid sit, an prædicta suspensio sit ferenda, vel lata, quod attinet ad suspensionem minorum Ordinum, & Subdiaconatus eodem die iam diximus citatâ illâ dub. 23. Tract. 6. de *Ordine* mihi omninò placere sententiam Vasquij disp. 246. in fine & 47. agens de eodem Sacramento Ordinis tomo 3. in 3. p. scilicet in citatis Textibus maximè in c. *Dilectus*, & c. *literas* & in Trident. sess. 23. c. 13. alijsque in locis, solùm prohiberi eodem die duos sacros ordines conferri, & alia plura Iura, quæ allegantur maximè à Syluestro nullo modo loqui; nisi de duobus sacris ordinibus eodem die conferendis, neque vllam consuetudinem existimat esse introductam, quæ vim legis habeat contra hoc, vt propter eam quis non possit, aut conferre aut accipere minores Ordines: sed oppositum, testatur se vidisse, & ego etiam vidi, vt ibidem diximus.

Prohibetur eodem die duorum Sacrorum ordinum collatio

Sexta suspensio.

234. Sexta Suspensio est contra Clericum qui non arctatus occasione beneficij recepti, aut recipiendi Sacros ordines sumit cum literis Dimissorijs à Capitulo receptis vacante Episcopatu. Est autem suspensus ad beneplacitum futuri Prælati ab exequutione Motorum; quod si tantum suscepit minores, caret priuilegio Clericali maximè in criminalibus; non tamen est suspensus; sic enim declarauit sacra Cardinalium congregatio in Tridentino sess. 7. c. 10. de *Reformatione.* Ita Suarius citatâ disp. 31. sect. 1. n. 20. Prohibet autem ibi Tridentinum, & dimissorias concedi, & ordines suscipi Sede vacante, infrà annum à die vacationis, vt legenti constabit.

Septima contra eum qui per saltū suscepit ordinem superiorem.

235. Septima suspensio est contra Clericum, qui per saltum recepit Ordinem superiorem suspenditur enim ab ordine per saltum suscepto donec inferiorem prætermissum recepit c. vnico de Clerico per saltem promoto; potest tamen Episcopus ex causâ cum eo dispensare, si non ministrauerit ex Tridentino sess. 23. c. 14. Ita Conine disp. 15. n. 4. Filiucius n. 92. Suarius citatâ disp. 31. sect. 1. n. 44. & 45.

Hanc suspensionem non incurri ipso facto multi putant.

Hanc ipso Iure incurri a scienter ordinato docent alij.

Authoris iudicium.

23. Multi sanè putant eam suspensionem non incurri ipso facto, donec quis per sententiam suspendatur, quos refert idem Suar. eo n. 44. nihilominus præter citatos docent hanc suspensionem Incurri Sotus, Hostiensis, Nauarrus, Gregorius Lopez, relati ab eodem Suario n. 45. qui notat ex eodem Gregorio Lopez hanc suspensionem incurri ipso Iure, quando scienter quis ordinatus est; secùs verò, quando ex negligentiâ & incuria; atque in hoc casu videntur loqui prædictum c. vnicum, & c. *Solicitudo.* 52. distinctione. Verùm, vt aduertit Suarius nō satis ostendit Gregorius Lopez quo iure feratur suspensio latæ sentētiæ potius in ordinato per saltum scienter, quàm ex ignorātia culpabili, & crassâ. Ideò alij putant illam circumstantiam conferre ad faciliorē vel difficiliorē dispensationem efficiendam; non verò ad pœnam incurrendam in vno casu, & non in alio. Ita Syluest. verb. *Irregularitas* q. 11. & latè probat idem Suarius suspensionem esse ipso Iure latam, vt videre est. n. 46. & 47. præcipuè verò ex Tridentino sess. 23. c. 14. de *Reform.* dum ait *Cùm promotu per saltum, si non ministrauerunt Episcopos ex legitimâ causâ posse dispensare.* Quæ dispensatio non potest intelligi in aliâ re, quàm in hoc, quòd & prætermissum ordinem recipiat, & sic in suscepto ministret & ad superiorem ascendat: ergo supponit Concilium hoc esse prohibitum ipso facto ei qui sic ordinatus est, quod non fit; per Censuram Suspensionis, hanc ergo supponit ipso facto incurri. Legatur Suarius loco citato. Qui postea n. 48. cum Syluestro verb. Irregularitas q. 11. docet Suspensionem hanc solùm esse ab Ordine suscepto, & refert pro eâdem sententiâ Bernardum Diaz, & Gregorium Lopez, quia nō plus ex Iure colligitur; imò hoc etiam satis obscurè (inquit Suarius) & ideò am-

Suspensio hac tantum est ab ordine suscepto, ait Suarius.

237. Notat

pliandum non est.

237. Notat etiam inde sequi vt simul impediat accendere ad superiores Ordines nam suspensio à quolibet ordine consequenter impedit assensum, durante illâ. Præterea meritò docet de Ordine prætermisso relinqui ex ordinatione per saltum impedimentum sumendi illum, sine dispensatione; nam hoc etiam Iura adducta probant, legatur disp. 7. dub. 18. quæsito 9.

Nec tale impedimentum est propriè Irregularitas.

238. Docet autem n. 49. tale impedimentum non esse propriam. Irregularitatem, quia non per se inducitur, sed, vt quid annexum priori suspensioni ibi legatur. Notat vlterius numero 50. & infra statim, ac dispensatur cum tali, vt prætermissum ordinem suscipiat, manere liberum à tali suspensione, vt post illum susceptum possit tâm in illo, quàm in alio, quem per saltum suscepit, ministrare, argumento c. vnici de *Clerico per saltum promoto*, vbi dicitur post pœnitentiam actam ordinandum esse in gradu prætermisso, & sit permittendum in suscepto ministrare. Item è conuerso, si cum illo dispensetur, vt ministret in ordine suscepto, dispensari etiam, vt recipiat ordinem prætermissum, quia talis dispensatio non potest aliter habere effectum.

Addit vlterius Suarius

239. Addit vlterius etiam potest susceptum prætermissum ordinem manere liberum ex vi eiusdem dispensationis, vt possit ad Superiores Ordines ascendere; quia id non per se prohibebeatur, sed solùm ratione suspensionis in inferiori ordine malè suscepto. Hoc autem meritò limitat; nisi superior velit eam dispensationem limitare ad vnum effectum, & non ad alium; tunc enim illius verbis standum est, cùm neque Iuri Diuino, neque communi repugnet vnum effectum ab alio separari.

Circa verba Tridentini Dubium.

240. Circa illam verò particulam Tridentini citati *si non ministrauerint* sub quâ conditione concedit, vt Episcopus dispenset, dubitari potest an illud *ministrauerint* intelligendum sit in ordine malè suscepto, vel etiam in ordine prætermisso, atque hoc secundum dupliciter potest contingere primò ante illum Ordinem susceptum, quod pertinet ad aliud genus Irregularitatis suo loco tractandum. Secundò post illum susceptum sine legitimâ dispensatione; nam cum talis Clericus sit suspensus à receptione eius ordinis, etiam postquàm, illam sine dispensatione suscepit, manebit adhuc suspensus ab illius exequutione, & ideò videtur quod si in illo ministret, non poterit iam Episcopus cum eo dispensare.

Resp. cum Suario *Author.*

241. In hoc casu meritò putant Suarius vtrumque esse intelligendum, quia ibi est duplex impedimentum vnum contractum per vsum ordinis, à quo quis est suspensus; aliud est suspensio ipsa, quæ ante vsum supponebatur; Vtrumque ergo propriè indiget dispensatione neutram verò potest dare Episcopus. Non quidem Irregularitatis contractæ per talem vsum; quia nullibi ei conceditur; neque etiam suspensionis, quæ supponitur ante talem vsum; quia cõcessa est sub illâ conditione, *nisi ministrauerint*, vt constat ex Tridentino.

Cum ministrante scienter in ordine per saltum suscepto non potest Episcopus dispensare.

242. Quando autem dicitur *nisi ministrauerint*, intelligitur scienter notitiâ, quæ sufficiat ad mortale, nam si fiat cum ignorantiâ, quæ excusset à culpâ, etiamsi ministrauerit, poterit Episcopus dispensare: talis enim ignorantia excusat ab irregularitate, & etiam videtur probabile quod excuset ab illâ reseruatione prioris suspensionis, quia hæc facta vedetur propter culpam & propter nouam Irregularitatem adiunctam. Ita Suarius suprà n. 51. referens Nauarrum c. 27. n. 242. imò Nauarrus absolutè docet, si ignoranter ministrauit, posse Episcopum dispensare. Vnde non restringit doctrinam ad ignorantiam, quæ excuset à culpâ consonatque cum doctrinâ tradita à nobis disp. 2. dub. 23.

Doctrinam Nauarri *hâc in re meritò reijcit* Suarius

243. Meritò autem reijcit Suarius eundem Nauarrum docent, etiamsi ministrauerit, posse Episcopum dispensare cum scienter ministrante ad exercendum ordinem acceptum, licèt non ad altiorem suscipiendum; neque enim in c. vnico de *Clerico per saltum promoto* fit mentio, vt contendit Nauarrus, de eo, qui scienter ministrauerit, sed potiùs supponitur ignoranter processisse, & ignorantiâ culpabili, quod secundum probat Suarius ex illis verbis Textus *condignam pœnitentiam pro huiusmodi negligentiâ iniungas ei.* Legatur Suarius ibidem, qui rectè probat cum tali scienter ministrante, neque ad vsum ordinum susceptorum, neque ad aliquem suscipiendum dispensare posse Episcopum quia Concilium absolutè loquitur.

Quoad recipientem prætermissũ ordinem sine dispensatione opinio Suarii.

244. In casu verò, quo per saltum promotus tantùm prætermissum ordinem postea sine dispensatione recipiat, putat Suarius posse Episcopum dispensare in priori impedimento contracto ex ordinatione per saltum, quia Concilium solum posuit illam conditionem *nisi ministrauerint* suscipere autem ordinem prætermissum non est ministrare; & quamnis sit actus æquè prohibitus, non sufficit ad æquè impediendum; quia standum est verbis legis, ne rigor extendatur, aut minuatur fama.

245. Additur verò ibi, vt notat Suarius, aliud impedimentum nouæ suspensionis contractæ per susceptionem ordinis cum Censurâ, in qua non potest dispensare Episcopus ex citati decreti Tridentini; quia est suspensio alterius rationis.

An suscipiẽs per saltum consecrationem Episcopalem suspendatur. *Resp.* Suarius.

246. Vtrum autem suscipiens per saltum consecrationem Episcopalem hanc suspensionem incurrat, & irregularitatem si Pontificale ministerium exerceat? respondet Suarius ex doctrinâ, quam cum ipso nos suprà tradidimus appellatione ordinum non venire in his legibus intelligendam consecrationem Episcopalem, nec etiam suspensionem generatim latam Episcopos comprehendere, ac proinde, hanc suspensionem ad illum casum non extendi; sed non videtur consequentur loqui cum ijs, qua idem author docet disp. 42. sect. 4. n. 7. vbi; nomine ordinis diuersi, & altioris etiam in ordine ad has pænas, maximè irregularitatis, aliter loquitur, vt videbimus disp. 7. dub. 20. quæsito 7. §. *Respondendum.*

Aduertit Suarius.

247. Aduertit præterea, quod, si quis consecretur Episcopus per saltum, vt Sacerdotij ordinem prætermittat, eum, non solum manere suspen-

suspensum, verum nec manere consecratum; quia character Episcopalis, si quis est, essentialiter requirit characterem Sacerdotalem. Quâ de re nos diximus satis agentes de *Ordine*. Tract. 6. dub. 3. Si verò in illo saltu non sacerdotalis Ordo, sed alius prætermittatur, consecratio Episcopalis valida erit, vt in eodem Tract. diximus. Vtrum autem tunc validè possit conferre ordinem, quem non habet? ibidem quoque disputatum est.

Octaua suspensio contra recipientem ordines ab Episcopo excommunicato, &c.

248. Octaua suspensio est contra recipientem ordines ab Episcopo excommunicato, suspenso, aut interdicto, dummodò sit denuntiatus, & vitandus, nam qui à tali recipit Ordines, suspenditur ab exequutione Ordinum c. 1. & 2. de Schismaticis. Ita Nauarrus cap. 25. num. 69. Suarius suprà numero 61. & disp. 42. sect. 4. hoc idem extendit ad suscipientem Ordines ab Episcopo irregulari videlicet denuntiato. Item Sa verbo *suspensio* numero 7. Sayrus cap. 14. numero 1. Auila 3. p. disp. 5. dub. 8. Coninc disp. 15. dub. 5. numero 31. Filiucius Suprà nu. 89. & Tract. 20. cap. 7. numero 199. quæsito 6. loquens de suscipiente Ordines ab Episcopo Censurato, & Irregulari, & alij Canonistæ communiter cap. 1. & 2, de *Schismaticis*.

Item à Simoniaco iuxta aliquos.

249 Idem dicendum putant aliqui de eo qui recipit Ordines ab Episcopo Simoniaco per sentententiam declarato iuxta c. *si qui à Simoniacis* 1. q. 1. Ita Henriquez lib. 13. c. 37. Sayrus. cap. 14. numero 6. Suarius disp. illâ. 31. sect. 4. numero 34. & alij Atque hæc Suspensio reseruatur Papæ, incurriturque licèt non recipiat Ordines Simoniacè, vt notauit Suarius.

Quæres An ignorantia excuset ab incurrenda huiusmodi suspensione.

250. Quæret aliquis; an ignorantia excuset ab incurrendâ huiusmodi suspensione, quando recipiens Ordines ignorat Episcopum esse excommunicatum, suspensum &c.

Affir. aliqui Ratio.

251 Respondent aliqui excusare, quia quoties quis excusatur à culpâ excusatur etiam à pœnâ; tunc verò ob ignorantiam à culpâ excusatur: ergo à pœnâ suspensionis. Ita Rodrig. in *Summâ* tumo 2. cap. 19. Coninc suprà numero 32. vbi latè de hac re disputat. Innocentius Abbas, & alij apud citatos & statim citandos, & postea referendi.

Alij negant.

252 Alij verò putant non excusare pro quâ sententia referunt aliqui Suarium sect. 4. nu. 35. & 36. & sequentibus, cum tamen potiùs doceat oppositum, & consentiat cum primâ sententiâ maiori, ex parte, vt legenti constabit. Hoc dixerim loquendo de ordinato ab Episcodo Simoniaco, nam de alijs sentit absolutè incurrere Censuram. Sentiunt etiam hoc Sayrus, & Auila suprà. Filiucius Tract. 17. cap. 5. quæsito. 4. numero 881. Alijque recentiores.

Ratio.

Probant quia Ecclesia hoc statuit non ob culpam ordinati, sed ordinantis, cuius gesta vult esse inualida, cumque possit facere inualida quoad exequutionem Ordinum in ipso suscipienti vult ipsum manere suspensum ab ordinum exequutione.

Author vtramque sententiam probabilem iudicat sed probabiliorē primam. Ratio.

253 Vtraque sententia probabilis est, sed mihi videtur probabilior prima, quia non videtur ex vno textu efficaciter probari sic ordinatum habere impedimentum exequutionis Ordinum; nam quod in varijs Iuribus dicantur absolutè sic ordinati nō habere ordinis exequutionem, facilè solui potest, si dicamus ea Iura intelligenda esse de ijs, qui peccàrunt. Item quod cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit, significetur ignoranter à tali ordinatum indigere dispensatione, atque adeò videatur esse suspensus. Respondetur in primis loqui in alio casu de quo postea. Deinde cum Coninc suprà respondeo dispensationem ibi latè accipi pro permissione, & declaratione ipsius Episcopi, qui cognitâ causâ declarat eum incurrisse suspensionem; sed posse liberè fungi ordini suscepto, & quidem, sicut sæpe contingit, sententiam declaratoriam Censuræ alioquin incursæ appellari fulminatoriam Censuræ, sæpeque dicatur excommunicare reum Iudex, etiamsi tantùm declaret incurrisse excommunicationem alioquin latam à Iure; ita è contrà dici potest, aut aliquando solet, Iudicē declarantē aliquem liberū esse à Censurâ, liberare à Cēsura atque adeò dispensare.

Obijcies.

Ad illud nemo potest dare quod non habet.

254 Quod autem alij addunt neminem posse dare, quod non habet; cumque Episcopus in tali casu non habeat exequutionem Ordinum, sequi, nec posse talem exequutionem dare, futile argumentum est; nam, vt omittam varias explicationes illius axiomatis, *nemo dat, quod non habet*, quod in præsenti extra rem affertur, absolutè negandum est, si, vt sonat, accipiatur. Sic videmus non habentem Baptismū validè baptizare; sed quidquid sit de hoc, illud axioma intelligi potest de non habente aliquâ ratione id, quod dat, id est saltem virtute, & potestate causandi. Ille autem Episcopus virtutem habet, & potestatem causandi Ordines, cum sit verè Episcopus, quantumuis excommunicatus, suspensus &c. Et non aliter dat ordinato exequutionem Ordinum, quàm conferendo Ordines; hoc enim ipso, quod Ordines confert, dat potestatem illos exercendi; nisi alioquin à Iure, vel à Superiore prohibeatur. Contendimus autem nullum esse Ius prohibens talem exequutionem Ordinis.

Resp.

Quomodo Axioma illud intelligendum.

255 Vnde Abbas. c. *Veritatis de dolo, & contumaciâ* numero 46. & Innocentius in c. 1. de *Schismaticis*. negant tales suspendi; quia nec Iure constat, nec debet quis sine culpâ puniri, &, quia c. *si qui à Simoniacis*. 1. q. 1. & c. *Ordinationes*, 9. q. 1. & c. *per tuas de Simonia* expressè dicitur posse tales vti ordine suscepto.

256 Neque obest, quod affert Suarius, & alij, in eo capite, *si qui à Simoniacis*, dici *talium ordinationem misericorditer sustinemus*. His enim verbis solum significatur talibus concedi exequutionem Ordinum ex misericordiâ erga ipsos; quia videlicet non debent innocentes puniri. In alijs verò capitibus absolutè dicitur eos securè posse in Ordine suscepto ministrare.

257 Omitto alia, quæ alij respondent pro contrariâ sententiâ sunt enim leuioris momenti.

Non est improbabile; ordinatos ab excomm. &c ignorātes incurrere aliquam inhabilitatē.

258 Non videtur autem improbabile tales ordinatos ab excommunicatis, Simoniacis, suspensis, interdictis, Hæreticis &c. ignoranter, incurrere, aliquam inhabilitatem in foro externo, quæ eos in foro externo ab exequutione Ordinum impediat donec à legitimo Iudice facultatem accipiant, aut declarentur immunes; atque

atque hoc dandum est Auctoribus citatis pro contrariâ sententiâ. Si quis tamen contra faciat, non fiet Irregularis, vt concedit Auila citatâ disp. 5. dub. 8. §. *ad argum.* vbi expresse dicit illam suspensionem non esse verè Censuram, atque adeò non inducere Irregularitatem, si violetur. Idem concedit Suarius sect. illâ 1. n. 62. citato. Coninc suprà, & alij.

Quid dicendum de ordinato ob metum ab Episcopo excommunicato. Authoris iudicium.

259 An verò hæc suspensio incurratur ab eo, qui Ordinem à dicto Episcopo recipit per metum cadentem in constantem virum? negant Auila, Nauarrus, Syluest, & alij multi citati; Affirmat verò Suarius citato numero 63. Sed in hac re, si loquamur de vera Censura, quæ incurritur à scienter suscipiente Ordines, Philosophandum est iuxta principia generalia tradita dub. 24. disp 2. vbi late egimus, an metus cadens in constantem virum excuset à Censurâ incurrendâ. Si verò loquamur non de Censura, sed de illo impedimento, de quo nuper dicebamus. Consequenter dicendum est incurri, saltem in foro externo.

Nona suspensio.

260 Nona suspensio est contra recipientē Ordines Sacros ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatum, id est locum, & dignitatem, Iurisdictionemque & officium Episcopi; nec non potestati Ordinis, seu potius eius vsum. Quæ suspensio reseruatur Papæ, & solùm se extendit ad ordinem susceptum Ita habetur c. 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui.* Qui autem recipit solùm Ordines Minores, non manet suspensus, quia id nullo Iure constat. Legatur Nauarrus, cap. 27. numero 241. Henriquez lib. 13. c. 39. numero 1. Sayrus lib. 4. c. 14. numero 7. Filiucius Tract. illo. 17. numero 76. Suarius disp. illâ. 31. numero 2. & 3. vbi latè hoc explicat. vide disp. 7. dub 18. q. 8.

Decima.

261 Decima suspensio est contra eum, qui scienter aliquem Ordinem recipit per Simoniā. Est autem suspensio ab Ordinibus, quamuis Simonia sit occulta: & reseruatur Episcopo habeturque c. penultimo, & c. *Per tuas de Simoniâ*, & in extrauag. 7. Pij 2. de Simoniâ.

Excusat ignorantia à Censuris.

262 Nisi autem scienter simoniacè recipiatur ordo quin potius bonâ fide & ignoranter, non incurrit suspensionem, quia talis ignorantia excusat à Censuris, vt quando pater, ignorante filio, dat pecuniam Episcopo, vt filio Ordines conferat, atque hoc locum habet, etiamsi ignoranter ordinatus id resciens post ordines susceptos ratum habeat; nam ratihabitio non semper in pœnis æquiparatur mandato; nisi, quando Iure exprimitur. Ita Henriquez suprà numero 4. quidquid reclamet Auila suprà, & alij.

263 An verò Simonia in beneficijs inducat excommunicationem, aut inhabilitatem ad beneficia? & an conferens Ordines per Simoniam sit suspensus? partim in Tract. de Simoniâ disputandum est, partim ex occasione diximus c. 1. & legi potest Coninc suprà numero 39. Legantur quæ diximus cap. 1. §. *Decimo septimo suspenditur* Legatur etiam Filiucius, alijque suprà citati.

Vndecima.

264 Vndecima Suspensio est contra eum, qui recipit scienter Ordinem in excommunicatione, vt notauimus disp. 2. dub. 40. vbi id cum multis diximus etiam pro ordinibus minoribus. Suspensio autem est ab ordine sic suscepto, c. *Cum illorum, de sent. Excom.* vbi habetur excommunicatum sic recipientem ordinem, si sit sæcularis, esse in perpetuum deponendum ab ordine suscepto, & dispensationem Papæ reseruari; si verò sit Religiosus, manere suspensum ab exequutione suscepti Ordinis, & officij. Ita Suarius Sect. illâ. 1. numero 57. Nauarrus c. 27. numero 24. Couarrub. c. *Alma*, p. 1. §. 6. nu. 6. Auila p. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 6. Henriquez lib. 14. c. 6. num. 4. Coninc disp. 14. numero 32. disp. 15. numero 41. Filiucius Tract. 17. cap. 8. n. 44 & alij apud Suar. suprà, qui hoc idem putant verum esse in eo, qui suscipit Ordines suspensus; vel interdictus; nullus autem apparet Textus, qui hoc satis ostendat. De quo iterum dicemus loco statim citando.

265 An verò suscipiens Ordines in excommunicatione fiat Irregularis? agentes de Irregularitate dicemus, disp. 7. dub. 18.

266 De suscipiente verò primam tonsuram probabilissimum est, non ligari; quia Iura tantum loquuntur de suscipiente Ordinem, & illa non est ordo. Accedit quod non habet actum proprium, à quo tonsuratus suspendatur. Ita Suarius n. 58. Auila Nauarrus, & Filiucius suprà. *Suscipiens primam tonsuram ab excommunicato non suspenditur.*

267 Item (vt Iterum iam eâdem dubitatione notauimus) ab hac Suspensione probabiliter eximitur, qui Episcopatum recipit tempore, quo Censura ligatur; quia Episc. nō est ordo propriè loquendo, vt aliqui volunt, vel, si est ordo, vt nos diximus agentes de *Ordine* Tract. 6. disp. vnicâ, dub. 3. assert. 1. nihilominus non venit (vt dicebam) intelligendus appellatione Ordinis propter eminentiam talis dignitatis, quę non tàm ordo, quàm consecratio appellatur. Ita Auctores citati maximè Suarius. quamuis in aliquo casu propter identitatē rationis in aliquâ materiâ intelligi debeat nomine ordinis, vt videbimus disp. 7. dub. 20. quæsito 7. §. Respōdendū *Ab hac suspensione probabiliter eximitur qui Episcopatū recipit tempore quo Censurâ ligatur. Ratio.*

268 Suarius etiam num. 6. & cum eo Filiucius suprà. Syluest. verbo *Irregularitas*, quæsito 7. & alij apud citatos rectè monet ex probabili ignorantiâ, vel inaduertentiâ excommunicationis, vel Iuris posse aliquem excusari à suspensione; qui enim culpam non admittit, non incurrit pœnam.

269 Objicies tamen c. *Cum illorum* citatum vbi ferri videtur suspensio Papæ reseruata contra suscipientes Ordines in excommunicatione, etiamsi suscipiens non recordetur se excommunicatum, aut ignoret Ius prohibens excommunicato Ordines suscipere. *Objicies. Resp.*

270 Respondetur id intelligendum esse de ignorantiâ vincibili ad differentiam eorum, qui non solùm ex ignorantiâ vincibili, verum etiam scienter ordinari præsumunt. Quæ doctrina facilè accommodabitur si expendatur Textus.

271 Obseruandum præterea est cum prædictis Doctoribus contra Maiorem lib. 4. cap. 16. posse aliquē excusari ab incurrendâ prædictâ suspensione, si cogatur per vim, aut metum grauem ad Ordines suscipiendos, vt in simili diximus agentes de eo, qui recipit Ordines ab Episcopo excommunicato, suspenso vel interdicto & in Octaua suspensione & doctrina *Obseruandū*

toto

doctrina tota intelligenda est, sicut ibi notauimus iuxta principia data disp. 2. dub. 24.

Nec refert.

272. Nec refert, si obijcias eum, qui baptizatur per metum incurrere Irregularitatem, vt dicam disp. 7. dub. 15. ergo etiam incurret suspensionem, qui per metum grauem cogitur ordinari.

Resp. licet qui baptizatur per metum incurrat Irregular. non suspenditur tamen qui per metum grauem cogitur ordinari. Ratio disparitatis.

273. Respondetur negando paritatem, grauiora enim sequuntur incommoda, & sacrilegium committitur in eâ susceptione Baptismi, quàm in susceptione Ordinis; nam in susceptione Baptismi est prohibitio Iuris naturalis Diuini suppositâ institutione vnius tantum Baptismatis. Quâ suppositâ non potest non esse Sacrilegium rebaptizari; sacrilegium autem per nullum metum licet committere; In nostro verò casu suscipere Ordines ab excommunicato solùm prohibitum est Iure positiuo Ecclesiastico; in tantum autem sic suscipere Ordines est Sacrilegium, in quantum prohibitum est ab Ecclesiâ, quæ prohibitio cessat vrgente metu graui, atque adeò desinet esse Sacrilegium ex parte suscipientis. Quæ doctrina consonat cum dictis in eâ dub. 24. vbi etiam diximus, quòd si talis metus incutiatur in contemptum Religionis; tunc non licebit ordines suscipere etiam incusso metu graui; & simul explicuimus, an, & quando incurratur Censura.

274. Non me latet Coninc disp. illâ 5. citato n. 41. Suspensionem excommunicati suscipientis ordinem restringere tantum ab excommunicatum propter Clerici percussionem fortasse; quia c. *Cùm illorum de sentent. excommunic.* tantum expressè agitur de tali excommunicato. Nihilominus (vt prædicti Doctores aduertunt) quamuis occasio decidendi ea fuerit; decissio tamen generalis est, & ad omnem excommunicatum se extendit, vt Textum legenti patebit.

Duodecima suspensio est contra suscipientes ordines furtiuè.

275. Duodecima suspensio est contra suscipientem ordines furtiuè; hæc autem suspensio, potius ad Irregularitatem pertinet, vt aliqui volunt (de quo disp. 7. dub. 18. dicam) Ille autem dicitur furtiuè Ordines suscipere, qui nesciente Episcopo, neque approbante neque examinante recipit c. 1. *de eo, qui furtiuè* &c. in quâ suspensione videtur Episcopus posse dispensare vigore priuilegij concessi in Tridentino sess. 24. c. 6. Ita Henriquez lib. 14. c. 6. n. 5. Suarius de *Censuris* disp. 42. sect. 3. n. 5. Sayrus lib. 7. cap. 10. n. 86. Vgolinus de Irregularit. c. 39. n. 3, Coninc. disp. 18, dub. 5. n. 43. Qui Doctores non conueniunt, an sit Irregularis, vel Suspensus; Suarius enim ibi, & Filiucius Tract. 20. n, 195. putant incurrere Irregularitatem, lege dicenda disp. 7. dub. 18. q. 4.

Talem fieri irregularem putant aliqui

Hâc in re distinguendum putat Author.

176. Ego sanè in hac re distinguendum puto, & explicandum adhuc, quisnam sit propriè, qui furtiuè ordinem recipit. Illum autem puto furtiuè ordines suscipere, qui inscio Episcopo, nec vocatus, neque approbatus accedit ad ordines, aut, qui alium in sui locum sub suo nomine submittit examini, deinde vocatus proprio nomine ordines accipit, atque hunc vt dicam loco citato puto Irregularem c. *Vnicus* el. 1. *de eo, qui furtiuè Ordines suscipit*, vbi datur Episcopo facultas dispensandi cum quodam qui furtiuè Diaconatum accepit, vt ad Sacerdotium promoueretur, nisi aliud obstet. Ex quâ loquendi formâ videtur indicari Irregularitas, quæ propriè tollitur per dispensationem, vt suo loco dicemus nisi quis fortè dicat hunc casum esse specialem pro eo, qui Diaconatum furtiuè suscipit, & in eo tantum casu incurri Irregularitatem, in aliorum verò Ordinum furtiuâ susceptione Suspensionem incurri, quod etiam probabile videtur, sed probabilius, quod priùs diximus.

Obseruandum 1.

277. Obseruandum verò est dispensationem quam diximus competere Episcopo pro hac, siue Irregularitate, siue suspensione, intelligi debere quandiu delictum est occultum in ratione delicti, etiamsi materialiter publicè fiat iuxta doctrinam traditam disp. 3. dub. 4. sect. 2. §. *Advertendum verò est.*

Obseruandum 2.

278. Obseruandum vlterius quòd etiamsi respiciamus ad illud c. 1. *de eo, qui furtiuè &c.* dici adhuc potest, dispensandi facultatem in eâ Irregularitate concedi Episcopo, dummodò Episcopus, aut alius Prælatus non denuntiauerit excommunicationem incurrendam à furtiuè suscipientibus Ordines; in tali enim casu, quando denuntiata non fuit Excommunicatio, poterit Episcopus dispensare, si furtiuè ordinatus factus iam sit Religiosus, & in monasterio laudabiliter vixerit.

279. Nostris autem temporibus vsu receptum est Episcopos excommunicationem imponere ijs, qui se ordinationi furtiuè ingerunt, atque adeò prædicta Irregularitas ferè semper est Papæ reseruata, vt satis colligitur ex c. illo *veniens* citato, docentque Suarius, & Filiucius suprà.

Decimatertia suspensio est.

280. Decimatertia suspensio est contra suscipientem Ordines Sacros post Matrimonium ratum, etiam non consumatum, nisi fortè in casibus Iure concessis, de quibus suo loco dicemus in Tract. de Matrimonio, Suspenditur autem non solùm ab ordine sic suscepto, verum etiam ab officio, & beneficio iuxta Extrauagantem *Antiquæ* de *voto* quæ suspensio reseruata est Summo Pontifici, etiam soluto Matrimonio; nisi fortè solutio fiat per professionem validè emissam; de quo etiam in Tract. de *Matrimonio*, & in Tract. de voto; tunc enim potest Episcopus dispensare, vt habetur in eâdem Extrauaganti; imò videtur prædictum posse censeri Irregularem; sed de hoc postea dicemus, agentes de Irregularitate disp. 7. dubit. 18. quæsito 7.

Quæres.

281. Quæret aliquis quid faciendum ei, qui bonâ fide putans mortuam vxorem suscepit Sacros Ordines; postea verò comperit adhuc esse superstitem?

Resp.

282. Respondeo debere abstinere ab exercitio Ordinum; non tamen illa Censura est; sed simplex prohibitio, cùm nulla intercesserit culpa; debet autem abstinere interim, dū ea superstes est, aut castiratis, votum emittat Iuri suo cedens, vt etiam in Tract. de *Matrim.* explicabitur. Ita Suarius disp. illâ 31. sect. 1. n. 54. & 55. Filliucius Tract. 17. c. 5. n. 93. Sayrus lib. 4. c. 14. n. 28. Viuald. de Suspensione n. 106. Co-

ninc. disp. 15. n. 40.

Decimaquarta. 283. Decimaquarta est contra eum, qui celebrat Missam, & in eâ non cõmunicat; hic enim suspenditur per annum à commun. c. *Relatum* de *Consecrat.* dist. 2. non incurret autem, qui vel ex in aduertentiâ, vel etiam ex malitiâ in vna tantum specie consecrat, & communicat; nam in citato c. *Relatum* solùm agitur de omittente communionem; qui autem vnam tantum speciem sumit, verè censetur communicare.

Decimaquinta. 284. Decimaquinta est, quam aliqui potant suspentionem, cùm tamen propriè loquendo sit Interdictum, nempe contra Clericos celebrantes, vel celebrare facientes in locis interdictis à Iure, vel ab homine; hi enim suspensi sunt, donec satisfaciant ad arbitrium illius, cuius sententiam contempserunt. Ita habetur c. *Episcoporum* de *Priuilegijs* in 6. An verò incurratur etiam Irregularitas dicemus disp. 7. dub. 19. & locis ibi notatis.

Decimasexta contra omittentem missam in completam sine graui causâ. 285. Decimasexta contra præsumentem omittere Missam in completâ sine graui causâ; suspenditur autem à corpore & sanguine Christi c. *Nullus Episcopus* de *Consecrat.* dist. 1. Dicere autem esse *Suspensum à corpore, & Sanguine Christi* videtur censuram ipso facto, significare.

286. Nihilominus satis probabile est quod putat Filiucius suprà numero 103. Gloss. in illud c. & alij hanc suspensionem non esse ipso Iure latam, sed ferendam. Verba autem Textus sunt. *à corpore, & sanguine Christi suspensus sit* Iuxta hunc verò loquendi modum probabilius videtur significari Censuram ipso Iure, latam iuxta regulam datam disp. 1. dub. 5. §. *Prima limitatio.*

Quæ censetur grauis causâ. 287. Grauis autem causa ad omittendam Missam inchoato Canone censetur morbus grauis, mentisvè confusio ita, vt sacerdos non possit progredi sine periculo. Ita Sayrus suprà c. 17. n. 2. ante inchoatum verò Canonem minor morbus sufficiet, aut leuior causa, quamuis facto offertorio, non videatur facilè omittenda.

Sufficiens causa Missâ omittendi est graue periculum vitæ &c. In quocumque autem statu Missa sit, sufficiens causa illam omittendi videtur graue periculum vitæ hostibus superuenientibus, aut periculum etiam illudendi ipsis rebus Sacris. Quæ omnia iudicio prudentis pensanda sunt, quantum subitus casus permisserit.

288. Bonacina disp. 3. puncto 2. §. 1. n. 17. putat non affici prædictâ suspensione, qui missâ relinquunt imperfectam, vt ab alio Suppleatur; sic enim illi colligi videtur ex ipso Textu; sed nõ video ex quibus verbis textus id colligat; nisi fortè ex eo quòd ibi agatur de relinquẽte Missâ imperfectam, & qui Missam alteri perficiendam relinquit, non videatur illam relinquere imperfectam; hoc tamen non sufficit; siue enim ab alio perficiatur, siue non, quantum est ex parte illius imperfectam relinquit; & verè dicitur relinquere imperfectam.

289. Addit præterea eum, qui sub vnâ tantum specie communicat, non intendens Sacrificium, quoad sumptionem alterius speciei ab alio perfici, non videri incidere in hanc suspensionem; quamuis graue Sacrilegium cõmittat, vt habetur in c. *Comperimus* 12. dist. & possit excommunicari, vt dicitur in c. *Nihil contra* 7. q. 1. vel etiam suspendi, seu arceri à sumptione corporis, & sanguinis Christi, vt habetur in dicto c. *Comperimus.*

290. Verum non assequor, quo fundamento possit hoc asserere, nam si semel dicamus (vt dicendum est, & ille etiam docet) vtriusque speciei sumptionem pertinere ad integritatem, & complementum Sacrificij Missæ; non video, quomodò fieri possit, quod alterius speciei sumptionem omittat, & non relinquat Missam in completam; quisquis autem incompletam relinquit sine causâ sufficienti, prædictam Censuram incurrit.

291. Decimaseptima est contra Clericos, etiam exemptos, & Religiosos, qui admittunt ad Sacramenta, Ecclesiasticam sepulturam, vel officia Diuina publicè excommunicatos, denunriatos, vel interdictos; suspensi autem sunt seu potiùs interdicti (est enim interdictum, potius quàm suspensio) ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant, ad arbitrium illius cuius sententiam comtempserunt c. *Episcopor.* de *Priuileg.* in 6. Ita Suarius disp. illâ 31. sect. 2. n. 5. qui rectè aduertit illam Suspensionem esse communem etiam laicis. Ex quo patet (vt ille infert) illam non esse Suspensionem; sed Interdictum cùm suspensio propriè non cadat in laicos iuxta dicta in præcedentibus. Ita Filiucius n. 99. & alij, quos referemus agentes de Interdicto. *Decimaseptima est contra Clericos etiam exemptos & Religiosos qui admittunt ad Sacramenta &c. publicè excommunicatos &c.*

292. Quamuis autem communiter dicatur eam Censuram extendi adquoscumque etiam non exemptos; nec videatur hoc alienum à Textu, cuius verba sunt satis generalia, scilicet *Clerici Seculares, & Regulares, quantumcumq́; exempti:* nihilominus probabile est, id, quod multi docent, & in præcedentibus indicauimus, eam censurâ solùm extẽdi ad Clericos exemptos & priuilegiatos & Religiosos. Ita Auila 5. p. disp. 5. dub. 4. Sà verb. *Suspẽsio* n. 18. Nauarr. c. 27. n. 157 & c. 25. n. 94. vbi citat multos. Henriq. c. 43. n. 3. quia nimirum specialiter fuit hæc pœna posita exemptis potius, quàm non exemptis; quia hi possunt à suo Episcopo compesci, ne id faciant, & cogi ad seruandum Interdictum. Cum autem id non possit Episcopus cum exemptis, meritò Iure cautum est, vt ipsi quoque seruent Interdictum, & non cooperentur cum excommunicatis, aut interdictis à suo superiore ad frãgendam Censuram. *Cur specialiter fuit hæc pœna imposita exemptis potius quàm non exemptis*

293. Decimaoctaua est contra admittentes ad communionem altaris ad Sepulturam Ecclesiasticam vsurarios condemnatos de Vsuris, & contra recipientes illorum oblationem antequam dederint, vel satisfactionem, vel idoneam cautionem satisfaciendi, qui suspenduntur ab officij exequutione donec ad arbitriũ Episcopi satisfecerint c. *Quia in omnibus* de *Vsuris.* Ita Suar. disp. illâ 31. sect. 2. n. 6. & 7. Henriquez lib. 13. c. 38. n. 3. Coninc suprà n. 31. Filiucius n. 100. quâ de re etiam diximus in nostro opere de *Iustitiâ* Tract. de *Vsuris* agentes *de pœnis furatorum.* *Decimaoctaua.*

294. Decimanona est contra Sacerdotem tàm Regularem quam secularem, qui matrimonio iungit, vel benedicit subditos alterius Parochiæ *Decimanona est contra Ecclesia-*

sticum iungentem matrimonio subditum alterius Parochiæ. chiæ; hic enim suspenditur ab officio, donec ab Ordinario Parochi obtineat absolutionem, vt diximus c. præcedenti Suspensione 18. ex Tridentino sess. 24. c. 1. de *Reformatione*. Ita Sanchez de Matrimonio lib. 3. disp. 52. numero 4. Suarius disp. 31. sect. 1. numero 18. Filiucius suprà numero 101. Legatur Sanchez disp. 48. libri 3. numero 6. & quæ dicemus de Matrim. Tract. 11. disp. 3. dub. 23. & 24.

Vigesima. 295. Vigesima est contra Clericum beneficiarium, qui publicè vtitur veste partitâ, vel virgatâ, id est variegatâ, habente scilicet admixtos, & contextos diuersos colores, suspenditur autem per Sex menses à recipiendis fructibus beneficiorum. Quod si beneficiarius non sit, sed initiatus ordine Sacro putà Subdiaconatus, vel Diaconatus, manet suspensus per sex menses à recipiendo beneficio. Ita habetur Clementina 2. de Vitâ & honestate Clericorum. Sic Suar. citatâ disp. 31. sect. 3. in principio. Toletus suprà. Coninc suprà numero 42. Filiucius n. 106. Sayrus lib. 4. c. 15. numero 28. Non tamen omnes eodem modo explicant prædictam pœnam; Suarius enim putat tantùm extendi ad Clericos beneficiarios; sed intelligendus est de pœnâ suspensionis à fructibus beneficij; nam quod illa alia Censura de suspensione à recipiendo beneficio pertineat ad Clericos in Sacris, ex ipso Textu constat; imò ibidem expressè dicitur de Sacerdotibus, aut dignitatem obtinentibus duplam pœnam incurrere, vt legenti constabit.

Duo aduertenda. 296. Duo autem sunt aduertenda in illo Textu primum, quod non sufficiat tale genus vestis portare; nisi portetur publicè vnde, qui, domi tantùm in suo studio, vel cubiculo, vel, qui sub vestibus alijs ita, vt publicè non appareat tali veste vtatur, vel, qui ex aliqua rationabili causa etiam publicè portat, non incurrit Censurâ. Ideò Sacerdotes, qui sũt inter Hæreticos aut alios hostes fidei talibus vestibus vtuntur, vt eâ ratione vel euadant imminens periculum vitæ, aut captiuitatis, vel facilius possint, & tutiùs fidelibus Sacramenta ministrare, & fidem Catholicam promouere, nullam censuram incurrunt, quin potiùs piè, & prudenter faciunt in eâ veste incedentes.

297. Vlterius aliqui Recentiores apud Auilam suprà dub. 8. 11. casu, & apud Henriquez lib. 13. de *Excomm.* cap. 39. numero 3. putant hanc pœnam esse derogatam consuetudine, imò Bernardus Diaz in suâ Pract. crim. c. 75. Nauarrus c. 27. n. 152. & idem Henriq. putant non incurrere, si gestet ob celebrationem alicuius festi, vt Doctoratus, Nuptiarum, vel alterius similis. Addit Suarius, & ex eo Coninc, & Nauarrus non incurrere eum, qui ex occasione extraordinariâ aliquoties vtitur his vestibus: imò Nauarrus tantum putat incurri, quando Clericus communiter vtitur talibus. Pro quâ opinione citat Cardinalem ad citatam Clement. numero 27. & Suarius aduertit multa minutatim distingui in illa Clement. quæ, aut non sunt vsu recepta aut non sub eâ æstimatione, vt peccatum mortale existimetur tali veste vti; sed ad summum indecentia quædam venialis. Ideò meritò docet in hoc plurimùm esse considerandam consuetudinem, &, an secundũ prudentium hominum arbitrium aliquis peccet mortaliter contra eam prohibitionem vtendo hac vel illâ veste.

298. Quapropter nimis rigidi sunt aliqui Doctores apud Sayrum lib. 4. c. 15. n. 28. qui putant Parochos, aut habentes dignitatem, aut Sacerdotes, aut Religiosos, qui publicè gerunt in capite pileum lineum, aut huiusmodi vestes, incurrere suspensionem à perceptione fructuum per annum ex Clementinâ citatâ. Quod enim attinet ad pileum lineum leuissima videtur materia.

299. Vigesima prima est contra Clericum, qui Ecclesias sibi commissas grauare præsumit alienis debitis, aut literas, seu sigilla alicui concedit, quibus possit Ecclesia obligari; nam beneficiarius, seu curam Ecclesiæ habens, qui hoc facere præsumit, suspenditur ipso Iure ab administratione spiritualium & temporalium rerum in c. 2, Extra. *de Solutionibus*. Ita Suar. sect. 3. n. 2. Filiucius c. 6. quæsito 5. numero 107. Angelus verb. *Suspensio* numero 10. Syluest. verb. *Suspensio* numero 6. Notat verò Suarius cum Gloss. ad talem Textum eam legem non comprehendere Episcopos iuxta c. *Quia periculosum.* de *sent. Excommunic.* in 6. Hæc autem Suspensio reseruatur Episcopo; sed addunt Angelus, & Syluest. id Episcopum non debere facere, nisi prius immunitati Ecclesiæ fuerit satisfactum; quod tamen nullo Iure probant, vt notauit Suarius. *Vigesima prima, est contra Clericũ grauãtem Ecclesiã sibi cõmissã alienis debitis.*

300. Vigesima secunda est contra eos, qui Sede vacante Cathedralis, Regularis, aut Collegiatæ Ecclesiæ occupant bona spectantia ad Prælatum defunctum, vel ad ipsam Sedem, vel ad Successorem; qui omnes suspenduntur ab officio, & à beneficio donec integrè restituant iuxta c. *Quia sæpe* de electionibus in 6. vt notauimus c. præcedenti susp. 3. Ita Suarius sect. illâ 3. numero 3. Filiucius numero 108. & 148. Sayrus lib. 4. c. 12. numero 24. & Coninc numero 43. qui etiam ex c. *Præsenti* de *Officio ordinarij.* in 6. obseruant similem suspensionem latam esse in Clericos inferioris Episcopis, qui bona Ecclesiarum vacantium sibi subiectarum, aut ad suam dispositionem partinentium iniustè sibi vsurpant, Episcopi verò, si id faciant, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ. Quæ Censura potiùs est interdictum, & habetur eodem c. *Præsenti.* Legatur Suarius citatâ disp. 31. sect. 5. n. 11. vers. *Quarta* Suspensio; vbi alia notat circa idem caput, & Censuram. Item Sayrus lib. 4. cap. 12. n. 37. Coninc, & Filiucius citati. *Vigesima secunda.*

301. Vigesimatertia suspensio est contra Compromissarium, qui eligit in Episcopum, aut superiorem dignitatem aliquem indignum; suspenditur autem per triennium à beneficijs, quæ obtinet in Ecclesia, de cuius electione agitur c. *Si compromissarius* de *Electione* in 6. Quod intelligendum est dummodò in eâ electione non solùm peccauerit mortaliter (quod generaliter requiritur) sed etiam peccauerit in eâ electione cum scientiâ, alioquin non incurret iuxta principia generalia sæpe tradita, maximè disp. 2. *Vigesima tertia.*

dub. 23. (quamuis ex parte aliter sentiat ibi Suarius) In Textu enim habetur verbum *scienter*, compromittens verò, qui consentit tali indignæ electioni, non suspenditur; sed priuatur facultate iterum eligendi, vel compromittendi c. *Si compromissarius* citato.

Non comprehendit hac suspensio Episcopos &c. Ratio.

302. Non Comprehendit autem hæc suspẽsio Episcopos, vel superiores Prælatos, quando ipsi Cõpromissarij sunt, vt rectè notat Suar. citatâ sect. 3. n. 6. quia generaliter fertur generalis autẽ Suspensio non comprehendit Episcopos vel superiores Prælatos, iuxta c. *Vt animarum*, de *sentent. Excomm.* quod sæpe notauimus.

303. Extenditur verò ibi illa suspensio ad eum, qui alicuius electionem, postulationem, aut prouisionem impugnans in probatione deficit. Legatur Suarius loco citato, vbi (quamuis aliter intelligatur ab Angelo verb. *Suspensio* 1. n. 27.) notat in eodem Textu versu *Si verò* contineri, quod, quando compromissarius eligit indignum, siue dolo, siue ignorantiâ id faciat, iam functus est officio suo, & potestas eligendi ad compromittentes reuertitur, *nisi etiam illi talem electionem scienter ratam priùs habuerint*.

304. Deinde in versu *Porrò* eadem pœna suspensionis imponitur compromissario malè eligenti, vt dictum est; additurque illam pœnam, vel similem non extendi ad ipsos compromittẽtes *nisi etiam ipsi ratam habeat talem electionem*; tunc enim illi sunt participes eiusdem criminis atque adeò puniuntur eâdem pœnâ.

305. Vlterius requiritur, vt illi scienter ratam habeant, nam in Textu dicitur *nisi sic, vt præmittitur, ratum habuerint &c.* nempe *scienter* id enim præmissum fuerat, & philosophandum est de ignorantiâ, sicut philosophati sumus citatâ dub. 23. quando in Censuris additur particula *scienter*. Legatur Suar. ibi n. 7. 8. & 9. in quo ostendit iuxta verba Textus compromittentes non puniri eâdem suspensione, sed (vt diximus) priuatione facultatis iterum eligendi, vel compromittendi; quamuis enim illa exceptio, *nisi sic vt præmittitur, ratum habuerint*, satis significet illos sic ratum habentes esse puniendos, illa tamen particula *Nisi* posita in §. *Porrò* non cadit suprà verbum *Suspenduntur*; sed suprà verbum *puniuntur*; ideoque solùm significatur esse puniendos pœna priùs indicatâ, scilicet priuatione electionis; quæ electio tunc ad Pontificem deuoluitur.

Vigesima quarta contra eligentes indignos ad Episcopatum vel alia beneficia curã animarum habentia.

306. Vigesimaquarta est similis alia suspensio à beneficijs per trienniũ contra eligẽtes indignos ad Episcopatũ, vel ad Beneficia etiã inferiora curam animarum habentia c. *Cùm in cunctis* de *Electionib.* in 6. Ille autem censetur indignus Episcopatu, qui (vt aliqui volunt) non est Triginta annorum, item, qui ex legitimo toro natus non est; qui vitâ, & scientia commendabilis non est. Indignus autem curator animarum

Indignus curator animarum quis censendus.

censetur, qui nondum attingit vigesimum quintum annum, & prædictas alias qualitates non habet, non comprehenduntur autem in hoc; nisi Clerici Episcopo inferiores; tum propter regulam generalem nuper, & sæpe traditam, quod Episcopi non comprehendantur sub generali suspensione: tum; quia Episcopi in hoc delinquentes aliter ibidem puniuntur, priuatione scilicet potestatis conferendi prædicta officia, & beneficia. Ita Suarius suprà n. 10. ac proinde Sayrus lib. 4. cap. 15. numero 11. Nauarrus & alij apud Sayrum putant hanc suspensionem non extendi ad Reges præsentantes illegitimum ad Episcopatũ, vel ad Cardinales eligentes illegitimum ad Pontificatum; Cùm enim in citato Textu sit sermo solùm de Clericis, non est vlteriùs facienda extensio.

Hanc suspensionem non extendi ad Reges præsentantes illegitimum ad Episcopatum &c. putat. Nauarrus Sayrus.

307. Vigisimaquinta est contra eligentes Episcodum, qui, si non præsentauerint electo præsentationem, postquàm commodè potuerint infra octo dies ita, vt culpabiliter omittant, suspenduntur per triennium à beneficijs, quæ possident in illâ Ecclesiâ de cuius electione agitur constat ex c. *Cupientes* §. *Cæterum* de *Electión.* in 6. vbi extenditur pœna ad eligentes, vel opponentes se electioni, qui intra tempus, & modum ibi præscriptum ad Sedem Apostolicam non accedunt per se, vel per Procuratorem, certasve personas ad hoc destinatas rationem reddituri totius negotij. Ita Suarius sect. illa 3. n. 5. Sayrus c. illo 15. n. 12. Viualdus de suspensione n. 96. Filiucius n. 109 Atque idem fere decernitur in eodem Textu cùm aliquis postulatur.

Vigesimaquinta.

308. Vigesimasexta est contra præsumentes per abusum sæcularis cõtra potestatis Canonicã libertatem aliquem ad Ecclesiasticam Præbendam obligare, suspendenti enim sunt per triẽnium ab officio, & beneficio, atque eâ vice priuantur eligendi potestate, & consequenter sic electus, non censetur electus c. *Quisquis* de *electione* Suarius disp. 31. sect. 3. n. 13. Sayrus lib. 4. c. 16. n. 16. Filiucius n. 114. Viuald. n. 98. Is autem censetur eligere cum abusu potestatis sæcularis, qui electionem facit cum interuentu, & authoritate Principis Sæcularis nullum Ius habentis ad eam electionem. Hæc censura non est lata sed ferenda, vt paulò post dicemus.

Vigesimasexta.

309. Vigesimaseptima est contra eum, qui consentit prædictæ Electioni, quâ quis eligitur per abusum sæcularis potestatis, de quo in eo c. Quisquis de *Electione*, sic dicitur *Electionis commodo careat, & intelligibilis fiat, neq; absq; dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem.* Quæ verba non propriè suspensionem sed inhabilitatem inducere vidẽtur; illa enim priuatio, seu irritatio illius electionis, & inhabilitas ad illud beneficium, & ad quamlibet aliam Ecclesiasticam dignitatem non est suspensio ab officio, neque à beneficio, vt per se constat. Vnde Panormitanus ibi, teste Suario suprà, illam appellat Irregularitatem. Ex quo rectè colligit Suarius pœnam illius Textus, quantum ad electum pertinet; non spectare ad præsentem materiam de Suspensione imò neque Suspensionem contra Electores, de quâ dicebamus nuper in casu præcedenti putat Suar. esse Suspensionem ipso Iure latam; sed ferendam; quæ ibi mandatur ferri; dicitur enim *ab officijs & beneficijs penitùs suspendatur per triennium*, quod etiam ibi Glossa notauit. Legatur Suarius citato numero 13. ad finem.

Vegisimaseptima

310. Vige-

Vigesima Octaua.

310. Vigesimaoctaua est contra conferentes, vel recipientes beneficia eorum, qui pro suis negotijs ad Romanam Curiam accesserunt, nam Extrauag. 2. de *Priuilegijs* prædicti suspendunt ab officio, beneficio. Cùm enim suspensio ibi fiat absolutè absque vllâ determinatione, quæ ex verbis vel materiâ colligi possit debet intelligi de Suspensione vniuersali iuxta doctrinam traditam dubit. 1. huius disputationis. Legatur Suarius citatâ disp. 31. numero 15. & disp. 37. sect. 1. numero 8. Filiucius numero 116. & 148. Reseruatur autem hæc suspensio soli Episcopo.

Vigesima Nona.

311. Vigesima nona est contra omnes Clericos inferiores Episcopis, qui Ecclesias visitant aut sunt visitantium familiares, & non seruant Constitutionem Innocentij Quarti in c. *Romana* de *Censib.* & non recipiendis pro visitatione, aut debita procuratione pecunijs, aut alijs muneribus. Sumiturque ex c. exigit de Censib. in 6 de quo iam diximus suprà cap. 1. agentes de suspensione Episcoporum in 21. suspensione, ibi legatur a. §. *Alia suspensio.*

Trigesima.

312 Trigesima suspensio est contra exercentes munus conseruatoris, si se scienter intromittant ad agendum de alijs, quàm de manifestis iniurijs, & violentijs, aut suam potestatem ad alia quæ iudicialem indaginem, id est ritum iudicialem, requirant, scienter extendant. Suspenduntur autem per annum ab officio tam Ordinis, quàm iurisdictionis, vt habetur c. vltimo *de officio delegati*, in 6. ita Filiucius suprà nu. 118. Saytus suprà & alij maximè Suarius num. 17. qui obseruat illam pœnam non extendi ad Episcopos; quamuis enim ille Textus inter personas, quæ possunt esse conseruatores, connumeret Episcopos; tamen, quod attinet ad clausulam pœnalem generalem, non debet extendi ad Episcopos propter regulam sæpe traditam ex c. *Vt animarum. de sent. excom.* in 6. Expendit etiam Suarius illam particulam scienter, per quam non sufficit, quod quis peccet ex ignorantiâ culpabili, vt nos diximus disp. 2. dub. 23 quamuis aliqui, vt iam notaui inclinent in hoc quod sufficiat culpabilis ignorantia. Probabilius tamen puto quod ibi diximus, & absolutè approbat idem Suarius; nam quando Ius vult comprehendere, etiam peccantes per ignorantiam, vel simpliciter loquitur, vel sub disjunctione scienter vel ignoranter, vt videre est in c. *Eos.* de *Tempor. Ordin.* quamuis ergo ignorantia culpabilis etiam crassa non excuset à culpâ, excusat à pœnâ. Falsò autem Glossa ibi infert eam suspensionem esse etiam à beneficio, cùm solum ibi ab officio suspendantur.

Ignorantia crassa excusat à Pœna licèt non à culpa

Trigesima Prima.

313. Trigesima prima est contra Iudicem Ecclesiasticum non Episcopum, qui facit iniuriam contra iustitiam, & conscientiam in grauamen alterius partis litigantis ductus amore, pretio, vel odio; suspenditur enim ab exequutione officij, vt habetur c. 1. *Cum æterni, de sent. & re iudic.* in 6. vbi additur, *si, suspensione durante, damnabiliter se ingesserit Diuinis, Irregularitatis laqueo se inuoluet.* Ex quibus verbis colligitur suspensionem, non tantum se extendere ad officium indicandi, sed etiam ab officio simpliciter, tàm Ordinis, quàm Iurisdictionis; nam Irregularitas non incurritur propter exercitium iurisdictionis, nec suspensio à Iurisdictione impedit exercitium Ordinis, & diuinorum celebrationem. Ita Suarius disp. illâ 31. sect. 3. n. 16. Filiucius num. 117. Toletus suprà Syluest. verbo Suspensio q. 6. num. 19. Saytus lib. 4. c. 13. nu. 3. Nauarrus. c. 27. num. 157. Coninc. num. 46. & alij communiter. Rectè autem expendit Suarius illa verba Textus *Ordinarius aut delegatus*, ex quo infert non includi Iudicem arbitrum, seu compromissarium, nec merè exequuturem, cùm hi non sint Iudices Ordinarij aut delegati; quod etiam notat ibi Glossa verbo *in indicio*, ex Hostiensi, & alijs. Expendit etiam illa verba *contra conscientiam, & contra iustitiam*, quæ putat esse copulatiuè accipienda, vt non sufficiat facere contra conscientiam, si non faciat contra iustitiam. Vnde licèt Iudex ex odio procedens faciat contra conscientiam, si tamen grauamen quod imponit parti non sit contra iustitiam, non incurret eam pœnam; sicut è contra, si per ignorantiam inculpabilem, seu inconsiderationem reipsâ faciat contra Iustitiam, & non contra conscientiam, non incurret illam suspensionem; tum propter defectum illius copulatiuæ, tum propter generalem rationem; quia sine culpâ non incurritur pœna.

Trigesima Secunda.

314 Trigesima secunda est contra Iudicem ferentem Excommunicationem sine scriptis, aut sine causæ expressione, vel, qui requisitus non tradit copiam Scripturæ intra mensem; suspensio autem est ab ingressu Ecclesiæ, & à Diuinis officijs per mensem c. *cùm medicinalis. de sent. excom.* Legantur quæ latè diximus de hac re disp. 2. dub. 18. Quæ suspensio sicut, & sequens potius habet speciem Interdicti saltem ex parte ingressus Ecclesiæ

Trigesima tertia.

315 Trigesima tertia est suspensio, seu potiùs Interdictum ab ingressu Ecclesiæ per mensem contra Iudicem Ecclesiasticum ferentem Censuram excommunicationis sine mentione, & testibus vt habetur, c. *Medicinalis* citato & c. *Sacro* de *sent. excom.* Ita Suarius disp. 37. sect. 1. numero 1. & sequentibus Filiucius numero 146. atque etiam latè de hac re diximus disp. 2. dub. 20.

Trigesima quarta est contra concionantem, aut coram multitudine disputantes de conceptione B. Mariæ Virginis.

316 Trigesima quarta contra eum, qui præsumit in concione populari, aut vbi adest virorum, & mulierum multitudo disputare in alterutram partem de conceptione B. Mariæ Virginis, asserendo propriam sententiam rationibus, & auctoritatibus, & alteram refellendo. Pari ratione contra præsumentem de hac ipsâ quæstione cuiuscuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari linguâ scribere vel dictare; hic enim suspenditur à Diuinis, si est in Sacris, & ipso Iure priuatur omni gradu, & dignitate, redditurque inhabilis ad quamuis similem, & à solo Papa dispensari potest. Ita habetur in Bulla Pij V. quæ incipit *Super secula.* Ita Saytus c. 15. Sà verbo *Suspensio* numero 56. & alij multi Rectè verò expendit Sà verbum *præsumere.* Ideo ait, nota quod requiritur præsumptio, atque adeò dolus.

Paulus V. sub iisdem Pœnis ne quis publicè assereret B.Virg. fuisse conceptã in originale prohibuit.

317 Postea verò Paulus V. die 19. Iulij 1616 & die 31. Augusti 1617. sub eisdem pœnis, & Censuris prohibuit, ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere audeat Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato Originali.

Et Gregorius XV. vetuit illud etiam priuatim asseri.

318 Postea Gregorius XV. non solùm id vetuit in actibus publicis, verum etiam priuatim, vt constat ex Bullâ, quam super hoc edidit, quam ideo non refero, quia iam alij Auctores retulerunt, & in Bullario Pontificum recèns edito continetur.

Trigesima quinta.

319. Trigesima quinta est contra eos, qui spontè iurant se tenturos schisma, est autem Suspensio ab Ordinibus, & dignitatibus & reseruatur Episcopis c.1. *de Schismat.*

Trigesima Sexta.

320 Trigesima sexta contra Clericum notorium, & publicum Concubinarium, aut fornicarium; hic autem Iure antiquo incurrebat Suspensionem totalem, durabatque, quamdiu permanebat Clericus in delicto. c. *Si qui sunt*, dist. 81. & c. *Præter*, dist. 32. & c. *Quæsitum de cohabitatione Clericorum.* Iam verò non incurrit eam pœnam virtute illorum Textuum, quia Canones antiqui contrariâ consuetudine abrogati sunt. Ita Suarius disp. 31. sect. 4. Toletus lib. 1. cap. 47. Auila 3. p. disp. 5. dub. 2. Henriquez lib. 13. c. 36. Filiucius numero 134. & alij multi (quidquid alij Doctores in contrarium sentiant) est autem correctum Ius antiquum per Ius nouum in Tridentinò sess. 25. cap. 14. de *Reformatione* vbi dicitur huiusmodi Clericos esse suspendendos ab Episcopo præmissâ monitione.

Contra Episcopos concubinarios lata est ipso facto suspensio si &c.

321 Contra Episcopos verò Concubinarios lata est ipso facto suspensio, si non resipuerint, postquàm fuerint admoniti à Synodo Prouinciali, vt docet Suarius citatâ disp. 31. sect. 5. n. 24. quæ suspensio sumi potest à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 14. de *Reform.* non tamē ibi requiritur trina monitio; sed vna tantum, ea præmittatur (inquit Suarius) quia raro ea Concilia celebrantur, tunc autem censendus est Episcopus non emendari post admonitionem, quando non statim etiam absque morali dilatione tollet occasionem delicti, & scandali; si adsit, atque adeò tunc incurret ipso facto. Quæ suspensio absolutè fertur, atque adeò intelligenda est ab officio, & beneficio iuxta dicta dub. 1.

Quæres.

322. Quæret aliquis an Clericus publicus peccator sit ipso facto suspensus?

Resp.

323. Respondeo non esse suspensione propriè dictâ. Ita Auila suprà, dub. 1. Couarrub. Clement. *si furiosus* 1. p. §. 1. numero 5. Suar. disp. illâ 31. Sect. 4. num. 2. aitque hoc tempore esse receptissimam, & indubitatam sententiam nec vllum se authorem inuenire oppositā sentientem. Ibi Legatur Suarius Consentit etiam Henriquez lib. 13. cap. 36. & alij.

Neque suspensio neque Irregularitas admitti debet nisi in Casibus Iure expressis.

324. Neque etiam Clericus Sodomiæ labe inquinatus suspensus est, de quo suo loco latiùs disputabimus: nunc sufficiat illa ratio generalis, quod neque suspensio, neque irregularitas admitti debeat, aut incurratur; nisi in casibus Iure expressis quod in eo non contingit. Ita Auila suprà dub. 3. Filiucius Tract. 17. cap. 7. q. 4. num. 125. Suarius disp. illâ 31. sect. 4. à num. 20. vbi quamuis afferat Pij. V. grauissima verba suæ Constitutionis 70. dicentis *omnes & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos sæculares, & Regulares cuiuscumque gradus, & dignitatis tam dirum nefas exercentes omni priuilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus.* In his nihilominus verbis non suspensionem, sed Irregularitatem contineri putat. Imò propè finem numeri 22. putat non esse receptam eam Bullam vt obliget in conscientiâ, donec per sententiam declaretur incurrisse. Sed de hoc iterum dicemus agentes de Irregularitate, & Matrimonio. Legantur, quæ dicemus disp. 7. dub. 13. §. *Decimum crimen.*

325 Prædictis omnibus hucusque contra Clericos addi posset pœna, quam aliqui putant suspensionis contra clericos prouocantes ad duellum, vel in eo pugnantes c. 1 de *Clerico pugnante in bello.* ex illo tamen Textu non colligitur Suspensio ipso facto incurrenda, sed potiùs pœna depositionis ferendâ. Incurret autem pœnam excommunicationis non minus, quàm laici, & sæculares; de quo diximus disp. 3. dub. 62.

326 Vlterius alia suspensio contra Clericos raptores ex Tridentino Sess. 24. cap. 6. non est pœna ipso facto incurrenda; sed ferenda, vt notat Suarius disp. 31. Sect. 3. numero 49. Filiucius numero 134. Concilium autem ibi vtitur verbis futuri temporis, & imperatiui *si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.* Et quamuis illi addatur particula ipso Iure; hæc solùm extenditur ad excommunicationem ibi latam, vt rectè expendit ibidem Suarius qui notat verba Tridentini de sumptâ videri ex c. *eos*, 36. q. 2. & ibi ferendam pœnam significat, vt constat ex c. de *de Puellis* eâdem causâ & quæstione. *Suspensio contra Clericos Raptores.*

327 obiter etiam aduerterim in aliquibus Suarij impressionibus commissum esse errorem, & deficere negatiuam, vbi enim ait *quoad suspensionem existimo esse ipso Iure*, deest particula *non*; mens enim Auctoris est, non esse ipso Iure, scilicet latam suspensionem, quod euidenter ostendit ratio ipsius Auctoris; Probat enim; quia verba illa *Decidãt à proprio gradu*, sumpta videntur ex c. *eos* 36. q. 2. & ibi ferendam pœnam significat, &c. Hæc Suarius.

DVBITATIO VIII.

De absolutione à Suspensione.

328 PLeraque quæ circa Suspensionis absolutionem dici possent, dicta sunt disp. 3. agentes de absolutione ab excommunicatione, eâdem enim possunt hîc appellari. Aliqua etiam diximus dub. 1. & 5. huius disputationis, vbi, quod attinet ad durationem illius suspensionis, quæ non est propriè Censura, iam diximus elapso eo tempore, pro quo lata est, cessare absque aliâ absolutione; quæ est communis Doctorum sententia.

329. Ex quâ doctrinâ facilè respondetur *Satis fit ob-*

obiectio-

quorum obiectioni. obiectioni, quâ aliqui vtuntur, scilicet excommunicatio lata sub hac conditione, donec satisfeceris, non cessat positâ satisfactione; sed adhuc auferenda est per absolutionem: ergo eodem modo philosophandum est de Suspensione; respondetur enim negando consequentiam; nam haec iuxta dicta disp. 1. dub. 2. & 3. non habet propriè rationem Censuræ, sed puræ pœnæ ex se non medicinalis; sed punitiuæ delicti præteriti, ac proinde non mirum quod sine absolutione tollatur, & cesset, vt sæpe dictum est; excommunicatio verò semper est Censura propriè dicta, & iuxta Ecclesiæ institutionem, tanquàm Censura per absolutionem tollenda est.

Ratio cur Suspensio cessat sine absolutione & non excommunicatio.

330. Quod verò attinet ad absolutionem eius quæ propriè est Censura propter contumaciam inflicta cum expressâ vel tacitâ lege, vt tunc absolutio sit conferenda, quando cesset in obedientia & contumacia, iam diximus loco notato Episcopum, vel alium quasi Episcopali iurisdictione præditum absoluere posse, si Sedi Apostolicæ non sit specialiter reseruata argumento capitis. *Nuper de sentent. Excommunic.* & c. *Ex literis de Constit.* Ita Innocentius in c. *1. de Solut.* Panormit, ibi numero 5. Sylvest. verb. *Suspensio* q. 8. S. Antoninus 3. p. titulo 27. c. 4. Couarr. p. 2. *Decret.* c. 6. in principio num. 17, Nauarrus c. 27. numero 162. Auila 3. p. disp. 6. conclus. 3. Suar. disp. 29. sect. 2. n. 6. Non tamen desunt aliqui, qui putent Suspensionem, etiam latam propter contumaciam per se ipsam sine absolutione, si reus à contumaciâ recedat, cessare. Ita Sayrus lib. 4. c. 17. n. 8. & alij apud Suarium.

Absolutio Suspensionis quæ propriè est Censura.

aliqui tamē putant hanc etiam sine absolutione cessare.

331. A Suspensionibus verò reseruatis Papæ poterit absoluere Episcopus suos subditos dummodò suspensio proueniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum iuxta ea, quæ diximus disp. præcedenti dub. 3. 4. & 5. in simili agentes de absolutione ab excommunicatione reseruatâ, in quo idem sentiunt Authores ibi relati, & æquè constat atque de Excommunicatione in illâ sess. 24. Tridentini c. 6. de reformatione, & legi potest Suarius disp. 29. numero 19. Filiucius numero 68. Reginald. lib. 32. Tract. 2. c. 22. numero 43.

Quando poterit Episcopus absoluere a Suspensionibus Papæ reseruatis.

332. Parochi verò alijvè expositi Confessarij nullo modo possent absoluere à suspensione, etiam Iuris communis non reseruata vt putant aliqui nisi speciale habeant priuilegium, vel delegatam potestatem ab eo, ad quem de Iure ordinario talis absolutio spectat. Ita Henriquez c. 35. numero 2. Auila 3. p. disp. 6. conclus. 2. Neque esse eandem rationem de Excommunicatione, nam eius absolutio ordinariè debet antecedere absolutionem à peccatis; nihilominus disp. 3. dub. 2. cum Suario Gutierrez, Rodriguez, & alijs diximus etiam Parochum posse absoluere à suspensione Iuris non reseruatâ, quando habet verum rationem Censuræ; probatque Suarius ex c. *Nuper* vbi verba generalia sunt, & ad omnes Censuras extenduntur, dum dixit Pontifex *quia tamen conditor Canonis eius absolutionem sibi Specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur alijs facultatem relaxandi.* Legatur Suarius ibi, & quæ nos diximus loco citato.

Præter alia, quæ diximus, quoad modum, quo tolluntur censuræ vel cessant dub. 5. iam satis explicata solum restat hic dubium resoluendum; an, si suspensio ob delictum commissum sit absolutè lata sine temporis determinatione atque sine expressione, vt perpetuò duret, aut non relaxetur illa debeat annumerari puris pœnis, quæ non sunt Censuræ, vel potiùs Censuris? multum autem interest alterutrum dicatur; nam, si annumeretur puris pœnis, illaque pœna sit perpetuò duratura, non poterit absolui, quia non est subiecta absolutioni, sicut Censura, neque etiam tolli per dispensationem, aut alio modo, nisi solum à Pontifice; aut ab anctore talis suspensionis, aut superiore illius. Vnde, si sit suspensio Iuris communis, solus Papa illam tollere potest, quia nemo potest superiorem sui sententiam tollere; nisi à Superiore ipso concedatur; nemo autem est superior Iure communi, nisi solus Pontifex, ac proinde nemo in pœna Iuris communis dispensare potestit nisi à Papa illi concedatur, vel in ipso Iure tacitè, vel expressè committatur.

Dubium de suspensione indefinitè latâ.

Suspensionē Iuris communis solum Papa tollere potest.

Ratio.

Ex ipsius concessione possunt alij.

333. Si verò talis suspensio numeretur inter Censuras per citatum c. *Nuper* potent Episcopus aut etiā Parochus similē potestatem habens in prædictâ suspensione dispensare, eo ipso quod cōditor Canonis non reseruet; nā, & nuper dicebamus ex textu *cōditor Canonis, qui eius absolutionē sibi specialiter nō retinuit, eo ipso concessisse videtur alijs facultatem relaxandi*, agebatque ibi de Censuris. Quærimus ergo, an ne talis pœna suspensionis in definitè latæ, sit Censura, aut pura pœna?

334 Hoc vltimum tenet Abbas c. *Cum literis* numero 3. de *Testibus* & attestatur Nauarrus cap. 27. numero 162. putant enim Episcopum non posse dispensare in suspensionibus Iure communi in definitè latis propter delictum præteritum, quia talis suspensio habet rationem poræ pœnæ verò absolutè lata censetur esse perpetua, & irremissibilis à Iudice inferiore iuxta legem *Serum* C. de *Pœnis*.

Opinio Nauarri.

335. Probabilis nihilominus est opposita sententia, quam tenet Glossa in Clementinâ 1. de *Hæreticis* §. penultimo vers. *Excommunicationis*, & ipsemet Abbas sibi nun constans in cap. *Quam sit de Excessu Prælatorum*, in fine. Auila 3. p. disp. 6. conclus. 4. Suarius disp. 19. sect. 1. n. 19. Qui omnes, & alij Recentiores docent, si talem Suspensionem Papa sibi non reseruauit, tolli posse ab episcopo, aut alio similem potestatem, aut iurisdictionem babente post peractam priùs penitentiam, & satisfactionem. Probant verò ex contrario principio aduersariorum; nam eo ipso, quòd indefinitè fertur suspensio propter commissum delictum debet iuxta principia generalia ordinariè (hoc est, nisi aliud aliunde constet) benignior interpretatio adhiberi, & iudicari non esse impositam, vt pœnam merè, vindicatiuam; sed medicinalem potiùs, & cum respectu ad duraturam contumaciam; quâ cessante seu emendatione sequutā per absolutionem instar aliarum Censurarum, quæ pœnæ sunt non puræ, & absolutæ, sed medicinales, tolli possunt argumento ex c. *Ex literis* de *Constitut*. Accedit quod, si Author Suspensionis

Probabilis tamen est opposita sententia.

Ratio est.

voluisset illam esse perpetuam & irremissibilem id expressisset, vt sæpe fieri solet. Ex quo principio rectè colligit in simili Glossa in c. dist. 71. & Less. lib. 2. de *Iustitia* cap. 34. dub. 19. n. 93. Si quis ab alieno Episcopo Ordines accepit, Episcopum proprium dispensatiuè permittere posse, vt in susceptis ministret, atque ad altiores ascendat argumento c. *Salonitanæ* dist. 63.

336. Illud autem, quod diximus ex Tridentino circa absolutionem, aut ablationem reseruatæ suspensionis prouenientis ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum sess. 24. c. 6. etiam extendunt graues Authores satis probabiliter ad Suspensiones, quæ merè pœnæ sunt, siue in perpetuum siue ad certum tempus vt notârunt Henriquez lib. 13. c. 35. n. 2. litera S. in *commentario*. Auila citatâ disp. 6. dub. 5. conclus. 7. & ex ipsis. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 3. c. 4. n. 4. qui etiam addit, & notat quòd, quamuis Suspensiones puræ pœnæ sint, & hæ per dispensationem tolli debeant, potiùs quàm per absolutionem; nihilominùs iuxta aliquorum Doctorum sententiam indiscriminatim omnis suspensio propter delictum, siue in perpetuum siue ad certum tempus imposita, per absolutionem tolli potest; nam verbum absolutionis in formula relaxationis indistinctè solet vsurpari pro quouis delicto ut cum dicitur *absoluo te à vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen, & restituo te ad exequutionem tui muneris, vel tui Ordinis, vel ad beneficium tuum.* Ita Syluest. verbo *absolutio* 6. dub. 2. Nauarrus c. 27, numero 161. Auila in fine partis tertiæ. Suar. citatâ disp. 29. sect. 3. in principio atque eâdem ratione intelligit Layman ex Auila citatâ disp. 6. dub. 2. (quamuis hic non satis clarè loquatur) priuilegium à Sede Apostolicâ concessum Confessarijs Societatis Iesu, quod scilicet fidelium confessionibus audiris, eos in foro conscientiæ absoluere possint, à quibuscumque sententijs, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis ex peccato resultantibus. Hoc ergo priuilegium indistinctè putant hi Authores ad Suspensiones Iuris se extendere.

Iuxta aliquos omnis Suspensio propter delictum per absolutionem tolli potest. Ratio.

Priuilegium à Sede Apostolica Confessarijs Societatis Iesu

337. Tandem aduertendum est (quod iam indicauimus; & in simili diximus, agentes de absolutione ab excommunicatione) ante absolutionem à suspensione, si opus sit exigendam esse satisfactionem, vel cautionem satisfaciendi parti læsæ. Legantur quæ diximus de *Excommunicatione* disp. 3. dub. 39. adiunctâ dub. 15. & 34. in quibus locis etiam egimus, an, & quando in criminibus maximè enormibus exigendum sit iuramentum parendi Ecclesiæ? & quo censu intelligendum sit. Vide Nauarrum c. 27. n° 161. Auila, Henriquez, & Layman suprà.

Nota ante absolutionem à suspensione si opus sit exigendum vt satisfiat parti læsæ.

DISPVTATIO V.

De Interdicto, & Cessatione à Diuinis.

1. TErtia species, & vltima inter Censuras propriè dictas est Interdictum, cuius definitio varijs; sed eodem recidentibus verbis solet explicari. Placet verò definitio magis communis, quam sequenti dubitatione explicabimus.

DVBITATIO I.

Quid sit Interdictum? & quotuplex?

2. INterdictum definiri solet *Ecclesiastica Censura quâ quis à participatione quorumdam Sacramentorum, & ab omnibus Diuinis officijs, atque Ecclesiasticâ separatur.* Ita paulò diuersis verbis Suarius disp. 32. sect. 1. num. 3. Conine disp. 17. dub. 1. Auila p. 5. de *Censuris* disp. 1. Couarr. c. *Alma.* p. 2. §. 1. numero 2. Sayrus in *Thesauro* lib. 5. cap. 1. numero 7. Henriquez lib. 13. cap. 41. Toletus lib. 1. cap. 51. Sotus in 4. dist 22. q. 3. art 1. Nauarrus cap. 27. numero 164. Paludanus in 4. dist. 18. q. 8. Sanctus Antonin. 3. p. tit 26. cap. 1. Syluest. verbo *Interdictum* numero 2. Armil. eodem verbo numero 4. Filiucius Tract. 18. numero 1. Reginald. lib. 32. Tract. 3. cap. 25. numero 1. Bonacina disp. 5. puncto 1. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 1. & alij communiter.

Definitio Interdicti

3. Solet autem diuidi Interdictum in locale, & personale, addunt aliqui mixtum, coalescens nimirum ex vtroque locale dicitur, quo directè prohibetur ne in tali loco audiantur Diuina officia ab incolis, vel extraneis, etiamsi alibi possint audire Diuina officia hoc interdictum dicitur immediatè afficere locum. Personale verò est, quod immediatè afficit personas prohibendo scilicet populum; vel aliquas particulares personas vnam vel plures audire Diuina officia vel participare functionibus contentis in definitione, ac proinde arceantur ab eis personæ, vbi cumque sint. Mixtum verò complectitur vtrumque locale, scilicet, & personale, quo interdicitur locus simul, & persona. Ita Nauarrus c. 27. n. 166. Syluest. & Auila suprà. Reginald. Layman, & alij suprà.

Interdictum diuiditur in locale, personale & mixtum.

4. Ita verò separantur inter se locale, & personale, vt vnum non trahat secum alterum; nisi exprimatur. Vnde præcisse ex interdicto populo, non intelligitur interdictus locus; neque è contra interdicto loco non intelliguntur interdictæ personæ, nisi id exprimat Iudex. Ita Nauarrus n. 167. Auila dub. 2. Syluest. verbo *Interdictum* 2. numero 7. Reginald. numero 5. Sotus & Bonacina suprà.

Interdictum locale & personale ita separantur inter se vt vnum non trahat alterum, nisi exprimatur.

5. Probabile Nihilominùs est, quòd interdictum locale semper inuoluat personale, quod verum quidem est, si saltem de aliquâ personâ loquamur; nam locus nunquàm interdicitur; nisi propter peccatum vnius, vel plurium personarum, quæ tunc ita personaliter interdictæ cen-

Probabile est interdictum locale semper inuoluere personale.

censentur, vt nullibi eis liceat sacris participare iuxta c. *si sententia* de *sentent. Excommunic.* in 6. atque hoc sensu videntur intelligendi aliqui, quando ex locali colligunt personale. Non tamen placet Henriq. cap. 42. ad fin. & alij, qui volunt posito interdicto personali generali censeri positum etiam locale, oppositum enim probat generalis regula, quod odia sint restringenda.

6. Quando autem Interdictum est personale communitatis, non prohibentur alij, qui ciues seu membra communitatis non sunt, sed ibi negotiorum, vel studiorum aliâve simili causâ commorantur in eo loco illius communitatis Sacra officia audire. Ita Syluest. verbo Interdicto 2. numero 13. Suarius disp. 32. sect. 2. n. 15. Coninc. disp. 17. n. 12.

Ex tradita doctrina infertur 1. 7 Ex traditâ doctrinâ infertur primò interdictâ aliquâ Ecclesiâ posse Sacerdotes illius Ecclesiæ in aliâ Diuina officia celebrare, dummodò non fuerint ipsi, qui causam dederint culpabili Interdicto; nam tales nullibi possunt, vt habetur cap. *Sicut* de *sentent. Excommunic.* in 6. Posito verò Interdicto locali in eo loco interdicto non solùm incolæ, & indigenæ, sed exteri etiam non possunt ibi celebrare & participare Diuinis, vt dicebamus.

Infertur 2. 8. Infertur cum Coninc, & Layman suprà numero 3. etiamsi tota communitas Ciuitatis interdicta sit, posse in Ecclesiis illius Ciuitatis, ianuis apertis; Campanis pulsatis &c. Diuina officia celebrari; nisi fortè inde parturbatio oritura sit, nec personæ interdictæ prohiberi aut excludi possint.

Colligitur 3. 9. Colligitur 3. quod si interdictâ communitate desinat quis esse membrum communitatis, v. g. per domicilij mutationem liberatur Interdicto; nisi ipse culpâ suâ causam præbuerit illius. E contrà verò, si quis de nouo recipiatur incommunitatem interdictam incipiatque esse membrum illius, incipiat ligari, vt cum communi sententiâ docet Layman suprà, Auila p. 5. disp. 1. dub. 4. conclus. 4. Henriq. lib. 13. cap. 42. numero 2.

Infertur 4. ex dictis, Interdictum locale esse duplex. 10. Infertur 4. ex dictis interdictum locale duplex esse generale scilicet, & particulare; generale est illud, quo interdicitur locus vniuersalis, vt Regnum, Prouincia, diœcesis, Ciuitas. Castrum, Parochia, Villa, & quicumque locus, qui à communitate, vt communitas est, diuisis habitationibus occupatur iuxta c. *Cum in partibus* de *verborum significat.* particulare verò dicitur quando solùm interdicitur certus locus Sacer, vel plures, vt Parochialis Ecclesia, sub quâ comprehenduntur etiam Capellæ, & cœmiteria contigua quemadmodum Ciuitatis etiam nomine suburbia comprehenduntur, etiamsi ad alterius iurisdictionem partineant c. *Si Ciuitas* de *sentent. Excommunic.* in 6. propter generalem illam rationẽ quod accessorium sequatur cõditionẽ principalis vt iterũ notabimus dub. sequẽti vbi explicabimus, an tunc cẽseantur suburbia interdicta à Iudice, vel potius à Iure.

11. Magna verò differentia est, pro praxi q; maximè obseruanda inter Interdictum loci generale, & particulare (nam, si interdicatur v. g. Ciuitas, nullibi, neque intra, neque extra Ciuitatis Ecclesias licebit Diuina officia celebrare. Si verò vna Ecclesia illius Ciuitatis, vel plures, vel etiam omnes sub Interdicto sint, licebit extra illas in priuatis oratorijs, alijsve locis alioquin non prohibitis Diuina officia celebrare.

Infertur 5. 12. Ex quo videtur 5. inferri Interdictâ Parochiâ, si per parochiam intelligamus totum ambitum alicuius Castri ad quod ius illud parochiale se extendit, & intra quem continentur Parochiani, tale Interdictum esse generale, ac proinde intra illum ambitum non licere, non solùm in Parochiali templo, verum neque in priuatis alijs locis officia celebrare. Ita Nauarrus suprà numero 166. Suarius disp. illa 32. sect. 2. numero 7. Filiucius Tract. illo 18. numero 5. Bonacina suprà & alij. Si verò per parochiam intelligamus templum Parochiale interdictum erit particulare, seu speciale, non generale, & extra templum licebit liberè celebrare.

13. Quod si contingat interdici aliquam Ciuitatem exceptâ vnâ vel duabus Ecclesijs, Interdictum absolutè est generale cum illa exceptione, nam ad Interdictum particulare requiritur, vt interdicatur particularis locus, vel Ecclesia, in tali autem casu non interdicitur locus particularis; sed tota ciuitas, neque generalitas absoluta tollitur per particularem exceptionem alicuius Ecclesiæ, vt notauit Suarius n 9.

Interdictum personale, diuiditur in generale & particulare. 14. Interdictum etiam personale diuiditur in generale, & particulare: Generale dicitur, quod fertur in communitatem, vt est corpus politicum, vt in totam aliquam gentem populum alicuius Ciuitatis, pagi &c. aut in Collegium Capitulum, academiam &c, Hoc Interdicto comprehenduntur omnia membra seu partes illius communitatis etiam Innocentes; nisi speciali priuilegio eximantur. Particulare verò personale est, quod fertur in particularem vnam personam, vel plures, vt Episcopum, gubernatorem Ciuitatis, aut in omnes, ac singulos, qui tale facinus patrârunt, vel auxilium attulerunt, quantumuis ignoti sint; tunc enim interdicuntur personæ, vt particulares, & non, ut membra alicuius communitatis. Vnde in tali casu sunt quasi plura particularia Interdicta vnâ generali sententia cõprahensa.

Obijcies. 15. Obijciet aliquis censura Interdicti est quædam pœna spiritualis. pœna autem supponit culpam; ergo non debent innocentes Interdicto ligari.

Resp. 16. Respondetur Innocentes per se, & propriè non ligari Censurâ Interdicti; sed tantum per accidens; quia sunt in loco vel è communitate interdictâ. Quare, si inde exeant ita, vt non sint illius communitatis membra, vel non sint in illo loco Interdicto, cessebit pro illis omne impedimentum. Ex quo fit Innocentes per Interdictum propriè non puniri, quamuis damnum sentiant per accidens; quatenus id necessarium est, vt noxij puniuntur, absterreant, & emendentur, & ad Ecclesiæ simul honorem defendendum, & stabiliendum.

Infertur 6. 17. Infertur 6. non esse Interdictum generale; sed speciale quando interdicuntur non solùm aliquæ Ecclesiæ; sed etiã omnes, cuiuscũq; loci. Ita Nauarrus suprà numero 196. Sayrus lib.

lib.3.cap.2. numero 13. & 14. & alij Recentiores, quia nimirum tunc tantum est Interdictum generale locale, quando fertur in locum generalem, qui à communitate, vt communitas est, diuisis habitationibus occupatur, vt Regnum, Prouincia, Ciuitas, &c. supra dicta; sed, quando interdicuntur omnes Ecclesiæ, non interdicitur totum Regnum, Prouincia, Ciuitas, &c. ergo tale Interdictum particulare est. Vnde iuxta dicta, poterunt diuina officia celebrari in priuatis oratorijs, seu domibus, & eremitorijs, in quibus est speciale priuilegium.

18 Non me latet aliquos existimare Interdictum, quo interdicitur academia, vel collegium, aliquave alia vniuersitas contenta in aliquo opido, vel Ciuitate, appellari debere & esse interdictum particulare, quia nimirum non interdicitur totus Populus, vel totum oppidum; sed pars oppidi, & communitatis. Ita Aula supra conclus 3. Syluest. supra, & alij.

Interdictum quo interdicitur academia Collegium vel vniuersitas contenta in aliquo oppido, est Interdictum generale.

19 Probabilius tamen est, quod diximus, & docent Henriquez cap. 41. numero 3. Coninc suprà num. 11. Nauarrus, Suarius, & alij suprà esse, scilicet, Interdictum generale: nam alioquin, nec Ciuitatis totius Interdictum esset Interdictum generale; nam, si adeò Collegium, Academia, seu vniuersitas non censetur, si interdicatur, generali Interdicto affici, quia nimirum illa est pars alterius communicatis, seu oppidi, aut Ciuitatis, pari ratione Ciuitas non erit subiectum capax Interdicti generalis, sed solius particularis, quia etiam Ciuitas, aut oppidum est pars alicuius alterius amplioris communitatis, putà Prouinciæ, Regni &c. Ergo sicut hoc non obstante Interdictum oppidi, aut Ciuitatis generale Interdictum est: ita etiam non obstante, quod Collegium sit pars alterius communitatis, Interdictum ipsius erit Interdictum generale, sufficit enim, quòd sit communitas quædam, etiamsi talis communitas sit pars alterius communitatis, quæ ex illâ, & alijs fortè communitatibus coaluit, sicut Ciuitas capax est Interdicti generalis, etiamsi sit pars Regni coalescentis ex multis ciuitatibus.

Interdictum diuiditur in totale & partiale.

20. Adhùc Interdictum diuidi solet in totale, & partiale, totale est, quod extenditur ad omnes effectus interdicti; partiale verò, quod non ad omnes, sicut de suspensione etiam dictum fuit. In quo differunt suspensio, & Interdictum ab Excommunicatione maiori propriè dictâ, quod Excommunicationis effectus ita sunt inter se connexi, vt separari non possint secus verò Suspensionis, & Interdicti.

Species interdicti partialis est prohibitio ingressus in Ecclesiã.

21. Partialis itaque Interdicti species, quædam est, per quam prohibetur ingressus in Ecclesiam, vt in c. *Sacr. de sententiâ Excommunicationis* & cap. 1. Eodem titulo in *6*. & c. *Episcoporum de Priuilegijs* in 6. Legitque potest Nauarrus c.25. numero 94. Henriquez lib. 13. c. 43. § 3. littera *B*. & cap. *exigit*, *de censibus* in 6. c. *Romanâ*, eodem titulo c. *Præsenti de officio Ordinarij* in 6. & extrauag, *Ne sede vacante &c.* & extrauag. de *Rebus Ecclesiæ non alienandis*. In quibus omnibus prohibetur tantùm ingressus in Ecclesiam.

Affectio interdicto partiali, prohibetur celebrare aut audire officia diuina.

22 Per tale autem partiale Interdictum, qui eo afficitur, prohibetur tàm celebrare, quàm audire officia Diuina. Quod si sub tali Interdicto sine pœnitentiâ moriatur, corpus eius sepeliri potest in loco Sacro iuxta, c. *Is cui de sent. excom.* in 6. explicatque Glossa ibidem Couarrub. c. *Alma* p.2. §. 1. numero 3. Henriquez lib. 3. cap. 32. numero 2. Aula p. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 5. conclus. 5. Suarius disp. 35. sect. 4. Nomine autem Ecclesiæ intelligitur omnis locus ab Episcopo deputatus ad publicum Missæ Sacrificium, vel alia Diuina officia; non tamen prohibetur celebrare in priuatis Oratorijs, & audire Missam; atque etiam intra ipsam Ecclesiam priuatas orationes fundere vt cum Communi sententiâ docet Nauarrus, Couarrub. Aula, & Henriquez supra. Oppositum tamen sentit Suarius disp. 35. sect. 4. à numero 19. vsque ad 23. Præcipuum eius fundamentum est ex c. *Latorem.* 23 q. 2. illis verbis *Per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur; sed ante fores Basilicæ stans, orans, & deprecans Deum perseueret*. In quibus manifestè (inquit) est sermo de priuatâ oratione; illa enim particula aduersatiua *sed ante fores, &c.* satis declarat prohibitio ingressu Ecclesiæ illam etiam deprecationem intra illam esse prohibitam, quæ ad fores Ecclesiæ facienda dicitur. Præterea, quod dicitur, vt sic interdictus stet ad fores Ecclesiæ, & ibi deprecetur, vel intelligitur de Diuinis officijs deprecando in eis, & hoc non habet locum, quia id maximè prohibetur ex vi talis Interdicti, vel intelligitur, vt stet ibi ad deprecandum absque auditione Diuinorum, & hoc superfluè adderetur; nisi talis deprecatio prohiberetur fieri intra Ecclesiam.

Oppositum sentit Suarius.

Prior sententia communis & magis placet authori.

23 Placet nihilominùs prior, & communis sententia, & ad c. *Latores* dici potest vnum è duobus, scilicet, vel esse intelligendum (sicut Suarius vult) de prohibitione ab ingressu Ecclesiæ, etiam ad priuatam orationem; sed hoc esse peculiare pro illo casu, imò quia per prohibitionem ab Ingressu Ecclesæ non videbatur contineri prohibitio etiam ad orationem particularem, addita fuit illa explicatio quod staret ante fores Ecclesiæ, etiam priuata oratione deprecando Deum; vel certè negari potest ibi esse sermonem de priuatâ oratione; sed de oratione publicâ, cui ille præcipitur adesse pro illo tempore, ita, vt sit peculiare genus pœnæ quod ibi illi imponitur, scilicet, vt ex vno capite ingredi non possit Ecclesiam interim, dùm Diuina officia celebrantur, ex alio tamen capite cogatur, seu iubeatur adesse extra Ecclesiam; tamen in limine stans, seu ante fores, deprecans Deum; illa enim vox *perseueret*, supponit quidem præcedentia verba in quibus prohibetur ingressus, & significat præceptum perseuerandi ad fores basilicæ; neque inde licèt trahere argumentum ad cætera Interdicta; nam, sicut non inde licet probare, quod in alijs Interdictis qui prohibetur ab ingressu Ecclesiæ, siue tempore Diuinorum officiorum, siue etiam in priuatâ oratione simul habeat præceptum standi ad fores Basilicæ, deprecando Deum, & tibi perseuerandi; sed hoc totum pro illo casu particulari censetur babere locum: ita similiter, quamuis concedamus ibi esse prohibitionem ingrediendi, non solùm ad publica officia; sed ad priuatam orationem; non licebit inde trahere argumentum, vt in alijs quoque Interdi-

ctis

ctis id ipsum intelligatur; nisi disertis verbis exprimatur.

Prohibitio ingressus Ecclesiæ intelligi debet formaliter, ut Ecclesia est, non vero materialiter

24. Illud autem in omni euentu cum eodem Suario. numero 23. mihi placet, cùm prohibetur ingressus Ecclesiæ, intelligi debere formaliter, vt Ecclesia est, id est ad utendum eâ tanquam loco Sacro, & solemniter instituto ad orandum Deum, vel alia sacra exercenda, quidquid in contrarium sentiat Abbas, & alij, Vnde non est prohibitus omnis ingressus in Ecclesiam etiam quasi materialiter, scilicet, ad transeundum per eam, vel disputandum, colloquendū, vel quid simile, vt iterum dicemus dub. 4. c. 5.

25. Addunt Henriquez, & Auila locis citatis, qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, non prohiberi intra Ecclesiam Sacramenta recipere; cuius asserti non video idoneum fundamentum; contrarium enim constanter asserunt cæteri Doctores; neque vidisse contigit aliquem, qui cum illis duobus sentiat. Ita Syluest. verbo suspensio q. 5. ad finem. Suarius eâdem sect. 4. n. 5. Gloss. in c. *Præsenti*. 5. q. 2. vbi tanquam regulam tradit *cui interdicta est Ecclesia, etiam Sacramenta Ecclesiæ interdicta esse censentur*, quod intellige intra Ecclesiam; nam extra potest recipere Sacramentum, & celebrare.

Clericus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, ex ercendo actū ordinis fit irregularis.

26. Quod autem Clericus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, tale Interdictum violet exercendo actum ordinis, irregularis fiat, habetur c. *Is cui*, & docet Gloss. in c. *Præsenti* verbo *Ecclesiæ de Officio Ordinarij* in 6. debet autem esse exercitium talis actus intra Ecclesiam, Legantur dicenda disp. 7. dub. 19.

DVBITATIO II.

De quibusdam specialibus dubijs pro praxi decidendis ex tradita doctrina.

Quæres 1.

27 QVæritur 1. an interdicto Clero sint etiam interdicti Religiosi?

28 Diuisi sunt Auctores; quidem in Interdicto prouenienti à summo Pontifice affirmant interdici. Ita Nauarrus numero 167. Couarrub. c. *Alma* p. 2. §. 1. numero 8. Suarius disp. 32. sect. 2. numero 17. & alij multi; probant; quia tota communitas distinguitur in populum, & Clerum iuxta, c. *Si sententia, de sent. excommunicationis*, in 6. sed relegiosi non comprehenduntur nomine Populi: ergo nomine Cleri. Confirmat Suarius ex eodem capite, nam quando in eo dicitur interdicto Populo, non comprehendi Clerum, sub Clero comprehenduntur Relegiosi: ergo cum dicit sub Clero non interdici populum, non comprehendit Religiosos sub populo, sed sub Clero

Resp.

29. Probabilius nihilominus est non comprehendi Religiosos hi enim solùm in fauorabilibus veniunt nomine Cleri, non in odiosis. Item; quia; si interdicantur Religiosi non censentur interdici Clerici, etiamsi hi largo quidem, sed non in proprio modo dici possint Religiosi: ergo pari ratione, quando interdicuntur Clerici, non censentur Interdicti Religiosi: Atque ex his patet responsio ad argumentum, & confirmationem ex prædicto capite; dicimus enim habere causam sufficientem, vt Religiosi distinguantur à Clero sicut Clerus distinguitur à Populo, etiamsi sub aliâ consideratione ampliori populus comprehendat Clerum. Ideò sicut Clerus nomine Populi non venit intelligendus; nisi in fauorabilibus: ita neque Religiosi nomine Cleri.

30. Quæritur, 2. an interdicto populo, intelligatur interdictus Clerus, & è contra? *Quæres* 2.

31 Aliqui affirmant propter generalem rationem, quod populus complectatur omnes familias, & communitates, singulasque personas, quæ intra Ciuitatē aut oppidum continentur, saltem tanquàm incolæ illius loci; tales autem sunt personæ de Clero, & totus Clerus: ergo in Interdicto populi totius etiam illi comprehendentur.

32 Probabilius nihilominus est non comprehendi Clerum; tum; quia populus absolutè prolatus solet distingui à Clero, & accipi pro Laicâ multitudine incolarum; tum; quia, vt nuper dicebamus, solùm in fauorabilibus nomine populi venit Clerus intelligendus. Ita Suarius suprà numero 14. Auila dub. 4. conclus. 6. c. 27. numero 167. Conninc. numero 8. alijque multi, qui etiam faciliùs vice versâ concedunt interdicto Clero non intelligi populum interdictum. Vnde tunc poterunt Laici extraneos alios Clericos vocare, qui celebrent Missas, & Sacrificia Diuina, sicut è contra Clerus poterit populo interdicto celebrare seruatis tamen ijs circumstantijs, quæ postea suo loco dicemus. *Resp.*

33 Quæritur. 3. an interdictâ familiâ, censeantur Clerici eiusdem familiæ interdicti? *Quæres.* 3.

34. Communiter respondent affirmatiuè. Ita Suarius sect. illâ 2. Auila, Paludanus suprà. Sayrus, cap. 4. numero 28. Henriquez suprà, numero 3. & alij locis citatis. Probant; quia Interdictum simpliciter fertur in personas illius familiæ, vt supponimus; Clericus autem est pars illius familiæ: ergo comprehenditur. Quæ doctrina satis probabilis est. Tamen non videtur improbabile, quod non comprehendatur; nisi ex alijs circumstantijs videatur comprehendi, vt, si probatum iam fuerit, satisve constiterit æquè primo, atque alios esse causam talis Interdicti, tunc enim omninò credendum est mentem ferentis Interdictum fuisse illum comprehendere. Quando verò talis Clericus non dedit æquè principaliter causam Interdicto, vel sine vllâ culpâ propriâ interdicitur eius familia, non video cur censendus sit ille interdictus, & quidem si sit Episcopus, etiam non consecratus, sed electus, & confirmatus, omninò verum puto non comprehendi, nec credendum; nisi explicetur, voluisse Superiorem illum cōprehendere; sed in hac re Philosophandum esse, vt disp. præcedenti sæpe diximus de suspensione generaliter latâ, quæ non comprehendit Episcopos, &, quamuis sint minores Clerici, maximè, si sint in Sacris, non videntur comprehendi tali generali Interdicto; sed probabiliter credi potest voluisse Superiorem illum comprehendere; præsertim, si satis notum erat Superiori in eâ familiâ Clericos contineri, & illos non expressit; & ea causa inter alias potest conducere ad sic præsumendum; quia cùm Superiori ferens Censuram

ſutam Interdicti longè aliter ſe gerere poſſit cùm merè laicis ſibi in temporalibus non ſubditis, quàm cùm Eccleſiaſticis in omnibus ſibi ſubditis, facilius credendum eſt velle merè laicos immediatè, & primò Cenſuris punire, cum vix, vel nunquam habeat alia arma ad coarcendum illos, quàm Clericos ſibi plenè ſubiectos in omnibus, quos poteſt alijs modis caſtigare corripere, & emẽdare, coercere, & cogere ad eã reſipiſcentiam, quàm, per correctionem, quæ per Cenſuras intenditur; ac proinde non eo ipſo, quod vult familiam aliquam, quæ (vt ordinariè fit) conſtat perſonis omnibus, aut pleriſque laicis, cenſuris ferire. cenſendus etiam erit ita velle ſe gerere contra Clericos, niſi aliud exprimat, vel ex circumſtantijs conſtet.

35. Nihilominus; quia video communem ſententiam eſſe interdictâ familiâ Clericũ eius familiæ cenſeri interdictum; in praxi ita ſeruandum eſt, & maximè in foro exteriore iudicandum.

36, Quod ſi vnus illius familiæ, ſiue Clericus, ſiue laicus poſt latum interdictum recedat ab ea familia, adhuc manebit interdictus donec abſoluatur; quia ſemel incurſa Cenſura, non tollitur; niſi per abſolutionẽ, vt diximus diſp.1. diſp 2. & 3. alijſque in locis. Ille verò, qui poſt latum Interdictũ fit de tali familiâ interdicta non incurrit interdictũ quia tẽpore, quo fuit latũ non comprehendebatur, poſtea verò non fertur de nouo Interdictum, neque illud prius cenſetur adhuc ferri; ſed ſemel latum fuit, & actio ferendi tranſiuit, etiam moraliter, ſolumque manſit effectus illius Cenſuræ in ijs, in quos tunc ſuperior illam tulit.

Obijcies. 37. Obijciet tamen aliquis, ſi quis fiat pars communitatis interdictæ, vt quando quis transfert Domicilium ad locum in quo populus eſt interdictus, ſubiaceat Interdicto: ergo etiam ille, qui fit de familia interdictâ.

Reſp. aliqui. 38. Reſpondent aliqui negando paritatem & rationem diſparitatis reddunt, quia Interdictum familiæ eſt ſpeciale; Interdictum verò cõmunitatis eſt generale, & perſonæ illius familiæ non ſunt interdictæ; quatenus faciunt vnam communitatem, & familiam; ſed ſunt interdictæ ſingulares perſonæ illius familiæ ſecundum ſe, ideò, qui recedit, remanet interdictus, &, qui accedit, non ſubiacet Interdicto. Secus dicendum putant de illo, qui populo iam interdicto fit pars illius; nam perſonæ communitatis ſunt interdictę quatenus cõſtituunt cõmunitatem. Ita Bonacina diſp. 5. puncto 1. numero 13. in fine refertque Suarium ſuprà numero 9. ibi tamen nihil dicit de hac re, quin potius numero 12.13. & ſequentibus principia dat ad contrariam reſolutionem, dum loquitur de Collegijs, Academijs &c. quæ ſunt familiæ particulares contentæ in vnâ communitate ampliori, & iuxta principium illius negandum eſt eſſe ſpeciale Interdictum, quod fertur contra familiam; Refert etiam Bonacina Coninchum numero 17. Sed ibi nihil habet quin potius numero 11. expreſſè docet, quando Collegium aliquod interdicitur eſſe interdictum generale, quia tunc fertur immediatè in aliquam communitatem, quæ comprehendit etiam Innocentes, & addit. *Idem omninò credo dicendum de Interdicto lato in familiam alicuius Magnatis, quia eadem rationes militant.* Itaque in hoc non eſt diſparitas.

39. Reſpondendum ergo cenſeo eſſe eandem vtrobique rationem & negandum antecedens vtrobique, vel vtrobique cõcedendum; eſt enim vtrumque Interdictum generale. Vnde, quando Interdictum fertur propter culpam commiſſam, & emendam præſtandam à communitate, qui non erat mẽbrum talis cõmunitatis, nec fuit cauſa partialis cum alijs in delicto commiſſo, atque adeò, neque obnoxius obligationi tollendæ, & corrigendæ contumaciæ, etiamſi ingrediatur illam communitatem, non cenſebitur interdictus, ſiue communitas ſit familia, ſiue communitas ſit populus. Quando verò interdictus eſt populus, vel familia, nõ propter delictum commiſſum à tali communitate ſed propter alias cauſas, vt ſæpe fit; tunc, qui fit mẽbrum talis communitatis interdictæ, eo ipſo cenſetur; interdictus non quidem, directè, & per ſe, ſed quatenus eſt membrum talis cõmunitatis. *Reſp. authoris*

40. Quæritur 4. an interdictis Doctoribus alicuius Ciuitatis, cenſeantur etiam interdicti Clerici? *Quæres 4.*

41. Reſpondeo generaliter loquendo, & ordinariè cenſeri; nam illud nomen Doctoris, quantumuis ſtrictè ſumatur, non minus propriè Clericis Doctoribus quàm cæteris. Ita Auila dub. 9. concluſ. 9. Henriquez ſuprà n. 3. & alij. *Reſp.*

42. Oppoſitum ſentiunt Sayrus ſuprà cap. 4. numero 30. Vgolin. Tabula 5. cap. 20. §. 5. ad finem, alijque non nulli. Quorum fundamentum eſt; quia tunc interdicuntur; quatenus faciunt vnum Collegium, ſeu communitatem, vel Vniuerſitatem, Sed Clerici Doctores non poſſunt eſſe de vniuerſitate, vel Collegio laicorum, ergo &c. Hæc tamen ratio nullius momenti eſt; ſæpe laicis, & Clericis Doctoribus conflatur, vna Academia, collegium, ſeu vniuerſitas, cuius membra ſunt vnusquiſque per ſe. *Oppoſitum ſentit Sayrus.*

43. Dixi tamen *generaliter loquendo, & ordinariè*, quia nonnunquam fieri poteſt, & alibi fit, vt Doctores, aliqui ita ſint membra illius communitatis, vt non cenſeantur ſubiacere in omnibus Superiori talis communitatis. Certè erga illos non habeat Superior poteſtatem excommunicãdi aut interdicẽdi. Hac ratione in aliquibus vniuerſitatibus quarũ Rector iuriſdictionẽ habet talẽ. vt poſſit Cenſuras ferre. v.g in Complutenſi Academiâ cooptantur in mẽbra vniuerſitatis aliqui Religioſi, qui quamuis in alijs pertinentibus ad Academiam, & non repugnantibus ſtatui, & exemptioni ſui Ordinis, pareant, & parere debeant (iuxta præſtitum iuramentum, & alias Conſtitutiones à Sede Apoſtolicâ approbatas) Rectori, & quamuis ille Rector poſſit interdicere totum Collegium, ſeu, vt illi appellant Clauſtrum Doctorum, vel certè non repugnet poſſe (de hac enim poteſtate modo nihil definio) tamen reſpectu illorum non videtur habere hanc poteſtatem, neque intelligendam eſſe talem Cenſuram; tota enim illa ſubiectio Religioſorum tali Rectori intelligenda eſt in ijs, quæ non repugnant Statui Religioſo, & iuriſdictioni ſuperiorum Regularium. Vnde, niſi *Dicitur generaliter loquendo.*

aliud

aliud concesserit Sedes Apostolica, imò, & nisi aliud exprimat in particulari ferens Interdictū, etiamsi talem habeat à Papâ potestatem, non comprehendentur Religiosi, quantumuis propriè nomen Doctorum illis conueniat.

Quæritur 5. 44 Quintò quæri potest an interdicto populo Ciuitatis, censeantur interdicti, qui habitant in suburbijs?

45 Diximus iam dub. 1. explicantes Interdictum locale, interdictâ Ciuitate intelligi etiā interdicta suburbia, vt ibi probauimus; quia nimirum accessorium sequitur conditionem principalis. De ciuibus autem, seu populo alia videtur esse posse ratio, quamuis enim suburbia sint quid accessorium respectu Ciuitatis, fieri tamen potest, & quādoque fit, vt habitantes in suburbijs nō sint pars populi habitantis in Ciuitate quo supposito distinguendum est in proposita quæstione; si enim pars populi non sint, non extenditur Interdictum ad illos, secùs verò, si sint populi pars; tunc enim quod fuerit de toto erit de parte, & membro illius communitatis. Ita Auila supra dub. 4. conclus. 3. Sayrus cap. 4. numero 2. Vgolinus tabulâ 5. c. 20. §. 5. & alij Recentiores. Legatur Suar. disp. 32. sect. 2. numero 15. *Resp. cum distinctione.*

Quæres 6. 46 Quæritur 6. an Ciues interdictæ alicuius Ciuitatis, si dum fertur Interdictum absunt, Interdicto subiaceant?

Resp. 47 Respondeo subiacere; sunt enim partes communitatis interdictæ. Ita Auila, & Sayrus suprà cum alijs; quod debet intelligi iuxta dicta disp. 1. dub. 10. 11. & 12. vbi explicuimus modum, quo quis possit, aut non possit ligari censuris, quando est extra territorium ferentis illas.

48. Quæritur 7. an, qui habet actu domicilium alibi, aut aliò transferunt domicilium, desinant esse interdicti, at Interdictum illos non attingat?

49 Respondeo eum qui transfert domiciliū tempore Interdicti, vel transtulit iam, atque adeò illud habet alibi non subiacere Interdicto. ita, vt, si prius subiacebat Interdicto, & posteà transtulit aliò domicilium desinat esse interdictus, vt in simili diximus de Interdicto locali dub. præcedenti; sicut enim ibi mutato domicilio vel etiā habitatione aut præsentiâ, qui exit à loco interdicto, iam desinit esse interdictus; quia locus, in quo est, non est pars loci interdicti, ita similiter in nostro casu, qui mutat domicilium, desinit esse pars populi interdicti, atque adeò liberatur ab interdicto. Ita Suar. disp 32. sect. 2. numero 15. & 16. Vgolinus Tabula 5. c. 20. §. 4. numero 1. Hoc tamen intelligendum est, dummodò ipsi non dederint causam culpabilem Interdicto; quod si hanc dederint, ratione delicti adhuc manent subditi, quātum ad illum casum iuxta doctrinam datam de Censuris in communi disp. 5. dub. 11. & 12. adiuncta 10. indigetque absolutione, quia directè, & per se afficitur Censurâ, qui sic interdictus est primariò, & per se.

50 Contrariâ ratione iuxta dicta si quis fiat pars populi interdicti & Communitatis interdictæ potest fieri, vt eo ipso censeatur etiam interdictus, Sed intelligendum est cum limitationibus, & circumstantijs suprà explicatis in obiectione post quæsitum 3.

51 Obijciet aliquis primò terra vendita à Principe post Interdictum locale, manet adhuc interdicta: ergo etiam ciuis interdictus manebit interdictus mutando domicilium. *Obijcies*

52 Respondeo disparem esse rationem; nam Interdictum generale personale fertur in personas, quatenus faciunt vnam communitatem afficiendo primariò communitatem, & secundariò personas, quatenus sunt partes illius; ille verò, qui mutat domicilium, eo ipso, quod domicilium mutet, desinit esse pars illius communitatis, ratione cuius, tanquàm pars illius afficiebatur Interdicto, atque adeò cessat ratio, & causa subiacendi; terra verò, quantumuis alteri Domino vendatur, non desinit esse pars illius Tractus seu Regionis, cuius antea pars erat. Vnde in Interdictò generali illius Tractus seu terræ adhuc perseuerat. *Resp.*

53 Ex quo etiam colligitur ratio, ob quam fieri possit, vt qui de nouo fit pars communitatis interdictæ ingrediendo in numerum ciuium, seu populi communitatem, censeatur interdictus non verò censeatur interdicta terra, quæ de nouo adiungitur Dominio alicuius Domini, cuius terra, seu districtum totum iam erat interdictum; quia nimirum homo ille, qui adiungitur populo, fit pars populi; terra verò, quæ de nouo subijcitur Domino non ideò fit pars alterius terræ; sed ipsa in se manet sicut antea, & Interdictum solùm afficiebat ipsamet loca singula, quæ prius erant sub domino *Ex quo colligitur.*

54 Ex qua doctrina fit contrariâ ratione, quod, si Dominus terræ interdictæ partem interdictæ terræ vendat, maneat interdicta, quia Interdictum afficiebat immediatè terram tum totam, tum partes singulas, & tota simul, & partes manent eodem modo.

55 Quæritur 8. quid dicendum sit, si quis habeat duo domicilia vnum in loco, vbi totus populus est generaliter interdictus, aliud in loco, vbi non est tale interdictum? Chald. Tract de *Interdicto*. teste Suario suprâ affirmat eum manere interdictum, fortasse; quia Interdictum est quædam prohibitio, quæ satis est vt vno titulo imponatur, vt obliget. Sufficiens autem titulus est habere domicilium ibi; Quòd verò etiam habeat alibi, non potest excusare. *Quæres 8.*

56 Syluester verò *Interdictum 2.* numero 13. oppositum absolutè docet; quia non est maior ratio, cur sentiat onus vnius communitatis potius quàm libertatem alterius, cum æquè sit pars vtriusque & alioqui potiùs sit inclinandum in partem fauorabilem.

57 At verò Suarius, quamuis Syluestro videatur magis assentire limitat doctrinam; nisi actu habitet in populo interdicto; nam pro tunc (inquit) est maior ratio cur sentiat onus illius populi, illique conformetur.

58 Mihi verò sine vllà limitatione placet Sententia Syluestri; neque existentia tunc temporis in loco interdicto videtur ratio potior, vt sentiat onus illius populi; nam in Interdictu generali populi existentia, vel non existentia in loco illius populi extra rem est; qui enim est in illo loco, si non est pars populi, non censetur *Resp.*

interdi-

interdictus; &, quamuis absit ab eo loco, eo ipso, quod populi pars est, comprehenditur, sola ergo ratio, quod sit pars communitatis interdictæ est ratio participandi Interdicto. Si ergo huic rationi obstat sufficienter, quòd simul ille homo sit pars alterius communitatis liberæ ab Interdicto, semper hoc obstabit vbicúq; habitet.

Quæres 9. 59 Quæritur 9. an interdicto populo, intelligantur interdicti, amentes, & pueri vsu rationis carentes?

Resp. 60 Respondeo negatiuè, quia ij non sunt doli, & culpæ capaces; interdictum autem non fertur, nisi in doli capaces, quamuis alioquin ipsi non deliquerint. Ita Sayrus cap. 4. numero 23. Filiucius numero 24. Auila dub. 4. conclus. 6. Syluest. verb. *Interdictum* quæstio 7. Henriquez cap. 42. num. 3. contra Vgolinum c. 2. & alios. Putant verò aliqui prædictos priuari Ecclesiasticâ sepulturâ tempore Interdicti, hoc enim est Interdictum locale, quod directè afficit locũ, ac proinde prohibet viuos ibi existentes exercere officiũ Sepult. De quo dicã dub. 4. c. 5.

Aduertendum circa Interdicta localia. 61 Circa interdicta localia aduertere oportet, quamuis dub. 2. dictum sit, Interdictâ Ciuitate, censeri interdicta suburbia, id debere intelligi, quando suburbia sunt in spiritualibus æquè subiecta eidem Superiori interdicenti; alioquin non censentur ab ipso Episcopo interdicta; sed à Iure communi, vt notauit Auila p. 5. disp. 1. dub. 3. & alij ex c. *Si Ciuitas, de sent. Excom.* in 6. quamuis non improbabiliter possit dici consequenter esse interdicta ab Episcopo, quatenus illa suburbia, & ædificia vicina, ob annexionem, quam illa loca habent cum loco principali censentur subdita Episcopo interdicenti, vt notauit Suarius citatâ sect. 2. num. 20. & Sayrus cap. 3. numero 7.

Ex quo infertur. 62 Ex quo vlterius infertur interdictâ al quã Ciuitate per Interdictum Locale generale, censeri etiam interdictas Ecclesias Religiosorum quantũuis exemptarum, constat que ex Tridentino sess. 25. de *Regularibus* cap. 12. & 22. ac ac proinde Religiosi prædicti tenentur seruare Interdictum locale generale. Ita Conin c disp. disp. 17. numero 18. & 19. Suarius, Auila Filiucius, & alij suprà. Item interdictâ ecclesiâ censentur interdictæ Capellæ, & Cœmeterium illi contigua; secùs verò, & contigua non sunt.

63 Vlterius etiamsi duæ Ecclesiæ omninò sibi contiguæ sint, modo sint verè distinctæ Ecclesiæ, & vna alteri non annexa, interdictâ vnâ non censetur alia interdicta; quia non sunt vnum corpus. Ita Henriq. sup. numero 4. Coninc suprà Reginald. lib. 32. Tract. 3. c. 25. nu. 10. Suarius suprà num. 27. Filiucius num. 12. Vgolinus c. 10. in principio num. 2. Sayrus c. 2. num. 16. Illa autem censentur contigua, quorum extrema simul sunt, seu quorum extremitates se inuicem contingunt ita, vt inter vnum, & alterum non interponatur aliquid aliud. Ideò illud cœmeterium dicetur contiguum Ecclesiæ inter quod, & parietem Ecclesiæ nihil aliud interponitur.

Quæres. 10. 64. Quæritur 10. an posito Interdicto generali in omnibus terris alicuius Principis cadat interdictum etiam in eas terras, quarum Princeps tantùm habet vsumfructum V. g. terras datas in dotem?

Resp. 65 Respondet Suarius, quando aliquis possidet plures terras in æquabilus titulis, si loquutio sit singularis, intelligetur de illâ, quæ propriissimè est suâ, id est cuius est absolutus Dominus, licèt habeat alias in Emphyteusim, vel vsumfructum, &c; si verò loquutio sit pluralis, comprehenduntur omnes iuxta vim verbi, quod adiungitur, & modum possessionis talis terræ; vt, si verba sint *terræ, aut Regna Petri*, quia hæc absolutè significant dominium, non comprehendent terras, quarum non est Dominus saltem aliquo modo, vt illæ sunt, quas possidet loco pignoris, aut, quas gubernat nomine alterius; comprehendet autem illas, quarum habet qualecumque dominium, vel etiam vsumfructum, vt quas possidet Maritus, eo quod sint vxoris, vel, quas habet in emphyteusim & quia hæc omnia solent dici alicuius in communi modo loquendi. Si verò verba interdicentis dicant omnes terras possessas, vel gubernatas à Petro, tunc comprehendentur etiam aliæ iuxta verbi exigentiam. Hæc doctrina in plerisque mihi placet: solùm videtur duriuscula circa ea, in quibus non habet dominium terræ; sed solius vsus-fructus; illud enim non est propriè dominium ipsius terræ, sed fructuum illius. Vnde ex præcisso dominio fructuũ nõ dicitur propriè loquẽdo Dominus terrę, nec e x iure fruendi, & vtendi talibus fructibus, atq; in ijs, quę pertinẽt ad vxorẽ non minus eõmuni vsu loquendi potest, & solet dicere maritus, *hoc non est meum, sed* vxoris meæ. Cùm ergo odia sint restringenda, potius videtur dicendum illas non esse terras talis; ac proinde non comprehendi Interdicto; nisi aliud ex circumstantijs constet, Et eâdem ratione Philosophandum videtur de terris, in quibus non habet Dominium directum, sed vtile, vt contingit in Emphyteusi; illius enim terræ alius est Dominus directus, & in re odiosâ, vt dicebam, strictè sunt verba interpretanda, & accipienda secundum significationem simpliciter, & absolutè talem.

Quæritur 66 Sed quid dicendum, si terra aliqua pro indiuiso sit duorum Dominorum, & alter sit innocens, alter verò dederit causam Interdicto?

67. Syluest. teste Suario suprà, putat talem terram non comprehendi illo Interdicto, ne innocens puniatur argumento c. vltimi r. q. 4.

Resp. Syluester. 68 Hoc tamen argumentum Suario non videtur efficax in materiâ Interdicti, cum sæpe in hac Censura contingat quosdam grauari propter aliorum crimen, ob aliquam coniunctionem eum illo. Ideò dubitat Suarius de veritate talis sententiæ; nam, si talis persona illam tantùm terram haberet, & Iudex illam interdiceret illo titulo, quia Petri est, dicens. *Terram Petri subijcimus Interdicto* sententia non esset inualida, neque iniusta, etiamsi essent alij Domini illius terræ pro indiuiso; quia non est inconueniens, quod alter innocens grauetur Interdicto, nec disciplina Ecclesiastica debet impediri propter consortium alterius in Domino; Ergo similiter dicendum est in præsenti casu.

Putat Suarius. 69. Nihilominus ex alio capite meritò putat Suarius defendi posse sententiam Syluestri; quia terra, quæ est multorum pro in diuiso simpliciter

pliciter non dicitur esse alicuius illorum sed omnium simul, quia nullus illorum est absolutus dominus; sed partialis, quamuis non partis determinatæ, & ideo non videtur comprehendi sub illis verbis absolutè prolatis. Quæ doctrina, & ratio mihi maximè placet; sed hæc absolutè confirmat contra Suarium id, quod nuper dicebamus de eo, qui habet terram in Emphyteusim, vel eam possidet, eiusque vsum-fructum, administrationem habet; quia est vxoris suæ; hic enim non dicitur simpliciter, & absolutè Dominus cùm careat dominio directo.

putat Suarius. 70. Sed ad nostrum vltimum casum redeũtes, meritò putat Suarius propter rationem dictã quod, si Iudex velit subijcere Interdicto terram cuius Petrus est partialis dominus cum alio id possit facere; & ideò, si interdictum specialiter versetur circa talem terram, vel ille propter cuius delictum fertur, non habeat altam, idque Iudex nõ ignoret, tum Interdictum habebit effectum in illam, quia potestas non deest, & voluntas Iudicijs iam satis explicatur.

Verissimum est quod addit Syluest. 71. Illud etiam verissimum est, quod addit Syluest. si quis post Interdictum in suis terris latum adquirat nouam terram, etiamsi Interdictum latum fuerit in omnes suas terras, illam non subijci Interdicto; quia nimirum gratiæ non extenduntur ad futura: ergo multò minus pœnæ debent ad futura extendi; & tamen terra iam subiecta Interdicto, si vendatur, manet interdicta, donec relaxetur, vt iam indicauimus, & probauimus suprà.

Hanc doctrinam reprobat Coninc. 72. Hanc verò doctrinam omninò reprobat Coninc; quia Interdictum non est onus aliquod annexum illi terræ; sed pœna ipsius domini; Hæc tamen impugnatio nullius momenti est, nã si agamus de Interdicto locali, quale est hoc in hoc differt inter alia à personali, quod immediatè afficit locum. *Sed inefficaciter.* Vnde, quamuis tale Interdictum feratur propter delictum personæ, & in pœnam illius omninò est affectio terræ, quæ Interdicto subijcitur, & donec hoc tollatur manet sub eã affectione, seu onere ad quemcũq; dominum transeat. Ita præter Suarium suprà docet Filiucius numero 11. Sayrus cap. 3. numero 25. & 26. Henriquez cap. 42. numero 2. Bonacina disp. 5. puncto 1. numero 23. cum alijs.

Quæres 11. 73. Quæritur 11. an Iudex, qui tulit Interdictum, illo comprehendatur?

Resp. 74. Respondeo, si Interdictum est personale non comprehendi; secus verò, si locale. Prima pars probatur, quia nemo habet iurisdictionem, saltem coactiuam in seipsum, sed tantùm in sibi subditos iuxta generalia principia, de quibus in Tract. de *legib.* & legi potest Suarius suprà, Filiucius suprà numero 26. aliique citati. Secunda verò pars de Interdicto locali probatur; quia quamuis liberum sit Iudici ferre, aut non ferre Interdicto etiam ipse tenetur illud seruare; *tenetur Iudex seruare Interdictum locale.* effectus enim Interdicti sunt instituti à Iure communi, in quo non potest inferior Papâ dispensare. Sic etiam agentes de excommunicatione diximus, etiam ipsum, qui excommunicauit, debere vitare excommunicatum à se suppositã excommunicatione, & denuntiatione illius, quamuis impotestate illius fuerit excommunicare, & denuntiare illum vel non. Habemus ergo, Iudicem, qui aliquem locum interdixit debere abstinere ab officijs persoluendis in eo loco, quia hic est effectus Interdici introductus â Iure communi. Ita Coninc suprà numero 25 Nauarrus suprà numero 161. Sayrus suprà cap. 3. numero 68. Auila suprà disp. 1, dub. 5. conclus. 2. Vgolinus tabulâ 5. cap. 6. §. 1. & alij Recentiores.

75. Quæritur 12. qualiter coniungantur, aut separentur inter se Interdictum locale, & personale, generale, & particulare? *Quæritur. 12.*

76. Diximus dub. 1. nunquàm esse Interdictum locale quin in eo etiam includatur personale; oportet autem hoc ampliùs explicare; sicut & alias complicationes. Possunt autem ista varijs modis inter se comparari, personalia scilicet inter se, & localia inter se; atque in primis Interdictum particulare personale ferri potest sine generali personali, & locali, vnius enim personæ Censura ex vi suâ non extenditur ad communitatem, & idem est de particulari loco respectu communis.

77. Item si formaliter & propriè loquamur, Interdictum generale potest esse sine particulari; quamuis enim, quantum attinet ad effectũ, eo ipso; quod generaliter interdicta sit communitas, aut locus generalis, censetur etiam interdicta persona particularis, & perticularis locus, quatenus sunt partes illius communitatis, aut communis loci, tamen Interdictum formaliter, & per se solùm fertur in cõmunitatem, aut locum generalem, atque hoc multum interest pro re morali; aliter enim philosophandum est in multis de personâ particulari, & loco particulari interdicto, non ex vi particularis Interdicti afficientis talem personam, aut locum, atq; de eisdem directè, & per se & primario effectis Interdicto particulari vt partim ex dictis constat, partim ex dicendis constabit. *Propriè loquendo Interdictum generale potest esse sine particulari.*

78. Quod verò attinet ad comparationem personalis, & localis Interdicti inter se, quatuor modis possunt comparari, scilicet, generale cum generali, & particulare cum particulari, vel generale locale cum particulari personali, & generale personale cum particulari locali. De quibus sygillatim decemus. *Interdictum personale & locale possunt quatuor modis comparari inter se.*

79. Primò Interdictum generale locale, per se loquendo non infert personale generale, nec è conuerso, quamuis Iudex, vel lex possint illa coniungere. Constat hoc ex c. *si sententia de sent. excommun.* Ratio verò est; quia per Interdictum locale generale solùm prohebitur nequis illic possit celebrare, vel audire Diuina, non verò extra illum locum, vt habetur in citato c. Ergo ex vi talis prohibitionis non prohibentur personæ simpliciter respectu cuiusque loci. Pari ratione è conuerso, Interdicto generaliter aliquo populo, non eo ipso censetur locus ibi simpliciter interdictus; nam aliæ personæ, quæ non sunt eius Populi, possint ibi celebrare, & audire diuina. Legatur Suarius disp. illâ 32. sect. 2. n. 22. & deinceps. *Primò.*

80. Secundò Interdictum personale particulare non trahit secum locale particulare, è cõtra verò locale rectè infert personale saltem, quoad substantiam, & effectum interdicendi per- *Secundò*

Ioan. de Dicastil. De censur. Ii 2

personam. Prima pars satis iam constat prohibitio enim personarum non necessariò infert aliquem locum esse prohibitum, quod æquè verum est de loco particulari; atque de generali. secunda verò pars; quod Interdictum particulare locale inferat personale, facile est probare si supponamus primò nullum locum generalē, vel particularem posse supponi Interdicto; nisi propter delictum alicuius personæ, omnis enim pœna supponit delictum saltem in aliquo, qui per talem pœnam puniatur. Secundò quando locus interdicitur ob alicuius delictum, qui suâ culpâ dedit causam Interdicto, talis delinquens, neque ibi, neque alibi potest interesse Diuinis. Ita Colligitur ex dicto c. *Si sententia* ibi *qui culpabiles non existunt possunt extra ipsam licitè interesse Diuinis.* Ergo culpabiles non possunt; & quamuis (vt rectè notat Suarius) sermo ibi sit de Interdicto generali, tamen cum proportione eadem est ratio de particulari, atque ita (inquit) omnes intelligunt. Ex his patet iam Interdictum particulare locale semper includere personale alicuius delinquentis dantis causam Interdicto.

Omnis pœna supponit delictum.

Interdictum particulare locale semper includit personale.

Tertiò.

81. Tertiò eâdem imò potiori ratione affirmandum est interdictum generale locale virtute semper includere personale particulare; non tamen è conuerso. Prior pars constat ex nuper dictis, nam si locale particulare necessariò infert personale, saltem particulare, à fortiori etiam generale locale infert personale, vt expressiùs colligitur ex citato Textu propter eandem rationem. Quod verò è conuerso particulare personale, non includat Interdictum generale, etiam à fortiori constat ex dictis; nam si interdictum personale etiam generale non infert Interdictū locale generale, multò minùs Interdictum personale speciale illud inferet.

Quartò.

82. Quartò ex dictis constat esse affirmandum Interdictum generale, & personale non includere virtute interdictum locale, etiam particulare, constat ex dictis in primâ comparatione; nam ex vi cuiuscumque Interdicti personalis nullus locus est per se prohibitus, quo minus possint in eo personæ non interdictæ sacra facere, & audire: ergo nullus locus particularis manet simpliciter interdictus ex vi cuiuscumq; Interdicti personalis.

Ratio prædictorum.

83. Prædicatorum omnium doctrina nititur in hoc, quod nullum loci Interdictum fundatur in defectu loci, siue generale, siue particulare; sed omne Interdictum etiam locale fundatur in delicto alicuius, vel aliquarum personarum. Hinc est, quod, quamuis personæ delinquentes possint prohiberi ab illâ participatione Diuinorum simpliciter, & absolutè nullo habito respectu ad aliquem locum generalem, aut particularem qui ex vi talis prohibitionis personalis censeatur prohibitus; nullus tamen è contra locus possit prohiberi; nisi habito respectu ad aliquam; vel aliquas personas delinquentes; in cuius vel quarum pœnam locus prohibeatur. Legatur Suarius loco citato numero 36.

DVBITATIO III.

De Causis Interdicti.

Asserendum 1. qui ordinario Iure potest excommunicare vel suspendere potest Interdicere.

84. ASsero primò qui Ordinario Iure potest excommunicare, vel suspendere potest in eodem loco contra easdem personas Interdicti sententiam ferre, si præcissè spectemus Iurisdictionem. Constat hoc ex dictis disp. 1. dub. 6. vbi generaliter tractauimus quis possit ferre Censuras? Ex quâ doctrina infertur Papam posse Interdictum ferre. Item Episcopum etiam, sine consensu Capituli, nam licèt c. *Quæ fiunt de ijs quæ fiunt à maiore.* videatur requiri, iā illi Textui derogatum est consuetudine in contrarium vt pleriq́ue Doctores testātur, & quotidie videmus.

85. Dixi *Si præcissè spectemus iurisdictionem;* nam, vt notant Doctores, non est in vsu; neq́ue expedit, vt Prælati Ordinum locale Interdictum ferant, possunt autem ferre personale; nisi fortè tales Prælati sint, qui etiam in plebem iurisdictionem habeant. Tunc enim poterunt etiam ferre locale. Legatur Suarius disp. 36. sect. 1. n. 2. Filiucius Tract. 18. c. 1. quæsito 7.

Asserendū 2.

86. Assero 2. subiectum Interdicti personalis sunt homines, in quos iurisdictionem externam spiritualem exercere potest qui fert Interdictū. Constat ex dictis loco citato de Censuris in communi, & dub. 13. eiusdem disputationis primæ ibi legatur. Hinc est Interdictum personale, aut locale ferri posse in totum orbem à summo Pontifice, vel à Concilio generali in Sede vacante: moraliter tamen loquendo non videtur posse iusta causa adesse ferendi Interdictum vniuersale totius Ordinis. Legatur Suarius suprà, & Filiucius n. 21.

87. Episcopus etiam potest in totâ suâ diœcesi. De infantibus autem, vel amentibus iam diximus non esse subiecta capacia Interdicti, quamuis durante Interdicto arceantur ab Ecclesiasticâ sepulturâ.

Asserendū 3.

88. Assero 3. causa materialis Interdicti est culpa, quia Interdictum est pœna, & hæc supponit culpam; in quo Doctores consentiunt.

An requiratur culpa mortalis.

89. Dubitari autem potest an requiratur culpa mortalis?

Resp.

90. Respondeo, & assero 4. probabiliùs esse requiri culpam mortalem, vt Interdictum totale in personam certam delinquentem, & ad considerabile tempus ferri possit iuxta doctrinam datam disp. 2. dub. 12. & disp. 4. dub. 3. quibus in locis plures Authores retulimus, & specialiter de Interdicto docet Suarius disp. 36. sect. 3. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. cap. 4. numero 4. Filiucius suprà numero 25. & alij quos etiam retuli locis notatis. Dixi *Interdictum totale, & ad tempus aliquod* considerabile; nam vt citatâ dub. 12. dixi, partiale Interdictum, videlicet ab ingressu Ecclesiæ, vel à Sacra communione ad tempus breue, cum pœna sit leuior, potest ob venialem culpam imponi, vt cum prædictis Authoribus, & alijs diximus loco notato. Dixi etiam *in personam certam*, vt intelligatur doctrina de

Dixit Interdictum totale &c.

Diximus in personam certam.

de interdicto, quod ob propriam culpam alicui imponitur, nam, si ob culpam alienam feratur, secundum omnes requiritur mortalis. Vnde vt Interdictum locale vel generale in communitatem feratur, requiritur peccatum valde graue, imò grauius, quàm ad excommunicationem, commissumque contumaciter, seu à capite communitatis, seu à pluribus, aut præcipuis illius membris, vt docent Suarius, & Layman suprà, Sotus in 4. q. 3. art 5. conclus. 3. Couarr. 2. p. §. 1. n. 4. Henriquez c. 50. num. 2. & 3. Auila disp. 3. dub. 2. æquum enim est, vt grauissima causa vrgeat ad hoc vt multi etiam Innocentes per subtractionem rerum spiritualium affligantur, licèt Sà verb. Interdictum numero 7. Henriquez, & Auila ibidem loquentes de Interdicto personali speciali, putent absolutè loquendo posse imponi pro culpa veniali sumpto argumento ab excommunicatione minori quæ est maior pœna (inquit Auila) siquidem priuet electione passiuâ ad beneficium, vt receptione omnium Sacramentorum, cùm tamen Interdictum non priuet electione passiuâ neque omnibus Sacramentis, quia non priuat Sacramento pœnitentiæ, & tamen minor excommunicatio imponitur pro veniali: ergo etiam Interdictum.

Probabilius est interdictum non posse imponi pro culpa veniali.

91. Sed probabilius videtur, quod diximus, ad quod multum conuenit communis hominum æstimatio, & vsus Ecclesiæ, quæ non consueuit pro culpâ veniali Interdictum ferre, maximè, cùm hoc priuet auditione Diuinorum officiorum, & Ecclesiasticâ sepulturâ, quibus non priuat minor excommunicatio, quarum rerum vsus frequentior est, & magis notabilis, earumque priuatio magis, vt sic dicã, ignominiosa quotus enim quisque est, qui non erubescat videre se interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ita vt non possit interesse officijs Diuinis? & quod de illo sciatur non posse habere Ecclesiasticam sepulturam?

Pro debito pecuniario Interdictum locale generale non potest poni.

92. Quamuis autem requiratur culpa mortalis externa, & grauior ad ferendum Interdictum; non tamen omnis talis sufficit; nam pro debito pecuniario Interdictum locale generale non potest poni, vt habetur Extrauag. *proinde de sententiâ excommunicationis*, in quâ cauetur, ne *speciali, & expressâ licentiâ villa Papa Prouintia, Ciuitas, Castrum, Villa, locus, Territorium Interdicto supponatur*, & licet ibi solùm videatur Textus loqui de Interdicto locali generali, & in hunc sensum illum intelligit Gloss. ibidem, & Panormit. c. *Cum in partibus de verbor. signif.* Nauarrus c. 27. numero 168. Suarius disp. illa 36. numero 8. nulli tamen, vt Couarr. p. 2. §. 1. n. 5. disp. illâ 3. dub. 3. & alij Recentiores satis probabiliter, id intelligunt etiam de Interdicto locali speciali. Imò idem Auila ob rationis similitudinem etiam ad interdictum personale generale extendit, ita; vt neque hoc possit poni propter debitum pecuniarium. Et quidem pro Interdicto speciali locali videtur etiam facere Sotus citato art 1. post 3 conclus. dùm sine vllâ restitutione negat debere interdici locum propter debitum pecuniarium locus autem æquè significat generalem, & specialem. Eandem sententiam expressè docet Ledesma difficult. 3 de *Interdicto* conclus. 2. dùm ait, Nullus locu interdicendus est pro debito pecuniario; Testatúrque ipse Auila idem sentire aliquos Magistros, & sane rectè expendit verba Extrauagantis; nã illæ voces *Ciuitas, Villa, locus, territorium* &c. æquè congruunt loco, & territorio speciali & generali. Rectè autem monet Auila cum Sylvestro verb. Interdictum 3. q. 5. standum in hoc esse consuetudini, si fortè alicubi contraria sit introducta.

93. Quòd autem interdictum personale generale non possit poni propter debitum pecuniarium, videntur etiam significare Sotus, & Ledesma citati, dum docent neque locum nec populum posse generaliter interdici propter debitum pecuniarium. Item Angelus verbo Interdictum 3. numero 3. Tabiena eodem verb. numero 1. idem significant dum aiunt non posse aliquem interdici pro debito pecuniario. Henriquez quoq; suprà numero 3. idem significat, dùm solùm dicit, quod pro debito pecuniario Interdictũ speciale personale possit poni. Ratio autem nostra est; quia (vt rectè Auila) Interdictum personale generale æquè graue imò grauius videtur, quàm Interdictum locale: ergo in eâ extrauaganti prohibendo vnum, censetur prohibitum aliud.

Interdictum personale speciale potest poni propter debitũ pecuniariũ.

94. De interdicto verò personali speciali rectè docent Auila, & Henriq. posse poni auctoritate ordinariâ propter debitum pecuniarium, & quidem meritò quia non est eadem ratio de hoc, & de locali speciali; nam speciale locale extendit se ad omnes personas in illo loco; speciale verò personale se non petit, nec tangit, nisi personam specialem, in quam fertur, & quæ deliquit.

Assertio 5.

95. Assero 5. Causa finalis Interdicti, sicut & cuiusuis alterius Censuræ propriè dictæ, est resipientia, & emendatio delinquentis. vt patet ex dictis in præcedentibus maximè disp. 1. dub. 2. & 3. vbi, & sæpe alibi diximus in hoc differre Censuras propriè dictas à puris pœnis, quod respiciant correctionem in futurum, & statim tollendæ sint ablatâ contumaciâ. Legatur Suarius suprà sect. 3. Filiucius suprà q. 10. n. 27. & sequentibus.

96. De causâ verò formali, seu formâ seruandâ in ferendo Interdicto non est aliquid peculiare notandum præter ea, quæ diximus disp. 2. dub. 17. & alijs tribus sequentibus ibi legatur.

DVBITATIO IV.

De effectibus Interdicti.

Tres sunt effectus Interdicti totalis siue localis siue personalis.

97. Tres sunt generaliter loquendo effectus Interdicti siue localis, siue personalis, si totale sit; primò vsus actiuus, & passiuus Sacramentorum prohibetur. Secundò celebratio, & auditio Diuinorum officiorum. Tertiò priuat Ecclesiasticâ sepulturâ; de quibus sigillatim dicemus, & de his agitur expressè in c. *Alma mater* c. *Si Ciuitas de sentent. excommunic.* in 6. c. *Quod in te de Pœnit. & remiss.* Iam verò suprà diximus posse esse Interdictum partiale, quod non hæc omnia necessariò contineat; est enim in

in potestate ferentis illud interdicere. v. g. à munere Sacerdotali, quamuis non à Sepultura, & interdicere ab officio prædicandi, quamuis non interdicat à Sacramentis ministrandis, aut recipiendis. Ideò attendenda sunt verba ferentis Interdictum; neque enim Censura extendenda est vltra significationem verborum ferentis illam; & cùm sola excommunicatio habeat determinatos effectus, qui non possit restringi, aut decurtari à Prælato inferiore Papâ, etiamsi verbum Suspensionis, aut Interdicti proferatur, potest per alia verba, quoad effectus restringi, vt si addatur *ab ingressu Ecclesiæ* vel *à celebratione Diuinorum* &c. tunc enim solâ illâ designatione particularis effectus censetur restricta generalitas vocis. Quando autem ponitur Interdictum sine limitatione intelligitur, quoad omnes tres effectus.

Aduertendum 1. 98. Illud autem est aduertendum, quod quando in restrictione, & limitatione Interdicti prohibetur aliqua actio, similiter censetur prohibita omnis alia, quæ in eâ includitur, & quæ sine illâ non potest fieri; propterea diligenter attendenda sunt verba Interdicti, vt eius vis dignoscatur. Legatur Henriquez c. 43. n. 1. & 6. Auila disp. 4.

Aduertendum 2. 99. Aduertèdum vlterius aliter esse philosophandum de effectibus Interdicti, qui modò incurruntur post Bonifacium 8. Martinum V. & Eugenium IV. atque ante illos Pontifices; tunc enim plures erant effectus, quàm nunc sunt; quos enumerare omitto quia iam nunc non sunt necessarij. Legat, qui volet Auilam 5. p. disp. 4 vers. *Quarto supponendum est.* Nunc ad tres prædictos effectus sigillatim explicandos descendamus, quos placet varijs capitibus explicare.

CAPVT. I.

De priuatione Baptismi, & Confirmationis.

Interdictum non potest causare directè priuationem passiuam Baptismi. 100. PRiuationem passiuam Baptismi non potest Interdictum causare directè, & per se, præcipiendo scilicet, vt quis abstineat à susceptione Baptismi; nam, cùm Baptizandus nondùm sit Baptizatus non potest præcepto Ecclesiæ obligari ad abstinendum, vt ex se patet, præcepta enim Ecclesiæ solùm per se obligant eos, qui sunt intra Ecclesiam. Solùm ergo de administratione quærimus.

Asserendū 1. 101. Asserendum 1. tempore localis Interdicti tàm generalis, quàm particularis quibuscumque paruulis & adultis potest in Ecclesiâ Interdictâ ministrari Baptismus c. *Responso de sentent. excommunic.* c. *Quoniam*, eodem tit. in 6. possunt etiam præmitti illa, quæ sunt de solemnitate Baptismi, vel dispensiones ad ipsum. Vnde licèt fontis benedictio, exorcismus, vnctio oleo, & Chrismate, & similia; nam eo ipso, quod concedat Ius facultatem hæc Sacramenta ministrandi, censetur id concedere iuxta ritum ab Ecclesiâ præscriptum. Ita Suarius disp. 33. sect. 1. Vgolinus Tabul. 5. c. 7. §. 4. Henriq. c. 45. numero 1. Nauarrus cap. 27. n. 178. Auila disp. 4. dub. 4. Syluest. verbo *Interdictum* 5. q. 1. Filiucius Tract. 18. cap. numero 31. Sayrus cap. 7. numero 3. Coninc. disp. 17. dub. 2. numero 40. Reginaldus lib. 32. Tract. 3 c. 27. numero 24. Huiusmodi autem solemnitates debent fieri cum eâ moderatione, quam præscribit c. *Alma mater de sent. excommunic.* in 6. & cum eâdem moderatione id est ianuis clausis, non pulsatis Campanis exclusis, excommunicatis, & interdictis, put ait Syluest. & Toletus licitum esse in Ecclesiâ interdicta in die Cœnæ Domini Chrisma conficere nimirum propter indicatam rationem quod quando aliquid conceditur, eo ipso censetur concedi omne id, sine quo concessum non potest exequutioni mandari. Ideò censetur concessa facultas conficiendi Chrisma, quod ex præscripto Ecclesiæ in Sacramentorum administratione adhibetur.

102. Ex dictis constat non teneri Parochum interdictâ suâ Ecclesiâ Parochiali, adire aliam Ecclesiam non interdictum, vel vicinam aliam Parrochiam, vt vbi Baptismum ministret: nam quoad hunc effectum, propria Parochia non est Interdicta. Ita Syluest. verbo *Interdicto* 5. quæsito 7. numero 9. Suarius disp. 32. sect. 1. Sayrus cap. 7. numero 4. Henriquez cap. 45. numero 3. Filiucius numero 32. Coninc numero 4. & alij communiter. *Ex dictis constat.*

103. Assero 2. Sacramentum Confirmationis etiam potest solemniter ministrari, atque in eum finem Sacrum Chrisma in die Cœnæ consecrari. Hoc vltimum constat ex dictis proximè de Baptismo, imò à fortiori, cum Sacrum Chrisma sit de necessitate Confirmationis. Legatur Suarius loco citato, vbi etiam rectè ostendit neque laicos nedum Clericos, prohiberi interesse administrationi prædictorum Sacramentorum. Quæ assertio ex sequenti ampliùs confirmabitur. *Asserendū 2.*

104. Assero 3. Interdictus personaliter Interdicto personali generali potest recipere Sacramentum Confirmationis colligiturque ex c. *Quanto* & ex c. *Alma de sent. excommunic.* citatis. Ita Suarius suprà num. 9. Probatur, quia hoc Sacramentum pertinet ad quoddam complementum Baptismi; illi tamen, qui dedit causam Interdicto, & qui est speciali, & personali Interdicto Ligatus, non potest ad hoc Sacramentum admitti; nisi prius condignam præstitit satisfactionem ab Ecclesiâ præscriptam; hic enim, cùm sit reus culpæ, & contumaciæ, non est dignè dispositus, vt Sacramentum recipiat, &, sicut non potest beneficium Sacramenti absolutionis obtinere; nisi præmittat eam satisfactionem, ita non debet ad Sacramentum Confirmationis admitti; nec admittit Ecclesia ad cætera Sacramenta illos, quos ad Pænitentiæ Sacramentum non admittit. *Asserendū 3.*

105. Assero 4. licitè potest administrare Baptismum, etiam solemniter persona interdicta Interdicto personali generali. Ratio est; quia Interdictum personale generale non debet habere plures effectus circa personam interdictã, quàm habeat locale generale circa locum; sed locale hoc non prohibet: ergo nec personale, Ita Authores paulò post citandi. *Asserendū 4.*

106 Assero 5. Persona specialiter interdicta *Asserendū 5.*
non

Perſonam ſpecialiter interdictam non poſſe extra neceſſitatem miniſtrare Sacramentum Baptiſmi.

non poteſt extra neceſſitatem miniſtrare Sacramentum Baptiſmi; in neceſſiate verò licitum eſt illi priuatim miniſtrare. Ratio prioris partis eſt; quia perſona ſpecialiter interdicta afficitur eâ Cenſurâ ob propriam culpam, ratione cuius incurrit impedimentum. In neceſsitate verò ſufficienter occurritur neceſsitati priuatim adminiſtrando. Quæ doctrina congruit cum ijs quæ diximus, de *Sacramentis in genere.* Tract. 1. diſp. 3. dub. 10. Ita Filiucius numero 33. Reginald. numero 24. Sayrus cap. 7. numero 6. Suarius diſp. 33. ſect. 1 numero 6. & alij Recentiores.

107 Quod dictum eſt de ſpecialiter interdicto perſonaliter, dicendum eſt etiam de eo, qui dedit cauſam Interdicto generali tàm locali, quàm perſonali; talis enim iuxta doctrinam ſuprà traditam cenſetur ſpecialiter interdictus.

Aduertit Suarius.

108 Illud etiam aduertit Suarius numero 2. quando Baptiſmus adminiſtratur tempore Interdicti localis generalis, poſſe quidem cum ſolitâ ſolemnitate adminiſtrari; eam tamen ſolemnitatem, quatenus ſpectat ad diuinum officium faciendam eſſe cum eâ moderatione, & circumſtantijs, cum quibus iuxta caput *Alma mater* celebrari debent Diuina officia; quâ de re in ſequentibus dicemus.

Aſſerendū 6

109 Aſſero 6. perſonaliter interdictus Interdicto generali perſonali, qui non dedit cauſam Interdicto poteſt miniſtrare Sacramentum Confirmationis, ſicut dictum eſt de Sacramento Baptiſmi: militat enim eadem vtrobique ratio, Ius enim idem ſtatuit de vtroque Sacramento, & illorum vſu actiuo, & paſſiuo, c. *Reſponſo* & c. *quoniam de ſent. excom.* ſpecialiter verò interdictus, &, qui cauſam dedit Interdicto, non poteſt adminiſtrare Sacramentum Confirmationis; nam huiuſmodi interdictus perſeuerans adhuc in contumaciâ non poterit licitè recipere: ergo nec miniſtrare Accedit quòd ſic habetur, c. ſi *Clerici*. c. *ſi ſententia* alijsq; in locis. Legatur Suarius citatâ ſect. 1. num. 12. Filiucius num. 35. & alij citati.

CAPT II.

De priuatione Euchariſtiæ.

Aſſerendum 1.

110 ASſero 1. Licitum eſt miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ tempore Interdicti Localis morituris, per modum viatici cum ſolitâ ſolemnitate. Quod poſſit miniſtrari probatur, tùm ex illâ regulâ Canonicâ. *Quibus morientibus Pœnitentia Sacramentum non negatur, nec viaticum negari debet.* Habetur etiam, c. *permittens de ſent. excom. c. Alma mater.* & c. *Quod in te. de Pœnit. & remiſſ.*

111 Per ſolitam autem ſolemnitatem intelligo cum tympanulo candelis accenſis, cum adſtantibus, & recitando priuatas orationes. Hymnos aliquos, aut Pſalmos, quibus excitatur populi deuotio, vt comitetur Euchariſtiam, & ad illam venerandam. Non verò licet Horas Canonicas, aliudve officium diuinum recitare iuxta dicenda in ſecundo effectu Interdicti. Item in regreſſu ab infirmo ad templum poſſunt concedi Indulgentiæ, cùm earum conceſſio non ſit officium Diuinum; ſed actus quidam externæ iuriſdictionis. Ita Suarius citatâ ſect. 1. n. 28. Henriquez c. 45. numero 2. Vgolinus Tabul. 5. cap. 7. §. 5. Sayrus 7. numero 26. Coninc num. 43. Filiucius n. 40.

112 Imò poteſt miniſtrare Euchariſtiam coram interdicto; tunc enim non miniſtratur perſonæ interdictæ, neque in loco interdicto; ſed in præſentia perſonæ interdictæ, quod nullo Iure prohibitum eſt. Ita ex Armillâ, Bonacina diſp. 3. puncto 3. §. 1.

113 Ex dictis infert Suarius, numero 29. quoties poteſt impendi abſolutio à ſimplici Sacerdote in periculo mortis, toties poſſe adminiſtrari Euchariſtiam. Quale autem, & quando cenſeatur mortis periculum? ſatis diximus agentes de *Pœnitentiâ.* Tract. 8. diſp. 10. dub. 16. & locis ibi notatis, & an mulier pariens, & qui ſuſcipit nauigationem periculoſam, cenſeantur eſſe in periculo mortis ibidem quoque diximus, & legi poſſunt Henriquez cap. 45. numero 2. Vgolinus tabula 5. cap. 7. §. 6. Suarius, & Filiucius ſuprà Bonacina ſuprà, & alij. Habemus ergo ex dictis ſolùm per modum viatici poſſe verſantibus in periculo mortis adminiſtrari; niſi quis alioquin habeat priuilegium; Illud autem communiter habent Religioſi, & moniales, vt notat Suarius num. 33. imò Sa verbo *Interdictum* num. 17. ex opinione aliquorum etiam ad Clericos huiuſmodi priuilegium extendit. Sed hoc vt infrà dicam, non eſt certum. *Ex dictis infert Suarius.*

114 Ex dictis etiam habemus quòd, cùm non minus Sacramentorum adminiſtratio, quâ Diuinorum officiorum celebratio prohibita ſit interdictis, præter caſus Iure exceptos c. *Si ſententiâ. de Sent. excom.* in 6. nullibi autem excipiatur, vt Parochus perſonaliter interdictus Sacramenta miniſtret extra neceſſitatem, non poterit hic ſpeciali Interdicto perſonali, vel Interdicto locali, aut perſonali generali, cui cauſam præbuit affectus, Sacrum viaticum, & alia Sacramenta per ſe miniſtrare. ſi poſſit alius Sacerdos ſpecialiter non interdictus haberi, cui vices ſuas deleget; tunc enim non eſt caſus neceſſitatis; extra quem nihil poteſt, vt dicemus ſequenti aſſertione. *Ex dictis habetur.*

115 Item habemus tempore Interdicti localis extrà prædictum articulum, ſeu periculum, & citra priuilegium, non licere recipere Euchariſtiam in loco interdicto; licere tamen extra illum, dummodò non dederit recipiens cauſam culpabilem Interdicto, vel non ſit perſonaliter interdictus interdicto ſpeciali, vel generali. Ita Suarius ſuprà num. 32.

116 Quæret aliquis an Clericus extra tale periculum, & ſanus poſſit more Laicorum tempore Interdicti communicare? ſuppoſito, quod poſſit celebrare? *Quæres.*

117 Communis Doctorum ſententia negat de quâ teſtantur Bonacina ſuprà, & docet Vgolinus c. 7. §. 6. numero 5. Henriquez cap. 45. num. 2. Sayrus ſuprà num. 21. Nauarrus n. 169. Auila ſuprà dub. 5. concluſ. 3. Couarrub. ſuprà, & alij multi apud citatos, & citandos. Probant, quia non eſt recedendum à Iure antiquo niſi *Communis ſententia negat.*

quatenus decernitur in nouo; sed in antiquo solùm concedebatur in periculo mortis, & in nouo tantùm conceditur Clericis, vt possint celebrare: ergo extra periculum mortis non possunt more Laicorum Eucharistiam suscipere.

Sententia affirmans probabilis est & Authori magis placet. 118 Probabile nihilominus est posse Ita Syluest. verb. *Interdictum* 5. q. 7. Suarius suprà, numero 35. Filiucius numero 42. Angelus & alij apud citatos. Quæ sententia mihi magis placet. Ratio est, quia, cui conceditur, quod magis est, conceditur quod est, minus, quando sunt eiusdem generis, aut vnum includit aliud. Sed Sacerdoti conceditur posse celebrare, & in celebratione conceditur, quòd communicet: ergo concessâ celebratione censetur concessa facultas communicandi, imò etiam pro ministris Clericis qui cùm ipso ministrant in altari videtur eo ipso quòd ministret in Sacrificio posse cum illo participare, quia id est magis conforme vsui Ecclesiæ.

Asserendũ 2. 119. Assero 2. Sacerdos, qui secluso Interdicto habet Ius ministrandi Sacramentum Eucharistiæ, potest illud ministrare tempore Interdicti in articulo mortis, si non dedit causam Interdicto neque sit ligatus speciali Interdicto. Ratio est; quia sicut existenti in periculo mortis licèt recipere Eucharistiam; ita licitum est Sacerdoti non habenti aliud impedimentum illam ministrare; Ligatus verò speciali, & personali Interdicto, , aut qui dedit causam Interdicto, arcetur ab hoc ministerio, si tamen daretur casus, quo non possit absolui, posset ratione necessitatis administrare Eucharistiam dummodò non adesset alius Sacerdos non interdictus specialiter, qui hoc Sacramentum posset administrare. Præsente verò Parocho specialiter interdicto, & Capellano, vel Sacerdote non interdicto, debet Parochus illis cedere, vt suprà indicabam, & docet Suarius num. 26. Coninc disp. illâ 17. num. 45. & constat ex ijs, quæ diximus de *Pœnitentiâ* disp. illâ 10. dub. 14. & locis ibi notatis, agentes de Pœnitentiæ ministro.

120 Vtrum autem Parochus tunc possit committere hoc officium Diacono, cùm Diaconus possit etiam administrare hoc Sacramentum iuxta dicta de Eucharistiâ Tract. 4. disp. 11. dub. 5. non est ita certum Suarius suprà putat non posse hoc officium Diacono committi; quia non est ferè in vsu Ecclesiæ, quòd Eucharistia administretur per Diaconum; nihilominus non videtur mihi improbabile, quòd in casu possit Diacono committi iuxta doctrinam quam tradidimus eâdem ipsâ dub. 5. disp. 11. de Eucharistiâ, vbi cum eodem Suario tomo 3. in 3. p. disp. 72. sect. 1. assert. 3. & Rodriguez in Quæstionibus Regularibus tomo 1. q. 56. art. 8. diximus necessitatem, in quâ potest Sacerdos committere Diacono administrationem Eucharistiæ non debere esse extremam; sed moralem. Vnde, si aliqua debilitas, vel infirmitas Sacerdotis sufficit, vt possit Diacono committere eam administrationem, non videtur insufficiens causa, quòd Sacerdos de præsenti sit impeditus propter Interdictum, à quo non possit prius liberari, quàm ministret.

Asserendũ 3. 121 Assero 3. Personaliter interdictus Interdicto generali potest Eucharistiam recipere per modum Viatici, modo non dederit causam Interdicto, quia, cùm non peccauerit, non censetur constitutus in statu, quo non possit hoc Sacramentum recipere absque vllâ satisfactione, quam ex nullo capite debet, perinde atque dictum est de Interdicto generali locali, assert. 1. Quod si dederit causam Interdicto culpabilem, censetur specialiter interdictus, & non poterit recipere; nisi prius præstitâ debitâ satisfactione, si possit. Si verò non possit, exigenda est cautio iuxta regulas datas pro excommunicatione, aut suspensione, & impẽdenda est absolutio. Quæ omnia patent ex c. *Alma mater*, talis autem absolutio potest in articulo mortis à quolibet Sacerdote impendi iuxta dicta de *Pœnit.* Tract. 8. disp. 10. dub. 13. 14. vsque ad 19. vbi etiam diximus de cautionibus præstandis. Legantur quæ ibi diximus, & locis ibidem notatis. Ita Suarius disp. 33. sect. 1. num. 24. Coninc disp. 17. dub. 2. numero 41. Filiucius nu. 39. & alij communiter. Secluso autem mortis articulo, nemo poterit in Interdicto generali, vel speciali personali Eucharistiam recipere. c. *Si sententia, de sent. excom.* vt dictum est. Legatur Suarius suprà num. 32. Filiucius, num. 41. & alij citati.

122 Assero 4. Nemo tenetur in Paschate ad præceptum annuæ communionis implendũ recipere Sacramentum Eucharistiæ tempore Interdicti localis generalis iuxta multorum sententiã; probabile autem est teneri, & posse implere. Sunt itaque duæ sententiæ oppositæ, & probabiles. Prima est Suarij suprà, num. 37. Coninc disp. 17. numero 36. Filiucij. num. 42. aliorumque Recentiorum, qui affirmant, talem esse obligationem quia Pascha est, vnus dies, in quo conceditur Diuinis interesse, non obstante Interdicto; in his autem diebus, in quibus permissum est, Diuinis interesse, videtur etiam permissum suscipere Eucharistiam. Ablatâ ergo prohibitione Interdicti pro illo die cùm ex alio capite instet præceptum communicandi; quod obligat cessante Legitimo implendum erit. Quæ sententia probabilis est. *Asserendum 4.* *In Paschate conceditur diuinis interesse nõ obstante Interdicto.*

123 Communi tamen sententia est non esse obligationem implendi tunc præceptum; quia non licèt tunc communicare. Ita Syluest. verbo *Interdictum* 5. numero 3. Quæsito 2. Couatrub. c. *Alma mater* p. 2. §. 5. num. 5. Sayrus cap. 7. n. numero 25. Vgolinus Tabula 5. cap. 8. §. 1. Auila citato dub. 5. & alij multi. Probant; quia Interdictum prohibet susceptionem Eucharistiæ extra articulum mortis c. *Si sententia de sent. excom.* Sicut ergo posito Interdicto cessat obligatio audiendi Missam in die festo secluso speciali priuilegio, quo quis possit Missã audire: ita cessabit obligatio communic. secluso, priuilegio vel facultate communicandi. Quod autẽ illâ die Paschatis concessum sit audire officia Diuina, non probat esse concessam facultatem communicandi; quia Eucharistia non venit intelligenda nomine officiorum, quæ permittuntur tempore Interdicti; ac proinde quod Iure dispositum est in vno, non censetur dispositum in alio; diuersorum enim, & separatorum Diuersa ratio est, & natura, argumento legis, fin. ff. de *Calumnijs.* *Cõmunior sententia.*

Calumnijs & de separatis, ac diuersis non fit illicito argumento legis *Papinianus exuli ff. de minoribus.* Vnde non pauci Doctores putant non licere tempore Interdicti localis generalis in die Sabbati Sancti Ordines recipere, quia ordinatio non comprehenditur nomine Diuinorum officiorum, quæ licent in solemnitate Paschali, atque hæc videtur probabilior sententia quamuis alia probabilis sit & tuta in praxi, maximè propter generalem, quamdam regulam, nempe, si cui Sacrificio assistere, vel inseruire absolutè permittitur, etiam de eo participare, seu communicare permissum censetur.

124. Tempore autem Interdicti specialis localis omninò certum video non posse Eucharistiam in Paschate in loco interdicto recipi.

CAP. III.

De Priuatione reliquorum Sacramentorum.

Asserendum 1. 125. ASsero 1. non est prohibitum Iure nouo (quidquid fuerit antiquo) ministrare, & recipere Sacramentum Pænitentiæ propter quàm ijs, qui propter propriam culpam dolum, aut fraudem sub Interdicto sunt, vel, qui ad perpetrandum delictum concilium, vel auxilium præbuerunt; hi enim absolui non possunt; nisi vel delicto satisfecerint, vel debitam cautionem iuxta regulas locis suprà notatis datas præstiterint, vt habetur in c. *Alma mater* de *sentent. excommunic.* in 6. Ita Suarius disp. 33. sect. 1. 5. de *Sacramento Pœnitentiæ,* Vgolinus suprà §. 6. Henriquez suprà. Sayrus numero 8. Coninc dub. 2. numero 42. Filiucius numero 36. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 2. & alij communiter.

126. Quod verò attinet ad ministrum, quilibet Sacerdos alioquin legitimus pro tali Sacramento, si Interdicto locali non dedit causam culpabilem, potest tempore Interdicti localis in loco interdicto administrare Sacramentum Pœnitentiæ id enim non est prohibitum. Idem quoque iudicium est de confessario ligato Interdicto personali generali, qui non dedit causam Interdicto. Qui verò specialiter interdictus est non potest ministrare excepto casu necessitatis iuxta ea, quæ in simili diximus de *Baptismo* cap. 1. Ita Suarius suprà numero 20. Coninc numero 46. & alij. Monet etiam Suarius debere Confessarium denuntiatum interdictum abstinere ab administratione huius Sacramenti; quia dubitatur an absolutio ab illo data valida sit, eo quòd Interdictum rebus Diuinis priuet, quantum potest. Idem videtur sentire Filiucius n. 42.

127. Alij verò putant peccare quidem propter rationem dictam, validam tamen esse absolutionem quantum est ex parte ipsius, quia Interdictum non priuat ordine, vel iurisdictione. Ita Bonacina disp, 3. puncto 3. §. 3. numero 2. quod probabile est; addit tamen idem habere locum in Irregularitate, sed de hoc dicemus disp. 7. dub. 6. maximè §. *Pari ratione.*

128. Assero 2. Non potest administrari Sacramentum Ordinis homini personaliter interdicto, aut tempore Interdicti localis; est enim generalis regula in c. *Si sententia* de *sentent. excommunic.* in 6. Interdicto non esse licitum Sacramenta percipere; nisi in casibus Iure exceptis; non excipitur autem Sacramentum Ordinis: ergo Interdictum censeri debet. Est communis sententia quæ etiam colligi potest ex cap. *Non est verbis* de *Sponsalib.* & c. *Responso* de *sent. Excommunic.* Ita Suarius disp. 33. sect. 1. n. 45. Syluest. verbo *Interdictum* 5. q. 7. Couarr. cap. *Alma.* p. 2. §. 3. numero 4. Filiucius suprà n. 47. Auila, Henriquez, Layman locis citatis, & alij apud ipsos. In casu tamen necessitatis, penuriaque ministrorum retinenda est doctrina Innocentij, quod sacri Ordines conferri possint præsertim ijs, qui ante adscripti sunt in Clerum alioquin contraria sententia communis est. *Asserendum 2.*

Licet autem in necessitate Ordines conferre, etiam in loco interdicto, si non esset alius non interdictus, in quo possent Ordines commodè conferri; nam eo ipso quo aliquid conceditur, censetur etiam concessum id, sine quo illud non potest obtineri. Sed ius concedit tempore Interdicti officia Diuina seruatis debitis quibusdam circumstantijs; Item concedit aliqua Sacramenta: ergo censetur etiam concedere eorum ministrorum ordinationem, qui ad prædicta exercenda sunt necessarij. Ita Auila. p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 8. Angelus verb. *Interdictum* 6. numero 8. Layman, & Bonacina suprà, & probabile putat Henriquez suprà cap. 45. numero 4. & alij, quidquid reclamet Couarr. suprà, & aliqui alij. *Licitum est in necessitate ordines conferre etiā in loco interdicto.*

129. Qui verò non est personaliter interdictus, potest in loco non interdicto Ordines recipere. Vnde, si tantùm populus sit interdictus, atque adeò non Clerus iuxta supra dicta. possunt Clerici initiari etiam in eodem loco. Addit Bonacina tempore Interdicti localis posse Clericos, aut etiam laicos alibi Ordines suscipere, dummodò causam Interdicto non dederint, quia Interdictum locale ligat tantummodò per ordinem ad locum interdictum; nisi fortè quis dederit causam culpabilem Interdicto, hic enim iuxta dicta censetur specialiter interdictus. Verum ego non video casum in quo etiam laici possint ordinari; nemo enim laicus ordinatur, quicumque enim ordinatur priùs debet habere tonsuram, per quam fit Clericus. De primâ autem tonsura, non video prohibitionem virtute Interdicti; neque enim est collatio Sacramenti; illâ autem semel collatâ, iam, qui ordinatur, Clericus est: ergo nunquàm erit locus admittendi loicos ad Ordines. An verò quatenus Officium Diuinum comprehendatur in secundò effectu Interdicti; dicemus cap. 4. *Non interdictus personaliter potest in loco non interdicto ordines recipere.*

130. Assero 3. personaliter interdictus, aut tempore Interdicti localis, generalis, vel particularis, non potest recipere Sacramentum extremæ vnctionis; nisi speciali priuilegio sit alicui concessum. Ita habetur c. *Quod in te* de *Pœnit. & remiss.* quam prohibitionem intelligunt Authores de Clericis, & Religiosis. Ita Nauarrus num. 179. Suarius suprà, Sayrus lib. 5. c. 7. num. 29. Vgolin. Tabul. 5. c. 8. §. 11. Henriquez *Asserendum 3.*

riquez cap. 45. numero 4. Auila dub. 7. Filiucius Tract 18. c. 2. q. 7. Syluest. suprà, & alij communiter contra Paludanū in 4. dist. 18. q. 8. art 2. conclus 5. Probabile autem est id, quod probabile etiam putat Layman suprà referēs Ioannem Chapeauillæ in casu necessitatis, si infirmus aliud Sacramentum suscipere non possit; licitum esse extremam vnctionem ei ministrare, quia Ecclesia non intendit negare Sacramenta, quatenus ad salutem sunt necessaria, ideoque etiam in præcepto sunt. Sanè supposito quòd sit valde probabile id, quod cum multis diximus agentes de extremâ Vnctione. Tract 7. disp. vnicâ dub. 6. Extremam scilicet vnctionem non tantùm remittere venialia; sed mortalia quoad culpam, non video cur propter Interdictum debeat aut possit negari ei, qui alioquin capax est, & non potest aliud Sacramentum suscipere, Quare non solùm probabilem, sed omninò veram puto hanc sententiam.

Ex dictis infertur. 1. 131. Ex dictis infertur tempore Interdicti localis extra casum prædictæ necessitatis non posse Sacramentum Extremæ Vnctionis ministrari in loco interdicto vlli personæ, etiam non interdictæ, quamuis sit Clericus. In quo citati Authores consentiunt.

Infertur 2. 132. Infertur secundò interdictum personaliter non posse, etiam in loco non interdicto, recipere Extremam vnctionem, vt notat Suarius numero 43. nam Interdictum personale personam efficit, atque adeò in illa suum effectum causat vbicumque sit. Est autem effectus Interdicti priuatio Extremæ Vnctionis.

Infertur 3. 133. Infertur tertiò, nec posse tempore Interdicti hoc Sacramentum ministrari in illis festiuitatibus, in quibus ex concessione Iuris licitum est audire officia Diuina; nam illa concessio trahi non debet ad diuersa, & disparata; Extremæ autem Vnctionis ministratio nō est officium Diuinum. Ita Vgolinus suprà; Sayrus n. 23. Filiucius numero 48. Suarius numero 43. & alij citati.

Asserendum 4. 134. Assero 4. seclusâ consuetudine in contrarium non possunt personæ interdictæ, aut tempore Interdicti localis Matrimonium contrahere. Ita Suarius suprà numero 51. Reginald. lib. 32. Tract. 3. numero 28. Bonacina suprà aliique nonnulli, quia in Interdicto non licet recipere Sacramenta; nisi in casibus aut Sacramentis Iure exceptis, non excipitur autem Matrimonium. Confirmant aliqui, nam excommunicatio minor facit illicitam celebrationem matrimonij: ergo potiori ratione Interdictum; valebit quidem Matrimonium, si id fiat illicitè tamen fiet.

Probabilis est opposita sententia, & in praxi tuta. 135. Probabilis nihilominus est opposita sententia satis communis, & in praxi tuta, quam sequitur Abbas in c. *Non est* de *sponsalibus* n. 8. Syluest. verbo *Interdictum* 5. numero 9. Nauarrus cap. 27. numero 79. Henriquez lib. 13, cap. 45. numero 3. Auila p. 5. disp. 4. Coninc. disp. 17. dub. 2. numero 48. Sanchez de *Matrimonio* lib 7. disp. 8. Sayrus suprà cap. 3. Toletus cap. 13. Henriquez c. 45. num. 3. Auila, Vgolinus, & alij suprà, qui probant quia per Interdictum, aut cessationem à Diuinis solùm prohibetur participatio Sacramentorum, quæ sunt ex Ecclesiæ dispensatione, seu ministratione; tale autem non est Matrimonij Sacramentum; eius enim ministri sunt ipsi contrahentes. Accedit, quòd cùm Matrimonium in substantiâ suâ sit contractus quidam naturalis, & humano generi necessarius, non videtur eius vsus conuenienter prohiberi alicui communitati, vt per se patet.

136. Imò ex hoc inferunt citati Doctores etiam Interdicto specialiter non prohiberi contrahere Matrimonium, quia si in Interdicto, & prohibitione, quam secum affert Sacramentorum, non continetur Matrimonium non censebitur præcisè personaliter interdictus ex vi Interdicti arceri à Matrimonio, nisi fortè ex alio capite quatenus scilicet, qui specialiter interdictus est, est alioquin contumax, atque adeò grauiter peccat, existens autem in peccato non potest licitè Matrimonium contrahere. Itaque hæc opinio mihi probabilis apparet, quamuis, illa prior videatur magis conformis verbis Iuris generaliter loquentis, non negauerim tamen pro secundâ opinione responderi posse generalia verba Iuris intelligenda esse, vt dicebam, de Sacramentis, quatenus fiunt à ministris Ecclesiæ; *Ratio cur Ecclesia in Interdicto, à officijs Diuinis, &c. fideles arcet.* nam in Interdicto ideò Ecclesia ab officijs Diuinis Sacramentis, & Ecclesiasticâ sepulturâ arcet fideles, & ab aliquibus etiam Clericos, vt non solùm puniat delinquentes; sed ostendat etiam suam peculiarem tristitiam, seu mœstitiam secundum quam iudicat rebus sic concurrentibus, & tali contumaciâ existente non decere, aut non oportere, quod Ecclesiæ ministri sua munera, & officia exhibeant cæteris fidelibus celebrando officia Diuina, & preces Ecclesiasticæ sepulturæ, & Sacramenta ministrando, Cum autem Matrimonij Sacramentum non ministretur à ministris Ecclesiæ, sed ipsimet contrahentes illud ministrent, non est eadem ratio prohibendi hoc Sacramentum atque prohibendi cætera.

Responsio ad argumentū à paritate excomm. factum pro prima sententiâ. 137. Ad illud autem argumentum à paritate Excommunicationis responderi etiam potest Excommunicationem secundum propriam rationem priuare communicatione cum alijs fidelibus. Inter alias autem communicationes maximè continetur communicatio in contractibus præsertim hæc, quæ simul est contractus, & Sacramentum. Accedit, quod Excomm. præsertim minor facilè tolli potest per Pœnitētiam, & absolutionē interdictū verò quod sæpe absque vllâ culpâ contrahitur, non dotest ad arbitrium ipsorum amoueri, qui illud contraxerunt. *Sponsalia validè & licitè fieri possunt tempore interd. dicti.* De sponsalibus verò nulla est controuersia inter Authores, quin possint tempore Interdicti localis, aut personalis fieri validè, & licitè. De benedictionibus autem nuptialibus distinguendum est, nam, si tempore Interdicti *Quoad benedictiones nuptiales distinguendum est.* localis generalis habeant priuilegium coniuges assistendi Diuinis, licitè fient modo ianuis clausis exclusis excommunicatis, & interdictis, & sine solemnitate. est autem huiusmodi benedictio quoddam officium Diuinum quod à Sacerdote præstatur cum quibusdam prædibus ab Ecclesiâ institutis ad hoc. Ita post Couarr. in cap *Alma* citato docet Henriquez cum pluribus

138 Fieri autem poterunt tales benedictiones cum solemnitate illis diebus, in quibus, non obstante Interdicto, possunt Diuina officia solemniter celebrari; nisi fortè illi dies sint ex illis in quibus alioquin Ecclesia probibet solemnitates nuptiarum.

Non possunt benedictiones fieri super coniugatos personaliter interdictos.

139 Non poterunt autem tales benedictiones fieri super coniugatos, quorum alter vel vterque sit personaliter interdictus; nam in c. *Alma mater*, conceduntur tempore Interdicti localis generalis Diuina officia, & consequenter benedictiones exclusis Interdictis: ergo non possunt fieri super ipsos cõiugatos, si ipsimet sint excludendi.

140 Ex quo etiam patet, tempore Interdicti localis secluso priuilegio non posse fieri benedictiones nuptiales; nisi seruatis requisitis in c. *Alma mater*. Item non posse fieri super coniugatos, quorum vterque sit personaliter interdictus Interdicto particulari, aut etiam quando vir est interdictus Interdicto personali generali; nam si sola fœmina sit subiecta generali personali Interdicto, cùm hæc sequatur Virum, & desinat esse pars multitudinis interdictæ, & vir sit omninò liber ab interdicto, potest simul cum viro benedici, postquàm per Matrimonium antea ratum facta est pars populi non Interdicti. Qua de re legi potest Sanchez de *Matrimonio* disp. 8. Vgolinus de *Censuris* tabula 5. cap. 7. Filiucius numero 53. Rodriguez 1. p. *Summæ*.

CAPT IV.

De secundo effectu Interdicti, qui est prohibitio celebrationis, & auditionis Diuinorum officiorum.

Quæritur. 1.

141 QVæri potest primò in hac re quid nomine Diuinorum officiorum intelligatur?

Resp. Nomine diuinorum officiorum intellig. &c.

142 Respondeo generaliter loquendo intelligi id genus supplicationis, & officij, quod fit in Ecclesiâ à ministro Ecclesiastico personâve consecratâ, & deputatâ ad tale officium. Ex quo fit nomine officium Diuinorum comprehendi in primis sacrificium Missæ; deinde omnem publicam, ac solemnem orationem, quæ ab Ecclesiâ instituta est vt à Clericis ad Dei laudem celebretur, nempe Horas Canonicas, & vt notat Suarius disp. 34. sect. 3. numero 4. etiam ea, quæ aliquando coniunguntur cum Horis Canonicis vt officium Defunctorum, & Beatissimæ Virginis; Item Sacramentalia, sub quibus comprehenduntur omnes ceremoniæ Sacræ, quæ spectant ad solemnem ritum Sacramentorum immediatè, vel præparatoriè, vel consequutiuè, vt solemnis benedictio nuptiarum iam celebratarum; benedictio templi, vasorum sacrorum, corporalium, vestium Sacrarum candelarum in die purificationis, vel ramorum in Dominicâ Palmarum, solemnis benedictio aquæ, & benedictio fontis baptismalis in sabbato sancto seu Pentecostes, fusio aquæ cum *Asperges*, quæ solet fieri Die Dominico, benedictio solemnis Episcopi, processio solemnis in Religione, litaniæ processionaliter cum superpellicio, & Cruce, & (vt aliqui etiam volunt) collatio primæ tonsuræ. Non autem videtur contineri priuata benedictio mensæ, personæ, itineris, &c. Probabiliter autem mihi videtur contineri benedictio nauis, qualis solet etiam fieri conceptis verbis, & approbatis ritibus ab Ecclesiâ per Ecclesiasticos ministros, atque etiam benedictio Campanarum. Quando autem loquimur de prædictis precibus, & Horis Canonicis, intelligimus locum habere in oratione publicâ, nam priuatim Clerici in Interdicto locali, & personali, officium recitare possunt, vel etiam debeant, si beneficiati sint, vel in Sacris Ordinibus constituti, imò possunt id agere bini, vel terni intra Ecclesiam, si ita instituant, vt modus priuatæ orationis seruetur. Ita Nauarrus cap. 27. numero 175. Vgolinus tabulâ 5. cap. 13. in principio Saytus lib. 5. cap. 5. n. 10. Filiucius num. 62. & alij communiter; neque enim, etiam si dederit Clericus causam Interdicto, æquum est, vt ex suo delicto commodum reportet.

Clerici in Interdicto officium priuatim recitare possunt, & quando, quis debent.

Ex dictis habetur.

143 Ex dictis habemus orationes, quæ dicuntur priuatim, quando adoratur Crux, imò, & adorationem, quam Cruci exhibent fideles feria 6. in Parasceue modò fiat sine rationibus ab Ecclesiâ institutis pro illo actu, non censeri officium Diuinum; ista enim omnia fiunt à Populo, & à merè laicis hominibus, non tanquàm à ministris specialiter deputatis ab Ecclesiâ, neque, vt officia publica, & Diuina ex illius institutione. Orationes tamen illæ quæ publicè funduntur in Parasceue inter adorandam crucem, censentur pars officij illius diei. Eodem modo non censetur officium Diuinum oratio Angelica, quæ etiam ad pulsum Campanæ solet certis horis diei à quibusuis fidelibus vbicumque tunc sint, recitari; sicut neque oratio, quæ simili modo sub finem diei, & ad pulsum Campanæ pro animabus Purgatorij dici consueuit. Idem quoque iudicium de concione, & de lectione sacrâ iuxta Nauarrum numero 176. Suarium suprà Auila disp. 4. sect. 1. dub. 1. Rodrig. in *Summâ* c. 116. numero 1. Henriq. cap. 43. num. 1. Filiucius num. 79. Reginaldus lib. 32. cap. 28. numero 23. Litaniæ verò, quæ canuntur vel dicuntur in Ecclesiâ, vel extra Ecclesiam, non solemniter, neque cum superpellicio & veste aut cum *Dominus vobiscum*; sed prò priuatâ deuotione, vt fit in Confraternitatibus, & congregationibus, in quibus, Congregantistæ, vel Confratres solent recitare in principio Litanias Beatæ Virginis, vel etiam maiores; quæ omnia fiunt æquè à merè Laicis, & non ministris deputatis Ecclesiæ; non sunt officium diuinum.

144 Quamuis autem etiam Horæ Canonicæ alijs quibusdam concedantur, vt publicè illas peragant in Ecclesia vt monialibus & cantoribus laicis, nihilominus ex communi vsu & sensu Ecclesiæ censentur officium Diuinum maximè cum, si de Monialibus agatur, illæ etiam aliquâ ratione censeantur personæ Ecclesiasticæ, & ad huiusmodi orationes fundendas iuxta institutum ab Ecclesiâ approbatum deputatæ & (vt multi volunt) ad id obligatæ. Laici verò cantores semper sunt; quasi pars alicuius communitatis Ecclesiasticæ, vel quasi ministri alicuius, qui tunc præsidet, quem in Ecclesijs

fijs solent appellare Capitulantem, qui semper Clericus est.

145. Quamuis autem Syluest. verb. *Interdictum* velit non esse permissam commendationem animarum, communiter cæteri dicunt licere; putant enim esse quid annexum Sacramento Pœnitentiæ, quod potest ministrari tempore Interdicti; sicut potest etiã recitari confessio generalis, quæ fieri solet à laicis ante Confessionem. Ita Sayrus lib. 5. c. 5. n. 40. Henriquez lib. 13. c. 44. Vgolinus Tabulâ 5. c. 8. Filiucius n. 49 & alij citati. Legatur Suarius disp 34 sect 3. numero 10. & sequentibus, vbi monet extra Ecclesiam posse plures conuenire ad orandum priuatim Horas Canonicas recitando ita verò, vt à prohibitis non audiantur.

Sacramentum pœnitẽtiæ ministrari potest tempore Interdicti.

246. Hæc tam ampla Diuinorum officiorum prohibitio limitata postea fuit in c. *Alma* de *sentent. Excommunic.* in 6 vbi conceditur, vt tempore Interdicti *Singulis* diebus in Ecclesijs, & Monasterijs Missæ celebrentur, & alia officia Diuina sicuti priùs, *submissâ tamen voce ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiã non pulsatis.* Vnde tempore Interdicti generalis localis non licèt Missas, & officia Diuina celebrando in loco interdicto vti sono organorum, & Campanarum pro officio licet tamen vti sono Campanæ pro *Ave Maria*, aut alijs de causis, vt ex dicendis constabit. Itaq; sic debent celebrari officia, vt illi, qui prohibentur interesse, non possint videre, & audire Diuina officia, vt rectè Suarius numero 12. Reginald. numero 34. Filiucius suprà, & alij. Vox autem tam submissa esse debet, vt canentes, vel legentes moraliter loquendo non possint audiri extra Ecclesiam à prohibitis. Ita Suarius ibidem, Auila dub. 3. & alij.

Hæc ampla Diuinorum officiorum prohibitio limitata fuit in c. Alma.

147. Hæc omnia intelliguntur de Interdicto locali generali. Si autem Ecclesia specialiter interdicta sit, non permittitur Clericis Sacra officia etiam prædicto modo celebrare; sed solùm semel in hebdommada licet Missam facere ad renouandam Eucharistiam, eo modo, quo licebat Iure antiquo. Circa hoc enim nihil immutatum est. in c. *Alma mater*, vt excommuni docet Couarr. in eodem c. *Alma*. p. 2. §. 4. n. 1. Nauarrus n. 173. Henriquez c. illo 44. num. 3. Saytus c. illo 5. num. 9. Vgolinus Tabula 5. c. 10. Filiucius num. 61. & 74. Reginaldus n. 33. Sanchez lib. 7. disp. 8. Auila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 3. Suarius sect. 3. num. 33. Gloss. in citatum c. *Alma*. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 2. num 2. Bonacina disp. 3. puncto 3. §. 4. & alij multi.

Omnia hæc intelliguntur de Interdicto locali generali.

148. Quando autem Interdictum est personale particulare vel generale non possunt interdicti celebrare Missas, neque interesse, vt constat ex dictis in præcedentibus, & habetur c. *Si Ciuitas* & c. *Si sententia de sentent. Excommunic.*

149 Quæri autem potest primò an liceat aliquando pulsare Campanas tempore Interdicti.

Quæritur. 1.

150. Respondeo cum communi sententia licere Campanâ conuocare populum tum ad concionem: tum ad comitandam Eucharistiam quæ portatur ad ægrotos; tum ad salutationem angelicam, quæ certis horis dici solet; tum ad indicandam Populo diei festi solemnitatem, vt in multis locis fit sub vesperum ante diem festum; hæc enim omnia non sunt Diuina officia, ad quæ non licet pulsare, vt ad conuocandos Sacerdotes ad Missas celebrandas, & cætera officia in Ecclesia peragenda. Illud etiam solet addi non licere etiam in Sacrificio Missæ cum Hostia eleuatur, vel dicitur *Sanctus*, vti tintinabulo. Sed hoc vltimum, quamuis probabilius videatur, non videtur ita certum; nam ex c. *Alma mater*, non videtur ita clarè colligi; illud enim signum non datur ad conuocandum populum; sed ad excitandum mentes audientium, vt Sacrificio attentiùs assistant, & adorent Eucharistiam; qui finis, etiam tempore Interdicti videtur honestus.

Resp.

151. Nihilominus quia hæc est communis Doctorum sententia in praxi sequenda est, & ab huius campanulæ pulsatione abstinendum. Ita Nauarrus c. 177. Syluest. *Interdictum* 5. quæsito 5. Henriquez lib. 13. cap. 46. numero 1. Sayrus lib. 8. cap. 7. & 9. Auila dub. 8. Suarius citatâ sect. 1. numero 15. vsque ad 19. Couarr. c. *Alma* p. 2. §. 4. num. 5. Coninc disp. 17. dub. 2. num. 33. Filiucius num. 69. Reginald. numero 35. & alij apud citatos. Qui omnes in prædictis casibus omnibus consentiunt.

152. Vtrum autem liceat aliud instrumentum adhiberi? non omninò consentiunt Authores, nam aliqui teste Suario numero 16. putant nullum esse dandum publicum signum, quo populo constet Diuina tunc esse facienda. Nihilhominus communis sententia est, & vsu recepta licère aliud signum dummodò non sit Campana, vt conuocentur Ministri, qui possunt imò debent (vt dicemus) interesse. Itaque licet vti tabulâ, in qua sint, vel malleoli, vel aliquid simile, qua edatur strepitus, quo prædicti commonefiant. Item licet tubâ hoc ipsum præstare, quorum omnium ratio est; quia in c. *Alma mater* solùm prohibentur Campanæ, quo nomine non comprehenduntur prædicta.

153. Quæri potest 2. an tempore Interdicti generalis localis liceat celebrare Diuina officia secretò, & cum moderatione capitis *Alma mater* extra Ecclesiam, & monasterium? *Quæritur 2.*

154. Respondeo non licere; ibi enim solùm permittitur peragere Diuina officia in Ecclesijs, & monasterijs; non verò alibi. Ita Cauar. 1. p. §. 4. numero 1. Sanchez de *Matrimonio* lib. 7. disp. 8. numero 13. & alij apud ipsum. Probabile tamen est licere; quia multi alij putant in materiâ fauorabili nomen *Ecclesiæ* latè esse accipiendum, & extendendum ad omnia sacra loca, etiam Hospitalia, & priuata Oratoria, quæ ab Episcopo deputata sunt ad Missæ Sacrificia, vel alia officia peragenda. Solumque intentionem Pontificis esse statuere, vt Diuina officia tempore generalis Interdicti peragerentur, sicuti, si Interdictum non esset. Seruatis tamen conditionibus in eo capite assignatis. Ita Nauarrus numero 175. Suarius suprà sect. 1 n. 9. Auila disp. illa 4. sect. 2. dub. 3. Henriquez lib. 13. cap. 46. numero 1. Coninc citato dub. 2. numero 19. & alij multi Recentiores, quos sequuntur, & referunt Vgolinus Tabulâ 5. cap. 8. §. 5. Sayrus lib. 5. cap. 5. Vtrum de hoc fine

Resp.

Probabile est licere.

Ponti-

Pontificis non satis constat; solùm enim voluit, ne Ecclesiastica deuotio, collaberetur, & alia inconuenientia sequerentur, si in totum cessaretur à Diuinis officijs, quibus inconuenientibus sufficienter occurritur, si in prædictis Ecclesijs, & Monasterijs & non in alijs locis priuatis Diuina officia peragantur. Neque enim ex hoc quòd in priuatis Oratorijs à celebratione abstineatur, excrescit indeuotio populi, pullulant Hæresis, Ecclesijs debita obsequia detrahuntur, quæ sunt inconuenientia assignata in illo *Alma mater*. Legatur Sanchez laco citato, qui rectè probat rationes ob quas prædicta concessio facta fuit in eo Textu, nullo modo militare extra Ecclesiam, & Monasteria,

Licebit celebrare in Monasterijs monialium tempore interdicti generalis localis.

155. Licebit autẽ celebrare in Monasterijs Monialium cum prædictâ moderatione Textus, imò in aliquibus etiam Hospitalibus, in quibus legitimâ authoritate sit erecta Ecclesia aliqua publica cum ministris, seu Capellanis; ibi enim saltem illorum deuotio minui posset, si omninò cessarent à Diuinis.

156. Si verò sequamur secundam sententiam Nauarri, & aliorum licebit etiam in Hospitalibus erectis authoritate Episcoporum, etiamsi nulli sint ibi Capellani, aut Ecclesia publica fundata, quia & in priuatis quibusque oratorijs secumdum eam sententiam licèt cum illâ moderatione Missas, & Diuina Officia peragere. Legantur Suarius disp. illâ 34. sect. 1. à numero 7. Filiucius num. 65.

Quæritur 3.

157. Quæri potest 3. an sint aliqui dies, in quibus liceat sacrificium Missæ, & alia Diuina officia liberè & publicè celebrare?

Resp.

158. Respondeo in prædicto c. *Alma.* assignari quatuor præcipuos anni festiuitates, in quibus licet Sacrificium Missæ, & alia Diuina officia sine vllâ aliâ limitatione celebrare prçterquàm quòd qui in speciali Interdicto sunt, vel propriâ culpâ generali Interdicto causam dederunt, ad altare non appropinquent, hoc est (vt explicat Suarius suprà numero 33. Coninc disp. 17. dub. 2. numero 35. vel oblationis accipiendæ, vel sanctæ Eucharistiæ sumendæ causâ argumento capitis. *Quia in omnibus* de *Vsuris.*

159. Illæ quatuor festiuitates sunt *Natiuitas Domini, Pascha, Pentecostes, Assumptio Beatæ Virginis*, quibus ex concessione Martini V. accessit etiam festum corporis Christis, In quibus cæteris, tam laicis, quàm Clericis permittitur assistere Sacro, & Diuinis officijs. Cũputari autem ea festiuitas debet more Ecclesiastico à primis vesperis vsque ad secundas adiuncto etiam Cõpletorio, sicut probabilissimè docent Paludanus in 4. dist. 18. q. 8. art 2. Couarr. p. 2. §. 5. n. 5. Angelus verbo *Interdictum 6.* §. 18. Suarius suprà. numero 39. argumento c. *De ferijs.* Medina in summâ lib. 1. cap. 10. §. 3. Henriquez suprà, Rodriguez cap. 116. numero 116. Coninc num. 38. Reginald. lib. 32. Tract. 3. cap. 28. n. 36. ad finem, & alij.

160. Imò Sotus in 4. dist. 23. q. 3. art. 1. conclus. 4. Auila p. 5. dist. 4. sect. 2. dub. 9. & 12. Coninc disp. 17, num. 37. Bonacina disp. 3. puncto 4. alij Recentiores putant in festiuitate Natiuitatis, Paschatis, & Pentecostes non vnum; sed tres, vel quatuor dies festos comprehendi ipsamq festiuitatem Resurrectionis, & Pentecostes inchoari à Missâ vigiliæ, quæ per anticipationem in Sabbato cantatur, vt etiam notauit Paludanus suprà art. 3. conclus. 7. Quamuis reclamet Suarius suprà numero 38. & deinceps Henriquez c. 47. numero 1. Reginaldus numero 36. Filiucius numero 109. & quidem fundamentum nostrum probabile est; nam in Textu dicitur in festiuitatibus Natalis, Paschæ, & Pentecostes; nomine autem festiuitatis non solùm intelligitur festus dies, sed etiam alij.

161. Vtrum autem licitum sit recipere illis diebus Sacramenta? generaliter loquendo dicimus tantùm licere illa, quæ alijs diebus. De Eucharistiâ verò quid dicendum sit, diximus suprà c. 2. assert. 4 vsque ad finem capitis.

162. Quæri potest 4. quænam personæ sint liberæ à lege Interdicti, quod attinet ad facultatem interessendi Diuinis officijs? *Quæritur 4.*

Resp. liberos esse à lege Interdicti Clericos &c.

163. Respondeo prçter Infantes, & amentes, seu carentes vsu rationis intelligi etiam liberos Clericos, qui non tantum Sacrificia sed etiã alia Diuina officia possunt in Ecclesijs celebrare, imò debent, si beneficiati sint alioquin priuantur distributionibus iuxta citatum c. *Alma mater.* Nomine autem Clericorum comprehenduntur iuxta communem sensum Doctorum omnes personæ Ecclesiasticæ, tàm incolæ, quàm alienigenæ, & Religiosi vtriusque sexus, eorumque Nouitij; item Clerici primâ tonsurâ initiati. Addunt aliqui limitatiónem dummodò non sint coniungati, & dummodò habeant beneficium, aut ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ seruiant, vel in literarum studio tanquàm ad maiores Ordines accipiendos versentur iuxta Tridentinum sect, 23. cap. 6. de *Reformatione.* Sanè, quod attinet ad Clericos coniungatos, si non sint addicti, & applicati alicui ministerio Sacro, verissima est doctrina, si tamen bigami non sint, & gestent tonsuram, & habitum, atque de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant, concurrantque conditiones à Tridentino ibiden requisitæ gaudebunt etiam hoc priuilegio. De quibus cõditionibus egimus disp. 3. dub. 58. maximè c. 1. de Clericis autẽ non coniungatis non omnes requirunt illã conditioné, sed absolutè dicunt Clericos posse admitti ad Diuina officia tempore Interdicti generalis, localis; illa tamen limitatio est pro omnibus Clericis; scilicet, quod ipsi nõ sint excõmunicati vel interdicti, nec dederint causam Interdicto. Ita Nauarrus numero 175. Auila citatâ sect. 2. dub. 4. conclus. 3. & 4. Toletus lib. 1. c. 20. Saytus lib. 5. cap. 5. num. 35. Sâ verbo *Interdictum* num. 18. Rodriguez in *bulla* §. 2. dub. 2. numero 4. Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. post quartam conclusionem. Coninc disp. 17. num. 30 Laymam lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 2. numero 2. Bonacina disp. 5. puncto 3. §. 4. Legatur Vgolinus tabula 5, cap. 4, §. 5. Nauarrus numero 174. Auila suprà & alij. Fundamentum autem exceptionis generaliter loquendo Clericorum est, quia in citato c. *Alma mater* tempare Interdicti generalis intentio Pontificis Bonifacij VIII. fuit, vt tempore Interdicti officia Diuina peragantur, sicuti prius ergo qui prius

Fundamentum exemptionis Clericorum

prius solebant. vel poterant, vel etiam debebant in Ecclesijs celebrare, id etiam possunt, vel debent præstare tempore Interdicti. Cum ergo hæc omnia per Clericos deberent fieri, rectè colligunt Authores illos fuisse liberatos ab eâ lege Interdicti.

Quæritur 5. 164. Quæri potest 5. an omnes non excommunicati, nec interdicti laici debeant excludi nisi alioquin gaudeant privilegio?

Ratio dubitandi. 195. Ratio dubitandi est, nam in textu dicitur *Excommunicatis interdictis exclusis*: Exceptio autem firmat regulam in contrarium; ergo, qui nec excommunicati, nec interdicti sunt, excludi non debent. Accedit quod Pontifex absolutè concedit facultatem offerendi sacrificium sicut priùs, solumque limitat quatuor illis conditionibus seruandis scilicet, *submissâ voce ianuis clausis Campanis non pulsatis, excommunicatis, & interdictis exclusis.* Sed, quamuis laici non interdicti, nec excommunicati adsint, adhuc seruari possunt omnes prædictæ conditiones: ergo, sicut priùs ante Interdictum licebat facere præsentibus laicis, etiam nunc licet. Accedit, quòd inter alias causas assignatur vna illius moderationis, vt scilicet *indeuotio populi crescat*; Sed, nisi populus non excommunicatus, neque interdictus admittatur, populi indeuotio eodem modo crescet; atq; antea; ergo non sunt excludendi.

Resp. 166. Asserendum nihilominus est, quamuis in Textu solùm videantur exprimi excommunicati, & Interdicti, etiam excludendi sunt laici non priuilegiati, quamuis nulla sint censurâ affecti. Ita Glossa in c. *licet* de *Priuilegijs* in 6. Couarr. §. 4. numero 4. qui testatur de communi sententiâ. Nauarrus c. n. 174. Suarius Suarius disp. 34. sect. 1. numero 22. & deinceps maximè numero 27. Auila 5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 4. & alij. communiter. Solet autem probari cum Glossâ dicto c. *Alma mater* verb. *Interdictis*; quia dùm interdicitur aliquis locus prohibitum est omnibus non habentibus priuilegium audire officia Diuina in tali loco, & pro hac conclusione (inquit Auila suprà) est optimus Textus in citatò c. *licet* de *Priuileg.* vbi dicitur. *licet sit vobis concessum, vt tempore Interdicti celebretis officia Diuina ianuis clausis &c. attamen aliquos, etiamsi aliunde venerint; nisi super hoc priuilegiati existant, recipere nullâ ratione debetis.*

167. Hunc tamen Textum difficilem putat Suarius suprà numero 23. quamuis alijs clarus videatur. Cuius rationem difficultatis sic perstringo: nunc non agimus de Interdicto personali, quo personę per se interdicuntur, ac proinde, nec de priuilegio personali, quo personæ eximuntur ab aliquâ lege, seu obligatione Interdicti, quâ comprehendendę sunt; nisi habeant priuilegium; ne comprehendantur; sed solum agimus de Interdicto locali, & de lege moderante effectum Interdicti localis cuius Interdicti vi non immediatè afficiuntur personæ; sed locus, qui per Interdictum redditur inhabilis; vt in eo fiant Sacrificia; sed per virtutem c. *Alma mater*, habilis iam factus est, vt in ea fiant seruatis illis quatuor conditionibus. Ergo cum laici (inquit Suarius) non essent antea prohibiti audire Sacrum in tali loco; nisi in quantùm ipse locus, quasi inhabilis fiebat ad tale Interdictum, se qui videtur, quod ablatâ hac inhabilitate per hanc legem fruentur beneficio eius,

168. Nihilominus hæc difficultas, quæ Suario videtur alicuius momenti, & ob quam num. 27. aliter probat doctrinam, non videtur tanti momenti; responderi enim facile potest eo ipso, quod locus interdicitur, ne in illo fiant sacrificia, & officia, censeri consequenter Interdictū quod in illo admittantur ad officia Diuina, qui alioquin ibi admittebantur; & quando prohibentur officia in illo loco, sēper prohibentur in ordine ad eos, qui talia officia debebant peragere, aut illis interesse: ergo potuit concedi quòd in illo loco possint quidem peragi Diuina officia à Clericis tantùm in ordine ad ipsos Clericos; non in ordine ad alios, nisi alij etiam hoc ipsum priuilegium obtineant. Itaque quamuis locus sit interdictus immediatè, & quamuis lex Interdicti localis temperata sit, vt possit cum illis circumstantijs officium Diuinum ibi peragi, non censetur sublatum in totum Interdictum locale; sed adhuc manet interdictus locus quātùm ad officia peragenda coram alijs præter Clericos, atque adeò non propter illam concessionem censetur iam liberum alijs omnibus, qui excommunicati, aut interdicti non sunt, ibi officijs interesse.

169. Verum quidquid sit de his omnibus & alijs quæ ibi affert Suarius, placent omninò probationes ipsius, quibus numero 27. probat esse excludendos etiam illos, qui non sunt specialiter personaliter interdicti, neque excommunicati, & posteà numero 28. reijcit obiectiones sibi suprà positas. Probat ergo primò & præcipuè, quia hic videtur esse communis sensus Ecclesię, vt ostendit consuetudo, quæ est optima Legum interpres. Secundò; quia id apertè supponitur in Clementina 3. de *sentent. excommunic.* vbi in primis narratur factum Fratrum Minorum, qui tempore interdicti admittebant sorores sui tertij Ordinis, cæteras verò personas excludebant, vnde oriebatur scandalum. Deinde ibidem præcipitur sub excommunicatione eisdem Minoribus, vt huiusmodi homines tertij Ordinis non admittant, etiamsi adhoc, vel ipsi vel illi priuilegium habeant.

170 Ex hoc in primis rectè colligit Suarius ibi non esse Sermonem de excommunicatis, vel Interdictis, qui tunc excluderentur admissis personis tertij Ordinis; sed agi de quibuscumque laicis non priuilegiatis: tum; quia alias nullum esset scandalum quod excommunicati, & interdicti eijcerentur, & non alij: tum etiam; quia Papa supponit posse habere priuilegium ad Diuina audienda; quod excommunicatis vel interdictis non datur. *Colligit Suarius,*

171 Vlterius ex eodem Textu constat Pontificem approbare quod alij Laici eijciantur, quandoquidem ad tollendum scandalum quod sequebatur ex admittendis illis fratribus, & sororibus, & excludendis Laicis, non præcipit Pontifex illos extraneos admitti; sed præcipit illos etiam repelli, qui quodammodò proprij videbantur; imò (vt ibi Glossa notat) etiamsi priuilegium habeant, per quod possint in alijs Ecclesijs admitti, non vult eis prodesse pro Ecclesijs ipsorum Minorum ob scandalum vitandum.

dum. Ergo manifestè ibi supponitur (inquit Suarius) hoc esse prohibitum Laicis, & in particulari, & pro talibus Ecclesijs prohibetur ijs, qui de tertio ordine dicuntur. Supponitur etiam ibi priuilegium esse ad hoc necessarium, & quod illud sit in suâ vi id est à Pontifice non reuocatum, vel coarctatum. Ex quo etiam infertur satis efficaciter esse prohibitionem virtute Interdicti admittendi tales personas: nam priuilegium non datur; nisi pro exemptione à lege sub quâ alioquin priuilegiatus cõtineretur. Quod argumentum etiam habet in citato, c. *licet* vbi dicitur, *nisi super hoc priuilegiati existant, recipere nulla ratione debetis.* Legatur Suarius loco citato à numero 28. vbi alijs argumentis, quæ fieri solent pro hac sententiâ dat robur, & nos adhuc possumus confirmare ex ipso capite *Alma mater*, & respondere difficultati, quæ sumebatur ex illis verbis *Exclusis communicatis, & interdictis.* nam in illo c. ponuntur illæ particulæ *ianuis clausis, & submissa voce*, quæ in hunc finem dicuntur tum vt Laici non habentes priuilegium non admittantur intra Ecclesiam ad Diuina officia; tum, vt neque extra Ecclesiam possint illa audire dum intra Ecclesiam celebrantur, imò, & propter hoc etiam videtur addi illa alia conditio *Campanis non pulsatis*, quæ non videtur addenda, si solum excommunicati aut interdicti essent excludendi, quia ordinariè, & moraliter loquendo excommunicati, & interdicti personaliter sunt admodum pauci, & sæpe tantùm vnus: ergo non propterea campanæ non essent pulsandæ pro toto populo, ne, scilicet, vnus, aut alter eo modo occasionem sumeret veniendi ad Ecclesiam à quâ est interdictus. Signum ergo est non licere cæteris omnibus Sacris interesse absque speciali priuilegio. Ideò autem specialiter dicuntur excludendi excommunicati, & interdicti. vt denotetur, quòd hi, etiamsi alias essent priuilegia ad audienda Diuina tempore Interdicti, nihilominus tunc non sunt admittendi cùm sint specialiter personaliter Interdicti.

Quæritur 6 172 Quæri potest. 6. an Laici habentes priuilegium interessendi Diuinis teneantur audire Sacrum in die festo?

Resp. 173 Hac de re satis diximus agentes de Sacrificio Missæ Tract. 5. disp. 5. dub. 10. §. 3. vbi diximus teneri.

Quæritur. 7 174 Quæri potest. 7. an, qui habet priuilegium persoluendi, Diuina officia, possit simul cum suâ familiâ Diuinis interesse?

Resp. 175. Respondeò posse. Est communis Doctorum sententia, dummodò talis persona, quæ fuerit de familiâ priuilegiati non dederit causam Interdicto culpabilem, & sit verè de familiâ talis Priuilegiati. Ita Nauarrus. numero 188. Sotus dist. 22. q. 3. art. 1. Sa verbo *Interdictum* numero 21. Toletus lib. 1. cap. 20. Auila dub. 7. Vgolinus cap. 8. §. 4. numero 2. Filiucius numero 73. Henriquez suprà, Bonacina suprà numero 21. Layman suprà, numero 2. & alij multi, colligiturque ex c. *sicut* de *Priuileg.* in 6. nomine autem familiæ intelliguntur, vt prædicti Auctores volunt, serui, seu famuli, & domestici illius, siue, qui eius personam, tanquàm famuli, vel officiales comitari solent, etiamsi non habitent domi cum illo, dummodò non sint assumpti in famulatum, & comitatum in fraudem Interdicti. Aliqui etiam Recentiores teste Bonacinâ intelligunt vxorem, filium, neptes, seruos, & famulos in illius domo commorantes.

176 Ex dictis colligunt Toletus, Nauarrus, Auila, & alij locis citatis posse Sacerdotem secum adducere suum famulum tempore interdicti localis generalis, & eo vti in Sacrificio Missæ, imò, si hic absens sit, vel ægrotus; Auila, & alij putant posse alium assumere; non enim tunc assumit in fraudem Interdicti. *Ex dictis colligunt Toletus & alij.*

177 Vlterius famuli tempore Interdicti possunt quidem interesse officijs quatenus ibi adsunt, comitantes suum Dominum; sed non aliter. Vnde hi non poterunt ex vi priuilegij sui Domini quando Dominus non adest; ac proinde rectè notat Layman. §. *Quinto hæc relaxatio*, in concessione facta Clericis vt per se vel per vicarios suos possint Diuina peragere, id non intelligi concessum Laicis, tametsi Clericorum, vel Canonicorum domestici sint; possent tamen illi domestici, & familiares interesse comitantes suum Dominum.

178 Quæri potest 8. an qui non est interdictus, possit Missam Sacerdotis interdicti audire. *Quæritur 8.*

179. Respondeo primò, si non sit Sacerdos ille nominatim denuntiatus post extrauagantem Concilij Constantiensis omninò posse iuxta dicta disp. 2. dub. 26. & 27. *Resp. 1.*

180 Respondeo 2. si sit denuntiatus aliqui Authores negant licitè posse; quia sicut non licet Missam audire in loco Interdicto, nec celebrare coram interdicto, ita nec Missam audire ab interdicto. Confirmant quia hæc videtur esse veluti quædam inductio, & approbatio. *Resp. 2.*

181 Suarius verò disp. 34. sect. 2. numero 4 Coninc suprà numero 6. Filiucius num. 76. Alijque Recentiores putant licere dummodò non inducat Sacerdotem interdictum ad celebrandum, quia non est prohibita communicatio cum interdicto, vel suspenso, sed solùm cum excommunicato. Quæ ratio, si quid probat, etiam probat cum Interdicto, vel suspenso denuntiato. De hoc tamen iam diximus disp. 2. dub. 27. ibi legatur.

CAPT V.

De tertio effectu Interdicti scilicet priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ.

182 TErtius effectus Interdicti est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ ita, vt tam locale, quàm personale, tàm generale, quàm speciale priuet Ecclesiasticâ sepulturâ personas interdictas, & locum ipsum interdictum, id est, vt in loco sacro fideles non sepeliantur. cap. *Quod in te.* de *Pænit. & remiss.* hæc autem prohibitio adeò generalis est, vt etiam infantes, & amentes comprehendat vt postea dicemus. Est *Tertius effectus Interdicti est priuatio Sepulturæ Ecclesiasticæ.*

cõmunis sententia Doctorũ in Clemētinā Primā de *Sepultur.* quādo ergo simpliciter fertur Interdictum, ad hunc etiam effectum se extendit quia interdictum generaliter, & simpliciter latum generaliter intelligendum est, quoad omnes effectus, quorum vnus est Ecclesiasticā sepulturā priuari, id est non posse sepeliri in loco sacro consecrato scilicet ab Episcopo, vel in Cœmeterio ab Episcopo benedicto, vel in loco, vbi Diuina peraguntur; vel cum pompā funerali Ecclesiasticā. Legatur Suarius disp. 35. sect. 1. & Filiucius disp. 18. cap 4. q. 2. & alij paulò post citandi, vide dicta disp. 2. dub. 43. in fine.

Ex quo infertur primò

183. Ex quo infertur 1. non posse Laicos; quamuis non interdictos sepeliri in loco sacro interdicto. Ita Suarius suprà Syluest. *Interdictum* 5. quæsito 8. Sayrus lib. 5. cap. 8. numero 4. Vgolinus tabula. 5. cap. 9. §. 3. Henriquez c. 44. numero 4. & alij multi.

Infertur 2.

184 Infertur, 2. multò minùs esse admittendos tempore Interdicti localis generalis ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatos, & interdictos. An verò sepeliens talem interdictum nominatim denuntiatum, vel tempore Interdicti in casibus non concessis incurrat aliquam censuram, aut pœnam constat ex dictis de *excommunicatione* citatā dub. 43. vbi obiter diximus de sepelientibus aliquem in loco sacro interdicto, & aliquid etiam postea dicemus.

Infertur 3.

185 Infertur 3. tempore Interdicti posse sepeliri in loco sacro non interdicto omnes illos, qui nō sunt personaliter interdicti. Ita Suar. disp. illā 35. sect. 3. n. 2. coninc. n. 35. Vgolinus Tabulā 5. cap. 9. §. 4. Sayrus cap. 7. numero 10. & alij multi; nullum enim extat impedimentum ex parte personæ, quæ sepelitur; neque ex parte loci.

Infertur 4.

186 Ex quo infertur 4. posse laicos, si decesserunt in loco interdicto, & non personaliter interdicti transferri ad locum non interdictum, & ibi sepeliri Ecclesiasticā sepulturā. Ita Henriquez suprà, Suarius suprà num. 3. Reginaldus num. 37. & alij. Item posse Laicos sepeliri tempore Interdicti in campo, vel cœmeterio ab Episcopo deputato non tamen benedicto, talis enim locus non censetur Ecclesiasticā sepulturā.

187 Nullibi tamen statutum est (quod sciā) corpora defunctorum, qui non fuerunt personaliter interdicti, & denunciati, si in loco Sacro interdicto illegitimè sepulta sint esse exhumanda è contra verò corpora, quæ tempore Interdicti localis in loco non sacro sepulta fuerunt, sublato Interdicto, exhumanda, & ad sacrum locum deferenda sunt, vt cum communi sententiā docet Nauarrus numero 176 Vgolinus suprà. Henriquez c. illo 44. num. 5. Sayrus cap. 8. numero 21. Sa verb. *Interdictum* numero 25. Filiucius num. 97. Bonacina disp. 5. puncto 5. numero 8. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 2. numero 3. Auila p. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 2. quamuis Bonacina sentiat corpora illegitimè sepulta in loco interdicto exhumanda esse quia, tempore Interdicti afficiuntur effectu Interdicti, qui est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, & vt illā careant exhumanda sunt. Pro qua sententia refert Sayrum suprà numero 22. qui tamen non clarè loquitur, neque sententia vllo modo probanda est; nam ratio priuandi fidelem Ecclesiasticā sepulturā tantùm est vt Ecclesia ostendat suam mœstitiam, & quia iudicat tali tempore concurrentibus illis circumstantijs non esse in eo loco exhibenda officia, quæ alioquin exhibebantur, quando obediebatur Ecclesiæ præceptis, neque aderat inter fideles contumaciā; semel tamen iam exhibito illo actu sepeliendi, non est cur exhumetur corpus; id enim horret natura, &, nisi propter culpam in vitā commissam ab eo, qui exhumatur, non videtur alioquin Ecclesiæ filius sic tractandus. Accedit, quòd tota prohibitio censetur esse comparatione actionis illius, quæ fit in illo funere Ecclesiastico more peracto. Cùm ergo factum infectum esse non possit, & actio illa iam transiuerit, nulla apparet decentia, nedum ratio, vt corpus innocentis sic humatum exhumetur.

Ratio priuandi fidelem Ecclesiasticā Sepulturā.

188 Iam verò aliqua dubia pro praxi breuiter resoluenda sunt Dubitari ergo potest. 1. an Laici habentes priuilegium assistendi diuinis officijs possint tunc sepeliri in loco sacro? *Dubitatur 1*

Resp.

189 Respondeo posse. Ita Nauarrus numero 181. Coninc nu. 52. Auila sect. illā 3. dub. 4. Sayrus num. 9. & 16. atque hoc verum est; etiamsi in priuilegio non exprimatur Ecclesiastica sepultura; nam in priuelegio, quod principaliter continetur est, posse adesse Diuinis officijs, & accessorium est Ecclesiastica sepultura concesso autem principali, censetur accessorium concessum: Accedit, quod, cui communicamus viuo in Sacris non est cur (nisi aliud in Iure exprimatur) non possimus communicare defuncto. Vnde non placet Vgolinus tabula 5. c. 9. qui negare videtur.

190 Dubitari potest, 2. an liceat sepelire Laicos adultos in his festiuitatibus, in quibus possunt publicè celebrari diuina officia? *Dubitatur 2.*

191 Non consentiunt Doctores aliqui negant; quia sepultura non est diuinum officium: ergo sub eā concessione non comprehenditur. Ita Paludanus in 4. distinctione 18. puncto 8. art. 2. conclus. 10. Auila suprà dub. 3. Coninc. n. 55. Suarius disp. 35. sect. 1. num. 13. Filiucius n. 99. Vgolinus c. 9. §. 3. num. 2. Panormitanus, & & alij apud citatos. *Resp. aliqui negatiuè*

192 Alij verò affirmant. Ita Syluest. *Interdictum.* 5. Sotus suprà Sayrus cap. 8. num. 11. Nauarrus num. illo 181. Henriq. c. 44. num. 5. & c. 46. num. 4. Bonacina suprà, & alij, qui probant; tum, quia, vt nuper dicebamus, cui communicamus viuo possumus etiam communicare defuncto, c. *Sanè* 24. q. 2. Sed in illis festiuitatibus possumus illi viuo communicare in Diuinis officijs: ergo possumus etiam defuncto in sepulturā, explicatur, & declaratur; quia (vt dixi) in illā actione Ecclesiasticæ sepulturæ vnum est principale, & alterum accessorium principale est officium Ecclesiasticum, quod fit, quando sepelitur, & accessorium est ipsa sepultura. Si ergo possumus communicare in principali, quod est officium: possumus in sepulturā, quod est accessorium, quæ doctrina mihi placet. Ex quā respondetur ad fundamentum contrarium concedendo

Alij affir. quorum doctrina Authori placet.

cedendo

cedendo sepulturam præcisè non esse officium Diuinum; officium tamen illud, & preces funerales, quæ fiunt ab Ecclesiâ esse officium Diuinum & principale trahens secum accessorium.

Dubitatur 3 193. Dubitari potest 3. an tempore Interdicti generalis localis possint sepeliri infantes, vel amentes in loco sacro? vel tempore Interdicti personalis?

Resp. 1. Respondeo 1. in loco interdicto generali, vel speciali non posse; quia locus ipse est incapax, siue cadauar sit paruuli, siue adulti. Ita Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 18. Nauarrus numero 168. Sayrus c. 8. Vgolinus, Tabulâ 5. c. 9. in principio Henriquez cap. 42. numero 3. & cap. 49. numero 2. Suarius suprà Filiucius suprà numero 20. Layman, & Bonacina suprà.

Resp. 2. 195. 2. Respondeo prædictos tempore Interdicti generalis personalis non posse sepeliri in loco Sacro iuxta multorum opinionem, quorum fundamentum satis probabile est; tum, quia sunt aliquâ ratione pars communitatis; tum, quia quamuis cæteri effectus Interdicti respiciant personas capaces præcepti, & obligationis, & consequenter non efficiant Infantes; aut amentes, nihilominus effectus particularis sepulturæ non respicit usum rationis sed respicit cadauer, quod in omnibus est eiusdem rationis; atque adeò priuari debet sepulturæ, sicut cadauer adulti.

Oppositum videtur authori absolutè verũ. 196. Oppositum tamen puto absolutè verum, tum, quia prædicti pueri, vel amentes non censentur propriè pars communitatis, quæ possit interdici; communitas enim, qui interdici potest, est communitas rationalis, id est doli capax, & præcepti; huius autem communitatis, vt talis, non sunt partes pueri, vel amentes. Cùm ergo à principio, dùm viuerent, etiamsi essent ex illo populo, seu communitate, non fuissent capaces Interdicti propter defectum rationis, ita non est cur effectus Interdicti transeat ad cadauer ipsorum, quamuis enim Interdictum, quoad talem effectum priuationis sepulturæ, afficiat cadauar, non tamen quodcumque cadauer, sed cadauer hominis aliquo modo interdicti siue generaliter, siue particulariter, qualis non fuit amens, aut paruulus. Accedit quòd (vt postea dicam, nisi quis sit nominatim interdictus; & denuntiatus, non debet priuari Ecclesiasticâ sepulturâ; nec censeri vitandus, amens autem, aut paruulus non est capax talis Interdicti, quo specialiter interdicatur; & nominetur, ac publicè denuntietur; ergo non est priuandus Ecclesiasticâ sepulturâ.

197. Ex quo vlterius constat à fortiori posse sepeliri in loco non interdicto tempore Interdicti personalis specialis.

198. Prædicta omnia magis explicantur ex resolutione sequentis dubij.

Dubitatur 4 199. Dubitari potest 4. an peccet sepeliens laicum interdictum Interdicto personali generali?

Resp. 200. Respondeo (quidquid fuerit de Iure antiquo, de quo videri potest Suarius disp. 35. sect 3.) non peccare. Ita Suarius ibidem n. 2. & 3. Sayrus cap. 8. numero 2. Filiucius n. 100. Reginald. numero 38. & 47. ad finem. Coninc numero 62. Sà uerbo *Interdictum* numero 3. & alij multi. Ratio est; quia saltem suppositâ Extrauaganti *Ad euitanda* ex Concilio Constātiensi non est obligatio euitandi excommunicatum suspensum, aut Interdictum non denuntiatum nominatim publice; imò (vt cum Suario diximus suprà disp. 2. dub. 27. §. *asserendum est*) non est obligatio euitandi suspensum aut interdictum, quia nullum est præceptum vnde id constat: ergo non peccabit qui illum sepeliat in loco Sacro non interdicto, imò, etiamsi sit interdictus locus dummodò fit antequam denuntietur interdictus. Ex qua doctrina magis cōfirmatur quod nuper diximus de amentibus.

201. Ex dictis etiam patet sepelientes defunctum interdictum, non incurrere excommunicationem, de quâ sermo est in Clementinâ 1. de *Sepulturis* nisi ille, qui sepelitur, sit specialiter nominatim interdictus; vt rectè notat Suarius suprà numero 6, & alij citati: imò, qui sentiunt non esse peculiare præceptum vitandi etiam nominatim denuntiatos interdictos, aut suspensos, consequenter etiam dicent, etiamsi talis interdictus sit nominatim denuntiatus, non incurrere excommunicationem sepelientes illum.

202. Objiciet tamen aliquis populus potest esse nominatim denuntiatus; ergo, si secundum priorem opinionem interdictus nominatim denuntiatus est vitandus, non aliter erit populus vitandus, nisi vitando particulares personas: ergo tunc vitandæ sunt particulares personæ. Objicies.

203. Respondeo non satis esse quod populus sit interdictus, vt ideò particulares personæ, quatenus particulares personæ sunt, vitari debeant; nam illa nominatio; vt ait Suarius suprà numero 2. est valde generalis respectu singularum personarum talis populi; quamuis autem in citatâ Extrauaganti dicatur, aut solum postuletur quod interdictum sit latum contra certam personam, Collegium, aut vniuersitatem, nihilhominus id totum intelligendum est respectiuè, ita vt ad vitandum Collegium, vel vniuersitatem sufficiat vniuersitatem vel Collegium esse nominatim denuntiatum, & ad uitandas particulares personas quòd particulares personæ sint nominatim denuntiatæ; non verò sufficit, quod sit communitas denuntiata, vt particularis persona vitetur. Resp.

204. Vrgebit tamen aliquis vt Interdictum locale seruetur in omnibus particularibus locis sufficit, quòd contra generalem, seu vniuersalem quendam locum lata sit sententia Interdicti nominatim generaliter: ergo pari ratione sufficiet, quod sit lata sententia contra communitatem, vt etiam seruetur comparatione particularium personarum, quæ continentur in illa communitate. Vrgebis.

205. Respondeo cum Suario, suprà numero 3. licet illud Interdictum locale dicatur generale propter amplitudinem loci respectu localis specialis non ita amplè; tamen re verâ omninò esse circa rem determinatam, & particularem. quæ solum includit particularia loca, tanquàm partes integrantes totum locum interdictum, qui propriè non est aliquod totum collectiuum; sed singulare determinatum, constans ex multis parti- Resp. cum Suario.

partibus, sicut aliæ res corporales; at verò Interdictum generale populi, licèt respectu totius communitatis sit satis determinatum, non tamẽ respectu singularium personarum, quia illud totum est collectiuum tantùm, & ideò valde confusum, & tanquàm generale quid respectu singularium. Vnde non placet, quod docet Bonacina suprà numero 10. illum scilicet in hac materiâ censeri specialiter denuntiatum qui est membrum alicuius communitatis, quæ denuntiata est interdicta. Pro quâ sententiâ falsò refert Suarium disp. 35. sect. 3. numero 4. cùm potiùs in eâ sectione doceat oppositum. Eundem Suarium videtur etiam referre Coninc disp. 17. numero 62. qui etiam sequitur opinionem Bonacinæ. Placet tamen absolutè sententia Suarij propter rationem dictam, quam sententiam etiam sequuntur Nauarrus numero 187. Sa verb. verb. *Interdictum* numero 3. quamuis autem Suarius disp. 37. sect. 2. numero 3. videtur sibi non constans, & probabilius existimare non esse necessarium singulas personas nominatim esse denuntiatas; sed sufficere ipsum Interdictum esse denuntiatum contra talem communitatem, vel Collegium: loquitur id longè diuerso casu ibi enim disputat; an Interdictum Iure latum obliget ante Iudicis denuntiationem, & dicit obligare personas à Iure generaliter interdictas, imò ibi addit rem esse claram; quod alij non teneantur prædictos interdictos vitare, donec nominatim denuntientur. Alios etiam refert Bonacina, qui etiam non id clarè docent; sed de hoc iterum infra ad finem dubitationis.

Dubitatio 5.

206. Dubitari potest 5. an interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in eâ sepeliri?

Resp. 207 Respondeo non posse iuxta suprà dicta, neque in Ecclesiâ neque in cæmeterio, quod satis habetur in c. *Is cui* de *sentent. excommunic.* in 6. nisi fortè ante mortem dederit signa pœnitentiæ, & non fuerit absolutus defectu absoluẽtis, tunc enim potest ab eâ censurâ absolui & sepeliri in loco sacro. Ita Sayrus cap. 7. numero 20. & cap. 9. numero 24. Auila disp. 4. sect. 2. dub. 5. conclus. 5. Couarr. 2. p. §. 1. num. 3. Suarius suprà sect. 4. & disp. 38. sect. 1. n. 20. Sà verbo *Interdictum* numero 19. Filiucius numero 101 & 103. Vgolin. c. 16. §. 4. & alij.

208. Si verò loquamur de eodem in ordine ad alia per ipsum exercenda non solùm Ecclesiasticâ sepulturâ priuatur; sed iuxta dicta in hac, & præcedenti disputatione priuatur actione, seu exercitio Ordinis Sacri in Ecclesiâ, ac proinde non potest celebrare, nec Sacramenta ministrare intra Ecclesiam fietque irregularis exercendo Ordines in Ecclesiâ iuxta citatum c. *Is cui.* Poterit tamen eiusmodi officia exercere extra Ecclesiam, vt in aliquo tentorio, vel oratorio priuato. Ita Suarius suprà numero 6. Sa suprà. Nauarrus numero 170. Auila disp. 5. c. 5. Couarr. suprà Coninc numero 57. Sayrus cap. 8. numero 21. Filiucius numero 103. Reginald. n. 39. & 40. alijque multi; talis enim interdictus solùm prohibitus est ab ingressu Ecclesiæ, quæ prohibitio seruari satis potest, etiamsi extra illam prædicta exerceat, constatque ex c. *Is cui* citato. Versamur autem in materiâ odiosâ, quæ non est extendenda. Vnde (vt suprà notabam dub. 1. & Suarius docet sect. 4. citatâ) ille, qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, non censetur interdictus ab ingressu Cœmeterij; & consequenter non prohiberi in cœmeterio celebrare aut ibi Diuina audire, si celebrentur: cœmeterium enim in rigore non censetur comprehensum nomine Ecclesiæ. In quo etiam consentiunt Filiucius numero 103. & Reginaldus numero 41.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non censetur interdictus ab ingressu cœmeterij.

209. Cur autem possit celebrare, vel audire Sacrum in cœmiterio; non verò possit ibi sepeliri eo ipso quod sit prohibitus ab ingressu Ecclesiæ? nulla est alia disparitatis ratio; nisi quod sepultura prohibetur in citato capite nõ reliqua, quod satis est in legibus positiuis.

Ex dictis constat.

210. Ex dictis etiam constat, & ex ijs, quæ in simili diximus de excommunicatione, non posse absque peccato sic interdictum audire propriè, & formaliter loquendo officia Diuina (quamuis non fiat Irregularis; cùm non exerceat in eo actu actum Ordinis) peccat autem mortaliter, qui notabilem partem sic audiat; est enim contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Dixi autem *propriè & formaliter*, nam materialiter casu, & per accidens, & aliud agens, non videtur peccare, etiamsi contingat audire. Vnde si quis tempore Diuinorum officiorum transeat per Ecclesiam, vel in eâ sit aliquod aliud officium exercens, putà fabri ferrarij, vel murarij, etiamsi toto tempore officiorum ibi sit, non censetur propriè, & formaliter audire, nec peccat. Ita Henriquez, Nauarrus, & Auila suprà. Coninc numero 58. Suarius citatâ disp 35. sect. 4. numero 23. imò, nec si ingrediatur Ecclesiam, ibique priuatim oret quando non celebrantur Diuina officia, vt iam alibi diximus, & quantumuis eodem in loco sit, vel clausum, vel expositum venerabile Sacramentum. Ita Suarius suprà numero 39. Coninc numero 59. Reginald. numero 41. Nauarrus, Auila, Bonacina, Couarr. & alij suprà citati quidquid in contrarium sentiant Syluest. Interdictum 5. quæsito 6. Filiucius numero 105. & Suarius nuper citatus quantum ad illam partẽ de oratione priuatâ vbi contrariam opinionem de rigore Iuris probabiliorem censet propter c. *Latorem* 33. q. 2. Quâ de re iam diximus suprà dub. 1. 5. *Per tale autem* vbi ostendimus verba illius Textus non conuincere.

De hac quæstione non consentiunt Authores.

211. Vtrum autem interdictus possit recipere Sacramentũ, quo tempore non celebrantur Diuina officia? non consentiunt Authores; Affirmant aliqui, Sayrus de suspensione c. 7. 2. num. 11. Auila dub. 5. Henriquez cap. 3. numero 2. Bonacina suprà numero 12. & alij Recentiores. Negat verò Syluest. verbo *Suspensio* q. 5. Suarius disp. 35. sect. 4. numero 5. Coninc disp. 17. dub. 2. numero 56. Angelus verbo *Suspensio* n. 4. & alij etiam multi. Vtrumque mihi videtur probabile, primum; quia interdictus ab ingressu Ecclesiæ non videtur priuatus vsu Sacramentorum, & sepulturæ, quod communiter Intelligi solet per talem prohibitionem, secundum verò (quod videtur probabilius) probatur ex c. *Is cui* de *sentent. excommunic.* In 6. vbi dicitur *cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, consequenter esse interdictam*

Diui-

Diuinorum celebrationem in ipsa; tum quia celebratio in Ecclesiâ supponit necessariò ingressum in ipsam; tum maximè; quia hoc Interdictum præcipuè ferri videtur propter prohibendam Sacrorum administrationem. Quæ ratio æquè procedit de quacumque participatione Diuinorum officiorum in Ecclesiâ, vt omnes Doctores, teste Suario, aduertunt in dicto c. *Is cui* & Innocent. in c. *Sacro. de sent excom.* num. 2. Panormitan. ibidem. Felinus, & alij suprà citati pro hac sententiâ, & Couarrub. c. *Alma* p. 2. §. 1. num. 3.

Author ponit distinctionem inter Sacramenta quæ possunt recipi ab Interdicto. 212 Ego sanè, quamuis in hanc sententiam magis inclinem, quàm in præcentem, adhuc distinguerem inter Sacramenta, nam illa, quæ ex institutione sua æquè bene, & sine vllo priuilegio possunt fieri in loco profano, atque in Ecclesiâ, non videtur præcisè ex prohibitione ab ingressu Ecclesiæ prohiberi in Ecclesiâ: nec videtur esse ingressus formalis (vt sic dicam) in Ecclesiam ingredi ad hæc ibi peragenda; hi enim, vt suprà dictum est, non quicumque ingressus prohibetur materialis; sed ad illa facienda in Ecclesiâ, quæ aliquo modo spectant ad officia Diuina ibi Iure Ordinario peragi solita, nun videtur ad id intrare qui talia Sacramenta ibi peragit, vel suscipit, quorum vnus, & susceptio non est propria illius loci. Vnde contractus Matrimonij (non ago de benedictionibus nuptialibus) & extrema-vnctio non videntur prohiberi intra Ecclesiam, etiamsi quis sit interdictus ab ingressu Ecclesiæ. de Sacramento Baptismi non potest esse quæstio, quia, antequàm illud in re suscipiatur, non est locus Interdicto. De Sacramento verò Confirmationis etiam probabile videtur non esse Iure Ordinario præscriptus locus Sacer ad illud administrandum. Vnde in his Sacramentis satis probabilis est prior sententia. In alijs verò, quæ Iure communi, & Ordinario in Ecclesiâ debent fieri probabilior est posterior sententia, vt est confectio, & susceptio Eucharistiæ, collatio, & susceptio ordinum maximè maiorum. De Sacramento verò Pœnitentiæ dicendum puto si Sacramentum conferendum sit Interdicto, antequàm conferatur absolutio Sacramentalis debere conferri absolutionem ab Interdicto, atque adeò numquàm in sensu composito (seclusâ ignorantiâ) posse conferri, aut suscipi hoc Sacramentum ab interdicto intra Ecclesiam: ipsa tamen Interdicti absolutio non video, quo Iure prohibita sit impendi intra Ecclesiam.

213. Quod verò attinet ad exercitia actuum iurisdictionis in foro externo, vt excommunicare, &c. videtur posse illos exercere intra Ecclesiam quicumque tantum est interdictus ab ingressu Ecclesiæ. De exercitio autem absoluendi Sacramentaliter non est eadem ratio, quia absolutio est simul actus Ordinis, cuius functio prohibita est tali interdicto intra Ecclesiam.

Dubitatur 6. 214 Dubitari potest 6. an Clerici possint tempore Interdicti sepeliri in loco Sacro?

Resp. 215 Respondeo ex dictis posse in loco Sacro etiam interdicto sepeliri corpora Clericorum, sine Ecclesiasticarum personarum quæ personaliter interdictæ non sunt; nec dederunt causam culpabilem Interdicto, nec Interdictum illicita celebratione violârunt. Est communis & recepta sententia dummodò fiat cum moderatione sæpe dicta, id est, sine solemnitate, & sine sono campanarum, sed submissâ voce ex c. *Quod in te de Pœnit. in remiss.* Ita Nauarr. n. 176. Vgolinus 9 §. 2. Henriq. l. 13 c. 44. Suarius disp. 35. sect. 1. & 3. Sotus in 4 distinctione 22. q. 3. art. 1. Syluest. *Interdictum.* 5. quæsito 8 Conimb. num. 22. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. cap. 2. Sayrus c. 8. numero 6. & 13. Filiucius num. 98. Reginald. lib. 32. Tract. 3. numero 37. Auila. p. 5. dis 4 sect. 3. dub. 2. conclus. 3. imò post. c. *Alma mater* licet illos sepelire cum Diuino officio, & Missa supposito quod illo capite concessum sit Diuina officia tempore Interdicti localis generalis celebrare submissâ voce ianuis clausis &c, Ita Sayrus & Auila suprà notabili 3. Henriquez c. 44. Filiucius numero 92. Suarius disp. 35. sect. 1. & alij.

216 Sed quid si cœmeterium vbi Clericus humandus est extra Ecclesiam existat? Respondent aliqui officia celebrari posse in Ecclesia seruatâ moderatione præscriptâ in c. *Alma mater*, deinde cadauer cum silentio transferri posse ad cœmeterium. Ita Suarius suprà n. 10 & alij.

217 In hoc tamen ego adhùc distinguerem; nam si cœmeterium vt sæpe fit est locus clausus muro, etiamsi subdio poterunt etiam fores claudere, & per actus alijs quæ de more intra Ecclesiam fieri solent, nihil obstat, quo minus cum eisdem circumstantijs illa peragantur, quæ ad sepulturam fiunt vsu Ecclesiæ. Si verò cœmeterium sit locus apertus, placet opinio prædicta: Nomine autem Clericorum iam diximus suprà non solùm intelligi tonsuratos. aut ordinibus initiatos, sed etiam Religiosos quoscumque vtriusque sexus; in fauorabilibus enim hi omnes nomine Clericorum comprehenduntur; sed non in odiosis.

DVBITATIO V.

De pœnis violantium Interdictum.

218 ASserendum est primò Clericos tam sæculares, quàm Regulares violantes Interdictum tam personale, quam locale contra Iuris præscriptum, mortaliter peccant ex genere suo, quia Lex Interdicti potissimum, & directè in Clericos ordinatur, & materia ex genere suo grauis est; nisi paruitas excuset. *Asserendū 1.*

219 Assero 2. Laici violantes Interdictum locale generale etiam peccant; non tamen conftiturum est inter Auctores; an peccent mortaliter. Illud videtur omninò certum, eos, in quibusdam casibus qualificatis mortaliter peccare; nempe, si per violentiam se officijs Diuinis in loco interdicto, ingerant, vel Clericis iubentibus exire obtemperare recusent. Idemque videtur iudicium, si fraudibus, ac mendacijs ingressum impetrent, vt, si se fingant Clericos, aut priuilegiatos; talis enim fraus æqui paratur ferè violentiæ; continet enim Iniuriam in re *Asserendū 2.*

graui erga ministros Ecclesiæ. Item peccant mortaliter, si inducunt Clericos, vt coram ipsis officia Diuina celebrent: potiorique ratione, si ipsimet Laici more Clericorum officium Canonicum in loco interdicto peragant. Quâ de re legi potest Sotus dist. 22. q. 3. art. 1. Nauarrus cap. 27. numero 187. Auila. p. 5. disp. 5. dub. 2. Coninc dub. 3. numero 66. Henriquez lib. 13. cap. 46. numero 3. qui laxiùs in hac re loqui videtur. Suarius etiam consentit disp. 34. sect. 5. numero 4. Filiucius. numero 54. & 81. Innocent. in c. *Tanta de excessib. Prælatorum*. Hostiensis, & alij apud Syluestrum *Interdictum* 6. quæsito 7. & apud Sayrum lib. 5. cap. 14. numero 5. Caietanus verb. *Interdictum* in principio. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 18. puncto 2. ad finem. Syluest. suprà Reginald. lib. 32. Tract. 3. num. 42. qui omnes, interueniente contemptu, violentiâ, scandalo, aut simili circumstantiâ extrinsecâ graui, fatentur peccare mortaliter.

Asserendum 3. 220 Assero 3. si Laicus (etiam sine vi, aut fraude) Sacramentum V.g. Eucharistiæ, vel aliud in loco interdicto administrari prohibitum suscipiat, peccat mortaliter. Ita Coninc suprà. Suarius disp. 33. sect. 2. numero 6. & disp. 34. sect. 5. num. 9. quia saltem tunc inducit Clericum, vel cum illo cooperatur ad id, quod ipse citra mortale exercere non potest.

Asserendum 4. 221 Assero 4. si Laicus personaliter non interdictus sine vi, fraude, scandalo, diuinis officijs intersit, probabile est peccare tantùm venialiter, quamuis probabile etiam sit mortaliter peccare. Priorem partem tenet Caietanus, Valentia, Nauarrus, Syluest. Reginald. Sotus, Henriquez, Auila suprà, & alij multi Recentiores; quia Lex Interdicti localis non videtur ad Laicos directè, & principaliter spectare, acproinde neque eius obligatio tã grauis respectu illorum erit. Suarius excipit sect. illâ 5. numero 9. Sacrificium Missæ, cui assistere Laicum mortale putat; cæteri verò Auctores putant veniale. Secundam verò partem, quod absolutè sit mortale ex genere suo, nisi paruitas materiæ excuset, videntur docere Filiucius suprà Coninc numero 64. & 67. Innocentius suprà Hostiensis & alij apud Syluestrum, & Sayrum suprà, Bonacina disp. 5. puncto 7. numero 1. q. 1. Probant verò; quia tunc fit contra prohibitionem Censuræ in materiâ graui. Omnes (vt dicebant) probabiliter loquuntur; mihi tamen magis placet Suarij sententia, qui admittit esse veniale præterquàm in Sacrificio Missæ.

Asserendum 5. 222 Assero 5. Laici violantes Interdictum personale peccant mortaliter ex suo genere. Ita Nauarrus suprà. Sayrus, num. 3. Suar. num. 2. Filiucius num. 85. Coninc. Reginald. Auila, & alij locis citatis. Probatur 1. à simili de excommunicato, qui violans excommunicationem assistendo Diuinis officijs peccat mortaliter ex genere suo; sed non minus priuat Interdictum personale Diuinis officijs quàm excommunicatio: ergo non minus peccabit mortaliter interdictus personaliter, quàm excommunicatus. Probatur 2. à priori; quia talis interdictus operatur contra prohibitionem in materiâ graui, quippe quæ pertinet ad Sacramenta & diuina officia.

223 Dixi autem sæpe *ex genere suo* vt significarem in prædictis posse esse intra speciem violati Interdicti peccatum mortale, fieri tamen posse veniale propter paruitatem materiæ, vel etiam propter ignorantiam, seu inaduertentiam, quæ, sicut urgens necessitas, potest excusare ab omni peccato; quia in vrgente necessitate non censetur simul vrgere præceptum seu prohibitio Ecclesiæ. Nunc iam pro praxi breues aliquas quæstiunculas proponam, & corollaria deducam.

224 Quæritur 1. quibus modis violetur à Clericis Interdictum personale? *Quæritur 1.*

225. Respondeo, tribus præcipuè: primo si personaliter, ac specialiter interdictus Clericus actum proprium sui Ordinis exerceat: secundo, si idem intersit Sacris officijs, vel sibi prohibita Sacramenta suscipiat. Tertio, si aliquem personaliter interdictum post Interdicti denuntiationem, Diuinis interesse vel Diuina celebrare permittat; hic autem tertius modus solum spectat ad eos, quibus Ecclesię regimen est commissum. Ita ex communi sententia docet Auila disp. 5. dub. 1. conclus. 3. Henriquez lib. 13. c. 46. num. 3. *Resp.*

226. Quæritur 2. quibus modis violetur ab eisdem Interdictum Locale. *Quæritur 2.*

227 Respondeo, duobus modis: primo celebrando, Diuina officia non seruatis seruandis præscriptis in c. *Alma mater*, scilicet ianuis clausis, sine pulsu campanarum, submissâ voce, exclusis excommunicatis & interdictis: secundo si ij, quibus regimen Ecclesiæ commissum est, permittant alios sine dictâ moderatione in loco interdicto celebrare. Colligiturque ex c. *non est vobis, de Sponsalibus*, ibi *Ne celebretis, nec alium celebrare permittatis.* *Resp.*

228 Quæritur 3. an Laici violantes Interdictum, pœnam incurrant? *Quæritur 3.*

229 Respondeo nullam, si præcisè spectemus violationem Interdicti, nulla enim talis pœna in Iure constat. Dixi *si precisè* spectemus violationem; nam ex alio capite pœnæ incurruntur, vt videre est in Clementina, 2. de *Sententia excommunicationis*, vbi excommunicatione ligantur Laici cogentes Clericum celebrare Diuina officia in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt Diuinis officijs intersint, quę celebrantur in loco interdicto, aut prohibentes exire interdictos à celebrantibus admonitos, vt exeant; sicut etiam excommunicantur ipsi Interdicti, si post huiusmodi admonitionem exire recusent. Ita Nauarrus numero 104. Sayrus lib. 5. cap. 14. numero 14. Coninc numero 73. Bonacina suprà numero 2. & alij Recentiores. *Resp.*

230 Quæritur 4. quam pœnam incurrant Clerici scienter violantes Interdictum? *Quæritur 4.*

231 Respondeo ipso Iure incurri aliquas pœnas: primò priuari priuilegio Clericali, quod alioquin haberent, vt in loco sacro possint sepeliri c. *Quod in te* de *Pœnit. & remiss.* c. *Is, cui de sent. excom.* in 6. Secundò Clericus personale, aut locale Interdictum violans per exercitium Sacri Ordinis, vel celebrando officia Diuina, fit ineligibilis, tàm actiuè, quàm passiuè. Ita colligitur ex c. 1. de *Postul. Prælat.* & c. *Is, qui. §. Is* *Resp. Clericos scienter violantes Interdictum aliquas pœnas ipso Iure incurrere. Prima pœna. 2.*

verò

verò de sent. Excom. in 6. Ita Syluest. verbo *Interdictū* 6. q. 2. Sotus art. 1. conclus. 5. Suarius disp. 34. sect. 4. numero 28. Henriquez suprà numero 3. Auila disp. 5. dub. 4. conclus. 3. Coninc disp. 17. dub. 4. numero 71. vbi putat hoc probabile, item Caietanus verb. *Interdicti violatio.* Vgolinus tabulâ 5 cap. 15. §. 1. Filiucius cap. 4. numero 86. & num. 147. Reginald. suprà n. 48. imò possunt etiam per sententiam priuari

3 beneficijs, alijsque pœnis affici. c. *Postulatis de Cleric. excomm.* Tertiò Clericus violans Interdictum iuxta multorum sententiam incurrit suspensionem ab officio; atque adeò à Iurisdictione. Ita infertur ex c. vltimò *de Excess. Prælat.* vbi id notat Glossa verbo *Irritas.* Sotus suprà Syluest. suprà q. 3. Couarruu. c. Alma p. 2. §. 2. n. 2. Auila suprà dub. 4. conclus. 2. Suarius disp. 34. sect. 4. n. 16. & alij communiter.

Oppositum docet Coninc.

232 Oppositum tamen docet Coninc qui n. 71. quamuis prædictam sententiam probabilem putet ob Doctorum authoritatem, non tamen satis probari putat ex citato Textu; ibi enim solùm agitur de Episcopo, qui plurimus Censuris subiecerat beneficijsq; spoliauerat, & alijs tradiderat, eo quod Interdictum nollent violare; quæ omnia Iure naturæ patet esse innualidè facta, & hæc ipsius acta ibi solùm dicuntur irrita vt patet ex ijs verbis, *Sententias in quoscumque hac occasione prolatas decernimus irritas, & inanes.* Vbi à contrario sensu potiùs insinuatur sententias ab eodem aliâ occasione prolatas valuisse, ac proinde illum non fuisse à Iurisdictione sus-

4 pensum. Quæ sententia magis videtur Iuri conformis. Prædictæ pœnæ communes sunt omnibus Clericis tàm Religiosis, quàm secularibus. Quare verò pœna additur speciatim contra Regulares non seruantes Interdictum locale generale, quando seruatur ab Ecclesiâ matrice oppidi, seu Cathedrali seu Parochiali; imposita enim est ipso facto Excommunicatio, etiamsi re reipsâ Interdictum sit nullum. Clementina 1. de *sent. Excom.* vbi additur idem esse accipiendum de cessatione à Diuinis indictâ à Concilio Prouinciali. Ita Nauarrus cap 27. numero 146. Henriquez cap. 46. numero 4. Auila p. 5. disp. 5. dub. 3. Sayrus suprà numero 13. Vgolinus suprà. Suarius sect. illâ 4. num. 14. Sa verbo *Interdictum*, numero 13. Filiucius suprà num. 60. Coninc. num. 72. Bonacina citato puncto 7. num. 4. Laym. lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 3. post Panormitanum. c. *Cùm inter* num. 3. de *consuet.*

5 233 Quinta pœna additur contra eum, qui excommunicatum, aut interdictum denuntiatū in loco Sacro, vel alios contra Iuris permissionem in loco interdicto sepelire scienter præsumpserit, scilicet ipso Iure incurrit excommunicationis sententiam. Clementinâ 1. de *Sepultur.*

6 234 Sexta Dominus temporalis, qui compellit Clericum, in loco interdicto publicè, ac solemniter celebrare Diuina vel faciens populum conuocare ad audienda Diuina pulsu Campanæ, aut voce præconis, vel impediens, ne excommunicati, vel interdicti ab Ecclesiâ exeant, dùm Missarum solemnia celebrantur, posteaquàm à celebrantibus moniti fuerūt, & ipsi denique excommunicati, & interdicti, si moniti remanere præsumpserint, excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt. Quæ duæ posteriores communes sunt tam secularibus, quàm Ecclesiasticis, & de secularibus iam suprà diximus, habeturque hæc vltima pœna Clement. 2. de *sententiâ excom.*

235. Septima solet addi contra Clericos scienter violantes Interdictum per exercitum alicuius Ordinis Sacri incurrere scilicet Irregularitatem, vt colligitur ex c. *Is cui de sent. excom.* in 6. 7.
videnturque hanc pœnam docere Auctores citati pro pœnâ secundâ. In quâ secundâ & septimâ pœnâ ideo dixi *per exercitium alicuius Ordinis Sacri* nam violatio Interdicti per exercitium Minoris Ordinis non videtur sufficiens hoc tempore iuxta multorum sententiam ad peccatum mortale, & ad incurrendam irregularitatem; tum; quia vsu receptum est, vt pleraque, quæ fiunt à Clericis minorum Ordinum, etiam à Laicis exerceantur (nisi fortè exorcismus) tum; quia hæc non censetur materia grauis. Ita Suarius disp. 34. sect. 4. numero 10. Reginald. n. 51. Auila citatâ disp. 5. dub. 2. notabili. 1. & alij Recentiores communiter, quamuis contrariū sentiat Filiucius. num. 83 ad finem, & alij. quod satis probabile est, & in hac re me quidem Iudice Philosophandum est iuxta dicta disp. 4. dub. 6. §. *An verò*, & sequentibus, locisque ibi notatis.

Ex dictis obseruandū tripliciter à Clericis Interdictum violari posse.

236 Sed pro maiori intelligentiâ doctrinæ obseruare oportet ex dictis in hac dubitatione & ex Suario disp. 33. à. numero 5. & Filiuzio n. 56. Interdictum à Clericis tripliciter violari posse, primò dum Clericus ligatus Interdicto functionem ordinum exercet, v.g conferendo Sacramenta propria talis ordinis. Secundò dùm, etiamsi ipse non sit interdictus, confert Sacramenta in loco interdicto. Tertiò dum, etiamsi, neque ipse, neque locus sit interdictus; Sacramenta tamen confert interdicto; atque in hoc vltimo casu valdè probabile est non incurrere Irregularitatem; hic enim casus non est Iure expressus; Irregularitas autem non incurritur; nisi in casibus Iure expressis. In prioribus autem duobus casibus Philosophandum est sicuti diximus loco notato de suspensione.

Ex dictis infertur 1.

237 Ex dictis infertur primò subdiaconum fieri Irregularem cantando solemniter Epistolam tempore interdicti eo modo, quo Philosophati sumus de suspensione citatâ dub. 6. assert. 2. docentque communiter Doctores ibi citati, & apud Sayrum suprà num. 20. & apud Vgolinum suprà.

Infertur 2.

238 Infertur 2. fieri irregularem Sacerdotem celebrantem in loco interdicto, aut ministrantem Sacramenta, quæ tempore Interdicti non permittuntur. In illis autem festiuitatibus, in quibus licèt non obstante Interdicto officia Diuina celebrare, Philosophandum est iuxta diuersas opiniones, nam, qui adhuc sentiunt, non extendi concessionem ad alia, quàm ad officia præcisè, consequenter dicere tenentur, etiam tunc incurrere Irregularitatem si administret Sacramenta. Iuxta opinionionem verò probabilem (sed de qua diximus dub. 4. cap. 2. paulò ante finem ab assert. 4. adiuncta etiam prima doctrinâ) quòd eo ipso, quo conceditur

facultas

facultas celebrandi Diuina officia censetur etiã concedi suscipere Sacramenta, dicendum est, sicut nec peccatur, ita non incurri censuram; quod in praxi satis videtur tutum. Legantur ibi dicta.

Infertur 3.

239. Infertur 3. fieri Irregularem aspergendo populum solemniter cum versiculo *Asperges*, aut benedicendo calices, paramenta, vel candelas in die Purificationis, aut oliuas in die Palmarum, & similia, de quibus diximus dub. 4. c. 4. intelligi nomine Diuinorum officiorum. Ita Reginald. suprà, Suarius disp. 33. sect. 3. n. 1. & sequentibus. Filiucius numero 55. Syluest. Interdictum 5. q. 4. Sayrus numero 26. & alij citati.

240. Imò Suarius disp. 34. sect. 4. num. 26. Sayrus suprà. Filiucius numero 89. & alij putant incurrere Irregularitatem, si celebret Diuina officia ex officio. tanquàm hebdomadarius, vt inchoando, vel perficiendo Diuinum officium cum solemnitate propriâ Ordinis Ecclesiastici, hoc enim proprium est sacerdotis vel saltem Diaconi, secùs verò, si hoc faciat, tanquam laicus, etiamsi illa publicè dicat in choro, vel certè, si materia sit ita parua, quæ non sufficiat ad peccatum mortale, vt rectè notauit Suarius eâdem sect. 4. & dicemus agentes de Irregularitate.

Infertur 4.

241. Infertur 4. Episcopum celebrantem in loco sacro à se interdicto incurrere Irregularitatem; nisi pro tunc auferat Interdictum. Ratio est, quam sæpè alibi attulimus; quia Episcopus non potest auferre effectus Interdicti positos à Iure communi, quorum vnus est, vt violans Interdictum per exercitium Ordinis Irregularitatem incurrat. Est communis sententia: Legantur Sayrus, & Vgolinus suprà.

Infertur 5.

242. Infertur 5. non esse Irregularem Clericum violantem Interdictum per actionem non spectantem ad Ordinem, seu officium suum, sed exequentem illam, prout exequeretur laicus. Ideò si Clericus sepeliret in loco Sacro interdicto absque Diuinis tamen officijs, non fieret Irregularis, quippe qui non violaret Interdictum per exercitium proprium Ordinis sacri, secus verò, si sepeleat cum Missâ, aut Diuinis officijs.

Infertur 6.

243. Infertur 6. non fieri Irregularem Clericum, qui pulsat campanas ad conuocandum populum tempore Interdicti ad Diuina officia, vel Missam; quia illud non est officium Ordinis Sacri, maximè, si posteà ianuis clausis, & nullo non priuilegiato assistente celebrat; etiamsi mortaliter peccauerit Campanas pulsando. Ita Suarius suprà, & alij apud Henriquez cap. 46. numero 1. litera D. quamuis contrarium sentiat Filiucius numero 4.

Quæritur.

244. Non tamen puto mortaliter peccare, qui pulsat Campanas intentione fallendi, seu illudendi populo; tunc enim, licèt ex alio capite peccat contra Interdictum; illa enim non est verè conuocatio ad Diuina officia, quamuis populus credat.

Non consentiunt Authores.

245. Vtrum autem incurrat Irregularitatem quia celebret ianuis apertis, modò nullus ingrediatur? non consentiunt Authores. Affirmant Sayrus suprà numero 3. & alij. Nonnulli verò Recentiores negant; probabilissima tamen mihi videtur sententia Sayri, qui enim celebrat ianuis apertis interdictum violat exercendo actum Ordinis Sacerdotalis; neque enim prohibitum est tẽpore Interdicti, siue localis, siue personalis aperire portas, sed celebrare ipsis apertis: ergo tunc, qui peccat contra Interdictum, nõ peccat in eo, quod portas Ecclesiæ aperiat, vel apertas esse permittat; Sed in eo, quod portis apertis celebret: ergo per ipsam celebrationem, & exercitium Ordinis frangit Interdictum, quod sufficit ad incurrendam Irregularitatem. Probabilis nihilominus, vt dicebam, est opposita sententia quamuis enim omninò verum sit tum celebrando violari Interdictum; non tamen violatur per ipsam substantiam celebrationis, sed propter circumstantiam, quod sit ianuis apertis. Quæ circumstantiâ nullo modo pertinet ad actum Ordinis, In quo est maximè notandum discrimen Interdicti personalis, & realis, quòd in Interdicto personali per ipsam substantiam actus Ordinis violatur Interdictũ; Interdicto verò locali generali, non per ipsam substantiam celebrationis precisè, & secundum se, sed per circumstantiam adiunctam.

Notandum discrimen Interdicti personalis, & realis.

Item Interdicti localis generalis & localis specialis.

246. Item aduertere oportet discrimen inter Interdictum, locale, & locale speciale, nam in Interdicto locali speciali violatur Interdictum etiam celebrando ianuis clausis, & sine campanis &c. in tali loco interdicto, quod non contingit in Interdicto generali,

Infertur 7.

247. Infertur 7. eum, qui audit Missas, vel Diuina officia in loco interdicto etiam iussus discedere, vel per dolum, aut vim admissus (quantumuis grauiter peccet, aut etiam incurrat excommunicationem iuxta suprà dicta) non incurrere Irregularitatem; neque enim exercet actum Ordinis Sacri Incurret tamen illam iuxta multorum sententiam, si talis audiens Missam sit Prælatus, qui suam authoritatem interponat in Missæ celebratione; Prælatus enim Ecclesiasticus præcipiens Sacerdoti tempore Interdicti coram se celebrare vel assistens celebrationi incurrit Irregularitatem. Ita Nauarrus c. 27. n. 244. Sylvest. verb *Irregularitas* quæsito 3. Sayrus c. 14. n. 27. & alij: ex c. *Illud de Clerico excommunic.* Verum Auila suprà non putat illum Textum hoc satis probare; solùm enim loquitur de Clerico excommunicato, qui se ingerit celebrationi; addit enim laicum excommunicatum suspensum, vel interdictum non fieri irregularem præcipiendo coram se celebrari; neque enim Irregularitas incurritur, nisi sit in Iure expressa. Legatur Auila 7. p. disp. 9. sect 2. dub. 6. Syluester verbo Irregularitas quæsito 13. Sed de hac re iterum dicemus agentes de Irregularitate. Quod autem, etiam sæcularis cogens aliquem celebrare tempore Interdicti incurrat excommunicationem, iam suprà diximus.

Infertur 8.

248. Infertur 8. qui nullâ est ligatus Censurâ, non incurrere Irregularitatem, etiamsi faciat, vt alius Censurâ ligatus celebret coram se. Ita Auila suprà & alij contra Nauarrum num. illo 244. Vgolinum tabulâ 2. cap. 14. §. 1. n. 11. Couarr. c. *Alma mater* p. 1. § 6. num. 9. ratio verò est, quia non dicitur propriè violare Censuram

suram

furam per exercitium Ordinis; sed esse causam, vt alius violet, si fortè ille sit etiam ligatus, vel esse causam, vt ille celebret. Accedit quòd non sit Iure expressum talem esse Irregularem: ergo non est, iuxta dicta; nec c. *illud est*, de *Cleris excommunicato, vel deposito* (qui Textus pro Nauarri sententiâ afferri solet) obstat, ibi enim (vt dicebam) sermo tantum est de Clerico excommunicato, qui se ingerit celebrationi vt legenti constabit. Legantur, quæ dixi disp. 2. dub. 42. §. *Nulla autem est*.

Infertur 9. 249. Infertur 9. qui interdictus, vel suspensus est ab Ingressu Ecclesiæ, fieri irregularem, si celebret intra Ecclesiam. violat enim Censuram per actum Ordinis sacri. Secùs verò si celebret extra Ecclesiam in Oratorio priuato. Quod si simul sit suspensus, aut interdictus à Diuinis, in quocumque loco celebret incurret Irregularitatem Ita Suarius, & Filiucius locis citatis. Nauarrus n. 170. Syluest. *Interdictum* 6. quæsito 2. Saytus num. 37. Auila citatâ p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 4. patetque ex sæpe allatâ ratione; quia nimirum Oratorium, & similia loca non intelliguntur nomine Ecclesiæ, quando verò Censura afficit personam sine loci determinatione; sed prohibet actum exercendum, vbicumque exerceatur, violabitur Censura.

Infertur. 10. 250 Infertur 10. celebrantem in altari interdicto incurrere Irregularitatem, violat enim Interdictum per exercitium Ordinis Sacri, Ministri verò, qui Missæ inseruiunt, non incurrunt quoties ipsorum functio non est actus Ordinis proprius. Ita Suarius disp. 33. sect. 3. numero 19. Filiucius num. 58. contra nonnullos alios apud Suarium.

Infertur 11. 251 Infertur 11. non fieri Irregularem Clericum interdictum recipientem Sacramentum Eucharistiæ more Laicorum. Ita Suarius ibidem numero 20. Filiucius num. 59. idemque iudicium est de susceptione aliorum Sacramentorum.

Infertur. 12. 252. Infertur 12. non fieri Irregularem Sacerdotem interdictum assistentem Matrimonio aut priuatim baptizantem, illi enim non sunt actus Ordinis. Secus dicendum est, si benedicat sponsos, aut solemnitates Baptismi suppleat. Legatur Suarius suprà numero 21. Filiucius suprà sed de his iterum dicemus agentes de Irregularitate.

Infertur 13. 253 Infertur 13. duplici indigere dispensatione Irregularitatis Clericum interdictum celebrantem in loco interdicto, vel saltem vtramque circumstantiam esse necessariò explicandâ in dispensatione obtinendâ, vt per modum vnius ab vtraque liberetur, siue talis appellanda sit duplex Irregularitas siue vna duplici titulo. In quâ re philosophandum est iuxta dicta in simili de Excommunicatione disp. 3. dub. 31. adiuncta dub. 23. & alijs locis ibi notatis. Legatur Suarius disp. 33. num. 12. Filiucius num. 57. qui plures alios referunt.

254 Infertur 14. tunc tantum fieri Irregularem, qui celebrat in loco interdicto, quando talis Ecclesia, aut locus est denunciatus interdictus; alioquin non censetur vitandus post *Extrauagantem Ad euitanda*, Concilij Constantiensis. *Infertur 14.*

Ita Suarius disp. 34 sect. 4. num 14. & alij communiter.

255 Quæret tamen aliquis primò an, qui celebrat coram Interdicto incurrat Irregularitatem? *Quæres 1.*

256 Respondeo non incurre; quia non extat hæc Irregularitas in Iure. Quæ ratio idem probat de celebrante coram suspenso, vel excommunicato, etiam non tollerato (quamuis Sacerdos excommunicatus incurrat Irregularitatem, si faciat vt alter coram se celebret, de quo suo loco) Ita Nauarrus cap. 25. num. 94. Vgolinus tabul. 1. c. 14. num. 25. §. 1. Filiucius num. 69. Suarius disp. 34. sect. 4. numero 29. Auila suprà dub. 7. & alij. *Resp.*

257. Quæri potest. 2. an Clericus communicans cum interdicto, peccet, & incurrat aliquam pœnam? *Quæres 2.*

258 Respondeo Clericum communicantem cum nominatim denuntiatis interdictis iuxta multorum sententiam peccare, si communicet in his rebus à quibus sunt Interdicti, vt si coram illis celebret, vel illos ad Diuina officia admittat, vel ad sepulturam, vel ad Sacramenta; id enim totum prohibitum est in c. *Alma mater*, imò, si Clericus etiam exemptus ab ordinariâ iurisdictione celebret coram illis aut admittat excommunicatos publicos vel interdictos ad Diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta vel Ecclesiasticam sepulturam, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ donec satisfaciat ad arbitrium illius, qui tulit Interdictum, c. *Episcoporum de Priuileg.* in 6. Ita Vgolinus suprà Sayrus. cap. 14. numero 11. Suarius disp. 37. sect. 1. numero 5. Syluest. *Interdictum*, 6. q. 2. Tabiena eodem verbo. Nauarrus cap. 25. num. 94. Auila disp. 5. dub. 4. conclus. 4 Filiucius numero 57. & 147. Sa verbo *Interdictum* numero 13. Coninc disp. 17. num. 71. & alij multi. *Resp.*

259 Quam doctrinam docet etiam Auila locum habere non solùm in Clericis celebrantibus, sed in ijs etiam qui cùm habeant regimen Ecclesiæ permittunt hos interdictos interesse diuinis officijs; non verò locum habere in illis, qui more Laicorum audiunt Diuina officia, neque habent regimen Ecclesiæ; imò, nec laici tenentur exire (inquit Emanuel Sa) quando Sacerdos scienter admittit Interdictum, nec tenentur (vt ait Auila suprà, vitare interdictos exceptis duobus casibus, quos ipse affert in simili casu de suspensione, & excepta etiam sepulturâ; nam præsumens sepelire nominatim denuntiatum interdictum in loco Sacro incurrit Excommunicationem Episcopo reseruatam in Clementinâ 1. de *Sepulturis*. vt iam diximus suprà in 5. pœnâ de Interdicto autem vitando, quid sentiendum sit diximus disp. 2. dub. illâ 27. & iterum notauimus disp. 4. dub. 6. agentes de suspensione; est enim eadem ratio quoad hoc. Saytus verò, & alij probabilius putant Laicum teneri in Diuinis vitare interdictum, sed, quæ diximus locis notans probabiliora puto.

260 Infertur 15. communicantem cum interdicto in rebus humanis non peccare; neque enim tenemur vitare interdictos in ijs, in quibus non sunt interdicti; quin, nec in Diuinis omnibus tenemur illos vitare; sed possumus à *Infertur. 15.*

suspenso;

suspenso, vel interdicto, etiam nominatim denuntiato audire Missam secluso scandalo, vel simul cum illo interesse Diuinis officijs, & generaliter loquendo, exceptis casibus Iure expressis nullum est peccatum communicare cum Interdicto nominatim denuntiato; cùm nondum verò denuntiato non est communicatio prohibita; sed philosophandum est sicut de excõmunicato tolerato iuxta dicta citatâ disp. 2. dub. 26. & 27.. Ita Rodriguez c. 116. n. 12. Henriquez c. 46. n. 2. & 4. Suarius disp. 33. sect. 3. num. 10. *vers. est autem*, & disp. 37. sect. 2. Filiucius num. 57. Reginaldus num. 47. ad finem, & alij communiter,

261. Quinam verò dicantur nominatim denuntiati larè diximus agentes de Excommunicatione eâdem disp. 2. dub. 28.

Aduertendum. 262. Vnum aduerto, quod attinet ad incurrendam Censuram Interdicti, sufficit interdictum hominem esse denuntiatum nomine aliquo communi, vt nomine officij, vel alio signo manifestante personam in particulari, ita vt aliquo modo verba sint determinata ad personas, quæ interdicuntur iuxta generatim dicta de omni censurâ disp. 2. dub. 19. assert. 2. ad hoc autem multò minus requiritur pro Interdicto, vt comprehendat particulares personas secundariò. Vnde non placet quod aliqui docent, quando scilicet fertur personale Interdictum contra aliquod Collegium, vel communitatem, singulos illius Collegij, vel communitatis non nominari sufficienter; nam si loquantur de expressione sufficienti ad incurrendum Interdictum, omninò sufficit quod communitas illa nominetur; nihil enim aliud & communitas, quàm singuli homines simul sumpti, & verè impossibile est interdicendo communitatem nominare singulos. Accedit, quod in Interdicto locali generali non est necessaria expressa, & particularis denuntiatio singularum Ecclesiarum; sed sufficit copulatim, vel vniuersim significans omnes Ecclesias, vt si quis dicat omnes Ecclesiæ maneant Interdictæ: ergo idem erit in Interdicto personali. Ita docet Sayrus lib. 5. c. 12. numero 23. Suarius disp. 37. sect. 2. n. 3. Auila suprà. Coninc disp. 17. dub. 2. n. 62. Filiucius Tract. 18. c. 6. q. 1. & alij apud Henriquez cap. 43. n. 7.

263 Si verò agamus de denuntiatione requisitâ, vt persona interdicta sit vitanda in ijs, in quibus debet vitari interdictus denuntiatus, non sufficit illa denuntiatio communitatis, vt vnusquisque illius communitatis censeatur nominatim denuntiatus, ut contra Bonacinam diximus dubitatione præcedenti §. *Respondeo cum Suario*; atque in hoc sensu intelligendi sunt Nauarrus & Sa ibi citati.

264. Ex quâ doctrinâ constat multò minus censeri interdictos vitandos illos, qui solùm denuntiantur his, aut similibus verbis. *Qui furati sunt res Ecclesiæ sint interdicti*; hic enim est valde confusus modus denuntiandi, nec, qui sic denuntiatur, potest dici nominatim denuntiatus. Ita Sayrus, & Auila suprà.

DVBITATIO VI.

In quibus casibus incurratur Interdictum?

265. CVm Interdictum aliud sit locale, aliud personale, diuersisque modis incurratur vnum, & alterum, placet de vtroque diuersis capitibus disputare.

CAP. I.

De casibus in quibus incurritur Interdictum locale.

266. ALiqui sunt casus in Iure quibus incurritur locale Interdictum; primus habetur in Extrauag. *Super gentes de Consuetudine*, quando, scilicet, Dominus Regni, vel alterius loci impedit ne legatus vel Nuntius Papæ suo fungatur officio; tunc enim loca impedientis subiacent Interdicto, vt cum communi sententiâ docet Henriquez cap. 43. num. 5. Filiucius Tract. 18. cap. 6 q. 3. numero 237. & alij Recentiores. *Varij casus in Iure quibus incurritur Interdictum locale.*

267. Secundus habetur in Clementina 1. *de Pœnis*, quando Dominus alicuius territorij percutit iniuriosè, aut capit, vel bannit Episcopum, vel mandat hoc fieri, vel dat concilium; tunc enim illius territorium subiacet Interdicto. Legatur Suarius disp. 37. Sayrus c. 12. Filiucius num. 136. Reginald. num. 63.

268. Aduertendum etiam est eam Ciuitatem manere priuatam dignitate Pontificali, vt in eodem Texto habetur. Eidemque interdicto subiacet Ciuitas aliusue locus detinens aliquem Episcopum inuitum, vel mandans prædicta fieri. Idemque iudicium est de Ciuitate, quæ insequitur Cardinales, vel præbet auxilium, vel fauorem insequentibus, vel non punit intra mensem huiusmodi insequutores, si possit punire cap. *Felicis de Pœnis* in 6.

269. Non comprehenditur autem hoc Interdicto Ciuitas Romana, vt ex eodem Texto constat. Legatur Suarius disp. 37. sect. 1. num. 17. & sequentibus, Filiucius n. 139.

270. Hoc ipsum interdictum incurrunt vsque ad restitutionem, & condignam satisfactionem vniuersitas, ciuitas, Collegium, vel locus, si exigant per se, vel per alium ab Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis guidagia, pedagia, vel alia de rebus suis, quas asportant, vel important non causâ negotiationis. Ita habetur, c. *Quanquàm*, de *Censib.* in 6. Quod tamen aliquibus in locis non est vsu receptum. Legatur Filiucius num. 144. Suarius num. 14.

271. Tertiò interdicitur Ecclesia, quoad sepulturam, in quâ sepelitur Hæreticus, vt habetur c. *Quicumque de Hæreticis* in 6.

272. Quartò, quando Dominus vel Rector Ciuitatis, in quâ Papa moritur, non præstat; quæ præscribuntur in c. *vbi periculum de Elect.* in 6. Legatur Suarius suprà num. 21. Filiucius cap. 6. q. 3.

237. Quinto

273. Quinto locale generale incurritur, quando Episcopus,& alij inferiores Ecclesiastici permanent per mensem in Excommunicatione, vel Suspensione contractâ propter culpam concedendi domum publicis, & manifestis Vsurarijs ad exercendas vsuras c. 1. de *Vsuris* in 6. ubi prædictorum terræ post mensem Interdicto subijciuntur quandiu ibi manent Vsurarij.

274. Sexto,& Clerici tàm Regulares, quàm sæculares, inducant aliquem ad vouendum, vel promittendum, quòd in eorum Ecclesiæ sepulturam eliget, vel semel electam non mutabit, & post hæc in eorum Ecclesiâ, vel cœmeterio præsumpserint prædictum sepelire; talis Ecclesia,& cœmeterium sunt ipso facto *Interdicta*; nisi intra decem dies restituant illi Ecclesiæ, in quâ de Iure sepeliendus fuerat, omnia quæ occasione sepulturæ acceperunt, etiamsi non petantur,& vlterius ipsum cadauer, si petatur. Ita habetur c. 1. de Sepultur in 6. Quod Interdictum perseuerat, donec completa fiat restitutio prædictorum omnium. Ita Suarius suprà sect. 1. n. 25. Filiucius n. 141. Reginald. n. 65.& alij multi. Sunt tamen nonnulla aduertenda circa huiusmodi Interdictum.

Aduertendum 1. 275. Aduertendum primò prædictam Constitutionem fuisse latam in fauorem Parochorum, ac proinde, etiamsi Parochus inducat aliquam ad eligendam sepulturam, non incurretur Interdictum; potest enim cedere Iuri suo.

Aduertendum. 2. 276. Aduertendum 2. obligationem restituendi acceptum ratione sepulturæ habere vim etiam ante Iudicis sententiam; quamuis enim quis admittat probabilem sententiam, quod hæc sit lex pœnalis,& lex pœnalis, non obliget ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam, quoties ad sui exequutionem requiritur actio subeuntis illam pœnam; hoc tamen intelligendum est; nisi aliter de superioris mente constet; mens autem Superioris in hoc casu est, vt aliqui volunt, quòd obligetur ad restitutionem non expectatâ Iudicis sententiâ. Quod putant colligi ex illo verbo *obligetur contento* in Textu citato.

277. Ego tamen non video quomodò illud verbum *obligetur* sufficienter significet obligari ad id ante iudicis sententiam; talis enim vox omninò indifferens est ad hoc, vt obligetur post Iudicis sententiam: vel ante. Vnde ego ex alio capite puto obligari, etiam ante Iudicis sententiam; quia nimirum non adquisiuerunt illi Clerici, seu Ecclesia illorum Ius habendi, & reincidēdi prædicta accepta, id enim satis significat illa vox *restituant*; id enim restituitur quod alienum est; potuit autem lex statuere, vt non adquirant ius,& dominium eorum; quæ dantur in tali casu pro sepulturâ, aut occasione sepulturæ; hæc autem obligatio restituēdi, supposito quod non adquiratur dominium, ex naturâ resultat etiam ante Iudicis sententiam.

Aduertendum 3. 278. Aduertendum 3. hanc esse differentiam inter restitutionem acceptorum occasione sepulturæ, & cadaueris restitutionem; quòd illa accepta restitui debent, etiamsi non petantur cadauar autem solùm est restituendum, si petatur. Sunt autem illa restituenda intra decem dies à die sepulturæ computandos, vt cum communi docet Suarius citato num. 25.

279. Aduertendum 4. eam Constitutionem solùm habere locum; quando quis inducit alterum ad eligendam, vel non mutandam sepulturam super impositâ obligatione ad id; nam in Textu solùm ponitur Interdictum ob extortam promissionem, quæ inducit obligationem. Vnde non habebit locum, quamuis quis indicat ad eligendam, vel non mutandam, sine obligatione tamen. *Aduertendum 4.*

280. Aduertendum 5. non incurri huiusmodi Interdictum quando. v. g. vnus Reliosus inducit ad id,& alij Religiosi id ignorantes sepeliunt, aut non restituunt: nam in eo casu bonâ fide sepeliunt. Verbum autem illud Textus *si præsumpserint sepelire*, requirit præsumptionem, vt cum Suario n. 26. docet Filiucius n. 242. Reginald. n. 65. *Aduertendum 5.*

281. Aduertendum 7. prædictam pœnam incurri etiamsi tantùm vnus Clericus sit, qui suam partem non restituat, restituentibus alijs; nam in Textu exigitur, tanquam conditio necessaria, vt non incurratur, vel, vt non perseueret Interdictum, integra, & plenaria omnium restitutio. Hoc tamen ita intelligendum est, vt pars illa, quæ retinetur sit tanti momenti, vt afficiat ad peccatum mortale; nam ad incurrendam Censuram grauem requiritur materia grauis sufficiens ad mortale. Ita Suarius, Filiucius, & Reginaldus suprà. *Aduertendum 6.*

282. Imò, saluo meliori iudicio, non quamcumque materiam sufficientem ad mortale putarem ego dignam tali pœnâ; sed in hoc seruandam esse consuetudinem locorum; nam vbi vsu receptum est, quod excommunicatio non incurratur propter peccatum non restituēdi; nisi materia restituenda sit in certâ aliquâ quantitate, putà vnius scutati, etiamsi quis minorem quantitatem alioquin sufficientem ad mortale non restituat, non videtur sufficere adhoc, vt Interdictum incurratur, aut incursum perseueret, neque enim credendum est velle Pontificem in eo Textu materiam, quæ alioquin non sufficit ad incurrendam priuatam excommunicationem vnius hominis non restituentis, sufficere ad incurrendum Interdictum vnius Ecclesiæ, vel loci.

283. Pro prædictis omnibus casibus, in quibus incurritur Interdictum locale obseruandum est cum Suario suprà sect. 2. ad finem non esse obligationem seruandi huiusmodi Interdictum post Extrauag. *Ad euitanda*, nisi post denuntiationem, quæ ibi requiritur. Idem docet Coninck disp. 7. dub. 5. Filiucius, Reginald, Sayrus, & alij citati dub. præcedenti non longè à fine. *Pro prædictis casibus obseruandum cum Suario*

CAP. II.

De casibus, in quibus incurritur Interdictum generale personale.

284. PRimus casus, in quo incurritur Interdictum personale generale est, quando com-

communitates, seu vniuersitates, vsurarijs alienigenis habitationem concedunt ad suum fœnus exercendum, vt habetur c. 1. de *Vsuris* in 6. vbi continetur etiam Interdictum locale generale, de quo diximus 5. loco in præcedenti c.

285. Secundus casus, quando vniuersitas concedit represalias vel pignorationes contra personas Ecclesiasticas, vel eorum bona, &c, quando ijs concessis ab alijs non reuocat intra mensem concessionem: Tunc vniuersitas illa interdicitur cap. vnico de *Iniurijs* in 6.

286. Tertius casus, quando vniuersitates imponunt, & exigunt decimas, aut aliquid tale ab Ecclesiasticis, vel occupant bona Ecclesiarum, eodem modo suspenduntur c. *Clericis* de *Immunit.*

287. Quartus, quando communitates, scilicet, Vniuersitatis Capitula, vel collegia appellant à sententijs summi Pontificis ad futurũ Conciliũ generale, cui interdicto etiam subijciuntur præbentes concilium, & fauorem. quod habetur in Bullâ Cœnæ numero 2. imò ibi etiam fertur excommunicatio, hoc autem est discrimen, vt notat Suarius citatâ disp. 37. sect. 1. numero 13. Filiucius numero 144. & alij, quod excommunicatio, quæ postea fertur in eos; qui absoluunt contra tenorem illius Bullæ, non videtur comprehendere eum, qui absoluit ad hoc Interdicto, qui limitatur ad eos, *qui beneficium absolutionis impendunt talibus excommunicatione: vel anathemate illaqueatis, vel eorum alicui* nihil verò dicit de Interdicto.

288. Quintus casus habetur in Tridentino sess. 7. cap. 10. vbi sub pœnâ Interdicti præcipitur Capitulis, ne Sede vacante infra annum à die vacationis literas Dimissorias ad ordines recipiendos alicui, *qui beneficij Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedât.* Ita Suarius sect. 1. n. 13. & sequentibus. Henriquez cap. 43. n. 5. Sayrus suprà Coninc suprà dub. 5. Filiucius num. 103.

289. Sextus casus est, quando aliqui causam culpabilem Interdicto generali locali dederunt vt constat ex dictis in præcedentibus dub. 1. §. *Probabile autem*, & alijs in locis. Ita Suarius suprà n. 15. Reginald. n. 67. Syluest. verb. *Interdictum* 4. quæsito 2. Filiucius n. 144. Nauarrus c. 27. n. 169.

290. Septimus casus est, quando Capitulum, & vniuersitas non obseruat Constitutionem Ioannis 22. circa fructus beneficiorum vacantium; tunc enim subiacet Interdicto Extrauag. vnicâ de *Sede vacante.*

Doctrina Suarii legenda. 291. Tandem aduertere oportet doctrinam Suarij maximè præ oculis habendam in his Interdictis personalibus generalibus, quæ incurruntur ob culpã cõmunitatis, seu populi, quod, cùm plures de Populo sint innocentes, per Interdictum generale loci non cẽsentur interdicti personaliter; nisi qui sunt in culpâ dando causam culpabilem Interdicto; quod etiam locum habet in Interdicto locali generali. Legatur Suarius à n. 15.

CAP. III.

De casibus in quibus incurritur Interdictum speciali personale.

292. Multi etiam sunt casus, in quibus ipso Iure incurritur Interdictum personale speciale: præcipuè sunt, quos hic referam omissis alijs, qui videri possunt apud Authores citandos.

293. Primus casus est, quandò quis recipit dignitatem Ecclesiasticam de manu laici, vt habetur c. *si quis deinceps* 16. q. 7. suspenditur enim ab ingressu Ecclesiæ legatur Suarius suprà numero 9.

294. Secundus casus eiusdem Interdicti est, quando Prælati sibi aliquid vsurpant ex redditibus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum, sibi subditarum, vt habetur *Præsenti de officio ordinat.* in 6.

295. Tertius casus est, quando Abbas, vel Episcopus in alienandis bonis Ecclesiæ non seruat Extrauagantem *Ambitiosæ*, vbi illa est vsu recepta neque enim recepta est, vbique. Legatur Suarius suprà num. 10. & disp. 23. sect. 4.

296. Quartus casus, quando Sacerdos admittit interdictum ad Diuina officia. Legatur Suarius disp. 37. sect. 1. n. 6. Filiucius n. 147.

297. Quintus casus est. quando inferior Episcopo fert Censuram siue scripturâ, vel sine cõpetente, aut Canonicâ monitione, vel absque expressione causæ; tunc enim incurrit suspensionem à Diuinis officijs, & ab ingressu Ecclesiæ c. 1. de *sentent. excommunic.* in 6, & c Sacro eodem titulo, vt notauimus disp. 2. dub. 18. & duabus sequentibus. Legatur Suarius citatâ disp. 37. sect. 1. numero 3. Filiucius n. 146. Coninc n. 74.

298. Sextus casus, quando Episcopus in visitatione recepit aliquid quod sibi non debetur; nisi intra duos menses duplum restituat. c. 2. de *censib.* in 6. & colligitur ex Tridentino sess. 24. cap. 3.

299. Septimus est. quando quis violat Interdictum locale, saltem generale, incurrit Interdictum ab ingressu Ecclesiæ c. *Episcoporum* de Priuilegijs in 6. Ita Suarius suprà numero 5. Filiucius numero 147. & alij multi.

300. Octauus casus est, quando Iudices Ecclesiastici officiales illos, qui sunt Romanæ Curiæ, aut alios, qui Romanam Curiam pro suis negotijs sectantur, pnuant suis beneficijs, eaq; alijs conferunt. Extrauag. 3. de *Priuilegijs* in quâ simul fertur Interdictum absolutè, & suspensio, atq; excommunicatio.

301. Rectè autẽ notant Authores aliqui, quod cùm hæ Censuræ generaliter ferantur verbis generalibus contra omnes quacunq; dignitate fulgentes, censeri potest huiusmodi Censuris nõ singulos affici; sed debitâ cum proportione, vel (vt aiunt) per distributionem accommodam, ita, vt Episcopi alijq; superiores solùm ligentur censurâ excommunicationis; non verò Interdicti; vel suspensionis; nam iuxta regulam generalẽ de quâ sæpè diximus Episcopi nõ ligantur Interdicto, aut suspensione generaliter latis. *Notant authores aliqui*

302. Notan-

202. Notanda præterea est differentia inter Censuras eo capite expressas; nam excommunicationis absolutio reseruatur Papæ; non verò absolutio Suspẽsionis, aut Interdicti, nulla enim ibi fit mentio reseruationis horum. Legatur Suarius suprà numero 8. Filiucius numero 148.

203. Nonus casus est quando Prælati edunt commendatia in Tridentinum; tunc enim interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ à Pio V. in Bullà Confirmationis Concilij Tridentini.

204. Decimus casus est, quando Metropolitanus non defert summo Pontifici intra tres menses per literas, vel nuntium suffraganeum vltra annum non residentem.

205. Vndecimus casus est, quando vice versà suffraganeus non defert Metropolitanum non residentem. Quà de re legatur Tridentinum sess. 6. c. 1. de *reform.* ad finem vers. *Crescente verò*

206. Duodecimus casus solet assignari; quando Clericus in crimine fornicationis perseuerat. Ita Suarius suprà n. 15. Filiucius n. 145. Quod dicitur esse Interdictum ab ingressu Ecclesiæ Legantur disp. 4. quæ diximus dub. 7. c. 3. §. *Trigesima sexta.*

DVBITATIO VII.

De absolutione ab interdicto.

207. NOtandum in hac re est, sicut suspensio alia est purè pœna propter delictũ merè præteritum, & alia simul medicinalis, & quæ respicit correctionem in futurum, habetq; propriè rationem Censuræ, ita similiter Interdictum aliud esse puram pœnam propter delictũ merè præteritum; aliud verò propriè dictum censuram respiciens præsentem contumaciam, & correctionem ab illà.

208. Ex hoc fit quod, sicut de suspensione, quæ purè pœna est, diximus posse absq; vlla absolutione cessare per solùm lapsum temporis, pro quo fuit imposita: ita similiter Interdictum quod purè pœna est, absolutè cessare potest sine vllâ absolutione. Iam verò quærimus modum tollendi Interdictum, quod habet rationem Censuræ; in hoc enim iuxta dicta disp. 1. dub. 2. & 3. indiget absolutione, sicut & quæuis alia propriè dicta Censura. Quod autem Interdictum aliquod sit, tanquam purè pœna, & hoc cesset elapso tempore, pro quo fuit impositum, vel impletâ conditione vsq; ad cuius impletionem impositum fuit, docent communiter Doctores ex c. *Dilecti filij.* Ita Auila p. 5. disp. 6. dub. 1. Conink disp. 17. dub. 6. n. 76. Suarius disp. 38. sect. 1. Sa verbo *Interdictum* n. 2. Sayrus c. 15. n. 2. Reginald lib. 32. Tract. 3. n. 53. Filiucius n. 114. quamuis Suarius ibi, & Filiucius n. 115. ex parte videantur dissentire.

Quæritur 1. 209. His positis quæri potest primò; quis possit tollere Interdicta localia possita à Iure, quæ non sunt reseruata?

Resp. 210. Respondeo id posse Episcopum, vel aliũ habentem iurisdictionem similem in communitatem interdictam. Ita colligitur ex c. *Nuper de sentent. excommunic.* & probat ratio illa generalis, quam in simili attulimus agentes de Suspensione, quia nimirum Episcopus potest dispensare in ijs, quæ non sunt reseruata; Interdicta autem prædicta non sunt reseruata: ergo &c. Ita Auila 5. p. disp. 6 dub. 1. dub. 1. conclus 8. & dub. 4. conclus 3. Conink citato n. 76. Reginald. n. 55. Filiucius n. 122. c. 4. & n. 124. Henriquez lib. 13. c. 48. n. 3. & alij, qui etiam addunt posse huiusmodi Interdictum ab Episcopo suspendi ad tempus, sicut enim potest illud simpliciter relaxare: ita videtur posse ad tempus suspendere. Hoc tamen difficultate non caret; nam si Episcopus potest relaxare Interdictum positum à Iure, tanquam propriam Censurã solùm est in casu, quo sit facta correctio; nam interim dum perseueratur in delicto, & contumaciâ, non videtur posse; quia semper atque perseueratur in tali delicto censetur Ius commune Interdictum illud causare, & ferre; nec censetur concessisse facultatem Episcopo; nisi suppositâ correctione ex parte hominis interdicti, nec meritò potest aliud præsumi; positâ autem correctione non est locus relaxationis ad tempus respectu illius Interdicti impositi à Iure; nam semel ablato Interdicto non est cur reuiuiscat ex vi Iuris, cũ ablata etiam sit contumacia, vt supponimus. Quod si iterum contumacia, peccatumq; redeat incurretur quidem Interdictum; non verò redibit Interdictum antiquum; sed aliud nouum propter nouam culpam, nunquam ergo est locus relaxationis ad tempus illius ipsius Interdicti quod semel fuit incursum. Vnde existimo Authores intelligendos esse de merè Interdicto quatenus est pœna delicti præteriti. v. g. per mensem si enim à Iure ponatur Interdictum vnius mensis, si totius mensis Interdictum potest relaxari Episcopus, saltem ex causá quando Pontifici non reseruatur, poterit etiam ex causâ per aliquot dies illius mensis relaxare.

211. Quod diximus de Interdicto locali locũ habere potest in Interdicto personali, quando nõ est summo Pontifici reseruatũ maximè si sit personale generale, & videtur colligi ex c. Nuper citato. Legatur Suarius disp. 38. sect. 2. Ita docet Layman lib. 1. Tract. 5. p. 4. c. 5. numero 1. qui etiam refert ex Auila q. disp. 6, dub. 1. conclus. 8. nullum in Iure recipere Interdictum quod Papa sibi reseruauerit. *Quod dictũ est de Interdicto locali locum habet in interdicto personali nõ reseruato summo Pontifici.*

212. Rectè etiam docet Interdicta personalia communitatis interdum tacitè reseruari, quando, scilicet ad certum tempus, vel sub certâ conditione imponuntur, ante cuius impletionem Episcopus dispensare non potest; nisi Interdictum proueniat ex delicto occulto non deducto ad forum contentiosum. Circa similes enim casus possunt Episcopi iuxta sæpè dicta maximè disp. 3. dub. 3. 4. & sequentibus, in simili de absolutione ab excommunicatione.

213. Alioqnin ab Interdicto lato à Iure reseruato Papæ, vel ab Interdicto lato à Papa, tanquam ab homine non potest Episcopus absoluere. Ratio est, tum quia sicut non potest concedere facultatem alicui celebrandi in loco à Papa interdicto quando manet *Quando Censura fertur ab homine tacitè Censetur illam reseruare.*

interdictus, ita nec videtur posse auferre Interdictum à Pontifice latum; tum quia inferior non habet iurisdictionem in superiorem maximè quando superior reseruat. Quando autem censura fertur ab homine, tacitè censetur illam reseruare; quod consonat cum ijs, quæ diximus disp. 3. dub. 14. in simili de absolutione ab excommunicatione latâ ab homine, idque maximè locum habet in censurâ, quæ particulariter fertur ab homine. Interdictum autem locale, etiam si sit generale, semper censetur particulare; quantumuis enim locus sit generalis, est res determinatè vt iam in præcedentibus notauimus, atque in omni Censurâ iuxta ibidem dicta verum est, eo ipso, quòd à superiore imponitur pro culpâ præterita (quamuis etiam in ordine ad tollendam contumaciam) censeri Superiorem illam reseruare. Iam verò pro praxi aliqua decidenda sunt.

Quæritur pri. 214. Quæritur primo an Interdictum locale cesset per alienationem loci? aut personale per loci mutationem.

Resp. 215. Respondeo non cessare iuxtà suprà dicta & regulas generales sæpè traditas, quia interdictum locale afficit locum, & personale personam, atque adeò comitatur locum, vel personam vbicumque sit.

Quæritur 2. 216. Quæri poterit 2. an Interdictum locale cesset destructione ædificiorum loci interdicti?

Resp. 217. Hac de re latè tractat Suarius disp. 38. sect. 1. a numero 9. nos autem breuiter respondemus non cessare. Ita idem Suarius ibidem. Reginald. numero 59. Layman suprà num. 4. Bonacina disp. 5. Filiucius num. 118. Ratio verò est, quia non solùm censentur interdicta ædificia; sed etiam solum ipsum; hoc autem semper tanquam ædificiorum basis, & fundamentum. Ex quo rectè inferunt Authores dirutâ Ecclesiâ interdictâ non posse in eius solo cadauera sepeliri.

Quæritur 3. 218. Quæritur 3. an Interdictum personale communitatis eo ipso expiret, si communitas dissoluatur?

Resp. 219. Hâc de re etiam Suarius latè suprà, Coninc suprà numero 78. Filiucius numero 118. Reginald. numero 60. quos refert, & sequitur Bonacin. Putant verò hi Authores cessare quoad insontes, non verò quoad sontes nam sontes censentur (quoad effectû) particulariter interdicti, quippe qui causam culpabilem Interdicto dederunt. Layman verò suprà, & alij absolutè docent dissolutâ communitate dissolui Interdictum communitatis, & quidem si præcisè formaliterque loquamur de Interdicto communitatis, quatenus communitatis, non potest esse dubium, quin dissolutâ cõmunitate cesset: sicut enim homo, qui non est, non est albus, ita communitas, quæ non est, non est interdicta, & in hoc sensu non negabunt id cæteri Authores citati. Quod autem particulares sontes illius communitatis maneant interdicti, non est, quia illud Interdictum generale immediatè afficiens communitatem perseueret in ipsis; sed, quia ipsi, vel expressè, & directè, vel virtualiter, & quasi consequenter (quamuis in alio sensu principaliter interdicti sunt interdicto speciali attingente ipsos, & à quo debent liberari per absolutionem, præmissâ debitâ, & legitimâ satisfactione; tale autem Interdictum, quod respectu illorum est speciale, quamuis initio latum fuerit simul cum generali habet rationem Interdicti specialis, quod potest perseuerare etiam dissolutâ communitate si adhuc maneant subiecta particularia, quæ tali Interdicto afficiebantur,

220. Quæritur 4. an possit à Parocho Interdictum locale, vel personale non reseruatum auferri, vel alio Confessario. *Quæritur 4.*

221. Respondetur primò, quod attinet ad Interdictum locale, non posse tolli à confessario, etiam Parocho; quia, cùm locus non sit materia, aut subiectum fori Pœnitentiæ, non pertinet ad Confessarium illud auferre, sed ad Episcopum, vel alium habentem iurisdictionem in foro externo. *Resp. 1.*

222. Respondetur 2. nec Parochum posse absoluere ab interdicto personali generali, quia communitas, vt communitas non pertinet ad forum Pœnitentiæ, in quo solùm iudicatur de particulari personâ, & de ijs, quæ illa suâ sponte subijcit; neque dici potest, quod vnaquæque in particulari possit absolui, & sic tolli, saltem quoad illam Interdictum, nam, si loquamur de ijs interdictis sontibus, qui causam dederunt interdicto, illi debent liberari ab Interdicto, tanquam personæ particulariter interdictæ, & tale genus Interdicti non pertinet ad totam communitatem, sed philosophandum est de illo, tanquam de speciali Interdicto, de quo nunc non agimus. Præterea sequeretur communitatem esse Interdictam, particulares verò personas interdictas non esse; quia singulatim absolutæ sunt, maximè, si absoluerentur sontes. Legatur Suarius sect. 2. numero 6. Reginald. numero 56. Filiucius num. 125 Layman suprà numero 2. *Resp. 2.*

223. Quæri potest 5. quis possit absoluere ab Interdicto personali particulari non reseruato? *Quæritur 5.*

224. Respondeo 1. Parochum posse iure cõmuni; quia potest ab alijs Censuris iuxta dicta de excommunicatione disp. 3. dub. 2. ergo poterit etiam ab Interdicto; neque inde apparet inconueniens; atque ita videtur colligi ex c. *Nuper* de *sententiâ Excommunic.* Ita Suarius suprà Coninc n. 77. Reginaldus. n. 56. Filiucius Tract 18. c. 5. quæsito 8. & alij communiter ad dictum c. *Nuper.* *Resp. 1*

225. Respondeo 2. Regulares aliique habentes priuilegium absoluendi ab omnibus Iuris Censuris in foro conscientiæ, habent facultatem absoluẽdi ab omni Interdicto Iuris speciali personali. Ita cum communi sententia docent Henriquez lib. 13. c. 35. n. 3. Auila disp. illâ 6. dub. 2. Laynam suprà & alij multi. *Resp. 2.*

226. Quæritur 6. an prædictum interdictum personale particulare nõ reseruatum possit tolli à quouis exposito Confessario post satisfactionem, vel satisfaciendi cautionem? *Quæritur 6.*

227. Negant aliqui, etiamsi id concedant Parocho. alij verò, etiam negant de Parocho, nedum de quouis alio. Ita Henriquez c. 5. n. 2. Auila p. 5. disp. 6. dub. 1. conclus. 2. affirmat verò Suar. Coninc, Filiuc; Reginald. nuper citati, & *Resp.*

Layman

Confessarius habens potestatem absoluendi à peccatis habet etiam tollendi impedimentum non reseruatum.

Layman suprà n. 3. quia nimirum prædictum Interdictum non minus, quàm excommunicatio prohibet à perceptione Sacramentorum, sed eo ipso, quod Confessarius habet potestatem absoluendi à peccatis, habet potestatem tollendi Impedimentum non reseruatum, atque adeò sicut potest tollere excommunicationem non reseruatam; potest etiam tollere impedimentum argumento c. *Nuper de sentent. Excommunic.* Hæc doctrina consonat cum ijs, quæ diximus disp. 3. dub. 2. ibi legantur.

Quæritur 7.

228. Quæri potest 7. an Interdictum annexum excommunicationi reseruatæ, sit reseruatum?

Resp.

229. Respondeo negatiuè vnde iam in præcedentibus notauimus contineri in Bullâ Cœna Interdictum, & excommunicationem circa aliqua delicta, & excommunicationem esse reseruatam, non verò Interdictom, quia postea tempore reseruationis tantum reseruatur excommunicatio. Estq; communis sententia. Ita Toletus lib. 1. c. 55. Sayrus n. 17. Bonacin. suprà n. 7. & alij communiter, Ratio verò est, quia in re maximè odiosâ non est amplianda lex reseruationis.

Quæritur 8.

230 Quæri potest 8. an censeatur sublatū Interdictū, quando non seruatur ab eo, qui illud tulit?

Resp.

231. Negat Sayrus c. 55. n. 15. & cum illo Bonacina n, 8. quia nullâ sufficienti ratione probari potest Interdictum esse sublatum.

232. Nihilominus probabilius existimo præsumi posse sublatum, eo ipso quod qui tulit Interdictum seclusâ ignorantiâ illud non seruat, quia non censetur velle se implicare grauissimis pœnis, & Irregularitate, violando Interdictum. Quæ omnia potest facilè excusare tollēdo, vel suspendendo illud. Cum ergo nemo præsumatur malus, nisi probetur, & actus ille peccatum graue sit, si adhuc vigeat Interdictum & in potestate exercentis actum sit, quod Interdictum non vigeat, & actus non sit malus, ita præsumendum videtur.

233. Verum autem formaliter per illam actionem non seruandi interdictū, auferri possit? alia quæstio est, de qua dicemus infrà quæsito 11.

234. Dixi *seclusâ ignorantiâ*, quia fieri posset, per ignorantiam, vel potius errorem, qui tulit interdictum, putaret se non teneri ad illud seruandum; tunc autem, si de ignorantiâ constaret, non sufficeret quòd ille non seruaret Interdictum, vt iudicaremus illud esse sublatum.

Quæritur 10

235. Quæri potest 10. an sit aliquando conferenda, & ad quid deseruiat absolutio Interdicti ad cautelam?

Resp. in omni interdicto excepto generali potest dari absolutio ad cautelam.

236. Respondeo 1. dari posse in omni Interdicto excepto generali locali; nam in hoc non habet locum, ut cum alij probat Suarius disp. 28. sect. 3. n. 2. & ex c. *Præsenti de sententiâ Excomm.* in 6. vbi dicitur in huiusmodi Interdicto non habere locum beneficium relaxationis ad cautelam; sufficiens autem ratio est; vt rectè notat Suar. quod ita Ius positiuum instituerit à quo hæc omnia maximè pendent; nec deest congruentia sic instituendi nempe propter grauitatem huius Censuræ, quæ cum valde publica sit, voluit Ius, vt, quando nulla esse dicitur, vel declaretur nulla, vel simpliciter tollatur. Legatur Suarius ibi, vbi contra Nauarrum ostendit non satis ex Iure probari, aliquando relaxandum esse hoc Interdictum locale generale ad cautelam; nam exempla, quæ affert Nauarrus, vel solùm sunt Interdicti personalis, vel absolutio, quæ ibi impeditur, non ad cautelam, sed absoluta relaxatio est

237. Porro in alijs Interdictis esse locum relaxationi ad cautelam docet Suarius ibi num. 3. Gloss. in dicto *Præsenti* Couarr. cap. *Alma.* p. 2. §. 2. numero 5. Reginaldus numero 58. Filiucius numero 527. Bonacina suprà numero 9. qui testatur de communi, & quidem de Interdicto speciali locali videtur colligi ex dicto c, *Præsenti*, vbi (vt ex Couarrubia notat Suarius. & ex decissione Rotæ, pluribusque Authoribus) illa verba, quæ in Textu habentur, generaliter *in Ciuitates, & castra &c.* postea videntur ad excludendum ab illâ negatiuâ Interdictum particulare locale. Vnde relinquitur locus tali absolutioni pro particulari locali, ac proinde etiam pro alijs personalibus. Pro quibus omnibus ratio est; quia hoc beneficium communiter conceditur in quacumque Censurâ: ergo, vbi specialiter non negatur, censetur esse concessum. Ita Suarius ibidem cum Nauaro, & c. *Cum contingat* de *Rescriptis* Remedio 6. Syluest. verbo *Interdictum* 3. q. 9. Angel. *Interdictum* 8. numero 2. qui alios Authores referrent, & addunt congruentiam; quia hoc interdictum priuat receptione Sacramentorum, in quo assimulatur excommunicationi ac proinde in illo etiam modo relaxationis debet illi assimilari, probarique potest ex c. *Qua propter* circa finem de *appellat.* illis verbis, *De his etiam, qui conqueruntur se irrationabiliter excommunicationi, vel Interdicto suppositos, illud idem dicimus* (scilicet esse absoluendos) *etiamsi ij, qui huiusmodi protulerunt sententiam, ad sedem Apostolicam duxerint appellandum.*

238. Accedit, quod in c. *Venerabilis de sentent. Excommunic.* dicitur etiam sententia suspensionis relaxari ad cautelam. Quod frequentius potest accidere in Interdicto personali particulari, de quo tantùm videtur loquutum illud c. *Quâ fronte.*

239, De Interdicto verò generali personali, quamuis (vt notat Suarius) alij Authores ab ipso citati nihil expressè dicant, imò Syluest. Angelus, Nauarrus, & Couarru. absolutè dicant absolutionem ad cautelam non habere locum in Interdicto generali, non distinguentes inter locale, & personale; tamen, supposito, quòd interdicto cap. Præsenti tantùm sermo sit de locali Interdicto, consequenter dicendum est ex vi illius Textus non negari absolutionem ad cautelam pro personali generali, ac proinde censeri concessam, & cùm denegatio talis beneficij non contineat fauorem. sed rigorem potius; non videtur extendenda vltra vim verborum; atque adeò, nisi fortè consuetudo alicobi in contrarium sit, locus erit tali absolutioni pro Interdicto personali generali.

240. Respondeo 2. absolutionem ad cautelâ

non esse (vt aliqui putârunt) inutilem; sed deseruire, quando dubitatur; an contracta fuerit Censura ad maiorem conscientiæ tranquillitatem, & ita impenditur sub eâ conditione, si pœnitens indiget. In quo philosophandum est iuxta dicta de *Excommunic.* disp. 3. dub. 38. est enim eadem ratio in plerisque maximè cùm hæc etiam possit impedire perceptionem Sacramentorum, à quibus Interdictus arcetur; & quando dubium est, an inciderit? vtile est ad cautelam absoluere. Legantur quæ diximus loco notato.

Quaritur 11 241. Quæres 11. an sint aliqua verba determinata pro absolutione, aut reuocatione Interdicti?

Resp. 242. Respondeo nulla esse; sed sufficere, & requiri illa, quæ voluntatem tollendi Interdictum existentem in habente potestatem sufficienter significent. In quo consentiunt Doctores Theologi, Canonistæ, & Summistæ.

pro ablatione Interdicti nulla determinata verba requiri.

243. Docent tamen communiter requiri aliqua verba, neque sufficere alia signa, quod commune est alijs Censuris. Hæc autem cum Suario suprà numero 1. ita puto intelligendũ, vt alia signa per se sumpta non sufficiant, tamen, si coniungantur aliquibus verbis cum illis posse complere perfectam significationem. Adhibet exemplum Suarius, quando Episcopus non seruat Interdictum à se latum; tunc enim, quamuis solùm non seruare Interdictum, non sit sufficiens signum relaxationis argumento c. *Cum desideres de sentent. excommunic.* quia illa absolutio nullò modo est verbalis. & ideò solùm Summo Pontifici licèt illo modo reuocare Censuram, quia non est adstrictus ordinario Iuri; at verò si talis Episcopus dicat intentionis suæ esse Interdictum relaxari cum primum illud non seruauerit, illud satis erit ad relaxandum Interdictum, quod docuit Syluest. cum Calderino *Interdictum* 3. q. 9. Quam doctrinam approbat Suarius (licèt aliqui dubitent) quia licèt factum illud (inquit) per se non sufficiat, tamen cum verbis coniunctum est sufficiens signum, & dici potest verbalis relaxtio. Sicut, si per verba interrogaretur an vellet interdictum relaxare? & annueret solis signis satis in rigore esset, quantum spectat ad substantiam formæ quamuis non rectè faceret Episcopus vtens his signis vel ambiguis; vel incertis.

244. Ex hac doctrinâ Suarij iam emergit alia quæstio, quam quæsito 9. tetigimus. an scilicet quando Episcopus non seruat Interdictum à se latum, per illam non obseruationem formaliter possit tollere Interdictũ; nam quod tunc præsumi possit iam esse sublatum, diximus iam eodem quæsito 9. Et quidem iuxta doctrinam nuper relatam à Suario videtur dicendum nudam illam non obseruationem Interdicti non esse sufficientem ablationem illius, seu sufficiens signum, quo illud auferatur si præcisè, & formaliter loquamur; sed solùm dici potest ad summum sufficiens signum, quo cæteri sibi persuadeant illud iam fuisse relaxatum. Ratio est siue, quia Censura non tollitur, nisi verbis, vt Suarius, & plerique alij volunt; siue quia illa non obseruatio non sufficit; nisi aliqua verba præcesserint, quibus Episcopus dixerit se relaxare Interdictum cùm primùm cœperit illud non obseruare.

245. Verum ex ipsamet Suarij doctrina (quidquid sit, an benè faciat Episcopus) argumento maximè ad hominem concludi videtur non esse simpliciter necessaria verba ad relaxandum Interdictum; nam si, Suario ipse concedente, vt videmus, Episcopus per verba interrogatus, an vellet Interdictum relaxare? annueret solis signis, satis in rigore esset ad Interdictum relaxandum, quantum spectat ad substantiã formæ relaxationis; necessariò videtur inferri non esse necessaria verba in tali enim casu ex parte absoluentis, seu relaxantis nulla verba adhibentur, sed solus nutus. Quod autem illa verba adhibeantur ex parte interrogantis, extra rem est; nam forma absoluendi, non solùm in Sacramentis sed etiam in Censuris ab ipso ministro absoluente adhibenda est. Itaque existimo sufficere signa ex parte relaxantis (vt manifestè concedit Suarius in prædicto exemplo) ad validè; quamuis non ad licitè, tollendum Interdictum: licitè autem faceret, si ex superueniente impedimento loqui non posset, neque esset alius cui per signa committere posset facultatem relaxandi. Qui casus vix potest contingere.

246. Quæres 12. an Papa possit auferre Interdictum per solam voluntatem internam? *Quaritur* 12.

247. Respondet Sayrus suprà num. 6. Auila disp. 6. dub. 6. Bonacina suprà num. 10. & alij multi posse; quia Censura non ligat vltra voluntatem legeslatoris. Si ergo legislator non vult obligare, re ipsâ non obligat. Negant verò posse Episcopum auferre Censuram per solam voluntatem internam argumento c. 1. *de Regulis Iuris.* *Resp.*

148. Ex hoc principio consequenter colligunt ignorantes reuocationem factam à Pontifice per solam voluntatem, peccare quidem violando Interdictum; non tamen incurrere Irregularitatem, aliasve pœnas; quæ solùm incurruntur à violantibus verum, & validum Interdictum, quale non est illud positâ iam illa internâ voluntate reuocandi. Quæ sententia probabilis est. Et legi potest Reginaldus suprà n. 57. Caietanus verb. *Absolutio.* Filiucius suprà numero 127.

249. Doctrina tamen hæc difficultate non caret; nam leges humano modo positæ, humano etiam modo debent auferri. Ille autem modus auferendi legem per actum merè internum non est modus humanus Reipublicæ sensibilis, & sicut lex non obligat, sine sufficienti intimatione; ita neque abrogatio legis valet, sed de hac re in Tract. de *Legibus*, latius dicemus.

Leges humano modo positæ etiam humano modo tolli debent.

250. Quæri potest 13. an sit aliqua specialis solemnitas, aut ceremonia seruanda in tollendo Interdicto? *Quaritur* 13

251. Respondeo non esse. Legantur quæ diximus in simili de Excommunicatione disp. 3. dub. 40. circa finem. *Resp.*

DVBI-

DVBITATIO VIII.

De Cessatione à Diuinis.

CAPVT. I.

Quæ sit eius natura, & quotuplex.

Definitio Cessationis à Diuinis.

252 CEssatio à Diuinis alio nomine organorum suspensio solet appellari,& est Ecclesiastica prohibitio; ratione cuius Clerici in certo aliquo loco à Diuinis Officijs,& Sacramentorum administratione cessare debent, nisi; quatenus eam administrationem necessitas postulat. Appellatur autem cessatio à Diuinis,quia pro eo tempore, quo durat, cessat minister Ecclesiæ à prædictis officijs;& administratione. Ita Nauarrus cap. 27. numero 188. Henriquez lib.13.cap.52. numero 1. Sayrus lib 5. cap. 17. numero 2.Suarius disp. 39.sect. 1. Sayrus lib. 5. cap.17.Filiucius Tract.18.c.7.Coninc disp. 17. dub 7.numero 79.Reginald.nu.70.& alij communiter.

Cessatio à diuinis est duplex.

253 Hæc cessatio duplex est alia generalis, qua prohibentur Diuina in loco vniuersali, vt in regno,Castro, Ciuitate, villa; alia est particularis, quâ prohibentur in loco particulari, vt in vnâ, vel pluribus Ecclesijs eo modo, quo diximus de Interdicto. Ita Suarius suprà num 5. Auila p.6.disp 1.dub.2. Filiucius suprà quæsito 2.Henriquez suprà,& alij communiter.

Cessatio distinguitur ab Interdicto nec est Censura nec propriè dicta pœna.

254 Quamuis autem in hoc, & quibusdam alijs Cessatio cum Interdicto loci similitudinem gerat, re tamen verâ neque Interdictum propriè est, nec Censura, imò, nec propriè dicta pœna;sed simplex quædam prohibitio Diuinorũ in sign grauissimi mœroris ab Ecclesiâ concepti propter grauissimam iniuriam sibi illatam aut honori Diuino, atque eâ ratione intendit Ecclesia cogere iniuriosum ab iniuriâ desistere, & ipsi Ecclesiæ læsæ satisfacere, vt explicat Suarius suprà num.13 & alij. Ex Clement.1. de *sent.excom.*

Alia discrimina inter Cessationẽ à diuinis & alias Censuras propriè dictas.

255 Ex quo apparent plura discrimina inter Cessationem à Diuinis & quancumque Censuram propriè dictam, maximè Interdictum.1. Interdictum sicut, & quæuis alia Censura semper aliquam personam, quæ culpâ suâ causam dedit, specialiter afficit, & ligat; est enim Censura veluti quoddam accidens morale afficiens, &,quasi ligans subiectum, contra quod lata est; non verò cessatio, quæ solùm fertur per modum simplicis prohibitionis, vt amplius ex dicendis constabit. 1.

2. 256 2. Clerico violanti Interdictum, vel Censuram per Ordinis sui exercitium pœna Irregularitatis est imposita,; non item agenti contra Cessationem licèt grauiter peccet.Nam iuxta c. *Is cui de sent. excom.* in 6. Irregularitas non incurritur; nisi in casibus Iure expressis; non est autem Iure expressum violantem Cessationem incurrere Irregularitatem, aut aliam pœnam, solùm enim Religiosis non seruantibus cessationem, quam seruat Ecclesia matrix, vel Parochialis illius loci, imposita est excommunicatio, vt habetur Clementina 1. de *sent. excom.* Ita Nauarrus suprà. Henriq. c. 54. numero 2. Sayrus suprà numero 8. Suarius suprà sect. 1. vbi latè expendit discrimina, quæ solent assignari inter Cessationem à Diuinis, & Interdictum Valentia tomo 4. disp. 7.q. 19. puncto 4. Rodriguez tomo 1.cap.117. & alij apud citatos.

257 3. Tam specialia, quàm generalia priuilegia concessa aliquibus, siue communitatibus,siue particularibus circa Interdictum, V.g. vt Clerici quotidiè Diuina officia celebrare possint cum moderatione illâ sæpe explicata ex c, *Alma mater*, non habent locum in Cessatione. Ita Nauarrus suprà Henriquez c.53.numero 2. Auila p. 6.disp.1.dub.3. Suarius disp.39.sect. 2.num.11.Coninc.disp.17.dub.7. Layman lib. 1. Tract.5.p.4.c.6.Bonac.disp6.pũcto 1.n.4. & alij multi contra quosdã Canonistas apud Couarrubiam p. 2.c.4.§.7.quia à diuersis ad diuersa non fit bona illatio seu extensio. 3.

258 4. Cessatio nunquàm incurritur à Iure, & ipso facto sed tantùm comminatoriè fertur, cùm tamen Interdictum ipso facto licèt rarò incurratur, vt aliqui volunt. c. *Quamquàm de officio Ordin.*in 6. 4.

259 Ex qua doctrina infertur primò; quando conceditur priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti,non censeri concessum tempore Cessationis,aut è contra distinguũtur enim Cessatio, & Interdictum, ita, vt nomine vnius non intelligatur aliud, & sicut in fauorabilibus cessatio non comprehenditur sub interdicto ita neque in odiosis. Legatur Suarius suprà sect. 1. & 2. Rodriguez & Henriquez suprà. *Infertur 1.*

260 Inferunt 2. Auila suprà dub. 4. & aliqui Doctores Salmanticenses apud ipsum,non licere Clericos binos, vel ternos in Ecclesiâ horarium officium persoluere, quia in c. *Non est* de *Sponsalib.* dicitur *Nulla diuina officia permittatis aliquatenus Celebrari.* *Infertur 2.*

261 Vlterius in c.*Quod in te* de *Pœnit.& remiss.* talis facultas peculiariter conceditur tempore Interdicti. Ideo transferri non debet ad cessationem à Diuinis.

262 Probabile nihilominùs est oppositum licere scilicet. Ità Couarrub.suprà.Suarius sect. illâ 2. numero 14. Layman. suprà num.2. & alij apud Henriquez cap. 53. num.1. quia nimirum cessatio tantùm est ab officijs publicis. Ideò Organorum suspensio solet appellari; non excedit autem modum orationis priuatæ recitatio cum socio, vno vel duobus Præterea(vt rectè argumentatur Layman) si extra Ecclesiam Clericis binis, aut ternis suas Horas orare permissum est,vt contra Salmaticenses docent idem Henriquez, & Auila: cur non etiam in Ecclesia? Citatum autem c. *Quod in te.* non concedit facultatem; sed declarat, id, quod per se licitum erat, vt cum Suario notat idem Layman. Legatur Suarius disp. 34. Sect.3.numero 12.& 13.& 14. Iam verò sigillatim de causis, & effectibus Cessationis nonnulla dicamus.

CAPT. V.

De Causis Cessationis à Diuinis.

263 QVod attinet ad causam efficientem, quicumque potest Interdictum ponere, potest etiam Cessationem à Diuinis. Vnde potest, qui habet potestatem Episcopalem, aut quasi Episcopalem in foro externo. Quam iurisdictionem cùm habeat Capitulum Sede vacante, hoc ipsum poterit, nisi in aliquo particulari casu impediatur. Viuente autem Episcopò non potest; nisi per consuetudinem tale Ius adquisierit. Concilium præterea Prouinciale, & diœcesanum potest iuxta Clementinam. 1. de *sent. excom.* & alij inferiores poterunt iuxta facultatem; vel sibi delegatam, vel per consuetudinem adquisitam Legatur Glossa in c. *Si Canonici* vers. *Cessare*. de off. *Ordinarij*, in 6. Suarius, disp. 39. sect 3. Sotus disp. 22 q. 3. art 2. Couarrub. c. *Alma*, p. 2. §. 2. numero 6. Henriquez suprà cap. 54. num. 1. Auila disp. 2. dub. 1. Sayrus lib. 5. cap. 18. num. 3. Syluest. verbo *cessatio*. Filiuc. suprà, quæsito 2. Reginald. num. 72. Bonacina suprà puncto 2. num 1. Layman. suprà num. 4. qui notat Cessationem à Diuinis interdum imponi præcedenti Interdicto, vt accedat tunc noua, & arctior prohibitio cessationis, & coniungantur vtriusque effectus; interdum verò solam cessationem sine Interdicto poni.

Quicunque potest Interdictum ponere potest etiam Cessationem à diuinis.

264 Quod attinet ad formam ferendi cessationem parùm est, quod dicamus. Sayrus suprà c. 18. Reginald. num. 83. & ex ipsis Bonacina. num. 2. dicunt hanc formam sufficere. *Nos ob talem causam præcipimus talem Ciuitatem, vel Ecclesiam, abstinere à Diuinis officijs.*

265 Ad formam reduci possunt conditiones seruandæ inferendo Interdicto, de quibus Doctores agunt, & quatuor præcipuè assignant, docentque omninò seruandum, licet aliàs etiam addat suarius suprà citandus.

Quatuor conditiones sunt seruandæ in ferendo Cessatione.

266 Prima est, ut Capitulum imponens Cessationem, debeat conuocare omnes Canonicos etiam absentes, prout seruatur in electione faciendâ, ita, duæ partes Capituli consentiant in cessatione imponendâ. Ita habetur, c. *Quamuis*, §. 2. *de offic. Ordin.* in 6.

267 Secunda, vt delictum, propter quod imponitur, sit manifestum, & notorium.

268 Tertia, vt prius moneatur ille, ob cuius culpam imponenda est cessatio, vt pareat, & satisfaciat; sicut enim inferendi Censuris præcedere debet monitio iuxta dicta disp. 2. dub. 20. ita etiam in cessatione,

269 Quarta, vt ferens Cessationem, & ille, contra quem fertur, teneatur adire Papam per se, vel per Procuratorem; nisi inter se componantur intra mensem, ne scilicet Ecclesia tantum damnum tamdui patiatur. Quod si imponens cessationem non adeat intra mensem, non durat vltra obligatio seruandi Cessationem, vt habetur, c. *Quamuis*, §. finali de *offic. Ordin.* Legatur Suarius disp. 39. sect. 3. & 4. Syluestr. verbo *Cessatio* quæsito 1. Sayrus lib. 5. cap. 18. Angelus verbo *Cessatio* num. 3. Henriquez cap. 52. num. 2. Coninc disp. 17. num 87. Filiucius quæsito. 8. Reginald. num. 72.

270 Dubitari autem potest, an prædictæ conditiones sint de substantiâ Cessationis, ita, vt, quâuis deficiente, cessatio sit nulla? *Dubitatur,*

271 Affirmant Ioannes Andreas in citato. c. *Quamuis*, & videntur idem sentire Angelus, & Syluest. apud Suarium sect. 3. num. 13. cum aliis dum absolutè aiunt talibus conditionibus non seruatis, non seruari Cessationem.

272 Placet eadem sententia Suario ibidem, qui in c. *Quamuis* (licèt non in c. *Si Canonici* de *officio Ordin.* vnde prædictæ conditiones, & aliæ quæ in eâ sect. 3. numerantur ab eodem Suario sumuntur) putat esse verbum indicans substantialem necessitatem; nam in 1. *Quamuis* hæc verba habentur. *Parte insuper à Diuinis, cessante supra scripta tàm in cessando, quàm in veniendo, siue mittendo ad Sedem Apostolicam, non seruetur cessatio, sed eâ non obstante, vt priùs, in ipsâ Ecclesiâ celebretur.* Nam ex his verbis duo colliguntur manifestè (inquit Suarius) primum est, si in ponendâ Cessatione (hoc enim est, quod dicitur *parte cessante*) non seruentur conditiones ibi præscriptæ Cessationem esse nullam; nam si seruanda non est, eaque non obstante celebrandum est, profectò nullum effectum habet, atque adeò est nulla. Legatur Suarius ibi num. 13. vbi docet hanc doctrinã non esse extendendã ad Cessationem ordinariorum Prælatorum, cũ de illis non sit sermo, & res sit valdè rigorosa; nihilominus tandem idem Suarius docet consulendam esse & seruandam consuetudinem.

273 Quod attinet ad causam materialem breuiter dicendum est causam materialem proximam, ob quam Cessatio imponitur, esse delictum grauissimum publicum, & contumaciter perseuerans aduersus commune bonum Ecclesiæ, V. g. immunitatem ipsius, & quidem culpa grauior esse debet, quàm sit ea, ob quam ponitur Interdictum. *Causa materialis Cessationis.*

274 Nec sufficit, quòd culpa probabilibus tantùm coniecturis cognita sit; sed omninò debet esse manifesta, atque etiam expressa in ipsis litteris, in quibus continetur sententia iuxta caput *Irrefragabili de officio Ordin.* Item litteræ debent sigillo puplico muniri, illique tradi, contra quem fertur cessatio, monendo illum, & quærendo, an velit ante Cessationem emendari. Ita Auctores suprà citati. *Modus ferendi Cessationem.*

275 Quod attinet ad causam finalem satis constat finem remotum, & præcipuum Cessationis esse resipiscentiam, & emendationem illius cuius causâ Cessatio fertur. Ita Sotus dist. 22. q. 2. art. 2. Conclus. 2. Filiucius numero 157. Suarius sect. illâ 3. Reginald. numero 73. finis autem proximus, sicut in alijs etiam etiam rebus contingit, est effectus, qui à tali Cessatione causatur, de quo dicemus cap. sequenti. *Causa finalis Cessationis.*

CAP. III.

CAP III.

Quinam sint effectus Cessationis à Diuinis.

Primus effectus Cessationis.

276 PRimus effectus colligitur ex dictis, ex ipsâque naturâ Cessationis, scilicet, vt quamdiu durat, abstineatur à Diuinis officijs publicè recitandis, & à celebratione Missæ; nihil enim horum licet etiam cum moderatione capitis *Alma mater*. Vt iam notauimus.

277 Sed in hoc aduertendum est rem esse magis claram in Cessatione particulari, sumpto argumento, vt dicebamus, à particulari Interdicto; sicut enim tempore huius non licèt, etiã cum moderatione prædictâ, diuina officia celebrare: ita nec tempore Cessationis particularis, vt notârunt Layman suprà. Nauarrus. n. 189. Suarius disp. illâ 39. sect. 2. Henriquez lib. 13. cap. 53. Sayrus lib. 5. cap. 19 estque communis sententia.

Notandum.

278 De generali verò Cessatione, quamuis non sit ita clarum satis etiam, probatur, primò; quia, si tunc liceret celebrare Diuina officia, liceret etiam Canonicis eo tempore conuenire ad Ecclesiam ibique celebrando percipere distributiones. Cuius oppositum colligitur ex c. *Si Canonici*, citato. Secundò; quia consuetudine receptum est, vt multò magis cesset ur à Diuinis tempore Cessationis, quàm tempore Interdicti. Neque vlla est moderatio Iure adhibita pro Cessatione à Diuinis, sicuti adhibita est pro Interdicto in c. *Alma mater*, atque ita censuit (teste Suario sect. illâ 2. numero 7. grauissima Congregatio Doctorum vtriusque Iuris, & Theologorum, quæ anno. 1556. circa materiam hanc Salmanticæ facta fuit, cuius etiã videtur meminisse Sotus, citato illo art. 2. Idem docet Auila 6. p. disp. 1: dub. 3. & alij contra Nauarrum suprà & alios.

Moderatio nulla adhibita est Iure pro cessatione à Diuinis sicut est pro Interdicto.

279 Ex hac doctrina colligunt nonnulli non licere tempore cessationis celebrare officia Diuina in festiuitate Natiuitatis, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, de quibus diximus suprà tempore Interdicti licere. Probant; nam in c. *Alma mater*, sermo est de Tempore Interdicti generalis, non verò de tempore Cessationis. Neque aliter vsu receptum est, aut consensu Doctorum. Ita Suarius eâdem sect. 2. numero 13. Auila dub. illo 6. Coninc disp. 17. num. 85. Filiucius, q. 5. num. 168 & 170. Reginald. lib. 32. Tract. num. 75. & alij Apud Sayrum, cap. 19. num. 6. & apud Henriquez suprà.

Authoris iudicium.

280 Hæc sententia secundum Iuris rigorem videtur vera, vt notauit, & concessit Layman lib. 1. Tract. 5. parte 4. cap. 6. quia dicta exceptio, c. *Alma mater*, solùm facta fuit pro Interdicto, vt optimè expendunt Suarius ibidem, & Couarub. suprà num 7. Nihilominus idem Layman, & alij putant secundum æquitatem, & Doctorum quorundam auctoritatem præsertim illorum Salmanticensium apud Henriquez cap. 53. numero 3. & Auilam citato dub 6. Suarium sect. illâ. 2. num. 12. Sanchez lib. 7. de *Matrimonio* disp. 8. numero 18. probabiliter dici posse in quatuor illis præcipuis anni festiuitatibus, & totâ Octauâ Corporis Christi posteà superadditâ Diuina officia solemniter celebrari posse, non obstante quacumque generali prohibitione; quia talis facultas in citato c. *Alma* absolutè concessa videtur obseruantiam dictarum festiuitatum.

Quæres 1.

281 Quæri iam potest. 1. quænam licita sint tempora Cessationis generalis, vel particularis.

Resp. Tempore Cessationis quamuis non liceat Pulsare campanas ad diuina officia, licèt tamen ad alios fines.

282 Respondeo in primis. quamuis non liceat pulsare Campanas ad Diuina officia; quia his prohibitis, prohibita etiam censetur Campanarum pulsatio ad illa, sicut de Interdicto dictum est; tamen ad alios fines, vt ad concionem, orationem Angelicam, & similia, quæ non sunt officia Diuina, non videtur illicitum pulsare campanas (nisi fortè in contrarium sit consuetudo) quia hoc nullo Iure prohibitum est. Ita Suarius suprà numero 17. Filiucius nu. 173. Reginald. num. 77. & alij communiter. Deinde licitum est secundò semel in hebdomadâ celebrare cum vno ministro ad renouandam Eucharistiam ob necessitatem Infirmorum ne species putrescant. Est communis sententia Doctorum, quia cum morientibus pœnitentiæ Sacramentum non negetur. nec negandum est vicarium iuxta supra dicta dub. 4. cap. 2. ac proinde licitum erit, saltem semel in hebdomada celebrare ad renouandam Eucharistiam saltem cum vno ministro, seu Clerico; concesso enim fine, concessa, videntur, quæ sunt necessaria ad finem, vt ibidem notauimus.

Secundò licitum est semel in hebdomada celebrare ex causâ.

Ratio.

Tertiò licitũ est.

283 Tertiò Licitum est recitare priuatas Orationes, etiam in Ecclesiâ, nec beneficiarius, aut in Sacris constitutus eximetur ab obligatione recitandi priuatim Horas Canonicas. etiam nomine Ecclesiæ: nec prohibitum est (vt suprà dicebam c. 1. orare binos, vel ternos voce summissâ sine cantu.

Quæres 2. quoad laicos.

284 Quæri potest 2. an Laici tempore Cessationis possint audire Diuina officia?

multi negãt tempore cessationis illos posse audire diuina officia.

285 Multi negant, quia sicut Clerici prohibentur celebrare: ita laici consequenter prohibentur audire. Præterea Cessatio non tantùm ponitur pro Clero; sed etiam pro populo; imò, si Clericus, etiam ex Priuilegio, celebraret, putant hi Auctores Laicos teneri abstinere, secluso etiam particulari priuilegio. Ita Suarius suprà Filiucius, numero 166. alijq; multi. Probant aliqui; quia facultas, & priuilegium non extenditur ad eos, de quibus non fit mentio in priuilegio.

Ratiò

Authoris iudicium.

286 Nihilominus, saluo meliori iudicio, nisi aliud habeat consuetudo, non eo ipso, quod sit Cessatio à Diuinis videtur Laicus prohiberi, consequenter ab auditione Diuinorum officiorum solâ enim prohibitio ex parte Sacerdotum non infert propriè loquendo prohibitionem ex parte aliorum; sed tantùm tollit materiam; seu occasionem, quia, si Clerici non celebrant, neque Laici possunt interesse celebrationi. Semel autè ablatâ prohibitione ex parte alicuius, vel aliquorum Clericorum celebrantium; non video, cur Laici non possint? In definitione autem Cessationis à Diuinis tantùm fit mentio.

Clericorum

Clericorum, & mioistrorum Ecclesiæ, non verò Laicorum, cumque res sit odiosa, non est exteodeoda. Quod autem respondet Suarius suprà & Filiocius num 166. poni explicitè quidem tantùm Clericos, seu ministros Ecclesiæ, implicitè tamen, & indirectè etiam laicos; qnia prohibito principali, censetur etiam prohibitum minus principale; me quidem Iudice nullius momenti est; nam minus principale in hoc casu non censetur prohibitum; sed impeditum, aut impotens; quia, si non est, qui celebrer, non est, qui audiat celebrationem; neque aliud colligitur ex prohibitione principali. Vnde non obstante prohibitione principali, id est Clerici si aliquis sit priuilegiatus, & possit celebrare, cessat ex parte Laici impossibilitas, & poterit audire. Ordinariè tamen non poterunt audire sæculares; secluso priuilegio; quia simul cum Cessatione à Diuinis ferè semper solet esse Interdictum.

Secundus effectus est Priuatio Sacramentorum.

287 Secundus effectus est priuatio Sacramentorum, quia interim dùm Cessatio durat, non omnia Sacramenta possunt administrari iuxta c. *Non est de Sponsalibus.* vbi dicitur nulla Diuina officia præter Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium adiuncto etiam viatico celebrentur. Vnde Sacramentum Extremę Vnctionis, & Ordinis non conferuntur secundum Iuris rigorem Laicis, & Clericis. Tameo secundum quorundam Doctorum, præsertim Salmanticentium sententiam, qui benigniùs interpretantur Ecclesiæ mentem, probabile est eisdem casibus tempore Cessationis ministrari posse, quibus potest tempore generalis Interdicti. Vnde, quæ suprà dicta sunt dub. 4. pro Interdicto, eadem locum habent secundum hanc sententiam tempore Cessationis. Ita Henriquez Auila Suarius suprà Couarrub. num. 7. vers. *vtcumque autem.* Layman suprà num. 3. Bonacina disp. 6. puncto 3. nu. 5. & alij multi apud ipsos, quidquid in contrarium sentiat Reginaldus num. 81. & Filiucius num. 177.

288 Vtrum autem liceat tempore Cessationis contrahere matrimonium? non consentiunt Doctores: Negant aliqui; quia tempore Cessationis prohibitum est accipere Sacramenta exceptis prædictis, nisi aliter consuetudo postulet. Ita Bonac. suprà n. 7. Suarius sect. 2. n. 27.

289 Affirmant alij. Ita Sayrus cap. 19 num. 12. Henriquez, & alij, quos retuli in simili de Interdicto dub. 4. cap. 3 vbi vtrumque diximus probabile, & supposità benignâ interpretatione prædictorum Doctorum, licitè, & tutò potest fieri. Legatur Henriquez cap. 53. num. 4. & Coninc. num. 82.

Tertius effectus est priuatio Sepulturæ Sacræ respectu Laicorum.

290 Tertiùs effectus est priuatio, respectu Laicorum, sepulturæ Sacræ. In qua re ijdem Salmanticenses, & Henriquez suprà. Auila dub. 10. Bonacina numero 8. Layman. num. 4. docent perinde Philosophandum esse in porà cessatione, atque Interdicto, scilicèt prohibitam esse omnibus Laicis sepulturam, concessam verò omnibus Clericis, seu Ecclesiasticis personis, vt in Silentio, & sine officio funebri, aut cantu in Sacro loco sepeliantur. Et quidem Bonacina testatur vsu, & praxi receptum, vt qui habent priuilegium sepulturæ pro tempore Interdicti, illo etiam gaudeant tempore cessationis. Legatur Auila disp. 1. dub. illo 10. Suar. numero 31. & sequentibus, Filiucius n. 180. & sequentibus vbi plures referunt. Si tamen in rigore Iuris velimus stare, nullibi hoc concessû apparet tempore Cessationis, sicuti tempore Interdicti, vt rectè notârunt Suarius disp. 39. sect. 2. n. 29. Coninc disp. 17. dub. 7. n. 81. Filiuc. n 484. & alij multi.

291 Docent autem Auila suprà. Suarius nu. 28. Coninc. eodem. num. 84. Layman. num. illo 4. Filiucius suprà, Reginaldus num. 82. nullo Iure ostendi posse, quod Sacra sepultura, si fiat sine officio funebri, prohibita sit tempore Cessationis puræ seiunctæ scilicet ab Interdicto; nam de Cessationis effectibus tantùm habemus in c. *Non est vobis de sponsalibus*, vbi (vt vidimus) tantum præcipitur, vt Diuina officia non celebrentur, comprehendendo nomine Diuinorum officiorum etiam Sacramenta, vt excitatis verbis colligitur. Nullum autem est verbum, in quo aliquid prohibeatur de sepulturâ in loco Sacro, cùm sepulturâ præcisè sumpta diuinum officium dici non soleat. Velle autem extendere legem Interdicti ad Cessationem ob similitudinem rationis nullâ ratione licèt, maximè in materia odiosa, cùm Interdictum & Cessatio omninò diuersa sint.

Dubium.

292 Dubitari autem potest, 1. an prædicti effectus Cessationis à Diuinis restringi possint ab Episcopis, aut alijs Superioribus infra Papá imponentibus Cessationem, ita, vt sicut effectus Interdicti, aut suspensionis restringi possint, vt in vnâ re sit V. g. Interdictum, & non in aliá, quando quis solùm interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, pari ratione possit esse Cessatio à Diuinis officijs, exempli causâ, & non ab administratione Sacramentorum, vel è contra?

Resp. Probabile esse effectus cessationis à diuinis non posse restringi.

293 Probabile est non posse restringi; sed, eo ipso, quod ponatur Cessatio, debere habere suos omnes effectus. Ita Henriquez cap. 54 n. 2. Auila disp. 3. dub. 4. Sayrus cap. 18. num. 8. Bonacina suprà, & alij Recentiores. Ratio est; quia prædicti effectus ex Iure communi sequuntur Cessationem; contrà quod Ius nihil potest Prælatus inferior Papâ, videturque colligi ex c. *non est vobis*, de *Sponsalibus* verbis ibi citatis *Nulla Diuina officia permittatis aliquatenus celebrari.* Vnde, sicut de excommunicatione consentiunt ferè omnes Auctores non posse restringi effectus pro voluntate ferentis illam; sed eo ipso, quòd feratur, habituram suos effectus Iure assignatos; ita videtur censendum de Cessatione à Diuinis.

Ratio est.

Non repugnat tamen limitari prædictos effectus vt probabiliter docet Suarius.

294 Satis est probabile, quod docet Suarius disp. 39 sect. 4. num. 4. Filiucius num. 172. & 187. Reginaldus num. 77. & 84. scilicet, non repugnare limitari effectus, quia qui potest tollere totum etiam potest tollere partem, & qui potest illa omnia prohibere, etiam potest prohibere aliqua tantùm. Item, omnia hæc solùm est quædam prohibitio eius, qui potest dispensare, vel respectu alicuius auferre eam quam tulit, si causa rationabilis interueniat; hîc autem nullum est impedimentum, & quidem ex naturâ rei non apparet. In Iure autem positiuo etiam non inuenitur id prohibitum Prælatis inferioribus, præsertim, quia cum Cessatio sit po-

Ratio.

tiùs

tiùs quid facti, quàm Iuris, non est Iure cautum, quod nunquam coarctetur, aut suspendatur.

Explicatio Iuris quod in contrarium producitur. 395 Neque cap. illud *Non vobis* citatum videtur conuincere tum; quia ibi non est sermo de omni Cessatione; sed de quâdam in particulari, quam in eo casu Textus Pontifex suâ authoritate poni mandabat. Ac proinde potuit pro eo casu potestatem limitandi, aut dispensandi inferioribus auferre, tum; quia licèt admitteremus id intelligendum esse generaliter de omni, adhuc esse locus explicationi, quod intelligi debeat secundum Ius ordinarium Cessationis generalis; non tamen ideò prohiberi Prælatos, ne ex iustâ causâ possint aliquem effectum Cessationis suspendere aut limitare.

Dubium 2. 396 Dubitari potest 2. an violans Cessationem peccet, & incurrat Irregularitatem, vel Excommunicationem?

Resp. Violantem Cessationem grauiter peccare non tamen fieri Irregularem 397 Respondeo in primis grauiter peccare contra prohibitionem in re graui; nullam tamen incurrere Irregularitatem, quia hæc non est Iure expressa, neque incurritur; nisi expressa sit In Iure vt sæpe notauimus. Religiosi tamen etiam exempti incurrunt excommunicationem non seruandi Cessationem generalem, quæ seruatur ab Ecclesiâ Cathedrali, aut Parochiali iuxta Clementinam 1. *de sent. excom.* Ita Suarius suprà sect. 2. numero 36. Filiucius num. 184. Reginald. num. 83. Henriq. lib. 13. cap. 54. num. 3. Auila disp. 3. dub. 2. Syluest. verbo *Cessatio.* quæsito 5. Sayrus c. 10. n. 20. & alij Recentiores.

Dubium 3. 398 Dubitari potest. 3. an seruanda sit Cessatio, quando non seruatur ab eo propter quem fuit imposita?

Resp. 399. Respondeo seruandam esse; neque enim delictum illius habet vim tollendi prohibitionẽ.

Dubium 4. 400 Dubitari potest 4. an seruanda sit, quando non seruatur ab eo, qui eam tulit?

Resp. 401 Syluest. verbo *Cessatio* q 2. Sayrus lib. 5. cap. 18. num. 18. & alij dicunt iam non esse obligationem seruandi illam. Quæ sententia probabilissima est, & consonat cum ijs, quæ diximus de *Interdicto* dub. præcedenti, quæsito 8. & 11. ibi legatur; nam eodem modo Philosophandum puto in Cessatione, atque in Interdicto, imò adhuc clarius est Cessationem posse tolli signis absque verbis, cùm non sit Censura.

402 Dubitari potest, 5. an qui causa fuit culpabilis, vt poneretur Cessatio teneatur ad aliquam restitutionem? *Dubium 5.*

403 Respondet Suarius eâdem disp. 39. nu. 16. Syluest. verbo *Cessatio* quæsito 3. Henriquez lib. 13. cap. 52. num. 3. Coninc. disp. 17. dub. 7. numero 91. Auila disp. 2. dub. 3. conclus. 3. Filiucius num. 182. & alij apud Sayrum lib. 5. c. 19. num. 19. eum, qui causam dedit culpabilem postquàm monitus est, iustæ Cessationis teneri ad hoc interesse personis, & Ecclesiæ, cui debitum officium eius culpâ est subtractum. Ratio est; quia suo delicto censetur causa efficax iniusta horum damnorum; hæc autem restitutio, seu obligatio restituendi non est propriè pœna, sed ex naturâ rei resultat ex damno dato. Ex quo oritur obligatio recompensationis; deinde arbitrio superioris dignus est, qui damnetur iuxta sententiam Suarij in aliquâ quantitate conuertenda in augmentum Diuini cultus. Et quidem aliquam pœnam esse ponendam ibidem probauerat idem Suarius num. præcedenti. *Resp.*

DVBITATIO IX.

De relaxatione Cessationis.

404 CEssatio (notant Doctores maximè Suarius disp. 39. sect. 4.) nunquam est à Iure; sed semper ab homine; hinc est, vt in oblatione Cessationis Philosophandum sit eodem ferè modo atque in oblatione Censuræ ab homine impositæ. Vnde solùm tolli potest ab eo, qui illam posuit, vel à successore illius, si ille decessit, vel etiam à superiore; cæteri verò iurisdictionẽ non habẽt; nisi fortè per delegationem committatur potestas relaxandi. Idem docet Henriquez l. 13. c. 52. Sayrus c. 18. n. 7. Filiucius n. 186. Reginaldus n. 84. & alij communiter. *Cessationẽquam est à Iure sed semper ab homine.*

405 An verò cessatio suspendi possit per interpositam appellationem? decidendum est iuxta dicta in simili de Censuris in communi disp. 1. dub. 23. Legatur Filiucius suprà, Suarius suprà n. 3. Reginald. suprà, & alij citati. *An suspendi posit per Appellationem.*

DISPVTATIO VI.

De Depositione, & Degradatione.

Suspensionẽ à Dispositione vix differre aliqui Putant. 1. NOn desunt qui suspensionem ab Ordine positiuè perpetuam putent vix differre à depositione. Ita Suarius disp. 30. sect. 1. n. 10. & 11. quin imò vox *suspensio* pro depositione, & *Depositio* pro Suspensione sæpe in Iure vsurpantur, vt notat Glossa, c. *Si quis Episcopus.* dist. 83. sumiturque ex multis Canonibus Apostolorum. Item non pauci putant in Rubricâ *de Clerico excommunicato vel deposito ministrante.* depositum appellari omnem illum, qui suspensus est. Vnde in c. 3. eiusdem tituli aliqua depositio vocatur perpetua. In quo significatur aliquam esse depositionem non perpetuam, quæ non est alia, quam suspensio. E cõtra verò Depositio perpetua solet appellari aliquando. Suspensio, vt ex Innocentio notauit Nauarrus, constatque ex Motu Sixti V. *de malè promotis*, & sæpè alibi; nam vtraque relinquit characterem Ordinis indelebilem, atque inierabilem, & priuat tantum legitimo vsu Ordinis sine spe restitutionis,

rionis, saltem ordinariè; nam extraordinariè nihil prohibet à Papa restitutionem fieri, vel etiam ab Episcopo in casibus illi specialiter concessis.

Diuersa tamen esse decimum.

Discrimen inter depositionem & degradationem.

2. Nihilominus absolutè depositio, & degradatio diuersa pœna censetur à suspensione, & de illâ, tanquam de diuersa disputant Doctores, & ex dicendis satis constabit. Solet autem hæc depositio appellari degradatio, neque est discrimen vnius ab altera, quod ad rem moralem attinet, nisi fortè, tanquam vnum membrum diuidens ab altero, quorum vtrumque significari potest nomine degradationis.

DVBITATIO I.

Quid? & quotuplex sit degradatio, aut depositio?

Duplex degradatio verbalis, & realis

Definitio degradationis verbalis

3. DVplex assignari solet degradatio verbalis scilicet, & actualis, seu realis, quæ (vt aliqui notant) maximè Sà verbo *Degradatio* numero 3. non solet inferri; nisi ei, qui in sacris constitutus: Gegradatio verbalis est quæ solet appellari *Depositio*, & definiri solet *Ecclesiastica pœna, per quam persona Ecclesiastica ob enorme crimen remouetur ab ordine, iurisdictione, vel beneficio in perpetuum, & sine spe remissionis non amisso priuilegio Clericali*, atque hæc est depositio, de qua nuper dicebam in principio huius disputationis, quæ magnam similitudinem gerit cum suspensione; vtraque enim est ab Ecclesiastico Ordine, officio, aut beneficio, ac proinde in solas Ecclesiasticas personas cadere potest, differunt nihilominus; quia depositio, vt ipsa vox videtur significare, est perpetua, & irremissibilis remotio ab ordine, officio, aut beneficio; non item suspensio. Ita Syluester verbo *Degradatio*. Nauarrus c. 27. numero 151. Panormitanus in c. *Veritatis* numero 13 *de dolo & contumacia*. Suarius suprà numero illo 10. vbi ex eodem Textu id probat, & ex aliquibus capitibus primo scilicet, secundo, & sequentibus 50. dist. colligiturque ex cap. *At si Clerici* de *Iudic*. Item Auila p.3. disp. 1.

Differentia depositionis & suspensionis.

4. Sanè si loquamur de Suspensionibus, quæ positæ sunt, vel à Iure, vel ab homine ad certum tempus, aut sub conditione, vel indefinitè adeoque sub tacitâ conditione donec emẽdatio sequuta fuerit, manifestum est discrimen inter hanc, & depositionem, seu verbalem degradationem; nam hæ suspensiones non sunt simpliciter & positiuè perpetuæ, sicuti pœna depositionis. Difficile tamen est ostendere quomodò ea suspensio, quæ tanquam pura pœna, seu vindicta in perpetuum lata est, à depositione differat?

5. Panormitanus in c. *Inquisitionis* n. 6. *de Accusat*. Nauarrus numero 152. Auila disp. illâ 1. dub. 2. putant, si suspensio in perpetuum sine spe restitutionis sit totalis ab omni scilicet officio, ac beneficio, censendam esse, quasi depositionem; A quo non omninò videtur dissentire Suarius suprà dùm docet, vt videmus, suspensionem ab Ordine positiuè perpetuam vix differre à Depositione; quia vtraque relinquit ordinem, & priuat vsu Ordinis, sine spe restitutionis, saltèm ordinariè. Nihilominus illud particulare videtur esse; quod degradatus non solet restitui per gratiam dispensationis, vt notauit Panormit. c. *Ex tua* num. vltimo de *clericis non residentibus*. Ac proinde in hoc potest agnosci discrimen, ita, vt priuatio perpetua vsus Ordinis interdum sit dispensabilis iure ordinario, & tunc vocetur propriè suspensio; interdum verò imponatur, vt irremissibilis, sine spe dispensationis, ita vt, licet Pontifex possit de plenitudine potestatis dispensare, regulariter, & lege Ordinariâ non dispenset, atque hanc distinctionem approbat Suarius, docetque habere fundamentum in Iure, vt videre licet in multis capitibus 11. p. 33. & in c. *Veritatis de dolo, & contumaciâ*. Sed immediatè idem Suarius ait in hoc etiam non posse magnam vim fieri, quia interdum de Suspensione perpetuâ dicitur, vt sit sine spe dispensationis, vt patet in Motu citato Sixti V. contra malè promotos testaturque notasse Panormitanum ea verba maximè poni ad terrorem, vnde idem Panormitanus sentit talem suspensionem, & depositionem non differre, vel certè totam diuersitatem esse in vsu vocum, in quo non est nimis contendendum. Quæ etiam doctrina absolutè mihi placet. Sed, qui adhuc persistere velit, non nimis potest cogi illis verbis additis ad terrorem; potest enim responderi aliud esse, quid in animo habeat ille, qui infert talem pœnam suspensionis; aliud verò, quid secum afferat, vt habeat pœna, quæ infertur; Suspensione autem ex se, & secundum modum talis pœnæ non esse perpetuam, neque secum habere illam positiuam perpetuitatem; sed solùm ex parte inferentis illam; cùm tamen depositio, seu verbalis degradatio secundum modum, & vsum indispensabilis sit, etiamsi alioquin, qui fert illam habere animum dispensandi vtendo plenitudine potestatis, quã solùm habet Pontifex non cæteri. Imò ex hoc apparet discrimen de quo agimus; nam etiamsi sit inferior Papâ, qui pœnam inferat depositionis, seu degradationis verbalis, non poterit ipse dispensare, cum tamen, si sola sit pœna suspensionis, diuersa sit ratio, multi enim concedunt in suspensione, etiam perpetuâ posse dispensare illum ipsum qui illam tulit, imò, & in suspensione à Iure non reseruatâ possunt Inferiores Papâ dispensare.

Suspensio etiam quæ est pura pœna seu vindicta in perpetuum lata differt à depositione.

Authoris Iudicium.

Aliud discrimen inter dispositionem & suspensionem.

Discrimen aliud ex Suario

6. Illud omnino mihi placet, quod notat Suarius eâdem sect. 1. numero 4. Suspensionem scilicet, à beneficio, quantumuis positiuè perpetuam differre à dispensatione; quia depositio aufert ipsum titulum, siue Ius beneficij, & consequenter eius administrationem, fructuumque perceptionem, & insuper reddit personam inhabilem ad idem beneficium, vel etiam ad omne aliud obtinendum, si depositio absolutè à beneficijs lata fuit; quod non ita se habet in suspensione; cùm hæc solùm intelligatur esse à fructibus manente interim radicali Iure, seu titulo ipsius beneficij, vt suprà dicebamus.

7. Item depositio à dignitate, aut iurisdictione priuat ipso Iure & quasi dominio muneris, quamuis executio per ipsum reum facienda non sit, vt multi volunt, esset enim nimis diffici-

li,

lè, si reus se ipsum condemnare deberet (maximè in crimine occulto) sed postea quando reus conuictus damnatur de crimine, cui annexa est ipso Iure depositio à beneficio, vel officio tunc Iuris fictione beneficium, vel officium censetur vacasse à die commissi criminis, vt notauit Auila dub. 7. conclus. vnica.

Notat idem Suarius. 8. docet vlterius Suarius suspensionem ab officio formaliter non includere, nec trahere suspensionem, aut depositionem à beneficio, nec vice versâ. Vnde si in Iure reperiatur lata depositio ab officio, quamuis al quis eam ob crimen incurrat, non debet eo ipso Iure censeri vacans beneficium quamuis à Iudice postea reus debeat priuari; nam cùm beneficium detur propter officium, procul dubio in dignus beneficio est, qui officij administratione in perpetuum priuatur. Quod colligitur ex c. *Eos etiam* dist. 81. & notauit Glossa super c. 1. causa 1. q. 3. in principio verbo *Annexa* & Suarius citatâ sect. 1. num. 14.

Pœna depositionis continent ab officio & annexo beneficio priuationem. 9. Pœnæ tamen depositionis, quæ in Iure Canonico ipso facto latæ reperiuntur, semper, aut ferè semper continent vtramq; priuationem scilicet ab officio, & ab annexo beneficio. Ita Coninc disp. 16. n. 5. & alij Recentiores, & videre est in dicto c. *Eos etiam* &c. 1. *Homicidio* in 6. & in Bulla 70. Pij V. edicta contra Sodomitas, in quâ omnes *Clerici sæculares, & Regulares cuiuscumq; gradus, & dignitatis*, ac proinde etiam Episcopi, & Cardinales) *tàm dirum nefas exercentes omni priuilegio Clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico priuantur.* Requiritur tamen (vt diximus) sententia Iudicis ad ipsius pœnæ exequutionem, vt in hoc ipso notàrunt Henriquez lib. 14. cap. 5. num. 1 in *Comment.* literâ F. Auila p. 7. disp. 4. dub. 7. conclus. 8. Suarius disp. 31. sect. 4. num. 22. qui omnes etiam aduertunt cum Nauarro c. 27. n. 250. ad tam grauem pœnam depositionis incurrendam, non satis esse semel aut iterum Sodomiæ scelus commisisse, sed requiri frequentiam actus; id enim significat illud verbum *exercentes*

Requiritur sententia Iudicis ad huius pœnæ exequutionem.

Crimina depositione digna iuxta Ius commune Canonicum. 10. Quænam vero sint crimina depositione digna, & ob quæ pœna depositionis imponenda sit? Si spectemus Ius commune Canonicum (nam de peculiaribus consuetudinibus, aut legibus nihil possum certò affirmare) numerantur à Doctoribus furtum, homicidium, periurium, virginis stuprum violentum, Incestus, Adulterium, & omnia eo maiora, ita communiter Canonistæ in c. *At si clerici*, & c. *Cùm non ab homine*, vbi Panormit. n. 4. de *Iudicib.* Syluest. verb. *Crimen*, & verb. *degradatio* q. 4. Nauarrus c. 27. n° 248. Henriquez lib. 13. cap. 55. num 3. Auila p. 5. dub. 3. Sa verbo *Degradatio* num. 2. Legatur Molina tomo 4. de *Iustitia* disp. 49. Tract. 3. n. 14. & sequentibus. Sayrus lib. 5. c. 22. & alij citati.

Crimen enorme esse debet. 11. Illud autem cum Panormitano in c. *At si Clerici* n. 33. & sequentibus aduertendum est crimen debere esse enorme, siue vnum ex maximis; qnale autem hoc sit non ex antiqui, semper Canonibus cognosci potest; quia olim faciliùs imponebatur depositio cum seuerior vigeret disciplina, vt colligi potest ex c. *Presbyter.* & sequentibus, distinctione 81. sed discerni debet prudenti Iudicis arbitrio, videlicet an sit enorme, seu vnum ex grauioribus secundum se, siue ex obiecto, vel ratione circumstantiæ, aut adiunctæ qualitatis, vt, quia habet vel annexam Irregularitatem indispensabilem. putà homicidium uel Iuris infamiam. aut publicum scandalum, diuternamve continuitatem, vel incorrigibilitatem. Vnde rectè colligunt idem Panorm. Auila, & Sa suprà, & alij Recentiores notorium concubinatum seu fornicationem, si post sufficientes monitiones perseueret, satis esse, vt inferatur pœna depositionis; constatque non solùm ex cap. *Si autem Clerici de cohabitatione Cleric. & mulier.* sed etiam ex Tridentino sess. 25. c. 14. de *Reform.* item sess. 22. in Decreto de *obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ*, præcipitur Episcopis, *vt neminem, qui publicè, & notoriè criminosus sit, Sacro altari ministrare permittant.* Quod si huiusmodi criminosus post monitiones & minores suspensiuas pœnas adhuc perseueret, procul dubio deponendus erit. Legatur Abbas loco citato. Iam verò de alia degradatione, quæ actualis & realis appellatur, agendum est.

Et enorme iure prudenti Iudicis discernenda est.

Definitio degradationis actualis & realis. 12. Degradatio actualis & realis est *pœna Ecclesiastica qua Ecclesiastica persona priuatur omni officio, & beneficio & priuilegio Clericali in perpetuum absq; vlla spe illius consequendi, cum quadam solemnitate.* Dicitur autem *degradatio* quia per eam Clericus, quatenus fieri potest extra gradum, & statum Clericorum eijcitur. Consequenter recidit sub iurisdictionem sæcularis Magistratus, à quo perinde, ac laicus capi, incarcerari, & iuxta leges Ciuiles de commissis criminibus puniri potest. Vnde neque illius percussor, quantumuis iniustus, Canonis excommunicationem incurrit iuxta communem Doctorum sententiam, atque in hoc maximè differt à depositione simplici, hæc enim non tollit priuilegium Canonis, & fori, vt notauit Glossa communiter recepta in cap. 2. de *Pœnis* in 6. verbo *Priuilegio Clericali*, & Panormit. in c. *Cùm non ab homine* numero 5. *de Iudic.* Iulius Clarus in *Additionibus lib. 5. sententiar.* §. *Practica criminalis* q 74. numero 2. Syluest. verb. *Degradatio* q. 6. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 3. cap. 5. numero 3. in fine.

Differt a depositione simplici quod hæc nō tollat priuilegium canonis, & fori.

Notandum 13. Aduertendum tamen est, id quod frequentissima praxis declarat, Magistrum triremis qui verberat Clericum depositum verbaliter ad triremes damnatum, non incurrere excommunicationem, si percutiat ex officio, sicut solet percutere cæteros remiges. Ratio est, tum, quia fungitur officio suo, tum, quia Clericus damnatus ad triremes censetur damnatus ad pœnas, & omnia consequentia, quod si illum percutiat ob alias causas, incurrit Excommunicationem, quam incurrunt alij percutientes Clericum iniustè, licèt verbaliter alioquin depositum. Pari ratione Clericus degradatus verbaliter gaudet priuilegio fori, ac proinde non potest cogi, seu puniri à Iudice sæculari: nisi fortè post depositionem verbalem factus fuerit incorrigibilis iuxta dicta disp 3. dub. 58. c. 1. Ita Nauarrus c. 27. num. 81. Auila 4 p. dub. vnico. Sayrus lib. 5. c. 20. n. 12. Valentia tomo 4. disp. 7. q 19. puncto 4. Henriquez lib. 13. c. 55 n 3 Suar. disp. 30. sect. 2. numero 18. Filiucius Tract. 18.

Clericus degradatus verbaliter gaudet priuilegio fori.

cap. 8. quæsito 2. numero 193. & alij. Ille autem censetur incorrigibilis, qui monitus, & punitus modo prædicto adhuc perseuerat in prioribus criminibus; quamuis, vt notauimus citatâ illâ dub. 58. disp. 3. sit valde controuersum inter Iuris interpretes, qualis debeat esse illa incorrigibilitas & quanta? Legantur ibi dicta & Suarius sect. 2. num. 7.

Quis censetur incorrigibilis.

14. Quamuis autem secundum diuisionem assignatam in principio huius dubitationis, & secundum multorum acceptionem degradatio verbalis sit idem, quod depositio, de quâ iam diximus. In alio tamen sensu hæc degradatio, de qua nunc agimus, diuidi solet in verbalem, seu sententialem, & in actualem, seu realem, siue solemnem, vt appellatur in Tridentino sess. 13. c. 4. de reformatione. Verbalis degradationis solemnitas describitur in c. 2. de *Pœnis* in 6. Vbi requiritur, quod proprius Episcop. assistentibus sibi alijs sex Episcopis in condemnatione Presbyteri, tribus autem in condemnatione Diaconi, vel Subdiaconi iuxta c. *Felix* & seq. 15. q. 7. coram his, tanquam assessoribus, & iustitiam causæ cognoscentibus sententiam in criminosum pronuntiet.

Requisita ad solemnitatē verbalis degradationis.

15. Postea verò in Tridentino sess. illa 13. c. 4. *reform.* satis esse decernitur, si totidem Abbates infulati loco Episcoporum assistant. Quod si, neque hi commodè interesse possint, alij Clerici in Ecclesiâ dignitate constitui adhibiantur. Pro degradatione verò verbali Clerici constitui in minoribus tantum, sufficit proprij Episcopi authoritas cum præsentia quorundam de Clero repræsentantium Capitulum. Ita Glossa communiter recepta in citato c. 2. verbo *Præsenti*. Probatque ex c. 1. de *excess. Prælat.* Atque hoc in praxi seruandum; nisi aliud habeat consuetudo. Hæc degradatio est & dicitur respectiua, quatenus ordinatur ad actualem, realem, seu solemnem, quæ postea sequi debet.

Iuxta Trident requisita.

16. Degradatio hæc actualis, realis, seu solemnis fieri debet à proprio Episcopo, neque est necessarium adhibere alios Episcopos, seu Prælatos, vt apertè colligitur ex eodem cap. 2. & docet Panormit. in cap. *qualiter* el. 2. de *accusat.* numero 11. Suarius sect. 2. numero 6. Episcopus ergo criminosum, iam prius per sententiam omni ordine Clericali legitimè priuatum, spoliatumque beneficio, & Clericali priuilegio spoliat vestibus, & ornamentis Clericalibus, quasi spiritualis militiæ insignibus adhibitis ceremonijs præscriptis in Pontificali Romano, & eâ ratione solemniter declarat spoliatum adiunctâ eâ ipsâ vel simili verborum formulâ, qualis in eo c. 2. assignatur.

Degradatio actualis, & solemnis fieri debet a proprio Episcopo

Modus quo fit.

17. Ex quibus infertur discrimen inter degradationem verbalem, & actualem seu realem quod hæc est actus omninò annexus Episcopali Ordini ex Ecclesiæ institutione ita, vt à solo Episcopo consecrato possit exerceri. Ita Glossa communiter recepta in c. *Transmissam*, verbo *de Talibus* Panormitanus numero 4. de *Elect.* Toletus lib. 1. cap. 50. §. *Secunda est.* Suarius disp. 31. sect. 1. numero 18, colligiturque ex Tridentino etiam cap. 4. vbi indicat verbalem depositionem, seu degradationem (quam pro eodem videtur accipere) etiam Vicario generali posse committi, nempe quia ad eam non est necessaria potestas Ordinis; sed solius iurisdictionis. Quapropter etiam Episcopus confirmatus per se vel per alium potest huiusmodi actū exercere. Ad actualem tamen, & solemnem degradationem solùm consecratus Episcopus procedere potest, vt colligitur etiam ex dicto cap. *Transmissa.* vbi id notat Glossa. verb. de *Talibus.* & Panormit. in cap. *Non potest* num. 3. de *sent. & re iudic.* poterit tamen Episcopus nondùm consecratus id delegare alteri Episcopo consecrato, vt notat Suarius suprà, non verò alteri non Episcopo consecrato, nam quæ sunt Ordinis non possunt committi; nisi ijs, qui talem Ordinem habent, vt habetur in cap. *Aqua,* vbi id notat Abbas numero 3. de *Consecrat.* Eccles. poterit tamen Papa de plenitudine potestatis Papalis talem potestatem conferre, vt possint fieri à non habente talem ordinem ea, quę solùm ex institutione Ecclesiæ sunt annexa illi ordini, quale est hoc.

Discrimen inter Degradationem verbalem & actualē seu realem.

Degradatio verbalis etiam vicario generali potest committi.

Ad actualē verò & solemnem solus consecratus Episcopus procedere potest

18. Solet autem, ac debet adesse Iudex sæcularis, quando solemnis, & realis degradatio fit, atq; illi Iudici tunc denuntiatur reum exutum esse iam Ecclesiasticis priuilegijs; & ad suū forum, seu Iurisdictionem pertinere, simulque intercedit Episcopus deprecatione *efficaci* hoc est serio, & ex animo facto, vt citra mortis periculum sententiā circa eum moderari velit; eâq; ratione ostendit Ecclesia se nō velle cuiusquam hominis necem desiderare, aut procurare; vt habetur in c. *Nouimus* de *verb. signif.* & dicemus disp. 7. dub. 26, cap. 6.

Debet esse Iudex secularis quando fit solemnis & realis Degradatio.

19. Ex dictis etiam habemus degradationem etiam verbalem pertinere ad proprium Episcopum, vel eius Vicarium generalem, non tamen ad alium inferiorem post Decretum Tridentini sess. illâ 13. c. 14. Ita Henriquez c. 43. n. 5. Auila disp. 5. dub. 1. conclus. 3, Suarius suprà n. 19. Filiucius n. 192. & 206. Bonacina disp. 4. n. 8 Coninc disp. 16. n. 6. & sequentibus, & alij multi, maximè Canonistæ in c. *Degradatio* de *Pœnis* in 6. Episcopi verò degradatio ad Papam spectat: Religiosi tamen Prælati non habent facultatem deponendi, vel degradandi suos subditos, etiam verbaliter, nisi illis concessum sit per priuilegium, aut consuetudinem. Vide Tridentinum citato c. 4. Sayrum c. 20. n. 28. & c. 22. Auilam suprà dub. 4. Henriquez lib. 13. c. 55. n. 2. Syluest. verbo *Degradatio* n. 1. Toler. & Valentiam, & Suar. suprà Filiucium num. 204. Molinam tomo 4. Tract. 3 disp. 46. num 12.

Ex dictis Collige.

Episcopi degradatio ad Papam spectat.

DVBITATIO II.

Ob quæ crimina possit, aut debeat Clericus solemniter degradari, & Iudici sæculari tradi?

20. DIximus dub. præcedenti quænam essent crimina digna depositione seu degradatione illâ verbali, quæ solet depositio appellari oportet nunc declarare, quæ nam sint crimina digna degradatione tàm verbali respectiuâ ordinata ad actualem, & solemnem degradationem quàm ipsiusmet actualis realis, & solemnis degradationis. Atq; in primis gene-

Crimen ob quod fiat realis & solemnis Degradatio

debet esse ex grauissimis. generaliter loquendo crimen talis degradationis dignum, ratione cuius tradendus sit reus Iudici sæculari debet esse vnum ex grauissimis, quorum aliquam Iure expressa sunt.

Primum crimen est Hæresis. 21. Primum crimen est Hæresis manifestum si in eo pertinaciter perseueret c. *Ab abolendam* c. *excommunicamus*. De Hæreticis &c. 1. eodem titulo in 6. Quod si se corrigere paratus sit recipitur; poterit tamen tradi in perpetuum carcerem iuxta Gloss. in citatum c. 1. & docet Molin. tomo 4. Tract. 3 disp. 49. numero 15. Si verò deinde relapsus fuerit, non est iterum recipiendus, sed degradandus iuxta c. *Ad Abolendam*, citatum §. *Illos autem* & c. *Super eo*. eodem titulo in 6.

Secundum crimen est. 22. Secundū crimen est falsatio litterarū Papaliū c. *Ad Falsariis*, de *crimine falsi*, nisi Papa habet pœnam in aliam, vt in carcerem perpetuum commutare velit. c. *Nouimus* §. pro illo de *verbor. signif.*

Tertium. 23. Tertium crimen Sodomia frequentata, colligiturque satis ex Constitione Pij V. verb. *Priuilegia Clericali*, vt iam diximus dub. præcedenti.

Quartum 24. Quartum calumnia irrogata proprio Episcopo. *Si quis Sacerdotem* 11 q. 1. hoc tamen intelligendum est iuxta multorum sententiam, si accesserit incorrigibilitas. Ita Gloss. communiter receptā in c. *Cùm non ab homine* de *Iudicijs*. Abbas c. *At si Clerici* numero 37. eodem titulo. Syluest. verbo *degradatio* q. 2. Toletus lib. 1. cap. 50. Auila p. 4. dub. 3. & alij Recentiores. Quæ doctrina communis est omni crimini enormi, & alioquin in laicis pœnā digno. v. g. homicidio simplici, vt ob tale men iterato commissum Clericus Magistratui sæculari possit tradi, aut relinqui supposito, quod alijs pœnis ab Ecclesiā inflig solitis corrigi non poterat. Ita Panormit. Toletus, & Auila suprà colligiturque ex citato c. *Cùm non ab homine*.

Item ob aliud crimē nimis enorme Degradari quis potest 25. Tandem vniuersaliter loquendo siue de Iure, siue de consuetudine docent non pauci Authores degradati posse ob aliud crimen nimis enorme, atque Reipublicæ valdè perniciosum, tradique Magistratui sæculari. Ita Panormit. cap. *At si Clerici* numero 39. & cap. *Cùm non ab homine* numero 6. de *Iudic.* Syluest. verbo *Degradatio*, q. 2. Toletus suprà cap 5. *Tertia est* Auila citato dub. 3. Molina disp. illā 49. Exemplum adhibent in homicidio non simplici; sed qualificato, vt constat ex eodem c. Cù non ab homine. Vnde Parricidium, vel simile quid tali pœnā dignum est. Item furtum non simplex, sed valde qualificatum, ac sacrilegium; nam cùm pro his criminibus Ecclesia non habeat cundignam pœnam, meritò reus, Iudici sæculari remittitur. Legatur Couarrub. 2. *variar.* cap. 20. numero 7. Clarus lib. 5. *sententiarum receptarum* §. finali q. 36 numero 36. vbi Iudicis arbitrio expendentis atrocitatem facti cum omnibus circumstantijs iudicādum remittit (an sit ita puniēdū, Legatur etiam Molin. sup. n. 17. Menoch de *arbitrarijs* casu 266. Bernardus Diaz in *Practica criminali* cap. 135, & sequentibus. Ambrosinus de *Immunitate* cap. 17. num. 40.

Nonnulla hic aduertenda primò 26 Nunc nulla verò sunt ad extremum aduertenda, primum, quando in Iure habetur hæc vox depositio, semper debere intelligi verbal. m depositionem; quia pœnæ restringendæ sunt, atque adeò voces continentes odium, & pœnam in strictiori significatione accipi debent. Ita Bonacina suprà numero 6. contra Toletum lib. 1. cap. 17.

Secundum 27. Secundum nonnullos probabiliter existimate degradatum alendum esse fructibus beneficij, ne cogatur mendicare. Ita Auila suprà. Sayrus cap. 22. num. 28.

Iuxta Aliorum Degradatus nō est alendus ex fructibus beneficij. 28. Alij verò putant non esse alendum fructibus beneficij, quod mihi magis placet; sibi enim debet imputare, quod beneficio & fructibus priuetur, atque adeò si non habet aliud, vnde alatur, vel laboret, vel mendicet, maximè, si sit actualiter degradatus, ac solemniter, omnique priuilegio Clericali carens, quem alioquin multo magis puniendum, aut vitâ priuandum non dedecet mendicare. Ita Couarr. 3. *variarum* cap. 13. numero 8. Bonacina suprà numero 7. qui testatur ita esse vsu receptum, & quidem, si priuatur beneficio, nullum video titulum, vt ex fructibus beneficij alatur.

Tertium. 26. Tertium neminem esse degradandum sine accusatore, quamuis puniendus sit aliâ pœnâ, iuxta c. *Dilectus* de *Simonia* Ita Sayrus suprà numero 12. Molina numero 13, Filiucius numero 199 Ambrosinus num. 4. & alij Summistæ verbo *Degradatio*.

Quartum est pro praxi maximè notandum. 30. Quartum pro praxi est maximè notandum Magistratum sæcularem in causâ criminis merè Ecclesiastici. v. g. in causâ Hæresis non posse cognoscere, & iudicare de tali crimine; sed tantū secundū latā declaratoriam sententiā à Iudice Ecclesiast. exequi iuxta c. *Vt inquisitionis* §. *Prohibemus* de *Heret.* in 6. in crimine verò nō merè Ecclesiastico potest petere à Iudice Ecclesiastico processum, vt illius iustitiam cognoscat, & examinet, & deinde reum sibi traditum, siuque fori effectum puniat. Ita Panormitanus c. 1. numero 12. de *Offic. Ordin.*

31. Alia, quæ minoris momenti sunt circa degradationem videri possunt apud Doctores citatos.

DISPVTATIO VII.

De Irregularitate in Communi.

1. SCholastici Doctores non agunt de Irregularitate in loco aliquo certo (de antiquioribus Scholasticis loquor) sed de Irregularitate orta ex iteratione Baptismi, agunt in materiâ de Baptismo de ortâ ex bigamia in materia de matrimonio, de ortâ ex homicidio, agentes de Homicidio, & sic de alijs, prout incidunt in peculiares materias. Alioq; tamē Iuris periti, & Recētiores Theolog. peculiares Tractatus ediderunt, vt Villadiego Nicol plou. Albertus Trosius *de vero, & perfecto Clerico* lib. 2. Felician, & aliqui alij Canonistæ in Clement. *Si furiosus* de *Homicidio*, super quam benè longam edidit relectionem Couarr. Item S. Antonin. 3. p. tit 26. Nauarrus in *Summa* c. 27. à numero 191. Syluest. & alij Summistæ verbo *Irregularitas*, Henriquez sæpe citandus lib. de Irregularitate, Rodriguez tomo 1. *Quæstionum Regularium.* q. 24. ab art. 1. & in *Summâ* verb. *Irregularitat.* Suar. de *Censuris* tomo 5. in 3. p. à disp. 40. Auila de *Censuris* p. 7. Coninc disp. 18. tomo 2. de Sacramentis. Layman lib. 1. Theolog. Moralis Tract. 5. p. 5. Bonacina de *Censuris* disp. 7. & alij Recentiores, & antiquiores in decursu sequentium dubitationū citandi.

DVBITATIO I.

Quid sit Irregularitas? & quotuplex?

2. EX dictis Authoribus, & ex Soto in 4. dist. 25. q. 1. art; 2. Couarr. in dictâ Clement. 1. p. in principio possumus definire Irregularitatem esse *impedimentum inductum à Iure Canonico per se primò, & directè impediens receptionem Ecclesiasticorum Ordinum, vel in iam receptis administratione.* Aliqua solent addi huic definitioni, quæ, vel non sunt certa, sed in quæstione posita, vel in prædictis verbis virtute continentur. *Definitio Irregularitatis*

3. Vt hæc definitio innotescat præmittenda est etymologia huius vocis *Irregularitas*, quæ vt plerique Authores citati consentiunt coalescit ex præpositione *In* & ex abstracto nomine *Regularitas*, quod à Regula deducitur, & cū *In* significet negationem, Irregularis dicitur ille, qui caret regulâ, seu non est intra regulam. Ideò Irregulare vulgò appellatur quidquid non est iuxta regulæ præscriptum. Sic Grammatici, Irregularia nomina, & verba solent appellare. Vnde in nostro negotio Irregularis dicitur, qui non est intra regulam ab Ecclesiâ præscriptam, vt ad Ordines possit promoueri, vel in susceptis ministrare. *Ethymologia vocis Irregularitas.*

4. Requiritur vlterius vt quis esse possit Irregularis quod sit subiectum capax Ordinis; alioquin non erit pro illo Irregularitas aliqua superinducta, quæ impediat susceptionem, aut vsū Ordinis; nemo enim impediricēsetur; nisi ad id, ad quod alioquin habet potestatē; hinc est, vt nulla fœmina possit esse irregularis, cum non sit capax Ordinis, non solum licitè, sed nec validè suscipiendi, item, qui nondum est validè baptizatus, non potest propriè appellari Irregularis, cum etiam, suppositâ carentiâ Baptismi, non sit capax Ordinum; est enim Baptismus ianua cæterorum Sacramentorum. Ita Nauarrus cap. 27. numero 305. Sayrus lib. 6. cap. 2. numero 6. Auila 7. p. disp. 2. dub 6. Henriquez lib. 14. cap. 2. Coninc disp. 18. dub. 1. numero 2. Suarius disp. 40. sect. 7. numero 3. Filiucius Tract. 19. numero 2. 52. & 90. aliique multi. *Vt quis possit esse irregularis requiritur vt sit subiectum capax ordinis.*

5. Iam nunc ad definitionem explicandam veniamus, per illam vocem *Impedimentum* distinguitur Irregularitas à Censuris quæ ex propriâ ratione suâ ob culpam infliguntur iuxta dicta disp. 1. dub. 2 & 3. ac sæpe alibi; sunt enim Censuræ pœnæ medicinales. Itaque Irregularitas est moralis inhabilitas personæ ad ordinem Ecclesiasticum obtinendum, vel si iam obtinuit, ad exequendum, propter defectum aliquem, aut maculam quandoquidem decet eos, qui ad altaris ministerium assumuntur, tàm corpore, quàm animo integros esse, ac puros, & immaculatos. Dicitur autem *Impedimentum à Iure Canonico Inductum*, ut ostendatur Irregularitatem non esse Iure Diuino; sed Ecclesiastico inductam. Ideò Irregularitas, vt in præcedentibus sæpè notauimus, non incurritur, nisi in casibus Iure expressis, vt habetur c. *Is qui de sentent. Excommunic. in* 6. Legatur Suarius *disp.* 40. *sect.* 4. vbi sicut, & multi alij citati, certè explicat Ius Canonicum in hac re maximè se conformare Iuri naturali, quatenùs ratio naturalis dictat non oportere admittere ad ordines, qui debitâ corporis integritate carent, aut aliquem habent defectum, quod aliquâ ratione cum Ordinibus repugnet. *Definitio explicatur.* *Irregularitas non ex Iure Diuino, sed ex Canonico inducta est.* *Conformitas Iuri naturali.*

6. Dicitur autem *per se primò & directè impediens &c.* vt magis in partulari appareat discrimen inter irregularitatem, & Censuras, nam Irregularitas aliter impedit. quàm Censuræ susceptionem, aut exercitium ordinis, nam excommunicatio, suspensio, & Interdictum indirectè tantùm impediunt, scilicet, Excommunicatio, quatenus Ordines sunt cōmunicationes quædā; & excommunic. minor non impedit vsum Ordinum omnium, sed passiuam illorum susceptionem *Discrimen inter Irregularitatem & censuras*

nem. Suspensio verò priuat vsu Ordinum, quatenus sunt sacra officia; aut in ordine ad beneficia Ecclesiastica, & licet aliquando suspensio sit ab officio & beneficio, & ab ordinibus sacris tuncque directè impediat vsum, & exequutionem ordinum; tamen differt ab Irregularitate, quod hæc non est propriè Censura, imò eius ratio formalis tantum est inhabilitas ad suscipiendos ordines; Prohibitio autem vsus susceptorum non tàm est ratio formalis Irregularitatis quàm effectus, sine quo etiam aliquando reperitur Irregularitas, vt notat Nauarrus ex c.2. de *Clerico excomm. ægrotante*, & ex dicendis infra patebit; cùm tamen suspensio directè priuet, vsu Ordinum, quando suspensio est ab Ordine, & non priuet directè Ordinum Suspensionem, sed consequenter, quatenus prohibito vsu, censetur prohibita etiam susceptio ordinis, qui exerceri non potest. Itaque sunt multa discrimina Irregularitatis & Censurarum; semper enim contrahitur Censura propter delictum; Irregularitas verò, non semper, vt videbimus. Deinde Irregularitatis finis est reuerentia Diuinorũ, censuræ verò resipiscentia & emendatio delinquẽtis cẽsura nõ semper est à Iure; Irregularitas verò semper est à Iure imposita per summum Pontificem, vt habetur in citato c. *Is qui*

Ratio formalis Irregularitatis.

Suspensio directè priuat vsu ordinum susceptorum.

Irregularitatis & censurarum varia discrimina.

7. Dicitur etiam *receptionem Ecclesiasticorum Ordinum, aut receptorum administrationem*, vt significetur non omnem Irregularitatem; quæ impedit susceptionem Ordinis impedire vsum illius iam suscepti est; enim aliqua Irregularitas, quæ licèt susceptionem ordinis impediat, non impedit suscepti vsum. Vnde c. finali 15. q. 1 habetur illud axioma, *non omnia, quæ ordinandum impediunt, ordinatum deijciunt* Vnde contingit aliquem impediri quandoque; ne ordinem sacerdotalem suscipiat, & non impediri, vt in Subdiaconatu ministret. Hac ratione, cui suscepto Diaconatu absque sua culpâ amputatur pollex digitus, potest Diaconatus Ordinem exercere cantando Euangelium, quamuis ad sacerdotium nequeat promoueri, vt notârunt Nauarr. c.27. n141. Coninc disp.18. dub.1. num.8. Filiucius Tract. 19. n.32. & alij multi.

Datur Irregularitas quæ licet susceptionem ordinis impediat non tamen suscepti vsum.

8. differt etiam Irregularitas à degradatione: nam degradatio, & depositio deijcit Clericum à statu Ecclesiastico; per Irregularitatem verò ad talem statum Ecclesiasticum non admittitur. Quod si contingat iam esse admissum, non quidẽ deijcitur à tali gradu, sed quãtum fieri potest, non admittitur ad illum; cumque hoc esse non possit, nisi quantum ad vsum, & exercitium illius: non admittitur ad vsum, & exercitium.

Differentia Irregularitatis a degradatione.

9. Dubitari autem potest an irregularitas impediat susceptionem primæ Tonsuræ?

An Irregularitas impediat susceptionem primæ tonsuræ.

10. Non consentiunt Doctores; nam Bariola apud Bonacin. suprà q. 1. puncto 1. numero 4. ex eo quòd prima tonsura non sit ordo, putat Irregularitatem non impedire illius Susceptionem; quia in odiosis non est facienda extensio c. *Pœna* de *Pœnit.* dist. 1. & quamuis Canones asserant Irregularem esse incapacem Ordinum, nihilominus solùm tonsuratus non est ordinatus; quia hic habet officium peculiare in ordine ad Eucharistiæ celebrationem iuxta doctrinam *Ioan. de Dicastil. de Censur.* traditam Tract 6. dub. 1. & 2. & 8. vbi explicuimus Tonsuratum nullum habere officium circa seruitium, & ministerium altaris.

Aliqui asserunt non impedire. Ratio.

11. Suarius verò disp. 40. sect. 2. numero 2. Nauarrus tomo 1. cons. 14. de tempore ordin. num. 1. & 3 & cons. 34. & 35. de *Homicidio* Garz de *Benefic.* 7 p. cap. 12. numero 30. Filiucius Tract. 17. cap. 3. n.50. & 60. Auila p 7. disp. 2. dub. 6. Sayrus lib 6. cap. 1. num.19. Reginaldus tomo 2. lib. 30. Tract. 1. num. 5. & Tract 2. num. 12. & 14. & alij putant probabilius Irregularitatem impedire susceptionem primæ Tonsuræ. Bonacina suprà num. 4. refert pro hac sententiâ Rotam in vna Romanâ deciss. 3. Iunij anno 1583. Probari verò potest, quia licèt tonsura non sit ordo, est dispositio ad Ordines, & constituit hominem in statu Clericali, à quo per Irregularitatem separatus est & reddit illum incapacem iurisdictionis Ecclesiasticæ, & beneficiorũ Ecclesiasticorum. Quæ omnia magni momenti sunt. Vnde (inquit Suarius) Episcopus suspensus simpliciter à collatione omnium ordinum, mortaliter peccat dando primam tonsuram etiam Irregularis illam recipiens. Bonacina etiam contendit in Iure Canonico intelligi primam tonsuram nomine ordinis argumento c. *Cum contingat* de *Ætate & qualitate* ac proinde, quando in definitione Irregularitatis dicitur impedire susceptionem Ordinum nomine Ordinum intelligi etiam Primam Tonsuram. Pro qua expositione refert Patresconsultores Pœnitẽtiariæ. Mediolanensis Refert etiam Conincum disp. 18. num. 26. sed ibi non satis clarè loquitur Author ille, imò vix potest aliquod sumi indicium.

Suarius Cum alijs putant probabilius impedire.

Ratio.

12 Ad argumentum verò Bariolæ facilè respondemus non esse faciendam extensionem in odiosis nisi ratio aliqua cogat; cogit autem in præsente, siue quia nomine ordinis in Iure Canonico comprehenditur prima tonsura, siue, qui a prima tonsura est dispositio ad ordines, & quasi medium ad finem, & ablatò fine auferuntur ea, quæ sunt ad finem, & meritò ad clericalem statum non admittuut, qui nullius Clericalis ordinis capax est secundum leges.

Ad argumentum primæ opinionis. Resp. Non esse faciendã extensionem in odiosis nisi ratio cogat.

13. Ex hac doctrina colligit Reginald. n.13. & Bonacina n. 5. aliam differentiam inter suspensionem, & Irregularitatem quod suspensio supponit primam tonsuram, & statum Clericalem; solum enim fertur in Clericos; Irregularitas verò non item; sed reddit hominem ineptum ad talem tonsuram, & statum.

Ex his colligitur alia differentia.

14 Ex dictis sequitur primò, quòd licèt Irregularis celebrans mortaliter peccet, quià violat Ecclesiæ præceptum; non tamen incurrit nouã Irregularitatem. Ita Innocent. c. *Si celebret*. n.3. de Clerico excomm. ministrante, quem refert, & sequitur Nauarrus c.37 n.194. & c. 25. n.72. Probat Innocent. quia hoc non habetur expressum in Iure, ex patet ex vsu dispensationis Ecclesiæ, quę quando in huiusmodi Irregularitatibus dispensat, solum dispensat in eâ, quæ ante celebrationem incursa fuit. Potissima autem ratio est secundum communem Doctorum sententiã; quia tum incurrit quis Irregularitatem in vsu Ordinum; quando ligatus erat aliquâ Censurâ Ecclesiæ Irregularitas

Ex dictis sequitur.

autem non est Censura. Syluest. verò, si alij qui existimant; Irregularem simul esse suspensum, oppositum dicerent, saltem, quando Irregularitas est ex delicto (quod etiam sentit Sotus dist. 25. q. 1. art. 5.) sed opposita sententia est vera, maximè cùm non omnis Suspensio sit propriè Censura; atque adeò neque illa, quam hi fingunt annexam irregularitati Irregularitas autem non incurritur; nisi violando Censuram per vsum Ordinis.

Colligitur 2.

15. Colligitur etiam non incurrere aliam Irregularitatem, qui, Irregularis cùm sit, suscipit Ordinem, quia nullo Iure est imposita talis Irregularitas.

16. Neque etiam incurret, qui cum ordinatus fuerit existens in Irregularitate, postea ministrat in ordine sic suscepto, quia non est imposita in Iure aliqua suspensio ei, qui ordinatur existens Irregularis; nisi; quàm posuerat Sixtus V. quæ iam fuit ablata. Ita Suarius disp. 40. sect. 2. numero 3. & disp. 42, sect. 3. numero 3. de quo iterum dub. 6. dicam agens de effectibus Irregularitatis.

Quotuplex Irregularitas Resp. vniuersim in duas diuidi posse.

17. Circa secundam partem dubitationis quotuplex scilicet sit Irregularitas? breuiter dico multas esse irregularitatis; sed vniuersim posse in duas diuidi, alterã ex defectu, vel indecentiâ absque culpa; alteram ex delicto seu facto.

Alia diuisio in quinque Capita.

18. Alio etiam modo potest diuidi in quinque capita, quæ adducit Nauarrus num. 192. videlicet ratione Sacramenti, aut ratione delicti, aut defectu lenitatis, aut defectu animæ, aut defectu corporis.

Potest etiam diuidi in tres species.

19. Aliter etiam diuidi potest in tres species, videlicet ex defectu naturali, ex defectu lenitatis aut ratione Sacramenti; nam sub defectu naturali comprehenditur defectus animæ, & corporis, & sub defectu lenitatis comprehenditur, quæ est ex delicto. Legatur Suarius disp. 40. sect. 3. numero 2. vbi diuisionem Irregularitatis per ordinem ad causas latè & optimè explicat.

20. Quodlibet membrum cuiuscumque diuisionis assignatæ in plures alias subdiuidi potest, vt ex dicendis constabit.

21. Aliam diuisionem Irregularitatis assignat Suarius, quam colligit ex illâ primâ generali diuisione, & putat esse æquè vniuersalem; quædam ergo Irregularitas est, quæ contrahitur per actum proprium hominis Irregularis, alia verò sine ipsius actu; quam diuisionem etiam latè explicat Suarius ibidem.

DVBITATIO II.

In Irregularitas, vt incurratur, debeat esse expressa in Iure? & an in dubio Iuris censendus quis sit Irregularis?

Assertio 1. Irregularitas non incurritur nisi sit expressa in Iure.

22. Asserendum est primò, quod sæpè diximus, Irregularitatem non incurri; nisi sit expressa in Iure. Ita habetur c. *Is qui*. de *sententia excommunic.* in 6. vbi ideò dicitur non incurrere Irregularitatem eum; qui celebrauit in Ecclesia polluta effusione sanguinis, aut seminis, quia id non est expressum in Iure; idque docent communiter Doctores, exempli gratiâ, si quis dubitaret vtrum lata sit Irregularitas contra furantes? aut dubitaret, an sub talibus, aut talibus verbis contineatur Irregularitas, & adhibita mortaliter sufficienti diligentiâ ad rei veritatem inuestigendam, adhuc persisteret in dubio; posset practicè dubium deponere, & non se habere Irregularem, nec iudicare Irregularitatem esse latam. Ratio verò generalis est quia cum Irregularitas sit inducta Iure positiuo, incurri non potest; nisi in ipso contineatur; non constat autem contineri vt supponimus, & non est effectus inducendus à causâ incertâ, Vnde in dubio Iuris nullus in foro externo iudicatur Irregularis: ergo neque in foro conscientiæ. Accedit quod qui adhibuit sufficientem diligentiam ad pellendum dubium Iuris censetur laborare ignorantiâ inuincibili, si rei veritatem non potuit attingere, qui autem ignorat inuincibiliter legem, non tenetur illam seruare, ergo in nostro casu non tenetur se gerere pro Irregulari.

Ratio.

In dubio Iuris nullus in foro externo iudicatur Irregularis.

23. Vlterius lex nunquam obligat subditos, nisi sit sufficienter intimata; talis autem non censetur comparatione eius, qui dubitans an lex talis lata fuerit, post adhibitam diligentiam, non potuit comperire esse latam. Ita pleriq; Authores citati maximè Suarius disp. 40. sect. 5. numero 15. Nauarrus cap. 27. numero 193. Auila p. 7, disp. 2. dub. 5. conclus. 5. Couarr. in Clement. *Si furiosus* p. 1. in principio num. 3. Reginald. suprà numero 3. Filiucius cap. 2. Quæsito 4. & deinceps. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. puncto 2. Toletus lib. 1. cap. 57. ad fin. Coninc disp. illa 18. dub. 2. numero 21. Sa verbo *Irregularitas* numero 4. & alij, quidquid in contrarium sentiat Garz. de *Benefic.* 7. p. c. 1. numero 21. Nobiscum etiam sentit, Sayrus lib. 6. cap, 2. numero 16. & Rebellus 1 p. de *obligationibus Iustitiæ*, lib. 1. q. 2. sect. 2. qui optimè rem explicat. Vide dicenda Tract. 11. disp. 1. dub. 17. & de Iuramento disq. 3. dub. 17. assert. 2.

Fundamentum præcipuum doctrinæ.

24. Sanè fundamentum præcipuum huius nostræ sententiæ maximè dependet ex illo principio Iuris, quod *in dubijs melior sit conditio possidentis*, vt habetur Regul. Iuris 65. in 6. Hanc tamen Regulam aliqui Theologi, & quidem graues omninò restringendam putant ad solam materiam Iustitiæ inter quos est Vasquez 1. 2. disp. 46. cap. 3, quem etiam sequitur Burgasius de *Irregularit.* p. 1. q. 3. Et specialiter de nostro casu probat; quia non se gerendo, vt irregularem, temerè se exponit periculo operandi contra prohibitionem Irregularitatis.

Regulam in dubijs &c. restringendam ad materiam Iustitiæ putant graues Theologi.

25. Hoc tamen fundamentum, & omnia, quæ à Vasquio, & ab ijs, qui in talis Magistri sui doctissimi verba iurare solẽt, afferuntur, vt probant Regulam illam *In dubijs melior est conditio possidentis*, non habere locum; nisi in materiâ Iustitiæ, nunquam mihi visa sunt efficacia. Atq; imprimis, si ratione agamus; sicut neque in physicis, ita neque in moralibus causa effectum suum causare potest in conspectu alterius contrariæ æquè potentis, & æquali vi obsistentis. Vnde si daremus calidum agens, & aliud frigidum, quorum vtrumque in virtute introdu-

Horum tamen fundamenta non videntur Authori efficacia.

Ratio.

cendi

cendi suum qualitatem æquè potens esset, & passum antecedenter iam haberet alterutram illarum qualitatum, non posset contrarium agens superueniens illam qualitatem expellere; sed etiam in conspectu illius maneret. Cum enim omnis actio cum obsistentiâ contrarij debeat prouenire ab agente excedente vim contrarij. & in eo casu agens, v.g. calidum, non excedat, vt supponimus, vim agentis frigidi, & subiectū reperiatur frigidū antecedenter sicuti etiā supposuimus; nō est cur dicamus posse illud agēs calidū expellere ex subiecto frigus, cùm, si expelleret, deberet vincere virtutem alterius obsistentis, quam tamen (vt supponimus) non vincit; sed tantùm æquat; atque adeò perseuerabit qualitas frigoris in subiectu.

26. Hoc ipsum contingit in re morali in nostro casu, & similibus alijs dubijs; loquimur enim in casu puri dubij, quando scilicet pro vtraque parte sunt rationes dubitandi, & neutrius partis rationes assensum generant. Tunc ergo antecedenter, id est ante omne dubium obortum possidebat subiectum v.g. Sacerdos libertatem celebrandi, quia nimirum nulla erat lex, quæ id prohiberet; posteà verò superuenerunt (vt sic dicam) duo agentia æque potentia (vt supponimus) nempe ratio pro perseuerantiâ talis libertatis celebrandi, & ratio pro ablatione talis libertatis, & neutra illarum rationum tam potens est, vt vincat alteram; subiectum autem. id est sacerdos, habet suam libertatem antecedenter ad istam pugnam rationem, vt dicebamus; ergo si ratio contraria tali libertati deberet tollere libertatem, & inducere prohibitionem, deberet vincere rationem in contrarium. & habere effectum in conspectu illius contrarij obsistentis æquè potenter, quod est impossibile: ergo id non faciet. Accedit, quod iuxta aduersariorum doctrinā tanta vis obligandi concedenda esset legi dubiæ, & de quâ non constat; nec scitur, quod sit lata; atque conceditur legi certæ, & in dubitatæ; nam si lex esset certa, quod, quæso, amplius faceret, nisi impedire sacerdotem, vt non celebraret, quamdiu talis lex duraret? hoc autem ipsum facit in sententia aduersariorum lex illa dubia, seu dubium legis: ergo æquè potens erit dubia lex, atque certa.

Confir. tota doctrina.

27. Confirmatur tota doctrina, sumpto argumento ex materia Iustitiæ, in quâ, etiam aduersarijs concedentibus, melior est conditio possidentis; ideò enim in materiâ Iustitiæ, quando dubium est æquale inter duos, ille cui fauet possessio, potest retinere rem possessam; quia melior est eius conditio; sed pari ratione inter voluntatis libertatem, & præceptum superioris, quando est dubium, quodnam vincat, si constet pro quâ parte sit possessio, melior est illius partis conditio, ac proinde illam partem, etiam alioquin minus tutam licebit sequi; sicut in materiâ Iustitiæ, etiam partem minus tutam sequi licet. Quam doctrinam iterum latè confirmat Suarius tomo 2. de *Relig.* lib. 4. cap. 5. numero 7. Sanchez lib. 2. de *Matrimonio* disp. 41. num. 32. & lib. 1. *summæ* cap. 10. numero 11. in fine Ioannes. Sanchez disp. 42. numero 7. Treuinô in *Praxi examin* fol. mihi 257. Garz. 2. tomo de *Benefic.* p. ff. c. 2. numero 14. non sibi satia constans, cum cap. 5. numero 21. (vt suprà retulimus) aliquid in contrarium videatur docere. Item Villalobos Tract. 1. de *Conscientiâ* difficult. 21. Filiucius 2. tomo Trac 21. cap. 4. numero 165. videturque insinuare Petrus Nauarra lib. 3. de *Restit.* cap. 4. dub. 4. numero 48. in posteriori editione; atque hanc sententiam sequūtur omnes, quotquot in dubio legis aut voti docent nullam esse obligationem.

28. Quânam verò ratione in causis dubijs discernendum sit, pro qua parte sit possessio non est huius loci disputare, pertinet enim ad Tractatum, vel de Conscientiâ, vel de legibus.

Resp. ad fundamenta aduersariorū

29 Restat nunc respondere fundamentis aduersariorum, qui non pauci sunt, nec leuioris notæ; nam præter Vasquez disp. illâ 65. cap. 3. numero 13. idem docet Azor tomo 1. lib. 2. cap. 19. q. 10. & lib. 11. cap. 15. q. 2. Antonius Perez in *Laurea Salmantina* certamine 10. Scholastico numero 132. Sayrus in *Claui Regia*, lib. 1. cap. 13 numero 36. Salas 1. 2. Tract. 8. disp vnicâ sect. 17. numero 162. & sect. 25. num. 252. qui omnes firmissimè tenent extra materiam iustitiæ nihil prodesse possessionem. Limitat verò Salas suam doctrinam, vt non habeat locum, quando cum incommoditate, & detrimento sui vel alterius priuandus est aliquis; libertate, Idemque tenentur affirmare, qui in dubio voti obligationem imponunt; omnes ergo prædicti dicunt extra materiam iustitiæ tutiorem partem eligēdam esse in dubijs, ne quis se exponat periculo peccandi. Audiamus ergo illorum fundamenta; præcipua enim sunt ex aliquibus Textibus.

De dubijs tutiorem partem esse eligendam dicunt multi.

Præcipua eorum fundamenta sunt ex textibus Iuris.

Nam illud fundamentū, quod nuper ex Vasquio afferebamus, quòd scilicet se quis exponeret periculo peccandi, nisi tutiorem partem eligeret, eâdem ratione vim habet (si quam habet) in materiâ Iustitiâ; sicut enim in materiâ v.g. præsenti Irregularitatis. se quis exponit periculo faciendi contra prohibitionem Iuris prohibentis suspensionem, aut vsum Ordinis: ita in materiâ Iustitiæ, qui in dubio retinet rem, se exponit periculo retinendi rem alienam contra legem naturalem dandi, aut restituendi vniusque quod suum est.

Ad illud quod dicunt quod quis se exponeret periculo peccandi nisi tutiorem partem eligeret.

Resp.

Dicere autem quod in materiâ Iustitiæ possessio sit aliquis titulus Iustitiæ, qui suffragatur possessori; non verò in alijs materijs, vel est petere principium, vel nihil ad rem. Est quidem petere principium; quia de hoc ipso disputamus; & contendimus, etiam in alijs materijs, actionibus, & virtutibus moralibus esse titulum sufficientem, quod quis habeat libertatem operandi; nisi lege prohibeatur, & quòd in casu dubiæ legis non adsit lex comparatione dubitantis sufficiens tollere illam libertatem operandi; sicut in casu dubiæ legis Iustitiæ prohibentis retinere rem illam, quam quis possidet, non adest sufficiens lex prohibens libertatem retinendi rem quam apud se quis habet. Præterea illa responsio nihil est ad rem; nam licèt concedamus in materiâ Iustitiæ meliorem esse conditionem possidentis, adhuc non tollitur periculum, si quod est priuandi alterum re suâ & retinendi rem alienam; quantumuis enim quis se inueniat possidentem bonâ fide, & adhibuerit diligentiam pellendi dubium Iustitiæ,

nec potuerit pellere; adhuc manet tale periculum, cum adhuc fieri possit, quod re verâ sit rea alterius, & tamen hîc, & nunc non censetur in eorum sententiâ se exponere culpabili periculo eo ipso, quòd ante dubium obortum, & post adhibitam diligentiam ad pellendum illud rem possideat; & quòd possessio sit titulus Iustitiæ; non est ad rem, si adhuc non pellit dubium; Vel si dicas non pellere quidem dubium speculatiuum, pellere autem practicum, quatenus hic, & nunc præcedente possessione, & adhibitâ diligentiâ pellendi dubium, practicè iudicatur certum posse rem illam retinere; eâdem ratione dicemus in alijs materijs positâ possessione libertatis operandi, & adhibitâ diligentiâ ad pellendum dubium superueniens, quantumuis remaneat dubium speculatiuum, quòd scilicet fieri possit, illam actionem esse contra præscriptum legis practicè nihilominus esse certum posse cùm ijs circumstantijs operari, etiam fortè contingat actionem, re ipsa esse contra preceptum legis. Veniamus ergo ad Textus pro sententia aduersariorum

Ad textus quos pro sua sententia adferunt aduersarij

Probât 1. & præcipue ex c. ad Audiêntiam *& c.* Significasti

30 Probant primò & pricipuè ex c. *Ad audientiam* & cap. *Significasti* el. 2. *de Homicidio* vbi in dubio; an occiderit Sacerdos, censetur Irregularis, redditque rationem Pontifex quia *in hoc casu tutius est cessare ab officio, quam temerè celebrare pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur.* Item in cap. *Illud Dominus de Clerico excommunicato* ministrante, Episcopus quidam excommunicatus fuit, quia suam Ecclesiam reliquerat, & aliam occupauerat; qui tamen sic excommunicatus Diuinis se immiscuit; postea verò excessum suum cognoscens in præsentiâ Papæ constitutus inter alia, quibus se excusauit, dixit se non credidisse, quod Episcopus posset monitione non præmissâ aduersus eum procedere, neque enim erat Iudex Ordinarius; sed delegatus. Item proponat se non credere priuatum esse officia Diuina celebrare cùm ab eo Episcopo communicatas non accepisset, & cùm ei non nisi per famam de sententiâ excommunicationis constitisset. Huic autem allegationi respondet Innocentius Tertius, quòd licèt in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse *quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, & si de latâ in eam sententiâ dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* In quo Textu aduertere oportet eiusmodi Episcopum videri habuisse sufficientem rationem dubitandi de suâ Excommunicatione, & nihilominus; quia cum hoc dubio celebratur, declarare culpabilis à Pontifice, idque non aliâ ratione, quàm; *quia in dubijs via est tutior eligenda.* Tandem in c. *Iuuenis de Sponsalibus* mandatur separari iuuenia quidam ab vxore, quam duxerat, eo quod esset consobrina alterius puellæ nondùm septennis, quam priùs acceperat, & cum illâ consummare tantauerat, & si cùm potuisset, propter contractum impedimentum publicæ honestatis. Quod impedimentum videtur fuisse satis dubium; neque enim satis certum erat, quod ea sponsaliâ valerent, imò Iuris præsumptio erat pro eorum nullitare; quia tamen in hoc dubio temerè se Matrimonio copulauit, cùm in dubijs tutiorem partem tenere deberet, ideò mandatur à Pontifice separari. Ex his ergo omnibus Textibus concludi videtur tutiorem esse partē sequendā.

Resp. ad prædictos textus.

31 Nihilominus prædicti Textus me parum, aut nihil mouent, atque in primis in c. *Ad audientiam*, & c. *significasti* concedo (vt dicemus dub. sequenti) Pontificem pro casu Homicidij dubij statuisse Irregularitatem, ob reuerentiam & decentiam Sacrarum rerum innixum illi principio quòd *in dubijs tutior pars sit eligenda.* Hoc tamen principium non assumi, tanquam obligatorium, sed tanquàm Optimum consiliū; neque aliud potest ex Textu probari. Ita Suarius disp. 40. sect. 6. num. 9 & Sanchez infrà.

Ad c. Illud Dominus, Resp.

32. Ad c. *Illud Dominus* facilè est respondere debuisse illum Episcopum in eo casu abstinere; quia orto dubio de Excommunicatione, diligentiam debuisset adhibere ad illud pellendum: nullam autem constat ibi fecisse; ac proinde; tanquā temerarius violator puniri posset, nam persistente dubio, & nullâ adhibitâ diligentiâ ad illud deponendum, necessariò est eligenda tutior pars saltem interim, dùm talem diligentiam non adhibet, cùm possit, nam, vt suo loco videbimus agentes de conscientiâ, dubium speculatiuum infert necessariò dubium practicum per se nisi ex aliquâ circumstantiâ deponatur, ac proinde, vt peccatum non committatur, tenetur sic dubitans pro viribus periculum peccandi vitare; atque adeò tenetur eligere tutiorem partem; tutior autem pars est, vel adhibere diligentiam ad pellendum dubium, vel si eam nolit adhibere, sequi illud, in quo nullum est peccatum; atque in hoc sensu intelligenda est illa regula Iuris *In dubijs tutior pars est eligenda.* In quo casu id non est consilium; sed præceptum, vt rectè aduertit Thomas Sanchez lib. 2. de *Matrimonio* disp. illâ 41. num. 9. & Azor. tomo 1. lib. 2. c. 16. in fine. Hoc ergo est, quod in c. *Illud Dominus* docetur, & declaratur. Accedit, quod ex famâ, sicut probantur Matrimonij impedimenta, poterat in eo casu excommunicatio probari; saltem, vt abstineret à celebratione.

In hoc sensu intelligenda est regula Iuris.

Ad c. Iuuenis *Resp.*

33. Ad c. *Iuuenis* respondetur in eo casu possessionem Matrimonij nihil potuisse fauere illi iuueni; contraxerat enim Matrimonium dubius de valore priorum sponsalium, atque adeò malâ fide. Ideò autem Pontifex iudicauit Matrimonium esse nullum; quia priora sponsalia iudicauit valida, ea verò iudicauit valere; quia vidit malitiam Iuuenis suppleuisse ætatem, quod non leui coniectura collegit ex eo, quòd tentauit consumare, ex alijsque coniecturis, quæ licèt non omninò essent euidentes, moraliter tamen certę videbantur, vt meritò Pontifex potuerit vi illarum declarare sponsalia valida. Ita Glossa & Præposit. in suprà dictum c. Legatur Sanchez lib. 1. Decalogi cap. 10. numero 5. ad 3. Suar. tomo 2. de *Religione* lib. 4. de *voto* cap. 5. numero 12. qui hanc sententiam optimè, & latè confirmat, & declarat. Accedit, quòd Panormitanus ibi notauit cum communi sententiâ scilicet iuuenem illum esse maiorem septennio, & puellam septennio proximam. Quando autem iuuenis maior septennio duxit minorem septennio, & eam traduxit ad domum,

34. Ha-

oritur ex tali contractu impedimentum publicę honestatis secundum communem (quamuis non omninò certam) sententiam.

Quoties ergo factâ sufficienti diligentiâ, manet quis dubius de lege &c. non obligatur. 34 Habemus ergo generaliter loquendo, quoties factâ sufficienti deligentiâ ad inuestigandã veritatẽ adhuc quis manet dubius de lege aut præcepto, non teneri tali lege, aut præcepto quod inter alios citatos docent Henriquez lib. de *Eucharistia* cap. 45. numero 3. in comment. Litterâ P. Suarius disp. illâ 40. sect. 5. numero 15. Thomas Sanchez lib. 2. de *Matrim.* disp. illâ 41. num. 36. & lib. 1. *Summæ* c. illo 10. num. 32. Villalobos tomo 1. *Summæ* Tract, 1. difficult. 21. num. 4. Sa Verbo *dubium* n. 2. contra Vasquez disp. illâ 64. cap. 3. & disp. 66. cap. 1. in princ. cui ex parte consentit Salas 1. 2. Tract. 8. disp. vnicâ sect. 25. num. 258. *Ratio est.* Ratio est sæpe insinuata; quia possessio est pro libertate in tali dubio, quisque enim est Dominus suarum actionum, in quibus liberè procedere potest; interim dùm se non deprehendit ligatum. Ille autem qui post adhibitam diligentiam adhuc est dubius de præcepto nondum se ligatum deprehendit.

Dicta habent etiam locum. 35 Quod diximus habet etiam locum, quoties dubium est; an Lex, vel præceptum ad aliquem casum se extendat; tunc enim perinde est, ac si dubitaret de lege. Ita Sanchez citato illo cap. 10. numero 33. Salas suprà numero. 258.

Quæres. 36 Quæret tamen aliquis, si quis dubitet; an sit lex vsu recepta, an tunc teneatur lege?

Resp. Thomas Sanchez. 37 Respondet Thomas Sanchez citato lib. 1. Summæ cap. 11. num. 35. teneri; quia cum de lege constet, pro eâ stat possessio, & Iuris præsumptio: ergo, vt ab eius obligatione liber sit, illi incumbit onus probandi non esse vsu receptam. In quo etiam consentit Bonacina disp. 1. de *Legibus* q. 1. puncto 4. num. 44. & disp. 2 de peccatis q. 4. puncto. 7.

Resp. Author quod dubitans an lex sit vsu recepta non tenetur tali lege. 38 Nihilominus mihi magis placet, in tali casu non teneri. Ita Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 19. q. 12. Salas disp. illâ vnicâ sect. 18. numero 169. dum docent dubitantem, an aliqua lex imponens Excomm. suspensionẽ, vel Irregularitatem, sit vsu, recepta, posse putare non esse vsu, receptam, neque obligare. Illorum tamen ratio mihi non placet; probant enim; quia in legibus pœnalibus benigniorem partem sequi debemus: Frigida sanè ratio, si alioquin possessio staret pro lege. *Ratio est.* Probanda ergo est sententia, quia tunc non constat de lege impositâ atque adeò lex non possidet; quando enim dubium est, an aliquando lex fuerit vsu recepta, simul est dubium an aliquando obligauerit, adhoc enim, vt lex obliget, debet recipi, vt docet Dominicus in c. *In istis.* §. *Leges* dist. 4. & in c. 2. de *Constit.* Felinus in cap 2. de *Treguâ, & pace.* à num. 12. & ex illis Nauarrus in *Summâ* cap. 23. num. 41. Rebellus *de obligationibus Iustitiæ* p 1. lib. 1. q. 5. numero 7. & alij multi; vt Hostiensis, Innocentius Ioannes Andreas in c. 1. vel 2. de *Treguâ, & pace.* Cauarr. lib. 1. *Variarum* cap. 16. numero 6. iterumque Nauarrus cons. 1. *de Constitut.* q. 5. & 6. Azor tomo 1. lib. 5. c. 4. q. 1. & 5. in fine. Driedo lib. 1. de libertate Christianâ cap. 9. documento 2. & alij, quos referunt Azor suprà Bonacina disp. 1. de *Legibus* q. 1. puncto 4. num. 27. Suarius lib. 3. de *Legibus* cap. 19 Salas de *Legibus* disp. 13. sect. 1. & 5. Quamuis autem, etiam opposita sententia, quòd non sit necessaria acceptatio populi, vt lex obliget, sit satis probabilis, quam sequuntur grauissimi Authores Turrecremata Tabarella. Gregorius Lopez, Castro, Ioannes Medina, quos referunt, & sequuntur Bonacina suprà Vasquez 1. 2. disp. 156. cap. 5. Suarius suprà, & lib. 4. de *Legibus* cap. 16. alijque recentiores: adhuc, eo ipso quod dubitetur, an sit vsu recepta, dubitatur, an inceperit obligare; nam eo ipso quod non sit vsu recepta, dubium est, an ab initio viguerit, vel legislator permiserit illam non seruari; atque adeò non constat de eius possessione. Neque enim idẽ est legem esse latam, & possidere suam obligationem maximè, si lex initio concessit terminum, à quo incipiat obligare, & non constet, quod post illum terminum obligare inceperit. Si ergo dubium est, an aliquando obligârit, dubium etiam est, an aliquando fuerit vera lex, atque adeò non possidet.

39. Hæc doctrina à fortiori locum habet, quoties dubitatur de promulgatione, legis; Lex enim esse non potest sine promulgatione §. 1. *in Authent. Vt factæ nouæ Constitutiones* & § *in ijs autem* de *contrahend. empt.* Probatque optimè Decius in Rubricâ *de Constit.* post num. 36. vers. *Vlterius tamen videtur.*

40. Ad argumentum verò Thomæ Sanchez respondetur negando tunc constare de lege completè in ratione legis, donec constet, quod vsu recepta fuerit, & quod inceperit obligare. *Ad argumentum Sanchez n 37.*

41. Sed quid dicendum erit, quando quis certus est de lege impositâ, & obligante; sed dubitat, an ratione alicuius necessitatis, vel alterius circumstantiæ ab ea eximatur? *Resp. Dubium.*

42. Salas suprà sect. illâ 25. num. 259. existimat non teneri, quando lex est illi incommoda, & molesta; quia nimirum libertati fauendum est, quantum possumus. Debemus ergo pro libertate iudicare; quoties dubium est, an lex obliget. *Resp. Salas.*

43. Opposita sententia est multorum obligare, scilicet, quia constat legem ipsam possidere eiusque obligationem. Ita Thomas Sanchez referens Decium, Alciatum, Surdum, & alios, quos sequitur, tum lib. 1. *Summæ* c. illo 10. num. 34. tum lib. 2. de *Matrimonio* disp. illa 41. num. 37. *Opposita aliorum Responsio probabilior est in praxi sequenda.* Quæ sententia probabilior est, & in praxi sequenda, non tamen videtur mihi improbabile, quod docet Salas; quin potius, si nitamur principio possessionis, non ita clarè constat, vt supponunt Authores sententiæ contrariæ; negari enim potest legem possidere, aut possedisse vnquã pro tali casu, ratio enim dubitãdi potest habere locum ab initio conditæ legis, ita, vt ratio propter quam hic, & nunc dubitatur, sit ratio sufficiens ad dubitandum; an lex imposita fuerit pro tali casu necessitatis, seu alterius circumstantiæ: ergo nunquam constat de lege latâ pro tunc: corruit ergo fundamentum possessionis; negari enim potest legem possidere, aut possedisse vnquàm pro tali casu, vel certè non constare de illius possessione, quod sufficit, vt possessio

possessio legis non sit certa,

44 Illud autem est omninò verum, si quis dubitet; an abrogata sit lex, vel in eâ dispensatum, adhuc legem obligare, quia iam constat de possessione legis obligantis. & nondum constat de abrogatione, vel dispensatione. Ita Sanchez & Salas suprà num. 265.

45 Constat etiam à fortiore obligari Lege eum, qui certus est de lege, dubius tamen; an satisfecerit legi, vt Sacerdos, quem certum est obligari lege recitandi horas Canonicas, si dubitat, an recitauerit? tenetur recitare; nisi deponat dubium, neque enim obligationi certæ satisfit per incertam solutionem. Ita Medina. C. de *Oratione*. q. de Horis iterandis. Ledesma 2. p. 4. q. 16. art. 6. Nauarrus. c. *Si quis autem* de *Pœnit.* dist. 7. num. 76. vers. 17. Sanch. lib. 1. Summæ c. illo 10. num. 12. Rebellus de *obligationib. Iustitiæ*. p. 1. lib. 1. q. 14. sect. 2. n. 9. & 10. in fine, & 2 p. lib. 1. q. 2. sect. 2. num. 13. §. *Qua etiam ratione.*

Ex dictis Patet in dubio Iuris nō esse censendum hominem Irregularem.

46 Ex dictis omnibus patet in nostro negotio de *Irregularitate* in dubio Iuris, quando non est expressa Irregularitas in Iure non esse censendum hominem Irregularem, & quidem quod attinet ad Irregularitatem, quidquid sit in alijs materijs, si, adhibitâ sufficienti diligentiâ, adhuc manet dubium, certissimum puto non esse Irregularem; quia tunc non censetur expressum in Iure: deberet autem esse expressum, vt explicatum est.

DVBITATIO III.

An in dubio facti, cui annexa est Irregularitas, habendus quis sit Irregularis?

Dubium facti scilicet & Iuris.

47 SVpponit hæc, & præcedens dubitatio vulgatam distinctionem dubij in dubiū Iuris, & in dubium facti. Tunc censetur dubium esse Iuris, quando dubitatur an lata sit Lex vel præceptum? & de hoc disputauimus dub. præcedenti: Nunc iam de dubio facti agimus, quod tunc censetur esse quando dubitat quis, an fecerit, vel non, id, quod Lege prohibebatur, vel id, quod (vt loquamur in nostro casu) necessarium erat, vt incurreretur Irregularitas, vt cùm quis dubitat; an occiderit, vel mutilauerit?

De dubio puro.

48 Agimus etiam in hac, sicut & in præcedenti dubitatione, de dubio puro, & propriè dicto.

Consentiūt Doctores.

49 His premissis consentiunt Doctores in tali dubio ante factam prudentem diligentiam, vt superetur, eum, qui sic est dubius teneri se gerere, vt Irregularem, quantum ad effectum abstinendi ab omni eò, quod ratione Irregularitatis prohibetur, alioquin temerè se exponeret periculo faciendi contra Irregularitatem. Quæstio ergo solùm est, an si post factam prudentem diligentiam, maneat tale purum dubium, censendus sit Irregularis ad prædictum effectum?

Quæstio solum est.

50 In hac re consentiunt Doctores eum, qui habet dubium facti Homicidij iudicandum esse Irregularem. (Vide infrà num. 52. & 53.) Probatur satis ex capite *significasti*, & ex capite *Ad audientiam* el. 1. & el. 2. de *Homicidio voluntario, & casuali.* Et quidem in foro interno, (de quo nos præcipuè loquimur) iudicandus est Irregularis, quia in foro externo etiam Irregularis iudicatur, vt patebit infrà. Forum autem internum, & externum non desentiunt; sed idem in vtroque iudicandum est præterquā in casu, quo forum externum ducitur falsâ præsumptione. Ita Conine disp. 18. numero 22. Suarius disp. illâ 40. sect. 6. nu. 1. Salas 1. 2. q. 21. Tract 8. disp. vnica sect. 1. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19 puncto 2. Sayrus lib. 6. c. 2. n. 16. Sanchez paulò post referendus. Vgolinus c. 4. §. 2. num. 3. Reginald. lib. 30. num. 3. Filiucius Tract. 19. cap. 2. quæsito 7. num. 49. & alij plures apud Sanchez in Summâ lib. 5. cap. 10. numero 47. atque ita fore iudicandum in foro exteriori docent pleríque contra Panormitanum, Syluestrum, & Armillam maximè Toletus lib. 1. cap. 51. Suarius disp. illâ 40. sect. 5. Conine dub. 2. Vasquez 1. 2 disp. 66. c. 5. Couarrub. in Clem. *si furiosus* num. 3. & alij multi; patetque ex citato c. *Ad audientiam* ibi *Ad audientiam Apostolatus nostri peruenit*, de quo dub. 26.

Qui habet dubium facti homicidij iudicandus est irregularis.

6. Probatur.

Dissensio inter doctores quoad alios casus Præter casum homicidij an dubius Censendus sit Irregularis

51. Tota ergo dissensio inter Doctores est; an non solùm in casu homicidij; sed etiam in omnibus alijs casibus, quando est purum dubium facti, sic dubius censeri debeat Irregularis ad dictum effectum abstinendi ab ordine, & eius vsu? Affirmat Vasquez vbi suprà, & alij multi apud Sanch. & Suarium: quia alioquin sic dubius temerè se exponeret periculo faciendi contra prohibitionem Irregularitatis; putantque efficaciter deduci ex citato c. *Ad audientiam.* & c. *significasti.* in quibus generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti; quamuis enim ibi casus sit homicidij, ratio decidendi non traditur peculiaris, & propria pro dubio Homicidij; sed generaliter pro omnibus dubijs (excipiunt tamen dubium in materiâ Iustitiæ, quando quis possidet) quia in eis capitibus non dicitur in dubio Homicidij abstinendum esse à ministerio altaris, quia in eâ materiâ seu dubio tutior via eligenda sit; sed quia *in dubijs via est tutior eligenda.* Quibus verbis denotari videtur tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquā obligationem pro casu Homicidij, sed explicari obligationem generalem in dubio cuiuscumque facti, quæ ex se, & ex naturâ sua proueniat supposito præcepto, aut lege, cuius transgressioni se temerè exponet, qui tunc operetur.

Affir. Vasquez cum alijs.

Ratio.

Alij Probabilius docent tantū in dubio homicidij censendum esse Irregularē.

52. Alij verò Auctores probabilius docent tantùm in dubio, homicidij censendum esse Irregularem; quia nimirum in vtroque Textu citato solùm sermo est de dubio Homicidij. Item, quia versamur in materiâ odiosâ, in cuius odio reus est absoluendus iuxta regulam *Cum sunt de Regulis Iuris.* Præterea, quia etiā cum dubio facti est dubium Iuris: vtrum scilicet in alijs factis præter homicidium sancita sit Irregularitas. In dubio autem Iuris nemo censendus est Irregularis post adhibitā sufficientē diligentiam pro veritate indaganda iuxta dicta

Ratio.

dub.

dub. præcedenti quam ſententiam muln, atque grauiſſimi ſequuntur. Ita Henriqez lib. 14.cap. 13. numeto 4. Suarius ſect 6. citata numero 13. Filiucius ſuprà Salas, ſuprà numero 48.& alij multi contra Rebellum, Valentiam. Vaſquez & alios, quos ſequitur Garz. de *Beneficijs* 7. p. c. 1.num.18.& mihi placet , idque latè defendit Sanchez loco citato, qui, & Henriquez ſuprà, dicunt hanc doctrinam habere locum ſolùm in caſibus, in quibus dubitatur de Homicidio iniuſtè commiſſo , non verò in quibus dubitatur de Homicidio iuſto, vt de Homicidio facto in bello iuſto, & licito nam in c. *Ad audientiam* & c. *ſignificaſti*. ſolùm ſermo eſt de Homicidio iniuſto. Quæ ſententiâ quoad hanc limitationem probabilis eſt. Et ſequitur Filiucius ſup. numero 47.& Diana 3.p.Tract.5.miſcellan.reſol.72.qui falsò refert in contrarium Henriquez qui potius eſt pro hac ſententiâ , & pro illa refertur â Sanch.num.49.

53 Oppoſitá verò eſt etiam valde probabilis ſcilicet, etiam locum habere ; in dubio Homicidij iuſti ; videtur enim expreſsè definitum in c. *Petitio tua de Homicidio*. Vbi habetur eum, quem conſcientia remordet de Homicidio patrato in bello iuſto , habendum eſſe Irregularem . Ad quod tameu probabiliter reſpondet Sanchez ibi ſermonem eſſe de in iuſto homicidio ; quia , qui dubitabat erat presbyter , qui non poterat propriâ manu pugnare , etiam in bello iuſto.

Ex dictis pro praxi Collige 1.

54 Ex dictis pro praxi colligitur primo eũ, qui dubitar; an aliquem mutilauerit, non teneri ſe gere pro Irregulari , ſi adhibitâ ſufficienti diligentiâ non potuit pellere dubium; tale enim dubium non eſt facti homicidij ; ſed mutilationis, quæ non eſt propriè homicidium ; Iura autem loquuntur de dubio Homicidij. Ita Suarius in ſimili diſp. illâ 40. ſect.5. numero 14 Filiucius numero 47. Sanchez ſuprà numero 49. quidquid in contrarium ſentiat Henriquez , & Nauarrus. cap. 27. numero 206. alijque nonnulli.

Collige 2. Quoad ſuſcipientem Ordines malâ fide.

55 Colligitur 2. eum, qui malâ fide ſuſcepit Ordines cum dubio Iuris de Irregularitate Homicidij, vel de aliquâ Cenſurâ, eo quod non adhibuerit ſufficientem diligentiam , poſſe poſt diligentiam adhibitâ ſuſceptos Ordines exercere, quantumuis adhuc dubium perſeueret; nam tunc etiam verſatur in dubio Iuris, in quo iuxta dicta dub præcedenti, nemo cenſendus eſt Irregularis. Peccauit quidem ille propter periculũ cui ſe expoſuit , non adhibendo debitam diligentiam, vt cognoſcat an latâ ſit Irregularitas, tamen cum propter tale peccatum non ſit impoſita Cenſura, vel Irregularitas , ſequitur ipſum non teneri ſe abſtinere ab exercitio Ordinum, cùm adhùc verſetur in dubio Iuris.

Quid de accipiente beneficium cum dubio Irregularitatis dicendum. Authoris iudicium.

56 An verò idem ſentiendum ſit de eo , qui cum dubio Irregularitatis accepit beneficium? negat Reginaldus, cap. 2.numeto 19. Probabile verò putat Bonacina diſp.7.q.1.puncto 5. num. 5.& mihi etiam probabile videtur ; quamuis enim ille peccet , & interim , dùm non adhibet ſufficientem diligentiam , non poſſit tutâ conſcientiâ poſſidere beneficium ; obire munera, & fructus percipere; poſt adhibitam tamen diligentiam, etiam non pulſo dubio , incipit bonâ fide poſſidere, & illi conſtat illud eſſe dubium Iuris per moralem à ſe præſtitam diligentiam inſuperabile. Qui autem tali dubio Iuris laborat non cenſendus eſt Irregularis; quod ſic declaro ille, qui habuit dubium Iuris , & adhibuit poſt obortum dubium diligentiam debitam ad pellendum illud , non ſolùm Irregularis non eſt poſt adhibitam diligentiam ; ſed neque ante illam erat Irregularis: diligentia enim illa ad ſciendum, non facit, vt, qui antea erat Irregularis; deſinat eſſe Irregularis ; ſed ſolùm facit practicè certum eiuſmodi hominem , qui adhibuit diligentiam, non eſſe irregularem : hoc eſt non ſe debere gerere in praxi pro Irregulari, ac proinde, etiamſi ante talem diligentiam adhibitam, quantumuis cum peccato, & temerè beneficiũ ſuſceperit, & alia obierit , quæ prohibita ſunt Irregulari, aut etiam inualida, non tenetur poſtea illa reputare inualida ; ſi enim inualida reputaret, iam ſe gereret pro Irregulari , ad quod non tenetur poſt adhibitam diligentiam.

57 Obijciet tamen aliquis contra hoc ſecundum corollarium Poſſeſſio malę fidei nemini ſuffragatur ; ſed, qui cum dubio Iuris de Irregularitate ſuccepit Ordines , malâ fide illos ſuſcepit : ergo non poteſt illos ſuſceptos cum tali dubio exercere ; alioquin poſſeſſio Ordinũ malâ fide incepta prodeſſet.

Obijcies. Poſſeſſio malæ Fidei nemini ſuffragatur.

58 Reſpondetur , in eo caſu non prodeſſe ipſam poſſeſſionem malâ fide inchoatam , ſed propriam libertatem ; quia Ius neque impoſuit Irregularitatem; quando adeſt dubium Iuris, neque etiam illam impoſuit propter negligentiã commiſſam non adhibendo ſufficientem diligentiam ad pellendum dubium, antequàm Ordines ſuſciperentur. Ita Sanchez in *Summâ*. lib. 1.cap.10.num. 46.vbi rectè hoc probat, quamuis Suarius , & Salas ab ipſo ibi citati oppoſitum dicant probabile , quod tamen non probant.

Reſp.

59 Colligitur 3. Irregularem eſſe cenſendũ, qui pharmacum præbuit fœminæ ad abortum; ſed dubitat an fœtus eſſet animatus? verſatur enim, ille in dubio facti circa homicidium iniuſtum, de quo etiam dicemus , agentes de Irregularitate ex homicidio iniuſtò. Ita Sanchez ſuprà numero 43. Auila ſuprà. Rodriguez 1. p. cap.275.numero 4.Nauarrus cap 27 num.223. & alij multi, quos referam ibidem.

Collige 3.

60 Colligitur 4.debere ſe petere pro Irregulari , qui conſuluit Homicidium , & dubitat, an ſuo conſilio operatus fuerit aliquid circa Homicidium patratum ab eo, cui conſilium dedit. Ratio eſt; quia verſatur in dubio facti Homicidij, & Ius in tali caſu induxit Irregularitatẽ. Accedit , quòd præſumptio Iuris ſtat pro Homicidio ; Ius enim præſumit conſulentem illum fuiſſe cauſam patrati Homicidij ab alio; putat enim talem homicidam non commiſſurum delictum abſque tali conſilio. L. *Meritum*, ff. *Pro ſocio*. Ita Sanchez ſuprà numero 44. Maſcard.de *Probat*.tomo 1.concluſ.419.num. 9. Auila 2.p c.5.diſp.3.dub.3 Sayrus lib 7. c. 3. nu. 2.& alij, qui præter Auilam , contra ipſum hoc idem ſentiunt de Reſtitutione, & etiam contra Henriquez lib. 13. cap. 16. numero 3.in Comment.

Collige 4.

ment. Littera D. & contra alios. Sed quid in hoc negotio dubij dicendum sit generaliter loquendo iam diximus agentes de *Censur. in Communi.* disp. 1. dub. 22. §. *Sed quid dicendum.*

Collige 5. 61 Colligitur 5. censeri etiam Irregularem, quoad effectum prædictum abstinendi, qui dubitat; an ille, cui dederat Consilium occidendi commiserit Homicidium, versatur enim in dubio facti iuxta multorum Auctorum sententiam.

62 Non negauerim tamen, si præcisè ratione agamus, mihi magis placere, quod docet Sanchez citato cap. 10. numero 44. circa mediũ & non longè à fine loquens primò de Restitutione, deinde de Irregularitate, scilicet prædictum neque teneri restituere, neque se gerere, pro Irregulari; quia nimirum, cùm non constet de ipso Homicidio, non stat possessio, & præsumptio pro illo, quia cùm Homicidium illud sit quid facti, non præsumitur in dubio, vbi alia præsũptio fortior non cõcurrerit, ac proinde illâ non concurrente, non est vnde dicamus possessionem, & præsumptionem stare in Homicidio, vt consulens compellatur restituere, aut se gerere pro Irregulari. Accedit, quod Iura citata, quæ dicunt in illo casu Homicidij debere abstinere à susceptione, & vsu Ordinum, loquuntur in casu, in quo constat de Homicidio simul cum actione adhibitâ, quæ ex se possit in fluêre, & iuuare, in hoc autem casu non constat de Homicidio. Sicut ergo Auctores nostræ sententiæ ex eo, quod prædicti Textus solùm loquantur in casu dubij de Homicidio. Volunt Legem illam non esse extendendam ad alios casus præter materiam Homicidij; ita similiter; quia prædicti Textus loquuntur tantùm de casu, in quo constat de Homicidio ipso, & de datâ causâ, quæ ex se posset concurrere ad Homicidium (qualis est consilium, de quo agimus) & solùm dubitatur, an talis causa concurrerit ad Homicidium quod re verâ patratum, fuit non erit extendenda lex Irregularitatis ad casum, in quo non constat de ipso Homicidio, seu, vt Iuristæ, & Summistæ loquuntur de corpore delicti aut facti.

Collige 6. 63 Tandem colligitur ex dictis in dubio facti Homicidij, quando diximus, aliquem debere se gerere pro Irregulari, intelligendum, vt sæpe indicauimus, quantum ad priuationem suscipiendi Ordines, & in illis ministrandi (hoc enim solùm est, quod intrinsecè includit Irregularitas) non verò quantum ad alias pœnas, quæ à Iudice imponi solent pro Irregularitate contracta. Ita Sanchez suprà numero 45. Suarius suprà sect. 6. numero 6. in principio & numero 10. in fine. Sayrus in Claui Regiâ. lib. 1. cap. 13. numero 24. Salas q. illâ 21. Tract. 8. disp. vnicâ sect. 19. numero 176. Vasquez 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 66. cap. 1. numero 5. & alij apud citatos; nonnullique Recentiores posteriores; id enim solùm probant & Textus & rationes allatæ.

DVBI-

DVBITATIO IV.

Quænam sint causæ Irregularitatis.

64 CIrca efficientem causam satis constat Irregularitatem prouenire à Sacris Canonibus, vel potius ab Auctore Canonici Iuris, qui est summus Pontifex, qui Irregularitatẽ, quam induxit, per Sacros Canones expressit, & apertè colligitur ex c. *Is, qui de sententiâ excom.* Hinc est, vt Irregularitas non feratur ab homine; sed à Iure, non à Iure particulari seu Episcopali; sed tantum ab vniuersali, & communi Pontificio, cuius ferendi potestas solum Pontifici competit, & quidem in c. *Is qui* citato expresè dicitur nullam esse Irregularitatem; nisi in Iure expressa; nomine autem Iuris intelligitur ibi Ius Canonicum. Ita Couarrub. Clementinâ. *Si furiosus* in principio numero 3. Suarius disp. 4. sect. 4. num. 7. & 51. vbi optimè probat non posse ab Episcopo, vel Concilio Prouinciali, aut Synodali statui Irregularitatem, atque adeò non inueniri Irregularitates proprias alicuius Episcopatus, vel nationis, sicut inueniũtur Censuræ, aut reseruationes Episcopales; neque id Ius commune permittere. Item rectè explicat, quod, quando aliqua Irregularitas ex aliquo Prouinciali Concilio desumitur in tantùm habet vim, in quantum Ius illud per Pontificem, vel vniuersalem Ecclesiæ morem fuit approbatum, & receptum, tanquam Canonicũ, & vniuersale Ius. Et quidem huius doctrinæ ratio, seu congruentia non contemnenda videtur; quia Irregularitas principaliter non imponitur per modum pœnæ; sed potiùs per modum Canonici impedimenti ob decentiam, ac reuerentiam Sacro Altaris ministerio debitam, maximè autem decebat, vt talia perpetua impedimenta eadem essent in totâ Ecclesiâ perinde atque altaris ministerium, & honor, ac reuerentia erga illud toti Ecclesiæ communis est.

Causa efficiens Irregularitatis. *Non fertur ab Episcopo, &c.* *Ratio.*

65 Ex hac doctrina infertur primò, quoties cunque in Canone præcipitur, vt pœna alicui per Iudicis sententiam imponatur, illam pœnam non esse Irregularitatem, etiamsi alioquin aliquam cum illa similitudinem habeat, sed esse aliquam aliam pœnam Ecclesiasticam V. g. suspensionem, vel de depositionem, cum talis pœna sit imponenda ab homine, qui non potest inducere Irregularitatem.

Ex hac doctrinâ. Collige 1.

66 Negandum tamen non est, quin summus Pontifex possit irregularitatem per sententiam ab homine ferre, imò non video repugnare, quod possit hanc ipsam potestatem alteri conferre, sicut, & potestatem inducendi Irregularitatem pro peculiari diœcesi, aut prouincia; id tamen; quia non expedit, nunquam fit.

Potest summus Pontifex Irregularitatem per sententiam ab homine ferre. *Collige 2.*

67 Colligitur 2 (quidquid in contrarium videatur sentire Layman lib. 1. Tract. 5. p. 5. c. 1. numero 6.) non sufficere ad admittendam Irregularitatem, quod sit multitudo Auctorum testantium, de consuetudine Ecclesiæ sine Iure expresso, nulla enim est Irregularitas, quæ non sit Iure scripto expressa. Ita Suarius citatâ sect. 4. nu. 13.

68. Colligi-

68. Colligitur 3. non incurri Irregularitatem propter delictum, vel causam æqualem, similem, aut maiorem illâ, ob quam inducta est, & expressa in Iure Irregularitas; sed necesse est, vt in propriâ specie sit in Iure expressâ, Ita Suarius suprà numero 15. Filiucius Tract. 17. num. 35. Layman suprà cum Nauarro c. 27. num. 194. & alij multi.

69. Vtrum autem Irregularitas suos effectus trahat secum absque Iudicis sententiâ, quamuis pendeat ex doctrinâ magis generali de quâ agendum est in Tract. de legibus? nunc respondetur affirmatiuè cum communi Doctorum sententiâ quam docet Suarius sect. illâ 4. n. 9. Nauarrus c. 27. num. 94. Couarr. Villa Diego, Castro, & alij apud Suarium ibi n. 4. & 9. Probat, quia lex ipsa immediatè infert Irregularitatem, & profert sententiam, vt patet ex verbis, quibus Irregularitas in Iure ferri solet. Quæ denotant stante tali conditione eo ipso hominem esse inhabilem, seu impeditum ad susceptionem Ordinum, vel eorum exequutionem. Legatur Filiucius suprà numero 37. & Suarius loco citato.

Irregularitas suos secum effectus trahit ante Iudicis sententiam.

Ratio.

70. Circa materialem, seu subiectiuam causam satis constat subiectū Irregularitatis solum esse virum capacem ordinis subditumque Iuri communi; nam Irregularitas est priuatio quædam seu impedimentum ad recipiendos Ordines; hoc autem impedimentum seu priuatio solùm habet locum in personâ alioquin capaci, vt in præcedentibus notauimus. Vnde neque fœmina neque infidelis propriè loquendo Irregularis dicitur, vt iam notatum est in præcedentibus. Ex hoc infertur tam laicos, quàm Clericos esse subiecta, capacia Irregularitatis. Ita Syluest. verbo *Homicidium* 3. Quæsito 1. ad finem Reginaldus lib. 30. numero 13. Estque communis, & certa sententia.

Causa materialis Irregulari

71. Infertur vlterius Episcopos, vel etiam Cardinales ligari Irregularitatibus in Iure expressis; subijciuntur enim Iuri communi. Quamuis autem in c. *Periculosum* de *sentent. excommun.* videantur excipi à suspensione generalibus verbis lata, vt non comprehendantur; nisi expressa illorum mentio fiat, vbi tantum mentio fit de suspensione, & Interdicto; neque est extendenda lex ad alias Censuras, siue pœnas, aut inhabilitates

Collige 4.

72. Colligitur præterea non comprehendi summum Pontificem; cùm non teneatur suis legibus, quoad vim coactiuam imò, qui in summum Pontificem eligitur, quantumuis teneatur vinculo Irregularitatis, aut cuiuscumque Censuræ, non potest illi obijci prædictum impedimentum; sed statim censetur immunis & liber ab omni impedimento Canonico, quia iam desinit esse subditus Iuri Canonico, quoad vim coactiuam & habetur expressè c. *licet* de *Elect.* & c. *vbi periculum*, eodem titulo in 6. Ita Suarius disp. illâ 40. sect. 7. numero 7. Filiucius Tract. 19. Quæsito 8. & alij multi,

Collige 5. illâ non ligari summū Pontificem.

73. Dixi esse liberum ab omni Canonico impedimento; nam si laboraret naturali impedimento, vel aliâ simili causâ ægritudinis, posset obligari Pontifex ad se abstinendum, quantum naturalis ratio, supposito Diuino Iure, dictauerit. Pro quâ doctrinâ refert Suarius D. Thomam 3. p. q. 82. art. 3.

74 Aduertendum verò est cum eodem Suario, quando Irregularitas antecedit electionem, vt si erat Illegitimus, aut bigamus, aut homicida, idque notum esset, debere repelli ab electione; quia pro illo statu indignus est, qui ad tantam dignitatem suscipiatur, vt latè ostendit Maiolus lib 2. cap. 4. à principio. Si tamen occulta esset Irregularitas, & eligeretur, electio esset valida: imò etiamsi esset cognita, si de facto nihilominus, Cardinales illum, quamuis peccando eligerent, non posset contra illam electionem obijci exceptio Irregularitatis iuxta citatos Textus. Ita enim expedit (inquit Suarius) ad commune bonum, & euitanda schismata. Legatur idem Suarius loco citato.

Notandum cū Suario.

75. Tandem colligitur non esse capacem Irregularitatis Hermaphrodytum, in quo præualet sexus fœminæus; quia hic non est capax Ordinis, vt probauimus agentes de Ordine Tract. 9. disp. 20. Vtrum autem, quando virilis sexus præualet, sit propriè Irregularis? non consentiunt Authores, vt ibi diximus, & probabile est non esse Irregularem, vt cum Toleto. Turrecrematâ, & alijs ibi notauimus, quamuis, vt ibi diximus, non possit prædictus licitè ordinari propter nimiam indecentiam, quæ videtur apparere, de quo agit Suarius disp. 51. sect. 2. Vnde supposito quod non sit Irregularis propriè loquendo, possumus colligere quando per legem Ecclesiasticam prohibetur Episcopus sub censura ipso facto incurrenda, ne Irregularem ordinet, non incurret talem Censuram si ordinet Hermaphrodytum; sicut si ordinet fœminam, aut alium incapacem Ordinis, vt Cathecumenum, etiamsi talis sit bigamus, aut illegitimus &c. in his enim omnibus casibus, vel non est Irregularis, qui ordinatur, & Hermaphrodytus, in quo præualet sexus virilis, etiamsi alioquin indecens sit illū ordinare, vel etiam nō est vera ordinatio; quia subiectū non est capax Ordinis, vt fœmina, non baptizatus vel Hermaphroditus, in quo præualet sexus fœmineus.

Collige 6.

76. Circa formalem causam Irregularitatis, id est circa verba, seu formam verborum, per quæ Irregularitas inducitur, nonnullas tradunt regulas Authores, maximè Suarius disp. 40. sect. 8. & quidem, vt ille notat ex notitiâ horum verborum pendent omnia, quæ de speciebus Irregularitatis dicenda sunt, quæ cum non incurratur, nisi in casibus Iure expressis, oportet scire, quibus verbis exprimatur in Iure; & quæ verba sufficiant, vt intelligamus illam esse expressam,

Causa formalis Irregularitatis seu forma.

Quibus verbis exprimatur in Iure Irregularitas.

77. In his ergo verbis duo requiruntur primum quod significent impedimentum Canonicum ipso facto incurrendum nulla expectatâ sententiâ etiam declaratoriâ cùm non sit sententia necessaria ad incurrendā Irregularitatē.

Duo in his verbis requiruntur

78. Secundum, vt verba sint ita propria, vt in specie significent hoc impedimentū, vt ab alijs distinctū, nam hæc verba id efficiunt, quod significant. Itē sunt verba practica, atq; adeo debēt in particulari significare quod intēdunt: effectio enim solùm circa particularia versatur. Accedit

dit quod Irregularitas debet esse in Iure satis expressa; talis autem non est, nisi modo prædicto distinctè significet. His positis.

Prima est præcipua regula. 79. Prima & præcipua regula sit; quoties lex non significat pœnam ipso facto; sed requirit actionem hominis, vt imponatur, non est lata Irregularitas in eâ lege, quænam verò sint verba, quæ significent legem per se ipsam operari? generalis quæstio est, etiam pro Censuris, & decidenda iuxta principia, & doctrinam traditam disp. 1. dub. 5. imò & generalis etiam quæstio est pro omnibus legibus pœnalis; quā latè tractat Tiraquell. in l. *si vnquam* C. *de reuocand. donationib.* Legatur Suarius loco citato n. 3. & deinceps.

80. Nobis nunc sufficiat hæc præcipua, & generalis regula Quoties quis prohibetur, seu impeditur, ne admittatur ad ordines, etiam peractâ pœnitentiâ illa censetur Irregularitas; Irregularitas enim iuxta definitionem traditam dub. 1. est impedimentū Canonicum per se primò impediens Ordinum susceptionem. v. g. si dicatur *nunquam ordinetur*, vel *non aspiret ad ordines*, *non fiat Clericus*, *non potest esse Clericus* &c. qui est loquendi formulis canon 18. Apostolorum c. *de clerico administr.* c. *Curandum* 34. dist, & sæpè alibi. Item, quando dicitur (ordinariè, & regulariter loquendo) *ad sacros Ordines aspirare non audeant*, vel *non potest esse ex numero sacerdotali* vel *non possunt secundum Canones sacerdotij Iura concedi*; nam licet exclusio à Sacerdotio directè, & formaliter non inducat Irregularitatem totalem; nihilhominus cum reliqui ordines ad Sacerdotium, tanquam ad vltimum complementum ordinentur, qui censetur simpliciter, & perpetuò exclusus à Sacerdotio, censetur etiam exclusus à reliquis, nisi fortè talis sit Irregularitas, quæ alios Ordines supponat, & sine crimine contrahatur, tunc enim solùm censetur Irregularitas pertialis, vt vult Suarius disp. 40. sect. 8. n. 15. quamuis etiam contrarium non careat probabilitate.

81. Dixi *regulariter loquendo*, quia (vt rectè notat Suar.) aliquando propriè, & in particulari sermo est de sacerdotali Ordine. Quod ex circumstantijs legis colligendum erit. E contrariò verò cùm de Irregularibus dicitur *non admitti ad Clerum* vel *ad Ecclesiasticum ministerium*, sumendus est (inquit Suarius) Clerus propriè prout per Ecclesiasticos ordines constituitur, aliquando enim comprehenduntur sub Cleri nomine omnes Ecclesiasticæ personæ, in quibus sunt Regiosi, etiamsi nullum Ordinum habeant, vt in c. *duo sunt* 12. q. 1. & in c. *Si quis Suadente* 27. q. 4. & constat ex ijs, quæ diximus de *Excommunic.* quæ incurritur propter percussionem Clerici, de quâ egimus disp. 3, dub. 28 Aliquando verò magis propriè sumitur pro solis ministris Ecclesiasticis, soletque formaliter à Monachatu distingui, ut in cap. *Alia* cum multis 16. q. 1. quo sensu accipitur in casibus, in quibus Irregulatitas imponitur. Legatur Suarius sect. 8. citatâ.

Ex dicta Regula collige 1. Ex traditâ, regulâ colligitur 1. cum Suario suprà, & Filiucio numero 58. alijsque multis differentia inter suspensionem, & Irregularitatem iam in præcedentibus assignatam; nam Irregularitas directè priuat suspensione Clericatus, & ordinum, suspensio verò priuat vsu, & exercitio ipsorum Ordinum.

82. Colligitur 2. illum censeri Irregularem, qui patrauit delictum, cui ipso Iure adiuncta est depositio; hæc enim pœna, (vt rectè notat Suarius, disp. 42. sect. 5. numero 5. cum Maiol lib. 3. c. 3. numero 9.) includit principaliter in habilitatem ad ordines. *Collige 2.*

83. Colligitur 3. verba, quibus Irregularitas imponitur, non esse quædam certa verba certamve formulam verborum; potest enim Irregularitas sufficienter exprimi alijs, atque alijs verbis, & aliquando ex circumstantijs colligi debet, quod verba legis Irregularitatem significent, ita vt verba, quæ seclusis circumstantijs non sufficienter exprimerent Irregularitatem illam satis precisè censeantur ratione circumstantiarum, vt in c. *Miror.* dist. 50. ibi *Sacerdotio priuatus*. Quamuis enim hoc verbum generale sit, possitque degradationem, vel depositionem, significare; ex circumstantijs tamen, & materiâ, de qua erat sermo, scilicet ex Homicidio voluntario determinantur ad significandam Irregularitatē. Ita Suarius citato n. 15. *Collige 3. Irregularitatem non ferri per certam verborum formulam.*

84. Tandem aduerto cum eodem Suario eadem sect. 8. n. 4. Canones, præsertim antiquos, rarò vti nomine Irregularitatis; sed per effectus, vel per alias circumlquutiones illam indicare. Ideo difficile esse discernere, quando Canon contineat sententiam latam, & quando ferendam; sæpe enim tales effectus seu circumloquutiones possunt ad aliquod aliud impedimentum Canonicum accommodari. Et quidem, quamuis Suarius, & alij Authores varias alias regulas assignent ad id dignoscendum, mihi non videntur admodum firmæ, & claræ, quin potiùs aliquando accommodari possunt etiam Censuris, & depositioni. Quæ propter pensiculatiùs examinanda verba sunt, contextus ac circumstantiæ maximè materiâ, principiaq; generalia Irregularitatis incurrendæ, vt ex ijs omnibus discerni possit an verba tunc Irregularitatem sufficienter exprimant. *Aduertit Author cum Suario*

85. De causâ finali parum est quod dicamus, sufficit enim (quod suprà indicauimus) Irregularitatē esse inductam in finem reuerentię debitæ Diuino cultui, & propter decentiam seruandam, indicentiamque vitandam. *Causa finalis Irregularitatis.*

DVBITATIO V.

Quid requeratur ad incurrendam Irregularitatem?

86. ASserendum est primò ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis. Est sententia recepta; est enim pœna grauissima; atque adeò non infligenda pro culpâ leui, cum omnis pœna debeat proportionari delicto. cap. *Felicis*, de pœnis in 6. Ita Suarius disp. 4. sect. 3. n. 19. Nauarrus c. 27. num. 249. Sanch, lib. 9. de *Matrimonio*, disp. 32. Salon. 22. q. 64. art. 8. Sotus 5. de *Iustitiâ*. q. 1. art. 1. Auila p. 7. disp. 2. dub. 3. Henriquez lib. 14. c. 3. Coninc disp. 18. dub. 4. nu. 27. Filiucius Tract. 19 quæsito 8. num. 24. Reginald. lib. 30. num. 201. *Assertio 1. ad Irregularitatem ex delicto requiritur mortalis. Ratio.*

n. 101. Quid in contrarium sentiat Caietanus verbo *Irregularitas*, & Molina tomo. 4. disp. 77. alijque nonnulli.

87. An verò summus Pontifex possit Irregularitatem inducere propter veniale peccatum in pœnam ipsius? multi quidem Doctores affirmant non improbabiliter. In hac tamen re philosophandum existimo, sicut suprà de Censuris imponendis pro culpâ veniali disp. 2. dub. 12. Suarius quidem disp. 40. sect. 3. n. 17. asserit in primis neque imponi, neque videri posse imponi propter culpam de se venialem. Deinde n. 18. probabilius putat non incurri Irregularitatem quoties quis excusatur à culpâ mortali, etiamsi actus ex genere suo mortalis sit; quia nimirum parum refert quod actus ex genere suo mortalis sit, si hîc, & nunc in indiuiduo est venialis; ac proinde non putat esse posse sufficientem materiam ad Irregularitatem propter defectum proportionis, ibi legatur.

Obijcies.

88. Obijci tamen solent quædam capita de Homicidio, in quibus propter mortem sequutam sine peccato mortali Irregularitas dicitur incurri; sed (vt rectè notat Suarius) Textus illi, si quid probant, etiam probare videtur eam Irregularitatem incurri sine culpâ veniali. Quòd si fortassè ita est, illa Irregularitas non erit pœnalis, sed mystica, aut significatiua, de his tamen Textibus cum eodem Suario in sequentibus dicemus.

Resp. Suariũ

Pro delicto merè præterito potest Papa Irregularitatem imponere. Ratio.

89. Nunc solùm addendum est cum Auilâ dub. 4. & alijs posse Papam de absolutæ potestatis plenitudine imponere Irregularitatem pro delicto merè præterito, nam ad Irregularitatem incurrendã non est necessaria contumacia, sicut ad incurrendam excõmunicationem, ad quam docet Auila requiri contumaciam consonatq; cum doctrinâ a nobis traditâ disp. 1. dub. 2. vbi eam contumaciam probauimus requiri ex illis verbis Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* Hinc colligit ipse Auila ad incurrendam Irregularitatem non requiri quòd homo sciat impositam esse in Iure pro tali, vel tali peccato. Sed in hac re philosophandum est, sicut philosophati, sumus suprà disp. 2. dub. 23. §. *Tertiam verò partem & deinceps.* Vnde præcisa ratio de contumacia non videtur hoc loco necessaria; siue enim sit contumax, qui deliquit siue non, potest nihilominus si alioquin peccatum pœnâ dignum sit de plenitudine potestatis à Papa puniri prohibitione suscipiendi ordines, & in illis ministrandi; quamuis de facto secundum probabilem sententiam Thomæ Sanchez, & Nauarri, & aliorum, quos loco notato retulimus Irregularitas, quæ est pœna delicti non incurratur ab ignorante talem pœnam, vt paulò post dicemus.

Assertio 2.

90. Assero 2. ad incurrendam Irregularitatem ex defectu non est necessaria vlla culpa, vt patet ex multis Irregularitatibus, quæ ex solo defectu incurruntur, de quibus in sequentibus dicemus.

Ex dictis Collige Ignorantiam probabilem Iuris aut facti

91. Ex dictis colligitur Irregularitatẽ ex delicto non incurri, si adsit ignorantia probabilis Iuris, aut facti; nã si ignorantia probabilis Iuris aut facti excusat à culpâ, excusabit etiam à pœnâ. Ita Vgolinus c. 14. §. 10. n. 9. Auila p. 7. disp. 2. dub. 7. Suarius citatâ disp. 40. sect. 3. n. 18. Filiucius Tract. 19. n. 21. Reginaldus suprà n. 15. Coninc disp. 18. dub. 4. Sanchez & Nauarrus citati a nobis dub. illâ 23. cum alijs multis ibi relatis. vbi non solùm de ignorantiâ Iuris naturalis, & positiui; sed de ignorantia positiui tantum etiamsi Iuri naturali peccatum esse sciatur, id de Censuris & alijs pœnis diximus, imò vt nuper dicebam; etiam id probabile putamus de ignorantia pœnæ, quod docent Authores ibi citati & Coninc suprà n. 31. idq; maximè, quando Ius requirit vt aliquid præsumptuosè, & scienter fiat quod non contingit in eo, qui ignorat se facere id, quod tam grauiter, siue sub tantâ pœnâ prohibitum est. Accedit, quod hæc pœna videtur inuenta ab Ecclesia ad puniendum inobedientium contumaciam; sed ignorantes Ecclesiæ prohibitionem sub tantâ pœnâ, etiamsi sciant Ecclesiam id prohibere, non censentur rebelles Ecclesiæ vt præcipienti, aut prohibenti sub tantâ pœnâ. Præterea in c. *Propositi* dist. 82. Pontifex dicit Clericos, qui impurè vixerant, si ignorabant Constitutionem Sincij id sub pœna depositionis prohibentis, veniâ dignos esse neq; hac pœna Irregularitatis plectendos, cùm tamen illi scirent vitam impuram esse lege naturæ, & Diuinâ prohibitam. Quæ ratio petita ex Textu non solùm probat de Ignorantiâ legis Ecclesiasticæ; sed etiam pœnæ Ecclesiasticæ, quia sicut ignorantia legis Ecclesiasticæ facit, vt homo non sit inobediens Ecclesiæ vt absolutè præcipienti. Ita etiam facit ignorantia pœnæ, vt non sit inobediens Ecclesiæ vt tam grauiter, & sub tantâ pœna præcipienti. Confirmaturq; à simili de Censuris, in quibus, vt loco notato probauimus quòd ignorantia pœnæ excusat ab illâ incurrenda: ergo etiam in Irregularitate pœnali, quæ valde similis est Censuris, maximè cum reus effectum talis Irregularitatis in se ipso debeat exequi abstinendo scilicet à susceptione Ordinum, & à susceptorũ exercitio. Ideo hanc sententiã præter citatos sequitur Bonac. disp. 7. q. 1. punct. 3. & alij Recẽtior.

excusare ab Irregul. incurrenda.

92. Assero 3. ad Irregularitatem incurrendã requiritur actus externus consummatus. Hæc assertio constat ex dictis à simili de Excõmunic. suprà disp. 2. dub. 10. & 11. atq; assert. 1. dub. 10. generaliter probauimus cum multis nullam pœnam Ecclesiasticam incurri propter actum per se occultum, & internum. Ibidem etiã probauimus leges, quæ per se primò puniunt committentes aliquod delictum, non comprehendere mandantes, aut consulentes; nisi lex hoc exprimat. Quæ principia generalia etiam probant de pœna Irregularitatis, de quâ; nisi per actum externum consummatum non incurri docent plerîq; Authores, Suarius disp. 40. sect. 3. n. 13. Vgolinus c. 14. §. 1. Henriq. lib. 14. c. 3. n. 2. Valentia tomo. 4. disp. 3 q. 19. puncto 2. Auila suprà dub. 1. Sayrus lib. 6. c. 2. n. 17. & 30. Coninc disp. 18. dub. 2. n. 11. Filiucius Tract. 19. c. 1. quæsito 5. & 6. Reginald. lib. 30. Tract 2. n. 8. & alij multi Ratio verò est, quia pœna non est extendenda vltra casum legis; extenderetur autem, si Irregularitas incurreretur ante consummationem actus externi requisiti à lege, vt patet ex c. finali 15. q. 1.

Assertio 3. ad Irregul. incurrendã requiritur actum externum Consummatum.

Ratio est.

Hinc infertur. 93. Ex hoc primò infertur ad incurrendā Irregularitatē prouenientem v. g. ex homicidio, vel mutilatione, non sufficere desiderium, seu attentationem, vel conatum occidendi, vel mutilandi; sed requiri mutilationem, vel mortem re ipsâ factam. Ideò, qui alterum vulnerauit lethaliter; nondum est Irregularis quousque de facto vulneratus intereat, neque vnquam erit Irregularis, si quantumuis lethaliter vulneratus, & alioquin moriturus, miraculosè sanetur, incurret tamen, qui de facto mutilauit, aut occidit, etiamsi membrum miraculosè restituatur, aut mortuus resurgat; iam enim actus occidendi, vel mutilandi fuit consummatus sufficienter, vt comprehenderetur, percutiens Irregularitate latâ contra homicidas, aut mutilatores.

94. posset tamen Ecclesia; si vellet, ob solam attentationem delicti Irregularitatem inducere, vt docet Suarius suprà num. 12. Filiucius n. 17. Non potest esse Irregularitas pro actu merè interno. iuxta doctrinam traditam disp. 2. dub. 10. 11. & sequentibus; nunquam tamen poterit esse Irregularitas pro actu merè interno iuxta principia eisdem locis tradita, & docet Valētia suprà, Sayrus num. 17. Coninc num. 11. & alij communiter.

95. Quando autem in quibusdam Bullis concedi solet, aut solebat facultas absoluendi ab Irregularitatibus mentalibus, per Irregularitates mentales intelligendæ sunt occultæ quæ per actū quidem externum ac sensibilem incursæ essent, adeò tamē occultè, vt probari nequirēt in iudicio per huiusmodi autē actū, qui dici solet occultus per accidens, contrahi potest Irregularitas, sicut, Potest tamē contrahi per actum per accidens occultum & Censura iuxta dicta dub. illa 10. citatā. Ita Henriq. lib. 13. c. 14. num. 4. in Comment. literà Q. Couarr. in Clem. *Si furiosus* p. 2. §. 3. n. 4. Sayrus suprà num. 20. Coninc suprà Suar. disp. illa 40. sect. 3. num. 9.

96. Infertur indè secundò Excomm. occultè celebrantem fieri Irregularem, quantumuis celebratio sit occulta, & ipsa etiam excommunicatio, vt in iudicio probari non possit; exercet enim actum externum consummatum, & sub Infertur 2. Excomm occultè celebrantem fieri Irregularem. Irregularitate prohibitum. Ita Suarius suprà n. 21. Nauarrus c. 27. n. 194. Coninc. numero 15. Ratio. Filiutius numero 19. contra Castro lib. 2. de *Lege. pœnali.* cap. vltimo conclus. 3. quem rectè impugnat Suarius, eiusque sententiam improbabilem putat cum communi sententiā Glossatorum, & Authorum.

DVBITATIO VI.

De effectibus Irregularitatis.

97. Rem hanc breuibus quæstiunculis resoluemus vt in promptu sint varij casus pro praxi.

Quæres 1. 98. Quæritur primò an Irregularitas impediat susceptionem Ordinum, & primæ tonsuræ?

Resp. 99. Respondeo impedire iuxta dicta dub. 1. estque communis sententia Doctorum, validi autem sunt ordines collati Irregulari; aliud enim est impedire & inhabilem ad ritè suscipiendos, & exercendos ordines, aliud verò reddere omninò incapacem illorum; & hoc secundum nec præstat Ecclesia, nec præstare potest.

100. Quæres 2. an Irregularitas omnium Quæres 2. Ordinum, vel solùm aliquorum exercitium impediat?

Resp. Duplicem esse Irregularitatem. 101. Respondeo duplicem esse Irregularitatem alteram totalem, alteram partialem, totalis quidem impedit omnium susceptorum, vt docent communiter Doctores cum Innocentio. c. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato ministrante, hæc enim sicut omnium susceptionem impedit, omnium etiam susceptorum exercitium excludit. Partialis verò prohibet solùm illum actum cuius adest impedimentum vt in Irregularitate ex defectu corporis contracta post susceptionem Ordinum. Vnde, si sacerdoti tollatur Index, aut pollex, licèt Irregularis sit Potest sacerdos esse irregularis respectu vnius functionis, & non respectu alterius. respectu celebrationis, non erit Irregularis respectu absolutionis iuxta c. 2. de *Corpore vitiatis*, & c. 2. de Clerico ægrotante. Ita Nauarrus c. 17. n. 200. Auila p. 7. disp. 4. dub. 6. conclus. 7. Coninc disp. 18. dub. 1. n. 8. & dub. 13. n. 106. & alij multi.

102. Neq; etiam impeditur ille sacerdos accipere beneficium quod habeat annexum onus, quod præstari possit à tali mutilato, nisi aliter ferat stylus Curiæ. Vnde potest illi præberi Canonicatus Præbendi Diaconalis, aut Pœnitētiariæ, si non habeat annexū onus celebrandi. Ita Sayrus, & Auila suprà, & alij multi, quos sequitur Garz. de *Beneficijs* c. 12. n. 16. & sequentib. referens etiam Rotam Romanam.

103. Hanc verò doctrinam limitant aliqui, vt Hanc doctrinam limitant aliqui. solùm habeat locum in eo, qui factus est partialiter Irregularis absq; suâ culpâ. Ita Nauarrus c. 27. n. 252. Auila suprà. Sayrus lib. 6. c. 2. n. 33. Valentia suprà puncto 2. Nicolaus Garzia suprà, & alij nonnulli. Qui omnes putant prædictum posse recipere Beneficium, quod non habet annexam obligationem repugnantem tali Irregularitati. Illum verò qui contraxit suâ culpâ Irregularitatem partialem, putant nullo modo posse tale beneficium recipere.

104. Suarius verò disp. illâ 40. sect. 2. n. 38. & Suares verò & alij non limitant. alij Recentiores prædictam limitationem non admittunt, sed absolutè tradunt doctrinam, siue cum peccato, siue sine illo contracta fuerit Irregularitas; id enim satis colligitur ex illo c. 2. *de corpore vitiatis*, & ex c. *studeat* 50. distinctione vbi sermo est de Irregularitate cōtractā cū peccato.

105. Quæri potest 3. an Irregularis nouam Quæres 3. Irregularitatem aliamve pœnam incurrat suscipiendo, vel exercendo Ordines? Hac de re diximus dub. 1. nunc breuiter iuxta ibi dicta.

106. Respondeo non incurrere, vt etiam in præcedentibus notauimus. Ita Nauarrus c. 27. Resp. Irregularem nouam Irregul. non incurrere suscipiendo ordines &c. Suarius suprà n. 3. & disp. 42. sect. 3. n. 2. Sayrus suprà n. 26. Henriq. lib. 14. c. 5. n. 2. Valētia suprà puncto 2. Vgolin. c. 65. §. 3. Filiucius n. 90. 91. & 92. & 139 Reginald. lib. 30. c. 2. n. 11. quidquid in contrarium sentiat Maiolus, & alij, quos Suarius refert citatā sect. 3. n. 2. Ratio verò est; quia Irregularitas; vel alia pœna non incurritur, nisi sit in Iure expressa talis autem expressa non est.

107. Peccat nihilominus mortaliter, si ordines Peccat tamen mortaliter. suscipiat, vel susceptos exerceat; fit enim contra præceptum Ecclesiæ in re satis graui & patet ex c. vltimo *de temporibus ordinandorum*, & idē habet

locum

locum in susceptione primæ tonsuræ, quæ etiam iuxta dicta dub. 1. non potest suscipi ab Irregulari.

Quares 4. 308. Quæres 4. an Irregularis prohibeatur exercere quoslibet actus sacros?

Resp. 109. Respondeo tantum prohibere exercere actus, qui sunt proprij ordinatorum, ac proinde ex Sacramentis tantùm prohibetur recipere ordines illosque exercere: ideò poterit seruire Missæ, sicuti seruiunt, qui Acolyti, vel Clerici nō sunt. Item baptizare sine solemnitate, actusque Iurisdictionis exercere, & cætera similia; hæc enim Irregularibus non prohibentur, vt colligitur ex definitione ipsius Irregularitatis. Ita Suarius sect. 2. n. 8. Henriq. lib. 14. c. 1. num. 2; Coninc disp. 18. dub. 1. Filiucius n. 64. & sequētibus Vgolinus c. 65. §. 4. Nauarrus n. 191.

Quares. 5. 110. Quæri potest 5. an Irregularitas faciat hominem incapacem benificij obtinendi?

Multi affir. Irregular. facere hominem incapacem beneficij obtinendi. 111. Multi affirmant, atque adeo consequenter inualidè recipere beneficij collationem, nec posse retinere, nisi obtentâ dispensatione Irregularitatis curauerit sibi de nouo conferri ab eo, qui potest illud conferre. Ita Less. lib. 2. c. 34. n. 122. Nauarrus c. 27. n. 251. Couar. Regula *Peccatum* p. 2. §. 8. n. 6. Riccius decisf. 185. Auila p. 7. disp. 2. dub. 6. Henriquez lib. 14. c. 2. n. 5. Suarius disp. 40. sect. 2. n. 40 Reginaldus suprà n. 8. & alij multi, quos in simili retulimus disp 2. dub 44. agentes de collatione beneficij facta excommunicato vbi in §. *Tandem quæ huiusque*. Diximus eandem esse rationem de suspenso, interdicto, vel Irregulari.

Alij censent talem non esse incapacem. 112. Sanè Syluest. verb. *Excommunicatio* 4. n. 4. Fœlinus in c. *Inquisitionis* de *accusationibus*. n. 6. & alij censent validam esse collationem beneficij; illumque non esse incapacem; sed impetrandam esse Irregularitatis dispensationem. Quam sententiam probabilem etiam putat Suarius disp. 40. sect. 2. numero 29. cum alijs, quos refert. Item Coninc disp. 18. dub. 1. n. 6. Filiucius suprà.

Author vtramque sententiam satis probabilem putat. 113. Vtraque sententia satis probabilis, quamuis absolutè putem philosophandum sicuti philosophati sumus loco notato sed, si stemus præcissè rationi, & argumentis, non video quâ ratione aliqui negent probabilitatem sententiæ Syluestri, & aliorum, qui vel illam sequuntur vel probabilem putant, nam ex nullo iure omninò efficaciter deducitur dicta incapacitas; nam in cap. *Cum bona* de *ætate & qualitate &c.* tantum sermo est de absolutè suspensis, & perseuerantibus per triennium in suspensione. Vnde non satis firmo fundamento nituntur Authores oppositæ sententiæ, dum hoc Textu vtuntur, imò ibi non constat tales suspensos esse. inhabiles; sed tantùm esse expoliandos beneficijs anteà possessis, & tunc adquisitis. Item in cap. 17. de *Clerico excommunic.* tantùm est sermo de Excommunicatis. In c. verò vltimo eodem titulo & cap. 2. de Clericis pugnantibus, quibus Textibus aliqui vtuntur ad summum deducitur beneficium illicitè conferri Irregulari & collationem esse irritandam.

Prima sententia magis communis est & Pro- 114. Nihilonus contraria sententia magis communis est, eamque sequuntur Authores citati & alij multi apud ipsos, & apud Bonacinam

disp. 6. puncto 4. num. 9. Probant verò ex cap. *Postulastis* de *Clerico excommunicat. ministrante* de quo iam diximus. Probant deinde; quia beneficium datur propter officium, &, quia deficit in superiore voluntas conferendi, nam credibile est superiorem velle solum conferre beneficium secundum Canones non habenti Canonicum impedimentum; vt colligitur ex dicto c. *Postulastis* & cum in c. illo 2. de *Clerico pugnant in duello*, & alijs capitibus saltem colligatur esse illicitum, inde possumus colligere non esse voluntatem in conferente. Legatur Suarius suprà n. 30 vsque ad 32. vbi varia argumenta ex Textibus deducta pro hac sententiâ rectè reijcit, & infirma ostendit, & tandem n. 36. ipse probat alijs rationibus, ex quibus ea quam modo assignaui de defectu voluntatis ex parte conferentis mihi magis placet. *batur ... Iure.* *Probatur 2. ratione.*

115. Quæ ratio etiam videtur habere locum in pensione, quæ titulo Clericali confertur, imò Bonacina suprà id probat ex stylo Curiæ, docet que Sayrus suprà numero 22. Vgolinus c. 65. §. 1. Nauarrus cons. 63. de *Simonia*. Filiucius suprà numero 92. & alij multi. Idemque dicendum videtur de dignitate, & Prælaturis Regularibus; vt patet ex c. *In quibusdam pœnis*. Cui decissioni non obstat, quòd cui prohibetur status Clericalis, non censeatur prohiberi status regularis. Legatur Sayrus suprà numero 25. & alij citati maximè Suarius. *Ex traditâ ratione colligit rectè Suarius.*

116. Ex traditâ ratione quòd scilicet conferens non habeat voluntatem illicitè contra Canones conferendi beneficium Irregulari, rectè colligit Suarius non esse eandem rationem de beneficio priùs obtento; nam beneficium priùs obtentum Legitimâ fuit voluntate collatum, & ab illâ non pendet donec per contrariam voluntatem auferatur; posterius verò beneficium pendet à voluntate conferentis; hæc autem voluntas, suppositis Canonibus non censetur interuenire quandiù Irregularitas durat.

117. Quæres 6. an, qui recepit beneficium in Irregularitate possit percipere fructus beneficij? *Quæres 6.*

118. Respondeo negatiuè neque alios actus administrationis posse exercere, qui sunt annexi beneficio; nec enim habet Ius ad illos fructus percipiendos, vel actus exercendos supposità inualidâ receptione beneficij. Ita Suarius n. 41. & 42. Vgolin. suprà §. 1. n. 4. Filiucius n. 88. & alij multi; quod etiam in simili retulimus agentes de Excommunicatione loco citato. *Resp.*

119. Quæres 7. an quæ incurritur post legitimè obtentum beneficium vel pensionem priuat beneficio, vel pensione? *Quæres 7.*

120. Respondeo non priuare. Ita Suarius citatâ disp. 40. sect. illâ 2. n. 15. vbi plures alios refert. Item Filiucius suprà n. 88. Reginaldus n. 10. Coninc disp. 18. dub. 1. n. 5. Sà verbo *Irregularitas* n. 4. Riccius in suâ praxi decisf. 185. Henriquez lib. 14. c. 3. n 5. Sayrus lib. 6. c. 2. n. 24. Auila suprà Nauarrus c. 27. numero 249. Lessius lib. 2. c. 34. n. 130. Vgolinus suprà §. 2. Bonacina suprà, & alij apud Suarium, quidquid aliqui in contrarium censerint. Probatur primò à fortiori in reliquis Irregularitatibus id *Resp.* *Probatur 1.*

probando in primâ, & maximâ Irregularitate quæ contrahitur propter homicidium, hæc enim non priuat ipso facto beneficiarium beneficio: ergo neque alia Irregularitas superueniens argumento cap. *Minor.* dist. 50. Probatur 2. quia in c. *clericis ne Clerici vel Monachi* & in c. *fraternitas* de *Clerico excommunic.* & c. *Ex literas* de *Excessu Prælator.* habentur verba futuri temporis, aut, quæ indicent tales esse priuandos Ecclesiasticis beneficijs; non verò quæ significent illos esse priuatos. Legatur Suarius loco citato; qui numero 16. probat ratione; nam priuatio propriorum bonorum nunquam ipso Iure incurritur; nisi id aliquo Iure exprimatur, nulla autem lex Ecclesiastica, est quæ ipso Iure priuet beneficijs Clericum Irregularē, vt rectè ostendit ibi Suarius. Accedit quod Irregularitas sæpè contrahitur sine culpâ. Ideò non debuit hæc priuatio adiungi, quæ augeret pœnam cùm ad finem Irregularitatis non sit necessaria, & alias pœna non sit imponenda sine culpâ. Imò si Irregularitas proueniat ex ægritudine, non solùm non videtur æger eo ipso priuatus beneficio; sed neque priuādus, ne afflictio addatur afflicto; quin potiùs ipsius miserendum est iuxta c. *Ex parte* de *Clerico ægrotante*, in eo tamen casu Parocho, seu beneficio habenti curam animarum addendus est Vice curatus, qui præstet illi opem circa animarum curam, atque ita praxis habet.

Prob. 2.

Nulla est lex Ecclesiastica quæ ipso Iure priuat beneficio Clericum Irregularem

Ex dictis Collige.

121. Quamuis autem priuatio ipso facto posset adiungi Irregularitati ex delicto contractæ; non tamen ita factum est à Pontificibus. Neq; solicitè inquirendum est (vt notat Suarius) cur Pontifices id non fecerint, cùm hæ sint pœnæ naturâ suâ distinctæ & nulla habeat cum aliâ necessariam connexionem.

122. Ex dictis infertur beneficiarium; qui post obtentum legitimè beneficium incidit in Irregularitatem, posse resignare beneficium in fauorem alterius cùm adhuc habeat titulum, & Ius, & ita decissum fuit in Rotâ in antiquis decissionibus decis. 5. *de sentent. & re iudic.*

Quæres. 8.

123. Quæres 8. an teneatur sic Irregularis restituere fructus beneficij?

Resp.

124. Respondeo non teneri, si muneri suo satisfecit per se, vel per alium. Ita Suarius suprà numero 20. Coninc disp. 18. numero 5. Filiucius numero 69. & 70. & alij multi. Ratio est quia habet titulum beneficij, atque adeò Ius ad fructus, & in multis in hac re philosophandum est, sicut philosophati sumus disp. 2. dub. 45. vbi disputauimus; an excommunicatus propter excommunicationem careat fructibus beneficij ante excommunicationem legitimè obtinenti, imò probabilius puto in hoc negotio Irregularitatis, quàm in illo, sicut ibi diximus non priuari ipso facto fructibus, vel redditionibus, vel distributionibus beneficij, nec teneri eos à se spontè abdicare dommodò sustineat onera, & exequatur munera beneficij; ita etiam in hoc casu; atque hoc, etiamsi cum peccato talia onera exequatur.

Quæres 9.

125. Quæres 9. an qui lapsus est in Irregularitatem nec potest supplere per alium, nec Irregularitatis dispensationem obtinere, teneatur beneficium resignare in manibus superioris?

Resp.

126. Respondeo teneri; nec enim potest beneficium cum suæ, vel aliorū dispendio salutis retinere; hoc tamen intelligi debet nisi grauis necessitas aliud postulet iuxta dicta de causis excusantibus ab affectibus excomm. maximè disp. 2. dub. 31. sicut enim ibi diximus propter vitandum periculum mortis, vel infamiam posse excommunicatum cum alijs communicare, vel sacrum audire, aut facere, vel sacramenta ministrare: ita similiter dicendum est de Irregulari, sicut etiam dub. 23. diximus excommunicatum denuntiatum posse administrare Sacramenta homini existenti in articulo mortis, Quæ omnia intelligenda sunt cum circumstantijs, & limitationibus in vtrâque illâ dub. traditis, & alijs locis ibidem notatis, idque in particulari docet de Irregularitate Bonacina suprà nu. 10. Reginaldus lib. 30. num. 14.

Quæres 10.

127. Quæri potest 10. an Irregularis, ob homicidium priuari debeat beneficio?

Resp.

128. Respondeo priuari debere iuxta Tridentinum sect. 14. cap. 7. de *Reformatione.* Ita Bonacina suprà numero 11. & alij Recentiores & indicat Suarius obiter disp. 40. sect. 2. num. 32. dum ait loquens de citato loco Tridentini, dici posse ibi non solùm imponere Irregularitatem; sed etiam perpetuam depositionem ab officio & beneficio.

Probabilius putat Author Irregularem ob Homicidiū, &c.

129. De pensione verò, quæ titulo clericali datur, an talis Irregularis ex homicidio sit priuandus? non videtur ita clarum. affirmant aliqui Recentiores satis probabiliter. Nihilhominus probabilius puto, quod docet Bonacina suprà non esse priuandum tali pensione; tum, quia versamur in materiâ odiosâ, in quâ verba strictè sunt accipienda, & propriè; pensio verò propriè loquendo non venit intelligenda nomine beneficij, sicque per sacram Congregationem in vnâ Cremonensi declaratum fuisse testatur Riccius decis. 5.4. & Marzilla in Tridentinum loco citato, quos refert idem Bonacina.

Quæres. 11.

130. Quæri potest 11. an Irregularis sit incapax iurisdictionis?

Resp.

131. Respondeo si loquamur de Iurisdictione iam adquisitâ, Irregularitatem per se non priuare hominem potestate iurisdictionis, neq; impedire vsum eius. Ita Suarius sect. illâ 2. numero 12. vbi testatur hanc assertionem esse communem Iuris peritorum in c. *Tanta* de *Excessib. Prælat.* & refert Villa diego. Probat verò quia potestas Iurisdictionis non tantùm temporalis, sed etiam Ecclesiastica distincta est à potestate Ordinis; sed Irregularitas vt sic solùm exclidit ab ordinatione: ergo per se & vi suâ non tollit potestatem Iurisdictionis, Maiorem supponit Suarius ex dictis de Pœnit. de Indulg. de Censuris, quam nos etiam in prædictis tractatibus statuimus; minorem verò probat ex dictis de essentia Irregularitatis, vt patet in definitione à nobis suprà traditâ; maximè cùm omnia decreta, quæ de Irregularitate loquuntur, ordinis tantum mentionem faciant, à quo Irregularem excludunt. Consequentiam verò probat, quia verba penalia restringenda sunt ad id tantum, quod sonant. Quæ doctrina tota mihi placet.

Probatur.

An saltem consequenter iurisdictionem tollat. Ratio dubitandi.

132. Quamuis autem Irregularitas per se, & vi suâ non tollat potestatem Iurisdictionis, dubitari adhuc meritò potest; an si non formaliter, saltem consequenter iurisdictionem tollat; nam Iurisdictio Ecclesiastica supponit aliquem Ordinem, vel Clericalem statum; Irregularitas verò illò priuat, quantum potest. Quare videtur auferre Iurisdictionem, quasi ablato fundamento illius; nam eo ipso videtur hominem reddere incapacem Iurisdictionis. Hoc autem in duobus maximè casibus, aut temporibus dubitari potest primò, quando Irregularitas sequitur iurisdictionem prius legitimè habitam. Secundò, quando præcedit.

Resp.

133 De primò cœpimus dicere; & de eo dicebamus per se, & ex vi suâ non tollere formaliter iurisdictionem. Et quidem, si loquamur de Iurisdictione annexâ beneficio, iam prius legitimè obtento, dicendum omninò est iuxta dicta neque etiam consequenter per Irregularitatem priuari iurisdictione; nam si (vt diximus quæsito 7) Irregularitas, quæ incurritur post legitimè obtentũ beneficium, non priuat beneficio; consequenter nec priuabit iurisdictione beneficio annexa.

Hinc infertur 1.

134 Ex quo infertur primò non priuari ex vi Irregularitatis administratione beneficij, quo minus possit exercere illam per se ipsum in ijs omnibus, quæ Ordinis exercitiũ non requirunt; nam cùm retineat beneficium, non est cur careat vsu eius in ijs omnibus, quæ contra Irregularitatem directè non sunt. Confirmatur à simili, quia suspensus ab Ordine non est suspensus ab administratione beneficij, vel officij sui, vt in proprio Tractatu de suspensione diximus: ergo eodem modo dicendum est de Irregularitate, quæ, quantum ad hanc priuationem functionum in re nihil aliud includit; nisi suspensionem ab Ordine. Vnde poterit œconomum. V.g. constituere, contractus facere, & similia validè, & licitè, quia nullo Iure sunt impedita.

Confir.

Infertur 2.

135 Infertur 2. posse exercere iurisdictionẽ contentiosam annexam tali beneficio validè, & licitè, cùm talis actus non sit vsus Ordinis; licèt enim supponat ordinem, verè Ordo manet in Irregulari, Quod sufficit, vt maneat iurisdictio, & vsus eius, nulla enim lex Ecclesiastica ad Ecclesiasticam iurisdictionem eiusque vsum requirit Ordinem ad omnes actus suos,, etiam ad illos; qui Ordinis sunt. Ideò licet non possit Episcopus Irregularis exercere actum degradationis realis, & actualis, quia id est annexum Ordini, & (vt agentes de degradatione diximus) & non potest exercere, nisi Episcopus Ordinatus; Nihilominus quidquid sit de hoc, actũ verbalis degradationis exercere poterit, etiamsi Irregularis sit, imò, vt vult Suarius citatâ disp. 40. sect 2. numero 24. etiam ipsum actum realis degradationis & solemnis exercere poterit, quia ille reverâ est Iuris actus Iurisdictionis, & non Ordinis; solùm enim est probatio cuiusdã sententiæ in exteriori foro, quæ non requirit specialem sanctitatem, aut carentiam Canonici impedimenti, & licèt concedamus requiri personam consecratam in Episcopum, illa tamen consecratio non postulatur, vt principium per se illius actus; sed ad summum, vt conditio, sine quâ non. Et ideo (inquit Suarius) Irregularitas non ita illi repugnat, vt ex illo solo capite fiat actus illicitus. Legatur Suarius loco citato.

136 Infertur 3. Parochum omnia illa posse circa suos subditos, quæ poterat ante Irregularitatem præter administrationem Sacramentorum, quam per se præstare non potest; nihil enim aliud illi prohibitum est, imò, si administrationem Sacramentorum exerceat, validè faciet. Et quidem de Sacramento Matrimonij, ad quod Parochus solùm concurrit, præsentiâ, seu assistentiâ cum alijs testibus, quando fit contractus, procul dubio poterit validè, & licitè exercere suum munus; & eâdem ratione valebit Matrimonium de licentia Parochi Irregularis factum coram alio Sacerdote; talis enim licentia validè, & licitè confertur Sacerdoti. Illud verò ministerium, quod est solemnis benedictio nuptiarum, licèt sit actus Parochialis muneris, ex institutione tamen, & vsu Ecclesiæ est actus Ordinis Sacerdotalis, ac proinde non potest exerceri ab Irregulari sine graui culpâ, sicut, nec suspensus ab Ordine. Ita Suarius suprà numero 26.

Infertur 3. Quoad Parochum Irregularem.

137 Pari ratione dicendum est de Iurisdictione Ordinariâ, quam habet Parochus in foro Pœnitentiæ; nam si non admittit officium, vel beneficium, neque ab illis suspenditur, nec iurisdictionem annexã admittet, vt dictum est, sed non poterit per se ipsum absoluere, sine graui culpâ, quãuis validè faciat; nihil enim deest, vt faciat validè; habet enim potestatem Ordinis, & iurisdictionis. Poterit autem validè, & licitè alteri Sacerdoti approbato committere, vt confessiones suarum ouium audiat; illa enim delegatio non est actus Ordinis, cum Clericus non Sacerdos possit habere hanc iurisdictionem, illamque alteri delegare; quod infrà magis explicabimus.

Parochus Irregularis non potest per seipsum absoluere.

138 Infertur 4. si beneficium coniunctum habeat Ius eligendi, vel confirmandi electionem, non priuari hoc Iure, vel vsu eius per solam Irregularitatem superuenientem donec beneficio expolietur. Ita Suarius suprà num. 27. ex Nauarro num. 244.

Infertur 4.

139 Probatque ex dictis, quia illud Ius; vel est iurisdictio, vel ad illam reducitur, & ipsa electio est veluti administratio quædam pertinens ad tale beneficium; imò inter fructus beneficij computari potest, sicut & beneficiorum collatio numeratur inter fructus Episcopatus. Confirmatur à simili; quia suspensus tantum ab Ordine non suspenditur ab vsu, & Iure eligendi iuxta dicta de Suspensione. Ergo neque Irregularis; valida ergo erit, & licita talis electio, aut confirmatio ab Irregulari factâ; quia nullo Iure prohibetur; aut irritatur, neque aliunde habet malitiam adiunctam, &, quamuis ius eligendi ad spiritualia munera, sit propriè Clericorum, vtpotè pertinens ad potestatem spiritualem, quæ laicis non tribuitur, ipsa tamen electio non est actus Ordinis, posset que Pontifex Ius eligendi dare alicui nullum habenti Ordinem, sicut contulit Ius præsentandi; neque obstat ad aliquam electionem requiri Sacrum Ordinem; non enim requiritur; quia actus ille sit actus Ordinis, sed, vt electio fiat à personâ digniori

Electio & Confirmatio ab Irregulari facta, valida sunt & licita. Ratio.

 niniori

niori qualitate insignitâ. Quâ ratione in Religionibus soli Presbyteri solent ad electiones faciendas admitti, & quandoque etiam fit, vt aliqui vel cogantur, vel alliciantur ad Sacrum Ordinem suscipiendum. Vnde in Clementinâ. 2 *de ætate, & qualit.* Præbendati, non tantum eligere, sed absolutè habere vocem in Capitulo prohibentur, donec saltem subdiaconatum recipiant; nullibi autem requiritur, vt Irregulares non sint; ac proinde ex vi huius impedimenti non prohibentur eligere. Idemque iudicium est de collatione, & institutione beneficiorum, & à fortiori etiam de præsentatione, quæ nec Iurisdictionis est actus, sed dominij, & quandoque Laico ex vi Iuris patronatus competit.

Infertur 5.

140 Infertur tandem 5. cum eodem Suario numero 28. ex vi solius Irregularitatis non amitti, vel ligari iurisdictionem fori contentiosi, quam quis habebat ex commissione alterius, siue ordinaria sit, siue delegata & etiamsi non conferatur per proprium beneficium Ecclesiasticum. Vnde nec Vicarius Episcopi, neque legatus Pontificis eâ priuantur; sicut enim beneficium non admittitur ipso Iure; nisi in casibus à Iure expressis; ita neque aliquod Ecclesiasticum officium, siue ordinarium, siue ex commissione; neque vllum est Ius, per quod Irregularis priuetur ipso facto his officijs potiùs quàm beneficijs sicut neque vllum Ius est, quod prohibeat Irregulari vsum talis muneris, vel iurisdictionis in ijs actibus, qui per se non requirunt influxum potestatis Ordinis, ac proinde validi sunt, & per se loquendo liciti; nisi propter scandalum illicitè fiant, nec refert, quod ad huiusmodi iurisdictionem & munus requiratur aliquis ordo, aut tonsura in recipiente; id enim tantum requiritur, tanquam congrua dispositio, quam non omninò excludit Irregularitas. De iurisdictione verò delegatâ ad forum Pœnitentiæ quantum ad valorem, idem prorsus dicendum puto; nam ex vi Irregularitatis superuenientis non aufertur talis iurisdictio; vsus autem illius, cùm sit actus absoluendi, qui propriè est actus Ordinis, illicitus erit; quamuis validus, si ex parte pœnitentis non inueniat obicem, vt postea in sinuli dicemus. Iam verò veniamus ad secundum tempus, aut casum scilicet; an, si præcedat Irregularitas, censeatur quis incapax iurisdictionis de nouo adquirendæ.

an Irregularis censeatur incapax Iurisdictionis de nouo adquirendæ.

Circa hoc statuendum Primo ed.

141 Circa hoc ergo statuendum in primis est, si loquamur de Iurisdictione annexa beneficio, diuerso modo Philosophandum esse pro diuersitate dictarum opinionum, quas probabiles diximus suprà in hac dubit. Quæsito 5. nam, qui affirmant Irregularem esse incapacem beneficij obtinendi, consequenter dicere tenentur esse incapacem iurisdictionis annexæ tali beneficio, imò, etiam de quâuis aliâ iurisdictione Ordinariâ eodem modo Philosophandum videtur, & censendus erit Irregularis incapax cuiuscumque muneris, vel officij, quod ex proprio titulo habeat Ecclesiasticam iurisdictionem, sicut est incapax beneficij, quale est prælatura Religionis; quamuis enim hæc munera non habeant beneficium annexum; habēt nihilominus officium, & titulum spiritualem quo maximè, priuatur Irregularis.

142 Difficultas verò est maior in opinione, quæ asserit non esse incapacem beneficij; nam, quamuis, si loquamur de iurisdictione fori contentiosi, & alijs, quarum actus non sint proprij actus Ordinis, consequenter dicendum sit non esse incapacem eius iurisdictionis, quæ est annexa beneficio, vel officio, cuius est capax; tamen, si loquamur de Iurisdictione in foro Pœnitentiæ, non videtur in hac opinione concedendum esse illius capacem, cum eius actus Ordinis; de hoc tamen posteà dicemus; nunc specialiter dicendum est de Iurisdictione delegatâ, etiam fori contentiosi, in quâ re non est dubium (vt notauit Suarius) quin iuxta sententiam, quæ affirmat collationem beneficij esse validam, dicendum quoque sit hanc delegationem valere? Tota difficultas est secundum sententiam, quæ negat valere.

Difficultas maior est in opinione asserente talē non esse incapacem beneficij.

Nunc specialiter dicendum de Iurisdictione delegata.

143 Secundum hanc ergo adhuc putat Suarius posse affirmari; quia non fuit necessaria illatio à collatione beneficij ad delegationem iurisdictionis, & communis opinio, quæ rigorosa est, extendi non debet in materiâ pœnali, longè enim minùs est iurisdictionem recipere delegatam, quàm proprium munus pastorale atque adeò, si iurisdictio sit fori contentiosi, de quâ agimus, valida est; quia præcisè ordinatur ad actum, qui per se non requirit ordinum exequutionem. Quæ doctrina mihi placet, in qua etiam apparet discrimen inter iurisdictionem ordinariam, & delegatam; nam Ordinaria semper datur, vt annexa alicui beneficio, vel pastorali muneri, in quo principale est functionū spiritualium ministerium, quod, sine vsu Ordinum non completur. Ideò, si ob eam causam collatio beneficij impeditur, etiam id, quòd accessorium est, obtineri non potest. In delegatione verò iurisdictionis præscinditur vnum ab alio, & datur sola iurisdictio fori Ecclesiastici. Accedit, quòd nullum est Ius, quod irritet talem delegationem, vel illam prohibeat, nomine autem delegationis intelligit Suarius quācumque iurisdictionem, quæ est ex commissione, & non ex intrinseco titulo, vt sic dicam; nam in omni illa procedit discursus factus, etiamsi aliquando (inquit Suarius) habeat modum ordinariæ Iurisdictionis, vt in Legato Pontificis.

Iuxta opinionem negantem putat Suarius

Authori Placet doctrina Suarii.

Discrimen inter Iurisdictionem Ordinariā & delegatā.

144 Venio nunc ad Iurisdictionem fori pœnitentiæ, in quâ constat, vt dicebam eius exercitium inuoluere actum ordinis, ac proinde absoluendi actus directè, & per se prohibitus est Irregulari in toto Ordine Sacerdotali. Ex quo potest sumi argumentum à simili de Suspensione; Quod argumentum locum habet tàm in ordinariâ, quàm in delegatâ iurisdictione; nam suspensio ab ordine censetur tollere hanc iurisdictionem; Suspensioni autem æquiparatur Irregularitas saltem in impediendâ Ordinum exequutione, vt docent Syluest. Nauarrus, &, teste Suario, etiam omnes alij. Maiorem propositionem probare possumus ex Glossâ. Ioanne Andreâ, & communi, sententiâ in c. *Cum dilectus de consuetud.* Qui omnes asserunt priuatum exequutione ordinis consequenter priuari vsu Iurisdictionis inseparabili ab vsu Ordinis, & ratio esse potest; quia accessorium sequitur principali; iurisdictio autem est, quasi accessoria

Quoad Iurisdictionem fori Pœnitentiæ.

Quem Ecclesia remouet ab vsu Ordinis censetur etiam remouere à Iurisdictione.

cessoria ad Ordinem; ergo, quem Ecclesia remouet ab vsu Ordinis, imò ab ipso Ordine in quantùm potest; censetur etiam remouere Iurisdictione, illamque auferre, cùm possit.

Assertio.

145 Nihilominus asserendum puto. Irregularem, neque amittere habitam iurisdictionem Ordinariam, vel delegatam, neque incapacem esse illius de nouo accipiendæ, ita Suarius num. 44. adiunctis ijs, quæ priùs dixerat in eàdem sect. 2.

Ratio.

Ratio generalis est. 1. quia nullo Iure cauetur talis Irregularitatis effectus 2. quia nō est Auctor, qui expresè id asserat, nec satis insinuet; pœnæ autem extendendæ non sunt, vel augendæ sine cogente fundamento, & (vt notauit Suarius) ea, quæ dicta sunt pro iurisdictione quoad alios actus Ecclesiasticos possunt hic applicari cum proportione.

Aduertendum.

Solum hic aduerto quod attinet ad iurisdictionem Ordinariam, solùm habere locum, quantùm ad accipiendam illam de nouo in sententiâ probabili, quam adduximus, quòd, scilicet, Irregularis non sit incapax beneficij, atque adeò, neque officij, nam si, (quod videtur probabilius) sequamur sententiam quòd sit incapax officij, & beneficij: incapax etiam erit, vt notauimus, ordinariæ iurisdictionis de nouo adquirendæ excepto Pontificatu, de quo iam notauimus non impediri per Irregularitatem; sed eoipso, quod quis eligitur in Papam, omnia talia impedimenta cessare, neque illa posse opponi contra electionem.

Ex dictis Collige 1.

146 Habemus ergo ex dictis Iurisdictionem delegatam, & adquisitam non admitti ipso facto per superuenientem Irregularitatem; & venientem post Irregularitatem posse validè adquiri, si de facto conferatur à sciente, & volente illam conferre, qui alioquin ad id potestatem haberet; vsus autem illius potestatis illicitus est, cùm sit exercitium Ordinis, vt dictum est, validus tamen erit si ex parte pœnitentis absoluendi alioquin non sit obex.

147 Dixi *à sciente, & volente*, quia, si sit ignorantia talis Irregularitatis ex parte conferentis, cùm illicitum sit tali Irregulari conferre eam potestatem, seu iurisdictionem, censetur non habere voluntatem illam conferendi Irregulari; voluntas enim conferendi censetur secundum Canones, & Leges. Est autem contra Canones conferre iurisdictionem absoluendi homini Irregulari; nam secundum Canones conferri non debet illa iurisdictio, nisi idoneo, talis autem non est Irregularis. Quo argumento in simili vsi sumus suprà Quæstio 5. ad probandum beneficium non validè conferri.

Collige 2.

148 Ex dictis infertur, quod ille, qui habebat, vel accepit in Irregularitate iurisdictionem ad absoluendum, obtentâ dispensatione Irregularitatis, non indigeat nouâ iurisdictione ad validè posteà simul, & licitè absoluendum; quia validè eam iurisdictionem accepit existens in Irregularitate. Ita Suarius suprà nu. 45.

149 Notat verò Suarius ibidem in fine esse inualidam collationem talis iurisdictionis, si per deceptionem obtineretur, vel per subreptionē, tanquam gratia subreptitiæ obtenta; sed hoc iam inclusum est in illis vocibus *à sciente & volente*. Illud verò, quod ait posteà, difficultate non caret, scilicet, hoc de subrepticia concessione tantum habere locum, quando iurisdictio in gratiam Sacerdotis conceditur: nam, quando datur primariò in gratiam pœnitentis, tarò inquit censebitur delegatio subreptia ex hoc capite. Quæ doctrina non videtur hoc loco necessaria, neque vsquequaque vera; nam, siue fiat in gratiâ Sacerdotis, siue in gratiam pœnitētis, quocumque modo conferatur iurisdictio à superiore ignorante Irregularitatem, videtur inualidè collata iuxta principiū traditum, quod deficiat voluntas ex parte conferentis, qui non censetur velle conferre talem iurisdictionem contra Canones, & Iura habenti Canonicum impedimentum.

Quocumque modo conferatur Iuris dictio à Superiore ignorante Irregular. erit Collatio inualida.

150 Docet etiam Suarius numero 46 id quod mihi maximè placet, doctrinam, scilicet, de vsu aut permanentiâ iurisdictionis in Irregulari habere etiam locum in suspenso, & interdicto; nā in Suspenso, si solùm præcisè suspētionē spectemus in Suspensione ab Ordine tantū impeditur ordinis exequutio; non iurisdictionis, & ideò hanc nō tollit, sed solùm cōcomitantur prohibet suspēsio talem illius vsum, quod non sufficit ad irritādū actum. Vnde, si talis suspensus absoluat quātùm est ex eo capite validè absoluet. De Interdicto verò personali Sacerdotis absoluentis, seclusa excommunicatione, idem videtur dicēdum; neque enim interdictum per se tollit iurisdictionem. Vnde, si talis interdictus sit, Ordinarius, poterit suam iurisdictionem delegare, & alios iurisdictionis actus validè efficere, neque vllum est Ius, quod tribuat huic Censuræ effectum priuandi iurisdictione; neque Auctores illud assignant teste Suario, sicut neque suspensioni ab ordine: ergo neutri Censuræ est hoc tribuendum, neque augendi effectus harum pœnarum.

Authori placet doctrina Suarij.

Interdictum per se non tollit Iurisdictionem.

Collige 3. Superiorem Irregularem posse Excommunicare. Ratio.

151 Ex dictis etiam possumus colligere superiorem Irregularem posse excommunicare. actus enim excommunicandi pertinet ad iurisdictionem. Ita Suarius suprà numero 24. Filiucius cap. 3 Quæstio 6. numero 74. vbi in plerisque consentit cum Suario, estque communis sententia, & idem est de absolutione ab excommunicatione.

Aliquid distinguendum circa Irregular: Suspensum & Interdictum.

152 Non me latet etiam esse aliquid distinguendum circa irregularem, suspensum & interdictum; nam, si hi sint tales publicè denuntiati, est obligatio vitandi illos ex parte Pœnitentis: secùs verò, si tales non sint. Vnde pœnitens obicem ponet si à talibus denuntiatis absolutionem petat; non ponit autem, si non sint denuntiati. In quo eodem modo Philosophandum est de Irregulari, atque de suspenso, & interdicto, vt aduertimus cum Cano & Auila disp. 2. dub. 27. in fine, & docet Bonacina disp. 7. q. 1. puncto. 4. numero 19. Legatur Auila disp. 2. dub. 6. conclus 7

153 Valebit autem absolutio etiamsi Irregularis sit denuntiatus, si pœnitens inculpabiliter ignorabat esse Irregularem denuntiatum; nihil enim deest ex parte pœnitentis ratione cuius non sit valida, vt supponimus, nec ex parte Sacerdotis de substantia absolutionis; habet enim sacerdos potestatem Ordinis & iurisdictionis. Ita Suarius suprà, Conine disp. 18. num. 7.

Filiucius

Filiucius numero 80. & alij multi contrà Nauarrum cap. 9. num. 8.

DVBITATIO VII.

De Irregularitate proueniente ex defectu animæ.

154 DIximus suprà dub. 1. generaliter Irregularitatem diuidi in eam, quæ prouenit ex defectu, & in eam, quæ prouenit ex delicto, & vtriusque Irregularitatis multæ sunt species, de quibus oportet sigillatim disputare: in hac enim disputatione multa pro praxi scitu dignissima, & maximè necessaria continentur; atque in primis agemus de Irregularitatibus prouenientibus ex defectu; inter quas primum locum videtur habere Irregularitas proueniens ex defectu animæ. Triplex autem est animæ defectus, ex quo possit prouenire Irregularitas, nempe, defectus vsus rationis, defectus scientiæ, & defectus fidei.

Triplex animæ defectus ex quo possit prouenire Irregularitas

155 Non me latet has Irregularitates, vt accutè simul, & doctè notat Suarius non esse propriè, & rigorosè Irregularitates vel certè ad alia capita posse reuocari, vt defectus fidei ad Irregularitatem ex delicto Hæresis, vel Apostasiæ, quem habet etiam post peractam pœnitentiam; defectus etiam vsus rationis ad defectum corporis, & cuius aliquo defectu semper prouenit. (Sed quidquid sit de hac vel Logica, vel metaphysica disputatione) de quâ legi potest Suarius disp. 51. sect. 1. quod ad rem moralem attinet parum refert, an ad hoc, an ad illud caput reuocentur? Item siue propriè, & rigorosè Irregularitates appellentur, siue non ita propriè? Veniamus ergo ad singulas.

156 Assero 1. qui caret vsu rationis, vt amens, seu stultus, non solùm Iure humano; sed Diuino etiam, & naturali ineptus est ad suscipiendos Ordines. Ita Suarius loco citato num. 2. Toletus lib. 1. cap. 59. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 5. cap. 7. numero 2. & 3. Coninc numero 106. Nauarrus cap. 27. numero 205. Filiucius Tract 19. cap. 7. numero 186. & sequentibus. Reginald. lib. 30. numero 39. & alij multi.

Assertio 1. carens vsu rationis ineptus est ad Ordines Suscipiendos.

157 Ad hanc Irregularitatem pertinere possunt pueri carentes vsu rationis, quæ etiam reuocari potest ad defectum ætatis. Vtrum autē perpetuò amentes, si de facto ordinentur, recipiant characterem, sicut etiam pueri? non est huius loci disputare: diximus, quod satis est de hac re in Tractatu 6. *de Ordine*. dub. 21.

158 Aliqui sunt, qui defectum vsus rationis patiuntur; non quidem perpetuum; sed ad tempus, tales sunt furiosi, arreptitij, morbo caduco laborantes, phrenetici ad tempus, & similes. Communis autem sententia habet eos omnes esse Irregulares. Ita Nauarrus suprà num. 203. Maiol. lib. 2. cap. 14. Antoninus, 3 p. titulo 28. cap. 5. Albatus Pelagius de *Planctu Ecclesiæ*, lib. 1. cap. 48. circa finem, Summistæ communiter, Theologi in 4. dist. 25. Suarius & alij citati.

Vsu rationis solum ad tempus priuati sicut etiam Irregulares.

159 Dubitari autem potest an, qui semel in furiam incidit, vel amentiam, perpetuò maneat Irregularis, etiamsi sanitatem recuperet? Ratio dubitandi est; quia in c. *Maritum* dist. 33. videtur ferri Irregularitas contra huiusmodi ibi *Neque illum, qui in furiam aliquando versus in saniuit*, illa enim vox *aliquando* indicat, quòd, si semel contigerit, sufficiat, & verbum præteriti *insanauit* indicat non satis esse, quòd Sanitatem recuperauerit quin maneat Irregularis, qui aliquando talem defectum passus est.

Dubium. De semel incidente in amentiam.

Ratio dubitandi.

160 In hac re distinguendum est cum Suario suprà numero 4. & alijs Recentioribus; nam vel loquimur de impedimento ad suscipiendos Ordines, vel de impedimento ad vtendum susceptis: de primo quidem idem Suarius cum Auctoribus citatis docet Irregularitatem perpetuò manere, etiam post restitutum iudicium rationis, refertque Gratianum in §. vltimo 15. q. 1. & testatur de communi. Probat verò ex citato c. *Maritum* quòd supponit esse vsu receptum, aut referre antiquam legem, quamuis Auctor illius non fuerit Gregorius, vt Gratianus citat; sed Author libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui non habuit potestatem condendi legem; Agitur autem ibi de promouendo ad Ordines; non de promoto, vt ostendunt illa verba *Clericum non ordinandum &c.* Probat Suarius; quia; qui semel passus est eam ægritudinem, rarò præsumitur perfectè sanus; quin semper meritò adsit timor reincidendi, ideò meritò non admittitur, vel certè desideratur Prælati approbatio, vt priùs ei constet de integrè recuperatâ sanitate. Rectè autem aduertit Suarius hoc intelligendum esse de amentiâ, quæ est (vt ita dicam) per modum habitus, habetque causam propriam ac permanentem fundatam in læsione organorum, vel humorum; non verò de eo, qui propter vehementem febrim amisit vsum rationis & tunc delirauit aut etiam furiosus factus fuit; hic enim nullam inde contrahit Irregularitatem; est enim illa passio transiens, nec denominans (vt Aristoteles dixit) simpliciter subiectum; neque enim talis dici potest simpliciter, amens, vel furiosus; neque in eo est periculum illud, aut indecentia; quæ inpropriè dicto amente reperitur, estque hoc communiter vsu receptum, ut ex Maiol. testatur Suarius.

Distinguendum hac in re tam à Suario.

Differentia inter amentium per modum habitus & per modū Passionis transeuntis.

161 Si verò loquamur de Clerico iam promoto furia vel amentia superueniens non illum perpetuò deijcit ab vsu Ordinum; sed solùm, quamdiu talis defectus durat. Ita Gracianus. §. vltimo citato, & Glossa vltima in dictum cap. *Maritum* Nauarrus suprà Antonio. c. illo 5. in fine Syluest. verbo *Corpore vitiati*. Suar. suprà & alij Recentiores citati. Prabatur verò ex cap. *Illud* 7. q. 1. & ex cap. In tuis litteris 7. q. 2. requiritur autem vt omninò sit sanus, idque constet per tempus prudentis arbitrio sufficiens; nec requiritur ad ministrandum in ordine suscepto iudicium, seu consensus Episcopi, vt notat Suarius contra Maiolum, quamuis sit sanum consilium; quia licèt in amentibus non sit expressum, in Epilepticis tamen eadem est ratio, & de illis id statuitur c. *Communiter* 23. distinctione vbi requiritur vnius anni tempus; sed tantam moram non putat Suarius esse vsu receptam, & addit teneri Episcopum suum consensum præbere,

bere, si res ita exigat scilicet, si prudenti arbitrio iudicetur illum esse liberum à suo morbo; quia illa non est gratiosa dispensatio; sed iusta declaratio; talis enim Irregularitas non est simpliciter perpetua; sed cessante causâ cessat absque dispensatione; habet enim ordinatus ius adquisitum ad vsum Ordinis, Ideo absque culpâ non admittit illud; nisi durante illâ causâ.

Quoad promotum laborantem morbo caduco. 162 Imò Auila 7. p. disp. 3. dub. 4. cum Henriquez cap. 8. numero 8. & Nauarro suprà addit illum, qui iam promotus est, licèt non liberetur omninò à furore, & morbo caduco, si raro cadat in terram, neque euomat spumas, posse celebrare adducto socio præparato ad perficiendam Missam, si fortè corripiatur morbo; quod etiam docet Antoninus suprà. Excipit tamen Nauarrus obsessum à Dæmone, qui nunquam debet celebrare: Pro quâ etiam sententiâ refert Auila Villa Diego cap. 15. Henriquez verò (& approbat idem Auila) putat, quòd, si sit liber à Dæmone potest Episcopus dispensare, vt celebret de quo Paulò dicemus.

163 Hanc verò doctrinam de caduco morbo intelligit Auila, si rarò cadat; nam; qui habet frequentem furorem, vel infaniam, quamuis habeat lucida interualla, non est permittendus celebrare, quod etiam docet Henriquez suprà numero 9. & Suarius suprà numero 6. vbi aduertit de istis Epilepticis & Lunaticis, si ordinati sunt, non posse ordinari, ut patet ex totâ dist. 33. in quo conueniunt citati Auctores. Atque hanc distinctionem inter frequenter patientem huiusmodi morbos; & inter rarò sic correptum colligunt Auctores ex cap. 1. & 2. causâ 7. q. 2. & ex cap. *Ille* 7. q. 1. In quibus omnibus decisionibus maximè habetur ratio decentiæ, & reuerentiæ Sacramenti ac simul Iuris; & solatij Sacerdotis patientis sine culpâ. Vnde ablatis his impedimentis periode; atque de amente diximus liberè potest celebrare; est enim eadem ratio; sicut & de arreptitijs, qui à Dæmone vexantur; sunt enim Irregulares, quoad ordines nondùm susceptos, etiamsi semel tantùm quispiam hoc passus fuerit, vt constat ex citato capite *Maritum*, & quamuis, ut nuper dicebamus. Nauarrus, & alij existiment Irregularitatem Dæmoniaci esse perpetuam, etiã in ordine suscepto, probabiliùs meritò putat Suarius numero 7. idem esse iudicium de hoc atque de cæteris cum eisdem omninò distinctionibus, & colligitur ex cap. *communiter*, & c. *Clericis* & c. *vsque* 33. dist. & ex glossa in eodem, c. *Communiter* quam sequuntur Syluest. & alij, imò & Nauarrus ipse suprà, item Burgos de *Irregularitate.* tit. de *corpore vitiatis* num. 18.

Nec obstat Canon Apostolorum. 164 Neque obstat priori parti huius resolutionis quod in Canone 78. Apostolorum dicatur. *Si quis Dæmonem habet, non fiat Clericus; sed neque cum fidelibus precetur: purgatus autem recipiatur, & si sit dignus fiat.* Ad hęc enim optimè respondet Suarius dupliciter, primò posterioribus temporibus existente iam maiori numero fidelium, quo sine his incommodis possent ad hoc munus assumi, legem illam ampliùs restrictam esse. Vel secundò, etiam tunc intelligendam fuisse interueniente dispensatione, quæ facilè concedenda erat virtute illius

Cur Resp. Suarii.

Canonis interueniente dignitate personæ.

165 Circa secundum defectum animæ, scilicet, scientiæ asserendum est talem defectum impedire susceptionem Ordinum, & facere Irregularem. Primam partem concedunt omnes citandi; sed Henriquez citato cap. 8. numero 10. in Glossâ litterâ *B.* & lib. 10. *de Sacramenta Ordinis* cap. 16. numero 1. & in Glossâ litterâ, *Q.* putat esse quidem impedimentum; sed non Irregularitatem. Secundam verò partem, quòd tale impedimentum sit Irregularitas docent communiter Doctores Auila. p. 7. disp. 2. dub. 1. Villa Diego cap. 16. vers. *circa illum verò.* Maiol. lib. 1. cap. 22. & alij Recentiores. Item Nauarrus suprà Toletus lib. 1. cap. 59. numero 7. Suarius suprà numero 8 Filiucius numero 88. Reginald numero 35. & alij multi. Probatur verò ex cap. *Illiteratas* 36. dist. vbi sermo est de omninò illiteratis. Glossa verò ibidem vocat omninò illiteratum, qui nunquam Grammaticam audiuit. In eo cap. dicitur de his illiteratis *nullus præsumat promouere.* Et eodem modo loquitur de corpore vitiatis; sed corpore vitiatus est Irregularis; ergo illiteratus. De scientiâ verò requisitâ pro vnoquoque Ordine diximus agentes de Ordine Tract. 6. dub 22 Probatur etiã ex c. finali *de temporibus ordinat.* 106. vbi hoc ipsum habetur Item in cap. vltimo de *ætate, & qualitate.* vbi, quamuis principaliter de Episcopo, de cæteris dicitur *ad omnes etiam Sacros Ordines litterarum scientia necessaria est.* Accedit, quod Ius naturale dictat non admittendos esse ad aliquod munus eos, qui munus illud nesciunt exercere. Vnde Maiol. citato lib. 1. cap. 32. numero 13. Azor. 2. p. lib. 6. cap. 9. q. 4. & 5. Suarius suprà numero 11. Filiucius numero 162. Reginald. num. 37. & alij multi docent non posse Summum Pontificem dispensare cũ omninò illiterato, vt eos Ordines recipiat ad quorum exercitium, & vsum caret omninò requisitâ scientiâ; neque enim Summus Pontifex potest dispensare in Iure naturali Diuino; Est autem naturalis Diuini Iuris quòd polleat scientiâ requisitâ ad tale munus, & intrinsecè malum est, quòd quis vtatur munere sine scientiâ necessariâ ad debitum vsum.

Circa secundum Animæ defectũ Assertio. Defectus scientiæ impedit susceptionem ordinum facitque irregularem.

Probatur 2.

166 Ex quo etiam fit talem defectum scientiæ non solùm inducere inhabilitatem ad Ordines suscipiendos, verùm etiam ad vsum susceptorum, etiamsi bonâ fide suscepti fuerunt, illa enim scientia in Clerico requiritur; non propter Ordinum susceptionem; sed propter eorundem susceptorum vsum, vt notauit Suarius n. 9. & Filiucius numero 190. Tolletur autem (vt dicemus suo loco) per aduentum superuenientis scientiæ prædicta Irregularitas. *Hinc infertur.*

167 Circa tertium defectum, scilicet, Fidei asserendum est defectum antiquitatis in fide inducere Irregularitatem. Vnde Neophyti sunt Irregulares, vt colligitur ex dist. 48. cap. 1. & 2. Ille autem est Neophytus, qui ex ethnico, aut Machometano, aut Iudæo nuper conuersus est ad fidem Christianam; qui autem ab infantiâ baptismum suscepit, non dicitur neophytus, quantumuis natus ex parentibus Neophytis, vel Iudæis, Saracenis, aut Gentilibus. Neque etiam Neophytus dicitur, qui iam à decem saltem

Circa tertium defectum scilicet fidei. Assertio defectus antiquitatis fidei inducit irregularitatem.

tem annis habet Baptismum; neque enim talis dicitur nuper conuersus ad fidem, ratio autem cur hæc Irregularitas inducta sit ab Ecclesia, illa est, quam expressit Apostolus 1. *ad Timot.* 3, agens de Episcopo *non Neophytus, ne in superbiam elatus in laqueum incidat Diaboli.* Ita Nauarrus n. 205. Auila citatâ disp. 4. dub, Suarius disp 43. sect. 3. numero 5. Filiucius Tract, 19. 7. 7. q. 1. & Tract. 20. numero 240. Toletus lib. 1. cap. 59. Reginald. lib. 30. numero 43 Sayrus cap. 13. num. 10. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 3. nu. 5. Couarrub. Clement. Si furiosus. p. 1. §. 2. nu. 7. Henriquez lib. 14. c. 4. num. 7.

168 Habemus ergo excludi quidem Neophytum à minoribus, & maioribus Ordinibus, tanquam Irregularem; admitti verò posse baptizatum ab infantiâ, vel ante decem annos Iure communi tàm ad Ordines; quàm ad beneficia, & officia publica; si iudicio Episcopi reperiatur in rebus fidei benè instructus, cum iam non sit Neophytus. Legatur Tholetus suprà.

Ad summum Pontificem spectat dispensare in Irregular. Prouenientẽ ex defectu.

169 In hac autem Irregularitate (vt hoc obiter dicam) solus summus Pontifex dispensat ad quem solùm pertinet dispensare in Irregularitate proueniente ex defectu; nisi fortè in aliquo casu Episcopis, aut alijs concessa sit facultas dispensandi. Legatur Suarius suprà & alij. An verò filij Neophytorum, etiam Irregulares sint? dicemus agentes de Irregularitate ex defectu natalium. De Irregularitate verò propter Hæresim agemus inter Irregularitates ex delicto.

DVITATIO VIII.

De Irregularitate ex defectu corporis.

Defectus corporis qui Irregular. inducunt.

170. NOnnulli sunt defectus corporis, qui etiam Irregularitatem inducunt, illi scilicet, ratione quorum non possunt homines Odinum functiones exercere. Vnde omnis defectus, qui, vel congruum exercitium Ordinis impedit, vel notabilẽ deformitatem, aut horrorem affert, irregularitatem inducit, vt habetur in toto titulo *de corpore vitiatis.* & c. *Presbyterum* de Clerico ægrotante. Hac ratione censetur Irregularis, cui brachium, vel manus deest, c. *ex posuisti, de corpore vitiatis.* Vel, cui deest digitus ad frangendam hostiam necessarius; nempe, aut pollex, aut index, c. vltimo, eodem titulo. Item cæcus, Surdus, aut gradiendi, vel standi facultate carens, sicut habetur Canone 77. priuatus vno oculo, aut amputatus naso, aut tàm insigni maculâ in oculo, quæ notabilem pariat deformitatem, & similia, quæ inde cursu dicemus. Quorum omnium ratio est; quia æquitas ipsa naturalis dictat non esse promouendum ad Ordines, vel eorum vsum, qui, vel nequit ordines exercere; vel adstantibus horrorem incutit, vel aliquando etiam vehementer ad risum mouet, & contemptum. Ita Suarius disp. 51. sect. 2. 2. num. 9. & deinceps, maximè numero 16. Molina tomo 4. de *Iustitiâ.* Tract. 3. disp 70. numero 2. Sayrus lib. 6. cap. 7. numero 6. Nauarrus. cap. 27. numero 200. Auila 7. p. disp. 3. dub. 1. Couarrub. in Clementinâ *Si furiosus* 1. p. cap. 5. Sanctus Antonin, 3. p. tit. 28. c. 5. Coninc disp. 18. dub. 13. numero 106. Filiucius Tract. 19. cap. 6. q. 4. Toletus lib. 1. c. 57. & 58. Layman lib. 1. Tract. 5. p. 5. cap. 7. Reginald. lib. 30. numero 46. & alij apud Vgolinum cap. 46. de Irregularitate, & apud alios citatos & citandos.

171 Quamuis autem Suarius num. illo 16. dicat inutile esse de prædictis defectibus in particulari dicere: quia, nimirum, hoc semper pendet ex prudenti arbitrio, nihilominus; quia multi sunt casus, in quibus viri docti suum arbitrium interposuerunt, peculiaremque habent difficultatem in arbitrando, & aplicando ad ipsos defectus generalem regulam sumptam ex impedimento, vel ex horrore prædicto, placuit in particulari plures casus percurrere & doctorum virorum sententias proponere.

Ad Episcopum spectat iudicare an defectus sit notabilis.

172 Illud mihi placet, quod ibi Suarius docet, quando veniendum est ad arbitrium, id spectare ad Episcopum, vt habet communis sententia argumento, cap. 2. de *Corpore vitiatis.* vbi id notant Doctores; quamuis autem ibi similis causa committatur Archiepiscopo cum consilio suffraganeorum, hoc tamen fuisse videtur (vt notat Suarius); quia agebatur de electione ad Episcopatum, quæ ad Papam, vel ex commissione ad Archiepiscopum spectat. Vnde colligit Suarius cum proportione iudicium hoc ad Prælatum pertinere, qui vel ordines confert iuxta sententiam Syluestri & Nauarri, vel saltem iuxta Angelum verb. *Corpore vitiatus* numero 5. dimissorias concedere potest ad Ordines recipiendos. Semper autem erit liberum, vt vult Suarius, Episcopo, qui daturus est Ordines admittere, vel reijcere tale arbitrium. Sed iam pro arbitrio ferendo veniamus ad particulares casus.

Ex dictis Infertur 1. eum qui caret visu oculi dextri nõ esse Irregularem. Ratio.

173 Infertur primò ex dictis eum, qui caret visu oculi dextri non esse Irregularem dummodò habeat vtrumque oculum; ratio est, quia neque hoc vitium impedit exercitium muneris Sacerdotalis; nec notabilẽ horrorem, aut deformitatem inducit. Eodem modo, qui habet visum, seu intuitum breuem; vel, qui non videt sine conspicillis. Censetur autem à plerisque Irregularis; qui non solùm visu oculi; sed etiam oculo ipso caret; item, qui caret lumine oculi sinistri, qui dicitur oculus Canonis; sed hoc intelligendum est; nisi oculus dexter tali polleat virtute, vt sine deformi faciei conuersione Canon legi possit. Et ad hoc inseruire poterit Missalis accommodatio. Ita Nauarrus numero 199. Auila dub. illo 1. §. *Hinc sequitur* & sequenti. Molina de *Iustitiâ.* Tract. 3. disp 70 Sà verbo *Irregularitas ex corporis defectu.* numero 3. Suarius disp. 51. sect. 2. num. 15. vbi ait hanc sententiam de carente visu in oculo sinistro, potente tamen Legere sine notabili deformitate esse certissimam in eo cui talis defectus post susceptum Ordinem superuenit. Quando verò antecedit, esse etiam practicè probabilem sententiam, quamuis tunc maturiori iudicio, & prudentiâ animaduertere oporteat, an virtus oculi alterius, & firma sit, & sufficiens ad illam

defotmi-

deformitatem tollendam. Legatur Vgolinus c. 47. & 48. Filicius n. 167. Toletus suprà Reginald. n. 49. Auila suprà, qui alios referunt pro eâdem sententiâ.

Infertur 2. 174. Infertur 2. maculam in oculo, quæ non causat notabilem deformitatem non facere hominem irregularem. Ita Nauarrus suprà. Syloest. suprà q.6. Menoch lib. 2. de *Arbitrar.* cent. 3. casu 226. in fine. Molina suprà dub. 5. & alij citati.

Infertur 3. secundum multos irregularem esse qui caret naso vel auribus. 175. Infertur 3. secundum multos esse Irregularem, qui caret naso, vel auribus. Ita Nauarrus n.223. Auila suprà Coninc disp. 18. dub. 13. n.108. Negat tamen Henriquez suprà n.3. de eo, qui caret articulis. Nihilominus placet prior sententia; quia, licèt non sit membrum; inducit tamen deformitatem in parte adeò patenti; Limitant tamen Authores citati; nisi capillatura possit tegere deformitatem. In quo etiam consentit Layman c. illo 7. non tamen erit Irregularis, sic tantùm careat parte auriculæ. Ita Nauarrus lib.5. conf. 75. *de Excommunic*, Auila suprà, & alij Legatur Molina n.3. Reginald. n. 50. Filiucius n.171. qui cum communi sententiâ docent defectum nasi inducere Irregularitatem.

Infertur 4. 176. Infertur 6. esse Irregularem, qui nasum ita distortum habet, vel magnum; vt notabilem pareat deformitatem iudicio Episcopi.

Infertur 5. 177. Infertur 5. eodem modo, & ex eodem iudicio esse Irregularem, qui habet vnum oculum multo grandiorê altero, vel vtrumque ita prominentem, vt notabilis sit deformitas.

6. 178. 6. Esse Irregularem propter eandem causam, qui habet labia penitus corrosa, vel abscissa.

179. 7. habentem duo capita, vel duas ma-
7. nus in eodem brachio, non tamen, qui habet sex digitos, neq; qui vno digito ex minoribus caret, dummodo sine notabili deformitate cruces formare possit. Legatur Henriquez suprà n.3. vbi addit, & approbat Villadiego c.11. & Auila suprà habenti sex, digitos posse præscindi digitum
8. supèrfluum.

Non esse Irregularem qui membro occulto caret sine propriâ Culpâ. 180. 8, Non esse Irregularem, qui membro aliquo occulto caret sine propriâ culpâ si inde non resultet deformitas notabilis, vt qui infirmitate perdidit digitos pedum. Ita Nauarrus lib.5. conf. 65. de *Excommunic.* Item qui sine propriâ culpa perdidit membrum virile. aut testes. Ita Auila, & Villadiego suprà Henriquez n. 1. Layman, suprà, & alij communiter. Constatque ex c. *Si quis à Medicis*, & sequentib. dist. 55. & c. *Ex parte* el. 2. de *corpore vitiatis.* Legatur Couarr. Clementâ *Si furiosus* p. 1. in principio n. 9. reijcit autem Nauarrus, & alij communiter ridiculum vulgi errorem, quod testes, aut virilia amputata putat debere sacerdotem, vel sicca, vel in pulueres redacta secum afferre & seruare.

181. Quod si quis causam culpabilem præbuit vt membrum occultum sibi abscinderetur verbi gratiâ adulter in adulterio, deprehensus à marito adulteræ Irregularitatem putant incurrere graues Authores, etiamsi membrum abscissum sit occultum & nullum impediat usum ordinis, neq; afferat deformitatem. Ita Molina suprà n. 18. Auila suprà 5. *sequitur* 3. Layman suprà n.5. Nauarrus n. 198. Referens Hostiensem Ioannem Andream & communem sententiam. Adhibent etiam in exemplum, si aliquis in pœnam delicti ex præscripto Iudicis Eunuchus fiat, aut si iniustè aggrediens aliquê, ab ipso mutiletur. Quæ sententia videtur habere fundamentum in c. *Ex parte* citato ibi *qui seipsos absciderint vel affectauerint vt ab alijs abscindantur.* Nam in his Irregularitatibus indirecta voluntas (inquit Suarius) seu voluntariè exponere se tali periculo æquiparatur directo affectui. Ideò hanc sententiam appellat Suarius securiorem, vt potè communiter receptam.

182. Mihi tamen videtur prædictum, siue adulterum, siue sic damnatum à Iudice, siue iniustum aggressorem ex eo præcisè capite non manere Irregularem. Fundamentum est illud generale sæpe repetitum, quòd Irregularitas non incurratur; nisi sit in Iure expressa, non censetur autem in Iure expressa, quæ vix potest in Iure habere fundamentum; nisi extendendo voces, quæ potiùs essent restringendæ. Vnde meritò Suarius docet, si Iura in rigore inspiciantur, loqui de propriâ culpâ seipsum abscindendi, aut mutilandi ex indignatione, aut ex aliquo indiscreto zelo, vt videre est in c. *si quis* 1, 2. & 3. & c. *hi qui* 55. dist. & c. *Maritum* 33. dist. & in *Canone* 22 *&* 23. *Apostolorum.* Hoc autem vitium planè videtur requirere propriam voluntatem. Vnde c. *Ex parte* citatum illo verbo *affectauerint*, id satis exprimit nemo enim dicet affectare eum; qui cum adulterâ peccat, quòd a marito abscindatur. Idem argumentum potest sumi ex alijs Iuribus, vt notat ibi Suarius. *Authoris iudicium. fundamentum.*

183. Confirmatque à simili; nam, vt sæpè aduertimus agentes de alijs propriè Censuris, quando ea feruntur contra præsumentes, aut temerè facientes. &c. ex illis verbis *præsumentes* & *temerè facientes* colligimus non sufficere quancumque voluntatem maximè indirectam, aut per ignorantiam ad incurrendas illas Censuras, quæ præsumptionem aut temeritatem requirunt: ergo pari ratione non sufficiet quæuis causa data, vt censeatur quis comprehendi illis Iuribus quæ affectionem requirunt, aut quæ feruntur contra eos, qui se ipsos abscindunt, cum in prædictis casibus illi, nec effectent vt ab alijs abscindantur, nec propriè loquendo se ipsos abscindent. Ideò tandem Suarius putat probabile non incurrere Irregularitatem ex eo speciali capite abscindendi, & mutilandi se. *Confir. à simili.*

184. Dixi autem *ex eo præcisè capite non manere Irregularem*: nam ex alio, vt rectè expendit Suarius ipse nō videtur posse effugere Irregularitatē ex generali ratione mutilandi causam mutilationis alicujus; qui enim esset simili modo causa mutilationis in alio esset Irregularis: ergò in seipso.

185. Ex quo doctè, & acutè Suarius colligit differētiā inter illationē manuum in se ipsum & illationē manuū ab alio; nam, quando quis in se ipsum temeritas manus injicit, non solùm non consideratur deformitas, aut impossibilitas administrandum in ordine, verum etiam nec perfecta membri mutilatio necessaria est; qui ea Irregularitas, vt dixerat n.6. magis incurritur propter culpam actiuæ abscissionis, quam *Colligit Suares differentiam.*

propter carentiam membri, quamuis virumq; consideretur; quando enim prouenit ex propria voluntate,& culpa se mutilandi est generalis regula, siue antecedat, siue sequatur ordinationem siue abscissio sit alicuius membri principalis; siue partis eius, siue notabiliter impediat, aut deformet, siue non, Irregularitatē inducere; dummodò tanta sit mutilatio, quæ per se,& seclusâ inaduertētiâ sine peccato mortali fieri non possit, vt colligitur ex c. *Qui partem* dist. 55. vbi habetur illum esse Irregularem, qui partem cuiuslibet digiti sibi abscindit cum tamen carentia illius partis alias contingens non inducat Irregularitatem, vt ibidem dicitur; redditurq; ratio; quia *in eo non consideratur tantùm defectus ex abscissione relictus, sed voluntas est iudicata quæ sibi ausa est ferrū inijcere.* Quando verò Irregularitas prouenit ex alio modo culpæ, necessarium est, vt mutilatio sit perfecta. Vnde in casu, de quo nunc disputamus. v.g. de adultero, qui mutilatur â marito, non quæuis mutilatio sufficiet; sed perfecta, & quæ facta, in alio sufficeret ad inducendam Irregularitatem in ipso patiente. De euulsione dentium dicam ad finem huius dub. Atq; hoc ipsum docet Auila suprà dùm ait, si defectus alicuius membri contingat propriâ culpâ, facit Irregularem, etiamsi non afferat insignē deformitatem. Quamuis (vt iam suprà retuli) Auila sequatur magis communem sententiam, quòd maneat Irregularis adulter, si maritus ipsi abscindat virilia, vel aliud membrum, de quo iam diximus, quomodò intelligendum sit.

Nonò infertur surdum esse Irregularem.

186. Nonò infertur surdum vtraq; aure ita, vt nullo modo possit audire, manere Irregularē iuxta septimum Canonem Apostolorū, ac proinde nō potest promoueri ad sacerdotiū. Quòd si defectus surditatis contingat post sacerdotalē ordinem licèt initiatus sacerdotio possit celebrare missam priuatā, non videtur admittendus ad missam solemnem, ne risum excitet, dùm, vel aliquid extra tempus faciat, vel omittat facere, in tempore. Ita Reginald. lib. 30. c. 5. n. 50. Si verò vna tantum aure surdus sit, non est Irregularis. Ita Graff. & alij apud Sayrum lib. 6. c. 8. n. 17. & apud Filiucium num. 169.

Decimò Infertur illum tantum. gibbosum.

187. Decimò infertur illum tantum gibbosū esse Irregularē, qui gibbum habet nimis deformē aut nimiam inducens debilitatem, vt cum gibbosus nequit se prę gibbo erigere, aut stare vesto capite. Ita Auila, & Molina suprà n. 8. Vgolin. de *Irregularit.* c. 50. n. 9. Reginald. n. 52. & alij communiter..

Vndecimò Infertur.

188. Vndecimò infertur idem iudicium esse de eo, qui habet ventrem præturgidum, aut nimis pinguem. Ita Maiol. lib 1. c. 17.

Duodecimò.

189. Duodecimò infert idem Maiol. lib. 1. c. 21. contra Vgolin. c. 50. n. 4. Æthiopem non esse Irregularem, neq; enim hic color horrorē parit.

Decimò tertio.

190. Decimo tertiò virum grandiorē, vel exiguæ staturę tunc tātùm esse Irregularem; quādo iudicio prudenti præsertim proprij Episcopi ea, vel proceritas, vel pravitas notabiliter deformis sit,

Decimo quarto.

191. Decimo quartò de Hermaphrodito iam dictum est inpræcedentibus non esse capacem ordinis adhuc validè, quādo præualet fœmineus sexus. Quando autē præualet masculinus, validè quidem poterit ordinari, vt suo loco diximus videtur tamen Irregularis iuxta c. *Si testes* 4. q. 2.

Hermaphroditus non potest professionē emittere.

192. Imò Nauarr cons. 47. *de Irregularib.* Vgolinus de *Irregularitate* c. 48. §. 1. n. 4. & alij putant Hermaphroditum non posse professionē emittere in Relgione virorum, vel mulierum ob periculum scandali, & libidinis, credendum enim est Ecclesiam, sicut irritauit professionem apud personas diuersi sexus ita irritasse professionem eius, qui particeps est; sexus vtriusq; propter eadē scandala & pericula. Vnde idem Nauarrus & Vgolinus, itē Henriq. lib. 14. c 8. n 6. & alij apud Sanchez lib. 7. de *Matrimonio*. disp. 106. (Vbi de Hermaphrodito videtur loqui æquè participet vtriusq; sexus) putāt repelli nō solū ab ordinibus sed etiā à professione, & quidem meritò quia non potest dici vir nec fœmina vt diximus Tract. 7. de ordine dub. 20. quod attinet ad ordinem. Quod verò attinet ad professionē ratio periculi & scandali non solùm locum habet in eo in quo æquè reperitur vterque sexus; vel in quo præualet diuersus sexus; quàm sit in ea cōmunitate, in quâ profitetur; sed etiam; quando prævalet ipse sexus, eius communitatis, in quâ professionē emittit; esset enim proxima, & frequens occasio tentationis, & legi potest Nauarr. suprâ, & alij citati. Quod verò attinet ad characterē legātur, quæ diximus loco citato de ordine.

Dubium.

193. Dubitari autem potest, si fiat in casu, quo quis pro fœminâ reputetur; sed postea processu temporis succrescat virilis sexus, & id virum erumpat? an non erit tunc Irregularis?

Resp.

194. Respondeo non esse Irregularem; quia iam non dicitur amplius fœmina, vel Hermaphroditus. Ita Suarius disp. illâ 51. sect. 2 n. 2. loquitur autem in casu denuntiatione totali in virum non manente fœmineo suxu quem casum aliquando contigisse nonnulli testantur, & refert Suarius, Plineum lib. 7, c. 4. Ita Filiucius, qui n. 162. & alij, & testantur de casu simili, qui ad Romanam Pœnitentiarium delatus fuit alij teste Bonacinâ disp. 7. q. 2. puncto 2, in Hispaniâ contigisse asseruerunt.

Decimo quintò.

195. Decimo quintò illos tantum, qui habent crura distincta esse Irregulares, quorum deformitas non potest ita tegi vestibus, vt notabiliter non appareat prudenti iudicio, præsertim Episcopi, vt dictum est.

Decimòsextò Irregularem esse qui altero caret pede.

Decimo sextò Irregularem esse; qui altero caret pede, talis enim carentia induit satis magnam deformitatem adiunctam imò etiamsi pede non careat, illum tamen ita habeat debilem, vt nisi baculo adiutus non possit accedere ad altare, ibiq: Sacerdotales functiones exercere c. *Nullus Episcopus* dist. 1. & c. *Si quis in infirmitate*, dist. 55. Item, si illi necessarius sit per ligneus ad altare, etiamsi nō careat vero pede, videtur enim satis indecens pro tanto minist erio. Ita Molina suprà n. 9. Nauarrus. n. 199. Sayrus lib. 6. c. 2 n. 22. Vgolin. c. 47. Filiuc. n. 173. Reginald. n. 54. & alij.

Decimò septimò.

197. Decimoseptimò Irregularis censetur ille qui laborat febri continuâ, ita. vt præ ægritudine non possit exercere munera sacerdotalia; secùs verò si febris esset Quartana, aut leucis febricula, quæ non impediat Missę celebrationem.

Decimo octauò.

198. Decimo octauò idem iudicium est de ha-

habente debilitatem in digitis, quibus frangenda eſt hoſtia, & ob eandem rationem pro calice idem eſt de illo, cui ita manus tremunt, aut debiles ſunt, vt calicem non poſſit eleuare, firmumve tenere.

[Decimo nonò.] 199. Decimo nonò tales cenſentur, qui laborant graui dolore capitis, quando periculum eſt, vt non poſſint ſubſiſtere in celebrando. Legatur Suarius, & Filiucius ſuprà, Vgolinus cap. 54. §. 1. num. 5.

[Vigeſimo.] 200. Vigeſimò laborantes morbo gallico, qui, ſuris appareat, horroremque, vt ſcandalum generet, videntur Irregulares argumento c. 2. *de Clerico ægrotante.* Ita Vgolinus c. 55. §. 2. Molin. n. 16. & alij communiter.

[Vigeſimo primò.] 201. Vigiſimo primò Leproſus, aut valde ſcabioſus, quando hi morbi magnam inducunt deformitatem, aut manuum vſum impediunt Irregulares cenſentur quandiu durat morbus, iuxta c. *Tua nos,* de *Clerico ægrotante* (quamuis alij tantùm dicant non poſſe celebrare in publico) Ita Maiol. lib. 2. c. 18. n. 11. Vgolinus citato c. 55. §. 1. & 2. idem ſentit in §. 3. de Phtiſico. Reginald. num. 56. & 57.

[Vigeſimo ſecundò.] 202. Vigeſimo ſecundò Peſte infectos Irregulares cenſentur propter periculum infectionis aliorum.

[Vigeſimo tertiò.] 203. Vigeſimo tertiò laborantes tuſſi, quæ periculum habeat coniunctum in ſuſcipiendâ Euchariſtiâ, peſte tamen aut tuſſi ſublata ceſſabit Irregularitas, ſicut dictum eſt de alijs morbis.

[Vigeſimo quartò.] 204. Vigeſimo quartò de morbo caduco iam diximus Irregularem, facere ſicut de Epileptico, lunatico, arreptio &c. item de dæmoniaco.

[Vigeſimo quintò.] 205. Vigeſimo quintò maleficiati tunc tantùm Irregulares ſunt quando ratione, veneficij perpetui fiunt inhabiles ad exercendos Ordines illud tamen genus maleficij, quo redditur homo, ineptus ad Matrimonium, non inducit Irregularitatem. Ita Henriquez lib. 14. cap. 8. Sayrus lib. 6. cap. 9. & alij.

[Pro prædictis omnibus Irregularitatibus Notandum 1.] 206 Pro omnibus Irregularitatibus præcedentibus aduertendum eſt id, quòd iam inſinuauimus, nimirum poſſe contingere vt partem muneris Sacerdotalis impediat morbus, vel impedimentum; non verò totum, vt quando ſacerdos caret pollice, aut indice &c. celebrare non poteſt; poteſt tamen abſoluere. Eſt igitur aliud indicium de ordine ſuſcepto; atque *[Aliud Indicium eſt de ordine ſuſcepto, & ſuſcipiendo.]* de ſuſcipiendo; nam, qui non poteſt præſtare omnia, non poteſt ordinari; qui tamen iam eſt conſtitutus in ordine, poteſt exercere illam partem muneris, ad quam non eſt impeditus. Vnde licèt digitis careat, poteſt cōcionari, cātare Euangelium, & Cæcus etiam ſacerdos audire confeſſiones, quas etiam poteſt audire, qui corripitur morbo caduco argumento c. *Presbyterorum* de *Clerico ægrotante.* Ita Nauarrus n. 200. Molina ſuprà n. 14. Sayrus n. 7. Coninc. n. 106. Vgolin. c. 52. §. 1, Filiucius. n. 158. 167. & 178, Reginald. lib. 30. n. 44. & 48. alijq; multi.

207. Hinc eſt, vt, quamuis ille, qui ita eſt abſtemius, vt nullo modo poſſit vinum guſtare. non poſſit iuxta principia tradita promoueri ad Sacerdotium; tamen, ſi iam promotus, abſtemius fiat, quāuis celebrare nō poſſit, poterit alia munera ſacerdotalia exercere, & Sacramēta miniſtrare.

208. Quæret tamen aliquis; an cum tali abſtemio poſſit ſummus Pontifex diſpenſare, vt ad ſacerdotium promoueatur? *[Quæres 1.]*

209. Reſpondent multi non poſſe, ſi ſequamur ſententiam eorum, qui dicunt non poſſe *[Reſp.]* ſummum Pontificem diſpenſare, vt ſub vnâ tantùm ſpecie conſecratio fiat. Quam ſententiam nos ſequuti ſumus agentes de ſacrificio miſſæ Tract. 5. diſp. 1. dub. 11. Secùs verò, ſi contrariam ſequamur opinionem. Ita Nauarrus c. 27. n. 204. Sayrus c. 9 n. 15. Toletus lib. 1. c. 25. Vgolin. c. 57. Quæ ſententia mihi placet; imò etiamſi concedamus poſſe Pontificem diſpenſare, vt in vnâ tantùm ſpecie fiat conſecratio in ijs. Regionibus, in quibus, vel nullo modo, vel difficillimè poteſt haberi vinum; nihilominus puto non poſſe diſpenſare cum non potente vtramque ſpecium ſumere, ſi abſolutè ſuppetant alij, qui omninò liberè poſſint promoueri; erit enim illicita diſpenſatio, vtpote factâ ſine idoneâ causâ.

210. Quæri poteſt 2. an habens defectum *[Quæres 2.]* corporis impedimentum ſuſcipere Ordinem ſacerdotalem, poſſit ad alios ordines promoueri.

211. Multi Reſpondent non poſſe Ita Nauarrus ſuprà, Aula ſuprà regula 1. Vgolinus c. 52. § 1. n. 4. Angel. & alij apud Garziam de Benef. 7. p. c. 12. n. 27. & ſequentib. Probant; quia habens huiuſmodi defectum eſt Irregularis; ergo non poteſt ad vllos ordines promoueri; Irregularitas enim directè impedit ſuſceptionem omnium ordinum. Et ſi agamus de Carentiâ membri requiſiti ad ſacerdotium, talis non ſolùm eſt inhabilis reſpectu ſacerdotij; ſed etiam reſpectu aliorum ordinum ſuſcipiendorum, quia hi omnes ordinantur ad ſacerdotium. *[Reſp. habentem defectum impedimentem ſuſceptionem ſacerdotij non poſſe ad alios ordines promoueri, multi.]* Quæ ſententia in praxi videtur ſequenda; quia communis eſt, non videtur tamen improbabilis oppoſita quod ſcilicet poſſit ad inferiores ordines etiam ſacros promoueri, ſi nullū aliud ſit reſpectu illorum impedimentum. *[Author indicat hanc opinionem intrans ſequendum oppoſitam tamen non eſſe improbabilem.]* Et quidem non video cur, qui alioquin omnino aptus eſt ad Diaconatū, & ſubdiaconatum, nō poſſit ad eos promoueri ex eo tantum quòd non poſſit ad ſacerdotium aſcēdere: neq; enim neceſſè eſt, vt tales ordines aſ- *[Ratio.]* ſumantur, tanquam via ad ſacerdotium ſed poſſunt eligi & aſſumi, tanquam terminus, in quo ſiſtatur & talis, fuit antiquiſſimus vſus in Eccleſia, vt multi Diaconi. v. g. fierent, vt in eo ſtatu permanerent, perinde atq, hodie ſacerdotes fiunt ſine animo aſcendendi ad Epiſcopalē gradū ſuperiorū. Vnde, ſi aliqua eſſet Irregularitas partialis pro Epiſcopali ordine, non video cur alioquin non poſſet quis fieri ſacerdos propter impedimentum aſcendendi ad Epiſcopatū, maximeq; vim habet hoc argumentum ex eo quod maior vnitas ſit inter ſacerdotium, & Epiſcopatum, quam inter Diuconatum, & alios orordines cum ſacerdotio.

212. Ad illud autem quod dicitur carentem membro neceſſario ád ſacerdotiū eſſe abſoluiè Irregularem ad omnes ordines, negandum eſt iuxta hanc ſententiā; ſed dicendum eſſe tantùm irregularē ad illum ordinem, cuius exercitiū impedit talis defectus, Ideo hanc ſententiam ſequitur Sayrus lib. 6. c. 7. n. 8. Palodanus, & alij apud ipſum, & citatos.

Potest Pontifex hac in re dispensare. 213. Potest tamen, quidquid sit de Iure communi, Pontifex in eâ re dispensare, vt aliquoties dispensauit cum viris alioquin doctrina, & virtute insignibus. Vnde nostrâ ætate audio Religiosum fuisse in Italia cæcum à Natiuitate virum in Philosophia, & Theologiâ doctum & eiusdem Theologiæ professorem, contionatumque non contemnendum, qui, vt decentius posset contionari ad Diaconatum promotus est dispensatione (vt credo) Pontificiâ.

214. Omitto alios casus, qui facilè ex dictis possunt resolui, vel nullius difficultatis sunt, nam quod aliqui, exempli causâ, in dubium vocârunt an sacerdos carens dentibus, censeatur Irregularis? ridiculum est disputari; nam, & vsus, & ratio satis ostendit nō esse Irregularem; innumeri enim sunt sacerdotes edentuli, neque illa deformitas tanta est, vt ideò quis videatur arcendus à Sacerdotio.

215. Maior difficultas est de eo, qui per indignationem excussit sibi dentes; de quo Vgolinus Tract. de Irregularitate. c. 69. videtur asserere esse Irregularem. Nihilominus probabilius est non esse; quia non inducit corporis defectum, neque indignatio, & vulneratio videtur tanti momenti ut iuxta c. *Qui partem* dist. 55. illa affectatio vulnerandi se tàm magna censeatur, vt Irregularitatem inducat; quam non inducere, docet Sayrus lib. 6. cap. 7. n. 12. Henriquez c. 8. n. 1. Filiucius n. 160. & alij multi.

Notandum 2. in quibus Irregul. solus Papa dispẽsare potest. 216. Vltimò pro his omnibus Irregularitatibus (vt hoc etiam anticipatò dicamus) aduertẽdum est in Irregularitate proueniente ex defectu, vel ex deformitate, aut infirmitate solùm papam dispensare posse; nisi fortè adiunctum sit impedimentum Iuris naturalis. Ita Suarius disp. 51. sect. 2. num. 18. ad finem, Molina suprà n. 19. Sayrus lib. 6. c. 8. n. 16. Henriquez lib. 14. c. 8. n. 1. Couarr. Clementinâ *Si furiosus* 1. p. n. 7. Vgolinus c. 52. §. 2. Filiucius n. 180. Reginald. lib. 30. n. 45. & 59. quidquid in contrarium sentiant Syluest. & alij. Probatur autem ex c. *significasti* de *corpore vitiatis*.

Iudicare verò de defectu vel deformitate ad Episcopum pertinet. 217. Iudicare verò de defectu, vel deformitate; an inducat Irregularitatem iam diximus pertinere ad Episcopum, Legatur Auila 7. p. disp. 3. dub. 2. Vtrum autem iudicium hoc pertineat etiam ad Prælatos Religionum? aliqui affirmant, & mihi videtur probabile; quia ex vno capite tale iudiciũ committitur Episcopo, vel Erchiepiscopo, vt suprà notauimus argumẽto c. 2. *de Corpore vitiatis*. Ex alio verò capite in fauorabilibus nomine Episcopi intelliguntur habentes potestatem Episcopalem iuxta dicta in simili disp. 3. dub. 3. §. *Affirmat*. Rodriguez vbi cum eodem, & cum Sanchez, & alijs apud ipsum diximus nomine Episcopi posse intelligi habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Vnde idem poterit iudicare Capitulum Sede Vacante sicut & Vicarius, aut officialis Generalis eiusdem Capituli. De Religiosis quidem id docet Auila disp. 3. dub. 2. cum Angelo, Armilla Tabiena Henriquez, qui paulò ante oppositum dixerat.

218. Negant verò aliqui apud Auilam disp. 3. dub. 2. & alij nonnulli; Quod tamen diximus, mihi videtur probabilius, & negandum est quod aduersarij assumunt, scilicet, nostram sententiam nullo Iure probari, cùm iam diximus nomine Episcopi posse intelligi habentes potestatem; quasi Episcopalem, & in citato Textu Episcopo, seu Archiepiscopo tale iudicium communicatur.

DVBITATIO IX.

De Irregularitate ex defectu natalium.

219. Inter alios Irregulares communicari solet illegitimus; sed, vt quæ de illo dicenda sunt, meliùs intelligantur, oportet prius explicare quis nam censeatur illigitimus, & omissis alijs, quæ videri possunt apud Authores referendos ille appellatur illegitimus; qui non ex legitimo Matrimonio, sed ex illicito concubitu conceptus est, siue ex fornicatione, siue ex stupro, siue ex incestu siue ex adulterio. Qui est meritrice appellatur *manzer* si ex soluta concubina domi retenta solet apellari filius naturalis; imò eo ipso quòd sit filius soluti, & solutæ ita, vt tempore vel conceptus, vel partus potuisset esse matrimonium inter parentes illius solet etiam appellari filius naturalis maximè ad obtinendam plenissimam legitimationem per subsequens Matrimonium inter parentes, qui verò nascitur ex ligato & soluta solet appellari nothus, qui verò ex coitu damnato, vt ex stupro, vel raptu, vel Sacrilegio, vel incestu, vel fœminâ coniugata dici solet spurius. Quâ de re legi potest Couarr. de *Sponsalib.* cap. 8. §. 4. Sayrus lib. 6. c. 10. n. 6. Molina Tract. 2. disp. 165. Less. lib. 2. c. 16. dub. 6. Vasq. in opusculo de *Testamentis* c. 5. §. 6. dub. 1. §. 7. n. 98. Suarius disp. 50. sect. 2. n. 1. & sequentibus, Filiucius n. 133. & sequentibus, &, vt rectè notat Suarius, quantum ad effectum Irregularitatis omnes filij soluti censentur naturales Iure Canonico, & Iure Regio Hispaniæ; imò multi testantur consuetudinem totius orbis esse receptam & nomẽ spurius solet etiam tribui omnibus illegitimis, qui naturales non sunt. Hoc supposito. *Illegitimus quis appellatur.*

220. Asserendum est primo omnem illegitimũ esse Irregularem est communis, & recepta sententia, habeturq; c. 1. de *Filijs Presbyterorum*. Ita Suarius sect. 3. n. 1. Filiucius n. 138. Reginald. lib. 30. n. 67. Vgolinus c. 44. §. 1. Auila p. 7. disp. 3. dub. 6. Sayrus c. 10. n. 36. Henriquez lib. 14. c. 8. n. 10. Nauarrus n. 207. Toletus lib. 1. c. 53 Coninc dub. 12. & alij multi contra paucos alios quod verum, etiãsi sit illigitimus occultus. *Assertio 1. omnis illegitimus est irregularis.* *Dubium.*

221. Dubitari autem potest; an saltem, quando Matrimonium inter duos est inualidè contractũ ob occultũ aliquod impedimentũ vtriq; contrahenti ignoratum, vel saltèm vni propter probabilem ignorantiã, vel errorem Iuris, aut facti, censeatur filius legitimus?

222. Respondeo legitimum censeri; neq; esse Irregularem iuxta c. *Peruenit* & c. *Ex tenore qui filij sint legitimi*. Verum quidem est nonnullos Authores requirere bonam fidẽ vtriusque coniugis. Ita Suarius disp. 50. sect. 1. n. 11. Filiucius n. 132. sequuti Caietanum, Socinum, & alios. *Resp.*

Probabilius est non requiri bonam fidem vtriusque coniugis si Matrimonium non fuerit clandestinum.

223. Oppositum verò videtur probilius, dummodò Matrimonium non fuerit clandestinum, nam in clandestino, etiam bona fides vtriusque parentis non sufficit, vt filij ex illo suscepti censeantur legitimi, vt probat Sanchez lib. 3. de Matrimonio, disp. 42. n. 2. & quidem, quòd in alterutro perentum sufficiat bonā fides videtur satis probari ex c. *Ex tenore*, citato. Legantur dicenda Tract. 11. disp. 3. dub. 20. §. *Prima ergo* in fine.

Legitimi censentur filij infidelium si &c.

224. Vlterius Legitimi censentur filij suscepti ab infidelibus, qui tempore infidelitatis susceperunt illos ex matrimonio contracto secundum leges ipsorum, quantumuis inualidum secundum leges Conanicas. Ratio autem est;

Ratio.

quia illegitimus ille solùm censetur, qui natus est ex Matrimonio inualido. Legitimus verò qui natus est ex valido; prædicti autem filij orti sunt ex Matrimonio valido; nam Matrimonium infidelium nun dissoluitur per ipsorum conuersionem ad fidem; nisi sit inualidum propter impedimentum Iuris naturæ, aut propter impedimentum inductum à Principibus ipsorum c. *de infidelibus* de *Consanguinitate*, & *affinit.* Ita Couarr. p. 2. c. 8. §. 1. Sayrus suprà n. 35. Suarius, & Filiucius suprà, alijsque communiter.

Item filij infidelium ad fidem conuersorum modo &c.

225. Addidetim, ita censere legitimos filios infideliū conuersorū ad fidem, etiamsi nati sint ex matrimonio inualido propter impedimentū Iuris naturæ; dōmodò cōmuni sensu patriæ, vel probabili ignorantiā illorum mattrimonium cēseretur validum. Vnde, etiamsi concedamus Iure naturæ Matrimonium fratris cum sorore esse inualidum; atq; adeò separandos ab Ecclesiā, postquam conuersi sunt ad fidem, filij nihilominus anteà suscepti, quādo Matrimoniū putabatur legitimmum, censendi sunt propter bonam fidē parentū, quantum ad valorem Matrimonij.

226. Addendū etiam est cum Suario suprà sect. 4. n. 10. Auila suprà dub. 10. & alij filium genitum à parētibus, qui Matrimonium contraxerunt inualidè non debere se gerere pro Irregulari, nisi constet de malā fide parentum: nam in dubio non debet præsumere parētes deliquisse.

An filius expositus & ignotus præsumendus sit Irregularis.

227. Vtrum autem filius expositus, & de quo ignoratur an sit legitimus, & quinā fuerint eius parentes præsumendus sit Irregularis nec ne? non est eadem Authorum sententia.

Aliqui putāt censendum esse legitimū. Alij distinguunt.

228. Aliqui putant censendum esse legitimum. alij verò distingunt, quam sententiam sequitur Auila dub. illo 10. cum Villadiego quem refert, & asserit, si talis fuit infamatus de illigitimitate, debere se purgare; si verò non fuit infamatus; sed semper vixit, vt legitimus, debere relinqui, suæ conscientiæ, & addidit Auila, quod; nisi præsumat, quòd sit illigitimus, potest se reputare legitimum; quia melior est conditio possidentis; imò, si sit dubium, non tenetur quis se reputare illegitimum. Vnde videtur sentire Auila quotiescumq; ignotantur parentes, ac per cōsequiens status Coniugij illorum; posse se reputate legetimum, quod etiam docet Conine disp. 18. dub. 12. n. 105. & alij apud Couarr in elemētina, *Si furiosus* p. 1. in principio, & apud Garziam suprà n. 6. & apud Vgolinum suprà §. 7.

Probabile putat Author

229. Probabile nihilominus puto censendum esse illigitimum. Ita Suarius disp. 50. sect. 3. Filiucius n. 141. Reginald. n. 77. Vgolinus suprà, Rebellus lib. 1. de *Contractibus* q. 2. n. 15. & alij apud Garziam, suprà n. 8. Ratio est, quia in huiusmodi casu adsunt coniecturæ ita vehementes, vt ferè certò constet expositum esse illegitimum; filij enim legitimi non solent exponi, vt experientia docet; imò parētes filios notam infamiæ subeunt. Non negauerim tamen aliquando solere legitimos à parentibus exponi propter inopiam sperantes ab alijs fore excipiendos, alendos, educādos. Vnde, si aliquod tale dubium oriatur probabile ex circumstātijs verā putā Auilę & aliorum sententiam etiam quoad expositos.

Ioan. de Dicastillo. de Censur.

illum talem censendum esse illigitimum.

Ratio est.

De alijs non expositis Authoris Iudicium.

230. de alijs verò non expositis, sed quorum parentes ignorantur probabiliorem iudicio sententiam Auilæ, quod possint se reputare legitimos. Legatur Auilæ dub. 9. vbi ex Henriq. Gregorium 14. in quadam Bullā statuisse, vt expositi habeantur legitimi, & puti sanguinis.

231. putant etiam citati Doctores cum Couarr. suprà n. 9. expositum iam ordinatum posse vti susceptis ordinibus sine vllā dispēsatione; quia melior est conditio possidentis. Imò Henriq. lib. 14. c. 8. n. 10. Suarius suprà n. 4 ad finem, Sayrus suprà n. 39. Filiucius n. 141. & alij Recentiores existimant posse Episcopum dispēsare, vt ordines suscipiat talis expositus, postquàm debitam adhibuit diligentiam. Item Layman lib. 1. Tract. 5. p. 5. c. 5. n. 4. non solùm ad ordines Sacros; sed ad beneficia Curata suscipienda putat Episcopum dispensare posse, refertq; præter Suarium, & Henriquez citatos Couarr. suprà Auilam q. 7. disp. 3. dub. 9. quia licet Episcopis Iure Ordinario concessum non sit dispensare in Irregularitate; possunt tamen dispensare in casu dubio, qualis is est.

Aliqui putāt Episcopum posse dispensare vt ordines suscipiat talis expositus.

Addit Author.

232. Ego quidem prædictis addiderim, cum, qui iam suscepit aliquos Sacros Ordines bonā fide, non solùm posse (vt prædicti Authores docent) in susceptis ministrare; sed etiam ad alios ascendere propter eandē rationem, quod melior sit conditio possidentis; nam, si ideò potest in susceptis ministrare; quia tunc possidet libertatem, ius legitimitatis, eâdem ratione poterit ad superiorem Ordinem propter eandem possessionem legitimitatis, Sed; quia non video id finisse ab Authoribus concessum, in praxi consulerem potiùs petendam dispensationem ab Episcopo; nisi fortè satis constet de illā Bullā quam refert Henriquez in quā Gregorius 14. dicitur statuisse, vt tales habeantur legitimi quam Bullam non vidi, de quā, si constet, absolutè puto posse ascendere ad vlteriores ordines, imò incipere ordinari absq; vlla dispensatione; quia habetur legitimus.

Obijcies.

233. Obijciet tamen aliquis vniuersim contra doctrinam traditam generalem regulam sæpius in præcedentibus repertam quòd in dubio facti nemo sit præsumendus Irregularis excepto facto Homicidij; In præsenti autem casu adest dubium facti, & nō homicidij sed illegitimitatis ergo non erit expositus ille iudicandus Irregularis.

Resp.

234. Respondetur in tali casu non esse dubium facti, sed moralem certitudinem, quòd ille non sit legitimus, vt explicatum est.

Quæres.

235. Queri vlterius potest, an filius teneatur credere

credere matri asserenti filium esse illegitimum?

Resp. 236. Hac de re ex instituto latiùs in Tract. de Matrimonio solet disputari; nihilominus, quantùm ad præsens dicimus, nisi fortè tam efficacibus argumentis id probet, vt dubitari non possit, moraliter loquendo non teneri credere, etiamsi mater cum iuramento, vel in mortis articulo id affirmat. Quod sentiunt plurimi Authores ibi referendi, & in hac materia docent Suarius disp. 50. sect. 4. n. 5. vbi quam plures alios Authores refert; item Filiucius n. 144. Reginald. n. 78.

Illegitimus per subsequens matrimonium fit legitimus &c. 237. Vtrum autem illegitimus fiat legitimus per subsequens Matrimonium? etiam in eius Tractatu disputari solet; interim tamen assero fieri legitimum, adeòque habilem non solùm ad successionem hæreditatiam & dignitates sæculares; sed etiam ad Ecclesiasticas, & ad Ordines excepto Cardinalatu, vt patet ex Motu proprio Sixto V. quam refert, Sayrus suprà n. 14. & Garz. de Beneficijs 7. p. c. t. n. 28. cum *Ratio est.* pluribus, quos refert. Fundamentum est; quia Matrimonium subsequens purgat omnia præcedentia, dummodò parentes (vt suprà dicebam) tempore vel natiuitatis, vel conceptionis habiles essent ad contrahendum Matrimonium id est nullum haberent impedimentum dirimens. Quod si tale impedimentum tunc esset, non tolleretur illegitimitas, & inhabilitas ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas iuxta c. *Tanta qui filij sint legitimi*. Ita Sanchez lib. 8. de *Matrimonio* disp. 7. n. 19. Suarius suprà sect. 1. Henriq. lib. 13. c. 20. n. 4. Sayrus suprà n. 15. Reginald. n. 79. Couarr. de *Matrimonio* p. 2. cap. 8. §. 2. Filiucius numero 131. & ex parte Garz. suprà numero 38. Maiol. de Irregularit. lib. 1. cap. 4. numero 14. Coninc, Auila, & alij suprà. Non desunt tamen multi Authores, qui solùm putent fieri legitimos, quando parentes habiles erant ad contrahendum tempore Natiuitatis. In quo consentiunt Suarius, Garz. Maiolus & Filiucius suprà. Probabiliùs tamen sentio, quod dixi cum Sanchez & alijs, cum propter fauorem Matrimonij, tùm; quia nullus est Textus in contrarium. Quamuis autem Suarius num. 11. & Filiucius num. 132. cum Couar. suprà, & alijs putant solùm fieri legitimum per subsequens Matrimonium verum, & validum, non verò per inualidum existimatum verum; philosophandum nihilominus puto iuxta supra dicta in hac dubitatione, de eo, qui natus est ex Matrimonio inualido existimato bonâ fide validè. Vnde, nisi subsequens Matrimonium sit clandestinum, dommodò bona fide contractum fuerit; sufficiet ad reddendum legitimum filium. Ita Bunacina disp. 7. p. 2. puncto 2. num. 6. in fine.

Ex dictis Infertur 1. 238. Ex dictis infertur fieri Legitimum filium, quem quis solutus ex Mariâ solutâ genuit, & post ipsum genitum Annam duxit, Anna verò mortuâ, duxit Mariam, etiamsi Matrimonium non consummetur. Ratio est; quia parentes tempore conceptionis filij erant habiles ad Matrimonium inter se, & postea illud validè contraxerunt. Ita Panormitanus in cap. *Tanta* citatum Bonacina suprà numero 7. Sayrus suprà numero 19.

239. An verò filij legitimi nati ex Annâ antequam Maria duceretur, censendi sint Maiores natu, quantùm ad hæreditatem aut maioratum, si quis est, etiamsi etate sint minores? non est huius loci disputare. Obstet dico, nisi *Nota.* lex, aut consuetudo in contrarium obstet, illos censendos esse maiores natu, quoad statum legitimæ filiationis, verissimum enim est prius fuisse Legitimos filios, quàm illum, qui prius natus erat non legitimus. Sed de hoc alibi.

240. Infertur 2. censeri filium legitimum *Infertur 2.* per subsequens Matrimonium, & liberari ab Irregularitate, etiamsi Matrimonium sequatur postquàm talis filius naturalis promotus fuerit ad ordines. Nam filius Naturalis fit Legitimus per subsequens Matrimonium, & consequenter definit esse Irregularis, cessante scilicet causâ Irregularitatis. Ita Sayrus suprà num. 30. Coninc disp. 18. dub. 12. n. 105. Bunacina suprà n. 8. & alij contra Maiolum.

241. Infertur 3. filium natum post Ma- *Infertur.* trimonium ratum non consummatum, quando scilicet ante consummationem alter parentum emisit professionem solemnem in Religione approbatâ non esse legitimum; sed Irregularem; quia tale Matrimonium fuit dissolutum per professionem, vt patet ex Tridentino sess. 24. cap. 6. & dicemus in Tract. de *Matrimonio*, & suo loco etiam dicemus an, quando Pater factus est sacerdos vel Religiosus professus de consensu vxoris, illamq; posteà carnaliter cognoscit, filius inde natus sit illegitimus, & Irregularis? Interim affirmo ex cap. *literas de filijs Presbyterorum*. Vbi Irregularis censetur. Ita Suarius sect. 2. numero 4. Sanchez lib. 9. de *Matrimonio* disp. 38. Sayrus lib. 6. cap. 10. numero 41. Filiucius numero 136. Tolet. & alij suprà.

242. Assero 2. mortale peccatum est illegitimum recipere Ordines absque dispensatione. Ratio est; quia in contrarium est prohibitio Ecclesiæ in re graui ex quo etiam constat mortale peccatum esse exercere absque dispensatione ordines sic susceptos. Ita Auila suprà, Nauarrus, Toletus & alij apud Sayrum numero 38. *Assertio 2. mortale est illegitimum recipere ordines absq. dispensatione. Ratio est.*

243. Nullam tamen (quod sciam) pœnam nouam incurrit; nulla enim est, quam viderim, Iure expressa. Ratione quidem Irregularitatis propter illegitimitatem repellitur non solùm ab ordine suscipiendo; sed ab exercitio suscepti. At, quamuis exerceat susceptum, & peccet mortaliter, non incurrit nouam Irregularitatem, vt rectè Nauarrus cap. 27. numero 96. Sayrus suprà & alij multi contra Maiolum lib. 1. cap. 2. num. 8. qui putat nouam Irregularitatem succurrere celebrando, sine idoneo tamē fundamento cum ea Irregularitas non est Iure expressa. *Pœnam nouam non incurrit.*

244. Assero 3. Irregularitas ex illegitimitate potest auferri tribus modis, primò. quantum ad Ordines auferri potest per professionem, post quam manet habilis ad illos. Dixi *Quantum ad Ordines*; neque enim fit habilis ad Prælaturam siue sit Religiosus, siue Monialis. Ita Nauarrus n. 207. Vgolinus suprà 5. Suarius suprà sect. 5. *Assertio 3. Irregularitas ex illegitimitate potest tribus modis conferri. Primò.*

S. Ter-

§. *Tertius modus.* Sayrus cap. 11. numero 3. Filiucius numero 153. Bonacina suprà numero 14. & alij.

Secundo, aufertur per legitimationem factam à Papâ.

245 Secundo modo aufertur per legitimationem factam à Papâ. Vnde sic legitimatus habilis est ad beneficia, ad dignitates, & alia omnia, ad quæ se extendit potestas legitimatis, quatenus fieri potest citra præiudicium alterius iuxta cap *Venerabilem. Qui filij sint legitimi.* Vbi habetur Legitimatum à Papâ extra patrimonium, seu territorium Diui Petri non censeri factum idoneum, & habilem ad dignitates sæculares, & ad hæreditatem. Quâ de re legi potest Couarrub. Sayrus, Suarius, & alij mox citandi.

Discrimen inter legitimationem & dispensationem.

246 Aduertendum verò est longè diuersam esse dispensationem à legitimatione: nam illegitimus per legitimationem efficitur habilis ad omnia perinde, ac si re verà esset legitimus, cùm tamen per dispensationem solùm habilis fiat ad illum actum, ad quem dispensatur iuxta verba dispensationis; est enim dispensatio res odiosa, & strictè explicanda. Ideò dispensatus ad certū quoddam beneficium tantùm illud potest obtinere ex vi illius dispensationis; & dispensatus ad beneficium curatum in communi poterit relicto primo, consequi aliud, & aliud, cùm dispensatio fuerit generalis ad curata beneficia.

Legitimatus à Principe Seculari non est habilis ad beneficia & Ordines. Ratio.

247 Ex quo etiam apparet legitimatos à Comite Palatino, vel ab Imperatore, aut alio principe sæculari non esse habiles ad beneficia, vel Ordines; nam Comes Palatinus, aut Princeps Sæcularis, quamuis habeat potestatem legitimandi sibi subditos, quoad honores, & officia sæcularia, illam non habet, quoad Ecclesiastica beneficia, dignitates, vel Ordines. Legatur Couarrub. 2.p.c.8.§.8. Maiol. lib. 1. cap. 8. numero 1 Sayrus lib.6.cap.11.numero 15 Vgolinus suprà §.3.&.4. Suarius sect. illa 5.num. 7. Filiucius num. 149. Reginald.num.72.

Tertiò aufertur per Dispensationem.

248 Tertius modus tollendæ Irregularitatis est per dispensationem; nam sicut Irregularitas inducta est lege Superioris, ita ab ipso Superiore potest per dispensationem auferri.

229 Verùm vt nuper dicebam, dispensatio strictè interpretanda est. Quapropter, qui dispensatur ad Ordines, non eo ipso censetur dispensari ad beneficium, sicut nec dispensatus ad certum Ordinem, censetur ad Superiorem ordinem dispensatus, sed ad illum, qui fuit expressus, & ad inferiores, sine quibus recipi non potest.

Dispensatio data ad beneficium simpliciter non censetur data ad Curatū, &c.

250 Item dispensatus ad beneficium simpliciter, non censetur dispensatus ad Curatum, sicut & dispensatus ad dignitates Ecclesiasticas non censetur dispensatus ad Episcopatum. Ita Sanchez & Sayrus suprà, Couarrub.p. 2.c.8.§. 8. Maiolus suprà cap. 8. Filiucius, numero 151. Reginald. numero 75 & alij multi, quos Deo dante, referemus in Tract. de Legibus agentes de dispensationibus, vbi ostendemus dispensationem strictè esse accipiendam, cùm sit odium Iuris.

Non potest Episcopus dispensare cum illegitimo ad maiores Ordines.

251 Aduertendum præterea est Episcopum non posse dispensare cum illegitimo ad maiores Ordines, & ad dignitatem, beneficiumue securatum; posse verò dispensare ad Ordines minores, ad vnumque beneficium simplex non requirens Ordinem Sacrum, qualem requirit Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, cap. 1. *de filijs Presbyterorum*, in 6. vbi talis potestas conceditur Episcopis respectu, omnium illegitimorum; quia in definitè dicitur *is, qui defectum patitur natalium,* id quod ibi notat Glossa, & omnes, vt testatur Suarius, quem sequuntur alij, & legi potest Vgolinus suprà, & Suar. ipse sect. 5. Filiucius numero 152. Sayrus suprà, & al.j citati. Ibi etiam expressè negatur Episcopum posse dispensare in superioribus Ordinibus; sed solùm Papam.

Aliqui excipiunt.

252 Aliqui verò teste Suario excipiunt illegitimos Canonicè tantùm, & non naturaliter, nam cum illis putant posse dispensare Episcopum ad Ordines Sacros ex c. *litteras. de filijs Presbyterorum*, nam per illa verba *permittimus ordinari* putant permitti Episcopo, vt possit dispensare; & iuuant ad hoc illa verba *si aliàs dignus inuentus fuerit.* Ita Ioannes Andreas ad eum Textum.

Dispensatio indefinitè concessa restringitur.

253 Verùm, præter quam quod ea verba multi intelligunt de solis minoribus Ordinibus cum Glossâ ibi communiter receptâ per Abbatem & alios, quia dispensatio est odiosa, & ideò indefinitè concessa restringitur, & quando concessio largior est, solet addi distributio *ad omnes*, vel *ad Sacros Ordines*, vt in cap. 1. & 2. *de filijs Presbyterorum*, in 6. & quæ ibi notantur; adhuc in dicto c. *Litteras* non concedit potestatem dispensandi; nullum enim est verbum, quod dispensationem sonet conferendam ab Episcopo; sed ipse Pontifex dispensat, vt notauit Suarius disp. illâ 50. sect. 2. numero 5. atque adeò talis exceptio non placet, imò in illo c. *Litteras*, potiùs significatur neque in minoribus posse Episcopum dispensare cum Papa ibi illam concedat. Vnde in nouo Iure scilicet in 6. De. Decretalium Episcopo conceditur pro minoribus, quamuis hoc non satis probet Episcopum, etiam tunc non potuisse concedere; solùm enim in eo casu dispensauit Pontifex, non, quia Episcopus non posset, sed, vt aliquid concederet, etiamsi illud potuisset Episcopus, vt indicat Glossa in c. 1. *de filijs Presbyterorum*, in 6. & notauit Suarius suprà sect. 5. numero 2. in fine

Addunt aliqui posse Episcopum dispensare &c.

254 Addunt etiam aliqui posse Episcopum dispensare super illegitimitate prouenіente ex delicto occultò, id enim videtur colligi ex cap. *nisi cum pridem de renuntiatione*, & ex Tridentino sess. 24. c. 6. *de reformatione* vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in Irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto. Hæc autem Irregularitas intrinsecè prouenit ex delicto parentum: ergo si hoc sit occultum poterit in eâ dispensare Episcopus. Ita Auila p.7. disp. 3. dub. 7. extenditque illa verba citati Textus *si tamen & culpa latet*, putatque insinuari ab Henriq. suprà numero 10. post litteram, *L.* quāuis cap. 20. numero 2. solùm videatur dicere quod dispensat, vt ministret in susceptis.

Obijcies 1.

255. Quod si obijcias eam Irregularitatem non solùm prouenire ex delicto occulto; sed etiam ex defectu in ipso illegitimo, Episcopum verò non posse dispensare in Irregularitate proueniente ex defectu; *Resp.* respondet idem Auila hāc Irregularitatem, licèt caussset in homine quendam

dam defectum, intrinsecè tamen dependere à crimine parentum, ac proinde, si huiusmodi crimen sit occultum, comprehendi eam

Confir.

Irregularitatem sub decreto Concilij. Confirmat; quia ratio, quæ mouit Concilium ad concedendam hanc facultatem dispensandi in casibus occultis fuit ad euitanda multa animarum pericula, & scandala, quæ sequerentur ex detectione occultorum criminum, quæ omnia etiā sequerentur, si necessarium esset in Irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis recurrere ad Sedem Apostolicam; quæ ratio locum habet in præsenti casu. Probat vlterius, nā

potestas dispensandi fauorabilis est & latissimè interpretanda.

licèt dispensatio, postquam concessa est in particulari casu, odiosa sit, & strictè interpretanda: potestas dispensandi fauorabilis est, & latissimè interpretanda, cap. finali de *Simonia*, & notant ibi Panormitanus & Fœlinus numero 7. Syluest. verb. *dispensatio* q. 5. Nauarrus cons. 4. de *Regularib.* numero 15. in fine. Couarrub. p. 2. c. 8. §. 8. numero 6. Beneficium enim Principis, quando non est in damnum tertij latissimè est interpretandum. cap. *Olim.* de *verb. signif.* hæc autem potestas quoddam beneficium est indultum à Concilio: ergo, &c,

Obijcies 2

256 Quod si adhuc obijcias, potiùs esse priuilegium, quod, cùm sit contra Ius, vel sàltem præter Ius, strictè est interpretandum c.

Resp. Auila.

cum dilectus de *consuetud.* Respondet idem Auila negando esse propriè, & irrigore priuilegium, tùm; quia Episcopus stando in Iure diuino potest dispensare in omnibus Irregularitatibus, tū; quia nullo Iure prohibitum est, quod Papa non possit facultatem suam dispensandi alijs delegate. Vnde Couarrub. loco citato ex hac do-

Sententiam Auilę Probabilissimā iudicat Author.

ctrinâ probat facultatem ad legitimandum extendendam esse, & latè interpretandam. Hæc Auilæ sententia probabilissima est, & acutè simul, ac doctè confirmata, & probabilem putat Laym. suprà c. illo 5. num. 2.

Plerique tamen putant non posse Episcopum dispensare in hac Irregul.

257 Plerique nihilominus putant non posse Episcopum in hac Irregularitate dispensare (quantumuis occultum sit delictum Parentum) ad maiores Ordines, tum, quia hæc Irregularitas connumeratur communiter ab omnibus Doctoribus inter Irregularitates ex defectu, Tridentinum autem non concessit facultatem, Episcopis dispensandi in Irregularitatibus prouenientibus ex defectu; sed ex proprio delicto occulto; illa enim censetur propriè Irregularitas ex delicto, quæ prouenit ex propriè delicto. Ita Suarius sect. illâ, 5. numero 5. vbi rigidè nimis appellat oppositam sententiam improbabilem, & torquere sensum Concilii, verborumque sensu abuti; quia, nimirum, Irregularitas ex delicto non vocatur; nisi ea, quę prouenit ex proprio crimine ipsius Irregularis. Ita etiam Nauarrus cap. 27. numero 194. Vgolin. suprà §. 2. num. 4. Layman suprà, & alij, & probari potest ad hominem; quia secundum ipsum Auilam illegitimus recipiens Ordines suspensus est ab ipsorum exequutione, & ea suspensio secundum ipsum Auctorem non est ex

Hanc sententiam magis esse Iuri conformem ait Author.

delicto; sed ex defectu; ergo etiam Irregularitas est ex defectu; atque adeò Episcopus non potest in eo dispensare. Hæc sententia [illegible]etur magis Iuri conformis; atque adeò, communis cùm sit, in praxi sequenda.

258 Nimius tamen rigor est velle oppositam improbabilitatis insimulare, cum rationes allatæ probabilem illam reddant. Et quamuis illa Irregularitas sit ex defectu, ita prouenit ex delicto, vt si non sit delictum, non sit defectus ille, vt videre est, in casu, quo Parentes bonâ fide genuerunt filium, tunc enim Irregularis non est; quia, quamuis re ipsâ non sint legitimi parentes, cessante delicto, cessat defectus Canonicus, & legalis: ergo benè possumus dicere illam Irregularitatem prouenire ex delicto; atque adeò non est torquere sensum Concilij, nec abuti verborum sensu illam Irregularitatem appellare prouenientem ex delicto, à quo dependet, etiamsi non sit proprium ipsius Irregularis, atque adeò non videtur improbabile sic interpretari verba Concilij. Verum quidem est ipsam Irregularitatem fundari proximè in defectu illius illegitimi; sed in defectu intrinsecè dependente à delicto, à quo prouenit, atque adeo non obstat defectus, quando est defectus intrinsecè prouenicns à delicto.

magnum discrimen inter hanc Irregul. & illam quæ prouenit ex homicidio.

259 In quo apparet magnum discrimen inter hanc Irregularitatem, & Irregularitatem prouenientem ex homicidio; nam, si quis haberet concessam à Pontifice facultatem dispensandi in omni Irregularitate proueniente ex delicto, adhuc posset dici non posse dispensare in Irregularitate proueniente ex Homicidio maximè propriâ manu patrato; nam huiusmodi occisio hominis non solùm inducit Irregularitatem, tanquam pœnam delicti; sed etiam ex defectu lenitatis, qui defectus potest reperiri in occisione alioquin iustâ atque adeò talis defectus separari à delicto. Defectus autem natalium sufficiens ad inducendam Irregularitatē reperiri non potest, neque Irregularitas ex illo prouenire; nisi in casu; quo parentes in generatione filij delictum committant; atque adeò Irregularitas & defectus ille natalium semper debet prouenire à delicto.

Quæres Quis hîc nomine Episcopi intelligatur. Resp.

260 Quæret tandem aliquis, quid nomine Episcopi intelligatur? an scilicet Episcopus consecratus, vel solùm electus, & confirmatus sufficiat?

261 Respondeo iuxta doctrinam in simili suprà traditâ disp. 3. dub. 3. & sequenti habendā esse rationem iurisdictionis potiùs, quàm Ordinis. Ita Suarius sect. 5. numero 6. atque adeò sufficit electus, & confirmatus iuxta c. *Transmissam. de elect.* idemque iudicium est de inferioribus Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem, vt cum Nauarro & alijs docet idem Suarius, & diximus loco citato.

DVBITATIO X.

De Irregularitate ex defectu ætatis.

Ob defectū legitimæ ætatis fit quis Irregularis ad Ordines.

262 DE hac Irregularitate præter dicta in præcedentibus generaliter, parum est, quod in particulari dicamus; constat enim defectum legitimæ ætatis inducere Irregularitatem ad Ordines, quamdiu talis defectus durat, & cessare cum primùm venitur ad legitimam

mam ætatem pro tali Ordine requisitam. Colligitur hoc ex Canone primo dist. 50. & ex c. vltimo *de temporib. ordinat.* Vtrum autem suspensionem incurrat, qui Ordines Sacros præsumit recipere ante legitimam ætatem? constat ex dictis de Suspensione disp. 5. dub. 7. cap. 3. §. *Quarta suspensio.* & Tract. 6. de Ordine, disp. vnica dub. 21. vbi affirmatiuè respondimus propter Extrauag. Pij II. & alia Iura ibi citata.

263 An verò qui exercet functiones Sacri Ordinis nondùm adeptâ legitimâ ætate, fiat nouo titulo Irregularis ob violationem Suspensionis? non consentiunt Authores. Tenendum autem est, quod diximus eâdem dub. 7. cap. 3. §. *Notandum secundò*, vbi diximus sic suspensum incurrere Irregularitatem celebrando, vel exercendo Ordines dummodo adsit præsumptio, ibi legatur.

264 Quod autem talis Irregularitas ex defectu ætatis proueniens cesset adueniente termino ætatis, & non anteà; nisi dispensante Papâ constat ex dictis, & ex doctrina generali Irregularitatis prouenientis ex defectu, in quâ ordinariè, & generaliter loquendo non dispensat, nisi Papa, cessante autem defectu, eo ipso cessat Irregularitas, quæ à tali defectu dependebat, atque ita docent Nauarrus cap. 27. numero 165. & numero 202. Toletus lib. 1. cap. 5. Vgolinus cap. 45. §. 16. Filiucius Tract. 16. numero 175. Reginald. numero cto. & sequentibus Sayrus lib. 6. cap. 12. Graff. 1. p. *deciss.* lib. 4. cap. 27. num. 22. & alij multi.

In Irregularitate ex defectu proueniente ordinariè solus Papa dispensat.

DVBITATIO II.

De Irregularitate proueniente ex defectu libertatis, seu obligatione seruili, aut alijs obligationibus.

265 VArijs modis potest libertas ad Ordines amitti, primò propter coniugiū; secundò propter statum seruilem, seu mancipij tertiò propter obligationem ad ratiocinia: quartò, vt aliqui volunt, propter debitum pecuniarium, de quibus omnibus sigillatim nonnihil dicemus.

Varijs modis libertas ad Ordines amitti potest.

266 Assero 1. Vxorati censentur Irregulares: nam tales non admittuntur ad Ordines: quomodò autem hoc intelligendum sit, in Tract. de *Matrim.* disputabitur, quod non admittantur constat ex c. *Vxoratus. de Ordinatione coniugatorum.*

Assertio 1.

267 Assero 2. seruus, seu mancipium, cùm sui Iuris non sit, sed sub domini potestate constitutum, assumi non potest in Clerum, seu ordinari sine expresso vel tacito consensu Domini. Ita habetur in Canone 81. Apostolorum, & totâ dist. 54. & lib. 1. *de seruis non ordinandis.* Legatur Glossa ibi cap. 2. verbo *deponatur.* Idem docent Scholastici in 4. dist. 25. maximè S. Bonauentura art. 2. q. 4. Richard. art. 5. q. 1. Intelligendum autem est hoc de ijs seruis, qui omninò carent libertate, vt patet ex citato titulo de seruis non ordinandis. Ratio verò est indecentia, quæ apparet in eo, quòd homo tàm vilis conditionis promoueatur, & euehatur ad Sacerdotalem dignitatem. Qui plura de hac re velit videre Legat Suarium disp. 51. sect. 4. Toletum lib. 1. cap. 55. Antonin. tit. 28. cap. 6. §. 6. Sayrum lib. 6. cap. 14. numero 3. Vgolinum cap. 57. Nauarrum cap. 27. numero 203. Maiolum lib. 1. cap. 36. Henriquez lib. 14. c. 8. numero 7. & Auilam p. 7. disp. 3. dub. vltimo. Laym. lib. 1. Tractatu 1 cap. 8. Filiucium Tract. 19. cap. 7. quæsito 5. Reginaldum. numero 63. Hic tamen nonnulla sunt aduertenda.

Assertio 2.

268 Aduertendum primò olim idem habere locum in liberis, particularium præsertim sæcularium personarum, vt scilicet Dominis eorum viuentibus, & inuitis non ordinarentur, vt habetur Canone vltimo dist. 54. adiuncto Canone *Cuicumq;* eâdem distinctione; nam olim liberi gratitudinis vinculo manebant obnoxij Dominis suis adeò, vt qui contra eos agerent, seu delinquerent in seruitutem iterum redigi possent. L. vltima. C. de *bonis libertorum*, & lib. 2. C. *de in Ius vocando*, iam verò hoc vltimum non videtur vsu receptum.

Notandū 1.

269 Habemus ergo in primis seruos, quamdiu sunt serui, non posse ordinari tum propter rationem dictam Indecentiæ, tùm quia, qui ordinatur, ideò promouetur, vt operam nauet ministerio altaris & officijs Diuinis, quibus vix potest attendere seruus obligatus alioquin inseruire Domino suo.

Serui quādiu sunt serui non possunt ordinari.

Ratio.

270 Aduertendum 2. Seruum ordinatum de consensu tacito, vel expresso Domini, illo, scilicet, sciente, & non contradicente, fieri librum, & ingenuum c. *Si seruus sciente* dist. 54. Idem est, si de consensu Domini Tonsurâ initietur, nam in eo capite sermo est de seruo in Clerum ordinato, cooptatur autem, seu assumitur in Clerum per primam Tonsuram. Quod si Domino nesciente, aut contra dicente, ordinatus fuit in minoribus, potest adhuc Dominus illum sibi vendicare, & in seruum habere argumento cap. 2. de *Seruis non ordinandis*, & cap. 2. dist. 54.

Notandū 2.

271 Quando verò absque Domini consensu initiatur Maioribus, tunc Seruus manebit quidem liber; sed ex proprio peculio oblato pretio, vel simili aliò seruo se ipsum redimere cogitatur cap. *Ex antiquis* citatâ dist. Quod si, neque hoc possit, in seruitutem à Domino intra anni spatium vendicari potest, nisi Sacerdos ordinatus sit; factus autem Sacerdos in spiritualibus officijs Domino ministrare tenetur, vt habetur c. *frequens* eâdem distinctione.

272 Si verò Dominus, postquam seruum ordinatum esse intellexit, integro anno dissimulet, censetur ei libertatem dedisse, vt habetur citato c. *Si seruus scienter.* Potest pretereà Dominus tali conditione libertatem, & facultatem concedere ad Ordines suscipiendos, vt ipsi in Spiritualibus officijs ministrare teneatur iuxta c. Nullus de seruis non ordinandis.

273 Episcopus verò, qui seruum ordinauit, vel inscio, vel contra dicente Domino duplicatum pretium soluere. cap. *Seruus absente*, iuncta Glossa ibidem dist. 54. tunc enim Dominus grauatur, vt seruum ita Ordinatum venundare cogatur. Quod si Episcopus bonâ fide ordinauit, tunc alij, qui seruum ad Ordines accipiendos

Dicendum de Episcopo seruum inscio vel inuito Domino ordinante

piendos induxerant, simelem satisfactionem dupli præstare coguntur c. *Si absente.* eâdem dist.

Dicta de servo quoad Ordines suo modo locum habent in eodem Religionem ingrediente.

274 Quod dictum est de seruo, quantùm ad Ordines, suo modo locum habet in eodem ingrediente Religionem ignorante, aut contradicente Domino, id enim non licet; alioquin à Domino intra tempus Iure definitum repeti potest. Ita Nauarrus in Coment. de Regularibus numero 7. ex cap. 1. dist. 54. & cap. *si quis* incognitus 17. q. 2. Quâ de re legi potest Glossa ibidem, & Less. lib. 2. de *Iustitiâ* cap. 41. numero 31. Azor tomo 1. lib. 12. cap. 1. q. 3.

275. Notat etiam Layman suprà numero 3. quæ de seruis dicta sunt, locum habere in quibusdam seruis, qui serui originarij, vel adscriptij dicuntur (quorum multi sunt in Germaniâ, & Bohemiâ, vt audio) dummodò Dominis suis non tantùm ratione possessionem; sed etiam personaliter obligati sint, vt, nisi pretio soluto, vel gratis à Domino manu missi discedere non possint. Legatur cap. *Admittuntur.* citata dist. 54. quod desumptum est ex Leone Primò Epistola 1. ad omnes Episcopos.

276 Alij etiam Coloni, qui ratione possessionis, vel administrationis suæ Domino sunt obligati, non debent, nec possunt ordinari; antequam eiusmodi obligationibus liberi sint; atq; administrationis suæ rationem reddiderint, vt apertè habetur in citato cap. *Admittuntur*, & cap. *Generalis*, eâdem dist. 54. quod est Gelatij Epistola 1. ad Episcopos Lucaniæ cap. 16.

Omnes obligati ad ratiocinia impediuntur ne ordines recipiant.

277 Generaliter autem loquendo omnes obligati ad ratiocinia impediuntur, ne Ordines recipiant, vt habetur cap. vnico, *de obligatis ad ratiocinia*, & cap. 1. & 2. *Ne Clerici, vel, Monachi.* Quamuis autem in eo cap. vnico solùm in specie agatur de procuratoribus, actoribus, Curatoratoribus, seu Tutoribus pupillorum (nisi sint constituti in causâ pietatis, vel miserabilium personarum, vt notauit Glossa recepta in idem cap. vnicum) item de ijs, qui publicis officijs, vt Tabellionis, & similibus deputati sunt, vt non admittantur ad Ordinationem; nisi deposito munere; tamen eâdem ratione id ipsum intelligi debet de quibus suis, obligatis aliquo munere, quod ipsos minus expeditos reddat ad seruiendum Deo iuxta illud Apostoli, 2. *ad Thimot.* 2. *Nemo militans* Deo implicat se negotijs secularibus, vt obseruauit Suarius disp. 51. sect. 3. & ex ipso Layman. suprà num. 3.

278 Neque etiam deposito munere ordinari debent antequam redditis rationibus ab huiusmodi curis se expedeuerint.

279 Si tamen prædicti ordines recipiant, receptis vti possunt, vt patet ex citato cap. vnico, & ex citatis capitibus. 1. & 2. *Ne Clerici vel Monachi.*

280. Ex his patet prædictos solùm ad tempus impediri, scilicet donec reddant ratiocinia, quibus redditis, & deposita ipsorum obligatione possunt promoueri ad Ordines. Secus verò præsumuntur ad Ecclesiam confugere non affectu seruiendi Deo, sed intentione effugiendi ratiocinia.

Qui nam ad ratiocinia tenentur

281 Illi autem generaliter loquendo censentur ad ratiocinia obligati qui tenentur reddere rationem administrationis publicæ vel priuatæ, vt qui debent reddere rationem muneris Thesaurarij aut depositarij æris publici, itē Aduocati, Magistratus, Iudices, &c. Priuatæ verò administrationis rationem reddere tenentur, vt dictum est, qui egerunt administrationem alicuius personæ sæcularis non miserabilis, vt sūt Tutores, Curatores, procuratores, qui non debēt admitti nisi finito officio iuxta citata, capita 1. & 2. *Ne Clerici vel Monachi.* Illi verò, qui administrationem gerunt personæ Ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium; vt viduarum, pupillorum, causarum piarum &c. non impediuntur, vt significabam, & habetur, cap. *perueni* dist. 86. alijsque Iuribus citatis, sicut nec impediuntur, qui ita administrant, vt non teneantur ex aliquo contractu reddere rationem, &, qui sunt obligati absque vllâ administratione reddere rationem ex aliquo contractu, vt ex contractu emptionis, depositi, conducti, mutui &c. nisi fortè ante promotionem, vel in ipsâ promotione mota sit eis lis de dolo, aut perfidiâ; tunc enim promoueri non debent ante finitam litem. Ita Sayrus cap. 14. numero 8. Suarius disp. 51. sect. 3. Filiucius numero 198. Reginald. numero 66. & alij communiter.

282 Quod si post redditas rationes debito pecuniario obstricti permaneant, non sunt ab Ordinibus excludendi maximè, si de solutione debiti idoneam cautionem præstare possint. Ita Suarius citatâ sect. 3. numero 23. Layman. cap. illo 8. numero 3. in fine Bonacina disp. 7. q. 2. puncto 4. numero 4. neque enim pro ijs Irregularitas Iure expressa est. Intelligi autem debet hæc doctrina, (sicut & præcedens) dummodò non sit periculum litium; quia, si tale sit, adhuc dici potest ad esse Irregularitas ex defectu proueniente ex obligatione ad ratiocinia. Poterit autem se ab hac Irregularitate eximere, factâ bonorum cessione, & reseruatâ sibi congruâ sustentatione iuxta. cap *Odoardus de solut.* Ita Suarius suprà, vbi etiam cum Couarrub. disputat, in quo foro conueniri debeat Clericus ob debitum ante Clericatum contractum. Item Maiolus lib. 2. cap. 11. numero 15. Filiucius nu. 201. Legatur Suarius num. 36.

Ex dictis infertur, tales in curiis sacularium non esse ad Ordines admittendos.

283 Ex dictis infertur Curiales in Curijs Principum Sæcularium, vt sunt Iudices, Aduocati, milites, & alij, repellendos esse ab Ordinibus suscipiendis, quamdiu non fuerint soluti ab illâ obligatione, vt latè, & doctè probat Suarius disp. 47. sect. 4. Item Syluest. verb. Ordo 4. Toletus lib. 1. cap. 55. Henriquez lib. 14. cap. 5. num. 5. Filiucius num. 197. Reginaldus num. numero 64. Layman. suprà n. 4.

Tabillionis officium exercere prohibentur Clerici.

284 Vnde, ne Clerici sæcularibus negotijs dediti ab spiritualium officiorum administratione, & attentione impediantur, statutū est in c. *si cut Ne Clerici, vel Monachi*, vt, qui in Sacris Ordinibus constituti sunt, per substractionem beneficiorum compellantur relinquere officium Tabellionatus, ideq; iudicium est de alijs similibus officijs. Imò Syluest. satis probabiliter docet id sentiendum esse de alijs Clericis non in Sacris constitutis, si beneficiati sint. Ita verbo *Tabellio* q. 3. §. *Tertium.* & Panorm. in citatum. cap. *sicut* numero 7. Layman suprà num. 4. qui adiungit

git aliam rationem huius prohibitionis, quantùm ad Tabellionem; quia officium (inquit) Tabellionis vile est, ideoque indecens personis Ecclesiasticis argumento *L. non aliter ff. de Adoption.* Verùm hoc de vilitate officij non est generaliter verùm; sed spectanda est communis consuetudo, & æstimatio patriæ, gentium, aut Regionum; in multis enim sæpe contingit à viris honestis, & aliquâ ratione nobilibus tale munus exerceri, imò nisi à nobilibus exerceri non potest, sicut & munus mercatoris in aliquibus Regionibus non obstat nobilitati, & splendori familiæ, etiam Principum, cùm tamen in alijs in longè minori æstimatione sit.

Quoad exercitium officij Tabellionis in causis Ecclesiasticis non variè censeunt Doctores.

285 Vtrum autem in causis Ecclesiasticis, v.g. in Consistorio Episcopi Clericus beneficiatus Tabellionis munus possit exercere? non consentiunt Doctores; plerique negant teste Layman suprà id licere Clerico in Sacris non indigenti; sed sufficiens beneficium vel sustentationem habenti præterquàm in Curiâ Papæ. Ratio est; quia vniuersim, & sine distinctione prohibetur in citato c. *Sicut.* Ita Glossa ibi verbo, *Clericis.* Panormitan. numero 6. Syluest. q. 3. citatâ, Rosella verbo *Tabellio,* §. 4. Meritò verò idem Laymā docet spectandā esse consuetudinem diœcesium cùm officium Tabellionis in Ecclesiasticis causis absolutè non dedeceat Ecclesiasticas personas, & ita habet vsus in Hispaniâ, de quo mihi satis constat; ibi enim plerique Ecclesiastici munus Notariorum exercent.

Addit Layman.

286 Aduertit etiam Layman numero 5. non reperiri in specie prohibitum, sed potiùs per Ecclesiæ consuetudinem concessum, vt personæ Ecclesiasticæ in Principum (etiam Sæcularium) Curijs fungi possint officio Consiliarij, Cancellarij, imò etiam Iudicis in causis ciuilibus. Ita Abbás in c. *Clericis* num. 10. *Ne Clerici, vel Monachi,* & in c. *Non est* numero 4. *de Voto,* in causis verò criminalibus non licèt etiam citra mortis, vel mutilationis sententiam, vt colligitur ex c. *Sed nec* & cap. citato *Clericis. Ne Clerici vel Monachi,* & L. *si quis* C. de *Episc. audientiâ,* excepto tamen casu, quo fidei defendendæ causâ aut bonum spirituale animarum id exigat, vt notauit idem Layman ex Molinâ Tract. 3. disp. 8. numero 10. argumento c. *In Archiepiscop.* de *Raptoribus.*

287 Olim quidem vsitatissimum fuit, teste eodem Layman, & pro æquissimo, atque necessario habitum, vt fideles in litibus Ciuilibus; præsertim, si grauatos se sentirent, Episcopi, tanquam Christianorum maximè oppressarum, & miserabilium personarum defensoris, officium, atque iudicium postularent, eiusque sententiæ tanquam vltimæ, & irrefragabili standum foret? Vnde Imperator Constantinus in Rescripto ad Ablauium & L. 1. C. *Theodos de Episcopo iudic.* Arcadius, & Honorius in l. 9. C. *Iustinian. de Episcopo audientiâ.* Sic decernunt loquentes de Iudicio Episcopali. *Iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint. Eamque illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quàm vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet prouocare.* Atque in huiusmodi causis Sanctum Augustinum valde occupatum fuisse testis est Possidonius in illius vitâ cap. 19. & ipsemet Augustinus de *Opere Monach.* cap. 29. vbi satis significat sibi molestissimam esse eam occupationem.

288 Colligitur. 2. non arceri ab Ordinibus qui Curiæ Episcopali inseruiunt, id enim non est inseruire Curijs Principum sæcularium. *Collige 2.*

289 Colligitur 3. non esse repellendos ab Ordinibus, qui aulas Principum, & Curias obsequij causâ absque obligatione frequentant habent enim integram, & perfectam libertatem. *Collige 3.*

290 Colligitur, 4. feudatarios, id est eos, qui re immobili acceptâ cum instrumento, & iuramento obligati sunt personaliter inseruire Domino non esse admittendos ad Ordines; nisi feudum relinquant, vel saltem à Domino directo facultatem habeant: Quâ de re legi potest Maiolus lib. 2. cap. 5. numero 5. Sayrus suprà numero 13. Filiucius num. 200. *Collige 4.*

291 Vtrum autem, & quâ ratione sit incapax Ordinis, qui caret patrimonio, ad cuius titulum ordinari vult, non est huius loci disputare; nonnihil diximus agentes de Ordine Tract. 6. disp. vnicâ dubio 22. prope finem. §. *Septima qualitas,* & Legi potest Tridentinum sess. 21. cap. 2. de *reformatione.* Suarius, & Filiucius locis citatis.

DVBITATIO XII.

De Irregularitate ex bigamimia.

292 HÆc Irregularitas appellari solet ex defectu Sacramenti, vt videre est in c. *acutiùs,* dist. 26. & cap. *Debitum* de *bigamis* quatenus vox Sacramentum sumitur pro re, aut signo significante aliquid Sacrum, & in hoc casu pro Matrimonio, quod consummatum in lege nouâ significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per carnis assumptionem iuxta Apostolum *ad Ephesios* 5. quæ significatio plenior est, ac perfectior id Matrimonio cum vnâ solâ, eâque virgine; quia Christus copulauit sibi Ecclesiam vnicam ab alio non assumptam. Non est autem ita perfecta significatio cum vxore secundâ, vel cum viduâ, aut corruptâ, vt videre est apud Augustinum lib. de *bono coniugali.* cap. 18. *Dicitur hæc Irregularitas ex defectu Sacramenti.*

293 Hæc est causa, ob quam bigamia sit quædam Irregularitas contracta ex multiplici Matrimonio contracto, & consummato, aut ex Matrimonio cum corruptâ, vt ex dicendis videbitur. Legatur Vgolinus cap. 56. numero 1. Syluest. verbo Bigamia q. 2. Nauarrus cap. 27. numero 195. Suarius disp. 49. sect. 1. Auila p. 7. disp. 8. dub. 1. Sayrus lib. 6. cap. 3. Filiucius Tract. 19. cap. 4. Quæsito 1. Qui omnes, & alij communiter triplicem assignant bigamiam, scilicet, veram, interpretatiuam, & similitudinariam. *Triplex bigamia.*

294 Prima, & vera bigamia, & propriè dicta, est, si vir cum duabus legitimis vxoribus Matrimonium consummauit, siue eas duxerit ante Baptismum, siue post Baptismum; ob eamque causam Irregulatem fieri, & ad Ordines *Prima & uera bigamia est.*

nes

nes assumendum non esse constat ex Apostolicâ traditione, vt videre est. 1. Ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse Diaconi sint vnius vxoris.* Quibus prohibet Apostolus, ne is, qui vltrà vnam vxorem habuit, Episcopus fiat, Presbyter aut Diaconus, atque hac ratione hunc locum communis sensus Ecclesiæ intelligit, vt videri est Canone 16. Apostolorum & apud Tertulianum lib. 1. *ad Vxorem*, & in Concilio Romano sub Siricio cap. 8 & in Concilio 4. Carthaginensi Can. 69. & apud Ambrosium Epistolâ 82. ad Ecclesiam Vercellensem, vbi addit Patres Concilij Nizeni statuisse nec Clericum quenquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit, & apud S. Epiphanium Hæresi 59 contra Catharos, & apud Innocentium Papam epist. 22. Ad Episcopum Macedon. c. 1. Cœlestinum 1. Epist. Ad Episcop. Galliç c. 6. Concilium Romanum sub Hilario cap. 2. Gelatium Papam epist. 1. cap. 24. Lucium. III. in c. 2 & Cœlestinum, III. in c. 3. de *bigamis non ordinandis.*

295 Porrò sufficere, quòd etiam ante Baptismum sic contraxerit & consumauerit, bis, aut sæpiùs, vel semel ante Baptismum, & iterum Baptismum, constar ex c. *Acutius* in principio citato & cap. si quis viduam. dist. 34. doceniquc communiter Theologi teste Rebello lib. 3. de *Matrimonio* q. 20. numero 4. Maiol. lib. 1. cap. 33. Vgolino §. 1. ad finem Nauarro numero 191. Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 67. numero 4. Sanchez lib. 7. de *Matrim.* disp. 83. numero 8. Saytus lib. 6. cap. 3. numero 23: Henriquez lib. 12. cap. 6. Valentia infrà citando Toleto lib. 1. cap. 70. Coninc disp. 18. dub. 11. num. 102.

Qui cum duabus Matrimonium contraxit sed cum vna tantum illud consummauit non est bigamus.

296 Si quis autem cum vnâ solâ consummauit, cum altera verò priore, aut posteriore contraxit quidem; sed non consummauit, bigamus, aut Irregularis non censetur. Rationem huius tradit Innocentius III. in c. *Debitam. de Bigamis non ordinandis.* Quia nimirum coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per carnis mysterium est contractum. Itaque viceversim in hac materia semper præ oculis habendum est nullum Matrimonium ex parte viri, vel fœminæ causam bigamiæ, aut Irregularitatis afferre; nisi consummatum sit.

Ratio.

Secunda bigamia est interpretatiua.

297 Secunda bigamia est interpretatiua, quæ contingit quando quis re verâ non contraxit cum duabus, secundum Iuris tamen interpretationem, fictionem vt censetur cum duabus contraxisse, & ab Ordinibus repellitur, tanquam bigamus. Hæc autem tribus modis contingere solet, ex quibus duo extra controuersiam sunt. Tertius verò in controuersiâ positus.

Qua tribus modis contingere solet.

Primus modus.

298 Primus est, quando quis viduam, vel ab altero corruptam duxit & vidua quidem habetur Canone Apostolorum 17. aliàs 18. c. *Si quis viduam*, dist. 50. cap. *Præcipimus* dist. 34. cap. *Debitum*, cap. vltimo *de bigamis.* Pro corrupta etiam ab alio facit. cap. *Curandum.* dist. 24. quod est Hilarij Papæ in Concilio Romano vbi generatim cauetur *ne ad sacros Ordines quisquam qui vxorem non virginem duxit, aspiret.* Item apud Innocentium Primum. Epistol. 22. ad Episcop. Macedon. cap. 1. *Nos autem per Orientem, & Occidentem Ecclesias nouerit vestra dilectio', neque ad vltimum Ecclesiastici Ordinis locum tales* (qui viduam, vel electam duxerunt) *assumere. & si reperti fuerint submouere.* Concilium etiam Cartaginense, 4. dub. Anastasio cap. 69. sic habet. *Simili sententia* (scilicet suspensionis ab officio ordinandi) *subiacebit Episcopus, si sciens ordinaverit Clericum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit aut secundam.* Ratio petenda est ex defectu Sacramenti, quam indicauit Innocentius in illo c. *debitum*, quia nimirum tale matrimonium non perfectam gerit similitudinem Christi sibi copulantis Ecclesiam ipsi soli desponsatam, & ab altero non assumptam. *Ratio.*

Ex dictis Colligo eum qui viduam duxit non cognitam à priori viro non esse bigamum.

299 Ex dictis constat eum, qui duxit viduam, non cognitam à priori viro non esse bigamum; quia non interuenit duplex Matrimonium consummatum atque adeò tunc copulatur cum eâ, quæ licet cum altero contraxerit non fuit illi carnaliter copulata.

Collige 2.

300 Item colligitur non esse bigamum, qui duxit fœminam corruptam quidem, non ab alio; sed ab ipso viro, tunc enim caro non separatur, nec censetur copulari alteri carni: nam Matrimonium subsequens retrotrahitur, & reputatur quasi factum cum illâ ante primam copulam, censeturque contractum cum Virgine. Ita Nauarrus cap. 27. numero 195. Sanchèz suprà disp. 84. numero 14. Suarius suprà sect. 3. numero 7. Saytus cap. 4. numero 17. Conarrub. apud citatos. Vgolinus suprà §. 2. numero 5. Filiuctus numero 110. Reginald. numero 82. Syluest. & alij communiter quidquid sentiat in contrarium Hostiensis in *Summâ* lib. 1. lit. de *Bigamis.*

301 Infertur etiam nihil referre, siue mulier volens corrupta fuerit, siue per vim, nec, siue vir sciuerit esse viduam, vel corruptam siue ignorauerit; quocumque enim modo contingat, deest iam perfecta significatio, hæc enim Irregularitas non oritur ex culpâ, sed ex defectu Sacramenti, & significationis, quidquid etiam in contrarium censerit Sa verbo *Irregularitas ex bigamia.* numero 2. (quamuis non elatè loquatur) & alij apud Sanchez citatâ disp, 84. numero 15. Legatur Sanctus Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 1. Syluest. verb. *Bigamia* numero 2. Couarrub. Clementina *Si furiosus* p. 1. cap. 2. §. 3. Sanchez suprà num. 9.

302 Ex ijs constat ratio, ob quam vir bigamiam interpretatiuam non incurrat, etiam ante Matrimonium sæpe cum vnâ aut pluribus fornicatus sit, vel concubinas habuerit, vt docent Doctores in cap. *Quia circa* de *Bigamis.* quia tale Matrimonium non patitur defectum Sacramenti; hoc enim erga mulierem tendit, postulans, vt ea à pluribus viris cognita non sit. Ideò, quoties reperitur maritalis coniunctio viri cum vnicâ ab alio carnaliter non cognitâ, subsistit perfecta significatio Sacramenti. *Collige 3.*

Secundus modus interpretatiuæ bigamiæ.

303 Secundus modus interpretatiuæ Bigamiæ est, quando quis accessit ad vxorem propriam, quam virginē, & non ab alio cognitam duxit, & cognouit; Sed postquàm illa iam Matrimonio copulata adulterata fuit cum alio, siue

volens,

volens,siue per vim, ipse etiam illam cognouit. Hic modus bigamiæ habetur c. *si cuius vxorem*.c. *Si laici*. dist. 34. cuius ratio est defectus Sacramenti, & similitudinis, seu significationis; quia talis maritalis coniunctio desinit habere perfectam similitudinem Christi cum Ecclesiâ, eo ipso, quòd illa cognita fuerit à duobus. Ideò nihil refert, quòd mulier, siue volens, siue per vim cognita sit, item siue vir adulterium vxoris sciuerit, siue ignorauerit. Ita Couarrub. Clementinâ *Si furiosus*. p. 1. §. 2. numero 3. Nauarrus cap. 27. numero 195. Syuest. verbo *Bigamia* q. 3. Auila p. 7. disp. 8. dub. 1. § *Tertio modo*, Suarius disp. 49. sect. 3. numero 16. Maiol. lib. 1. cap. 33. Vgolin. §. 2. Filiucius suprà, Bonacina disp. 7. q. 2. puncto 5. numero 2. §. *Tertio modo*, & alij communiter.

Tertius modus Bigamiæ interpretatiuæ. 304 Tertius modus Bigamiæ interpretatiuæ à Doctoribus communiter asseritur, quando quis post vnam vxorem carnaliter cognitam, aliam, priore, viuente, aut etiam mortuâ, maritali affectu cognoscit, cum quâ inualidè propter dirimens impedimentum nuptias contraxit, tunc enim censetur bigamus non realiter; sed interpretatiuè; quia præsumitur bis contraxisse Matrimonium, quantùm ad affectum, & intentionem contrahendi cum duabus copulâ subsequutâ animo maritali, idque colligunt ex c. *Nuper*, de *Bigamis*. vbi decernitur eum, qui mortuâ vxore Sacrum ordinem accepit in Clericatu secundam mulierem sibi matrimonialiter coniunxit licèt in veritate Bigamus non sit, pro Irregulari tamen; quasi bigamus sit, habendum esse. Non quidem propter Sacramenti defectum; sed (vt dicebam) propter intentionem, & affectum, cum opere subsequuto. Putant verò Doctores hanc responsionem illius Textus tantùm exemplariter datam in Clerico in Sacris constituto esse autem intelligendam de omnibus etiam Laicis, si cum vnâ validè, & posteà cum alterâ inualidè matrimonium contrahant, & consummènt; Vnde, tanquam bigamos, esse à Sacris Ordinibus repellendos. Ex quâ doctrina variæ dubitationes resultant.

Dubitatur 1 305 Dubitari potest primò an eâ doctrinâ suppositâ, qui duo Matrimonia inualidè contraxit propter impedimenta dirimentia sit bigamus Matrimonijs consummatis, atque adeò Irregularis?

Resp. 306 Negant Henriquez lib. 12. cap, 6. numero 9. Auila citato dub. 1. notabili. 2. Affirmant verò Nauarrus numero 195 Suarius disp. 49. sect. 2. numero 11. Sanchez, lib. 7. de *Matrim.* disp. 84. numero 3. & alij apud eundem. Filiucius numero 104. Sotus, Toletus, & alij apud citatos, Vtraque sententia probabilis est, & priorem etiam sequitur Coninc disp 18. dub. 11. nu. 101, posteriorem verò Bonacina suprà num. 2. referens Valentiam. Iudicium inter vtramque sententiam infrà feremus.

Dubitatur 2 307 Dubitatur 2. an. qui priùs inualidè cum vnâ contraxit & posteà cum alterâ validè censeatur bigamus interpretatiuè, & Irregularis?

Resp. 308 Negat Henriquez suprà in Comment. numero 9. Littera. Y. Affirmat Auila suprà, Sanchez loco citato numero 5. & alij communiter. Probabilis etiam est vtraque sententia, & inter vtramque iudicium etiam infra feremus, sicut & de sequentibus dubijs.

309 Dubitatur, 3. an qui contrahit fictè cum alterâ, incurrat bigamiam interpretatiuâ, & Irregularit. Negat Henriquez suprà n 9 Littera, Y. & alij apud Suarium sect. illâ 2. nu. 3. Affirmat Suarius ipse 161. num. 10. & alij plerique. *Dubit. 3.* *Resp.*

310 Dubitatur 4. an qui bonâ fide nesciens impedimentum contraxit cum alterâ, censendus sit bigamus, & Irregularis? *Dubit. 4.*

311 Negant Sanchez cum alijs quos refert suprà numero 6. putat enim hanc interpretatiuam bigamiam ratione culpæ introductam esse: alij verò communiter affirmant apud eundem Sanchez, & Suarium sect. 2. num. 8. & Sanchez ipse probabilem putat sententiam. *Resp.* *Ibid.*

312. Dubitatur 5. an contrahens, & consummans cum viduâ, vel corruptâ inualidè, bigamiam interpretatiuam, & Irregularitatem incurrat? Negat Nauarrus numero illo 195: quia id nullo Iure expressum est, cum tamen Irregularitas non incurratur; nisi in casibus Iure expressis, testatur Nauarrus ita esse decissum in Sacrâ Pœnitentiariâ, eundem sequitur Henriquez numero 9. in fine. Auila suprà dubio 2. Sanchez suprà numero 11. Affirmat Couarrub. Clementina *Si furiosus*, p. 1. §. 2. numero 2. Suar. sect 3. num. 3. qui testatur de communi sententiâ. *Dubit. 5.* *Resp Nauarrus negatiue.* *Affirmat Suarius.*

313 Inter has sententias, & dubia non est omninò facilè iudicare, duo tamen in hanc re dicenda videntur cum Laym. suprà. cap. 6. numero 5. *Duo hic dicenda.*

314 Primum prædictas Irregularitates non esse Iure Canonico satis expressas, vt apertè docet Coninc suprà numero 100. Henriquez lib. 12. cap 6. numero 9. in Commentario litteriâ Y. alios referens, Suarius sect. illâ 2. numero 4. nam cap. *Nuper*, & c. vltimo de *bigamis*, vbi de his fit aliqua mentio, solùm agitur de Clerico in Sacris ducente vxorem, qui ante Clericatum fuerat coniugatus, & talis pronuntiatur repellendus ab Ordine, tanquam bigamus, quamuis re verâ bigamus non sit; neque in eo cernatur defectus Sacramenti sed intentio tantùm opere subsequuto: nullibi autem mentio fit de Laicis. Vnde non licet in materiâ odiosa & strictè interpretandâ extensionem facere, & mihi etiam placet fundamentum, quo vsus est Sanchez eam scilicet bigamiam interpretatiuam, & Irregularitatem inde prouenientem ratione culpæ introductam esse. Vnde valde credibile est Innocentium. III. sic respondentem specialiter punire voluisse Clericorum temeritatem; nec enim dicit esse Irregulares propter defectum Sacramenti; sed propter prauam intentionem cū opere sequuto, sicuti etiam *infamia notatur* (inquit ille) *qui duas simul vxores habet*, & Presbyter punitur, *qui non legalibus nuptijs detinetur*. Ideò optimè notauit Layman satis colligi ex Textu non fuisse propositum Innocentio nouū aliquod Ius introducere; sed, quòd antiquis Canonibus conforme esset, decernere. Quod autem Matrimonium inualidè contractum, siue cum alterâ vxore, siue cum vtraque, siue cum viduâ Irregularitatem, tanquam ex bigamia, inducat, non est conforme Iuri; nam iuxta *Primum Prædictas Irregul. non esse Iure Canonico satis expressas.*

Regulam 52. de *Regulis Iuris* in 6. non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.

Secundum. 315. Secundum videtur dicendum supposità communi Doctorum sententiâ, quod Irregularitas, tanquam ex Bigamiâ, contrahatur, si laicus post primum Matrimonium aliam, seu priore viuente seu mortuâ seriò, & non simulatè ducat conscius impedimenti, eam sententiam in praxi sequendam esse; nam licèt ea Irregularitas non sit Iure scripto expressa, generali tamen Ecclesiæ consuetudine Doctorumque consensu introduci potest; & vim obtinere; nomine enim Iuris non solùm intelligi debet Ius scriptum; sed etiam consuetudo Ecclesiastica, vt communis sensus Ecclesiæ, quando iam habet vim legis. Quæ doctrina à Laymano tradita satis probabilis est, qui rectò etiam manet in alijs casibus, quando Iure scripto non est expressa Irregularitas; sed controuersia est, & dubium inter Doctores non esse timendam in praxi Irregularitatem.

Bigamia similitudinaria. 316. Similitudinaria tandem bigamia tunc solet contingere quando quis post professionem in Religione, & votum Castitatis ibi emissum, vel (vt alij volunt) etiam in susceptione Sacrorum ordinum, vbi votum Castitatis emutitur Matrimonium celebrat vtique inualidum cum aliquâ, siue virgine, siue corruptâ eamq; carnaliter cognoscit; hic enim bigamus habetur cum post fidem Christo datam eam, quasi irritam faciens cum muliere matrimonialiter se coniungat, ideòque Irregularis censetur. Ita colligunt Doctores quos refert Sanchez lib. 7. disp. 85. n. 8, ex c. *Quotquot* 27. q. 1. & ex citato c. *Nuper* de *Bigamis*, Tamen, vt Henriquez notauit lib. 12. c. 6. n. 10. in Comment. literâ *H.* ibi sermo esse videtur de virginibus Deo sacratis, quæ si post Christum, cui se spiritualiter desponsarunt, altari viro carnali nubant, δίγαμοι, quasi Bigamæ & adulteræ habentur, nulla tamen ibi mentio fit de Irregularitate. Communis autem Doctorum sententia praxique ac traditio Ecclesiæ, quæ est optima Canonum antiquorum interpres testatur Religiosos ob Matrimonium illegitimè contractum & consummatum irregularitatem incurrere; quia adstrictus voto solemni censetur spirituali quodam Matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesiæ: ergo si velit carnaliter cum alio coniungi per Matrimonium censetur duo celebrare Matrimonia, non quidem vera; sed similitudinaria, talem autem Bigamiam, seu Irregularitatem inde prouenientem non agnoscunt Doctores, aut Ecclesiæ praxis in eo qui susceptis Minoribus Ordinibus, aut tantùm omisso voto simplici Castitatis contrahit, & consummat Matrimonium cum virgine, neque eam colligunt ex Iure. Ita Sanchez disp. illâ 85. n. 11. Vgolinus suprà §. 3. n. 4. Nauarrus & Sayrus suprà, imò graues Authores (& quidem satis probabiliter) putant per votum Castitatis in ordine Sacro non induci eam Bigamiam; sed doctrinam traditam tantum locum habere in voto solemni Castitatis Religiosi. Ita Suarius disp. illâ 49. sect. 4. Filiucius c. 4. quæsito 9. n. 121. Abbas in c. Nuper de Bigamis, & alij apud citatos satisque videtur significare Layman dùm in hac Irregularitate, seu Bigamia similitudinariâ solùm meminit voti solemnis professionis in Religione. Notat uerò suprà numero 6. Cum Suario suprà sect. 6. num. 7. & in fine, & Auila p. 7. disp. 8. dub. 4. hanc Irregularitatem esse dispensabilem ab Episcopo, vel à Prælatu Ordinis exempto. Posteà verò idem Layman disputans de Clerico in Sacris, & concedens Clericum in Sacris esse Irregularem, si vxorem viduam ducat, vel si ante Clericatum coniugatus fuerat, & posteà quamcumque ducat iuxta c. *Nuper* & c. vltimo de *Bigamis* asserit nihilominus, si Clericus in Sacris, qui antea vxorem non habuerat, contrahat Matrimonium cum virgine, Irregularem quidem fieri; sed non Bigamia similitudinariâ. Priorem ait esse communem sententiam, & apertè sumi ex c. 1. *Qui Clerici vel vouentes*, & c. *Sanè Sacerdotes* de *Clericis coniugatis*. Quibus in locis adiungitur Episcopum cum tali, si post longam Pœnitentiam, & laudabilem vitam continens fuerit, dispensare posse, vt officio restituatur, imò etiam ad superiorem Ordinem ascendat. Quod etiam de Religioso intelligi debet; nam hæ duæ Irregularitates (inquit Layman) ex contracto Matrimonio, & à Clerico in Sacris æquiparantur. Posteriorem verò partem probat ex eo, quòd in titulis Decretalium, quibus de Matrimonio à Clericis intelligitimè contracto agitur, nulla vnquam Bigamiæ mentio fit. Accidit quòd Innocentius III. in citato c. *Nuper*, & cap. vltimo agens de Bigamia, in quâ nullus etiam est Sacramenti defectus, ait nihilominus in eâ dispensare non esse licitum. Cùm ergo in Irregularitate contracti Matrimonij à Clerico in Sacris, qui anteà coniugatus non fuerat, liceat Episcopo dispensare sequitur hanc Irregularitatem non esse Bigamiæ similitudinariæ. Quæ doctrina probabilis etiam est, & Iuri scripto valde conformis; quamuis absolutè propter aliorum authoritatem probabile putem per votum Castitatis in Ordine Sacro non induci Bigamiam modo initiatus contrahat cum virgine, vt citati Authores dixerunt.

Religiosi ab matrimonium illegitimè contractum & consummatum Irregularitatem incurrunt.

317. Habemus ex dictis non solum ex verâ; sed interpretatiuâ, & ex similitudinariâ Bigamiâ contrahi Irregularitatem & consequenter inhabilitatem ad Ordines & beneficia, vt patet ex cap. 1. 2. & 3. de *Bigamis*, & ex Tridentino sess. 23. cap. 17. de *Reformatione*, tùm propter defectum significationis iam explicatæ, tùm, quia, Bigamus difficile potest alij Castitatem persuadere, & continentiam, quam habere debent, & in eâ prælucere Sacris Ordinibus initiati iuxta cap. *Vna* dist. 26. Bigamia verò signum est continentiæ, vt notant communiter Doctores ex cap. *Proposuisti* dist. 82. *Ex dictis colligo non tantum ex vera sed etiam ex interpretatiua similitudinaria Bigamia contrahi Irregularitatem. Ratio.*

318. Habemus etiam ad Bigamiam duo requiri primum, vt Matrimonium cum duabus contrahatur, aut verè, aut interpretatiuè, aut similitudinariè. Secundum, quod sit copula actualis; nam Matrimonium ratum significat prædictam Christi coniunctionem cum Ecclesiâ, & Bigamia, seu Irregularitas propter ipsam inducta est, quatenus Matrimonium con- *Collige 2. ad Bigamiam, duo requiri.*

consummatum cum duabus non perfectè significat vnionem verbi cum Ecclesiâ per incarnationem.

Colligi 3. 319. Habemus vlterius multiplicationem Matrimonij rati non consummati non inducere Bigamiam, ac proinde non esse Bigamum, aut Irregularem, qui contraxit cum vnâ eâque mortuâ ante consummationem iterum contraxit cum virgine, & consummauit, vt patet ex citato c. *Debitum* sicut neque qui duxit ductam ab alio iam mortuo, sed non cognitam c. vltimo dist. 34. deficit enim carnis commixtio. Tunc autem dicitur Matrimonium consummatum, quando fœmina recepit semen intra vas debitum, vt explicabitur in proprio Tractatu de *Matrimonio*. Ita Sanchez suprà disp. 83. Toletus lib. 1. c. 61. & 62. & alij plerique.

Ex dictis Infertur 1. 320. Ex dictis infertur primò multiplicitatem sponsalium, etiamsi fortè interuenerit copulâ, non inducere Irregularitatem quia sponsalia cum eâ copulâ non significant coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per incarnationem sicut Matrimonium consummatum, vt notauit Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. puncto 5.

Infertur 2. 321. Infertur 2. nec plures fornicationes, neque adulteria ex parte viri inducere Bigamiam, cùm sola copula matrimonialis cum ijs, cum quibus contraxit Matrimonium sufficiat illam inducere; Matrimonium enim consummatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ; non fornicatio iuxta c. *Acutius* dist. 26. Vnde non erit Bigamus, qui post plures fornicationes etiam cum viduis, aut corruptis contraxit & consummauit Matrimonium cum vnicâ virgine, vt constat ex c. *Quia circa*, de Bigamis. Vnde Presbyter, qui plures concubinas habuit, non ligatur Irregularitate ex Bigamia.

Dubium cur Ecclesia statuerit esse Bigamum &c. 322. Dubitari meritò potest hoc loco cur Ecclesia statuerit esse Bigamum, vel Irregularem, qui contraxit cum fœminâ ab alio cognitâ licitè, vel illicitè; non verò, qui contraxit Matrimonium cum virgine, quantumuis ille sæpè fornicatus fuerit cum alijs?

Suarius aliique assignant rationem. 323. Hac de re Suarius sect. 3. numero 9. Vgolinus suprà Sayrus cap. 4. numero 13. Filiucius numero 117. omissis alijs rationibus, dicunt id factum fuisse; quia defectus virginitatis in sponsâ maior est indecentia, & vir tenetur, & potest facile illam vitare, estque quædam infamia ducere ab alio cognitam extra Matrimonium. Quæ omnia cessant; quando corruptio præcessit ex parte viri, & cùm valde difficile sit virò Virginitatem seruare ante Matrimonium noluit Ecclesia ad hoc obligare omnes ordinandos, nec difficile reddere Matrimonium cuiuscumque hominis priùs incontinentis: hoc autem sequeretur, si per illud quis fieret Irregularis. Omitto alias rationes minoris momenti, aut nimis metaphysicas; sed neque ratio illata habet, nisi quemdem congruentiam; neque enim ignominiosum est contrahere cum honestâ, neque indecens, & tamen, qui contraxit cum viduâ cognitâ a præcedenti viro, fit Irregularis. Vnde

Authoris Ratio. ego dicerem causam esse; quia defectus corruptionis signatus manet in carne fœminæ, non in carne viri; atque adeò; nisi in viro præcesserit alter contractus Matrimonij consummatus, non reperitur defectus significationis coniunctionis Christi cū Ecclesiâ vnicâ; in fœminâ verò, in quâ moraliter loquendo censetur manere vestigium præcedentis coniunctionis potest reperiri causa defectus significationis in Sacramento Matrimonij cum illâ consummato; quia vir illam sibi copulans censetur copulari cum eâ, in quâ erat vestigium copulæ cum altero; atque adeò illud Matrimonium consummatum non perfectè significat coniunctionem Ecclesiæ cum vnico tantùm sponso Christo. Vnde mirum non est quod potiùs hoc genus Irregularitatis ex defectu significationis in Sacramento sumatur ex parte incontinentiæ fœminæ quàm ex parte incontinentiæ viri.

324. Infertur 3. ad Irregularitatem Bigamiæ non sufficere copulam nefandam, siue illam habuerit vir cum aliâ vxore, quam solum sic nefariè cognouit, siue illa, cum quâ contrahit, sic cognita fuerit ab alijs; quia hæc copula non significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, neque impedit perfectam significationem quæ est in copulâ matrimoniali, seu Matrimonio consummato, neque ex vllo titulo apparet hanc esse Bigamiam. Ita Vgolinus suprà §. 1. num. 5. Sanchez disp. illa 83. num. 7 & alij. *Infertur 3.*

Infertur 4. esse bigamum, & Irregularem, qui carnaliter cognouit suam vxorem, postquā ipsa credens virum esse mortuum, bonâ fide cōtraxit, & consummauit Matrimonium cum alio; iam enim vir accedit ad vxorem suam cognitam ab alio, & non attenditur culpa fœminæ; sed defectus significationis consurgens ex eo, quòd caro fœminæ pluribus communicata fuerit. Ita Nauarrus c. 27, n. 195. Filiucius n. 107. Toletus c. 61. n 7. & alij apud Sayrum c. 4. n. 19. & apud Garziam, quem refert, & sequitur Bonacina suprà puncto 5, n. 11. *Infertur 4.*

326. Habemus tandem ex dictis infidelem etiam non Baptizatum, qui in infidelitate sæpius contraxit, esse bigamum & Irregularem susceptō Baptismo, nam bigamia non tollitur per Baptismum, Baptismus enim tollit quędam delicta, quoad culpam, vel etiam, quoad pœnam: non verò tollit coniugia, ac proinde nec Bigamiam ex coniugio prouenientem. Ita Rebellus suprà qui testatur de communi sententiâ, Suarius, Filiucius, Reginaldus paulò post citandi. *Infertur 5. quoad Infidelem,*

327. Quod si obijcias infidelem non subdi legibus Ecclesiæ: ergo non incurrit Bigamiam, & Irregularitatem ab Ecclesiâ impositam. *Objicies 1.*

328. Respondet Filiucius numero 102. Reginaldus lib. 30. Tract. 2. numero 90. Bigamiam non cadere super Infidelem tempore Infidelitatis; sed super ipsum Baptizatum; nam Ecclesia hunc facit Irregularem ob iudicium incontinentiæ & quòd contraxerit bis Matrimonium, vel ob indecentiam, eo quòd contraxerit cum corruptâ extra Matrimonium. Legatur Sanchez lib. 7. disq. 83, num. 8. & 9. Suarius sect. 6. numero. 10. *Resp.*

329. Quod si secundò obijcias Infidelis occidens alium tempore Infidelitatis ante Baptismum nōn est Irregularis non solùm pro tempore Infidelitatis, sed non post Baptismum: ergo nec Bigamus. *Objicies 2.*

credere matri asserenti filium esse illegitimum?

Resp. 236. Hæc de re ex instituto latius in Tract. de Matrimonio solet disputari; nihilominus, quantum ad præsens dicimus, nisi fortè tam efficacibus argumentis id probet, vt dubitari non possit, moraliter loquendo non teneri credere, etiamsi mater cum iuramento, vel in mortis articulo id affirmat. Quod sentiunt plurimi Authores ibi referendi, & in hac materia docent Suarius disp. 50. sect. 4. n. 5. vbi quam plures alios Authores refert; item Filiucius n. 144. Reginald. n. 78..

Illegitimus per subsequens matrimonium fit legitimus &c. 237. Vtrum autem illegitimus fiat legitimus per subsequens Matrimonium? etiam in eius Tractatu disputari solet; interim tamen assero fieri legitimum, adeòque habilem non solùm ad successionem hæreditariam & dignitates sæculares; sed etiam ad Ecclesiasticas, & ad Ordines excepto Cardinalatu, vt patet ex Motu proprio Sixto V. quam refert, Sayrus suprà n. 14 & Garz. de Beneficijs 7. p. c. 1. n. 28. cum pluribus, quos refert. *Ratio est.* Fundamentum est; quia Matrimonium subsequens purgat omnia præcedentia, dummodò parentes (vt suprà dicebam) tempore vel natiuitatis, vel conceptionis habiles essent ad contrahendum Matrimonium id est nullum haberent impedimentum dirimens. Quod si tale impedimentum tunc esset, non tolleretur illegitimitas, & inhabilitas ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas iuxta c. *Tanta qui filij sint legitimi.* Ita Sanchez lib. 8. de *Matrimonio* disp. 7. n. 19. Suarius suprà sect. 1. Henriq. lib. 13. c. 20. n. 4. Saytus suprà n. 15. Reginald. n. 79. Couarr. de *Matrimonio* p. 2. cap. 8. §. 2. Filiucius numero 131. & ex parte Garz. suprà numero 38. Maiol. de Irregularit. lib. 5. cap. 4. numero 14. Conine, Auila, & alij suprà. Non desunt tamen multi Authores, qui solùm putant fieri legitimos, quando parentes habiles erant ad contrahendum tempore Natiuitatis. In quo consentiunt Suarius, Garz. Maiolus & Filiucius suprà. Probabiliùs tamen sentio, quod dixi cum Sanchez & alijs, cum propter fauorem Matrimonij, tùm; quia nullus est Textus in contrarium. Quamuis autem Suarius num. 11. & Filiucius num. 132. cum Couar. suprà, & alijs putant solùm fieri legitimum per subsequens Matrimonium verum, & validum, non verò per inualidum existimatum verum; philosophandum nihilominus puto iuxta supra dicta in hac dubitatione, de eo, qui natus est ex Matrimonio inualido existimato bonâ fide validè. Vnde, nisi subsequens Matrimonium fit clandestinum, dommodò bona fide contractum fuerit; sufficiet ad reddendum legitimum filium. Ita Bonacina disp. 7. p. 2. puncto 2. num. 6. in fine.

Ex dictis infertur 1. 238. Ex dictis infertur fieri Legitimum filium, quem quis solutus ex Mariâ solutâ genuit, & post ipsum genitum Annam duxit, Anna verò mortuâ, duxit Mariam, etiamsi Matrimonium non consummetur. Ratio est; quia parentes tempore conceptionis filij erant habiles ad Matrimonium inter se, & postea illud validè contraxerunt. Ita Panormitanus in cap. *Tanta* citatum Bonacina suprà numero 7. Sayrus suprà numero 19.

239. An verò filij legitimi nati ex Annâ antequam Maria duceretur, censendi sint Maiores natu, quantùm ad hæreditatem aut maioratum, si quis est, etiamsi etate sint minores? non est huius loci disputare. Obiter dico, nisi *Nota.* lex, aut consuetudo in contrarium obstet, illos censendos esse maiores natu, quoad statum legitimæ filiationis, verissimum enim est prius fuisse Legitimos filios, quàm illum, qui priùs natus erat non legitimus. Sed de hoc alibi.

240. Infertur 2. censeri filium legitimum *Infertur* 2. per subsequens Matrimonium, & liberari ab Irregularitate, etiamsi Matrimonium sequatur postquàm talis filius naturalis promotus fuerit ad ordines. Nam filius Naturalis fit Legitimus per subsequens Matrimonium, & consequenter definit esse Irregularis, cessante scilicet causâ Irregularitatis. Ita Sayrus suprà num. 30. Conine disp. 18. dub. 12. n. 105. Bonacina suprà n. 8. & alij contra Maiolum.

241. Infertur 3. filium natum post Ma- *Infertur.* trimonium ratum non consummatum, quando scilicet ante consummationem alter parentum emisit professionem solemnem in Religione approbatâ non esse legitimum; sed Irregularem; quia tale Matrimonium fuit dissolutum per professionem, vt patet ex Tridentino sess. 24. cap. 6. & dicemus in Tract. de *Matrimonio*, & suo loco etiam dicemus an, quando Pater factus est sacerdos vel Religiosus professus de consensu vxoris, illamq; postea carnaliter cognoscit, filius inde natus sit illegitimus, & Irregularis? Interim affirmo ex cap. *literas de filijs Presbyterorum.* Vbi Irregularis censetur. Ita Suarius sect. 2. numero 4. Sanchez lib. 9. de *Matrimonio* disp. 38. Sayrus lib. 6. cap. 10. numero 41. Filiucius numero 136. Tolet. & alij suprà.

242. Assero 2. mortale peccatum est illegitimum recipere Ordines absque dispensatione. *Assertio* 2. *mortale est illegitimum recipere ordines absque dispensatione.* Ratio est; quia in contrarium est prohibitio Ecclesiæ in re graui ex quo etiam constat mortale peccatum esse exercere absque dispensatione ordines sic susceptos. *Ratio est.* Ita Auila suprà, Nauarrus, Toletus & alij apud Sayrum numero 38.

243. Nullam tamen (quod sciam) pœnam *Pœnam tamen nullam incurrit.* nullam incurrit; nulla enim est, quam viderim, Iure expressa. Ratione quidem Irregularitatis propter illegitimitatem repellitur non solùm ab ordine suscipiendo; sed ab exercitio suscepti. At, quamuis exerceat susceptum, & peccet mortaliter, non incurrit nouam Irregularitatem, vt rectè Nauarrus cap. 27. numero 96. Sayrus suprà & alij multi contra Maiolum lib. 1. cap. 2. num. 8. qui putat nouam Irregularitatem succurrere celebrando, sine idoneo tamé fundamento cum ea Irregularitas non est Iure expressa.

244. Assero 3. Irregularitas ex illegitimitate *Assertio* 3. *Irregularitas ex illegitimitate potest tribus modis auferri.* potest auferri tribus modis, primò, quantum ad Ordines auferri potest per professionem, post quam manet habilis ad illos. Dixi *Quantum ad Ordines*; neque enim fit habilis ad Prælaturam *Primò.* siue sit Religiosus, siue Monialis. Ita Nauarrus n. 207. Vgolinus suprà 5. Suarius suprà sect. 5.

5. Ter-

§. *Tertius modus.* Sayrus cap. 11. numero 3. Filiucius numero 153. Bonacina suprà numero 14. & alij.

Secundo, aufertur per legitimationem factam à Papâ.

245 Secundo modo aufertur per legitimationem factam à Papâ. Vnde sic legitimatus habilis est ad beneficia, ad dignitates, & alia omnia, ad quæ se extendit potestas legitimatis, quatenus fieri potest citra præiudicium alterius iuxta cap *Venerabilem. Qui filij sint legitimi.* Vbi habetur Legitimatum à Papâ extra patrimonium, seu territorium Diui Petri non censeri factum idoneum, & habilem ad dignitates sæculares, & ad hæreditatem. Quâ de re legi potest Couarrub. Sayrus, Suarius, & alij mox citandi.

Discrimen inter legitimationem & dispensationem.

246 Aduertendum verò est longè diuersam esse dispensationem à legitimatione: nam illegitimus per legitimationem efficitur habilis ad omnia perinde, ac si reverà esset legitimus, cùm tamen per dispensationem solùm habilis fiat ad illum actum, ad quem dispensatur iuxta verba dispensationis; est enim dispensatio res odiosa, & strictè explicanda. Ideò dispensatus ad certũ quoddam beneficium tantùm illud potest obtinere ex vi illius dispensationis; & dispensatus ad beneficium curatum in communi potest relicto primo, consequi aliud, & aliud, cùm dispensatio fuerit generalis ad curata beneficia.

Legitimatus à Principe Seculari non est habilis ad beneficia & Ordines. Ratio.

247 Ex quo etiam apparet legitimatos à Comite Palatino, vel ab Imperatore, aut alio principe sæculari non esse habiles ad beneficia, vel Ordines; nam Comes Palatinus, aut Princeps Sæcularis, quamuis habeat potestatem legitimandi sibi subditos, quoad honores, & officia sæcularia, illam non habet, quoad Ecclesiastica beneficia, dignitates, vel Ordines. Legatur Couarrub. 2.p.c.8.§.8. Maiol. lib. 1. cap. 8. numero 5. Sayrus lib.6.cap.11.numero 15. Vgolinus suprà §.3.&.4. Suarius sect. illa 5.num. 7. Filiucius num. 149. Reginald. num. 72.

Tertiò aufertur per Dispensationem.

248 Tertius modus tollendæ Irregularitatis est per dispensationem; nam sicut Irregularitas inducta est lege Superioris, ita ab ipso Superiore potest per dispensationem auferri.

229 Verùm vt nuper dicebam, dispensatio strictè interpretanda est. Quapropter, qui dispensatur ad Ordines, non eo ipso censetur dispensari ad beneficium, sicut nec dispensatus ad certum Ordinem, censetur ad Superiorem ordinem dispensatus, sed ad illum, qui fuit expressus, & ad inferiores, sine quibus recipi non potest.

Dispensatio data ad beneficium simpliciter non censetur data ad Curatũ, &c.

250 Item dispensatus ad beneficium simpliciter, non censetur dispensatus ad Curatum, sicut & dispensatus ad dignitates Ecclesiasticas non censetur dispensatus ad Episcopatum. Ita Sanchez & Sayrus suprà, Couarrub. p. 2.c.8.§. 8. Maiolus suprà cap. 8. Filiucius, numero 151. Reginald. numero 75 & alij multi, quos Deo dante, referemus in Tract. de Legibus agentes de dispensationibus, vbi ostendemus dispensationem strictè esse accipiendam, cùm sit odium Iuris.

Non potest Episcopus dispensare cum illegitimo ad maiores Ordines.

251 Aduertendum prætereà est Episcopum non posse dispensare cum illegitimo ad maiores Ordines, & ad dignitatem, beneficiumue securatum; posse verò dispensare ad Ordines minores, ad vnumque beneficium simplex non requirens Ordinem Sacrum, qualem requirit Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, cap. 1. *de filijs Presbyterorum*, in 6. vbi talis potestas conceditur Episcopis respectu omnium illegitimorum; quia indefinitè dicitur *is, qui defectum patitur natalium*, id quod ibi notat Glossa, & omnes, vt testatur Suarius, quem sequuntur alij. & legi potest Vgolinus suprà, & Suar. ipse sect. 5. Filiucius numero 152. Sayrus suprà, & alij citati. Ibi etiam expressè negatur Episcopum posse dispensare in superioribus Ordinibus; sed solùm Papam.

Aliqui excipiunt.

252 Aliqui verò teste Suario excipiunt illegitimos Canonicè tantùm, & non naturaliter, nam cum illis putant posse dispensare Episcopum ad Ordines Sacros ex c. *Litteras. de filijs Presbyterorum*, nam per illa verba *permittimus ordinari* putant permitti Episcopo, vt possit dispensare; & iuuant ad hoc illa verba *si alias dignus inuentus fuerit.* Ita Ioannes Andreas ad eum Textum.

Dispensatio indefinitè concessa restringuntur.

253 Verùm, præter quam quod ea verba multi intelligunt de solis minoribus Ordinibus cum Glossâ ibi communiter receptâ per Abbatem & alios, quia dispensatio est odiosa, & ideò indefinitè concessa restringitur, & quando concessio largior est, solet addi distinctio *ad omnes*, vel *ad Sacros Ordines*, vt in cap. 1. & 2. *de filijs Presbyterorum*, in 6. & quæ ibi notantur; adhuc in dicto c. *Litteras* non concedit potestatem dispensandi, nullum enim est verbum, quod dispensationem sonet conferendam ab Episcopo; sed ipse Pontifex dispensat, vt notauit Suarius disp. illâ 50. sect. 2. numero 5. atque adeò talis exceptio non placet, imò in illo c. *Litteras.* potiùs significatur neque in minoribus posse Episcopum dispensare cum Papa ibi illam concedat. Vnde in nono Iure scilicet in 6. De Decretalium Episcopo conceditur pro minoribus, quamuis hoc non satis probet Episcopum, etiam tunc non potuisse concedere; solùm enim in eo casu dispensauit Pontifex, non, quia Episcopus non posset, sed, vt aliquid concederet, etiamsi illud potuisset Episcopus, vt indicat Glossa in c. 1. *de filijs Presbyterorum*, in 6. & notauit Suarius suprà sect. 5. numero 2. in fine

Addunt aliqui posse Episcopum dispensare &c.

254 Addunt etiam aliqui posse Episcopum dispensare super illegitimitate prouenientе ex delicto occultò, id enim videtur colligi ex cap. *nisi cum pridem de renuntiatione*, & ex Tridentino sess. 24. c. 6. *de reformatione* vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in Irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto. Hæc autem Irregularitas intrinsecè prouenit ex delicto parentum: ergo si hoc sit occultum poterit in eâ dispensare Episcopus. Ita Auila p.7. disp. 3. dub. 7. extenditque illa verba citati Textus *si tamen & culpa lateat*, putatque insinuari ab Henriq. suprà numero 10. post litteram, L. quamuis cap. 20. numero 2. solùm videatur dicere quod dispensat, vt ministret in susceptis.

Objicies 1.

255. Quod si obijcias eam Irregularitatem non solùm prouenire ex delicto occulto; sed etiam ex defectu in ipso illegitimo. Episcopum verò non posse dispensare in Irregularitate prouenientе ex defectu; respondet idem Auila hanc Irregularitatem, licèt caussetur in homine quen-

Resp.

dam defectum, intrinsecè tamen dependere à crimine parentum, ac proinde, si huiusmodi crimen sit occultum, comprehendi eam Irregularitatem sub decreto Concilij. Confirmat; quia ratio, quæ mouit Concilium ad concedendam hanc facultatem dispensandi in casibus occultis fuit ad euitanda multa animarum pericula, & scandala, quæ sequerentur ex detectione occultorum criminum, quæ omnia etiā sequerentur, si necessarium esset in Irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis recurrere ad Sedem Apostolicam; quæ ratio locum habet in præsenti casu. Probat vlterius, nā licèt dispensatio, postquam concessa est in particulari casu, odiosa sit, & strictè interpretanda: potestas dispensandi fauorabilis est, & latissimè interpretanda, cap. finali de *Simonia*, & notant ibi Panormitanus & Fœlinus numero 7. Syluest. verb. *dispensatio* q. 5. Nauarrus consil. 4. de *Regulrib.* numero 15. in fine. Couarrub. p. 2. c. 8. §. 8. numero 6. Beneficium enim Principis, quando non est in damnum tertij latissimè est interpretandum. cap. *Olim.* de *verb. signif.* hæc autem potestas quoddam beneficium est indultum à Concilio: ergo, &c.

Confir.

potestas dispensandi fauorabilis est & latissimè interpretanda.

Objicies 2

256 Quod si adhuc obijcias, potiùs esse priuilegium, quod, cùm sit contra Ius, vel saltem præter Ius, strictè est interpretandum, c. *cum dilectus de consuetud.* Respondet idem Auila negando esse propriè, & rigore priuilegium, tùm; quia Episcopus stando in Iure diuino potest dispensare in omnibus Irregularitatibus, tùm; quia nullo Iure prohibitum est, quod Papa non possit facultatem suam dispensandi alijs delegare. Vnde Couarrub. loco citato ex hac doctrinā probat facultatem ad legitimandum extendendam esse, & latè interpretandam. Hæc Auilæ sententia probabilissima est, & acutè simul, ac doctè confirmata, & probabilem putat Laym. suprà c. illo 5. num. 2.

Resp. Auila.

Sententiam Auilę probabilissimā indicat Auctor.

257 Plerique nihilominus putant non posse Episcopum in hac Irregularitate dispensare (quantumuis occultum sit delictum Parentum) ad maiores Ordines, tum, quia hæc Irregularitas connumeratur communiter ab omnibus Doctoribus inter Irregularitates ex defectu, Tridentinum autem non concessit facultatem, Episcopis dispensandi in Irregularitatibus prouenientibus ex defectu; sed ex proprio delicto occulto; illa enim censetur propriè Irregularitas ex delicto, quæ prouenit ex propriè delicto. Ita Suarius sect. illā, 5. numero 5. vbi rigidè nimis appellat oppositam sententiam in probabilem, & torquere sensum Concilii, verborumque sensu abuti; quia, nimirum, Irregularitas ex delicto non vocatur; nisi ea, quę prouenit ex proprio crimine ipsius Irregularis. Ita etiam Nauarrus cap. 27. numero 194. Vgolin. suprà §. 2. num. 4. Layman suprà, & alij, & probari potest ad hominem; quia secundum ipsum Auilam illegitimus recipiens Ordines suspensus est ab ipsorum exequutione, & ea suspensio secundum ipsum Auctorem non est ex delicto; sed ex defectu; ergo etiam Irregularitas est ex defectu; atque adeò Episcopus non potest in eo dispensare. Hæc sententia videtur magis Iuri conformis; atque adeò, communis cùm sit, in praxi sequenda.

Plerique censent non posse Episcopum dispensare in hac Irregul.

Hanc sententiam magis esse Iuri conformem ait Auctor.

258 Nimius tamen rigor est velle oppositam improbabilitatis insimulare, cum rationes allatæ probabilem illam reddant. Et quamuis illa Irregularitas sit ex defectu, ita prouenit ex delicto, vt si non sit delictum, non sit defectus ille, vt videre est, in casu, quo Parentes bonâ fide genuerunt filium, tunc enim Irregularis non est; quia, quamuis re ipsâ non sint legitimi parentes, cessante delicto, cessat defectus Canonicus, & legalis: ergo benè possumus dicere illam Irregularitatem prouenire ex delicto; atque adeò non est torquere sensum Concilij, nec abuti verborum sensu illam Irregularitatem appellare prouenientem ex delicto, à quo dependet, etiamsi non sit proprium ipsius Irregularis, atque adeò non videtur improbabile sic interpretari verba Concilij. Verum quidem est ipsam Irregularitatem fundari proximè in defectu illius illegitimi; sed in defectu intrinsecè dependente à delicto, à quo prouenit, atque adeo non obstat defectus, quando est defectus intrinsecè proueniens à delicto.

259 In quo apparet magnum discrimen inter hanc Irregularitatem, & Irregularitatem prouenientem ex homicidio; nam, si quis haberet concessam à Pontifice facultatem dispensandi in omni Irregularitate proueniente ex delicto, adhuc posset dici non posse dispensare in Irregularitate proueniente ex Homicidio maximè propriâ manu patrato; nam huiusmodi occisio hominis non solùm inducit Irregularitatem, tanquam pœnam delicti; sed etiam ex defectu lenitatis, qui defectus potest reperiri in occisione alioquin iustâ atque adeò talis defectus separari à delicto. Defectus autem natalium sufficiens ad inducendam Irregularitatem reperiri non potest, neque Irregularitas ex illo prouenire; nisi in casu, quo parentes in generatione filij delictum committant; atque adeò Irregularitas & defectus ille natalium semper debet prouenire à delicto.

magnum discrimen inter hanc Irregul: & illam quæ prouenit ex homicidio.

260 Quæret tandem aliquis, quid nomine Episcopi intelligatur? an scilicet Episcopus consecratus, vel solùm electus, & confirmatus sufficiat?

Quæres Quis hic nomine Episcopi intelligatur.

Resp.

261 Respondeo iuxta doctrinam in simili suprà traditā disp. 3. dub. 3. & sequenti habendā esse rationem iurisdictionis potiùs, quàm Ordinis. Ita Suarius sect. 5. numero 6. atque adeò sufficit electus, & confirmatus iuxta c. *Transmissam. de elect.* idemque indicium est de inferioribus Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem, vt eum Nauarro & alijs docet idem Suarius, & diximus loco citato.

DVBITATIO X.

De Irregularitate ex defectu ætatis.

262 De hac Irregularitate præter dicta in præcedentibus generaliter, parum est, quod in particulari dicamus; constat enim defectum legitimæ ætatis inducere Irregularitatem ad Ordines, quamdiu talis defectus durat, & cessare cum primùm venitur ad legiti-

Ob defectū legitimæ ætatis fit quis Irregularis ad Ordines.

mam

mam ætatem pro tali Ordine requisitam. Colligitur hoc ex Canone primo dist. 50. & ex c. vltimo *de temporib. ordinat.* Verum autem suspensionem incurrat, qui Ordines Sacros præsumit recipere ante legitimam ætatem? constat ex dictis de Suspensione disp. 5. dub. 7. cap. 3. §. *Quarta suspensio.* & Tract. 6. de Ordine, disp. vnica dub. 21. vbi affirmatiuè respondimus propter Extrauag. Pij II. & alia Iura ibi citata.

263 An verò qui exercet functiones Sacri Ordinis nondùm adeptâ legitimâ ætate, fiat nouo titulo Irregularis ob violationem Suspensionis? non consentiunt Authores. Tenendum autem est, quod diximus eâdem dub. 7. cap. 3. §. *Notandum secundò*, vbi diximus sic suspensum incurrere Irregularitatem celebrando, vel exercendo Ordines dummodo adsit præsumptio, ibi legatur.

264 Quod autem talis Irregularitas ex defectu ætatis proueniens cesset adueniente termino ætatis, & non anteà; nisi dispensante Papâ constat ex dictis, & ex doctrina generali Irregularitatis prouenientis ex defectu, in quâ ordinariè, & generaliter loquendo non dispensat, nisi Papa, cessante autem defectu, eo ipso cessat Irregularitas, quæ à tali defectu dependebat, atque ita docent Nauarrus cap. 27. numero 165. & numero 202. Toletus lib. 1. cap. 5. Vgolinus cap. 45. §. 16. Filiucius Tract. 16. numero 175. Reginald. numero cito. & sequentibus Sayrus lib. 6. cap. 12. Graff. 1. p. *decis.* lib. 4. cap. 27. num. 22. & alij multi.

In Irregularitate ex defectu proueniente ordinariè solus Papa dispensat.

DVBITATIO. II.

De Irregularitate proueniente ex defectu libertatis, seu obligatione seruili, aut alijs obligationibus.

Varijs modis libertas ad Ordines admitti potest.

265 Varijs modis potest libertas ad Ordines amitti, primò propter coniugiū; secundò propter statum seruilem, seu mancipij tertiò propter obligationem ad ratiocinia: quartò, vt aliqui volunt, propter debitum pecuniarium, de quibus omnibus sigillatim nonnihil dicemus.

Assertio 1.

266 Assero 1. Vxorati censentur Irregulares: nam tales non admittuntur ad Ordines: quomodò autem hoc intelligendum sit, in Tract. de *Matrim.* disputabitur, quod non admittantur constat ex c. *Vxoratus. de Ordinatione coniugatorum.*

Assertio 2.

267 Assero 2. seruus, seu mancipium, cùm sui Iuris non sit, sed sub domini potestate constitutum, assumi non potest in Clerum, seu ordinari sine expresso vel tacito consensu Domini. Ita habetur in Canone 81. Apostolorum, & totâ dist. 54. & lib. 1. *de seruis non ordinandis.* Legatur Glossa ibi cap. 2. verbo *deponatur.* Idem docent Scholastici in 4. dist. 25. maximè S. Bonauentura art. 2. q. 4. Richard. art. 5. q. 1. Intelligendum autem est hoc de ijs seruis, qui omninò carent libertate, vt patet ex citato titulo de seruis non ordinandis. Ratio verò est indecentia, quæ apparet in eo, quòd homo tam vilis conditionis promoueatur, & euehatur ad Sacerdotalem dignitatem. Qui plura de hac re velit videre Legat Suarium disp. 51. sect. 4. Toletum lib. 1. cap. 55. Antonin. tit. 28. cap. 6. §. 6. Sayrum lib. 6. cap. 14. numero 3. Vgolinum cap. 57. Nauarrum cap. 27. numero 203. Maiolum lib. 1. cap. 36. Henriquez lib. 14. c. 8. numero 7. & Auilam p. 7. disp. 3. dub. vltimo. Laym. lib. 1. Tractatu 1 cap. 8. Filiucium Tract. 19. cap. 7. quæsito 5. Reginaldum. numero 63. Hic tamen nonnulla sunt aduertenda.

268 Aduertendum primò olim idem habere locum in liberis, particularium præsertim sæcularium personarum, vt scilicet Dominis eorum viuentibus, & inuitis non ordinarentur, vt habetur Canone vltimo dist. 54. adiuncto Canone *Cuicumq;* eâdem distinctione; nam olim liberi gratitudinis vinculo manebant obnoxij Dominis suis adeò, vt qui contra eos agerent, seu delinquerent in seruitutem iterum redigi possent. L. vltima. C. de *bonis libertorum*, & lib. 2. C. *de in Ius vocando*, iam verò hoc vltimum non videtur vsu receptum. *Notandū 1.*

269 Habemus ergo in primis seruos, quamdiu sunt serui, non posse ordinari tum propter rationem dictam Indecentiæ, tùm quia, qui ordinatur, ideò promouetur, vt operam nauet ministerio altaris & officijs Diuinis, quibus vix potest attendere seruus obligatus alioquin inseruire Domino suo.

Serui quādiu sunt serui non possunt ordinari. *Ratio.*

270 Aduertendum 2. Seruum ordinatum de consensu tacito, vel expresso Domini, illo, scilicet, sciente, & non contradicente, fieri libtum, & ingenuum c. *Si seruus sciente* dist. 54. Idem est, si de consensu Domini Tonsurâ initietur, nam in eo capite sermo est de seruo in Clerum ordinato, cooptatur autem, seu assumitur in Clerum per primam Tonsuram. Quod si Domino nesciente, aut contra dicente, ordinatus fuit in minoribus, potest adhuc Dominus illum sibi vendicare, & in seruum habere argumento cap. 2. de *Seruis non ordinandis*, & cap. 2. dist. 54. *Notandū 2.*

271 Quando verò absque Domini consensu initiatur Maioribus, tunc Seruus manebit quidem liber; sed ex proprio peculio oblato pretio, vel simili aliò seruo se ipsum redimere cogitatur cap. *Ex antiquis* citatâ dist. Quod si, neque hoc possit, in seruitutem à Domino intra anni spatium vendicari potest, nisi Sacerdos ordinatus sit; factus autem Sacerdos in spiritualibus officijs Domino ministrare tenetur, vt habetur c. *frequens* eâdem distinctione.

272 Si verò Dominus, postquam seruum ordinatum esse intellexit, integro anno dissimulet, censetur ei libertatem dedisse, vt habetur citato c. *Si seruus scienter.* Potest prætereà Dominus tali conditione libertatem, & facultatem concedere ad Ordines suscipiendos, vt ipsi in Spiritualibus officijs ministrare teneatur iuxta c. Nullus de seruis non ordinandis.

273 Episcopus verò, qui seruum ordinauit, vel inscio, vel contra dicente Domino duplicatum pretium soluere. cap. *Seruus absente*, iuncta Glossa ibidem dist. 54. tunc enim Dominus grauatur, vt seruum ita Ordinatum venundare cogatur. Quod si Episcopus bonâ fide ordinauit, tunc alij, qui seruum ad Ordines accipiendos

Dicendum de Episcopo seruum inscio vel inuito Domino ordinante.

piendos induxerant, simelem satisfactionem dupli præstare cuguntur c. *Si absente.* eàdem dist.

Dicta de seruo quoad Ordines suo modo locum habent in eodem Religionem ingrediente.

274 Quod dictum est de seruo, quantùm ad Ordines, suo modo locum habet in eodem ingrediente Religionem ignorante, aut contradicente Domino, id enim non licet; alioquin à Domino intra tempus Iure definitum repeti potest. Ita Nauarrus in Coment. de Regularibus numero 7. ex cap. 1. dist. 54. & cap. *si quis incognitus* 17. q. 2. Quâ de re legi potest Glossa ibidem, & Less. lib. 2. de *Iustitiâ* cap. 41. numero 31. Azor tomo 1. lib. 12 cap. 1. q. 3.

275. Notat etiam Layman suprà numero 3. quæ de seruis dicta sunt, locum habere in quibusdam seruis, qui serui originarij, vel adscriptij dicuntur (quorum multi sunt in Germaniâ, & Bohemiâ, vt audio) dummodò Dominis suis non tantùm ratione possessionem; sed etiam personaliter obligati sint, vt, nisi pretio soluto, vel gratis à Domino manu missi discedere non possint. Legatur cap. *Admittuntur.* citata dist. 54. quod desumptum est ex Leone Primò Epistola 1. ad omnes Episcopos.

276 Alij etiam Coloni, qui ratione possessionis, vel administrationis suæ Domino sunt obligati, non debent, nec possunt ordinari; antequam eiusmodi obligationibus libri sint; atq; administrationis suæ rationem reddiderint, vt apertè habetur in citato cap. *Admittuntur*, & cap. *Generalis*, eàdem dist. 54. quod est Gelatij Epistola 1. ad Episcopos Lucaniæ cap. 16.

Omnes obligati ad ratiocinia impediuntur ne Ordines recipiant.

277 Generaliter autem loquendo omnes obligati ad ratiocinia impediuntur, ne Ordines recipiant, vt habetur cap. vnico, *de obligatis ad ratiocinia*, & cap. 1. & 2. *Ne Clerici, vel, Monachi.* Quamuis autem in eo cap. vnico solùm in specie agatur de procuratoribus, actoribus, Curatoratoribus, seu Tutoribus pupillorum (nisi sint constituti in causâ pietatis, vel miserabilium personatum, vt notauit Glossa recepta in idem cap. vnicum) item de ijs, qui publicis officijs, vt Tabellionis, & similibus deputati sunt, vt non admittantur ad Ordinationem; nisi deposito munere; tamen eàdem ratione id ipsum intelligi debet de quibus suis, obligatis aliquo munere, quod ipsos minus expeditos reddat ad seruiendum Deo iuxta illud Apostoli, 2. *ad Thimot.* 2. *Nemo militans* Deo implicat se negotijs secularibus, vt obseruauit Suarius disp. 51. sect. 3. & ex ipso Layman. suprà num. 3.

278 Neque etiam deposito munere ordinari debent antequam redditis rationibus ab huiusmodi curis se expedeuerint.

279 Si tamen prædicti ordines recipiant, receptis vti possunt, vt patet ex citato cap. vnico, & ex citatis capitibus. 1. & 2. *Ne Clerici vel Monachi.*

280. Ex his patet prædictos solùm ad tempus impediri scilicet donec reddant ratiocinia, quibus redditis, & deposita ipsorum obligatione possunt promoueri ad Ordines. Secus vero præsumuntur ad Ecclesiam confugere non affectu seruiendi Deo, sed intentione effugiendi ratiocinia.

Qui nam ad ratiocinia tenentur

281 Illi autem generaliter loquendo censentur ad ratiocinia obligati qui tenentur reddere rationem administrationis publicæ vel priuatæ, vt qui debent reddere rationem muneris Thesaurarij aut depositarij æris publici, itẽ Aduocati, Magistratus, Iudices, &c. Priuatæ verò administrationis rationem reddere tenentur, vt dictum est, qui egerunt administrationem alicuius personæ sæcularis non miserabilis, vt sũt Tutores, Curatores procuratores, qui non debẽt admitti nisi finito officio iuxta citata, capita 1. & 2. *Ne Clerici vel Monachi.* Illi verò, qui administrationem gerunt personæ Ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium; vt viduarum, pupillorum, causarum piarum &c. non impediuntur, vt significabam, & habetur, cap. *peruenit* dist. 86. alijsque Iuribus citatis, sicut nec impediuntur, qui ita administrant, vt non teneantur ex aliquo contractu reddere rationem, &, qui sunt obligati absque vllâ administratione reddere rationem ex aliquo contractu, vt ex contractu emptionis, depositi, conducti, mutui &c. nisi fortè ante promotionem, vel in ipsâ promotione mota sit eis lis de dolo, àut perfidiâ; tunc enim promoueri non debent ante finitam litem. Ita Sayrus cap. 14. numero 8. Suarius disp. 51. sect. 3. Filiucius numero 198. Reginald. numero 66. & alij communiter.

282 Quod si post redditas rationes debito pecuniario obstricti permaneant, non sunt ab Ordinibus excludendi maximè, si de solutione debiti idoneam cautionem præstare possint. Ita Suarius citatâ sect. 3. numero 23. Layman. cap. illo 8. numero 3. in fine Bonacina disp. 7. q. 2. puncto 4. numero 4. neque enim pro ijs Irregularitas Iure expressa est. Intelligi autem debet hæc doctrina, (sicut & præcedens) dummodò non sit periculum litium; quia, si tale sit, adhuc dici potest adesse Irregularitas ex defectu prouemente ex obligatione ad ratiocinia. Poterit autem se ab hac Irregularitate eximere, factâ bonorum cessione, & reseruatâ sibi congruâ sustentatione iuxta. cap *Odoardus de solut.* Ita Suarius suprà. vbi etiam cum Couarrub. disputat, in quo foro conueniri debeat Clericus ob debitum ante Clericàtum contractum. Item Maiolus lib. 2. cap. 11. numero 15. Filiucius nu. 201. Legatur Suarius num. 36.

Ex dictis infertur, tales in curiis sæcularium non esse ad Ordines admittendos.

283 Ex dictis infertur Curiales in Curijs Principum Sæculatium, vt sunt Iudices, Aduocati, milites, & alij, repellendos esse ab Ordinibus suscipiendis, quamdiu non fuerint soluti ab illâ obligatione, vt latè, & doctè probat Suarius disp. 47. sect. 4. Item Syluest. verb. Ordo 4. Toletus lib. 1. cap. 55. Henriquez lib. 14. cap. 5. num. 5. Filiucius num. 197. Reginaldus num. numero 64. Layman. suprà n. 4.

Tabellionis officium exercere prohibentur Clerici.

284 Vnde, ne Clerici sæcularibus negotijs dediti ab spiritualium officiorum administratione, & attentione impediantur, statutũ est in c. *sicut Ne Clerici, vel Monachi*, vt, qui in Sacris Ordinibus constituti sunt, per substractionem beneficiorum compellantur relinquere officium Tabellionatus, idéq; iudicium est de alijs similibus officijs. Imò Syluest. satis probabiliter docet id sentiendum esse de alijs Clericis non in Sacris constitutis, si beneficiati sint. Ita verbo *Tabellio* q. 3. §. *Tertium.* & Panorm. in citatum. cap. sicut numero 7. Layman suprà num. 4. qui adiungit

git aliam rationem huius prohibitionis, quantùm ad Tabellionem; quia officium (inquit) Tabellionis vile est, ideoque indecens personis Ecclesiasticis argumento *L. non aliter ff.* de *Adoption.* Verùm hoc de vilitate officij non est generaliter verùm; sed spectanda est communis consuetudo, & æstimatio patriæ, gentium, aut Regionum; in multis enim sæpe contingit à viris honestis, & aliquâ ratione nobilibus tale munus exerceri, imò nisi à nobilibus exerceri non potest, sicut & munus mercatoris in aliquibus Regionibus non obstat nobilitati, & splendori familiæ, etiam Principum, cùm tamen in alijs in longè minori æstimatione sit.

Quoad exercitium officij Tabellionis in causis Ecclesiasticis non variè censent Doctores.

285 Vtrum autem in causis Ecclesiasticis, v. g. in Consistorio Episcopi Clericus beneficiatus Tabellionis munus possit exercere? non consentiunt Doctores; plerique negant teste Layman suprà id licere Clerico in Sacris non indigenti; sed sufficiens beneficium vel sustentationem habenti præterquàm in Curiâ Papæ. Ratio est; quia vniuersim, & sine distinctione prohibetur in citato c. *Sicut.* Ita Glossa ibi verbo, *Clericis.* Panormitan. numero 6. Syluest. q. 3. citatâ, Rosella verbo *Tabellio*, §. 4. Meritò verò idem Laymā docet spectandā esse consuetudinem diœcesium cùm officium Tabellionis in Ecclesiasticis causis absolutè non dedeceat Ecclesiasticas personas, & ita habet vsus in Hispaniâ, de quo mihi satis constat; ibi enim plerique Ecclesiastici munus Notariorum exercent.

Addit Layman.

286 Aduertit etiam Layman numero 5. non reperiri in specie prohibitum, sed potiùs per Ecclesiæ consuetudinem concessum, vt personæ Ecclesiasticæ in Principum (etiam Sæcularium) Curijs fungi possint officio Consiliarij, Cancellarij, imò etiam Iudicis in causis ciuilibus. Ita Abbás in c. *Clericis* num. 10. *Ne Clerici, vel Monachi*, & in c. *Non est* numero 4. *de Voto*, in causis verò criminalibus non licèt etiam citra mortis, vel mutilationis sententiam, vt colligitur ex c. *Sed nec* & cap. citato *Clericis. Ne Clerici vel Monachi*, & *L. si quis C. de Episc. audientiâ*, excepto tamen casu, quo fidei defendendæ causâ aut bonum spirituale animarum id exigat, vt notauit idem Layman ex Molinâ Tract. 3. disp. 8. numero 10. argumento c. *In Archiepiscop.* de *Raptoribus.*

287 Olim quidem vsitatissimum fuit, teste eodem Layman, & pro æquissimo, atque necessario habitum, vt fideles in litibus Ciuilibus; præsertim, si grauatos se sentirent, Episcopi, tanquam Christianorum maximè oppressarum, & miserabilium personarum defensoris, officium, atque iudicium postularent, eiusque sententiæ tanquam vltimæ, & irrefragabili standum foret? Vnde Imperator Constantinus in Rescripto ad Ablauium & L. 1. C. *Theodos de Episcopo indic.* Arcadius, & Honorius in l. 9. C. *Iustinian. de Episcopo audientiâ.* Sic decernunt loquentes de Iudicio Episcopali. *Iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint. Eamque illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quàm vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet prouocare.* Atque in huiusmodi causis Sanctum Augustinum valde occupatum fuisse testis est Possidonius in illius vitâ cap. 19. & ipsemet Augustinus de *Opere Monarch* cap. 29. vbi satis significat sibi molestissimam esse eam occupationem.

288 Colligitur. 2. non arceri ab Ordinibus qui Curiæ Episcopali inseruiunt, id enim non est inseruire Curijs Principum sæcularium. *Collige 2.*

289 Colligitur 3. non esse repellendos ab Ordinibus, qui aulas Principum, & Curias obsequij causâ absque obligatione frequentant habent enim integram, & perfectam libertatem. *Collige 3.*

290 Colligitur, 4. feudatarios, id est eos, qui re immobili acceptâ cum instrumento, & iuramento obligati sunt personaliter inseruire Domino non esse admittendos ad Ordines; nisi feudum relinquant, vel saltem à Domino directo facultatem habeant: Quâ de re legi potest Maiolus lib. 2. cap. 5. numero 5. Sayrus suprà numero 13. Filiucius num. 200. *Collige 4.*

291 Vtrum autem, & quâ ratione sit incapax Ordinis, qui caret patrimonio, ad cuius titulum ordinari vult, non est huius loci disputare; nonnihil diximus agentes de Ordine Tract. 6. disp. vnicâ dubio 22. prope finem. §. *Septima qualitas*, & Legi potest Tridentinum sess. 21. cap. 2. de *reformatione*. Suarius, & Filiucius locis citatis.

DVBITATIO XII.

De Irregularitate ex bigamimia.

Dicitur hæc Irregularitas ex defectu Sacramenti.

292 HÆc Irregularitas appellari solet ex defectu Sacramenti, vt videre est in c. *acutius*, dist. 26. & cap. *Debitum* de *bigamis* quatenus vox Sacramentum sumitur pro re, aut signo significante aliquid Sacrum, & in hoc casu pro Matrimonio, quod consummatum in lege nouâ significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per carnis assumptionem iuxta Apostolum *ad Ephesios* 5. quæ significatio plenior est, ac perfectior id Matrimonio cum vnâ solâ, eâque virgine; quia Christus copulauit sibi Ecclesiam vnicam ab alio non assumptam. Non est autem ita perfecta significatio cum vxore secundâ, vel cum viduâ, aut corruptâ, vt videre est apud Augustinum lib. de *bono coniugali.* cap. 18.

293 Hæc est causa, ob quam bigamia sit quædam Irregularitas contracta ex multiplici Matrimonio contracto, & consummato, aut ex Matrimonio cum corruptâ, vt ex dicendis videbitur. Legatur Vgolinus cap. 56. numero 1. Syluest. verbo Bigamia q. 2. Nauarrus cap. 27. numero 195. Suarius disp. 49. sect. 1. Auila p. 7. disp. 8. dub. 1. Sayrus lib. 6. cap. 3. Filiucius Tract. 19. cap. 4. Quæsito 1. Qui omnes, & alij communiter triplicem assignant bigamiam, scilicet, veram, interpretatiuam, & similitudinariam. *Triplex bigamia.*

294 Prima, & vera bigamia, & propriè dicta, est, si vir cum duabus legitimis vxoribus Matrimonium consummauit, siue eas duxerit ante Baptismum, siue post Baptismum; ob eamque causam Irregularem fieri, & ad Ordines *Prima & vera bigamia est.*

hes assumendum non esse constat ex Apostolicâ traditione, vt videre est. 1. Ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse Diaconi sint vnius vxoris.* Quibus prohibet Apostolus, ne is, qui vltrà vnam vxorem habuit, Episcopus fiat, Presbyter aut Diaconus, atque hac ratione hunc locum communis sensus Ecclesiæ intelligit, vt videri est Canone 16. Apostolurum & apud Tertullianum lib. 2. *ad Vxorem*, & in Concilio Romano sub Siricio cap. 8. & in Concilio 4. Carthaginensi Can. 69. & apud Ambrosium Epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem, vbi addit Patres Concilij Nicæni statuisse nec Clericum quenquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit, & apud S. Epiphanium Hæresi 59 contra Catharos, & apud Innocentium Papam epist. 22. Ad Episcopum Macedon. c. 1. Cœlestinum 1. Epist. Ad Episcop. Galliæ c. 6. Concilium Romanum sub Hilario cap. 2. Gelasium Papam epist. 1. cap. 24. Innocen. III. in c. 2 & Cœlestinum, III. in c. 3. de *bigamis non ordinandis.*

295 Porrò sufficere, quòd etiam ante Baptismum sic contraxerit & consumauerit, bis, aut sæpiùs, vel semel ante Baptismum, & iterum Baptizatum, constat ex c. *Acutius* in principio citato & cap. si quis viduam. dist. 34. docentque communiter Theologi teste Rebello lib. 3. de *Matrimonio* q. 20. numero 4. Maiol. lib. 1. cap. 33. Vgulino §. 1. ad finem Nauarro numero 191. Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 67. numero 4. Sanchez lib. 7. de *Matrim.* disp. 83. numero 8. Sayrus lib. 6. cap. 3. numero 23: Henriquez lib. 12. cap. 6. Valentia infrà citando Toleto lib. 1. cap. 70. Coninc disp. 18. dub. 51. num. 102.

Qui cum duabus Matrimonium contraxit sed cum vna tantum illud consummauit non est bigamus.

296 Si quis autem cum vnâ solâ consummauit, cum altera verò priore, aut posteriore contraxit quidem; sed non consummauit, bigamus, aut Irregularis non censetur. Rationem huius tradit Innocentius III. in c. *Debitum. de Bigamis non ordinandis.* Quia nimirum coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per carnis mysterium est contractum. Itaque viceversim in hac materia semper præ oculis habendum est nullum Matrimonium ex parte viri, vel fœminæ causam bigamiæ, aut Irregularitatis afferre; nisi consummatum sit.

Ratio.

Secunda bigamia est interpretatiua.

297 Secunda bigamia est interpretatiua, quæ contingit quando quis re verâ non contraxit cum duabus, secundum Iuris tamen interpretationem, fictionem vt censetur cum duabus contraxisse, & ab Ordinibus repellitur, tanquam bigamus. Hæc autem tribus modis contingere solet, ex quibus duo extra controuersiam sunt. Tertius verò in controuersiâ positus.

Quæ tribus modis contingere solet.

Primus modus.

298 Primus est, quando quis viduam, vel ab altero corruptam duxit & vidua quidem habetur Canone Apostolorum 17. aliàs 18. c. *Si quis viduam*, dist. 50. cap. *Præcipimus* dist. 34. cap. *Debitum*, cap. vltimo *de bigamis*. Pro corrupta etiam ab alio facit. cap. *Curandum*. dist. 24. quod est Hilarij Papæ in Concilio Romano vbi generatim cauetur *ne ad sacros Ordines quisquam qui vxorem non virginem duxit*, *asciscatur.*

Item apud Innocentium Primum. Epistol. 22. ad Episcop. Macedon. cap. 1. *Nos omnesq; per Orientem, & Occidentem Ecclesias nouerit refira dilectio', neque ad vltimum Ecclesiastici Ordinis locum tales* (qui viduam, vel electam duxerunt) *assumere. & si reperti fuerint submouere.* Concilium etiam Cartaginense, 4. dub. Anastasio cap. 69. sic habet. *Simili sententiæ* (scilicet suspensionis ab officio ordinandi) *subiacebit Episcopus, si sciens ordinauerit Clericum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit aut secundam.* Ratio petenda est ex defectu Sacramenti, quam indicauit Innocentius in illo c. *debitum*, quia nimirum tale matrimonium non perfectam gerit similitudinem Christi sibi copulantis Ecclesiam ipsi soli desponsatam, & ab altero non assumptam.

Ratio.

299 Ex dictis constat eum, qui duxit viduam, non cognitam à priori viro non esse bigamum; quia non interuenit duplex Matrimonium consummatum atque adeò tunc copulatur cum eâ, quæ licet cum altero contraxerit non fuit illi carnaliter copulata.

Ex dictis Colligo eum qui viduam duxit non cognitam à priori viro non esse bigamum.

300 Item colligitur non esse bigamum, qui duxit fœminam corruptam quidem, non ab alio; sed ab ipso viro, tunc enim caro non separatur, nec censetur copulari alteri carni: nam Matrimonium subsequens retrotrahitur, & reputatur quasi factum cum illâ ante primam copulam, censeturque contractum cum Virgine. Ita Nauarrus cap. 27. numero 195. Sanchez suprà disp. 84. numero 14. Suarius suprà sect. 3. numero 7. Sayrus cap. 4. numero 17. Couarrub. apud citatos. Vgolinus suprà §. 2. numero 5. Filiucius numero 110. Reginald. numero 82. Syluest. & alij communiter quidquid sentiat in contrarium Hostiensis in *Summâ* lib. 1. tit. de *Bigamis.*

Collige 2.

301 Infertur etiam nihil referre, siue mulier volens corrupta fuerit, siue per vim, nec, siue vir sciuerit esse viduam, vel corruptam siue ignorauerit; quocumque enim modo contingat, deest iam perfecta significatio, hæc enim Irregularitas non oritur ex culpâ, sed ex defectu Sacramenti, & significationis, quidquid etiam in contrarium censerit Sa verbo *Irregularitas ex bigamia.* numero 2. (quamuis non claré loquatur) & alij apud Sanchez citatâ disp. 84. numero 15. Legatur Sanctus Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 1. Syluest. verb. *Bigamia* numero 2. Couarrub. Clementina *Si furiosus* p. 1. cap. 2. §. 3. Sanchez suprà num. 9.

302 Ex iis constat ratio, ob quam vir bigamiam interpretatiuam non incurrat, etiam ante Matrimonium sæpe cum vnâ aut pluribus fornicatus sit, vel concubinas habuerit, vt docent Doctores in cap. *Quia circa de Bigamis.* quia tale Matrimonium non paritur defectum Sacramenti; hoc enim erga mulierem tendit, postulans, vt ea à pluribus viris cognita non sit. Ideò, quoties reperitur maritalis coniunctio viri cum vnicâ ab alio carnaliter non cognitâ, subsistit perfecta significatio Sacramenti.

Collige 3.

303 Secundus modus interpretatiuæ Bigamiæ est, quando quis accessit ad vxorem propriam, quam virginē, & non ab alio cognitam duxit, & cognouit; Sed postquàm illa iam Matrimonio copulata adulterata fuit cum alio, siue volens,

Secundus modus interpretatiuæ bigamiæ.

valens, siue per vim, ipse etiam illam cognouit. Hic modus bigamiæ habetur c. *si enim vxorem*. c. *Si laici*. dist. 34. cuius ratio est defectus Sacramenti, & similitudinis, seu significationis; quia talis maritalis coniunctio desinit habere perfectam similitudinem Christi cum Ecclesiâ, eo ipso, quòd illa cognita fuerit à duobus. Ideò nihil refert, quòd mulier, siue volens, siue per vim cognita sit, item siue vir adulterium vxoris sciuerit, siue ignorauerit. Ita Couarrub. Clementinâ *Si furiosus*. p. 1. §. 2. numero 3. Nauarrus cap. 27. numero 195. Syuest. verbo *Bigamia* q. 3. Auila p. 7. disp. 8. dub. 1. § *Tertio modo*, Suarius disp. 49. sect. 3. numero 16. Maiol. lib. 1. cap 33. Vgolin. §. 2. Filiucius suprà, Bonacina disp. 7. q. 2. puncto 5. numero 2. §. *Tertio modo*, & alij communiter.

Tertius modus Bigamiæ interpretatiua.

304 Tertius modus Bigamiæ interpretatiuæ à Doctoribus communiter assertur, quando quis post vnam vxorem carnaliter cognitam, aliam, priore, viuente, aut etiam mortuâ, maritali affectu cognoscit, cum quâ inualidè propter dirimens impedimentum nuptias contraxit, tunc enim censetur bigamus non realiter; sed interpretatiuè; quia præsumitur bis contraxisse Matrimonium, quantùm ad affectum, & intentionem contrahendi cum duabus copulâ subsequutâ animo maritali, idque colligunt ex c. *Nuper*, de *Bigamis*. vbi decernitur eum, qui mortuâ vxore Sacrum ordinem accepit in Clericatu secundam mulierem sibi matrimonialiter coniunxit licèt in veritate Bigamus non sit, pro Irregulari tamen; quasi bigamus sit, habendum esse. Non quidem propter Sacramenti defectum; sed (vt dicebam) propter intentionem, & affectum, cum opere subsequuto. Putant verò Doctores hanc responsionem illius Textus tantùm exemplariter datam in Clerico in Sacris constituto esse autem intelligendam de omnibus etiam Laicis, si cum vnâ validè, & posteà cum alterâ inualidè matrimonium contrahant, & consumment; Vnde, tanquam bigamos, esse à Sacris Ordinibus repellendos. Ex quâ doctrina variæ dubitationes resultant.

Dubitatur 1

305 Dubitari potest primò an eâ doctrinâ suppositâ, qui duo Matrimonia inualidè contraxit propter impedimenta dirimentia sit bigamus Matrimonijs consummatis, atque adeò Irregularis?

Resp.

306 Negant Henriquez lib. 12. cap, 6. numero 9. Auila citato dub. 1. notabili. 2. Affirmant verò Nauarrus numero 195 Suarius disp. 49. sect. 2. numero 11. Sanchez, lib. 7. de *Matrim*. disp. 84. numero 3. & alij apud eundem. Filiucius numero 104. Sotus, Toletus, & alij apud citatos. Vtraque sententia probabilis est, & priorem etiam sequitur Coninc disp 18. dub. 11. nu. 101, posteriorem verò Bonacina suprà num. 2. referens Valentiam. Iudicium inter vtramque sententiam infrà feremus.

Dubitatur 2

307 Dubitatur 2. an. qui priùs inualidè cum vnâ contraxit & posteà cum alterâ validè censeatur bigamus interpretatiuè, & Irregularis?

Resp.

308 Negat Henriquez suprà in Comment. numero 9. Littera. Y. Affirmat Auila suprà, Sanchez loco citato numero 5. & alij communiter. Probabilis etiam est vtraque sententia, & inter vtramque iudicium etiam infra feremus, sicut & de sequentibus dubijs.

309 Dubitatur, 3. an qui contrahit fictè cum alterâ, incurrat bigamiam interpretatiuâ, & Irregularit. Negat Henriquez suprà n 9 Littera, Y. & alij apud Suarium sect. illâ 2. nu. 5. Affirmat Suarius ipse 16. num. 10. & alij plerique. *Dubit.* 3. *Resp.*

310 Dubitatur 4. an qui bonâ fide nesciens impedimentum contraxit cum alterâ, censendus sit bigamus, & Irregularis? *Dubit.* 4.

311 Negant Sanchez cum alijs quos refert suprà numero 6. putat enim hanc interpretatiuam bigamiam ratione culpæ introductam esse: alij verò communiter affirmant apud eundem Sanchez, & Suarium sect 2. num. 8. & Sanchez ipse probabilem putat sententiam. *Resp.* *Ibid.*

312. Dubitatur 5. an contrahens, & consummans cum viduâ, vel corruptâ inualidè, bigamiam interpretatiuam, & Irregularitatem incurrat? Negat Nauarrus numero illo 195. quia id nullo Iure expressum est, cum tamen Irregularitas non incurratur; nisi in casibus Iure expressis, testatur Nauarrus ita esse decissum in Sacrâ Pœnitentiariâ, eundem sequitur Henriquez numero 9. in fine. Auila suprà dubio 2. Sanchez suprà numero 11. Affirmat Couarrub. Clementina *Si furiosus*, p. 1. §. 2. numero 2. Suar. sect 3. num. 3. qui testatur de communi sententiâ. *Dubit.* 5. *Resp Nauarrus negatiue.* *Affirmat Suarius.*

313 Inter has sententias, & dubia non est omninò facilè iudicare, duo tamen in hanc re dicenda videntur cum Laym. suprà. cap. 6. numero 5. *Duo hic dicenda.*

314 Primum prædictas Irregularitates non esse Iure Canonico satis expressas, vt apertè docet Coninc suprà numero 100. Henriquez lib. 12. cap 6. numero 9. in Commentario litteriâ Y. alios referens, Suarius sect. illâ 2. numero 4. nam cap. *Nuper*, & c. vltimo de *bigamis*, vbi de his fit aliqua mentio, solùm agitur de Clerico in Sacris ducente vxorem, qui ante Clericatum fuerat coniugatus, & talis pronuntiatur repellendus ab Ordine, tanquam bigamus, quamuis re verâ bigamus non sit; neque in eo cernatur defectus Sacramenti sed intentio tantùm opere subsequuto: nullibi autem mentio fit de Laicis. Vnde non licet in materiâ odiusa & strictè interpretandâ extensionem facere, & mihi etiam placet fundamentum, quo visus est Sanchez eam scilicet bigamiam interpretatiuam, & Irregularitatem inde prouenientem ratione culpæ introductam esse. Vnde valde credibile est Innocentium. III. sic respondentem specialiter punire voluisse Clericicorum temeritatem; nec enim dicit esse Irregulares propter defectum Sacramenti; sed propter prauam intentionem cũ opere sequuto, sicuti etiam *infamia notatur* (inquit ille) *qui duas simul vxores habet*, & Presbyter punitur, *qui non legalibus nuptijs detinetur*. Ideò optimè notauit Layman satis colligi ex Texto non fuisse propositum Innocentio nouũ aliquod Ius introducere; sed, quòd antiquis Canonibus conforme esset, decernere. Quod autem Matrimonium inualidè contractum, siue cum alterâ vxore, siue cum vtraque, siue cum viduâ Irregularitatem, tanquam ex bigamia, inducat, non est conforme Iuri; nam iuxta *Primum Prædictas Irregul. non esse Iure Canonico satis expressas.*

Regulam 52. de *Regulis Iuris* in 6. non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.

Secundum. 315. Secundum videtur dicendum supposita communi Doctorum sententia, quod Irregularitas, tanquam ex Bigamiâ, contrahatur, si laicus post primum Matrimonium aliam, seu priore viuente seu mortuâ seriò, & non simulatè ducat conscius impedimenti, eam sententiam in praxi sequendam esse; nam licèt ea Irregularitas non sit Iure scripto expressa, generali tamen Ecclesiæ consuetudine Doctorumque consensu introduci potest; & vim obtinere; nomine enim Iuris non solùm intelligi debet Ius scriptum; sed etiam consuetudo Ecclesiastica, vt communis sensus Ecclesiæ, quando iam habet vim legis. Quæ doctrina à Laymano tradita satis probabilis est, qui rectè etiam manet in alijs casibus, quando Iure scripto non est expressa Irregularitas; sed controuersia est, & dubium inter Doctores non esse timendam in praxi Irregularitatem.

Bigamia similitudinaria. 316. Similitudinaria tandem bigamia tunc solet contingere quando quis post professionem in Religione, & votum Castitatis ibi emissum, vel (vt alij volunt) etiam in susceptione Sacrorum ordinum, vbi votum Castitatis emittitur Matrimonium celebrat vtique inualidum cum aliquâ, siue virgine, siue corruptâ eamq; carnaliter cognoscit; hic enim bigamus habetur cum post fidem Christo datam eam, quasi irritam faciens cum muliere matrimonialiter se coniungat, ideòque Irregularis censetur. Ita colligunt Doctores quos refert Sanchez lib. 7. disp. 85. n. 8, ex c. *Quotquot* 27. q. 1. & ex citato c. *Nuper* de *Bigamis*, Tamen, vt Henriquez notauit lib. 12. c. 6. n. 10. in Comment. literâ *H.* ibi sermo esse videtur de virginibus Deo sacratis, quæ si post Christum, cui se spiritualiter desponsârunt, altari viro carnali nubant, δίγαμοι, quasi Bigamæ & adulteræ habentur, nulla tamen ibi mentio fit de Irregularitate. Communis autem Doctorum sententia praxique ac traditio Ecclesiæ, quæ est optima Canonum antiquorum interpres testatur Religiosos ob Matrimonium illegitimè contractum & consummatum irregularitatem incurrere; quia adstrictus voto solemni censetur spirituali quodam Matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesiæ: ergo si velit carnaliter cum alio coniungi per Matrimonium censetur duo celebrare Matrimonia, non quidem vera; sed similitudinaria, talem autem Bigamiam, seu Irregularitatem inde prouenientem non agnoscunt Doctores, aut Ecclesiæ praxis in eo qui susceptis Minoribus Ordinibus, aut tantùm emisso voto simplici Castitatis contrahit, & consummat Matrimonium cum virgine, neque eam colligunt ex Iure. Ita Sanchez disp. illâ 85. n. 11. Vgolinus suprà §. 3. n. 4 Nauarrus & Sayrus suprà, imò graues Authores (& quidem satis probabiliter) putant per votum Castitatis in ordine Sacro non induci eam Bigamiam; sed doctrinam traditam tantum locum habere in voto solemni Castitatis Religiosi. Ita Suarius disp. illâ 49. sect. 4. Filincius c. 4. quæsito 9. n. 121. Abbas in c. Nuper de Bigamis, & alij apud citatos satisque videtur significare Layman dùm in hac Irregularitate, seu Bigamia similitudinariâ solùm meminit voti solemnis professionis in Religione. Notat verò suprà numero 6. Cum Suario suprà sect. 6. num. 7. & in fine, & Auila p. 7. disp. 8. dub. 4. hanc Irregularitatem esse dispensabilem ab Episcopo, vel à Prælatu Ordinis exempto. Posteà verò idem Layman disputans de Clerico in Sacris, & concedens Clericum in Sacris esse Irregularem, si vxorem viduam ducat, vel si ante Clericatum coniugatus fuerat, & posteà quamcumque ducat iuxta c. *Nuper* & c. vltimo de *Bigamis* asserit nihilominus, si Clericus in Sacris, qui antea vxorem non habuerat, contrahat Matrimonium cum virgine, Irregularem quidem fieri; sed non Bigamia similitudinariâ. Priorem ait esse communem sententiam, & apertè sumi ex c. 1. *Qui Clerici vel vouentes*, & c. *Sanè Sacerdotes* de *Clericis coniugatis*. Quibus in locis adiungitur Episcopum cum tali, si post longam Pœnitentiam, & laudabilem vitam continens fuerit, dispensare posse, vt officio restituatur, imò etiam ad superiorem Ordinem ascendat. Quod etiam de Religioso intelligi debet; nam hæ duæ Irregularitates (inquit Layman) ex contracto Matrimonio, & à Clerico in Sacris æquiparantur. Posteriorem verò partem probat ex eo, quòd in titulis Decretalium, quibus de Matrimonio à Clericis intelligitimè contracto agitur, nulla vnquam Bigamiæ mentio fit. Accidit quòd Innocentius III. in citato c. *Nuper*, & cap. vltimo agens de Bigamia, in quâ nullus etiam est Sacramenti defectus, ait nihilominus in eâ dispensare non esse licitum. Cùm ergo in Irregularitate contracti Matrimonij à Clerico in Sacris, qui anteà coniugatus non fuerat, liceat Episcopo dispensare sequitur hanc Irregularitatem non esse Bigamiæ similitudinariæ. Quæ doctrina probabilis etiam est, & Iuri scripto valde conformis; quamuis absolutè propter aliorum authoritatem probabile putem per votum Castitatis in Ordine Sacro non induci Bigamiam modo initiatus contrahat cum virgine, vt citati Authores dixerunt.

Religiosi ob matrimonium illegitimè contractum & consummatum irregularitatem incurrunt.

317. Habemus ex dictis non solum ex verâ; sed Interpretatiuâ, & ex similitudinariâ Bigamiâ contrahi Irregularitatem & consequenter inhabilitatem ad Ordines & beneficia, vt patet ex cap. 1. 2. & 3. de *Bigamis*, & ex Tridentino sess. 23. cap. 17. de *Reformatione*, tùm propter defectum significationis iam explicatæ, tùm, quia, Bigamus difficile potest alij Castitatem persuadere, & continentiam, quam habere debent, & in eâ prælucere Sacris Ordinibus initiati iuxta cap. *Vna* dist. 26. Bigamia verò signum est continentiæ, vt notant communiter Doctores ex cap. *Proposuisti* dist. 82. *Ex dictis collige non tantum ex vera sed etiam ex interpretatiua similitudinaria Bigamia contrahi Irregularitatem. Ratio.*

318. Habemus etiam ad Bigamiam duo requiri primum, vt Matrimonium cum duabus contrahatur, aut verè, aut interpretatiuè, aut similitudinariè. Secundum, quod sit copula actualis; nam Matrimonium ratum significat prædictam Christi coniunctionem cum Ecclesiâ, & Bigamia, seu Irregularitas propter ipsam inducta est, quatenus Matrimonium con- *Collige 1. ad Bigamiam, duo requiri.*

consummatum cum duabus non perfectè significat vnionem verbi cum Ecclesiâ per incarnationem.

Colligi 3. 319. Habemus vlterius multiplicationem Matrimonij rati non consummati non inducere Bigamiam, ac proinde non esse Bigamum, aut Irregularem, qui contraxit cum vnâ eâque mortuâ ante consummationem iterum contraxit cum virgine, & consummauit, vt patet ex citato c. *Debitum* sicut neque qui duxit ductam ab alio iam mortuo, sed non cognitam c. vltimo dist. 34. deficit enim carnis commixtio. Tunc autem dicitur Matrimonium consummatum, quando fœmina recepit semen intra vas debitum, vt explicabitur in proprio Tractatu de *Matrimonio*. Ita Sanchez suprà disp. 83. Toletus lib. 1. c. 61. & 62. & alij plerique.

Ex dictis. Infertur 1. 320. Ex dictis infertur primò multiplicitatem sponsalium, etiamsi fortè interuenerit copulâ, non inducere Irregularitatem quia sponsalia cum eâ copulâ non significant coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per incarnationem sicut Matrimonium consummatum, vt notauit Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. puncto 5.

Infertur 2. 321. Infertur 2. nec plures fornicationes, neque adulteria ex parte viri inducere Bigamiam, cùm sola copula matrimonialis cum ijs, cum quibus contraxit Matrimonium sufficiat illam inducere; Matrimonium enim consummatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ; non fornicatio iuxta c. *Acutius* dist. 26. Vnde non erit Bigamus, qui post plures fornicationes etiam cum viduis, aut corruptis contraxit & consummauit Matrimonium cum vnicâ virgine, vt constat ex c. *Quia circa*, de Bigamis. Vnde Presbyter, qui plures concubinas habuit, non ligatur Irregularitate ex Bigamia.

Dubium cur Ecclesia statuerit esse Bigamum &c. 322. Dubitari meritò potest hoc loco cur Ecclesia statuerit esse Bigamum, vel Irregularem, qui contraxit cum fœminâ ab alio cognitâ licitè, vel illicitè; non verò, qui contraxit Matrimonium cum virgine, quantumuis ille sæpè fornicatus fuerit cum alijs.

Suarius aliqs assignans rationem. 323. Hac de re Suarius sect. 3. numero 9. Vgolinus suprà Sayrus cap. 4. numero 13. Filiucius numero 117. omissis alijs rationibus, dicunt id factum fuisse; quia defectus virginitatis in sponsâ maior est indecentia, & vir tenetur, & potest facile illam vitare, estque quædam infamia ducere ab alio cognitam extra Matrimonium. Quæ omnia cessant; quando corruptio præcessit ex parte viri, & cùm valde difficile sit virò Virginitatem seruare ante Matrimonium noluit Ecclesia ad hoc obligare omnes ordinandos, nec difficile reddere Matrimonium cuiuscumque hominis priùs incontinentis: hoc autem sequeretur, si per illud quis fieret Irregularis. Omitto alias rationes minoris momenti, aut nimis metaphysicas; sed neque ratio illata habet, nisi quemdem congruentiam; neque enim ignominiosum est contrahere cum honestâ, neque indecens, & tamen, qui contraxit cum viduâ cognitâ a præcedenti viro, fit Irregularis. Vnde

Authoris Ratio. ego dicerem causam esse; quia defectus corruptionis signatus manet in carne fœminæ, non in carne viri; atque adeò; nisi in viro præcesserit alter contractus Matrimonij consummatus, non reperitur defectus significationis coniunctionis Christi cū Ecclesiâ vnicâ; in fœminâ verò, in quâ moraliter loquendo censetur manere vestigium præcedentis coniunctionis potest reperiri causa defectus significationis in Sacramento Matrimonij cum illâ consummato; quia vir illam sibi copulans censetur copulari cum eâ, in quâ erat vestigium copulæ cum altero; atque adeò illud Matrimonium consummatum non perfectè significat coniunctionem Ecclesiæ cum vnico tantùm sponso Christo. Vnde mirum non est quod potiùs hoc genus Irregularitatis ex defectu significationis in Sacramento sumatur ex parte incontinentiæ fœminæ quàm ex parte incontinentiæ viri.

Infertur 3. 324. Infertur 3. ad Irregularitatem Bigamiæ non sufficere copulam nefandam, siue illam habuerit vir cum aliâ vxore, quam solum sic nefandè cognouit, sine illa, cum quâ contrahit, sic cognita fuerit ab alijs; quia hæc copula non significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, neque impedit perfectam significationem quæ est in copulâ matrimoniali, seu Matrimonio consummato, neque ex vllo titulo apparet hanc esse Bigamiam. Ita Vgolinus suprà §. 1. num. 5. Sanchez disp. illa 83. num. 7 & alij.

Infertur 4. Infertur 4. esse bigamum, & Irregularem, qui carnaliter cognouit suam vxorem, postquā ipsa credens virum esse mortuum, bonâ fide cōtraxit, & consummauit Matrimonium cum alio; iam enim vir accedit ad vxorem suam cognitam ab alio, & non attenditur culpa fœminæ, sed defectus significationis consurgens ex eo, quòd caro fœminæ pluribus communicata fuerit. Ita Nauarrus c. 27, n. 195. Filiucius n. 107. Toletus c. 61. n. 7, & alij apud Sayrum c. 4. n. 19. & apud Garziam, quem refert, & sequitur Bunacina suprà puncto 5, n. 11.

Infertur 5. quoad Infidelem. 326. Habemus tandem ex dictis infidelem etiam non Baptizatum, qui in infidelitate sæpius contraxit, esse bigamum & Irregularem susceptio Baptismo, nam bigamia non tollitur per Baptismum, Baptismus enim tollit quidam delicta, quoad culpam, vel etiam, quoad pœnam: non verò tollit coniugia, ac proinde nec Bigamiam ex coniugio prouenientem. Ita Rebellus suprà qui testatur de communi sententiâ, Suarius, Filiucius, Reginaldus paulò post citandi.

Objicies 1. 327. Quod si obijcias infidelem non subdi legibus Ecclesiæ: ergo non incurrit Bigamiam, & Irregularitatem ab Ecclesiâ impositam.

Resp. 328. Respondet Filiucius numero 102. Reginaldus lib. 30. Tract. 2. numero 90. Bigamiam non cadere super Infidelem tempore Infidelitatis; sed super ipsum Baptizatum; nam Ecclesia hunc facit Irregularem ob iudicium incontinentiæ & quòd contraxerit bis Matrimonium, vel ob indecentiam, eo quòd contraxerit cum corruptâ extra Matrimonium. Legatur Sanchez lib. 7. disq. 83, num. 8. & 9. Suarius sect. 6. numero. 10.

Objicies 2. 329. Quod si secundò obijcias Infidelis occidens alium tempore Infidelitatis ante Baptismum nōn est Irregularis non solùm pro tempore Infidelitatis, sed non post Baptismum: ergo nec Bigamus.

Resp. 330. Respondetur negando consequentiam. seu paritatem, quia Iura non imposuerunt Irregularitatem Homicidij, nisi propter patratum post Baptismum, cùm tamen non sic loquantur de Bigamiâ c. *Si qui viduam* dist. 50. c. *Si quis post Baptismum* dist. 51. Irregularitas autem non contrahitur, nisi iuxta ea, quæ expressa sunt in Iure Legatur Sanchez suprà, & alij citati.

Colligitur ex dictis. 331. Colligitur ex dictis & ex doctrinâ Suarij sect. 3. num. 1. disp. illâ n. 9. Vbi docet (sicut & alij communiter) fieri Irregularem, qui contrahit cum muliere infami, aut vili, vt ancillâ, scurili mimâ scænicâ, etiamsi sit virgo: Ex hac (inquam) doctrinâ colligitur eum, qui contrahit cum tali corruptâ incurrere duplicem Irregularitatem ex tali Matrimonio prouenientem: alteram propter vilitatem, seu infamiam fœminæ: alteram propter corruptionem eiusdem, & hæc secunda est quæ propriè spectat ad Bigamiam. Et quamuis non viderim Authorem, qui hoc in terminis dixerit videtur efficaciter probari sunt enim Irregularitates separabiles. Nam, qui contrahit cum talis conditionis fœminâ etiam virgine est Irregularis; & qui contrahit cum corruptâ, quantumuis nobili, & honestâ, est Irregularis bigamus: ergo distincta est vna Irregularitas ab aliâ: Confirmatur, quia Irregularitas cum corruptâ non incurritur; nisi consummando Matrimonium; Irregularitas verò ex vilitate fœminę, cum quâ contraxit, non videtur, dependere ex consummatione Matrimonij.

Ex vno Matrimonio potest oriri duplex Irregularitas.

332. Vnde etiam colligitur, si quis peteret dispensationem propter contractum Matrimonium cum tali vili fœminâ corruptâ non sufficienter dispensari, si solùm explicet fœminam fuisse corruptam, vel solum explicet fuisse vilis conditionis; sed necessarium est vtrumque explicare, vt in duplici Irregularitate dispensetur. Verum est quòd aliquando sufficiet vnicam dispensationem postulare, quando scilicet in ipsâ narratiuâ vtrumque per modum vnius continetur, vt, cùm quis peteret dispensationem, vt posset ordinari non obstante, quòd contraxerit cum notoriâ meretrice; nam illa dispensatio non obstante tali expedimento vtriusque Irregularitatis dispensationem videtur continere, cùm satis notum sit dispensanti eo ipso quod meretrix fuerit vxor, fuisse corruptam, & fuisse infamis, & vilis conditionis.

In Irregul. ex Bigamiâ potest Papa dispensare. 333. Quod attinet ad dispensationem in Irregularitate ex Bigamiâ, certum omninò est Papam posse dispensare, sicut & in cæteris omnibus, quæ sunt de Iure Humano. Ita Couarr. suprà, Henriquez lib. 14, cap, 20. numero 2. Suarius disp. illa 49. sect. 6. Nauarrus num. 192. Sayrus c. 6. numero 10. Sanchez disp. 86. Filiucius quæsito 12. Toletus lib. 1. cap. 6. n. 2. & alij.

Non est Iuris Diuini Bigamia. 334. Neque audiendi sunt, qui putant Bigamiam esse de Iure Diuino, quamuis enim Apostolus dicat Episcopum debere esse vnius vxoris virum; non ideò statim infertur esse de Iure Diuino, & tale præceptum promulgatum esse ab Apostolo nomine Dei; sed sufficit promulgatum esse ab ipso, tanquam Episcopo & in huius generis legibus, etiam ab Apostolis promulgatis, potest Pontifex dispensare. Ita Valentiâ disp. illâ 7. q. 19. puncto 3. Henriquez lib. 14. c. 1 Sayrus lib. 6. cap. 3. numero 22. Filiucius num. 112. & alij communiter: satisque id declarat, vsus & praxis Ecclesiæ Pontificumque dispensantium.

335. Vtrum autem necessarium sit in dispensatione declarare, an Matrimonium ter, vel quater contractum fuerit? aliqui affirmant. Probabilius tamen puto id non esse necessarium, quia Iura non præscribunt hoc exprimi, & eodem modo deficit significatio in bigamo, atq; in trigamo, erit tamen necessarium explicare; an bigamia sit vera, vel interpretatiua, vel similitudinaria; sunt enim diuersæ species bigamiæ. Ita Sanchez suprà numero 24. Vgolinus suprà §. 7. numero 3. & alij multi.

336. Quod verò attinet ad Episcopum, ille dispensare non potest in hac Irregularitate, cùm non possit dispensare in Iure communi; nisi ex concessione Sedis Apostolicæ. Ita non potest concedere facultatem, vt qui, laborat propriâ vel interpretatiuâ bigamia suscipiat ordines sacros, vel susceptis vtatur. Imò hoc tempore etiam ad minores Ordines, vel ad primam tonsuram, uel ad beneficium simplex non posse dispensare putant aliqui Recentiores maximè Bonacina suprà numero 15. & videtur colligi ex Tridentino sect. 23. cap. 17. de *Reform.* ad finem, idèmque expressè declarauit Sacra Cardinalium congregatio, quam refert Garz. de *Benef.* 7. p. cap. 6. numero 5. In contrarium nihilominus est communior Doctorum sententia.

In Irregularitate hac non potest dispensare Episcopus.

337. In Bigamia verò similitudinariâ posse Episcopum dispensare cum eo, qui contraxit cum Virgine, multi putant; quia in cap. 1. *Qui Clerici, vel vouentes*, id conceditur, solumque admittunt hanc potestatem in Episcopo; non in Abbatibus, & alijs Superioribus Religiosis; nisi hoc sit illis speciali priuilegio concessum. Ita Sayrus cap. 6. numero 14. Vgolinus & Valentia suprà, & videtur indicare Sa verbo *Irregularitas* numero 14: Quatenus solùm dicit dispensare Episcopum. Item Rodriguez 1. p. cap. 158. Auila p. 7. disp. 8. dub. 4. Suarius disp. 49. sect. 6. Coninc disp. 18. dub. 11. numuro 102. Filiucius quæsito 12. Reginaldus numero 89. Toletus suprà numero 3. & alij

Quid possit quoad illam quæ ex Bigamia similitudinaria prouenit.

338. Non tamen desunt, qui putant teste Suario, posse Prælatum Religionis dispensare cum suis Religionis bigamis, saltem, quoad ordines; quia Episcopi hoc possunt circa suos subditos; Prælati autem Religionum exercent circa suos iurisdictionem Episcopali similem, seu æqualem. Quæ doctrina consonat cum ijs, quæ sæpè diximus in alijs dispensationibus, & absolutionibus maximè disp. 3. dub. 3. & 4. Legatur Sanchez disp. 86. à numero 16, qui numero 20. concedit posse Episcopum dispensare, si Clericus ille cum vnicâ, & virgine contraxit; secus si cum corruptâ Et quamuis cap. 2. *Qui Clerici vel vouentes* solùm concedatur Episcopis facultas dispensandi cum ijs Clericis, quando verè pœnitentes sunt Religionē ingrediuntur, tamen hic Textus tantùm intel-

Quid possit Prælatus Religionis.

intelligitur de conſilio, alioquin Iure ſuo poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt conſtat ex præcitato textu, vt cum innumeris, quos refert, ſentit Sanch. ibidem, quidē iudicat de illa conditione quæ in citato c. 2. exigitur, ſcilicet, ſi verè pœnitentes ſint; putat enim cum alijs, quos refert, eam conditionem ſolùm peti ex conſilio.

Opinio Sanchez. 339. Sed numero 22 idem Sanchez cum alijs, quos refert, putat poſſe Epiſcopum diſpenſare in Irregularitate Bigamiæ ſimilitudinariæ profeſſi tranſeuntis ad Matrimonium, ſicut & cum Clericis. Deinde numero 23. & per errorem 24. putat poſſe Epiſcopum diſpenſare in Irregularitate Bigamiæ ſimilitudinariæ, etiamſi mulier eſſet corrupta, ſi ex delicto occulto oriatur. Idque probat ex Tridentino ſeſſ. 24. de *reform.* cap. 6. quem locum latè tractauimus dub. 3. & 4. citatis, & ſequentibus vbi cum eodem Sanchez diximus nomine Epiſcopi intelligi etiam alios Prælatos habentes iuriſdictionem Epiſcopalem. Vnde in hoc caſu idem Sanchez videtur ſentire prædictos Prælatos intelligi nomine Epiſcopi.

Suarius Opponit. 340. Sed accerrimè reclamat Suarius ſect. 6. citatâ numero 17. vbi ait. *Sed ego non conſiderem, nec admitterem ſine ſpeciali priuilegio*, & probat, nam, cùm dicuntur. Prælati Religioſorum participare iuriſdictionem Epiſcopalem, intelligēdum eſt, quoad ea, quæ communi Iure, & ordinario Epiſcopis conueniunt. Hæc tamen ratio non multum me mouet. Quia contra eundem Suarium, citatâ diſp. 3. dub. 3. & ſequentibus ſatis probauimus eam poteſtatem, quæ conceditur Epiſcopis, conuenire etiam alijs Prælatis habentibus poteſtatem, quaſi Epiſcopalem; nam illa poteſtas conuenit Epiſcopo Iure ordinario, vt ibi explicatum eſt, & Iure communi; cum Epiſcopis competat ea facultas ſecundum ſuam Iuriſdictionem Epiſcopalem non delegatam; ſed ordinariam conceſſam tùm in Iure communi c. illo t. *Qui Clerici vel voventes*, quantùm ad hanc ſpecialem materiam huius Irregularitatis, tùm generaliter in Tridentino loco citato. Vnde, non, tanquàm delegato, ſed, tanquàm Ordinario ſuperiori ea facultas conceditur atque adeò ordinaria. Falſum ergo aſſumit Suarius, dum ſignificat eam facultatem diſpenſandi non conuenire Epiſcopo Iure ordinario. Si ergo, quæ Epiſcopo Iure ordinario conueniunt, etiam competunt Abbatibus, alijſque Prælatis Relegionum hæc etiam poteſtas illis competit. Quam etiam ſententiam videtur docere Henriquez lib. 12. de *Matrimonio* c. 6. in fine imò conſequenter id dicent omnes, qui nobiſcum cenſerunt in illâ ſeſſ. 24. Tridentini c. 6. vt vidimus citatâ illâ diſp. 3. dub. 3.

Suarii ratio Authori non placet.

Dubium. 341. Dubitari autem poteſt; an bigamus, qui abſque diſpenſatione fuit ordinatus, gaudeat priuilegio Clericali?

Reſp. 342. Reſpondeo gaudere, ſi ſuſcepit ordinem Sacrum; quia non poteſt viuere, vt laicus, ſed viuere debet, vt Clericus, ac proindè gaudere debet Clericorum priuilegijs. Qui verò ſolùm tonſurâ, vel minoribus Ordinibus initiatus eſt, caret omni priuilegio Clericali c. vnico *de Bigamis* in 6. Ita Vgolinus ſuprà §. 5. numero 3. Sayrus c. 5. numero 2. & Sanchez ſuprà Filiucius quæſito 11. Suarius ſuprà ſect. 5. numero 4. & ſequentibus.

Quæret. 343. Quæret tamen aliquis, an ſaltem Epiſcopus poſſit diſpenſare, quando vrget neceſſitas miniſtrorum, vt apud Indos?

344. Aliqui affirmant, ſaltèm, vt bigamus fiat Subdiaconus. Probant ex c. *Lector.* diſt. 34. vbi ea facultas conceditur Epiſcopo; neque obſtat, quod tunc Subdiaconatus nondùm connumeratus erat inter Sacros Ordines, quamuis enim iam inter Sacros computetur, nullibi ea Iuris diſpoſitio ſublata inuenitur; ergo ſeruāda eſt. Ita Paludan. in 4. diſt. 27. q. 4. art. 5. n. 35. Supplementum Grabrieles ibi q. 3. ad finem Turrecrema citato c. *Lector.* art. 2. numero 8. Henriquez lib. 12. de *Matrimonio* c. 6. n. 11. qui tamen alio argumento probat ſcilicet, quia tacitè Pontifex conceſſiſſe videtur ratione vrgentis neceſſitatis.

345. Negant alij, quos in magno numero refert Sanchez n. 11 & ſequitur n. 14. Quamuis enim ea Textus deciſſio non inueniatur expreſſè correcta ad tacitè correcta creditur, cùm omninò cauſa illius conceſſionis ceſſârit, effecto iam ſubdiaconatu ordine Sacro inſtar aliorum. Vnde eadem eſt ratio de illo, vt de alijs, ad quos ex citato c. *Lector.* conſtat Epiſcopum non poſſe diſpenſare.

346. Addit tamen Sanchez in caſu, quo ingens vrgeret neceſſitas periuriæ miniſtrorum, neque eſſet aditus ad Pontificem ob magnam loci diſtantiam poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt voluit Henriquez, propter rationem generalem ob quam in ſimili lib. 2 de *Matrim.* diſp. 40. n. 3. dixerat idem Author poſſe Epiſcopum in lege Concilij generalis, aut Pontificis diſpenſare. Quod docent multi Authores ibi relati & ſane credendum non eſt Pontificem, aut Concilium voluiſſe pro tali caſu tollere Epiſcopo facultatem diſpenſandi. Cùm autem, vt nos aliquoties diximus in præcedentibus, & eodem numero 3. Latè probat Sanchez poſſit Epiſcopus in ſuâ diœceſi quidquid Pontifex in tota Eccleſia; niſi aliquid Pontifex reſeruauerit (quam doctrinam latè confirmauerat idem Author lib. 1, diſp. 61. n. 3) non ſit autem veroſimile Pontificem, aut Concilium pro tali vrgenti caſu voluiſſe reſeruare, hinc eſt, vt ea facultas tacitè conceſſa intelligatur. *Vrgente neceſſitate poteſt Epiſcopus in lege Pontificia diſpenſare.*

347. Optimè autem aduertit idem Sanchez citato n. 14. non eſſe reſtringendam eam facultatem ad ſolum ſubdiaconatum, ſed etiam in eo caſu extendendam ad alios Ordines, imò, me quidem Iudice, vix poteſt eſſe tam vrgens neceſſitas Subdiaconatus, quin potiori ratione cenſeatur vrgens neceſſitas Presbyteratus; nullum enim eſt Sacramentorum, aut miniſterium, quod præſtari poſſit, aut debeat à Subdiacono ratione ſui officij, cum tamen neceſſitas Presbyteri ſepe poſſit in iis Regionibus occurrere, neque conſulitur neceſſitati fidelium; niſi Epiſcopus diſpenſet ad ſacerdotium, cùm hi ſoli poſſint Euchariſtiam conficere, & Confeſſiones excipere, extremamque vnctionem miniſtrare.

dam defectum, intrinsecè tamen dependere à crimine parentum, ac proinde, si huiusmodi crimen sit occultum, comprehendi eam Irregularitatem sub decreto Concilij. Confirmat; quia ratio, quæ mouit Concilium ad concedendam hanc facultatem dispensandi in casibus occultis fuit ad euitanda multa animarum pericula, & scandala, quæ sequerentur ex detectione occultorum criminum, quæ omnia etiã sequerentur, si necessarium esset in Irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis recurrere ad Sedem Apostolicam; quæ ratio locum habet in præsenti casu. Probat vlterius, nã licèt dispensatio, postquam concessa est in particulari casu, odiosa sit, & strictè interpretanda: potestas dispensandi fauorabilis est, & latissimè interpretanda, cap. finali de *Simonia*, & notant ibi Panormitanus & Fœlinus numero 7. Syluest. verb. *dispensatio* q. 5. Nauarrus cons. 4. de *Regularib.* numero 15. in fine. Couarrub. p. 2. c. 8. §. 8. numero 6. Beneficium enim Principis, quando non est in damnum tertij latissimè est interpretandum. cap. *Olim.* de *verb. signif.* hæc autem potestas quoddam beneficium est indultum à Concilio: ergo, &c.

Confir.

potestas dispensandi fauorabilis est & latissimè interpretanda.

256 Quod si adhuc objicias, potiùs esse priuilegium, quod, cùm sit contra Ius, vel sàltem præter Ius, strictè est interpretandum c. *cum dilectus* de *consuetud.* Respondet idem Auila negando esse propriè, & in rigore priuilegium, tùm; quia Episcopus stando in Iure diuino potest dispensare in omnibus Irregularitatibus, tũ; quia nullo Iure prohibitum est, quod Papa non possit facultatem suam dispensandi alijs delegare. Vnde Couarrub. loco citato ex hac doctrinâ probat facultatem ad legitimandum extendendam esse, & latè interpretandam. Hæc Auilæ sententia probabilissima est, & acutè simul, ac doctè confirmata, & probabilem putat Laym. suprà c. illo 5. num. 2.

Obijcies 2

Resp. Auila.

Sententiam Auilę Probabilissimã iudicat Author.

257 Plerique nihilominus putant non posse Episcopum in hac Irregularitate dispensare (quantumuis occultum sit delictum Parentum) ad maiores Ordines, tum, quia hæc Irregularitas connumeratur communiter ab omnibus Doctoribus inter Irregularitates ex defectu, Tridentinum autem non concessit facultatem, Episcopis dispensandi in Irregularitatibus prouenientibus ex defectu; sed ex proprio delicto occulto; illa enim censetur propriè Irregularitas ex delicto, quæ prouenit ex propriè delicto. Ita Suarius sect. illâ, 5. numero 5. vbi rigidè nimis appellat oppositam sententiam in probabilem, & torquere sensum Concilii, verborumque sensu abuti; quia, nimirum, Irregularitas ex delicto non vocatur; nisi ea, quę prouenit ex proprio crimine ipsius Irregularis. Ita etiam Nauarrus cap. 27. numero 194. Vgolin. suprà §. 2. num. 4. Layman suprà, & alij, & probari potest ad hominem; quia secundum ipsum Auilam illegitimus recipiens Ordines suspensus est ab ipsorum exequutione, & ea suspensio secundum ipsum Auctorem non est ex delicto; sed ex defectu; ergo etiam Irregularitas est ex defectu; atque adeò Episcopus non potest in eo dispensare. Hæc sententia videtur magis Iuri conformis; atque adeò, communis cùm sit, in praxi sequenda.

Plerique tamen putant; non posse Episcopum dispensare in hac Irregul.

Hanc sententiam magis esse Iuri conformem ait Author.

258 Nimius tamen rigor est velle oppositam improbabilitatis insimulare, cum rationes allatæ probabilem illam reddant. Et quamuis illa Irregularitas sit ex defectu, ita prouenit ex delicto, vt si non sit delictum, non sit defectus ille; vt videre est, in casu, quo Parentes bonâ fide genuerunt filium, tunc enim Irregularis non est; quia, quamuis re ipsâ non sint legitimi parentes, cessante delicto, cessat defectus Canonicus, & legalis: ergo benè possumus dicere illam Irregularitatem prouenire ex delicto; atque adeò non est torquere sensum Concilij, nec abuti verborum sensu illam Irregularitatem appellare prouenientem ex delicto, à quo dependet, etiamsi non sit proprium ipsius Irregularis, atque adeò non videtur improbabile sic interpretari verba Concilij. Verum quidem est ipsam Irregularitatem fundari proximè in defectu illius illegitimi; sed in defectu intrinsecè dependente à delicto, à quo prouenit, atque adeo non obstat defectus, quando est defectus intrinsecè proueniens à delicto.

259 In quo apparet magnum discrimen inter hanc Irregularitatem, & Irregularitatem prouenientem ex homicidio; nam, si quis haberet concessam à Pontifice facultatem dispensandi in omni Irregularitate proueniente ex delicto, adhuc posset dici non posse dispensare in Irregularitate proueniente ex Homicidio maximè propriâ manu patrato; nam huiusmodi occisio hominis non solùm inducit Irregularitatem, tanquam pœnam delicti; sed etiam ex defectu lenitatis, qui defectus potest reperiri in occisione alioquin iustâ atque adeò talis defectus separari à delicto. Defectus autem natalium sufficiens ad inducendam Irregularitatem reperiri non potest, neque Irregularitas ex illo prouenire; nisi in casu, quo parentes in generatione filij delictum committant; atque adeò Irregularitas & defectus ille natalium semper debet prouenire à delicto.

magnum discrimen inter hanc Irregul: & illam quæ prouenit ex homicidio.

260 Quæret tandem aliquis, quid nomine Episcopi intelligatur? an scilicet Episcopus consecratus, vel solùm electus, & confirmatus sufficiat?

Quæres Quis hic nomine Episcopi intelligatur. Resp.

261 Respondeo iuxta doctrinam in simili suprà traditâ disp. 3. dub. 3. & sequenti habendã esse rationem iurisdictionis potiùs, quàm Ordinis. Ita Suarius sect. 5. numero 6. atque adeò sufficit electus, & confirmatus iuxta c. *Transmissam. de elect.* idemque iudicium est de inferioribus Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem, vt cum Nauarro & alijs docet idem Suarius, & diximus loco citato.

DVBITATIO X.

De Irregularitate ex defectu ætatis.

262 DE hac Irregularitate præter dicta in præcedentibus generaliter, parum est, quod in particulari dicamus; constat enim defectum legitimæ ætatis inducere Irregularitatem ad Ordines, quamdiu talis defectus durat, & cessare cum primùm venitur ad legitimam

Ob defectũ legitimæ ætatis sit quis Irregularis ad Ordines.

mam ætatem pro tali Ordine requisitam. Colligitur hoc ex Canone primo dist. 50. & ex c. vltimo *de temporib. ordinat.* Vtrum autem suspensionem incurrat, qui Ordines Sacros præsumit recipere ante legitimam ætatem? constat ex dictis de Suspensione disp. 5. dub. 7. cap. 3. §. *Quarta suspensio.* & Tract. 6. de Ordine, disp. vnica dub. 21. vbi affirmatiuè respondimus propter Extrauag. Pij II. & alia Iura ibi citata.

263 An verò qui exercet functiones Sacri Ordinis nondum adeptâ legitimâ ætate, fiat nouo titulo Irregularis ob violationem Suspensionis? non consentiunt Authores. Tenendum autem est, quod diximus eâdem dub. 7. cap. 3. §. *Notandum secundò*, vbi diximus sic suspensum incurrere Irregularitatem celebrando, vel exercendo Ordines dummodo adsit præsumptio, ibi legatur.

In Irregularitate ex defectu proueniente ordinariè solus Papa dispensat.

264 Quod autem talis Irregularitas ex defectu ætatis proueniens cesset adueniente termino ætatis, & non anteà; nisi dispensante Papâ constat ex dictis, & ex doctrina generali Irregularitatis prouenientis ex defectu, in quâ ordinariè, & generaliter loquendo non dispensat, nisi Papa, cessante autem defectu, eo ipso cessat Irregularitas, quæ à tali defectu dependebat, atque ita docent Nauarrus cap. 27. numero 165. & numero 202. Toletus lib. 1. cap. 5. Vgolinus cap. 45. §. 16. Filiucius Tract. 16. numero 175. Reginald. numero 80. & sequentibus Sayrus lib. 6. cap. 12. Graff. 1. p. *deciss.* lib. 4. cap. 27. num. 22. & alij multi.

DVBITATIO. II.

De Irregularitate proueniente ex defectu libertatis, seu obligatione seruili, aut alijs obligationibus.

Varijs modis libertas ad Ordines admitti potest.

265 Varijs modis potest libertas ad Ordines amitti, primò propter coniugium; secundò propter statum seruilem, seu mancipij tertiò propter obligationem ad ratiocinia: quartò, vt aliqui volunt, propter debitum pecuniarium, de quibus omnibus sigillatim nonnihil dicemus.

Assertio 1.

266 Assero 1. Vxorati censentur Irregulares: nam tales non admittuntur ad Ordines: quomodò autem hoc intelligendum sit, in Tract. de *Matrim.* disputabitur, quod non admittantur constat ex c. *Vxoratus. de Ordinatione coniugatorum.*

Assertio 2.

267 Assero 2. seruus, seu mancipium, cùm sui Iuris non sit, sed sub domini potestate constitutum, assumi non potest in Clerum, seu ordinari sine expresso vel tacito consensu Domini. Ita habetur in Canone 81. Apostolorum, & totâ dist. 54. & lib. 1. *de seruis non ordinandis.* Legatur Glossa ibi cap. 2. verbo *deponatur.* Idem docent Scholastici in 4. dist. 25. maximè S. Bonauentura art. 2. q. 4. Richard. art. 5. q. 1. Intelligendum autem est hoc de ijs seruis, qui omninò carent libertate, vt patet ex citato titulo de seruis non ordinandis. Ratio verò est indecentia, quæ apparet in eo, quòd homo tam vilis conditionis promoueatur, & euehatur ad Sacerdotalem dignitatem. Qui plura de hac re velit videre Legat Suarium disp. 51. sect. 4. Toletum lib. 1. cap. 55. Antonin. tit. 28. cap. 6. §. 6. Sayrum lib. 6. cap. 14. numero 3. Vgolinum cap. 57. Nauarrum cap. 27. numero 203. Maiolum lib. 1. cap. 36. Henriquez lib. 14. c. 8. numero 7. & Auilam p. 7. disp. 3. dub. vltimo. Laym. lib. 1. Tractatu 1 cap. 8. Filiucium Tract. 19. cap. 7. quæsito 5. Reginaldum. numero 63. Hic tamen nonnulla sunt aduertenda.

268 Aduertendum primò olim idem habere locum in liberis, particularium præsertim sæcularium personarum, vt scilicet Dominis eorum viuentibus, & inuitis non ordinarentur, vt habetur Canone vltimo dist. 54. adiuncto Canone *Cuicumq;* eâdem distinctione; nam olim liberi gratitudinis vinculo manebant obnoxij Dominis suis adeò, vt qui contra eos agerent, seu delinquerent in seruitutem iterum redigi possent. L. vltima. C. de *bonis libertorum*, & lib. 2. C. *de in Ius vocando*, iam verò hoc vltimum non videtur vsu receptum. *Notandū 1.*

Serui quādiu sunt serui non possunt ordinari.

269 Habemus ergo in primis seruos, quamdiu sunt serui, non posse ordinari tum propter rationem dictam Indecentiæ, tùm quia, qui ordinatur, ideò promouetur, vt operam nauet ministerio altaris & officijs Diuinis, quibus vix potest attendere seruus obligatus alioquin inseruire Domino suo. *Ratio.*

270 Aduertendum 2. Seruum ordinatum de consensu tacito, vel expresso Domini, illo, scilicet, sciente, & non contradicente, fieri librum, & ingenuum c. *Si seruus sciente* dist. 54. Idem est, si de consensu Domini Tonsurâ initietur, nam in eo capite sermo est de seruo in Clerum ordinato, cooptatur autem, seu assumitur in Clerum per primam Tonsuram. Quod si Domino nesciente, aut contra dicente, ordinatus fuit in minoribus, potest adhuc Dominus illum sibi vendicare, & in seruum habere argumento cap. 2. de *Seruis non ordinandis*, & cap. 2. dist. 54. *Notandū 2.*

271 Quando verò absque Domini consensu initiatur Maioribus, tunc Seruus manebit quidem liber; sed ex proprio peculio oblato pretio, vel simili aliò seruo se ipsum redimere cogitatur cap. *Ex antiquis* citatâ dist. Quod si, neque hoc possit, in seruitutem à Domino intra anni spatium vendicari potest, nisi Sacerdos ordinatus sit; factus autem Sacerdos in spiritualibus officijs Domino ministrare tenetur, vt habetur c. *frequens* eâdem distinctione.

272 Si verò Dominus, postquam seruum ordinatum esse intellexit, integro anno dissimulet, censetur ei libertatem dedisse, vt habetur citato c. *Si seruus scienter.* Potest prætereà Dominus tali conditione libertatem, & facultatem concedere ad Ordines suscipiendos, vt ipsi in Spiritualibus officijs ministrare teneatur iuxta c. Nullus de seruis non ordinandis.

Dicendum de Episcopo seruum inscio vel inuito Domino ordinante.

273 Episcopus verò, qui seruum ordinauit, vel inscio, vel contra dicente Domino duplicatum pretium soluere. cap. *Seruus absente*, iuncta Glossa ibidem dist. 54. tunc enim Dominus grauatur, vt seruum ita Ordinatum venundare cogatur. Quod si Episcopus bonâ fide ordinauit, tunc alij, qui seruum ad Ordines accipiendos

piendos induxerant, simelem satisfactionem dupli præstare coguntur c. *Si absente.* eâdem dist.

Dicta de servo quoad Ordines suo modo locum habent in eodem Religionem ingrediente.

274 Quod dictum est de servo, quantùm ad Ordines, suo modo locum haber in eodem ingrediente Religionem ignorante, aut contradicente Domino, id enim non licet; alioquin à Domino intra tempus Iure definitum repeti potest. Ita Nauarrus in Coment. de Regularibus numero 7. ex cap. 1. dist. 54. & cap. *si quis* incognitus 17. q. 2. Quâ de re legi potest Glossa ibidem, & Less. lib. 2. de *Iustitiâ* cap. 41. numero 31. Azor tomo 1. lib. 12. cap. 1. q. 3.

275. Notat etiam Layman suprà numero 3. quæ de seruis dicta sunt, locum habere in quibusdam seruis, qui serui originarij, vel adscriptij dicuntur (quorum multi sunt in Germaniâ, & Bohemiâ, vt audio) dummodò Dominis suis non tantùm ratione possessionem; sed etiam personaliter obligati sint, vt, nisi pretio soluto, vel gratis à Domino manu missi discedere non possint. Legatur cap. *Admittuntur.* citata dist. 54. quod desumptum est ex Leone Primò Epistola 1. ad omnes Episcopos.

276 Alij etiam Coloni, qui ratione possessionis, vel administrationis suæ Domino sunt obligati, non debent, nec possunt ordinari; antequam eiusmodi obligationibus libri sint; atq; administrationis suæ rationem reddiderint, vt apertè habetur in citato cap. *Admittuntur*, & cap. *Generalis*, eâdem dist. 54. quod est Gelatij Epistola 1. ad Episcopos Lucaniæ cap. 16.

Omnes obligati ad ratiocinia impediuntur ne ordines recipiant.

277 Generaliter autem loquendo omnes obligati ad ratiocinia impediuntur, ne Ordines recipiant, vt habetur cap. vnico, *de obligatis ad ratiocinia*, & cap. 1. & 2. *Ne Clerici, vel, Monachi.* Quamuis autem in eo cap. vnico solùm in specie agatur de procuratoribus, actoribus, Curatoratoribus, seu Tutoribus pupillorum (nisi sint constituti in causâ pietatis, vel miserabilium personarum, vt notauit Glossa recepta in idem cap. vnicum) item de ijs, qui publicis officijs, vt Tabellionis, & similibus deputati sunt, vt non admittantur ad Ordinationem; nisi deposito munere; tamen eâdem ratione id ipsum intelligi debet de quibus suis, obligatis aliquo munere, quod ipsos minus expeditos reddat ad seruiendum Deo iuxta illud Apostoli, 2. *ad Thimot.* 2. *Nemo militans* Deo implicat se negotijs secularibus, vt obseruauit Suarius disp. 51. sect. 3. & ex ipso Layman. suprà num. 3.

278 Neque etiam deposito munere ordinari debent antequam redditis rationibus ab huiusmodi curis se expedeuerint.

279 Si tamen prædicti ordines recipiant, receptis vti possunt, vt patet ex citato cap. vnico, & ex citatis capitibus. 1. & 2. *Ne Clerici vel Monachi.*

280. Ex his patet prædictos solúm ad tempus impediri scilicet donec reddant ratiocinia, quibus redditù, & deposita ipsorum obligatione possunt promoueri ad Ordines. Secus vero præsumuntur ad Ecclesiam confugere non affectu seruiendi Deo, sed intentione effugiendi ratiocinia.

Qui nam ad ratiocinia tenentur

281 Illi autem generaliter loquendo censentur ad ratiocinia obligati qui tenentur reddere rationem administrationis publicæ vel priuatæ, vt qui debent reddere rationem muneris Thesaurarij aut depositarij æris publici, itē Aduocati, Magistratus, Iudices, &c. Priuatæ verò administrationis rationem reddere tenentur, vt dictum est, qui egerunt administrationem alicuius personæ sæcularis non miserabilis, vt sūt Tutores, Curatores procuratores, qui non debēt admitti nisi finito officio iuxta citata, capita 1. & 2. *Ne Clerici vel Monachi.* Illi verò, qui administrationem gerunt personæ Ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium; vt viduarum, pupillorum, causarum piarum &c. non impediuntur, vt significabam, & habetur, cap. *peruenit* dist. 86. alijsque Iuribus citatis, sicut nec impediuntur, qui ita administrant, vt non teneantur ex aliquo contractu reddere rationem, &, qui sunt obligati absque vllâ administratione reddere rationem ex aliquo contractu, vt ex contractu emptionis, depositi, conducti, mutui &c. nisi fortè ante promotionem, vel in ipsâ promotione mota sit eis lis de dolo, aut perfidiâ; tunc, enim promoueri non debent ante finitam litem. Ita Sayrus cap. 14. numero 8. Suarius disp. 51. sect. 3. Filiucius numero 198. Reginald. numero 66. & alij communiter.

282 Quod si post redditas rationes debito pecuniario obstricti permaneant, non sunt ab Ordinibus excludendi maximè, si de solutione debiti idoneam cautionem præstare possint. Ita Suarius citatâ sect. 3. numero 23. Layman. cap. illo 8. numero 3. in fine Bonacina disp. 7. q. 2. puncto 4. numero 4. neque enim pro ijs Irregularitas Iure expressa est. Intelligi autem debet hæc doctrina, (sicut & præcedens) dummodò non sit periculum litium; quia, si tale sit, adhuc dici potest adesse Irregularitas ex defectu prouenientè ex obligatione ad ratiocinia. Poterit autem se ab hac Irregularitate eximere, factâ bonorum cessione, & reseruatâ sibi congruâ sustentatione iuxta. cap *Odoardus de solut.* Ita Suarius suprà, vbi etiam cum Couarrub. disputat, in quo foro conueniri debeat Clericus ob debitum ante Clericàtum contractum. Item Maiolus lib. 2. cap. 11. numero 15. Filiucius nu. 201. Legatur Suarius num. 36.

283 Ex dictis infertur Curiales in Curijs Principum Sæcularium, vt sunt Iudices, Aduocati, milites, & alij, repellendos esse ab Ordinibus suscipiendis, quamdiu non fuerint soluti ab illâ obligatione, vt latè, & doctè probat Suarius disp. 47. sect. 4. Item Syluest. verb. Ordo 4. Toletus lib. 1. cap. 55. Henriquez lib. 14. cap. 5. num. 5. Filiucius num. 197. Reginaldus num. numero 64. Layman. suprà n. 4.

Ex dictis infertur, tales in curiis sæcularium non esse ad Ordines admittendos.

284 Vnde, ne Clerici sæcularibus negotijs dediti ab spiritualium officiorum administratione, & attentione impediantur, statutū est in c. Sicut *Ne Clerici, vel Monachi*, vt, qui in Sacris Ordinibus constituti sunt, per substractionem beneficiorum compellantur relinquere officium Tabellionatus, ideq; iudicium est de alijs similibus officijs. Imò Syluest. satis probabiliter docet id sentiendum esse de alijs Clericis non in Sacris constitutis, si beneficiati sint. Ita verbo *Tabellio* q. 3. §. *Tertium.* & Panorm. in citatum. cap. sicut numero 7. Layman suprà num. 4. qui adiungit

Tabellionis officium exercere prohibentur Clerici.

git aliam rationem huius prohibitionis, quantùm ad Tabellionem; quia officium (inquit) Tabellionis vile est, ideoque indecens personis Ecclesiasticis argumento *L. non aliter ff. de Adoption.* Verùm hoc de vilitate officij non est generaliter verùm; sed spectanda est communis consuetudo, & æstimatio patriæ, gentium, aut Regionum; in multis enim sæpe contingit à viris honestis, & aliquâ ratione nobilibus tale munus exerceri, imò nisi à nobilibus exerceri non potest, sicut & munus mercatoris in aliquibus Regionibus non obstat nobilitati, & splendori familiæ, etiam Principum, cùm tamen in alijs in longè minori æstimatione sit.

Quoad exercitium officij Tabellionis in causis Ecclesiasticis non variè censeunt Doctores.

285 Vtrum autem in causis Ecclesiasticis, v.g. in Consistorio Episcopi Clericus beneficiatus Tabellionis munus possit exercere? non consentiunt Doctores; plerique negant teste Layman suprà id licere Clerico in Sacris non indigenti; sed sufficiens beneficium vel sustentationem habenti præterquàm in Curiâ Papæ. Ratio est; quia vniuersim, & sine distinctione prohibetur in citato c. *Sicut*. Ita Glossa ibi verbo, *Clericis*. Panormitan. numero 6. Syluest. q. 3. citatâ, Rosella verbo *Tabellio*, §. 4. Meritò verò idem Laymā docet spectandā esse consuetudinem diœcesium cùm officium Tabellionis in Ecclesiasticis causis absolutè non dedeceat Ecclesiasticas personas, & ita habet vsus in Hispaniâ, de quo mihi satis constat; ibi enim plerique Ecclesiastici munus Notariorum exercent.

Addit Layman.

286 Aduertit etiam Layman numero 5. non reperiri in specie prohibitum, sed potiùs per Ecclesiæ consuetudinem concessum, vt personæ Ecclesiasticæ in Principum (etiam Sæcularium) Curijs fungi possint officio Consiliarij, Cancellarij, imò etiam Iudicis in causis ciuilibus. Ita Abbas in c. *Clericis* num. 10. *Ne Clerici, vel Monachi*, & in c. *Non est* numero 4. *de Voto*, in causis verò criminalibus non licet etiam citra mortis, vel mutilationis sententiam, vt colligitur ex c. *Sed nec* & cap. citato *Clericis. Ne Clerici vel Monachi*, & *L. si quis* C. de *Episc. audientiâ*, excepto tamen casu, quo fidei defendendæ causâ aut bonum spirituale animarum id exigat, vt notauit idem Layman ex Molinâ Tract. 3. disp. 8. numero 10. argumento c. *In Archiepiscop.* de *Raptoribus*.

287 Olim quidem vsitatissimum fuit, teste eodem Layman, & pro æquissimo, atque necessario habitum, vt fideles in litibus Ciuilibus; præsertim, si grauatos se sentirent, Episcopi, tanquam Christianorum maximè oppressarum, & miserabilium personarum defensoris, officium, atque iudicium postularent, eiusque sententiæ tanquam vltimæ, & irrefragabili standum foret? Vnde Imperator Constantinus in Rescripto ad Ablauium & L. 1. C. *Theodos de Episcopo indic.* Arcadius, & Honorius in l. 9. C. *Iustinian. de Episcopo audientiâ*. Sic decernunt loquentes de Iudicio Episcopali. *Iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint. Eamque illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quàm vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet prouocare.* Atque in huiusmodi causis Sanctum Augustinum valde occupatum fuisse testis est Possidonius in illius vitâ cap. 19. & ipsemet Augustinus de *Opere Monarch* cap. 29. vbi satis significat sibi molestissimam esse eam occupationem.

288 Colligitur. 2. non arceri ab Ordinibus qui Curiæ Episcopali inseruiunt, id enim non est inseruire Curijs Principum sæcularium. *Collige 2.*

289 Colligitur 3. non esse repellendos ab Ordinibus, qui aulas Principum, & Curias obsequij causâ absque obligatione frequentant habent enim integram, & perfectam libertatem. *Collige 3.*

290 Colligitur, 4. feudatarios, id est eos, qui re immobili acceptâ cum instrumento, & iuramento obligati sunt personaliter inseruire Domino non esse admittendos ad Ordines; nisi feudum relinquant, vel saltem à Domino directo facultatem habeant: Quâ de re legi potest Maiolus lib. 2. cap. 5. numero 5. Sayrus suprà numero 13. Filiucius num. 200. *Collige 4.*

291 Vtrum autem, & quâ ratione sit incapax Ordinis, qui caret patrimonio, ad cuius titulum ordinari vult, non est huius loci disputare; nonnihil diximus agentes de Ordine Tract. 6. disp. vnicâ dubio 22. prope finem. §. *Septima qualitas*, & Legi potest Tridentinum sess. 21. cap. 2. de *reformatione*. Suarius, & Filiucius locis citatis.

DVBITATIO XII.

De Irregularitate ex bigamimia.

292 HÆc Irregularitas appellari solet ex defectu Sacramenti, vt videre est in c. *acutius*, dist. 26. & cap. *Debitum* de *bigamis* quatenus vox Sacramentum sumitur pro re, aut signo significante aliquid Sacrum, & in hoc casu pro Matrimonio, quod consummatum in lege nouâ significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per carnis assumptionem iuxta Apostolum *ad Ephesios* 5. quæ significatio plenior est, ac perfectior id Matrimonio cum vnâ solâ, eâque virgine; quia Christus copulauit sibi Ecclesiam vnicam ab alio non assumptam. Non est autem ita perfecta significatio cum vxore secundâ, vel cum viduâ, aut corruptâ, vt videre est apud Augustinum lib. de *bono coniugali*. cap. 18. *Dicitur hæc Irregularitas ex defectu Sacramenti.*

293 Hæc est causa, ob quam bigamia sit quædam Irregularitas contracta ex multiplici Matrimonio contracto, & consummato, aut ex Matrimonio cum corruptâ, vt ex dicendis videbitur. Legatur Vgolinus cap. 56. numero 1. Syluest. verbo Bigamia q. 2. Nauarrus cap. 27. numero 195. Suarius disp. 49. sect. 1. Azila p. 7. disp. 8. dub. 1. Sayrus lib. 6. cap. 3. Filiucius Tract. 19. cap. 4. Quæsito 1. Qui omnes, & alij communiter triplicem assignant bigamiam, scilicet, veram, interpretatiuam, & similitudinariam. *Triplex bigamia.*

294 Prima, & vera bigamia, & propriè dicta, est, si vir cum duabus legitimis vxoribus Matrimonium consummauit, siue eas duxerit ante Baptismum, siue post Baptismum; ob eamque causam Irregularem fieri, & ad Ordines *Prima & vera bigamia est.*

nes

nes assumendum non esse constat ex Apostolicâ traditione, vt videre est. 1. Ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse Diaconi sint vnius vxoris.* Quibus prohibet Apostolus, ne is, qui vltrà vnam vxorem habuit, Episcopus fiat, Presbyter aut Diaconus, atque hac ratione hunc locum communis sensus Ecclesiæ intelligit, vt videri est Canone 16. Apostolorum & apud Tertulianum lib. 2. *ad Vxorem*, & in Concilio Romano sub Siricio cap. 8. & in Concilio 4. Carthaginensi Can. 69. & apud Ambrosium Epistolâ 82. ad Ecclesiam Vercellensem, vbi addit Patres Concilij Nizeni statuisse nec Clericum quenquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit, & apud S. Epiphanium Hæresi 59. contra Catharos, & apud Innocentium Papam epist. 22. Ad Episcopum Macedon. c. 1. Cœlestinum 1. Epist. Ad Episcop. Galliç c. 6. Concilium Romanum sub Hilario cap. 2. Gelasium Papam epist. 1. cap. 24. Lucium. III. in c. 2 & Cœlestinum, III. in c. 3. de *bigamis non ordinandis*.

295 Porrò sufficere, quòd etiam ante Baptismum sic contraxerit & consumauerit, bis, aut sæpiùs, vel semel ante Baptismum, & iterum Baptismum, constat ex c. *Acutius* in principio citato & cap. si quis viduam. dist. 34. docentque communiter Theologi teste Rebello lib. 3. de *Matrimonio* q. 20. numero 4. Maiol. lib. 1. cap. 33. Vgolino §. 1. ad finem Nauarro numero 191. Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 67. numero 4. Sanchez lib. 7. de *Matrim.* disp. 83. numero 8. Sayrus lib. 6. cap. 3. numero 23: Henriquez lib. 12. cap. 6. Valentia infrà citando Toleto lib. 1. cap. 70. Coninc disp. 18. dub. 11. num. 102.

Qui cum duabus Matrimoniũ contraxit sed cum vna tantum illud consummauit non est bigamus. *Ratio.*

296 Si quis autem cum vnâ solâ consummauit, cum altera verò priore, aut posteriore contraxit quidem; sed non consummauit, bigamus, aut Irregularis non censetur. Rationem huius tradit Innocentius III. in c. *Debitum. de Bigamis non ordinandis.* Quia nimirum coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per carnis mysterium est contractum. Itaque viuersim in hac materia semper præ oculis habendum est nulllum Matrimonium ex parte viri, vel fœminæ causam bigamiæ, aut Irregularitatis afferre; nisi consummatum sit.

Secunda bigamia est Interpretatiua.

297 Secunda bigamia est interpretatiua, quæ contingit quando quis re verâ non contraxit cum duabus, secundum Iuris tamen interpretationem, fictionem vt censetur cum duabus contraxisse, & ab Ordinibus repellitur, tanquam bigamus. Hæc autem tribus modis contingere solet, ex quibus duo extra controuersiam sunt. Tertius verò in controuersiâ positus.

Quæ tribus modis contingere solet.

Primus modus.

298 Primus est, quando quis viduam, vel ab altero corruptam duxit & vidua quidem habetur Canone Apostolorum 17. aliàs 18. c. *Si quis viduam*, dist. 50. cap. *Præcipimus* dist. 34. cap. *Debitum*, cap. vltimo *de bigamis.* Pro corrupta etiam ab alio facit. cap. *Curandum.* dist. 24. quod est Hilarij Papæ in Concilio Romano vbi generatim cauetur *ne ad sacros Ordines quisquam qui vxorem non virginem duxit, aspiret.* Item apud Innocentium Primum. Epistol. 22. ad Episcop. Macedon. cap. 1. *Nos omnesque per Orientem, & Occidentem Ecclesias nouerit vestra dilectio', neque ad vltimum Ecclesiastici Ordinis locum tales* (qui viduam, vel electam duxerunt) *assumere, & si reperti fuerint submouere.* Concilium etiam Cartaginense, 4. dub. Anastasio cap. 69. sic habet. *Simili sententiæ* (scilicet suspensionis ab officio ordinandi) *subiacebit Episcopus, si sciens ordinauerit Clericum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit aut secundam.* Ratio petenda est ex defectu Sacramenti, quam indicauit Innocentius in illo c. *debitum*, quia nimirum tale matrimonium non perfectam gerit similitudinem Christi sibi copulantis Ecclesiam ipsi soli desponsatam, & ab altero non assumptam. *Ratio.*

Ex dictis Colligitur eum qui viduam duxit non cognitam à priori viro non esse bigamum.

299 Ex dictis constat eum, qui duxit viduam, non cognitam à priori viro non esse bigamum; quia non interuenit duplex Matrimonium consummatum atque adeò tunc copulatur cum eâ, quæ licet cum altero contraxerit non fuit illi carnaliter copulata.

300 Item colligitur non esse bigamum, qui duxit fœminam corruptam quidem, non ab alio; sed ab ipso viro, tunc enim caro non separatur, nec censetur copulari alteri carni: nam Matrimonium subsequens retrotrahitur, & reputatur quasi factum cum illâ ante primam copulam, censeturque contractum cum Virgine. Ita Nauarrus cap. 27. numero 195. Sanchez suprà disp. 84. numero 14. Suarius suprà sect. 3. numero 7. Sayrus cap. 4. numero 17. Couarrub. apud citatos. Vgolinus suprà §. 2. numero 5. Filiucius numero 110. Reginald. numero 82. Syluest. & alij communiter quidquid sentiat in contrarium Hostiensis in *Summâ* lib. 1. tit. de *Bigamis*. *Collige 2.*

301 Infertur etiam nihil referre, siue mulier volens corrupta fuerit, siue per vim, nec, siue vir sciuerit esse viduam, vel corruptam siue ignorauerit; quocumque enim modo contingat, deest iam perfecta significatio, hæc enim Irregularitas non orietur ex culpâ, sed ex defectu Sacramenti, & significationis, quidquid etiam in contrarium censerit Sa verbo *Irregularitas ex bigamia.* numero 2. (quamuis non clarè loquatur) & alij apud Sanchez citatâ disp. 84. numero 15. Legatur Sanctus Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 1. Syluest. verb. *Bigamia* numero 2. Couarrub. Clementina *Si furiosus* p. 1. cap. 2. §. 3. Sanchez suprà num. 9.

302 Ex ijs constat ratio, ob quam vir bigamiam interpretatiuam non incurrat, etiam ante Matrimonium sæpe cum vnâ aut pluribus fornicatus sit, vel concubinas habuerit, vt docent Doctores in cap. *Quia circa* de *Bigamis.* quia tale Matrimonium non patitur defectum Sacramẽti; hoc enim erga mulierem tendit, postulans, vt ea à pluribus viris cognita non sit. Ideò, quoties reperitur maritalis coniunctio viri cum vnicâ ab alio carnaliter non cognitâ, subsistit perfecta significatio Sacramenti. *Collige 3.*

Secundus modus interpretatiuæ bigamiæ.

303 Secundus modus interpretatiuæ Bigamiæ est, quando quis accessit ad vxorem propriam, quam virginẽ, & non ab alio cognitam duxit, & cognouit; Sed postquàm illa iam Matrimonio copulata adulterata fuit cum alio, siue volens,

valens,siue per vim, ipse etiam illam cognouit. Hic modus bigamiæ habetur c. *si cuius uxorem*.c. *Si laici*. dist. 34. cuius ratio est defectus Sacramenti, & similitudinis, seu significationis; quia talis maritalis coniunctio desinit habere perfectam similitudinem Christi cum Ecclesiâ, eo ipso, quòd illa cognita fuerit à duobus. Ideò nihil refert, quòd mulier, siue volens, siue per vim cognita sit, item siue vir adulterium vxoris sciuerit, siue ignorauerit. Ita Couarrub. Clementinâ *Si furiosus*. p. 1. §. 2. numero 3. Nauarrus cap. 27. numero 195. Syuest. verbo *Bigamia* q. 3. Auila p. 7. disp. 8. dub. 1. § *Tertio modo*, Suarius disp. 49. sect. 3. numero 16. Maiol. lib. 1. cap. 33. Vgolin. §. 2. Filiucius suprà, Bonacina disp. 7. q. 2. puncto 5. numero 2. §. *Tertio modo*, & alij communiter.

Tertius modus Bigamiæ interpretatiua.

304 Tertius modus Bigamiæ interpretatiuæ à Doctoribus communiter asseritur, quando quis post vnam vxorem carnaliter cognitam, aliam, priore, viuente, aut etiam mortuâ, maritali affectu cognoscit, cum quâ inualidè propter dirimens impedimentum nuptias contraxit, tunc enim censetur bigamus non realiter; sed interpretatiuè; quia præsumitur bis contraxisse Matrimonium, quantùm ad affectum, & intentionem contrahendi cum duabus copulâ subsequutâ animo maritali, idque colligunt ex c. *Nuper*, de *Bigamis*. vbi decernitur eum, qui mortuâ vxore Sacrum ordinem accepit in Clericatu secundam mulierem sibi matrimonialiter coniunxit licèt in veritate Bigamus non sit, pro Irregulari tamen; quasi bigamus sit, habendum esse. Non quidem propter Sacramenti defectum; sed (vt dicebam) propter intentionem, & affectum, cum opere subsequuto. Putant verò Doctores hanc responsionem illius Textus tantùm exemplariter datam in Clerico in Sacris constituto esse autem intelligendam de omnibus etiam Laicis, si cum vnâ validè, & posteà cum alterâ inualidè matrimonium contrahant, & consumment; Vnde, tanquam bigamos, esse à Sacris Ordinibus repellendos. Ex quâ doctrina variæ dubitationes resultant.

Dubitatur 1

305 Dubitari potest primò an eâ doctrinâ suppositâ, qui duo Matrimonia inualidè contraxit propter impedimenta dirimentia sit bigamus Matrimonijs consummatis, atque adeò Irregularis?

Resp.

306 Negant Henriquez lib. 12. cap. 6. numero 9. Auila citato dub. 1. notabili. 2. Affirmant verò Nauarrus numero 195 Suarius disp. 49. sect. 2. numero 11. Sanchez, lib. 7. de *Matrim.* disp. 84. numero 3. & alij apud eundem. Filiucius numero 104. Sotus, Toletus, & alij apud citatos, Vtraque sententia probabilis est, & priorem etiam sequitur Coninc disp 18. dub. 11. nu. 101, posteriorem verò Bonacina suprà num. 2. referens Valentiam. Iudicium inter vtramque sententiam infrà feremus.

Dubitatur 2

307 Dubitatur 2. an. qui priùs inualidè cum vnâ contraxit & posteà cum alterâ validè censeatur bigamus interpretatiuè, & Irregularis?

Resp.

308 Negat Henriquez suprà in Comment. numero 9. Littera. Y. Affirmat Auila suprà, Sanchez loco citato numero 5. & alij communiter. Probabilis etiam est vtraque sententia, & inter vtramque iudicium etiam infra feremus, sicut & de sequentibus dubijs.

309 Dubitatur, 3. an qui contrahit fictè cum alterâ, incurrat bigamiam interpretatiuâ, & Irregularit. Negat Henriquez suprà n 9 Littera, Y & alij apud Suarium sect. illâ 2. nu. 3. Affirmat Suarius ipse 161. num. 10. & alij plerique. *Dubit 3.* *Resp.*

310 Dubitatur 4. an qui bonâ fide nesciens impedimentum contraxit cum alterâ, censendus sit bigamus, & Irregularis? *Dubit. 4.*

311 Negant Sanchez cum alijs quos refert suprà numero 6. putat enim hanc interpretatiuam bigamiam ratione culpæ introductam esse: alij verò communiter affirmant apud eundem Sanchez, & Suarium sect. 2. num. 8. & Sanchez ipse probabilem putat sententiam. *Resp.* *Ibid.*

312. Dubitatur 5. an contrahens, & consummans cum viduâ, vel corruptâ inualidè, bigamiam interpretatiuam, & Irregularitatem incurrat? Negat Nauarrus numero illo 195. quia id nullo Iure expressum est, cum tamen Irregularitas non incurratur; nisi in casibus Iure expressis, testatur Nauarrus ita esse decissum in Sacrâ Pœnitentiariâ, eundem sequitur Henriquez numero 9. in fine. Auila suprà dubio 2. Sanchez suprà numero 11. Affirmat Couarrub. Clementina *Si furiosus*, p. 1. §. 2. numero 2. Suar. sect 3. num. 3. qui testatur de communi sententiâ. *Dubit. 5.* *Resp Nauarrus negatiue.* *Affirmat Suarius.*

313 Inter has sententias, & dubia non est omninò facilè iudicare, duo tamen in hanc re dicenda videntur cum Laym. suprà. cap. 6. numero 5. *Duo hic dicenda.*

314 Primum prædictas Irregularitates non esse Iure Canonico satis expressas, vt apertè docet Coninc suprà numero 100. Henriquez lib. 12. cap 6. numero 9. in Commentario litteriâ Y. alios referens, Suarius sect. illâ 2. numero 4. nam cap. *Nuper*, & c. vltimo de *bigamis*, vbi de his fit aliqua mentio, solùm agitur de Clerico in Sacris ducente vxorem, qui ante Clericatum fuerat coniugatus, & talis pronuntiatur repellendus ab Ordine, tanquam bigamus, quamuis re verâ bigamus non sit; neque in eo cernatur defectus Sacramenti sed intentio tantùm opere subsequuto: nullibi autem mentio fit de Laicis. Vnde non licet in materiâ odiosa & strictè interpretandâ extensionem facere, & mihi etiam placet fundamentum, quo vsus est Sanchez eam scilicet bigamiam interpretatiuam, & Irregularitatem inde prouenientem ratione culpæ introductam esse. Vnde valde credibile est Innocentium. III. sic respondentem specialiter punire voluisse Clericorum temeritatem; nec enim dicit esse Irregulares propter defectum Sacramenti; sed propter prauam intentionem cũ opere sequuto, sicuti etiam *infamia notatur* (inquit ille) *qui duas simul vxores habet*, & Presbyter punitur, *qui non legalibus nuptijs detinetur*. Ideò optimè notauit Layman satis colligi ex Textu non fuisse propositum Innocentio nouũ aliquod Ius introducere; sed, quòd antiquis Canonibus conforme esset, decernere. Quod autem Matrimonium inualidè contractum, siue cum alterâ vxore, siue cum vtraque, siue cum viduâ Irregularitatem, tanquam ex bigamia, inducat, non est conforme Iuri; nam iuxta *Primum Prædictas Irregul. non esse Iure Canonico satis expressas.*

Regulam 52. de *Regulis Iuris* in 6. non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.

Secundum.

315. Secundum videtur dicendum supposità communi Doctorum sententià, quod Irregularitas, tanquam ex Bigamiâ, contrahatur, si laicus post primum Matrimonium aliam, seu priore viuente seu mortuâ seriò, & non simulatè ducat conscius impedimenti, eam sententiam in praxi sequendam esse; nam licèt ea Irregularitas non sit Iure scripto expressa, generali tamen Ecclesiæ consuetudine Doctorumque consensu introduci potest; & vim obtinere; nomine enim Iuris non solùm intelligi debet Ius scriptum; sed etiam consuetudo Ecclesiastica, vt communis sensus Ecclesiæ, quando iam habet vim legis. Quæ doctrina à Laymano tradita satis probabilis est, qui rectò etiam manet in alijs casibus, quando Iure scripto non est expressa Irregularitas; sed controuersia est, & dubium inter Doctores non esse timendam in praxi Irregularitatem.

Bigamia similitudinaria.

316. Similitudinaria tandem bigamia tunc solet contingere quando quis post professionem in Religione, & votum Castitatis ibi emissum, vel (vt alij volunt) etiam in susceptione Sacrorum ordinum, vbi votum Castitatis emittitur Matrimonium celebrat vtique inualidum cum aliquâ, siue virgine, siue corruptà eamq; carnaliter cognoscit; hic enim bigamus habetur tum post fidem Christo datam eam, quasi irritam faciens cum muliere matrimonialiter se coniungat, ideòque Irregularis censetur. Ita colligunt Doctores quos refert Sanchez lib. 7. disp. 85. n. 8, ex c. *Quotquot* 27. q. 1. & ex citato c. *Nuper* de *Bigamis*, Tamen, vt Henriquez notauit lib. 12. c. 6. n. 10. in Comment. literâ *H.* ibi sermo esse videtur de virginibus Deo sacratis, quæ si post Christum, cui se spiritualiter desponsarunt, alteri viro carnali nubant, *δίγαμοι*, quasi Bigamæ & adulteræ habentur, nulla tamen ibi mentio fit de Irregularitate. Communis autem Doctorum sententia praxisque ac traditio Ecclesiæ, quæ est optima Canonum antiquorum interpres testatur Religiosos ob Matrimonium illegitimè contractum & consummatum irregularitatem incurrere; quia adstrictus voto solemni censetur spirituali quodam Matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesiæ: ergo si velit carnaliter cum alio coniungi per Matrimonium censetur duo celebrare Matrimonia, non quidem vera; sed similitudinaria, talem autem Bigamiam, seu Irregularitatem inde prouenientem non agnoscunt Doctores, aut Ecclesiæ praxis in eo qui susceptis Minoribus Ordinibus, aut tantùm omisso voto simplici Castitatis contrahit, & consummat Matrimonium cum virgine, neque eam colligunt ex Iure. Ita Sanchez disp. illâ 85. n. 11. Vgolinus suprà §. 3. n. 4. Nauarrus & Sayrus suprà, imò graues Authores (& quidem satis probabiliter) putant per votum Castitatis in ordine Sacro non induci eam Bigamiam; sed doctrinam traditam tantum locum habere in voto solemni Castitatis Religiosi. Ita Suarius disp. illâ 49. sect. 4. Filincius c. 4. quæsito 9. n. 121. Abbas in c. Nuper de Bigamis, & alij apud citatos satisque videtur significare Layman dùm in hac Irregularitate, seu Bigamia similitudinariâ solùm meminit voti solemnis professionis in Religione. Notat verò suprà numero 6. Cum Suario suprà sect. 6. num. 7. & in fine, & Auila p. 7. disp. 8. dub. 4. hanc Irregularitatem esse dispensabilem ab Episcopo, vel à Prælatu Ordinis exempto. Postea verò idem Layman disputans de Clerico in Sacris, & concedens Clericum in Sacris esse Irregularem, si vxorem viduam ducat, vel si ante Clericatum coniugatus fuerat, & posteà quamcumque ducat iuxta c. *Nuper* & c. vltimo de *Bigamis* asserit nihilominus, si Clericus in Sacris, qui antea vxorem non habuerat, contrahat Matrimonium cum virgine, Irregularem quidem fieri; sed non Bigamia similitudinariâ. Priorem ait esse communem sententiam, & apertè sumi ex c. 1. *Qui Clerici vel vouentes*, & c. *Sanè Sacerdotes* de *Clericis coniugatis*. Quibus in locis adiungitur Episcopum cum tali, si post longam Pœnitentiam, & laudabilem vitam continens fuerit, dispensare posse, vt officio restituatur, imò etiam ad superiorem Ordinem ascendat. Quod etiam de Religioso intelligi debet; nam hæ duæ Irregularitates (inquit Layman) ex contracto Matrimonio, & à Clerico in Sacris æquiparantur. Posteriorem verò partem probat ex eo, quòd in titulis Decretalium, quibus de Matrimonio à Clericis intelligitimè contracto agitur, nulla vnquam Bigamiæ mentio fit. Accidit quòd Innocentius III. in citato c. *Nuper*, & cap. vltimo agens de Bigamia, in quâ nullus etiam est Sacramenti defectus, ait nihilominus in eâ dispensare non esse licitum. Cùm ergo in Irregularitate contracti Matrimonij à Clerico in Sacris, qui anteà coniugatus non fuerat, liceat Episcopo dispensare sequitur hanc Irregularitatem non esse Bigamiæ similitudinariæ. Quæ doctrina probabilis etiam est, & Iuri scripto valde conformis; quamuis absolutè propter aliorum authoritatem probabile putem per votum Castitatis in Ordine Sacro non induci Bigamiam modo initiatus contrahat cum virgine, vt citati Authores dixerunt.

Religiosi ob matrimonium illegitimè contractum & consummatum irregularitatem incurrunt.

317. Habemus ex dictis non solum ex verâ; sed interpretatiuâ, & ex similitudinariâ Bigamiâ contrahi Irregularitatem & consequenter inhabilitatem ad Ordines & beneficia, vt patet ex cap. 1. 2. & 3. de *Bigamis*, & ex Tridentino sess. 23. cap. 17. de *Reformatione*, tùm propter defectum significationis iam explicatæ, tùm, quia, Bigamus difficile potest alij Castitatem persuadere, & continentiam, quam habere debent, & in eâ prælucere Sacris Ordinibus initiati iuxta cap. *Vna* dist. 26. Bigamia verò signum est continentiæ, vt notant communiter Doctores ex cap. *Proposuisti* dist. 82.

Ex dictis collige non tantum ex vera sed etiam ex interpretatiua similitudinaria Bigamia contrahi Irregularitatem. Ratio.

318. Habemus etiam ad Bigamiam duo requiri primum, vt Matrimonium cum duabus contrahatur, aut verè, aut interpretatiuè, aut similitudinariè. Secundum, quod sit copula actualis; nam Matrimonium ratum significat prædictam Christi coniunctionem cum Ecclesiâ, & Bigamia, seu Irregularitas propter ipsam inducta est, quatenus Matrimonium con-

Collige 1. ad Bigamiam, duo requiri.

consummatum cum duabus non perfectè significat vnionem verbi cum Ecclesiâ per incarnationem.

Colligi 3. 319. Habemus vlterius multiplicationem Matrimonij rati non consummati non inducere Bigamiam, ac proinde non esse Bigamum, aut Irregularem, qui contraxit cum vnâ eâque mortuâ ante consummationem iterum contraxit cum virgine, & consummauit, vt patet ex citato c. *Debitum* sicut neque qui duxit ductam ab alio iam mortuo, sed non cognitam c. vltimo dist. 34. deficit enim carnis commixtio. Tunc autem dicitur Matrimonium consummatum, quando fœmina recepit semen intra vas debitum, vt explicabitur in proprio Tractatu de *Matrimonio.* Ita Sanchez suprà disp. 83. Toletus, lib. 1. c. 61. & 62. & alij plerique.

Ex dictis. Infertur 1. 320. Ex dictis infertur primò multiplicitatem sponsalium, etiamsi fortè interuenerit copulâ, non inducere Irregularitatem quia sponsalia cum eâ copulâ non significant coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per incarnationem sicut Matrimonium consummatum, vt notauit Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. puncto 5.

Infertur 2. 321. Infertur 2. nec plures fornicationes, neque adulteria ex parte viri inducere Bigamiam, cùm sola copula matrimonialis cum ijs, cum quibus contraxit Matrimonium sufficiat illam inducere; Matrimonium enim consummatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ; non fornicatio iuxta c. *Acutius* dist. 26. Vnde non erit Bigamus, qui post plures fornicationes etiam cum viduis, aut corruptis contraxit & consummauit Matrimonium cum vnicâ virgine, vt constat ex c. *Quia circa*, de Bigamis. Vnde Presbyter, qui plures concubinas habuit, non ligatur Irregularitate ex Bigamia.

Dubium cur Ecclesia statuerit esse Bigamum &c. 322. Dubitari meritò potest hoc loco cur Ecclesia statuerit esse Bigamum, vel Irregularem, qui contraxit cum fœminâ ab alio cognitâ licitè, vel illicitè; non verò, qui contraxit Matrimonium cum virgine, quantumuis ille sæpè fornicatus fuerit cum alijs?

Suarius aliíque assignant rationem. 323. Hac de re Suarius sect. 3. numero 9. Vgolinus suprà Sayrus cap. 4. numero 13. Filiucius numero 117. omissis alijs rationibus, dicunt id factum fuisse; quia defectus virginitatis in sponsâ maior est indecentia, & vir tenetur, & potest facilè illam vitare, estque quædam infamia ducere ab alio cognitam extra Matrimonium. Quæ omnia cessant; quando corruptio præcessit ex parte viri, & cùm valde difficile sit virò Virginitatem seruare ante Matrimonium noluit Ecclesia ad hoc obligare omnes ordinandos, nec difficile reddere Matrimonium cuiuscumque hominis priùs incontinentis: hoc autem sequeretur, si per illud quis fieret Irregularis. Omitto alias rationes minoris momenti, aut nimis metaphysicas; sed neque ratio illata habet, nisi quemdem congruentiam; neque enim ignominiosum est contrahere cum honestâ, neque indecens, & tamen, qui contraxit cum viduâ cognitâ a præcedenti viro, fit Irregularis. Vnde

Authoris Ratio. ego dicerem causam esse; quia defectus corruptionis signatus manet in carne fœminæ, non in carne viri; atque adeò; nisi in viro præcesserit alter contractus Matrimonij consummatus, non reperitur defectus significationis coniunctionis Christi cû Ecclesiâ vnicâ; in fœminâ verò, in quâ moraliter loquendo censetur manere vestigium præcedentis coniunctionis potest reperiri causa defectus significationis in Sacramento Matrimonij cum illâ consummato; quia vir illam sibi copulans censetur copulari cum eâ, in quâ erat vestigium copulæ cum altero; atque adeò illud Matrimonium consummatum non perfectè significat coniunctionem Ecclesiæ cum vnico tantùm sponso Christo. Vnde mirum non est quod potiùs hoc genus Irregularitatis ex defectu significationis in Sacramento sumatur ex parte incontinentiæ fœminæ quàm ex parte incontinentiæ viri.

324. Infertur 3. ad Irregularitatem Bigamiæ non sufficere copulam nefandam, siue illam habuerit vir cum aliâ vxore, quam solum sic nefariè cognouit, siue illa, cum quâ contrahit, sic cognita fuerit ab alijs; quia hæc copula non significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, neque impedit perfectam significationem quæ est in copulâ matrimoniali, seu Matrimonio consummato, neque ex vllo titulo apparet hanc esse Bigamiam. Ita Vgolinus suprà §. 1. num. 5. Sanchez disp. illa 83. num. 7 & alij. *Infertur 3.*

Infertur 4. esse bigamum, & Irregularem, qui carnaliter cognouit suam vxorem, postquâ ipsa credens virum esse mortuum, bonâ fide cõtraxit, & consummauit Matrimonium cum alio; iam enim vir accedit ad vxorem suam cognitam ab alio, & non attenditur culpa fœminæ; sed defectus significationis consurgens ex eo, quòd caro fœminæ pluribus communicata fuerit. Ita Nauarrus c. 27, n. 195. Filiucius n. 107. Toletus c. 61. n 7. & alij apud Sayrum c. 4. n. 19. & apud Garziam, quem refert, & sequitur Bonacina suprà puncto 5, n. 11. *Infertur 4.*

326. Habemus tandem ex dictis infidelem etiam non Baptizatum, qui in infidelitate sæpius contraxit, esse bigamum & Irregularem suscepto Baptismo, nam bigamia non tollitur per Baptismum. Baptismus enim tollit quędam delicta, quoad culpam, vel etiam, quoad pœnam: non verò tollit coniugia, ac proinde nec Bigamiam ex coniugio prouenientem. Ita Rebellus suprà qui testatur de communi sententiâ, Suarius, Filiucius, Reginaldus paulò post citandi. *Infertur 5. quoad Infidelem,*

327. Quod si obijcias infidelem non subdi legibus Ecclesiæ: ergo non incurrit Bigamiam, & Irregularitatem ab Ecclesiâ impositam. *Obijcies.*

328. Respondet Filiucius numero 102. Reginaldus lib. 30. Tract. 2. numero 90. Bigamiam non cadere super Infidelem tempore Infidelitatis; sed super ipsum Baptizatum; nam Ecclesia hunc facit Irregularem ob iudicium incontinentiæ & quòd contraxerit bis Matrimonium, vel ob indecentiam, eo quòd contraxerit cum corruptâ extra Matrimonium. Legatur Sanchez lib. 7. disq. 83, num. 8. & 9. Suarius sect. 6. numero. 10. *Resp.*

329. Quod si secundò obijcias Infidelis occidens alium tempore Infidelitatis ante Baptismum nôn est Irregularis non solùm pro tempore Infidelitatis, sed non post Baptismum: ergo nec Bigamus. *Obijcies 2.*

intelligitur de consilio, alioquin Iure suo potest Episcopus dispensare, vt constat ex præcitato textu, vt cum innumeris, quos refert, sentit Sanch. ibidem, quidē iudicat de illa conditione quæ in citato c. 2. exigitur, scilicet, si verè pœnitentes sint; putat enim cum alijs, quos refert, eam conditionem solùm peti ex consilio.

Opinio Sanchez.

339. Sed numero 22. idem Sanchez cum alijs, quos refert, putat posse Episcopum dispensare in Irregularitate Bigamiæ similitudinariæ professi transeuntis ad Matrimonium, sicut & cum Clericis. Deinde numero 23. & per errorem 24. putat posse Episcopum dispensare in Irregularitate Bigamiæ similitudinariæ, etiamsi mulier esset corrupta, si ex delicto occulto oriatur. Idque probat ex Tridentino sess. 24. de *reform.* cap. 6. quem locum latè tractauimus dub. 3. & 4. citatis, & sequentibus vbi cum eodem Sanchez diximus nomine Episcopi intelligi etiam alios Prælatos habentes iurisdictionem Episcopalem. Vnde in hoc casu idem Sanchez videtur sentire prædictos Prælatos intelligi nomine Episcopi.

Suarius Opponit.

340. Sed accerrimè reclamat Suarius sect. 6. citatâ numero 17. vbi ait. *Sed ego non considerem, nec admitterem sine speciali priuilegio*, & probat, etiam, cùm dicuntur. Prælati Religiosorum participare iurisdictionem Episcopalem, intelligendum est, quoad ea, quæ communi Iure, & ordinario Episcopis conueniunt. Hæc tamen ratio non multum me mouet. Quia contra eundem Suarium, citatâ disp. 3. dub. 3. & sequentibus satis probauimus eam potestatem, quæ conceditur Episcopis, conuenire etiam alijs Prælatis habentibus potestatem, quasi Episcopalem; nam illa potestas conuenit Episcopo Iure ordinario, vt ibi explicatum est, & Iure communi; cum Episcopis competat ea facultas secundum suam Iurisdictionem Episcopalem non delegatam; sed ordinariam concessam tùm in Iure communi c. illo 1. *Qui Clerici vel voventes*, quantùm ad hanc specialem materiam huius Irregularitatis, tùm generaliter in Tridentino loco citato. Vnde, non, tanquàm delegato, sed, tanquàm Ordinario superiori ea facultas conceditur atque adeò ordinaria. Falsum ergo assumit Suarius, dum significat eam facultatem dispensandi non conuenire Episcopo Iure ordinario. Si ergo, quæ Episcopo Iure ordinario conueniunt, etiam competunt Abbatibus, alijsque Prælatis Relegionum hæc etiam potestas illis competit. Quam etiam sententiam videtur docere Henriquez lib, 12. de *Matrimonio* c. 6. in fine imò consequenter id dicent omnes, qui nobiscum censerunt in illâ sess. 24. Tridentini c. 6. vt vidimus citatâ illâ disp. 3. dub. 3.

Suarii ratio Authori non placet.

Dubium.

341. Dubitari autem potest; an bigamus, qui absque dispensatione fuit ordinatus, gaudeat priuilegiu Clericali?

Resp.

342. Respondeo gaudere, si suscepit ordinem Sacrum; quia non potest viuere, vt laicus, sed viuere debet, vt Clericus, ac prindè gaudere debet Clericorum priuilegijs. Qui verò solùm tonsurâ, vel minoribus Ordinibus initiatus est, caret omni priuilegio Clericali c. vnico *de Bigamis* in 6. Ita Vgolinus suprà §. 5. numero 3.

ioan. de Dicastil. de Censur.

Saytus c. 5. numero 2. & Sanchez suprà Filiucius quæsito 51. Suarius suprà sect. 5. numero 4. & sequentibus.

Quæret.

343. Quæret tamen aliquis, an saltem Episcopus possit dispensare, quando vrget necessitas ministrorum, vt apud Indos?

344. Aliqui affirmant, saltèm, vt bigamus fiat Subdiaconus. Probant ex c. *Lector*. dist. 34. vbi ea facultas conceditur Episcopo; neque obstat, quod tunc Subdiaconatus nondùm connumeratus erat inter Sacros Ordines, quamuis enim iam inter Sacros computetur, nullibi ea Iuris dispositio sublata inuenitur; ergo seruāda est. Ita Paludan. in 4. dist. 27. q. 4. art. 5. n. 35. Supplementum Gabrieles ibi q. 3. ad finem Turrecrema citatu c. *Lector*. art. 2. numero 8. Henriquez lib. 12. de *Matrimonio* c. 6. n. 51. qui tamen alio argumento probat scilicet, quia tacitè Pontifex concessisse videtur ratione vrgentis necessitatis.

345. Negant alij, quos in magno numero refert Sanchez n. 11 & sequitur n. 14 Quamuis enim ea Textus decisio non inueniatur expressè correcta ad tacitè correcta creditur, cùm omninò causa illius concessionis cessârit, effecto iam subdiaconatu ordine Sacro instar aliorum. Vnde eadem est ratio de illo, vt de alijs, ad quos ex citato c. *Lector*. constat Episcopum non posse dispensare.

Vrgente necessitate potest Episcopus in lege Pontificia dispensare.

346. Addit tamen Sanchez in casu, quo ingens vrgeret necessitas penuriæ ministrorum, neque esset aditus ad Pontificem ob magnam loci distantiam posse Episcopum dispensare, vt voluit Henriquez, propter rationem generalem ob quam in simili lib. 3 de *Matrim.* disp. 40. n. 3. dixerat idem Author posse Episcopum in lege Concilij generalis, aut Pontificis dispensare. Quod docent multi Authores ibi relati & sane credendum non est Pontificem, aut Concilium voluisse pro tali casu tollere Episcopo facultatem dispensandi. Cùm autem, vt nos aliquoties diximus in præcedentibus, & eodem numero 3. Latè probat Sanchez possit Episcopus in suâ diœcesi quidquid Pontifex in tota Ecclesia; nisi aliquid Pontifex reseruauerit (quam doctrinam latè confirmauerat idem Author lib. 1, disp. 61. n. 3) non sit autem verosimile Pontificem, aut Concilium pro tali vrgenti casu voluisse reseruare, hinc est, vt ea facultas tacitè concessa intelligatur.

347. Optimè autem aduertit idem Sanchez citato n. 14. non esse restringendam eam facultatem ad solum subdiaconatum, sed etiam in eo casu extendendam ad alios Ordines, imò, me quidem Iudice, vix potest esse tam vrgens necessitas Subdiaconatus, quin potiori ratione censeatur vrgens necessitas Presbyteratus; nullum enim est Sacramentorum, aut ministerium, quod præstari possit, aut debeat à Subdiacono ratione sui officij, cum tamen necessitas Presbyteri sepe possit in ijs Regionibus occurrere, neque consulitur necessitati fidelium; nisi Episcopus dispenset ad sacerdotium, cùm hi soli possint Eucharistiam conficere, & Confessiones excipere, extremamque vnctionem ministrare.

DVBITATIO XIII.

De Irregularitate quæ oritur ex infamia

Infamia definitio.

348. INfamiam appellamus publicam notitiam de prauâ vitâ & moribus alicuius, de quâ sermo est aut esse potest inter plures, qui iam id norunt, seu (vt alijs verbis id ipsum explicemus) infamia bonæ famę priuationem significat; est autē fama iuxta l. *Cognitionem ff. de varijs & extraordinarijs cognitionibus* bona existimatio, seu (vt lex ipsa loquitur) *dignitatis illesæ status legibus & moribus comprobatus.* Vnde infamia nihil aliud est, quàm diminutio eiusmodi status, vt notauit Petrus Gregorius Tholosanus lib. 31. Syntagmatis Iuris c. 29. n. 7. & Suarius disp. 48. sect. 1 n. 1. ibi legatur.

Duplex infamia Iuris & facti. Iuris item duplex est.

349. Hæc autem infamia duplex est: vna Iuris, quæ etiam legalis dicitur, & altara facti. Infamia item Iuris duplex est; quædam quæ oritur ex delicto proprio, cui ex Iuris dispositione annexa est infamia: altera non ex proprio delicto; sed ex alieno, vt posteà explicabitur.

350. Infamia ex proprio delicto contingit propter atrocia aliqua crimina, quæ, si notoriè patrentur, infamiam patranti inferunt, vt notant communiter Doctores, maximè Alphonsus de Castro lib. 2. de Lege pænali c. vltimo circa finem. Couarr. 3. *variar* c. 3. n. 2. Auila p. 7. disp. 4. dub. 5. requiritur autem ad incurrendam huiusmodi infamiam, vt factum sit notorium maiori parti viciniæ vel Collegij, vel loci, in quo quis degit, vt docent Authores citati, & Suarius sect. illâ 1. n. 20. Nauarrus c. 27. n. 148 Reginald. lib 30. n. 195. Tabiena verbu *Infamia* n. 2. Saytus lib. 2. c. 13. Conínc disp. 18. dub. 7. n. 56. Auila eodem dub. 5. & alij apud Garz. de *Benef.* p. 7. c. 8. n. 18.

Notitia facti requisita ad incurrendam Infamiam.

351. Quid autem requiratur ad hanc notorietatem varijs in locis me dixisse memini. Legatur, quæ diximus disp. 2. de *Excommunic.* dub. 29 & locis ibi notatis maximè in nostro opere de *Iustitia* Tract. de *Restitutione*. disp. 12. multa verò sunt crimina, quæ in Iure Canonico vel ciuili subijciuntur infamiæ; imò omnis infamia, quæ per Ius Canonicum reuocata non est, censetur infamia Canonica c. *Omnes* 1. q. 6. Et quamuis plura alia crimina connumerentur ab Authoribus, decem sunt crimina, quibus annexa videtur infamia legalis ex proprio delicto. Primum est crimen Lenocinij l. *Athletas* §. *Ait Prætor ff. de ijs qui notantur infamia* & l. *Palam.* §. *Lenocinium ff. de Ritu nuptiarum*, ex ijs tamen legibus videtur colligi ad hanc infamiam opus esse, vt quis Lenocinium id est prostitutionem viri, aut fœminæ, quasi per consuetudinem, exerceat. Secundum est crimen sponsaliorum, vel Matrimonij cum duabus l. 1. & l. *Quid ergo ff de ijs, qui notantur infamiâ.* & c. *Nuper de Bigamis.* Tertium est crimen publici vsurarij l. *Improbum fænus C. ex quibus causis infamia irrogetur.* Quartum est crimen læsæ Maiestatis, cui assimilatur seu æquiparatur hostilis persequutio Cardinalium, vel contra ipsos præstitum auxilium c. *Fælicis de pœnis in 6.* Quintum est crimen periurij promissorij l. *Si quis maior* C. de *Transacta* l *Quoties C. de dignitate* lib. 12. Sextum ignominiosa exautoratio militis ob crimen commissum l. 1. & 2. *ff. de ijs, qui notantur infamiâ.* Septimum, qui operas suas, ut cum bestijs pugnaret, locauit l. 1. §. *Item Senatus consultò ff.* de *Postulando.* Octauum est, qui quæstus causâ, seu pretio accepto in certamen cum homine descendit l. 2. §. vltimo *ff. de ijs, qui notantur Infamiâ.* Legatur Molina Tract 4. disp. 8. §. 9. vbi hanc legem interpretatur: Illi tamen pugiles, seu athletæ, qui proposito sibi præmio furtitudinis exercendæ causâ decertant, non comprehenduntur, vt notauit Glossa in l. 1. C. de *Athletis* lib. 10. Nouum crimen est Hæresis, de quo iterum decemus dub. 21.

Decem criminibus annexa est infamia legalis ex proprio delicto.

352. Decimum crimen non est quidem Iure expressum, tamen per consuetudinem Iudicium Doctorum consensum populorum; atque nationum iudicium infamiam banc Iuris generat, nempe Sodomia voluntaria non verò per vim. Legantur quæ diximus disp. 4. dub. 7. cap. 3. §. *Neque etiam.* His adde, si placet, vndecimum ea Tridentino sess. 24 c. 6. de *Reform Matrimonij.* Vbi infamia decreta est mulieris raptori, ijsque qui consilium, vel auxilium præbent. Adde etiam duodecimum nempe, de quo agitur in eodem Concilio sess. 25. c. 19. de *Reform.* vbi infamia etiam decreta est descendentibus in duellum, eorumque patrinis; de quo egimus disp. 3. dub. 62. Legantur, quæ diximus in nostro opere de Iustitia lib. 2. Tract. 1. disp. 10. dub. 15. num. 233. & seqq.

353. Quædam verò crimina sunt propter quæ patrator non incurrit infamiam ante Iudicis sententiam. Talia sunt crimina, quæ publica dicuntur; quia cuilibet de Populo concessum est in ijs accusare, vt crimen adulterij, homicidij, proditionis, falsi, rapinæ, de quibus agitur Institutа de *publicis iudicijs* & l. 1. *Infamem ff.* eodem. Item sunt aliqua crimina priuata, vt furti, iniuriarum, doli, mali, lib. 1. l. *Athletas* §. vltimo *ff. de ijs, qui notantur infamiâ* & cita l. *Infamem.* Nec tantùm, qui de bis proprio nomine condemnatus est; sed etiam, qui pactus, ne de tali crimine accusaretur, habetne infamis, citatâ l. *Athletas* §. vltimo, ibi *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui pacificitur* l. *seqq. ff.* eodem. puto autem in eo casu requiri Iudicis sententiam condemnantis de turpi pactione. Item, qui actione directâ pro socio, tutela, mandati, depositi, ob interuenientem dolum damnati sunt, infamiam incurrunt. Quâ de re legi potest Molina de *Iustitiâ* Tract. 4. disp. 8. numero 22. Item, qui de calumniâ illatâ per iniquam accusationem condemnatus est, citatâ l. *Athletas* §. *Calumniator* & §. *Item præuaricator*, appellatur autem præuaricator, quasi varicator *qui diuersam*, vel potiùs aduersam causam adiuuat, prodita causâ suâ.

Crimina ob quæ ante Iudicis sententiam non incurritur infamia.

354. Requiritur autem in prædictis criminibus secundi generis ad infamiam incurrendam, vt præcesserit processus Ordinarius per viam accusationis, vel saltem inuocato & audito reo ad sui defensionem, si Iudex ex officio procedat.

dat, vt ex communi sententiâ docet Iulius Clarus lib. 5. *sententiar. §. Practica criminalis*, q. 72. nu. 3. requiritur etiam sententiâ condemnatoria, quia sola iudicialis probatio, aut confessio criminis non habentis ipso Iure annexam infamiã, non inducit infamiam Iuris; sed solum facti, vt docet Auila, p. 7. citatâ disp. 4. dub. 5. §. *Pro quo* Bartholus in citatâ. L. *Infamen.* Angelus verb. *in famia* num. 6.

Discrimen inter priora & posteriora crimina. 355. Ex quo habemus discrimen inter priora & posteriora crimina, quod in prioribus (vt dicebam) ante sententiam Iudicis incurritur infamia solùm requisita notorietate facti; in posterioribus verò sententia requiritur, & alia prædicta.

356 Si tamen causa subsit sufficiens, vt ordinarius Iuris processus, & sententia condemnatoria non præmittantur, & reus ipse crimen confessus, aut in eo deprehensus afficiatur pœnâ verberum vel simili aliâ publicâ, quæ crimini competat, eo ipso Iuris infamiam incurret iuxta L. *Ictus fustium de ijs, qui notantur infamiâ*, & L. *fustibus*. C. *ex quibus causis infamia irrogatur*, & docet Molina disp. illâ. 8. numero 19. cum Glossa in L. *nullam*, §. *Quæstione*, C. eodem alijque Recentiores.

357 Non sufficit autem tortura ad incurrendam infamiam, non enim inducitur in condemnationem, seu pœnam, sed ad indagandam veritatum citatâ L. *Nullam* iunctâ Glosâ.

Nec quæuis sententia Iudicis condemnataria sufficit; sed requiritur quod transierit in rem iudicatam, scilicet quod ab eâ intra tempus à Iure definitum appellatum non fuerit, sicut enim appellatio interposita suspendit sententiam, ita etiam infamiam ex sententiâ prouenientem. Ita Molina Tract. 3. disp. 9. num. 4.

Infamia Iuris quandoque absque delicto. 358 Aduertendum etiam est cum Auila supra, & Henriquez cap. 5. numero 3. & alijs infamiam Iuris aliquando induci sine delicto ex officio infami v. g. Histrionis, Mimi, & similium, vt posteà dicemus.

359 Altera Iuris infamia contrahitur non ex proprio delicto; sed vel ex delicto parentum, qui crimen læsæ maiestatis, ac perduellionis, hæresis commiserunt. L. *Quisquis* 5. *Filijs* C. *Ad legem Iul. Maiest.* Similisque est infamia, quæ Iure Canonico cap. *fœlicis de pœnis* in 6. irrogatur filijs ac nepotibus eorum, qui Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter persequuntur: vel (vt paulò antè dicebam) contrahitur infamia ex vili conditione personæ, vt Histrionis, qui in publicis spectaculis agit L. 2. § vltimo ff. *de ijs, qui notantur infamia*, c. *Aliquanto* dist. 51. & cap. 1. causa 4. q. 1. Item, vt dub. præced. dicebam, qui cum muliere similis conditionis mimâ scilicet, Histrionisâ, &c. contraxit. c. *Si quis viduam.* (desumpto ex Canone 18. Apostolorum) dist. 34. Item illegitimi, vt iam diximus dub. 9. censentur enim quasi infames, seu ignominiâ notati, ideò appellatur ille defectus natalium, vt notauit Panormitanus in cap. *venerabilem* numero 3. *Qui filij sint legitimi.* Non tamen propriè & simpliciter illegitimi censeri debent infames; sed tantùm in ordine ad effectus Iure expressos. Vnde, si Iura non prohibeant, ad actus legitimos, & munera publica debent admitti, vt ad munus Tabellionis. Item ad ius Hæreditatis ex testamento si aliquis carens ascendentibus illegitimum instituit; ita vt à fratre testatoris per querelam testamenti in officiosi, quasi vilis & infamis persona instituta esset, repelli non possit, vt docet Molina Tract. 4. disp. 7. numero 5. Seruandæ tamen Leges sunt particularium, nationum, aut Regionum. Vnde si in aliquibus illegitimi maximè non naturales ab hæreditate parentum repelluntur, Lex illa seruanda est; sicut è contrà, si deficientibus filijs legitimis, non obstantibus ascendentibus; alicubi permittitur parentibus instituere filios naturales hæredes, repellendi non sunt; imò in Hispaniâ filij naturales necessarij hæredes sunt maternæ hæreditatis deficientibus legitimis. Itaque standum est legibus & consuetudini patriæ. Vnde in Germaniâ Carnificum, & quorundam lictorum filij infames habentur; adeò, vt non tantùm à publicis dignitatibus; sed etiam à Mechanicis officijs repellantur.

360. Tandem aduerte id, quod suprà indicabam, prædictas omnes Iuris sæcularis infamias locum habere vbique gentium ex vi Iuris Canonici vbicumque tales leges Sæculares locum habent, omnes enim sunt à Iure Canonico receptæ & approbatæ generali Regulâ Hadriani Papæ causâ, 6. q. 1. vbi ait *Omnes infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant.* *Regula generalis.*

361 Quamuis autem Ius Canonicum vbique; gentium vim habeat per totam Ecclesiam, non tamen eo ipso, quòd aliquâ Lege alicuius Regionis, aut Nationis infamia statuatur, censetur ea infamia locum habere vbique sed ibi tantùm vbi Lex illa viget. Vnde, si in vnâ Natione aliquod munus, seu officium Lege habetur vile, aut infame, non eo ipso erit infame in aliâ, in quâ fieri potest, vt officium habebatur honestum. Sic olim Præconis munus honestũ habebatur, vt ex Homero, & alijs, antiquis constat, postea verò in plerisque Regionibus vilissimum munus habetur, & sæpe in eandem personam concurrit cum munere carnificis. Sic video etiam in Germania non esse infame, sed potius honestum quod milites aut alij Sclopetis trajciant, & occidant hominem damnatum ad mortem; quòd tamen in Hispaniâ esset turpissimum, & nemo uir honestus auderet eâ ratione exequi sententiam Iudicis ad tale genus mortis reum damnantis. Vnde filius sic occidentis non contrahetet in Germaniâ infamiam ex eo quod parens sic fuisset talis sẽtẽtiæ exequutor; quam puto contractuum in Hispaniâ, vbi quacumque ratione per sententiam Iudicis damnatum tanquam exequutor sententiæ quis occideret, quasi carnifex haberetur, atque adeò Infamiam, & inde ortam Irregularitatem deriuaret in filium. *Infames Iure ciuili habentur tales Iure Canonico vbi ius illud viget.*

362 Aliquando autem in Iure Canonico infamia Iure Ciuili introducta aufertur, vt videre est in c. vltimo de *secundis nuptijs* vbi allata est in famia, quæ in authentica. c. de *secundis nuptijs* decreta est mulieri ad secundas nuptias transeunti, intra annum viduitatis. Iam verò de infamia facti dicamus. *Iure ciuili introducta Infamia, quandoque Iure Canonico aufertur.*

363. Infamiam facti appellat Suarius suprà sect. 1. numero 3. popularem aut vulgarem.

Ea autem est publica notitia, vel opinio commissi criminis, quod in fame censetur apud graues, prudentes, & honestos viros, apud quos fama, & existimatio hominis spectatâ personæ qualitate, & statu læsa censetur. Ita Suarius suprà numero 29. Reginald. numero 195. Conine numero 56. Filiucius numero 248. Couarrub. Henriquez & alij apud Garz de Benef. 7. p. c. 8. numero 12. colligiturque ex L. *Ea quæ pater* C. *ex quibus causis infamia*, & cap. vltimo de *tempor. Ordinat.*

Nota 1. 364 Nonnulla verò sunt circa hoc aduertenda. Aduertendum 1. ad hanc infamiam non solùm requiri commissi criminis publicam euidentiam; sed etiam communiter vulgatam opinionem; nihil enim aliud est infamia, quàm publicæ famæ, seu existimationis diminutio. In quo consentiunt Auctores citati dùm docent tale delictum debere esse publicum, seu notum maiori parti viciniæ; quæ notorietas intelligi debet iuxta superius dicta. Ratio autem, ob quam ea delicta debeant esse publica; sumitur; tùm ex dispositione Iuris in citato cap. vltimo de *Tempor. Ordinat.* tùm; quia crimen occultum non parit infamiam. Vnde licèt quis crimine in fami accusatus fuerit non ideò infamis censeri debet; nisi apud viros honestos, & probos famam eius læsam esse sciatur, vt docet Hostiensis in cap. *Meminimus, de accusat.* edit. 2. In quo casu, & quotiescumque Clericus non ex vanis; sed probabilibus coniecturis infamatus est de crimine, quod tamen plenè probari non potest, indicenda est ei purgatio Canonica, scilicet, vt iuret se delictum non commisisse & compurgatores viros honestos adducat, qui iurent credere se purgatorem verè iurasse iuxta c. *Quoties de purgat. Canonica*, Legitur Simancas de *Catholic. Institut.* cap. 56. Quod si crimen, de quo aliquis infamatus est, graue sit, & cum scandalo iunctum, tunc Superior illum suspendere debet, donec se purgauerit, sicut colligitur ex cap. *Cum P.* & c. *Inter.* eodem titulo.

Crimen occultum non parit infamiam.

Nota 2. 365 Aduertendum. 2 Vt quis censeatur de crimine infamatus, necessarium esse, vt viri graues, & prudentes prædictam de homine existimationem habeant; nam, si constet ab hominibus tantùm leuibus, & imprudentibus rumorem criminis profectum fuisse, non ideò contracta infamia censeri debet; quia (vt habetur L. *Decurionum. C. de pœnis.*) vanè voces hominum non sunt audiendæ. Ita Ponormitanus in cap. *Inquisitionis §. Qusiuisti* numero 4. de *Accusat.* & in c. *Qualiter*, el. 2. num 29. eodem titulo.

Nota 3. 366 Aduertendum, 3. tale debere esse crimen, de quo quis infamatur, vt spectato personæ statu, & communitatis, intra quam viuit meritò reddatur abiectæ, & vilis existimationis. Ideò Molina suprà, disp. 7. numero 6. *si homo secularis* (inquit) *in simplices fornicationes incidat, vel immoderatè iuret, vel similia alia crimina habeat, non contrahit infamiam facti.* Hoc tamen videtur intelligendum ad contrahendos Ciuiles effectus infamiæ; nam ad Ecclesiasticos Ordines talis inhabilis censeri debet iuxta Canon 17. Apostolorum, & ex proximè dicendù ampliùs declarabitur.

Nota 4. 367 Aduertendum 4. infamiam facti, seu popularem aliquo modo ex Iuris dispositione pendere; nempe, quod attinet ad effectus, seu impedimenta Legalia. Quâ propter spectato Iure Canonico, Faciliùs incurri potest hæc infamia; sufficit enim quoduis peccatum mortale, in quo quis notoriè perseueret. Ita significatur in cap. *Testimonium.* de *Testibus* c. *Constituimus* 3, q. 5. c. *Alieni*, & seqq. 2. q. 7. c. *Infames* c. *illi* 6. q. 1. cum tamen ciuili Iure solùm censeantur infames eo ipso, quos ipsæ leges apud viros probos sinistra opinione speciatim notatos significant, v. g. filij, quos pater in testamento seriò increpauit, vti habetur in citatâ L. *ea quæ pater*. Quod si leges non expresserunt, tunc Iudicis arbitrio commissum videtur consideratâ tàm criminis nondum emendati grauitate, quàm conditione seu dignitate muneris, à quò criminosus repelli debet. Quod ferè locum etiam habet in infamiâ Canonicâ; nam vt Molina Tractatu. 4. disp. 8. in fine notauit antiquus Canonum rigor, vt propter quoduis peccatum mortale infamia incurratur, hodiè non tàm strictè obseruatur, saltem in ordine ad aliquos infamiæ effectus. Obseruari tamen maximè deberet, vt talis persona, antequàm emendata sit, ad Ecclesiasticos ordines, & beneficia non admittatur; atque etiam, vt testimonio eius tantò minor fides habeatur His omnibus præmissis.

368 Assero primò inter alios effectus infamię tàm Iuris, quàm facti est ille, qui ad nostrum institutum maximè pertinet, scilicet, Irregularitas ad Ordines. Est communis sententia Doctorum ex c. *Infames*, 6. q. 1. c. *Qui in aliquo.* dist. 51. c. *Omnipotens* de *accusat.* Puros enim, & immaculatos non infamatos in Clerum, seu sortem Domini & Sacrum eius ministerium adoptari conuenit. Legi possunt Scholastici in 4. dist. 25. Maximè Richardus art. 6. & de Infamia Iuris docent Nauarrus numero 204. Auila citato dub. 5. Sayrus cap. 11. Suarius disp. illâ 48. sect. 2. Coninc. suprà numero 56. Toletus lib. 1. c. 57. numero 1. & seqq. & alij communiter, qui hoc probant ex citato c. *Infames.* Ex quo etiam probant de infamiâ facti prouenienti ex delicto, & ex Regula 87. Iuris in 6. vbi dicitur *infamibus porta non pateant ad dignitatem.* *Assertio 1. Inter alios infamiæ effectus statuitur Irregularitas.*

369 Non me latet aliquid in contrarium videri significare Suarium loco citato & disp. 42. sect. 3. numero 7. item Filiucium Tract. 19. numero 207. & seqq. & Tract. 2. numero 198. Toletum lib. illo. 1. cap. 57. Conine. suprà, dùm docent crimina, quæ Iuris infamiam non habent, non inducere Irregularitatem, etiamsi delinquens factus sit infamis ob publicitatem criminis. In quo etiam consentire à fortiori videtur Garz. de *Benef.* p. 11. cap. 3. numero 118. & p. 7. cap. 8. dùm asserit dùm crimina, etiam enormia, excepto Homicidio, non inducere Irregularitatem ratione infamiæ etiam pro tempore, quo talis delinquens in eo statu perseuerat.

370 Probabilius tamen puto, quod dixi esse scilicet Irregularem propter prædictam infamiam facti quamdiu non fuerit emendatus; nã, si sit emendatus, vt posteà dicemus, auferri potest infamia facti.

371 Hæc autem Irregularitas ex infamia facti proueniens præcisse considerata non censetur. *Irregul. ex Infamia facti non tempo-*

dit vsum susceptorum ordinum, ... eramarié.

tur respectu Ordinum susceptorum; sed suscipiendorũ; nã infamia ipsa præcisè non impedit exercitium susceptorum; nisi fortè alioquin crimen tale sit, vt impediat etiam susceptorum exercitium, & peculiarem inducat Irregularitaté, quale est homicidium. Legatur Azor tomo 2. lib. 6. cap. 7. q. 3. Toletus lib. 1. c. 60. Suarius, & alij nuper citati.

Assertio 2.

372 Assero 2. obiter, & quasi per diggressionem infamiæ effectus etiam est, quòd infames admitti non possint ad dignitates. L. vnicâ. C. de *infamibus* lib. 10. l. 2. C. de *dignit.* lib. 12. ibi. *Neque famosis, & notatis, & quos scelus, & vita turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.* Vbi monet Glossa omnem ibi infamiã comprehendi siue Iuris sit, siue per sententiam siuè per improbam, & vulgo reprehensam vitam, idque maximè locum habet iure Canonico in Ordine ad dignitates Ecclesiasticas iuxta c. *Inter dilectos* de *Excess. Prælat.* ibi. *Cũ personis vilibus, & indignis portæ dignitatis patere non debeãt, iuxta legitimas sanctiones.* Vnde sũpta videtur citata regula 87. Iuris in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.*

373 Intelligi autè debet hæc doctrina de quibuslibet beneficijs Ecclesiasticis, quę ab infami adquiri non possunt, vt notauit Panormitanus in cap. *Querelam.* de *Iureiur.* Couarrub. 3. *variarum* cap. 3. num. 3.

Differentia inter infamiam Iuris, & facti.

374 In hoc autem differunt infamia Iuris, & infamia facti, seu popularis, quòd infamiã Iuris simul repellit à dignitatibus, & beneficijs acquisitis, & acquirendis iuxta citatã L. vnicam C. de *Infamibus*, lib. 10. & ex communi sententiã docet Couarrub. in practicis cap. 19. numero 5. Syluest. verb. *Infamia* numero 15. Molina Tract. 4. disp. 11. Armilla verbo *Infamia* num. 4. nam sicut miles per contractam infamiam priuatur Iure militari, L. 2. §. *miles ff. de ijs qui notantur infamiã:* ita multò magis miles spiritualis per infamiam priuatur Iure Ecclesiastico vt argumentatur ibi Glossa. Requiritur tamen sententia Iudicis ad exequutionem iuxta doctrinã generalem pro his pœnis maximè grauibus, & notauit Molina ibi numero 3. imò id solùm intelligi debet de beneficijs, seu dignitatibus; nam de minoribus beneficijs non videtur habere locum hæc doctrina; quia eorum priuatio ipso Iure non incurritur ex præcisã admissione criminis infamis, cùm id Iure expressum non reperiatur; sed post Iudicis sententiam, quæ requiritur, non solùm ad exequutionem pœnæ; sed ad illam incurrendam. Ita Molina & Syluest. suprà. Garz. p. 7. de *Beneficijs*, cap. 8. numero 37. & docet Glossa in simili cap. vltimo verb. *ex vi.* de *Iure Patronatus.*

Illa repellit ab acquisitis & acquirendis beneficijs &c.

Infamia verò facti ab adquirendis, tantum repellit.

375 Infamia verò facti, seu popularis, solùm à dignitatibus & beneficijs adquirendis, non ab adquisitis repellit ipso Iure; nullibi enim reperitur in Iure expressum. Vnde dignitatis priuatio à legitimo superiore inferenda est, si crimen sit depositione dignum, vt cum communi sententiã docet Molina suprà & Garz. numero 35. Henriquez lib. 14. c. 5. numero 3. Littera, O. Auila p. 7. disp. 4. dub. 5. conclus. 2. & legi potest Panormitanus in cap. *Omnes* de *Accusat.*, vbi disputat, an accusatus de crimine eligi possit? & negatiuè respondet, si infamia præcessit; affirmatiuè verò, si non præcessit, ne malitiose accusatio prætendatur, monet tamen interim promouendum, seu instituendum non esse.

Quæres.

376 Quæret tamen aliquis, an electio vel collatio beneficij facta infami sit ipso Iure irrita.

Sub dist.

377 Respondeo sub distinctione, si infamia sit Iuris, irrita est; hîc enim est vnus ex effectibus sententiæ, seu à Iure, seu ab homine inflictę: Si verò infamia sit facti, negat Garz. esse ipso Iure nullam, p. 7. cap. 8. numero 47. etiamsi crimen sit depositione dignum. Alij verò affirmãt Abbas citato cap. *Inter dilectos.* numero 8. Ioannes Selua p. 3. de *Beneficijs* q. 5. num. 31. Nauarrus cap. 27. num. 204. & 251. Molina disp. illa 11. numero 3. Auila disp. illa 4. dub. 7. §. *ex dictis sequitur.* Ratio est; quia omnis Irregularitas præcedens collationem beneficij reddit ipsam subsequentem irritam, vt loco citato dixit Nauarrus; omnis autem infamia, non solùm Iuris; sed etiam facti, inducit Irregularitatem, vt vidimus; ergo infamia tàm facti, quàm Iuris reddit subsequentem electionem, aut collationem beneficij irritam.

Authoris Iudicium.

378 Inter has duas sententias ego censerem hanc posteriorem locum habere in foro exteriori ita, vt Iudex electionem, vel collationem, factam infami perinde censere debeat irritam ac si à principio irrita fuisset, ipsum verò electum, vel prouisum in foro conscientiæ, si vitæ emendatione amouere velit infamiam, & consequenter Irregularitatem, non obligari ad resignandum beneficium; cum enim talis criminosus laborans solâ infamiâ facti, nec à Iure, nec ab homine condemnatus sit, non videtur illi tanta obligatio imponenda, si se ad beneficium habilem reddere velit, maximè, si vera est sententia, quam aliqui sequuntur satis probabiliter, maximè Syluest. verb. Excommunicatio 4. §. 4. & alij apud Suarium disp. 40. sect. 2. numero 29. alijque Recentiores, scilicet, beneficij collationem factam Irregulari esse quidem illicitam, & contra Canones; ac proinde infirmandam; non tamen ipso Iure irritam. Quam sententiam Suarius ibidem, & Coninc disp. 18. dub. 1. probabilem putant, & nos probabilem putauimus cum ijs, & alijs suprà dub. 6. quæsito 5. Quâ probabilitate positâ, ac proinde posito, quòd Irregularis susceptum beneficium possit retinere, si speret se super Irregularitate obtenturum dispensationem (quæ omnia probabilitate non carent, vt docet Layman lib. 1. Tract. 5. p. 5. c. 1. numero 3.) consequenter à fortiori in proposito casu dicendum est posse retinere beneficium, si hanc minùs propriè dictam Irregularitatem ex vitæ improbitate ortam paratus sit abolere per notoriam pœnitentiam.

Beneficij collatio facta Irregulari non est ipso iure irrita.

379 Illud etiam ego addiderim non videri improbabile eum, qui contraxit infamiam ex prauis suis moribus maximè ex aliquo particulari delicto tali, vt sit locus abolitioni infamiæ, & Irregularitatis inde contractæ per emendationem, si per triennium perseueret sine ullâ notâ reincidentiæ, & perseuerantiæ in tali crimine censeri emendatum; nam quod per lapsum triennij censeatur quis emendatus, multorum, & grauium Authorum est sententiã; de quo alibi

per triennium non reincidens censetur emendatus.

bi me dixisse memini; nec vacat in præsenti sa de re latius disputare.

380. Vltenùs effectus infamiæ est, quòd ea tam Iuris, quàm facti repellat hominem ab actibus legitimis, & publicis muneribus. v.g. Iudicis Assessoris, causarum patroni, seu Aduocati, Accusationis, testis, vt videre est causa 3. q. 7. cap. *licet* & *Testimonium* de *Testibus* & alijs Iuribus apud Syluestrum verb. *Infamia* q. 8. & apud Petrum Gregorium Tolosan num l. 31. *Syntagmatis* cap. 29. numero 7. & sequentibus, & apud Molinam citatâ disp. 21.

Dubium 381 Iam vero dubitant aliqui, an infamia Iuris, & quæ inde nascitur Irregularitas, contrahatur ob solam criminis ad missionem etiamsi occultum maneat, neque in publicam notiam deueniat?

Resp. affir. aliquorum. 382 Affirmat S. Antonin. 3. p tit. 28. cap. 6. §. 7. Syluest. verb. Irregularitas q. 14. Suarius disp. 48. sect. 1. nu 17. dùm ait, eum qui occultè commisit crimen, cui infamia ipso Iure annexa est, teneri abstinere ab Ordinibus, tanquàm Irregularem, si esset periculum se infamandi.

Negant alij. 383 Negant alij cum Glosâ in cap. *Inquisitionis de accus.* Ita Abbas in cap. *Ex tenore de tempor. ordinat.* Couarrub. 3. *variar.* cap. 3. numero 2. Nauarrus cap. 27. numero 248 Conincdisp. 18. dub. 7. numero 56. Henriq. lib. 13. cap. 36. & lib. 14. cap. 5. numero 2. Auila p. 7. disp. 4. dub. 7. conclus. 1. qui Regulam generalem tradunt ex cap vltimo *de Tempor. ordinat.* quòd scilicet *per nullum crimen occultum excepto Homicidio Irregularitas contrahatur.* Huic tamen Regulæ necessariò addenda est altera exceptio violationis Censuræ Ecclesiasticæ, quæ quantumuis occulta Irregularitatem inducit.

Regula generalis.

Sententia negans videtur Authori probabilior. 384 Hæc secunda sententia absolutè videtur probabilior. Existimo ergo actu, & de facto non incurri Irregularitatem, supposito quòd non incurratur infamia eo ipso, quòd delictum sit occultum, atque adeo nec cætera impedimenta Legalia, quæ ex infamiâ orta ex tali delicto dependent; sed ea omnia incurri, aut contrahi fundamentaliter, & in radice, ita, vt accedente publicâ notitiâ, vel extra, vel intra iudicium, efficiatur infamia, & inde resultent prædictæ inhabilitates, seu legalia impedimenta Irregularitatis, & aliorum. Quòd contrahatur fundamentaliter illa infamia, & cætera impedimenta ex eo patet, quòd ea est virtus latæ sententiæ ipso Iure, vt per eam ipsum factum damnatum maneat ad pœnam positis circumstantijs requisitis, & in hoc negotio requisita videtur infamia seu notitia publica; quâ positâ nihil amplius videtur requiri ad incurrendam eam pœnam. Ex quo patet positâ notitiâ delicti, atque adeò diminutione famæ, inde resultare suos effectus completè, nec anteà posse, quamuis enim commiserit crimen, nondum est infamis ex tali crimine, nisi tantùm fundamentaliter, vt accedente publicatione sine vllâ Iudicis sententiâ infamia indelebilis, & propriè dicta Irregularitas contrahatur, vt iterum dicemus.

Committis occultum crimen, non nisi fundamentaliter est infamis.

Dubium. 385 Restat adhuc examinandum id, de quo iam obiter diximus; an scilicet criminis infamia &c, quæ inde oritur, Irregularitas, tollatur per emendationem, & pœnitentiam?

386 In quâ restatuendum primò videtur, si crimen, quod, vt infame, Iure damnatum est, occultum fuit, & non putatur publicandum, poterit criminosus post actam pœnitentiam ordines suscipere iuxta suprà dicta; quam sententiam probabiliorem, & benigniorem fatetur Garz. p. 7. capite 8. numero 19. Si verò quis putet tale crimen à se occultè commissum posteà publicandum tenetur abstinere à susceptione Ordinum, aut Ecclesiastici beneficij; alioquin, deponetur ab Ecclesiastico Iudice sic ordinatus, & collatio beneficij rescindetur perinde, ac si ab initio irrita fuisset, vt docet Suarius sect. illâ 1. num. 16.

387 Quod si loquamur de infamiâ ipso Iure, vel per Iudicis sententiam contracta ob crimen notorium, multi putant, & nihi placet, non tolli per pœnitentiam; sed per dispensationem Principis, cuius auctoritate infamia decreta fuit. Ita habet communis sententia, & explicat Gratianus super c. *Euphemium* 2. q. 3. & probat ex Calixto Papâ epist. 2. Ratio verò est; quia talis infamia habet rationem pœnæ sententialis illatæ in perpetuum à Legitimo Magistratu vel à lege; ergo tolli non potest, nisi ab eodem Magistratu vel à Principe auctore Legis; eiusdem enim iurisdictionis est legare, & absoluere; pœnam imponere, & in integrum restituere.

Infamia contracta ob crimen notorium non nisi per dispensationem tollitur.

388 Ex quo infertur non posse Magistratû Ecclesiasticum via ordinaria, & directâ Iure ciuilt infamem restituere in Ordine ad effectus Ciuiles, nempe ad dignitates, & actus legitimos sicut nec vice versâ Magistratum ciuilem posse infamem Iure Canonico, putà Hæreticum vel contrahentem cum duabus restituere in ordine ad effectus Canonicus, vt v.g. ad ordines promouen possit. Ita Suarius disp. illa 48. sect. 2. numero 10. vbi limitat doctrinam dummodò infamia Iure Canonico directè ac speciatim decreta non sit; sed solum indirectè, quatenus omnes Iure Ciuili infames etiam Canonicè infames, & irregulares censentur (quia nimirum non decet eos, qui à Ciuilibus officijs repelluntur, ad Ecclesiasticos Ordines, vel beneficia assumi) nam tunc ablatâ infamiâ Ciuili per sæcularis Principis restitutionem censetur etiam ablata consequenter inhabilitas seu Irregularitas Canonica. Quæ doctrina mihi videtur maximè rationi consona. Hactenus diximus de infamiâ Iuris.

Infertur quod magistratus Ecclesiasticus & sæcularem in ordine ad infamem restituendi.

389 De infamia verò facti iam suprà indicauimus, & nunc assentimus, licèt orta sit ex quocumque enormi crimine, & depositione digno, penitus aboleri per factum contrarium & constantem vitæ emendationem. Sublatâ autem infamiâ, consequenter tollitur quæcumque in habilitas, tàm Ciuilis, quam Canonica atque adeò Irregularitas. Sumitur hæc doctrina ex c. Testimonium de *Testibus & attestat.* (vbi id docet Glossa & Inocentius) & cap. *Ferrum.* dist. 50. ibi *non debet despici in eo, quod fuit, qui iam incipit esse, quod non fuit* quæ sunt verba S. Gregorij lib. 18. *Moralium* cap. 16. item ex cap. *Nunquam*, dist. 56. vbi Sanctus Chrysost. ait *ad meliora conuersum, nequaquàm prior vita commaculat.* & ex cap. *Si duo* 35. q. 6. ibi *infames effecti*,

Infamia facti tollitur per constantem vitæ emendationem.

fecti, donec ab incesti crimine desinant. Ita etiam Panormitan in cap. *Inquisitionis* numero 2. de *accusat.* & cap. Ex *diligenti.* numero 6. de *Simoniâ* Syluest. verb. *Infamia* numero 11. Sà eodem verb. numero 1. Molina Tract. 4. disp. 7. in fine, & disp. 10. in principio, Auila, p. 7. disp. 4. dub. 5. Henriquez lib. 14. cap. 5. numero 4 Suarius disp. illâ. 48. sect. 2. numero 6. & 8. Filiucius, numero 222. Nauarrus. numero 204. Reginald. numero 196. Garz. p. 7. de *beneficijs.* cap. 8. nu. 64. Coninc. disp. 18. dub. 7. conclus. 3. Iul. Clar. lib. 5. *sententiarum.* §. vltimo. q. 21. in fine. num. 1. vbi cum Saliceto ait infamiam hanc plenè purgari per emendationem vitæ per triennium. Cuius doctrinæ ratio est; quia *cessante causâ cessat effectus.* cap. *cum cessante,* de *appellat.* & *per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur* c. 1. de *Regul. Iur.*

Hinc infertur 1.

390 Ex hoc infertur primò cum Garziâ suprà non esse propriè dictam Irregularitatem ea, quæ oritur ex infamiâ facti; illa enim propriè dicitur Irregularitas; quæ est perpetua inhabilitas ad ordines accipiendos donec dispensatione tollatur. Vnde regula generalis est *impedimentum, quod absque dispensatione tolli potest, seu ipso facto cessare, non est propriè Irregularitas.* V. g. defectus ætatis, scientiæ morum, &c.

Infertur 2.

391 Infertur 2. Sacerdotem notorium, seu publicum concubinarium vel adulterum, per actâ Pœnitentiâ, & præmissâ publica vitæ emendatione (saltem interposito aliquo spatio temporis) sine dispensatione posse celebrare, quamuis id neget Nauarrus, cap. 25. numero 73. & 77. consequenter ad sua principia; putat enim c. 27. numero 154. & 248. ex omni crimine notorio, & depositione digno nasci Irregularitatem simpliciter dictam; Quod tamen multi alij non admittunt.

Nec obstat.

392 Neque obstat quòd sanctus Antoninus 3. p. tit. 27. capite 3. Syluest. Verbo *Concubinarius,* q. 5. Couarrub. Clementina. *Si furiosus,* p. 1. §. 1. numero 5. putent Clericos concubinarios notorios incurrere suspensionem ab officio; quia id videtur significari in capite *Præter.* dist. 32. c. *Si qui sunt.* dist. 81. & cap. vltimo de *cohabitatione Clericorum & mulierum.* Hoc (inquam) non obstat; quia hæc suspensio consuetudine sublata est, ut testantur Ioannes Gerson Tractatu de *cognitione peccat., venial., & mortal.* consider. 23. Medina lib. 1. instruct. cap. 11. §. 8. Sotus in 4. dist 1. q. 5. art. 6. circa secundum argumentum. Saytus lib. 4. cap. 15. numero 24. Henriq. lib. 13. cap. 36. Suarius de *Censuris* disp. 31. Sect. 4. Pinellius casu numero 13. 15. & colligitur ex Tridentino, sess. 25. cap. 14 de *Reformat.* vbi dicitur quod tales post vnam, & alteram admonitionem à beneficijs suspendi, & si adhuc se nō emendauerint, omninò priuari debent, quamuis post manifestam vitæ emendationem cum eisdem possit dispensari, vt etiam habetur in c. *At si Clerici* §. de *Adulterijs.* de *iudicijs.* Vlterius Iure antiquo prohibitum erat fidelibus audire Missam publici concubinarij, vt constat ex dicto cap. *Præter,* & cap. *Si qui sunt,* & c. *Nullus* dist, 32. vbi id Gratianus docet & S. Thomas 3. p. q. 82. art. 9. ad 3. & Quod lib. 11 art 8. Nauarrus c. 25. numero 80. hæc autem prohibitio hodie post Extrau. *Ad euitanda.* ex Concilio Constantiensi locum non habet priùs quàm talis, tanquam in Sacris vitandus publicè denuntietur iuxta dicta à nobis generaliter disp. 2. dub. 26. idque in particulari notant Sotus suprà Henriq. lib. 9. cap. 25. numero 12. Suarius 3. p. tomo 3. disp. 18. sect. 1. §. *Secundo est obseruandum.* Colligiturque ex cap. *vestra,* de *cohabit. Clericor.* in fine.

Quoad hæreticos post absolutionē, ad sacros Ordines admittendos.

393 De Hæreticis verò non est ita facilè an post Pœnitentiam, & absolutionem admitti possint ad Sacros Ordines. Saytus lib. 7. cap. 12. numero 16. Philiarchus tomo 1. *de officio Sacerdotis* p. 1. lib. 4 cap. 15. Henriquez lib. 14. cap. 4. numero 6. Auila p. 7. disp. 4. dub. 2. putant, si Hæresis, vel Apostasia occulta fuit, nihil obstare, quominùs conuersi ordinentur. Ratio est; quia non propter Hæresim, & Apostasiam secundum se; sed, quatenus Iuris infamiam annexam habet, Irregularitas decreta videtur; quamuis contrarium significet Syluest. verb. *Hæresis,* q. 5 Nauarrus cap. 27. numero 205. dùm absolutè affirmant per Hæresim Irregularitatem incurri. Quam sententiam sequitur Ferdinandus de Castro tomo 1. *Operis moral.* Tract. 4. disp. 4. puncto 5. quamuis probabilem putet priorem, quam ego propter rationem dictam probabilem etiam puto, de quo suo loco disputabimus.

Hæresis occulta probabiliter nō impedit conuersum à susceptione ordinum.

Impedit hæresis notoria

394 Si verò Hæresis, vel Apostasia notoria sit, impedit à susceptione Ordinum, in quo citati Authores conueniunt, etiam post Pœnitentiam, & absolutionem. Probaturque ex cap. *Presbyterus* dist. 50 cap. 1. cap. *Qui in qualibet,* cap. *Saluberrimum* 1. q. 7. cap. 2. § *Hæretici* de *Hæreticis,* in 6. in quo decernitur Hæreticos, eorumque fautores & in Hæresi decedentium filios, & nepotes ad nullum Ecclesiasticum beneficium, vel publicum officium admittendos esse: itaque sunt ipso Iure infames, & consequenter Irregulares. An verò hoc de filijs Hæreticorum intelligendum sit, de filijs etiam antea natis, vel de natis post lapsum in Hæresim, non consentiunt Authores; plures enim negant de ante natis; hi enim ex infectâ radice non procedunt. Alij verò Authores etiam tales comprehendunt, vt videre licet apud Couarrub. 2. variar cap. 18. & apud Simanc. de *Cathol. instit.* tit. 29. nu. 21.

Notandum.

395. Aduertendum verò est non esse Irregulares filios Hæreticorum in ijs Regionibus, in quibus nulla inde infamia aspersa est, nec vitio vertitur esse filium Hæretici: imò eâdem ratione non videtur improbanda consuetudo, quarundam Regionum septentrionalium, in quibus Episcopi ordinare solent ex Hæresi ad fidem conuersos, & absolutos; quia tales neque in Ciuili foro à publicis dignitatibus repelluntur. Legatur Henriquez lib. 14. cap. 5. numero 4. Nauarrus lib. 1. consl. 1. de *Consuet.* q. 14. editione 2. Illud verò certum videtur, & (vt audio) in his Regionibus Septentrionalibus praxi receptum cum talibus ad fidem Catholicam conuersis dispensari posse per priuilegium dispensandi super omnibus Irregularitatibus præter eas, quæ ex voluntario Homicidio, mutilatione, bigamia, & Natalium defectu proueniūt. Iam verò de alijs modis tollendi infamiam, &

Irregulari-

Irregularitatem inde ortam non nihil dicamus.

Alij modi tollendi Infamiam.

396. Præter modum tollendi infamiam, de quo iam diximus, scilicet, per emendationem, alijs modis potest, & solet infamia auferri, scilicet, infamia Iuris Canonici, & ciuilis potest à summo Pontifice auferri, imò & infamia Iuris ciuilis etiam auferri potest à principe sæculari; & (vt suprà notabam) indirectè infamia Iuris Canonici, quatenus Ius Canonicum canonizat, vt sic dicam, infamias Iuris Ciuilis, & æstimat infames, quos leges sæculi tales putant; tunc autem ablatâ infamiâ Ciuili, cessat Canonica in illâ fundata, vt dictum est. Legatur Suarius suprà num. 9. Filiucius num. 224.

Primus modus.

397. Secundò potest infamia auferri per dispensationem Episcopi, quatenus potest dispensare in adulterio & criminibus minoribus adulterio; nam directè dispensando in delicto indirectè etiam, & accessoriè absoluet infamiam inde consurgentem. Ita Auila p.7. disp. 4. dub. 6. Sayrus suprà numero 15. Reginald. num. 190. Nauarrus num. 204. Henriquez lib. illo 14. c. 5. num. 3. Vgolinus c. 60. §. 5. numero 3. quamuis oppositum doceat Filiucius suprà num. 223.

398. Tertiò dicitur aboleri infamia per Baptismum, infamia sequitur peccatum per Baptismum verò peccatum aufertur in totum: ergo & infamia. Ita Siluest, Angelus & alij communiter.

Suarius distinguit inter infamiã meri facti, & Iuris.

399. Suarius verò disp. 48. sect. 2. numero 11. in hac re distinguit inter infamiam meri facti, & infamiam Iuris, & illam, quæ est meri facti putat tolli per Baptismum dignè susceptum, & in hoc ait esse eandem rationem de Pœnitentiâ, atque de Baptismo. De infamiâ verò Iuris Canonici optimè docet illam per Baptismum non tolli; sed nunquam fuisse incursam cùm Ius Canonicum non cadat in personam non baptizatam, ac proinde non facit illam infamem ante Baptismum: Suscepto verò Baptismo; non pullulat in ipso Baptismo talis infamia propter delictum præcedens, illa enim infamia pœna quædam est, & nunquam Ecclesia punit talia delicta.

Infamia Ciuilis non tollitur per Baptismum.

400. De infamia verò ciuili ideo putat non tolli per Baptismum; quia homo non Baptizatus Iure Ciuili obligatur, si temporaliter subditus sit vbi tale Ius seruatur, & ideò incurrit pœnas talis Iuris, quarum vna est infamia. Sic videmus Mahometanum, aut Gentilem deprehensum in furto, Homicidio, aut alio simili delicto, quantumuis baptizetur posteà, nihilominus puniri. Neque vllo Iure probatur quod talis abolitio infamiæ sit effectus Baptismi, aut ad illum per se & intrinsecè spectet. Qua propter (inquit Suarius) si Iudæus Romæ, vel Turca in Hispaniâ per sententiam esset condemnatus vel flagellatus, vt fur, quamuis posteà baptizaretur, maneret infamis ciuiliter, & inhabilis ad eos actus, ad quos non admittuntur infames; quia nec Ius ipsum Ciuile limitat hanc pœnam ad Baptizatos. Legatur Suarius ibi, cuius sententia mihi videtur probabilior.

DVBITATIO XVI.

De Irregularitate proueniente ex Pœnitentiâ.

Pœnitentia alia Sacramentalis. alia publica. Publica item duplex.

401. PRæter pœnitentiam Sacramentalem secretissimam, quæ iniungitur hodie, & olim etiam iniungebatur Sacramentaliter confitentibus, vsus fuit antiquitùs in Ecclesiâ Dei imponendi pœnitentiam publicam; quæ imponebatur ex Episcopi, alteriusve superioris præscripto ob publicum, non tamen enorme, neq; scandalosum; hæc autem pœnitentia fiebat absque vllis ceremonijs ex ijs, cum quibus solebat fieri alia solemnis. Erat itaque tertia solemnis pœnitentia, quæ fieri solebat in principiò quadragisimæ cum certis quibusdam ceremonijs, quæ continentur Canone. *In capite* dist. 50. & imponebatur ab Episcopo, vel de eius mandato, quæ iam non est in vsu. Quærimus ergo in præsenti; an aliqua pœnitentia inducat Irregularitatem? atque in primis certum sit, nec Sacramentalem pœnitentiam neque illam publicam non solemnè vnquam induxisse, aut inducere Irregularitatem; nulla enim Irregularitas incurritur: nisi sit Iure expressa, qualis non est hæc; nam Canones loquuntur solùm de pœnitentiâ publica solẽni. Ita Auila disp. illâ 4. dub. 6. Syluest. verbo *Irregularitas* q. 17. Maiol. lib. 3. c. 2. Sayrus lib. 7. c. 11. n. 19. estque communis ferè omnium sententia.

Nec Sacramentalis pœnitentia, nec publica non solemnis inducit Irregul.

Pœnitentia publica & solemnis inducebat Irregul.

402. Pœnitentia verò illa publica, & solemnis inducebat Irregularitatem & impediebat susceptionem ordinum & vsum susceptorum constatque ex c. de *Pœnitentibus* & c. *Canones* dist. 50. Ita Toletus lib. 1. c. 64. Sayrus suprà, & alij multi, quorum aliqui putant, etiam nunc illos esse Irregulares, quibus imponitur pœnitentia publica, & solemnis manendi in foribus Ecclesiæ cum diademate in Capite, ac cum certis in manibus accensis, dùm persoluuntur Diuina officia, quod solet aliquando fieri in Ecclesiâ maximè cum ijs, qui rebelles fuerunt, aut contumaces Censuris Ecclesiæ. Ita Maiol. lib. 2. cap. 2. in fine.

403. Oppositum tamen docet Suarius disp. 42. sect. 3 n. 4. & meritò; quia Canones tantùm loquuntur de Pœnitentiâ illâ publicâ solemnini, quæ olim semel in vitâ imponebatur cum certis quibusdam Ceremonijs, hæc autem pœnitentia, quæ nunc est quandoque in vsu, vel, quam quis etiam voluntariè potest accipere maximè de concilio prudentis Confessarij, aut superioris non inducit infamiam, neque Irregularitatem. Quod si aliqua esset pœnitentia, quæ infamiam induceret, causaret quidem Irregularitatem ratione infamiæ; nisi fortè talis esset, ac tanta pœnitentia, vt etiam infamiam ipsam aboleret. Ex quo patet nullam pœnitentiam publicam hoc tempore inducere Irregularitatem; nisi talis sit, quæ adiunctam habeat infamiam,

DVBITATIO. XV.

De Irregularitate ex iteratione Sacramenti Baptismi, vel iniquâ susceptione illius, & de neophytis.

Assertio 1. Rebaptizãs & rebaptizatus fiunt Irregulares.

404 ASsero. 1. rebaptizans, & rebaptizatus tàm publicè, quàm occultè, fiunt, Irregulares, si scienter id faciant. Est communis sententia, & de rebaptizante constat in cap. 2. de *Apostatis*. Ex quo inferunt Doctores idem dicendum esse de rebaptizato, pro quibus facit consuetudo, quæ est optima Legùm interpres. Legatur Nauarrus.c.27.nu.246. Henriq. lib.2.c.31.n.1.& lib.14.c.4.n.4.Auila p.7. disp. 7.dub.1.Suarius tomo 3.in tertiam partem disp. 31.sect.6.Coninc disp. 18.dub.4.nu. 35. & alij mox referendi; imò toties incurrit Irregularitatem;quoties multiplicatur culpa, propter quam est imposita, vt patet ex c.ex *Litterarum*, citato. tit.de *Apostatis* c.*Confirmandum*. dist. 50.& c.*Qui in qualibet*.2.q. 7. Ita Couarrub. in Clementinâ *Si furiosus*.1.p.n.8.Nugnus 3.p.q.66.art.9. conclus.4.Nauarrus citato n.246. Coninc Suprà n. 34.& 35.Syluest.verbo *Irregularitas*.q. 4. Filiucius n. 164.Suarius de *Censuris*.disp.42.sect.1. n. 1.Reginald.n.172.Toletus l.1.c.65. & alij communiter.

Notandũ 1. hanc Irregul.non incurri ab Acolytho,seu ministrante nisi delictum ipsius sit publicum.

405 Aduertendum verò est 1. circa dicta hanc Irregularitatem non incurri ab Acolytho, seu ministrante; nisi delictum eius sit publicum, sicut expressè dicitur in citato. c.*Ex litterarũ*, seu 2.de *Acolythis*.vbi id notauit Panormitanus notabili 2.Vtrum autem idem etiam sentiendum sit de ipso rebaptizante? non consentiunt Auctores plures enim affirmant Irregularem fieri, etiamsi crimen sit occultum. Ita Hostiensis ad citatum. c.Scotus in 4.dist.6.q 8.Auila dub.illo 1.id autem nullo Iure probant; cùm tamen ex Iure deberet probari maximè in materiâ Irregularitatis.Ideò Suarius sect.illâ. 6. §. *Tertium tamen*. dubius manet.Paludanus verò in 4. dist.6. q. 4. art. 1. conclus.2. & Tolet.l.1.c.70.§.4.expressè docent rebaptizantem non fieri Irregularem; nisi crimen sit publicum Quæ doctrina mihi placet;nam eo ipso,quòd non afferatur Ius expressũ pro tali Irregularitate,non est admittẽda.

An idem statuendum sit de rebaptizante controuertitur. Plures negant.

Affir.Author.

406 Neque etiam placent Vgolinus §.3. Coninc suprà & alij,qui etiam ad parentes,& compatres & alios cooperantes ad iterationem Baptismi prædictam Irregularitatem extendunt; nullum enim est fundamentum talis extensionis; nam prædictum c.*Ex litterarum* loquitur solùm de Acolytho;Ideò solùm extendendum videtur ad eos,qui inseruiunt reiterationi Baptismi ex officio;non verò ad alios, cum odia sint restringenda c.*Odia* de *Regulis Iuris*.in 6.

Notandũ 2.

407 Aduertendum.2. Irregularitatem hanc Acolytho impositam,qui rebaptizanti ministrauit,non esse perfectam, & totalem; sed tantùm partialem,scilicet, vt ad Superiores Ordines ascendere non possit.Imò Suarius suprà §. *Sed ad explicandam*. Nec de ipso rebaptizanti putat maiorem pœnam esse afferendam,cùm id Ius non exprimat.

Collige 1.

408 Ex quâ doctrinâ colligitur infantem,qui rebaptizatur ante vsum rationis,aut quẽcumque alium,qui sine culpâ suâ rebaptizetur, etiamsi posteà ratam habeat rebaptizationem, non esse Irregularem;nam,qui caret culpâ, carere etiam debet pœnâ Irregularitatis; & quamuis ratihabitio posteà superueniens peccatum sit; tamen; quia posterior est, neque est rebaptizatio, non sufficit ad inducendam Irregularitatem,quę solum propter rebaptizationem imposita est. Ita Sayrus lib.7 c.8.n.10. Henriq.lib.14.c.4.nu. 3. Nauarrus.n.illo 246.Suarius disp.illâ 42 sect. 1. num.5.Auila citatâ disp.7.dub.2.Filiucius num. 165.& 168.Tract.20.Couarrub.in Clementinâ vnica.1.p.n.8. quidquid in contrarium senserit Vgolinus,cap.35 §.1.& ex parte Reginald. nu. 172. alijque nonnulli.

409 Neque est cur vrgeat in contrarium. c.*Quis*.de *Consecrat*.dist.4. Textus enim ille, vt notârunt Couarrub.Suar.Filiuc.Sayrus fuit cuiusdam Theodori Archiepiscopi Canthuariensis,qui non erat Pontifex, nec habebat auctoritatem ferendi Irregularitatem.

410 Colligitur 2. non esse Irregularem rebaptizatum ex ignorantiâ Iuris, vel facti iuxta dicta à Nobis generaliter loquendo de Censuris,& Irregularitate.disp.2.dub. 23. vbi admisimus multorum doctrinam quod ignorantia prædicta excuset ab incurrenda Irregularitate maximè illâ, quæ prouenit ex delicto & non ex defectu, & in præsenti casu docet Nauarrus n.illo.246. Toletus lib.1. cap. 70. Filiucius nu. 165. & 184. Reginald. numero 173. quamuis contrarium sentiat Henriquez suprà.n.3.& Auila disp.illa.7.dub.2. conclus. 4. vbi cum eodem Henriquez putat sufficere, quòd, qui rebaptizatur, vel rebaptizat sciat Ius Diuinum licet ignoret inuincibiliter Ius humanum imponens Irregularitatem; quia nimirum putat pœnam Irregularitatis non requirere contumaciam,sicut excommunicatio requirit. Quod tamen fundamentum non placet; nam Irregularitas etiam ponitur propter inobedientiam præceptis Ecclesiæ eo ipso, quòd ponatur, tanquam pœna; vbi autem non est culpa, neque etiam est pœna. Legantur quæ diximus citatâ illâ dub.23. *Collige 2.*

411 Colligitur 3. non esse Irregularem qui rebaptizat alium sub conditione,quem scit esse baptizatum, siue illa conditio apponatur tantùm in mente, siue exterius etiam addatur.Ratio est, quia prædicta Irregularitas prouenit ex iteratione Baptismi, qui tamen non iteratur; nisi, quando absolutè confertur; nam, qui dicit *ego te Baptizo si non es Baptizatus*, non intendit baptizare, si est baptizatus. Ita Nauarrus. numero 246. Henriquez suprà, Nugnus q. illâ 66. art.9. conclus. 6. Coninc. disp. 18. dub. 5. numero 38 Suarius suprà n. 1. Filiucius. num. 181.Reginald.n.177.& alij suprà contra Vgolinum. §. 3 Sayr. cap. 8. num.23.& alios, qui putant incurrere Irregularitatem, saltem,quando conditio apponitur solùm mente. Probant hoc nonnulli, quia Ecclesia solùm actum externum punit: ergo nihil refert, quæ sit interior intentio, si occulta manet. *Collige 3.*

412 Hoc argumentum nihil probat; quia, licèt Ecclesia non puniat actum internum; sed solùm externum, requirit externus tanquàm conditionem necessariam, & simul adsit

absoluta intentio interior, vt talis actus habeat perfectam rationem criminis in tali genere, vt statutâ pœna puniatur.

Collige 4. 413. Ex quo infertur 4. eum, qui metu ad actus animu simulato extenus rebaptizat, non esse Irregularem, cùm careat animo rebaptizandi.

Collige 5. 414. Infertur 5. non teneri se gerere pro Irregulari illum, qui post factam inquisitionem an aliter esset Baptizatus, illum absolutè, & sine conditione Baptizauit; sed adhuc posteà dubitat an esset baptizatus; nec enim absolutè rebaptizare censetur ille, cui non constat alterum esse baptizatum quia *non iudicatur iteratum, quod ambigitur esse factum* cap. finali de *Presbytero non Baptizato*. Accedit, quod versamur in dubio facti extra casum homicidij; in quod dubio melior, est conditio possidentis suam libertatem. Peccauit autem ille rebaptizans absolutè, cùm deberet rebaptizare sub conditione, & exposuerit se periculo rebaptizandi. Ita Auila disp. illâ 7. dub. 2. conclus. 5. Suarius suprà num. 2. Toletus suprà & alij.

Collige 6. 415. Infertur 6. non esse Irregularem; qui falsò putans aliquem esse antea baptizatum, illum Baptizauit; ille enim Baptismus non est vera iteratio Baptismi; sed existimata: non incurritur autem pœna Ecclesiæ; nisi actus sit perfectus in suâ specie; ac proinde neque Irregularitas propter solam conscientiam erroneam, cum quà actus ille fuit exercitus iuxta principia data à nobis disp. 2. dub. 11.

Collige 7. 416. Infertur 7. non esse Irregularem, qui baptizat filios infidelium, vel pueros expositos, in quibus nullum apparet signum, seu testimonium de ipsorum Baptismo; tunc enim adest ignorantia facti, & probabiliter credi, aut dubitari potest non esse baptizatum. Ita Sayrus cap. 8. numero 11. & alij.

Collige 8. Irregularem esse qui rebaptizat, &c ex metu graui si habeat intentionem ita faciendi. 417. Infertur 8. contrà nonnullos Irregularem esse, qui rebaptizat, vel rebaptizatur ex metu cadente in constantem virum, si habeat intentionem iterum dandi; vel recipiendi Baptismum. Ita Auila disp. illâ 7. dub. 4. conclus. 2. Conioe suprà numero 40. Henriquez lib. 14. cap. 4. numero 3. Filiucius numero 169. Reginald. numero 173. Sayrus numero 19. & alij multi. Pro quâ sententiâ referri etiam potest Emanuel Rodriguez apud eundem Auilam dùm sequutus Maiolum, dixit enim esse Irregularem, qui ligatis pedibus, & cui incussus est metus cadens in constantem virum rebaptizatus est. Quod intelligi debet, vt explicat Auila, si habuit interiùs intentionem recipiendi secundum Baptismum. Ratio generalis pro omnibus est, quia tunc facit contra præceptum continens Irregularitatem; & nullo metu adigi poterat, aut efficaciter cogi ad habendam, intentionem, cùm in sua libertate esset illam non habere siue dando, siue recipendo Baptismum. *Ratio.* Idemque iudicium est de fictè rebaptizato; atque de rebaptizato per vim absolutam, vt rectè notat Reginaldus numero 173. Henriquez suprà c. 4 Auila suprà dub. 3. Vgolin. cap. 35. §. 2. Suar sect. 1. numero 3. Filincius numero 171. & 179. Nauarrus cap. 27. numero 246. quamuis in foro externo censeatur Irregularis ille, qui fictè rebaptizat, si probetur rebaptizasse. Sed non video cur credendum non sit ille, qui metu graui ad actus rebaptizauit inuitus, si constet de metu, & probabiliter appareat, quòd, nisi metu adactus, non fecisset, & iuret se id non fecisse ex intentione internâ; cum his enim circumstantijs videtur illi esse credendum, & in foro exteriori iudicando non esse Irregularem. *In foro externo censetur Irregularis qui fictè Baptizat.* Secùs verò est de eo, qui quantumuis ficto animo, externùs tamen sciens, & volens rebaptizauit: tunc enim quamuis in foro interno non sit Irregularis, censeri debet talis in externo.

Aduertendum circa Prædicta. 418. Aduertendum verò est circa omnia prædicta, Irregularitatem hanc non esse totalem; sed solùm impedire promotionem ad superiores ordines, nam in c. *Ex litterarum* de *Apostatis* solòm dicitur *ad superiores Ordines ascendere non valebit*. Et cùm versemur in materiâ pœnali, & odiosâ non est facienda extensio vltra id, quod Iure expressum est. Ita Filiucius suprà num. 177. Suarius tumo 3. *de Sacramentis*. disp. illà, 31. sect. 6. & alij Recentiores.

419 Par iniquam etiam susceptionem Baptismi, etiamsi non sit rebaptizatio, potest quis Irregularis effici, quando scilicet ab Hæretico se baptizari sinit, vt habetur in citato, cap. *Afros* & capite *Qui in qualibet*. Sed limitari debet; nisi necessitas, vel ignorantia à culpâ excuset, cùm hæc Irregularitas, etiam sit propter peccatum, quasi quædam pœna, vt colligitur ex citato capite *Placuit*, & capite *Qui apud*. 1. q. 4.

Baptizatus in mortis periculo non debet ordinari presbyter. 420. Deinde, qui in ægritudine propter mortis periculum baptizatus est, Presbyter ordinari non debet, vt constat ex Concilio Neocæsariensi cap. 12. & refertur in capite vnico dist. 57. Ratio ibidem affertur; quia suspicio est, quòd fides ab ipso, non tàm voluntariè, quàm ex necessitate suscepta fuerit. Duæ tamen limitationes ibidem subijciuntur; prima, si posteà ipsius studium, & fides probabilis reddatur; secunda, si hominum in Sacerdotium promouendorum raritas sit, dummodò ille, qui in ægritudine baptizatus est, post superatum morbum ex alijs causis non indignus Ordinatione appareat, vt explicat Suarius disp. 42. sect. 1. numero 5. Sayrus numero 30. Filiucius numero 171. Reginald numero 179. Tolet. lib. 1. cap. 65. & alij.

421 Hanc verò Irregularitatem multò antè in Romana Ecclesiâ fuisse obseruatam, vt ad Sacerdotium, & omninò in Clerum non assumeretur, qui in lecto propter morbum baptizatus erat; testatur Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. Historiæ capite 35. memorans Nouatianum ita Baptizatum, & posteà Episcopum ordinatum fuisse ideoque vniuersum Clerum, multosque Laicos ab eo abstinuisse.

Nec baptizati ob vim metum, vel similem necessitatem. 422 Maiolus etiam lib. 3. capite 10. putat Irregularitatem hanc propter identitatem rationis ad eos quoque extendendam esse qui ob vim, metum vel similem necessitatem Baptismatis Sacramentum acceperunt. Quam extensionem valde probabilem iudicat Suarius.

Neophytus Ordinari non debet. 423 Eadem ratione Neophytus id est in fide Baptismo susceptô adhuc nouitius ordinari non debet; sicut constat ex 1. Ad *Timoth.*

3. ibi

3. ibi *non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli*, & Canone *Apostolor.* 79. dicitur *cum quia ex vitâ Gentili accesserit, & baptizatus fuerit, vel ex improbâ viuendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum est enim, vt qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum Magister; nisi fortè hoc Diuinâ gratiâ fiat.* Vt contingit in Paulo Apostolo, & posteà in Sancto Ambrosio. Ideo ipsemet se excusans Epist. 82. ad Vercellenses ait *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est.* Deinde addit eam *ordinationem occidentalis Episcopi iudicio orientales exemplo probârunt*, scilicet in ordinatione Nectarij. Nomine autem Episcopi comprehenditur etiam presbyter, sicut intellexit Laodiense Concilium cap. 3 & Nicænum 1. œcumenicum. Canone 2. ibi. *Ne accedentes nuper ad fidem simul, vt Baptizati sunt ad Episcopatum vel Presbyteratum promoueantur; nam, & tempore opus est ei, qui Cathechizatur, & post Baptisma probatione quam plurimâ: manifesta est enim Apostolica scriptura.* Imò Concilium Sardicense œcumenicum Præside Osio Episcopo hanc prohibitionem latiùs etiam intellexit Canone 13. dùm dixit *Conueniens non est, nec ratio, nec disciplina patitur vt temerè ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est.* Id etiam vniuersim de Sacris ordinibus, imò de Clericali statu intellexit Gregorius Magnus lib. 4. Epistolâ 5. *Ad Virgilium Episcopum Arelatensem. Cum ad Sacros ordines Apostolus neophytum venire prohibeat*, &c. quia nimirum (vt ait Suarius disp. 43. sect. 3. numero 6.) recenter conuersus ad fidem, nec in doctrinâ fidei potest esse satis instructus; neque in Ecclesiasticis rebus expertus imò nec in constantiâ fidei satis probatus.

424. Quis autem censeatur Neophytus? & quanto tempore? ad prudentem Episcopum pertinet declarare, cõsideratâ personæ qualitate & temporis interuallo; quo transacto sine aliâ dispensatione ordinari possit.

425. Interim verò dum durat conditio neophyti, non potest Episcopus illum ordinare sine consensu summi Pontificis, ad quem solùm pertinet in vniuersalis Ecclesiæ Canonibus dispensare, idque clarè colligitur ex citato cap. 2. Nicœni Concilij, vbi hoc ipsum culpatur, quòd Neophyti *ex necessitate, vel vrgentibus hominibus* præter Ecclesiasticum Canonem ordinati fuerunt. Iam verò de alijs Sacramentis dicamus.

DVBITATIO XVI.

An sint Irregularitates ortæ ex iteratione Confirmationis, & ordinis.

426. Sanctus Antoninus 3. p. tit 28. c. 6. §. 3. Richard. 4. *sententiar* dist. 7. art. 6. q. 1. Nauarrus numero 247. Maiol. lib. 3. & 15. putant Irregularitatem etiam contrahi propter iteratam susceptionem aliorum Sacramentorum, quæ characterem inprimunt, videlicet Confirmationis, & ordinis ipse tamen; Nauarrus fatetur contrariam sententiam Scoti in 4, dist. 7. q. vltimâ, esse communẽ; quia dictæ Irregularitates Iure scripto expressè non sunt.

Quam sententiam sequitur Alphonsus de Castro lib. 1. de *Lege pœnali* c. 7. Suarius disp. 42. sect. 2. numero 2 & sect. 3. numero 6. Henriquez lib. 14. cap. 4 num. 5. Couarr. Clementinâ si furiosus p. 1. in principio numero 8. §. *sed & illud.* Suarius disp. 42. sect. 2. numero 2. & sect. 3. numero 6. Auila p. 7. disp. 7. dub. 5. Sa verb. *Irregularitas ex iterato Baptismo* numero 2. qui est in ordine 52. Saytus cap. 8. numero 28. Valentia tomo 4. disp. 5. q. 1. puncto 4. ad finem & disp. 7. q. 19. puncto 2. ad finem. Filiucius Tract. 19. cap. 7. q. 1. & 5. Reginald. lib. 30. Tract. 2. numero 174. estque ferè iam certa sententia, quidquid alij reclament.

DVBITATIO XVII.

Quis dispenset in Irregularitate contractâ ex iteratione Baptismi, & alijs prædictis?

427. De summo Pontifice dubitari non potest, qui tanquam supremum caput Ecclesiæ dispensare potest in Iure communi; Episcopus verò non potest dispensare in rebaptizatione publicâ, cùm ex se non possit dispensare in Iure communi absque facultate sibi à superiori concessâ. *Dispensat Papa in prædictis Irregularitatibus.*

428. Si verò rebaptizatio sit occulta, poterit Episcopus dispensare iuxta Tridentinum sess. 24. cap. 6. de *Reform.* Ita Auila disp. illâ 7. dub. 6. Coninc disp 18. dub. 5. numero 36. Filiucius numero 174. & 176. Saytus, Toletus, Sotus, & alij citati dub. 15. Consonatque doctrinæ nobis traditæ disp. 3. dub. 3. & 4 vsque ad 7. in simili *de Excommunic. ex delicto occulto.* *Episcopus etiamsi rebaptizatio sit occulta.*

429. Vtrum autem Episcopus possit dispensare in Irregularitate prædictâ, quando publicè quidem baptizat aliquis alium sed ignoratur publicè an, qui baptizatus, fuerit anteà baptizatus. Non videtur ita clarum. Omissis tamen aliorem sententijs, & distinctionibus, respondeo posse: censetur enim delictum occultum; quia eo ipso, quod occultus sit præcedens Baptismus, censetur occultum quòd illa baptizatio publica sit rebaptizatio. Ita Auila suprà dub. 7. Nauarrus numero 241. Rodriguez cap. 147. Sanchez de *Matrimonio* lib. 2. disp. 37. numero 13. Vgolinus cap. 35. §. 6. Saytus lib. 7. cap. 10. numero 16.

430. Circa Irregularitatem ex Baptismo suscepto in ægræditudine, de quâ diximus aduertendum est eam non tolli posse per Baptismum, cùm ipsamet incurratur propter dilationem Baptismi vsque ad illud tempus; seu, quod idem est propter susceptionem dilatam, tolli autem poterit per dispẽsationẽ Pontificis, vel certè cõcurrentibus illis circũstantijs de quibus diximus dub. 15. quod scilicet fidem suam probabilẽ reddiderit baptizatus, & promouendorũ raritas sit, poterit Episcopus dispensare, vel potiùs dicam iudicare, & declarare sub ijs circumstantijs non censeri prohibitum ad ordines promoueri.

431. De Baptizato autem ab Hæretico, & ob id facto Irregulari non video Authores

concedere, aut negare, posse ab episcopo dispēsare. Iuxta generalia verò principia dicendum puto non posse; nisi tantùm à Papa regulariter loquendo,

432. Dixi *regulariter loquendo*, nam in casu necessitatis non videtur negandum Episcopo, quādo non est facilis aditus ad Pontificem, imò in ijs Regionibus, in quibus vsus habet Hæreticos ordinare conuersos paulò ante, vel etiam post longum tempus ab Hæresi, & natos ex parentibus Hæreticis; ita, vt sit Hæresis commune vitium Patriæ; quamuis adulti baptizati fuerint, & fortasse aliquâ ratione peccauerint mortaliter videtur, saluo meliori iudicio, benè procatos non posse ab Apiscopo ordinari, & dispensari.

DVBITATIO XVIII.

De Irregularitate proueniente ex susceptione Ordinis.

433. REm hanc varijs quæstiunculis resoluemus, quæ ad praxim maximè necessariæ sunt.

Quæres 1. 434. Quæritur primò an Excommunicatus recipiendo sacros ordines fiat Irregularis?

Aliquorum Resolutio. probabilis. 435. Aliqui dicunt fieri, & quidem, si scienter recipiat, magis probabile est: probaturque ex c. *Cum illorum* de *sentent. Excommunic.* in 6. & c. 1. *De eo, qui furtiuè ordines suscepit.* Ita Nauarrus num. 241. Syluest. verbo *Irregularitas* quæsito 2. Auila p. 7. disp. 9 dub. 6. Sotus dist. 25. q. 1. art. 3. Sayrus lib. 7. c. 10. num. 12. Henriquez lib. 14. c. 6. n. 5. Reginald. lib. 30. Tract. 2. n. 181. Toletus lib. 1. c. 66. n. 1. Rodrig. 1. p. c. 168. conclus. 4. Valentia tomo 4. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. puncto 3. & alij multi; Loquuntur autem hi Authores de maiori excommunicatione. Quæ sententia satis probabilis est.

Oppositam tenent probabiliter alij 436. Opposita verò, quòd, scilicet, Irregularitatem non incurrat, docent alij Authores, etiam graues, inter quos Suarius disp. 42. sect. 3. vbi rectè explicat illam non esse propriè Irregularitatem, sed suspensionem, quam suspensionem incurrere plures Authores docent, etiam ex ijs, qui contrariam sententiam sequuntur, quorum non paucos retulimus agentes de suspensione disp. 4. dubit. 7. c. 2. §. *Vndecima suspensio.* vbi diximus ex illo cap. *Cùm illorum* colligi; seu haberi excommuninicatum sit ricipientem ordinem, si sit sæcularis esse in perpetuum deponendum ab ordine suscepto. Si verò sit Religiosus, manere suspensum. Quam sententiam etiam sequitur Coninc disp. 14, num. 32. & disp. 15. n. 41. & etiam videtur probabilis: de ipsius autem dispensatione posteà dicemus.

437. Quæstio verò est an hæc siue Irregularitas, siue suspensio locum habeat in suscipiente etiam minores ordines, vel primam Tonsurā? Et quidē de Minoribus ordinibus philosophandum est sicuti diximus disp. 2. dub. 40, vbi consequenter ad nostra principia, quòd quatuor minores ordines etiam sint Sacramentum, simul diximus in eorum susceptione ab excommunicato suspensionem incurri; quamuis probabile

Excommunic. suscipit. Minores ordines Probabilius non incurrit Irregul.

sit non incurri, & multò probabilius non incurri Irregularitatem, quia hæc Irregularitas non est Iure expressa. Ita Nauarrus de sent. excomm. cons. 28. Auila suprà, quamuis alij oppositum sentiant, vt locis citatis diximus.

438. Vlteriùs, siue suspensio sit, siue Irregularitas, si quis recipiat non scienter; sed cum ignorantiâ probabili, vel etiam vincibili excusabitur. An verò etiam cum ignorantiâ crassâ, vel affectatâ philosophandum est iuxta doctrinam datam disp. 2. dub. 23. agendo vniuersim de Cēsura; idem est de Irregularitate. Legantur & quæ diximus dist. 4. dub. 7. c. 3. §. *Qui etiam.*

439. Quæritur 2. an suspensus, & interdictus recipiens ordinem incurrat Irregularitatem. *Quæres 2.*

440. Respondeo non incurrere, vt diximus citatâ dub. 7, cap. 3. §. citato, in fine, nullus enim est Textus, qui id conuincat adhuc de incurrendâ suspensione, nedùm de incurrendâ Irregularitate. *Resp.*

441. Non me latet aliquos graues Doctores existimare suscipiendo ordinem Irregularitatē incurri ex illo principio generali, quòd suspensus, vel interdictus exercendo actum ordinis Sacri; de hoc enim loquuntur, non de minoribus) solemniter, incurrunt Irregularitatem iuxta suprà dicta.

442. Probabilius nihilominus est oppositum, quod sequuntur Sayrus suprà n. 14. Filiucius n. 191. Suar. disp. 31. sect. 1. n° 57. & disp. 42. sect. 3. n. 2. aliorumq; plurium, quia Iura solùm loquuntur de excommunicato non de suspenso, vel interdicto, vt notauimus dub. illâ 7. § citato.

443. Ad argumentum verò aduersarium respondītur facilè suscipientem ordines nō semper exercere solemniter actum ordinis, ac proinde non semper incurrere Irregularitatem ortam ex exercitio solemni actus ordinis: quando tamen quis exerceat, tunc non propter susceptionem ordinis; sed propter exercitium illius incurret. Vnde, quādo quis ordinatur Diaconus, vel Subdiaconus cum alijs, si ipse sit qui in Missâ cantet Euangelium, vel Epistolam, incurret Irregularitatem propter exercitium actus ordinis à quo est suspensus; non verò propter susceptionem. Sed de hoc iterum posteà dicemus. *Ad rationē in contrariū Resp.*

444. Illud nunc est aduertendum contra nonnullos, maximè contra Maiolum lib. 3. de Irregularit. c. 14. non incurri Irregularitatem ab eo, qui suscipit ordines, vel illos exercet, quando imposita est excommunicatio latæ sententiæ contra suscipientem ordines, vel exercentem Sacros ordines; nam illa excommunicatio supponit susceptionem ordinis, vel eius functionem, cùm propter illam incurratur. Vnde, antequàm suscipiat, vel exerceat ordines, nondum incurrit; atque adeò de tali non est verum dicere, quòd ille affectus Censurâ susceperit vel exercuerit ordinem. Itaq; tantùm incurret ille, qui antecedenter ligatus est Censurâ, vel, si post illam actionem, per quam excommunicationem incurrit, iterum Censuram violet per talem actum. Ita Suarius disp. 31. sect. 1. Bonacin. cum multis disp. 7. q. 3. puncto 4. num. 2. in fine. *Aduertendū contra nonnullos.*

445. Quæri potest 3. an suscipiens plures ordines eodem die sit Irregularis! *Quæres 3.*

446. Qui-

Resp.

446. Quidam aliqui suscipientem plures Ordines, inscio, & non aduertente Episcopo, si sint minores ordines cum subdiaconatu, vel vltimũ Minorũ cũ Subdiaconatu, vel duo Ordines Sacri, incurrere suspensionem, quam aliqui minus propriè appellant Irregularitatem. Legantur quæ diximus disp. 4. dub. 7. cap. 3. §. *Quinta suspensio*, vbi diximus talem suspensionem non esse ipso Iure latam, imò vt ibidẽ notauimus, & agentes de ordine Tract. 6. dub. 29. cum Vasquio disp. 246. c. 3 numero 46. in fine, & 47. tomo 3. in 3. p. vbi agit de Sacramento ordinis, in Textibus, qui pro ea suspensione offeruntur, solùm prohibentur duo Sacri ordines conferri eodem die. Vnde solùm potest dubitari de pœnâ, quam incurrit, qui inscio Episcopo ordines suscipit, de quo postea dicemus. De suspensione verò suscipientis duos ordines Sacros iam diximus loco citato. Vbi addidimus cum Suario illam non esse Iure latam; sed ferendam, quod si non omninò certum saltem valde probabile existimauimus.

447. Vnde etiam cessat quæstio de eo, qui potest in eâ Irregularitate dispensare; nam, si Irregularitas non est, sed suspensio, & hæc non ipso Iure lata, sed ferenda à Iudice, non erit improbabile, quod ille, qui tulit Censuram possit eandem tollere, si verò, qui dicunt incurrere propriè Irregularitatem, atque adeò esse pœnam ipso Iure latam, respondent consequenter nõ posse Episcopum dispensare nisi quando delictum sit occultum. Ita Henriq. lib. 14. c. 6. n. 5. & alij apud Bonacinam suprà num. 4. in fine; sed plerique tales loquuntur de eo, qui inscio Episcopo atque adeò, qui furtiuè ordinatur, de quo est alia ratio, vt iam dicam,

Quæres 4.

448. Quæri potest 4. an, qui furtiuè ordinatus est sit Irregularis?

Resp. 1. furtiuè per dolum ordinatum est Irregularis.

449. Respondeo, & assero primò, qui furtiuè ordinatur id est ignorante Episcopo Irregularis efficitur, quando per dolum ordinandis se ingerit. Poterit tamen Episcopus cum taliter ordinato dispensare; nisi forte eiusmodi accessum furtiuum sub excommunicatione interdixerit, quod iam fit ordinariè; tunc enim dispensare non poterit, nisi in casu, quo reus Religionem ingressus in eâ aliquandiu laudabiliter vixerit, vt habetur cap. 1. de eo, qui furtiuè, &c. Quod si crimen occultum maneat, poterit Episcopus dispensare virtute concessionis Tridentini sess. 24. cap. 6. de quo sæpe diximus. Ita Henriquez lib. 14. cap. 6. numero 5. Suarius tom. 5. disp. 42. sect. 3. numero 5. Sayrus suprà numero 37. Vgolinus cap. 39. numero 3. Conine disp. 18. dub. 3. numero 43. & alij, quamuis isti Doctores adhuc non conueniant inter se; an prædictus Irregularis sit, vel suspensus: Suarius enim disp. 42. sect. 3. numero 5. Filiucius Tract 20. numero 195. putant incurrere Irregularitatem. Legantur quæ diximus disp. 4. dub. 7. cap. 3. §. *Duodecima suspensio*, vbi quod satis est de hac re diximus, & probabilem ostendimus vtramque sententiam,

Resp.

450. Assero 2. ille dicitur ordines furtiuè suscipere, qui inscio Episcopo non vocatus, vel non approbatus accedit ad ordines, aut qui aliũ in sui locum examini sub suo nomine submittit,

deinde vocatus proprio nomine ordines accepit, & hunc sanè probabilissimum puto esse Irregularem, vt loco notato diximus ex cap. *veniens* el. 1. *de eo qui furtiuè suscipit.*

Quæres 5.

451. Quæri potest 5. an recipiens ordines sine confirmatione sit Irregularis?

Resp.

452. Hac de re iam diximus aliquid agentes de Sacramento Confirmat. Tract. 3. disp. vnicâ dub. 10 & de sacram. ordin. Tract. 6. disp. vnicâ dub. 22. quod attinet ad præceptum; quod verò attinet ad Irregularitatem inde potest colligi, quid dicendum sit, nam sic vt in priori loco notabamus, non est peccatum graue non confirmatum ordinare, non incurritur Censura, aut Irregularitas, quæ non incurritur, nisi sit Iure expressa, & nullibi reperitur expressa in Iure. Ita Vgolinus c. 38. §. 1. Henriquez lib. 14. c. 6. num. 3. Auila suprà, Sayrus lib. 6. cap. 14. ad finem. Suarius disp. 42. sect. 3. num. 14. Filiucius Tract. 20 num. 205. & alij multi.

Quæres 6.

453. Quæri potest 6. an suspẽsus ab ordine inferiore, si ad superiorẽ ascendat, fiat Irregularis?

Resp. Suspensus ab inferiori ordine ascendendo ad Superiorem non fieri Irregularem.

454. Respondeo negatiuè. Ita Suarius disp. 42. sect. 3. n. 2. Sayrus lib. 4. cap. 16. n. 22. eo quòd hæc Irregularitas, nec Iure expressa sit, vt etiam notauit Henriquez, quamuis ille oppositam sequatur sententiam, quam etiam sequitur Couarr. c. *Alma*. p. 2. §. 3. n. 5. Nauarrus lib. 1. cons. 26. num. 2. de *tempor. ordinat.* & alij apud Henriquez lib. 14. c. 6 n. 4. litera T, probat verò primò quia assensus ad ordinem superiorem est veluti exercitium ordinis inferioris à quo Clericus suspensus est. Hæc ratio nihil probat; negandum enim est susceptionem ordinis superioris esse exercitium inferioris, vt iam in præcedentibus diximus agentes de suspensione; atque adeò Irregularitatem decretam ob ordinis illicitum exercitium non esse extendendam ad illicitam susceptionem superioris ordinis, cum pœnæ non sint extendendæ.

Satisfit argumentis in contrarium.

455. Probant 3. si Diaconus ab ordine suspensus Presbyteratum accipiat, exercet ministeriũ Presbyteri, sacrificando cum Episcopo, itẽ Subdiaconus cãtãdo tunc solemniter Euangelium exercet ministerium Diaconi: ergo Irregulares efficiuntur.

exercitium ordinis superioris propriè non includit exercitium inferioris

456. Respondetur in primis exercitium superioris Ordinis, vt dictum est, non esse exercitium inferioris ordinis, à quo ille erat suspensus, nec exercitium superioris ordinis propriè includere exercitium inferioris; nam, quòd dici solet de Diaconi officio incluso in exercitio ordinis Presbyteri, non est verum, vt notauimus disp. 4. dub. 2. §. *Iam verò disputandum* & deinceps. Sed quidquid de hoc sit, etiamsi suspensio fuerit absoluta, & simpliciter, non cẽsetur quis (quãdo alioquin suspensus ordinatur Presbyter) celebrare quia non æstimatur actus ille celebrationis ad incurrendã suspẽsionẽ, qui in ipsâ ordinatione exercetur ab ordinãndo; quia nec certum est an re ipsâ consecret solus Episcopus, vt sentit Medina lib. 1. c. 11. §. 8. Sayrus suprà n. 23. Auila p. 3 disp. 5. dub. 7. assert. 3 Henriq. lib. 13. c. 3. n. 6. & alij, qui ideò putãt non fieri Irregularẽ Presbyterum quãdo in sui ordinatione, cõtractã suspẽsione ob immaturã ætatem, profert simul cum Episcopo verba consecrationis, sed illam incurrere posteà

quando non obtentâ priùs dispensatione primùm sacrum celebrat; quamuis contrarium sentiat Couarr. suprà, Nauarrus lib. 5. consl. 8. de Clerico *Excomm. ministrante*, edict. 2. Accedit quòd (vt in præcedentibus dicebamus) etiam non omnes, qui ordinantur Diaconi, in eo officio ordinationis Euangelium cantant; sed vnus, qui eligitur. Quod si eligeretur ille suspensus, & non posset deprecando vel alio modo absque sui diffamatione declinare illud munus, vel absque aliorum scandalo; tunc non incurret Censuram cantando, vt docet Layman lib. 1 Tract. 5. p. 5. c. 3. in fine.

Quæres 7. 457. Quæri potest 7. an coniugatus recipiens ordinẽ Sacrũ non solùm sit suspensus; sed etiã Irregularis. *Resp.* Respondeo affirmatiuè iuxta Extrauag. *antiquæ concertationi*. Ita Rebell. de *Matrimonio* q. 12. numero 13. Henriquez lib. 13. cap. 39. numero 1. Saytus lib. 4. c. 14, numero 28. & alij multi, qui docent manere suspensum ab ordinibus susceptis, & suscipiendis, nec posse beneficium, vel officium obtinere; qui effectus simul sumpti sunt proprij Irregularitatis, & colliguntur ex prædictâ Extrauag. Idem docet Auila suprà dub. 5. Legantur dicta disp. 4. dub. 7. cap 3. § decima suspensio.

Quæres 8. 458. Quæri potest 8. an recipiens Ordines Sacros ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati, incurrat Irregularitatem, vel saltem suspensionem, etiamsi recipiens fortè ob ignorantiam non peccauerit?

Resp. 459. Hac de re etiam egimus disp. 4. dub. 7. cap. 3. §. *Nona suspensio*. vbi, quòd attinet ad suspensionem diximus eam incurri à suscipiente ordines Maiores à tali Episcopo, esseque reseruatam Papæ; non verò à suscipiente solùm ordines Minores, quia id nullo Iure constat. Nunc solùm addo in casu, quo ordinatus probabiliter ignorauit Renuntiationem, posse proprium Episcopum cum prædicto dispensare. Ex nullo autem capite video probari posse illam esse potius Irregularitatem, quàm suspensionem. Quòd autem Episcopus in prædicto casu ab illâ possit liberare constat ex c. 1. *de Ordinatis ab Episcopo. qui renuntiauit Episcopatui.* Legatur Vgolinus, c. 4. Saytus lib. 7. cap. 10. numero 27. Valentia tomo 4. disp. 3. q. 19. puncto 3. Tolet. lib. 1. cap. 66. Reginald. numero 190 Filiucius cap. 7. numero 190. & alij citati loco notato de suspensione.

Quæres. 9. 460. Quæri potest 9. an ordinatus per saltum fiat Irregularis?

Resp. Respondeo illum fieri suspensum, vt diximus citatâ disp. 4 dub. 7. cap. 3. §. *Septima suspensio*. Vbi latè disputauimus, an impediat ascensum ad vlteriores ordines, & an ea suspensio sit ipso Iure lata, vel ferenda, & an habeat propriam rationem suspensionis, locumque Tridentini explicuimus, qui ad eam rem facit, & quâ ratione, ac sub quibus circumstantijs possit Episcopus in eâ dispensare, & an incurrat eam suspensionem, qui per saltum suscipit consecrationem Episcopi ibi Legatur. *Ordinatus per saltum non fit Irregul.* Quod verò ad rem præsentem attinet, multi docent non esse Irregularitatem; sed solùm suspensionem, quia hæc Irregularitas non est Iure expressa, & quia in c. *Sollicitudo*, directè prohibetur functio ordinis suscepti per saltum, quod, proprium est suspensionis. Ita Angelus verbo *Irregularitas*. Armilla eodem verbo numero 68. Auila suprà Nauarrus num. 242. contra Vgolinum c. 38. Valentiam suprà. Sayrum lib. 7. cap. 10. num. 39. Reginald, numero 191. *Nisi ministret in ordine per saltũ suscepto.* Fiet autem Irregularis, si ministret in ordine suscepto per saltum; quia uiolans suspensionem per vsum ordinis Irregularitatem incurrit, vt loco notato dictum est ibi Legatur. Legatur etiam Filiucius Tract. 20. cap. 8. quæsito 11. vbi pro praxi explicat modum; quo se gerere debeat confessarius circa pœnitentem, qui vel furtinè, vel per saltum promotus fuit, aliave ratione prohibitâ. Quæ doctrina vtilis est pro confessarijs in Curia Romanâ existentibus.

461. Posset hîc etiam disputari de Irregularitate illius, qui suscipit ordinem in peccato mortali publico, & manifesto iuxta cap. 1. dist. 48. hoc verò potiùs pertinet ad Irregularitatem ex infamiâ, de quâ diximus dub. 13. Legatur Suarius disp. 42. sect. 3. num. 7. Filiucius Tract. 20. num. 198. & alij ibi citati.

DVBITATIO XIX.

De Irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinis ab affectu Censuræ.

462. ASsero 1. Clericus Irregularis efficitur quando per exercitium sui Ordinis Censuram violat, scilicet, maiorem excommunicationem suspensionem ab ordine, aut Interdictũ; idque satis constat ex titulo Decretalium *de Clerico excommunic. ministrante*, & ex c. 1. *de senten. & re iudicatâ* in 6. & c. *is cui*, de sentent. Excommunic. in 6. & ex c. *Si quis Episcopus* 11. q. 3. c. 1. & ex dictis disp. 4. dub. d. vbi egimus de pœnis, quæ incurruntur violando suspẽsionem, & disp. 5. dub 5. vbi egimus de pœnis violantium Interdictum. *Assertio 1.* *Violans Excommunic. minorem non fit Irregularis.* Qui verò uiolat tantùm excommunicationem minorem, non incurrit prædictam Irregularitatem, nec talis effectus causatur à minori excommunicatione, vt constat ex definitione illius allatâ disp. 2. dub. 5.

Ad hanc Irregul. incurrendam requisita. 463. Nonnulla verò requiruntur ad hanc Irregularitatem incurrendam 1. vt Clericus, vsurpando tale ministerium, peccet mortaliter. Vnde ignorantia; quæ excusat à peccato, liberat ab incurrenda Irregularitate, vt habetur expressè in c. *Apostolicæ* de *Clerico excommunic. ministrante*, Vtrum autem ignorantia crassa non affectata excuset, decidendum est iuxta dicta disp. 2. dub. 23.

Requiritur 2. 464. Requiritur etiam, vt ministerium quod quis censuratus exercet, sit ita proprium ordinis vt ab illo, qui ordine caret, exerceri non possit.

Infertur 1. 465. Ex quo infertur primò vix posse incurrere ex hac causâ Irregularitatem Clericos Minorum Ordinum; quia iam consuetudo obtinuit, vt eorum ministeria à laicis etiam solemniter obeantur, vt alibi non semel diximus, & notârunt Antoninus 3. p. tit 17. c. 1. Henriquez lib. 14. cap. 7. numero 1. litera F. Sotus in 4. dist. 23. q. 3. art. 1. conclus. 5. Sayrus lib. 7. c. 9. numero 4. Auila p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13.

dub. 13. contra Syluestrum, & alios quos ille refert, verb. *Irregularitas* numero 15. vt contra Nauarrum cap. 25. numero 76.

Infertur 2. 466 Infertur 2. Clericos excommunicatos, vel suspensos non fieri Irregulares, si præstent quantumuis illicitè ea, quæ sunt solius Iurisdictionis; non Ordinis iuxta dicta locis notatis de suspensione, & interdicto, Vnde, si Episcopus præstet aliqua, quæ sine vsu Ordinis proprio fieri possunt, quantumuis suspensus sit & peccet, non incurrit Irregularitatem, sicut nec Parochus assistens Matrimonio, dummodò non benedicat nuptias; quod fieri non solet, nisi celebrando & exercendo munus Ordinis, vide dicta de Matrimonio disp. 3. dub. 10. numero 72. & seqq.

Infertur. 3. 467 Infertur 3. non incurrere, qui ratione necessitatis ea munera exercet, dummodò necessitas talis sit, ac tanta, vt excuset à peccato, & liberet à præcepto Ecclesiæ prohibentis iuxta principia generalia sæpe repetita.

Infertur. 4. 468 Infertur 4. non incurrere exercendo actus Ordinis, qui censuratus non denuntiatus, nec vitandus ad petitionē aliorum exercet Ordinis ministeria iuxta dicta disp. 2. dub. 26. & sequentibus.

Infertur 5. 469 Infertur 5. non esse Irregularem Clericum Censurâ ligatum, qui in Ecclesiâ lectiones, & responsoria canit, dummodò officiatorem non agat, dicendo collectam, & præmisso *Dominus vobiscum.* Sed de hoc, & quâ ratione intelligendum sit, & cum quibus circumstantijs, iam dictum est agendo de Suspensione, & Interdicto. Legantur quæ diximus disp. 5. dub. 4. capite 4.

Requiritur 3. 470 Requiritur 3. ut exercitium Ordinis prohibitum sit secundum substantiam, & non tantùm secundum modum accidentalem, vt aliqui volunt. Ideò Syluest. verb. *Suspensio* q. 5. Couarrub in Clementinâ *si furiosus* p. 1. §. 1. nu. 1. Auila citato dub. 2. §. *sed notandum*, putant Episcopum suspensum à Pontificalibus non incurrere Irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali; quia ab actu celebrandi secundum substantiam suspensus non est; sed tantùm secundum accidentalem solemnitatem, licèt contrarium senserit Angelus verb. *suspensio* 3. numero 3. Legantur, quæ diximus agentes de Suspensione disp. 4. dub. 2. §. *Ex quibus constat.* Probabilis nihilominus est doctrina Syltis, quam etiam sequitur Layman lib. 1. Tract. 5. p. 5. cap. 3. numero 4.

Obijcies. 471 Obijcies tamen cum eodem Layman, quòd Doctores communiter docent, nempe Syluest. verb. Interdictum 5. q. 5. Couarrub. c. *Alma*, p. 2. §. 4. numero 6. Henriquez lib. 14. cap. 7. numero 4. Auila p. 7. disp. 2. dub. 8. alijque multi; Clericum in Interdicto generali loco celebrantem officium Diuinum Ordini Clericali proprium non obseruatâ moderatione cap. *Alma* Irregularem fieri; cùm tamen hoc casu celebratio officij secundum substantiam actus ipsi concessa sit.

Resp. 472 Respondet ipse Layman disparem esse rationem: nam Iure antiquo simpliciter decretum erat, vt Clericus celebrans tempore Interdicti, Irregularis fieret: Hoc autem Ius posteà mutatum non est simpliciter; sed cum conditionibus, seu moderationibus, cap. *Alma*. sicuti inducatur capite *Is qui* de *sent. excom.* in 6. ibi *Is verò, qui scienter in loco celebrat supposito Interdicto (nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à Iure sit concessum eidem) Irregularitatem incurret.* Legantur quæ diximus disp. 5. dub. 5.

473 Quomodò autem Philosophandum sit de Laicis violantibus Interdictum, & quam pœnam incurrant, & culpam, & an Irregulares fiant, eâdem dub. 5. diximus.

De eo verò, qui dubitat se esse excommunicatum, & nullâ adhibitâ diligentiâ celebrat, Irregularitatem incurrere si reverà erat excommunicatus; secus verò, si re ipsâ non erat, communis sententia est, ex generali principio, quòd Irregularitas non incurratur ob conscientiam erroneam; sed propter re ipsâ violatam Censuram. Qui verò deposito dubio celebrauit, aut adhibitâ diligentiâ sufficienti, & perseueranti adhuc dubio, celebrat, non incurrit, etiamsi fortè posteà comperiat re ipsâ fuisse excommunicatum iuxta principium generale quòd melior sit conditio possidentis; in tali enim casu non peccat celebrando, vt rectè docet Suarius disp. 31. sect. 3. numero 7. Syluest. verb. *Irregularitas* numero 15. Saytus lib. 7. capite 9. numero 29. In quo Philosophandum est iuxta dicta de Ignorantiâ disp. 2. dub. 23. sed in hoc, & similibus casibus semper præ oculis habendum est, quòd Censura priùs non cœperit esse certa, & tantùm sit dubium de ablatione illius; tunc enim Censura est, quæ possidet, quam certò constat fuisse latam, & dubitatur de eius ablatione. Solum ergo locum habet doctrina, quando vel est dubium de ipsâ Censurâ an lata si (quod appellatur dubium Iuris) vel est dubium facti, id est operis sufficientis ad incurrendam Censuram iuxta doctrinam traditam in præcedentibus. *De celebrãte cum Dubio Excommunicatio. nis quoad Irregul: incurrendã.* *Doctrina limitatur.*

474 Habemus ex dictis pro praxi Censurâ ligatum modis prædictis in his plerumque casibus Irregularitatem incurrere exercendo actus Ordinis: Primò, si in Choro tanquam hebdomadarius cum *Dominus vobiscum* solemniter cantet: secundò, si subdiaconus cum Manipulo. Diaconus cum Stolâ cantent Epistolam, vel Euangelium: tertiò si solemniter baptizet, aut etiam consecret aquâ aspergendo fideles: sunt enim actus Ordinis: Quartò si absoluat Sacramentaliter modo explicato, quando scilicet suspensus ab actu Ordinis. nam si solum à Iurisdictione, nihil sanè faciet absoluendo; sed non violabit Censuram per exercitium Ordinis. Neque obstat ad incurrendam Censuram, quòd pœnitens ob culpam suam indispositus accedat, & absolutio sit ex eo capite inualida; nam Sacerdos, quantum est ex se, fungitur Ordine, secùs verò si ipse non habuerit intentionem absoluendi; sed tantùm proferendi verba. Ita Suarius disp. 10. Sect. 3. numero 15. & alij, tunc enim non exercet actum Ordinis. Quintò Presbyterum excommunicatum incurrere Irregularitatem ministrando Eucharistiam, & (vt multi volunt) faciendo solemnitates Baptismi, & benedicendo sponsis. Ita Suarius loco citato numero 19. Vgolinus tabulâ. 1. cap. 14. §. 2. Quæ omnia ego admitto propter auctoritatem tùm horum, tùm aliorum plurium Theologorum, *Varij Casus in quibus Censurâ ligatus Irregul: incurrit exercendo actus Ordinis.*

rum, & Canonistarum, & quidem si spectemus vsum, & institutionem Ecclesiæ, illa sunt annexa Ordini; si tamen spectemus præcisè Ordinem Sacerdotis, quatenus Sacerdos est secundum Christi institutionem, non videtur exerceri actus Ordinis propriè loquendo in illâ benedictione Sponsi, & sponsæ, & in illis solemnitatibus Baptismi; imò & in ipsâ administratione Eucharistiæ iam præconsecratæ aliquid tale cernere licet; nam porrigere alteri Eucharistiam solùm ex institutione Ecclesiæ videtur annexū munus Ordini Presbyterali; potuissetque permitti de plenitudine potestatis, etiam laico, sicut ex antiquis Historijs constat olim secum habuisse fideles Eucharistiam asseruatā, vt tempore, vel necessitatis, vel maioris deuotionis, illam vnusquisque sumeret per se ipsum; imò & olim permissum fuit laicis deferre Eucharistiam ad infirmos tempore necessitatis, vt ex Eusebio lib. 6. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 36. retulimus, agentes de Eucharistiâ Tract 4.disp. 11. dub.5. atque adeo non est ita annexum ordini munus; quin possit etiā ex permissionePōtificis à Laicis fieri; imò eâdem ratione dicendum esset de Diacono ministrante Eucharistiam, id enim concedunt Suarius disp.11.sect. 3.numero 24. & alij.

Nihilominus cumCensura incurratur ex institutione Ecclesiæ, & Ecclesia ipsa decreuerit eiusmodi functiones esse actus Ordinis: simul etiam potuit Irregularitatem inducere propter exercitium similium actuum & ita fecisse credendum est iuxta magis communem sensum Doctorum.

Assistentia Parochi matrimonio non est actus Ordinis. 476 Secùs dicendum est de assistentiâ Sacerdotis, seu Parochi Matrimonio, ille enim non est actus Ordinis; solùm enim ibi Parochus vel sacerdos de licentiâ illius est testis qualificatus requisitus necessariò ab Ecclesiâ ad licitè,& validè contrahendum. Sed de his etiam omnibus & prædictis egimus in præcedentibus disp. 4.& 5. agentes de suspensione & Interdicto vt videre est disp.4.dub 2. alijsque in locis: Sextò non fieri Irregularem Clericum suspensum, vel Interdictum, exercendo ea, quæ sibi non sunt prohibita per Censuram quantumuis sint actus Ordinis; sed solùm exercendo ea, quæ sunt per Censuram prohibita. Vnde in suspensione ab ordine superiori non censetur prohibitus vsus inferioris,imò nec econtrà; nisi vsus superioris exerceri non possit sine vsu inferioris,de quo iam diximus loco notato de Suspensione: Septimò Episcopum excommunicatum, vel suspensum incurrere Irregularitatem exercendo ordinem Episcopalem; vt ex se patet. Octauo non incurrere; qui functionem Ordinis exercet contra præceptum superioris antequàm Censurâ ligetur; quamuis enim peccet non parendo, non violat Censuram, cum nondum sit imposita. Ita Suarius disp. 42. sect.5. numero 2. Filiucius Tract.20. cap. 8. q.2. quidquid in contrarium senserint Maiol. lib.3.cap. 13. Sayrus lib.7. cap.10.numero 24. cum Angelo Syluestro, & alijs, quos refert.

Quæres 1. 477 Quæret iam aliquis primò an ligatus excommunicatione & Interdicto incurrat duplicem Irregularitatem, vel saltem vnam grauiorem ex duplici causâ propter exercitium ordinis Sacri?

478. Respondeò incurrere duplicem distinctam, & separabilem, quarum vna posset tolli manente aliâ; violatur enim duplex Censura specie diuersa perinde, atque multi docent & nos diximus sepelientem excommunicatum vitandum in loco interdicto incurrere duplicem excommunicationem. Legantur, quæ diximus disp. 1.dub.17. vbi generaliter ostendimus posse aliquem ligari multis simul excommunicationibus, & Interdictis, & tunc indigere pluribus absolutionibus vel vnâ æquiualente pluribus iuxta dicta disp. 3. dub. 31. post tertiam assertionem. *Resp. Ligatum Excomm. & interdicto duplicem Irregul: incurrere propter exercitium ordinis sacri.*

479 Quæret. 2. quisnam possit dispensare in Irregularitate contractâ propter violationem excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti? *Quis dispensat in Irregul: ex violatione Censuræ contractâ.*

480 Respondeo solùm Papam, quando delictum est publicum iuxta cap. 1. *de Sent. Excom.* Si verò, sit occultum poterit Episcopus dispensare propter concessionem illi factam in Tridentino, & sæpe notatam Sess. 24. cap. 6. tunc autem censetur occultum, quando, vel exercitium Ordinis est occultum, etiamsi Censurâ sit publicè notata, vel è conuerso quando exercitium quidem notum est publicum censura verò occulta; alterutrum enim, & non solùm vtrumque sufficit, vt delictum violationis Censuræ non sit publicè notum, vt ex se patet. Ita Sayrus, cap. 10 numero 16. & cap. 13. Nauarrus cap. 241. Reginaldus numero 188. & alij, multi. Constabitque amplius ex dicendis de Irregularitate ex homicidio. *Resp.*

DVBITATIO. XX.

De Irregularitate, quæ contrahitur per exercitium Ordinis, quem quis non habet.

481 QVi præstat actum Ordinis, quem non habet, aut Clericus esse potest aut Laicus, & de vtroque sigillatim dicemus.

482 Assero 1. Clericus ministrans in Ordine, quem non habet, Irregularis efficitur, si scienter, seriò, & ex officio ministret, ita vt non excusetur à mortali. Ita Nauarrus numero 242. Suarius disp. 11. sect.3.numero 22. & disp. 42. sect. 4. numero 2. Henriq. lib. 14.cap. 6.num. 1. Auila. p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13. Filiucius Tract. 20. cap. 7. q.8. & 11. Reginald. lib.30.numero 191. Sà *verbo Irregularitas ex abusu Ordin.* numero 5. Sayrus lib. 7. cap. 10. Toletus lib. 1. cap. 72. numero 1. Syluest. verb. *Irregularitas* numero 14. Angelus eodem verbo 1. numero 38. Sanctus Antoninus 3 p.tit.28.cap. 1.§. 1. Paludan. in 4.dist.24.q.4. Sotus dist. 25. q.1. art. 3. Vgolinus de *Irregularit.* cap. 37. Conine dub.6. Layman. lib. 1. Tract.5.p.5. c. 2. numero 2. Bonacina disp.7.q. 3. puncto 6. & alij communiter, patet ex cap. 1.& 2. de Clerico non ordinato ministrante. Vbi præter excommunicationem comminatoriam imponitur *Assertio 1.*

etiam

etiam Irregularitas illis verbis. *nunquam ordinetur.*

483. Inferunt aliqui non fieri Irregularem, qui in officio solemni Epistolam, vel Euangelium cantat, etiam Dalmaticâ indutus dummodò manipulum, stolamue non deferat; quia proprium insigne Diaconi est stola, Subdiaconi verò Manipulus. Quæ doctrina mihi placet.

484 Vtrum autem licitè fieri possit, vt Clerici in Minoribus, tanquàm Cantores adhibeantur superpelliceo, vel Dalmaticâ induti ad cantandam Epistolam, vel Euengelium, aut passionem Domini. Layman suprà respondet ex consuetudine petendum esse; nam in aliquibus Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis id non permittitur, in quibusdam verò alijs præsertim Regularium consuetum est in defectum Subdiaconi, & Diaconi, vt notauit Antoninus suprà cap. 1. Nauarrus lib. 5. cons. 5. de *Cler. non ordinat.* edit. 2. Tolet. suprà. Sà verb. *Clericus* n. 32 Imò Nauarrus cap. 27. numero 242. Auila suprà cum Villa Diego testatur vsu receptum esse apud fratres Minores, vt Clericus inferior Subdiacono, etiam cum Manipulo, Epistolam solemniter canat, ideoquè non fieri Irregularē. Ego quidem de Epistolâ in Choro cantatâ etiā cum superpelliceo à non ordinato subdiacono oculatus, & auritus testis sum, tùm in sæcularium, tùm in Regularium Ecclesijs Hispaniæ non paucis in nostrâ præsertim Societate; de induto verò Dalmaticâ in alijs Regionibus audiui sæpe factum. Itaque standum est consuetudini.

485 Quamuis autem Antoninus, & Syluest. suprà concedant Clerico inferiori sine manipulo in solemni officio canere Epistolam; negant licitum esse Sacrum calicem ad altare porrigere; alioquin Irregularis fiet. Probabilius tamen est quod docet Layman. cum Henriquez, & Auilà suprà, licèt peccet non fieri Irregularem; neque enim solemniter ministrat, cùm careat proprio illius ministerij ornamento, quod est manipulus.

Assertio 2. 486 Assero, 2. Laicus exercens Ordinem, quem non habet, non incurrit Irregularitatem, quamuis non liceat (maximè si loquamur de Ordine maiori) Ordinem exercere. Quòd non incurrat Irregularitatem docet Angelus verbo *Irregularitas.* 1. n. 38. Sayrus cap. 10. n. 6. Suar. de *Censuris.* disp. 11. sect. 3. numero 22. Henriq. cap. 6. numero 1. Reginald. numero 192. Layman cum alijs, quos refert. numero 4. & 5. quamuis Suarius tomo. 1. de *Sacram.* disp. 31. sect. 4. 5. *sed quares.* & *de Censuris.* disp. 42. sect. 4. numero 3. & 9. Filiucius Tract. 70. q. 8. numero 207. Coninc. disp. 18. dub. 6. numero 45. Nauarrus numero 242. Valentia tomo 4. disp. 4. q. 2. puncto 1. Auila dub. illo. 13. ad finem satis probabiliter doceant Irregularitatem incurrere; quia nimirum Textus loquitur absolutè, & generaliter de ministrante, ac proinde intelligi etiam debet de Laico, si ministret. Hæc tamen ratio non satis conuincit; nam licèt verba Textus generaliter loquantur, intelligi possunt iuxta Titulum, sub quo ponuntur; Titulus autem est *de Clerico non ordinato non ordinato ministrante* ac proinde non debent verba extendi (maximè in re pœnali & odiosâ) ad alium præterquam ad illum, de quo loquuntur: loquuntur autem de illo, cuius facta fuit mentio in titulo, ideò non puto esse extendenda ad non Clericum, cùm titulus tantùm de Clerico loquatur.

87 Vtrum autem Laicus ministrans sine solemnibus vestibus indutus. V. g. supelliceo, Epistolam in solemni officio canere possit; Layman suprà ait se non legisse apud Doctores. Quare (inquit) videntur supponere id non esse licitum; & re verâ non est decens, si Clericus haberi queat; sin verò nequeat; fortassè ob causam permitti posset, præsertim, si Religiosus sit. Hæc ille; imò non semel ego vidi in Ecclesijs vsu receptum, vt cantor aliquis in Missâ non ad altare; sed in Choro Cantorum Epistolam canat; etiamsi non sit Clericus, aut sit etiam Cantor coniugatus actus enim ille in choro factus cantoris est, & in nostrâ Religione in Hispaniâ sæpe vidi Religiosum etiam nouitium sine vllo scrupulo, præsentibus alijs Presbyteris, & minoribus Clericis eiusdem Religionis cantantem Epistolam in Missâ, quando sine Diacono, & Subdiacono celebratur; imò non est vsus, vt ipsemet celebrans Epistolam cantet; nisi forte in Missa, quæ cantatur in Monasterio Monialium, cùm non liceat aut deceat tunc Epistolam ab vnâ illarum cantari. Itaque in hac re seruanda est consuetudo. *Seruanda consuetudo hâc in re.* Si verò Laicus auderet vestibus sacris ministrare in officio, maiorum Ordinum, seclusâ ignorantiâ, ego non excusarem à peccato mortali; videtur enim in re satis graui facere contra receptam Ecclesiasticam consuetudinem, & hoc apertè supponunt citati Auctores, qui dicunt etiam Irregularitatem incurrere, quam non iudicarent incurrere; nisi censerent mortaliter peccare.

488 Sed circa primam assertionem nonnulla aduertere oportet. *Circa assertionem Primam aduertenda 1.* Aduertendum primò non incurri eam Irregularitatem si quis ex ignorantiâ etiam crassâ ministret; quia hæc Irregularitas solùm pro scienter ministrante decreta est. Vnde credens etiam imprudenter se talem ordinem habere, non incurrit Irregularitatem; quia non dicitur scienter ministrare. Ita Vgolinus de *Censuris.* cap. 37. numero 8. Nauarrus cons. 70. *de sent. Excom.* & alij.

489 Aduertendum 2. non incurri, nisi quis seriò, & ex animo exercitium proprium Ordinis vsurpet, vt monent Doctores citati. Vnde, qui ioco id faciat; quamuis alioquin tàm indecenter iocando peccet, non incurret, sicut neque initiandus tali Ordine, si se exerceat in Missâ celebrandâ, vt addiscat illius ceremonias, ne erret postquàm fuerit initiatus. Ita Vgolinus suprà num. 12. 2.

490 Aduertendum. 3. (quod satis sæpius significauimus) non incurrere Irregularitatem; qui solùm ministrat in Ordine minori, huius enim munus etiam à Laicis adhibitis vestibus eius muneris prestari solet. Ita Vgolinus suprà, nu. 13. Coninc, & alij suprà; quamuis oppositum sentiat Filiucius, & Suarius locis citatis. 3.

491 Aduertendum. 4. aliquos Authores, quamuis meritò putent Clericum, non subdiaconum canentem sine manipulo Epistolam non incurrere Irregularitatem; quantumuis inten- 4.

dat

dat eam canere ex officio; quia, nimirum, non ſufficit interior intentio miniſtrandi ex officio; niſi actus etiam exterior concurrat; addere nihilominus, etiamſi cum manipulo & Delmaticâ Epiſtolam canat, non intendens exercere ex officio, ſed ſolùm ſupplere defectum Subdiaconi, non fieri Irregularem; quia non propriè dicitur exercere ex officio; nec actus cenſetur completus donec compleatur per intentionem adiunctam exteriori actioni miniſtrandi cum manipulo, & Dalmaticâ. Ita Nauartus ſuprà, quem ſequitur Vgolinus ſuprà numero 10. Quæ doctrina ſeclusâ ignorantiâ mihi non placet; nam. qui ſcit actum ſic exercitum eſſe propriū Ordinis, eo ipſo cenſetur habere intentionem ſolemniter exercendi actum Ordinis; ſi illum exerceat. Ita Coninc diſq. 18. numero 47. qui meritò ait hæc videri implicare; quia intendere facere ſolemniter; nihil eſt aliud, quàm velle hunc actum externum cum tali ſolemnitate ſeriò facere. Idem ſentit Layman ſuprà num. 4. qui etiam conſequenter addit non fieri Irregularem Diaconum; ſi exiſtimans baptizare ſolemniter in Eccleſiâ, eſſe Iure ordinario annexum Ordini ſuo, etiam ſine Sacerdotis commiſſione, baptizaret: nam ille tunc non habet intentionem baptizandi tanquàm Sacerdos, vt docet etiam Nauarrus conſ. 3. *de Cleric. non ordinand.* edit. 2.

Authori Nauorri Opinio non placet.

492 Addit vlterius ex Abbate in cap. 1. de *Clerico non ordinato* &c. quòd non ordinatus temerè exercens officium Ordinis, quem non habet. V. g. Celebrans vel Confeſſiones audiens, tenetur etiam pœnâ falſi, ſicuti, qui non habens dignitatem profitetur ſe habere, vel vtitur inſignibus eius L. *eos* ff. ad *Legem Corneliam. de falſo.*

Non ordinatus temere exercens officium Ordinis tenetur pœnâ falſi.

Quæres 1.

493 Quæret aliquis primò an prædicta Irregularitas ſit totalis; quamuis ex vnâ parte ſit diſpenſabilis ab Epiſcopo, vel potius ſit partialis impediens tantùm acceſſum ad ſuperiorem Ordinem ſolumque adiuncta fuerit ſuſpenſio ad tempus biennij, aut triennij ab Ordine ſupremò ante ſuſcepto; nam vtrumque cenſum admittere videtur caput. 2. de *Clerico non ordinata miniſtrante.*

Reſp.

494 Reſpondeo vtrumque ſenſum eſſe probabilem, & poſteriorem admitti à Suario diſp. 42. ſect. 4. numero 4. & à Coninc diſp. 18. dub. 6. concl. 1. Prior verò ſenſus admittitur à pluribus alijs. Ita Syluest. verbo diſpenſatio. q. 10. dicto 6. Nauartus, Henriquez Auila Sayrus apud Layman ſuprà, qui etiam refert Abbatem in cap. 1. eodem titulo, vbi ait Canonem illum *ſi quis baptizauerit, vel aliud Diuinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abijciatur ab Eccleſia* intelligi de abiectione à Clero, ſeu depoſitione propter incurſam Irregularitatem, ſed in Canone. 2. hunc rigorem relaxatum fuiſſe.

Quæres 2.

495 Quæreret aliquis, 2. an Clericus abſoluens à peccatis ſit Irregularis, ſi non ſit Sacerdos?

Reſp. Clericum non Sacerdotem abſoluentem

496 Reſpondeo eſſe, vt iam indicauimus. Ita Nauartus. numero 142. Coninc ſuprà. nu. 48. Sotus 8. de *Iuſtitiâ.* q. 2. art. 1. Vgolinus c. 37. numero 6. Auilâ dub. 15. Suarius, & Filiucius ſuprà; ille ſect. 4. numero 7. hic numero 210. exercet enim actum Ordinis, quem non habet; non videtur tamen improbabilis omninò ſententia Syluestri verb. *Confeſſor.* 1. qui negat fieri Irregularem te, eo quòd talis Irregularitas non ſit in Iure expreſſa; nam in citato cap. ſolùm habetur. *Si quis baptizauerit, vel aliquod Diuinum officium exercuerit*, &c. nomine autem Diuini officij, non videtur intelligi abſolutio Sacramentalis. Accedit quòd eâ ratione, quâ actus abſoluendi poteſt intelligi nomine Diuini officij, poſſet etiam intelligi actus baptizandi, & tamen tanquàm quid diſtinctum à Diuino officio ſeorſim exprimitur: ergo etiam actus abſoluendi eſt quid diſtinctum à Diuino officio cumque per ſe non exprimatur ſicut actus baptizandi, nec per ſe includitur.

à peccatis fieri Irregul:

Talem fieri Irregul: non improbabile negat. Syluest:

497 Nihilominus prior ſententia communiter recepta eſt, & in hac materiâ nomine Diuini officij, etiam abſolutionem Sacramentalem includi communis ſenſus Doctorum eſt Teſte Coninc ſuprà ac proinde ſtandum eſt tali interpretationi.

Prior ſententia communiter recepta:

398 Quærit aliquis. 3. an, qui non eſt Sacerdos fiat Irregularis miniſtrando ſolemniter Baptiſmum?

Quæres 3.

499 Affirmant aliqui, etiamſi id faciat in Extremâ neceſſitate habendi Baptiſmi; exercet enim actum Ordinis Sacerdotalis cuius tantùm eſt ſolemniter baptizare. Ita Nauarrus. cap. 22. num. 7. Auila dub. 14. Sayrus ſuprà numero 4. Filiucius numero 308. in his, ſcilicet, caſibus non putant eſſe poſſe neceſſitatem baptizandi ſolemniter; ſed ſolùm baptizandi ſimpliciter.

Reſp. affir.

500 Verum in hac re Philoſophandum eſt iuxta dicta Tract. 2. agentes de Baptiſmo diſp. 2. dub. 3. adiunctâ doctrinâ primæ, quibus in locis latè diximus cum multis poſſe Diaconum aliquando ſolemniter baptizare; atque adeò non incurret Cenſuram. Textus autem citatus ſolùm loquitur de Clerico non ordinato ad tale miniſterium Diaconus autem, vt ibidem quoque notabamus videtur ordinatus, vt poſſit baptizare, ſaltem ex commiſſione Sacerdotis alioquin ſufficienter impediti, vel illo deficienti, in caſu neceſſitatis; neque vllâ apparet ratio cur Eccleſia; quando illi committitur facultas, baptizandi, non cenſeatur commiſiſſe illam baptizandi ſolemniter, cùm id magis deceat. Itaque in ijs caſibus non incurret Irregularitatem iuxta ibidem dicta.

Reſp. negans eſt Authoris

501 Quæri poteſt 4. an incurrat Irregularitatem Clericus non Sacerdos benedicendo ſponſis, etiamſi hoc faciat abſque ſuperpelliceo, & ſtola?

Quæres 4.

502 Reſpondeo incurrere; nam hoc eſt munus proprium Sacerdotis illi ſoli ab Eccleſiâ conceſſum. Ita Vgolinus ſuprà numero 10. Suarius ſuprà numero 19. Coninc. numero 49. Filiucius, numero 212. & alij, quæ doctrina conſonat cum ijs, quæ diximus dub. præcedenti.

Quæres 5.

503 Quæri poteſt. 5. an Clericus per ſaltum promotus fiat Irregularis exercendo functiones prætermiſſi Ordinis?

Reſp.

504 Reſpondeò fieri, vt rectè notat Suarius

ſuprà

Clericum per saltum promotum fieri irregul: exercendo functiones Ordinis prætermissi.

suprà, numero 5. & 9. Filiucius. numero 209. & 211. Talis autem etiam alio titulo fit Irregularis, nempe; quia simul violat suspensionem, vide, quæ dixi disp. 4. dub. 7. cap. 3. §. *Septima suspensio.* & deinceps. Legantur etiam dicta hac disputatione dub. 18. quæsito 9.

Quæres 6.

505 Quæri potest. 6. an Sacerdos ministrans extremam vnctionem fiat Irregularis (Et idem iudicium est de pœnitentiâ, & de Eucharistiâ) quando non habet Ius, seu Iurisdictionem ad talia Sacramenta ministranda?

Resp.

506 Respondeò negatiuè, in tali enim casu Sacerdos ille non exercet Ordinem, quem non habet, cùm verè sit Sacerdos; sed solùm dicitur exercere actum iurisdictionis, aut potestatis, quam non habet: Irregularitas verò, de quâ nunc agimus, solùm est contra exercentem actum Ordinis, quem non habet. Ita Henriquez lib. 2. cap. 29. numero 2. Coninc. & alij apud Bonacinam disp. 7. q. 3. puncto 6.

Quære. An Sacerdos exercens actus Ordinis Episcopalis fiat Irregularis.

507. Quæri potest. 7. an Sacerdos exercens actus Ordinis Episcopalis, vt confirmando, vel Ordines conferendo, vel consecrando altaria, aut impendendo benedictionem illis verbis. *Sit nomen Domini benedictum, &c.* fiat Irregularis, ac pœnas Canonicas impositas in titulo de *Clerico non Ordinato ministrante*, incurrat? Nam ibi non solùm censetur Irregularis; sed ad hoc, vt Episcopus ordinari possit, Papali dispensatione indigere iuxta, cap. 1. eodem titulo; à Sacerdotali verò Ordine, quem habet, ad biennium, vel triennium secundum sui Episcopi beneplacitum suspensus esse debere iuxta cap. 2. eodem titulo. Ex quo capite colligunt Authores generalem regulam, quòd Clericus exercens actum Ordinis superioris suspensus esse debeat ad biennium, vel triennium si Episcopo videbitur. Ratio verò dubitandi est; quia iuxta dicta à nobis Tract. 6. de Sacramento Ordinis disp. vnicâ. dub. 3. multi putant Episcopatum non esse Ordinem distinctum ab Ordine Sacerdotali: cumque probabilis sit illa sententia, videri potest alicui eâdem probabilitate dicendum non incurri Irregularitatem; quia non exercetur actus Ordinis, quem non habeat Sacerdos.

Ratio dubitandi.

Resp Affir. nomine Ordinis Superioris, hic intelligitur Episcopalis respectu Sacerdotij.

508 Respondendum nihilominus est esse Ir- Irregularem, tùm, quia est Ordo distinctus aliquâ ratione., vt ibi probauimus cum multis: tum, quia nomine Ordinis Superioris in hac materiâ intelligitur etiam Ordo Episcopalis comparatione Sacerdotis, quatenus sunt diuersi gradus potestatis, & ab vno ad alterum ascenditur, simplexque Sacerdos, tanquam ordinarius minister, & sine legitimâ commissione prædictos actus exercens nihil facit sed sunt omninò irriti actus, & inualidi. Ita Suarius disp. 42. sect. 4. numero 7. vbi testatur de communi. Item Saytus in Thesauro lib. 7. cap. 10. numero 5. Filiucius suprà. numero 210. Layman suprà nu. 3. & alij citati.

Quæres 8. De Dispensante in hâc Irregul: Resp.

509 Quæri potest 8. quisnam possit in prędicta Irregularitate dispensare?

510 Respondeò solùm summum Pontificem dispensare, vt possit ascendere ad superiores Ordines (vt iam dictum est) & docet Syluest. verbo Irregularitas quæsito 8, Saytus suprà nu. 11. Auila suprà dub. 15. conclus. 3. Vgolinus de Irregularit. cap. 37. numero 14. Toletus, Layman Bonacina & alij citati; Episcopum verò posse dispensate, vt exerceat Ordines iam antea ritè susceptos. Poterit autem etiam in Irregularitate ad ascendendum ad Suspensionem Ordinem dispensare, si delictum fuit occultum, iuxta sæpiùs citatum locum Tridentini sess. 24. cap. 6. de *Reformatione*. Omitto alia circa hanc Irregularitatem, quæ facilia sunt, & ex datis principijs resolui possunt.

DVBITATIO XXI.

De Irregularitate contracta ob Hæresim.

Assertio 1. Heretici, &c. etiam occulti sunt Irregulares.

511. Asserendum est primò Hæreticos, Apostatas à fide, eorum fautores, & defensores esse Irregulares, etiamsi sint occulti, c. *saluberrimum.* 1. q. 7. & cap. 2. de *Haret.* in 6. cap. *Presbyteros* dist. 50. Ita Suarius disp. 43. sect. 1. Nauarrus cap. 27. numero 205. Syluest. verbo *Irregularitas* Quæsito. 5. Toletus lib. 1. cap. 64. Filiucius Tract. 20. cap. 9. numero 127. Vgolinus c. 37. Thomas Sanchez in summâ lib. 2. cap. 25. numero 2. Ledesma 2. p. 4. q. 26. art. 2. Coninc disp. 18. dub. 7. Farinac. de *Hæresi*. q. 192. num. 67. & 68. Pegna in *Director.* 3 p. q. 126. Commento. 175. & q. 113. q. 162. ad finem. Valentia disp. 7. q. 19. puncto 3. Philiarchus *de off. Sacerd.* tomo. 1. p. 1. lib. 4. cap. 9. Viualdus in *Candelabro* in penultimâ editione. 2. p. Tract. de *Irregularitate* Antonin. Armill. Maiol. & alij apud Sanchez, qui ex prædictis auctoribus probat hanc Irregularitatem, de quâ loquuntur, non esse illam, quæ ratione solius infamiæ incurritur, ac proinde nihil referre, quòd crimen sit occultum, seu publicum; idque in proprijs terminis docent (vt ipse testatur) Syluest. verb. *crimen*: q. 2. numero 3. Azor. tomo. 1. lib. 8. *Institutionum moral.* cap. 11. q. 13. & cap. 21. q. 8. Suarius citatâ disp. 43. sect. 1. numero 4.

Improbabile tamen nō est, tales non esse Irregulares,

512 Quamuis autem hoc probabilius sit, non videtur improbabile occultum Hæreticum non esse Irregularem, vt notauit Ferdinandus de Castro, tomo 1. *operis moralis.* Tract. 4. disp. 4. puncto. 4. numero 2. nam Textus, qui referuntur, tùm citati, tum c. *Nos.* §. *Item Daniel.* 2. q. 7. cap. *Presbyter.* de *Pœnit.* dist. 5. loquuntur de delicto notorio, & Irregularitas non incurritur; nisi in casibus à Iure expressis; id, quod docet Perez lib. 8. *Ordin.* tit. 4. l. 3. ad finem primæ partis Tract. Hæresis. Henriq. lib. 14. de *Irregularit.* cap. 4. numero 6. & cap. 5. numero 2. Sà verb. *Irregularitas ex defectu animæ.* numero 2. & in ordine. 28. Sayrus in *Thesauro casuum* tomo 1. lib. 7. cap. 12. numero 16. Auila de *Censuris*, p. 7. disp. 4. dub. 2. & alij apud Barbosam in *Remissionib. in Trid.* sess. 24. cap. 6. qui omnes requirunt notorietatem aliquo modo ex ijs, quos communiter recensere solent Doctores, scilicet, siue facti euidentiâ, siue propriâ confessione in iudicio, siue sententiâ Iudicis; atque hanc Irregularitatem in eo casu reuocant ad Irregularitatem generalem, quæ oritur ex infamiâ delicti cuiuscumque enormis, de quâ iam diximus dub. 13.

dub. 13. Itaque cum nulla Irregularitas inducenda sit; nisi Iure exprimatur, cap *Is qui de sent excom.* in 6. & hæc ita in Iure continentur, vt, si Textus expendantur, vel Irregularitatem Hæresis non exprimant, vel de Hæresi tantùm notoriâ loquantur; hinc est, vt ad occultam extendi non debeant; qui discursus rem probabilem facere videtur: probabilius tamen est, quod dicebam Irregularitatem scilicet annexâ esse Hæresi, seu Apostasiæ; quantumuis occultæ, dummodò exteriùs sensibiliter satis significetur; nam citato *Saluberrimum.* & c. *Conuenientibus* 1.q.7.& cap. *Nos consuetudine.* dist. 12. Clerici ab Hæresi redeuntes permittuntur in Ordine suscepto ministrare; non tamen vlteriùs ascendere; quod (vt notat Sanchez suprà) non ratione infamiæ, sed ratione Hæresis videtur statutum. Neque obstat, quòd ibi nulla fiat mentio Laicorum; nam, vt ipse Sanchez & cæteri Doctores expendunt, hæc promotio non interdicitur Clericis Hæreticis, eo quòd Clerici sint; sed ratione criminis, ac proinde comprehendit etiam Laicos.

Irregul: Probabilius annexa est Hæresi occulta, exteriùs significata, &c.

Ratio.

513 Hæc tamen ratio (vt ingenuè fateat probabilis est, vtcumque sed non satis efficax, tùm, quia illa restrictio ad Clericos videtur denotare specialiter pro illis in ijs Textibus decerni; quia cum Clerici sint, & peculiari ratione status sui obligentur ad fidem plenam seruandam; imò & docendam, aut prælucendum in illâ, meritò potuit, & voluit Ecclesia peculiari ratione illos punire ratione criminis commissi non à quouis homine de populo, sed ab homine Clerico; nam, si in alijs criminibus minoribus, cæteris paribus maiori pœnâ dignus censetur Clericus delinquens, & maiori sæpè afficitur à Iure, cur non in crimine Hæresis?

Ratio Præcedens non satis est efficax.

514. Ideò alio argumento vtitur Sanchez; quia nimirum Clemens, VII. in quadam Constitutione incipiente *Cum sicut* quam refert Pegna in fine *Directorij Inquisitorum*, inter Bullas Apostolicas ipsorum concedit Inquisitoribus facultatem dispensandi in Irregularitate contracta ob Hæresim occultam, atque adeò supponit Irregularitatem contrahi ex ipso delicto.

Ratio Sanchez.

515 Sed neque hæc ratio placet; sæpè enim Pontifices, & superiores concedunt facultatem absoluendi seu dispensandi, aliudue priuilegium propter securitatem conscientiarum ad sedandos scrupulos, & propter varietatem opinionû; qualis iam erat tempore Clementis, VII plures enim Authores erant, qui de illâ Irregularitate disputabant; ideò potuit ad maiorem securitatem conscientiæ conferre eam facultatem dispensandi Inquisitoribus.

Authori non placet.

516 Tertio probat Sanchez, quia Irregularitas generalis orta ex infamiâ consurgente ex delicto enormi notorio notorietate facti, cessat ablatâ infamiâ per publicam vitæ emendam, vt tenet (inquit ille) communis sententia in Tract. de *Irregularit.* At omnes fatentur (inquit etiam ille) Irregularitatem hanc minimè cessare post publicam Hæretici emendam.

Probat 3. Sanchez.

517 Verum neque hæc ratio satis videtur conuincere; nec mihi placere potest iuxta principia data in hac disp. dub. 13. vbi §. *Quod filoquamur.* Latè probauimus, & communem esse sententiam docuimus, infamiam ipso Iure, vel per Iudicis sententiam contractam ob crimen notorium, non tolli per pœnitentiam; seu per emendationem, etiamsi hæc sit notoria. Quo supposito sic argumentor. In plurium sententiâ Hæretico notorio est à Iure imposita ipso facto pœna Irregularitatis; vel saltem hæc est probabilior sententia, vt eâdem dubitatione ostendimus: Quando autem infamia est à Iure imposita Irregularitas etiam inde orta non cessat; nisi per dispensationem in casu notorio; vel ergo in nostro casu delictum est occultum, vel publicum Hæresis: si occultum, iuxta eam opinionem probabilem non inducit Irregularitatem: si publicum, non sufficit emendatio etiam publica; quando infamia est à Iure, qualis est hæc propter Hæresim; ergo neque hæc ratio satis efficax est, quæ nititur in eo, quòd Irregularitas tollatur per vitæ emendationem publicam; quando orta est ex infamiâ consurgente ex delicto enormi, quæ non tollitur si infamia ex tali delicto consurgens à Iure decreta est, vt contingit in casu Hæresis, de quo agimus.

Probatio non conuincit, iuxta Authorem.

518 Tandem 4. probat Sanchez; quia ferè omnes Doctores (inquit) asserunt Hæreticum esse Irregularem Irregularitatis specie, quæ ex defectu animæ oritur, affert verò plures Auctores, qui sic sentiant; at quando ratione solius infamiæ incurritur Irregularitas, nullus Doctor simpliciter affirmat ratione illius criminis incurri; nec appellat eam prouenientem ex defectu animæ. Sentiunt ergo prædicti ex se, & ratione criminis Hæresis hanc Irregularitatem incurri; ac subinde nihil referre, siue publica, siue occulta sit Hæresis.

Probat 4. Sanch.

519 Hæc etiam ratio non satis conuincit, quantumuis enim Auctores relati à Sanchez reducant Irregularitatem ex Hæresi ad eam, quæ oritur ex defectu animæ, non inde sequitur, Irregularitatem non posse etiam reduci ad delictum; neque nouum est in speciebus tùm physicis, quàm moralibus eandem speciem ad diuersa genera, seu subalternas species reuocare. Vnde in hac etiam materiâ Irregularitatis vna, & eadem Irregularitas solet ad diuersa capita reduci secundum diuersas diuisiones. Legat, qui volet Suariũ disp 40. sect. 3. maximè numero 4. adiuncto, numero 2. potest ergo Irregularitas hæc Hæresis ad Irregularitatem ex defectu animæ vtcumque reuocari, & simul ad Irregularitatem ex delicto; imò verò (vt rectè probat Suarius eodem num. 4.) nulla est Irregularitas ex defectu animæ, seu spirituali, qui non sit defectus ex proprio actu voluntario; nam, quamuis ignorantia existimari posset defectus inducens Irregularitatem, & hanc ignorantiam esse inuoluntariam; tamen, vel ignorantia non est propriè Irregularitas Canonica, vel non est sine hominis voluntate. Atque idem est de iteratâ receptione Baptismi, quæ si voluntariè fiat, non est sine proprio actu. Si verò inuoluntariè per ignorantiam inuincibilem, nulla inde contrahitur Irregularitas iuxta veriorem sententiam, quam docuit idem Suarius tomo 3. in 3.p.disp.31.sect.6. Itaque (vt nos ex eodem

Nec hæc probatio conuincit.

eodem Suario notauimus suprà dub. 7.) Irregularitas proueniens ex defectu fidei ad Irregularitatem ex delicto Hæresis, vel Apostasiæ reuocari potest. Ex quo patet ita ad defectum animæ pertinere hanc Irregularitatem Hæresis, vt pertineat ad defectum animæ voluntarium, & illitè voluntarium, atque delictum. Vnde in eâ Irregularitate Philosophandum est secundũ principia. Irregularitatis prouenientis ex delicto inducente infamiam propter sui enormitatem: infamiam (inquam) non facti solùm, sed Iuris, & ad vtramuis incurrendam, requiritur notoritas, quæ non contingit in casu occulto.

520. Propter hæc non videtur improbabilis prædicta sententia quòd Irregularitas non contrahatur ex Hæresi occultâ; tamen, quia communis sententia est opposita, & sic intellexit Iura statuentia Irregularitatem propter Hæresim, vt etiam extendantur ad Hæresim occultam quidem; sed exteriùs sensibiliter significatam: ita in praxi tenendum est.

In praxi tenendum.

521. Dixi *exteriùs significatam*; nam Hæresis, quando in solâ mente retinetur non inducit Irregularitatem, cùm tanquàm penitus occulta iudicio Ecclesiæ imponentis eam pœnam subdi non possit iuxta principia generalia data à nobis disp. 2. dub. 10) pro excommunicatione. Ita Nauarrus in *Summâ*, cap. 27. numero 249. Suarius disp. 43. sect. 1. numero 3. Filiarcus *de officio Sacerdotis*. tomo 1. p. 1. lib. 4. cap. 15. Bonacina disp. 7. q. 3. puncto 7. numero 1. Sanchez suprà numero 4. & alij communiter.

Hæresis mente retenta non inducit Irregul:

522. Illud autem est obseruandum cum Sanchez numero 2. & 3. Textus inducentes Irregularitatem propter Hæresim non expressè interdicere Clericis exequutionem Ordinis iam suscepti, quando posteà in Hæresim lapsi sunt, quin in eis dicatur permitti ministrare in illo Ordine. Quâ ratione Angelus verbo *Irregularitas*. numero 28. Syluest. ibi q. 5. numero 7. docent posse post pœnitentiam, & abiurationem Hæresis in Ordine suscepto ministrare, in suscipiendis verò tam Clericos, quam Laicos esse Irregulares. Quod (inquit Sanchez) non est ita accipiendum, vt liceat absque dispensatione in Ordine suscepto ministrare; sic enim non esset absolutè verum Hæreticos esse Irregulares; cuius contrarium iam diximus, & docent Antonin. Toletus, Suarius, Syluest. Gregorius Lopez apud eundem Sanchez citato. numero 3. qui dicunt Clericum Hæreticum, etiam post pœnitentiam deijci ab Ordinis suscepti exercitio. Quare intelligendi sunt Textus & Doctores vt permittatur tantùm ex dispensatione prius obtentâ. Ita Maiol. lib. 5. de *Irregularit*. cap. 46. numero 2. Suarius disp. illâ 43. sect. 1. numero 2. Pegna *Comment*. illo. 162. ad finem. Azor c. illo. 11. q. illa 13. quos sequitur Sanchez numero illo. 3.

Obseruandũ.

523 Illud sanè probabile puto eum, qui exteriùs Hæresim profert; sed interiùs benè sentit, non esse Irregularem, quando crimen est occultum, sed solùm quando crimen est manifestum; tunc enim incurrunt Irregularitatem, quæ contrahitur ob crimen enorme notorium. Quod non incurrat, quando crimen est occultum, ex eo videtur probari, quòd ille non est verè Hæreticus; atque adeò licèt concedamus ob crimen Hæresis occultum incurri Irregularitatem, doctrina non habet locũ in eo casu; quando verò notoria est illa negatio fidei ficta, ipsummet peccatũ negationis fidei, quantumuis interius fides maneat, tale peccatum est, vt inducat infamiã sufficientẽ ad Irregularitatẽ; & sicut ab Excommunicatione liberatur ille, qui exterius negat fidem, interiùs autem illam retinet: ita videtur liberari ab Irregularitate, quæ imponitur à Iure Hæreticis; atque ita de ficto spontaneo Apostatâ tenet Azor tomo 1. lib. 8. capite 11. q. vltimâ, & de ficto Apostatâ ob grauem timorem capite 21. q. 8. Nauarrus lib. 5. *consiliorum* titulo de *Hæreticis*. in primâ editione toto consilio 3. maximè in fine, & in 2. toto consilio 9. præcipuè in fine, vbi ait, qui ob grauem timorem etiam in Hæreticorum locis Hæretica ficta publicè exercuêre, vt frangere cruces, esse Irregulares in vtroque foro ob crimen notorium enorme.

Negatio fidei ficta inducit Infamiam sufficientem ad Irregul:

524 Non desunt autem, qui putent neque hos publicè, & notoriè peccantes esse Irregulares, quando timore graui ducti id fictè fecerunt; quamuis enim mortaliter peccauerint contra Ius Diuinum cùm Ecclesia sit, quæ Irregularitatem imponit: neque suis præceptis obliget cum mortis periculo excusabuntur ab Irregularitate, quæ pœna supponit obligationem præcepti, vt Ecclesiasti. tuni est. Quâ ratione nonnulli excusant remigantes in triremibus Turcarum à Censurâ, non tamen à peccato. Circa hoc tamen Philosophandum est iuxta dicta disp. 2. dub. 24. vbi egimus de metu impediente vim Censuræ, & sub ijs conditionibus & circumstantijs probabilem puto prædictam sententiam, quam absolutè non puto veram; quia si hæc ratio, & doctrina esset alicuius momenti, nunquam cum periculo vitæ esset standum pro Ecclesiâ ex præcepto ipsius; quia nunquam posset obligare cum periculo vitæ. Verius ergo puto quod dixi loco notato expendendum esse; àn præceptum, & materia illius sit tanti momenti, vt meritò pro illo seruando debeat quis exponere vitam suam; tunc enim obligabit præceptum Ecclesiæ & incurretur pœna; si non seruetur, tale autem est confessionis externæ fidei, seu præceptum non negandi illam.

Opinio aliquorum.

Authores Iudicium.

525 Alio modo impugnat Sanchez prædictam sententiam, quia nimium rum, si hæc ratio esset alicuius momenti idem vtrique probaret, quamuis hi ex animo ob timorem grauem apostatarent. Hæc tamen impugnatio nullius momenti est; quia nulla vi, aut metu externo cogi possunt ad habendum verum animum, atque adeò ad coniungendum actum externum Apostasiæ seu Hæresis cum vero animo. Vnde intelligi potest quod Ecclesia non puniat tali pœnâ; sicut excommunicatione non punit in eorundem sententiã eum, qui tali casu fidem ficto animo negat, cum tamen puniret, si non ficto, sed vero animo negaret.

Prædictam sententiam impugnat Sanchez.

Sed insufficienter.

526 Illud autem exemplum, quod illi Auctores afferebant de Remigibus in Triremibus Turcarum, rectè notat Sanchez non esse ad rem; nam remiges exercent opus ex se indifferens, cùm tamen negantès fidem, seu apostatantes

tantes exterius exerceant opus intrinsecè malum.

527 Quamuis autem hæc omnia prædicta vera, aut probabilia sint, considerando Iura, quæ circa veram Hæresim disponunt; tamen absolutè loquendo dicendum puto esse Irregulares prædictos omnes negantes fidem, siue spontè, siue metu graui adacti id faciant; quamuis enim non incurrant propriam Hæretici, vel Apostatæ à fide Irregularitatem cum verè Hæretici non sint, incurrunt tamen aliam specialem Irregularitatem propriam huius criminis. Probari potest ex Concilio. Ancyrano capite 1. & 2. & refertur.cap. *Presbyteros.* dist. 50: qui Textus agit de fictis Apostatis; nam, vt rectè expendit Sanchez suprà numero 6. postquam dixit immolantes Idolis ex graui timore arcendos esse ab Ordinibus, ait secus esse de Laicis, qui cùm clamarent se Christianos esse, vi præcisâ coacti sunt immolare. Quippe eos ait ab hac pœnâ eximi, eo quod culpæ immunes sint: ergo in priori parte comprehendit fictos Apostatas ob timorem, qui re verâ non vi præcisâ; sed solo timore compelluntur, atque adeò non sunt à culpâ liberi. Quam sententiam sequitur Suarius disp. 43. sect.2. numero 2. Maiol. lib. 5. de *Irregularitate*.cap. 34. numero 2. Viuald. in *Candelabro* in penultimâ edit. Sanch. citato nu. 6. qui cum Suario aduertit, & si is Textus loquatur de solo offerente Sacrificium Idolis; eum tamen idem decidere de negantibus fidem quocùmque alio signo externo; nam ille Textus culpam recessus à fide ob timorem ponderat.

Ficte negãs fidem incurrit specialẽ Irregularitatem.

528 Alios verò Auctores relatos à Suario pro hac sententiâ scilicet Angelum verb. *Irregularitas* numero 27. Syluestrum ibi q. 5. num. 7. Armil. num. 83. Tabienam *Irregularitas*. 4. q. vltimâ, non admittit Sanchez pro hac sententiâ, quia non explicant se loqui de fictis Apostatis, quin imò Angelus, & Syluest, quos videntur sequi Tabiena, & Armilla, de veris Apostatis loquuntur, cum de illis dicant esse veros Hæreticos.

529 Ex traditâ doctrinâ nonnulla pro praxi colligenda sunt. Primò colligitur eum, qui pactum init cum Dæmone, aut ipsum colit absque Hæresi non esse Irregularem ex eo capite, de quo nunc agimus. Ita Suarius citatâ sect.2. Sanchez suprà numero 11. & alij Recentiores. Ex alio tamen capite, ex quo infamia consurgat, ob suspicionem Hæresis aut enormitatem talis delicti iam noti poterit fieri Irregularis. Ita Filiucius suprà. n. 235. & alij.

Ex dictis nonnulla pro praxi inferuntur. Collige 1.

530 Colligitur 2. eos qui de Hæresi suspecti coguntur abiurare illam, alioquin in iudicio probatam, esse Irregulares; tales enim censentur veri Hæretici. Legatur Sanchez. numero 10. & 12. vbi ait eos, qui tanquàm de Hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, nullatenus esse Irregulares, nequè inhabiles ad officia, & beneficia, pro quâ sententia contra Azor citato lib. 8. capite 21. q. 8 refert Nauarrum lib. 5. *conciliorum*. titulo *de Hæreticis*. in 1. edit. toto cons. 5. & 6. in secundâ vero toto cons. 18. & 19. Flaminium de *resignat. benef.* lib. 4. q. 3. numero 17. Henriq. lib. 13. de *excom.* capite 56. numero 1. Sà in *Summa.* verbo *Hæresis.* numero 5. Neque horum beneficia vacant virtute Motus proprij Pij V. decernentis vacare Hæreticorum beneficia, & ad dispositionem Apostolicam pertinere; quia hi non verè Hæretici. Itaque tunc tantùm sunt Irregulares, si tanquàm veri Hæretici cogantur abiurare; quod ex Nauarro explicat Sanchez, dicens duobus modis quempiam cogi abiurare; primus est, quando Hæresis est probata, & ideò tanquam Hæreticus cogitur abiurare iurando se nunquam ad eam rediturum; & tunc fit Irregularis, & inhabilis ad beneficia, vt præter Nauarrum, & Sanchez docet Sà ibidem. Secundus modus est, quando Hæresis non probatur, maximæ tamen præsumptiones adsunt, & tunc, vt se ab ijs purget, cogitur de vehementi abiurare, iuranis se neque in illam incurrisse; nec vnquàm incursurum, & tunc non damnatur tanquam Hæreticus, neque vt tali, ob Hæresim imponitur pœnitentia; sed ob ea gesta, ex quibus Hæresis suspicio orta est, à quâ se purgat, & ostenditur innocens per eam abiurationem, nec manet Irregularis, aut inhabilis; purgatâ enim infamiâ, & suspicione Hæresis, non consurgit Irregularitas.

Collige 2.

Hæreticorũ beneficia vacant.

Duobus modis cogi potest quis abiurare Hæresim.

531 Quæ hucusque dicta sunt de Hæreticis, & Apostatis non habent locum in Schismaticis, nisi Schisma sit coniunctum cum Hæresi; tunc enim propter Hæresim locum habebunt. Ita Suarius suprà, Filiucius Tract. 20. capite 9. quæsito. 3. num. 233. Sanchez, Saytus & alij, quos refert, & sequitur Bonacina disp. 3. de legibus. q. 4. puncto vltimo. §. 3. quamuis contrarium sentiant Vgolinus. cap. 36. §. 3. Maiol. lib. 5. cap. 46. numero 4.

Dicta hactenus de Hæreticis non habent locum in Schismaticis

532 Quod diximus de Apostatâ, intelligi debet de Apostatâ à fide vera, & Cotholica; nam quod attinet ad Apostatam ab Ordine Religioso. & à Clericali habitu, & Tonsurâ, alia ratione Philosophandum est; neque enim Apostata ab Ordine Religioso incurrit prædictum genus Irregularitatis; sed aliud longè diuersum cap. finali de Apostatis. Vbi habetur Apostatam à Religione durante eo statu non debere ad Ordines admitti. Ita Vgolinus suprà. §. 4. Maiol. lib. 5. cap. 30. Clericus verò Clericalem habitũ, & Tonsuram deferens, nullibi, quòd sciam, decernitur Irregularis; in quo etiam consentit Vgolinus. numero 6. & alij contra Maiol. lib. 5. cap. 34. n. 4. aliosque nonnullos.

Dicta de Apostatâ quomodo intelligenda.

DVBITATIO XXII.

De Irregularitate propter fauorem, receptationem, defensionem, & suspicionem Hæresis.

533 Asserto 1. Irregularitatem præcedentis dubitationis extendi ad fautores, receptatores, defensores Hæreticorum. Quinam verò sint tales, explicuimus disp. 3. dub. 60. & legi potest Sanchez lib. 2. *Summæ*. cap. 10. a. nu 4. Ita idem Sanchez eodem lib. cap. 25. numero 7. & 8. vbi etiam contra Henriquez lib. 14. de

Assertio 1.

Irregularit.

Irregularit. cap. 4. numero 6. & contrà Sà in *Summâ,* verbo *Irregularitas ex defectu animæ,* numero 2. docet hanc Irregularitatem incurri, etiamsi occulti sint, sicut suprà dixerat, & nos cum illo, tanquàm probabilius de Hæreticis ipsis occultis. In quam sententiam videntur conuenire quotquot indistinctè & generaliter illos æquiparant Hæreticis, quantum ad Irregularitatem contrahendam, probarique potest ex speciali Textu cap 5. *Hæretici* de *Hæreticis* in 6. quo Textu vtuntur Nauarrus in *Summâ* cap. 27. numero 205. Ledesma 2. p. 4 q. 26. art. 2. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 10. puncto 3. in 3. specie Irregularitatis. Maiol. lib 5. *de Irregularit.* c. 46. numero 4. & omninò expressè Suarius de *Censuris.* disp. 43. sect. 2. numero 5. vbi in fine ait hos omninò æquiparari Hæreticis, quoad Irregularitatem; & omnia dicta de Hæreticorum Irregularitate in His locum habere; Dixerat autem sect. 1. numero 4. Hæreticos occultos esse Irregulares, quem sequitur in his omnibus Sanchez, & cum eodem expendit citatum, cap. 2. §. *Hæretici,* vbi æquè Hæretici. & omnes eorum receptatores, fauctores, & defensores redduntur inhabiles ad omne beneficium, & officium publicum. Sub quibus verbis non temporalia tantùm, sed Ecclesiastica atque Ordinum etiam officia comprehenduntur; cùm hæc pupublica etiam sint.

Soli fauctores &c. Hæreticorum formaliter vt Hæretici sunt Irregul. incurrunt.

534 Sicut autem nos dub. 60. citatâ, & Sanchez, citans locis aliisque ibidem à me relati diximus, solùm incurri Excommunicationem à fauctoribus, receptatoribus, defensoribusque Hæreticorum formaliter, vt Hæretici sunt, sic etiam in Irregularitate dicendum est propter easdem rationes. Ita etiam Suarius citatâ disp. 43. sect. 2. num. 6.

535 Vbi idem Suarius, & Maiolus citato. cap. 46. numero 4 eandem Irregularitatem extendût ad administrantes Sacraměta Hæretico. Pro quâ sententiâ falsò refert Maiolus Speculatorem, & Bernardum Diaz, qui teste Suario, & Sanchez, suprà numero 9. nihil tale dicunt. limitant verò Sanchez, & Suarius hanc doctrinam, vt tantùm locum habeat in ministrantibus Sacramenta Hæretico nondùm conuerso, vt illi faueant, non solùm, vt excommunicato; sed, vt Hæretico: tunc autem (vt rectè aduertunt) non propter specialem rationem ministrandi Sacramenta, sed propter generalem fauendi Hæreticis, tanquam eorum fauctores Irregularitatem incurrunt. Quod ego non frustrà pro praxi notatum puto; nam, si quis varios exerceat actus fauoris Hæreticorum, & generaliter obtineat dispensationem ab Irregularitate incursâ propter eiusmodi fauentiam; administratio verò Sacramentorum Hæreticis facta solum inducat Irregularitatem, quatenus est actus fauoris; non erit necessaria noua dispensatio, aut particularis expressio illius administrationis, quando petitur & obtinetur prædicta dispensatio: illa enim administratio comprehenditur inter cæteros actus fauendi; cùm tamen, si peculiari ratione illa administratio Sacramentorum induceret Irregularitatem, necessaria esset noua dispensatio aut noua, & distincta expressio illius actionis, quando petitur, & obtinetur dispensatio Irregularitatis.

Pro Praxi Notandum

536 Assertio 2. prædicta Irregularitas extenditur ad suspectos de Hæresi. Ita Sanchez suprà numero 10. cum Suario eâdem disp. 43. sect. 2. numero 8. & 9. Maiol. lib. 3. de *Irregularitate.* cap. 17 numero 2. Henriquez lib. illo 14. capite 4. numero 6. Aduertunt verò Sanchez. & Suarius hanc suspicionem quandoque proficisci ex crimine includente cooperationem aliquam ad Hæresim, vt, si quis sit fautor, receptator, aut defensor Hæretici. Quo casu tonc non incurret quis duplicem Irregularitatem, alteram fauctorum, alteram suspicionis, ratione infamiæ, sicut neque homicida notorius duplicem Irregularitatem incurrit, aut Hæreticus, etiam notorius; nam ex duplici titulo incurritur Irregularitas per modum vnius; quamuis enim alterutra sola ratio sufficiat per se ad Irregularitatě; tamen, cùm hæc per se imposita sit ob tale crimen, quod habet per se coniunctam talem suspicionem, seu infamiam, censetur propter vtrâque simul rationem imposita. Quando verò Hæresis suspicio consurgit ex alio crimine, siue sit suspicio facti; quia factum est tale, vt absque aliâ Iuris dispositione Hæresis suspicionem generet; siue sit suspicio Iuris; quia Ius in eo casu disponit, vt Hæresis inde præsumptio sumatur, (qualem sumit Tridentinum sess. 25. c. 3. ex annuâ perseuerantiâ in excommunicatione) tunc non incurritur peculiaris Irregularitas ex naturâ huius suspicionis; sed solùm ratione indecentiæ ob infamiam, quando id crimen notorium est. Ita Henriquez Suarius, & Sanchez locis citatis; qui duo inferunt, ablatâ eâ infamiâ, & purgatâ suspicione auferri Irregularitatem hanc. Quod ego verum puto in infamiâ facti; nam infamia Iuris probabilius puto necessariam esse dispensationem, vt iam in præcedentibus notauimus, tùm dub. præcedenti, tum dub. 13. § *Quod si loquamur.*

Assertio 2. quoad suspectos de Hæresi.

Ex duplici titulo incurri potest Irregul. per modum vnius.

DVBITATIO XXIII.

De Irregularitate, quam contrahunt filij Hæreticorum ex delicto parentis.

537 ASserendum est filios Hæreticorum esse Irregulares vsque ad secundam generationem, si per viam masculinam descendant; si autem per viam fœmineam, tantùm in primâ generatione, filios scilicet, non nepotes. Probatur ex capite 2. §. *Hæretici.* & capite *statutum.* cl. 2. de *Hæreticis.* in 6. debet tamen Hæreticus probari per sententiam, vel euidentiam facti, quòd talis sit, vel talis decesserit, vt habetur capite *Quicumque* de *Hæreticis.* in 6. ibi. *Qui tales esse vel tales decessisse probantur.* traditque Farinac. q. 191. numero 69. Azor tomo 1. lib 13. c. 13. q. 8. vbi subdit solùm facti euidentiam sufficere, etiamsi sententia sequuta non fuerit, docet etiam Sanchez. lib. 2. *Summæ* capite 27. n. 28. & alij posteà citandi.

Assertio. filij Hæreticorum sunt Irregulares.

538 Doctrina tradita extenditur etiam in eisdem Textibus ad fautores Hæreticorum, vt prædicti Auctores docent.

iam. de Dicastil. de Censur.

539 Quæ-

Quæres 1.

539 Quæri autem potest. 1. an extendatur ad filios etiam illorum, qui relapsi sunt in Hæresim, & solent comburi, etiamsi pœniteant?

Affirmans aliquorum opinio

540 Aliqui affirmant, & idem putant de Hæresiarchis; qui omnes, quamuis pœnitentiæ signa ostendant, impœnitentes à Iure reputantur, docetque Suarius de *Fide* disp.23.sect.3.n.3. cum alijs; neque ab hac pœnâ putant; sicut neque ab alijs, excusari filios illigitimos, & incestuosos, aliàs delictum parentum illis faueret; & luxuriæ prærogatiua daretur, quæ negaretur castitati coniugali. Quod absurdum putat Pegna 3. p. *directorij*. q.114. commento.163. circa principium Sanchez citato. capite 27. num.1. Menoch de *præsumptionib*. lib.5. præsump.33. nu.1. Farinac. q.191. num.9. Debet autem parens Hæreticus certò parens esse, vt ex eius delicto pœnæ ad filios descendant; nam in dubio excusabuntur, vt docent idem Sanchez, & Farinac. suprà. Couarrub. lib. 2. *variarum*. capite 8. numero 3. Filiationis autem probatio sufficit, si Pater nominabat illum filium, & talis communiter reputabatur; quia vt talis tractabatur. Ita Repertorium Inquisitorum verb. *Filij*. vers. *& si quæratur*, & ibi Quintilianus Mandosus in *Additionibus*. littera. H. Farinac. q. illâ. 191 num. 10.

Opinio aliorum negans

541 Alij tamen putant non incurrere Irregularitatem, si eorum parentes mortui non fuerint in delicto, sed conuersi, siue post primum, siue post secundum lapsum. idque probant ex cap. *statutum* de *Hæreticis*. Putant ergo filios, & nepotes Hæreticorum posse promoueri, quando parentes ipsorum ante mortem fuerunt reconciliati Ecclesiæ ad distinctionem Parentum, qui Irregulares manent etiam post conuersionem, nisi dispensentur. Item promoueri possunt, quando aliter in aliquo loco consuetudine receptum est, vt in multis Germaniæ locis seruari videtur. Ita Henriquez quem refert, & sequitur Bonacina disp. 7. q. 3. puncto. 7. Comme disp.18. numero 51. referens Henriq. qui refert Simancas, Nauarrum, & Roas.

Hæc Authori videtur probabilior.

Quæ sententia mihi videtur probabilior; quia Textus absolutè loquuntur, & solum comprehendunt parentes impœnitentes: qui sensus benignior est.

Quæres 2.

542 Quæri potest 2. an Filius Hæretici sit Irregularis, etiamsi natus sit ante lapsum parentis in hæresim?

Filios natos ante hæresim Parentis Irregulares esse docent, quidam.

543 Diuisi sunt Auctores: quidam affirmant comprehendi filios etiam natos ante crimen Hæresis. Ita Simancas de Catholic. Instit. tit.29. numero 22. Rojas de *Hæreticis*. 2.p. numero 336. & in *singularibus Fidei*. singulari.68. num. 3. Pegna in *Directorio* 3. p. comment. 163. vers. *Omissis tamen*. Perez lib.4. *Ordin*. tit.9. l. 3. vers. *Despues que fizo la traycion*. Couarrub. 2. *variarum*. capite 8. numero 5. Cantera in *quæstionib. Criminal*. tit. de *Quæstionib. tangent. punit. de lict*. cap.1. numero 12. Suarius disp.43. sect.3. nu.2. Azor. tomo 1. *Institution moral*. lib. 8. capite 13. post q.8. & tomo.2. lib.6. capite 4. q. 3: Toletus in *Summâ*. lib.1. capite 69. numero 4. versu *Octauo Filij* Farinac. de *Hæresi*. q.191. numero 2. Quamuis numero 39. videatur sibi contrarius, & alij plures, quos refert Thom. Sanchez. lib.2. capite 27. numero 9. qui de hac re, latè, satis, & exactè disputat.

544 Omissis pluribus alijs fundamentis huius sententiæ probari potest primò ex generali & non restrictâ loquutione Iuris. dum agit de pœnis impositis filijs Hæreticorum, & reorum Læsæ Maiestatis, quos absolutè hac, & alijs pœnis pronuntiat puniri. capite *Quicumque* §. *Hæreticis*. capite *Statutum* de *Hæreticis*, in 6. & capite *Vergentis*. de *Hæreticis*. L *Quisquis* §. *Filij*. C. ad *Leg. Iul. Maiest*. Sub nomine verò filiorum absolutè prolatorum, tàm nati ante delictum, quàm post delictum intelligi debent; tùm, quia sermo Indistinctè prolatus indistinctè est intelligendus. L.1. §. *Generaliter*. ff. de *Legatis præstandis*. L. 3. ff. de *officio Præsid*. L. de *pretio*. ff. de *publicianâ in rem actione* vbi Gloss. & Doctores, tùm; quia iuxta. L. *Senatoris filium*. ff. de *Senatoribus* æquè censetur Filius Senatoris, siue Pater in Senatoriâ dignitate eum susceperit, siue ante dignitatem, & in capite *Inter Cæteras*. de *Rescriptis*. Sacerdotis filius dicitur, etiamsi ante Sacerdotium fuerit genitus: ergo similiter filius Hæretici dicetur, etiamsi ante Hæresim. *Prob. 1.*

545 Probatur. 2. tùm ex capite *Filij*. de *Hæreticis* in 6. vbi Filij decedentium è vitâ, & consolationem, seu potiùs desolationem, ab Hæreticis postulantium non admittuntur ad probandum parentes in amentiâ fuisse, si anteà de de Hæresi diffamati erant. Ij autem Filij pœnas filiorum Hæreticorum incurrunt; ergo etiam nati ante delictum patris: tùm etiam probatur ex capite *statutum* eodem titulo in 6. vbi redduntur infames filij Hæreticorum, quorum parentes, vt suprà notabam, tales esse, vel decessisse fuerit probatum: Si autem non comprehenderentur filij ante delictum paternum geniti deberet Textus postulare ad filiorum infamiam parentes Hæresim commisisse ante illorum generationem, & in illâ vsque ad mortem perseuerasse, quòd tamen non postulat; tùm denique quia filij reuelantes Inquisitoribus Hæresim parentum, eique minimè consentientes excusantur à pœnis iuxta Constitutionem Frederici Imperatoris, quæ incipit. *Commissi*. vers. *Neque quidem* quam refert Pegna inter litteras Apostolicas. *Director inquisit*. quæ ab alijs Pontificibus confirmata est præcipuè ab Innocentio IV. in suâ Octauâ constitutione, aliàs in ordine 9. multisque relatis docet Simancas de *Catholic. Instit*. tit.29 numero 46. Pegna in *Directorio* 2.p. Comment. 15. ad caput *Litteras. de Præsumpt*. vers. *hoc addiderim*. & 3.p. Comment.164. vers. *in filijs verò*. Rojas singulari 11. numero 5. Sanch. citato capite 27. numero 30. Farinac. q.191. nu. 37. Ad hanc autem reuelationem faciendam supponuntur filij nati; ergo etiã supponũtur nati ante delictum, vt paternum delictum possint dissimulare. Vnde filij non reuelantes; sed dissimulantes paternam Hæresim eam pœnam contrahunt; neque ibi excipitur ante nati fuerint ante delictum vel post. *Prob. 2.*

546 Probatur. 3. quia pœna infamiæ priuationisque officiorum, & beneficiorum filijs imponitur vt in eis puniantur parentes, qui filiorum mala solent acerbius sentire, quàm propria, vt sic puniti à peccato auertantur & cæteris incutiatur metus, vt notauit Glossa in Extrauag. vnicâ Ioannis. 22. de *pœnis*. § . *Filij eius*. verbo *Prob. 3.*

Quomodo-

Quomodolibet. & refert Castro lib.1.cap.7 de *potest. Legis pœnalis.* Corollario.1. & lib.2.c. vltimo. de *iustâ Hæreticorum punit.* Menoch. de *Præsumptionib.* lib.5.*præsump.*33.numero 8.& 12.& cons. 99.numero 220. *volum.*1.& alij relati à Sanchez eodem.cap.27.numero 8. Hæc autem ratio punitionis parentum æquè vim habet in filijs natis ante delictum atque post delictum, quorum æque mala sentiunt. ergo ad vtrosque extenditur pœna.

Obiectioni occurritur.

547 Nec refert si dicas hanc esse vnam ex rationibus, quibus moti Legislatores parentes puniunt in filijs, non tamen præcipuam esse rationem, quæ potiùs videtur esse ne filij parentum mores imitentur iuxta. L. *Quisquis.* §. *filij.* ff. Ad *Leg. Iul. Maiest.* ibi *In quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur.* Qui timor non tantus est in filijs ante delictum conceptis, quippe, qui ex sanguine puro, & nondum per delictum infecto geniti sunt; nihil (inquam) refert, si hoc dicas; contra hoc enim est primò, quod falsum assumis negando hanc esse rationem præcipuam; nam in pœnis imponendis præcipuè attendi solet delinquentium punitio. Secundò, quamuis concedamus præcipuam rationem esse illum timorem incutiendum filijs ne parentum mores imitentur, id etiam locum habere debet in filijs natis ante delictum, æque atque in alijs; hic enim timor non fundatur in eo, quod in generatione aliquam prauam qualitatem in filios genitos parentes infundant; sed ex naturali amore, quem Filius habet erga parentes, quo ad illius imitationem allicitur, qui amor locum habet in omni Filio, ante, vel post delictum concepto. Quod si perstes, & dicas media generatione transfundi à Parentibus in filios prauas inclinationes, & propensiones, ex quo oritur metus imitationis paterni delicti, facilè reijcitur hoc ex eo, quod inclinationes & naturales propensiones esse possunt ita feruentes, aut etiam feruentiores ante commissum delictum; atque post, vt experimento constat in perditè amantibus: ergo eam prauam propensionem in Hæresim possent parentes ante commissum delictum in Filios transfundere. Accedit negari non posse, quin paterni delicti punitio sit vna ex præcipuis rationibus puniendi illos, etiam in Filijs, esto, præcipua non sit; quando autem Lex pluribus, diuersisque rationibus in sui dispositione mouetur non cessat eius dispositionis obligatio, etiamsi in aliquo casu cesset aliqua ratio ex illis: quâ de re in Tract. de Legibus dicemus, ac proinde, etiamsi de Filijs natis ante paternum delictum non esset ita timendum, sufficeret ratio puniendi parentem, vt in talibus etiam Filijs puniretur.

Si dicas.

Reijcitur.

Sententia prædicta probabilis est mente Authorem.

548 Propter hæc, & alias minoris momenti rationes citati Doctores mouentur, vt affirment, etiam hos Filios esse puniendos, probabilisque omninò sententia est; quamuis rationes prædictæ non satis conuincant.

Secunda sententia præcedenti Contraria.

549 Secunda sententia prædictæ contraria multorum etiam est, & grauissimorum, eamque latè probat Simancas de *Catholicis instit.* tit 19. numero 22.& sequentibus & in *Enchirid.* tit. 63. numero 10. & 15. qui tamen, vt vidimus, præcedenti sententiâ referri solet. Item Ioannes Calderinus cons.3.tit. de *Hæreticis.* Antonius Gomez.3. *variar.* capite 2.numero 16. Qui tamen solùm ait ex Iure Regio Castellæ hanc esse amplectendam sententiam, licèt in puncto Iuris verior sit contraria Molina Iuris peritus lib. 4. de *Primogenijs.* capite 11. numero 55. Molina etiam Theologus noster tomo 3 de *Iustitiâ.* 1. p. disp. 65.numero 22. Nauarrus lib. 5. *Consilior.* cons.23 in vltimâ editione, aliàs cons.27. de *Hæret.* Vgolinus. §.1.numero 6. Less. de *Iustitiâ.* lib. 2. capite 34. numero 121. Henriq. lib. 14. capite 5.numero 4. Sanch. citato lib.2.capite 27.numero 10.& 14. Coninc. disp.18.numero 53. Ceuallos in suis *communibus opinionibus.* q.653. numero 14.& sequentibus, vbi testatur ex Rodrig. tomo 1. Summæ capite 130. numero 5. Sæpè in Tribunalibus Hispaniæ sic esse iudicatum. Idem docent alij plures, quos ex actissimè explicat more suo, & examinat Sanchez citato numero 14. ex quo, & alijs præcipua huius sententiæ fundamenta depromam, & perstringam.

Prob. 1.

550 Probatur primò; quia Filij nati ante delictum parentis non dicuntur propriè, & formaliter delinquentis Filij, sic non dicitur in Iure Filius deportati, quem pater genuit ante deportationem. L. *Ex facto.* 17. §. *ex facto.* ff. *Ad Trebell.* nec etiam dicitur Senatoris Filius, cuius pater à Senatu amotus est ante illius generationem. L. *Emancipatum.* ff. *Senatorib.* nam, vt ibi notatur, ad eam denominationem tempus conceptionis spectari debet, id quod multis probat Tiraquellus *de primogenijs.* q 31.numero 8. Gloss. in L. *Imperialis.* §. *Illud.* C. de *nuptijs.* ergo similiter dici non poterit propriè & formaliter Filius Hæretici, cuius pater post illius generationem in Hæresim incidit; ergo iam rigidas, & acerbas pœnas erga innocentes Filios limitare oportet ad Filios, qui propriè, & formaliter sunt Filij Hæreticorum, vt pote nati post parentum Hæresim.

Prob. 2. à simili.

551 Probatur 2. à simili de Filijs conceptis ante seruitutem, ad quam rediguntur parentes ob ingratitudinem; tales enim Filij non amittunt Ius libertatis quæsitum, L. 2. C. *de Litteris, & eorum liberis* vbi redditur ratio, *quoniam illis delicta parentum non nocent, quos tunc ortos esse constiterit, dum libertate potirentur.* Idem habetur L. *Filiam.* ff. *de Senatorib.* & §. *Sed, & si.* Institut. de *Ingenuis.* At qui Filijs natis, vel conceptis ante delictum parentum ius est iam quæsitum habilitatis ad beneficia, & officia: ergo non debet ob delictum parentum illis auferri.

Prob 3. ex Concilio Toletano.

552 Probatur. 3. ex Concilio Toletano. 13. c. 1. vbi, cum omnibus, qui in infidelitatem inciderant, remissionem vellet concedere, ad illorum filios priuilegium extendit his verbis. *Quod & de filijs eorum decernimus obseruandum, qui post admissum scelus nati esse produntur.* Vbi nulla mentio fit eorum, qui ante crimen nati sunt; nimirum supponit Concilium illos eâ remissione non indigere, quippe qui nullas pœnas incurrissent. Quod argumentum vrgens esse fatetur Couarrub. contrariæ sententiæ Patronus, lib. 2. *variar.* capite 8. numero 6. Quamuis autem Concilium hoc generale non sit, certè nationale est ex omnibus ferè Episcopis Hispaniæ; atque adeò eius mens, & sententia maximè facienda.

Prob. 4 ex Augustino

553 Probatur. 4. ex Augustini doctrinâ relatâ à Gratiano in capite *Non imputantur.* & capite *Iam itaque.* 1.q.4. vbi Augustin. docet, & probat delicta parentis non posse nocere Filijs ante delictum genitis, quippe qui iam in se ipsis, & non in parente sunt; quæ ratio solùm ad filios natos tempore commissi delicti inferri debet; non ad nascituros posteà, vt ex se patet.

Prob. 5.

554 Probatur. 5. quia nobilitatis priuilegiũ parentibus concessum, non habet locum in filijs natis ante priuilegij concessionem, sed solùm in nascituris. vt colligitur ex L. vltima C. de *Decurionibus.* lib. 10. ibi *Suæq; posteritati, quam postquam meruerit dignitatem vel actum gesserit, ediderit, anterioribus filijs in conditione pristinâ remansuris* & L. *Si decurio.* 3 eodem titulo, & libro, & L. *Filij* vers. *Senatores.* el. 1. ff. de *Municipal.* vbi statuitur Filios, & nepotes Senatorum gaudere priuilegio, & dignitate parentum, quando sunt nati, vel concepti post adeptam dignitatem, non verò ante, id, quod notat ibi Glossa, & expressè Barthol. in l. 2. §. *In filijs.* ff. de *Decurionibus.* & Tiraquel. cum alijs, quos refert. Tract. de *Nobilit.* capite 15. numero 9. & in Tract. de *Primogenijs.* q. 31. numero 28. Couarrub. lib. 2. *variar.* c. 8. numero 5. vers. 3. in medio. affirmans in Prætorio Granatensi sic fuisse iudicatum, & confirmat in Regno Castellæ Lex prima tit. 1. lib. 6. *noua recopil.* ibi. *Los hijos, que vbieren auido antes de la Caualleria, non gozen de la exempcion y priuilegio de sus padres.* Ergo, si priuilegium, fauor, beneficiumque Principis parentibus concessum non communicatur filijs natis ante concessionem, potiori ratione non communicari debet pœna, quâ parentes puniuntur, cùm pœnæ restringendæ sint, & fauores ampliandi.

Prob 6.

555 Probatur. 6. ex ratione, quam affert Lex Quisquis. C. *Ad leg. Iul. Maiest.* ob quam Filij puniantur ob delictum parentis; quia nimirum *quodammodo participes sunt criminis paterni, & audaciæ genitoris successores.* quod non habet locum, nisi quatenus filij à Patre infectò geniti sunt, ac proinde solùm concepti post delictum.

556 Sanè, si Leges nostri Regni Castellæ spectemus, non videtur posse de hac sententiâ dubitari nam in l. 6. ad finem. tit. 27. partita. 2. vbi de pœnis, quas filij reorum Lesæ Maiestatis incurrunt, sic habet, *pero esto noço entiende de los Fijos, que Euuiessen hecho antes que errassen: ca los Derechos que fallaron los antigos de Hespaña en todas las cosas, alli, do pusieron pena alos hijos por razon de sus padres, siempre guardaron esto, que no huuiessen pena los que antes habian, quo el fecho malo fiziessen; fueras ende si fuessen aparceros en los ierros, y alos otros, quem metieron esta pena, fue porque los hubieron despues de emponçonados end el mal, que vuiessen hecho.*

557 Rectè autem refellit Sanchez Gregorium Lopez pro oppositâ sententiâ respondentem Textum loqui de pœnâ exilij non de pœnâ infamiæ, & incapacitatis successionis; oppositum enim colligitur ex ipso Textu illis verbis *En todas las cosas.* vt rectè expendit Molina Iurista lib. 4. de *Primogenijs.* capite 11. numero 56. Confirmatur ex L. finali. tit. 31. Partita. 7. ibi *El hijo, que es nacido no debe recibir pena por el yerro de su padre.* & lib. 3. tit. 9. lib. 4. ordin. quæ hodie est lex 3. tit. 8. lib. 8. *noua compil.* ibi *pero dezimos que ninguno traydor, ni aleuoso, ni su hijo que huuo despues que Eizo la traycion, &c.*

558 Quamuis autem nihil de filijs reorũ læsæ Maiestatis Diuinæ; sed tantùm humanæ decernant, vt nobis obijcit Couarrub. infrà citandus; sentiunt tamen prædictarum Legum conditores sic etiam à Pontificibus esse dispositum, vt indicant illa verba *Los derechos, que fallaron los antiguos en todas las cosas.* alioquin opponi posset à Pontificibus contrarium esse statutum.

559 Nihil etiam valet contra hanc sententiam, quod Gregorius Lopez opponit ex l. 2. tit. 2. Partita 6. vbi ex signo vniuersali *Todos sus hijos.* colligit comprehendi natos, & nascituros; illa enim verba explicari debent iuxta l. 6. tit. 27. partita 2. vt scilicet comprehendãtur omnes Filij siue Legitimi siue illegitimi, siue nondum emancipati; siue emancipati, geniti tamen post parentis delictum.

Authorum de vtrâque sententia Iudicium.

560 Non desunt, qui inter vtramque sententiam iudicium ferentes, in primis affirment vtramque esse probabilem propter vtriusque Auctores, & fundamenta; deinde distinguunt inter crimen lesæ maiestatis Humanæ, & Maiestatis Diuinæ, & docent attento Iure Regio Castellæ secundam sententiam in crimine Læsę Maiestatis Humanæ esse proferendam; in crimine verò læsæ Maiestatis Diuinæ, id est Hæresis primam sententiam esse probabiliorem. Ita Gutierez in Quæstionibus Canonicis lib. 2. capite vltimo numero 46. idemque docet, si rectè intelligatur, Couarrub. 2. *variarum* capite 8. numero 5. & Azeuedo. l. 6. tit. 27. p. 2. Antonius Gomez. 3. *variar.* capite 2. circa finem vers. *sed his non obstantibus.* & vers. *& adde.* alijque Recentiores. Probari potest hæc sententia, quoad primam partem de crimine læsæ Maiestatis Humanæ, quia leges citatæ clarissimæ sunt; quoad crimen, verò Læsæ Maiestatis Diuinæ Textus allegati pro primâ sententiâ scilicet Canones Ecclesiastici, & rationes pro eâ parte videntur efficaciores. Itaque hi Authores concedunt secundæ sententiæ quidquid intendit in crimine læsæ Maiestatis humanæ; in crimine verò læsæ Maiestatis Diuinæ nullam putant commodam explicationem posse afferri pro secundâ sententiâ contra primam Textibus Canonici Iuris maximè capite *Filij.* capite *Statutum.* Concedunt ergo in illis Textibus solùm disponi, & declarari filios infames esse & incapaces, quorum parentes contumaces obierint; quia in capite *Vergentis* de *Hæreticis.* & capite *Quicumque* eodem titulo in 6. id non satis fuerat declaratum; at ex eâ declaratione satis colligitur in suprà dicto capite *Vrgentis,* & capite *Quicumque* filios ante delictum natos esse comprehensos, quia solùm postulatur in capite Statutum prauus, & contumax obitus parentis; asserere verò ibi intelligendum, si fuerint nati ante delictum, gratis videtur excogitatum, & contra litteram Textus; alioquin diminutus fuisset Pontifex declarans requiri impœnitentiam finalem parentis, & non declarans filios nasci debere post parentis delictum, cum frequenter reperiantur filij ante delictum parentum geniti.

Resp. Argumento.

561 Hac ergo ratione concedunt primò argumento secundæ sententiæ non dici filium deportati

primo secunda sententia.

deportati natum ante deprecationem, Patris, nec senatoris filium genitum à patre amoto à senatoriâ dignitate; quia, nimirum, non perseuerat relatio ablato illo fundamento ex parte Patris; sicut, nec dicebatur filius Hæretici natus, antequàm Hæreticus esset pater: at, postquam pater in Hæresim incidit, dum in illâ perseuerat, sicut denominatur pater filij ante Hæresim geniti; ita & filius denominatur filius illius Patris Hæretici, & verè ac propriè dicitur filius Hæretici sicut & pater propriè, & formaliter Hæreticus est. Vnde colligunt ad incurrendas pœnas filijs Hæreticorum impositas, tantùm requiri in Iure Canonico, vt filij sint parentis in Hæresi decedentis, etiamsi alioquin toto ferè vitæ tempore Catholicus fuisset. Concedunt ergo de filio deportati, & de filio senatoris, quod asserunt secunda sententia; quia ita disponitur in Iure, seu legibus sæcularibus; negant verò hoc in filiu Hæretici nato ante delictum, quia aliter disponitur in Iure Canonico.

Ad 2. Resp. Couarru.

562 Aduertendum respondet Couarrub. n. 5. in principio in libertate, & seruitute spectari tempus conceptionis iuxta legem Castellæ. 9. tit. 22. Partitâ. 4. secus verò in alijs ex l. 2. §. *in filijs*, & ibi Glossa. ff. *de Decur.* & l. *Diuo Marco.* C. de *quæstionibus.* & in l. *fallaciter.* C. *de absolutionibus.* Accedit, quòd Iura quæsita filijs non tolluntur ex delicto parentis; sicut enim filij Hæreticorum secundum probabiliorem sententiam non priuantur beneficijs, & officijs adquisitis ante paternum delictum; sicut nec bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus; sed solùm illis, quæ ex successione parentum habere debent; ita à fortiori non priuantur libertate adquisitâ ex eo, quòd posteà parens seruituti subijciatur.

563 Ad alia argumenta etiam vt quinque respondere conantur quorum solutiones omitto quia hæc sententia omnino deficit in probatione illius secundæ partis, quatenus contendit in Iure Canonico non esse locum explicationi de filijs natis post delictum parentis

Authori placet secunda sententia.

564 Placet ergo mihi inter has sententias secunda, quæ vniuersim loquitur de omnibus criminibus, etiam Hæresim; atque In primis rectè expendunt Authores illius rationem sic decidendi in crimine læsæ Maiestatis Humanæ esse vniuersalem; locumque habere in omnibus & vniuersaliter loquendo filios delinquentis cuiuscumque non esse propriè & formaliter delinquentis filios, si nati sint, antequàm parens esset delinquens.

565 Præterea, quando non cogit ratio In contrarium, Iura Iuribus conciliare & concordare oportet, iuxta cap. *cùm expediat.* de *Electionibus* in 6. vt latius expendimus Tract. 8. de *Pœnitentia* disp. 10. dub. 9. Cumque ex alio capite, quæ in Iure Ciuili tàm Cæsareo, quàm Regio statuuntur seruari debeant, & authoritatem habeant vbi non corriguntur à Iure Canonico, nec rationi naturali repugnant; eo ipso quòd in Iure sæculari propter rationem assignatam asseritur, infamiam vitiorum parentis non transfundi in filios natos ante delictū, non est cur dicamus Legem C nonicam non posse ita interpretari, vt congrua cum Ciuili. Cum

Infamia vitiorum parentis non transfit in filios ante delictum natos iuxta Ius ciuile.

ergo Ciuilis lex, quando agit de filijs delinquētium loquatur tantùm de filijs natis post delictū parentis: pari ratione intelligi poterit, & debebit Lex Canonica, vt verba ipsa patiuntur cum solùm loquatur de filijs Hæreticorum. Accedit quod in significatione verborum Lex Ciuilis auctoritatem habet vt verba in eo sensu intelligantur, quo Legislator Ciuilis intelligit. Cum ergo Legislator Ciuilis, quando loquitur exempli causa de filio deportati, dicat per has voces *filius deportati* non significari eum, qui ante deportationem patris natus est; modus autem loquendi idem sit in ijs vocibus *filius Hæretici*: eâdem ratione intelligere debemus per eas voces non significari eum, qui ante patris Hæresim natus est: ergo quando Iura Canonica loquuntur de filijs Hæreticorum illæ voces *filij Hæreticorum.* propriè, & formaliter loquendo non significabunt; nisi filios, natos, aut genitos, quando parentes iam Hæretici erant. Hinc est, vt Pontifex Textibus citatis non diminutè procedat (vt argumentabatur tertia sententia declarans filios Hæreticorum quoad pœnas illas Ecclesiasticas censeri debere eos, quorum parentes in contumacia, & Hæresi decessernt; etiamsi non declarauerit, an deberent esse nati post delictum parentis; quia, nimirum, de natis ante delictum parentis illa verba non propriè & formaliter intelliguntur; maximè in re odiosâ, qualis est hæc; atque adeò non erat cur explicarentur. Multò autem maiori ratione dubitari poterat de filijs natis quidem post delictum parentis; sed parentis iam pœnitentis; nec decedentis in pertinaciâ Hæresis; &. quia hi verè dici poterant nati, & geniti ab Hæreticis propriè, & formaliter tales tempore generationis; declarat Pontifex prædictam pœnam non incurri ab ijs quorum parentes ante mortem resipuerunt.

Quid propriè in Iure Canonico significant hæ voces filij Hæreticorum.

566 Vltenùs (sicut aduersarij concedunt) Iura quæsita filijs non ipsis decedunt propter delicta parentum; sed eo ipso, quòd quis natus est Christianus ingenuus, & ab omni delicto seu impedimento immunis, habet Ius secum fruendi, & vtendi omnibus facultatibus, capacitatibus, & beneficijs communibus cæteris eiusdem conditionis hominibus; sed inter alia communia beneficia meritò censeri potest, & debet capacitas ad percipienda Sacramenta Ecclesiæ, qualis est ordo, & status Clericalis respectu virorum, & hoc medio etiam beneficia Ecclesiastica: ergo non est cur spolietur eo Iure iam quæsito propter delictum parentum, quantumuis parentes, & contumaces decedant. Propter hæc, & alia, quæ omitto absolutè sentio cum auctoribus secundæ sententiæ, quam etiam multorum testimonio in praxi receptam esse suprà dicebamus.

567 Illud tamen peculiare, ni fallor, habet benignitatis Lex Ecclesiastica supra legem Ciuilem Regiam, aut Cæsaream, quod Ecclesiastica in crimine læsæ Maiestatis Diuinæ si resipiat pater, non punit filium, aut patrem in filio; sed pia mater Ecclesia admittendo ad suum gremium patrem, non vult amplius dotare Irregularitatem, & incapacitatem in filio; Lex autem Ciuilis, etiamsi pater pœniteat adhuc perseuerat pœna non solùm in ipso, sed in filijs,

Differentia inter legem Ecclesiasticā & ciuilem quoad pœnas inferendas.

quando

quando pater crimen læsæ Maiestatis commisit; nec vidisse contigit legem sæcularem, quæ resipiscenti patri condonet pœnam, quâ punitur in filijs.

Quæres. de filio cuius parens ante ipsius natiuitatem fuit hæreticus, &c.

568 Quæret tamen aliquis quid dicendum de filio, cuius parens ante ipsum natum fuit Hæreticus, posteà verò resipuit, sed iterum ad vomitum redijt erit ne Irregularis filijs & incapax aut non? Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quòd iste est verè filius Hæretici propriè, & formaliter, & ex alio capite, pater (vt supponimus) decedit in Hæresi: hæc duo sunt, quæ sufficiunt iuxta dicta vt filius incurrat pœnas Iure Canonico impositas; solùm enim postulat Ius Canonicum, vt sit Filius Hæretici formaliter, & propriè, &, quod pater in Hæresi decedat; ergo incurrit pœnas.

Ratio pro parte affir:

Pro parte negatiua Ratio dubitandi.

Pro parte verò negatiua ratio dubitandi est, quòd, quamuis pater fuerit Hæreticus tempore generationis filij tamen cùm postea resipuerit, semel positâ resipiscentiâ patris, videtur Filius adeptus capacitatem ad Ordines, & ad beneficia &c. quo Iure, & capacitate semel adquisitis non videtur iuxta dicta filius priuandus Iure quæsito propter delictum parentis, quod sic ampliùs explico; nam vel priuaretur propter primum delictum parentis, vel propter secundum reincidenne non propter primum; quia pœna contracta propter primum deleta fuit per resipiscentiam patris: non propter secundum; quia quando pater commisit secundum, iam filius erat in se ipso extra lumbos parentis ac proinde iuxta principia data in sententia, quam sequuti sumus non potuit Filius lędi per subsequens delictum secundum.

Author, dubitat quid hâc in re dicendū.

569 Propter has rationes dubitandi pro vtraque parte fateor me hæsisse & adhuc non omninò firmiter apud me statutum habere quid in hac re dicendum sit?

Quid tamen Putet, exprimit.

570 Alium Authorem hac de re disputantem vidisse non contigit, quem possem in hac re sequi. In primis ergo puto, si filius illo tempore intermedio, In quo pater resipuit, & in resipiscentiâ perseuerauerit, legitimè aliàs ordinetur; & fiat sacerdos, accipiatque beneficium, iam in his omnibus beneficijs, & officijs acquisitis non lædi posse propter delictum patris superueniens; nam iuxta probabiliorem opinionem filius Hæretici non priuatur beneficijs, & officijs acquisitis ante paternum delictũ; sicut nec bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus, qualia sunt bona beneficiorum. Cum ergo non obstante primo delicto parentis, positâ eiusdem resipiscentiâ, filius capax factus ius beneficij, & Ordines acquisierit; non poterit per superueniens delictum patris Iure quæsito priuari. Tota iam difficultas est; an post secundum patris delictum & nullâ ipsius positâ resipiscentia maneat filius Irregularis, & incapax ad Ordines & beneficia, &c.

Difficultas tota.

Authoris Iudicium.

571 In quâ re probabilem puto partem affirmantem; nam in capite *Statutum*. de Hæreticis sæpe citato satis significatur Filios fieri Irregulares, si parentes mortui sint in delicto, & non fuerint conuersi, siue post primum, siue post secundum lapsum. Signum ergo est Ecclesiam ad liberandum filios à pœnâ parentum, quam semel incurrerunt, & requirere pœnitentiam patris ante mortem, non solùm primi, sed etiam secundi delicti, ac proinde licèt ex alio capite concedamus filio resipiscentis patris à primo delicto manere illæsa Iura quæsita in re, scilicet, acceptum Ordinem, & acceptum beneficium; tamen, quoad adquirenda, habebit quidem capacitatem, quam eo tempore adeptus est, sed dependentem ab vltimâ resipiscentiâ patris in eâ perseuerantis vsque ad mortem. Nihilominus fateor hanc rationem non satis conuincere; dici enim potest loqui Textum (vt nos explicuimus) de Filio formaliter hæretici, nondum liberati à pœnâ propter patris delictum debita, sicut enim Ius in gratiam pœnitentiæ patris ipso resipiscente concedit filio capacitatem, quam non habebat propter patris delictũ. & eam in capacitatem iuxta nostram sententiam non super inducit, quando filius erat extra lumbos parentis tempore delicti; ita similiter dici potest Ius auferre pœnam illam, & non iterum super inducere, quando filius vtpote natus ante secundum delictum per resipiscentiam Patris semel fuit factus capax; ideò autem in Iure fieri mentionem secundi delicti, & resipentiæ ipsius; quia fieri potest, vt pater, quando genitus fuit filius non solùm Hæreticus sit, sed relapsus in hæresim, quo casu particularis posset esse dubitatio, an sufficeret secunda resipiscentia patris ad liberandum filium à pœnis prædictis, nam in foro externo quod attinet ad Patrem, eo ipso, quòd relapsus sit non solet haberi pro vero pœnitente, vt notant Auctores, & videbimus, si Deo placeat in Tractatu de *Fide*; ideo enim Inquisitores Fidei relapsum flammis comburendum tradi iubent; quia in foro externo adhuc præsumitur pertinax, & falsò se simulans conuersum. Vt ergo aliquid condonaret Ius Canonicum talis secundæ resipiscentiæ patris, potuit statuere, vt filius genitus etiam post secundum delictum, si pater resipiscat, non fiat Irregularis, & incapax: hoc autem non obest quo minus simul possimus affirmare filium natum ante secundum delictum, & adeptum suam capacitatem per resipiscentiam patris à primo, non priuari capacitate semel adeptâ, quantumuis nouum delictum superueniat. Vnde, vt, verum fatear, nihilominus firmum pro alterutra parte inuenio. Ideò vtramque partem probabilem puto & neutrius rationes satis conuincere.

Rationem pro se allatam fatetur Author non conuincere.

Vtramque Partem probabilem, iudicat.

Quæres.

572 Quæri tandem potest: an filij Neophytorum, aut descendentium ex Iudæis, vel paganis, qui Christiani noui solent appellari, sint Ir-Irregulates?

Resp. Christianos nouos filios non esse Irregul.

583 Respondeo non esse; hi enim non dicuntur filij Hæreticorum cùm parentes propriè Hæretici non fuerint; neque etiam ipsi in se Neophyti sint, cùm sint baptizati in infantiâ vt supponimus. Legatur Suarius disp. 43. sect. 3. numero 8. & Filiucius. numero 241.

574 Qui plura de Filijs Hæreticorum natis ante, vel post delictum parentis videre volet. Legat Thomam Sanchez citato lib. 2. *Summa*. c. illo. 27. vbi latè, & eruditè more suo de hac re disputat. Nobis dicta sufficiant.

DVBI-

DVBITATIO XXIV.

Quis poſſit diſpenſare in Irregularitate contracta ob Hæreſim?

Irregul. ex Hæreſi Solus Papa diſpenſat iuxta graues Authores.

575 IN hac re Authores graues vniuerſaliter affirmant ſolius Pontificis eſſe diſpenſare. Ita communiter Doctores Angel. verb. *Irregularitas.* numero 28. Syluest. ibi. q. 5. numero 7. Nauarrus. numero 205. Ledeſma. 2. p. 4. q. 26. art. 2. Pegna in *Directorio.* 3. p. q. 126. comment. 175. & q. 113. comment. 162. Valentia tomo. 4. diſp. 7. q. 19. puncto 3. Azor tomo 1. lib. 8. capite 21. q. 8. Philiarc. *de Off. Sacerd.* tomo. 1. p. 1. lib. 4. capite 9. Suar. de *Cenſur.* diſp. 43. ſect. 1. numero 6. & vniuerſaliter idem iudicium eſt apud hos Authores, maximè Nauarrum, Ledeſmam, Valentiam, Philiarcum ibidem, & Suarium ſect. 2. numero 5. in fine de Irregularitatis diſpenſatione fautorum, receptatorum; & defenſorum Hæretici. Quod intelligendum eſt quantum ad promotionem ad Superiores Ordines, ſi delinquens ſit Clericus, vel quantum ad omnes Ordines ſi ſit Laicus; nam quoad vſum Ordinum iam ſuſceptorum, vt dub. 21. notabamus, Textus permittunt ex diſpenſatione hos Clericos in ſuſceptis miniſtrare; quando autem Textus permittit, vel impersonaliter de diſpenſatione loquitur dùm ait, *niſi in eo diſpenſetur*, cenſetur facultas conceſſa, Epiſcopo, vt latè probat Sanch. cum innumeris citatis lib. 8. *de Matrimonio* diſp. 5. (quàuis poſteà hinc doctrinam varijs limitationibus limitet) & docet etiam Suarius diſp. 43. ſect. 1. numero 6. loquens de noſtro caſu; quamuis hic etiam auctor limitet; niſi quoad vſum Sacerdotij in Sacrificio Altaris; quam rem meritò putat grauiſſimam; vnde colligit Pontifici reſeruari, accedit quod Pegna ſup. q. illâ 126. comment. 175. refert Piũ. V. anno 1567. inhibuiſſe generali Inquiſitori Hiſpaniæ, ne poſſet Presbyteros Hæreticos habiles reddere, vt in altaris miniſterio deſeruirent. Ex quo rectè colligit Suarius idem eſſe iudicium de Epiſcopo Hæretico quoad Pontificalium vſum; maximè, cùm cauſæ Epiſcoporum in causâ Hæreſis ſint Papæ reſeruatæ, capite *Inquiſitores.* de *Hæreticis.* in 6. In quo etiam Filiucius conſentit, & Sanch. lib. 2. *Summæ* capite 25. numero 14. Bonacina diſp. 7 q. 3. punct. 7. numero 13. qui hanc ſententiam ſolùm probabilem putat, nam oppoſitam ſententiam communiorem, & probabiliſſimam appellat, quæ aſſerit diſpenſationem huius Irregularitatis Summo Pontifici reſeruari, non ſolùm, quoad ſuſceptionem Ordinum; ſed etiam, quoad vſum ſuſceptorum, probatque ex capite *Cum illorum.* infirmarique poteſt ex eo quòd inter alias limitationes, quas affert Sanchez citatâ illâ. diſp. 5. lib. 8. de *Matrimonio.* vna ſit, vt facultas diſpenſandi tunc tantùm cenſeatur conceſſa Epiſcopo quando Canon non eſt latæ ſententiæ. Ex quo iuxta doctrinam noſtram traditam dub. 21. cùm hæc Irregularitas ſit latæ ſententiæ, omniſque Irregularitas feratur à Iure, & non ab homine communiſque ſententia doceat ex Hæreſi non tantum publicâ; & notoriâ; ſed etiam occultâ contrahi Irregularitatem, vt ibidem, quoque notauimus, atque adeò nullâ expectatâ ſententiâ etiam declaratoriâ Iudicis; conſequenter videtur affirmandum Irregularitatem non poſſe tolli; niſi â ſolo Papâ in eo caſu; tunc enim, quamuis in Iure concedatur diſpenſatio non cenſetur conceſſa Epiſcopo. Ita Antonius. capite *At ſi Clerici.* §. de *Adulterijs.* numero 17. de *Iudic.* & ibi Aretinus. numero 21. qui pro ſe referunt Archidiaconum. capite *ſicut.* numero 15. Huic tamen vltimæ rationi non admodum fido; nam (vt rectè ex Abbate eodem §. de *Adulterijs* in 6. & ex Alexandro de Neuo numero 11. ex Decio in noua editione. numero 48 poſt 3. concluſ. limit. 1. notat Sanch. diſp. illâ. 5. numero 2.) hæc limitatio ab alijs non admittitur; quia nullo Iure fulcitur; neque Archidiaconus id ſentit; ſed tantùm loquitur quando Conſtitutio ſimpliciter diſponit; nec facultatem diſpenſandi indulget.

In Irregul. hac cum Clerico, quoad miniſterium ordinum ſuſceptorum diſpenſare poteſt Epiſcopus.

Ratio in fauorem contrariâ ſententiâ.

576 Accedit in fauorem alterius ſententiæ id, quod in ſimili de abſolutione ab Excommunicatione diximus ſuprà diſp. 3. dub. 2. paulo poſt initium ex capite *Nuper.* de *Sent. Excom.* vbi loquens Pontifex de Excommunicatione, quæ expreſsè non reſeruatur à conditore Canonis ſic ait, *quia tamen conditor Canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceßiſſe videtur alijs facultatem relaxandi.* Ergo pari ratione in hac materiâ eo ipſo, quod Pontifex conditor Canonis ſibi non reſeruauerit diſpenſationem huius Irregularitatis, quoad Ordines ſuſceptos, cenſetur illam permiſiſſe Epiſcopis; ideo probabilis eſt ſententia Suarij & aliorum. Legantur etiam, quæ diximus diſp. 4. dub. 8. à §. *A ſuſpenſionibus*.

An Epiſcopus in Caſu occulto diſpenſare poßit etiam ad Ordines ſuſcipiendos.

577 Dubitari autem poteſt an in caſu occulto Epiſcopus habeat poteſtatem diſpenſandi etiam ad Ordines ſuſcipiendos virtute facultatis conceſſæ in Tridentino ſeſſ. 24. capite 6. de *Reformatione*.

Negat Nauarrus.

578 Affirmat Maiol. lib. 5. de Irregularitate capite 26. numero 9. quantùm ad abſolutionem de Hæreſi occultâ concedi facultatem Epiſcopo; qua de re iam diximus ſuprà diſp 3. dub. 3. & ſequentibus maximè dub. 5. negat tamen ibi concedi facultatem, quantum ad diſpenſationem in Irregularitate inde ortâ Fundamentum illius eſſe poteſt, quòd in generali cõceſſione non veniat Hæreſis, ſed neceſſarium ſit de eâ expreſſam mentionem fieri; quia non cenſentur conceſſa generali conceſſione illa, quæ, ſi ſpecialiter proponerentur, non concederentur: at in eo loco Tridentini ſolùm exprimitur conceſſa facultas abſoluendi ab Hæreſi, non verò diſpenſandi in Irregularitate: ergo abſque fundamento dicetur eam facultatem Epiſcopo concedi in eo loco. Suarius verò diſp. illâ 43. ſect. 1. numero 7. hanc ſententiam impugnat ex eo, quod in priori parte illius decreti tribuatur facultas Epiſcopo diſpenſandi in Irregularitate ex delicto occulto generaliter; poſteà verò in fine contineantur illa verba. *Item, & in Hæreſis crimine.* Quæ verba, vtpote fauorabilia ad vtramque facultatem priùs conceſſam abſoluendi & diſpenſandi amplicari debent. Putat ergo

Solum Papam poſſe diſpenſare quoad ſuſceptionem Ordinum, & vſum ſuſceptorũ, probabiliſſimum putat Bonacina.

Hanc opinionem impugnat Suar.

ergo Suarius concedi quidē facultatem ibi Episcopo. cum eisdem tamen limitationibus, cum quibus conceditur facultas ad absolutionem ita, vt in solo conscientiæ foro, & per se non per Vicarium id possit: cùm tamen in alijs criminibus præter Hæresim putet eam facultatem dispensandi concedi sine tali limitatione. Quâ de re legi possunt quæ diximus disp. 3. citatâ dub. 4. sect. 3. explicantes illa verba Concilij, *in diœcesi suâ, & in foro conscientiæ.*

Alij affirmant. 579 Alij verò putant, quòd attinet ad nostrum casum, posse Episcopum dispensare virtute illius directi absolutè, & sine prædictis limitationibus in eâ Irregularitate prouenientе ex Hæresi occultâ, atque in prouenientе ex quouis alio occulto delicto, ita, vt illa verba *Idem & in Hæresis crimine* non referantur ad priorem partem, in quâ de facultate dispensandi sermo est; sed ad posteriorem, in quâ agitur de absolutione excommunicationis. Ita Sanchez lib. 2. *Summæ.* capite 25. numero 16. Ferdinandus de Castro tomo 1. operis moralis Tract. 4. disp. 4. puncto. 4. numero 3. referens Farinacium.

Probat Sanchez. 580 Probat Sanchez, quia, licèt requiratur expressa mentio Hæresis, vt eius absolutio concessa censeatur propter maximam eius reseruationem, expressamque Pontificum intentionem; nulla tamen apparet ratio, ob quam etiam dispensatio in Irregularitate ex Hæresi hâc expressam mentionem requirat; maximè cùm eâ speciali reseruatione minimè afficiatur; imò valde dubium sit an ex Hæresi occultâ contrahatur Irregularitas; quin potiùs probabile satis sit ex solâ Hæresi occultâ non incurri, vt probauimus suprà dub. 21. Ideò Tridentinum in priori illius Decreti parte concedens Episcopis facultatem dispensandi in casibus occultis, non expressit id concedi etiamsi ij sint Pontifici reseruati, nec expressit Hæresim; quasi intelligens comprehendi sub generali dispensandi concessione. In posteriori verò parte agens de absolutione, non tam amplam facultatem concedēs, sed eam restringens ad forum conscientiæ, expressit casus Pontifici reseruatos, & specialiter meminit Hæresis, tùm, quia eius absolutio sub generali concessione non continetur; tùm, vt restrictius eius absolutionē concederet; nempe, vt per ipsummet Episcopum, & non per Vicarium impendenda sit. Item cum ea verba fauorem contineant, non restringenda; sed amplianda sunt, Cùm ergo facultas dispensandi in priori parte illius, capitis Concilij absque ijs limitationibus concessa sit; profectò si illa verba referentur ad Omnia præcedentia, restringeretur facultas dispensandi alioquin absolutè concessa. Denique ipsemet contextus suadet ea verba ad proximè dicta de absolutione referri, cū iam Concilium priorem partem, in quâ de dispensatione erat sermo, omnino absoluisset; & transijsset ad aliam, in quâ de concedenda potestate absoluendi sermo fuit.

Alij probant 581 Alij verò probant, quia Concilium non limitauit in Irregularitatibus potestatem; sed absolutè dixit in omnibus licere Episcopis dispensare, vnicamque tantùm excepit, quæ ex homicidio voluntario nascitur, quæ exceptio firmat concessionem aliarum iuxta generalem regulam Iuris; neque ex negatione, vel limitatione absoluendi ab Hæresi colligi potest negari, aut limitari facultatem dispensandi in Irregularitate; sunt enim res omninò diuersæ & à separatis (seu potiùs disparatis) non fit illatio. L. *Papinian, Exul. ff. de Minoribus.* maximè cum longè minus sit dispēsare in Irregularitate (quæ pro casu occulto Hæresis non est omninò certa, vt dicebamus) quàm absoluere ab Hæresi certâ, & in dubitatâ. Hæc sententia mihi videtur probabilior duabus præcedentibus, eamque sequitur Bonacina falsò referens Suarium suprà. numero 7. qui non absolutè hanc sententiam docet, vt vidimus; sed cum limitationibus prædictis. Idem docet Filiucius numero 246. *Hæc sententia Authori probabilior Videtur duabus præcedentibus.*

582. Rectè etiam addit Banacina suprà. numero 15. & alij Episcopum non solùm per se ipsum, verùm etiam per Vicarium posse absoluere. Quod est contra vnam ex limitationibus Suarij, vt ostensum est, & docet Sanchez suprà numero 16. Quæ doctrina confirmati potest â fortiori ex ijs, quæ diximus disp. 3. dub 4. & 5. maximè sect. 4 adiunctâ doctrinâ dubitationis tertiæ, in quâ latè disputauimus, & saltem pro singulis casibus affirmatiuè conclusimus posse Episcopum etiam in casu Hæresis committere absolutionem alicui cum eodem Sanchez citato lib. 2. capite 11. numero 23. & alijs, quos ibi retulimus. Vnde saltem pro singulis casibus, eâ opinione suppositâ concedi debet pro Irregularitate ex Hæresi, sicut ibi concessimus pro absolutione ab Hæresi, imò sine eâ limitatione poterit per Vicarium à se deputatum dispensare Episcopus, sicut in alijs casibus, vt iam dictum est cum Thoma Sanchez contra limitationem Suarij.

583 Iam verò difficultas restat, an, si sequamur sententiam de quâ diximus disp. 3. dub. 5. quòd scilicet Episcopus non possit suppositâ Bullâ Cœnæ, maximè in Hispaniâ, etiam in casibus occultis ab Hæresi absoluere, adhuc possit in Irregularitate ex Hæresi occulta dispēsare? quod eo libentius in quæstionem vocamus, quo plures sunt, & grauissimi Auctores, vt ibi retulimus, qui sentiant eam facultatem iam in Bullâ cœnæ esse Episcopis derogatam; quamuis oppositam sequantur etiam permulti docti, & graues fundamentis nixi magni momenti, vt ibidem exposuimus. Quærimus ergo, an suppositâ probabili derogatione illius facultatis Tridentini per Bullam Cœnæ, consequenter dicendum etiam sit cum facultate absoluendi ab Hæresi occulta esse ablatam facultatem dispensandi in Irregularitate inde contractâ. *Difficultas restat.*

584 Suarius putat probabilissimum esse simul esse ablatam disp. illâ 43. sect. 1. numero 7. solumque Pontificem posse in eâ dispensare etiā quoad vsum Ordinis suscepti; quia capite *Cum illorum. §. Primos, si fuerint,* de *Sent. Excom.* generaliter dicitur Episcopos non habere facultatem dispensandi in ijs casibus, in quibus est eis absolutio interdicta redditurque ratio, quòd maiora intelligantur denegata minoribus denegatis, vbi Gloss. verbo *Minora* & Abbas numero 2. notabili 3. Fœlinus. n. vnico notabili 1. aduertunt potestatem dispensandi maiorem vocari, quam potestatem *Suarii. opinio.* *Ratio.*

potestatem absoluendi; atque hanc interdictā censeri illā interdictā. Cùm ergo potestas absoluendi ab Hæresi occultā sit(vt nunc pro disputatione supponimus) Pontifici reseruatā, & quoad eam reuocata sit facultas Tridentini, consequenter dicendum erit, etiam potestatem dispensandi in Irregularitate hac fuisse reuocatam.

Argumentū hoc quod magni facit Sanchez. Non videtur Authori tanti faciendum.

585 Hoc argumentum tanti facit Sanchez suprà numero 18. vt dixerit meritò Suarium appellasse hanc sententiam probabilissimam. Quod tamen mihi non tanti faciendum videtur; neque ipsi Sanchez placere potest; nam(vt ipse dixerat numero 16.)etiam si facultas absoluendi in Tridentino ab Hæresi occultā fuerit limitata, seu cum limitationibus concessa, nihilominus concedit facultatem dispensandi in eā Irregularitate non concedi limitatam, & in eo displicere ipsi Suarius quòd, scilicet, cum limitatione eādem, admiserit facultatem dispandi, & facultatem absoluendi. Iuxta suam ergo doctrinam Sanchez iam priùs admiserat falsum esse ablatā, seu(quod idem est, vt statim ostendam) limitatā facultate absoluendi, censeri limitatam facultatem dispensandi. Limitatio autem facultatis absoluendi ita, vt absolutio impendi non possit, nisi sub tali circumstantiā, nihil aliud est, quam ablatio facultatis absoluendi deficiente tali circumstantiā. At qui in eo casu Tridentinum in sententiā eiusdē Sanchez concedit limitatam facultatem absoluendi, atque adeò negat illam extra conscientiæ forum, & per aliam personam impendendam; nisi per ipsum Episcopum (saltem non alio modo quam locis notatis explicuimus) & tamen in eiusdem sententiâ(cui opposita displicet. numero 16.) non negatur facultas dispensandi sub eisdem circunstantijs: ergo non tanti faciendum est argumentum, in quo assumitur negatâ facultate absoluendi, negari etiam facultatem dispensandi.

Probabilius potest Episcopus dispensare in Irregul. Hæresis occultæ.

586 Ideò meritò probabiliùs putat idem Sanchez numero 18. posse Episcopum virtute eius decreti dispensare in Irregularitate Hæresis vel Apostasiæ à fide, quando occultata sunt, quod(vt ille notat, & fatetur Suar. contra Maiolum) necessariò dicendum videtur, si sequamur sententiam asserentem tale Decretum non esse reuocatum quoad potestatem absoluendi ab Hæresi; docetque etiam Henriquez lib. 14. capite 5. numerò 2. Perez lib. 8. ordinam. tit. 4. l. 3. ad finem primæ partis Tract. de *Hæresi*. Viuald. in Candelabro in penultima editione. 2. p. vbi de Irregularit. numero 70. & 89. qui sanè Auctores non limitant. Si Tridentini facultas ad absoluendum non sit reuocatā, ipsi tamen in eā sunt sententia, vt reuocata non sit, quorum plerosq; retulimus cū alijs citata disputatione. 3. dub. 5. Sed adhuc posita sententia quod sit reuocata absoluendi facultas probat Sanchez, & meritò non esse reuocatam facultatem dispensandi. Est enim valdè diuersa ratio propter strictissimam absoluendi ab Hæresi reseruationem, qualem circa dispensationam minimè inuenimus, maximè cùm potestas dispensandi in Irregularitate sit potestas ad dispensandum in te satis dubia (vt notabam) & probabilissimum sit in casu Hæresis occultæ, de quā loquimur, Irregularitatem non incurri. Vnde in tali casu non potest appellari ea potestas dispensandi maior, quàm potestas absoluendi à Censurā excommunicationis tàm strictè reseruatā, ex quo respondetur argumento petito ex illo Textu, quod tàm vrgens appellabatur quamuis enim regulariter, & ordinariè maior reputetur facultas dispensandi, quàm absoluendi; non tamen in omni casu, maximè in hoc in quò facultas absoluendi est tàm strictè reseruatā, facultas verò dispensandi est in impedimento Irregularitatis adeò dubiè, vt probabile sit nullām incurri.

Licet facultas absoluēdi ab Hæresi esset reuocata non Ideo dispensandi facultas Conferi debet reuocata Ratio.

Resp. Textui in contrarium relato n. 594.

Quæres quod possint Inquisitores hac in re.

587 Quæret vlterius aliquis, an Inquisitores habeant facultatem dispensandi in eā Irregularitate Hæresis occultæ? Ratio dubitandi est petita ex Constitutione Clementis. VII. cuius meminimus citatā disp. 3. dub. 3. & seqq. agente de ijs, qui possunt absoluere, maximè dub. 12. eamque refert etiam Sanchez lib. 2. citat. 12. numero 1. in quā Bullā Pontifex concedit Inquisitoribus facultatem hanc pro solo conscientiæ foro: quam sententiam sequuntur Mandosius de *Signaturā gratiæ*. verb. *Absolutio ab Hæresi*. Lelius Zecchus in *Summā*. Tract. de *Fide* capite 11. numero 16. in 12. pœna Hæreticor. Henriq. lib. 14. capite 18. numero 2. vbi per illud priuilegiū idem putat dicendum de Irregularitate incursa ob violatas Censuras, modo non fuerit in contemptum clauium.

Aliquorum responsio

Oppositum tenent alij. Ratio.

588 Sanchez verò numero 19. Suarius disp. 43. sect. 1. Pegna in *Directorio*. 3. p. q. 126. comment. 175. & alij docent oppositum; quia vel ea Constitutio est reuocata, quoad hoc, vt vult Pegna, vel illa concessio fuit personalis, vel perpetua; neque vsu, recepta, vt docet Suarius, & nos cum eo, & alijs diximus locis notatis, & in illā dub. 12. quod attinet ad facultatem Inquisitoribus concessam absoluendi ab Hæresi latè disputauimus, & vtramque partem probabilem ostendimus, ibi Legatur.

Quis dispensare potest in Irregul. propter Hæresim & ex metu graui.

589 Diximus hucusque de dispensatione in Irregularitate ob Hæresim occultam: iam verò loquendum est de dispensatione in Irregularitate propter Hæresim, seu Apostasiam ex metu graui de quā meritò dubitari potest, quisnam possit in illā dispensare; neque enim tantus rigor videtur esse in tali delicto, quantus in ijs, qui spontè, & non coacti deserunt fidem. Angel. Verbo *Irregularitas*. numero 27. & Syluest. ibi. q. 5. numero 7. docent, si timore graui ducti Apostātarunt à Fide Sacerdotes solùm Pontificem dispensare; Si autem inferioris Ordinis, aut Laici, Episcopum dispensare posse. Consentiunt quamuis non ita clare Armilla verbo *Irregularitas* numero 83. Tabiena verbo *Irregularitas*. 4. n. vltimo dùm generaliter asserunt solū Pontificem posse cum Sacerdotibus dispensare; cùm alijs verò Episcopum. Imò prædicti Auctores apertè docent posse Episcopum dispensare, cùm non Sacerdotibus non solùm; vt ministrent in susceptis; sed, vt promoueantur ad vlteriores Ordines; concedunt enim etiam cum Laicis posse Episcopum dispensare, & tamen cum ijs nullus est locus dispensationi, nisi ad suscipiendos Ordines; probantque ex capite *Presbyteros*. *dist*. 50.

Opinio Angeli Syluestri

590 Nihilominus hic Textus (vt cum Sanchez,

chez,& alijs notauimus dub. 21.) loquitur de Apostantibus fictè, neque vlla ibi conceditur facultas Episcopo dispensandi cum Laicis, vt etiam Suarius docet disp. illâ.43.sect. 2.numero 2. 3. & 4. vt ibi notauimus nulla uis esse potest ad cogendum aliquem vero animo Apostare. Angelus verò, & Syluest. alijque citati loquuntur de veris Apostatis, vt ibidem Diximus, atque adeò hic Textus nihil ad rem. In eo enim solum conceditur Episcopis facultas dispensandi cum Clericis non Sacerdotibus, vt in susceptis Ordinibus ministrent. vnde rectè concludit Suarius & cum eo Sanchez. numero 21. huius Irregularitatis fictè à apostatantium ob timorem. dispensationem solius Pontificis esse quoad promotionem ad Ordines omninò, si quis sit Laicus, vel ad Superiores, si iam sit Clericus. Item, quoad vsum Sacerdotij, imò cum ijs, qui spontè apostatarunt eo modo, quoad omnia. Potest tamen Episcopus dispensare ex graui aliquâ causâ (inquiunt hi Auctores) cum ijs, qui timore graui ducti sunt quoad vsum inferiorum Ordinum. Quod meritò intelligit Sanchez locum habere etiam in Sacerdotibus sic apostatantibus, vt possint in inferioribus Ordinibus ministrare; quãuis enim Textus id concedẽs loquatur de Diaconis; tamen agens de Presbyteris solum ait non licere eis fungi ministerio aliquo Sacerdotij. Vnde videtur permittere posse inferioribus Ordinibus fungi; quod tamen intelligi non debet nisi cum dispensatione, vt generaliter de alijs etiam Clericis notauimus cũ eodem Sanchez loco citato alioquin Presbyteri apostatantes essent melioris conditionis quàm Diaconi, cum tamen grauius delinquant; cumque illa dispensatio sit permissa intelligitur concessa Episcopo.

Rectè concludit Suar. *cum* Sãch.

591 Notat etiam Sanchez ex Suario id esse speciali in Irregularitate Sacerdotis apostatantis ob timorem, vt inducat etiam suspensionem à prædicationis munere; quia in eo capite *Presbyteros.* exprimitur, quamuis alioqin non sit intrinseca Irregularitati iuxta doctrinam generalem traditam à nobis dub.6.

Notandum speciale quod in Irregul. Sacerdotis ob timorem apostatantis.

592 Habemus ex dictis cum ijs qui vero animo obtimorem apostatârunt, solùm Pontificem posse dispensare, tàm in susceptis, quàm in suscipiendis, de ijs enim non agit prædictus Textus, & (vt notabam) nulla vis esse potest, quæ cogat vero animo apostatare.

DVBITATIO XXV.

De quibusdam alijs Irregularitatibus, quæ solent ab Authoribus aßignari.

Alias nonnullas Irregul. assignãt Doctores de quibus hâc Dubit. iudicium fertur.

593 PRæter dictas Irregularitates, & præter Irregularitatem Homicidij, de quâ seorsim posteà disputabimus, multæ sunt aliæ Irregularitates, quas Doctores assignant, nec multum habent peculiare de ipsis disputandum; placet tamen illarum aliquas Sigillatim hac dubitatione recensere, & nonnihil obiter notare.

Prima est.

594 Prima Irregularitas est eius, qui excommunicatus præcipit coram se celebrari; sed hic casus, aut non habet solidum fundamentum, aut non habet locum in omnibus nisi tantùm in Sacerdotibus; quâ de re Legantur, quæ diximus disp. 3.dub.42. §. *Nulla autem est*, & legi potest Suarius ibi citatus, & Couarubias ibi etiã relatus, qui solùm ad Episcopos eam pœnam extendit, & sic intelligunt. capite *Illud* de *Clerico excommunicato ministrante.* Legi etiam possunt, quæ diximus de Interdicto disp. 5.dub.5. agentes de pœnis violantium Interdictam.

595 Secunda Irregularitas contra Religiosos egredientes Claustrum ad audienda leges, vel medicinam, nisi intra duos menses redierint capite *Super specula. Ne Clerici vel monachi.* ibi *sicut excommunicati ab omnibus euitentur, & in nullâ causâ, si patrocinium præstare voluerint, audiantur.* reuersi autem in choro, mensa, Capitulo, & cæteris vltimi fratrum *existant, &, nisi fortè ex misericordiâ Sedis Apostolicæ, totius spem promotionis amittant.* Idem habetur in capite *Relatum.* eodem titulo. Legatur Toletus.capite 88. Vgolinus suprà.§ 4.numero 5. *Secunda.*

596. Tertia solet assignari Irregularitas proueniens ex crimine Sodomiæ, quam tamen alij non admittunt; quia non est Iure expressa. De hoc tamen diximus obiter in hac disputatione dub.13.§. *Decimum crimen.* Legantur etiam, quæ diximus disp.4.dub.7.capite 3.§.*Neque etiã.* vnde, si aliqua ratione locum habeat, solùm est ratione infamiæ de quâ iam diximus loco priùs notato. *Tertia.*

597 Quarta est orta ex Simoniâ, quam aliqui agnoscunt, nullo tamen Iure suffulti; ideo rectè illos reijcit Suar. disp. illâ.43.sect.4.num. 5. Filiucius.Tract.20.capite 9 numero 247. Reginald. libro 30. numero 204. & alij Recentiores. *Quarta.*

598 Quinta solet assignari ex celebratione in altari propriâ auctoritate erecto non consecrato seu benedicto ab Episcopo; probarique potest ex capite *Nullus Presbyter. de consecrat.* dist.2. ibi tamen nulla de Irregularitate mentio fit. & pœna depositionis, quæ ibi imponitur, non est ipso facto incurrenda; sed ferenda. Vnde nullo Iure constat de Irregularitate, vt notant Suarius disp.42. sect.5.numero 5. Filiucius Tract.20.c. 8.numero 225. *Quinta.*

599. Sexta assignatur à Maiolo suprà.capite 6. quandu Sacerdos pro aliquo homine in hac vitâ degente celebrat, vt mortem illi Deus inferat. Probat verò ex Concilio Toletano, 13.capite 7. ibi tamen solùm habetur pœna depositionis à proprio gradu, & hæc non latæ sententiæ; sed ferendæ, item pœna exilij: Quæ omnia extra Irregularitatis naturam sunt, vt notauit Suar. suprà.numero 7. Filiucius.numero 223. *Sexta.*

600 Septimam assignet idem Maiol. capite 26.num. 5. nempe quando Sacerdos corpus & sanguinem Christi conficit prætermisso toto celebrandi & sacrificandi ritu in Ecclesiâ consueto. Rationem verò adducit; quia cùm hic per abusum Sacerdotalis Ordinis grauissimè delinquat, dignus est, qui potestate Ordinis, & illius vsu priuetur. Quæ ratio sufficeret quidẽ si Maiolus esset Papa, & vt talis id statueret; interim tamen dùm Pontifex id non statuit concedendum est Maiolo dignum esse talem delinquẽtem tali pœnâ, eam tamen non incurrere; quia nullo *Septima.*

nullo Iure statuitur, vt notârunt Suarius. num. 8. Filiucius. numero 224.

Octaua. 601. Octaua assignatur ab eodem Maiolo suprà ex Concilio Toletano relato à Gratiano in capite *Quicumque* quæst. 6. scilicet de eo, qui altaria denudat, aut lugubri ornatu vestit solum ob animi sui tristitiam; non verò ob Religionem, vel ad seruandos ritus Ecclesiasticos; ibi tamen solùm imponitur pœna priuationis dignitati, vel beneficij ab homine ferenda; nisi delinquens debitam pœnitentiam egerit. Ideò meritò Suarius. numero 7. Filiuc. numero 225. hoc reijciunt: illa enim pœna non potest Irregularitas appellari, cùm Irregularitas ipso Iure incurratur, & directè priuet susceptione Ordinum.

Nona. 602 Nonam assignat idem Maiolus. lib. 4. c. 1. numero 10. contra Episcopum, qui abutitur potestate ordinandi. v.g. conferendo Ordines per saltum, vt Sacerdotium prætermisso Diaconatu: gratis tamen id asserit nullo prolato Textu, cùm tamen Irregularitas induci non debeat nisi Iure expressâ. Ita Suarius numero 9. Filiucius numero 225.

Dices. 603 Quod si dicas, qui facit alium Irregularem, meritò debet esse Irregularis; sed ordinans per saltum facit Irregularem ordinatum: ergo & ipse est Irregularis.

Resp. 604 Respondetur negando totum, & assumptum, & consequentiam; neque enim, qui facit alium Irregularem, eo ipso fit Irregularis. Vnde, qui aliquem deformat, deformatum facit Irregularem, & ipse Irregularis non efficitur; sic qui illegitimum generat, genitum facit Irregularem, & ipse Irregularis non est. Neque etiam verum est in eo casu Episcopum facere Irregularem illum ordinatum à se per saltum præcisè lequẽdo; sed solùm suspensum; nisi fortè ille sic ordinatus ministret; tunc enim suspensus ministrans propter violationem Censuræ fiet Irregularis; non propter ordinationem per saltum.

Decima. 605 Decimam assignat idem Maiolus lib. 4. de *Irregularit.* capite 1. numero 5. contra Cardinalem indebitè electum in Papam à paucioribus, quàm à duabus partibus; hic enim, si Papatum vsurpare conetur; tàm ipse, quàm ij, qui eum receperunt excommunicationi subiacent, & totius Ordinis priuatione mulctantur, vt habetur. capite *licet.* de *Elect.* ibi tamen solùm exprimitur pœna depositionis ferenda, vt notauit Panormit. ad idem. capite numero 7. quem refert, & sequitur Suarius disp. 42. sect. 5. numero 10. ad finem. Filiucius numero 226.

Vndecima. 606 Vndecima assignatur ab eodem Suario ibi. numero 6. & Filiucio numero 222. contra Clericum, qui in vitâ vel in morte fauet raptoribus; vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemosynas accipiendo, vel eis pœnitentiam concedendo sine debitâ restitutione; vel cautione, vel assistendo eorum sepulturis. Quibus omnibus videtur Irregularitas imponi capite 2. de *Raptorib.* in 6. dum dicitur. *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Quæ sententia probabilis est.

607 Alij verò putant satis etiam probabiliter non Irregularitatem; sed vel suspensionem perpetuam, eamque non latam sed ferendam, vel (quod mihi magis placet) depositionem comminatoriam incurrere; illa enim verba. *Ordinis sui.* connotant priuationem vsus & exequutionis Ordinis iam obtenti, & illa. *Irrecuperabiliter patiantur* significant seu connotant actionem Iudicis à quo talia debeant pati. Ac proinde aptiùs quadrant, vel suspensioni perpetuæ, vel depositioni, quam Irregularitati, quæ non ab homine sed à Iure fertur, & ipso facto incurritur. Ita Abbas in dicto capite 2. de *Raptoribus.* n. 2.

608 Duodecima est contra Sacerdotem scienter admittentem ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatum nominatim denuntiatum. Hunc ergo putat Maiolus Irregularem lib. 3. capite 23. numero 2. probatque ex Clementina. 1. de *Sepulturis.* Duodecima.

609 Verum mirari non possunt qualem hic Author habuerit orexim corradendi, & coaceruandi Irregularitates, quas tamen Iure non satis probat, vt vidimus, & videbimus in hac etiam & sequenti. Itaque hæc Irregularitas absque fundamento asseritur cùm non sit sufficienter Iure expressa. Quod etiam Suarius & Filiucius suprà notârunt; nam in illâ Clementinâ. 1. citatâ nulla prorsus fit mentio de Irregularitate sed de Excommunicatione, quidquid sit, an posteà contingat, vt Sacerdos ille violando excommunicationem per exercitium alicuius. Ordinis Sacri in ipsâ exequutione officij, quod exhibet in Ecclesiasticâ sepulturâ, Irregularitatem incurrat. *Maiolus Irregularitates adstruit quas Iure non satis probat.*

610 Decimatertia assignatur ab eodem Maiolo lib. 5. capite 30. quæ contrahitur ex Sacrilegio capite *Si quis Episcopus.* 26. q. 3. Decima tertia.

611. Hæc tamen Irregularitas præcisè spectato Sacrilegij crimine nullum videtur habere fundamentum, & in eo Textu solùm continetur pœna depositionis comminatoriâ, vt docet Suarius disp. 43. sect. 4. numero 8. cum alijs, quos refert. Item Filiucius suprà. numero. 250.

612 Dixi *præcisè spectato Sacrilegij crimine*; nam si ex eo consurgat infamia, propter infamiam fieri potest Irregularis iuxta, capite *Infamis.* 6. q. 1. & iuxta princia generalia data suprà. dub. 13.

613 Decima quarta est de eo, qui turpiter cum Moniali congressus est. Decima quarta.

614 Decima quinta de Clerico periuro.

615 Decima Sexta de habente consuetudinem patrandi aliquid peccatum mortale.

616 Decima septima de Blasphemo.

617 Has omnes Irregularitates connumerat idem Maiolus lib. 5. capite 40. & alij, qui adhuc plures admittunt: Quas omnes meritò reijciunt Suarius, & Filiucius suprà cum alijs; nullo enim Iure Canonico sufficienter probantur; omnes enim Textus, qui à prædictis afferuntur, solùm continent, vel suspensionem, vel aliam Censuram, vel depositionem, comminatoriam, vt latè & rectè ostendunt Suarius disp. 45. sect. 5. nu. 5. Reginald. lib. 30. Tract. 2. num. 204. Filiucius suprà & alij. *Irregul. has Maiolo numeratas, meritò reijciunt Suar. & Filiucius.*

DVBITATIO XXVI.

De Irregularitate proueniente ex Homicidio.

618. DE hac Irregularitate multò latius disputant Auctores, quàm de alijs particularibus, siue quia casus illius frequentissimi sunt & notissimi, siue; quia difficultates emergentes id postulant. Placet autem priùs de Homicidio in communi disputare, deinde descendere ad particularia.

Homicidium potest esse iustum tripliciter. Primò. Secundò. Tertiò.

619. Quod, vt ordine fiat præmittendum est Homicidium posse esse iustum, quamuis communiter hæc vox pro Homicidio iniusto accipiatur; iustum autem potest fieri tripliciter: primò in defensionem propriæ personæ, aut bonorum, vel in defensionem proximi particularis: Secundò in defensionem communitatis, vt in bello iusto: Tertiò ad conseruandum bonum commune, vt quando Iudices damnant reum ad mortem. Iniustum verò potest esse, aut voluntarium, aut casuale; & de singulis diuersis capitulis disputabimus; Placet autem primò de Homicidio in communi disputare.

CAP I.

De Homicidio in communi.

Ex Homicidio contrahitur Irregul.

620. QVòd ex Homicidio contrahatur Irregularitas res est certa c. *Episcopum* dist. 45. & c. *Aliquantos* dist. 5. c. *Quicumque. Extra de Homicidio* el. 1. & constat etiam ex Tridentino sess. 14. c. 7 & sess. 24. de *Reform.* c. 6. Ratio verò est; quia omnes ordines referuntur ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum; quod est Sacramentum pacis Christi sanguine confirmatum: cui paci Homicidium opponitur. Item; quia sacerdos repræsentat Christum; qui est maximè mitis; in Homicidio autem crudelitas cernitur magna. Vnde Homicida potius occisorem Christi, quàm Christum repræsentare videtur, Omitto alias congruentias, quæ ad hanc Irregularitatem inducendam colligi possunt, aut etiam inueniuntur in Iure, & in Doctoribus,

Ratio.

Regula generalis.

621. Regula ergo generalis sit quicumque fidelis interficit alium est Irregularis, siue occisus fidelis sit, siue infidelis vt patet ex c. *Petitio*, de *Homicidio* & c. *Clericum* 50. dist. docentque communiter Authores, quos ideò non refero.

Homicida infidelis si Baptizetur non est Irregularis.

622. Si tamen Homicida sit infidelis, & postea baptizetur, non est Irregularis non ex eo, quod incapax sit Irregularitatis, nam bigamus ante Baptismum irregularis manet post Baptismum, vt notauimus dubitatione 12. §. *Quod si secundò obijcias*, & docet Suarius disp. 44. sect. 3. vbi rectè reddit rationem quare Irregularitas contrahatur ex bigamiâ etiam ante Baptismum, & non ex Homicidio ante Baptismum; quia scilicet (vt nos etiam citato loco notauimus) Irregularitas pendet ex disputatione Iuris positiui, & Iura non imposuerunt Irregularitatem Homicidij; nisi propter patratum post Baptismum, cùm tamen non sic loquantur de Bigamia, vt videre est c. *Si quis viduam*. dist. 50. docentque communiter Authores Panormitanus, Innocentius, Præpos. in c. *Gaudeamus* de *Diuortijs* Cardinal. Clementina 1. numero 13. de *Homicidio*. Villadiego, Syluest. Nauarrus, & alij apud Sanchez lib. 7. de *Matrim.* disp. 83. numero 8. & deinceps, & apud Suarium à nobis relatum loco notato.

Ratio cur Irregul. contrahatur ex Bigamia etiam ante Baptismum & non ex homicidio ante Baptism.

Exceptio à Praducta Regula generali.

623. Excipitur tamen ab hac Regulâ generali, qui ob propriam defensionem occidit. Item alij, de quibus sequentibus capitibus dicemus, maximè cap. 9. & 10.

624. Statuendum verò est id, quod fere ab omnibus tanquam indubitatum accipitur; non sufficere ad incurrendam Irregularitatem solùm habere intentionem, quamuis efficacem occidendi; sed requiri, vt opus, & effectus sequatur, patet ex c. vltimo 15. q. 1. & c. sicut 31. q. 2. & c. *Cogitationis* de *Pœnitentia* dist. 1. quibus locis habetur voluntatem solam nunquam in Iure puniri, constatque ex doctrinâ generali suprà traditâ in simili de *Excommunic.* disp. 2. dub. 10. Ratio verò est; quia secundum communem Doctorum sententiam; nullus vnquam actus punitur Censurâ Ecclesiæ; nisi sit perfectus in illâ specie. Præcipua tamen ratio est; quia, Irregularitas non est imposita intentioni, aut attentationi; sed actui occissionis aut mutilationis; ergo vbi non fuit occisio, vel mutilatio, non incurritur. Antecedens patet ex titulo de *Cleric. percuss.* & c. *Sicut* el. 1. §. *Illi autem* de *Homicidio*. Legique potest circa hoc Caietanus in *Summâ* verb. *Excommunicatio* in principio & Couarr. p. 1. relect. numero 4. & p. 2. in initio n. 1. Paludanus in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. Sotus q. 1. art. 3. conclus. 4. Nauarrus c. 27. numero 218. Reginaldus lib. 30. n. 60. & alij communiter apud Sayrum num. 9.

Irregularitas non est imposita intentioni, sed actui externo.

Hinc Infertur 1.

625. Hinc infertur 1. cum Innocentio, & Nauarro infra citando quòd, qui voluit occidere aliquem, quem alius occidit, non fiat Irregularis si ipse nihil fecit, vt interficeretur.

Infertur 2.

626. Infertur 2. non incurrere Irregularitatem, qui lethaliter alium vulnerauit, si non fuit mutilatus, nec tandem moriatur, etiamsi per egregiam, & extraordinariam curationem, vt per miraculum aut etiam per Dæmonis media euadat. Ita Sotus 5. de *Iustitiâ* q. 1. art. 9. & alij communiter.

Infertur 3.

627. Infertur 3. non esse Irregularem, qui cadaueri caput abscindit vel illud dillacerat eo animo, vt si esset animatum, illum hominem occideret. Ita Paludanus & Couarr. citati Sotus in 4. dist. 25. q. 1. art. illo 3. Nauarrus c. 27. numero 219. & 222. Reginaldus, Sayrus & alij suprà cum Archidiacono, & Syluestro verb. *Homicidium* 3. q. 7. p. 11.

Infertur 4. quid dicendum de causante aborsum in dubio, an fœtus fuisset animatus.

628. Infertur 4. eum, qui causat abortum, fœtu animato, esse Irregularem, quòd si dubium fuerit, an esset animatus ita, vt res esset in æquilibrio: adhuc censendus erit Irregularis, & pro tali se debet gerere; quia (vt sæpe notauimus in præcedentibus) in dubio Homicidij tutior pars est eligenda. Quod si dubium sit, an fuerit masculus, vel fœmina, præsumendum esse fuisse

mascu-

masculum, quo ad effectum Irregularitatis propter rationem dictam; quia scilicet in materiâ Homicidij, quoad Irregularitatem, ex definitione Pontificia constat constat, quòd tutior pars sit eligenda. Et ita docent alij apud Diacam paulò post citandum, loquendo non tantum de abortu sed vniuersim de dubio facti in homicidio; licet alij reclament. Quâ de re legi potest Sanchez *lib.1. Summæ c. 10. à num. 38. qui num. 42.* late & optimè explicat hanc doctrinam habere locum in dubio facti; quamuis non in dubio Iuris. Ex quo *n.* 34. rectè colligit in casu abortus esse Irregularem præbentem causam abortui, quando dubium est, an fœtus sit animatus; pro quâ sententiâ plures alios refert. Quando autem dubitatur, an fœtus fuisset masculus, vel fœmina, & ex alio capite vel constat, vel certè dubium est, an tempus esset legitimum, & sufficiês, vt si fœtus esset masculus, iam esset animatus, procul dubio tunc est dubium facti; atque adeò in dubio facti in materiâ Homicidij debet se censere Irregularem, qui causam dedit. His tamen non obstantibus Ioannes Præpositus & alij quos refert Diana 4. part. Tract. 2. Resol. 16. & 52. putat in casu dubij talis non esse irregularem, quia si non possit pelli dubium nec est censendus irregularis ex eo quod irregularitas homicidio sit apposita cum dubitetur num hîc & nunc Commissum sit homicidium neque etiam ex eo quòd in dubio homicidij aliquis debeat habere tanquàm irregularem; quia si benè perpendantur Iura, id statuentia aduersetur ea non comprehendere præsentem casum, cùm omnia supponant subiectum capax mortis: nam agunt quando constat de morte alicui illatâ quo casu decernitur eos de quibus dubitatur habendos irregulares. In præsenti verò casu dubium est circa conditionem subiecti, an scilicet viueret, nec ne. Vnde dispositio juris non intelligitur in nostro dubio, ac proinde non constat, an irregularitas Iure sit illata, & per consequens non est dicenda incurri. Legatur Diana loco citato vbi alios refert licèt ipse oppositum, quod nos diximus sequatur.

629. Si verò constat fœtum non fuisse animatum, licèt quantùm ad peccatum existimetur Homicidium, vt habetur c. *Si aliquis de Homicidis*, non tamen Irregularis efficitur, qui causam dedit c. *sicut ex literarum* eodem titulo, & c. *Quod verò* 32. q. 2. Caietanus & Syluest. verb. *Abortus*, & verb. *Homicidium* 1. numero 2. Sotus 5. de *Iustitiâ* q. 1. art. 9 ad 2. Paludanus conclus. 1. Couarr. 2. §. 3. & dicit esse communem Albertus Trocius lib. de *Pers. Cleric.* lib. 2. c. 14. numero 6. & multi alij posteriores. Quamuis autem Sixtus V. hos Irregulares effecerit, posteà Gregorius XIV. anno 1591. reuocauit hunc Motum, & reduxit ad jus commune, ita vt iam tantùm sint Irregulares, qui efficiunt, vel cooperantur ad aborsum prolis animatæ. Quando autem Gregorius in eo Motu ait quemlibet confessariû posse absoluere eos, qui effecerunt aborsum, intelligit creaturæ inanimatæ; nam, si iam erat Creatura rationalis casus est Homicidij reseruatus Episcopo. Multum autem refert scire pro tali dubio an fœtus fuerit masculus, vel fœmina; nam, vt multi volunt, anima infunditur fœminæ die Septuagesimo, vel octuagesimo post susceptum semen masculo verò die Quadragesimo, vel secundum alios trigesimo. Quâ de re videri possunt Authores citati, & Henriquez cap. 15. de *Irregularit.*

Multum refert pro casu dubij scire an fœtus fuerit masculus vel fœmina.

630. Conueniunt prædicti Doctores & alij multi, aut potius omnes, esse Irregulares, qui cooperantur, aut consilium præbent, vel fauorem seu auxilium, si ex ijs Homicidium sequatur, vt patet *c. 2. de Clerico pugnante & c. Sicut dignum*, per totum de *Homicidio* de quo iterum cap. 12. & 13. & 14.

631. Vnde etiam infertur talem consulentem, seu auxiliantem &c. cooperantem eâ ratione ad aborsum cum prædicto dubio, esse Irregularem propter rationem dictam de dubio facti in materiâ Homicidij non possum tamen non videre discrimen inter casum quo constat quidem esse commissum homicidium & solùm dubitatur, an quis fuerit causa nec ne illius; & inter casum, quo dubitatur non solùm, an is fuerit homicidij causa, sed etiam an re ipsâ fuerit patratum homicidium, de quo solo casu loquuntur jura citata ergo si non constet aborsum fuisse fœtus animati, non constat de patrato homicidio, nec talis casus est omninò expressus in Iure, vt contendunt citati authores apud Dianam Resol. illa 16. & 52. quod potest commodè seruire pro tollendis scrupulis in consulente, quando non constat de animatione fœtus, atq; adeò de Commisso homicidio docent præterea esse Irregularem, qui consulens Homicidium, factâ sufficienti diligentiâ ad inuestigandam veritatem, manet dubius, an seclulo consilio, esset alter eodem prorsus animo perpetraturus Homicidium; ac proinde, an suum consilium operatum sit. Ita Sanchez citato c. 10. num. 44. quamuis oppositum non sit improbabile, quod tenet Henriquez lib. 13. de Irregularit. c. 16. numero 3. & alij. quos ibi refert Sanchez & lib. 3. de *Matrimonio* disp. 41. numero 17. multique docent in simili de obligatione restitutionis, quâ de re nos etiam late diximus in nostro opere de *Iustitiâ* in Tract. de *Restitutione* disp. 4. dub. 4. vbi plures Authores retulimus. sed, vt verum fatear iste casus supponit patratum homicidium, & dubitatur de consilio (de quo etiam constat fuisse datum.) an fuerit causa & videtur casus in Iure comprehensus.

632. Statuendum vlterius est non solum per totale homicidium incurri Irregularitatem, sed etiam per homicidium quod aliqui apellant partiale scilicet per mutilationem membri vt patet ex Clementina vnica de *Homicidio* & c. 1. *de Irregul. Cleric. pugn.* estque communis sententia Syluestri *Homicidio* 3. q. 2. Nauarrus numero 107. & 218. Couarr. 3. p. numero 8. cum alijs multis alijque Recentiores communiter. Ratio verò est, quia ita Ius statuit; hæc enim semper erit ratio potissima in ijs, quæ pertinent ad ius positiuum. Non censentur autem Irregulares cuiuscumque partis mutilatores; sed mutilatores membrorum, vt patet ex c. *Clericis. Ne Clerici, vel Monachi* & c. 1. citato de *Clerico pugnante.* An verò tantùm debilitans membrum, non truncans illud; sed mortificans solùm, fiat Irregularis, diuisi sunt Authores, aliqui affirmant.

Etiam per mutilationē membri incurritur Irregul.

Ratio est.

Debilitans tantum membrum fit Irregul. iuxta aliquos.

Ita Maiol. & alij apud Sayrum lib. 6. cap. 15. numero 5. Tabiena verbo *Irregularitas* 3. numero 27. Angelus verbo *Homicidium* 5. §. 5. Syluest. *Homicidium* 3 q. 3. Panormitanus c. *Cum illorum* de *sentent. Excommunicationis* & alij.

Alij hoc negant.

633. Negant alij. Ita Calder. & Præpos. in c. 1. *Qui Clerici vel vouentes.* Cardinalis in Clement. *Si furiosus* q. 31. Villadiego de *Irregularitate* mihi fol. 5. Sotus 5, de *Iustitiâ* q. 2. art. 2. Supplementum Gabrielis dist. 25. q. 1. litera *l.* Nauarrus cap. 27. numero 207. Couarr. 3. p. de Homicidio in initio numero 9. Armill. verbo *Irregularitas* numero 64. Henriquez cap. 8. n 4. Toletus 1. lib. c., 71. n. 3. cum alijs, quos refert. Filiucius Tract. 20. n. 11. & 233. qui etiam alios referr.

Ratio.

Ratio verò est; quia in Clementina 1. de Homicidio tantùm exprimitur Irregularis, qui occidit, vel mutilat, qui autem debilitat, nec occidit, nec mutilat: in materiâ verò odiosa verba debent restringi; quamuis autem membrum debilitatum non deseruiat ad operationem saltem seruiet ad ornatum. Vnde non censetur Irregularis qui reddit aliquem cæcum aut claudum non eruendo oculum, aut mutilando tibiâ, vt docent communiter Doctores teste Molinâ tomo 4. de *Iust.* disp. 68.

Nomine membri hic quid intelligatur.

634. Nomine autem membri non est intelligendus digitus; nisi fortè pollex; de omni quidem digito ita affirmant Tabiena *Irregularitas* 3. n. 27. Armilla ibi n. 63. Nauarrus c. 27. n. 206. Angelus *Homicidium* 5. §. 6. Couarr. 3. p. *Relect.* in initio n. 8. Henriquez cap. 8. n. 1. Villadiego & Supplementum suprà Bartol. & Felin. & Cardinalis apud citatos; probatque Molina suprà ex l. *Idem Offilius ff. de Ædilium edicto* vbi digitus appellatur pars membri. Sicut ergo Iure Ciuili digitus pars membri appellatur: ita censendus est appellari Iure Canonico cùm Ius Canonicum loqui soleat eo modo, quod Ius Ciuile. Ratio verò esse potest; quia digitus non habet propriè distinctum officium, sed semper cum alijs simul concurrit, vel cum aliâ parte manus vel corporis.

Membrum iuxta Aristotelem quid.

Consonatque hac doctrina cum Aristotele 1. de *partibus animal* c. vltimo, quam sequuntur alij communiter, vbi docet membrum esse, quod habet propriam operationẽ in corpore cuius est, digitus verò non habet huiusmodi operationem.

Nomine membri intelligant aliqui viri docti Pollicem.

635. Dixi *nisi forte Pollex*, quem licèt plures alij Authores non excipiant, excipiunt tamen aliqui viri docti post Syluestrum *Homicidium* 3. q. 3. inter quos erat Vasquez, à quo id non semel audiui, quia, nimirum, ita necessarius est pollicis vsus, vt alij digiti sine eo suam operationem exercere vix possint. Idemq; sentiunt alij multi Recentiores docti contra Suarium disp. 44. sect. 2. n. 8. vbi probabiliter sentit oppositum; nec nimium curat an physicè digitus dicatur membrũ; putãt enim in Iure Canonico maximè in citatâ Clementinâ non requiri mutilationem membri; sed absolutè mutilationem; imò addit, quòd si alicubi Canones membri mentionem faciunt, membri diminutionem sufficere indicãt, vt patet c. 1. de *Clericis pugnantib. in duello* ibi *vel membrorum diminutio.*

Author assentitur.

636. Ego sanè in pollicè essentior Suario, vt dicebam; item, si plures digiti in manu, putà duos, vel tres abscindantur, & hoc tantùm probant Iura, quæ ibi refert; neq; in hoc pugnat Molina, sed potiùs consentit disp. 69. n. 2. sicut & Filiucius n. 236. Bonacina disp. 7. q. 5. puncto 8. n. 9 & alij Recentiores, qui omnes docent abscindentes maiorem partem membri, vel tantam vt sit detruncatus non censeatur habere tale membrum, fieri Irregulares; de cætero solus vnus digitus non videtur sufficiens materia, vt legi potest Auila p 7. disp, 5. sect. 1. Molina citatâ disp. 69. Layman lib. 3. Tract. 3. p. 3. c. 11. n. 1.

Infertur.

637. Ex quo inferunt non esse etiam Irregularem, qui narium vel aurium cartilaginem abscindit: nam auris, vel nasi cartilago; quamuis sensorio adiumentum afferat, sentiendi tamen functionem non, exercet, ac proinde nec membrum corporis, aut organum censeri debet.

Sententiam Suarij probabilissimã iudicat Author.

His tamen omnibus non obstantibus non possum non iudicare probabilissimam sententiam Suarij in quam etiam magis inclinat Layman suprà, quia nimirum Canones nuspiam meminerunt physicæ definitionis membri; sed potius moralis, ob quam corpus humanum notabiliter suâ integritate priuatur. Ideò comprehendere videntur quamlibet partis organicæ abscissionem.

Sibi abscindens digitũ aliamvè corporis partem per iniquam iram fit Irregul.

638. De eo vero, qui sibi digitum, aliamvè corporis partem per iniquam iram abscidit, an Irregularis fiat? affirmandum est, constatque ex c. *Qui partem* dist. 55. & c. *Significaui de corpore vitiatis*, & videri potest Nauarrus numero 198. Suarius disp. 51. sect. 2. numero 6. Molina tract. 3. disp. 7. numero 27. vbi monet eandem Irregularitatem incurri etiamsi factum sit occultum, cuius contrarium senserunt Hostiensis, & alij apud Nauarrum loco citato Couarr. in Clementinâ *Si furiosus* p. 1. initio numero 6. Sed de hac re iam satis diximus suprà dub. 8. à §. *Dixi autem*, & tandem in fine eiusdem dubitationis §. *Maior difficultas.*

CAP. II.

An Iudex, & eius ministri concurrentes ad mortem, seu mutulationem iustam sint Irregulares?

Supponenda

639. SVpponendum in primis est ad Irregularitatem contrahendam ob defectum perfectæ lenitatis non requiri culpam; sed sufficere occidẽdi, vel mutilandi voluntatem actualem, aut virtualem effectu sequuto, dummodò necessitas non compulerit; est enim (vt dicebam) Irregularitas hæc ex defectu lenitatis.

Assertio concurrentes ad mortem iustam fac[illegible] Irregulares.

640. Hoc posito asserendum est Iudicem Assessorem, accusatorem denuntiatorem, testem Tabellionem, seu notarium, &, qui torquendo exprimit confessionem reo item, qui dicta scribit, signat, publicas literas pro vindicta sanguinis destinatas; item sententiæ exequutor, eiusque cooperatores ac satellitum comitatus Irregularitatem incurrere propter defectum perfectæ lenitatis, seu mansuetudinis.

Quoad Iudicem eiusq; ministros probatur.

641. Quod attinet ad Iudicem eiusque ministros probari solet ex c. *Aliquantos* dist 51. in quo capite de ministris mentio fit, non tamen de ipso Iudice, Tamen Iudicem etiam comprehendi habet communis vsus, & sensus Ecclesiæ

&

& Auctorum placitum, nemine discrepante, quem viderim, præter Gloss. in capite. *Dilectu.* vers. *nec actu.* de *Homicidio.* vbi videtur significare quòd Iudex tantùm fiat Irregularis, quoad suscipiendos Ordines, non verò quoad vsum susceptorum; quam Glossam meritò reprobant Panormitanus, & Anan. capite *Dilectum.* & idem Panormitanus illum expressè comprehendit in capite *Sententiam. ne Clerici vel Monachi.* Antoninus. 3. p. tit. 28. capite 2. Henriq. lib. 14. capite 12. Auila p. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1. Sa verb. *Irregularitas ex deform. licita.* Nauarrus. capite 27. num. 222. Couarrub. suprà citatus. §. illo 6. numero 3. D. Thom. in *Addit.* q. 29. art. 4. ad. 2. Scholastici in 4. dist. 25. Paludanus. art. 5. concl. 3. Richard. art. 5. q. 3. Sotus. q. 1. art. 3. concl. 4. & 5. de *Iustitiâ* q. 1. art. 4. in fine corporis. Angelus *Homicidium.* 5. Syluester *Homicidium.* 3. q. 2. Tabiena *Irregularitas.* 1. Armil. *Irregularitas* numero 28 Ledesma de *Sacramento Ordinis.* capite 2. numero 13. Medina. capite 11. §. 9. & 10. Rodriguez in *Summa.* capite 167. conclus. 10. nec solùm fieri Irregularem Iudicem ferentem mortis sententiam; sed etiam, quando in carcerem detrudit reum, vt breui sit moriturus ob loci naturam, docent Panormitanus. capite *Ad audientiam.* de *crimine falsi.* Bern. de Lugo in *Pract.* capite 129. Antoninus suprà capite illo, 2. §. 6. Couarrub. 2. p. §. 5. numero 7. Syluest. Homicidium. 3. q. 5. quæstion. 1. Angelus *Irregularitas.* 5. numero 21. Vnde (inquit Couarrub.) etiam Iudices Ecclesiastici magno se exponunt Irregularitatis periculo, quando simile quid faciunt. Quæ doctrina mihi placet.

Irregul. etiam fit qui mortem accelerat, aut causam propinquam dedit.

642 Idque maximè locum habet suppositâ generali doctrinâ quod non solū fit Irregularis, qui simpliciter occidit, vel mutilat; sed etiam, qui mortem accelerat, aut causam propinquam mortis dedit dicto, vel facto. Ita Nauarrus, nu. 215. Auila disp. illa. 5. sect. 1. Sayrus. capite 16. Coninc disp. 18. dub. 10. Maiol. lib. 2. capite 6. Filiucius Tract. 10. capite 9. quæsito. 1. numero 231. Toletus lib. 1. capite 70.

643 Sanè inter numeratos famulus transcribens sententiam iam dictatam à Iudice, vel notario excusari potest ab Irregularitate quoties ipsius actio non fuit vllâ ratione causâ accelerationis mortis, vel mutilationis. Probarique potest à simili de eo, qui transcribit contractum vsurarium, quem non teneri ad Restitutionem fatentur Doctores, & in nostro casu docent Vgolinus. capite 8. numero 4. Filiucius numero 239. Suarius disp. 47. sect. 4. Reginald. numero 101.

644 Idem iudicium est de eo, qui leuia, seu valde remota exhibuit signa, & indicia, vt qui signum dedit, quo fur dignosceretur, etiamsi posteà captus fuerit, & mutilatus, seu occisus; nam leuia indicia non probant, nec censentur causa proxima sed remota mortis, vel mutilationis, vt patet ex capite *Tua nos.* de *Homicidio.* Ita Couarrub. 2. p. §. 5. numero 1. Suarius disp. 47. sect. 3. numero 8. Auila p. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 15. Sayrus lib. 6. capite 18. numero 28. Filiucius numero 254. Ideò mittens Iudici signa, quæ non sufficiunt ad probandum aliquem esse reum, non incurrit Irregularitatē sequutâ mutilatione, vt accedit, quando fur ingressus domum Clerici, capitur à Socijs Clerici, & ducitur ad Iudicem, & Iudex petit ab ipso Clerico si quæ habet signa; tunc enim Clericus mittens Iudici signa, non est Irregularis etiamsi nullam præmittat protestationem. Ratio est; quia illa signa non sunt sufficientiā; nec per illa conuincitur reus furti; protestatio autem tunc requiritur, vt diceumus; quando aliquis denuntiat; sed ipse Clericus non denuntiat; nec tradit furem Iudici; sed tantùm socij ipsius id faciunt. Accedit, imò rem totam confirmat citatum. capite *Sua nos* in quo id habetur. Ita Henriq. lib. 14. capite 12. numero 8. Sayrus vbi nuper. Vgolinus capite 11. numero 1. ad finem, & alij.

645 Itaque generaliter loquendo necesse est vt per actionem incurratur Irregularitas defectu lenitatis, cooperatio ad mortem, seu mutilationem notabilis sit, & non admodùm remota, aut per accidens.

646 Ex quo fit opifices non esse Irregulares, qui furcam ædificant, funes, aut scalam conficiunt censentur verò tales, qui funes ad suspendum deferunt, scalam applicant, & similia. quia hi sunt causa propinquā illi remota. Sed de ijs posteà iterum dicam. *Cooperatio requisita generaliter loquendo ad incurrendā Irregul. defectu lenitatis.*

647 Vnde non placet, quod docet Abbas in citato capite *Sententiam* numero 14. scilicet, si Titio litteræ missæ sint, quibus contineatur vt malefactorem capi iubeat, easque litteras Iudex alteri legendas tradat Lectorem esse Irregularem sequuta morte malefactoris. Cuius oppositum omnino verum puto; est enim Lector ille causa valde remota, & accidentaria. *Ex quo infert.*

847 Infertur 2. non esse Irregularem, qui impetrat, ne reus per viam, in qua suâ domus est, ducatur ad supplicium cum Maiori suo aut familiæ dedecore, etiamsi alia via sit breuior, & inde contingat mortem accelerari. Ita Henriquez capite 12. numero 7. Auila dub. 1. §. *Octauo.* & alij communiter. *Infertur 2.*

649 Infertur, 3. meritò rideri à Soto lib. 5. de *Iustitiâ.* q. 1, art. 9. eiusdam Confessarij scrupulum, qui se Irregularem putabat, quòd asinum, in quo reus ad suplicium vehebatur, pupugisset quasi mortem homini accelerasset; est enim hæc nimis leuis, & remota causa; idemque iudicium est de Confessario hortante reum, vt in viâ procedat; nam parum pro nihilo reputatur. Si tamen cooperatio, vel acceleratio mortis sit notabilis; tunc fatentur omnes Irregularitatem incurri Legatur Molina. Tract. 3. disp. 74. nu. 4. *Infertur 3.*

650 De illo autem, qui tradit ligna, quibus Hæreticus viuus comburatur, an sit Irregularis; non consentiunt Doctores. Multi affirmant: secus verò, si prius quam comburatur suffocetur. Ita Sayrus. capite 16. numero 3. Molina disp. 74. numero 3, Auila sect. 2. dub. 1. Oppositum docent alij, vt Medina. lib. 1. de *Instruct.* capite 55. & alij Recentiores, atque hoc mihi magis placet; dare enim, aut vendere ligna ei, qui illis vsurus est ad comburendum hominem est actio quædam indifferens & ex se remota, perinde atque dare, aut vendere funes, & scalam, aut gladium, vt suplicio afficiatur. Quæ omnia remota nimis sunt, & quibus, qui accepit illa, potest ad hunc vel ad alium finem vti. Secùs

Controuertitur an tradens ligna quibus Hæreticus viuus comburatur, sit Irregul.

Multi affir.

Sententia negans magis placet Authori. Ratio.

dicendum puto, si ipsemet supponat ligna, vt comburatur.

Hinc pro omni homicidio. Infertur.

651 Ex quâ doctrinâ pro omni homicidio infertur fabros Ferrarios, vel alios armorum fabricatores non esse Irregulares conflando, aut vendendo gladios ad vsus humanos in genere ad quos sunt instituti, quamuis posteà aliquis occidatur vel mutiletur; sunt enim causa valde remota, sicut etiam remota causa censetur ille, qui præparauit, aut vendidit venenum absque dolo, & prauâ intentione, aut conuentione; est enim eadem ratio, atque de vendente funem, quo latro suspenditur; secùs autem dicendum est de his, & præcedentibus, quando ea quis præparauit, aut vendidit ad suspendendos, vel occidendos homines; actio enim specificatur à fine ad quem dirigitur, & illius qualitatem participat. Ita Molina disp. illâ. 74. numero 2. Vgolinus. capite 11. §. 4. Graff. 1. p. lib. 4. capite 27. numero 68. Reginald. numero 100. Suarius disp. 45. sect. 3. numero 5. 104. & sequentibus. Nauarrus. capite 27. numero 212. Syluest. verb. *Homicidium*. 3. num. 3.

652 De eo verò, qui Campanis dat signum, quo quis suspendendus est, aut mactandus, si tale signum sit tantùm, vt homines sciant aliquem ad mortem duci, procul dubio non fit Irregularis, cùm nulla ratione influat in mortem, vt docet Auila dub. 1. ad finem. Vgolinus. capite 11. §. 6. numero 1. Incurreret tamen Irregularitatem, si tale signum esset ad conuocandos milites, qui illum ducerent ad mortem; vel suis armis more militari illum expedirent, effectus sequeretur.

653 Colligitur etiam nullum esse periculum Irregularitatis incurrendæ, si Clericus spectandi causâ assistat dum reus supplicio afficitur; nec enim vel remotè suâ præsentiâ vel auctoritate ad hominis mortem, vel mutilationem concurrit, vt supponimus. Secùs esset, quando præsentiâ, & auctoritate suâ concurreret, vt ex dicendis cõstabit: nullâ tamen ratione docet Clericos Sacris initiatos inter reliquam turbam spectare supplicia reorum non sine nota vitij curiositatis satis alienæ à suo statu. Quod si muneris ratio postulet pro consolatione, & instructione morituri, vt illi assistant, vel hoc ipsum munus addiscant ab alio Sacerdote, qui tunc illud præstat, satiùs erit ad Latus ipsius assistere à turbâ separatum. Accedit quod in capite *Si Clerici vel Monachi.* videntur ab hoc genere spectaculi arceri, quamuis, vt notat Molina suprà, & Vgolinus. c. 5. §. 2. videatur ille Textus contrariâ consuetudine abrogatus. Vnde vel absolutè non erit peccatum, vel (quod veriùs puto, si sine rationabili causâ fiat) erit peccatum veniale ob paruitatem materiæ, vt ait Suarius disp. 47. sect. 4. num. 2. Auila suprà dub. 16. ad finem; quidquid in contrarium sentiat Sayrus capite 18. nu. 20. & alij nonnulli.

Non decet Clericos in Sacris constitutos inter reliquam turbam spectare supplicia reorum.

Clerici qui huiusmodi spectaculis sine rationabili causâ interfunt peccant venialiter iuxta Authorem.

654 Si verò Clerici habeant iurisdictionem temporalem & suâ præsentiâ aliquo modo præstent Auctoritatem, & concurrant ad effectum, non poterunt excusari ab Irregularitate. Ita Nauarrus. c. 27. n. 214. Maiol. lib. 2. c. 10. Suarius suprà n. 10. Filiucius nu. 238. Reginald. numero 134. Vgolinus. capite 5. §. 2. alijque multi. Porro maximè Episcopos, & Prælatos nõ debere suâ præsentiâ, vbi eam temporalem iurisdictionem obtinent, auctoritatem sententiæ sanguinis præstare, alioquin Irregularitatem incurrere constat ex capite *ex litteris* de *Excessib. Prælatos.* notatque ibi Glossa verb. *Corporalem.* & Panormit. numero 2.

655 De illo etiam, qui refert litteras, quibus aliquis mandatur occidi, vel mutilari, nonnulli dubitant, an Irregularitatem incurrat. In quâ re, si deferens ignorabat id in ijs litteris contineri, nullus profectò apparet lenitatis, aut mãsuetudinis defectus, vt docet Vgolinus. capite 8. §. 2. numero 2. Sed neque etiam si sciat ibi hoc contineri. satis apparet, me quidem Iudice, defectus mansuetudinis, aut lenitatis, maximè in casu, quo quis esset, vel famulus mandantis, vel Tabellarius ex officio aut aliqua ratione suâ interesset litteras portare ad alium vbi inter cætera mandatum Superioris continetur; hoc enim mihi videtur satis etiam remotum.

De deferente litteras quibus aliquis mandatur occidi, dicendũ.

656 Quæret tamen aliquis, quid dicendum de eò, qui clamauit adesse latrones præuidens fore, vt alij accurrerent, illosque occiderent, an censebitur causa mortis, atque adeò incurrere Irregularitatem?

Quæres.

957 Multi affirmant; cum his enim circumstantijs censetur causa moralis. Secùs verò dicendum, si clamauit, aut pulsauit campanas, vel Tubas ad res suas defendẽdas, vel ad sedandam seditionem ortam in aliquo oppido. Ita Vgolinus capite 12. §. 6. & capite 6. §. 10. numero 2. Suarius disp. 47. sect. 2. numero 21. Auila. disp. 5. sect. 2. dub. 15. Filiucius numero 252. Molin. disp. illâ. 34. numero 11. Rodriguez in *Summâ.* capite 170. conclus. 5. Henriquez lib. 14. cacapite 11. numero 5. Sayrus suprà numero 3. Auila dub. 9. Filiucius numero 251. quorum plures loquuntur in alio simili casu de Clerico accusante iniustum damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ, aut propriæ personæ, de quo posteà dicemus. In præsenti autem casu ratio nostra est; quia, cùm licitum sit clamare ad res suas defendẽdas, & clamans præuiâ protestatione in re licitâ potuerit rationabiliter præsumere non sequuturam mortem; mors, quæ inde sequitur, per accidens censetur sequi, nec illi imputanda sicut neque imputatur ei, qui manifestauit delinquentem alteri nesciens, nec suspicans ipsum quæri ad, mortem. Legantur Vgolinus, & Auila suprà.

Resp.

658 Ille verò, qui directè, vel indirectè indicando reum, idque præuidens fuit causa, vt reus caperetur, Irregularitatem incurret sequutâ mutilatione, vel morte; censetur enim cooperator, sicut censetur etiam cooperator, qui iniustè est causa rixorum inter aliquos, & mors inde aut mutilatio sequitur: vt si quis marito indicauit vxoris adulterium, propter quod vxori necem vir intulit. Ita communiter Doctores, Nauarrus. numero 217. & 225. Angelus verbo *Irregularitas.* 1. numero 14. & alij plures, quos refert Vgolinus, capite 11. numero 1. Idemque iudicium est, si tale, aut simile crimen indicet Magistratui, seu Iudici, & deprehensis adulteris, eorum mors sequatur. Item qui suâ interrogatione fuit causa, vt aliquis à Satellitibus comprehende-

Qui fuit causa etiam indirectè vt reus caperetur Irregul. incurrit sequutâ morte.

comprehenderetur, vt si interrogatus per vtram viarum fugeret delinquens, ille ostendat viam, per quam fugerit, & ideò capiatur.

Interrogatus per quam viam transierit delinquens poterit amphibologiâ vti.

659. An verò tunc possit interrogatus amphibologiâ vti? respondeo posse, id quod fecerunt etiam viri Sancti, vt refertur de Sancto Francisco.

660. Ille verò, qui fuit causa, vt reus caperetur, etiamsi præmiserit protestationẽ, aut coactus fuerit Irregularis à multis censetur; sed si coactio proueniat ex metu graui, nimis rigidum videtur censeri Irregularem. Vnde in hac re philosophandum est iuxta principia data disp. 2. dub. 24. Excusabitur etiam, si tunc ageretur de proprio damno, & interesse, & præmitteret protestationem, vt in sequentibus explicabimus.

661. De illo etiam, qui indicauit alteri aliquem nesciens tamen probabiliter illum quæri ad mortem, vel mutilationem, vt; quia nesciebat quærentem esse satellitem, aut inimicum quæsiti, aut à quæsito commissum fuisse delictum, probabiliùs puto non esse Irregularem, quidquid aliqui reclament. Argumento c. *Apostolicæ* de *Clerico excommunicato ministrante*, perinde atque excommunicatus, vel suspensus probabiliter ignorans eam Censuram, non incurrit Irregularitatem celebrandi; est enim eadem vtrobique ratio docetque Vgolinus, & alij suprà citati.

662. De Clerico verò rogante principem, vt iustitiam faciat, vel præcipiat Iudici, vt ex iustitiâ iudicium ferat, vel iudicet secundum Iura multi satis probabiliter putant excusari ab Irregularitate; hic enim loquendi modus non videtur continere cooperationem ad mortem, sed est omninò indifferens: potest enim Iudex etiam ex iustitiâ iudicare liberando reum. Ita ex parte Filiucius Tract. 19. cap. 10. quæsito 2. num. 260. Auila, Sayrus, Vgolinus, & alij paulò post referendi. Secus verò dicendum videtur, Si Clericus, vel alius quiuis rogat Principem, vt iubeat Iudicem sententiam exequi; tunc enim videtur concurrere ad mortem, si sequatur, estque communis Doctorum sententia.

Principes constituendo officiales qui delicta puniant Irregul. non incurrunt.

663. Principes verò ipsi etiamsi sint Episcopi, aut Prælati Ecclesiastici habentes vel titulo patrimonij Iurisdictionem temporalem, non incurrent Irregularitatem constituendo Prætores, aliosque officiales, qui causas sanguinis inquirant, & delicta puniant; colligiturque ex c. vltimo *Ne Clerici vel Monachi*, alioquin ea Iurisdictio non posset illis ab Ecclesiâ permitti.

664. Imò citra Irregularitatem potest, qui habet iurisdictionem temporalem, mandare specialiter alicui, vt in aliquo particulari delicto, quod contigit, inquirat de eo, & iustitiam faciat (Si tamen specialiter non mandet punitionem) idque etiamsi Iudex inueniat reum, & illum iustè, vel iniustè morte puniat, aut mutilatione, vt patet ex c. vltimo *Ne Clerici vel Monachi*, in 6. Ita Syluest. verb. *Homicidium* 3. numero 7. Auila p. 7. disp. 5. sect. 2 dub. 4. Couarr. in Clemẽtinâ citatâ, Vgolinus cap. 5 § 8. Sayrus c. 18. numero 17. Molina disp. 74. numero 9. Filiucius numero 241. & alij contra Henriquez cap. 12. numero 6. & contra Suar. disp. 47. sect. 1.

Quæres quomod Prælatus à suis consultum in causa sanguinis. Resp.

665. Sed quæret aliquis, quomodo se gerere debeat Prælatus, qui petitur à suis officialibus quid faciendum in causa sanguinis, quam tunc præ manibus habent?

666. Respondeo illum posse dicere facite quod leges statuunt, aut uiros doctos, & peritos consulite, meum non est consilium ferre in causâ sanguinis. Addunt aliqui etiam posse respondere in genere dicendo Homicidæ pœnâ mortis puniuntur, grassatores viarum suspenduntur secundum leges: Sicque respondendo non incurrere Irrugularitatem, quia ea responsio non fit de casu particulari.

Nec obstat.

667. Neque obstat, quòd ministri Iustitiæ deputati à Prælatis inde colligant delinquentem dignum esse morte vel mutilatione, indeque moueantur ad exsequendam pœnam iudicantes vtique Prælatum non fit responsurum, si non Iudicaret causam esse dignam morte, vel mutilatione, hoc (inquam) non obstat; nam, vt rectè Sayrus suprà, & alij citati, mutilatio, vel mors non sequitur ex culpâ, vel causa Prælati; sed ex ipsis ministris, cùm Prælatus nihil fecerit dicto, vel facto, quod ordinetur ad mutilationem vel mortem; eius enim responsio fuit nimis remota. Iam verò nonnulla in particulari dicamus ex ijs, quæ practicè contingunt quando reus ad supplicium ducitur præter ea, quæ iam obiter tacta sunt.

Quæres.

668. Quæri primò potest; an sit Irregularis, qui comitatur reum ad suplicium causâ securitatis: communiter solet affirmari. Ego tamen in hac re distinguerem, vel comitatus ille tantùm est causâ securitatis ministrorum, & eorum qui intersunt, ne ab alijs occidantur, vel est vt iuuent ad exequutionem sententiæ mutilationis, aut mortis: si illud primum; non video cur Irregularitas incurratur: Si verò secundum placet mihi communis sententia, sunt enim propriè cooperatores.

Resp. affir. communis est Author Cum distinctione Resp.

669. Custodes etiam carceris afferentis claues carceris, & aperientes, vt inde reus ad mortem ducatur, & fabricantes furcam pro casu particularis censentur communiter Irregulares; sed ego non video cur istæ actiones ad id sufficiant; nam apetire portas indifferens est ad hoc, vt Iudex, aut alius minister hominem siue ad suplicium ducat, siue ad aliquid aliud, imò ad ipsam etiam libertatem. Quarè nimis remotum, per accidens est quòd ex eâ apertione sequatur mors, vel acceleretur, furcam autem facere, etiamsi sit pro casu particulari, videtur remotè concurrere propter rationem iam suprà indicatam. Ex alio tamen capite posset, saltem aliquibus in locis, prædictus censeri Irregularis; vbi enim vsu receptum est, vt carnifex ipse furcam faciat & patet, indignumque putetur fabro alioquin honesto eam furcam parare propter vilitatem muneris, & illud genus infamiæ; quod inde contrahitur irregularitas poterit incurri, quæ non est huius loci, de quâ iam egimus dub. 13. De illo, qui docet carnificem in casu particulari, quo pacto debeat aptare funem, vel aliquid aliud sui muneris præstare, omninò verum puto esse Irregularem. Dixi *in casu particulari* quod intelligendum est tunc iam tempore exequutionis maximè, si dirigat carnificem in ipsâ exequutione. Si verò non in casu par-

 ticulari

ticulari, sed generaliter doceat modum etiamsi sit circa illud tempus, aut circa illos dies, quando iam proximè speratur exequutioni mandanda sententia alicuius particularis, nimis remotus videtur ille concursus, vt ex eo præcisè capite Irregularitas contrahatur.

670 De ijs etiam, qui zelo fidei, & sub prętextu lucrandi Indulgentias, portante ligna, vt comburantur Hæretici, si materia illa iuuat ad mortem, quando ibi comburuntur, dicendum est fieri Irregulares, quia nullo textu excipiuntur. Ita Palud. q.3.art.2. quæstion.4. Antoninus.3.p. tit. 28. capite 2. §.4. Syluest. *Homicidium* 3.q.7 Tabiena. *Irregularitas*. 3. numero 23. Angelus. numero 18. Filiucius capite *sicut dignum* de *Homicidio*. Couarrub. 2. p. §. 4. numero 5. citans Cardinalem, & alios, quidquid in contrarium dicat Henriquez. capite 12. §. 3. littera in Glossa. Imò quando dubium est, an ea materia incurrit, censendus Irregularis, quia est dubium fieri in materia Homicidij iuxta dicta sup. capite 1. nec requiritur quod qui portat ligna, supponat illa, vt vult Medin. sup. satis enim concurrit portando.

671. De Iudice, qui detrudit aliquem in carcerem adeò durum, & asperum, vt ex eo verò similiter credatur breui futuram mortem, illaque sequatur; item de eo, qui fert durissimã sententiam, quâ reo victum adeò diminuit, vt præ inediâ aut fame mors acceleretur, meritò authores putant esse Irregularem; id enim æquiualet sententiæ sanguinis. Ita Molina disp. illâ. 74. numero 1. & 2. Vgolinus. capite 11. §. 1. & capite 5. §. 6. Auila disp. illâ. 5. sect. 2. dub. 3. & 4. Henriquez suprà. capite 3. numero 7. Couarrub. 2. p. §. 5. numero 8. Filiucius numero 239 Inquisitores verò, qui maleficos, aut Hæreticos intra duas parietes includunt, non sunt Irregulares; nec enim ita diminuunt cibum, vt mors celerius sequatur, neque modus ille detinendi maleficos tàm asper, aut durus est, vt mortem acceleret Teste Vgolino suprà n.4.

672 Nec etiam Iudices mittentes aliquem ad Triremes, nisi fortè præcipiant ita tum eo agi, vt mors acceleretur. Ita idem Vgolinus suprà. §. 7. & alij communiter.

673 Censetur etiam Irregularis, qui dicit reo Ascende scalam, vel suppone caput ad accipiendum ictum, quoties propter ipsius dictum reo mors acceleratur.

674 Item qui dicit carnifici, vt gladium acuat, vel semel, & non sæpius feriat, aliquidve simile, quo facto reus citius expeditur; etiamsi hoc faciat ex pietate. Ita Graff. 1 p. lib. 4. capite 27. & alij citati. Ratio est iam allata.

675 Monet autem Molina suprà numero 4. eum, qui facit aliquid ob quod mors sit acceleranda posse vitare Irregularitatem, si aliquid aliud præstet, quo mors tantundem retardetur. Legatur hic Author loco citato, & Vgolinus capite 15. §. 5. vbi satis ostendunt prædictam non esse causam accelerationis.

676 Solet etiam dubitari de Sacerdote, qui remouit crucem quam tenebat ante reum, vel dixit carnifici, nemo te impedit, quo minus tuo fungaris officio, iam ego functus sum meo, tùm in confessione tùm in exhortatione. Nonnulli putant esse Irregularem, quibus ego non assentio; modus enim ille loquendi per se non influit in mortem, vel mutilationem; solùm enim per accidens. Carnifice inde arripiente occasionem præstandi suum munus, mors rei sequitur, non ex peculiari influxu talium verborum.

Sacerdos dicens Carnifici, vt fungatur suo officio putatur à nonnullis Irregularis. Author his non assentitur.

677 Addunt etiam Auila, & Henriquez excusari posse propter paruitatem materiæ Sacerdotem, qui dicit reo, vt ascendat vnum gradum scalæ vltra illud, in quo est, & qui, dùm simul vehitur in curru cum reo inaduertentur dixit ei pergamus, non intendens accelerationem mortis etiamsi ob dictum ipsius fortè perrexerint.

678 Tandem ille, qui detulit ad Iudicem crimen, quod ex se non erat dignum mutilatione, vel occissione, nec ipse delator credebat fore, vt occideretur. vel mutilaretur, non fit Irregularis, etiamsi fortè Iudex illum ad mortem damnet, eaque sequatur Ita. Auila. p. 7. disp. 5. sect. 2 dub. 1. Nauarrus. numero 214. Ratio est; quia tunc non censetur causa illius effectus; secùs verò esset, si detulisset crimen tali pœnâ dignum; tunc enim procul dubio concurreret. Alia dicemus capitibus sequentibus descendendo ad particulares cooperatores mortis illatæ per viam iudicialem.

CAP. II.

An consultores in causâ sanguinis Doctores, consilium dantes, concionatores, & Confessarij Iudicem hortantes, & similes, fiant Irregulares?

679 QVod attinet ad Consultores, tunc censentur Irregulares, quando si consulantur, quam pœnam mereatur talis delinquens, ipse respondeat mereri mutilationem, vel occisionem, dummmodo ex eo, responso sequatur mors, vel mutilatio; imò, etiamsi dubius sit Iudex, & ipse consulens, an propter ipsius dictum effectus sequutus fuerit, & multò meliùs, si dubius erat Iudex de ferendâ, vel non ferendâ sententiâ, & propter responsum inclinauit in eam partem; In his enim casibus vel certũ est concurrisse consilium consulentis, vel certè dubium est an concurrerit. In casu autem dubij facti iam dictum est in præcedentibus Irregularem debere censeri.

Consultores in causa sanguinis quando censentur Irregulares.

680 Quando autem petens consilium firmiter erat paratus occidere, vel mutilare, etiam absque consilio, non censetur Irregularis; quia non censetur consilium illud concurrere. Ita Sayrus lib. 6. capite 18. num. 28. Vgolinus. cap. 9. §. 2. numero 7. Filiucius suprà. num. 239. & alij multi.

681 Item non ligatur Irregularitate vir doctus, qui interrogatus, an quis teneatur denuntiare, vel accusare in materiâ sanguinis, vel, an hîc & nunc sit melius id facere, quàm omittere, vel certè an liceat; ipse in genere aperit Ius, docetque veritatem non inducendo nec exhortando ad denuntiandum vel accusandum, etiãsi hoc audito arripiat occasionem accusandi. Ita

Molina

Molina tomo 4. Tract. 3. de *Iustitiâ* disp. 74. nu. 5. & alij communiter. Ratio est, quia non videtur credibile velle Ecclesiam huiusmodi consultores tali pœnâ, seu inhabilitate afficere cum hoc non sit Iure expressum.

682 Ex quo patet à fortiori non esse Irregularem Doctorem, qui, non iam aperit quid ipse sentiat; sed aliorum tantùm Doctorum opiniones refert, etiamsi id faciat in casu particulari, & tunc pendente in iudicio; nihil enim aliud facit, quàm rei veritatem in genere aperire.

683 Eâdem ratione præceptor; seu professor in Cathedrâ doctrinam in generali docens, & explicans leges, & Iura, etiamsi videat inde aliquos audientes arrepturos occasionem ferendi, & exequendi sententiam mortis in causâ sanguinis; non erit Irregularis, Manent tamen Doctores decere, vt quando quis interrogatur pro similibus casibus, magnâ vtatur cautione in responsis, & consilijs. Vnde, quando quæritur; an aliquis ob tale crimen sit dignus morte; poterit in generali veritatem fateri dicendo hæc, aut similia verba. Homicidæ secundum leges morte afficiendi sunt, vel vide quid Doctores sentiant, fac, quod leges statuunt, vt capite precedenti notabamus. Ita Syluest. verb. *Homicidium*. 3. quæsito. 7. Molina suprà. Henriquez lib. 14. capite 12. numero 6. & alij apud Sayrum lib. 6. capite 18.

Author putat propter solam veritatis manifestationem Ecclesiam non velle Irregul. incurri.

684 Hæc tamen non videntur omninò necessaria neque facilè crediderim velle Ecclesiâ propter solam veritatis manifestationem Irregularitatem incurri; etiamsi manifestetur veritas pro casu particulari, tunc occurrente. Vnde quando prædicti Auctores hortatur eâ cautione fieri, non est, quia id putent necessarium pro euitandâ Irregularitate; ad id enim sufficeret non hortari. vt verum fateor, mihi ridiculũ visum est, si dicas licere consultoribus, & doctoribus planè dicere in genere omnes homicidas secundum Iura esse capite plectendos; nullo autem modo dicere, aut explicare hunc, quem scimus esse probatum coniunctum, &, si velis, confessum in tali delicto esse capite plectendũ; nam in rectâ dialecticâ idem est dicere omnis Homo currit, atque Petrus currit, Ioannes, &c. ergo idem erit dicere omnis Homicida conuictus, & confessus est capite plectendus; atque dicere hunc homicidam conuictum & confessum esse capite plectendum, & illum, & illum: Ergo & hunc etiam, de quo in præsenti agimus. Cur ergo illum simul cum alijs capite plectendum affirmare, non inducet Irregularitatem, inducet autem, si seorsim affirmetur? Itaque id nunquam puto inducere irregularitatem etiamsi in particulari casu explicetur.

685 Quod verò attinet ad exhortationem, & consilium; an in aliquo casu licitum sit, & fieri possit absque Irregularitate sequentibus Quæstiunculis explicabimus.

Quæres 1.

686 Quæres primò; an licitum sit Sacerdoti dare Consilium Principi Ecclesiastico, vel sæculari, vt ferat legem, quâ fures & alij delinquentes capite plectantur?

Resp.

687 Auila suprà dub. 6. Henriquez. capite 16. numero 4. Filiucius. numero 242. aliijque multi affirmant licere; quia huiusmodi Princeps etiam Ecclesiasticus potest absque periculo Irregularitatis talem legem condere in generali; quæ tantùm est remotè causâ mortis, vt patet ex cap. *Delatori*. 5. q. 6. & probat Vgolinus. c. 9. §. 2. numero 2. ergo potiori ratione poterit Sacerdos absque Irregularitate consulere.

Hinc Infertur.

688 Ex quo infertur licere etiam concionatori hortari Principes ad condendas tales leges, etiamsi ex ipsis conditis moraliter certum sit fore, vt aliqui sontes plectantur.

689 Licitum etiam est concionatoribus hortari Iudices ad seruandas Leges, ad coërcendos improbos debitis pœnis, ad repurgandam Rempublicam scelestis, & perditis hominibus, Ita. Auila suprà dub. 5. & 6. Henriquez lib. 14. capite 12. numero 6. Sayrus. capite 18. numero 18. & alij communiter: imò licitum est concionatori reprehendere ipsos Iudices, quòd negligentes sint in plectendis, & extremo supplicio afficiendis delinquentibus, quod iam diù detinent contra fas, & leges. Nec video cur Ecclesia voluerit hoc prohibere, aut propter hoc Irregularitatem inducere. Cur enim credemus talia delicta & quæ in damnum Reipublicæ vergunt Ecclesiæ auctoritate, & sub Irregularitatis pœnâ, vel inhabilitate subtracta esse concionatoribus ab eorum numero, quæ possunt publicè reprehendi? Ego certè non credo talia delicta publica non velle Ecclesiam à suis ministris reprehendis; nec hortari Iudices audientes concionem ad tàm debitum munus exhibendum.

690 Hinc est ut concionatori, etiam à fortiori liceat absque periculo Irregularitatis blasphemos, homicidas, aliosque similes acriter reprehendere, etiamsi Iudex inde arripiat occasionẽ illos capiendi, occidendi, aut mutilandi; præstat enim suum munus tunc concionator, & pro tali munere proprio ministri Ecclesiastici credendum non est voluisse Ecclesiam illum fieri Irregularem.

691 Incurreret autem Irregularitatem, si peccatorem occultum publicè reprehendens præbeat occasionem Iudici ut illum puniat; tunc enim, & contra Iustitiam peccat, & contra Charitatem, & censetur causa mortis illatæ à Iudice. Ita Vgolin. de *Irregularit*. c. 6. §. 10.

Quid de Confessario dicendum qui non vult absoluere pœnitentem nolentem reũ morte dignũ punire.

692 Quod attinet ad Confessarium qui non vult pœnitenti nolenti punire reum dignum morte beneficium absolutionis impendere, vel saltem dicit se non facturum, nisi proponat, & permittat reum punire secundum Iura, non video cur aliqui tam meticulosi fuerint, vt non audeant illum ab Irregularitate liberum declarare; talem ego puto omninò hbetum. Ita Molina disp. 74. numero 18 Auila disp. 5. dub. 6. Henriquez capite illo 12. numero 4. Filiucius. n. 242. Reginald. lib. 30. numero 138. & alij multi.

Authoris Iudicium. Ratio.

Ratio est, quia hic casus per Epijkiam censetur à Iure exceptus; nec credibile est Ecclesiam velle Irregularitatis notam inurere confessario præstanti suum officium, & facienti id, quod aliter facere non potest; neque in eo intendenti mortem rei; sed medicinam conscientiæ judicis. Itaque, cum Confessarius non possit absoluere pœnitentem existentem in statu peccati mortalis; nisi resipiscat, & proponat facere, quod tenetur, omninò à ratione alienum esset velle illum

lum Irregularitate irretiri propter munus Ecclesiasticum imò propriè Sacerdotale, &, quod aliter facere non potest iuxta præscriptum Ecclesiæ imò Christi, quia noluit absolui pœnitentem; nisi dispositum. In hoc ergo casu potest Confessarius declarare confitenti Iudici non solum in genere, vt aliqui dicunt; sed etiam in specie, & in particulari obligationem, quam habet reum. v.g. suspendendi & dicere illi, nolo te absoluere, nisi suspendas, proponas firmiter illum suspendere.

Infertur.1. 693 Ex eàdem doctrinâ infertur, primò non esse Irregularem Confessarium, qui monet pœnitentem iuridicè interrogatum, quando tenetur veritatem confiteri, vt eam confiteatur, etiamsi reus propter eam confessionem puniendus sit pœnâ mortis; hortatur enim Confessarius ad id, quod tenetur monere, & pœnitens præstare.

Infertur.2. 694 Infertur 2. posse illi persuadere, ne appellationem iniustam interponat; etiamsi ex eâ interpositione credatur liberandus reus, & illâ omissâ statim plectendus, & expediendus, fungitur enim tunc officio suo Sacerdos, qui non intendit eâ exhortatione mortem rei; sed salutem animæ illius. Ita Saytus, Auila, Henriquez, & alij supra citati.

695 Quando verò Confessarius daret Consilium pœnitenti, vt veritatem aperiat, quam non teneter aperire. v.g. quando delictum nondùm est semiplenè probatum, aut, quando Iudex non est competens; Irregularis fiet, tunc enim nec Confessarius fungitur munere debito, nec desinit esse causa homicidij. Ita Vgolinus. capite 16. n. 12.

Maior Difficultas quando opiniones sunt vtrimque Probabiles. 696 Maior difficultas esse videtur, quando sunt opiniones pro vtrâque parte, scilicet, si sit probabilis opinio, quæ doceat pœnitentem in tali casu debere veritatem confiteri, & tunc Confessarius sequatur opinionem probabilem illam, & hortetur ad fatendum mors que inde sequitur, an tunc maneat Irregularis. Ratio dubitandi est: quia, si potest sequi opinionem magis fauorabilem, non tenetur pœnitentem monere de veritate aperiendâ; quod si non tenetur & potest illum iustè liberare, vel non cooperari ad illius confessionem, ex quâ mors sequatur, iam videtur causa mortis, & hoc non ex obligatione officij sui. Pro contrariâ verò parte ratio dubitandi est, quià eâdem probabilitate, quâ probabile est pœnitentem teneri; probabile etiã est posse, imò & teneri Confessarium illum monere de suâ obligatione; ergo tunc eadem ratione probabile erit Confessarium non incurrere Irregularitatẽ; si enim Irregularitas non incurritur, quando Sacerdos Confessarius præstat, quod tenetur ex munere suo præstare, & tunc probabiliter præstat, quod præstare tenetur, non incurret.

Confessarius debet se accommodare opinioni pœnitentis. 697 In hac re in primis suppono ex communi sententiâ, quòd Confessarius debeat se accommodare opinioni pœnitentis, maximè post auditam Confessionem. Ex quo videtur sequi pro nostro casu, si pœnitens habeat opinionem contrariam probabilem, quæ docet illum posse negare, non posse cogi à Confessario, vt veritatem fateatur, neque ob eam causam negare absolutionem; nisi fateatur. Vnde tantum abest; quòd teneatur illum cogere, vt potiùs debeat absolutionem impendere sine eo grauamine, & nullo modo illam negare, donec fateatur. Ideò, si pœnitenti significaret habere obligationem ita faciendi, & tanquàm non sufficienter disposito absolutionem negaret, iniustè faceret, & si eâ viâ persuasus pœnitens fateatur crimen, & occidatur, aut mutiletur. Irregularis videtur Confessarius. Si verò Pœnitens nullam prorsus habeat opinionem alterutrius partis, sed paratus ex se præstare, quod Confessarius iudicauerit esse præstandum; Confessarius autem absolutè, & simpliciter iudicet illum debere fateri; probabile videtur non fieri Irregularem; quia probabiliter putat se in eâ exhortatione facere, quod tenetur; Probabilius tamen mihi videtur etiam tunc Irregularem fieri, si Confessarius sit (vt suppono) sufficienter doctus, atque ideò non ignoret esse opiniones probabiles pro vtrâque parte: tunc enim cum probabile sit pœnitentem non obligari ad fatendum, & omninò verum sit, quòd, quando est opinio probabilis, possit quis illam sequi, & in eo casu pœnitens expressè, vel virtualiter censeatur velle interrogatus à Iudice respondere eâ ratione, quâ licitè possit suâ vitam defendere, licitè autem possit, sequendo opinionem probabilem, censetur procul dubio expressè aut virtualiter velle illam sequi: Ergo Confessarius non potest vel illi negare absolutionem, nisi fateatur, vel dicere absolutè & simpliciter (reticendo probabilitatem opinionis) teneri ad fatendam veritatem. *Probabilius iudicat Author.*

Non placet doctrina Bonacinæ. 698 Non placet etiam in hoc negotio, quod absolutè docet Bonacina disp. 7. q. 4. punctò. 1. numero 34. Confessarium, scilicet, incurrere Irregularitatem dicendo Iudici pœnitenti, vt mittat reum in malam crucem, vel mutilet, aut occidat, tuncque cooperari mutilationi, & Homicidio: hoc, inquam, non placet, quamuis enim concedamus aliquâ ratione cooperari Homicidio, aut mutilationi, si tamen pœnitens Iudex teneatur in conscientiâ id facere, & Confessarius non possit illum absoluere, nisi faciat, vel firmum faciendi propositum habeat, quod sub peccato tenetur, monere autem & constringere te pœnitentem ad id præstandum sit proprium, & debitum munus Sacerdotis Confessarij; nullo modo credibile est voluisse Ecclesiam in eo casu Sacerdotem Irregularitatem incurrere ex eo præcisè, quod faciat id, ad quod tenetur, tenetur autem hortari cunctãtem pœnitentem ad præstandam suam obligationẽ, ea autem est, vt supponimus reum in furcam adigere ergo ex eo quòd ad id hortetur, non vult Ecclesia illum Irregularitatem incurrere.

Discrimen inter Clericos & Laicos immiscentes se in causâ Sanguinis. 697 Tandem hoc loco aduertere oportet discrimen inter Clericos, & Laicos immiscentes se in causâ, seu pœnâ sanguinis quæ iustè exercetur à Iudice; nam Clerici beneficiati, vel in sacris peccant mortaliter sese immiscendo, violant enim prohibitionem Ecclesiæ in re graui, c. *Sententiam sanguinis. Ne Clerici, vel Monachi.* seque reddit ineptum ad functionem sui Ordinis, & officij Laici verò, & Clerici Minoribus non beneficiati non peccant mortaliter; contra nullam enim prohibitionem faciunt. Hinc est, vt Irregularitas

gularitas, quæ contrahitur à laicis exercendo causam sanguinis, dicatur ex defectu lenitatis; quæ verò contrahitur à Clericis dici etiam possit ex delicto. Ita Molina disp. 8. numero 10. & alij.

700. Addit verò Molina cum Couarr. Clericum, qui iuxta Tridentini decretum non gaudet priuilegio fori, nullum peccatum admittere, si se tali causæ immisceat; quod maximè verum erit in ijs locis, in quibus consuetudine receptum est, vt aliqui, Clerici deputentur ad causas sanguinis.

CAP. IV.

De accusatore, seu denuntiatore in causâ sanguinis.

Assertio 1. 701. ASserendum est 1. accusatorem siue, Clericum, siue laicum absque protestatione fieri Irregularem. Ita de Clerico affirmant Syluester *Homicidium* 2. q. 3. & *Homicidium* 3. q. 5. S. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 2. §. 1. Armill. *Irregularitas* numero 10. Tabiena *Irregularitas* 1. Rodriguez cap. 165. conclus. 6. & de laico etiam tenet Nauarrus cap. 27. numero 226. Couarr. 2. p. §. 9. numero 3. & Clement. 1. de *Homicidio* 2. p. §. 5. & alij apud Vgolinum cap. 6. numero 1. pluresque alij postea referendi, quibus adde Medinam cap. 11. §. 19. atque (vt rectè notat Syluest. *Homicidium* 3. regula 6. ante quæstiones) generalis regula est omnium Canonistarum, quo in Homicidio voluntario vbicumque est Irregularis Clericus; est etiam Irregularis laicus, & è contrà. De Clerico autem habetur expressè cap. 2. de *Homicidio* in 6. & c. *Postulasti*. Extra de *Homicidio*: de Laico verò c. *Aliquantos* 51. distinctione.

Regula generalis Canonistarum.

Nota. 702. Notandum verò est iuxta nuper dicta c. præcedenti quod licet, quoad Irregularitatē in Homicidio voluntario, eadem sit ratio de Clerico, & de Laico; tamen, quoad peccatum, longè differunt; nam Clerici peccant accusando in causâ mortis; nisi cum moderatione infrà ponendâ; quia talis accusatio est illis prohibita Iure positiuo, vt dictum est. Qua de re legi potest Sotus de *tegendo secreto* membro 2. q. 5. conclus. 3. & Nauarrus c. Inter verba. Corollar. 60. laici verò non ita peccant, de quo præter Molinam citatum lege potest Nauarrus c. 27. num. 209. & 213. & 225. Couarr. 2. p. §. illo 5. n. 1. quid ex multorum sententiâ probant.

Infertur 2. 703. Asserendum est 2. si accusator in causâ sanguinis accuset pro iniuriâ, aut damno suæ personæ, aut rebus illato cum protestatione quod vindictam, seu pœnam sanguinis non intendat; non sit Irregularis; quia hoc concessit Bonifacius VIII. in dicto c. de *Homicidio* in 6. Ita etiam Authores citati, & citandi. Quod addunt verum esse, etiamsi certò sciat ob id furem, aut reum occidendum esse. Ita Ioannes Andreas. Panormit. Filiucius in dicto c. *Postulasti* de Homicidio; hoc tamen limitat Syluest. *Homicidium* 2. q. 8. Armill. & Angel. quando alio modo non poterit Clericus sua bona recuperare. Cum quibus sentit Tabiena *Irregularitas* 3. §. 8. Probant verò; quia aliàs non intenderet emendam sibi fieri, sed supplicium.

Limitat Syluester.

704. Henriquez tamen cap. 11. §. 4 litera M. non putat esse necessariam eam limitationem si tamē accuset, etiam cū protestatione, in re criminali; & etiam suâ, vbi non agitur de honore, neque de rebus putat fieri Irregularem, refertq; nonnullos alios pro suâ sententiâ.

Non esse necessariam illam limitationem putat Henriq.

705. Couarr. etiam non putat hanc protestationem esse necessariam in ipsâ accusatione; sed sufficere; si fiat ante latam sententiam mortis; quod confirmat à simili de consulente, aut mandante, qui reuocat ante mortem consilium, aut mandatum: sed de veritate eius similis non est huius loci disputare: nonnulla diximus tum in hoc Tract. de *Censuris* disp. 1. dub. 21. & 22. tum in nostro opere de *Iustitia* Tract. de *Restitut.* disp. 4. dub. 3. & 4. alijsque in locis. Et sanè quidquid sit in alijs materijs, in hac, de quâ nunc agimur; non videtur Iudex ferre sententiam ad instantiam partis, seu accusatoris eo ipso quod antequàm sententiam proferat, accusator protestatur se; nec velle, nec intendere sententiam sanguinis; hoc tamen non sufficeret vt non censeretur sufficiens causa moralis illius damnationis eo ipso quod rem detulerit ad Iudicem, quem scit, iustè iudicando, damnaturum reum ad mortem, quantumuis ipse accusator protestatur se id non intendere; hoc (inquam) non sufficeret, nisi Pontifex concessisset, vt vidimus, posse absque periculo Irregularitatis cum eà protestatione accusare pro iniuriâ, aut damno suæ personæ rebus suis illatæ. Necessitas autem huius protestationis non videtur vrgere; nisi antequàm ipsa sententia feratur. Ideò in hoc placet Couarr. quidquid sit de argumento à simili ex quo probatur.

706. Notant etiam Doctores in dicto c. *Postulasti* non esse necessariam protestationem; quando causa ciuilis est: licèt ex alio capite (vt si restitit Magistratui) mors, aut mutilatio sequatur: id enim totum est per accidens.

Notant Doctores.

767. Notant vlteriùs Syluest. *Homicidium* 3. q. 2. si accusatio fiat coram Iudice Ecclesiastico, vt coram Inquisitoribus non esse necessariam protestationem ad euadendam Irregularitatem; tunc enim non magis concurrit ad mortem accusator, quam Inquisitores, & eorum ministri; sed isti non concurrunt: neque Irregularitatem incurrunt: ergo neque accusator, qui non, nisi medijs illis cooperatur. Quâ de re legi potest Henriquez, c. 11. in fine.

Notat Syluest.

708. Tandem notandum accusationem, quātūuis protestatio præmittatur, debere esse iustā, & sententiam iustam; nam si accusator esset causa iniustæ sententiæ (vel etiam iustæ; sed per iniustas probationes) Irregularitatem incurreret; peccaretque contra Iustitiam iuxta principia generalia data in nostro opere de *Iustitia*, agentes de Iudice, & reo, accusatore & cæteris concurrentibus ad Iudicium, docetque Salon 2. 2. q. 68. art. 3. Aragon ibidem vers. *est secundum Aduertendum* Nauarrus c. *Inter verba* 11. q. 3. conclus. 6. numero 643. Reginald. lib. 24. numero 130. Clauis Regia lib. 12. cap. 15. numero 13. videturque id sentire Molina Tract. 4. disp. 37. num. 20. idemque in simili docuit Menoch. de *præsumptio-*

Notandū 3. accusationē debere esse iustam.

sumptionib. lib. 1. q. 9. Cum Baldo, Couarrub. Soto & alijs, & in nostro casu Filiucius Tract. 19. capite 9. numero 248. Ratio verò est; quia peccaret contra Iustitiam; atque adeò reus esset omnium damnorum, & pœnarum inde consurgentium. Nec potest quis in Iudicio condemnari, quantumuis crimen verum sit, si id iuridicè probari non potest iuridicè falsum existimatur quidquid idoneis testibus probari nequit.

Ratio.

Ex traditâ doctrinâ pro praxi. Infertur 1.

709 Ex traditâ doctrinâ pro praxi infertur primò eum, qui accusat alium in causâ criminali petendo vindictam fieri Irregularem, quantumuis protestetur se non intendere mortem, aut mutilationem, dummodò sequatur mors seu mutilatio; nam eo ipso, quo in causâ criminali vindictam postulat, censetur velle reum puniri pœnâ sanguinis, quæ propter illius delictum à lege imponitur, & consequenter censetur petere effussionem sanguinis. Ita Henriquez. capite 10. numero 4. Vgolinus. capite 6. §. 3. Auila suprà dub. 10. Molina Tract. 2. disp. 8. numero 2. & tomo 4. disp. 74. Suarius disp. 47. sect. 2. numero 10. & sect. 4. numero 9. Coninc. dub. 10. Filiucius. n. 248. & 257

Doctrinam limitat Author.

710. Hanc ego doctrinam limitarem, si forte lex relinqueret pœnam arbitrio Iudicis qui posset illam pecuniariam imponere, vel aliquid in læsi commodum iniungere: tunc enim potest illud genus pœnæ in sui satisfactionem exigere, vel etiam in vindictam. Quod si Iudex progrediatur ad pœnam mutilationis, aut mortis, non fiet accusatus Irregularis. Vnde Filius qui propter mortem patri illatam petit à Iudice, vt reus aliquibus bonis priuetur conuertendis in suum commodum, vt suppleat eâ ratione defectum curæ, & administrationis paternæ, quantumuis in eâ re vindictam intendat, si protestetur se nullo modo velle pœnam sanguinis infligi, non fiet Irregularis. Item, quando leges statuerent pœnam sub disiunctione v. g. vt, qui percutiat alium fuste, vel soluat Centum, vel amittat manum etiamsi accusator læsus vindictam intenderet & Iudex eligeret manus mutilationem; si tamen accusator protestaretur, se non velle pœnam sanguinis; sed solam pecuniariam, non video cur ille fieret Irregularis.

Infertur 2.

711. Colligitur ex his. 2. eum, qui accusat, vel denuntiat, non petendo vindictam, sed satisfactionem, seu interesse sibi debitum, etiamsi crimen sit dignum morte eaque sequatur, idque præuideret, non fieri Irregularem præmissâ protestatione. Ita Filiucius. numero 248. Coninc dub. 10. numero 82. Vgolinus. capite 6. numero 2. Suarius disp. 47. sect. 2. & alij communiter. Probari verò solet ex capite *Prælatis*. de *Homicidio* in 6. vbi (vt iam notauimus) id permittitur; & quidem meritò; nam Laici scientes Clericos non posse absque nota Irregularitatis quærelam coram Iudice deponere, petulantiores, & audatiores fierent dictis, & factis iniurias inferentes, Clericis. Ita Vgolin. capite 6. §. 4. Henriquez lib. 14. capite 11. numero 4. Sayrus suprà. numero 2. Molina. suprà. numero 4. Suarius numero 7. Filiucius numero 248. qui omnes fatentur hoc esse verum, etiamsi ille, qui petit satisfactionem, possit res suas aliâ viâ recuperare aut præuideat reũ occidendum, quidquid in contrarium sentiat, Syluest. *Homicidium*. 2. quæsito. 8. & alij apud Suarium.

712 Quærit tamen aliquis, àn accusans, animo, vt occidatur, aut mutiletur reus, si tamen exterius protestetur, fiat Irregularis? *Quæres* 1.

713 Affirmant Angelus *Homicidium*. 2. §. 6. Syluest. *Homicidium*. 2 q. 8. Nauarrus capite 27. numero 226. & 217. referens Ioannem Andræã; refertur etiam Hostiens. in *Summâ*. tit. *de Homicidio*. § *Quâ pœnâ*. Probat verò Nauarrus; quia Ecclesia veram protestationem requirit, non falsam. Confirmari potest; quia, si quis cum assensu interiori proferat Hæresim licèt dicat se id dicere sub Ecclesiæ correctione, mentiens in hoc, excommunicationẽ incurret in foro conscientiæ: ergo etiam in hoc casu. Probat etiam Syluester; quia, si aliâ viâ potest recuperare res suas, fiet Irregularis. Sed hæc probatio extra rem est & sine fundamento asseritur, & falsò, vt diximus; nam in Textu citato absolutè conceditur potestas sic accusandi cum protestatione. Argumentum etiam Nauarri nihil probat; nã illa protestatio, quantùm ad forum externũ, & quantùm ad hoc, vt Iudex non procedat ad ferendam sententiam sanguinis ad instantiam accusatoris, omninò vera protestatio est, & ad id sufficiens, & omninò verum est, quod per illam externam accusationem adiunctam protestationi non intendat illâ punitionem; nam eo ipso, quòd exteriùs, & seriò profert illa verba, non est locus instantiæ ad pœnam sanguinis cùm illis verbis à tali instantiâ recedatur. Exemplum autem illud, quod affertur in confirmationem petitum ex Hæresi externa, extra rem est, quidquid sit de veritate illius, nam hic re verâ profert Hæresim exteriùs, in nostro, autem casu non significat exterius intentionem infligendæ pœnæ sanguinis. *Affir. Angelus &c.*

714 Ideò placet contraria sententia, quam sequuntur Vgolinus Henriq. Sayr. Molin. Suarius Filiucius proximè citati, item Couarrub. Clementinâ. *si furiosus*. 2. p. §. 5. numero 2. qui refert etiam Felinum. Idem docet Tabiena *Irregularitas*. 3. numero 8. & alij Recentiores. Ratio est, quia Ius positiuum nihil aliud intendit, quàm externam Ostensionem lenitatis suorum ministrorum, quam illi ostendunt per protestationem. De internâ autem animi lenitati, an habeat, vel non habeat accusator, Ecclesia nihil iudicat. Idem docent Coninc. numero 93, Auila dub. 9. Reginald. numero 132. Bonacina disp. 7. q 3. punct. 2. numero 11. *Resp. negãs placet Authori.* *Ratio.*

715. Colligitur. 3. ex dictis sicut Ecclesiasticus sine notâ Irregularitatis potest malefactorẽ Magistratui cum tali protestatione deferre, ita etiam posse capere, detinere, & Iudici tradere, nam cui finis permissus est, media etiam permissa censentur, vt notauit Couarrub. suprà nu. 3. Molina disp. illâ. 74. nu. 11. *Infertur* 3.

716 Quæret item aliquis, an nomine rerum suarum, pro quatum damno vitando, vel conseruatione aut recuperatione diximus licere accusationem cum eâ protestatione absque periculo prædicto, intelligantur etiam res, seu bona Ecclesiæ, suæ, vt idem liceat pro illis? *Quæres* 3.

717 Respondeo intelligi. Ita Molina dispu- *Resp.*
tatione

ratione illa 8. numero 8. & disp. illa 74. numero 11. Vgolinus cap. 6. §. 6, Suarius suprà numero 20. Rodriguez cap. 170. conclus. 6. Henriquez suprà numero 5. Sayrus suprà numero 3. Auila suprà dub. 9. Filiucius n 251. & deinceps, qui rectè addunt iuxta dicta, etiam non esse Irregularem, quando detinet, & iudici tradit, vel quando indicat vbi latro sit, aut delitescat, vel clamat vt capiatur: si enim præmittat protestationem, in ipsâ accusatione, aut ante sententiæ prolationem euadet.

Clericus accusans alterum ad sui vel suorum defensionem præmissâ protestatione non fit Irregul.

718. Consequenter etiam dicendum est Clericum accusantem alterum ad sui defensionem, vel suorum non fieri Irregularem præmissa protestatione quantumuis mors sequatur. Ita Auila suprà & alij.

719. De eo verò, qui accusat, vel denuntiat aliquem di iniuriâ non sibi; sed alteri illata cum protestatione prædictâ, omninò puto concedendum esse Irregularem. Ratio est; quia caput illud 2. de *Homicidio* vbi conceditur potestas accusandi cum protestatione, solùm id permittit, quando accusans petit emendationem sibi fieri; non alijs; tunc autem petit sibi fieri quando petit iniuriam resarciri, quæ aliquo modo ipsum tangit, vt iam indicabamus, vt, quia domesticis, quorum curam gerit; vel propinquis, quorum iniuria in caput suum recidit, tale damnum illatum est. Ita Couarr. suprà; qui testatur de communi sententia, quamuis oppositum videantur sentire nonnulli apud Bonacinâ disp. 7. q. 3. puncto 1. numero 4. sed nostram sententiam sequuntur Auila dub. 11. Henriq. suprà & alij multi. Addit Couarr. si aliâ viâ recuperare possit res domesticorum suorum, non posse accusare; quod tamen non placet iuxta dictas; nam si nomine proprij damni, pro quo reserciẽdo, aut auertendo conceditur in citato Textu facultas accusandi cum protestatione, intelligũtur etiam res Domesticorum: etiam facultas accusandi, debet extendi, vt possit accusare sicut in rebus proprijs, etiam, quando alia viâ possit recuperare: nam id in prædicto Textu non restringitur.

De eo qui accusat de iniuria alteri illata Authoris iudicium.

720. Quæret aliquis 3. an denuntians delictum noxium Reip. aut proximo, quod aliter impediri non potest, fiat Irregularis, si protestatur?

Quæres 3.

721. Respondeo 1. eum, qui denuntiat delictum imminens Reipublicæ, absque protestatione fieri Irregularem, non verò cum protestatione. Ita Nauarrus numero 213. Rodriguez in Summâ c. 166. conclus. 6. Medina cap. 11. §. 10. Couarr. suprà §. 5. numero 4. Henriquez cap. 12. numero 8. Caietanus 2. 2. q. 33. art. 7. Sotus 5. de *Iustitiâ* art. 1. ad 4. & alij multi. Ratio est: quia causa communis Reipublicæ videtur reputanda, vt propria: in propria autem licèt cum protestatione: ergo, & in hac.

Resp. 1. Denuntiantem delictũ Reip. imminens, absque Protestatione fieri Irregularem. Ratio.

723. Respondeo 2. cùm quis denuntiat delictum proximo imminens, nec potens aliter impedire, etiam cum protestatione, fit Irregularis. Ita Nauarrus numero 213. Henriquez suprà. Sayrus lib. 6. cap. 18. Vgolinus cap. 6. §. 9. Suarius suprà numero 17. Molina disp. illa 8. n. 8. Coninc. numero 94. Reginald. lib. 30. num. 129.

Resp.

Filiucius numero 249. contra Gloss. & alios apud Vgolinum, & Suarium suprà. Ratio verò est; quia hæc, respicit proximum in particulari non est causa propria denuntiantis, seu accusantis illi tamen solùm in propriâ causâ, permittitur accusare cum protestatione: quamuis autem damnum particularis personæ vitandum quodammodo censeatur damnum Reipublicæ: nihilominus id valde remotum & improprium est: alioquin nullum esset priuatum damnum, quod Reipublicæ damnum appellari non posset. Quando ergo dicimus licere citra Irregularitatem, Reipublicæ damnum deferre cum protestatione, intelligendũ est de damno respiciente directè ipsam communitatem, eius delator mẽbrum est, vt eâ ratione reputetur damnum redundans in ipsum delatorem.

Ratio

Solum in propria causa permittitur accusare cum protestatione.

723. Quamuis autem hæc doctrina ordinariè, & absolutè loquendo vera sit: mihi tamen placet doctrina, quam docet Molina tomo 2. de *Iustitiâ* disp. 109. cum quibusdam Recentioribus, & noster Polancus in Appendice. fol. mihi 116. quamque videtur etiam tenere Caietanus, & Sotus citati. Nauarrus c. *Inter verba*. Coroll. 48. numero 22. & Coroll. 60. numero 64. & In *Summâ* cap. 18. numero 34. & cap. 24. numero 10. circa finem. Couarr. suprà §. 5. numero 4. quando scilicet damnum est tale vt teneatur quis ex Iustitiâ, aut ex charitate crimen proximo imminens deferre, non fieri Irregularem deferentem cum protestatione. Ratio est: quia quoties quis obligatur Iure naturali denuntiare, vt in præsenti casu, non est credendum velle Ecclesiam impedimentum Irregularitatis ita locum habet, vt non euitetur præmissâ protestatione: perinde atque de Concionatoribus; & Confessarijs diximus c. præcedenti. Quæ doctrina amplius explicabitur ex dicendis posteà de Testibus in causâ sanguinis. Ita etiam Suarius sect. 2. numero 15. Reginald. numero 129. Salon 2. 2. q. 68. art 1. controuers. 3. Auila dub. 11. Coninc numero 94. Filiucius numero 249. iterum Molin. disp. illa 8. numero 9. & alij apud Sayr. cap. 18. numero 12.

Quamuis præcedentem doctrinam absolutè loquendo veram iudicet Author.

Placet tamẽ ipsi in casu contrario.

Ratio.

724. Quæret 4. an qui clamet furem adesse domi, nihil aliud intendens, quàm, vt capiatur, & comprehendatur fiat Irregularis ex eo quòd posteà captus occidatur, aut mutiletur?

Quæres 4.

725. Respondeo, quod attinet ad occisionẽ seu mutilationem prouenientem ab ijs, qui concurrerunt, iam diximus cap. 2. non fieri Irregularem, quando protestatus est, & solùm clamauit in eum finem, vt res suas defenderet. Idem nunc dicendum est de aduocante suo clamore ministros Iustitiæ, qui comprehendant furem. Si enim protestetur, liberabitur ab Irregularitate, docentque Nauarrus numero 227. Rodriguez c. 165. tum enim gerit vicem denuntiatoris: denuntiatori autem concessum est cum protestatione denuntiare in causâ propriâ. Quam sententiam teste Syluestro *Homicidium* 2. q. 17. tenet Panormitanus c. Significasti el. 2. de *Homicidio* super quem locum legi possunt Felinus; & Hostiensis, qui hoc ipsum videntur docere estque communis sententia Recentiorum, quos loco notato retulimus.

Resp.

726. Quæret aliquis 5. an excusetur ab Irregularitate

Quæres 5.

gularitate accusator, quando Iudex contra Iustitiam condemnat ad mortem malefactorem?

Resp. 727 Respondeò excusari siue præmittat protestationem, siue non præmittat; nam, quoties crimen non est dignum morte aut mutilatione, propter solam accusationem non censetur accusans causa mortis, aut mutilationis; & quidem positâ protestatione est communis sententia: quando autem in capite 2. de Homicidio in 6. dicitur non fieri Irregularem præmissâ protestatione *Si Iudex mortem inferat iustitiâ exigente*, non ideo significatur fieri Irregularem; quando contra Iustitiam mortem inferat; sed solùm ea verba posuit ad declarandum, quòd etiam Iustitia exigat mortem, eaque inferatur, non censeatur sufficiens causa ad Irregularitatem inducendam ea accusatio cum protestatione; nam, quando Iustitia non exigit, multò minus censetur causa mortis aut mutilationis accusator. Solum ergo illa verba posita sunt, quia Ius vtique supponit Iudicem non illaturum mortem, nisi Iustitiâ exigente.

728 Quod autem non sit tunc necessaria protestatio, facile est probare; quia reverà delinquens non meretur mortem, & hoc constabat accusatori, vt supponimus; atque adeò accusatio non fuit in causâ sanguinis, nec debuit, aut potuit præsumere sequuturâ mortem. Vnde nec censetur causa moralis illius mortis. Ita Couarrub. citato. §. 5. num. 3.

Quæres 6. 729 Quæret aliquis. 6. an, quando quis accusauit reum de leui crimine, fiat Irregularis, si postquàm reus est incarcerem coniectus, alij illum accusent de grauioribus criminibus, propter quæ iustæ adiudicetur morti.

Ratio 730 Respondeo, non fieri Irregularem, quia talis mors non videtur imputanda propriè accusatori de leui crimine. Ita Sayr. suprà numero. 6. Vgolinus. capite 6 §. 4. Couarrub. suprà Auila dub. 9. Henriquez, & alij locis citatis.

Quæres. 7. 731. Quæret aliquis. 7. an ex obliuione omittens protestationem in causâ sanguinis, fiat Irregularis?

Resp. *Ex obliuione omittentem protestationem in causa Sanguinis fieri Irregul.* 732 Respondeo fieri. Ita Sayrus suprà. numerò 3. & alij, quamuis enim in eo casu non peccet, Irregularitas non excusatur, nam hæc non solùm incurritur ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis, qui defectus agnoscitur esse quoties quis non curauit, aut non meminit protestationem præmittere.

Quæres. 8. 733 Quæret aliquis. 8. quâ ratione facienda sit protestatio, & apud quem.

Resp. 734. Respondeò faciendam coram Iudice, apud quem accusatur reus, cui accusator dicat se petere, vt sibi curetur satisfactio, vel restitutio exhiberi à tali homine, qui ei damnum intulit, protesteturque se nullâ ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem. Ita colligitur ex sępe citato capite 2. de *Homicidio*. in 6. Non sufficiet autem, si quis tantū dicat *pro meum interesse*, & nihil aliud addat, hæc enim non est expressa protestatio. Constat autem ex capite citato requiri expressam protestationem.

Quæres 9. 735 Quæri potest 9. an protestatio fieri debeat in scriptis?

Resp. 736 Aliqui putant debere fieri eo modo, quo accusatio. Vnde, si hæc fiat in scriptis, illam quoque debere esse in scriptis. Hoc tamen nullo Iure probatur. Ideò non puro necessarium. Accedit, quòd quando jus Scripturam requirit solet hoc exprimere, vt patet ex c. 1. de *Sent. Excom.* in 6. Legatur Vgolinus de *Irregularitate* cap. 6. § 7. *Protestationem non debere fieri in Scriptis.*

737 Ex his constat non sufficere protestationem solum animo conceptam, sed requiri externam, & hanc sufficere vt suprà dictum est.

738 Quæret aliquis. 10. an requiratur, & sufficiat protestatio non solum in Clerico sed in Laico? *Quæres* 10.

739 Respondeo affirmatiuè iuxta dicta quâuis enim Textus loquatur de Clericis, doctrina, vt diximus intelligenda. Est etiam de Laicis. Ita Nauarrus suprà. Vgolinus. cap. 6. § 4. Suarius disp. 47. sect. 2. numero 6. Coninc dub 10. num. 93. Molina tomo 4. disp. illa. 74. numero 248. & alij communiter. Legantur quæ diximus in principio huius capitis. *Resp.*

740 Quæret aliquis. 11. an qui consulit alteri, vt accuset, vel denuntiet (cum protestatione tamen) in casibus permissis accusare, aut denuntiare sub protestatione, incurrat Irregularitatem ob huiusmodi consilium, si mors sequatur. *Quæres* 11.

731. Respondeo non incurrere; quia sicut accusans in eo casu cum protestatione non fit Irregularis; ita nec consulens. Sic Paulus Comitol. lib. 6. q. 59. Filiucius Tract. 19. cap. 9. q. 9. numero 249. *Resp.*

742 Quæret aliquis. 12. an tota vniuersitas, cuius Procurator vel Syndicus ab ipsâ constitutus, aliquem accusar, incidat in Irregularitatē propter accusationē Procuratoris, seu Syndici? *Quæres* 12.

743 Respondeo communitatem, vt communitas est, non incidere, quia non est capax Ordinis, subiectum autem Irregul. debet esse capax ordinis & cōmunitas non est persona vera; sed ficta, & corpus fictum, vt recte notat Abbas in capite *Dilectus.* 2. numero 11. Singulæ verò personæ illius, si constituerunt Procuratorem ad accusandum suo nomine, incurrunt Irregularitatem; nam quæ ille agit, vt procurator, nomine illius communitatis agit; atque adeò communitas censetur sufficienter ad mortem, seu mutilationē concurrere iuxta illud Iuris axioma qui per aliūm facit, per se ipsum facere censetur. *Resp. Communitatem vt sic, non incidere in Irregul.* *Axioma.*

744 Si tamen communitas solùm instituat procuratorem ad petendum suum interessè præmissâ protestatione, non fient Irregulares singulares personæ illius communitatis; quia licitum est per se, vel per Procuratorem cum protestatione accusare delinquentem ad exigendum suum interesse, iuxta sæpe citatum. cap. 2. de *Homicidio*. in 6. Legatur Vgolinus suprà capite 10.

CAP. X.

An testis, & Aduocatus in causâ sanguinis permissâ protestatione sint Irregulares morte vel mutilatione sequuta.

745 ASsero. 1. Testis non obligatus sub mortali ad testificandū, etiam si protestetur *Assertio* 1.

testis non obligatus ad testificandū fit Irregul. morte inde sequutâ. tur, fiet Irregularis morte inde vel mutilatione sequutâ. Est communis sententia Doctorum constatque satis ex c. *Aliquantos* 31. distinctione, vbi (vt vidimus in præcedentibus tam testes, quàm omnes, qui cooperantur ad mortem, vel mutilationem; sunt Irregulares, id quod etiam habetur c. *Si quis viduam* dist. 50. Protestatio verò præmissa non excusat; quia hæc solùm concessa est in fauorē accusatoris, aut denuntiatoris, non testis, & meritò; quia illa res propria defendit, & ad hoc illi permissa est protestatio; hic verò testimonium fert pro alienis. Ita Couarr. 2. p. §. 5. numero 5. Henriquez c. 12. numero 3. Rodriguez cap. 165. conclus. 9. Bonacin. disp. 7. q. 4. puncto 3. Vgolinus de *Irregularitate* cap. 7. numero 2. & 4. Maiol. lib. 2. cap. 8. Suarius disp. 47. sect. 3. numero 2. Nauarrus cap. 27. numero 212. Filiucius num. 254. & 257.

Quod si sub mortali tenetur ad testificandum probabile est non fieri Irregul. si protestetur. Ratio. 746. Si verò sub peccato mortali tenetur ad testificandum, probabile est non fieri Irregularem: si protestetur; sicut enim dictum suprà est, denuntiatorem non incurrere Irregularitatem, quando obligatur ob euitandum graue damnum proximi, eadem etiam probabilitate sentiendum est de teste, quando in simili obligatione existit; sicut enim diximus cum citatis illis authoribus non esse credibile Ecclesiam velle Irregularitate afficere illum quem constat esse Iure Naturæ obligatum ad deferendum; etiam non erit credibile eâdem Irregularitate afficere illum, quem constat Iure naturali teneri ad testificandum, vt quando illi necessarium est ad euitandum graue damnum Proximi. Vide, quæ infrà dicemus de Aduocato in simili casu.

Nec obstat. 747. Neque obstat si dicas Ius id concedere accusatori, non testi; nam Ius positiuum solùm cōcedit hoc pro se rebusque suis, seu ad se pertinentibus; non pro alienis; nunc autem agimus de casu quo siue accusator, siue testis tenetur Iure naturali accusare, vel testificari. Vnde fundamentum Doctorum, qui id concedunt in accusatore, non est illa permissio Iuris de quâ fit mentio in c. illo 2. de *Homicidio* in 6. sed; quia non est credibile Ecclesiam imposuisse id onus facienti id, quod tenetur Iure naturali; quâ etiam ratione diximus de Confessario monente, aut hortante pœnitentem Iudicem ad exequendam sententiam in casu, quo Confessarius ad id tenetur. Confirmatur vlterius; quia, *Confir. 32.* si Papa præcipiat alicui, vt testimonium ferat in causâ quâdam sanguinis, non fieret Irregularis; ergo, nec, quando Deus ipse præcipit, quod contingit quando Ius naturæ abligat. Confirmatur vlterius: quia probabile est non esse Irregularem, qui in defensionem propriam, ac Reipublicæ, vel tertiæ personæ alium occidit: ergo neque quando in talibus, & similibus casibus testimonium fert, & non iam armis, vel testimonio suo defendit Innocentem, quando Iure naturæ defendere tenetur.

Aduertendū. 748. Aduertendum verò est, non quoties cūque Iudex compellit ad testificandum in foro exteriori, compulsionem illam esse sub obligatione mortalis; imò rarò hoc contingit sic Gofredo in *Summâ* & titulo de *Testibus cogendis*. Hostiensis in *Summâ* eodem titulo & Immola in c. *Delictorum* eodem titulo & iuxta Praxim Romanam nemo compellitur ad testificandum in causâ criminali, quod intelligitur, nisi sit crimen Hæresis secundum Archidiaconum & Ioannem Andream in cap. 1. eodem titulo. Nauarrus tamen limitat doctrinam Hostiensis, & prædictam praxim c. *Inter verba* Coroll. 63. scilicet non compelli à Iudice in casu, quo testi graue damnum sequeretur ex suâ testificatione; tunc enim non posset compelli sub mortali, si alias non obligabatur Iure Diuino aut naturali. Sanè graue damnum censetur ipsamet Irregularitas sine alio damno extrinseco in eo, qui esset in via ad ordines, vel haberet spem obtinendi beneficium, cùm ad vtrumque inhabilem reddat Irregularitas, vnde tunc non tenebitur.

759. Sæpè tamen obligatur testis ad testificandum imò quoties quis tenetur denuntiare, & accusare, tenetur testificari. Quâ de re legi potest Caietanus 2. 2. q. 70. art. 1. & latè Nauarrus in c. *Inter verba* Coroll. 63. huiusmodi autem delicta sunt, quæ in perniciem publicam vergunt, vel in damnum graue tertiæ personæ, vt benè Sotus de *Sigillo* membro 2. q. 4. dubio post secundam conclusionem. In alijs verò nemo tenetur se offerre, nisi a Iudice compellatur iuxta D. Thomam 2. 2. q. 70. art. 1. *Sæpe obligatur testis ad testificandū.*

750. Ex quo etiam infertur Clericum non posse cogi ad ferendum testimonium in causâ sanguinis contra reum; quia testis in causâ sanguinis multum cooperatur ad mortem alterius in Iudicio, & non licet Clerico ad mortem alterius in Iudicio cooperari. c. *his à quibus* dist. 23. q. 8. Ergo Clericus non potest cogi ad ferendum testimonium, quod ferre non licet. *Infertur clericum nō posse cogi ad ferendum testimonium in causa sanguinis.*

751. Quamuis autem contra reum non possit cogi; in fauorem tamen rei potest testificari de licentiâ Episcopi, vel eius vicarij, quod nullo Iure prohibetur.

752. Quæret tamen aliquis; an fiat Irregularis Clericus ferens testimonium in fauorem rei, quando mors sequitur accusatori, eo quod reus testimonio illius Clerici reperiatur innocens & accusator probetur calumniator, ac ænâque talionis puniendus? *Quæres.*

753. Respondeo non incurrere quia mors accusatoris, respectu Clerici testificantis in fauorem rei per accidens sequitur ex ipsius testimonio; nam tale testimonium per se ordinatum est ad manifestandam accusati innocentiam, & ad illius defensionem. Ita Bernardus Diaz quem refert Vgolinus cap. 7. numero 7. Auila dub. 13. Sayrus lib. 6. cap. 18. numero 11. Suarius disp. 47. sect. 4. numero 9. Filiucius numero 257. *Resp.*

754. Quamuis verò testis, cuius dicto; mors sequuta fuit, fiat Irregularis; nisi in casu prædicto tamen, quando ipsius assertio nihil pro fuit; sed Iudex alijs probationibus suam sententiam tulit ad capiendum vel puniendum reum &c. non incurrit testis Irregularitatem. Ita Vgolinus c. illo 7. ad finem num. 4. Nauarrus de *Homicidio* lib. 5. cons. 18. *Testis non fit irregul. quando assertio ipsius nihil profuit.*

755. Ex dictis etiam infertur neque aduocatū, qui causā rei suscipit, fieri Irregularē, quādo propter ipsius defensionē ita liberatur reus, & innocens declaratur, vt sequatur mors, vel muti- *Infertur.*

latio accusatoris, tanquàm calumnitoris, ea enim mors vel mutilatio per accidens sequitur ex tali defensione aduocati, per se autem prouenit ex calumniâ ipsius accusatoris. Ita Molina Tract. 3. de *Iustitiâ* disp. 74. numero 11. Suarius disp. 47 sect. 4. numero 6. Filiucius suprà. Vgolinus c. 9 §. 5. ad finem.

Aduocatus cuius culpâ reus fuit morti adiudicatus fit Irregul.

756. Quod si Aduocatus ita defendit reum, vt simul petierit & obtinuerit, vt accusator puniatur pœnâ talionis, quæ sit Sanguinis, Irregularis fiet, censetur enim causa illius, neque illi proderit protestatio; quia non agitur de rebus ipsius, nec de solâ defensione rei: sed expressè petit pœnam accusatori infligendam.

757. Idem omninò est, quando aduocatus iniustè defendit reum, & ob iniustam ipsius defensionem sequuta est mors vel mutilatio accusatoris; tunc enim iniusta ipsius actio censetur causa Damni inde prouenientis, id est mortis, vel mutilationis; atque adeò reus est Irregularitatis ex delicto,

758. Si tamen bonâ fide eam defensionem fecit credens accusationem esse iniustam, sicut propter bonam fidem excusabitur à delicto, excusabitur etiam ab Irregularitate. Ita Suar. suprà Filiucius num. 257. & alij.

759. Vtrum autem Aduocatus Irregularis fiat, quando reus propter imperitiam, seu negligentiam ipsius Aduocati fuit morti adiudicatur, quam euasisset; si aduocatus munus suum ritè obiuisset? aliqui non audent decernere, respondeo tamen incurrere; quia mors imputatur ipsius culpæ, perinde atque dicemus de medico, ex cuius omissâ debitâ diligentiâ sequitur mors ægroti. Ita Nauarrus cap 27. numero 228. Vgolinus cap. 9. §. 1. numero 4. Suarius suprà. Filiucius numero 257. & alij communiter.

Assertio 2.

760. Assero 2. Aduocatus vel Procurator accusatoris, si sequatur mors, aut mutilatio accusati, Irregularis fit. In quo omnes conueniunt; censetur enim causa mortis vel mutilationis; neque excusatur (sicut neque Syndici, aut Fiscales) protestatione præmissâ. Ita Couarr. p. 2. §. 5. Henriquez cap. 12. numero 8. Suarius disp. 47. sect. 3. Auila suprà dub. 12. Filiucius Tract. 29. numero 257. Reginaldus lib. 30. n. 533. Vgolinus cap. 6. §. 9. & cap. 9. vbi plures alios refert.

Ratio.

Ratio est; quia prædicti omnes non excipiuntur à Iure, vt euadant Irregularitatem per protestationem, quam solùm decernit prodesse accusanti, seu denuntianti pro se rebusque suis, vt vidimus in c. *Prælatis* 2. de *Homicidio*. Cum ergo prædicti omnes Officiales pro rebus alienis agant, non censentur liberari protestatione.

Prædicti officiales quandoque ab Irregul. excusari possunt.

761. Quamuis autem hucusque dicta vera sint, non negauerim quin prædicti officiales excusari possint, tùm quando ex metu graui coguntur officium suum præstare; sicut enim grauis metus excusat ab incurrēdis Censuris, & alijs pœnis iuxta dicta disp. 2. dub. 24. sub circumstantijs ibidem explicatis, idem videtur esse de Irregularitate dicendum. Ita Maiol. lib. 2. c. 8. & alij plures, quos suppresso nomine refert Coninc. disp, 18. numero 96. quamuis contrarium doceant non improbabiliter Henriquez c. 12. numero 9. Vgolinus suprà cap. 7 numero 3. Auila suprà . dub. 12. Suarius suprà numero 8 Filiucius numero 154. Sanè quando non agitur directè de causâ sanguinis; sed de alterius interesse, multi probabilior videtur sententia Maioli, & quidem non satis percipio cur censendus sit Irregularis, qui videns sibi mortem imminere, nisi verum testimonium ferat, quod alioqnin licitè possit ferre, illud tulit; neque enim censetur in eo defectus lenitatis cùm in eo testimonio ferendo sic coactè, sibi prospicere, non alteri officere intendat; nec censetur Ecclesia velle vt eum tanto sui dispendio abstineat à ferendo testimonio, alioquin verò, & iusto, vt supponimus.

Authoris Iudicium.

Aduocatus non incurrit Irregul. quando Iure naturæ tenetur exercere munus Aduocati.

762. Sicut etiam de teste diximus probabile esse non incurrere Irregularitatem; quando Iure naturæ tenetur sese offerre ad testandum; ita de Aduocato videtur dicendum, quando Iure naturæ tenetur exercere munus Aduocati, neque enim credendum est, vt dicebamus, velle Ecclesiam Irregularitate afficere ex eo, quòd quis præstet id, ad quod tenebatur Iure naturæ neque merito censetur defectus Lenitatis in eo, qui solùm prestat, quod secundum legem Dei non potest excusare.

Ratio.

Accedit.

763. Accedit, quod accusatori concessum est priuilegium accusandi pro suo interesse, quod priuilegium sæpè redderetur inutile, si nec testem, nec Aduocatum posset inuenire; quia hi non auderent tale munus obire territi Irregularitate, quam incurrerent; atque adeò accusator nihil probare posset; nihilque obtineret: ergo saltem, quando Iure naturæ debent testis, & aduocatus actoris parti testimonio, seu patricinio fauere, non incurrunt Irregularitatem, neque id censetur velle Ecclesia. Ita videtur sentire Coninc. Molina, Auila, Filiucius, & alij locis citatis.

Obijcies.

764. Obijciet tamen aliquis Iudex incurrit Irregularitatem ferendo sententiam sanguinis, etiamsi ex officio teneatur sententiam ferre; item Tabellio, Aduocatus, Procurator, alijque ministri, qui deputati sunt ad causas sanguinis, fiunt Irregulares etiamsi cogantur per metum ad præstandum ea munera, quæ tenentur ex officio; ergo etiam testis fiet Irregularis, etiamsi per metum grauem cogatur. Item Aduocatus, qui non ex officio (quia non est ex deputatis in Republicâ ad hoc) sed Iure naturæ; quia non est alius, qui possit, aut velit patrocinium suscipere in casu necessitatis, etiam incurret suscipiendo patrocinium.

Resp.

765. Respondeo negando paritatem, nam Iudex, & alij officiales voluntariè sese offerunt ad hæc munera prestanda in causâ sanguinis, quod non contingit in nostris casibus. nam testes, & ille aduocatus non deputatus ex officio non se ingesserunt voluntariè; nec susceperunt tale onus; sed sola obligatio Iuris naturalis illos adstringit.

CAP

CAP. VI.

Opinio aliquorum.

An Inquisitores, & alij similes Iudices fiant Irregulares tradendo reos sæcularibus Iudicibus puniendos, & instando pro exequutione sententiæ sanguinis?

766. NOn desunt, qui putent non tantùm posse Inquisitores reos tradere occidendus Iudicibus sæcularibus; sed etiam instare vt occidant. Ita Felinus c. *Ad abolendum* de *Hæreticis* in fine Hostiensis c. *Ad audientiam* de *Homicid.* in fine Armilla verb. Irregularitas num. 24. Tabiena *Irregularitas* 3. numero 15. Medina c. 10. § 11. Auila, Henriquez, Bonacina, & alij citandi.

Assertio 1. Inquisitores non fiunt Irregul. tradendo reos brachio sæculari. Ratio.

767. Asserendum est primò Inquisitores non fieri Irregulares tradendo reos brachio sæculari: quia Ius positiuum, per quod inducta est Irregularitas, hoc illis concedit; ergo non incurrunt, patet in c. *Ad abolendam* de *Hæreticis* estque certissima, & recepta sententia, quam tenent communiter Theologi, & Canonistæ, constatque ex praxi eamque à fortiori admittent Authores nuper citati, cum quibus sentiunt Auila 7. p. disp. 5. sect. 2. dub. 2. §. *Sequitur* 2. Henriquez c. 12. numero 5. qui duo addunt non fieri Irregulares etiamsi nullam addant protestationem, idem docet Bonacina disp. 7. q. 4. puncto 1. num. 27. cum pluribus alijs quos refert. Doctrinam verò totam extendit Auila etiam ad alios Iudices, qui non fient Irregulares ex eo, quòd tradant brachio sæculari reos puniendos. Probatur ratione generali, quam tradit Couarr. p. 2. §. 5. numero 6. quia Inquisitores (& idem est de alijs Iudicibus) verè, & ex animo Iudicis sæculares rogant. vt misericorditer se gerant cum illo Vnde quando illum tradunt solùm declarãt se functos fuisse officio suo, & Hæreticum tanquàm incorrigibilem dimittere à propriâ iurisdictione. Quæ ratio (inquit Auila) non solùm habet locum in Inquisitoribus; sed etiam in alijs Iudicibus Ecclesiasticis; quia per prædictam protestationem liberãtur ab Irregularitate, vt patet ex c. *Nouimus* de *verbor. Signif.* vbi dicitur quòd quãdo prælatus tradit brachio sæculari Clericum degradatum, ea traditio sic intelligitur, quòd Iudex sæcularis recipiat eum in suum forum, &c, quòd Prælatus efficiater intercedat pro eo, vt non occidatur. Accedit, quòd Inquisitoribus solùm est probibita exequutio mortis. vt notauit Medina lib. 1. *Summa.* cap. 11. §. 10. Regula 4. &, habetur ex quâdam Bullâ Pauli 4. concessâ Cardinalibus 19. Aprilis anno 1557. & habetur in Iudiciali Inquisitorum fol. 474. quam Pius V. firmauit, & extendit ad omnes Inquisitores, eorumque vicarios commissarios, & consultores.

Probatur ratione generali habente locum etiam in alijs Iudicibus

Assertio 2.

768. Assero 2. Inquisitores Irregulares fieri, si instent Iudici sæculari, vt reum sibi traditum occidat. Ita Couarr. & alij in qq. Castro Palao in opere morali vbi illum refert tom. 1. Tract. 4. disp. 8. puncto 14. numero 10. Ratio verò in eo quidem Iudice efficax est, quia illis tantùm conceditur potestas relaxandi reos brachio sæculari, sine Irregularitate; non tamen instandi, vt puniantur, imò potiùs cum hac formâ, vt pró illis intercedant, ne occidantur iuxta citatum c. *Nouimus* de *verbor. Signif.* cuius formæ ibi Inquisitoribus præscriptæ meminit Directorium Inquisitorum relatum à Perez lib. 8. Ordinaio tit. 4. lege 3. ergo; nisi hanc formam intercedendi seruent Inquisitores, fient Irregulares. sicuti Clericus accusans sine protestatione, nam hæc rogatio, seu intercessio est quædam, quasi protestatio, & ita eam appellant Couarr. & Perez. Nec video quâ ratione Auila probans non esse Irregulares Inquisitores; quia rogant, vt misericorditer se gerant sæculares Iudices cum reo, & quòd efficaciter intercedant, vt non occidatur; posteà dicat inde sequi; *quod si Iudex Sæcularis differat exequutionem possunt Inquisitores absque metu Irregularitatis instare quòd exequatur sententiam.* Si enim ex animo rogant, vt non occidatur, quomodò cohæret, quòd simul instare possint, vt occidatur. Itaque non video probabile fundamentum oppositæ sententiæ.

Ratio efficax

Ratio Auilæ in contrariû non placet Authori.

769. Et quamuis Suario videatur disp. 47. in eo c. *Nouimus* non satis clarè significari obligationem illius intercessionis, tandem sect. 1. illius disputationis numero 12. significat esse probabiliùs necessariam esse addi illam intercessionem ad vitandam Irregularitatem. Et deinde cum Couarr. docet ita esse seruandum propter citatum Ius, quod ita videtur consuetudine interpretatum. Quomodò ergo fieri potest, vt debeat Iudex Ecclesiasticus intercedere, ne occidatur, & simul instare, vt occidatur quod profectò esset nugatoriè agere. In quo etiam displicet Diana in sui, eruditis resolutionibus 4. p. Tract. 8. Resol. 51. Qui contra Couarr. & alios cum Barbosâ & alijs citatis in princio, huius capitis contendit posse Inquisitores instare modo prædicto, vt Iudex sæcularis exequatur, neque ex Bullis citatis id rectè infert; ibi enim solùm conceditur, quod quomodocunque ad Hæreticorum condemnationem concurrant, non incurrant Irregularitatem. Aliud autem est ad condemnationem concurrere, aliud verò executionem vrgere.

CAP VII.

An Clericus peccet mortaliter deliberatè exercens id, propter quod fit Irregularis? &, quæ sit materia Irregularitatis ex defectu lenitatis?

770. INcipiendo ab hoc vltimo placet mihi doctrina Suarij disp. 47. sect. 5. 6. & 7. Irregularitatem ex defectu lenitatis tantum incurri in Homicidio, seu mutilatione authoritate publicâ factis, de quibus dictum est. Item in belló iusto, de quo posteà dicemus, nullamque aliam esse ex defectu Lenitatis; nam Irregularitas, quam incurrunt Medici, Chirurgi, aut Infirmarij, non est, nisi ex imperitiâ, negligentiâ, aut temeritate culpabili. Vnde ad homicidium casuale pertinet. Hoc supposito.

Suarij doctrina quoad materiam Irregul. ex defectu lenitatis placet Authori.

Assertio 1. *Ratio.*

771. Assero 1. ratione Irregularitatis, præcisè loquendo, non peccat mortaliter Clericus faciens opus ob quod incurrat Irregularitatem, vt rectè probat Caietanus in *Summa* verbo *Irregularitas*, quia non tàm est facere opus, ob quod priuatur quis perceptione Sacramentorum, & ordinis susceptione, quàm, ob quod priuetur vsu ordinis; sed hoc præcisè non inducit peccatum mortale, vt patet tùm in Excommunicatione minori, tùm eo, qui suscipit officium Iudicis, tùm in eo, qui ducit viduam. Vnde etiamsi Clericus dicat deliberatè Carnifici perfice statim, & ob id Irregularitatē incurrat, non ex eo præcisè mortaliter peccabit; quia nō ratione Irregularitatis, vt dictum est, nec ratione præceptis; quia licèt præceptū sit Clericis, ne se immisceant in causâ sanguinis; tamen materia hæc nimis leuis apparet, solùm enim id dicere Carnifici non videtur peccatum mortale; nec id est grauiter se immiscere in causâ sanguinis.

Assertio 2.

772. Assero nihilominus 2. ratione prohibitionis, quando materia est grauis, aut ratione damni sequuti potest Clericus in eo facto peccare mortaliter. Primum patet in eo, qui admitteret; aut exerceret officium Iudicis, aut Aduocati in causâ sanguinis, est enim hoc prohibitum Clericis in Iure, vt vidimus. Secundum verò constat in eo, qui cùm sit Parochus, fit Irregularis. ex quo contingit graue damnum sequi gregi suo. Legatur Henriquez suprà c. 12. numero 9. litera T.

C A P. VIII.

An Iudex, qui plures actus exercet, sæpiùs incurrat Irregularitatem? & exercens officium Iudicis ex eo præcisè fiat Irregularis?

Circa primū Notandum.

773. CIrca primum tribus modis potest intelligi Iudex sæpiùs exercere actum Iudicis in causa sanguinis; primò sæpiùs reum condemnandò ad mortem, vel mutilationem eandem, vt, si propter diuersa delicta diuersis iudicijs, & libellis probata diuersis & separatis sententijs hominem damnaret ad mortem, vel ad mutilationem. Secundò, si damnaret eundem ad diuersas mutilationes, vt ad præcissionem manus, ad eruendos oculos. Tertiò damnando diuersos reos.

Assertio 1.

774. Asserendum est 1. ex eo præcisè quòd plures actus exerceat condemnando reum ad mortem, vel mutilationem, non plures Irregularitates incurrit. Ratio est; quia Irregularitas non est imposita pro singulis actibus præcisè, sed pro mutilatione vel morte, quæ, si semel tantùm fiat, vnam tantùm inducet Irregularitatem; sicut, quando quis sæpiùs attentauit Clericum percutere; semel tamen de facto percussit, semel etiam incurrit excommunicationem. Ita Vgolin. cap. 5. §. 9, & alij.

Assertio 2.

775. Asserendum est 2. Iudex, vel eius minister simul effodiens oculos, amputans manum, & similes pœnas infligens reo, vnam tantùm Irregularitatem incurrit, nam illa omnia reputantur vnica actio, aut mutilatio, sicuti in simili dictum est de percutiente vnum, & eundem Clericum sæpiùs successiuè in eodem congressu.

Assertio 3.

776. Asserendum est 3. si Iudex condemnat reum ad diuersas mutilationes; seu ad mutilationem in vno tempore non solùm physicè; sed moraliter diuerso ab alio, in quo exercenda est alia mutilatio, vel occisio, ad quam etiam illum condemnat, toties Irregularitatem incurrit, quoties prædictæ sententiæ exequutioni mandantur. Vnde si Iudex. v. g propter delictum Toleti commissum condemnet reum, vt in quâdam die solemnis concursus manus illi amputetur in publico foro; deinde, vt aliâ die Matriti eruantur oculi propter delictum ibi commissum deinde, vt alia die Compluti in furcâ strangule- tur, ter videtur Irregularitatem incurrisse; quamuis enim eodem libello, & per modum vnius sententiæ hæc tria Iudex mandauerit, ea tamen sententia æquiualet tribus diuersis, quarū quælibet Irregularitatem ex defectu lenitatis inducit, & est naturâ suâ separata exequutio vnius ab exequutione alterius. Nec video quâ ratione prædicta moraliter coniungantur, vt vnum quid esse videantur.

Iudex ratione eiusdem sententiæ potest varias Irregul. incurrere.

Maior difficultas.

777. Difficilius apparet; an condemnans plures ad mortem vnicâ sententiâ plures Irregularitates incurrat?

Resp. Bonacina.

778. Bonacina disp. 7. q. 4. puncto 1. numero 26. probabile putat vnam tantùm Irregularitatem incurrere. Probabilius tamen mihi videtur oppositum cum Vgolino suprà. Ratio est; quia Irregularitas non incurritur per ipsam Iudicis sententiam secundum se præcisè consideratam; sed secundum effectum, quem habet ita, vt sola sententia, vt posteà dicemus, non sufficiat, nisi exequutioni mandetur; exequutio autem talis sententiæ non est moraliter vna exequutio, sed plures; exequutio enim debet fieri per plures occissiones, quorum quælibet physicè & moraliter est distincta ab aliâ & perinde censetur vnicâ sententiâ, quoad verba plures mactandos decernere; ac si pluribus, & diuersis, sicut, si iniustè condemnet, plura peccata Homicidij committet, & illa sententia iniusta æquivalet pluribus Homicidijs.

Oppositum probabilius videtur Authori. *Ratio.*

Circa secundum Assertio. *Ratio.*

779. Circa secundum, quod quæ, ebriamus asserendum est exercendum in criminalibus officium Iudicis absque vllâ sanguinis, seu mortis, vel mutilationis sententiâ non esse Irregularem; nullus enim adest defectus lenitatis; neque vllo Iure probari potest ex alio capite Irregularitas. Ita Filiucius numero 239. contra Maiol. lib. 2. cap. 6. numero 3. sicut neque etiam lata sententia; sed non exequutioni mandata.

CAP. IX.

De Irregularitate, quæ contrahitur ob bellum iustum, vel iniustum.

Assertio 1. occidens propria manu in bello etiam iusto fit Irregul.

780. ASsero primò quicunque propriâ manu in bello occidit, etiamsi bellum sit iustum, Irregularis efficitur, est communis sententia Doctorum, constatque ex c. *Petitio tua* de *Homicidio* & ex c. *Si quis* dist. 51. Hoc autem est discrimen inter mutilantem, vel accidentem in

Discrimen

inter mutilantem, &c. in bello iusto & iniusto. in bello iusto, & in bello iniusto, quòd in bello Irregularis efficitur ex defectu perfectæ lenitatis, idque sine peccato, si laicus sit; in bello autem iniusto incurrit Irregularitatem ex delicto, & iniustâ deformatione, aut occisione, de quâ postea dicemus.

Assertio 2. In bello iniusto etiam exhortantes, vel iuuantes, fiunt Irregul.

781 Assero. 2. quando bellum est iniustum, non tantùm, qui occidunt, vel mutilant, fiunt Irregulares; sed etiam ij, qui ad præliandum in tali bello exhortantur, vel iuuant consilio vel auxilio gubernando naues ministrando arma instante bello, Denique quomodocumque fit quis causa moralis mortis, aut mutilationis, vel accelerationis earum: est enim Homicidium iniustum. *Ratio.* Ita Innocentius, Hostiensis, Panormitanus, & alij in capite *Petitio tua.* citato Villadiego de *Irregularitate.* capite de *Homicidio.* Syluest. *bellum*, 3. q. 3. & *Homicidium.* 3. q. 7. Nauarrus capite 27. numero 216 & 234. Couarrub. 2. p. §. 3. numero 2. Suarius disp. 47. sect. 5. sumiturque ex capite *Sicut dignum.* §. vltimo de *Homicidio.* & capite *Quod in dubijs.* iunctâ glossâ. Ait verò Suarius, quem aliqui sequuntur omnes commilitantes in bello iniusto, si sequatur mors, aut mutilatio, fieri Irregulares ita, vt, si sequatur mors in hostibus, sit cooperatio ad Homicidium voluntarium; si verò sequatur in aliquo de suo exercitu, sit cooperatio ad Homicidium casuale. Legatur Henriquez lib. 14. c. 13. §. 3.

Exceptio. 782 Quæ dicta sunt, non habent locum in eo, qui tantùm assisteret ibi pro tractatione pacis inter hostes, vel, vt tantùm in spiritualibus iuuet; tunc enim non censetur causa moralis mortis.

Assertio 3. 783 Assero. 3. pugnantes in bello iusto tantùm fiunt Irregulares, quando propriâ manu aliquem occidunt, vel mutilant, non verò alij, siue laici, siue Clerici. Vnde, qui suâ præsentiâ in bello iusto pugnantibus animum addiderunt, aliudvè auxilium præstiterunt, neminem occidentes, aut mutilantes, licèt fortè vulnerauerint, non fiunt Irregulares. Ita habetur citato capite *Petitio tua.* de Homidio, videturque esse speciale noui Iuris priuilegium concessum, ne homines metu Irregularitatis absterreantur à bellando in bello iusto, vt notauit Molina tomo. 1. de *Iustitiâ.* Tract. 2. disp. 110. & Tract. 3. disp. 73. Auila. p. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 2. Colligiturque ex citato. c. *Si quis.* dist. 51. Legatur Henriq. suprà, tùm capite 12. §. 4: tum capite 13. numero 1. & 2. vbi plures Authores refert. Quibus adde Vgolinum. capite 12. §. 2. Sayrum capite 19. numero 3. Suarium disp. 47. sect. 6. numero 8. Filiucium. nu. 269. & 274. Reginaldum lib. 30. Tract. 2. numero 265.

Ex dictis Collige. 784 Ex dictis fit, quòd siue Tractatores pacis siue venientes ad iuuandum in spiritualibus in bello etiam iniusto, siue ij, qui adsunt auxiliaturi in bello iusto inuadantur ab hostibus, & ad necessariam sui defensionem inuasores occidant, non sint Irregulares iuxta dicenda in sequentibus. Idem puto, si hoc faciant ad iustam defensionem alterius, vel potius in casu, quo ex præcepto tenerentur proximum defendere; tunc enim, iuxta dicta in præcedentibus, non est credibile velle Ecclesiam illos Irregularitate afficere.

785 Nonnulli tamen distinguunt inter eos, qui veniunt ad bellum iustum animo pugnandi, aut tantùm assistendi & iuuandi non pugnando propriâ manu, & de his dicunt non incurrere Irregularitatem, si inuasi inuasores occidant ad necessariam sui defensionem. De illis verò putant fieri Irregulares; quia procedens ad bellũ intentione pugnandi voluntariè se exponit periculo homicidij, & saltem in causâ vult homicidium, & consequentur, secuto homicidio, incurrit, quæ à Iure imposita est propter homicidium volitum in se directè vel in causa. ita Rodriguez. 1. p. capite 172. Suarius disp. 47. sect. 5. Filiucius numero 263. & alij Recent. quæ doctrina probabilis est. *Nonnulli distinguunt inter eos qui ad bellum iustum veniunt animo pugnandi, & qui mutant animo assistendi.*

786 Probabilius tamen puto non fieri Irregularem, etiamsi venerit animo pugnandi dummodo de facto non pugnet, nisi ad iustam defensionem modo prædicto; nam pugnare ad iustam defensionem in bello iusto licitum est, & circa Irregularitatem vt diximus ex capite *Petitio tua*, quod etiam habetur Clement. *Si furiosus.* Quòd autem voluntariè se exponat periculo occidendi, aut mutilandi non sufficit, vt si posteà inuasus, vt se defendat, occidat, aut mutilet, Irregularitatem incurrat; nam etiam, qui venit animo non pugnandi propriâ manu; sed solùm iuuandi hortatione, aut alio modo pugnantes, per talem assistentiam se exponit eidem periculo occidendi, si necessarium fuerit pro sui defensione: ergo sic se exponere periculo non inducit Irregularitatem, etiamsi mors aut mutilatio sequatur ob defensionem. Confirmatur, & declaratur; quia sola, intentio pugnandi etiam ad offendendum, non sufficit ad Irregularitatẽ; nisi coniungatur intentio cum actu externo alioquin sufficienti: pugna verò, vel occisio, aut mutilatio, quæ de facto tunc fit, solùm est, vt supponimus ad se defendendum; hæc autem actio non inducit Irregularitatem: ergo non est caput. Vnde prædictus fiat Irregularis; præbere autem occasionem hosti inuadendi, talique occasioni se voluntariè exponere, in quâ sit necessarium ad se defendendum pugnare, non facit vt ea actio hîc, & nunc non sit orta ex necessitate defensionis; nam illa assistentia in tali bello iusto non præbuit Ius hosti ad inuadendũ. Vnde tanquàm iniustus inuasor repelli potuit medio ad id necessario. Quod si aliter fieri non potuit; nisi occidendo, vel mutilando, ita fieri potuit absque Irregularitate. Quam sententiam sequitur Auila p. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 1. & 2. & Mercado lib. 6. de contractibus capite 4. Henriq. suprà capite 10. in fine loquentes in simili de eo qui verbis vel factis iniuriando alterum dedit occasionem rixæ, in quâ vidit se exponere periculo occidendi alterum se inuadentem, à quo non posset aliter se liberare. In quo casu ait Marcado, & Auila dub. illo. 1. in fine non incurri Irregularitatem etiamsi, qui se defendit, dederit occasionem, & se exposuerit tali periculo; illa enim iniuria non dedit alteri Ius, vt se propria manu vindicaret, & inuaderet iniuriatorẽ. Vnde potuit inuasus tanquam iniustum inuasorem repellere mutilando, aut occidendo, si aliter non potuit. Quam sententiam probabilem putat in nostro casu Filiucius numero 266. Bonacina *Probabilius tamen putat Author.* *Ratio.* *Confir. & declaratur.*

disp. 7. q. 4. punct. 4. numero 2.

Assertio 4. Clerici in Sacris constituti non possunt per se pugnare sine Superioris licentiâ.

787 Asserendum est. 4. Clericos in sacris non posse licitè pugnare propriâ manu, etiam in bello iusto sine superioris licentiâ, est certa assertio, vt constat ex capite *Clerici*, & capite *Sequenti*. 33. q. 8 & capite *Ex multa*. de *voto*. & docet D. Thomas. 22. q. 4. art. 2. ad 2. Estque peccatū mortale; quia res est grauis; non tamen hoc modo peccant Clerici in minoribus; neque etiam, qui in maioribus in propriam defensionem pugnant: est enim id permissum etiam Clericis, vt videbimus

Quoad Laicos communiter receptum.

788 Quamuis autem, quod attinet ad Laicos receptum sit communiter ab omnibus eum, qui in bello iusto nullum in particulari interfecit, aut mutilauit, licèt exhortatus fuerit, & pugnauerit percutiendo, non fieri Irregularem; quod verò attinet ad personas Ecclesiasticas nō omnes cōsentiunt. Affirmant quidē etiam de ijs non solùm Molina, & Auila citati pro 3 assert. sed etiam Gloss. in capite *sicut itaris*. 7. q. 1. Panormitanus in cap. vltimum, & penultimum de *Clerico percussore*. citatque Hostiensem, item Syluest. *Homicidium*. q. 6. Angelus. *Irregularitas*. 2. nu. 6. Tabiena *Irregularitas*. 3 §. 21. à conclus. 7. vsque ad 10. Armill. ibid. numero 55. Nauarrus numero 255. & 216. Couarrub. 2. p. § 3. numero 2. qui dicit esse communem sententiam etiam quoad Clericos; probaturque ex capite *Petitio tua*, de *Homicidio*, vbi etiam Clericus, qui interfuit, & vulnerauit aliquos in bello iusto non iudicatur Irregularis; nisi aliquem occidisset (Idem iudicium est; nisi mutilasset) ergo doctrina etiam in Clericis habet locum. Vnde eo capite videtur concessum (vt notabam) vt nullus maneat Irregularis; nisi aliquem in particulari occidat; etiamsi se mutuò omnes cohortati fuerint, & iuuerint, multæque neces fuerint secutæ; ne scilicet tanta multitudo Irregularitatem incurreret maximè cum eorum intentio fuerit victoria, non, verò occisio alicuius in particulari, vt rectè probat Henriquez. capite 12. §. 4. Littera. 5. & capite 13 §. 2.

Quoad Ecclesiasticos dissentiunt Authores.

Dictum de Laicis locum habere in Clericis asserunt multi.

789 Limitant verò prædictam doctrinam, vt non habeat locum in Clericis in maioribus Ordinibus. Caldernnus in *Additionibus ad dicta Ioannis Andreæ* in cap. *Petitio*. & Syluest. sibi non constans *Homicidium*. 3. q. 6. particula 6. *nisi vulneraverit aliquem animo occidendi*; quia tunc (inquiūt) si ab alijs occidatur ille, qui vulneratus erat à Clerico, fiet Irregularis Clericus; si tamen non percussit animo occidendi, nec vulnus erat lethale, non fiet Irregularis, licèt postrà ab alio occidatur, & videtur colligi ex capite *significasti*.

790 Hæc tamen limitatio mihi non placet, quia intentio parum refert ad Irregularitatem, vt diximus, si mors ex vi vulneris non sequatur.

Clericus nō fit Irregul: licèt dicat occidite iuxta nonnullos.

791 Limitant præterea Syluest. §. 2. citato & Nauarrus (qui ait esse sententiam communem) nisi Clericus dicat *Occidite, aut mutilate*; sed solùm dicat *viriliter pugnate, vincite*: hoc tamen reijcit Henriquez capite 12. §. littera. *R*. & adducit aliquos pro suâ sententiâ, scilicet Ledesmam, Mancium, & Pegnam, qui sentiunt non fieri Irregularem, etiamsi dicat *Occidite*, nemo maneat viuus; Addunt tamen dummodò non designet aliquem in particulari dicendo *dirige sclopum in illum* Fundamentum est; quia citatum capite *Petitio tua*. sine limitatione loquitur. Hoc tamen fundamentū etiam contra hos vltimos probat, etiamsi dicat *dirige sclopum in illum*, non esse Irregularem, quia, si loquitur. capite sine limitatione vt patet, frustrà limitatur ad hoc. Præterea si ex eorum sententiâ non incurrit Irregularitatem Clericus suâ manu adiuuans, & percutiens, atque suo facto incitans; ergo neque illud dicendū incurret. Vlterius illa exhortatio *nemo maneat viuus* æquiualet huic *illum*, & *illum*, & *illum*, &, *cæteros omnes particulares occidite* ergo, si per illam non manet Irregularis, nec per hanc. Tandem, quia si ea verba sufficerent, vt Clericus maneret Irregularis, etiam sufficerent vt maneret Laicus, qui eadem diceret; nulla enim est in hoc differentia inter Laicum, & Clericum, vt ipse quoque Syluest. notauit *Homicidium*. 3. q. 1. Regula. 6.

Aliud est de dicente Iudici Illum occide quia dignus est

Ratio diuersitatis.

792 Neque est eadem ratio de Prælato, aut alio quouis dicente Iudici, occide istum, aut illum condemna; quia dignus est; talis enim consilium dans concutit suo consilio, & nullū est Ius per quod excipiatur: in nostro autem casu per citatum textum liberatur ab Irregularitate, qui in bello iusto propriâ manu non pugnat mutilando, aut occidendo. Neque obest nostræ doctrinæ. capite *Quod in dubijs*, quo Textu aliqui utuntur: Loquitur enim illud. c. de pugnante in bello iniusto Denique alia quæcumque capita seu Textus magis antiqui, quàm c. *Petitio tua* de *Homicidio*. nihil contra doctrinam traditam probant; nam vt diximus cum Molina & Auila suprà, in eo capite noui Iuris priuilegium concessum est, ne homines metu Irregularitatis à bellando in bello iusto absterreantur, & Textus ille, vt sæpe notauimus, sine Limitatione loquitur. Iam nunc ad particulares aliquos casus descendamus.

Quæres 1.

793 Quæri potest. 1. an, quando diuiso exercitu in duas partes, vna pars occidit, & altera non occidit, vtraque pars fiat Irregularis?

Resp. Multi. probabiliter.

794 Multi communiter respondent illam tantum partem Irregularem fieri, quæ homicidia commisit; cæteri enim non videntur cooperari re, aut verbis. Ita Vgolinus capite 13. §. 1. numero 3. Henriquez. lib. 14. capite 13. numero 7. Quæ sententia probabilis est, & probabilem putat Suarius statim citandus, & Filiucius. num. 123. ipse tamen Suarius disp. 45. sect. 3. numero 5. idemque Filiucius numero 263. & alij putant vtramque partem fieri Irregularem, nam illi, qui assistunt in tali bello alijs pugnantibus, quādo bellum iniustum est, suâ præsentiâ, & assistētiâ sufficienter concurrunt, sic enim censentur iuuare, & animare pugnantes, qui non tàm fortiter agerent, vel non putantur tam fortiter acturi, nisi præsens, & paratum haberent auxilium ab alijs. Legatur Suarius disp. illâ 45. num. 8 & 9. vbi latè ostendit etiam non lethaliter vulnerantes, sed aliquo modo adiuuantes ad Homicidia iniusta, qualia sunt hæc, de quibus agimus Iure Canonico Irregulares censeri.

Alij putant vtramque partem exercitus fieri diuersi fieri Irregulare. Ratio.

Quæres. 2.

795 Quæri potest 2. an consulens alicui Principi bellum iustum, contra alium, fiat Irregularis.

796. Respon-

Resp. Consulentem bellum iniustum non fieri Irregularem. Ratio.

796 Respōdeò non fieri idque colligitur ex capite *Petitio tua.* citato, quia, si in ipso etiam prælio, & conflictu licèt hortari, & iuuare, vt dictum est, dummodò propriâ manu non pugnet etiam ante ipsum bellum licebit. Itaque nec Clericus fit Irregularis consulendo bellum iustum, cùm (vt dictum est) nec pugnando in bello iusto Irregularis fiat, dummodo ipse per se non mutilet, vel occidat.

Quæres 3.

797 Quæri potest. 3. an incurratur Irregularitas exhortando alterum in particulari ad vitam effundendam pro fide Christi vel tuendâ Ecclesiâ, aut defendendâ Republicâ?

Resp.

798 Respondeo non incurri, quia non censetur quis tunc cooperari morti, quæ à Tyranno infertur martyri, aut militi ab hoste, sed cooperatur ardori Charitatis, & actui virtutis ex parte ipsius, qui mortem patitur. Ita Henriquez lib. 14. capite 16. numero 4. Sayrus lib. 6. capite 19. numero 9. Nauarrus, Suarius, Auila, & alij suprà citati.

799 Quâ ratione etiã non incurrit Irregularitatem, qui suadet alteri rem aliquam piam, vt mori tunc, quando tenetur mori, vel potest licitè mori, vt si suadeat ingredi fluuium ad liberandum hominem lapsum in illum: neque enim tunc intendit directè vel indirectè mortem ingredientis, sed liberationem amici lapsi. Vnde, sicut ipse liberaturus lapsum non peccat se exponens tali periculo propter proximum: ita nec consulens peccat, aut Irregularis fit. Secus est de consulente, vel hortante ad opus illicitũ periculosum, vt si quis hortaretur alterũ absque necessitate, vt natando tranaret flumen cum periculo vitæ. Idem est de consulente vt per loca periculosa veniat aliquis ad se, vt quando adulter per tecta & alia loca, vbi imminet præcipitium, facit adulteram ad se venire, vnde sequatur ipsius mors, vel fœtus animati abortus.

Ex dictis sequuntur.

800 Ex doctrinâ sequitur. 1. Duces exercitus, pulsantes tympana, tubicenes, & alij quâuis ratione concurrentes ad bellum iustum non esse Irregulares; nisi per se ipsos mutilent aut occidant, vt docent omnes Authores citati pro tertiâ assertione, & alij multi.

Sequitur 2.

801 Sequitur. 2. non esse Irregularem præbentem, aut vendentem arma in bello iusto, etiamsi arma sint offensiua, vt colligitur ex citato capite *Petitio tua.*

Sequitur 3. præbentem arma in bello iniusto fieri Irregul.

802 Sequitur. 3. esse Irregularem, qui præbet arma in bello iniusto; huic enim meritò imputantur homicidia inde sequuta; neque vllo Iure eximitur ab Irregularitate. Ita Nauarrus. num. 224. 216. & 234. Auila p. 7. disp. 6. dub. 2. Couarrub. Clementina. *Si furiosus.* p. 2. §. 3. numero 2. Syluest. *Bellum.* 3. q. 3. quorum aliqui generaliter loquuntur de quolibet concurrente consilio, vel auxilio bello iniusto.

Sequitur 4. Discrimen inter assistentes bello iniusto, & iniusto.

803 Sequitur. 4. discrimen inter assistentes bello iniusto & bello iusto; nam assistentes iniusto, vt dictum est, fiunt Irregulares secuto homicidio, vel mutilatione, etiamsi ipsi non occiderint, vel mutilauerint propriâ manu. Vnde custodientes Sarcinas fiunt Irregulares, quoties milites videntes illorum custodiam liberati ab eâ curâ animosiores redduntur ad pugnam. Idem est iudicium de alijs, qui tali bello re cooperantur, aut verbis.

804 Quod dictum est de præbentibus arma in bello iusto & iniusto, locum habet tam in Clericis, quàm in Laicis, quamuis de Clerico limitent plerique dummodo in bello iusto non præbuerit arma ad occidendum hunc vel illum in particulari. Colligunt hanc doctrinam ex sæpe citato capite *Petitio tua.* ex eo tamen capite; vt iam suprà notabam) neque limitatio colligitur; semperque mihi ridiculum visum est concedere posse hortari, & dare arma ad occidendum, & mutilandum in genere, & non posse hortari, & dare arma ad occidendum in particulari hostem aliquem, quasi maior defectus Lenitatis appareat in occisione, aut exhortatione ad occidendum in genere, quàm in aliquâ speciali occisione, aut exhortatione, vel è contrà. Cum prædictâ tamen limitatione id docent Henriquez citato capite 12. Filiucius numero 266. Suarius sect. illâ 6. numero 11. Reginald. n. 150. & alij apud Sayrum suprà n. 12.

Videtur ridicula Authori aliquorum opinio.

805 Quamuis autem Clerici non possint absque facultate per seipsos pugnare, per se loquẽdo, iuxta cap. *Ne Clerici, vel Monachi.* & cap. *Petitio tua.* possunt nihilominus in exercitu armati incedere, & cum vexillo crucis præire. Dixi *per se loquendo*, nam iuxta supra dicta, licebit pugnare in bello iusto, quando necessarium sit ad defendendam Rempublicam; item, si necessaria sit opera etiam Clericorum ad consequendam insignem victoriam ex quâ speretur Rẽpublicam Christianam magnum reportaturam lucrum. Neque enim credendum est pro tali casu Ecclesiam velle Irregularitate afficere Clericos, cum tunc teneantur Iure naturæ pugnare. Præterea, sicut non incurritur Irregularitas, nec peccatur, quando quis pugnat defendendo se ipsum idem censendum est de pugnante pro Republicâ in casu tantæ necessitatis.

Clerico in bello iusto licitum erit per se pugnare si necesse sit ad Remp. defendendam. Ratio.

806 Quæri potest 4. an Clerici pugnantes de licentiâ Papæ Irregularitatem incurrant morte secuta? *Quæres. 4.*

807 Respondeo non incurrere, sicut nec peccare, etiamsi pontifex non expresserit, quòd nõ incurrant sicut eo ipso quòd præbet facultatem ferendi sententiam in causâ sanguinis Clericis ita Censetur illam præbere, vt quamuis sententiam ferant, non fiant Irregulares, etiamsi id Pontifex non expresserit; ita in nostro casu. Id docet Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 73. numero 1. & 2. Henriquez lib. 14. cap. 11. Bannez. 2. 2. q. 40. art. 2. dub. 4. Sayrus lib. 6. c. 19. n. 5 Suarius suprà. nu. 12. Filiucius. num. 281. Reginald. suprà & alij communiter. *Resp.*

808 Quando autem Summus Pontifex tantùm concessit Clerico facultatem assistendi bello, nihil exprimens de pugnâ, peccabit pugnando, & Irregularis fiat, si occidat, aut mutilet; nam facultas Pontificis, cùm sit odiosa, vt contra Ius commune, restrigenda potius est ad sensum verborum, quàm amplianda.

809 Quæres. 5. quis possit dispensare in Irregularitate contractâ causâ belli? *Quæres 5.*

810 Respondeo solùm Papam, qui solus potest in Iure communi dispensare ordinariâ potestate; *Resp. Solum Papa*

Possit dispensare in Irregul. contracta Causa Belli.

potestate; est autem Irregularitas Iure communi imposita. Episcopi verò non possunt cùm eorum potestas non sit suprà Ius communi; poterunt tamen si ex priuilegio, & particulari concessione illis concedatur.

811 Quando autem in Tridentino conceditur Episcopis facultas dispensandi in Irregularitate, solum ea est facultas pro Irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidiu voluntario. Irregularitas autem, quæ prouenit ex bello, non est ex delicto si bellum sit iustum, si verò sit iniustum, iam homicidium est voluntarium, vel certè delictum non est occultum; sed manifestum, quod etiam contingit in Clericis in Sacris per se pugnantibus, & occidentibus, & mutilantibus in bello iusto. Ita Suar. sup. num. 12. Filiucius num. 281. Sayrus supra, & alij Recentiores.

CAP. X.

De Irregularitate quæ prouenit ex Homicidio ob defensionem.

Assertio 1. Occidens alterum ob necessariam sui defensionē non fit irregularis.

812 Assero. 1. Qui ob necessariam vitæ, vel corporis sui defensionem alterum occidit, aut mutilat, non incurrit Irregularitatem. Ita habetur (quidquid fuerit de Iure antiquo) in Iure nouo Clementinâ *Si furiosus de Homicidio*, vbi cùm dixisset Pontifex de furioso, & alijs non vtentibus vsu rationis, non incurrere Irregularitatem mutilando, aut occidendo subiungit. *Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem.*

Obj ex Tridens.

813 Obijcies Tridentinum Sess. 14. cap. 7. de reformat. Loquens de hoc homicidio ait dispensationem committi Ordinario, ergo supponit Irregularitatem dispensandam.

Resp.

814 Respondeo loqui in casu, quo excessit moderamen inculpatæ tutelæ potens aliter se defendere, vt interpretantur multi Recentiores secuti Auilam par. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 1. Qui rectè aduertit, si excessus sit venialis non sufficere ad Irregularitatem. Ita etiam Henriquez c. 3. num. 1. iunctâ Glossâ.

Excessus venialis non sufficit ad Irregul.

De mente Tridenti. addit Author.

815 Addiderim, etiam Tridentinum loqui pro casu, in quo dubium est, an quis excesserit moderamen? tunc enim est dubium facti, & hoc in materiâ homicidij sufficit, vt quis se gerat pro Irregulari iuxta dicta cap. 1. §. *infertur* 5.

Tres præcipue conditiones requiruntur ad moderamen inculpatæ tutelæ.

816 Dubitabis, quæ conditiones requirantur ad moderamen inculpatæ tutelæ? Respondeo præcipuè tres.

817 Vt vis ab altero inferatur iniustè. 2. Vt occisio fiat in ipso actu aggressionis, quando alter moraliter incipit aggredi, aut aliquo alio modo non potest euitari damnum, quod timetur, quàm occidendo vel mutilando. 3. Vt inuasus probabiliter credat se mutilandum, aut occidendum, vel sibi periculosum vulnus infligendum, aut aliud damnum inferendum.

Hinc colligo 1.

818 Ex his conditionibus aliqua pro praxi colliguntur. Colligitur. 1. ex primâ conditione non posse hominem absque Irregularitate occidere satellites, & Ministros Iustitiæ, à quibus iustè inuaditur; nam ab ipsis non infertur vis iniustè.

Collige 2.

819 Colligitur 2. ex 2. non posse aggressorem præueniri occidendo illum, quando nondùm incepit vim inferre, tunc enim defensor non defendit se à vi, quæ nondùm est.

Collige 3.

820 Colligitur. 3. non posse occidi post factam aggressionem quia tunc vis iam cessauit, & actus ille non esset vim vi repellere sed vindictam sumere de vi illatâ.

Collige 4.

821 Colligitur. 4. quando inuasus non timet ab inuasore mortem mutilationem, aut periculosum vulnus aliud ve graue damnum; sed leue aliquid, non posse occidere, aut mutilare inuasorem; quilibet enim tenetur leue damnum pati quando non potest illud euadere sine grauissimo proximi detrimento iuxta dicenda in tractatu de Charitate, neque enim moderamen seruat qui, vt leuissimum damnum vitet grauissimum infert proximo.

Seruatur moderamen illud, &c.

822 Habemus ergo ex dictis tunc seruari moderamen inculpatæ tutelæ, quando concurrentibus conditionibus dictis adhibetur illa cautio, & medium sine quo non potest vita saluari. Vnde, qui occidit inuasorem vitæ suæ, quando non potest aliter vitam teneri censetur, seruare moderamen inculpatæ tutelæ. Quapropter non seruat hoc moderamen, qui potest fugâ non ignominiosa aut clamore, aliâ ve ratione vitam defendere quin occidat. Ita Molina tom. 4 Tract. 3. disp. 11. numero 2. Suarius disp. 46. sect. 1. nu. 7. & seq. Reginaldus lib 30. num. 11 5. Sayrus lib. 6 cap 17. Filiucius. Tract. 10. c. quæsit. 3. num. 137. & 147. alijque multi quâ de re etiam diximus in opere de Iustitiâ agentes de homicidio.

Quæres. 1.

823 Quæret tamen aliquis. 1. an, qui non potest se aliter defendere nisi præbendo alteri arma, vt ipsum defendat, fiat Irregularis, si alter occidat?

Resp.

824 Respondeo non fieri. Ita Nauarrus nu. 212. Henriquez cap. 10. num. 3. Auila suprà & alij multi maximè Molina disp. 75. cit. tom. 4. numero 7. Hugolinus cap. 39 §. 6. Sayrus lib. 6. cap. 7. num. 14. Suarius suprà sect. 3. num. 6. Reginaldus lib. 30. Tract. 2. num. 109. Filiucius suprà num. 161 Ratio est; quia, si quis potest se defendere absque Irregularitate cum morte inuasoris; ita potest alios conuocare ad suam defensionem illisque arma præbere.

Ratio.

825 Addit etiam Suarius non esse Irregularem in eo casu, etiamsi ille quem in sui defensionem vocauit occidatur ab inuasore; neque enim peccauit Vocando, & adhibendo defensorem, & mors illius sequitur per accidens ac proinde non imputatur ipsi ad Irregularitatem.

Addit Author.

826 Addo etiam cum Auilâ suprà & cum Molinâ suprà disp. 72. num. 8. Petro Nauarra lib. 2. de *Restit.* cap. 3. num. 327. Sayro suprà num. 12. & alijs non incurrere Irregularitatem etiamsi admisceatur animus sumendi vindictam (quidquid in contrarium senserit Villa-diego. cap. 6. num. 71) Ratio est; quia occisio exterior necessariâ est, vt supponimus ad defendendam propriâ vitam, sed actus interior non sufficit ad inducendam Irregularitatem iuxta sæpe dicta maximè disp. 2. dub. 10.

Ex dictis Collige 1.

827 Ex dictis habemus eum, qui vidit ho-

stem

ſtem iniuſtè inuadentem ſe euaginato gladio ita, vt ex circunſtantijs probabiliter indicet ſerio intentare mortem, aut graue vulnus, vel mutilationem; poſſe à longè ſelopeto, vel ſagittâ illum occidere, vt habetur, L. *Si quis percuſſorem*. Cod. Ad legem Cor. de Sicarijs. Legatur Antonius Gumez tom 3. *de delictis*. cap. 3. num. 22.

728 Quod verò addit Caiet. opus eſſe vt non intendat mortem aggreſſoris tanquam medium; ſed tanquàm effectum defenſionis non eſt neceſſarium, vt rectè notat Sotus lib. 5. de Iuſtit. q. 1. art. 8. & Henriquez cap. 10. §. 1. litt. K. ubi plures refert quà de re latè agit Corduba lib. 1. q. 38.

Collige 2. 829 Tandem habemus neceſſarium eſſe ad euadendam Irregularitatem, vt, qui ſe poteſt defendere v. g. vulnerando, non occidat, alioquin excedet moderamen inculpatæ tutelæ Ita Medina in *Summâ*. cap. 10. num. 11. viditurque communis ſententia, quam rectè limitant Syluest. ſuprà, & Henriquez cap. 10. §. 3. in principio, niſi fortè præmiſſâ, quantum caſus permittit, diligentiâ, occidit per accidens, & præter intentionem.

Quæres. 2. De dante cauſam inuaſionis præuiſa. &c. 830 Quæret aliquis. 2. an, qui dedit cauſam inuaſionis præuidens inuaſionē futuram adhuc excuſetur ab Irregularitate: ſi, vt ſe defendat ab inuadente illum occidat; quia ſuppoſitâ inuaſione non poteſt aliter ſe liberare? Talis caſus contingere ſolet non infrequenter, vt quando quis alium contumelijs afficit, vel adulterium committit cum ipſius vxore.

Reſp. Talem non fieri Irregul. 831 Reſpondeo euadere Irregularitatem. Ita Sotus. 5. de *Iuſtitiâ*. q. 1. art. 9. Caſtro lib. 2. de *Lege pœnali*. c. 14. Syluest. *Homicidium*. 3. q. 4 particul. 3. Henriq. c. illo. 10. §. 3. in fine Aula 7. p. diſp. 5. ſect. 3. dub. 1. 5. *Sed petis*. Et dub. 3. Medina 1. 2. q. 73. art. 8. Petrus Nauarra lib. 2. de *Reſtit*. c 3. p. 3. dub. 14. Tabiena verb. *Irregularitas*. 2. §. 29. Mercado lib. 6. de *Contractib*. cap. 4. Leſſ. quem ſequitur Bonacina diſp. 7. punctu. 6. n. 3. quam ſententiam probabilem putat Suarius diſp. 46. ſect. 1. num. 11. Reginald. numero 110. Probari verò poteſt, quia licet peccauerit adulterio, vel iniuriâ præmiſſâ, ſe tamen defendendo non peccat, & iniuriatus, ſeu Maritus peccat aggrediendo, licèt in foro exteriori non puniatur; neque (vt ſuprà notabam) iniuria ipſi facta dedit illis Ius ad inuadendum, vindictamque ſumendam de iniuriatore propriâ manu: Ergo tam in eo caſu talis adulter, ſeu iniuriator ob defenſionem ſuæ vitæ occidit; quod conceditur in citatâ Clementinâ fieri poſſe ſine Irregularitate.

Contrariam ſententiam tenent Nauarr, &c. 832 Contrariam ſententiam tenet Nauarrus in *Summa* cap. 15. num. 7. & cap 27. num. 238. Antoninus. 3. p. tit. 5. c. 8. §. 1. Molina ſuprà diſp. 75. num. 5 & diſp. 77. num. 9. Vgolinus ſuprà. §. 3. Coninc diſp. 18. num. 75. Filiucius. cap. 5. num. 135. & 141. quorum ſententia ſatis eſt probabilis: *Reſponſionē primam probabiliorē iudicat Author.* Nihilominus probabilior apparet noſtra ſententia propter rationem dictam neque enim inuaſus, quantumuis dederit occaſionem inuadendi, amiſit Ius defendendi propriam vitam contra eum, qui peccando, & iniuſtè aggrediendo illum inuadit.

833 Obijcies tamen primò pro contrariâ ſententiâ. c. *ſi quis viduam*. diſt. 50. & Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de *reformat*. vbi Concilium, ſicut exigit diſpenſationem in eo, qui commiſit homicidium caſu vim vi repellando, potiori ratione cenſetur eam exigere in eo, qui occidit inuaſorem, præuidens priùs futuram inuaſionem, quam potuiſſet auertere auertendo occaſionem illius. *Obij. 1.*

834 Reſpondetur cum Petro Nauarra nu. 367. (quam reſponſionem etiam approbat Nauarrus conſ. 37. de Homicidio ſibi ipſi contrarius) primò eam doctrinam intelligi poſſe de occidente non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ: ſecundò de diſpenſatione in foro externo, quod ſatis videtur ſignificaſſe Tridentinum dùm dixit talem diſpenſationem quodammodò deberi; illa enim particula quodammodò videtur inuere non abſolutè, & ſimpliciter deberi; ſed in fore externo, aut certè reſponderi etiam poteſt deberi quodammodò ad maiorem cautelam, & ſecuritatem vt iam ſuprà diximus. *Reſp.*

835 Obijcies, 2. ex Nauarro Pium. V. oppoſitam ſententiam Confirmaſſe cùm in Sacra Pœnitentiaria id controuerteretur. *Obij 2.*

836 Reſpondent aliqui Recentiores id non ſatis nobis conſtare, atque adeò ſtandum eſt Iuri ſcripto. Henriquez verò reſpondet id affirmaſſe Pium. V. non vt Legiſlatorem; ſed tanquam particularem Doctorem. Addiderim etiam id dixiſſe ad maiorem cautelam, & ſecuritatem propter varietatem opinionum. *Reſp.*

837 Ex dictis inferunt aliqui contra Nauarrum multominùs eſſe Irregularem Clericum adulterum ex eo, quòd Maritus poſteà propter adulterium occidat vxorem, nam adulterium non dicit per ſe ordinem ad vxoricidium. Ita Caſtro ſuprà. Couarrub. 2. p. §. 4. num. 10. & alij Recentiores: imò Henriq. ſuprà addit id eſſe verùm etiamſi adulter præuiderit periculum; quod §. 4. ſequenti littera. L. extendit ad caſum quo ortum habuerit homicidium ex illicitâ rixâ aut furto, in quo etiam caſu nos loquimur, de quo iterum dicemus agentes de Irregularitate ex homicidio cauſali dantis operam rei illicitæ. c. 12. §. *dubitabit tamen*. *Ex dictis inferunt aliqui.*

838 Quæret aliquis. 3. an, quando fuga eſt ignominioſa fugienti paſſuro ſcilicet grauē notam, ſi fugiat liceat, ſi aliter non poteſt, vt ſe defendat à morte, graui vulnere, mutilatione, aut graui debilitatione membri, occidere inuaſorem abſque Irregularitate? Reſpondeo affirmatiuè. Ita Suarius diſp. 46. ſect. 1. num. 6. Coninc ſuprà. num. 90. Filiucius Tract. 20. num. 134. Bonacina ſuprà. num. 4 & alij multi contra alios multos, quos refert, & ſequitur Laym. lib. 3. de *Iuſtitia*. Tract. 3. p. 3. cap. 9. num. 3. Ratio verò noſtra eſt; quia non tenetur quis pati talem ignominiam, quam infert iniuſtus aggreſſor eo ipſo quòd, ſi non reſiſtatur illi; ſed inuaſus fugiat, propter ipſius inuaſionem iniuſtam, ignominia reſultat; tunc enim defendit inuaſus ſuum honorem, quem alius inuaſione lædit. Accedit quòd (vt rectè notat Suarius loco citato) huiuſmodi Irregularitas non incurritur, niſi quando eſt culpa; in tali autem caſu nulla culpa eſt; quia eſt moralis neceſſitas, quid enim magis neceſſarium *Quæres 3. De eo cui fuga eſſet ignominioſa. Reſp. Talem poſſe inuaſorem occidere abſque Irregul. Ratio. Addit. Suar.*

rium moraliter, quam vitare grauem infamiam; vel amissionem honoris.

Hinc corruit fundamentum Laymani

839. Vnde corruit fundamentum Laymani (qui aliquos, refert pro suâ sententiâ qui tamen apertè sunt pro nobis, vt Suar. citatus) fundamentum enim illius est in Clementinâ *Si furiosus*. vbi dicitur excusari *qui mortem aliter euitare non valens suum occidit &c.* sed si mortem fuga declinare possit, iam aliter valet mortem vitare: ergo incurret. Hoc (inquam) fundamentum corruit; quia qui sine infamiâ graui euitare non potest mortem, moraliter censetur non posse.

Limitant aliqui nostrã sententiam.

850. Limitant verò aliqui nostram sententiam; nisi præcesserit culpa, & iniuria ex parte eius, qui fugere cogitur, vt si ille dedit alteri alapam, vel iniuriosum verbum dixit, vel cum vxore inuentus est, aut aggressus est tollere alteri pallium, & alter in eum insurgit non solùm vt vim repellat, sed etiam, vt vindicet, & occidat; tunc enim, quamuis hic excedat, non potest primus iniuriator iustè se defendere si potest fugere, cùm ipse dederit occasionem rixæ, & ideò si fugiendo amittit honorem sibi, & non alteri imputare debet. Quam limitationem valde probabilem putat Suarius suprà, quando in continenti, seu in ipsa actuali iniuriâ totum contingit. Secùs verò, si iam diù præcessit iniuria, &, qui illam est passus posteà aggreditur ad se vindicandum. Quæ doctrina mihi placet, quando enim in continenti fit aggressor secundus solùm defendit se, aut sua, neque illa actio, censetur vindicta, sed defensio maximè, si nõ aliter potest auertere iniuriam, quæ tunc fit, nisi inuadendo & inuadẽdo saltẽ illum fugere, vt cõtingit in eo, qui adulteratur cum vxore, aut vult eripere pallium, ille enim se constrinxit in eas angustias, & non habet Ius seruandi suum honorem per resistentiam, sicut dicebamus de alio, qui adhuc suppositâ iniuriâ illatâ ex parte suâ habebat Ius seruandi suam vitam, & alter non habebat Ius tollendi illam; nam in hoc casu præsenti Maritus, aut Dominus pallij habet Ius defendendi suum pallium, aut vxorem, imò & honorem, quem amittit, si non viriliter se defendat auertendo inuasorem, qui non potest sic à se læsum occidere; quando damnum ab illo imminens fugâ potest euitare. Vide dicenda quæsito 5.

Limitationẽ valde probabilem putat Suarius in casu, cuius doctrina placet. Authori.

Quæres 4.

851. Quæret aliquis 4. an fiat Irregularis, qui occidit Iudicem sibi iniustè parantem mortem.

Resp. non fieri Irregul. qui Iudicem sibi mortem iniustè parantem occidit.

842. Respondeo non fieri iuxta Regulas generales, quas tradidimus in nostro opere *de Iustitiâ* tùm agentes de Iniustitiâ, quæ est in Homicidio tum iuxta principia generalia data in Tract. de *Restitutione* ratione damni corporalis illati. Probarique potest ex Clementinâ. *Si furiosus*, sæpè citatâ, qui textus absolutè loquitur de occidente cum moderamine ad sui defensionem, & docet non fieri Irregularem, vt dictum est; imò nõ pauci id ipsum probabiliter sentiunt, etiamsi Iudex alioquin sit maximè necessarius Reipublicæ, Ratio est; quia; quamuis in eo casu peccet contra Charitatem occidendo personam pro bono communi valde vtilem; non tamen peccat contra Iustitiam peccato homicidij, atque adeò non incurrit Irregularitatem positam contra homicidas. Item in citata Clementina absolutè dicitur non fieri Irregularem illum, *qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat inuasorem*; sed in hoc casu, vt supponimus, ille mortem aliter vitare non valet: ergo non incurrit occidens Iudicem, qui abutens potestate suâ iudiciali, machinatur mortem iniustam, quod verè est esse inuasorem. Ita Vgolinus suprà §. 5. & alij citati.

Ratio.

Idem dicendum de capto ab hostibus &c.

843. Idem iudicium est de eo, qui captus ab hostibus volentibus ipsum interficere, non potens aliter euadere, occidit custodem, vel alium impedientem fugam, dummodo probabiliter credat se ab illis occidendum, iam enim tunc censetur moraliter inchoatus actus iniustæ aggressionis. Ita Vgolinus suprà §. 8. Bonacina loco citato num. 6. & alij.

Idem de perpetuo in carcere iniustè detinendus.

844. Idem quoque iudicium puto esse, si sit iniustè perpetuo in carcere detinendus, aut per longum tempus iudicio prudentis; neque enim tenetur pati perpetuam, aut diuturnam captiuitatem, quin repellat talem vim ab ijs, qui sunt in continuâ aggressione detinentes illum.

Assertio 2. de occidente in defensionẽ honoris &c.

845. Assero 2. occidens alium ad defensionem honoris, & bonorum temporalium non est Irregularis, quando aliter illa seruare non potest. Constat ex dictis hucusque. Ita Couarr, Clementinâ *Si furiosus* 3. p §. vltimo. Petrus Nauarra suprà numero 417. Lessius lib. 2. cap. 9, dub. 11. numero 73. Suar. disp. 46; sect. 2. a. num. 4. & deinceps. Saytus lib. 6. cap. 17. num. 22. Coninc disp. 18. dub. 9. numero 80. & 88. Filiucius Tract. 20 c. 5. quæsito 6. numero 146. & quæsito 7. numero 149. & seqq. & alij multi; quam sententiam latè explicat Suarius numero 5. & sequentibus ostendens hanc Irregularitatem non esse Iure expressam, vel comprehensam, neque colligi ex Iure nouo illius Clementinæ *Si furiosus* neque ex Iure antiquo: imò in illa Clementinâ datam fuisse portam seu facultatem Doctoribus ad declaranda Iura antiqua contendit enim satis probabiliter Suarius in illâ Clementinâ non tàm statui occidentem inuasorem à quo aliter mortem vitare non valet, Irregularem non esse, quàm declarari sic iudicandum secundum Ius antiquum, &, quamuis non declarauerit de inuadente bona externa, idem nihilominus posse de illis iudicari; atque de propriâ vitâ, aut corpore; nam & ex alijs casibus ibidem expressis fit etiam extensio ad alios casus non expressos; sicut enim in eo textu solùm fit mentio furiosi infantis, aut dormientis occidentis, aut mutilantis, de quibus dicitur non fieri Irregulares, & nihilominus extenditur doctrina iuxta magis receptã, & verã sententiam ad ebrium ex ignorantiâ inuincibili; quia illa tria genera personarum non tàm excipiuntur in eo Textu ab Irregularitate quàm de nouo declarantur excepta in Iure antiquo, ita etiam possunt Doctores interpretando Ius antiquum alia genera personarum excipere, quando agitur de occidentibus inuasoris ita, vt non solùm censeatur exceptus occidens inuasorem vitæ, aut corporis, sed etiam honoris, aut bonorum temporalium. Accedit, quòd hæc Irregularitas ex homicidio priuato non incurritur (vt notant Couarr. suprà, & Suarius tùm loco citato, tùm sect. 1.) quando homicidium fit sine culpâ, sed occidens alium ad defensionem rerum suarum, quando

Accedit.

quando aliter non potest eas defendere, occidit sine culpâ: ergo non incurrit Irregularitatem. Legatur Suarius, qui tandem num 12. ex cap. *Hi, qui arbores.* & duobus sequentibus & maximè ex cap. *Quia te.* dist. 50. probat non incurri Irregularitatem per homicidium priuatum sine culpâ, & in cap. *Quia te.* videtur sermo esse de eo, qui in defensionem libertatis suæ, ne scilicet, à Saracenis in captiuitatem adduceretur, eos occidit, de quo dicitur nullo modo inde canonicè iudicari; quia non suâ sponte fecit. Ex quo Textu duo colligo, quæ maximè confirmant sententiam nostram, & eneruant fundamentum aduersariorū. Primum est, quòd secundum Iura extendenda est doctrina citatæ Clementinæ non solùm ad occidentem inuasorem suæ vitæ, sed etiam ad occidentem inuasorem suæ libertatis, atque frustrà oppositæ sententiæ Auctores insistere in eo quòd in Clementinâ tantū excipiatur occidens inuasorem vitæ, cum iam constet excipi occidentem eum, qui inuadit libertatem. Secundum, quod colligo est ex eo Textu constare rationem euadendi Irregularitatem, iudiciumque Canonicum esse; *quia non suâ sponte fecit.* nempe; quia ille occidens Saracenos, non sponte; sed coactus necessitate defendendi suam libertatem eos occidit: quæ ratio etiam locum habet in eo, qui occidit inuasorem non sponte; sed coactus necessitate defendendi sua bona, & suum honorem.

Probat ex Iure Suar. non incurri Irregul. per homicidium priuatum sine culpa

Ex dicto Textu duo colligit Author. Primum.

Secundum.

Contrariā sententiam tenent graues Authores. Ratio.

846 Contrariam sententiam defendunt plures, & graues Authores. Nauarrus cap. 27 nu. 218. Vgolinus cap. 30. Molina. disp. illâ 72. nu. 3. Salon. 2.2. q 64. art. 8. Auila p. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 2. Reginald. suprà num. 107. & alij quos referunt Petrus Nauarra, Suar. & alij citati pro nostrâ sententiâ, quorum fundamenta fallor ni, satis leuia sunt; aliqui enim contendunt hanc Irregularitatem incurri ex defectu lenitatis. Vnde, quamuis concedant non esse peccatum occidere inuasorem prædictum in eo casu affirmant nihilominus Irregularitatem incurri. Quod fundamentum satis reiectum est ex dictis negando, scilicet, priuatum homicidium sine peccato factum esse iuridicum defectum talem, id enim nullo Iure probatur, quia nullo Iure est expressum, quod erat necessarium, vt admitteremus Irregularitatem; accedit quod hoc homicidium in eo casu non sponte fit; sed ex necessitate, quod sufficit ad euadendum Irregularitatem iuxta dicta ex citato. cap. *Quia te.* Alij verò probant; quia in Clementinâ *Si furiosus* tantùm excipitur occidens inuasorem vitæ; de hoc tamen iam diximus non esse præclusam portam ad extendam exceptionem etiam od alios inuasores.

Obij.

847 Sed perstant aliqui, & obijciunt. cap. *Interfecisti* & c. *significasti.* de *Homicidio* vbi absolutè dicitur homicidas esse Irregulares.

Resp.

848 Respondetur ea Iura loqui tantùm de homicidio facto cum peccato mortali, & non seruato moderamine inculpatę tutelæ imò sic intellexit Pontifex prædicta Iura, quando ijs non obstantibus in sæpè citatâ Clementinâ declarauit non contineri sub nomine homicidæ; quantùm ad hoc, furiosum, infantem, & dormientem, & occidentem inuasorem propriæ vitæ in quo (vt notabam) aperuit Pontifex viam ad excipiendos alios occidentes priuatim sine culpa sibi enim tantùm expressè dicitur prædictos non esse Irregulares; non tamen declaratur alios, etiam sine culpâ occidentes, Irregulares haberi (vt declarârunt Filiucius q. 7. & 8. Suarius citato. num. 5. & alij Auctores nostræ sententiæ;) sed oppositum licere potius inferre.

849 Obijcies tamen difficilius; quia non minùs est defectus lenitati; in homicidio priuato, quàm in publico, imò multò magis: ergo sicut in publico ob hanc solùm rationem imponitur Irregularitas ita & in illo. *Obij 2.*

850 Respondetur negando esse tantùm, aut maiorem defectum lenitatis in priuato, quàm in publico, nam iuxta dicta in præcedentibus defectus lenitatis consideratur ex eâ, parte, quâ talis rigor occidendi sponte exercetur, & non coactè; ille verò, qui occidit tanquàm Iudex, aut minister illius publicâ authoritate, sponte occidit, & non coactè, quia, quamuis supposito officio, quod habet, non possit aliter facere; tamen sponte suâ suscepit vel admisit huiusmodi officium, quod secum habet, & inuoluit talem obligationem in casibus, in quibus id Iustitiâ exigit. Qui verò inuaditur, & spoliandus est, vel vitâ, vel honore, vel bonis temporalibus nihil sponte suâ fecit; ratione cuius illi resultaret ea necessitas, seu obligatio defendendi se aut suâ occidens ergo coactè non ostendit tantùm defectum lenitatis quantùm, qui saltem in radice eligens tale officium sponte occidit. Adde quod pro vno casu est posita in Iure, & non pro alio quæ est potissima ratio in ijs, quæ pendent ex mero Iure positiuo.

Resp. Non esse tantum defectum lenitatis in homicidio priuato, quā in publico

851 Obijcies vlterius. cap. *Suscepimus* de *Homicidio.* vbi in homicidio priuato Irregulares censentur, & addit Pontifex rationem, *constat enim eos contra mansuetudinem Ecclesiasticam ex vtriusque ope interemptos;* casus autem erat pro defensione rerum. *Obij 3.*

852. Respondetur ibi agi de homicidio iniusto ob excessum in moderamine inculpatæ tutelæ; atque adeò ex eo Textu nihil posse colligi. *Resp.*

853 Sed obijcies iterum verba Textus vbi redditur ratio, ob quam censeatur Irregulares ibi *quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus, & transitorijs rebus tam acriter in alios exardescere.* *Obij 4.*

854 Respondetur ibi Pontificem sumere argumentum ex consilio euangelico: quod tamen consilium est, non præceptū; neque enim Christus Dominus obligauit relinquere pallium ei, qui surripit tunicam; sed docuit quid magis expediret. Idemque docet Pontifex, & inde argumentum sumit ad exaggerandum peccatum; quia cùm Christus docuisset prædictam doctrinam; illi homicidæ non solùm post habuerunt Christi consilium; sed etiam obligationem præcepti exardescentes tàm acriter in alios pro conseruandis vilibus, & transitorijs rebus, quas scilicet aliter potuissent seruare, aut recuperare. Itaque argumentum Pontificis fuit potiùs debuisse pati iacturam rerum suarum, quàm

Resp. Christum docuisse quid magis expediret.

excedere moderamen tutelæ illarum. Quod verissimum est, in omni enim materiâ potiùs debet seruari consilium, quàm frangi præceptum; sed non inde colligitur consilij obseruationem esse obligatoriam, atque hoc debent etiam admittere non pauci Authores, qui sequùntur oppositam sententiam; docet enim prædictum etiamsi incurrat Irregularitatem, non peccare Textus autem citatus, si quid probat, probat etiam peccasse illos tàm acriter ex ardescentes; atque adeò tenentur prædicti Authores fateri illam defensionem fuisse cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ; quod sufficit etiam pro nostrâ sententia; solùm enim contendimus, quando non peccatur in defensione honoris, & bonorum non incurri Irregularitatem & explicamus prædictum Textum loqui de peccantibus in tali defensione.

Author fatetur oppositam sententiam esse satis probabilem. 855. non negauerim tamen oppositam sententiam esse satis probabilem, quàm sequuntur Nauarrus, Molina, Salon, Auila, & alij citati cum multis alijs, quorum authoritas multum dat probabilitatis prædictæ sententiæ.

Assertio 3. licitè occidit inuasorem proximi Innocentis. 856. Assero 3. occidens inuasorem proximi innocentis, aut Reipublicæ etiam innocentis, non incurrit Irregularitatem, si moderamen non excedat. Ita Petrus Nauarra lib. 2. de *Restit.* cap. 3. 409. Couarr. p. 3. Clementinæ §. vnico numero 5. Molina tomo 1. Tract. 2. disp. 109. & tomo 4. disp. illâ 72. numero 7. Less. suprà, Auila disp. illâ 5. sect. 3. dub. 5. Reginald. tomo 2 lib 2. cap. 4. numero 60. Coninc suprà numero 88. conclus. 2. & 3. Sa verb. *Irregularitas* numero 2. Maior in 4. dist. 15. q. 30. Suarius disp. 46. sect. 3. qui rem latè probat, & confirmat.

Est contra nonnullos. 857. Hæc sententia est contra plures alios maximè contra Nauarrum, Syluestrum, Armil. Maiol. & alios, quos referunt Authores citati; non tamen contra Auilam, quem falsò refert Bonacina suprà numero 11. cùm expresse sit pro nostrâ sententiâ loco citato.

Duplex casus quo id fieri potest 858. In duobus autem casibus possumus de prædicto occidente loqui; primo in casu, quo ex obligatione, siue Charitatis, siue Iustitiæ tenetur proximum, aut Remp. defendere, & in eo casu præcipuè locum habet sententia nostra, quàm pro eo casu docuerunt in dictâ Clementina de *Homicidio* q. 18. Castro lib. 2. *Lege pœnali* cap. 24. cæterique omnes citati. *Probat. Primus,* Ratio prima, & præcipua est; quia non est credibile, neque constat Ecclesiam velle Irregularitate afficere eum, qui ex obligatione debet proximum aut Remp. defendere iuxta dicta in simili de occusatore, denunciatore, & teste, Aduocato, & alijs similibus cap. 4. & 5. *Ratio præcipua,*

Probatur 2. 859. Probari item potest cum Suario suprà numero 3. quia tale homicidium non est per se intentum; sed per accidens sequutum ex tali defensione, ad quam quodammodo cogit ipsemet aggressor, supposito naturali amore patriæ, seu Reipublicæ, vel proximè coniuncti. v. g. Patris ad filium, vel filij ad Patrem.

Probat 3. suarius. 850. Tertiò probat Suarius; quia ipsamet lex suâ obligatione cogit ad tale homicidium etiãsi homo, quantum est ex se fortasse nollet talibus obligationibus se imiscere. Confirmatur *Confir. ex D. Thom.* ex D. Thomâ 2. 2. 1. q. 40. art. 2. vbi ait *nullis qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo officio incongruus redditur.* Vnde à conuerso (inquit Suarius) colligimus, quoties aliquis licitè exercet id, ad quod faciendum Iure naturali, vel Diuino compellitur, non posse reddi incongruum, vel inhabilem ad officium suum; ergo, qui ex obligatione naturali præcepti occidit vnum, vt defendat alium, seruatis legibus moderatæ defensionis, non potest inde fieri Irregularis; aliàs fieret ineptus ad officium suum. Quod argumentum locum habet non solùm in Clericis, qui iam sunt constituti in officio suo Clericali in ordine, & gradu, quem habent; sed etiam in ordine ad gradum superiorem, quem licèt non habeant, habent Ius ascendendi ad illum, & habet etiam locum in laicis, qui licèt Clerici nondùm sint, habent Ius, & capacitatem ascendendi ad Ordines, si legitimum impedimentum non obstet tale suscipere officium, non debet autem obstare, quod fecerint id ad quod tenentur ex obligatione naturalis præcepti. Legatur Suarius numero. 4.

861. Qui etiam (sicut, & citati Authores nostræ sententiæ) rectè probat. Idem esse dicendum in secundo casu scilicet quoties defensio licita est, quamuis non cadat sub obligationem, dommodò fiat cum moderamine in culpatæ tutelæ, nam Irregularitatem incurri in eo casu ex nullo Iure colligitur, neque ex antiquiori Iure neque ex posteriore ex illâ scilicet Clementinâ *Si furiosus* de *Homicidio.* Primum probatur quia in Iure antiquo nullus inuenitur Textus, qui specialiter de hoc casu loquatur, imò alia Iura fauent, quæ significant homicidium priuatum non inducere Irregularitatem; nisi sit culpabile, vt c. præcedenti notauimus, maximè ex c. *Qui arbores*, & duobus sequentibus, & ex c. *Quæ a te* dist. 50. Quâ etiam ratione multi probabiliter docent non incurrere excommunicationem, qui occidit Clericum in defensione proximi iuxta dicta à nobis suprà disp. 3. dub. 58. c. 3. §. *Tertio excusatur.* Ex quo licèt inferre pro nostro casu; quòd si non incurrit excommunicationem tunc interficiens Clericum, neq; etiam incurrat Irregularitatem; quamuis enim, vt rectè notat Suarius suprà n. 5. in fine; non sit ex se efficax argumentum hoc à simili, tamen supposito quòd versamur in materiâ, in quâ sine culpâ non incurritur Irregularitas, efficax est, ideo enim non incurritur excommunicatio in eo casu; quia talis occisio fit sine culpâ, atq; adeò neq; Irregularitas, quæ ex homicidio non contrahitur, nisi per culpã, aut per spontaneam voluntatem, qualis non interuenit hic vbi non intẽditur occisio; sed defensio quodammodò per vim extorta ab iniquo aggressore. *Secundus casus. Ratio est quod ex nullo Iure colligitur incurri Irregul. Non ex Iure antiquiori.*

862. Secundũ vero de nouo Iure Clementinæ, quòd in eo nõ cõtineatur hæc Irregularitas, patet tũ; quia in eâ non est expressũ; cùm tamẽ requiratur Irregularitas esse Iure expressã: tum etiam; quia (vt in hoc capite, notabam, & alijs in locis) argumentum à cõtrario sensu in hac materiâ nõ satis probat, tùm deniq; quia (vt suprà etiã diximus) illa Clementina non tàm inducit nouum ius, quàm declarat antiquum, declaratio autem in vno casu expresso non excludit alias in *Nec ex Iure nouo.*

casibus

casibus, in quibus sufficiẽs similitudo rationis inuẽta fuerit; hic autẽ talis ratio inuenitur quia debemus proximũ diligere, sicut nosipsos, & plures quàm temporalia bona. Quæ ratio præcipuè vim habet, quando agitur de defensione Reipublicæ, patriæ, & boni communis, & in particulari etiam parentum, Vxoris, filij, fratris &c, quos tenetur quis defendere.

Persona quas tenetur quis defendere.

863. Ex quo patet non esse Irregularem illum, qui tradit arma alicui iniustè inuaso ad se defendendum; etiamsi inuasor occidatur ab inuaso cum moderamine inculpatæ tutelæ, quidquid in contrarium sentiat Vgolinus suprà §. 6. numero 2.

Ex dictis Collige.

864. Tandem ex dictis in tribus assertionibus colligitur non esse Irregularẽ, qui vidẽs aut prudenter timens domum suã quã sentit noctu inuadi siue à furibus siue ab alijs inimicis fore spoliendã, vel filiam, aut vxorem &c. rapiendã, aut se, aliquemve ex suis occidendum, aliquodvè aliud simile damnum imminere clamauit *ad latrones cape cape*, etiamsi propter huiusmodi clamorem satellites, alijvè ministri accurentes furem capiant, & Iudex illum morti adiudicet, dummodò clamans præmittat protestationem debitam, de quâ diximus agentes de accusatore cap. 4. Ita Vgolinus cap. 14. §. 1. & §. 8. Auila suprà disp. 5. dub. 5. & alij.

Notandum pro dictis quoad occidentem ad sui defensionem.

865 Vltimo pro dictis in hoc puncto in defensionem sui, vel aliorum notandum est cum Henriquez lib. 14 cap. 10. numero 2. & cum Reginaldo lib. 30. numero 112. eum, qui alterum occidit ad sui defensionem, debere probare, quòd ad sui defensionem fecerit, vel ad defensionem suarum rerum, vel proximi aût Reipublicæ, vt dictum est; in quo etiam consentit Maiol. lib. 5. cap. 48. numero 11. & Vgolinus suprà, quod si non probet, non præsumetur fecisse ad talem defensionem, potiùs enim habet præsumptionem contra se; quia homicidium, & mutilatio ex suâ naturâ mala sunt, & delicta; in his autem, sẽmper præsumitur dolus; nisi aliud probetur iuxta cap. 1. de *Præscript.* Ideò non debet ad ordines promoueri, nisi priùs declaretur per sententiam homicidium fuisse causa defensionis patratum, ne inde scandali periculum sequatur, vt notant Vgolinus, & Maiol. suprà numero 6. qui docet modum probandi homicidium patratum fuisse defensionis causâ.

Hic præsumitur dolus nisi aliud probetur.

866. Ad quem verò specter ea sententia declaratoria non omnes videntur consentire; alij qui absolutè dicunt ad iudicem; vnde videntur significare quemcumque ad quem pertineat de tali delicto cognoscere, & iudicare; qui, si declaret homicidium factum cum moderamine ad iustam defensionem, consequenter manebit etiam in foro externo liber ab Irregularitate talis occisor.

Ad quem spectet sententia declaratoria non omnes conueniunt.

Authoris iudicium.

867. Mihi magis placet, quòd docet & probat Suarius disp. 46. sect. 1. numero 7. loquens de hoc casu deducto ad forum contentiosum in ordine ad Ordines suscipiendos, & declarandum hominem liberum ab Irregularitate, scilicet, Episcopum in eo casu debere iudicium ferre, quod etiam docet Filiucius numero 136. & alij multi.

868. Dixi *in foro externo*, nam in foro conscien-
Ioan. de Dicastil. de Censur.

tiæ (vt rectè ibi notat Suarius) standum est iudicio prudentis viri, vel ipsiusmet, si alioquin capax sit ad id iudicandum; examinari autem debent conditiones requisitæ ad iustam defensionem; de quibus diximus paulò post primam assertionem,

869. Quapropter quicumque iudicio docti & prudentis viri iudicatur in homicidio commisso non excessisse prædictum moderamen, non tenetur abstinere ab ordinibus vel ab ipsorum vsu, vt rectè notat Suarius disp. 45 sect. 5. numero 9. Filiucius numero 63. contra Maiolum lib. 5. cap. 48. §. 5. numero 3. & 4. & contra alios.

Iudicium docti & prudentis valet.

CAP. XI.

De Irregularitate, quæ contrahitur exercendo officium Medici, aut Chirurgi.

870. DVo hominum genera sunt, de quibus seorsim disputandum est: primò de laicis secundò de Clericis sunt enim peculiares rationes dubitandi in vtroque genere.

Assertio 1.

871. Asserendum est primò laicum exercentem munus Chirurgi, vel Medicinæ secundum artem, etiamsi incidat, adurat, vel mutilet membrum sanitatis causâ, Irregularis non fit. Ita Suarius disp. 47. sect. 7. numero 2. Filiucius Tract. 19. cap 10. q. 8. Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 10. adiunctâ doctrinâ præcedentium, Sylvest. *Homicidium* 3. quæsito 3. Vgolinus cap. 19. §. 1. Nauarrus c. 27. & alij plerique. Ratio est; quia in tali exercitio non deest lenitas, vel mansuetudo; cùm pars abscindatur, vel aduratur vt totum seruetur, neque est Textus aliquis talem Irregularitatem inducens.

Ratio.

872. Quod si Chirurgus, vel Medicus non operentur secundum artem culpâ vel imperitiâ suâ culpabili, incurrent Irregularitatem ex delicto: sunt enim culpabiles & iniusta causa mortis.

873. Ideò Medicus, cuius culpâ ægrotus interijt, non potest ad Ordines promoueri absque dispensatione. Si verò nulla ipsius culpâ moriatur, Irregularis non fiet, etiamsi aliunde illi prohibitum sit mederi. Ita Vgolinus suprà numero 4. & alij citati.

874. Idem dicendum est de adiuuante Chirurgum in abscissione; atque de Chirurgo; si enim Chirurgus Irregularis non fit, neque illum iuuans fiet. Ita Auila suprà ex Nauarro in vltimâ editione Summæ, cap. 27. numero 217. atque esse certã imò (vt hoc am. apertè dicam) idem Nauarrus cons. 18. de homicidio, & Henriquez lib. 14. cap. 11. numero 1. (nec reprobat Auila) putant Clericum sic adiuuantem Chirurgum non fieri Irregularem; quia nullo iure est illi prohibitum, vt iterum postea dicemus numero 911. & seq.

Resolutio quoad adiuuantem Chirurgum.

875. De ijs verò qui curam infirmorum gerunt quos infirmarios appellant, dicendum est, non incurrere Irregularitatem, quoties conuenienti prouidentiâ, & absque notabili imprudentiâ se gerunt, Vnde, si dùm infirmum Charitatis causâ in lecto mouent,

Quoad Infirmarios dicendum.

vt ei cibum ministrent vel, vt quietiùs cubet, mortem paululum accelerasse videantur, non sunt Irregulares censendi prærerquam, si culpa lata interuenerit. Ita Syluest. verbo *Homocidium* 2. q. 15. Sotus lib. 5. de *Iustitiâ* q. 1. art. 9. Caietanus 2.2.q. 64. art. 8. Nauarrus numero 228. Auila disp. illâ 6. sect. 1. dub. 8. Henriquez cap. 15. numero 3. Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 75. numero 3. Maiol. lib. 5. cap. 48. numero 1. Filiucius numero 278. Angel. Armil. Tabiena apud Suarium suprà numero 3. alijque multi. Ratio est; quia si hi Irregulares censerentur, deberet esse ex delicto Irregularitas autem ex delicto supponit culpam grauem iuxta dicta in præcedentibus, & dicenda in sequentibus: ergo, si in hoc casu non sit culpa grauis, non erit Irregularitas.

Ratio.

Dubium.

876. Dubitabit aliquis, an Medicus Irregularis fiat præbens ægroto medicinam, quam nescit, sed dubitat illi profuturam?

Resp. aliqui

877. Affirmant aliqui, inter quos Vgolinus suprà §. 1, numero 5. sequutus Innocentium in c. *Tua nos* de *Homicidio*.

Resp. Author. cum distinctione.

878. In hac re distinctione opus est; nam vel Medicus habet remedium certum vel tantummodò dubium; si certum habet remedium, non fas est vti remedio, vel dubio, vel in opinione posito, relicto medio certo, adhibendo enim tale medium semper manet periculum in tali medicamento nec medicus fideliter munus suum obit, atque adeò secutâ morte fiet Irregularis. Ita Azor tomo 1. lib. 2. cap. 17. c. 11. Vasquez 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 64. numero 23. Sanchez lib. 1. Summæ cap. 6. numero 38. qui testatur esse omnium sententiam.

879. Vbi etiam addit iniquum esse præbere ægro medicamentum, de quo dubitatur, an salutiferum, an potius noxium futurum sit; sicut rem quamuis dubiam efficiens peccat. Quam sententiam dicit esse multorum, quos posteà sequenti numero allegat; cum quibus facit Nauarrus cap. 25. numero 61. & ideò peccant Medici gratiâ experiendi tribuentes tale dubium medicamentum, vt notat idem Sanchez ex Sayro in Claui Regiâ lib. 1. cap. 10. num. 6. & ex Azor suprà & ex Salas 1.2.q. 21. Tract. Tract. 8. disp. vnicâ sect. 14. num. 136.

880. Si verò nullum habet remedium certum, debet adhibere remedium, quod melius est, & opportunius iuxta probabiliorem sententiam Medicorum, vt multi volunt. nam aliter infideliter saluti ægri consulet, & imprudenter aget; non tollens periculum, quod re ipsa est nocendi infirmo. Quòd si fortè opinio illa, quam eligit, non sit vera, ipse tamen excusatur, suoque muneri rectè satisfacit eligens id, quod verius, & tutius credit. Ita Sotus lib. 3. de *Iustitiâ* q. 6. art. 5. ad 4. Salon 2.2.q. 63. art. 4. controuers. 2. ad 2. & idem tenet Suarius tom. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 6. numero 5. adiunctâ doctrinâ, quam priùs tradiderat 3. tomo eiusdem partis disp. 21. sect. 4. ad finem, dum generaliter loquens docet in omnibus ad rem spectantibus quando inde valor rei pendet; non satis esse opinionem probabilem sequi. Pro quâ doctrina varia alia loca, pluresq. alios Au-

Opinionem probabilem sequi, non semper sufficit.

thores loquentes de Sacramentis, retulimus agentes de Pœnit Tract. 8. disp. 10. dub. 8. in 2. p. illius dubitationis, vbi notauimus Salonem citatum potiùs sequi sententiam mediam, quod attinet ad materiam Sacramentorum vbi latè de hac re in ipsâ Sacramentorum materiâ disputauimus.

881. Quidquid autem sit in alijs materijs, in hac, de quâ nunc agimus, hanc sententiam existimo veram, quam etiam sequitur Sanchez suprà numero 41. & alij Recentiores, qui omissis alijs rationibus, quæ non satis probant, rectè mihi videntur probare ex obligatione Charitatis. Nam, licet non agnoscatur in medico obligatio Iustitiæ ex officio suo; nisi tantum ad vtendum opinione probabili; quando nulla est omninò certa; tamen Charitas proximo indigenti exhibenda petit, vt certiori, quo possumus medio ei subueniamus. Quæ doctrina consonat cum ijs, quæ latè diximus in materia Sacramentorum Tract illo 8 disp 10. dub. 8. citata p. 2. assert. 3. tibi legatur: habet enim locum in hac etiam materiâ illa doctrina, ne proximum exponamus periculo vitæ, sicut ibi in Sacramentis exponeretur periculo salutis æternæ, quando Sacramenta sunt maximæ necessitatis, & versatur quis in periculo, seu articulo mortis.

Charitas Medicum obligat vt certiori quo potest medio proximo subueniat.

882. Vnde non placet Azor citatâ illâ q. 11. Arragon. 2.2. q. 63. art. 4. Salas suprà, sect. 15. numero 156. & alij existimantes licere Medico vti remedio minus probabili, & operari iuxta opinionem, quam minus probabilem credit; neque aliquid probant, dum aiunt quòd ex probabili ratione fit, temeritate, ac imprudentiâ vacare; atque adeò culpâ; respondetur enim non vacare temeritate, & culpâ practicè loquendo, quando adest periculum tanti damni irreperabilis cui ex lege Charitatis, vt dictum est, occurere debemus.

882. Iam verò dicamus de casu, quo ex vnâ parte non habet remedium certum, aut opportunius secundum probabiliorem sententiam; sed solùm remedium dubium, de quo dubitatur, an salutare, an noxium futurum sit; & ex aliâ parte mors erit certa, & ipsius salus desperata est. In hoc casu quærimus, an liceat vti tali medio, de quo diuersæ sunt sententiæ Doctorum?

De casu, quo solum habe- ri potest me- dium dubiũ, & Infirmi Salus est desperata.

883. Aliqui negant id esse licitum. Ita Azor citatâ q. 11. Salas suprà sect. 14. numero 136. Vasquez suprà c. illo 4. numero 22. quorum fundamentum est; quia, si non applicetur medium dubium, mors infirmi non Medici culpæ; sed morbi violentiæ tribuetur: Si verò applicetur, exponitur periculo vitę ægri, qui forsan eo non applicato ad vitam restitueretur, aut saltem diutius viueret. Pro eâdem sententiâ refert Sanchez numero 39. Innocentium, Antoninum Abbatem, Felinum Ananiam, Angelũ, & Syluestrum, qui sanè id indicant, sed non clarè affirmant. Solus Innocent, & Anan. aliquanto videntur clariùs loqui. Angelus quidem Syluest. & Vasquez ab eodem Sanchez citati & Sayrus cap. 10. num. 9. 10. & 11 Salas citato n. 136. tunc tantum admittunt posse vti reme-

Tale mediũ applicare negans aliqui esse licitum.

Ratio.

remedio prædicto, quando Medicis non est propriè dubius; sed probabili opinione suâ, & aliorum credit medicamentum pro futurum, nec aliud certius suppetit.

Probabilius tamen licere iudicat Author. 884. Probabilius nihilominus puto Medicum in eo casu non peccare; atque adeò neque Irregularem fieri. Ita Corduba in suo quæstionario q. 5. post 2. propositionem Rodrig. 2. tom. *Summæ* cap. 5. numero 6. conclus. 4. Valentia 2.2. disp. 3. q. 10. puncto 2. In quo euentu ait intelligi Galeni documentum *interfice audaciter*. Idem sentit Sanchez citato numero 39. Bonacina disp 7. de *Censuris* q. 4. puncto 5. n. 3. in fine cum alijs remissiuè à se relatis. *Prob.* Probatur verò, quia tum vita infirmi prorsus desparata cùm sit, magis conforme prudentiæ apparet; ac ipsius saluti; eiusque salutem aprantium voluntati ed remedium applicare. Quod si noceat, præter voluntatem erit, & æger alioquin obiturus erat, vt supponimus, & ex alio capite dubium est, an profuturum sit. *Confir.* Confirmat optimè Sanchez, quia applicare id medicamentum est tutius; eo enim non applicato, mors est certa; applicato autem est salutis spes, quamuis dubia; tutiùs autem est dubiam salutis spem adipisci, quam in morte certa ægrum relinqui. Vnde Corduba & Rodriguez suprà docent Medicum certum de ægri morte; si non adhibeatur aliquod medicamentum; etiamsi habeat probabilitatem quod tale medicamentum nocebit; si non tamen certum sit; quòd nocebit, debere tertiùs mortis malum fugere adhibendo id medicamentum; quod etiam approbat Sanchez meritò notans non solùm licitum esse sed obligatorium. Quod pro nostrâ materiâ de Irregularitate à fortiori concludit, non incurri Irregularitatem cùm non solùm non peccet; sed faciat quod debet.

Idem iudicium de Chirurgo. 885. Ex quo etiam patet idem esse iudicandum de Chirurgo qui dubitat an membrum sit abscindendum; si enim constat non esse aliud remedium; sed quod certò morietur ægrotus; nisi brachium abscindatur, si verò abscindatur, dubitat an euasurus sit; poterit iuxta dicta abscindere, hoc enim est tutius in eo casu, quidquid in contrarium sentiat Vgolinus suprà §. 2. numero 6. Iam verò de secundo, quod proposuimus id est de Clerico dicamus.

Assertio 2. 886. Asserendum est 2. quemcumque Clericum, etiam beneficiarium, non esse Irregularem exercendo officium Medici, vel Chirurgi iuxta artis præscriptum citra incisionem, & adustionem. *Ratio.* Præcipua ratio est; quia nullò Iure probatur id esse prohibitum, siue inducere Irregularitatem. Accedit; quòd tale opus secundum se pietatis est, & misericordiæ, cui non obstat quòd simul etiam stipendium accipiat. Ita Molina tomo 4. disp. 75. numero 6. Henrequez lib. 14. cap. 11. numero 1. Sayrus lib. 7 cap. 6. numero 11. & alij communiter.

887. Si verò tale officium exerceat non iuxta præscriptum artis sed sine sufficienti scientiâ & notitiâ, peccat pro grauitate periculi, cui se exponit ac, si mors vel mutilatio sequatur, Irregularis fiet; temerè enim exponit infirmum periculo vitæ;

Abscissio & adustio Clericis in sacris constitutis prohibita sunt. 888. Abscissio tamen, vel adustio prohibitæ sunt Clericis sacris initiatis c. *Sententiam sanguinis. Ne Clerici, vel Monachi* & c. *Tua nos* de *Homicidio*. Clerici verò in minoribus ordinibus, etiam beneficiarij, non sic prohibentur; nam in dicto c. *Sententiam*, tantum fit mentio Diaconi, subdiaconi, & Sacerdotis, sicuti notauit Molina suprà numero 2. quidquid in contrarium sentiant Auila citatâ disp. 9. sect. 1. dub. 10. §. *secundum supponendum*, qui alios refert pro nostra sententia; non tamen admittunt omnes extensionem ad beneficiarium, quæ non constat ex textu; atque adeò sine fundamento asseritur, vt asseruit Sayrus suprà numero 7.

Excipe casum necessitatis. 889. Asserendum verò est cum eodem Molina suprà numero 3. Henriquez & Auila suprà. Sayro, & alijs citatis nec Clericum in maioribus initiatum peccare, aut Irregularem fieri, si in vrgente necessitate incidat, vel adurat vt, quando tempore pestis non adest alius.

Obij. 890. Obijciet tamen aliquis c. *Tua nos* de *Homicidio*, vbi declaratur Irregularis Monachus, qui operuit apostema in gutture mulieris, ex quo mortua est,

Resp. 891. Respondetur id non fecisse vrgente necessitate: cum mulier potuisset Chirurgos adire, vt notauit Molina suprà numero 3. ad finem, & alij. Item Monachus non præsumitur peritus Chirurgiæ; atque adeò in foro externo præsumi potuit Irregularis, vt notauit Couarr. Clementinâ *Si furiosus* p. 2. §. 4. numero 3. præterea hic casus specialiter est in Iure expressus, vt ex dicendis constabit.

Adde. 892. Addendum vlterius consequenter ad dicta cum Henriquez suprà cap. 11. numero 1. litera *l.* & Auila citato dub. 10. conclus. 3. Vgolinus suprà §. 2. & alijs multis maximè Molina suprà numero 3. Sayrus suprà numero 9. Bonacina q. 4. puncto 5. numero 5. in fine. Clericum in Sacris Chirurgum scindentem membrum; quando adest alius, qui id facere posset, peccare quidē contra Iuris prohibitionē: non tamen fieri Irregularem, si abscindat secundum artis præscriptum; quamuis enim id prohibitum sit tanquàm periculosum, intelligitur tamen de periculo mutilationis non necessariæ, neque ordinatæ ad conseruationem vitæ ægroti; quando enim Iura Irregularitatem inducunt propter abscissionē membri, loquuntur solùm de mutilatione, quæ ordinatur ad priuationē partialis vitæ membri, vel totius etiam suppositi, qualis non est hæc de quâ agimus; ordinatur enim ad vitam suppositi seruandam, vt supponimus.

893. Quod si contingat errari in incidendo, non ob culpam Chirurgi, aut Medici, sed ob defectum aliquem ex parte infirmi, qui fortè non habuit eam membrorum qualitatem, quam cæteri habere solent, vel superueniente repentino timore aliquid extraordinarium passus est, tunc mors illa omninò casualis censetur, nec fiet irregularis.

874. Idem quoq; dicendum, si Clericus secundum artis præscriptum mollificatiuum, seu supputatiuum emplastrum adhibeat, apostemaq; aperia-

aperiatur,& mors inde ægroti sequatur absque culpa;neque enim peccat, neque est Irregularis cum non propriè dicatur exercere artem Medicam scindendo, vel adurendo,sicuti notauit Molina disp. illâ 76. numero 4. Rodriguez 1. tom. *Summá* cap. 177. & alij.

895. Multò minus erit Irregularis Clericus. qui iuxta peritiam artis præscribit alteri exercituro incisionem vel adustionem, etiamsi mors inde sequatur, vt notârunt idem Molina & Rodriguez alijque citati; nec enim proprio dicitur incidere vel adurere;sed consulere,aut mandare incisionem, vel adustionem; pœna autem posita contra facientes non comprehendit mandantes,aut consulentes, nisi id aliquâ ratione exprimatur iuxta dicta disp. 1. dub. 19. Quotiescumque igitur secundum regulam artis Clericus consulit,vt membrum Cancro infectum abscindatur, vel aperiatur vena ad emittendum sanguinem,non erit Irregularis; quia hoc non est incidere vel adurere.

Clericus venam scindens fit Irregul. iuxta Auilam.

896. Clericus verò sacris initiatus scindendo venam ad emittendum sanguinem Irregularis fiet secundum Auilam suprà & alijs. Probabile tamen est oppositum, vt docet Molin. & Rodrig. suprà cum alijs; munus enim aperiendi venam non est proprium Chirurgorum;sed Tonsorum. Clericis autem vetitum non est artem Tonsorum exercere; sed Chirurgorum scindendo,vel adurendo. Quæ ratio non videtur admodum firma, tùm, quia Tonsores sic facientes in eâ ipsâ actione sunt partialiter Chirurgi, ad cuius officium propriè pertinet incidere venam; tum; quia Tonsores possunt censeri quasi famulantes Chirurgis, aut inchoatiuè Chirurgi, vt meritò notârunt aliqui Recentiores.

Oppositum est probabile.

Si Clericus membrum abscindat & inde sequatur mors fit irregul.

897. Illud autem omninò verum est, quod docet Auila suprà conclus. 4. adiunctâ doctrinâ, quam tradiderat dub. 1. eiusdem disp. 6. cum alijs scilicet si Clericus membrum abscindat,& inde sequatur mors, Irregularem fore; quamuis aliàs debitam adhibuerit diligentiam; atque hunc potat esse casum in c. *Tua nos* de *Homicidio*; ideò enim prohibitum est Clerico in Sacris id facere; quia periculosum est,& inductiuum mortis, quæ,si sequatur ex tali actione, non est vnde excusetur ab Irregularitate, cum iam mors ex ipsâ actione per se alioquin mortis inductiuâ sequatur, atque adeò ex actione,quæ per se ordinatur (quidquid sit de intentione operantis)ad mortem,cùm sit actio in se periculosa;Sed hunc Textum c. seq. explicabimus.

Ex dictis collige quid de clerico qui est peritus. Medicus dicendum.

898. Habemus etiam ex dictis,si Clericus in sacris peritus medicus curet, & omni adhibitâ diligentiâ,moriatur ægrotus, non esse Irregularem,si abstineat ab incissione, & adustione. Ita Auila suprà dub. 10. conclus. 5. cum Henriquez c.3. numero 10. litera G Couarr. p.2. §.4. numero 3. vers. *Primum ad priores*, circa finem contra se ipsum ibidem numero 10. & contra Villadiego cap. 6. tale enim officium non est prohibitum Clericis ratione periculi;sicut incisio & adustio; sed quatenus est officium sæculare: ergo,si mors non proueniat ex aliquâ culpâ Clerici, non indocit Irregularitatem.

899. Imò addit idem Auila cum eisdem Henriquez, & Couarr. si Sacerdos peritus Chirurgus curauit secundum artem incidendo, aut adurendo.etiamsi infirmus moriatur, non ex tali incisione, vel adustione; sed ex grauitate morbi, Irregularē non esse,quod consonat cum dictis suprà numero 903..

Aduertendū

900. Illud est etiam iuxta regulas generales de Irregularitate ex Homicidio aduertendum, nempe Clericus in Sacris, si exercens mūnus Chirurgi per incisionem, vel adustionem,dubitet,an inde prouenerit mors ægroti,quæ secuta est, manebit Irregularis;est enim dubium facti in materiâ homicidij,quod sufficit,vt quis se gerere debeat pro Irregulari iuxta c. *Ad aures* de *ætate & qualitate*, cauendum tamen est ne fortè sit,scrupulus, & non verum dubium;scrupulus enim omnino repellendus est.

Clericus Chirurgum adiuuans nō fit Irregul.

901. De Clerico adiuuante Chirurgum, qui secundum artem abscindit iam diximus suprà non esse Irregularem;quia, si non incurrit operans, non incurrit cooperans, quando non est illis specialiter prohibitum. Non est autem specialiter prohibitum Clerico adiouare Chirurgum.sed per se ipsum abscindere, vt præter Nauarrum ibi citatum docet idem ipse cap.27. numero 229. Molina disp. illâ 75. numero 1. Sayrus lib.7. cap. 28 Vgolinus de *Irregularit.* cap. 19. Henriquez cap. illa 11. numero 1. Auila suprà conclus. 2.

Author hoc limitat.

902. Hæc doctrina de coadiuuante intelligenda est,ni fallor.de coadiuuante,nō conscindente;sed alio modo, nempè, vel adhibendo candelam.vel tenendo brachium,aut corpus infirmi ne,dùm se mouet,sibi ipsi noceat aliavè simili ratione:nam, si adiuet Chirurgum in ipsâ actione scindendi,vt cum os tibiæ serrari debet, si tunc Clericus ex alterâ parte serram moueat, adiuuando Chirurgum, omnino verè,& propriè dicetur scindere, non verò in alijs modis iuuandi.

Obij.

903. Obijciet aliquis,qui cooperatur iustæ sententiæ mortis vel mutilationis,censetur Irregularis: ergo etiam,qui cooperatur abscissioni factæ à Chirurgo,& ipse Chirurgus.

Resp. Disparitas aliqui assignant.

804. Respondeo negando paritatem.disparitatem verò aliqui assignant; quia Iudex præsefert, nescio quid crudelitatis, cum mutilet in vindictam, & pœnam à delinquente sumendam,ac proinde non sequitur & imitatur Christi mansuetudinem, vt dicebamus in principio huius dubitationis. Quæ verò Chirurgus agit iuxta præscriptum artis, potiùs agit ex pietate ob salutem ægroti ad conseruandam vitam.

Vera disparitas iuxta Authorem.

935. Hanc ego disparitatem non nego, sed propria disparitas,& quasi ratio a priori est quia Ecclesia statuit,vt Iudex,& cooperatores ipsius Irregulares fiant in causâ mortis,aut mutilationis;nam verò alij, quando mors est sine culpâ; neque enim(vt sæpe diximus)in homicidio priuato incurritur Irregularitas;nisi, quando adest culpâ;sed solùm in homicidio publicâ authoritate facto.

906. Quod si Chirurgus non operetur secundum regulam artis,sed potius contrà ex negligentiâ Irregularitatem incurret ex delicto, quæ potiùs pertinet ad homicidium casuale;sicut,& etiam Clericus cooperator;si id sciat. Ita Nauarrus numero 208. Suarius disp. 47.sect.7. num.2.

num. 2. Filiucius. num. 237. Sayrus suprà Syluest verb. *Homicidium* 2. quæsito 14. & alij multi.

CAP. XII.

De Irregularitate proueniente ex Homicidio casuali.

Homicidiū dupliciter dicitur casuale.

907 HOmicidium duobus præcipuè modis solet dici Casuale vt notat Suarius in principio disp. 45. Filiucius Tract. 20. cap. 3. in principio Caietan. 2.2. q. 64. art. 8. Salon. ibidem Sayr. lib. 7. cap. 5. num. 2. alijque communiter) *Primò.* Primo dicitur illud homicidium, quod tantùm est indirectè voluntarium; quia, licèt aliquo modo sit præuisum, est præter intentionem operantis. atque hoc est non omninò, & simpliciter casuale; quia saltem indirectè est volitum. *Secundò.* Secundo modo dicitur casuale, quando non solùm est præter intentionem; sed etiam præter voluntatem indirectam vtpote; quia omnis diligentia debita adhibita est, ne ex propriâ actione homicidium, vel nocumentum proximi sequi possit; *Omnino, aut simpliciter Casuale.* & hoc appellatur homicidium simpliciter, & omninò casuale. Hinc est, vt homicidium, v.g. commissum in ebrietate, quod non fuit præuisum ante ebrietatem, censeatur omnino casuale, vtpote nec volitum in se, nec in causâ directè, neque indirectè. Quod si homicidium præuisum fuit ante ebrietatem, esse scilicet periculum occidendi in ebrietate, nullamque præmiserit homo diligentiam debitam ad homicidium præcauendum, censetur homicidium voluntarium in causâ; si verò cautelam, & diligentiam præmisit curando, scilicet, vt aliqui assisterent, qui homicidium impedirent, vel arma auferrent, sine quibus non patraretur homicidium; etiamsi posteà homicidium sequatur, non censetur voluntarium; sed casuale. Legatur Suarius disp. 45. sect. 6. num. 1 Molina tom. 4. Tract. 3. disp. 71. & 77. Reginald. num. 95. Procurius maiori intelligentiâ.

908 Notandum est. 1. quòd casus secundū Aristotelem est effectus secutus præter intentionem agentis. Inde infert S. Thomas 2.2. q. 64. art. 8. homicidium casuale, quatenus casuale, non esse culpabile; quia non est voluntarium; verū; quia id quod per se non est voluntarium (inquit S. Thomas) post esse per accidens volitum in causâ; sicut non remouens prohibens, dicitur causa per accidens; hinc fit, vt indirectè possit esse voluntarium, & culpabile, vt si non remouit omnia, quæ remouere deberet, neque adhibuit diligentiam debitam. Ex quâ doctrinâ colligitur duplex genus casualis, de quo diximus: primum quando licèt directè non sit volitum; est tamen volitum per accidens, & indirectè atque hoc vocat Nauarrus cap. 27. num. 221. homicidium mixtum scilicet ex voluntario, & casuali; communiter tamen casuale dicitur. Secundum, quando nihil omninò habet voluntarij; quia adhibita fuit sufficiens diligentia ne effectus casualis sequatur, vt explicatum est.

Notandum. 1. quid sit Casus. *Infert. D. Thomas.*

Notandū 2.

909 Notandum. 2. ex duplici capite posse prouenire vt homicidium, quod Nauarrus appellauit mixtum, imputetur alicui: primò; quia non adhibuit sufficientem diligentiam ad cauendum illud; secundò: quia dabat operam rei illicitæ; quod multis videtur sufficere; cùm enim tale homicidium dicatur voluntarium in causâ, si causa erat illicita, ipsum censebitur illicitum, & culpabile; sed hoc an verum sit? ex dicendis constabit. His præmissis.

910 Asserendum est primò, si quis dabat operam rei licitæ, & adhibuit diligentiam debitam, etiam sequatur homicidium, non fiet Irregularis. Est certa doctrina apud omnes authores quos viderim, ideò non refero imò definita est in Iure cap. *Lator.* & cap. *Dilectus filius.* c. *Significasti.* c. *Ioannes.* de *Homicidio.* Ratio verò est quia nullo modo fuit culpabile nec voluntarium directè, aut indirectè, est autem diligentia adhibenda pro qualitate rei, perspectu circumstantijs arbitrio boni viri, nec requiritur exactissima, sed quæ communiter à mediocriter prudentibus in similibus casibus adhiberi solet. Ita Caietanus, & alij infrà referendi, Legique potest Suarius disp. illâ, 45. sect. 5. num. 7. vbi rectè explicat defectum diligentiæ, seu negligentiam, ratione cuius tale homicidium sit culpabile. *Assertio 1.* *Ratio.*

911 Asserendum est. 2. si quis dans operam rei quantumcumque licitæ, non adhibeat sufficientem diligentiam, ne inde sequatur homicidium, si de facto sequitur, fiet Irregularis; est enim tale homicidium volitum in causâ, & culpabile; quia poterat, & debebat diligentiam adhibere, quam non adhibuit. Ita Angelus. *Homicidium.* 2. num. 1. Syluest & Couarrub. quos refert & sequitur Henriq. cap. 15 §. 3. Q. Aula. p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 11. & sequentibus. Suarius disp. citatâ sect. 6, Filiucius. num. 53. & alij multi. *Assertio 2.*

912 Ex his patet. 1. à fortiori homicidium inducere Irregularitatem, quando est volitum in se, & directè, id est cum deliberatione ex industriâ, & proposito, vt ex dicendis in sequentibus ampliùs constabit. *Ex dictis patet 1.*

913 Sicut è contrariò dantem operam rei cuicumque, siue licitæ, siue illicitæ, non esse Irregularem, nec reum homicidij, si debitam diligentiam adhibuit, ne homicidium sequeretur; neque enim Irregularitas incurritur ex homicidio; nisi hoc sit voluntarium, & peccatum, quale non est, quando adhibita fuit sufficiens diligentia, ne sequeretur. *Patet. 2. Dantem operam etiā rei illicitæ debitâ diligentiâ adhibitâ ne homicidium sequatur non fieri Irregul.*

914 Hæc sententia est contra communem aliam Canonistarum, & aliquorum Theologorum, qui putârunt, quotiescumque datur opera rei illicitæ, Vel prohibitæ, quantacumque adhibeatur diligentia ad vitandum homicidium, si cum effectu sequatur, non vitari Irregularitatem. Idem docuit D. Thomas. 1.2. q. 73. art. 8. & 2.2. q. 64. art. 8. vbi etiam Caietanus; item Paludanus in 4. dist. 25. q. 3. num. 14. Gabriel dist. 15. q. 14. art. 3. Couarrub. latè referens Authores in Clementinâ *Si furiosus* p. 2 §. 4. à principio Nauarrus. cap. 27 num. 219 & sequentibus. Maiolus apud Suarium sect. 6. num. 1. qui hanc sententiam meritò reijcit, præcipuè fundamentum illius, quo aliqui vtuntur dum aiunt, vt effectus secutus sit voluntarius, satis esse; quòd sequatur ex actione aliàs malâ, quantumcumque diligen- *Est contra Communē sententiam.* *Fundamentum communis sententiæ reijcitur.*

tia adhibita fuerit. Quod fundamentum merito putat Suarius non esse probabile; imò & Caietanus ipse loco citato; quia tale homicidiũ adhibitâ tali diligentiâ, ne sequatur, est omninò inuoluntarium; neque enim est voluntarium in se, & directè, vt supponimus omnes, nec in causâ, & indirectè; tali enim diligentiâ adhibitâ, prædictus effectus inuincibiliter ignoratur sequendus; ignorantia autem inuincibilis tollit voluntarium. Legatur Suarius loco citato.

Maior difficultas. 515 Maior videtur esse difficultas; an dans operam rei illicitæ; periculosæ tamen, homicidij, illo secuto, fiat Irregularis?

Opinio multorum affirmans. 216 Multi & graues affirmant. Ita Suarius. sect.6.num.12.Sayrr. lib.7 cap. 5. numero 13. Auila.p.7.disp.6.sect.1.dub.1. Molina. tomo 4. disp.77.num.5.Vgolin.de *Irregularit.* cap. 18.§. 1.num.237.Toletus lib.1.cap.77. & 78.& alij, tùm apud ipsos, tùm recentiores. *Prob. 1.* Probant aliqui primò; quia eo ipso, quòd quis dat operam rei illicitæ periculosæ, censetur velle homicidiũ inde sequens, atque adeo homicidium esse voluntarium, & inducere Irregularitatem. Deinde quia in cap.*Tua nos* de *Homicidio.* ita videtur Iure dispositum sanè Suarius num. 9. in eâ sententiâ est per homicidium omninò casuale ex opere illicito secutum non semper contrahi Irregularitatem, sed in casibus Iure expressis. Constet autem Iure expressum sufficienter, quoties actio est specialiter prohibita à Iure propter periculum homicidij. Contendit ergo in duobus casibus id esse sufficienter expressum in Iure: vnus est in cap. vltimo de *Homicidio.* in 6. vbi mandans alium iniustè percuti; si mandatarius excedat, & occidat, qui mandauit Irregularis manet, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, ne percussio esset mortalis, quia nullam Ius admittit, vt sufficientem supposito tam iniusto mandato: Secundus Casus est in cap. *Tua nos.* de *Homicidio.* vbi contendit Suarius duo contineri: primum dedisse operam rei illicitæ Monachum in casu illius Textus ibi *Licet ipse Monachus multum deliquerit, alienum officium vsurpando:* secundum contraxisse Irregularitatem. ibi *post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, vt diuina valeat celebrare*, Quæ verba (inquit Suarius) manifestè indicant dispensationem fuisse in eo casu necessariam, faciliùs tamen concedi propter piam intentionem, & diligentiam adhibitam; atque hanc dicit esse communem intelligentiam, & iuxta eam contineri casum expressum, in quo propter homicidium casuale incurritur Irregularitas ratione operis illiciti; etiamsi adhibita fuerit sufficiens diligentiâ. legatur Suarius ibi, & n.11. vbi rem latiùs explicat, & num.12. aduertit illam actionẽ. quam exercebat Monachus, de quâ ibi agitur, non esse actionem ex se absolutè malam, scilicet actionem Chirurgicam; sed in tali persona prohibitam, & cum ex alio capite ex se esset periculosa, sufficientem fuisse id inducendam Irregularitatem.

917 Alij verò negant Irregularitatem incurri etiamsi detur opera rei illicitæ, quantumuis periculosæ, si adhibeatur debita diligentia ne sequatur homicidium. *Alij negant Irregul. incurri.* Ita Less.lib. 2. de *Iustitiâ* cap.9.dub.15. Petrus nauarra lib.2.de *Restit.* c. 3.num.362.Henriq.lib.14.cap. 15.num. 1. & ex parte indicat Suarius ipse suprà.num. 3. Filiucius num.70.quamuis num.77. nonnihil recedere videatur. Item alij quos refert Salon.2.2.q. 64.art. 8. controuers. 3. alijque Recentiores. *Ratio.* Ratio est; quia huiusmodi homicidium nullâ ratione est voluntarium sicut in casu præcedenti dictum est: neque enim est in se & directè voluntarium, neque indirectè, cùm committatur eo tempore quo non adest aduertentia illius, aut quo adhibetur sufficiens cautela & diligentia. Quapropter cum his circumstantijs conseeutio Homicidij censetur inuincibiliter ignorata. Quo argumento vtebatur etiam ipse Suarius in casu præcedenti, & nos cum ipso vsi sumus; ignorantia autem inuincibilis homicidij seu facti excusat à culpâ, & Irregularitate iuxta dicta, de causis excusantibus à Censuris disp. 1.dub.23.& disp.2.dub. etiam.23.

918 Vtraque sanè sententia satis probabilis videtur sed hæc secunda generaliter loquendo ratione magis consonat. *Dixi generaliter loquendo,* nam vnus, aut alter casus specialiter in Iure notatus non tollit generalitatem doctrinæ. Vnde, quamuis concedamus Suario, & alijs duos illos casus notatos in Iure tanquàm specialiter punitos, manebit sententia secunda inconcussa, quoad aliquos. *Vtramque sententiam probabilem iudicat Author; sed neganti rationi magis consonā.* Concedimus ergo probabiliùs esse Irregularitatem incurri in casu. cap. vltimi de *Homicidio* in 6. vbi Irregularitate afficitur mandans alterum percuti sequutâ morte vel mutilatione, etiam expresiè præceperit mandatario, ne lethaliter vulneraret. Atque hac ratione eum Textum explicant præter Suarium suprà.num.10.Sayrus.lib.7.cap.2.num. 7. Filiucius.cap.3.quæsito 8.

919 Concedimus etiam casum in cap.*Tua nos* de *Homicidio.* vbi Irregularis declaratur Monachus, qui omni adhibitâ diligentiâ aperuit apostema in gutture mulieris, quę posteà mortua est; quem casum explicuimus.c. præcedenti. §. *Illud autem.* vbi diximus Irregularem fore scindentem membrum, aut corpus, si Clericus sit, & eam actionem tanquàm periculosam, & per se inductiuam mortis prohibitam fuisse. Et ita hunc casum intelligunt Suarius, Sayrus, & Filiucius nuper citati.

920 Non cogimur autem hanc Irregularitatem ad alios casus transferre. Solùm ergo, tanquàm in casibus Iure expressis Irregularitas incurritur in casu mandantis percutere, & in casu Clerici exercentis Chirurgiam per incessionem, quando mors inde sequitur, quantumuis diligentia fuerit adhibita; non tamen in alijs. quia nullo Iure, vel ratione constat. Legatur Sanch.lib.9.Matrim.disp.32.num.12.

921 Non desunt etiam aliqui, qui aliud etiam medium inueniant, scilicet; non quidem incurri Irregularitatem, quando permissa sufficienti diligentia datur opera rei periculosæ, ex quâ raro mors contingit; incurri tamen, quando datur opera rei illicitæ & periculosæ, ex quâ solet mors vt plurimum sequi. Ita Medina. 2.2. q.63.§.8.Salon. suprà. Bonacina disp.7. q.4. puncto.7.

puncto 7. qui exemplum adhibet in eo, qui admouet bombardæ ignem vbi magna est hominum multitudo, aut in eo, qui ibi vult arcem euertere. Quæ doctrina vera quidem est; sed non omninò ad rem: nunc enim agimus de dante operam rei illicitæ adhibitâ sufficienti diligentiâ, ne sequatur homicidium, in quo casu quærimus, an incurrat Irregularitatem? assignati autem casus, & similes, in quibus morale periculum tale est, vt quæuis moralis diligentia non sufficiat, quò minus mors vt plurimum sequatur, non est noster casus. Vnde si in illis casibus incurritur Irregularitas, ideò est; quia nulla sufficiens est diligentia, quæ adhiberi potest ab explodente bõbardam, vel ab euertente arcem in medio circumfusæ multitudinis. Itaque quoties datur opera rei illicitæ (sicut & etiam licitæ) sine sufficienti diligentiâ, ne homicidium sequatur, Irregularitas incurritur, imò tunc opus alias licitum definit esse licitum sub eâ circumstantiâ; quotiescumque verò datur operâ rei siue licitæ, siue illicitæ, & adhibetur diligentia ne homicidium sequatur, Irregularitas non incurritur, sed homicidium est omninò casuale, quando diligentia est sufficiens moraliter loquendo non sufficit autem quòd diligentia sit quæ moraliter possibilis est suppositâ actione illâ illicitâ, quæ tunc fit, sed requiritur, quòd illa diligentia, quæ tunc moraliter possibilis adhibetur, censeatur sufficiens ad re ipsâ euitandũ homicidium, vel mutilationem, quod si talis non censeatur, nec sit, & mors reipsâ sequatur, Irregularitas incurretur, quando verò sufficiens illa diligentia meritò censetur, quantumuis opus sit illicitum ex alio capite, nunquã Irregularitas incurretur, nisi in duobus illis casibus Iure expressis, altero in cap. vltimo de *Homicid.* in 6. altero in cap. *Tua nos* de *Homicidio*. in quibus duobus admitto doctrinam Suarij, & aliorum.

Regula ad dignoscendũ quando operam dans rei illicitæ vel licitæ Irregul. incurrat.

Adhibens sufficientem diligentiam nunquam incurrit Irregul. nisi in duobus casibus.

922 Imò & in his duobus adhuc posset esse difficultas, ad cap. enim vltimum responderi posset, vel ibi tantùm esse decisum pro foro externo, quia non præsumit Ius talem mandantem verè, & ex animo mandasse non percuti lethaliter eum, quem iniustè percuti mandabat, vel (quod magis placet) iudicauit Pontifex non adhibuisse sufficientem diligentiam, sed temerè expositum periculo occidendi hominem, cui præceperat vt percuteret, nam prudenter moraliter loquendo difficillimum est velle alium per vim grauiter vulnerare, & modum tenere, vt non sequatur mors ex tali vulnere. Vnde mandans ille non sufficienter præcauebat, ne mors sequeretur solùm dicendo mandatario, vt percuteret, sed non lethaliter.

Imò & in duobus his casibus possit esse difficultas.

923 In casu etiam cap. *Tua nos.* dici potest; Ius non præsumere prædictum Monachum sufficienter fuisse instructum in eâ arte Chirurgicâ aperiendi apostema, atque adeò quantumuis de facto aperiendo adhibuisset, quam tunc poterat diligentiam, non tamen adhibuisse eam, quæ sufficeret, atque adeò debuisse abstinere à tali opere; alioquin sibi Iure prohibito, & tanquàm dans operam rei illicitæ sine sufficienti diligentiâ propter secutam mortem Irregularis declaratur, & sanè vix potest negari posse esse dubium in tali casu, an scilicet mors illa secuta fuerit propter actionem exercitam culpabiliter sine sufficienti diligentia, quod est dubium facti, in dubio autem facti, quando agitur de homicidio censendus est quis Irregularis; non ergo mirum quòd Pontifex prædictum Monachum Irregularem declarauerit, si tale dubium facti iudicauit esse, vel præsumpsit pensatis circumstantijs. Vnde probabilis est sententia, quòd in nullo casu incurratur Irregularitas; quando quis adhibet sufficientem diligentiam ne mors, aut mutilatio sequatur, quantumuis, quod exercet sit alioquin illicitum. Prædictum. cap. *Tua nos.* obiter etiam declarauimus in nostro opere de *Iustitiâ*. Tract. de *Restit.* disp. 7. dub. 8 post. 5. assertionem, vbi etiam notauimus cum Bannes prædictum Textum posse explicari de foro exteriori, in quo non præsumitur sufficiens adhibita diligentia.

In nullo casu probabiliter incurritur Irregul. quando adhibetur sufficiens diligentia ne mors sequatur.

924 Vnde generaliter loquendo hæc assertio tenenda est, scilicet, homicidium omninò casuale, id est quod nec est volitum in se, nec causâ Irregularitatem non inducere. Quæ assertio colligitur ex multis capitibus Iuris, maximè ex c. *Lator.* cap. *Dilectus.* c. *Significasti.* c. *Ioannes* de *Homicidio.* atque hanc propositionem vniuersaliter loquendo docent Suarius suprà. nu. 9. quamuis posteà prædictas limitationes adhibeat propter casus, quos putat Iure expressos; Item Molina disp. illâ. 71. num. 1. & disp. 77. nu. 2. Auila & Henriq. suprà, Valentia tomo. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. Filiucius. num. 54. & alij communiter teste Molinâ suprà & Suario sect. illâ. 5. num. 2. & alijs citatis.

Assertio generaliter loquendo tenenda.

925 Ex his constat nec furiosum vsu rationis carentem tempore patrati homicidij, nec ebrium, vel dormientem, qui non præuidit futurum homicidium, quod in ebrietate vel somno patrat, incurrere Irregularitatem, etiam si fortè, quando erat sibi præsens, habuisset prauum affectum erga illum hominem, quem posteà non sibi præsens occidit; ex eo enim affectu non oritur, tanquàm ex causâ, homicidiũ sed per accidens. Ita Molina *suprà nu.* 4 referens Castrum, Couarr. & Nauarrum, quantumuis reclamet Paludanus *in 4. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 2. Idem iudicium est de infante rationis vsu carente. Secùs est de habente iam vsum rationis sufficientem ad mortale peccatum; qui Irregularis fiet iuxta Syluestrum verbo *Homicidium*. 3. quæsito. 1. Sanchez in summa lib. 1 cap. 12. num. 8. Nauarrum cap. 27. num. 230. Molinam suprà & alios. Sed de his omnibus non nihil generaliter diximus disp. 1. dub. 13. num. 225. loquentes de Censuris, & posteà num. 232. in particulari de pueris dub. 14. vbi notauimus tales pueros doli capaces Irregularitatem incurrere, pro quâ sententiâ plures alios attulimus, vbi etiam diximus esse probabile non incurrere talem pœnam, qui ante septennium occidit; quia in Iure absolutè excipitur Infans. Pro quâ sententiâ adduximus Auilam, Henriquez, & Didacum Perez. Quòd si detur casus in quo puer non habens plenum vsum rationis sufficientem ad mortale occidat alterum non fiet Irregularis etiamsi septennium excedat, vt rectè notat Auila. *p.* 7 *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 13. *conclus.* 2. Molina suprà; tale enim homicidium

Ex dictis Collige.

cidiũ non censetur voluntarium sufficienter ad culpam grauem; atque adeò, nec ad grauem pœnam.

Opinio aliquorum quoad puerum occidentem. Authori non placet.

926 Illud verò, quod notant Henriq. & Auila, ille lib. 14. cap. 3. num. 4. hic verò suprà conclus. 3. aliique nonnulli scilicet, non fieri Irregularem puerum occidentem, de quo dubitatur an habeat plenum rationis vsum? mihi non placet; neque illorum ratio aliquid probat dùm aiunt præsumendum esse in fauorem pueri possidentis suam libertatem; Oppositum enim longè probabilius existimo; nam puer post Septennium præsumitur habere rationis vsum, & consequenter affici Irregularitate proueniente ex delicto; an verò ex alio capite excusetur, scilicet, propter ignorantiam? decidendum est iuxta dicta disp. 2. dub. 23. vbi generaliter diximus an ignorantia excolet, de nostro autem casu in tali dubio pueri maioris Septennio legi potest Sanchez citato lib. 1. *Summæ*. cap. 12. num. 13. & de Matrimonio lib. 1. disp. 16. num. 10. & 11.

Ex dictis infertur aliquorum Casuum resolutio.

927 Ex dictis iam placet aliquos in particulari casus decidere Primò circa dantes operam rei licitæ: casuale quid omninò est respectu conficientis, aut vendentis gladios, quòd illis emptus emptores abutantur, imò etiamsi fortè ex alijs capitibus conficiens, aut vendens peccet, vt si faciat in die festo aut contra prohibitionem superioris: mors enim respectu conficientis, aut vendentis omninò casualis, & præter intentionem, etiam in directam, censetur. Ita Molina disp. illâ 77. num. 10. Vgolin. c. 18. §. 1. num. 6. referens Alphonsum à Castro, & alios. Suarius disp. 45. sect. 3. num. 5. Filiucius Tract. 20. cap. 4. num. 104.

Primò.

Secundò.

928 secũdò Idẽ meritò docet Suarius sect. 6. n. 5. de ijs, qui faciunt charras lusorias, quarum occasione alij inter ludendum interficiuntur.

Tertiò.

329 Tertiò Pharmacopolas, & similes vendentes, aut conficientes medicinas ex rebus corruptis, & non secundum artem, esse Irregulares, si mors infirmi sequatur ex eo, vel certè sit dubium; an inde sequuta fuerit. Ita Vgolinus cap. 19. num. 1. Suarius, Filiucius, & alij suprà.

Quartò.

930 Quartò Irregularem esse, qui præbet, consulit, aut mandat aliquid dari ægroto, ratione cuius mors, vel sequatur, vel acceleretur notabiliter, etiamsi hoc faciat titulo pietatis; exercet enim opus illicitum sine sufficienti diligentiâ. Ita Nauarrus num. 228. Sayrus lib. 7. cap. 6. num. 13. Auila suprà dub. 8. Henriq. cap. 15. num. 5. Vgolin. cap. 11. §. 3. num. 4. Molina suprà num. 7. Salon illa controuersia. 1. conclus. 4. & alij multi.

Dixi notabiliter.

931 Dixi *Notabiliter*; quia non desunt Authores existimantes non fieri Irregularem, quando mors adeo parùm acceleratur, vt pro nihilo acceleratio reputetur. Ita præter alios Henriquez suprà. Auila citatà. p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 8. Illud absolutè affirmauerim, quod iam suprà tetigimus non incurrere, qui aliquid ægroto bona fide, vel ex præscripto Medici præbet, aut aliquid, quod non sit prohibitum infirmo, nec dubitat fore, vt noceat, etiamsi inde mors acceleretur ex aliquâ culpâ, quæ non sit culpa lata, seu negligentia notabilis. Ita communiter Doctores loquentes de casu etiam supra dicto, quando infirmum reuoluit infirmarius in lecto; non vt citius pereat (id enim non licet) sed, vt meliùs quiescat, vel cibum capiat adhibitâ diligentiâ, quam communiter adhibent homines illius professionis. Legatur Suarius disp. 47. sect. 7. num. 3. Vgolinus, cap. 19. §. 3. Quod si dubitetur; an fuerit causa mortis, vel accelerationis notabilis culpabiliter, consulatur Medicus, vel alius vir prudens, cuius iudicio, seu consilio standum est; nec facilè admittendi sunt scrupuli, vt cum Vgolino citato docet Henriquez lib. 14. cap. 15. num. 5. Sayrus suprà & alij.

Quintò.

932 Quintò non esse Irregularem, qui cautè, & iuxta artis præscriptum pugionem, hastam sagittã aut tormentarium globulũ extrahit ex corpore vulnerati, ex quâ extractione mors sequatur; seruando enim artis præscriptũ debitam adhibuit diligentiam; ne mors sequeretur. Ita Nauarrus num. 22. Sayrus suprà num. 14. & alij citati.

Sextò.

933 Sextò non incurrere fabrum lignarium aut cedentem in Syluà ligna die festo, si præter intentionem, & absque culpa aliquem intercedendum ligna secori vel alio instrumento è manibus elapso occidat; quamuis enim opus illud illicitum sit diebus festis, non censetur periculosum homicidij, nec deficere in requisita diligentia, vt supponimus; quidquid reclamet Toletus lib. 1. cap. 86. & alij.

Septimò.

934 Septimo constat quid dicendum de casibus contentis cap. *Presbyterum*. &c. cap *ad audientiam de Homicidio*. in quibus Irregularis censetur Magister verberans discipulum excedens modum percussionis, & non adhibens debitam diligentiam, ne mors, vel mutilatio sequatur, vt quando proijcit aliquid in caput, vnde illi oculum eruit, aut quando calce ventrem percutit, & inde mors sequitur. Ita Nauarrus num. 235. Molina suprà num. 6. Vgolinus cap. 20. num. 12. Henriquez lib. 14. cap. 14. num. 4. Auila suprà dub. 3 Sayrus suprà num. 2. Filiucius. num. 56. Suarius disp. 45. sect. 5 num. 2. Reginald. lib. 30. cap. 12. & alij communiter.

Octauò.

935 Octauò nec Iudicem Irregularem fieri quando ex illius mandato verberatur reus iuxta Leges tali verberum genere, quod non sufficiat ad mortem, vel mutilationem; minister verò in executione modum excedit, & propter excessum mors sequitur, aut mutilatio.

Nonò.

436 Nonò nec Iudicem Ecclesiasticum præcipientem, aut commendantem Iudici sæculari, vt reum puniat secundum leges dummodo secundum eas non mereatur mortem, vel mutilationem, etiamsi hanc inferre arbitrio Iudicis permissum sit, & ille mortem inferat; tunc enim mors non imputatur Iudici Ecclesiastico respectu cuius casualis censetur. Ita Suarius disp. 45. sect. 2. num. 4. Henriq. cap. illo 14. num. 5. Filiucius num. 95. Reginald. lib. 30. num. 125. Vgolinus de *Irregularitate*, c. 15. §. 6. Auila suprà disp. 6. dub. 3 & 4. Sayrus lib. 7. cap. 2. num. 8.

Decimò. Infertur quoad aliquem iterum vulnerantem morte sequuta.

937 Decimò non esse Irregularem, qui alium vulnerauit vulnere ex se leui, seu non lethali; vulneratus tamen moritur ex suâ intemperantiâ, vel imperitiâ Medicorum. Ita Suarius disp. 45. sect. 6.

45. sect. 6. Couarub. in Clementinā *Si furiosus*. p. 2. §. 2. num. 9. Reginald. num. 164. Filiucius. nu. 83. Salon suprà controuers. 1. conclus. 2. Less. lib. 2. c. 9. dub. 15. Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 16. Sotus de *Iustitiâ*. lib. 5. q. 1. art. 9. Caietanus suprà. art. 8. & ex parte Vgolinus. c. 14. §. 2. num. 8. Aragon 2. 2. q. 64. art 8. & aliqui Thomistæ; quāuis nonnulli ex citatis maximè Couarrubias in oppositam sententiam videantur inclinare, quam expressè sequuntur. Nauarrus Comment. de *Furto*. num. 17. & in *Summâ* cap. 27. num. 223 Syluest. verb. *Homicidium*. 2. q. 22. Antonini. 3. p. tit. 27. c. 2. in principio Tabiena verb. *Irregularitas* 3. § 6. Corduba in *Summa*. q. 34. Villa-diego. c. 6. num. 17. Auila disp. illâ. 6. sect. 1. dub. 5. referens Didacum Perez, Henriquez suprà, num. 4. quamuis Auila, & Henriquez præcipuè Irregularitatem agnoscant in vulnere graui; nam, si esset adeò leue, vt exiguo medicamine posset sanari, & ex imperitiâ, vel malitiâ Chirurgi mortuus est ægrotus, non putant Irregularem vulnerantem. In quo videntur nobiscum consentire; addunt tamen (sicut & Couarrub. & Nauarrus) quamuis mors non sequatur præcisè ratione vulneris; quia non erat lethale; sed ratione febris, vel alterius infirmitatis inde prouenientis, fieri Irregularem percussorem in quo ego non dissentio, quantùm ad substantiam doctrinæ; solùm videtur esse implicatio in abiecto dicere vulnus non esse lethale & esse tale, vt ex eo originetur febris lethalis comparatione subiecti; nam, si vulnus tale est vt causet febrim; & mediâ febri mortem, hoc sufficit, vt vulnus lethale censeatur. Itaque dimissis his distinctionibus absolutè probabiliorem puto primam sententiam per vulnus non lethale non incurri Irregularitatem; quia tale vulnus non censetur proxima causa mortis, sed remota tantùm, & occasio ex quâ imperitus Medicus, vel ipsemet vulneratus intemperanter viuens, nec debitam adhibens curam, mortem causârunt. Illud autem ego vulnus lethale appello, quod hîc, & nunc pensatis circumstantijs sufficit ad mortem inducendam. Vnde, si quis vulneraretur tali genere vulneris, quod alijs in locis, vbi medicamēta suppetunt, aut periti Chirurgi; facilè posset sanari, ibi tamen nec Medici, nec medicamenta inueniri possunt, eorumque defectu mors sequatur, vulnus illud hîc & nunc censendum est lethale & sufficiens sub ijs circunstantijs ad inferendam mortem; cùm tamen in alio loco non deberet lethale censeri.

In oppositam sententiam aliqui inclinant.

Per vulnus non lethale non incurri Irregul. probabilius iudicat Author

Ratio.

Vulnus lethale iuxta Authorem.

938 Iuxta hanc doctrinam excusant ab Irregularitate Vgolinus. cap. 16. §. 6. Henriq. sup. n. 4. in Comment. littera. C. Auila suprà concl. 4. patrem vulnerantem filium leuiter, qui tamen vel ex malo regimine, vel ex imperitiâ Chirurgi, vel ex febri casu superueniente mortuus est (atque idem est de eo, qui consilium dedit Patri veberandi filium; talis enim mors omninò casualis) & præter intentionem censetur verberantis, aut consulentis.

Vndecimo.

939 Vndecimò non esse Irregularem, qui consulit, vel mandat Petro occidere Paulum, sed mutatâ sorte Paulus se defendens occidit Petrum. Quæ doctrina locum habet saltem in foro conscientiæ secundum Henriquez lib. 14. cap. 16. littera K. vbi refert Hostiensem, Speculatorem, & alios. Probat verò Henriquez, quia mors Petri censetur casualis respectu mandantis, vel consulentis, qui non videtur cooperatus ad mortem Petri; nec videtur mandasse opus periculosum mortis Petri; idque maximè verum putat, si talis mandans non præcogitauerat secuturam Petri mortem aut verisimiliter credere poterat mortem non futurām. Quæ sententia probabilis est, maximè, quando consiliū, seu mandatum non fuit de occidendo Paulo confligendo cum illo; sed clam, aut veneno, vel aliquâ aliâ ratione occultâ. & magis tutâ ita, vt pensatis circumstantijs prudenter iudicaretur nullum esse periculum, quòd Petrus à Paulo occideretur; nam, si consilium, vel mandatum fuit, vt Petrus confligendo cum Paulo illum in duello occideret, iam ex se mandauit opus periculosum, & sine moraliter, sufficienti cautelâ, aut diligentiâ exposuit ipsum Petrum periculo mortis, quam passus est, & in hoc censu consētit Auila. p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 5. conclusione 4. admittens limitationem Innocentij & Hostiensis & sequitur Diana 2. part. Tract. 15. resol. 17. cum alijs.

Doctrina locum habet in foro conscientia iuxta Henriq.

Ratio.

Probabilem Hēriquez opinionem cum limitatione ait Author.

940 Quamuis autem sententia Henriq. & aliorum probabilis sit, vt diximus, probabilius mihi apparet, & tutior contraria sententia, quā sequitur Nauarrus, Couarrub. & alij apud Sayrum. cap. 2. num. 12. Vgolinus cap. 16 num. 8. Suarius disp. 44. sect. 3 num. 18 & disp 45. sect. 2. num. 6. Filiucius. num. 98. & 15. Molina tomo. 4. disp. 32. num 2. Auila citata p. 7. d isp. 6. sect. 2. dub. 5. conclus. 4. Reginald. lib. 30. num. 126. qui omnes plures alios referunt Probaturque potest; quia mandat vel consulit opus periculosum non adhibita sufficienti diligentia. Imò videtur esse hic casus expressus. cap. vltimo de *Homicidio*. Vnde si authores absolutè recurrunt ad non adhibitam diligentiam sufficientem.

Cui tamen contraria probabilior, & tutior, videtur.

Ratio.

941 Hac occasione etiam aliqui dubitant, an sit Irregularis, qui consilium dat alteri vt temerè se exponat periculo mortis, intrando. v. g. duellum, aut insidias tendendo inimico, &c. Ex quo sequatur mors ipsius, cui dedit consilium.

Dubium.

Multi negant apud Suarium locis nuper citatis. Probant primò; quia Iura solùm loquuntur de eo, qui dat Consilium occidendi, non de eo, qui dat consilium se exponendi periculo. Secundò; quia mors, quæ sequitur, videtur casualis respectu consulentis. Tertiò, quia neque hoc peccatum est peccatum homicidij contra iustitiam; nam scienti. & volenti non fit iniuria.

Multorum Responsio negans.

942 Duodecimò tamen puto ex dictis prædictum consulentem esse Irregularem, vt docent communiter Doctores Teste Suario disp. illâ. 44. sect. 3. num 18. & alijs multis, quos retuli agens de Restitutione proueniente ex dato damno corporis in nostro opere de *Iustitia*. Tract. de *Restit*. disp. 7. Probaturque à simili quia dans alteri consilium, vt se occidat, est Irregularis sequuto homicidio: ergo etiam dans consilium, vt se exponat periculo mortis absque iusta causa. Præterea prædictus consulens peccat contra Iustitiam peccatō homicidij. siue; quia, vt multi volunt, id sit peccatum iniustitiæ respectu Reipublicæ, cui fit iniuria, sicut, quando quis

Duodecimo.

Author. affir.

Probatur à simili.

quis occidit, vel mutilat aliquem consentientem, aut, quando quis se ipsum tanto periculo exponit abutendo vitâ suâ; siue quia ipse, qui se exponit, cùm non sit Dominus vitæ, nec potest cedere Iuri seruandi illam; atque adeò, neque ipse consulens desinit esse iniuriosus, & iniustus propter scientiam & voluntatem ipsius subeuntis periculum.

Decimo tertiò.

943 Decimo tertiò patet à fortiori esse Irregularem, qui dedit doloso consilium alteri transeundi per locum, in quo iam nouerat esse inimicos tendentes illi insidias. Item, qui præuidens periculum dedit consilium transeundi per fluuium periculosum, aut alia similia loca. Ita Vgolinus. cap. 16. numero 5. Maiol. lib. 5. cap.48.§.2.Sayrus lib.7.cap.3.num.10.

Decimo quartò.

934 Decimo quartò esse Irregularem, qui præuidens, & cogitans periculum, cui se exponebat, inter dormiendum interemit infantem, quem oppressit in lecto; talis enim non adhibuit diligentiam sufficientem, & debitam pro tali auertendo periculo. Ita Vgolinus.cap.18. §. 2. num.12.Suarius disp.45. sect.6. num.15. Reginald.lib.30.cap.12.num. 157. Nauarrus nu.236. Filiucius.num.79. & sequentibus, & alij apud Sayrum suprà.num. 20.

Decimo quintò.

945 Decimo quintò esse Irregularem secundum aliquos, qui proijcit lapidem in Petrum si lapis, Petro declinante, incidit in Paulum, quē occidit aut mutilauit. Ratio cur incidat proijciens lapidem in Irregularitatem, assignatur quia exercet actionem periculosam homicidij absque diligentiâ ne lapis in Paulum incideret. Ita Molina suprà. Vgolinus suprà.§. 2. num. 5. Sayrus suprà, cap.6.num.40.Reginald.lib. 30. num.156.& 158.Quæ doctrina vera est in casu, quo præuidit esse periculum immittendi lapidis in caput alterius; nec præmisit diligentiam sufficientem, ne tale damnum fieret; Si autem debitam diligentiam præmisit, & casu transeuntem Paulum lapis tetigit, Irregularis non erit iuxta dicta generaliter disp. 2. dub. 23.Ita Suarius disp 45. sect.6.num. 18. Filiucius. num. 81. Sayrus & Molina suprà, quidquid reclamet Vgolinus suprà.num.12.

Decimo sextò.

946 Decimò sextò non esse Irregularem Petrum in hoc prædicto casu declinantem ictū lapidis, etiamsi videat alterum fore feriendum, vtitur enim Iure suo seruandi se incolumem.

Decimo septimò.

947 Decimo septimò censeri Irregularem fabrum reficientem tectum in viâ, quâ solent homines transire, proijciendo tegulam, quâ transiens occiditur; nisi mouerit sufficienter, vel signum de more posuerit. Probatur ex cap. *Ex litteris*,& c.*Lator* de *Homicidio*, est enim opus ex se periculosum, & non adhibetur sufficiens diligentiâ. Ita Molina suprà Sayrus suprà num. 27. Vgolinus.cap.21.num. 5.Henriq. suprà.Nauarrus.num.255.Reginald.nu.156.& alij communiter, Idemque iudicium est de currente in equo maximè noctu, vel dubia luce in frequenti plateâ, aut vico Ciuitatis, vbi solent frequenter esse pueri, & alij, qui non facilè aduertunt, vel aduertunt; si fortè aliquis equo protritus intereat, vel mutiletur. Vnde meritò grauis pœna Ciuilis Iuris incurritur per statuta ciuitatum, aut leges, quoties quis ita ibi agitat equum absque tintinabulis, aut crepitaculis, imò, & absque face accensâ, si noctu currat.

948 Decimo octauo Irregulares fieri, qui tempore niuium globis ex niuibus compressis se mutuò impetunt, aut etiam pomis, peponibus, malis aurantijs, & similibus, vnde contingat erui oculum; exercent enim opus periculosum, non adhibitâ diligentiâ sufficienti. Ita Vgolinus cap.22.num.24.& alij communiter. *Decimò octauo.*

949 Decimò Nonò idem à fortiori dicendū de ijs, qui lapidibus certant, aut gladiatoriam artem exercent, aut hastiludiunt si non præmittant sufficientem diligentiam, ne mors, aut mutilatio sequatur. Ita Vgolinus num. 5. *Decimo nonò.*

950 Vigesimò incurrere, qui saltatione immoderatâ saltauit cum muliere prægnante ita, ut sufficiens causa sit abortus.cap.*sicut ex litterarum* de *Homicidio*. sicut, & quicumque percutit talē fœminam sine sufficienti cautione (quæ vix potest adhiberi) Vnde censeatur causa abortus. Ita Henriquez suprà lib. 14. cap. 15. num. 4. Auila suprà dub. 6. Vgolinus suprà. Reginald. sup.cap.12.num.156.Suarius disp.45.sect.2. nu. 5. Molina ex parte disp.77.quamuis sit quæstio inter Doctores, ad quod genus Irregularitatis pertineat; an scilicet sit Irregolaritas ex homicidio voluntario, vel ex homicidio casuali. Hoc secundum mihi videtur verius, cum D. Thoma 2.2.q.64.art.vltimo ad 2.quem sequitur Suarius suprà,& Nauarrus.num.240.contra Caietanum ad locum citatum D. Thomæ. Ratio est; quia talis actio est remota. Vnde ablatâ intentione tantùm relinquitur voluntarium in causâ, maximè, cùm actualis inaduertentia tantum in hoc casu operetur, quantum ignorantia, &; qui sic percutit, (inquit Suarius) moraliter non aduertit ad periculum fœtus. Vnde, sicut interueniente ignorantiâ etiam culpabili, homicidium est casuale, vt fatetur Caietanus; ita etiam interueniente inaduertentia actuali, etiam culpabili, idemque meritò putat Suarius; etiamsi quis animaduertat periculum; non tamen sibi persuadeat inesse, & conscientiam deponat, non sine aliquo scrupulo, & temeritate; nam id satis est vt homicidium sit moraliter præter intentionē. Si verò non solum aduertat; sed etiam sibi persuadeat inde sequendum aborsum, vel esse morale periculum illius, & nihilominus vult ita percutere, iam homicidium censendum erit voluntarium; quamuis enim dicat se nolle occidere, ea nolitio est inefficax, & secundum quid absolutè autem vult exercere actionem, quam iudicat occisiuam, quod est directè velle homicidium. Hæc ferè Suarius. Multum autem refert pro dispensatione obtinendâ; an sit homicidium voluntarium vel casuale? faciliùs enim dispensatur in Irregularitate ex casuali, quàm ex voluntario: non valebit autem dispensatio si non fiat vera narratio. Ideò grauanda est conscientia delinquentis, vt veritatem narret, cuius confessioni standum est nec valebit dispensatio; nisi vera narret. *Vigesimò.* *Quæstio inter Doctores.* *Iudicium Authoris cum D. Thom.* *Ratio.*

951 Vigesimò primò idem, atque de præcedenti casu, sentiendum est de eo, qui habet copulam cum muliere prægnante absque debitâ cautione, si mors fœtus animari inde sequatur, sicuti notauit idem Suarius sect. 6. num. 11. *Vigesimo primò.*

Filiucius

Filiucius. num. 75. Vgolinus. §. citato. num. 2. Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. & alij, quod intelligendum est, si nouit, aut aduertit tale periculum.

Vigesimo secundò. 952 Vigesimo secundò idem iudicium est, saltem pro foro exteriori, de casu, qui habetur cap. *Continebatur.* de *Homicidio.* vbi Clericus falcè occultè præcinctus declaratur Irregularis, quia alter cum eo colludens falce vulneratus obijt, in quo casu non præsumitur debitam diligentiam adhibuisse ad præcauendum homicidium in foro tamen conscientiæ Irregularis non erit, si reipsâ periculum nullâ ratione præuidit vt notauit Suarius disp. illâ. 45. sect. 5. num. 3. ad finem Filiucius num. 57. alijque Recentiores.

Vigesimo tertiò. 953 Vigesimo tertiò non esse habendum pro Irregulari insidens equo, qui fractis habenis puerum in via conculcauit & interfecit; mors enim est casualis, quod verum est, etiamsi quis equitet illicitè, vt quando concendit equum ad furandum vel occidendum, aut si sit Monachus franciscanus, cui iuxta suas Religionis regulas prohibitum st equitare; semper enim in his, & similibus casibus mors illa est casualis; patetque ex cap. *dilectus de Homicidio.* Ita Molina suprà. n. 7. Sayrus lib. 7. cap. 6. num. 1. Vgolinus. cap. 18. §. 1.

Vigesimo quartò. 954 Vigesimò quartò esse Irregularem illum alterũ, cuius equus morsu vel calcibus interfecit non adhibita sufficienti diligentiâ ad id præcauendum, quando ei nota esset equi natura, vel proprietas, vel saltem de illa dubitaret; tunc enim mors non censetur omninò casualis.

Vigesimo quintò. 955 Vigesimo quintò Irregularem non esse, qui domi satis diligenter custodit feram, quæ absque custodientis culpâ casu soluitur, & aliquem occidit. Ita Nauarrus, Couarrub. & alij apud Sayrum suprà. num. 19. Henriquez suprà. c. 15. littera. M. Auila. 7. p. disp. 5. sect. 1. dub. 7. Villa diego. cap 6. num. 31. Reginald. num. 253. est enim merè casualis occisio.

Vigesimo sextò. 956 Vigesimo sextò esse Irregularem, qui feram, quantumuis ligatam, in viâ ponit, vel publico loco, vbi occidit incautè accedentes; est enim actio ex se periculosa, nec censetur ibi illam ponens sufficientem adhibuisse diligentiã ad præcauendam mortem. Ita Molina suprà. n 6. Auila suprà referens Couarrubiam, & Henriquez, vbi etiam notat per legem Ciuilem, tanquam delinqentem puniri pœnâ ducentorum solidorum. Idem iudicium est de eo, qui canem in alium irritauit, & inde sequuta est mutilatio, Ita Vgolinus. §. 18. cap. 2. num. 8.

Vigesimo septimò. 957 Vigesimo septimò non esse Irregularem, qui bonâ fide inter amicos detexit cuiusdam mulieris adulterium, etiamsi posteà per nefas ab aliquo audientium id deferatur ad virum, & hic propterea vxorem occidat; tunc enim illa manifestatio adulterij pensatis circumstantijs non videbatur periculosa homicidij, etiamsi alioquin esset iniusta propter detractionem famæ atque adeò mors adulteræ non videtur illi imputanda. Contrarium tamen sentit Vgolinus. cap. 22. num. 14. quod mihi placet, quando vel dubium, vel probabilis timor erat huiusmodi delationis pensatis circumstantijs ex parte audiétium, vt, si aliquis eorum erat intimus amicus mariti, aut inimicus vxoris adulteræ, vel complicis, idque aliquâ ratione notum erat illi detractori detegenti adulterium. *Contrarium exempla cum Authori cum limitatione.*

958 Vigesimo octauo à fortiori non esse Irregularem, qui dixit alteri bonâ fide in tali loco extare exules, & ille audiens inde arreptâ occasione hoc detulit ad Iudicem, qui capros exules morte affecit; illa enim mors respectu primi referentis casualis videtur, & nimis remotè illa prima manifestatio concurrit ad mortem. Ita Vgolinus suprà Suarius apud Bonacinam disp. 7. q. 5. puncto. 7. num. 25. ad finem, & alij citati. *Octauò.*

959 Vigesimo nonò esse Irregularem, qui retulit alicui iniurias illi ab alio illatas, quem ideò iniuriatus occidit; nisi sufficientem cautionem adhibuerit ad præcauendam mortem inde prudenter timendam; quia hæc non videtur casualis respectu referentis iniurias; ex talibus enim relationibus rixæ vulnera, cædes, & similia damna oriri plerumque solent. Ita Vgolinus suprà. c. 16. n. 9. Bonacina, & alij citati. *Vigesimo nonò.*

960 Dubitabit tamen aliquis; an adulter fiat Irregularis si maritus cognito adulterio vxorem interficiat? *Dubium.*

961 Hac de re non nihil diximus. cap. 10. §. *Ex dictis inferunt.* affirmat Nauarrus. cap. 27. n. 238 ex responsione Pij V. de quâ loco citato paulò ante diximus. Idem docet Gutierrez lib. 2. cap. 6. num. 43. oppositum docet Castro lib. 2. *de lege pœnali.* cap. 14. Couarrub. p. 2. Clementinæ. *Si furiosus.* §. 4. num. 9. & 10. Henriquez loco notato citatus. Auila dis. 3. sect. 5. dub. 3. conclus. 2. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. nu. 363. Layman. lib. 3. Tract. 3. p. 3. c. 10. nu. 2. loquitur tamen cum distinctione, pro quâ refert Suarium disp. 45. sect. 6. num. 5. scilicet vt attendatur; an adulter temerè se ingerendo exposuerit adulteram mortis periculo; an verò maritus id præter omnium opinionem resciens, eam interfecerit, & in primo casu negat esse Irregularem non in secundo. *Responsio. affir. aliquorum.* *Resp. alij cum distinctione.*

962. Quòd si obijcias cum Soto lib. 5. de *Iustitiâ.* q. 1. art. 9. & cum Auilâ suprà, & Henriq. Maritum etiam tunc non habuisse Ius occidendi vxorem, ideò ipsi maritò non verò adultero, vel adulteræ tribuendum esse, respondet Layman ad Irregularitatem sæpe sufficere occasionem præbuisse homicidio per alterum iniquè illatum; quamuis præter, aut contra directã intentionem, eius qui occasionem præbuit. Quæ doctrina probabilis est, eaque distinctio mihi magis placet. *Obj.* *Resp. Layman* *Doctrinam Layman approbat Author.*

963 Valet quidem illa doctrina, quòd maritus (etiam posito adulterio vxoris) non habeat Ius ad occidendum vxorem, neque ipsum adulterum; possitque tunc adulter se ipsum (aut mulierem etiam occidendam) defendere iuxta à nobis dicta citato cap. 10. quæsito 2. absque eo quòd incidat in Irregularitatem, si propter necessariam defensionem, non aliter potens se defendere, maritum occidere volentem occidat; non verò iuuat iniustitia aggressionis ex parte mariti ad hoc, vt causam præbés marito iniustæ aggressionis nõ incidat in Irregularitatem, saltem quando præuidit se causam præbere, sicut diximus de detractore, aut delatore

tore criminis ad ipsum maritum.

Trigesimò 964. Trigesimò illum esse Irregularem, qui incurrit alteri terrorem, quo medio est causa, vt perterritus se præcipitem agat, aut vt per territa fœmina cagatur abortire dummodò sufficienter aduerterit, qui talem metum incutit. Ita Sayrus suprà numero 31. & in Claui Regiâ lib. 10. Tract. 2. cap. 12. numero 28. Henriquez suprà numero 3. & alij communiter; propter inaduertentiam tamen ferè semper excusari possunt pueri, qui se ioco terriculamentis ludicris perterrefaciunt, ignorantes, vel non aduertentes mortem, vel aliud graue damnum inde sequendum. Ita Nauarrus lib. 5. *Consiliorum* de *Homicidio* conclus. 7. Molina suprà n. 9. Sayrus suprà & alij. Idemque iudicium est de his, qui perterrefaciunt eo modo, ex quo non solet perturbatio sequi.

Notandum pro casibus hucusq; explicatis & similibus. 965. Tandem pro totâ doctrinâ, & casibus hucusque explicatis alijsque similibus notandum est (id quod iam suprà indicauimus) ad incurrendam Irregularitatem ex homicidio casuali, non omninò casuali, & iniusto, de quo hucusque præcipuè disputauimus requiri culpã mortalem; talis enim Irregularitas est pœna, & satis grauis; pœna autem debet proportionari culpæ; atque adeo pœna grauis, culpæ graui. Ita Suarius disp. 45. sect. 5. numero 8. Sayrus lib. 7. cap. c. numero 5. Salon 2. 2. q. 64. art. 8. controuers. 4. ad finem. Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. puncto 3. Filiucius numero 68. & 51. alijq; multi, quamuis contrarium sentiat Molina suprà & alij apud Sayrum, qui putant sufficere culpam venialem; sed, quod diximus, probabilius est, & magis conforme doctrinæ traditæ disp. 2. dub. 12. vbi disputauimus an excommunicatio maior, vel alia censura grauis suspensionis, aut interdicti propter solam culpam venialem imponi possit.

CAP. XIII.

De Irregularitate ortâ ex Homicidio voluntario iniusto ex parte exequentis, aut mandantis, aut consulentis.

Homicidium voluntariũ quod dicatur 966. Legantur, quæ diximus in nostro opere de Iust. lib. 2. Tract. de disp. 10. dub. 14. & Tract. 2. disp. 4 dub. 3. & 4. vide etiam quæ dixi *disp. 1. huius Tract. dub. 21. & 22.*

Voluntarium homicidium dicitur, quod in se est volitum; & quamuis homicidium volitum in suâ causâ soleat ab aliquibus imò à D. Thomâ 2. 2. q. 64. appellari casuale, vt videre est art. 8. tamen, vt rectè Nauarrus, & communiter Theologi, etiam dicitur voluntarium, quod est volitum in causâ adeò propinquâ vt impossibile sit velle illam, quin sit volitum homicidium sicut velle dare venenum, velle ferire circa præcordia. Itaque sicut voluntarium generaliter loquendo absolutè, & directè dicitur, quod est volitum in se formaliter, voluntarium verò indirectè, & secundum quid, quod, licèt non intendatur in se directè, & explicitè, intẽditur in causâ ex quâ videtur secutum; idem omninò di-

Voluntariũ directè & indirectè.

cendum est in particulari de homicidio; imò Couarr. 2. p. 5. numero 1. vers. *voluntarium* docet etiam esse voluntarium homicidium, quando quis voluit percutiendo faciem cicatrice deformare; licèt non occidere; non potuit tamen manum temperare, quin grauiter percusserit; tunc enim iam præuidit periculum interficiendi, & voluit id, ex quo periculum sequebatur apertè. Oppositum tamen sentit Henriquez suprà referens alios numero 1. litera N. sed hoc, quod Couarr. docet, est probabilius, imò omninò verum, cum quo sentit Suarius disp. 44. sect. 1. numero 4. Filiucius numero 89. Toletus lib. 1. cap. 62. numero 10. *voluntariũ homicidium iuxta Couarr.*

967. Rectè autem notat Suarius, quod attinet ad forum conscientiæ, quando quis vulnerat alium directè voluntate percutiendi, seu vulnerandi; cum proposito tamen non occidendi, quamuis mors sequatur, illud non esse homicidium voluntarium in rigore, & in conscientiâ, in quâ de tali proposito constare potest; quod secùs est in foro exteriori; & ideò in illo coniecturis, & signis agitur, quæ ex circunstantijs, vt ex instrumento, quo percussit ex loco, & modo percutiendi, & occasione desumuntur, & in dubio semper præsumitur contra occidentem vt ex Antonio Gomez tomo 3. *variarum* cap. 3. numero 15. notat idem Suarius ibi, & addit aliquando necessarium esse eisdem coniecturis vti in foro animæ, maximè ad disputationẽ, vt quãdo ipsemet occidens nescit explicare intentionẽ suam, præsertim quando habet animum percutiendi; non tamen excludendo, aut limitando, sed indifferenter absolutè volendo percutere, aut vulnerare tunc enim ex circumstantijs id coniectare necesse est, & ad id iuuat cognitio causæ, quæ ad occisionem hominis applicata fuerit. Vnde, vt notabam, qui alteri venenum mortiferum propinat, vel punctim ferit circa præcordia, aut cæsim in capite, censetur velle mortem; nam velle talem causam perinde est, ac uelle effectum eâdem ratione volenti percutere absolutè in quacunque parte posit, & modo, quo posit, si eâ ratione occidat, censetur homicidium voluntarium; idem enim moraliter est velle talem causam proximam, & velle effectum. *Notat rectè Suarius quoad forum conscientiæ* *Secus fit in foro exteriori*

968. Secùs verò erit, si eodem instrumento vtens directè procuret non ita percutere vt vulneret, vel non in parte periculosâ; tunc enim, si mora eueniat, præter intentionem, non erit proprijssimè homicidium voluntarium idemq; à fortiori dicendum est, si instrumentum per se non erat aptum ad inferendam mortem. Itaque habemus ex dictis ad hoc, vt homicidium dicatur voluntarium, & ex eo incurratur Irregularitas, esse necessariam vel expressam, ac directam, imò & spontaneam voluntatem occidendi in actu (vt Suarius, & aliqui alij appellant) signato vel exercito; tunc enim dicitur tali voluntate fieri, quando vel mors ipsa est intenta, vel saltem actio illa, quæ est causa proxima, & moraliter per se. & ineuitabilis mortis; quia talem actionem velle, re verà est velle mortem in actu exercitio: quamuis in actu signato, & expresso non concipiatur. Ideò autem meritò dixit Suarius, eam volunta- *Requisita ad hoc vt homicidium sit voluntariũ & ex eo incurratur Irregul.*

tem

tem debere esse spontaneam, vt excluderetur voluntas, se defendendi, quæ in hac materiâ solet dici voluntas necessaria, vt explicuimus c. 10. & quamuis in ea excedatur aliquando, etiam cum peccato, effectus tamen ex illâ secutus non est voluntarius, prout nunc loquimur; sed alterius rationis, vt Suarius etiam notat. & explicat; qui etiam, & alij aduertunt nomine mortis etiam mutilationem comprehendi, quæ (vt sæpè diximus) est homicidium partiale.

Mortis nomine comprehenditur mutilatio.

Differentia inter homicidium voluntarium, est Casuale.

969. Ex dictis patet iam differentia inter homicidium casuale, & voluntarium, nam, vt ex dictis in c. præcedenti constat, homicidium casuale dicitur, quod non est formaliter intentum, nec reputatur iudicio prudentis tanquàm formaliter intentum, vt quando quis percutit aliquem ictu non apto per se ad mortem; sed, casu accidit, vt percussus inter fugiendum impegerit ad Saxum, vel parietem, indeque fracto cranio mortuus fuerit. Quà de re legi potest Antoninus Gomez suprà Filiucius Tract. 20. c. 2. q. 2. & alij apud Suarium suprà numero 3. & 4. cum quibus sentit Sa verb. *Homicidium* numero 4. qui omnes docent iuxta dicta illud solùm applicari homicidium voluntarium in Iure Canonico, quod fit ex proposito, seu, quod est per se, & directè intentum; quod ego intelligerem modo explicato à Suario, intentum, scilicet, in actu signato, vel in actu exercito vt dictum est, quamuis alij citati videantur excludere ab homicidio voluntario, etiamsi id fiat tali actione ex quà; vt plurimùm sequatur mors, quod non videtur improbabile aliquibus alijs Doctoribus loquentibus de dispensatione, quam circa Irregularitatem homicidij non voluntarij concedere potest Episcopus iuxta Tridentinum sess. 14. de *Reform.* c. 7. & sess. 24. c. 6. Nec mihi hæc doctrina displicet dummodò sub homicidio voluntario comprehendamus non solùm directè, & per se intentum in actu signato; sed etiam per se intentum in actu exercito; de quo nuper dicebamus cum Suario, quando scilicet intenditur actio, quæ est causa proxima, & moraliter per se, & ineuitabilis mortis, & quantùm ad predictam dispensationem sub homicidio casuali comprehendamus, quod fit per actionem, ex quâ frequenter quidem sequitur mors; sed illam non intendit, qui eam actionem exequitur.

Homicidium voluntariũ iuxta Ius Canonicum.

Authoris Iudicium.

970. Ex hoc etiam patet, quandonam homicidium dici possit voluntarium, vel casuale respectu mandantis, vel consulentis: tunc enim est voluntarium, quando mandans, vel consulens intendit illud in acto signato id est directâ & expressâ voluntate, vt occidatur, vel rectè in actu exercito, id est directè, & expressè mandans, vel intendens à mandatorio exequi actionem, quæ est causa proxima, & moraliter per se, & ineuitabilis mortis. Quando verò mandat sine tali intentione opus, quod ex se non est tale, non censetur homicidium, si sequatur, esse voluntarium, sed merè casuale. Legatur Molina tomo 4. disp. 33. & Suarius disp. 45. sect. 2. numero 5. quem retulimus c. præcedenti, &, quæ ibidem diximus 5. *Decimo nono*: item Sayrus lib. 7. cap. 1. numero 12. Filiucius cap. 4. quæsito 3. & 4.

Homicidium voluntariũ vel casuale, respectu mãdantis &c.

971. Fieri etiam potest aliquando vt homicidium respectu mandantis vel consulentis sit voluntarium respectu verò exequentis casuali, aut è contra; nam si mandans intendat mortem mandatarius verò velit leuiorem iniuriam inferre; sed errore mandans vel aliâ de causâ lethale vulnus influxit; vel è contra mandans intendit leuiorem notam; exequens verò grauiorem, satis constat diuerso modo comparari homicidium cum mandante, & cum exequente, & idem est de consulente, & de exequente consilium. Legatur Suarius disp. illâ 45. numero 4. sect. illa 2. Corollario 2. Filiucius suprà cap. 7. numero 32. & alij. His præmissis, & quæ diximus disp. 3. dub. 58. cap. 1. de persona percutiente,

Homicidium volun. vel respectu mandantis potest esse casuale respectu exequentis aut è contra.

972. Assero primò vix Baptizatus occidens aliquem vel illius membrum mutilans voluntariè simpliciter, vel secundum quid modo explicato fit Irregularis, Est communis sententia Doctorum, quam latè probat Couarr. Clementinâ, *Si furiosus* pluribus Textubus. Ratio verò est; quia prædictum homicidium, vel mutilatio voluntaria inducit Irregularitatem ex dispositione Iuris positiui; talis autem est hæc, de quâ loquimur: ergo illam inducet, quam etiam inducit, vt constat ex c. præcedẽti, homicidium, vel mutilatio casualis cum mortali culpâ.

Assertio 1.

Ratio.

973. Idem iudicium est de eo, qui absque justa causâ se ipsum mutilat abscindens membrum aliquod, nec minùs propriè dicitur mutilator, nec minùs etiam peccat se ipsum mutilando, quàm alium. Ex prædictâ assertione nonnulla pro praxi licèt inferre.

974. Primò fieri Irregularem, qui mutilat membrum, etiamsi debilitatum sit, vel aridum; est enim verè membrum. Excipe, nisi sit Chirurgus, vel Medicus, qui ex præscripto artis id faciat iuxta dicta cap. 11. Ita Suarius disp. 44. sect. 2. numero 11. Filiucius suprà numero 16. & alij communiter. Verum quidem est Suarium de membro, quod sit omnino aridum, id est mortuum non informatum animâ putare, per eius mutilationem non induci Irregularitatem, quod satis probabile est, neque enim iam tale verè dicitur membrum; in Iure autem de membri tantùm abscissione mentio fit.

Ex prædictâ Assertione Infertur 1.

975. Secundò non esse Irregularem, qui brachium alicuius debilitat; neque enim dicitur mutilare, vt latè ostendimus cap. 2. cum multis, vbi etiam diximus non inducere Irregularitatem, facere aliquem cæcum, vel claudum, non eruendo oculum, vel mutilando, & simul etiam disputauimus, an digitus sit membrum, & quid intelligatur nomine membri, & qualis, & quanta debeat esse mutilatio, siue sibi facta, siuè alteri; & alia legi possunt, quæ diximus suprà dub. 8. agentes de Irregularitate ex defectu corporis.

Infertur 2.

676. Assero 2. mandans non solùm expressè, sed etiam tacitè homicidium fieri, est Irregularis, teneturque ad restitutionem, nisi mandatum reuocauerit. Quod attinet ad Restitutionem diximus in nostro opere de *Iustitiâ* Tract. de *Restit. disp. 4. dub. 3.* & faciũt ad hoc ea, quæ diximus in hoc Tra. *disp. 1. dub. 21. & 22.* ibi legan-

Assertio 2.

leguntur. Præsentem assertionem docet Syluest. verbo *Homicidium* 1. quæsito 7. Nauarrus n. 2. 33. Suarius disp. 44. sect. 3. numero 7. Vgolinus cap. 15. §. 4. Azor 3. p. lib. 2. cap. 8. Reginald. lib. 30. numero 124. Filiucius numero 27. & sequentib. Tolet. lib. 1. cap. 80. & alij communiter. In citatâ verò illa disp. 21. plures alios retulimus, qui absolutè excusent mandantem: si reuocauit mandatum, ita, vt non consequatur causa moralis talis effectus. Ratio ergo nostræ assertionis est, quoad primam partem, quòd incurrat scilicèt, Irregularitatem, si effectus sequatur ante reuocationem mandati, quia mandans censetur causa moralis homicidij, & damni, atque adeò Irregularitatis.

Ratio Assertionis quoad primam partem.

quoad secundam.

977. Secundam verò partem assertionis de reuocatione mandati, quod tunc non incurrat, tanquàm probabiliorem secuti sumus loco notatu, quamuis & probabile diximus etiam esse causam moralem: atque adeò incurrere, etiamsi mandatum reuocet. Quæ omnia ibi legi possunt.

Hinc sequitur.

978. Ex hac doctrinâ sequitur primò non incurrere mandantem, quando mandatorio notum est iam amicitiam, & reconciliationem factam esse inter mandantem, & inimicum quem mandauerat occidi, illa enim est tacita, & sufficiens reuocatio mandati: ac proinde homicidium sequens non oritur ex priori mandato: sed ex malitiâ mandatarij. Ita Henriquez cap. 16. numero 2. Sayrus cap. 22. numero 15. Filiucius numero 29. Vgolinus suprà §. 5. Vtrum autem ex Iustitiâ teneatur mandans admonere occidendum, vt sibi caueat dùm præuidet adhuc mandatarium post reuocatum mandatum velle exequi, non consentiunt Authores, affirmat Suarius; negat Vgolinus suprà videturque magis conforme cum doctrinâ à tradita nobis loco citato de *Restitutione*.

Sequitur 2.

979. Sequitur 2. fieri Irregularem mandantem, si mandatarius accepto mandato nesciens pacem, & familiaritatem inter mandantem, & occidendum occidat illum; nondùm enim censetur reuocatum mandatum interim dùm illius reuocatio mandatario non innotescit, quantumuis mandans omnia media tentauerit, vt innotesceet.

Sequitur 3.

980. Sequitur 3. fore Irregularem personam superiorem, vt est Pater, aut Dominus, si passus, iniuriam ab aliquo dicat filio, aut famulo, domum ne redeas; nisi vindictam sumas meæ iniuriæ, vel donec aliquid noui de te audiam, & inde occasione arreptâ filius, aut famulus iniuriatorem patris, aut domini occidat; censetur enim illud tacitum mandatum. Ita Vgolinus c. 15. §. 5. numero 3. Suarius disp. 44. sect. 3. n. 14. Reginald. n. 123. & alij communiter.

Sequitur 4.

981. Sequitur 4. etiam esse Irregularem mandantem Petro, vt occidat Paulum, Petrus verò priùs quidem nolens mandatum acceptare postea mutato consilio acceptauit, & exequutus est, antequam mandans reuocaret mandatum; adhuc enim tunc censetur perseuerare mandatum, quo permotus occidit, atque adeò mandans censetur causa illius homicidij. Ita Suar. suprà n. 5. Maiol. lib. 5. c. 48. §. 2. num. 3. referens Innocentium in c. *Ad audientiam* de *Homicidio* & Baldum in l. 1. C. *de Seruis fugit.* Reginald. lib. 30. numero 126. Vgolinus cap. illo 15. numero 3. Filiucius. num. 29.

Difficultas.

Resp. Bonacina.

Distinctio adhibenda iuxta Authorem.

982. Vtrum autem idem dicendum sit de eo, qui mandauit, vt occideret de nocte, exequens autem occidit in meridie; vel, vt occideret postquàm depoluisset occidendus Magistratum. Ille verò occidit, antequam deponeret, non est ita facilè, & primum decernere, vt aliqui putant, qui absolutè affirmant, inter quos Bonacina disp. 7. q. 4. puncto 8. In quâ re mihi videtur aliqua distinctione opus esse; nam, si mandantis interesset, quod occideretur de nocte; non verò die sequenti; quia nimirum de nocte metuebat aliquid mali ab illo à cuius metu iam liber erat die sequenti, idque satis innotescebat mandatario, non censetur mandâs causa illius mortis sub ijs circumstantijs, sub quibus non extat ipsius mandatum; si tamen absolutè mandauit, vt illum occideret, & addidit de nocte, putans illam esse maiorem commoditatem, vel aptiùs tempus; exequens verò nactus occasionem non in nocte sed in die exequutus est, adhuc censetur perseuerare mandatum, quoad substantiam, & mandantem esse causam moralem homicidij. Item, si mandans solùm post depositum magistratum, & nullo modo ante illum depositum voluit hominem occidi; quia suâ intererat, vt in magistratu viueret, idque notum erat mandatario, sed hic stultè & nimis præceps, aut præmaturè mortem executus est, non censetur mandans causa illius mortis sub ijs circumstantijs, etiamsi ipsum hominem occidi mandasset in alio tempore, sequenti, idque maximè, quando longa distantia esset inter vtrumque tempus; quis enim dicat mandantem occidere hominem iam functum Magistratu (qui Magistratus adhuc duraturus est per sexennium) esse causam moralem mortis, quam mandatarius exequitur in principio sexennij? Quod sic adhuc declaro. Priuatio vitæ talis hominis in toto illo sexennio nullo modo fuit volita in se vel in causâ à tali mandato nec de tali priuatione inducendâ mandatum dedit; sed priuatio, vel spoliatio vitæ, quam mandauerat; illa sola erat, quæ induci poterat post sexennium; ergo quam executus est mandatarius, non est illa, quam dedit in mandatis ille mandans; ergo non fuit causa mandato suo illius actionis, & priuationis, quam mandatarius exequitur, Confirmatur, & declaratur; quia mandans mandato suo non est causa moralis actionis exequendæ, nisi actio talis sit, quæ possit comprehendi saltem disiunctiuè, aut confusè in mandato mandantis; quando enim Petrus mandat alicui, vt occidat Paulum, quacumque; actione, & tempore mandatarius illum perimat, ea actio comprehenditur sub mandato; quia est vna ex occisionibus possibilibus contentis, & significatis illo mandato *occide Paulum*. In nostro autem casu illa actio, quâ mandatarius occidit hominem ante sexennium fungentem adhuc Magistratu, nullo modo est actio, seu occisio, quæ continetur in illo mandato Petri; Petrus enim mandauit actionem, non quamcumque; sed illam, quæ fieri, & exerceri posset post sexennium; illa autem actio, quam

Confir. & declaratur.

quam exequitur mandatarius, non est actio, quam exequi potest, aut potuit post sexennium; sed alia diversa; maximè cùm nec moraliter, nec physicè iuxta rectam Philosophiam actio, quæ potest esse aut est in vno tempore, sit actio, quæ potest esse aut est in alio (saltem naturaliter) ergo nullo modo tunc mandans est causa moralis actionis, ad quam mandatum suum non se extendit. Confirmatur vlteriùs; quia, si quis mandauit alteri: *occide hodie Petrum cras autem nullo modo*, & mandatarius occideret cras, non censetur Petrus mandans hodiernam occisionem, & negans crastinam, esse causam mandato suo crastinæ occisionis: ergo è contra, si diceret *occide cras, sed hodie nullo modo*, non censebitur per mandatum occisionem crastinæ esse causam occisionis hodiernæ: ergo nec in nostro casu per mandatum occisionis post finitum magistratum esse causam occisionis ante illum finitum. Secus dicendum esset, si absolutè mandasset occidere; sed tanquàm accessoriam, aut secundariam circumstantiam monuisset occisorem; vt curaret exequutionem non fieri ante depositum Magistratum; tunc enim substantia mandati solùm respicit mortem occidendi, quam substantiam implet exequutor etiamsi in circumstantiâ deficiat.

Confir. vlterius.

983. An verò censeatur Homicida & Irregularis mandans verberare, percutere, vel capere, aut in carcerem detrudere inimicum expressè mandando, ne occidatur, nihilominus mandatarius inimicum re ipsâ occidit? decidendum est iuxta principia data c. præcedenti; si enim adhibuit sufficientem diligentiam ne mors sequeretur, aut mutilatio, homicidium erit casuale; si sequatur, quamtumuis illa actio, aut detentio sit illicita. Vnde quamuis aliqui Authores doceant illum esse reum homicidij & Irregularem propter c. vltimum de *Homicidio*. Vbi videtur hic casus Iure expressus, tenetque Filiucius numero 94. Suarius disp. 45. sect. 2. num. 3. Bonacina suprà numero 18. qui testatur de communi; hoc tamen intelligendum est, quando actiones, quibus capitur inimicus, sunt ex se periculosæ mortis, & diligentia adhibita ad mortem præcauendam, quamuis sit tota possibilis, illa tota non sufficit; tunc enim mors secuta meritò imputatur mandanti, siue respectu illius sit casualis, siue voluntaria secundum quid: quod idem ferè est quantùm ad incurrendam Irregularitatem, quamuis, quantùm ad dispensationem obtinendam, si censeatur non voluntaria; sed casualis, possit ab Episcopo dispensari ex concessione Tridentini iuxta suprà dicta. Nos autem loquimur in casu, quo adhibuit diligentiam, non solùm possibilem; sed sufficientem ad præcauendam mortem inimici, qui sic verberatur & capitur; sed ex merâ malitiâ mandatarij, aut ex mero casu inopinato, qui præuideri non potuit captus perijt. In quo casu dicimus non esse Irregularem iuxta dicta in hoc & præcedenti capite; quia homicidium est merè casuale, & neque in se, neque in causâ volitum. Quæ omnia locum habent in foro conscientiæ iuxta suprà notata; nam in foro exteriori; nisi aliud sufficienter probetur, habebitur Irregularis, & semper præsumptio erit contra ipsum. Quæ doctrina est satis conformis doctrinæ Suarij, quem suprà retulimus, & secuti sumus.

Assertio 3.

984. Assero 3. consulens homicidium ei, qui paratus erat ad id patrandum, Irregularis est. & Homicida secutâ morte, vel mutilatione. Consonat hæc doctrina cum his, quæ tradidimus loco notato de *Restitutione* & in nostro casu: ratio est; quia causa efficax mortis, seu mutilationis, censetur reus homicidij, & Irregularitatis; consulens autem est causa moralis homicidij, vel mutilationis.

Ratio.

An in consulente sufficiat reuocare Consilium.

985. Vtrum autem in consulente sufficiat reuocasse consilium, sicut diximus de mandante sufficere reuocasse mandatum? decidendum est iuxta dicta loco notato de Restitutione, scilicet disp. 4. dub. 4. assertione 2. vbi inter alia diximus probabile quidem esse, si consulens, antequam alter exequatur opus iniuriosum, retractet suum consilium, ac dissuadeat opus non teneri ad restitutionem: id tamen locum habere, quando consilium, aut hortatio solùm nititur authoritate consulentis, aut hortantis, vel quando nitebatur in ratione apparenti, sed falsâ; nam tum retractatâ sententia, aut ostensâ falsitate, iam alter non facit opus motus à tali consulente; sed, quia ipse vult facere, sicut contingit in mandatario exequente mandatum postquam reuocatum est. Si verò consilium datum fuit ostendendo vtilitatem, vel honorem eius, cui datur, pendere ex tali actione, cuius dat consilium, & eâ ratione cognitâ ab accipiente consilium mouetur ad illud exequendum, tenebitur consulens ad restitutionem; quia iam effectus ille executionis causatur ab illâ notitiâ, quam causauit, qui consilium dedit in mente exequentis, eamq; iam non potest impedire. Legatur alia quæ ibi diximus. Vnde in hoc Tract. de Censuris disp. 1. dub. illâ 21. assert. 2. ostendimus discrimen inter mandantem, & consulentem; quod, cum mandatum detur in gratiam mandantis, & mandatarius agat nomine mandantis, eo ipso, quod mandans reuocet mandatum, & reuocatio innotescit mandatario ante exequutionem; iam cessat omnis ratio agendi à mandante proposita, & non sit opus nomine mandantis. Consilium verò datur in gratiam ipsius accipientis consilium; ac proinde hic agit nomine suo, & propter commoda sua: ideò non eo ipso cessat ratio agendi in mente impressa; nisi vel contrarium re ipsâ persuadeatur, vel certè; nisi ostendatur illam rationem ob quam motus fuit, qui consilium dedit, non subsistere; sed fuisse omnino falsam, & apparentem. Itaque, vt vno verbo dicam, quod attinet ad nostrum etiam casum de Irregularitate, non est eadem omnino ratio de reuocante mandatum, & de reuocante consilium. Vnde in illis casibus, in quibus reuocans mandatum damni inferendi excusatur, aut non excusatur ab obligatione restitutionis desinens esse cooperator, vel adhuc cooperans per effectum à se causatum medio consilio, quod dedit, & in casibus in quibus consulens positâ reuocatione consilij censetur adhuc, vel non censetur sufficienter cooperari, vt Censuram incurrat latam contra consulentem; in eisdem, inquam, casibus dicendum etiam est incurrere, vel

Discrimen inter mandantem quoad reuocationem mandati & Consilij.

non incurrere Irregularitatem, quando consilium de eâ re probare sub Irregularitatis pœnâ prohibetur; eodem enim modo philosophandum est de Irregularitate, atque de restitutione, & Censuris, quantum ad sufficientem, vel non, sufficientem Consilij reuocationem; nisi quòd in casu dubij in materiâ Irregularitatis ex homicidio, quando dubium est facti, quale est hoc, & dubium pelli non potest, gerere se quis debet pro Irregulari omninò dubitans an concurrerit suo consilio. In materiâ verò Restitutionis in dubio facti non eodem modo philosophandum est; sed iuxta principia ibi data, de quibus nunc nec vacat, nec iuuat disputare. Nihilominùs videantur quæ diximus *in hoc Tractatu de Censuris* disp. 1. dub. 21. vbi in simili attulimus numero 293. & seqq. vbi aliquos retuli excusantes illum à censura, sed quod diximus verius puto tùm in censura tum in Irregularitate.

Dubium

986. Si verò, quis iam paratus erat occidere, dubitari meritò potest; an consilium illi datum sit causa moralis homicidij, atque adeò consulens fiat Irregularis? & omissis alijs, quæ latiùs possent hoc loco disputari, breuiter dico non fieri Irregularem, si nihil ampliùs moueat exequentem, quàm ipse per se motus erat ante consilium; quamuis enim tunc per affectum peccet consulens, tamen re ipsâ non influit in effectum, quem non exequitur occisor propter huius consilium. Sed propter suum proprium affectum, de casu verò, in quo dubitetur, an moueat suo mandato; vel consilio, iam diximus cap. primo numero 638. & alibi.

Resp. Author

987. Erit tamen Irregularis consulens, si voluntatem occidendi augeat, tunc enim iam influit, & effectus non minus procedit ab hoc augmento voluntatis, quàm a voluntate præexistente in ipso occidente, imò aliquando propter huiusmodi consilium longè aliter fit effectus, quam fieret sine illo vt contingit, quando quis suo consilio facit, vt alius citiùs faciliùs, vel crudeliùs committat homicidium. Consonatque hæc doctrina cum eâ, quam tradidimus locis notatis. Ita Conarr. Clement. vnicâ p. 1. §. 2. Auila p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 3. conclus. 3. Henriquez cap. 16. numero 3. Vgolinus cap. 16. §. 1. Toletus lib. 1. cap. 61. & alij communiter.

De eo qui parato facere maius malum suadet minus.

988. Quid autem dicendum sit, quando parato facere maius malum persuadet minus, vt si parato occidere persuadeat mutilare? dicendum est iuxta dicta loco citato de *Restitutione* dub. illa 4. disputationis 4. conclus. 4. 5. & 6. vbi diximus eum, qui dedit consilium homini parato inferre maius malum, vt tantum inferat minus, eidem personæ non teneri ad restitutionem, nec peccare. Sic in nostro casu dicendum est non esse Irregularem, qui homini parato occidere consulit minus malum circa eundem hominem, alioquin occidendum vt, quod illum mutilet, vel percutiat, quando aliud non potest obtinere; tunc enim potiùs rem proximi vtiliter gessit liberans illum à maiori malo. Ita Auila suprà conclus. 2. Henriq. c. illo 16. numero 4. Nauarrus cap. 14. numero 40. Rodrig. c. 178. conclus. 20. numero 21. Coninc disp. 18. numero 79. Filiucius numero 102. Suarius disp. 45. sect. 3. numero 2. & sequentibus, & alij apud Sayrum lib. 7, cap. 3. numero 13. & apud Dianam 4. p. Tract. 2. Resol. 18. in fine.

989. Aliter autem philosophandum est de cooperante ad minus malum, vt euitet maius. v. g. si volenti aliquem occidere præstet opem ad mutilandum brachium, vel pedem, tunc enim cooperatur actioni intrinsecè malæ. Ita Suarius, & Filiucius suprà alijque quos retuli loco notato de *Restitutione*. Legatur Sanchez lib. 7. de *Matrimonio* disp. 11. a n. 14. & quæ diximus loco citato de *Restitutione* assertione 6.

An quis suo Consilio influxerit in homicidium quomodo dignoscendum.

990. Quomodo autem dignoscendum sit, an quis suo concilio influxerit in homicidium, breuiter diximus citatâ illa disp. 21. dub. 1. huius Tractatus ibi videatur. Legique potest Sanchez lib. 1 *Summæ* cap. 10. numero 44.

Notandum.

991. Illud etiam est aduertendum, eum, qui consulit homicidium, ad quod tenetur ille, qui consilium accipit, non videri Irregularem iuxta dicta suprà cap. 3. in simili de alijs consilium dantibus in negotio sanguinis. Vnde, qui consulit opus pium, aut aliquid aliud non ordinatum per se ad homicidium; sed ita, vt homicidium sumatur tanquàm medium necessarium ad aliũ finem, ad quem exequens tenetur, non videtur Irregularis fieri, vt quando quis consilium dat alteri, vt patrem suum tueatur, & in alijs casibus, in quibus illum tueri tenetur iuxta dicta etiam cap. 10. de *Homicidio* ob defensionem. Sicut enim tunc in eo casu ipsemet exequens homicidium, non fit Irregularis, multò minus Irregularis fiet, qui consilium dedit; nam iuxta dicta locis notatis, si principalis causa Irregularitatem non incurrit, non incurrent etiam minus principales; quando non ipsi per se; sed cum respectu ad effectum prouenientem à causâ exequente comprehenduntur. Legatur Maiol. lib. 5. cap. 48. Sayrus suprà numero 7. Suarius disp. 45. sect. 2. n. 6. Filiucius Tract. 20. c. 4. quæsito 4. Henriquez cap. illo 16.

Consulens probabiliter non excusat quod ipso non consulente futurus esset effectus.

992. Iam verò generaliter loquendo circa consulentem probabile est, non sufficere, vt excusetur, quòd etiam ipso non consulente futurus esset effectus (idemque iuditium est de mandante) vnde, & ad restitutionem tenetur, & Irregularitatem incurrit consulens homicidium, vel mutilationem, quam alter suasisset etiamsi ipse non dedisset consilium; nam de facto hic & nunc ipsemet suo consilio influit; sicut Irregularis est qui occidit Caium, quem alter occisurus erat, vel qui alioquin erat moriturus, vt constat ex. l. *Item Mella §. Censet* ff. Ad l. Aquil. Ita Vgolinus cap. 14. §. 4. & alij.

Ex dictis sequitur 1.

993. Ex dictis hucusque habemus primò illum, qui suasit Petro homicidium, quod Petrus absque tali suasione, & consilio commisisset, non esse Irregularem; quia exequens Petrus suâ voluntate; non verò impulsu, & suasione consulentis committit. Idem dicendum est de mandante; quando mandatarius eodem modo fuisset si mandatum non intercessisset; sed in his omnibus eodem modo philosophandum est, atque diximus de restitutione in nostro opere de Iust. & Iure Tract. 2. disp. 4. dub. 2. numero 7. & seqq.

994. Habe-

994 Habemus. 2. esse Irregularem tam consulentem, quam mandantem, si aliquâ ratione simul cum propriâ voluntate exequens commisit homicidium in gratiam mandatarij aut propter consilium consulentis. Ita Molina tomo 4. disp. 33. membro. 6. Vgolinus cap. 14. §. 3. & c. 16. num. 2. Sayrus lib. 7. cap. 2. num. 11. Henriq. lib. 14. cap. 16. & alij multi.

Sequitur. 3. 995 Tertiò Irregularitatem incurrere, qui interroganti, an remaneret sibi aliqua iniuria ex rixâ præteritâ, quam habuit cum alio ita vt non posset talis interrogans honorem suum recuperare, nisi per vindictam; interrogatus respondit ipsum manere iniuriatum. Quo audito interrogans iniuriatorem occidit. Ita Suarius disp. 44. sect. 3. numero 14. & alij communiter; tunc enim interrogatus suâ responsione censetur in homicidium influere.

Sequitur. 4. 996 Quartò esse Irregularem, qui in casu illicito dedit alteri consilium capiendi arcem per proditionem. Vnde mors alicuius secuta est; est enim iniusta causa illius. Ita Vgolinus. c. 16. num. 4.

Sequitur. 5. 997 Quinto non esse Irregularem, qui volenti fugere suos hostes, consilium dedit, ne fugeret, promittendo illi securitatem, quam re ipsâ præstare poterat, quia nimirum hostes erant illius amici, vel consulens ipsæ tantæ authoritatis, vt posset hostes sedare, vel; quia secum tot habebat homines armatos, quot sufficerent ad compescendos hostes, vel; quia poterat illum abscondere in loco secreto, aut tuto; quamuis enim præter opinionem posteà mors sequatur, non videtur imputanda consulenti, quia non suâ culpâ in illam influxit. Ita Reginald. suprà num. 144. Henriq. lib. 14. cap. 16. num. 4. Sayrus lib. 7. cap. 3. num. 9. Vgolinus. cap. 16. § 7.

Sequitur 6. 998 Sextò Irregularem fieri dantem consilium faciendi abortum fœtus animati animâ rationali, sequuto effectu. cap. *Maiores*. 32. q. 2. vt iam in præcedentibus notauimus, & videnda sunt quæ diximus disp. 1 dub. 21. & 22. vbi quorundam opiniones circa hoc paulo laxiores retulimus. Ita Coninc. disp. 18. n. 74. Quando censeatur fœtus animatus anima rationali; alijs in locis explicandum est, & nonnihil obiter diximus in hac, & duabus præcedentibus dubitationibus, alijs in locis, & Legi potest Vgolinus cap. 4. §. 1. & cap. 16. §. 2. Suarius disp. 44. sect. 2. numero 13. Sayrus. cap. 2. Henriq. suprà. cap. 15. Auila. 7. p. disp. 6. sect. 4. dub 1. & 2. Reginaldus lib. 30. num. 99. Filiucius Tract. 20. cap. 1. q. 8. nu. 19. & sequentibus. Naldus. & Quaranta verbo *Abortum*. referri autem solet à prædictis auctoribus notissimum illud decretum Sixti. V. in quâdam extrauaganti, vbi decreuit, etiam ante fœtum animatum, sufficere ad Irregularitatem esse causam aborsus. Quod tamen decretum Gregorius XIV. reduxit ad terminos Iuris communis, & post ipsum (quidquid fuerit olim) non satis est ad Irregularitatem fuisse causam aborsus nondùm animati fœtus; si tamen dubium sit an fœtus esset animatus? iam constat ex dictis in hoc, & præcedenti capite debere se gerere pro Irregulari; quia est dubium facti in materiâ homicidij.

Quæres. 999 Quæret aliquis; an, qui dat fœminæ medicinam, aliquid ve aliud ad contrahendam sterilitatem, ne concipiat; aut viro ne possit generare, incurrat Irregularitatem?

1000 Respondeo non incurrere. Ita Nauarrus. num. 222. Villa-diego. cap 6. nu. 36. Henriquez suprà. cap. 15. nu. 6. Auila suprà, qui ait esse omnium sententiam. Ratio est; quia non causat homicidium, & quamuis Sixtus. V. Irregularitatem contra dantes fœminæ medicinam, ne conciperet, statuerit; eam abstulit Gregorius XIV. in aliâ extrauaganti. Alij casus, qui possent in hoc capite explicari, iam manent explicati tum. c. præcedenti, tum cap. 1. & 3. huius disputationis. Tantum aduerto nostrum Ioannem præpositum *in 3. part. q. 5. de Irregularitate dub. 9. num. 64.* & ante illum Petrum Cornejo in 3 p. D. Thomæ tract. 5. de Irregularitate disp. 2. dub. vnico q. 5. nu. 3. notare non dari expressum textum vbi habeatur consulentes mutationem esse Irregulares, quia non putant sequi consulentes mutilationem effectu sequuto esse Irregulares ex eo quod sit textus in quo consulentes homicidium fiunt Irregulares neque quoad pœnas esse extendendum textum ad casum non expressum, nec sufficere identitatem rationis sine textu; nulla enim Irregularitas incurritur si non sit Iure expressa. *Resp.*

CAP. XIV.

De auxiliantibus, & cooperantibus ad Homicidium.

1001 Assero primò, quando plures consulto & communi consilio conueniunt ad occidendum, omnes fiunt Irregulares, etiamsi vnus tantùm occidat; multoque magis, si omnes vulnerent. Est communis Doctorum sententia. Ita Couarrub. 2. p. num 3. quem sequitur, imò transcribit Plaza lib. 1. de delictis. cap. 22. Nauarrus. cap. 27. num. 224. Angelus, Syluest. Antonius Gomez. D. Thomas. 2. 2. q. 22. art. 7. ad finem, & alij, quos refert, & sequitur Henriquez. cap. 14. §. 2. littera *A.* & *D.* Item Doctores in cap. *significasti*. & 2, de *Homicidio*. & in c. *Sicut signum*. §. *Illi autem* vbi hoc satis expressè habetur, ita etiam Vgolinus. cap. 19. num. 5. Molina disp. 33. membro. 1. & 7. Suarius disp. 44. sect. 3. num. 31. & disp. 45. sect. 3. num. 9. Filiucius Tract. 20. cap. 4. q. 7. num. 109. & sequentibus. Reginald. lib. 30. cap. 12. num. 160. & sequentibus, Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 12. Iul. Clar. §. *Homicidium* à vers. *Alia est etiam*. alijsque citandi. *Assertio 1. Communi Consilio occidentes fiunt omnes Irregul licet vnus tantum occidat.*

Ratio verò est, quia tunc omnes conueniunt, vt vna causa moralis, & alij alijs animantur. Confirmarique potest, quia secundum Leges ciuiles omnes tenentur de homicidio, & secundum Theologos omnes tenentur ad restitutionem, quâ de re latè diximus in nostro opere de *Iustitiâ*. Tract. de *Restitutione* disp. 4. per totam maximè dub. 1. & 2. *Ratio.* *Confir.*

1002 Quando autem non se concitarunt mutuò, nec communicato consilio, rem sunt aggressi, sed in subitâ quâdam occasione rixantes, vnus tantùm inflixit vulnus lethale, solùm ille aliquibus videtur Irregularis, & homicidij reus, si *Quod si non sunt aggressi non communicato consilio.*

Dicendum iuxta Hostiensem. si constet quisnam fuerit, & alios non concurrisse ad vulnus. Ita Hostiensis in c. *Significasti*, citato Sayrus suprà. num. 13. quamuis oppositum doceat Suarius disp. illâ 44. sect. 3. num. 9. cuius sententia satis probabilis est, & ordinariè ita videtur iudicandum scilicet, omnes esse Irregulares, quia vix potest discerni, an ille, qui vulnerauit lethaliter id esset facturus, nisi adiutus, vel stipatus, animatus, & incitatus præsentiâ aliorum quos videt à se stare. Vnde siue illi etiam vulnerent, siue non, prudenter potest (ordinariè loquendo) iudicari concurrisse, & quidem, si prius, aut simul vulnerent, alijs vulneribus non lethalibus, multò potiori ratione credi potest illos concurrisse: quis enim non videt eo faciliùs aduersarium vulnerari vulnere lethali, quò minus facile se potest tueri, minus autem facilè se tuebitur à lethali vulnere, & faciliùs illum lethaliter vulnerabit quando simul vel priùs ab alijs impetitur, & vulneratur. Vnde saltem res est dubia; an alij prædicti concurrerint, & hoc sufficit, vt censeantur Irregulares, vt mox subijcio. *Oppositum docet probabile Suarius. Ratio.*

Assertio 2. 1003 Assero. 2. quando nescitur, qui lethaliter vulnerauerit, omnes, qui dubitant, an id fecerint, vel ad id concurrerint iuuando suâ præsentiâ, vel actione debilitando vires vulnerati ne se satis tueretur, vel aliquâ aliâ ratione, sunt Irregulares, & pro talibus se gerere debent; nam vt capite præcedenti, & sæpè alibi dictum est, in dubio facti in casu homicidij debet se quis gerere pro Irregulari iuxta cap. *Ad audientiam*, & c. *significasti* de *Homicidio*, Ita Vgolinus cap. 14. §. 1. num. 5. Molina supra membro. 7. ad finem Auila. p. 7. disp. 6. sect. 3 Reginald. num. 161. Filiucius. num. 110. Suarius num. 11. & alij, quos suprà retuli, inter quos Couarrub. suprà num. 5. Antoninus. 3. p. tit. 28. cap. 3. §. 6. Graff. lib. c. 62. num. 47. Ioannes Andreas Gofred. Ananias, & alij quos refert Couarrub. De foro autem externo Iudices ipsi viderint, quid in eo iudicandum sit. Legat, qui volet Maiolum. lib. 5. cap. 48. §. 4. num. 9. & Suarium citatâ sect. 3. num. 11. qui rectè aduertit, quando vnũ tantùm vulnus inflictum est, illudque lethale, & incerta est persona percutiens, omnes impugnantes occisum, fieri Irregulares. Quod meritò dicit esse indubitatum; est enim tunc dubium facti; sed addit Suarius esse omnes Irregulares etiamsi certa sit persona percutiens; quia alij non manent Irregulares propter incertitudinem, sed propter cooperationem. Quę doctrina non caret difficultate saltem uniuersaliter loquendo; nam vel constat cæteros impugnantes iuuisse ad illud lethale vulnus, vel constat nullo modo iuuisse, vel neutrum dubium; si primùm dicas, vera est doctrina: si secundum, nullo modo fiunt Irregulares; si tertium, Irregulares quidem fiunt; sed propter dubium; non quidem propter dubium an inflixerint vulnus nec ne? constat enim (vt supponimus) quòd vnus tantùm determinatè inflixerit; sed propter dubium; an ipsi iuuerint, vt ille alius faciliùs, tutiùs, animosiùs vulneraret; quod dubium fere semper esse solet, & vix potest non esse in similibus casibus. *Ratio. Aduertit rectè Suarius. Addit Suarius. Hæc Suarii additio vniversaliter loquendo, non caret difficultate, iuxta Authorem. Ratio.*

Dubium 1004 Sed quid dicendum in casu, quo constat quidem homicidium esse factum ab vno ex quatuor hominibus, vt quando ex domo in quâ erant, lapis proiectus est in caput alicuius, qui mortuus est, & à quo fuerit proiectus ignoratur. *De casu quo constat homicidium esse factum ab vno ex quatuor, &c.*

1005 Tunc in foro exteriori nemo iudicandus est Irregularis, nec, vt talis repellendus; nemo enim in particulari præsumitur malus, qui non probatur talis, & melius est vnum nocentem tolerare, quam tres innocentes damnare, sicuti notauit Suarius suprà ex Maiolo lib. 5. c. 48. §. 4. nu. 9. quando autẽ constat de rixa plurimum contra vnum, & non constat in foro exteriori, (perinde, atque diximus vix posse constare) an omnes concurrerint ad vulnus lethale, vel, si constet quis nam fuerint, vel non iuuerint cæteri, etiam in foro exteriori habendi sunt Irregulares, quando de omnium rixâ & mutuo fauore constat iuxta dicta, semper enim præsumendum est omnes concurrisse, vel certè etiam in foro exteriori constat tunc esse dubium facti circa auxilium, vel fauorem, & hoc dubiũ secundum Iura citata sufficit ad Irregularitatem in vtroque foro. *Resp. In foro exteriori nemo tunc iudicandus est Irregul. Ratio.*

1006 Assero 3. quando plures vulnera inflixerunt, quorum singula non essent mortalia, simul tamen sufficiunt ad mortem, singuli sunt Irregulares; quia singuli cooperati sunt. Ita Molina suprà. num. 3. Vgolinus, Suarius, Filiucius, Coninc locis citatis hîc & c. præcedenti. *Assertio 3.*

1007 Quæret aliquis, an censendus sit Irregularis ille, qui primo loco percussit leuiter, sed alij posteà accedentes lethaliter percusserunt? *Quæres.*

1008 Respondeo negatiuè, si ille primus percutiens nullo modo iuuit percussione suâ ad sequentem lethalem percussionem aliorum. Hæc doctrina patet ex cap. *significasti*. nec enim mors videtur illi imputanda, cùm non præuiderit lethalem percussionem aliorum, nec ipsius percussio influxerit in mortem, vt supponimus. *Resp.*

1009 Oppositum dici solet, quando cæteri aduenientes leuiter solum percusserunt, & ille grauiter, tunc enim cæteri Irregulares non sunt, sed solus ille primus, modo hi aliqua ratione cooperati non fuerint ad vulnus lethale. Ita Henriq. lib. 14. cap. 14. num. 2. Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 15. Coninc. num. 70. & alij.

1010. Suarius vero ait Irregulares esse leuiter percutientes, siue primi percusserint siue postremi, contendens Iure Canonico omnes censeri homicidas, nam in c. vltimo de *Homicidio* indistinctè dicitur omnes prædictos esse Irregulares, expenditque verba Textus, vbi dicitur secundum statuta Canonum nempe (vt ille putat) ad constituendã differentiã inter Ius Ciuile & Canonicũ solus ille punitur, vt homicida, qui lethaliter vulnerauit iuxta. L. vltimam. ff. *Sicarij*. vbi Barthol. Canonico tamen Iure, vt in prædicto Textu putat insinuari, omnes putat haberi homicidas. Confirmat ex Baldo, qui loco citato docet eos, qui inflixerunt vulnera de se non lethalia, post inflictum vulnus lethale ab alio, vt homicidas puniri etiam Iure Ciuili, quia vulnera, quæ aliàs non essent lethalia, in corpore sic vulnerato, & affecto lethalia sunt. *Opinio Suarii.*

1011 Hæc doctrina, si rectè intelligatur, mihi non displicet, atque in primis, tàm leuis *Non displicet Authori*

potest

ſtrictè intelligatur. poteſt eſſe percuſſio, vt, ſeclusis alijs circunſtantijs, ex vi præcisè illius non cenſeatur cauſa mortis; quis enim, ſi percutiat leuiter digitum cenſebitur cauſa mortis, etiamſi alioquin grauiter vulneratus exiſtat, idque maximè, quando talis percuſſio præceſſit, tunc enim etiam maius vulnus, vt dictum eſt, ſi lethale non ſit, non ſufficiet ad Irregularitatem, quando ſine vllo reſpectu ad poſteriores vulnerantes, qui caſu poſteà ſuperueniunt, inflictum fuit. Sed neque ſi poſteà tale leuiſſimum vulnus infligatur, ad Irregularitatem ex eo præciſè ſuifficiet.

1012 Dixi *ex eo præcisè* quia ſi tale vulnus vt cumque iuuit vt debilior factus patiens non potuerit reſiſtere cæteris, idque aliquo modo præuiderat vulnerans, ſatis erit ad Irregularitatem; non quia tale vulnus in conſortio aliorũ cenſeatur lethale, ſed quia vulnerans cenſetur iuuiſſe cæteros, atque adeò incurriſſe ad mortem. Quando autem Barthol. dixit etiam Iure Ciuili puniri, vt homicidas eos, qui vulnera de ſe non lethalia inflixerunt, quia in homine ſic vulnerato lethalia ſunt, intelligendus eſt de eo genere vulnerum, quæ ſub eâ ſuppoſitione lethalia cenſeantur, quæ non ſunt omnia vulnera leuiſſima. Solùm ergo puto veram doctrinam Suarij, quando priùs vel poſteriùs vulnerantes vel iuuerunt lethaliter vulnerantem, vel certè dubium eſt, an iuuerint, id enim ſufficiet ad Irregularitatem. Secùs verò ſi conſtet leuiter vulnerantes nec vulnere leui, nec præſentiâ ſuâ iuuiſſe, quod tamen rarò poteſt conſtare, maximè cùm ſola præſentia ſæpe ſufficiat ad iuuandum.

Caſus in quo Doctrinam Suarii veram iudicat Author.

1013 Imò addit Henriquez ſuprà cum Couarrub. Antonino Roſol. Armil. Ledeſma, eum eſſe Irregularem qui comitatur daturus fauorem licèt nihil agat. Vlterius addunt Tabiena *Irregularitas*.2.§.2. Syluest. *Homicidium*. 1. q.9. particula.1. citans Hoſtienſem ſatis eſſe comitari homicidam ad auxilium, ſi opus fuerit præſtandum, etiamſi illi, quantum poteſt, diſſuadeat homicidium, & etiamſi aliàs eſſet illud patraturus, quamuis enim hoc à reſtitutione liberet, non videtur liberare ab Irregularitate comitantem; hac enim ratione comitantes Iudicem fiunt Irregulares, quando mors ſequitur de quo diximus in præcedentibus legatur Henriq. cap.16. §.1. littera. *L.* & *M.* videturque doctrina ſatis probabilis.

Dubium. 1014 Dubitabit etiam aliquis; quisnam erit Irregularis, quando primus lethaliter percuſſit & cæteri aduenientes, etiam lethaliter percuſſerunt?

Multorum opinio. 1015 Multi putant, ſi percuſſus à ſecundis ſtatim obijt, ſolùm ſecundos eſſe Irregulares; non primum; quia mors re ipsâ illata non fuit ob percuſſionem primi. Ita Zazius apud Couarrub. Auila diſp. illâ 6. ſect.3. dub.4. concluſ. 2. Coninc. diſp.18. dub.8. nu.60. Bonacina diſp. 7. q.4. puncto. 8 num. 33. nec videtur improbabile.

Oppoſitum rationi eſt magis conforme. 1016 Oppoſitum tamen videtur magis rationi conforme tùm, quia ita videtur ſupponi à Pontifice in c. *ſignificaſti*, vt legenti conſtabit, tum; quia vix, imò ne vix quidem conſtare poteſt, quòd vulnus illud priùs de ſe lethale iam exiſtens in ſubiecto non concurrerit ſimul cum alijs vulneribus ad mortem, quæ tunc ſecuta eſt, imò prudenter debet exiſtimari quòd concurrerit; ſaltem negari non poteſt eſſe rem dubiam, quod ſufficit ad Irregularitatem ex homicidio, vt ſæpè notauimus. Ideò hanc ſententiã tenent Ioannes Andreas, Villa-diego, Panormitanus in citato cap. *Significaſti* Antoninus.3.p. tit.28.cap. 2.§.6 Syluest. *Homicidium* 5.q.6. particula 6. Tabiena Irregularitas 3. num. 20. Couarrub. ſuprà Clementina *Si furioſus* p.2.§.2. nu. 4. Vgolinus c. 14.§.1. & quidem ſi non ſtatim obijt, omnes percutientes cenſeri Irregulares vtriuſque ſententiæ Authores fatentur. Vnde etiam apparet Irregularem cenſeri primum percutientem lethaliter, etiamſi percuſſus corruente domo oppreſſus, pereat, tùm; quia illud vulnus, etiam partialiter potuit concurrere ad mortem, tùm quia iuxta cap. *Significaſti* videtur ſufficere inflixiſſe vulnus lethale; quamuis hoc vltimum (vt verum fateat non videatur ita certum, quin potiùs, quantumuis lethale vulnus fuerit inflictum; niſi mors ſequatur, non eſt Irregularis, infligens; vt conſtat tùm in eo, qui per miraculum ſanaretur; in quo caſu omnes fatentur non fieri Irregularem; quia ex tali vulnere non euenit mors. Item; ſi quis vulneratus fuerit lethaliter, interim, dùm non moritur, nondùm eſt vulnerans Irregularis, atque adeò celebrare poteſt; ſi ſit Sacerdos, & frui beneficijs, & fructibus: ergo præcisè vulnus lethale inflictum non inducit Irregularitatem donec effectum ſortiatur: ergo, ſi quis antequam vi vulneris pereat, opprimatur à corruente domo, vulnus illud non concurrit ad mortem; & ſine concurſu ad mortem non ſufficit ad Irregularitatem, quantumuis alioquin lethale ſit; ergo non fiet Irregularis vulnerator.

1017 Quo diſcurſu etiam conſtat ſaltem pro aliquo caſu probabilitas ſententiæ Zazij, Auilæ, & Coninc: nam ſi quis. v.g. vulneratus ſit lethaliter in ventre ab vno, & poſteà ſuperueniẽs alter caput illi amputet iudicio tamen medicorum moraliter certò conſtet ex vi illius vulneris in ventre non interiturũ, niſi poſt duos dies, non videtur tale vulnus concurriſſe ad mortem prouenientem ex amputato capite atque adeò non fieri Irregularem. *Authoris iudicium.*

1018 Nihilominus perſto in contrariâ ſententiâ, quia ex Textibus citatis conſtat Pontificem iudicaſſe Irregularem eum, qui lethaliter percuſſit, etiamſi ab alijs poſteà interemptus fuerit; cumque tota vis Irregularitas pendeat ex Iure poſitiuo ex quo videtur conſtare vulnerãtem lethaliter cenſeri Irregularem eo ipſo quod mors ſequatur, etiamſi eam anticipato intulerint alij vulnerantes, imò etiamſi dubium ſit; an vulnus illud priùs fuerit lethale; id enim voluit Pontifex, vt Textum legenti conſtabit.

Contra Authorem. Reſp. 1019 Video ſanè poſſe reſponderi cum Auila in cap. *Significaſti*. el.2. de *Homicidio*. Textũ ibi ſolùm definire, quòd primus vulnerans lethaliter maneat Irregularis, quando dubium eſt vtrum de facto obierit ex primò vulnere, vel ex ſecundo, quando verò certum eſt percuſſum obijſſe ex ſecundo vulnere, Textus nihil definire,

Solutio non videtur authore improbabilis non tamen omnino satisfacit.

definire, vt etiam notauit Couarrubias. Quæ solutio non videtur omninò improbabilis; non tamen omninò satisfacit; nam ibi Pontifex non tam examinat; an primum vulnus concurrerit ad mortem; quàm; an fuerit lethale, & tamen in eo Textu supponitur hominem obijsse ex secundo seu sequentibus vulneribus; imò sequentia vulnera sufficientia fuisse ad tunc statim perimendum hominem. Quòd si Pontifex sentiret, eo ipso, quòd per superuenientia vulnera peremptus fuisset; antequàm posset per primũ vulnus interire, non fieri Irregularem, non solùm debuisset mandare examinari; an tale vulnus lethale fuisset, nec ne? sed etiam an tale vulnus ita lethale fuisset, vt solùm per se, vel in consortio aliorum sufficeret ad tunc interimendum, quando interemptus est, nam, si ad id non sufficeret vulnus illud, vel saltem non esset dubium; an ad id sufficeret, nullo modo induceret Irregularitatem iuxta Auilæ, & Couarrubiæ sententiam. Cùm ergo solum examinauerit, an vulnus fuerit lethale, & nihil ampliùs, signum est, quòd fuisse vulnus lethale, aut certè dubium esse, an fuerit lethale; sufficiens iudicatum fuerit à Pontifice ad inducendam Irregularitatem.

Quæres.

1020 Quæret aliquis; an sit Irregularis, qui rixans cum alio, accurrentes ad ipsum defendendum monet, ne suo hosti aliquid mali inferant, ipsi tamen occidunt?

Resp.

1021 Respondeo non esse; neque enim censetur ad mortem cooperari; sed homicidium casuale, & per accidens respectu ipsius. Ita Henriquez. lib. 14. cap. 13. Auila suprà dub. 5. Reginald. num. 147. & alij apud Couarrub. p. 2. § 2. num. 8. casu. 1. & contra Vgolinum. cap. 28. §. 2. & contra Nauarrum. num. 217. Emanuelem Rodriguez. cap. 178. concl. 18. & alios, qui probabiliter distinguunt, quando rixa fuit licita, non fieri Irregularem; secus verò, quando fuit illicita, nihilominus placet prior sententia, satis enim per monitionem, & prohibitionem impediuit, quantum erat de se, mortem, & quamuis rixa fuisset illicita, defensio potuit esse licita. Quod si nec defensio licita fuit, & illa defensio præuisa fuit periculosa, tunc ex alio capite iuxta probabilem sententiam, de quâ egimus cap. 12. poterit dici Irregularis; quia, nimirum admittendo seu, adhibendo talem defensionem & cooperando cum defendentibus dabat operam rei illicitæ, & periculosè homicidij, & diligentia, quam adhibuit, non fuit re ipsâ sufficiens, de quo ibi latiùs diximus.

Authoris doctrina.

Rogabis.

1022 Rogabis vlterius an, qui dedit alteri aliquid præmium ad homicidium, vel mutilationem, putà arma quibus aliquem occidat, vel mutilet, fiat Irregularis effectur secuto. Respondetur iuxta dicta. cap. 10. 11. 12. 13. esse Irregularem si suspicionem habuit, quòd arma peterentur ad mali patrandum, tunc enim censetur sufficienter voluntarium homicidium respectu illius, secus verò, si omninò nesciuit, nec suspicatus est. Ita Molina disp. illa. 33. membro 6. num. 8 Suarius & Filiucius suprà. Vgolinus. cap. 17. num. 3. vbi citat Fœlinum in cap. *sicut dignum*.

Resp.

Dubium.

1923 Quando autem aliquis dedit quidem arma alteri ad occidendum; sed occisor non illis armis; sed alijs occidit, meritò dubitabit aliquis, an censeatur Irregularis, qui dedit arma?

Communis responsio.

1024 Communiter solet responderi non censeri; quia re ipsâ non influxit in homicidium; meritò autem excipitur; nisi forte homicida illis armis factus fuerit animosior incutiendo, scilicet, terrorem vnde audaciùs patrauerit homicidium; sicuti etiam stipatus comitibus etiamsi illi nihil agant, censeri potest factus audacior, vt suprà dicebamus; tunc enim in nostro casu illa arma etiamsi eis non vtatur ad feriendum aliqua ratione concurrunt. Quæ doctrina mihi placet, sed adhuc etiam exciperẽ alium casum; quando scilicet acceptis armis uteretur vt medijs illis obtineret alia arma, quibus rem conficeret; vt si v.g. ensem, seu gladium acceptum permutet Bombardula idque innotescat tradenti illi gladium, scilicet, petere, & accipere gladium, vt illum cum alio pro bombarda permutet; tunc enim, qui dedit gladium Irregularis fit, non secus; atque qui dedit pecuniam, vt emeret gladium ad homicidium. Absolutè tamen prædictum tradentem arma fieri Irregularem docent Vgolinus suprà. num. 2. Suarius disp. 45. sect. 3. num. 10. Filiucius num. 46. & 100. & 125. alijque multi.

Doctrina Authoris placet, cum exceptione.

CAP. XV.

De Irregularitate, quam contrahunt non impedientes, & ratum habentes Homicidium.

Assertio 1.

1025 ASsero primò; qui, quando tenetur ex Iustitiâ impedire homicidium, non impedit, Irregularis fit talis autem censetur teneri, qui vel ex officio, vel ex stipendio vel ex promissione ad id obligatur. Ratio verò est, quia non impediendo, peccat contra Iustitiam, ac proinde censetur causa moralis Homicidij, quod non impedit. Ita Nauarrus. c. 27. num. 232. & alij communiter, vt videre est apud Suarium disp. 45. sect. 4. num. 5. vbi refert summam Confessorum & apud illam plures alios, Item Angelum, Syluestrum. plouium, Tiraquellum. Item apud Henriquez lib. 14. c. 12. & apud Sayrum lib. 7. cap. 4. num. 3. docetque Filiucius Tract. 20. cap. 4. quæsito. 9. & 10. Reginald. lib. 30. nu. 145 & 178. & deinceps. Toletus lib. 1. cap. 43. n. 4. soletque probari ex cap. *Quanta. de* *de Sent. excom.* argumento, vt putat Maiol. à fortiori. Quod tamen argumentationis genus infirmum est, vt notat Suar. ibi in his, quæ pendent ex Iure positiuo; maximè cum Irregularitas, vt incurratur, debeat esse Iure expressa. Itaque præcipuum fundamentum est iam indicatum, quia in eo casu committitur peccatũ homicidij, & ideo incurretur Irregularitas. Lege pro hoc & dicendis, quæ diximus in opere de Iustitiâ lib. 2. Tract. 1. dist. 10. dub. 14.

Ratio.

Authoris Iudicium de eo qui ex sola charitate tenetur impedire homicidium

1026 Vtrum autem sufficiat obligatio charitatis sola sine obligatione Iustitiæ; difficultatem habet, sed omissis alijs, quæ apud Suariũ loco citato videri possunt, existimo non fieri Irregularem;

regularem; nisi, quando tenetur ex iustitiâ impedire tunc enim solùm peccat contra Iustitiam peccato homicidij, propter quod peccatum incurritur hæc Irregularitas. Ita Molina disp. illâ 33. membro 5. & disp. 76. num. 8. Suarius citata sect. 4. num. 7. Filiucius. num. 127. Reginaldus suprà, & alij contra Angel. verb. *Homicidium*. 1. n. 17. Syluestrum eodem verb. num. 14. & alios, qui putant incurrere Irregularitatem, quotiescumque alteri non subuenit dolosè & animo, vt moriatur.

Obij. 1. 1027 Obijciès tamen 1. contra assertionem quia talis Irregularitas propter omissionem impediendi nôn inuenitur Iure expressa: ergo nulla est. Consequentia patet, quia, nisi sit Iure expressa, nulla esset Irregularitas, vt sæpè notauimus maximè dub. 2. huius disputationis Antecedens probatur, quia Jus semper requirit factum aliquod ad Irregularitatem homicidij; omissio autem non est factum, sed omissio facti.

Resp. 1028 Quod si respondeas omissionem actus ex Iustitiâ debiti esse quodam factum morale; contra hoc est, quod solùm vocatur factum imputatiuè, & interpretatiuè, non secundum proprietatem, secundum quod Theologi dicunt omissionem reduci ad dictum, vel factum, vel concupitum vt interpretatur D. Thomas. 2. 2. q 71. art. 6. & q. 72. art. 6. quâ ratione ff. de *Regulis Iuris*. l. 164. dicitur, *qui non facit, quod facere debet, videtur facere aduersus ea, quæ non facit*. vbi expendenda est illa particula *videtur*, quæ denotat non proprietatem sermonis, & in L. *Quid ergo*. vers. *certè ff. de his, qui notantur infamiâ*. additur eidem doctrinæ *quodam modo fecisse videtur*. quæ vox etiam denotat minùs propriè dici, sicuti ibi notauit Gloss. multa similia congerens; atqui in Irregularitatibus explicandis non improprijs, & amplioribus interpretationibus vti debemus: sed proprijs, & strictis, cùm requiratur Ius expressum; ergo non sufficit omissio quæ impropriè dicitur actus, aut factum.

Cum Suar. 1029 Respondetur cum Suario suprà quantùm ad rem moralem illam omissionem actus debiti ex Iustitiâ esse propriè actum, seu factũ, ratione cuius homo ille dicatur, & sit moraliter homicida; quia priuat alium Iure suo, & re suâ sibique necessaria ad conseruandam vitam, & consequenter non conferens auxilium, seu actionem requisitam, ad vitandam mortem, habet moralem influxum positiuum. Iura verò, quæ de Irregularitate loquuntur moraliter intelligenda sunt: illa verò Iura, quæ apponunt illas particulas diminuentes *videtur* & *Quodammodo*, apposuerunt illas recipiendo ad actionem materialiter occidendi. Quâ ratione etiam dici posset eum, qui mandat, aut consulit homicidiũ aut præbet arma, quodammodò occidere, & quodammodò videri homicidam, non, quia, moraliter loquendo non sit propriè homicida, sed respiciendo ad causam physicè exequentem dicimus *videri*, & *quodammodo* esse talem, quia ille propriè loquendo non exequitur physicè homicidium.

Iura de Irregul: loquutia moraliter intelligenda.

Obij 2. Contra disparitatem 1030 Objicies. 2. contra disparitatem Iustitiæ & charitatis, quam assignauimus; quia quod obligatio sit Iustitiæ vel Charitatis; videtur valde extrinsecum ad Irregularitatem, quæ præter culpam considerat, seu requirit indecentiam fundatam in externâ actione, vel carentiâ actionis; hîc autem æqualis est carentia actionis exterioris; licèt obligatio sit inæqualis. Accedit, quòd obligatio ex Iustitiâ interdum oritur ex priuato stipendio, seu pacto; non videtur autem verisimile famulum. v. g. fieri Irregularem non defendendo dominum; si ad id ex stipendio teneatur; amicum autem non fieri defendendo illum. Aliud exemplum sit de Clerico, qui non subuenit per eleemosynam pauperi extremè indigenti; quem quidam aiunt peccare contra Iustitiam; alij verò contra Charitatem; quæ diuersitas parùm videtur referri, vt dicamus eum manere, vel non manere Irregularem, si fortè ob eam occasionem pauper moriatur. Idẽ etiam ostendi potest exemplo Iudicis, vel Gubernatoris, quem quidam putant teneri in casu prædicto mortis impediendæ defendere subditum ex Iustitiâ commutatiuâ; alij verò ex Iustitiâ legali, quæ posterior non videtur sufficere ad Irregularitatem iuxta nostra principia, cùm talis culpa propriè ad homicidium non spectet, quatenus hoc est peccatum contra Iustitiam commutatiuam. Tandem simile quid cernitur in filio, qui non impedit, cùm possit mortem patris; peccat enim tunc contra pietatem; non tamen propriè contra Iustitiam; atque adeò nô fiet Irregularis iuxta nostram doctrinam, & tamen eius deformitas magna est.

Iustitiâ & charitatis assignatam.

1031 Ad hæc omnia respondetur cum eodem Suario suprà negando esse eandem indecentiam in omissione contra Charitatem, & in omissione contra Iustitiam, quia hæc est multò maior, vt per se constat.

1032 De casibus autem particularibus (ait Suarius) hîc non differimus, nam personarum obligationes alibi considerandæ sunt. Regula autẽ posita vera est, siue Iustitia sit serui ad Dominum, Patris ad filium. Gubernatoris ad subditos, siuè è contrario. Itaque ad hos casus vniuersaliter respondeo, quotiescumque iuxta varias opiniones fuerit obligatio Iustitiæ solius, aut etiam simul Charitatis, sic omittentem fieri Irregularem, quotiescumque verò solius Charitatis, aut alterius virtutis, quæ non sit propriè Iustitia commutatiua, non fiet Irregularis. *Resp. cum Suario* *Resp Author vniuersaliter ad casus propositos.*

1033. Illud autem aduertit Suarius in casu illo de eleemosynâ Clerici acutè, & doctè more suo, quod, si quando danda sit ex Iustitiâ illa eleemosyna, adhuc necessarium est, vt ea obligatio sit ad hanc personam in particulari, quæ tunc moritur ex indigentiâ, nam; si possit quis cum alio implere obligationem Iustitiæ, & respectu huius morientis ad summum peccet contra ordinem Charitatis, id non satis esset ad Irregularitatem. Necessarium prætereà est, vt obligatio sit pro nunc, nam, si satis esset dare eleemosynam crastinâ die ad implendam obligationem Iustitiæ, nunc non censeretur omissio contra illam, etiamsi esset contra Charitatem. *Aduertit Suarius.*

1034 Illud autem difficultatem habet, quam non vidi tractatam, circa extremè scilicet indigentem; an, si quis extremè indigenti debeat ex alio capite ex Iustitiâ commutatiuâ dati, & accepti pecuniam, vel panem idque neget in casu *Difficultas circa extremè indigentem.*

extremæ

extremæ necessitatis non succurendo illi cùm possit, fiat Irregularis?

Iuxta duplicem opinionẽ possumus hic philosophari

1035. In quo negotio iuxta duplicem opinionem possumus philosophari, scilicet, iuxta opinionem eorum, qui docent in casu extremæ necessitatis quemcumque esse Dominum rei, quâ indiget, atque adeò esse obligationem Iustitiæ, & non solius Charitatis ex parte eius, qui potest succurrere, aut in opinione, quæ asserit solùm esse obligationem ex Charitate, quam probabiliorem existimauimus in nostro opere de Iustitiâ. Et quidem iuxta priorem opinionem omninò videtur verum prædictum non succurrẽtem fieri Irregularem iuxta doctrinam assertionis nostræ in hoc capite; nam si debetur ex Iustitiâ illud remedium ad sustendandam vitam, & hoc oritur ex extremo periculo mortis, quod tenetur homo ex Iustitiâ vitare in proximo, cùm possit absque simili seu grauissimo suo vel suorum damno, sequitur censeri, homicidam, qui sic non faciat, & moraliter esse causam mortis, vt explicatum est peccando peccato iniustitiæ, quod committitur in specie homicidij. Si verò loquamur in opinione secundâ quod solùm sit obligatio Charitatis erga vitam proximi seruandam, maiorem difficultatem habet. Quamuis enim in casu proposito, homo debeat ex Iustitiâ tali extremè indigenti pecuniam, aut panem, quo possit a morte liberari, peccetque peccato iniustitiæ non soluens illud debitum; peccatum tamen illud est peccatum furti, seu non restituendi; non verò peccatum Homicidij; quæ duo intra genus Iustitiæ longè diuersa sunt. Cùm ergo Irregularitas non propter quodcumque peccatum iniustitiæ contrahatur in præsenti materiâ; sed propter peccatum iniustitiæ, quæ est in homicidio; hinc est, vt, quamuis homo peccet peccato furti, non soluendo illud debitum rei pretio estimabilis adque peccatum sit contra Iustitiam commutatiuam, quæ est in dato, accepto; non ideò peccet contra Iustitiam peccato homicidij contra vitam hominis, quam censeatur auferre eo ipso, quòd non defendat, aut liberet hominem, cùm possit. Itaque obligatio Iustitiæ in tali casu sola videtur esse illa, quæ etiam extra extremam illam indigentiam reperiretur, non verò illa, quæ tanquàm materiam respicit vitam hominis seruandam in casu extremæ necessitatis. Vnde cum Irregularitas hæc solùm ex homicidio contrahatur, quod est peccatum contra Iustitiam circa vitam hominis; non videtur iuxta prædictam sententiam, quæ solùm ex Charitate agnoscit obligationem seruandi vitam proximi, sufficere ad Irregularitatem.

Iuxta primã non succurrẽs tali fit Irreg.

Ratio.

Iuxta secundam maior Difficultas

Irregul non ob quodcumq; iniustitiæ peccatũ incurritur sed propter illam quæ est in homicidio

Nota.

1035. Non me latet aliquando; etiamsi obligatio proximè sit Iustitiæ commutatiuæ quæ est in dato & accepto, posse inde resultare obligationem Iustitiæ seruandi, aut defendendi vitam proximi. Hoc apparet tùm in Magistratu, tùm in famulo, aut quolibet alio, qui ob stipendium iustum sibi datum, aut propositum obligatur succurrere extremè indigenti; quamuis enim ille obligetur ratione contractus, quem init, & stipendij, quod simul accipit; tamen; quia illa obligatio est non solùm prò alijs negotijs; sed pro talibus, & similibus casibus, quibus ciuis indiget operâ Magistratus, aut dominus operâ famuli, rectè intelligi potest, quòd, qui in tali casu negat operam debitam non solùm peccet contra illam Iustitiam ex contractu, seu ex dato, & accepto, Ideoque teneatur restituere illud stipendium, quod iudicio prudentis respondet officio, seu operi, quod omittit; sed etiam peccet peccato contra Iustitiam comparatione vitæ illius, quam debuisset seruare per impletionem sui muneris, ad quem finem inter alios fines conductus erat, & stipendiatus.

1036 Quamuis autem hoc ita verum sit, diuersum iudicium nunc est de illâ obligatione Iustitiæ, quæ non habet respectum ad casum prædictum necessitatis conseruandæ vitæ; sed solùm merum respectum ad æqualitatem seruandam inter datum, & acceptum, seu inter opus pretio æstimabile, & pretium ipsius, qualis abligatio sola contingit in casu, quo quis debet pecuniam, aut panem ex alio contractu humano, qui est casus, de quo disputamus. In hoc ergo casu, & iuxta prædictam opinionem de solâ obligatione Charitatis cõparatione vitæ proximi, existimo non fieri Irregularem, qui creditori suo extremè indigenti non soluat pecuniã, aut panem debitum ex venditione, vel simili alio contractu, quamuis enim tunc peccet contra Iustitiam; non tamen peccat contra talem iustitiam, quæ proximè, aut remotè respiciat seruandam vitam creditoris, sicut obligatio Magistratus, aut alterius similis conducti, & stipendiati ad hoc; sed tantùm obligatio illius debitoris respicit æqualitatem illam seruandam inter datum, & acceptum. Quod autem tunc per accidens occurrat necessitas extrema creditoris, non sufficit, ut illa obligatio emptionis, aut venditionis; quantumuis, sit Iustitiæ habeat respectum, aut ordinem ad vitam illam seruandam, & extremam necessitatem tolendam, sicuti habet respectum ad id Magistratus; sola enim obligatio, quæ tunc est, censetur illa, quam secum affert Charitas, & misericordia proximi extremè indigentis. Quòd autem tunc sit obligatio Iustitiæ soluendi pretium rei emptæ, accidentarium quid est, cùm tamen in officio Magistratus superueniens illa necessitas extrema proximi ad se trahat, & quasi vocet obligationem, quam Magistratus habet ex officio suo pro tali occasione diuersam, aut maiorem, quàm sit obligatio priuati alterius hominis etiam debitoris pecuniæ, aut panis ex alio priuato contractu.

Authoris iudicium in casu creditoris extremè indigentis.

1037 Duo adhuc sunt in omissione inducente Irregularitatem notanda. Primum est necessarium esse, quòd sit voluntaria, alioquin culpabilis non erit, nec effectus inde sequutus imputari poterit omittenti, imò (vt notat Suarius sect. illa 4. num. 8.) probabilissimum est esse necessarium, vt omissio sit præuisa simul cum mortis periculo, & sic fuerit directè volita, & admissa. Vnde si ex incuriâ, & in aduertentiâ etiam culpabili mors eueniat (inquit ille) non videtur ad hanc Irregularitatem sufficere tum; quia homicidium ex solâ omissione secutum est valde indirectum, & per accidens, si ideò si ipsa etiam omissio sit solùm indirectè voluntaria erit

Duo notanda in omissione Irregul. inducente.

Primum.

erit causalitas homicidij valdè remota, & per accidens, ac proinde ad Irregularitatem insufficiens: tum etiam (inquit Suarius) quia ita significatur in c. *Quæsitum*, de *pœnit. & remiss.* vbi agitur de obligatione parentum curandi vitam filiorum, & ait incurrere pœnam, seu obligationem pœnitendi *si ex incuriâ eorum mortui inveniantur in cunis.* Nam obligatio, quam parentes habent curandi, ne filij infantes causâ suâ pereant, satis magna est; tamen ibi dicitur parentem non manere Irregularem, etiamsi ex incuriâ suâ Filius in cunâ suffocetur, dummodò ex voluntate affectatâ parentis non eueniat (vt in priori parte Textus declaratur) & sine facto vel tactu parentum, vt supponitur, & Innocentius expressè declarat. Hæc ferè eisdem verbis Suarius, ibi legatur, vbi cum Cardinali contra Couarrubiam, & alios docet hanc doctrinam extendi non solum vsque ad leuem; sed vsque ad latam culpam, vt etiam ex latâ culpâ omittens per incuriam excusetur, & quod vox *incuriâ* comprehendat negligentiam quæ non includat dolum, seu affectatam voluntatem.

Secundum. 1038. Secundum notandum est talem Irregularitatem ex omissione, quando incurritur, regulariter esse homicidij casualis, potiùs quàm voluntarij. Ita Suarius suprà numero. 9. qui duobus modis docet posse aliquem velle hanc omissionem, primò ex negligentiâ, timore humano, auaritia, alijsue similibus affectibus: secundo ex odio, ac directâ voluntate, vt alius pereat. Prior modus frequentior est, & tunc non imputatur ad Irregularitatem, vt voluntarium homicidium, sed, vt casuale; quia non est directè intentum, nec etiam directè factum; quia tamen hic modus peccandi est ordinarius, ideò diximus cum Suario regulariter hanc Irregularitatem esse homicidij casualis. In secundo verò casu omissionis ex odio, & directâ voluntate dubitari quidem posse an sit homicidium casuale respectu Irregularitatis, quamuis enim intentio sit directa; nön est influxus directus, nec proprium homicidium.

Duobus modis iuxta Suarium. posset quis velle hanc omissionem.

Meritò docet Suarius. 1039. Asserò nihilominus. Suarius ibi docet talem Irregularitatem iudicandam esse homicidij voluntarij; quia ex parte voluntatis tale est; ex parte autem actionis exterioris non est actio physicè, sed moraliter consideranda iuxta dicta. Ideò censetur influxus voluntarius in homicidium. Quâ ratione etiam suprà diximus influere in homicidium, qui præsentiâ suâ addit animos exequenti occisionem, qui concursus moralis est voluntarius, etiamsi physicè assistens ille non operetur. Iam verò pro praxi nonnulla deducamus ex traditâ assertione.

Ex assertione varia pro praxi deducuntur. Primò. 1040. Deducitur primò; eum, qui Petro non reuelat homicidium, de quo initum est concilium contra ipsum, non esse Irregularem, quoties ex solâ Charitate tenetur reuelare. Ita plerique Authores citati pro nostrâ assertione, maximè verò Molina, Nauarrus, & Sayrus suprà.

Secundò. 1041 Secundò non fieri Irregularem, qui consuluit alteri ne ferret opem, quando ille non tenebatur opem ferre; nisi ex solâ Charitate, neque enim peccat consulens peccato homicidij, cùm non peccauerit contra Iustitiam, cui opponitur homicidium; nam & ipse consultus omittens adiuuare, solùm peccat contra Charitatem, consulens autem ex eo quod consulat præcisè, contrà eam virtutem tantùm peccat, contra quam ipse consultus, nisi forte hic ignorantiâ excusetur; tunc enim poterit consulens non laborans ignorantiâ peccare illo peccato, quo peccauit consultus, si non ignorantia laboraret.

1042. Hæc doctrina intelligenda est, quando consulens solis verbis simpliciter absque vi, fraude, & dolo consilium dat; nam si vi, fraude, & dolo vtatur, peccat contra Iustitiam compatatione eius, cui fauor erat præstandus; nam inuasus habet Ius ne per iniuriam, dolum, aut vim impediatur sibi auxilium ferre. Ita Vgolinus cap. 16. §. 4. numero 8. Henriquez lib. 18. cap. 12. numero 7. Maiolus lib. 5. cap. 18. §. 5. & alii communiter. Quæ doctrina consonat cum eâ, quam tradidimus generaliter loquendo in nostro opere de Iustitiâ Tract. 2. de *Restitutione* disp. 8. dub. 1. maximè assert. 3. *Doctrina intelligenda.*

1043. Tertiò fore Irregulares, Principem, non impediendo neces, non impediendo iniustam sententiam contra vitam innocentis: Medicum non curando eos, à quiquibus pretio conductus est, Dominum animalium non adhibendo debitam diligentiam, ne animalia sua, vel suæ custodiæ commissa, nocumentum, vel vulnera inferant, nisi ex prædictis mors sequatur; tenentur enim ex officio & ex Iustitiâ impedire damna. An verò Dominus non impediens homicidium patrandum à famulo, fiat Irregularis? aliqui affirmant; mihi videtur non teneri ex Iustitiâ custodire famulum, ne damna extraneis inferat, etiamsi maiori quodam honestatis vinculo teneatur consulere bono sui famuli, quàm ceteri teneantur. Ex officio autem & iustitiâ (maximè comparatione ad extraneos extrà domum, & familiam) Magistratus est, qui tenetur; solum enim ex officio Pater familias tenetur damna suæ familiæ impedire. Vnde satis probabiils est, quod aliqui existimant, scilicet, idem esse dicendum de patre non impediente homicidium patrandum à filio. Ratio enim est eadem; quod intelligi debet dummodo famulus non sit commissurus homicidium intuitu heri, vel filius intuitu patris; tunc enim tenentur ex Iustitiâ impedire; alioquin erunt causa moralis negatiua homicidij. Ita Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 3. membro 5. numero 12. Reginaldus numero 145. Filiucius ex parte suprà citatus numero 127. Toletus suprà numero 3, & alij multi.

Tertiò deducitur.

Authoris iudicium quoad Dominum, non impedientem homicidium a famulo patrandum.

Aduerte. Tandem aduerto multum interesse, scire, an homicidium, hoc sit casuale vel propriè voluntarium; nam si voluntarium sit, non poterit dispensari in Irregularitate ab Episcopo virtute facultatis concessæ in Tridentino sess. 24. cap. 6. & sess. 14. vbi in concessione facta

facta Episcopis excipitur homicidium voluntarium.

Assertio 3. 1044. Assero 2. ille, qui ratum habet homicidiũ suo nomine factũ ipso inscio, non censetur Irregularis per solam precisè ratihabitionem. Ita Suarius disp.47. sect.3. vbi refert Hostiensem, Archidiaconum, Panormitanum, Angelum, Armill. Tabienam, Villadiego. Idem docet Vgolinus cap.15.§.2. Coninc disp.18. dub.8. numero 72. Sayrus lib.7. cap.4. numero 17. Couarr. Clementina *Si furiosus* p.2.§.1. numero 4. Reginald.lib.30. numero 140. Henriq. lib.14.cap.12 numero 10. Filiucius numero 26. & 41. Toletus lib. 1. cap. 82. Plaza cap. 18. numero 5. & alij, quos refert Henriquez suprà & cap. 16. §. 2. in fine contra plures alios, maximè contra Felinum c. *Sicut dignum* de *Homicidio* columnâ 4. numero 12. Nauarrum cap.27. numero 219. & 233. Syluestrum *Homicidium* 1.q.7. particula 5. Ioannem Andr.in cap.1. de *Conuersione infidelium*. Panormitanum in c. *Ad audientiam* de *Homicidio*. Maiol lib.5.cap.48 §. 6. quorum aliqui, vt Nauarrus, Ioannes Andreas, Panormitanus & Felinus temperant, vt necessarium sit, quod ratum habet, potuerit illud mandare quando factum est; nam si tunc erat infans, vel amens, etiamsi posteà particeps vsus rationis ratum habeat, non incurret eo modo, quo suprà disp.3.dub. 58.cap.1.diximus de ratam habente percussionem Clerici. Idem docet Molina disp.33.membro 3.cũ alijs.

Ratio assertionis. Ratio tamen nostra assertionis est; quia ratihabitio, seu approbatio homicidij iam facti non est cooperatio ad prædictum homicidium, in quod nihil influit. Prætereà; quia Irregularitas non incurritur, nisi Iure exprimatur, nullo autem Iure exprimitur per ratihabitionem incurri Irregularitatem.

Obij. 1. 1045. Objicies primò ratihabitio æquiparatur mandato, vt habetur cap.23.de *sententia excommunic.* in 6. sed mandans fit Irregularis: ergo ratum habens.

Resp. 1046. Respondetur ratihabitionem æquiparari mandato quoad culpam, & malitiam coram Deo; quoad pœnas verò, solùm quoad illas, quæ expressæ fuerint in Iure pro ratum habentibus; non quoad alias, maximè quoad Irregularitatem, quæ debet esse expressa vt incurratur. Et quod attinet ad homicidium, requiritur, vt aliqua ratione quis influat in illud.

Obij. 2 1047. Objicies secundò, qui ratam habet Clerici percussionem fit Excommunicatus: ergo qui ratam habet occisionem, fiet Irregularis. Antecedens patet ex citatâ disp.2. dub illa 58.cap. 1. vbi id ex instituto probauimus.

Resp. 1048. Respondetur in Iure esse expressè impositam illi ratihabitioni excommunicationem, vt ibi ostendimus; non verò huic esse impositam Irregularitatem.

1049. Ex quo fit non esse Irregularem, qui donat aliquid Petro propterea quòd mortem intulerit inimico. Ita Suarius suprà numero 30. & alij.

DVBITATIO XXVII.

Quis possit dispensare in Irregularitate?

1050. NOn pauca obiter de hac dispensatione dicta sunt in præcedentibus, placet autem simul ob oculos proponere, quæ generaliter dicenda sunt de dispensatione in Irregularitate, & posteà descendere ad particularium Irregularitatum dispensationes quod fiet sequentibus capitibus.

CAP. I.

An summus Pontifex & Episcopus possint Dispensare in Irregularitate?

1051. PApa in omni Irregularitate potest dispensare. Hæc est certa & recepta sententia apud Catholicos; habet enim Papa supremam dignitatis potestatem circa ea, quæ Iure humano, maximè Ecclesiastico instituta sunt, ac proinde suprà totum Ius Canonicum generale aut particulare, ideoque potest dispensare in illo, & illud per dispensationem abrogare, vt de homicidio dicemus cap. 4. cum multis doctoribus. *Assertio 1. In omni Irreg. dispensare potest Papa.*

1052. Verum autem ablata lege imponente Irregularitatem ob aliquam causam censeatur Pontifex non solum tollere in futurum Irregularitatem alioquin contrahendam; sed etiam Irregularitatem iam contractam, quando lex vigebat? non videtur ita facile. In qua re probabile existimo censeri etiam ablatam, quia Irregularitas, vt nomen ipsum sonat, significat hominis defectum, ratione cuius est extra regulam; ablatâ autem regulâ non est extra illam, nec illi aliqua ratione oppositus, aut disconformis, nec tenetur conformari Regulæ, quæ non est; sed ablata lege secundum quam se debebat conformare regulæ in ipsâ lege præscriptæ, non existit Regula; ergo non erit respectu illius Irregularis, & disconformis. Accedit, quòd lex inducens Irregularitatem est odiosa, & lex tollens est fauorabilis: ergo amplianda, sicut & & illa restringenda. Ita Suarius disp.41.sect. 1. numero 7. Filiucius Tract.29. cap.10. quæsito 4. & alij multi, qui tamen aduertunt hoc esse intelligendum quando abrogatio legis simpliciter & absolutè fit. Secus verò, si apponantur verba respicientia solum tempus abrogationis, neque enim abrogatio operatur vltra id, quod verbis exprimitur. *Dubium.* *Resp. probabilis iuxta Authorem. Ratio,* *Accedit.*

1053. Vnde si abrogetur lex decernens illegitimos esse Irregulares absolutè, & sine respectu ad tempus abrogationis, ille qui illegitimus natus erat ante legis abrogationem, desinet esse Irregularis. Idem esset iudicium in abrogatione legis inducentis Irregularitatem propter homicidium, aut rebaptizationem, &c.

1054. Non liberabitur autem ab Irregularitate, qui celebrauit in Excommunicatione contracta ob Clerici percussionẽ, ex quâ celebra- *Non liberabitur ab Irregul.*

tione

tione factus fuit Irregularis, etiamsi reuocetur lex imponens excommunicationem percutienti Clericum; nam Irregularitas non fuit contracta ob Clerici percussionem; sed ob celebrationem in statu excommunicationis: abrogatâ autem lege, quâ imponebatur excommunicatio percutienti Clericum, non censetur ablata lex, quâ imponebatur Irregularitas celebranti cum excommunicatione: ergo ex vi abrogationis primæ non tollitur effectus secundæ, nec licèt ab vnâ abrogatione inferre aliam, cum à disparatis, & diuersis non sit facienda illatio.

Obij 2. Contra ablationem Irregul. antecedentis legis abrogationem.

1055 Obijcies contra doctrinam ablatæ Irregularitatis antecedentis abrogationem legis primò; si tollatur Lex excommunicans percussores Clericorum, non ideò censentur absoluti Clericorum percussores qui antequàm Lex abrogaretur incurrerant excommunicationem: ergo neque abrogatâ lege Irregularitatis censentur liberi ab Irregularitate, qui iam priùs contraxerunt illam. Sicut enim Lex non præteritum sed futurum respicit, ita & abrogatio legis.

Resp.

1056 Respondeo negando paritatem; disparitatem verò assignant aliqui in eo quòd Lex Irregularitatis non respiciat directè præteritam, sed præsentem Irregularitatem, quatenus consurgit ex lege, quàm abrogari supponimus. Secus verò contingere in excommunicatione; quam disparitatem vix capio. Ideò disparitatem assigno in eo quòd iuxta vsum Ecclesiæ excommunicatio est verè, & proprijssimè Censura, quæ non tollitur, nisi per absolutionem; cùm autem Irregularitas non sit Censura, potest cessare cessante fundamento illius; fundamentum autem illius est non præcisè quòd quis fecerit id vnde per Ius Canonicum afficiatur Irregularitate; sed etiam quòd secundum Ius Canicum Regula cui debet quis conformari, sit non fecisse aut non esse in eo statu, qui status, aut actus censeatur indecentia quædam respectu Ordinis suscipiendi, aut exercendi, cùm autem æstimari, & haberi pro indecentiâ totum pendeat ex ipso iure positiuo, eo ipso, quòd Ius positiuum tollat prædictam æstimationem indecentiæ, censetur tollere Regulam, cui debeat conformari homo, vt non censeatur incapax Ordinis suscipiendi aut exercendi; ablatâ autem tali Regula, eo ipso tollitur Irregularitas, quæ consistit in eo quòd quis non se conformet tali Regulæ quod non reperitur in excommunicatione quæ ex institutione Ecclesiæ (acceptâ ad id popotestate à Christo) est priuatio quædam earum communicationum, quas disp. 2. explicuimus Fundata quidem in culpâ commisâ, quatenus adhuc pendet in futurum per contumaciam; quamuis autem ea contumacia cesset, non voluit Ecclesia, vt priuatio communicationum cessaret, donec per eiusdem Ecclesiæ auctoritatem restitueretur peccator ad pristinam communicationem. Itaque disparitas est quòd modus, quo inducta est ab Ecclesiâ Irregularitas faciat, vt Irregularitas pendeat in fieri, & conseruari à lege inducente Irregularitatem; modus autem, quo instituta est excommunicatio, non postulet quòd excommunicatio pendeat in fieri, & conseruari à lege inducente talem excommunicationem, quin potiùs semel incursa, & iam translatâ lege, seu præcepto imponente illam, adhuc perseueret donec ab Ecclesia per absolutionem tollatur.

Disparitatē assignat Author.

Disparitas quoad ablationem Irregul. & Excom.

Obj.

1057. Obijcies 2. aliqua differentia assignari debet inter eos, qui præcedentem legem iam abrogatam non seruant in futurum, & inter eos, qui, quando vigebat Lex, eam non seruârunt, pœnamque incurrerunt; nulla autem potest assignari differentia; nisi quòd, qui in futurum non seruauerint, non afficiantur pœna; qui verò transgressi sunt, priùs quam Lex abrogaretur, pœnæ vinculo detineantur: ergo detinentur etiam abrogatâ Lege Irregularitatis.

Resp.

1058. Respondeo concessa maiori, negando minorem; hanc verò esse differentiam inter vtrosque quòd, qui deliquerunt ante Legis abrogationem, incurrerunt Irregularitatem vsque ad abrogationem legis; qui verò post ipsam abrogatam non seruauerint, nunquam incurrent.

Assertio 2. Episcopus cum suis subditis dispensare potest in aliquibus Irregul.

1059. Assero 2. Episcopus potest dispensare cum suis subditis in Irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis exceptâ Irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentiosum. Constant hæc omnia ex dictis in suis li de *Excommunic.* disp. 3. dub. 3. 4. 5. & sequentibus alijs, docentque Authores ibi citati, & quod nostrum casum de Irregularitate docent Suarius disp. 45. sect. 2. numero 3. Sanchez in *Summâ* lib. 2. c. 11. numero 2. Toletus lib. 1. c. 85. numero 6. Filiucius Tract. 20. c. 10. quæsito 6. Reginald. lib. 30. Tract. 2. & alij Authores infra referendi qui aduertunt priuilegium Episcopis concessum in Tridentino sess. 24. cap. 6. competere tantummodo Episcopis illarum Regionum, in quibus receptum est Concilium Tridentinum. Sed de hoc iam diximus eadem disp 2. dub. 7. Vbi varijs distinctionibus rem totam explicuimus; ibi Legatur. Probatur autem assertio, quia citato loco Tridentini concessum est Episcopis facultas non solùm absoluendi ab omnibus Censuris, & casibus occultis summo Pontifici reseruatis, sed etiam dispensandi in Irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, & non delicto ad forum contentiosum, aut non prouenientibus ex homicidio voluntario.

Probatur.

1060. Quinam verò intelligantur nomine Episcoporum, ibidem quoque disputauimus, an scilicet omnes quotquot habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, & Regulares Superiores, &c. Item quinam nomine Subditorum Episcopi intelligantur, & an id possint in diœcesi suâ vel extra illam? & an cum extraneis existentibus in suâ diœcesi? & an cum Regularibus etiam â suâ Iurisdictione exemptis? de quibus omnibus legi potest Sanchez in *Summa* lib. 2. cap. 11. numero 2. quem ibi retulimus & Suarius disp. 45. sect. 2. numero 3.

1061. Solum hic restant aliqua Specialia pro Irregularitate decidenda.

Quæres 1.

1062. Quæri potest an eadem subiectio sufficiat pro obtinendâ dispensatione Irregula-

ritatis, quæ pro obtinendâ absolutione censurarum ab Episcopo?

Resp. 1063 Probabile est non eandem sufficere; nam vt Episcopus dispenset in Irregularitate, requiritur, vt habeat iurisdictionem Ordinariam in eum, cui concedit relaxationem Irregularitatis. In absolutione verò casuum reseruatorum, & Censurarum impedientium receptionē Sacramenti, videtur solùm requiri subiectio, qua sufficiat, vt Episcopus Sacramentalem absolutionē impendat. Ita Bonacinâ de *Censuris* disp.7. q 5. puncto 1.n.5. adiunctâ, doctrinâ quâ tradiderat disp.1.q.3.puncto 2. Etiam probabile est cum hoc posse dispensare in Irregularitate in foro conscientiæ saltem eo ipso, quòd talis persona dispensanda possit subijci Episcopo, saltem de licentiâ sui Superioris. Facit ad hoc doctrina tradita citatâ disp. 3.dub.4.sect. 1. §. *sed omissis* vbi quoad absolutionem, & dispensationem probabilius existimauimus posse Religiosum de licentiâ Prælati se submittere Episcopo, & obtinere ab illo prædictam absolutionem, & dispensationem. Pro quâ doctrinâ retulimus Suarium. Aulam, & Henriquez.

Quares.2. 1064 Quæri potest 2. an Episcopus possit dare facultatem alteri, qui secum dispenset in his casibus, in quibus potest cum subditis dispensare?

Resp. 1065. Respondeo posse iuxta locis notatis indicata; fauores enim sunt ampliandi, & Episcopus non debet esse deterioris conditionis Clericis inferioribus. Ita Saytus lib.7.cap.9. num. 5. Auila p.7.disp.10.dub.vltimo. Sanchez in summâ lib.2.c.illo.11.n.11. & lib. 8. de *Matrimonio* disp.3.n.3. Henriq.lib. 14. c. 18. in fine Suarius disp.41.sect.2.num.9. Toletus lib.1.cap.85.n. 6. Filiucius num.278. Reginald.lib.30. Tract.2. n. 21. quâ de re iterum dicemus agentes de dispensatione voti, & agentes de dispensatione, quâ potest Superior dispensare secum in materiâ de legibus circa leges, in quibus potest cum alijs dispensare.

Quares.3. 1066 Quæres. 3. an Episcopus eo ipso quòd admittit aliquem Irregularem ad Ordines, siue litteras dimissorias dat, censeatur cum eo dispensare in Irregularitate aut date facultatem, vt dispensetur ab Episcopo Ordinaturo?

Resp. 1067 Respondeo censeri dispensare, si sciat Irregularitatem, habeatque intentionem dispēsandi, quam censetur habere eo ipso, quòd sciēs, & volens id facit; nec enim præsumitur Episcopus velle delinquere; delinqueret autem si id faceret sine dispensatione; neque est prohibitum Episcopis dispensare in Irregularitate per aliquod factum sine verbis. Ita Saytus suprà c. 14. num. 10. Auila suprà. dub.6. Suar. suprà sect. 3. n. 4. Henriq. suprà lib.14.c.17.num.4. littera P. Maiol cap 51. de *Irregularit.* num 8. Vgolinus. cap.62. §.2.num.9. Filiucius.num.883. Reginaldus lib. 30. Tract.2.num.31. & alij multi.

1068 Alia, quæ hîc possent disputari satis explicata sunt disp.3. locis notatis.

CAP. II.

An Irregularitas tollatur per Baptismum, professionem Religiosam, cessationem causæ & iurisdictionem delegatam?

1069 Nonnulla ex his dicta sunt in præcedentibus; & quidem consequenter ad doctrinam Traditam dicendum est Irregularitatem prouenientem ex delicto proprio tolli per Baptismum iuxta cap. *Vna* &c. *Deinde*. dist. 26. Sed, si propriè loquamur, non tàm dicendum est tolli per Baptismum, quàm ante Baptismum non incurri: nam ante Baptismum nulla est propriè Irregularitas. Quòd si aliquando ratione alicuius causæ, quæ extitit ante Baptismum censeatur quis Irregularis post Baptismum, id prouenit ex eo, quòd defectus seu causa existens ante Baptismum, perseueret post Baptismum vt contingit in eo, qui post contractum Matrimonium sæpius ante Baptismum, postea suscipit Baptismum; Quâ de re diximus in hac disp.dub.12. §. *Habemus tandem.* Ratio verò nostræ assertionis est quia Irregularitas est ex vi Iuris positiui Ecclesiastici; atque adeò solùm vim habet in subditos, potuit autem Ecclesia inducere Irregularitatem in homine fideli propter aliquem defectum existentem, seu perseuerantem in ipso baptizato, etiamsi inceperit ante Baptismum, & non sic inducere propter delicta ante Baptismum commissa, cuius rei congruentia non deest; quia non videntur puniri debere pœnis Ecclesiæ delicta commissa ante Baptismū & antequam homo fuerit Ecclesiæ subditus, imò ad hoc, vt ex Bigamia, quæ fuit ante Bap-Baptismum, Irregularitas contrahatur, necesse fuit, ut id Ecclesia declararet, prout declarauit, & statuit iuxta dicta loco notato. Legatur Suarius disp.41.sect.1.num.2. Vgolinus cap.40.63. §.1. Auila p.7.disp.6. dub. 6. Coninc. disp. 18. dub.14.num.109. Toletus lib.1.cap.84. Saytus lib.7.c.13. Filiucius Tract.20.c.10.quæsito.1.nu. 255. Reginaldus lib.30. Tract.2.num.17. & alij communiter.

Assertio. Irregul. prouenient ex delicto proprio non incurritur ante Baptismum.

Ratio assertionis.

1070. Quod attinet ad professionem Religiosam, iam diximus dub. 9. tolli, per illam eam Irregularitatem, quæ contrahitur per defectum natalium; quantum ad Ordines, non verò quantum ad Prælaturas, vt ex multis Auctoribus ibi diximus assert.3. quibus adde Henriquez. Maiolum, & alios, quos refert, & sequitur Bonacinâ disp.7.q.5.puncto.2.

Irregul. quatenus tollitur per professionem religiosam.

1071 Quod attinet ad cessationem causæ omninò verum puto ablatâ causâ, ob quam fuerat inducta, & resultabat, cessare; sic de Irregularitate, quæ oritur ex defectu ætatis diximus dub. 10. & de ea, quę oritur ex defectu libertatis, alijs ve obligationibus; idē dicendum est; de quibus diximus dub.11. sicut de regularitate proueniente ex defectu scientiæ (quæ tamen non est propriè Irregularitas, vt dictum est. dub.7.) ea namque Irregularitas qualis qualis tollitur per aduenientem scientiam. Ita Suarius disp.41. sect. 1. num.6. & disp.55. sect.1.num.11. Filiucius, nu. 192. Salzedo & Bernardus diaz apud Suarium ibidem, qui rectè aduertit in prædictis casibus valere illam Regulam. *Cessante causâ cessat effectus.*

1072. Tan-

2072. Tandem, quoad Iurisdictionem delegatam certum est per facultatem à Summo Pontifice concessam, vel etiam ab Episcopo in ijs casibus, in quibus ille per ordinariam potestatem potest dispensare, posse tolli Irregularitatem. Vtrum autem Episcopus possit concedere alteri facultatem ad dispensandum, seu absoluendum in casibus reseruatis, tanquam habens facultatem Ordinariam in ijs casibus, in quibus illi conceditur facultas in Tridentino sess. 24. c. 6. diximus disp. 3. dub. 3. & 4. vbi etiam obiter diximus quænam potestas censeatur ordinaria.

Dubitatur 1. 1073. Dubitari autem potest primò an facultas dispensandi concessa Ordinario à Papâ, vel alicui Confessario sub cōditione, si res ita est exspiret morte Papæ re adhuc integrâ? Multi putant exspirare. *Resp. multi affir.* Ita Bonacina disp. de legibus q. 3, puncto 8. §. 1. Nauarrus cap. 27. numero 153. Sayrus suprà numero 6. Reginald. numero 24. Vgolinus cap. 52. numero 2. Sanchez lib. 8. de *Matrimonio* disp. 28. numero 89. Probant; quia huiusmodi facultas est veluti quoddā mādatum; mandatum autem exspirat morte mandantis. *Alij negant quorum opinionem probabiliorem iudicat Author.* Alij verò negant exspirare. Ita Maiol. lib. 5. cap. 51. numero 6. Suarius disp. 41. sect. 1. Filiucius Tract. 20. cap. 10. numero 270. & probabilem putat Bonacina. Hac tamen de re ex instituto agendum est in Tract. de *Legibus* interim hanc secundam opinionem existimo probabiliorem, eamque esse gratiam factam siue facta sit ipsi dispensaturo, siue dispensando. Quamuis autem videatur induere rationem mandati, absoluta est gratia, & quatenus gratia, non videtur exspirare morte concedentis, censetur autem gratia facta; nam collatio facultatis ad dispensandum gratia facta est ipsi dispensaturo, etiamsi illi talis potestas concedatur in gratiam dispensandi, idque maximè verum est, quando talis gratia confertur ad instantiam dis-dispensaturi vel dispensandi; tunc enim eo ipso, quòd cōferatur facultas, censetur illā acceptasse, etiam antequam illis innotescat gratiæ expeditio, sed in hac re vltimum iudicium reseruo ad Tractatum de *Legibus*.

1074. Vtrum in facultate, quæ concedi solet aliquando tempore Iubilei, aut alia occasione absoluendi ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, censeatur concessa facultas absoluendi ab Irregularitatibus ex delicto? decidendum est iuxta dicta disp. 1. dub. 4. vbi latè ostendimus partem negatiuam agentes de facultate absoluendi concessa in Bullâ Cruciatâ. Legantur ibi dicta, & quæ diximus eâdem disputatione dub. 3. præcedenti. Et quidem partem negatiuam docent Reginald. numero 24. Toletus lib. 1. cap. 85. numero 7. Suarius disp. 40. sect. 3. numero 3. Filiucius suprà cap. 1. quæsito 4. Vgolinus cap. 62. numero 7. Auila p. 7. disp. 10. dub. 4. Molina tomo 4. Tract. 3. disp. 80. Henriquez suprà, & alij apud Sayrum suprà numero 2. & apud Pansium lib. 8. q. 7. numero 214. Dianam contra Sotum & alios, quis retulimus locis citatis.

CAP. III.

De conditionibus requisitis pro obtinendâ, & concedendâ dispensatione.

1075. IN primis supponendum est ex communi doctrinâ de legibus, requiri aliquod signum externum sufficienter manifestans dispensationem voluntatemque superioris dispensandi: alioquin nulla erit; nam dispensatio est actus humanus, qui inter homines exercetur. *Requiritur 1 signum externum.* Ideò debet esse sensibilis, vt notat Suarius posteà referendus, & alij communiter.

1076. Requiritur prætereà iusta causa, vt constat ex Tridentino sess. 25 c. 18. vt licitè fiat *Requiritur 2 iusta causa.* imò vt valida sit dispensatio in Iure communi proueniens à Prælatis inferioribus Papâ necessaria est iusta causa. Constat etiam doctrina ex c. *Dominus noster* dist. 56. & c. vnico dist. 57.

1077. Vlterius etiam requiritur, vt exprimatur species Irregularitatis, seu delicti, alioquin, *Requiritur 3 vt exprimatur species Irregul.* qui pluribus detinentur Irregularitatibus, à nulla liberabitur nisi ea exprimatur sufficienter, cùm non constet à quâ fuerit liberatus. In quo philosophandum est iuxta dicta disp. 3. dub. 31. in simili de absolutione ab excommunicatione. Vnde iuxta ibi dicta, si quis petat dispensationem ab omnibus Irregularitatibus, quibus detinetur, & obtineat generalem dispensationem, ab omnibus liberabitur. Ita Suarius disp. 51. sect. 3. num. 2. Maiol. lib. 5. cap. 51. Filiucius Tract. 20. cap. 10. numero 281, Reginald. num. 32.

1078. Necesse tamen non est exprimere petendo dispensationem singulos actus eiusdem *Non tamen numerum actuum eiusdem rationis iuxta aliquos.* rationis, vt multi volunt. Vnde si excommunicatus centies celebrauit, non tenetur iuxta eorum sententiam in obtinendâ dispensatione Irregularitatis exprimere se toties celebrasse in excommunicatione, sed satisfacit dicēdo se excommunicatum celebrasse, Ita Sanchez lib. 8. de *Matrim.* disp. 24. n. 7. Coninc suprà num 112. Sa uerbo Irregularis, & alij apud Sanchez.

1078. Oppositum tamen sentit Rodriguez *Oppositum tenet Author.* satis probabiliter 1. p. cap. 8. in fine & quidem negari non potest toties incurrere Irregularitatem, quoties celebrat in excommunicatione; nam in iteratione actus inducentis Irregularitatem toties citatur Irregularitas, quoties actus, vt fatetur Reginald. lib. 30. n. 32. & consonat cum dictis in simili de *Censuris* disp. 1. dub. 17. Legique potest Maiol. lib. 14. cap. 51. num. 6. Auila suprà dub. 8. Suarius suprà disp. 44. Henriquez lib. 13. cap. 30. numero 3. in comment. Litera F. & lib. 14. cap. 7. numero 5. Coninc suprà. Ex hōc autem principio non video; nisi Stylus fortè habeat oppositum, quomodo possit non explicari numerus actuum inducentium Irregularitatem, & quidem in homicidio videtur adhuc verius; neq; enim videtur satisfacere, qui plures homines diuersis actionibus, & temporibus occidit, *Numerus actuum Irregul. inducentium explicandum.* si dicat se Irregularitatem contraxisse ex homicidio, & ab eâ petere dispensationem, cùm tamen omnes actus sint eiusdem speciei: ergo idem erit in celebrationibus. Aliquando tamen sufficit generaliter dicere sæpè se dedisse causam Irregularitatis non explicando nume-

numerum; vel quia non potest, vel quia dispensator non amplius petit. Sic Iudex in causâ sanguinis, Medicus in negligentijs culpabilibus in suo munere.

Difficultas

1080. Vtrum autẽ, qui petit à Summo Pontifice dispensationem Irregularitatis contractæ celebrando sub excommunicatione possit in Irregularitate dispensari, etiamsi post obtentum priuilegium, vt dispensetur à Confessario, aut ordinario iterum celebret in excommunicatione? nonnulli negant; quia facultas, & priuilegium non cadit suprà illam, quam incurrit post priuilegium obtentũ, vel supplicationem factam.

Nonnullorũ Resp. negans.

1081. Nihilominus existimo posse dispensari iuxta principia generalia tùm pro absolutione Sacramentali, tùm pro alijs rebus, vt impedimẽtis Matrimonij, & similibus; nam qui generale priuilegium obtinuit, vt in Irregularitatibus possit dispensari ab ordinario vel ab alijs, si fortè contingat aliquarum obliuisci, potest virtute eiusdem facultatis in oblitis dispensari, etiamsi non fuerint expressæ in prædicta supplicatione, aut dispensatione. Ita Filiucius suprà numero 279. referens alios maximè Syluestrum, & Henriquez. Item Bonacina disp. 7. q. 5 puncto 3. numero 2. qui etiam rectè aduertit cum Henriquez suprà, & alijs non esse necessarium in dispensatione, vt omnes Irregularitates comprehendat dicere *dispenso tecum toties, quoties*, sed sufficere, si dicatur *dispenso super Irregularitate, quam celebrando in excommunicatione incurristi*. Ratio est, quia sufficienter exprimitur dispensationem extendi ad omnes casus per illam indefinitam propositionem.

Resp. affir. Author.

Ratio.

1082. De eo verò, qui duplici Censurâ distinctæ rationis, affectus, celebrauit, dicendum est debere in supplicatione vtramque Censuram exprimere, vt, & celebrauit in Excommunicatione & suspensione, quod asserere tenentur à fortiori, qui putant, etiamsi Censuræ sint eiusdem rationis debere vel generaliter vel in particulari exprimi; nam hæ non solùm sunt distinctæ Censuræ numero, sed specie, atque adeò diuersa censetur Irregularitas vnius, & alterius, in quo omnes consentiunt.

Dicendum de eo, qui duplici censura diuersa rationis affectus, celebrauit.

1083. Vnde, qui solùm exprimit vnam causam Irregularitatis non censetur dispensatus in Irregularitate ex aliâ; nisi reuerà superior intendat, quando dispensat, generaliter in omnibus dispensare; idque sufficienter exprimat. Legantur quæ in simili de absolutione ab Excommunicatione diximus disp. 3. dub. 31. maximè assert. 2. doctrina enim data pro absolutione generali ab omni excommunicatione locum habet in dispensatione generali ab Irregularitate, potestque vna Irregularitas auferri manente aliâ iuxta dicta etiam in simili de absolutione Censuræ citatâ disp. 2. dub. 23. sæpe autem concessio; imò ordinariè solet accommodari petitioni. Ideò, qui petit dispensationem ab vnâ, & non ab aliâ, non dispensatur ab vtraque. Ita Vgolinus cap. 62. Sayr. lib. 7. cap. 12. numero 20. Suarius suprà sect. 3. numero 2. Filiu. num. 281. constabitque ex dicendis in Tract. de *Legibus* dùm sermo erit de dispensationibus, & in Tract. sequenti de Matrimonio.

Aduertendũ generaliter

1084. Illud autem generaliter aduertendum est dispensationem esse stricti Iuris; atque adeò solùm extendendam ad ea, quæ tacitè, vel expressè per dispensatorem significatur in verbis dispensationis. Ideò solet dispensatio appellari odium Iuris. Inde colligunt aliqui dispensatum ad Ordines non posse promoueri ad maiores, quamuis è contra, dispensatus ad maiores tacitè censeatur dispensatus ad minores, sine quibus non potest ad maiores promoueri. Item dispensatus in vsu Ordinis Sacerdotalis censetur dispensatus in vsu inferiorum; quia in vsu Sacerdotalis Ordinis virtualiter putant multi contineri vsum aliorum. Ego sanè hoc verum puto; sed non ex hoc principio, quod non semper est verum, vt notauimus disp. 4. dub. 2. sed quia eo ipso, quòd censetur non Irregularis, sed expeditus in Ordine superiori, talis etiam censetur in ordine inferiori; neque censetur indecens, quòd ministret in inferiori, si non censetur indecens, quòd ministret in superiori.

dispensationem esse stricti Iuris.

1085. De dispensato autem ad beneficium dicendum est virtualiter censeri dispensatum ad illum ordinem, quem talis beneficij qualitas deposcit, non ad alium superiorem. Itaque in dispensatione non est facienda extensio ad ea, quæ in eâ expressè, vel tacitè non comprehenduntur. Nec valet argumentari à maiori ad minus; nisi maius habeat aliquam connexionem cum minori, ita; vt dispensatus in maiori ideò censeatur dispensatus in minori, quia minus est vel inclusum, vel annexum maiori. Legatur Sanchez lib. 3. de *Matrimonio* disp. 1 Suarius disp. 45. sect. 3. Filiucius q. 1. Reginald. numero 22. Sayrus, Vgolinus & alij citati.

Dicendum de dispensato ad beneficiũ.

Dispensatio extendenda ad ea solùm quæ expressè vel tacitè in illâ continentur.

1086. Quod attinet ad formam verborum seruandam in dispensatione Irregularitatis, nulla expressè determinata requiritur; est enim eadem ratio, & doctrina cum eâ, quam tradidimus disp. 3. dub. 40. in principio; solet autem, & potest adhiberi hæc vel similis forma *Dispenso tecum in Irregularitate, vel Irregularitatibus contractâ vel contractis ob hanc vel illam, ob has; vel illas, vel ob quamcumque causam* (si possit à quacumque absoluere) *& te habilem facio ad susceptionem vel ad exequutionem Ordinum quantum possum in nomine Patris &c.* Quòd si Irregularitas fuerit dubia, potest addi conditionalis *Si fortè incurristi*. Ita Suarius numero 2. Filiucius numero 180. Sayrus numero 18. Auila disp. 10. dub. 1. Henriquez lib. 14. cap. 17. numero 4.

In Dispensatione Irreg. nulla certa verborum forma requiritur.

Potest adhiberi hæc vel similis.

1087. Valebit autem dispensatio, si quis intendat dispensare, & dispenset tantùm dicens absoluo te ab Irregularitate quam contraxisti; imò, sicut non est necessaria determinata forma verborum, non sunt etiam necessaria verba; sed factis aut signis sufficienter significantibus potest tolli Irregularitas iuxta dicta in præcedentibus. Vnde à fortiori valebit si dicat *absoluo te vel dispenso tecum* &c. Potest enim (vt Sayrus suprà & Filiucius numero 280. notârunt) significari per verbum *Absoluo*; quia est Irregularitas, quasi quoddam vinculum quamuis propriè verbum *absoluo* ad Censuras soleat accommodari: non ad Irregularitatem, cui quadrat verbum *dispenso*.

Factis & signum potest tolli Irregul.

CAP.

CAP. IV.

De dispensatione Irregularitatis ex Homicidio

In Quacumque Irregul. dispensare potest Papa.

1088 Quod summus Pontifex possit in quacumque Irregularitate dispensare, atque adeò in hac constat ex sæpè dictâ ratione quia est suprà totum Ius humanum maximè Canonicum. Legatur Vgolinus. cap. 32. Suarius disp. 44. sect. 4. num. 35. Molina tomo. 4. disp. 79. Auila. p. 7. disp. 6. sect. 5. Filiucius Tract. 20. num. 51. An verò Religiosi, vel alij ex priuilegio possint dispensare, pendet ex tenore Priuilegij concessi, vt notat Suarius disp. 47. sect. 6. nu. 13. Vgolinus suprà, & alij.

Irregul. ex homicidio Papæ reseruatur.

1089 De cætero hæc Irregularitas ex homicidio proueniens reseruata est Papæ, semperque in omnibus concessionibus facultatis dispensandi excipitur homicidium voluntarium, vt fit in Tridentino sess. 24. cap. 6. & notat Rodriguez in summa. cap. 165. conclus. 3.

1090 Ex quo fit, vt Episcopus non possit dispensare in homicidio iusto, vel iniusto, videturque constare ex Tridentino suprà & sess. 14. cap. 7. vbi prædicta exceptio homicidij voluntarij habetur.

Hinc cum homicida non dispen. sat. Episcopus.

1091 Ex quo infertur non posse Episcopum dispensare cum homicidâ voluntario ad Ordines suscipiendos, vel exercendos, vel ad obtinendum beneficium.

1092 Item non posse dispensare cum Iudice, qui iustam sententiam tulit in causâ sanguinis, mortis, aut mutilationis.

Communis sententia.

Probabile tamen est quod, &c.

1093 Hoc dixerim iuxta communem sententiam, est tamen valde probabile, quòd quoties per Bullam, vel priuilegium, aliamve concessionem conceditur facultas dispensandi in omnibus Irregularitatibus præter ortam ex homicidio voluntario, etiam conceditur facultas ad dispensandum in orta ex homicidio iusto voluntario. Ita Caietanus in Summâ verbo *Irregularitas*, in fine Armil. num. 2. Couarrub. 2. p. Relectionis. §. 3. in fine. Suarius disp. 47. sect. 6. Plaza de *Delictis*. lib. 1. cap. 11. num. 11. Polanco in *Appendice ad directorium*. Pagina mihi. 156. Pegna. 2. 2. q. 4. art. 2. & q. 64. art. 8. in fine, vbi asserit in suâ Religione sic practicari. Henriq. de Irregularit. cap. 9. referens Cordubam casu 34. ad finem. & Bannez, 2. 2. q. 40. art. 2. dub. 4. Felicianum, & Maiolum. Idem docet Molina disp. 79. num. 3. Reginald. lib. 30. num. 23. Filiucius Tract. 19. num. 282. Viualdus de *Irregularit.* num. 327. & alij multi qui probant; quia nomine homicidij voluntarij, cuius dispensationẽ Pontifex reseruat, non intelligitur homicidium iustum; nam vox *homicidium* in moralibus propriè significat factum iniustum, quod prohibetur in 5. decalogi præcepto, vt habetur ex Augustino cap. *Si Homicidium*. 23. q. 5. docetque D. Thomas. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. & prius. q. 88. art. 6. ad 3. vbi ait *Homicidium est innocentis occisio*, quod etiam docet Sotus lib. 2. de *Iustitiâ* q. 3. art. 8. & lib. 5. q. 1. art. 2. Sylvest. *Homicidium*. 1. n. 1. qui ait homicidium propriè loquendo semper esse peccatum.

Nomine homicidij voluntarij Papæ reseruati intelligendũ

1094 Quibus autem sint talia priuilegia concessa cum eâ exceptione latè explicat Henriq. suprà, & illis gaudent Mendicantes, inter quas nostra Societas, vt videre est in Bullâ Pauli 3. fol. 39. & in compendio verb. *dispensatio*. §. & 6. & 7.

1095 Nauarrus. num. 240. loquens de Homicidijs factis in bello, circa quæ habetur facultas per priuilegia dicit debere esse in bello iusto, & facta iustè quibus videtur significare, etiamsi bellum sit iustum si quis non poterat licitè pugnare, non posse cum illo dispensare. *Nauarri opinio de homicidijs in bello.*

1096 Oppositum tamen probabilius videtur; quia ille non peccat, peccato homicidij, sed contra legem positiuam prohibentem pugnam Clericis. v. g. Idemque erit de Iudice, aut ministris Iustè concurrentes ad mortem, etiamsi ex interno odio peccent, vt in præcedentibus notauimus. Legique potest Henriquez. §. 19. c. 4 & de Clerico accusante sine protestatione in in causâ sanguinis idem est iudicium. *Oppositum probabilius iudicat Author.*

1097 Episcopus autem non solùm in homicidio casuali occulto sæpè explicato; sed etiam in homicidio iusto voluntario occulto, si esset, eâdem ratione posset dispensare eo ipso, quòd in Tridentino concedatur posse dispensare in casibus occultis excepto homicidio voluntario, nempe iniusto. *Episcopus in homicidio casuali & iusto voluntario occulto, dispensat. Non autem in iniusto.*

0198 Ex traditâ doctrinâ infertur Episcopum posse dispensare in omnibus casibus, in quibus non sit propriè homicidium voluntariũ quotiescumque casus sunt occulti; non verò in ijs, in quibus verè est homicidium voluntarium iniustum. Ex quo principio varij casus deducuntur. *Principium obseruandum ex quo.*

1099 Primò deducitur non posse dispensare quando quis occidit in rixâ inopinato quidem obortâ; sed voluntariè occidit, etiamsi sit occultum, quia licèt prouocatus ad rixam fortè non intenderit alterius mortem, in progressu tamen rixæ eam intendit, vt supponimus, & volens efficaciter perpetrauit; sicut &, qui priùs per iocum initio percussit, posteà verò serio mutata voluntate perfecit. Ita Molina tomo. 4. disp. 79. num. 7. Nauarrus. cap. 27. num. 240. quem sequitur Suarius disp. 44. sect. 1. num. 4. & disp. 46. sect. 1. num. 13. Non videtur tamen improbabile oppositum quod sentit. Coninc disp. 18. dub. 14. num. 111. Auila p. 7. disp. 6. sect. 5. conclus. 2. referens Didacum Perez. Plazam, & Additionatorem ad Bernardum Diaz quia, qui successus itâ occidit Authorem rixæ, non videtur omninò voluntariè fecisse. *Infertur. 1.*

1100 Secundò; posse dispensare in Irregularitate occultâ eius, qui solùm habuit intentionem leuiter percutiendi, sed casu factum est vt occideret; quia probabiliter censetur homicidium casuale iuxta dicta disp. 26. cap. 12. & 13. *Infertur 2.*

1101 Tertiò posse etiam cum eo, qui mandauit, vt alterum percuteret; sed caueret, ne ococcideret, vel mutilaret; nam iuxta ibidem dicta probabile est homicidium esse casuale, seu non propriè voluntarium respectu mandantis; quamuis sit culpabile. Ita Suarius & Filiucius suprà Molina. tomo. 4. Tract. 3. disp. 7. & alij. *Infertur. 3.*

Infertur 4. 1102 Quartò: posse Episcopum dispensare in homicidio occulto in propriam defensionem etiamsi quis excesserit moderamen inculpatæ tutelæ; quia in Tridentino supra hoc homicidium non comprehenditur sub homicidio voluntario, cùm factum sit; non ex proposito, & absolutâ voluntate occidendi; sed in propriam defensionem. Ita Auila disp. illa.6.sect.5. dub. 5. Coninc suprà. Nauarrus cap.27.num. 239. testatus ita sensisse Sacram Pœnitentiarium. Suarius disp.46.sect.1.num.13. Molina disp.79.n.8. & 11. Filiucius Tract.20.num. 86. & casu. 5.nu. 145. Reginald.lib.30.Tract.2.num.28. Valentia tomo.4.disp.7.q.19.puncto.3.§.5. Sayrus.lib.7. cap.7.num.22. Henriquez lib.14.cap.10.nu.2.

Obii. Trident. 1103 Quod si obijcias Tridentinum sess.14. cap.7. vbi dicitur de hoc homicidio, quòd committatur loci ordinario (quod verbum, non significat commissionem factam; sed faciendam) *Resp.* respondetur cum Auila ibi sermonem esse non de homicidio occulto, sed publico, vt indicant illa verba *non nisi causa cognitâ, & probatis, ac narratis, &c.* Loquitur etiam Concilium de dispensatione in foro externo; hic verò agimus de dispensatione ab Episcopo pro foro interno in tali casu occulto conferendâ, de quâ agitur à Consilio sess.24.cap.6.

1104 Quamuis autem constet non posse Episcopum dispensare in homicidio iniusto voluntario, etiam occulto, vt dictum est, meritò *Dubium.* dubitari potest an possit in Irregularitate ex iniustâ mutilatione occultâ.

Resp. negatiuè satis probabiliter Medina. 1105 Non consentiunt Authores; negat Sanchez in *Summâ*. lib.1.cap.10. satis probabiliter Medina in *Summa*. lib.1. cap. 11. §. 12. Henriq. lib.14.cap.9.num.3.& alij.

1106 Probabiliùs existimo posse; tùm, quia *Oppositum tanquam probabiliùs tenet Author.* hæc Irregularitas consurgit ex delicto occulto, & Tridentinum concedit Episcopo facultatem dispensandi in Irregularitate ex delicto occulto- mutilatio autem propriè loquendo non est ho- *Ratio.* micidium, & Tridentinum tantùm excipit Irregularitatem ex homicidio voluntario; tùm quia exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. L. *Nam quod liquidi* 5. fin. ff. *de pœnâ Legatorum.* Tum etiam quia fauor *Fauor Principis, latissimè interpretandus.* Principis latissimè est interpretandus. Accedit, quòd ita declarauit Cardinalium Congregatio teste Suario mox citando. Ideò hanc sententiam docent Molina disp.70. num. 19. & disp. 79.num.8.tom.4.& Auila p.7.disp.6.sect.5.dub. 4. Filiucius supræ.num.9. Toletus lib.1.cap. 48. num.6. Suar.disp.44.sect.4.n35. & sect. 2. nu. 4. Reginald. lib. 30. num. 9. Sa verbo *Irregularitas* in fine Rodriguez tomo. 4. *Regularium Quæstionum*.q.24.art.10.& in *Summa*. cap. 181. conclus. 1. alijque multi apud Garziam. nu. 30. quem refert & sequitur Bonacina.

1107 Quòd autem nomine Episcopi intelli- *Nomine Episcopi etiam intelligendi.* gantur etiam Prælati habentes Iurisdictionem, quasi Episcopalem, constat ex dictis disp.3.dub. 3.4.& 5. quidquid alij in contrarium dicant, quos ibidem refutauimus.

1108 Omitto alia, quæ possent fusiùs in hac materiâ disputari, quæ vel ex dictis facile resolui possunt, vel merè spectant ad forum contentiosum, de quibus viro Theologo, ac Religioso non est ex instituto disputandum. Quæ dicta sunt, sicut & mea omnia subijcio correctioni S.M.Ecclesiæ.

F I N I S.

INDEX TRACTATVS DE CENSVRIS ET PÆNIS ECCLESIASTICIS.

DISPVTATIO I.

De Censuris in Communi. pag. 1.

DVBITATIO I.

De nomine & significatione Censuræ, & an sit in Ecclesiâ Potestas ferendi Censuras. ibid.

DVBITATIO II.

Quit sit Censura Ecclesiastica. p. 3.

DVBITATIO III.

Quod sunt species Censuræ Ecclesiasticæ, p. 6.

DVBITATIO IV.

An per facultatem Bullæ Cruciatæ concedentis Potestatem absoluendi a Censuris possit quis absolui ab Irregularitate aliquâ. p. 10

DVBITATIO V.

Quibus verbis indicitur Censura latæ Sententiæ vel ferendæ. p. 13.

DVBITATIO VI.

Quis possit ferre Censuras. p. 16.

DVBITATIO VII.

An affectus Censurâ possit ferre Censuram? & an quis possit eas ferre in seipsum? vel in æqualem sibi, vel superiorem? p. 20.

DVBITATIO VIII.

An Censura per metum lata valida sit. p. 22.

DVBITATIO IX.

Quis possit Censuras ferre duraturas post ferentis mortem? p. 23.

DVBITATIO X.

An Episcopus existens extra suam diœcesim possit ferre Censuras in suos subditos? p. 24.

DVBITATIO XI.

An Excommunicatio Episcopi liget ipsius subditos extra territorium Commorantes? & alienigenas existentes extra suum territorium? p. 25.

DVBITATIO XII.

De quibusdam pro praxi deducendis ex præcedenti dubitatione. p. 28.

APPENDIX DVBIVM

Vnde dignoscatur censuram latam esse per sententiam, vel præceptum? p. 31.

DVBITATIO XIII.

Quinam Generaliter loquendo possint comprehendi Censuris? ibid.

DVBITATIO XIV.

An pueri ante annos pubertatis videlicet masculi ante annum decimumquartum, & Fœminæ ante 12. possint Censuras incurrere? p. 33.

DVBITATIO XV.

An Defunctus possit excommunicari, & absolui ab excommunicatione. p. 35.

DVBITATIO XVI.

An vniuersitas, vel Collegium possit Excommunicari. p. 37.

DVBITATIO XVII.

An semel ligatus vnâ censurâ sit adhuc capax alterius? p. 38.

DVBITATIO XVIII.

Quomodo cognoscendum sit in generali quænam personæ incurrerint Censuras. p. 40.

DVBITATIO XIX.

An Censura lata contra facientes, comprehendat mandantes, & consulentes? ibid.

DVBITATIO XX.

An quando Excommunicatio fertur in consulentes, & mandantes, comprehendat eos licet effectus non sequatur? p. 41.

DVBITATIO XXI.

An si mandans, & consulens, reuocet mandatum, vel consilium, ante effectum sequutum, excusentur censurâ? p. 42.

DVBITATIO XXII.

An prædicta excommunicatio comprehendat quomodocumq; mandantes, vel consulentes, etiamsi sine suo mandato vel Consilio delictum fieret? p. 43.

DVBITATIO XXIII.

An appellatio excuset a censurâ incurrenda? p. 44.

DVBITATIO XXIV.

An Excommunicatio iniusta liget in Conscientiâ & obliget ad sui obseruationem. p. 46.

DISPVTATIO II.

De Excommunicatione secundum se, & ex parte ferentis illam.

SECTIO I.

De definitione, & diuisione Excommunicationis in com-

communi & de natura, & effectibus Minoris Excommunicationis.

DVIBTATIO I.

Quid sit Excommunicatio? & quotuplex. p. 52.

DVBITATIO II.

In quo differat Anathema ab Excommunicatione? p. 53.

DVBITATIO III.

An quando aliquid praecipitur sub Excommunicatione absolutè, intelligenda sit Maior, vel potius minor? p. 54.

DVBITATIO IV.

An Excommunicatio habeat ex Iure Diuino aliquem effectum, saltem Priuare participatione Sacramentorum? p. 55.

DVBITATIO V.

Quid sit minor Excommunicatio? & quos effectus habeat? p. 56.

DVBITATIO VI.

An electio facta Excommunicato minori Excommunicatione, etiam ignoranti Excommunicationem: sit ipso facto irrita. p. 57.

DVBITATIO VII.

An Excommunicatus minori excommunicatione peccet administrando Sacramenta? p. 58.

DVBITATIO VIII.

Quis possit absoluere ab Excommunic. minori. p. 59.

DVBITATIO IX.

Quibus casibus incurratur minor excommunicatio. p. 60

SECTIO II.

De causa materiali proximâ excommunc. maioris.

DVBITATIO X.

An actus interior possit esse materia Excommunicationis? vel saltem exterior: sed occultus omnino? & quae signa sufficiant, vt dicatur exterior sufficiens ad incurrendam Censuram? ibid.

DVBITATIO XI.

An actus exterior qui non est perfectus, & consummatus in suâ specie, excusetur a Censurâ? p. 68.

DVBITATIO XII.

An peccatum veniale possit esse sufficiens materia Excommunicationis Maioris? p. 72.

DVBITATIO XIII.

An qui furatus est paruam quantitatem ex quâ damnum notabile fuit sequutum, incidat in Excomm. latam ob furtum?

DVBITATIO XIV.

An incidat in Excommunicationem latam contra deuastatores vineae, is, qui ignaris aliorum, leue furtum commiserat? ibid.

DVBITATIO XV.

An quando aliquid praecipitur, vel prohibetur sub poena Excommunicationis comminatoria, obliget sub culpâ mortali semper etiamsi materia leuis sit? p. 77

SECTIO III.

De formâ, & modo seruando in ferendâ Excommunicatione.

DVBITATIO XVI.

An pro damnis temporalibus ferenda sit Excommunicatio. p. 81.

DVBITATIO XVII.

An Excommunicatio habeat aliqua determinata verba pro formâ? Et an requiratur intentio Excommunicantis? & haec debeat regulari per intentionem partis petentis Excommunicationem. p. 82

DVBITATIO XVIII.

An Excommunicatio ferri debeat in scriptis & an valeat non in scriptis. p. 83.

DVBITATIO XIX.

An verba quibus, siue prolatis, siue scriptis fertur Censura, debeant esse determinata, & definita ad aliquam particularem Censuram & personam? p. 84.

DVBITATIO XX.

An in ferendâ censurâ debeat praecedere monitio & notitia Censurae, & iuris illam ferentis? p. 86.

DVBITATIO XXI.

An pro culpâ verè praeterita possit ab Ecclesiâ ferri valide Excommunicatio vbi agitur de monitione requisita. p. 88.

DVBITATIO XXII.

Quaenam inobedientia requiratur ad Excommunicationem? & an peccet duplici peccato omnis, qui incidat in Excommunicationem? p. 90.

DVBITATIO XXIII.

An ignorantia impediat vim Censurae. ibid.

DVBITATIO XXIV.

An impotentia, & metus impediant vim Censurae. p. 96.

DVBITATIO XXV.

An excuset ab incurrenda Censurâ consensus partis in cuius fauorem Censura fertur? p. 100.

SECTIO IV.

De effectibus Excommunicationis maioris.

DVBIVATIO XXVI.

Quos Excommunicatos teneamur vitare? & qui excommunicati se debeant abstinere. p. 101.

DVBITATIO XXVII.

An teneamur vitare suspensos, & interdictos nominatim denuntiatos? p. 103.

DVBITATIO XXVIII.

Quaenam denuntiatio excommunicationis, & quae notitia ipsius denuntiationis requiratur vt teneamur vitare Excommunicatum? p. 104.

DVBITATIO XXIX.

Quis dicatur notorius Clerici percussor, vt teneamur illum vitare? p. 107.

DVBITATIO XXX.

An Praeceptum non communicandi cum Excommunicatis

catis, obliget Etiam cum periculo grauis damni? v.g. mortis, tormentorum &c. p.109.

DVBITATIO XXXI.

An propter vitandum periculum mortis, vel infamiam possit Excommunicatus cum alijs communicare? Et sacrum audire? aut facere? vel Sacramenta ministrare? p.110.

DVBITATIO XXXII.

An Excommunicatus denuntiatus possit administrare Sacramēta homini existenti in articulo mortis? p.111.

DVBITATIO XXXIII.

Quibus actibus ciuilibus priuet Excommunicatio? p.112.

DVBITATIO XXXIV.

An fideles possint pro libito sine vllâ necessitate, & rationabili causâ Communicare cum Excommunicatis non necessario vitandis. p.116

DVBITATIO XXXV.

Quale peccatum sit Communicatio ciuilis cum excommunicato?? ibid.

DVBITATIO XXXVI.

In quibus casibus sit peccatum mortale Communicare in humanis cum Excommunicato? p.117.

DVBITATIO XXXVII.

Quando incurratur Excommunicatio? Et qualis propter Communicationem cum Excommunicatis? p.118.

DVBITATIO XXXVIII.

Quibus de causis excusetur à culpâ, & à minori excommunicatione Communicatio ciuilis cum Excommunicato? p.125.

DVBITATIO XXXIX.

An liceat fidelibus orare pro Excommunicato vitando non tollerato? p.133.

DVBITATIO XL.

Quomodo Excommunicatio priuet vsu Passiuo Sacramentorum? & quid de eo, qui ministrat Excommunicato? p.136.

DVBITATIO XLI.

Quomodo Excommunicatio priuet vsu actiuo Sacramentorum & sacrificij Missæ? p.139.

DVBITATIO XLII.

Quomodo Excommunicatio priuet diuinis officijs, & alijs rebus sacris? p.143.

DVBITATIO XLIII.

Quomodo Excommunicatus decedens careat sepulturâ Ecclesiasticâ? p.147.

DVBITATIO XLIV.

An Collatio beneficij facta Excommunicato sit omnino nulla? Et quid de suspenso & interdicto? & quid de pensione? p.149.

DVBITATIO XLV.

An Excommunicatus beneficiatus priuetur fructibus beneficij? p.154.

DVBITATIO XLVI.

An & quomodo contrahat Excommunicatus inhabilitatem ad actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, & Spiritualis? p.158.

DVBITATIO XLVII.

De inhabilitate Excommunicati ad actus fori contentiosi etiam secularis. p.164.

DISPVTATIO III.

De Absolutione ab Excommunicatione, & de varijs excommunicationibus reseruatis à Iure, vel ab homine.

SECTIO I.

De ijs qui possunt absoluere ab Excommunicatione?

DVIBTATIO I.

An non Sacerdos possit absoluere ab Excommunicatione? p.169.

DVBITATIO II.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione Iuris nemini reseruata? p.170.

DVBITATIO III.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione Iuris reseruata? p.173.

DVBITATIO IV.

Quâ ratione illigenda est potestas Episcopi circa absolutionem casuum reseruatorum concessa in Tridentino? p.181.

SECTIO I.

Quid intelligatur per illas voces, delinquentes quoscumque sibi subditos? Ibid.

SECTIO II.

Quâ ratione intelligenda sit illa particula, in quibuscumque casibus occultis? p.182

SECTIO III.

Quid intelligatur per illa verba, In diœcesi suâ & in foro conscientiæ? p.184.

SECTIO IV.

Quomodo intelligenda est illa particula, per se, vel per suum Vicarium ad id specialiter deputatum &c. p.186.

DVBITATIO V.

An Episcopus possit vti hâc facultate absoluendi ab hæresi, etiam suppositâ Bullâ in cœnâ Domini? p.187.

DVBITATIO VI.

An Episcopi possint in foro externo Hæreticos absoluere, & Ecclesiæ reconciliare? p.191.

DVBITATIO VII.

An supposita facultate Concilij, absoluendi à casibus occultis Bullæ cœnæ, competat Episcopis vbi gentium, vbi nondum est admissum Tridentinum? p.192,

DVBITATIO VIII.

Quænam sint Impedimenta sufficientia recurrendi ad sedem Apostolicam pro casibus ad illam reseruatis? & quid de impedimento adeundi Episcopum p.193.

DVBI-

DVBITATIO IX.

An per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæa, aut priuilegia possit quis absolui ab Excommunicatione Iuris reseruatâ Papæ, vel Episcopo? p.196.

DVBITATIO X.

Quid sentiendum de priuilegijs Religiosorum, in Ordine ad absolutionem casuum Bullæ Cœnæ, maximè Hæresis? p.202.

DVBITATIO XI.

Quæ conditiones seruandæ sint in absolutione ab Hæresi, aliove crimine reseruato, quando absolutio fit in articulo mortis, vel ratione alterius impedimenti? p.203.

DVBITATIO XII.

An? & quam habeant facultatem inquisitores fidei absoluendi ab Hæresi? p.206.

DVBITATIO XIII.

An absolutio data Hæretico fictè conuerso, ignoratâ fictione ab absoluente valeat, saltem vt cesset reseruatio? vel etiam, vt non indigeat absolutione? p.207.

DVBITATIO XIV.

Quis possit absoluere ab Excommunicatone latâ ab homine, siue generaliter siue nominatim in particulari? p.212.

DVBITATIO XV.

An Excommunicatus nominatim ab homine, vel Excommunicatus à Iure, re tamen deductâ ad forum contentiosum. Et lite adhuc pendente possit absolui per Bullam Cruciatam, & priuilegia? p.213.

DVBITATIO XVI.

An absolutio Excommunicationis latæ ab homine in particulari, & nominatim datâ à Confessario virtute Bullæ aut Iubilæi, vel alterius Priuilegij valeat in foro exteriori, & Iudicario? p.217

DVBITATIO XVII.

An virtute Bullæ, vel alterius priuilegij absolutus de consensu partis, vel sine illo cum cautione possibili præstitâ sub onere satisfaciendi reincidat in Excommunicationem si cum postea potest, non satisfacit? p.220.

DVBITATIO XVIII.

An per Bullam Cruciatam, aut per priuilegium mendicantum possit quis absolui ab Excommunicatione extra Confessionem? Et in vniuersum; an absolutio Censuræ valeat extra Confessionem? p.224.

DVBITATIO XIX.

An qui in Confessione irritâ, & inualidâ absoluitur à peccatis & Censuris reseruatis maneat liber à reseruatione, ita vt postea possit absolui à non habente iurisdictionem in peccata reseruata? p.226.

DVBITATIO XX.

An is qui tempore Iubilæi fuit absolutus à reseruatis; postea verò non lucratur Iubilæum, quia omittit aliquid præscriptum, maneat liber à reseruatione? p.227.

DVBITATIO XXI.

An absolutus virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi inculpabiliter omittens reseruatum, peccatum, vel censuram, maneat liber à reseruatione, vt postea à quouis Confessario, etiam post tempus Iubilæi, aut Bullæ possit absolui? Ibid.

DVBITATIO XXII.

An qui peccat ex fiduciâ absolutionis à reseruatis, deinde virtute Bullæ, vel priuilegij, possit absolui per Bullam, vel priuilegium? p.228.

DVBITATIO XXIII.

An vna Censura possit auferri remanente aliâ? Ibid.

DVBITATIO XXIV.

An ille qui vltimâ horâ quâ expirat valor Cruciatæ, aut tempus Iubilæi, accedit facturus longam Confessionem, possit transacto tempore absolui à Censuris reseruatis? p.229.

DVBITATIO XXV.

An Archiepiscopus Metropolitanus possit absoluere ab Excommunicatione latâ ab Episcopo Suffraganeo? vel Episcopus ab Excommunicatione latâ à Prælato inferiori? Ibid.

DVBITATIO XXVI.

An Episcopus, vel Parochus in suâ propriâ diœcesi possit absoluere subditum, qui in alienâ Diœcesi incidit in Excommunicationem? p.230.

DVBITATIO XXVII.

An qui in suâ propriâ diœcesi incidit in Excommunicationem, possit absolui ab Episcopo, vel Parocho alterius diœcesis in quâ tunc existit? p.231.

DVBITATIO XXVIII.

An Excommunicatus ab vno Iudice, quia parti læsæ non satisfacit, possit de consensu eiusdem partis ab alio Iudice non Superiori alterius, vel ab alio Sacerdote absolui? p.232.

SECTIO II.

De ijs qui possunt absolui, ab Excommunicatione, & de modo obtinendi absolutionem. Ibid.

DVBITATIO XXIX.

An absens possit absolui ab excõmunicatione? Et an etiã inuitus, aut ignorans absolutionem? aut perseuerans in contumaciâ? Ibid.

DVBITATIO XXX.

An defunctus possit & debeat ab Excommunicatione absolui? p.134.

DVBITATIO XXXI.

Quando ille qui pluribus est Excommunicationibus ligatus, censeatur ab omnibus absolutus? p.235.

DVBITATIO XXXII.

An absolutio obtenta ex falsâ causâ sit nulla? p.247.

DVBITATIO XXXIII.

An absolutio extorta per vim, aut metum sit nulla, Et quando extorquens incidat in Excommunicationem p.238.

DVBITATIO XXXIV.

An quis possit validè absolui, antequam satisfecerit parti læsæ? p.239.

DVBITATIO XXXV.

Quid significent illa verba, in foro interiori vel conscientiæ *quando pro tali foro datur, vel absolutio, vel facultas vt absoluatur?* pag.242.

DVBITATIO XXXVI.

An Religiosi possint absolui ab excommunicatione, & casibus reseruatis, tum per suos Prælatos immediatos, tum per Episcopum diœcesis, in quâ resident? & an ab eisdem possint dispensari in votis, aut legibus, seu præceptis? Ibid.

SECTIO III.

De formâ & modo seruando in tollendâ excommunicatione.

DVBITATIO XXXVII.

An aliqua excommunicatio tollatur sine absolutione? pag.254.

DVBITATIO XXXVIII.

An absolutio conditionalis ad cautelam, & ad reincidentiam, possit dari; & quando? pag.255.

DVBITATIO XXXIX.

Quænam præmitti debeant ante absolutionem ab excommunicatione? pag.258.

DVBITATIO XL.

De forma & ceremoniis absolutionis. pag.266.

SECTIO IV.

De quibusdam excommunicationibus in particulari, & modo illas tollendi.

DVBITATIO XLI.

An edicta generalia extendantur ad reuelanda etiam peccata secreta? pag.261.

DVBITATIO XLII.

An teneatur quis virtute edictorum manifestare ea crimina quæ tantum nouit per consultationem? pag.262.

DVBITATIO XLIII.

An quando peccata sunt omninò emendata, nec habent aliquam dependentiam in futurum, teneamur sub excommunicatione virtute edictorum denuntiare? pag.263.

DVBITATIO XLIV.

An teneatur quis sub excommunicatione contentâ in edictis denuntiare crimina, quæ non potest in iudicio probare? Ibid.

DVBITATIO XLV.

An quoties quis scit, se posse per correctionem fraternam, vel denuntiationem Euangelicam obuiare peccato occulto sine denuntiatione iudiciali, teneatur prius præmittere correctionem non obstante excommunicatione edicti? pag.266.

DVBITATIO XLVI.

An quando constat delinquentem iam esse emendatum teneatur quis sub excommunicatione edictorum manifestare delictum hæresis? pag.268.

DVBITATIO XLVII.

An sit obligatio virtute edictorum denuntiandi ea de quibus denuntiaturus dubitat, vel non est certus an denuntiandus commiserit? pag.269.

DVBITATIO XLVIII.

An sit obligatio denuntiandi sub excommunicatione edicti, quando denuntiaturus ex denuntiatione patitur detrimentum? pag.270.

DVBITATIO XLIX.

An si filius sciat Patrem esse hæreticum, vxor virum, & è contrà, cæteriq; consanguinei, & affines, teneantur reuelare virtute edictorum? & an ratione damni quod timet sibi excusetur? pag.271.

DVBITATIO L.

An quis ob priuilegium excusetur à denuntiatione facienda? pag.273.

DVBITATIO LI.

An Episcopus virtute Tridentini absoluere possit ab excommunicatione incursa propter inobedientiam edictorum, etiam Inquisitionis? & quæ sint pœnæ inobedientium? pag.275.

DVBITATIO LII.

An qui non reuelauit, quod sciebat monitus per edicta ideoq; incidit in excommunicationem, teneatur toto anno à publicatione edictorum id facere? pag.276.

DVBITATIO LIII.

An excommunicatus per edicta generalia, quia non denuntiauit, possit absolui absque eo quod denuntiet? & quomodò sit facienda denuntiatio? p.278.

DVBITATIO LIV.

Quoties incurratur eiusdem edicti excommunicatio non denuntiando? & quanta culpa sufficiat vt incurratur? pag.279.

DVBITATIO LV.

An edictum obliget vltra intentionem iustam ferentis illud? pag.280.

DVBITATIO LVI.

An qui occultant bona, ne à Fisco, vel creditoribus capiantur, vel in eorum fraudem contractus ineunt, & qui retinent scripturas aliquas quas iubentur vi monitorij exhibere, comprehendantur excommunicatione contra ipsos latâ? pag.282.

DVBITATIO LVII.

An? & quando Iudices sæculares incurrant excommunicationem quando compellunt Iudices Ecclesiasticos vt Censuras tollant, vel quando impediunt executionem Bullarum Apostolicarum? pag.285.

CAPVT I.

Iniustitiam, & vim ab Ecclesiasticis Iudicibus illatam, quæ absque vllâ libelli, & processus examinatione, per se, & euidenter patet, licitum esse, etiam per vim Magistratibus sæcularibus contra Ecclesiasticos, & è contra repellere. Ibid.

CAPVT II.

Quonam modo & quo iure Magistratus Regij, & tribunalia sæcularia litteras apostolicas examinare, & earum executionem impedire licitè possint? p.286.

CAPVT III.

Quid senserint Auctores canonistæ circa potestatem sæcularem Principum contra, seu suprà potestatem

Iudicum Ecclesiasticorum, quando vim inferunt? pag.288.

CAPVT IV.

Quid sentiunt alij Auctores præsertim Theologi circa pulsandam vim illatam in denegandâ appellatione à Iudicibus Ecclesiasticis per sæculares magistratus? pag.290.

CAPVT V.

Probabilem esse opinionem Couarruuiæ & Nauarri si moderatè, & in casu quo ipsi loquuntur tantùm intelligatur. pag.295.

CAPVT VI.

Quibus in casibus, soleant, vel possint Magistratus sæculares abuti prædictâ potestate? pag.299.

DVBITATIO LVIII.

Quomodò intelligenda sit excommunicatio canonis contra percussores clerici? pag.300.

CAPVT I.

De personâ percutiente, & percussâ. Ibid.

CAPVT II.

De modo percutiendi quantitate & qualitate percussionis requisitâ ad Censuram incurrendam. p.306.

CAPVT III.

De causis excusantibus ab incurrendâ Censurâ propter clerici percussionem. pag.308.

CAPVT IV.

De absolutione à Censurâ propter clerici percussionem. p.311.

DVBITATIO LIX.

De excommunicatione quæ incurritur ob hæresim. p.312

DVBITATO LX.

De excommunicatione latâ contra credentes, aut fauentes hæreticis, illosue receptantes. pag.316

DVBITATIO LXI.

De excommunicatione latâ contra eos qui legunt libros hæreticorum. pag.321

CAPVT I.

An & quâ Censurâ hæreticorum libri prohibiti sint ab Ecclesiâ? Ibid.

CAPVT II.

Quinam libri continentur sub prohibitione Bullæ cœnæ, & aliis. pag.322.

CAPVT III.

Quænam actiones prohibitæ sint in Bullâ cœnæ, aliisq; decretis circa prædictos libros? pag 324.

CAPVT IV.

Quas personas comprehendat prohibitio legendi, & retinendi libros hæreticos? pag.329.

CAPVT V.

Quæ pœnæ sint impositæ transgressoribus, prædictarum legum? pag.330

DVBITATIO LXII.

De excommunicatione quæ contrahitur ob duellum. pag.334.

DVBITATIO LXIII.

De excommunicatione quæ contrahitur ab iis, qui cogunt fœminas ad Religionem, vel ab illâ retrahunt. pag.336.

DISPVTATIO IV.

De Suspensione.

DVBITATIO I.

Quid nomine Suspensionis significetur? & quæ sit propria ratio huius Censuræ? & quotuplex sit suspensio? pag.338.

DVBITATIO II.

Quinam sint effectus suspensionis? Ibid.

DVBITATIO III.

Quis? & in quos possit Censuram Suspensionis ferre? pag.342.

DVBITATIO IV.

Quibus de causis possit ferri suspensio? pag.343.

DVBITATIO V.

Quamdiu duret suspensio? & an alicubi suspensus vbique suspensus maneat? pag.344.

DVBITATIO VI.

An suspensus grauiter peccat violando suspensionem? & quando excusetur ab eâ seruandâ? quasque pœnas incurrat, violando illam? Et an eius acta valida sint? pag.347.

DVBITATIO VII.

Quænam sint suspensiones, quæ ipso Iure incurruntur? pag.349.

CAPVT I.

De suspensionibus Iuris contra Episcopos, & alios Prælatos. Ibid.

CAPVT II.

De suspensionibus contra capitula, Conuentus, & Religiosos. pag.352.

CAPVT III.

De suspensionibus in Iure latis contra clericos. pag.355.

DVBITATIO VIII.

De Absolutione à Suspensione. pag.366.

DISPVTATIO V.

De Interdicto, & cessatione, à diuinis.

DVBITATIO I.

Quid sit Interdictum? & quotuplex? pag.368

DVBITATIO II.

De quibusdam specialibus dubiis pro praxi decidendis ex traditâ doctrinâ. pag.371.

DVBITATIO III.

De Causis interdicti. pag.376

DVBITATIO IV.

De effectibus interdicti. pag.377.

CAPVT

CAPVT I.

De priuatione Baptismi, & Confirmationis. pag.378

CAPVT II.

De Priuatione Eucharistiæ. pag.379

CAPVT III.

De Priuatione reliquorum Sacramentorum. pag.381

CAPVT IV.

De secundo effectu interdicti, qui est prohibitio celebrationis, & auditionis diuinorum officiorum. p.383

CAPVT V.

De tertio effectu interdicti scilicet priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ. pag.387

DVBITATIO V.

De pœnis violantium interdictum. pag.391

DVBITATIO VI.

In quibus casibus incurratur interdictum? pag.396

CAPVT I.

De casibus in quibus incurritur interdictum locale. Ibidem.

CAPVT II.

De casibus in quibus incurritur interdictum personale generale. pag.397

CAPVT III.

De casibus in quibus incurritur interdictum speciale personale. pag.398

DVBITATIO VII.

De absolutione ab interdicto. pag.399

DVBITATIO VIII.

De cessatione à diuinis. pag.403

CAPVT I.

Quæ sit eius natura, & quotuplex. Ibid.

CAPVT II.

De caussis cessationis à diuinis. pag.404

CAPVT III.

Quinam sint effectus cessationis à diuinis? pag.405

DVBITATIO IX.

De Relaxatione cessationis. pag.409

DISPVTATIO VI.

De depositione & degradatione.

DVBITATIO I.

Quid? & quotuplex sit degradatio, aut depositio? pag.408.

DVBITATIO II.

Ob quæ crimina possit, aut debeat clericus solenniter degradari, & Iudici sæculari tradi? pag.410

DISPVTATIO VII.

De Irregularitate in communi.

DVBITATIO I.

Quid sit Irregularitas? & quotuplex? pag.412

DVBITATIO II.

An Irregularitas vt incurratur, debeat esse expressa in Iure? & an in dubio Iuris censendus quis sit Irregularis? pag.414

DVBITATIO III.

An in dubio facti, cui annexa est Irregularitas, habendus quis sit Irregularis? pag.418

DVBITATIO IV.

Quænam sint causæ Irregularitatis? pag.420

DVBITATIO V.

Quid requiratur ad incurrendam Irregularitatem? pag.422.

DVBITATIO VI.

De effectibus Irregularitatis. pag.424

DVBITATIO VII.

De Irregularitate prouenient ex defectu animæ. p.430

DVBITATIO VIII.

De Irregularitate ex defectu corporis. pag.432

DVBITATIO IX.

De Irregularitate defectu natalium. pag.436

DVBITATIO X.

De Irregularitate ex defectu ætatis. pag.440

DVBITATIO XI.

De Irregularitate proueniente ex defectu libertatis, seu obligatione seruienti, aut aliis obligationibus. p.441

DVBITATIO XII.

De Irregularitate ex bigamia. pag.443

DVBITATIO XIII.

De Irregularitate quæ oritur ex infamia. pag 450

DVBITATIO XIV.

De Irregularitate proueniente ex pænitentia publica. pag.456.

DVBITATIO XV.

De Irregularitate ex iteratione Sacramenti Baptismi, vel iniqua susceptione illius & de Neophytis. p.457

DVBITATIO XVI.

An sint Irregularitates ortæ ex iteratione confirmationis, & ordinis? pag.459

DVBITATIO XVII.

Quis dispenset in Irregularitate contracta ex iteratione Baptismi, & aliis prædictis? Ibid.

DVBITATIO XVIII.

De Irregularitate proueniente ex susceptione ordinis. pag.460

DVBITATIO XIX.

De Irregularitate per exercitium ordinis ab affectu censuræ. pag.462

DVBITATIO XX.

De Irregularitate quæ contrahitur per exercitium ordinis quem quis non habet. pag.464

DVBITATIO XXI.

De Irregularitate contracta ob hæresim. pag.467

DVBITATIO XXII.

De Irregularitate propter fauorem, receptionem, defensionem, & suspicionem hæresis. pag.470

DVBITATIO XXIII.

De Irregularitate quam contrahunt filij hæreticorum ex delicto parentis. pag.471

DVBITATIO XXIV.

Quis possit dispensare in Irregularitate contractâ ob hæresim? pag.477

DVBITATIO XXV.

De quibusdam aliis Irregularitatibus, quæ solent ab authoribus assignari. pag.480

DVBITATIO XXVI.

De Irregularitate proueniente ex homicidio. pag.482

CAPVT I.

De homicidio in communi. Ibid.

CAPVT II.

An Iudex, & eius ministri concurrentes ad mortem, seu mutilationem iustam sint Irregulares? pag.484

CAPVT III.

An consultores in causâ sanguinis, Doctores concilium dantes, concionatores, & confessarij Iudicem hortantes, & similes fiant Irregulares? pag.488

CAPVT IV.

De accusatore, seu denuntiatore in causâ sanguinis. pag.491.

CAPVT V.

An Testis, & aduocatus in causâ sanguinis præmissâ protestatione sint Irregulares morte, vel mutilatione sequutâ? pag.494

CAPVT VI.

An Inquisitores, & alij similes Iudices fiant Irregulares tradendo reos secularibus Iudicibus puniendos, & instando pro exequutione sententiæ sanguinis. pag.497.

CAPVT VII.

An Clericus peccet mortaliter deliberatè exercens id, propter quod Irregularis & quæ sit materia Irregularitatis ex defectu lenitatis? Ibid.

CAPVT VIII.

An Iudex qui plures actus exercet sæpius incurrat Irregularitatem? & exercens officium Iudicis ex eò præcisè fiat Irregularis? pag.498

CAPVT IX.

De Irregularitate quæ contrahitur ob bellum iustum, vel iniustum. Ibid.

CAPVT X.

De Irregularitate quæ prouenit ex homicidio ob defensionem. pag.502

CAPVT XI.

De Irregularitate quæ contrahitur exercendo officium medici, aut chirurgi. pag.507

CAPVT XII.

De Irregularitate proueniente ex homicidio casuali. pag.511.

CAPVT XIII.

De Irregularitate ortâ ex homicidio voluntario iniusto ex parte, exequentis, aut mandantis, aut consulentis. pag.518

CAPVT XIV.

De auxiliantibus, & cooperantibus ad homicidium. pag.523.

CAPVT XV.

De Irregularitate, quam contrahunt non impedientes, & ratum habentes homicidium. pag.526

DVBITATIO XXVII.

Quis possit dispensare in Irregularitate?

CAPVT I.

An summus pontifex, & Episcopus possint dispensare in Irregularitate? pag.530

CAPVT II.

An Irregularitas tollatur per Baptismum, professionem Religiosam, cessationem causæ, & Iurisdictionem delegatam? pag.532

CAPVT III.

De conditionibus requisitis pro obtinendâ, & concedendâ dispensatione. pag.533

CAPVT IV.

De dispensatione Irregularitatis ex homicidio. pag.535

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVÆ IN TOTO HOC OPERE CONTINENTVR.

Littera P. Significat Paginam: Littera verò N. numerum marginalem.

A.

Abbas.

AN Abbates, aliique Prælati inferiores habeant potestatem absoluendi à casibus reseruatis, Episcopis à Trident. concessam de cen.pag.178.nu.63.

Abbatissa.

Abbatissa, an directè possit excommunicare de cen.p.19.n.130. An possit illa, vel priorissa imitare vota suorum monialium. ibid.pag.245. num.579.

Absolutio ab excommunicatione.

Ab excomm. quis absoluit an etiam non sacerdos saltem in articulo mortis de cen.pag.169. num.3.& seqq.

Ab excommunicatione Iuris non reseruatâ an quilibet sacerdos absoluere possit. ibid. pag. 170.nu.13.

Ab excomm. generaliter latè non reseruatâ an posset absoluere quiuis confessarius potens absoluere à mortalibus. ibid. p.212 n.317.

Ab excomm. latâ ab homine in particulari & nominatim quis absoluit sistendo in Iure communi. ibid.pag.213.n.319. Item mortuo, vel excommunicato excommunicante quis absoluit. ibid.p.214.nu.326.& seqq.

Excommunicatus nominatim lito pendente. an validè absoluatur de cen.p.214.num.332. Item an licitè, non priùs exhibitâ parti læsæ satisfactione. ibid.p.215.n.333.& seqq. Item quæ satisfactio censeatur sufficiens. ibid.217.nu.347.

Quando in facultate dicitur quòd absolutio possit dari in foro conscientiæ, vel quando in eâ nullius fit mentio, an valeat talis facultas pro vtroque foro. ibid.n.344.& seqq.

Absolutio datâ à confessario ei qui fecit quod in se erat nec potius absolutionem à Iudice obtinere, ad quid valent. ibid.219.n.371.

An qui præstitâ cautione satisfaciendi, parti absolutus est; reincidat in excomm. si posteà culpabiliter non satisfaciat. ibid. pag.220.n.381. & p.222.num.398. An item reincidat ob mortis periculum &c. absolutus; ab eo qui aliàs non poterat; si cessante periculo, se superiori, non præsentet, à quo erat absoluendus. ibid.nu 399.

An quandoque absolui nequit nisi ad reincidentiam, pars non satisfaciens. ibid.pag.223. nu.401. Item an absolutus quandoque incidat in excomm. quoad forum externum, & non quoad internum. ibid.n.404.

Absoluere ab excomm. aliaue Censurâ extra Sacramentum. Quis potest de cen.pag.224. n.407. Item an valeat absolutio data à censuris extrà confessionem quamuis in confessione facultatis dicatur *auditis confessionibus* &c. ibid. n. 408. vel quando nulla ponitur restrictio ad forum Sacramentale. ibid.n.411.

An habens facultatem absoluendi in foro pœnitentiæ possit absoluere extra confessionem, quoties absolutio cadit suprà materiam ad quam per se non requiritur absolutio Sacramentalis. ibid.p.225.n.413.

In Absolutio à censuris per priuilegia religiosorum &c. dari potest extra Sacramentum. ibid. num.415.

Absolutionis subiectum & modus illam obtinendi

Absens an validè possit absolui ab excomm. de cen.p.232.n.471. An etiam inuitus, & ignarus. ibid.p.233.nu.475. Item an defunctus. ibid.p. 234.n.485.

Absolutionem pro defuncto, quis procurare debet, & satisfacere. ibid. n.489. Item si in loco sacro sepultus sit censurâ occultâ ligatus, an sit absoluendus. ibid.n.491.& quomodò.p.135. n.492.& seqq.

Pluribus excomm. ligatus, quando censetur ab omnibus absolutus, & quando non. ibidem n.498.& p.236.n.499.& seqq.

Absolutio ex falsâ causâ obtenta an valida sit, & illicita. ibid. p.238.n.514.

Absolutio vi, vel metu extorta, an sit valida. ibid.n.521. An ita absolutionem extorquens incurrat excomm. ipso Iure. ibid. p.239.nu.523. & seqq.

An validè quis absoluatur antequam satisfecerit parti læsæ, & à quo. ibid.nu.537.& p.240. n.538.& seqq.

An dubitans de obligatione satisfactionis possit absolui ante illam præmissam. ibid. pag.241. n.544.& n.546 Item an in casu dubiæ excommunicationis. ibid.p.258.nu.694.

Quoad absolutionem Religiosorum, à censuris, & quis in illorum votis, &c. Dispenset vide verbo *Religiosus*.

Absolutionis forma; illiq; præmittenda. An tolli possit excomm. validè contracta sine absolutione de cen.p.254.nu.153.& seqq.

Absolutio à censurâ sub conditione de futuro, an valeat. ibid.p.256.n.677. An etiam licitè impendatur, & à quo. ibid.nu.679.& seqq.

Absolutio ad Cautelam, quando, & quomodò

modo danda. ibid.p.257.n.686. & quis potest. ibid.p.258.n.692.& 693.

Absolutio ad reincidentiam quæ dicatur, & quis illum potest impendere. ibidem num.695. & seqq.

Absolutioni ab excomm. quænam præmitti debeant. ibid.n.668.& seqq.

Absoluens non præmissâ satisfactione partis læsæ, an mortaliter peccet & teneatur de expensis, parti læsæ. ibid.nu.699.& seqq. Item an quando potest præstari satisfactio realis sufficiat dare cautionem. ibid.p.259.n.703.& 706. Item nomine partis læsæ hic quis intelligatur. ibid. n.711.

Pro Absolutionis formâ nulla determinata verba requiruntur. ibid. p.260.n.717.

Ceremoniæ obseruandæ in absolutione excommunicationis. ibid.n.718. & seqq.

Absolui ab vnâ censura an quis possit, manente alterâ. ibid.p.228.nu.437. Item an in absoluente & absoluto sit necessaria cognitio censuræ. ibid.p.229.nu.439.

Absoluere suum subditum qui in alienâ diœcesi incidit in excommunicationes an possit Episcopus ibid.existentem. p.230.n.456.& seqq.

Absolutionem ab excomm. reseruatâ quis impendit, vide verbi. *Casus reseruatus.*

Actus.

Actus alius externus, alius occultus de cen. p. 60.num.74.

Ob Actum per se occultum an incurratur censura &c. ibid.n.75.

Quando Ecclesia præcipit &c. actum externum, an simul etiam præcipiat actum internum. ibid. p.62. num.80 Item quando punire potest actum internum, & quando non. ibid. pag.64. num.87.

Adiuratio, Adiurans, res adiurata.

Adiuratio quid sit, & quotuplex de Iura. pag. 184.n.2.& seqq. Item eius conuenientia & disconuenientia, cum Iuramento. ibid.n.6.

Adiuratio an differat ab oratione.ibid.p.185. num.8.

Adiuratio an debeat habere tres comites Iuramenti & an defectus veritatis in illa sit mortalis. ibid.nu.9.

Adiurans. Ex officio quis, sit. ibid. p.186.nu. 13. Item an Deus, & Angeli, tam boni, quàm mali possint adiurare. n.14. & 15.

Res adiurata sicut & *Adiurans*, debet esse intellectualis. ibid.num.16. An quandoque possimus inanimata, vel animata irrationalia adiurare. num.17.

Res per quam adiuratur quis, quæ sit. ibid. pag.187.num.18.

Adiurandi an detur præceptum. ibid. nu.23. An dæmones adiurare liceat. nu.24.& seqq.

Adiuratio an inducat obligationem, in Adiurato, præstandi id quod ab eo petitur.ibid.n.26

An aliqua à dæmone humanum corpus obsidente petere liceat. ibid.n.27.& seqq. Et an interrogann, fidem liceat adhibere dictis dæmonis. ibid.p.188 n.28.

An liceat Adiuranti Dæmonem adhibere Dæmoniaco aliqua medicamenta, ibid. n. 33. Et an ipsi liceat Petitioni Dæmonis è corpore Egressum consentire ibid. P. 189. n. 38. Item An ab illo signum Petere sui discessus n. 42.

Amphibologia.

Vide verbo *Iuramentum Amphibologicum.* Et verbo *veritatis occultatio.*

Anathema.

Verbum Anathemanzandi, vel excommunicandi, an accipiatur quandoque pro verbo execrandi & detestandi, de cen. p.31.num.215. & 216.

Appellatio:

An Appellatio facta post contractam censuram hanc suspendat de cen. pag.44.n.305. Item an sententiam declaratoriam censuræ. p.45. n. 306. Item an facta ante contractam censuram, latam sub conditione illam suspendat. nu.307. Item an debeat, fieri intra decem dies vel sufficiat fieri ante impletam conditionem. ibidem n.309.& quid si quis non prosequatur appellationem.n.314.

Si Iudex à quo putans Appellationem esse nullam, excommunicet, & excommunicatus celebret an fiet Irregularis si Iudex ad quem dicat Appellationem esse nullam. ibid. pag.46. n.317.& seqq.

Appellatio an semper habeat locum. ibidem p.296.n.957.& quando legitimè interposita est an Iudex Ecclesiasticus cogi possit per sæcularem vt appellationi deferat. ibid.

Archiepiscopus.

Archiepiscopus an, & quando, possit absoluere subditos, suffraganei, à reseruatis virtute facultatis à Tridentino, sess.24. cap.6. de refor. concessæ de cen.p.179.n.77. & p.229. nu.446. & 447.

Axioma.

Axioma *in dubio melior est conditio possidentis* an habeat locum extra materiam Iustitiæ de cen. p.132.n. 599.

Axioma *potest Episcopus in propriâ diœcesi, quod potest Papa in vniuersali,* quomodò intelligendum. ibid.p.172.n.30.

Axioma, nemo dat quod non habet. Explicatur. ibid.p.359.n 254.

Axioma *Iuramentum sortitur naturam & conditiones actus cui adiungitur* varias patitur limitationes, de iur.p.98.n.66.

B.

Blasphemia.

Blasphemia, quid sit de iur.p.21.nu.164. Eius diuisio. ibid.nu.169. Quæ dicatur Blasphemia hæreticalis, & quæ non. ibid.

Blasphemia si sit hæreticalis vel ex odio Dei formali an debeant hæ circumstantiæ in confessione explicari. ibid. p.25.num.208.& 209. Item an explicari debeat an fuerit directè & immediatè contra Deum, an tantum mediatè. ibid.n.210.

Blasphemia, an ex paruitate materiæ, an verò ex. solo deliberationis defectu excusetur à mortali. ibid.p.26.nu.218. Item an habeat aliquam censuram annexam ipso facto, & an sit Papæ reseruata in ratione blasphemiæ. n.220.

Blasphemiam audientes, an teneantur illam denuntiare, & cui. ibid.p.27.n.223. An debeat præmitti

præmitti correptio fraterna. ibid.nu.224.

Bellum.

Bellum vtrimque iustum an possit dari de cen. p.51.n.333.

Beneficium.

Beneficij collatio facta excommunicato an valeat, de ceo. p.149.nu.741. An si ignoret suam excomm. ibid.nu.744. & an valeat collatio officij Ecclesiastici, vel sæcularis, habentis annexam Iurisdictionem facta excommunicato. ibid.n.746.& seqq.

An beneficium validè recipiat qui tantum secundum allegata, & probata est nocens. ibid. p.151.nu.756. Item an collatio beneficij facta excommunicato, à summo pontifice, valeat. ibid.n.759.& seqq.

Beneficij acceptio facta ab electo, & nominato, ante excommunicationem, an hac sublatâ sit valida. ibid.n.764.

An eligentes excommunicatum sint puniendi, & quod remedium, requiritur, pro eo qui excommunicatus accepit beneficium. ibidem p.152.n.778.&seqq.

Doctrina de collatione, electione aut præsentatione excommunicati ad beneficium, an habeat locum respectu suspensi, Interdicti, & Irregularis. ibid. p.153.nu 783.

Bigamia, Bigamus.

Bigamia quid sit,& quotuplex de cen.p.443. num.293.

An Bigamus sit Irregularis & quæ sit vera & propriè dicta bigamia. ibid.n.294.& seqq. Item quæ dicatur bigamia interpretatiua.ibid.p.444. n.297. Quæ item similitudinaria. ibid.p.446. num.316.

An non tantum ex vera, sed etiam ex interpretatiuâ & similitudinaria, Bigamiâ incurratur Irregularitas. ibid.n.317.

An quicumque matrimonium contrahit cum duabus fit Bigamus, & Irregularis. ibid.p.443. n.294.& seqq.

In Irregularitate ortâ ex Bigamiâ quis dispensat. ibid.p.449.n.333.& seqq.

An Bigamus absque dispensatione ordinatus, gaudeat priuilegio clericali. ibid.n.341.

C.

Casus Reseruati.

Absolutio, vide verbo *Heresis.*

Casus Episcopo reseruati de Cens. pag.198. nu.222.& seqq.

Quando à casu sibi reseruato concedit Papa alteri facultatem absoluendi, an etiam censeatur concedere facultatem absoluendi à casibus & Censuris Episcopo reseruatis de cen.pag.173. nu.35.& seqq.

An reseruatâ excomm. Iuris quis absoluit. ibid.n.40.& an quilibet sacerdos licèt excommunicatus in periculo mortis. ibid. pag.174.n. 43. Item an ita absolutus si conualescat, teneatur comparere coram habente de Iure potestatem absoluendi. ibid.n.44.& si non comparuerit an incidet in excomm.reseruatam.ibid.n.49.

A reseruatis, Papæ prouenientibus ex delicto occulto, conceditur Episcopis à Tridentino facultas absoluendi. ibid. p.275. nu.50. & an hæc potestas transeat ad capitulum sede vacante. ibid.nu.51.

A reseruata Censurâ publicâ an absoluat Episcopus quando est impedimentum recurrendi ad Pontificem & quomodò. ibid. num.54.& seqq. Item an teneatur Censurâ tali ligatus, Romæ per procuratorem agere pro obtinendâ absolutione manente impedimento. ibid.pag.176. num.57.

An habentes generalia Priuilegia absoluendi à reseruatis absoluant à Casibus ab Episcopo reseruatis, vel in Bullâ Cænæ. ibid pag. 177. num.65.

An Prælati Regulares comprehendantur nomine Episcopi in facultate à Tridentino concessâ, quoad absolutionem à reseruatis. ibidem p.179.n.70. & 71.

Tridentini verbo, quibus sess.24.cap.6. Episcopis conceditur facultas absoluendi à casibus reseruatis explicantur. ibid.p.181.n.90.& seqq. vsque ad n.134.

An à reseruatis absolui possint Religiosi exempti, per Episcopum aut Archiepiscopus in Cuius diœcesi commorantur. ibid.nu.91.

A reseruatis absoluendi facultate à Tridentino concessâ an Episcopis possint vti vbi concilium non est receptum. ibid.pag.192. nu.171.& seqq. vel vbi generaliter receptum est non autem circa legem, vel onus aliquod particulare. ibid.nu.173.

An, & quoties possit quis absolui à Censuris, & casibus Papæ vel Episcopo reseruatis per Bullam Cruciatæ. ibid. p.196.n.207. & seqq.

An in concessionibus generalibus absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, censeatur concessa facultas ad reseruata: ibid. p.198. nu. 227.& seqq.

An Episcopus, concedens facultatem absoluendi à censuris sibi reseruatis eo ipso censeatur facultatem dare absoluendi, à casibus, & culpis sibi reseruatis, vel contrà: & an idem de Papa dicendum sit. ibid.n.230.& seqq.

In absolutione à reseruatis, conditiones obseruandæ. p.203.n.261.& seqq. Et quid dicendum si absoluens omittat conditionis alicuius obseruationes. ibid.p.204.nu.272. Et an comparandi obligationi satisfiat per procurationem. ibid.p.205.n.277.& 278.

Absolutus ab habente potestatem aliàs absoluendi à reseruatis An teneatur comparere. pag. 206.nu.280. Item an valeat absolutio data absque satisfactione partis. ibid.n.282.

A reseruatis peccatis; & censuris recipiens absolutionem in confessione inualidâ an maneat liber à reseruatione. ibid.p.226.n.417.& seqq.

A reseruatis tempore Iubilæi absolutus, An maneat liber à reseruatis si posteà Iubilæum non lucretur. ibid.p.227 nu.420. & quid dicendum de omittente confessionem reseruati. ibid.num. 421. & seqq.

An peccantes ope absolutionis per bullam obtinendam possint absolui virtute eiusdem bullæ. ibid.p.228.n.433.

An à reseruato absolui possit ille qui inchoauit confessionem, ante expirationem Bullæ, vel Iubilæi & finiuit, post. ibid.p.229. n.443.

Ab excomm. à Prælatis inferioribus lata an possit Episcopus absoluere. ibid. p.230.nu.449. & seqq.

An qui in alienâ diœcesi, incidit in excomm. possit absolui ab Episcopo diœcesis propriæ. ibid.n.457.& seqq;

Cautio.

Cautio præstanda ante absolutionem Censuræ, quæ dicatur sufficiens de cen. p.259.n.705. & seqq.

Clericus.

Clerici & monachi nomine quis intelligatur in Canone *si quis suadente diabolo* &c. de cen. p. 303.999.& seqq.

Circa canonis excommunicationem consideranda ibid.p.300.n.971.

Personæ clericum percutientis nomine quis intelligatur. ibid. n.973.& seqq.

Clericus in sui percussionem consentiens, an incurrat excommunicationẽ ipso facto, de cen. p.301.n.982. Item an si seipsum percutiat. ibid. n.983. An Iudex clericum consentientem in custodia detinens incurrat excomm. ibid. p.302. num.988.

Clericus quando percuti meretur, cuius est illum percutere. ibid.n.990. & an qui solum ratum habet clerici percussionem, incurrat excomm. ibid.num.992. Item quis dicitur ratum habere clerici percussionem. ibid. & n.994.

Clerici percussio. Leuis, mediocris, & enormis quæ dicatur. ibid.p.195.n 200.& 201.

Per *manus violentas* in Canone quid intelligatur. ibid.p 306.n.1031.& seqq.

Clerici percussio seu actio iniuriosa in illum, quando censetur sufficiens ad incurrendam excom. ibid.p.307.nu.1043. & an clerici impuberes sese percutientes incurrant excomm. ibidem num.1044.

Clerici percussorem à censurâ incurrenda, quænam causæ excusent. ibid p 58.n.1045.& seqq.

Clerici percussorem à censurâ quis absoluit de cen.p.311.nu.1074.& seqq. Item pag.194. n.197.& seqq.

Quando datur absolutio percussori clerici, an præter satisfactionem, vel condonationem huius debeat alia satisfactio exigi. ibid. p.312. n.1087.& seqq. Item quando clericus seipsum percutit vel in sui percussionem consentit cuinam exhibenda est satisfactio. ibid. pag.313. n.1092.& 1093.

Clericus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si interdictum violet exercendo actum ordinis fit Irregularis, de cen. p.371.n.26.

Clerici priuilegio Canonis an & quibus de causis priuari possint vide verbo *Priuilegium*.

Clericis in sacris non licet sine causâ legitimâ inter reliquam turbam spectare supplicia reorum. ibid.p.480.n.653.

Clericus an peccet mortaliter deliberatè exercens id propter quod fit Irregularis. Ibidem p.493.n.771.& 772. Item an licitè pugnet propriâ manu in bello, iusto ne superioris licentia. ibid.p.500.n.787.

Censura.

Censuræ Ecclesiasticæ definitio, de cen.pag.3. n.13. illius species quæ, sint & quot. ibid. p.6. numer.45.& seqq.

Censuræ quomodò differunt ab aliis impedimentis canonicis. ibid. pag.8. n 65.& seqq. An sint pœnæ spirituales, medicinales. ibid.pag 9. num.69.

Censura latæ sententiæ, vel ferendæ, quibus verbis indicitur, & quæ, vtriusque definitio. ibid. p. 13.nu.92. variæ regulæ assignantur ad dignoscendum an latæ sententiæ, sit censura, an ferendæ. ibid.p.14. nu.93.& seqq.

Censuras ferendi potestas an competat Ecclesiæ. ibid.p.2 n.6. An item habentibus Iurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam, in foro exteriori. ibid.p.16.num.112.& an omnes acceperunt immediatè à Christo hanc potestatem. ibid.p.17. nu.119. Item an possint ferre censuras, illi quibus delegata est talis potestas. ibid.num.122. & quomodò differunt potestas ordinaria & delegata. ibid.n.123.

An Angeli, Beati, & non baptizati homines sint capaces huius potestatis. ibid.nu.124. Item an fœminæ. ibid.p.18.nu.125.& seqq. Item laici, tonsurâ carentes, quo Iure sint incapaces huius Iurisdictionis fori exterioris. ibid.nu.132.

Potestatem delegatam habens an validè, & licitè, reuocatâ delegatione censuras ferre possint. ibid. p.20.n.138.

An affectus censurâ possit censuram ferre. ibid.n.139. Item an quis in seipsum, æqualem, vel superiorem, censuram ferre possit. ibidem num.140.

An Prælatus in propriâ causâ censuram validè fert. ibid.p.22.nu.159. Et an censura metu graui lata sit valida. ibid.n.162.

Quis possit ferre censuras duraturas post mortem ferentis p.23 n.163.& seqq.

Censuras ferre an possit Episcopus existens extra suam diœcesim, in suos subditos. ibidem p.24.n.170. Item an excommunicatio Episcopi liget subditos extra territorium commorantes, vel alienigenas intra suum territorium. ibid. p.25.nu.172.& seqq.

Censuram latam esse, per præceptum, sententiam, vel statutum vnde dignosci possit. ibidem p.31.n.210.& seqq.

Censurâ ligari quinam possint. An soli homines viatores superiorem habentes. ibid.nu.213. An Reges & Imperatores, & à quo. ibid.p.32.nu. 223. An Religiosi ab Episcopis. ibid.pag.33. num.224. An infantes vsu rationis carentes, vel perpetuo amentes. n.225. An dormientes, ebrij, & similes. n.226. Item an pueri ante annos pubertatis. n.227.& seqq. Item an mortui possint excommunicari, & ab excomm. absolui. ibid. p.35 n.236.& seqq.

An vniuersitas vel collegium possit excommunicari. ibid.p 37.nu.251.& seqq.

An idem homo possit ligari pluribus censuris. ibid.p.38.n.267. An item ob plura peccata solo numero distincta. ibid.p.39. nu.270. an etiam ob idem peccatum. nu.271.& seqq.

Ad dignoscendum quas personas, comprehendat censura quænam considerari debent. ibid.p.40.n.275.& seqq.

Censura lata contra *facientes* an comprehendat *mandantes & consulentes, aliosque cooperatores.* ibid.nu.278. Quid si dubium sit an aliqui comprehendantur,

prehendantur. ibid.nu.279. Item an mandantes vel consulentes effectu non sequuto comprehendantur. ibid.p.41.num.287. Et quid si mandans, vel consulens reuocet mandatum &c. ante sequutum effectum. ibid.p.42.n.290. & seqq.

Si sine mandato tuo, aut consilio, delictum fieret, an ideo excusaris ab incurrendâ censurâ. ibid.p.43.n.298. & seqq. & quid si dubius sis, an tuo mandato &c. sequutus sit effectus. ibid. p.44.n.301.& 302.

Censura iniusta an valida sit, & liget in conscientiâ de cen.p.46.n.323. Tres modi nullitatis censuræ assignantur. ibid.p.47.num.326. & seqq. Censura iusta secundum allegata & probata sed reipsâ iniustâ, an sit valida & obligatoria. ibid.p.48.n.332.& seqq. Item an differat ab illâ quæ est simpliciter nulla. ibid.p.49. num.340.

Quando causa ferendæ censuræ est dubia ex vtrâque parte, & Iudex alteram partem præcipit sub excomun. an illi parendum sit in vtroque foro. ibid.p.50.nu.351.& seqq.

A censura ignorantia excusans vel non: Quid ignorantia, & quotuplex, de cen. p.90.num.293. & seqq. *Ignorantia inuincibilis* excusat à censuris. ibid.p.91.n.301. Non autem *ignorantia vincibilis* quæ crassa est, aut supina. ibid.p.92.nu.314. Et quid si hæc ignorantia moraliter vincibilis sit, sed non crassa; aut supina, an excuset ab incurrendâ censurâ. ibid. nu.315. Item an ignorantia affectata. ibid.p.93.n.316.

Ignorantia crassa aut supina non sufficit ad incurrendam censuram latam contra eos qui præsumpserint, vel temerè fecerint. ibid. pag.93. num.319.

Ignorantia concomitans excusat, ab incurrendis censuris, & Irregularitate orta ex delicto. ibid.p.94.n.326. & seqq.

Excusat item à censurâ incurrenda *impotentia* præstandi quod præcipitur.ibid.p.96.n.339. & seqq. Item *metus* grauis. ibid. p.97.nu.845. & seqq.

A censura item excusat consensus illius in cuius fauorem concessa fuit censura. ibidem p.100.nu.359.

Cessatio à Diuinis.

Cessationis à diuinis definitio, de cen.pag.403. nu.252. eiusdem diuisio. ibid. nu.253. differt à censuris propriè dictis. ibid.nu.255.

Cessationis causæ quæ sint de cen. p.404.num. 263.& seqq. conditiones seruandæ in ponendâ cessatione. ibid.nu.266.& seqq.

Cessationem ferendi modus quis sit. ibidem num.274.

Cessationis effectus quinam sint. ibid. pag.405. nu.276.& seqq. Item cessationis tempore quænam licita sint & quæ non. ibid.nu.282.& 283. Item an tempore cessationis laici possint audire diuina officia. ibid.n.285.& 286.

An cessationis tempore contrahi possit matrimonium. ibid.p.406 nu.288.& 289.

An cessationis effectus (v.g. *abstinentia à diuinis officiis* publicè celebrandis; *priuatio Sacramentorum*, & *sacræ sepulturæ* respectu laicorum) possint restringi à Prælatis Papâ inferioribus. ibidem num.293.

Cessationem violans; grauiter peccat, sed non fit irregularis. ibid.p.407.nu.397. Non est tamen seruanda, quando non seruatur ab eo qui eam tulit. ibid.n.401.

Qui cessationis fuit causa culpabilis, an teneatur ad aliquam restitutionem. ibidem numer.403.

Cessationis relaxatio an tolli possit ab eo qui illam posuit, vel à successore ipsius aut superiore. ibid.p.407.n.404. Item, an cessatio suspendi possit per interpositam appellationem. ibid. num.405.

Circumstantiæ.

Circumstantiæ aggrauantes intra eandem speciem an debeant in confessione explicari, de Iur.p.11.n.84.

Communicatio fidelium.

Communicatio fidelium triplex datur, scilicet, *purè interior, purè exterior, & mixta* de Iur. p.5.n.29. in quo consistent hæ communicationes. ibid.n.30.& 31.

Communicatione purè interiori non potest Ecclesia priuare fideles. ibid p.6.nu 34. potest tamen priuare communicatione purè exteriori, & mixtâ. ibid.

Communicatio cum excommunicato vide verbo *excommunicatio.*

Communicare cum excommunicat. etiam denuntiato, possunt fideles ob vitandum graue nocumentum, in vitâ, famâ, vel re familiari, de cen. pag 109.num.432. hoc intellige, quantum est ex præcepto Ecclesiæ. ibidem pag.110. num.434. Item excommunicatus potest communicare cum fidelibus, ad vitandum graue damnum. ibid.nu.440.

Communicare cum excommunicatis tolleratis possunt fideles pro libitu & sine vlla causâ. ibid.p.115.n.476.

Communicatio ciuilis cum excommunicato, regulariter loquendo est tantum veniale peccatum. ibid.num.481. & idem est de excommunicato, respectu aliorum fidelium. ibid.pag.117. num.482.

Communicare tamen in humanis cum excommunicato in variis casibus est mortale.ibid. nu.485.& seqq.

Communicans etiam in humanis cum excomm. denuntiato &c. an saltem incurrat excommunicationem minorem.ibid.p.118.n.493. & an idem dicendum sit de ipso excommunicato communicante cum aliis. ibid.p.119.num. 494. communicans cum excommunicato excommunicatione minori non peccat. ibidem nu.495. sunt tamen varij casus in quibus ob solam communionem cum excommunicatis etiam in humanis incurritur maior excommunicatio. ibid.n.496. & seqq.

Primus casus est quando clericus recipit excommunicatum à Papâ nominatum & denuntiatum scienter, & spontè ad diuina officia. ibid. n.497. vt hæc excommunicatio incurratur sex conditiones requiruntur. ibid.nu.500.& seqq.

Secundus casus est participatio scienter cum excommunicato in crimine criminoso. ibid.p.120. nu.507. vt hic excommunicatur requiruntur quatuor conditiones. ibid.n.509. & seqq.

Tertius casus, in quo incurritur excomm. maior etiam in humanis communicando cum excommunicato, est quando à Iudice, iustè, & debitè, fertur excommunicatio, contra participantes cum excommunicato. ibid. p.123. n.531. Conditiones requisitæ ad hanc excomm. incurrendam ibid. & p.124 nu.532. & seqq.

Quartus casus in quo incurritur excommunicatio maior ab participationem cum excommunicato non tollerato est quādo quis scienter præsumit sepelire in loco sacro excommunicatum. ibid. p.225. n.545.

Communionem ciuilem cum excommunicato causæ excusantes comprehendnntur versu sequenti. *vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* ibid. n.125.

Per particulam *vtile* quid significetur. ibid. n.547. & seqq.

Per particulam *lex* intelligitur vinculum matrimonij. ibid. p.127. n.559. & seqq.

Per particulam *humile* quinam intelligantur. Ibid. p.129. nu.573. & seqq.

Particula, *res ignorata* quomodò excuset & intelligatur. ibidem pag.131. num.590. & p.105. nu.391. & seqq. & p.107. n.419. & seqq.

Particula *Necesse* de quâ necessitate intelligatur. ibid. p.133. n.609.

Communicare cum excommunicatis tolleratis licèt post concilium constantiense. ibidem p.148. n.737.

Conscientia.

Conscientia dubia, quæ sit, & an is qui operatur cum tali conscientia, vel cum erroneâ conscientiâ, tale committit peccatum quale est periculum cui se exponit, de Iure. pag.61. num. 232. Item an dubitans de Iustitiâ contractus, quem init, peccet contra Iustitiam. ibidem numer.233.

Quando ex ignorantia inuincibili putatur ex vtrâque parte contradictionis, esse peccatum probabilius non peccabit talis quamcumque partem eligendo. ibid. p.62. n.236.

Consuetudo.

Consuetudinis triplex genus de cen. pag.292. num.942. Discrimen inter illa genera. ibidem num.943.

Consuetudo nihil potest introducere contra ius diuinum. ibid. p.293. nu.245.

Cultus.

Cultus Dei quamuis per se sit appetibilis, actus tamen qui assumuntur vt materia huius cultus non sunt semper per se appetibiles de Iur. pag.6. n.39.

Curiositas.

Curiositas ex genere suo quale peccatum de Iur. pag 63. nu.246. Non est distinctum peccatum ab eo quod ex curiositate fit. ibid.

D.

Debitum.

Debitum ab excommunicato exigere etiam in Iudicio potest non excommunicatus, de cen. p.126. n.553. Item excommunicatus, à non excommunicato extra Iudicium. ibid. n.554.

Debitum petere à viro excommunicato potest vxor. ibid. p.127. n.560.

Degradatio, depositio.

Degradatio, sicut & depositio, diuersæ sunt pœnæ, à suspensione, & pro eodem hîc sumuntur, de cen. pag.408. num.2. & 3. Duplex datur degradatio, *verbalis*, & *realis*, Item degradationis verbalis definitio. ibid.

Degradationem quæ crimina merentur, iuxta ius commune canonicum. ibid. p.409. num.10. crimen debet esse enorme. ibid. n.11.

Degradationis, realis definitio. ibid. num.12. eius differentia, à depositione simplici. ibid.

Clericus degradatus verbaliter gaudet priuilegio fori. ibidem num.13. ad hanc degradationem quæ requirantur solennitates. ibidem p.410. n.14 & 15.

Degradatio *realis* debet fieri à proprio Episcopo & quomodò. ibid. n.16. *verbalis* verò potest vicario generali committi. ibid. num.17. Quando realis degradatio fit debet adesse Iudex sæcularis. ibid. n.18.

Degradatio Episcopi ad Papam spectat. ibid. n.19.

Crimina ob quæ clericus solenniter degradandus est, & Iudici sæculari tradendus, assignantur. ibid. p.411. nu.21. & seqq.

Hæc vox *depositio*, quando in Iure habetur debet semper intelligi *verbalis depositio.* ibidem num.26.

Nemo degradandus est sine accusatore. ibid. num.29.

Denuntiatio delicti virtute edictorum sub excommunicatione.

Ad denuntiationem peccati, secreti non extendunt se edicta generalia de cen. pag.261. num.724. & quando talia peccata possint reuelari. ibid. n.725.

Denuntiare crimina virtute edictorum nemo tenetur, si illa solum nouit per consultationem. ibidem pag.262. num.727. Excipe nisi vergant in graue præiudicium tertij. ibidem num.728. & seqq.

Peccata emendata non habentia dependentiam in futurum, non sunt virtute edictorum denuntianda, generaliter loquendo. ibidem pag.263. num.734. At quid dicendum si peccata sint publica, & emendata solùm quoad Deum. ibid. nu.735.

Denuntiare crimina, quæ quis in Iudicio, probare, nequit, nemo tenetur, nec potest generaliter loquendo. ibidem num.737. Excipiuntur casus aliqui. ibidem pag.264. num.751. & seqq.

An quoties quis scit, per correptionem fraternam obuiare peccato occulto, se posse, tenetur illam denuntiationi præmittere. ibid. p.266. n.765. & seqq.

An denuntiandum generaliter loquendo non tenetur, qui non est certus an alius talia comiserit. ibidem pag.269. nu.781. Item neque si quis probabiliter credat Prælatum nullum adhibiturum remedium factâ denuntiatione. ibid. n.787. Item nec regulariter loquendo quando denuntiatori, magnum inde sequeretur detrimentum in famâ, vel rebus propriis. ibid p.272. num.790.

num.790. Et hinc varij casus particulares inferuntur. ibid.n.791.& seqq.

Quoad casus grauiores. Denuntiare debet statim filius Patrem; & è contra. Item maritus vxorem & è contra &c. quando hæreticos pertinaces illos esse constiterit. ibid.pag.271.num.805. Quod si commune damnum impediri potest, vel non est ita graue, sed longè maius, sit damnum priuatum denuntiatum, non tenebitur denuntiare. ibid.p.272.nu.811.

A Denuntiatione faciendâ excusat, si quis non sit subditus conditori edicti, aut monitorij. ibid. p.273.n.812.

A Denuntiatione de hæresi nemo excusatur, maximè quando aliâ viâ commodè impediri non potest. ibid.nu.814.

A Denuntiatione faciendâ virtute edicti Inquisitorum, quanam eximantur ibid.num.815. & seqq.

Denuntiationes omittentium pœnæ, quoad Inquisitores, in Hispaniâ, vel alios superiores. ibidem p.275.n.828.& seqq.

Denuntiationem faciendi modus assignatur. ibid p.278.n.849.& seqq.

Dispensatio.

Dispensandi facultatem in Irregularitatibus aliisque impedimentis, potest Episcopus etiam particulari personæ concedere de cen. pag.186., num.133.

Dispensare in votis &c. cum suis subditis possunt Prælati regulares. ibid.p.247.num.589. & seqq.

Dispensare cum illegitimo ad ordines an possit Episcopus. ibid.p.439.nu.251.& seqq.

Dispensatio est stricti Iuris adeoque solum extendenda, est ad ea quæ tacitè, vel expressè in verbis concessionis significantur. ibid p.584. num.1084.

Duellum.

Duellum quid sit, de cen.p.334.n.1248.

Duellantium pœnæ ad quas personas se extendunt. ibid.n.1250.& seqq.

Excommunicatio quam Duellantes, eorum socij, patroni, &c. incurrunt reseruata est Pontifici, sed si Duellum occultum sit potest ab illâ absoluere Episcopus. ibid.p.335.nu.1258.

A Duellantium pœnis & excommunicatione excusantur principio, quando est iusta causa illud permittendi. ibid.nu.1261. Item excusantur casu spectantes, Duellum. ibid.nu.1262. Item concomitantes animo impediendi pugnam. ibid. n.1263. Imò quandoque hortari ad Duellum est laudabile. ibid.

Qui ad Duellum se contulit præmissâ prouocatione, & aduersario, non comparante discessit, non incidit in excomm. ibid. pag.336. nu.1267. Item nec sese prouocantes ad Duellum, effectu non secuto, aliud de sociis dicendum, ibid. n. 1271.

E.

Edicta.

vide verbo *Denuntiatio.*

Edicta Inquisitorum non sunt leges, vel statuta perpetua, de cen.p.276.n.835. eorum duratio. ibidem num.736.& seqq.

Edicta quæ sub excommunicatione promulgantur, dupliciter ferri solent. ibid.num.839. Item quamdiu duret eorum obligatio. ibidem p.277.nu.840.& seqq. Item in quo differt edictum à statuto, vel lege. ibid.nu.841.

Qui durante edicti obligatione non denuntiauit, à quo possit absolui finita obligatione illius. ibid. p.278.

Edicti eiusdem excommunicatio quoties incurratur, non denunciando. ibid.p.279.nu.852. & seqq. Item an quoties quis excusatur à mortali non reuelando, etiam excusatur à censurâ. ibid.p.280.nu.857.

Edictum non obligat vltra iustam intentionem ferentis illud. ibid.nu.858. Item superior concedens excommunicationem solum intendit ligare iuxta intentionem petentis. ibidem num.860.

An qui nouit, iustam causam non denuntiandi, ratione cuius non tenetur denuntiare, possit iurare se nihil scire. ibid.p.281.nu.873.

Absoluere ab excommunicatione propter inobedientiam edictorum incursâ, quis potest. ibid.p.275.n.826.& seqq.

Error.

Error circa rei votæ, aut Iuratæ substantiam, irritat vtriusque obligationem, de Iur. pag.97. num.56.

Quomodò sit discernendum an circumstantia sit substantialis, an tantum accidentalis. ibid. n.62.& seqq.

Error inuincibilis circa causam finalem Iuramenti, aut voti, illa irritat non ita si sit circa causam impulsiuam. ibid.p.95.num.52. Item vtriusque causæ definitio. ibid.

Quid si dubium sit an Iurans vel vouens motus fuerit, à causâ finali vel ab impulsiuâ duæ probabiles opiniones. ibid. p.96.num.53. & seqq.

Ethnicus.

Ethnicus iurans per falsos Deos, nec verè iurat, nec obligatur; nisi ex conscientiâ erroneâ, de Iur.p.3.n.13. Quod si is iuret per veram diuinitatem quam suis idolis putat inexistere non tantum materialiter sed etiam formaliter errat, ibid.nu.16.

Excommunicatio.

Excomm. Quid sit, & quotuplex, de cens p.51.nu.2. & seqq. Eius differentia ab Anathemate. p 53.n.15.

Quando aliquid absolutè & sine addito sub excommunicatione præcipitur, intelligenda est maior excomm. ibid p.54.n.23.

Excommunicatio nullum habet ex Iure diuino determinatum effectum, idem est de alus censuris. ibid.p.55.n.33.

Excommunicatio minor quid sit, & quos habet effectus. ibid.p.56 num.37. Excommunicatus hac excommunicatione an licitè administret Sacramenta. ibid. p.59.n.63. Et quomodò differat, hæc ab excomm. maiori. ibid.

Minor excomm. post concillium constantiense quibus de causis incurratur. ibid. p.60 num.73.

Ab excommunicatione Minori quis absoluit. ibidem

Ibidem pag.59. num. 68. & seqq.

Excommunicationis Maioris causa materialis proxima quæ sit, an actus per se occultus, vel per accidens, de cen. p.6u.n.75.& seqq.

Qui concilij petendi causa reuelat amico suum peccatum internum, non incurrit excommunicationem tali peccato impositam. ibidem pag.62.n.79. Item an Ecclesia præcipere possit actum internum & quâ ratione. ibid. num 80. & seqq.

In excommunicationem non incidit qui tantum exterius negat fidem quam interius retinet. ibid.p.71.num.152. Nec qui facit exterius opus quod præcipitur sine actu interiori requisito ad bonitatem actus. ibid.n.153. Item nec is qui ex conscientiâ erroneâ, putat annexam esse censuram peccato quod fecit. ibid.nu.154. Nec ob solum veniale incurritur maior excomm. Ibid.p.72.num.155. Valida esset censura lata ob quodlibet mortale externum. ibid. n.156.

Excommunicatio tamen hæc non incurretur quoties actio externa non sufficit ad mortale. ibid.n.158.

Excommunicationem latam contra furtum non incurrit qui furatus est paruam quantitatem ex qua notabile damnum fuit sequutum. ibid. p.75.n.178.

Excommunicatio poni etiam potest ratione damni alteri illati. ibid.p.75.n.181.

An quando aliquid præcipitur, aut prohibetur, sub pœnâ excommunicationis comminatoriæ, obliget sub mortali quamuis materia leuis sit? ibid.p.77.nu.190.& seqq.

Lex excommunicationem imponens ferendam, quando requirit monitionem hominis posteà faciendam & quando non. ibid.pag.78. n.196.& seqq.

Quando aliquid præcipitur vel prohibetur sub pœnâ *maledictionis æternæ* v.g. vel *Indignationis omnipotentis Dei*. An sit signum grauis obligationis. ibid.p.80.n.206.& seqq. Item an aliæ censuræ *suspensionis*, & *interdicti* sint signa sufficientia obligationis sub mortali. ibid. nu.207.

In excommunicatione ferenda forma & modus seruandus an pro damnis temporalibus ferri possit, & quando. ibid p 81.n.213.& seqq. An requirantur aliqua determinata, verba pro formâ excommunicationis alteriusue censuræ, ibid.p.82. nu.221. Item an requiratur Intentio excommunicantis. ibid.nu.222. An debeat ferri in scriptis. ibid.p.82.n.231.& seqq. Item an facta sine hac solemnitate sit valida, quamuis iniuncta. ibidem p.84.nu.240. Verba quibus censura fertur debent esse determinata ad aliquam particularem censuram. ibid.n.244. Item ad determinatam personam. ibid.p.75.n.254.

Vt quis incurrat excommunicationem aliamve censuram, à Iure, si erat imposita ipso facto, nulla est necessaria monitio præuia. ibid. p.86.n.258. An idem dicendum sit de censurâ allatâ ab homine. ibid. n,260.& seqq. Item an vna monitio cum competentibus interuallis sufficiat. ibid.num.262. Quod si prætermittantur interualla sine causâ (ideoque Iudex peccet) excommunicatio valida est. ibid.p.87.n.263.

Nulla censura propriè dicta secundum Ius Canonicum imponi potest sine monitione. ibid. nu.264. An monitio debeat personaliter fieri ipsi excommunicando. ibid. n.265.

Excommunicatio ab homine (idemque est de quacumque aliâ censura propriè dicta) nulla est, si nulla præcesserit monitio. ibid.num.266. Nec etiam monitio quæcumque sufficit, sed illa requiritur quæ fit sub excommunicatione latæ sententiæ. ibid.nu.267. Item quantum temporis debeat intercedere inter vnum & alteram monitionem. ibid. p.88.n.276. Item an debeant monitioni adhiberi testes. ibid.n.278. Item cuius authoritate debeat fieri. ibid.n.280.

Excommunicatio non potest poni pro peccato omninò præterito cuius nulla præcessit monitio, sub excommunicatione. ibidem p.89. num.284.

Monitiones, tres sunt de præcepto diuino, Matthæi 18. non omnes tamen sunt de essentiâ. ibid.n.287.

Insidens in excommunicationem vnicum tantum peccatum committit. ibid.p 90.nu.290. Nec ad illam incurrendam sufficit generalis inobedientia. ibid.n.291.

Excommunicationis effectus qui sint. ibid.p.101. n.365. Item quos excommunicatus debeamus vitare. ibid.n.366.& seqq. Item an omnes excommunicati teneantur abstinere à communione cum aliis fidelibus. Ibid. p.103.n.380.

Ex nullo Ecclesiæ præcepto tenemur fideles vitare, suspensos, aut interdictos etiam nominatim denuntiatos. ibid.n.384. De Irregularitate idem dicendum. p.104.n.389.

Quæ excommunicationis denuntiatio, & denuntiationis notitia, requirantur, vt teneamur vitare excommunicatum. ibid.pag.104.n.391. & seqq. Item quamdiu tenemur vitare illum quem semel sciuimus denuntiatum. ibid.p.106. n.406.& 407. Item an denuntiatus in vno loco, sit vitandus in alio, vbi non scitur esse denuntiatus. ibid.n.409.& seqq.

Notorius clerici percussor quis dicatur, vt teneamur illum vitare & quæ notorietas ad hoc requiratur. ibid.p.108.n.424.& seqq.

Præceptum non communicandi cum excommunicato an obliget cum periculo grauis damni. ibid.p.106.n.432.& seqq.

Excommunicato, communicare cum aliis quando liceat, quando non, vide verbo *communicatio cum excommunicato*, an ad vitandum graue damnum. ibid.p.110.nu.440.& seqq.

An excommunicatus denuntiatus possit Sacramenta administrare homini existenti in articulo mortis. ibid.p.102.n.448.& seqq.

Excommunicatio priuat omni ciuili communicatione, nisi in casibus Iure expressis, actiones item prohibitæ, quinque sequentibus vocibus continentur: *os, orare, vale, communio, mensa negatur*. ibid.p.113.num.454. Quid per quamlibet ex his 5. vocibus prohibeatur. ibid. n.455.& seqq. excommunicati etiam non denuntiati in omnibus prædictis debent abstinere à consortio fidelium, non è contra, nisi sint denuntiati: vel manifesti clerici percussores. ibid. p.115.n.473. Item abstinere debent à communione cum aliis excommunicatis, etiam Apostatis & hæreticis, non autem, cum non baptizatis. ibid.n.474.

Cum

Cum excommunicatis tolleratis possunt fideles pro libito, & sine causa concommunicare etiam in Sacramentis. ibid.p.116.num.476. excommunicatus tamen quandoque illicitè cum fidelibus, etiam petentibus communicat. ibid.n.478.

Excommunicati priuati sunt suffragiis Ecclesiæ communibus. ibid.p.133.num.616.& seqq Item quid requiratur vt suffragium dicatur publicum vel oratio. ibid.p.134.n.624. Item an suffragia oblata pro excommunicatis illis prosint. ibid.nu.621. Et an offerens illa pro excommunicato vitando minorem excomm. incurrat. ibid.p.135.n.627. & 628. Sacerdoti licèt priuatim orare in *memento* Missæ pro excommunicato. ibid.nu.629. Cui Indulgentiæ non prosunt. ibid.p.136.n.632.

Excommunicatio quomodò priuat vsu passiuo Sacramentorum. ibid.nu.633. Item quomodò peccat, qui administrat Sacramentum excommunicato denuntiato. ibid.num 637 & seqq. Item ignoranti se esse excommunicatum, licèt conferre Sacramentum. ibid.p.137.num. 640.& seqq. Item an excommunicatus validè recipiat omnia Sacramenta. ibidem num.643. & seqq.

Excommunicatus vitandus administrando Sacramenta vel celebrando missam peccat mortaliter. ibid p.139.n.650.

Talis tamen validè Sacramenta administrat præter pœnitentiam. ibid.nom.651. An parochus excommunicatus, non tolleratus validè assistat matrimonio. ibid.p.140.nu.659. Qui sine necessitate suscipit baptismum à non tollerato ex quo capite peccet. ibid.n.663.

Ordo seruandus in suscipiendo, vel administrando baptismum quando plures sacerdotes excommunicati adsunt. ibid.n.695.

Excommunicatus celebrando aut Sacramenta ex officio ministrando fiat Irregularis. ibid.p.141.n.668. & seqq. Et quid dicendum de recipiente Sacramentum ab excommunicato denuntiato. ibid.p.142.n.683. Item an non denuntiatus ingerens se administrationi Sacramentorum fiat Irregularis. ibid.n.684.

Excommunicatio quomodò priuet diuinis officiis, & aliis rebus sacris. ibid.p.143 nu.689. & seqq. Coram excommunicato celebrans peccat mortaliter, per se loquendo. Quod si sit non tolleratus, celebrans, Sacramenta dans, aut sepulturam in loco sacro, excomm. minorem incurrit. ibid.p.144.n.701. & quid si celebrans excommunicatum non possit expellere, nec ipso velit exire. ibid.p.145 nu.705.& 706. Item quænam alia diuina officia præter missam per excommunicationem prohibeatur. ibidem n.707.& seqq.

Excommunicatus potest, imò debet (si alioquin tenebatur) horas canonicas priuatim recitare. ibid.p.145.n.713. Item suspensus, Irregularis, & degradatus, tenentur recitare horas canonicas, sine socio. ibid.p.147.nu.725.

Excommunicatus decedens caret sepultura Ecclesiasticâ. Quid si denuntiatus, mortuus sit cum signis contritionis. ibid.p.147.nu.726. An peccent mortaliter, & excommunicentur sepelientes. ibid.n.727.& seqq. An etiam excommunicationem incurrant, sepelientes in loco sacro vsurarium manifestum, vel hæreticum. ibidem p.148.n.732.& seqq.

Excommunicati nō vitandi sepeliri possunt in loco sacro. ibid.n.735.& seqq. & locus sacer quis dicendus. ibid.n.739.

Beneficij collatio facta excommunicato, suspenso, vel interdicto; an valeat. ibid.p.149.nu.741.& seqq. Et quid dicendum de pensione collatâ excommunicato. ibid.p.150.n.749.& seqq. Item quod debeat facere elector, in ordine ad dandum suffragium, ad beneficium obtinendum illi quem nouit occultè excommunicatum. ibid.p.154. n.186. De his vide verbis *beneficium, pensio, fructus.*

Excommunicati inhabilitas ad actus Iurisdictionis Ecclesiasticæ an omnia quę facit excommunicatus vitandus ad quæ necessaria sit talis Iurisdictio, sint irrita de cen.p.158.nu.819.& seqq. Item an quosdam actus illicitè faciat, & validè, alios licitè & validè. ibid n.821.& seqq. An mortaliter peccet excommunicatus, Iurisdictionis huius actus exercens. ibid.p.159.n.826. Et quid dicendum de cooperantibus. ibid.nu.827.

An delegatus posset vti Iurisdictione ipsi concessâ toto tempore, quo delegans est denuntiatus. ibid p.160.nu.832.& seqq. nu.832. & seqq. Item an mortuo delegante esset Iurisdictio etiam in vicario particulari. ibid.n.38.& seqq.

Si Episcopus denunnatus det demissorias, approbet, confessarios, &c. vel parochus talis, det alteri licentiam administrandi Sacramenta eius ouibus, an validè id faciat. ibid.pag.161 n.843. & seqq.

Excommunicati non vitandi gesta valida sunt. ibid.n.849. Item excommunicati vitandi qui communi errore vulgi habetur tolleratus. ibid.p.162.n0.863.

Excommunicatus vitandus conferens beneficium, nihil facit. ibid.p.163.num.864. Non vitandus validè illud confert, & licitè ad aliorum petitionem. ibid.num.865. hic tamen ab electione potest reiici. ibid.nu.869.

Excommunicatus validè resignat beneficium simpliciter & quid si fiat in fauorem, determinatæ personæ. ibid.p.164.nu.870. Item est inhabilis ad acquirendam nouam aliquam Iurisdictionem Ecclesiasticam. ibid.nu.872.

Excommunicati inhabilitas ad actus fori contentiosi, etiam sæcularis. Non potest licitè talis agere personam Iudicis sæcularis. ibid.p.164.num.874. Quod si non tolleratus, *iudicet, eligat,* &c. peccat mortaliter nisi excuset leuitas materiæ. ibid. nu.875. Item an idem de tollerato dicendum sit. ibid.n.876.

Actus iudiciales facti à Iudice etiam sæculari excommunicato vitando sunt irriti. ibid.p.265. n.877. An talis possit eligi in Iudicem sæcularem. ibid.p.166.n.882. Actus Iudicis sæcularis, tollerati validi sunt, & quandoque liciti. ibidem num.884.

Nullus excommunicatus potest esse *Actor* in Iudicio. ibid.nu.887. Potest tamen esse *Reus* & cogi ad Iudicium. ibid.n.889.

Excommunicatus vitandus an possit esse *Tabellio, Testis, Aduocatus, Procurator, Tutor, aut curator.* ibid.p.167.n.891. & seqq.

Excommunicationem an, & quando incurrant Iudices sæculares cogentes Iudices Ecclesiasticos, vt censuras tollant, vel impedientes exequutionem Bullarum Apostolicarum, de cen. p.285.nu.901. & seqq.

Vterque magistratus contra inuicem potest vim, vi repellere. ibid.nu.906. Item in locis à pontifice distantibus quid potest magistratus sæcularis circa litteras Apostolicas. ibid.p.286. n.908.& seqq.

Ab *excommunicatione quis Absoluit*, vide verbo *Absolutio*.

Fœmina.

Fœminas, cogentes per metum ad Religionem, vel ab illâ retrahentes, an excommunicationem incurrant? de cen. p.336.n.1276. Item an incutiens fœminæ metum ob alium finem? ibid.n.1277. vel iustè incutiens, metum ad ingrediendum monasterium? ibid.n.1278.& seqq. Et quid si iniustè effectus non sequatur. ibid. n.1283.

Excommunicatio Tridentini sessionem 25.c. 28.de *Regularibus*. Extenditur ad omnes qui quãcumque fœminam, volentem velum accipere, aut votum emittere sine iusta causâ impedit. ib. n.1285. Incurrer item censuram qui per dolum fœminam trahit à Religione non autem qui solis precibus. ibid.n.1287.

Fœminis an vnquam concessa fuit Iurisdictio ad actus propriè spirituales? de cen.p.342.n.60.

Fidelis.

Fidelis iurans per Euangelia quæ falsò putat contenta in libro prophano, materialiter tantum errat, sed verè iurat, de Iur. p.2.nu.16.

Forum.

Forum externum,& internum,an semper debeant inter se conformari? de cen. p.15.n.107.

An verba Trident. sess.24.c.6.*in foro conscientiæ*. sint coarctanda ad pœnitentiæ Sacramentum. ibid.p.184.n.117.

Forum conscientiæ, & Forum Sacramentale differunt. ibid.p.224.n.411.

Fructus Beneficij.

Fructus nomine hic quid intelligatur? de cen.p.154.n.787.& 788.

Fructibus beneficij an priuetur excommunicatus,etiã tolleratus ipso facto? ib.n.789 & seqq.

Fructus potest percipere iniustè excommunicatus, licèt impediatur ab exercendo suo officio. ibid. p.156.n.804.& 805.

Fructus percepti ab eo qui iustè excommunicatus est sunt fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus restituendi. ibid.p.158.n.818.

H.

Hæreticus, Hæresis.

Hæreticus, quis propriè dicendus sit? de cen. p.266.n.770. an sit hæreticus qui positiuè dubitat de rebus fidei? ibid.p.318.n.1098. Item qui non credit aliquem articulum sibi specialiter reuelatum? ibid.n.1100.& seqq. Item quid dicendum de negante propositionem euidenter illatam ex vna propositione de fide, & alterâ lumine naturali notâ? ibid. nu.1103 & seqq.

Hæresis significat *electionem* quandam & quomodò definiatur? ibid.p.312.n.1094.

Hæreticorum pœna, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reseruatam. ibid. p.315 n. 1112. Item *credentes* hæreticis *fauentes*, illosve *receptantes* excommunicantur. ibid.p.316.n.1114.

Hæreticis *credentes* quinam dicuntur. ibid.nu. 1116.& seqq. Item qui *fautores*. ibid.p.307.nu. 1123. Qui receptores. ibid.n.1124. & quis dicatur Hæretici *Defensor*. ibid.n.1127. & seqq.

An priuata persona omittens Hæreticum capere &c. cum facilè possit, censeatur *fautor*? ibid.p.318.n.1135. & seqq.

Vt quis censuram incurrat *faciendo, receptando, defendendo* Hæreticum, debent ista fieri animo fauendi Hæresi. ibid.p.319.nu.1141.& seqq. An sufficiat fauere, Hæretico præsumpto tali, à iure? ibid.320.n.1148. Item vt quis verè dicatur fautor Hæreticorum an requiratur expressa voluntas faciendi? ibid.nu.1149.& seqq.

Hæreticorum libri, horum librorum lectio prohibetur sub excommunicatione Papæ reseruatâ de cen. p.321.num.1156. An idem sit de libris Græcorum & Armenorum de suis ritibus tractantibus? ibid.p.322.n.1159. Et quid de libris Catholicorum errores continentibus? ibidem num.1160.

Sub nomine librorum hæreticorum in Bullâ cœnæ an comprehendantur eorundem conciones, orationes, Epistolæ ibid.n.1163 & seqq.

In Regionibus septentrionalibus hæc bullaris prohibitio non est cum tanto rigore recepta. ibid.p.324.n.1177.

Libri vnam tantum hæresim continentes comprehenduntur sub prohibitione nec hæc tollitur per particularem expunctionem. ibidem num.1180.

Actiones prohibitæ circa Hæreticorum libros, sunt lectio, detentio, impressio, &c. ibid.p.324.nu.1181. Et quid per has voces intelligatur. ibid.n.1183. & seqq.

Censura non incurritur, nisi aliquid prædictorum scienter fiat. ibid. n.1182.

In lectione librorum hæreticorum probabilius datur paruitas materiæ excusans à censurâ. ibid.325.nu.1195. Item an lectio vnius paginæ materiæ parua sit? ibid.p.326.n.1196. Item an qui vnâ tantum horâ retinet librum talem censuram incurrat. nu.1202.& p.327.nu.1203. Item cui tradendi sunt. ibid.n.1208.

Quas personas comprehendat prohibitio legendi &c. libros hæreticos. ibid.p.329.n.1222. & seqq. Item quis potest concedere facultatem illos legendi. ibid.n.1227.& seqq.

Pœnæ transgredientium leges contra Hæreticorum libros latæ, qui scienter legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt, Hæreticorum libros de Religione tractantes, vel Hæresim continentes sunt excommunicati, ibid.p.330.n.1231 & seqq.

Transcribens scienter Hæreticorum libros, cui pœnæ subiicitur? ibid.n.1234. Et quid de Imprimente hos libros. ibid.n.1236.

Typographorum, pœnæ imprimentium libros quoscumque sine approbatione. ibid.nu. 1237. Item imprimentium sine nomine authoris. ibid.n.1238. vel supposititio nomine authoris. ibid.p.331.n.1241.

Absolutio ab Hæresi, vide verbo *casus reseruatus*

Facultatem à Trident. sessione 24 ca.6. datam Episcopis absoluendi ab Hæresi occultâ, an pos-

sit

fit ipse alteri committere? de cen. p.180.n.79. & seqq. Item an illa facultas sit reuocata per Bullam cœnæ Domini? p.187.n.134. & seqq. Item quid possunt superiores Societatis Iesu quoad absolutionem Hæresis. ibid.p.202.num. 252.& seqq.

Priuilegia spectantia ad absolutionem ab hæresi sunt limitata per constitutionem vrbani octaui, Item quæ concernunt fidem Catholicam, eiusque propagationem. ibid.p.203.nu.257.

An Inquisitores fidei habeant facultatem absoluendi ab Hæresi? ibid.p.206.n.283.& seqq.

Absolutio data Hæretico fictè conuerso, an valeat, vt cesset reseruatio? vel, vt non indigeat Absolutione? ibid.p.209.nu.300.& seqq.

Si quis petat absolutionem à censurâ, & illam accipiat, exterius abiurando Hæresim quam interius retinet, an valeat tunc absolutio à censurâ? ibid.p.210.n.304.& seqq. Et quid dicendum de eo qui falsus est eorum habente potestatem, suam Hæresim cuius aliquos externos actus manifestauit, alios occultauit an talis manebit absolutus. ibid.p.211.n.311.& seqq.

Hæretici, Apostatæ à fide eorumque fautores, & defensores, & licèt occulti, an sint irregulares. ibid. p.467.n.511.& seqq. Item an filij Hæreticorum ex delicto parentum Irregularitatem incurrant? ibid p.471.n.537.& seqq.

Quis in Irregularitate ex Hæresi contracta; dispensat. ibid.p.477.n.575.& seqq.

Homicidium.

Homicidium potest esse iustum triplicitèr de cen. p.482.n.619.

Homicidium voluntarium quod dicatur? de cen.p.518.n.966.& seqq. Differentia inter homicidium voluntarium, & casuale. ibid. p.519. num. 969.

Homicidium duobus præcipuè modis dici solet casuale. ibid.p.511.nu.907. Item quid sit casus? ibid.n.908.

Homicidium patrans, siue det operam rei licitæ, siue illicitæ, non fiet Irregularis, si adhibuerit debitam diligentiam ne illud sequeretur. ibid.n.910.& seqq. Et quid si rei periculosæ in ordine ad Homicidium, & illicitæ operam dederit si Homicidium sequatur? ibidem p.512. n.216.& seqq.

Regula generalis ad dignoscendum quando dans operam rei licitæ, siue illicitæ, Homicidio sequuto fit Irregularis, vel Non. ibid nu.921. & p.482.n.621.

Homicidium omninò casuale Irregularitatem non inducit. ibid.p.513.nu 924.

Ex iam dictis varij casus particulares deciduntur. ibidem pag.514.nu.927.& seqq. vsque ad nu 950.

An Adulter fiet Irregularis, si maritus cognito adulterio vxorem occidat? ibid. p.517. n.961.& seqq.

Ad incurrendam Irregularitatem ex homicidio non simpliciter casuali an requiratur culpa mortalis. ibid.p.518.nu.965.

Homicidium voluntarium iniustum ex parte exequentis, mandantis, consulentis &c. Homicidium voluntarium respectu mandantis, vel consulentis, potest esse casuale respectu exequentis, & è contra, de cen.p.519.n.971. Item quando prædicti Irregularitatem ratione sequuti homicidij incurrunt, vel non. ibid.n.976.& seqq.

Vir baptizatus voluntariè occidens hominem fit Irregularis idemque est de membrum mutilante. ibid.n.972. Idem dicendum de seipsum mutilante absque iustâ causâ. ibid.n.973.

Quando plures communi consilio conueniunt ad occidendum, omnes fiunt Irregulares, quamuis vnus tantum occidat. ibid.p.523.nu. 1001. & quid si rem sint aggressi non communicatis consiliis? ibid.n.1002. Item quid generaliter loquendo de auxiliantibus & cooperantibus ad Homicidium dicendam in ordine ad Irregularitatem incurrendam? ibidem pag.524. & seqq.

Homicidium ratum habentes, aut non impedientes: An & quando sint Irregulares? ibid.p.526 nu. 1025.& seqq. Et quid de eo qui ex solâ charitate tenetur impedire homicidium? ibid.n.1026.

An negans extremè Indigenti, quas debet ipsi ex Iustitia commutatiua pecunias, vel panem cùm possit dare fiat Irregularis? ibidem p.528.n.1035.& seqq.

Vt ex Homicidio incurratur Irregularitas, necessaria est expressa, directa, & spontanea voluntas occidendi, in actu signato, vel exercito. ibid.p.518.n.968.

Qui in propriam defensionem occidit non fit Irregularis. ibid.p.482.n.623. Item nec intendens alium occidere, licèt efficaciter, si effectus non sequatur. ibid.num.624. Hinc varij casus particulares inferuntur. ibid. num.625.& seqq. Item quid dicendum de causante abortum? ibidem n.628.& seqq.

I.

Ignorantia.

Ignorantia quid sit & quotuplex de cen: p.90.n.293.& seqq.

Parochus Ignorans an sit danda Eucharistia peccatori publicè eam petenti, an peccet, & quando, de Iur. p.62.n.239.

Ignorantia an sit peccatum speciale distinctum ab eo quod fit per Ignorantiam? ibid p. 63.nu.244.& 245. Item quale peccatum sit ex genere suo? ibid.p.64.n.247.& seqq.

Illegitimus.

Illegitimus quis dicatur? de cen. p.436.n.219. & seqq. omnis Illegitimus est Irregularis. ibid. n.220. An Illegitimus per matrimonium subsequens fiat legitimus? ibid.p.438.n.237.& seqq.

Illegitimum recipere ordines absque dispensatione quale peccatum? ibid.n.242. & an nouam pœnam incurrat? ibid.n.243.

Irregularitas orta ex Illegitimatione potest auferri tribus modis. ibid.nu.244.& seqq.

Legitimatus à principe sæculari nō est habilis ad beneficia & ordines. ibid.p.439.n.247.

An filius Illegitimus & Ignotus præsumendus sit Irregularis? ibid.p.437.nu.228.& seqq.

Filius an teneatur credere matri asserenti ipsum ipse esse illegitimum. ibid.p.438.n.236.

Impedimentum.

Impedimentum sufficiens adeundi sedem Apostolicam pro casibus illi reseruatis, quod sit? de cen. p.193.nu.182.& seqq. Item quis tunc absoluit

absoluit ab illis? p.194.num.196.& seqq. Item quis absoluit, quando est impedimentum personaliter adeundi Episcopum? ibid.p.195.num.202.& seqq.

Infamia, Infamis.

Infamia quid sit, & quotuplex? de cen.pag.450.nu.348. & seqq. Item quid requiratur ad illam incurrendam? ibid.nu.350. Item quibus criminibus annexa sit? ibid.n.351.& seqq.

Infames Iure Ciuili, habentur tales Iure Canonico. ibid.p.451.nu.360. Iure tamen Ciuili introducta infamia, quandoque Iure Canonico aufertur. ibid.n.362.

Infamis vt quis sit infamiâ facti conditiones requisitæ. ibid p 452.n.364.& seqq.

Inter Infamiæ tam Iuris quàm facti, effectus an sit Irregularitas ad ordines? ibid. num.368. Item an impediat ab vsu susceptorũ.ibid.n.371.

Infames an possint admitti ad dignitates? ibid.p.453 nu 372. Item quomodò differunt infamia Iuris, & Facti quoad beneficia acquisita vel acquirenda? ibid.num.374.& 375. Item an electio vel collatio beneficij facta Infami sit ipso Iure irrita. ibid.nu.377.& seqq.

Infamia Iuris an incurratur propter crimen occultum? ibidem pag.454.num.882. & seqq. Item an criminis Infamia, tollatur per emendationem & pœnitentiam? ibid.n.386. & seqq.

Infamia contracta propter hæresim, vel Apostasiam, an impediat conuersum à susceptione ordinum? ibid.n.393.& seqq. Item an filij hæreticorum, in regionibus in quibus nulla inde exurgit infamiâ sint Irregulares.ibid.nu.395.

Infamiam tollendi varij modi. ibid.pag.456.n.396.& seqq.

Innocentes.

Innocentes probati nocentes licitè quandoque ab Ecclesiâ, & republicâ ciuili puniuntur, de cen. p.37.n.254.

Interdictum.

Interdicti definitio, de cen.p.368.n.2. diuiditur, in locale, personale, & mixtum.n.3. An Interdictum locale semper inuoluat personale? ibid.nu.4.&.5.

Interdictum personale communitatis non impedit externos ibi negotioru causâ, commorantes ab audiendo sacro officio. ibid.p.369.n.6.

Qui definit esse membrum communitatis interdictæ an liberetur ab interdicto? & an qui incipit esse membrum interdicto ligetur.ibid.n.9.

Interdicto clero an sint etiam interdicti Religiosi? ibid.p.371.n.28 & 26. interdicto populo probabilius non interdicitur clerus, nec è contra ibid.nu.32. Interdictâ familiâ clericus eiusdem familiæ, an censeatur interdictus? ibid.n.34.& 35. Item an recedens à tali familiâ, ab interdicto liberabitur, & accedens, an illud contrahet? ibid.p.372 n.36. Interdictis doctoribus alicuius ciuitatis an censeantur interdicti clerici? ibid.n.45.& seqq. Item an interdicto populo ciuitatis cẽseantur, comprehensi habitantes in suburbiis? ib.p.373 n.45. variorum huiusmodi casuum resolutionem vide.ibid.n.47.& seqq. vsque ad n.75.

Interdictum locale, & personale, generale, & particulare, qualiter coniungantur, aut separentur inter se? ibid.p.375.n.76.& seqq.

Interdicti causæ, quæ sint? ibid.p.375.n.84.& seqq. an ad illud incurrendum requiratur peccatum mortale? ibid.n 90.& 91. Item an pro debito pecuniario interdictum poni possit? ibidem p.377.n.92.& seqq.

Interdicti effectus generaliter loquendo tres sunt si totale sit. ibid.n.97. primus priuat Sacramentis Baptismi & confirmationis. ibid.p.378.nu.100.& seqq. An Eucharistiæ? ibid.p.379.n.110.& seqq. An item priuet, reliquis Sacramentis? ibid.p.381.n.125. & seqq.

Interdicti secundus effectus qui est prohibitio celebrationis & auditionis diuinorum officiorum, diuinorum officiorum nomine quid hic intelligatur? ibid p.383.n.142.& seqq. clerici tempore Interdicti officium priuatim recitare possunt, & quandoque debent ibid.

Interdicti tempore potest ministrari Sacramentum pœnitentiæ. ibid.p.384.n.145. Ampla diuinorum officiorum prohibitio limitata est in cap. *Alma* ibid.n.246.& seqq. An liceat pulsare campanas? ibid.n.150.& seqq. An non excommunicati, nec interdicti laici, debeant excludi, nisi gaudeant priuilegio? ib.p.386.n.166.& seqq.

An tempore Interdicti generalis localis, liceat celebrare diuina officia secretò, & vbi? ibid.p.384 n.154.& seqq.

Interdicti tempore an sint aliqui dies in quibus liceat diuina officia publicè celebrare? ibid.p.385.n.158.& seqq. Et an aliquæ personæ sint liberæ à lege Interdicti, & quæ. ibid. nu.163.& seqq. Itẽ an non interdictus possit missam sacerdotis interdicti audire? ibid.p.387.n.179 & seqq.

Tertius Interdicti effectus priuatio scilicet Ecclesiastica sepulturæ. ibid.p.387.n.182. An laici habentes priuilegium assistendi diuinis officiis possint tempore Interdicti sepeliri in loco sacro? ibid.p.388.n.189. Item an liceat sepelire laicos adultos in festiuitatibus in quibus licet publicè celebrari diuina officia? ibid.n.191.& seqq.

An tempore Interdicti liceat sepelire Infantes, vel amentes, in loco sacro? ibid.p 389.n.193.& seqq. An peccet sepeliens laicum interdictum Interdicto personali generali? ibid n.200. Item an interdictus ab ingressu Ecclesiæ posset in eâ sepeliri? ibid.p.390.n.207. & an sit talis interdictus ab ingressu cæmeterij. ibid.n.208.

An tempore Interdicti possint clerici, sepeliri in loco sacro? ibid.p.391.n.215.

Interdictum violantium pœna an violantes Interdictum peccent & quomodò? ib.n.218.& seqq. Item quibus modis violetur à clericis Interdictum. ibid.p.392.nu.225.& 227. An clerici & laici violantes Interdictum aliquas pœnas incurrant? & quas? ibid.nu.229.& seqq.

An coram Interdicto celebrans Irregularitatem incurrat? ibid.p.395.n.256. Item an clericus communicans cum interdicto peccet, & pœnam incurrat? ibid.nu.258. & 259.

Interdictum locale variis casibus incurritur. ex Iure. Ibid.p.396.n.266, & seqq. Item Interdictum generale personale & speciale personale. ibid.p.397. & 398.n.284. & seqq.

Absolutio ab Interdicto Quis ab Interdicto absoluit? de cen.p.399.n.210.& seqq. An Interdictum locale cesset per alienationẽ loci? aut personale per loci mutationẽ. ibid.p.400.n.215. aut locale destructione ædificiorum loci interdicti? ibid.

ibid.n.217. Item an interdictum personale communitatis eo ipso expiret, si communitas dissoluatur? ibid.n 219.

Interdictum annexum excommunicationi reseruatæ an sit reseruatum. ibid.p.401.nu.229. Item an censeatur sublatum interdictum quando non seruatur ab eo qui illud tulit? ibid.num. 231.& 232.

Interdicti absolutio ad cautelam an sit conferenda? & ad quid deseruiat? ibidem.nu.236. & seqq.

Pro Interdicti absolutione an sint aliqua verba determinata? ibid.p.402.num.242.& seqq. Item an Papa interdictum auferre possit per solam voluntatem internam? ibid.n.247. Item an requiratur specialis aliqua solennitas vel ceremonia in tollendo interdicto? ibid.n.251.

Irregularitas.

Vide verbis, *Bigamia, Hæreticus, Homicidium, Illegitimus.*

Irregularitas, quid sit? & quotuplex? Item eius Ethymologia, de cen. p.412.num.2. & 3. Item differentia illius à censuris. ibidem num.6. & seqq.

Irregularitas an impediat susceptionem primæ Tonsuræ? ibid. nu.10.& seqq. Irregularis celebrans licèt peccet mortaliter nouam tamen Irregularitatem non incurrit. ibid.n.14.

Irregularitas vt incurratur an debeat esse expressa in Iure? & an in dubio Iuris censendus quis sit Irregularis? ibid.p.414.nu.22.& seqq. Item an in dubio facti cui annexa est Irregularitas habendus quis sit Irregularis? ibid p.418. nu.49.& seqq. Item quid sit dubium facti, & Iuris? ibid.n.47.

Irregularitatis causæ, efficiens materialis, formalis, & finalis quæ sint.ibid.pag.420.num.64. & seqq.

Ad Irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis. ibid.pag.422.num.86. illam imponere pro delicto mere præterito potest Papa. ibid.p.423.n.89.

Ad Irregularitatem ex defectu nulla, requiritur culpa. ibid.nu.90. requiritur tamen ad illam incurrendam actus externus,consummatus. ibid.n.92. Non sufficit merè internus. ibidem p.424.n.94.

Irregularitatis effectus. Impedit ordinum susceptionem. ibid.n.99. An item exercitium? nu. 101 & seqq. Item an Irregularis, nouam Irregularitatem aliamve pœnam incurrat suscipiendo, vel exercendo ordines? ibid.nu.106. Item an prohibeatur exercere quoslibet actus sacros? ibid.p.425.n.109. An sit incapax beneficij obtinendi? ibid.n.111.& seqq. Item an qui recipit beneficium in Irregularitate possit percipere illius fructus? ibid.n.118. Item an quæ incurritur post legitimè obtentum beneficium, vel pensionem, his priuet? ibid nu.120.

Irregularis an teneatur restituere fructus beneficij? ibid.p 426.nu.124. Item si non potest supplere per alium vel dispensationem obtinere an teneatur beneficium resignare in manibus superioris? ibid.n.126.

An Irregularis ob homicidium priuari debeat beneficio, vel pensione titulo clericali data? ibid.nu.128. & 129. Item an Irregularis in ea-

pax sit Iurisdictionis? ibid.nu.131. Et an hanc tollat Irregularitas? ibid.p.427.nu.132.& seqq.

Irregularitas proueniens ex defectu animæ. Defectus hic triplex est, nempè, *vsus rationis, scientiæ, fidei.* de cen.p.430.n.154. An omnes hi defectus Irregularitatem inducant, & ineptitudinem ad ordines suscipiendos? ibidem nu.156. & seqq.

Dispensat in hac Irregularitate solus summus Pontifex. ibid. p 432.nu.169.

Irregularitas ex defectu corporis. Nonnulli defectus corporis Irregularitatem inducentes referuntur de cen. p.432.n.170.& seqq. Episcopi est iudicare an defectus sit notabilis quando vanitur ad arbitrium. ibid.n.172.

Qui non potest ratione defectus exercere omnia munia Sacerdotalia non potest ordinari, ac qui cùm ordinatus est poterit exercere illam partem muneris, ad quam non est impeditus. ibid.p.435.n.206.& 207. An cum abstemio qui nullo modo possit gustare vinum dispensare valeret summus pontifex vt ad sacerdotium promoueretur. ibid.nu.209. Item an habens defectum, impedientem susceptionem Sacerdotij possit ad alios ordines promoueri. ibid. n.211. & seqq.

In Irregularitatibus his quis dispensat. ibid. p.436.n.216.& seqq.

Irregularitas ex defectu ætatis,libertatis &c.

An defectus legitimæ ætatis inducat Irregularitatem ad ordines? de cen.pag.440.num.262. Item an qui exercet functionem sacri ordinis ante legitimam ætatem fiat nouo titulo Irregularis? ibid.p.441 nu 262. In hac Irregularitate ordinariè dispensat solus Papa. ibid. nu.264.

An propter coniugium, statum seruilem, obligationem ad ratiocinia; vel debitum pecuniarium amittatur libertas ad ordines? ibidem n.266.& seqq.

Irregularitas an *proueniat ex pœnitentiâ publicâ.* ibid.p.456.n.401.& seqq.

Irregularitas, ex iniqua susceptione baptismi, vel *iteratione* an incurratur? ibid.p.457.nu.404. & seqq. Item quid excuset ab hac Irregul. & quinam excusentur? ibid.n.408.& seqq.

An contrahatur Irregularitas propter iterationem confirmationis & ordinis? ibid.p.459. num.426.

In hac Irregularitate ortâ ex iteratione Sacramentorum quis dispensat. ibid. num.427.& seqq. Item quis, in contractu à baptizato ab hæretico. ibid.n.431.

Irregularitas proueniens ex susceptione ordinis, eiusdemque exercitio. An excommunicatus recipiendo sacros ordines fiat Irregularis? ibidem p.460.nu.435.& seqq. Et quid de suspenso & interdicto recipiente ordines dicendum. ibid. n.440.& seqq. Item an suscipiens plures ordines eodem die fiat Irregularis? ibid.n.446. an item furtiue ordinatus. ibid. p.461.nu.449. & quis dicatur ordines furtiuè recipere? nu.450. Item an suspensus ab ordine inferiore ascendendo ad superiorem fiat Irregularis? ibidem num.454.

An coniugatus recipiens ordinem sacrum sit suspensus, & Irregularis? ibid.p.462.num.457. & quid dicendum de recipiente ordines sacros

ab Episcopo qui renuntiauit dignitati? ibidem num.459. Item quid, de promoto per saltum. ibid.n.460.

Irregularis fit clericus, violans censuram per exercitium sui ordinis? ibid.num.462. & quæ conditiones requirantur ad hanc Irregul. incurrendum? ibid.n.463.& seqq. Casus varij assignantur in quibus censurâ ligatus fit Irregularis exercendo actus ordinis. ibid.pag.463. num.474.

An duplicem Irregularitatem incurrat ligatus excommunicatione, & interdicto, propter exercitium ordinis sacri? ibid.p.464.num.478. Quis dispensare potest in Irregularitate contracta propter violationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti? ibid.nu.480.

An fiat Irregularis, clericus, aut laicus exercens actum ordinis quem non habet? ibidem n.482.& seqq.

Irregularitas Iudicis aliorumque concurrentium ad mortem vel mutilationem. ibid.p.484.num.640. & seqq. An tradens ligna quibus hæreticus comburatur fuit Irregularis? ibid.p.485.n.650.

An consultores in causâ sanguinis confessarij, consionatores &c. Iudicem hortantes fiant Irregulares? ibid.p.488.num.679.& seqq. Item quid de accusatore, seu denuntiatore dicendum? ibid.p.491.n.701.& seqq.

An Irregularis fiat clericus accusans alterum ad sui, vel suorum defensionem præmissâ protestatione? ibid. p.493.n.718.

An denuntians delictum noxium reipublicæ, aut proximo quod alter impediri non potest. fiat Irregularis si protestetur? ibidem num.721. & seqq. Item an ex obliuione omittens protestationem in causa sanguinis fiat Irregularis? Ibid.p.494.nu.732. Item quâ ratione & apud quem facienda est protestatio? ibid.n.734.

An tota vniuersitas cuius procurator aliquem accusat fiat Irregularis? ibid. n.743.

An *Testis*, & *Aduocatus* in causâ sanguinis præmissâ protestatione fiant Irregulares, morte, vel mutilatione sequuta? ibid.n.745.& seqq.

An Inquisitores aliique similes Iudices fiant Irregulares tradendo reos sæcularibus Iudicibus puniendos, & instando pro sententia mortis? ibid.p 497.n.767.& seqq.

Irregularitatis ex defectu lenitatis quæ sit materia? ibid.n.770.

An Iudex qui plures simul exercet actus, vel eius minister sæpius incurrat Irregularitatem. ibid.p.498.n.774.& seqq.

Irregularitas quæ contrahitur ob bellum iustum, vel iniustum: occidens propriæ manu in bello etiam iusto fit Irregularis. ibid.nu.780. Quod si iniustum fuerit, etiam suadentes, &c. fiunt Irregulares ibid.p.499.nu.781. Si verò iustum fuerit qui suâ præsentiâ pugnantibus animum addiderunt, non fiunt Irregulares. ibid.num.783. Item quinam alij Irregularitatem incurrunt, vel non? ibid.n.784.& seqq.

Irregularitatem non incurrit qui hortatur alterum ad vitam effundendam pro fide Christi, vel tuendâ Republicâ. ibid. p.501.nu.798.

In Irregularitate contractâ causâ belli solus Papa dispensat ordinariâ potestate. ibid.n.810.

Occidens alterum *ob iustam sui defensionem* non fit Irregularis. ibid.p 502.num.812. Quid si talis excessit moderamen inculpatæ tutelæ,& quæ conditiones ad hoc moderamen requirantur? ibid.nu.814.& seqq. Item quid de dante causam inuasionis dicendum. ibid.p.503.n.831. & seqq. aut de eo cui fuga esset ignominiosa? ibid.n.838.

Qui Iudicem sibi iniustè parantem mortem occidit non fit Irregularis. ibid.p.504.nu.842. Nec qui in defensionem honoris, & bonorum temporalium, alterum occidit, quando aliter defendere illa non potuit. ibid.nu.845.& seqq.

Occidens Inuasorem proximi Innocentis, aut Reip. an fiat Irregularis? ibid.p.506.n.856. & seqq.

Irregularitas medici, aut chirurgi. An & quando tales, siue laici sint, siue clerici, exercentes munus suum fiant Irregulares? ibid. p.507.nu.871. & seqq.

Irregularitatis sublatio & dispensatio, in omni Irregularitate dispensat Papa de cen. p.330.num. 1051. sublatâ lege imponente Irregularitatem, an auferatur Irregul.contracta dum vigeret lex? ibid.n.1052. & quid de Irregulari, ob celebrationem in excommunicatione contracta per percussionem clerici, dicendum? ibid. n.1054.

An possit Episcopus cum suis subditis dispensare in Irregularitate proueniente ex delicto occulto? ibid.p.531.n.159. Et quæ subiectio sufficiat ad hanc dispensationem? ibidem p.532.n.1063.

An Episcopus potest dare alteri facultatem secum dispensandi. ibid.nu.165. Item an hoc ipso quo Irregularem scienter ad ordines admittit, siue dimissoriales dat, censeatur cum illo in Irregularitate dispensare, aut ordinaturo facultatem dispensandi dare? ibid. n.1067.

Irregularitas proueniens ex defectu natalium, an & quousque tollatur per professionem Religiosam.ibid.n.1070.

Sublatâ causâ ob quam est inducta Irregularitas, hæc cessat. ibid.n.1071.

An per Iurisdictionem delegatam à Papa vel Episcopo possit tolli Irregularitas? ibid. p.533. nu.1072. Item an facultas dispensandi à Papa concessa sub conditione, *si res ita est*, expiret morte Papæ re adhuc integrâ? ibid.num.1073. Item an facultas absoluendi ab omnibus censuris, casibus, & pœnis, censeatur concessa etiam ad absoluendum ab Irregularitate proueniente ex delicto. ibid.n.1074. Item quæ conditiones requirantur pro obtinendâ, vel concedendâ dispensatione? ibid.nu.1075.& seqq. Item an pluribus Irregularitatibus adstrictus debeat omnes quoad speciem & numerum explicare, vt obtineat dispensationem? ibidem num.1077. & seqq.

An qui obtinuit priuilegium dispensandi in Irregularitate contractâ celebrando sub excommunicatione, si iterum ita celebret, possit ab hâc vltimâ Irregularitate absolui virtute dicti priuilegij? ibid.p.534.n.1080. & 1081.

In Irregularitatis dispensatione an requiratur certa aliqua verborum forma. ibid.num.1083. Item an factis & signis possit tolli. ibid.n.1087.

In Irregularitate ex homicidio quis dispensat ibid.p.535.nu.1088.& seqq.

Iudex.

Iudex non tolleratus ad vitandam mortem potest ferre sententiam, aliosque Iurisdictionis actus exercere de cen. p.111.n.443.

Iurisdictio.

Iurisdictionis actus an possint exerceri in aliena diœcesi de cen. p.31.n.208.

Iurisdictionem non propriè tollit sed suspendit excommunicatio. ibid.p.71.n.151.

Iurisdictione delegantis cessante aut impeditâ, an possit delegatus causas inchoatas perficere? ibid.p.160.nu.839. Et quid de Iurisdictione Inquisitorum dicendum sit quoad cessationem, mortuo delegante? ibid.nu.840.

Iurisdictio voluntaria, an possit à superiori exerceri in suum subditum vbique gentium existentem? ibid.p.185.nu.126.

Iurisdictionis ordinariæ & delegatæ, discrimen. ibid.p.428.nu.143.

Iurisdictione Inquisitorum quidam eximuntur. ibid.p.273.n.815. & seqq.

Iuramentum.

Iuramenti definitio, de Iur. p.1.nu.3. An differat ab oratione. ibid.p.2.nu.4.& 11.

Iuramenta, Iudæorum, & hæreticorum an sint vera Iuramenta? ibid.p.2.nu.14. Fidelis Iurans per Idola, vel Iouem an grauiter peccet? ibid.p 3.n.17.

Iurare per creaturas an licitè quis possit? ibidem n.18.& seqq. An per creaturas irrationales? per dæmonem; vel damnatos? ibid.n.25 & seqq.

Iuramentum per creaturas an sit eiusdem speciei cum Iuramento quod fit expresso per Deū. ibid.p.15.n.115.

Regula generalis ad dignoscendum quando Iuramentum per creaturas sit, verum Iuramentum, & quando non. ibid.p.16.n.116.

Iuramentum an sit Religionis actus? ibidem p 4.n.30.& seqq. An vt sit actus talis requiratur motiuum honestum? ibid.n.37 & an iurare sine intentione diuini cultus sit peccatum? ibid.p.6.n.45.

Iuramenti diuisiones variæ. ibid.p.7.num.49. & seqq. vsque ad n.76.

Iuramenti materia an debeat esse res contingens, & dependens à voluntate Iurantis? ibid. n.52. An debeat esse Iuranti cognitæ? ibidem p.8.nu 55. Et an censeatur iurare verum, qui rem falsam, iurat, quam inuincibiliter putat esse veram. ibid.n 56. Item an Iuramentum sine vllà promissione, esse possit, quod tamen dici debeat promissorium? ibid.n.58.& p.9.n.62.

Intentio, & verba ad Iuramentum requisita; An sufficiant verba exterius prolata? ibidem p.12. n.91. An requiratur voluntas iurandi. ibidem n.92. Item an Iuramenti vsus sit inutilis licèt quis posset fictè iurare & quale peccatum sit Iuramentum fictum prolatum cum mendacio. ibid.p.12.n.94.

Iuramentum verum cum mendacio factum, an sit periurium? & quid de Iuramento ficto dicendum. ibid.p.13.nu.96. An ad Iuramentum quandoque sufficiat virtualis intentio iurandi? ibid.n.99.

Si verba quibus quis iurat ex communi vsu non contineant, Iuramentum, illa tamen proferens intendit iurare an verè iurat? ibid. nu. 100. & seqq. Et quid si quis proferat verba ambigua? ibid.n.104.

Regula generalis ad dignoscendum quæ verba contineant Iuramentum & quæ, non. ibid, p.14.nu.105. Ex hac regula, varia inferuntur. ibid p.106.& seqq. & p.15.n.109.& seqq.

An ad iurandum referat quod iurans vtatur præpositionibus, *In* aut *Per*? ibid p.18.n.134. & seqq.

Quænam Iuramenta blasphemiam etiam contineant? ibid p.22.n.170. & seqq.

Iuramenti, bonitas & malitia an etiam in lege euangelica sit licitum iurare? ibid.p.27.num.1. An verba Christi Mathæi 5. Iuramentum prohibent? ibid.p.28.nu.8.& seqq.

An iurandi detur præceptum? ibid.pag.30. n.26.& seqq.

Iuramenti conditiones vt licitè fiat. An debeat habere tres conditiones, nempè *veritatem, Iustitiam, & Iudicium*? ibid.p.21.nu.35.& seqq. Et quid per tres illas conditiones intelligatur? ibid. Et an prudenti iudicio iudicari debeat, quando debeat esse iurandi necessitas? ibid.p.32.n.43.

Iuramenti circumstantiæ quoad forum externum vt licitè fiat. ibid.p.33.num.48.& seqq. Et an quibusdam personis interdictum sit iurare in Iudicio, & quibus? ibid.n 53.& seqq.

Defectus Iudicij in Iuramento quale peccatum? ibid.p.34.nu.60. Item quale defectus *Iustitiæ*? ibid.p.35.n.64. Et an Iuramento malum propositum confirmans nouam peccati speciem committat? ibid.nu.66. Item an illa noua species malitiæ sit mortalis? ibid.n.67 & seqq.

An iurans se aliquid facturum contra concilia Euangelica peccet venialiter? ibid.pag 37. nu.91. Et an idem sit de iurante se facturum rem indifferentem? ibid. p.38.nu.92. Item an iurare sine animo implendi quandoque minus malum sit quàm iurare cum animo implendi. ibid.n.96.

Veritatis defectus, in Iuramento, an semper sit mortalis? de Iur. p.38.nu.99. & p.39 nu. 104. Item an iurare rem dubiam, vt certam, sit mortale? vel rem dubiam vt dubiam? ibid.pag.40. n.106. Item quid dicendum de iurante se facturum aliquid cum animo dubio illud implendi? ibid.n.107.

Iuramentum falsum non est quod fit per hyperbolem &c. ibid.nu.110. An debeat quis in confessione explicare quoties cum mendacio, cum dubio, vel de futuro cum animo non implendi, iurauerit? ibid.n.111.

An vtens verbis Iuramentum ex communi vsu significantibus & tamen iurare nolens peccet? & quo modo? ibid.p.68.n.277.&seqq. Item habens animum iurandi, & se obligandi, non tamen implendi, an peccet mortaliter? ibidem p.67.nu.280. Et quid si Iurans habeat animum iurandi & implendi, non tamen se obligandi? ibid.n.281.& seqq.

Veritatis indagatio ad iurandum requisita, an iurans debet prudenter æstimare se veritatem iurare? ibid.p.43.n.133. Iurans id quod putat esse falsum, an mortale periurium committat? ibid.num.134. Et quæ certitudo ad iurandum requiritur? ibid.p.44.n.139. Item an in omni

 materia

materiã æqualis diligentia ad indagandam rei iurandæ veritatem requiratur? ibid.num 141.& 142. Item quæ sit infimus gradus certitudinis cum quo quis iurare licitè possit? ibid.p.45.nu. 146.& p 46.nu.149.

Iuramenti Violatio, an sit mortale, violare Iuramentum quamuis materia sit leuis? de Iur. p.46.n.153.& seqq. Et an fieri potest Iuramentum absque eo quòd Deus afferatur in fideiussorem veritatis implendæ? ibid.p.47.n.160. & an æquè inpropriè censeatur Deus testis veritatis de præsenti, atque fideiussor fidelitatis de futuro. ibid p.48.n.163. Item quando Iurans censeatur Deum in testem, aut fideiussorem quantum est ex parte sua adducere? ibid.n.165. Item an obligatio non faciendi contra summam veritatem, vel fidelitatem sit grauis etiam in minimâ materiâ? ibid.p.49.n.166.

Iurandi consuetudo, an Iuramenta indeliberata sint mortalia quando procedunt ex malâ iurandi consuetudine adhuc perseuerante, & voluntariâ? de Iur. p.50.n.171. & seqq. Et an in eo qui non est assuetus Iurare poterit esse Iuramentum indeliberatum, quod in eo qui est assuetus, non esset indeliberatum? ibid. pag.52. num.132.

Iurandi consuetudo triplex. ibid.num.186. ipsa consuetudo peccandi in se non est peccatum. ibid.nu.188. omissio tamen extirpandæ consuetudinis iurandi potest esse mortalis. ibid. p.53.n.189. Et an in illa omissione imputentur omnia Iuramenta incauta, & inde prouenientia? ibid.nu.190.& seqq. Item an peierandi, consuetudo siue aduertenter, siue inaduertenter, constituat hominem in statu peccati mortalis, & an sit distinctum peccatum à periuriis aduertenter emissis ex illâ? ibid.p.54.num.198. & seqq. Item an prauus iurandi habitus sit voluntarius, aut Iuramenta indeliberata quæ ex illo sequuntur? ibid.p.56.n.209.

An detur præceptum affirmatiuum huius consuetudinis extirpandæ? ibid.p.57.n.210.

An licitè possit negari absolutio Sacramentalis habenti prædictam consuetudinem peierandi?&c. si verè pœniteat? ibid.n.214.& seqq. Item an habens prauam consuetudinem iurandi, sit in occasione proximâ morali peccandi?ibid. p.58.nu.220. Et an sit eadem ratio de habente hanc consuetudinem Iurandi, atque de eo qui voluntariè assumit aliquas externas occasiones in quibus sæpè expertus est se peierare? &c.ibid. p.59.n.223. Et quando censetur quis constitui in morali, & proximo mortaliter peccandi periculo? ibid. Item à malitiâ huius periculi quænam excusent? ibid.nu.224. & an in peccandi mortaliter periculis confitendæ sint circumstantiæ peccati cuius periculo se homo exposuit? ibid.p.60.nu.225. Item quid de peccatis in ebrietate commissis, dicendum. ibid.n 226. Item de operante cum dubiâ, vel vincibiliter erronea conscientiâ. ibid.p.61.n.232. & seqq.

Iurare absq; animo iurandi, aut se obligandi, aut implendi, quale peccatum? de Iur. p.68.nu.277. & seqq.

Iuramentum Amphibologicum vide verb. *veritatis occultatio*, Iurans quandoque non tenetur iurare secundum mentem exigentis Iuramentum, sed potest iurare secundum propriam. de Iur. p.74 n.312.

Amphibologiâ quacumque vti sine causâ illicitum est. ibid.p.76.nu.323. Item quæ sit iusta causâ illâ vtendi? ibid.nu.324. & seqq. Item quale peccatum sit vti Amphibologiâ & simulatione sine vllâ causâ, aut necessitate? ibidem p.77.nu.331. & seqq. Item quid dicendum de eo, qui iurat se non habere rem quam habet? ibid.n.334.& seqq. Aut de venditore asserente, rem sibi tanti, constare? ibid.p.78.n.337. Item quid de adulterâ rogatâ à marito an adulterium admiserit, an possit iurare quod non? ibidem n.338. Item quid dicendum de promissione iniuriosè extortâ alicuius pecuniæ dandæ sub Iuramento. ibid.nu.339.& seqq.

Regula generalis. Quoties Iuramentum exigitur faciendi aliquid quod sine peccato fieri nequit poterit iurans subintelligere *si sine peccato id efficere potero.* ibid. n.342.

Immunis ab obligatione matrimonij fictè promissi, rogatus à Iudice an possit iurare se non promisisse? ibid. n.344.

Alij casus in quibus licèt vti restrictione, assignantur. ibid.n.345.& seqq. vsque ad n. 371.

Qui iuridicè de delicto interrogatur non potest iurare se ab eodem delicto liberum ex eò præcisè quòd in confessione Sacramentali illud fassus fuerit. ibid. p.82.n.370.

Reus legitimè interrogatus, ita vt sub mortali fateri teneatur, veritatem tamen negauit, vel eam iniquè detexit an absolui possit à confessario, nisi se iudicio offerat, ad veritatem detegendam licèt iterum non interrogetur? ibidem n.372.& seqq.

An metu tormentorum aliâue ratione falsum sibi crimen imponens ob quod supplicio afficitur, teneatur retractare quod dixerat? ibidem p.83.n.381.

An liceat petere Iuramentum à gentili per Idola, vel à fideli falsò iuraturo? ibidem p.84. n.384.& seqq. Quanta necessitas vel vtilitas requiratur in eo qui petit hoc Iuramentum, vt petitio sit licita? ibid.p.85.n.391.& seqq. Item quale peccatum sit talis petitio, si sine necessitate fiat. ibid.n.394.& 395.

Ad petendum Iuramentum à parato Iurare leuior causa sufficit, quàm ad petendum à non parato. ibid.p.87.n.405.

Peierandi vehemens suspicio, satis erit ad peccatum in petente Iuramentum sine causâ. ibid p.88.n.412.

Iuramenti promissorium, an Iuramentum cadens suprà solam assertionem de futuro absque vlla promissione obligat ad id præstandum? de Iur. p.88 n.2.& seqq.

Qui absenti promisit aliquid sub iuramento an maneat obligatus ante alterius acceptationem? ita vt teneatur, alteri intimare suam promissionem? ibid.p.90.n.16. Item quomodò posset quis licitè iurare rem futuram? aut factum alienum quod non sit in potestate Iurantis? ibid.n.17.& 18.

Iuramenti obligatio an maior sit quam voti. ibid.p.91.n.22.& seqq.

Iuramenti promissorij obligatio ex parte materiæ Iuramentum de re honestâ de se obligat nisi impediat

pediat maius bonum? ibid. n.25. Quod si fiat de actu bono Deo promisso non obligat semper vt idem in specie fiat. Aliter dicendum si fiat homini. ibid.

Iuramentum de opere quod sine peccato impleri non potest non obligat. ibid. p.92. nu.37. Quòd si dubium sit an materia Iuramenti, aut voti sit bona, vel mala, vel si partim bona, partim mala quid dicendum? ibid. p.93 num.38. & 39.

Iuramentum rei indifferentis vt sic, Deo factum, non obligat, secùs: si fiat homini. ibid. n.40. Quòd si quis iuret rem vel actum indifferentem, tanquam medium ad bonum finem, obligat Iuramentum. ibid. p.94. nu.46. Item Iuramentum de re quæ erat indifferens aut illicita tempore quo fuit præstitum non obligat quamuis res postea desinat esse indifferens, aut fiat licita. ibid. n.47.

An error circa causam Iuramenti aut voti, reddat ea irrita? vel cesset obligatio cessante causâ? ibid. p.95. n.52. & seqq. Item quæ censetur causa finalis & quæ, impulsiua? Iuramenti? ibid.

Iuramenti, & voti mutatio, materiæ, an sit perpetua, an temporalis tantum perpendendum est. ibid. p.98. n.67. Item quid dicendum sit quoties dubium, aut suspicio est an mutatio sufficiat ad deobligandam. ibid. p.99. nu.68.

Quando quis iurat, aut vouet rem bonam propter malum finem quid dicendum? ibidem nu.70. Item quid, si propter finem indifferentem? ibid. p.100. n.74. Item quid dicendum quando constat de fine intento à Iurante, vel vouente, sed dubitatur an finis ille sit bonus, vel malus? ibid. n.75.

An Iuramenta, aut vota non mutuandi, non petendi dispensationem, aut relaxationem, sint irrita, & illicita? ibid. p.101. n.78. & seqq.

Iuramenti, non ludendi Deo facti, eadem est ratio quæ voti. ibid. p.103. n.97.

Iuramentum non ludendi ad nullum bonum finem relatum inualidum est. ibid. n.98. Quod si adsit finis honestus obligat. nu.99. Et quid si non constet de expressâ Iurantis, aut vouentis, intentione, an scilicet voluerit se ad mortale, vel tantùm ad veniale obligare? ibid. n.100. Item quid si non constet an voluerit se obligare ad non ludendum nomine alterius? ibid. n.104.

Iurans se non lusurum, potest (dum non constat de contraria intentione) tradere alteri nummos vt ipsius nomine ludat. ibid. p.104. n.105.

Iuramenta, & vota, non ludendi cum determinatâ persona, vel in domo determinata &c. non apposito aliquo fine, manenteque libertate ludendi cum aliis, &c. sunt irrita. ibid. n.109.

Iuramentum non ludendi factum homini in eius gratiam an obliget. ibid p.105. n.114.

Iuramenta parentum, aut dominorum puniendi filios, aut famulos communiter non obligant. ibid. n.115. Item nec Iuramenta puerorum, iurantium se alios accusaturos coram magistro. ibid. nu.118. Item nec Iuramenta vrbanitatis causâ emissa, ordinariè violantur contraueniendo. ibid. n.119.

Iuramentum illicitè emissum, an obliget si absque peccato impleri possit? potest autem Iuramentum esse illicitum tribus modis. ibidem n.120. & seqq.

Promissio prodiga aut ob turpem finem Iuramento firmata an obliget. ibid. p.106. nu.125. & seqq.

Iuramentum factum contra votum priùs emissum non obligat. ibid. p.107. nu.128. Item nec Iuramentum posterius, contra prius. ibidem n.131. Item nec Iuramentum factum contra priorem simplicem promissionem, validam. ibid. p.108. n.135.

Iuramentum de actu prohibito lege diuinâ, Ecclesiasticâ, vel ciuili an obliget? ibid. n.136. & seqq.

Regula generalis. Iuramentum factum homini quoties sine peccato potest impleri, obligat, nisi ille cui factum fuit, remittat. ibid. n.137.

Iuramentum contra bonos mores naturales non obligat. ibid. n.138. obligat autem si tantum sit contra bonos mores ciuiles. ibid. nu.139. Item vnde & quâ ratione dignosci possit quando lex ciuilis, obligat ad culpam, & quando non, assignantur tres regulæ. ibid. p.109. n.141. & seqq.

Regula prima. Quoties lex ciuilis immediatè & primariò ad bonum commune tuendum ordinatur, obliget ab culpam. ibid. n.142.

Regula secunda. Quando lex ciuilis immediatè ordinatur in bonum priuatorum fauorem, non obligat eius obseruatio ad culpam. ibid. n.144.

Regula tertia, Iuramentum vergens in præiudicium tertij nullam obligationem inducit. ibid. nu.146. ex his variorum casuum resolutio infertur. ibid. n.147. & seqq.

Iuramentum vt confirmet contractum vel non Iuramentum confirmatorium contractus, initi sex habet effectus quibus differt à Iuramento *per se stante.* ibid. p.111. nu.156. & seqq.

Iuramento confirmari contractum dupliciter intelligi potest. ibid. p.113. n.163.

Iuramentum neque ex naturâ suâ, neque ex Iure naturali habet vim confirmandi contractum. ibid. n 164. vnde ergo habeat illam vim & ex quo Iure? ibid. n.165. & seqq. Item Ius positiuum quod secluso Iuramento irritaret contractum, posito Iuramento illum non irritat. ibid. p.114. n.171. Item quos contractus inualidos confirmat Iuramentum? ibidem num.172. & seqq.

Neque Iuramentum propriè neque ipsum Ius dat vim contractui. ibid. p.116. nu.182. virtute tamen Iuramenti, siue tanquam causæ, siue tanquam conditionis, inducitur obligatio iustitiæ in contractibus. ibid. p.117. nu.184.

Iuramentum soluendi rem promissam an sufficiat ad confirmandum contractum, an potius necessarium sit Iuramentum non reuocandi contractum? ibid. n.186. & seqq.

Iuramentum de non reuocando Testamentum an possit Episcopus relaxare? ibid. nu.189. & seqq. Item an Iuramentum de soluendis in lusu perditis, vel non repetendo amissis? ibidem p.118. n.191. & seqq.

Iuramentum non firmat contractum quando est turpitudo ex parte recipientis. ibidem num.197.

Iuramentum soluendi, aut non repetendi,

amissa, ludendo ad creditum, si vi extorqueatur, non firmat contractum. Item quando Iuramentum non firmat contractum eius obligatio non transit, ad hæredes. ibidem pag.119. num.198.

Iuramentum præcedens non faciendi pactum lege prohibitum, an illud posteà factum contra prius Iuramentum, firmetur secundo Iuramento superaddito non contrauemendi tali pacto? ibid.n.200.& seqq.

Regula ad dignoscendum, quando Iuramentum vim habet confirmandi contractum, vel non. Quoties Iuramentum absque peccato seruari potest, nec turpitudo inuenitur in creditore in cuius fauorem præstatur &c. tunc contractus firmatur Iuramento adiecto, aliter non. ibid p.120.n.205. Ex hac regula varij casus particulares inferuntur. ibid.n.207.& seqq.

Vt Iuramentum, non firmet contractum qualis turpitudo requiratur. ibid p.121.num. 213 & 214.

Iuramentum de soluendis vsuris. An obliget in conscientia? ibid.n.216. Cuius virtutis sit actus soluendi vsuras. ibid.nu.218.& seqq. Item an obliget illud Iuramentum in casu quo Iurans illicitè eas promisit, & Iurauit? ibid. pag.124. n.242. Per Iuramentum, tamen vi extortum, aut soluendi vsuras nullum ius acquiritur neque vlla actio aut obligatio acquiritur vsurario. ibid. num.245.

Iuramentis *metu extortis* aut de soluendis vsuris satisfit momentaneâ solutione, statimque integrum est iuranti repetere quæ soluit. ibidem p.125.n.251. Item an peccet qui iurat soluere quæ per vim aut metum ab illo petuntur; aut vsuras. ibid.n.256.

Iuramentum metu extortum iniuriosè, si sit de re, quæ licitè potest impleri, obligat. ibidem n.257. Hinc varij casus particulares inferuntur. ibid.p.126.nu.264.& seqq. Item quid dicendum de soluto ex carcere, Iuramento præstito redeundi an scilicet teneatur? ibidem p.128. n.273.& seqq. Iuramentum exeuntis ex carcere iniusto potest relaxari ab Episcopo. ibid. p.129.n.282.

Iuramentum *dolo, errore, vel Ignorantiâ* præstitum. Differentia inter hæc tria. ibid.p.130.nu. 291. Item duplex datur error idemque est de Ignorantiâ & Dolo. ibid.n.292 Item vterque error &c. potest versari circa substantiam rei iuratæ, vel circa accidentales conditiones. ibid.n 294.

Quando dolus, vel error. Antecedens est circa substantiam rei Iuramento promissæ Iuramentum non valet. ibid nu.297. Item dicendum licèt error, vel dolus, sit concomitans, si circa substantiam rei iuratæ versetur. ibid.p.131. n.298. Hæc intelligenda, sunt quando error, dolus. aut Ignorantia, inuincibilis est. secus verò dicendum quando error &c. esset vincibilis. ibid.n.299

Error, dolus, seu Ignorantiâ, etiam inuincibilis circa qualitatem accidentariam rei iuratæ Iuramentum non irritat. ibid.p 132.nu.301.

An ad obligationem Iuramenti promissorij, requiratur deliberatus consensus & intentio iurandi per verum Deum, & implendi quod iuratur. Item promittendi, ac etiam se obligandi? ibid.n.303 & seqq.

Habens animum Iurandi, non tamen se obligandi, an verè obligetur? ibid.p.134.num.314. & seqq. Item quid dicendum de eo qui absolutè voluit iurare, nihil cogitans de obligatione, vel non obligatione? ibid. p.138.n.335.& 336.

Iuramentum simulatum seu dolosum, quoad verborum significationem an obligationem inducat? ibid.nu.337.& seqq.

Iuramenti Interpretatio quoad obligationem, Iuramentum quoad sui obligationem strictè interpretandum est. ibid.p.140.n.347. Hinc infertur variorum casuum resolutio. ibid.num.354. & seqq. vsque ad nu.392. statuta, seu ordinationes constitutionum & violantes an duplici peccato peccent. Item quid de violantibus statuta Religionis, dicendum? ibid p.144.n.371.

In Iuramentis & votis communitatum ad dignoscendam transgressionis qualitatem attendenda est materia in ordine ad finem? ibidem p.145 n 372. Sæpè contingit vt materia præcepti vel statuti secundum se sit leuis sed ex circumstantiis adiunctis sit grauis. ibid.n.375.

Dubitans an iurauerit, & Iuramenti conditiones. Dubius an Iurauerit (& idem est de voto & promissione) non tenetur, si factâ diligentiâ vincere dubium non potest de Iur. p.148.nu.393. Iuramentum factum de re de qua dubitatur an sit licita. An obliget? ibidem p.149. num.398. & seqq.

In omni Iuramento quantumuis absolutè facto an includantur aliquæ conditiones sine quibus non subsistit? ibid.p.140.nu.403. assignantur dictæ conditiones. num.404 & seqq. Iuramentum factum in commodum alterius, inuoluit conditionem. *si ei placuerit, vel nisi ipse remiserit.* ibid.n.409.

Quando dicitur *Iuramentum sequi naturam contractus, seu actus cui adiungitur* quomodò intelligendum. ibid p.151.n.410.& seqq. exempla quibus ostenditur Iuramentum sequi naturam contractus adducuntur. ibid.nu.413. & p.152.nu.414. Quid si quis dum iurat haberet intentionem excludendi omnes, vel aliquas Iuramenti conditiones? ibid. nu.415. Item quando obligatio Iuramenti cessat propter mutationem notabilem ex conditione particulari inclusâ, an cesset ipso facto, vel sit necessaria ipsius relaxatio? ibid.n.417.& seqq.

Iuramenti hominis facti obligatio Iuramenti huius obligatio ex parte Iurantis, est personalis, nec extenditur ad hæredes. ibid.p.153.nu.42. Non tamen, est personalis ex parte ipsius cui præstatur. ibid.n.427. Item ad discernendum an actus sit personalis (& consequenter ad successores non transiens) an realis, & transiens, quid principaliter attendum? ibidem pag.154. num.431.

Iuramentum personale ex parte Iurantis potest præstari per procuratorem. ibid.pag.155. n.438. Item quid requiratur ex parte procuratoris vt nomine alterius iuret. ibidem nu. 439. & seqq.

Iuramentum per tertiam personam in aliquibus casibus non admittitur de Iure humano. ibid.p.156.n.444.

Iura-

Iuramentum promissorium homini, factum an sit implendum in propriâ specie, vel an possit impleri per aliquid æquiualens? ibid. p.157. nu. 447. Quoties commutatur Iuramentum, siue ex consensu partium, siue authoritate superioris, id in quod commutatio fit cadit sub obligationem Iuramenti. ibid. nu. 452.

Iuramentum quo tempore incipiat obligare? ibid. p.158. num.456. & seqq. *Regula* ad discernendum an obligatio Iuramenti sit perpetua, an temporalis assignatur. ibid. p.159. nu. 461.

Iuramenta aliqua licèt videantur affirmatiua, reuerà tamen sunt negatiua. ibid. n. 462.

Iuramentum soluendi debitum intra certum diem, à creditore prorogatum vsque ad alium diem manebit quoad obligationem vsque ad terminum prorogationis. ibid. n.464. & seqq.

Iuramenti Promissorij. Ablatio.

In Iuramentum assertorium nulla potest cadere relaxatio, de Iur. p.161. n. t.

Iuramenti promissorij Ablatio variis modis fit. ibid. Iuramenti Irritatio, dispensatio, commutatio, condonatio, relaxatio quid sint? & quomodò distinguantur? ibidem pag.162. n.3. & seqq.

Iuramentum soli Deo factum quis potest irritare, & quomodò? ibid. n.5. & seqq.

Iuramenta homini facta in eius fauorem quinam irritare possunt? ibid. p.166. n.27.

Iuramentum soli homini factum per huius condonationem desinit obligare. ibid. pag.168. nu.35. Quod si Iuramentum principaliter fiat in Dei fauorem, si tamen tota res promissa cedat in vtilitatem hominis in particulari ab hoc potest remitti. ibid. n.42. oppositum probabile est. ibid. p 169. n.43.

In promissionibus mutuis de rebus cedentibus in honorem Dei factis tamen, ab vno homine, alteri, an maneat alter liber ex eo solum quòd alter non impleat? ibid. n.49. & seqq.

Iuramentum promissorium quod fit soli Deo, commutari, aut dispensari potest ex iustâ causâ. ibid. p.172. n.64. In omni voto aut Iuramento promissorio includitur conditio *hæc nisi superior aliud statuerit*. ibid. n.66. Item habens, potestatem ordinariam dispensandi in votis habet, eandem quoad Iuramenta. ibid. num.69. Item quinam habent hanc potestatem? ibidem num.70. Et an aliqua Iuramenta sint reseruata summo Pontifici? n.72. & seqq.

An Iuramento castitatis, Religionis, peregrinationis Ierosolomitanæ Romanæ, & compostellanæ sint soli Papæ reseruata, ita an Episcopus in eis non possit dispensare? nec ea commutare? ibid. p.173. n.76. & seqq.

Facultas commutandi Iuramenta vel vota alicui data non censetur etiam data ad dispensandum? ibid. n.81. an è contra? n.83. & seqq.

Concessâ facultate delegatâ ad dispensandum in votis, vel ad illa commutanda an etiam intelligatur concessa facultas ad dispensandum, vel commutandum Iuramenta quæ soli Deo fiunt? ibid. p.174. n.86. & seqq.

Quisque potest sua Iuramenta soli Deo facta commutare propriâ authoritate in rem euidenter meliorem. ibid. p.175 n.99.

Iuramentum promissorium, homini factum quâ ratione possit relaxari, aut commutari à superiore Ecclesiastico? ibid. vel non? ibid. p.176. num.102. & seqq. Item an quandoque possit Iuramentum commutari, & relaxari inuito creditore? ibid. p.177. nu. 107. & seqq. varij casus particulares inferuntur, in quibus Episcopus aut alius dispensare possit: aut commutare Iuramentum inuito creditore. ibid. num. 108. & seqq. vsque ad n.121.

Iuramentum de non denuntiando furem aut latronem iuxta communem sententiam nullum est. ibid. p 178. n.117.

In Iuramentorum prædictorum relaxatione cauendum scandalum. ibid. p.179. num.121.

Non possunt commutari illa Iuramenta per priuilegia Religiosorum, aut Bullam cruciatam, concedentia votorum commutationem. ibidem n.122. & quid dicendum de Iuramento adhibito contractui, doloso, quoad relaxationem? num.123.

Nullus Iudex, aut Prælatus Ecclesiasticus Episcopo inferior, non habens Iurisdictionem quasi Episcopalem potest relaxare huiusmodi Iuramenta. ibid. num.124.

Quoties in foro conscientiæ petitur & datur relaxatio Iuramenti, à quo potest concedi, à Prælato ipsius Iurantis an ipsius cui Iuramentum præstitum est? ibid. n. 125. & seqq. Item in quo consistat Relaxatio propriè dicta? ibid. p.180. n.128.

Ad Irritandum, seu relaxandum Iuramentum in, & pro foro externo quid requiratur ex parte Irritantis? ibid. num.129. Item an ad licitè faciendam hanc relaxationem sufficit quælibet cautio pro causâ. ibid. num 130.

Potestas ciuilis quoad relaxationem Iuramentorum homini factorum, sola potestas Ecclesiastica potest verè & propriè relaxare Iuramenta ex parte Dei. ibid. pag. 180. num.132. Quod si relaxatio latè sumatur pro condonatione quæ fit nomine partis cui Iuramentum fit potest potestas sæcularis relaxare Iuramenta homini facta. ibid. Item possunt Iudices sæculares cogere laicos subditos vt condonent Iuramenta sibi facta cum Iniustitia. ibid. Imò per se possunt hoc facere si subditi renuent præstare quod tenentur. ibid. num. 133.

Faciens hanc relaxationem, seu condonationem nomine partis debet esse superior partis illius cui fit Iuramentum, citatâ & auditâ prius parte. ibid. p.181. n.135.

Principes sæculares possunt indirectè & remotè irritare Iuramenta adhibita contractibus fori externi. ibid. p. 182. n.142.

In Iuramento subditi semper subintelligitur, *nisi princeps aliud inferit*. ibid. p.183. n.148.

L.

Legislator, Lex.

Legislator nullus habet potestatem in actus merè internos qui non sunt causæ actionum exteriorum, de cen. p.6 t. nu.76.

Lex humana obligat non solum ratione scandali, sed etiam ratione obedientiæ. ibidem num.77.

Legis verba imponentes censuram propriè, &

& strictè intelligenda sunt. ibid.p.68.num.125. Hinc lex excommunicans, vel suspendens committentes aliquod delictum, non comprehendit mandantes, aut consulentes, nisi hoc exprimat.ibid.num.126. Item si lex excommunicet homicidam, non, comprehendit vulnerantem ad mortem. ibid.nu.127. Item si lex imponat censuram sponte faueuti aliquid, non incurrit illam, qui metu, vel coactione fecit. ibidem num.132.

Lex imponens excommunicationem ferendam, an requirat monitionem hominis posteà, faciendam? & quando per se faciat illam. ibid. p.78.n.196 & seqq.

Motus proprius Pij V. & Clementis VIII. contra clericos agitationi taurorum assistentes, an continebat excommunicationem latæ sententiæ? ibid.p.79.nu.200.

Lex generalis, posterior limitanda est per antiquiorem specialem quando expressis verbis illi non contradicit. ibid.p.188.nu.338.

Dubitans an lex sit vsu recepta vel non an tenetur tali lege? ibid.p.417.nu.38. Item an dubitans an sit promulgata? ibid.nu.39. Item quid dicendum de eo qui certus est de obligatione legis, & dubitat an ratione alicuius necessitatis, vel alterius circumstantiæ ab eâ eximatur? ibid.n.42 & seqq.

Lex ciuilis an obliget ad culpam & quando? pro horum notitiâ variæ Regulæ assignantur de Iur. p.109.n.142.& seqq.

Locus sacer.

Loci sacri nomine, quæ loca comprehendantur? de cen. p.148.n.739.

M.

Materia grauis.

Materia grauis non constituitur ex multis leuibus, nisi vniantur, de cen. p.118.n.492.

Mentiri, Mendacium.

Mentiri quis dicitur, de Iur. p.47.num.162. Item in quo propriè consistat ratio mendacij. ibid.p.73.n.308. Item Mendacium practicum quod dicatur? ibid.p.84.n.382.

Medicus.

Medici tenentur obseruare præceptum Iuris diuini naturalis de monendi infirmis vt confiteantur, an etiam teneantur virtute statuti Pij V. de Iur. p.147.nu.389. variis casibus excusantur Medici à dictâ obligatione Iuris naturalis diuini. ibid.nu.390. Cui addiderunt aliqua summi Pontifices, de Iure positiuo. ibid.n.391.

Missa.

Sacerdos Missam celebrans principaliter propter lucrum temporale, non peccat peccato Simoniæ quamuis etiam nihil aliud intenderet, de Iur. p.6.n.46.

Motiuum.

Motiuum primum & extrinsecum mouens ad Iurandum, non est cultus Dei, sed aliquid temporale & humanum, de Iuram. pag.5. num.37.

N.

Neophytus.

Neophytus quis dicatur, & an sit Irregularis? de cen. p.431.nu.167.

Notorium.

Notorium aliud tale dicitur Notoreitate Iuris, aliud notoreitate facti. Item vtriusque definitio de Iur. pag.107.n.419. & 420.

Notorium respectu alicuius domus aut collegij an sit tale respectu totius oppidi? ibidem p.108.n.422.

Nouitius.

Nouitiorum vota non possunt Prælati irritare, possunt suspendere, pro tempore de cen. pag.247.num.586. Item à quo Episcopo possint promoueri ad ordines? ibid.p.249.nu.606. & seqq.

O.

Obligatio.

Obligatio Iuramenti, & voti, an extinguatur superueniente mutatione perpetuâ circa materiam illorum & quid si mutatio sit tantum temporanea? de Iur. p.98.num.67. & quid si dubium aut suspicio sit an mutatio tanta sit vt sufficiat ad tollendam obligationem Iuramenti, voti, aut promissionis? ibidem pag.99. num.68.

Occultum.

Per ly *occultum* in Tridentino sess. 24. cap.6. quid intelligatur? de cen. p.182.nu.94.

Opinio.

Opiniones probabiles vtrimque circa materiam merè moralem & merè physicam in quo differant? de Iur. p.99.n.69.

Oratio.

Oratio duplex, publica & priuata, & quæ dicuntur talia de cen. p.133.nu.613.

Discrimen, inter orationes publicas Ecclesiæ, & priuatas. ibid.num.614.

Oratio primario & per se ordinatur ad diuinum cultum & in hoc differt à Iuramento, de Iur. pag.6.num.45.

Ordo.

Ordines Minores ante legitimam ætatem suscipiens, suspensionem aut Irregularitatem non incurrit, de cen. p.356.n.225. & peccabit tamen talis? ibid.nu.227.

Ordinatus non seruatis Interstitiis licèt peccet, pœnam non incurrit. ibid.pag.357.nu.229. Duorum sacrorum ordinum collatio eodem die prohibita est. ibid.nu.233.

Ordines recipiens ab Episcopo excommunicato, suspenso aut interdicto vitando, suspenditur. ibid. pag.359.num.248. Sed quid si nesciat talem Episcopum esse excomm. &c. ibid. nu.251.& seqq.

Papa

Papa.

Papa nulla censura ligatur, ne quidem à Iure. Nec vt Papa errare potest circa res fidei, de cen. pag.32.nu.221.

Pœnitentia.

Pœnitentia alia Sacramentalis, alia publica non solemnis, alia publica & solemnis, de cen. pag 456.num.401.

Paupertas.

Paupertas non propter se, sed quatenus vtilis ad perfectionem vitæ fit materia Religionis, & vouetur, de Iur. pag.6.num.39.

Pœna.

Pœnâ temporali non potest Episcopus punire suum subditum extra diœcesim delinquentem, dum, ibi manet, potest tamen pœnâ spirituali, de cen.pag.30.num.207.

Periurium, Periurus.

Periurium duobus modis accipitur, latè scilicet & strictè, de Iur. pag.38.num.97.

Periurus propriè loquendo quis dicendus? ibid.num.98.

Periurij granitas in quo consistat? ibid.nu.99. An excusetur à mortali propter bonum finem? ibidem pag.39.num.100. aut si sit Iuramentum falsum ioci causâ dictum? ibidem numer. 101.

Periurium à mortali excusat defectus perfectus deliberationis. ibidem pag 41. num.113. In nullo casu licitum est. ibid.num.115. Differt à sacrilegio. num.117. minus graue peccatum est ex genere suo quam odium Dei, desperatio, hæresis; ibid.num.118. Non est grauissimum peccatum omnium peccatorum contra Religionem. num.119. periurium tamen assertorium grauius est, cæteris peccatis contra Religionem ex genere suo exceptis Iodololatriâ, & blasphemiâ. ibid. num.221.

Periurium ex obiecto & essentiali specie malitiæ grauius est quam peccata in proximum ibidem pag.42.numer.124. Ordinariè tamen & moraliter loquendo quoad grauitatem circumstantiarum homicidium grauius est periurio. num.131.

Periculum peccandi.

Periculum eiusdem est malitiæ cum crimine cuius est periculum, de Iuram. pag.58. numer. 219. Inter peccatum, & periculum seu occasionem peccandi magna diuersitas. num.223.

Tripliciter poterit quis excusari à malitiâ periculi peccandi. num.224.

Item quando censetur quis constitutus in morali, & proximo periculo peccandi mortaliter? ibid.num.223.

In periculis mortaliter peccandi confitendæ sunt circumstantiæ illius peccati, cuius periculo se quis exposuit. ibidem pagin.60. numer. 225.

Videns aliquid esse malum in communi, & confusè, an illud faciendo peccet mortaliter? ibid.pag.66.n.261.& seqq.

Qui se manifesto. & proximo periculo peccandi exposuit, an teneatur, in confessione explicare peccatum istud periculi, quamuis in illud non inciderit? ibid.pag.67.num.272.

Præceptum.

Præceptum Implendi, impedimentum voluntariè ponens, an peccet contra illud præceptum? de Iuram. pag.66.numer.264. & 265. & seqq.

Præceptum non communicandi cum excommunicato in periculo grauis nocumenti, in vitâ, famâ vel re familiari, non obligat, de cen. pag. 106.num.432.

Prælatus.

Prælati conuentuales quoad aliqua plus possunt quam pastores, de cen. pag.243.num.564. An possint absoluere Prælati Regulares suos subditos, se inuicem, vel alios enormiter percutientes? ibidem pag.248. num.601. Vide verbo *Religiosus*.

Priuatio.

Priuatio in se non suscipit magis, & minus, & quomodo multiplicetur? de cen. pag.39. num.272.& num.601.

Priuilegium.

Priuilegia amplè sunt interpretanda si nemini præiudicent. de cens. pagin.343.numer. 62.

Priuilegia Religiosis concessa per viuæ vocis oracula sublata sunt per Vrbanum VIII. ibid. pag.202 num.251.

Priuilegio Canonis priuatur clericus incorrigibilis. ibid. pag.303.num.1007. Qualis debeat esse hæc incorrigibilitas? & an eâ stante ipso facto amittat clericus hoc priuilegium? ibid.& num.1008.

Causæ & delicta ratione quorum clericus non gaudet priuilegio canonis. ibidem pag.304. num.1010.& seqq.

Priuilegium confessariis Societatis Iesu à sede Apostolica concessum quoad absolutionem à censuris &c. ibid.pag.368.num.336.

Potestas Ecclesiastica & Ciuilis.
Vide verbo *Excommunicatio.* n.906.

Magistratus Ecclesiasticus contra sæcularem, & è contrà potest vim vi repellere, de censur. pag.285.numer 906. Et hoc in tribus casibus contingere potest. ibid. Canonistarum hâc de re opinio. ibid.pag.288 num.916.

An Magistratus sæcularis possit cogere Iudices Ecclesiasticos vt abstineant ab exequendâ sententiâ quam tulerant si legitimè fuerit ab illâ appellatum? ibid. pag.290.num.930.

Reges habere priuilegia ad repellendam iniustitiam per Iudices Ecclesiasticos factum gratis asseritur. ibid. pag.291. num.936. Nullâ consuetudine aut præscriptione possunt sæculares acquirere potestatem aut Iurisdictionem contra Iudices Ecclesiasticos, ibidem pag.292. num 938.& seqq.

Possunt tamen Principes sæculares examinare

nare bullam Apostolican, ne sibi, vel subditis præiudicium fiat. ibid. pag.295. nu.956.

Iudex Ecclesiasticus potest cogi, per sæcularem vt appellationi legitimè interpositæ deferat. ibid pag.196.num.957. Quod maximè locum habet in Regionibus longè à sede Apostolica distantibus. ibid. Non autem in locis vicinis. ibid. pag.298.num.962.

Iudex Ecclesiasticus procedere contra brachium sæculare pro defensione viduarum, pupillorum &c. ibid. num.964.

Magistratus sæcularis quibus in causis soleant aut possint abuti prædictâ potestate, & quas pœnas incurrant abutentes? ibid.pag.299. num.967.

Promissio.

Promissionis, voti, & contractus obligatio, oritur ex voluntate vouentis&c. remotè, proximè verò ex ipsâ promissione,de Iur. pag.169. num.321.

Promissio omnis inuoluit hanc conditionem, *si alter postea non se reddat ingratum.* ibidem pag.98.num.65. An etiam hanc conditionem includat promissio, *nisi transire voluerit Iurans ad statum professionis*? ibid. pag.92.num.33.

Promissio ficta an obliget; & quale peccatum sit fictè promittere? & quid si promissio fuerit gratuita? ibid.pag.134.num.312.

Prudentia.

Prudentia non solum est virtus intellectualis, sed etiam est causa omnium virtutum moralium; de Iur. pag.64.num.251.

Publicum.

Publicum, seu famosum, quid dicatur? de cen. pag.108.num.421.

Pueri.

Pueri an possint absolui ab Episcopo, ab omnibus peccatis ante pubertatem commissis sine onere præsentandi se Papæ? de cen. pag. 194.num.196.

R.

Regula.

Regula Iuristarum est. *Quod dispositu in vno correlatiuo, in alio etiam intelligi debeat, vbi est eadem ratio.* de cen pag.130.num.577.

Regula Iuris, *cui committitur aliquid faciendum, consequenter conceditur illud sine quo id fieri nequit.* ibid.pag.172.num.24.

Regula, *Quod in concessione generali non intelliguntur concessa quæ specialem habent rationem.* An tam in odiis, vel pœnis? quàm in fauorabilibus locum habeat? ibid. pag.200.num.239.

Regula generalis quam tradit Suarius & alij est *Clericum in sacris non amittere priuilegium fori, nisi per sententiam degradationis*; excepto vnico casu. ibid.pag.304.num.1014.

Regula Iuris, *Quod in dubiis melior sit conditio possidentis* locum habet extra materiam Iustitiæ. ibid.pag 414.num.25.& seqq.

Regula; *In dubiis tutior pars est eligenda*, quomodò intelligenda? ibidem pagin.416.numer. 32.

Religiosus.

Religiosi (ij qui sint) non exempti, ab Episcoporum Iurisdictione, an possint absolui, & cum iis dispensari à suis Prælatis? de censur. pag.242.num.560.

Religiosis exemptus an possit absolui à suo confessario ordinario à casibus reseruatis superioribus talis Religionis? ibidem numer.561. Item Prælati Regulares in Religione exempta, quid possunt, circa absolutionem suorum subditorum à censuris, & casibus reseruatis? &c. ibidem pagin.243.numer.562. & seqq. Item quid possunt præpositi, Rectores, & vice Rectores in Societate circa absolutionem suorum subditorum à reseruatis &c. ibidem pag. 244. num.567.& seqq. In Societate debent omnia, etiam actus virtutum cum concilio superioris fieri. ibid.pag.246.num.583.

Religioso transitus ad strictiorem ordinem Iure communi permittitur. ibid.num.585. Religiones tamen aliquæ habent priuilegium in contrarium. ibid.

Religiosi à quibus possint absolui ab excommunic. & casibus reseruatis? Item dispensare cum illis in votis, legibus, & præceptis, quis potest? ibidem pag.242.num.560. & seqq.

An tam Episcopi quàm Prælati Regulares. Possint eligere sibi confessarium qui poterit eos absoluere à reseruatis &c. à quibus ipsi suos subditos, absoluere possunt? ibidem pagin.249. num.610.& seqq.

Religionum constitutiones obseruandæ sunt, quoad absolutionem à reseruatis. ibid.pag.250. num.618.

Religiosi confessarij præsumentes absoluere excommunicatos à canone, &c. an ipso facto incurrant excommunicationem pontifici reseruatam? ibid.numer.619. Item an absoluens sine potestate à reseruatis in Religione incidat in excommunicationem Papæ reseruatam? ibid.pag.251.num.620.

Religiosorum omnium vota post professionem emissa irritare potest solus Papa ex prælatis sæcularibus eiusque legatus à latere. Item dispensare in præceptis & absoluere à censuris & casibus reseruatis eorundem. ibidem numer. 624. Episcopus autem nihil potest circa Religiosorum exemptorum absolutionem. ibidem num.626. nisi cum superioris licentiâ cedant suo priuilegio & subiiciant se Episcopo. ibidem pag.252.num.635. & seqq.

Huius resolutionis limitatio. ibid. num.643. & pag.253 num.644.

Respublica.

Respublica quælibet indiget potestate Iurisdictionis, tam directiuâ, quam coercitiuâ, de Iur. pag.2.num.11. Resp. ciuilis, & Ecclesiasticæ diuersus finis. ibid.

Respublicas Ecclesiastica quamuis directè versetur circa spiritualia, simul etiam potest indirectè versari circa temporalia. ibidem pag.2. num.12.

S.

Sacerdos.

Sacerdotis proprij nomine quis intelligatur de cen. pag.171.num.24.

Statutum.

Statutum differt à generali sententiâ de cen. pag.26.num.178.& pag.27.numer.186. Item statutum vel præceptum territorij, vel prouinciæ differt à præcepto personæ. ibidem pag.29. num.196. item excommunicatio lata ab Archiepiscopo in concilio prouinciali per statutum comprehendit suffraganeos quod si feratur per sententiam tantum comprehendit diœcesanos. ibid. pag.30.num.203.

Studiositas.

Studiositas, quid sit? & an per excessum opponatur ei curiositas & negligentia per defectum, de Iur. pag 63.num.245.

Subditus.

Subditi nomine in concessione Tridentini sess.24.cap.6. quoad absolutionem à reseruatis quis intelligatur? de cen. pag.181. numer.90. & seqq. subditorum nomine an etiam intelligantur vagabundi. ibid. pag.182.num. 92.

Subditi nomine in fauorabilibus intelligantur Religiosi. ibid.pag.252.num.643.

Suspensio.

Suspensio quid sit? & quotuplex, de cen. pag 336.numer.3. & seqq. Differt à cæteris censuris & pœnis.ibid.pag.337.num.17.& seqq.

Suspensionis effectus quinam sint. ibid pag.338. num.26 & seqq.

Suspensus ab ordine, an eo ipso, censetur suspensus à Iurisdictione, vel è contra? ibidem num.28. Item suspensus à beneficio, an censeatur suspensus ab officio. ibidem pagin.339. num.32.

Episcopus suspensus à Iurisdictione. an possit in aliâ diœcesi ordines conferre, etiam suis subditis? ibid.pag.340.num.36. An etiam in propriâ? in aliquo casu. ibid. num.37.

Suspensus ab ordine inferiore an censeatur suspensus etiam à superiore? ibidem num.39. & seqq.

Suspensus sub disiunctione, ab officio, vel beneficio, an maneat suspensus, de facto, vel non? ibid.pag.341.num.44. Item an suspensus à beneficio, suspendatur à fructibus etiam patrimonij in ordinatione assignati? ibid. num. 49.

Item an per suspensionem impediatur receptio Indulgentiarum, & sepultura in loco sacro? ibid.num.51.

Suspensus ab administratione Ecclesiæ, an eo ipso suspendatur ab vsu ordinum. ibidem pag.342.num.55.

Quis? & in quos. Possit censura suspensionis ferri? ibid.num.58. & seqq. In generali sententiâ Interdicti, vel suspensionis, an comprehendantur Episcopi. ibid. num.61. An etiam tota communitas clericorum capax sit suspensionis? ibid.pag.343.num.63. Item an suspensio lata in capitulum extendi debeat ad personas particulares? ibid. num.65.

Quibus de causis. Ferri possit suspensio? ibid. num.66. Item an necessariò præsupponat culpam mortalem. ibid. num.67. An aliquando feratur pro culpâ præteritâ? & quibus modis? ibid.num.68.

Suspensionis quæ est censura, differentiâ ab eâ, quæ non est censura. ibid.pag.344 nu.69.

Suspensionis duratio. An alicubi suspensus vbique suspensus maneat? ibid.num.79.& seqq.

Suspensio duratura ad beneplacitum superioris cessat eo mortuo, vel deposito. ibidem pag.345.num.78.

Suspensio lata per mensem quot diebus durare debeat? Item quot si lata, sit, per annum? ibidem num 80. & seqq.

An qui non seruant integrè suspensionem, mensis vel anni, sed per aliquos dies interrupit, teneatur transacto anno illos dies compensare? ibid.pag.347.num.97.& seqq.

Suspensionem violantium pœnæ. An peccent mortaliter? ibid.num.101. An fiat suspensus, Irregularis exercendo actus ordinum à quibus est suspensus? ibid.n.105.& seqq.

Suspensi, quinam actus validi? & qui, inualidi sint? ibid pag.348.n.114.& seqq.

Suspensiones Iuris contra Episcopos aliosque Prælatos, conuentus, capitula &c. Episcopi aliique Prælati varijs casibus à Iure suspendantur? de cen. pag. 349.num.121. & seqq. vsque ad numer.161. Item capitula, conuentus & Religiosi. ibidem pag.352.num.161.& seqq. vsque ad num.209. suspensiones etiam contra clericos in Iure variæ sunt. ibid.pag.355.num.209.& seqq. vsque ad num.328.

Absolutio à suspensione vide verbo *Absolutio ab Excommunicatione.* suspensio quæ non est propriè censura cessat elapso tempore pro quo lata est absque absolutione de cen. pag.366.n.328.

A suspensione quæ propriè est censura, quis absoluit? ibid.pag.367.num.330.& seqq. Item quid possunt confessarij Societatis Iesu quoad absolutionem à censuris,& pœnis Ecclesiasticis? ibid.p.168.n.336.

Ante absolutionem à suspensione præmittenda satisfactio partis læsæ si opus sit. ibidem num.337.

T.

Testis, Testimonium.

Testis in Iuramento quare adducitur Deus, de Iur. pag.2.n.5.

Testimonij diuini inuocatio multum valet ad fidem faciendam. ibid.n 7.

Testis an teneatur sub mortali testimonium ferre quoties Iudex compellit ad testificandum in foro exteriori? de cen. pag.495.n.748.

Quoties quis tenetur denuntiare aut accusare tenetur etiam testificari. ibid. n.759.

Clericus non potest cogi ad ferendum testimonium in causâ sanguinis contra reum. ibidem num.750 In fauorem tamen rei potest testificare de licentiâ Episcopi. ibid.num.751.

Tribunal.

Tribunal Ecclesiasticum in propriis causis per se, & directè sæculari, non subest, nec è contrà de cen. p 294.n.652.

V.

Veritas, & veritatis occultatio. Vide verbo *Iuramentum amphibologicum.*

Veritatem occultare quandoque tenemur. de Iur. p.70.nu.287. nunquam licitè fit per mendacium. ibid.n.289. contra veritatis virtutem dupliciter potest quis peccare. ibidem num.291.

Quoties verba sunt æquiuoca, an sit mendacium illa proferre in sensu quem proferens vult? quamuis audiens illa in alio sensu intelligat? ibid.n.293.

An etiam verbis non ambiguis, posset quis quandoque absque mendacio vti, pro occultandâ veritate? ibid.p.71.n.295.

Quid si verba falsum sensum habeant in ordine ad mentem interrogantis, solumque detorqueantur ad verum sensum ex aliqua restrictione mentali iuxta mentem loquentis, an sint mendacia? ibid.n.299. & p.72.n.300.

Veritatis virtus in quo consistat? & in quo vitium mendacij? ibid.p.73.n.307.

Sacerdos interrogatus de iis quæ tantum ex confessione audiuit, absolute, & sine restrictione respondere potest, nescio. ibid.p.74.n.311.

Potest quis respondere non ad mentem particularem & iniquam interrogantis, sed ad mentem communem omnium prudentium. ibidem p.75.nu.315. Item in veritate occultandâ debet loquens intendere aliquem verum sensum, vt euitet mendacium. ibid. n.322.

Veritatis occultandæ, per Amphibologiam, etiam sub Iuramento iustæ causæ quæ sint? ibid. p 76.num.324.& seqq. Item an ad vtendam Amphilogiam cum Iuramento sufficiens causa sit, illa quæ absque Iuramento fuisset sufficiens? ibid.n.328.

Liber ab obligatione debiti alicuius soluendi rogatus à Iudice, an, possit illud debitum negare cum restrictione? ibid.p.78.nu.345. variorum huiusmodi casuum resolutionem vide. ibid.p.79 nu.346 & seqq,

Testis non iuridicè rogatus de aliquo delicto potest cum restrictione respondere, se nescire. ibid.p.80.n.359.

Veritatis confirmatio principaliter per Iuramentum intenditur. Item veritatem Iuramento confirmare potest esse necessarium ex variis capitibus de Iur. p.7.n.48.

Virtus.

Virtutis officium an sit non solum amare suam honestatem, sed etiam cauere contrariam malitiam? de Iur. p.5.n.37.

Virtutis opera ordinare ad innanem gloriam, an, & quando sit mortale? ibidem pag.7. num.47.

Vis.

Vim vi repellere, an etiam particulari personæ liceat? de cen. p.285.n.906.

Votum.

Voti simplicis externi, & promissionis externæ discrimen, de Iur. p.135.n.315.

Voti transgressiones an omnes sint eiusdem speciei? de Iur. pag.11.n.82. Item an voti & Iuramenti fractio quandoque constituat distinctum numero peccatum? ibid. p.12.n.90.

Voti Irritatio. Vota suorum subditorum possunt irritare omnes Religionum prælati, de cen. p.245.num 577. Item votum vt votum nullam dat alicui homini potestatem, aut Iurisdictionem. ibid.

Vota omnia sunt irritabilia à superiore quæ aliquo modo concernunt materiam ipsi subiectam. ibid. p.246.n.584.

In votis suorum subditorum possunt dispensare Prælati Regulares. ibid.pag.247.num.589. subpriores verò, seu ministri non habent illam potestatem nisi in absentiâ superioris. ibidem num.590.

Ex Prælatis sæcularibus solis Papa potest omnium Religiosorum vota, post professionem emissa irritare. ibid.p.251.n.624.

FINIS.

APPROBATIO CENSORIS.

DVos hosce Tractatus, alterum DE IVRAMENTO, & alterum DE CENSVRIS *&c. per Reu. ac Exim.* P. IOANNEM DE DICASTILLO *Societatis* IESV *Doctorem Theologum* conscriptos legi & examinaui, in quibus deprehendi vtramque materiam ita eruditè ac solidè tractari, sicuti à tantæ eruditionis viro potuit exspectari; ac proinde censeo suprà dictos Tractatus dignos publicâ luce & editione, vt oculis legantur manibusque terantur tum ab iis, qui pœnitentiæ Sacramentum administrant in foro conscientiæ, tum etiam ab istis, qui sacram Iurisdictionem exercent in Tribunali Curiæ Ecclesiasticæ. Antuerpiæ 5. die Aprilis anno 1662.

IOANNES DE CAPVA
Canonicus Antuerp. &
Librorum Censor.

APPRO-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum, Indiarumque Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ.&c. Serenissimus Belgarum Princeps diplomate suo sanxit, ne quis præter *Iacobi Meursij* Typographi Antuerpiensis voluntatem, Tractatus duos, alterum DE IVRAMENTO alterum DE CENSVRIS &c. per *R.P. Ioannem de Dicastillo è Societate* IESV *Doctorem Theologum* conscriptos, intra decennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excusos in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalesúe exponat. Qui secùs faxit, præter exemplarium confiscationem, triginta florenorum Rhenensium pro vnoquoque exemplari persoluendorum pœnâ multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ die XVIII. Octobris M. DC. LXI.

Signat

LOYENS.